VILLANOVA COLLEGE LIBRARY
Villanova, Pennsylvania

This book was donated
3-4-49
by
Rev. M. Sullivan, O.S.A.

ACTA

SANCTORUM

PARISIIS. — EX TYPIS V. GOUPY, VIA GARANCIÈRE, 5



PARISIIS & ROMÆ, APVD VICTOREM PALME. M. DCCC. LXVIII

ACTA
SANCTORUM

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur

EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM ANTIQUIS MONUMENTIS

COLLECTA, DIGESTA, ILLUSTRATA

A JOANNE BAPTISTA SOLLERIO, JOANNE PINIO, GUILIELMO CUPERO
PETRO BOSCHIO

E SOCIETATE JESU PRESBYTERIS THEOLOGIS.

EDITIO NOVISSIMA, CURANTE JOANNE CARNANDET

JULII TOMUS QUARTUS

QUO DIES DECIMUS QUINTUS, DECIMUS SEXTUS, DECIMUS SEPTIMUS, DECIMUS OCTAVUS
ET DECIMUS NONUS CONTINENTUR,

CUM TRACTATU PRÆLIMINARI HISTORICO-CHRONOLOGICO DE PATRIARCHIS ANTIOCHENIS, AUCTORE PETRO BOSCHIO.

PARISIIS ET ROMÆ
APUD VICTOREM PALMÉ, BIBLIOPOLAM

1868

MARIÆ ELISABETHÆ,

REGIÆ PRINCIPI HUNGARIÆ, BOHEMIÆ ET SERENISSIMÆ

ARCHIDUCI,

DUCI BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, LUXEMBURGI, LIMBURGI, GELDRIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLIÆ : COMITI FLANDRIÆ, NAMURCI, TYROLIS, ET GORITIÆ, Etc.

BELGII AUSTRIACI

GUBERNATRICI.

Inter ovantis, ob adventum Tuum, exultantisque Belgii haud cessantes etiam jubilos, inter festivas gratulationes, communis gaudii perpetuos testes, postremam lætitiæ partem sibi relinqui haud patitur Museum hagiographum Antverpiense, Augustissimo Sanguini, Tibique adeo, SERENISSIMA ARCHIDUX, jam ab annis ferme quadraginta obstrictum, devotum et quodammodo consecratum; utpote quod tum prope fatiscens, sub Augustissimi Parentis Tui Leopoldi magni, æternæ memoriæ felicibus auspiciis benigne sublevatum, Augustissimi Germani Caroli, Regis ac Principis nostri subsidiis ita sensim suffultum et auctum est, ut spem minime dubiam conceperimus, immensam operis molem, triginta ipsis voluminibus anni sacri dimidium vixdum emensam, iisdem Austriacis favoribus, optatissimo fine aliquando coronandam. Tomus hic Julii quartus, ut ceteri a Junio Augustissimis Mæcenatibus hactenus dedicati fuere, ita Serenissimo nomini Tuo, ab Augustissimo Fratre destinatus est, eumque proinde ea fiducia inscribere audemus, qua jampridem tot alios venerabundi obtulimus, haud vane confisi, a Tua serenitate munus nostrum qualecumque ea gratiosa benevolentia susceptum iri, qua consuevisti neminem ad Te accedentem repellere, eo studio, quo labores pro Dei sanctorumque ejus gloria exantlatos pridem prosecuta es, ea æstimatione, qua de Actis nostris, sententiam Te alias paternæ non absimilem tulisse, non inanis rumor ad nos detulit. Id si cui mirum videatur, meminerit is, Principem Archiducem nos alloqui, non Musis solum amœnioribus aut vulgatioribus linguis assuetam, verum quæ et severiores disciplinas masculo animo delibare aggressa, vel ipsa Philosophorum adyta felici solertia penetraverit; quæque etiam theses, a quibus viri sæpe abhorreant, coram Augustissimo Genitore intrepide juxta ac sagaciter proponere, acriter propugnare, opposita subtiliter dissolvere, minime formidaverit. Hæc nimirum prolusio fuit ad perdiscendas ceteras artes, Austriaca Principe dignas, quarum jucundissima emolumenta in Belgium nostrum felicissime olim derivarentur. Artes eas intelligimus, non quæ in nuda scientiarum peritia versentur, sed quæ Austriaco Sanguini in utroque sexu propriæ, dicamus audacter, congenitæ, ipsas etiam feminas ad dicenda populis jura, ad gubernandas provincias, ad regna quælibet moderanda mirifice exornent. Artes ejusmodi, dotes, virtutesque; hasce equidem censeo : innatam Austriaco generi pietatem, prudentiam rebus agendis subactam, inviolabile æquitatis ac boni publici studium, amorem in subditos, misericordiam in pauperes, summam religionis tuendæ propagandæque, non minus quam patriæ legum conservandarum solicitudinem. Quod ne de solis viris dictum quis existimet, singula Europæ regna, ditiones quasvis consule; fallor, si monarchiam repereris, cui Austriacæ etiam feminæ immensum non profuerint. Et quid Belgio? Dicam ego, Augustissimum Fratrem in Te una, PRINCEPS SERENISSIMA, nobis cumulatissime reddidisse, quidquid olim Austriaci feminei sexus Belgicæ nostræ gubernacula suscepit, et florentissime juxta ac felicissime administravit. Vivit etiamnum in animis nostris transfusa a majoribus veneratio in cognominem Tibi Isabellam, totius patriæ amorem, et

delicium; neque dum memoria excidit Margarita Dux Parmensis, Belgii, sed tum afflictissimi, Gubernatrix : addamus et Mariam Hungariæ Reginam, cum qua de virtutum præmio certavit senior illa Margarita incomparabilis femina : magno Carolo V conjunctissimæ omnes; amita, soror, filia; Belgii utique Præfectæ omni vel hodie honore, laude et gloria dignissimæ, quas in Tua Serenitate, Maximi Leopoldi sobole, Magni alterius Caroli germana Sorore renascentes, non sine gratissima recordatione veneramur. Margaritam vero dum nominavi, Archiducem illam appellatam volui, Cæsare Maximiliano parente ex Maria nostra genitam, pietate ad sanctitatem usque eximiam, utpote quam a matre hauserit, aluerit vero piissimis institutionibus sanctæ illius Joannæ Reginæ, a qua tantum non educata, religiosum ejus Annuntiatarum Ordinem in Belgio propagavit, conditis parthenonibus, exstructis templis, quin et virorum cœnobiis, egregie, sed pie sancteque munifica. Quid quod et litteris adeo excultam, accepcrimus, ut propria gesta tabulis consignasse feratur, inter eruditas Principes merito computata. Stupet etiamnum posteritas, quod Musas cum virili fortitudine conjungens, jam jam maris fluctibus, ut rebatur, haurienda, vel pangendo sibi metrico epitaphio, tenella virgo præsentis animi satis habuerit. Prudentiam ejus immortalibus elogiis prædicant Annales nostri, quod absente nepote Carolo, per varias orbis partes victorias et triumphos circumferente, ipsa Belgio per quinque lustra tanta vigilantia prospexerit, ut variis circum hostibus nequidquam minitantibus, commissas sibi provincias præclare tutata, Belgii salus et felicitas merito nuncupata fuerit : pari in Deum religione succrescentibus tum primum infaustorum errorum seminibus imperterrite obviam progressa, infelix lolium omnino contritura, si opportunissimis sanctionibus obsecuti fuissent, quibus rem exsequendam commiserat : quod utinam subsecutæ in administratione Archiduces, Maria Hungarica et Dux Parmensis serius non deplorassent! Hic ego Te, SERENISSIMA ARCHIDUX, in Margarita illa, ut viva in imagine contemplor, Archiducem Piam, Eruditam, Prudentem, Fortem, Piam, inquam, non eo solum nomine quod Austriaca progenie sata sis, sed quod religiosissimis Parentibus orta, domestica, quæ imitareris documenta præ oculis habueris, ambos iis ornatos virtutibus, ambos ea sanctitatis opinione præcellentes, ut qui operis nostri de Actis Sanctorum Augustissimi fuere Patroni, iidem et Sanctorum veri sectatores, ipsorum vestigia ita presserint, ut ad ipsum opus illustribus virtutum monumentis ornandum augendumque certatim contenderint. Habuit Margarita Reginam sanctam educatricem, nec Te minori sanctitate erudiit Augustissima Genitrix, cujus clarissima gesta, eminentissimæque virtutes typis pridem omnium ferme linguis expressa, admirationi primum, tum et imitationi proposita, omnium ferme manibus hodie teruntur. Ad hæc scilicet tam vivæ sanctitatis lineamenta compositam Te gratulabundi recepimus. Tu vero Belgis Tuis ea jam nunc eximiæ religionis specimina exhibuisti sanctis illis, tum domesticis tum per Bruxellenses ecclesias exercitationibus, ut omnium animos mox conciliaveris, omnium Tibi corda devinxeris. His utique religiosæ pietatis Tuæ insignibus exemplis pristinam illam Belgicam morum innocentiam, laudatam tantopere a majoribus nostris simplicitatem, promptam erga superiores etiam ecclesiasticos obedientiam, in supremum Ecclesiæ Caput ejusque dogmaticas Constitutiones venerationem postliminio reductum iri plane confidimus; quidquid fuliginis asperserint nonnulli minus morigeri, suavem illam vereque Christianam circa res fidei submissionem labefactare aggressi; quorum conatibus comprimendis, si pietas parum sufficiat, non deerunt aliæ virtutes, quibus Margaritam nobis reddas, novatorum impios conatus egregie retundentem. Neque Te circumveniet sub larvata modestia fucataque pietate, speciosus nimiæ religionis obtentus : neque Tibi imponent subtilia eorum artificia, ut quæ philosophicis cavillis dissolvendis pridem assueveris, vera a falsis docta discernere, Tuoque judicio fallaces astus eludere, ea, quam modo laudavimus, Eruditione, ut errori apud Te accessum non patere, vel ipsismet persuasissimum arbitremur. Prudentia vero, quæ usu maxime rebusque tractandis acquiritur, quantum Te valere existimemus, indicio fuit, quod ubi provinciis nostris moderandis Te destinatam percepimus, Principum continuo prudentissimum, æternæ memoriæ Parentem Augustissimum animo repetierint Belgæ, in Te redivivum ipsum jam tum intuentes : Leopoldum dicimus, non prudentem modo sagacemque, sed et prudentiæ miraculum, Consiliorum suorum caput et organum, ipsam in rebus dirigendis ordinandisque perspicaciam; tot insidiis illum, tot bellis, tot adversis exercitatum, ut prodigio proximum sit, e tantis periculis evasisse, aliorum pugnantem gladiis, at solertissima sua directione vincentem triumphantemque. Hic Te nimirum, ad omnia alta magnasque res gerendas natam, hic, inquam, Te instituit, in hac schola Te eruditam, hac Te manu formatam complectimur, SERENISSIMA BELGARUM GUBERNATRIX, talibus auspiciis concreditas Tibi ab Augustissimo Germano provincias administraturam minime dubitamus : Teque adeo jam nunc Margaritam alteram salutem nostram felicitatemque universi pronuntiamus. De Fortitudine porro quod dicendum superest, eam in Margarita eximiam tradunt scriptores, quod adversis durisque et repetitis casibus toties probata, animum numquam desponderit, ex ipsis adversitatibus fortior vegetiorque emergens. Neque vero Serenitati Tuæ id genus rudimenta defuere, utpote quæ inter enascentis Martis furias nata, Vienna ipsa periclitante enutrita, inter calamitates et pericula adoleveris, sanctissimorum Parentum ductu ad patienda fortiter, ad agenda grandia strenue, ad hostium quorumcumque minas generose spernandas probe edocta fueris; Tibi vel tum constans, neque prosperarum rerum blandimentis, neque adversarum asperitatibus magnopere flecti solita, ut in Te nihil desiderari patiaris, quo primam illam nostram Austriacam moderatricem, et bellatricem Hungaricam, et sagacissimam Parmensem, ingentis animi feminam, Pietate, Eruditione, Prudentia et Fortitudine plenissime adæques, ausim dicere, jam nunc superes. At enim quid vetustioribus istis tantopere immoramur, dum viciniora a patribus nostris, in teneras

lacrimas

lacrymas sola recordatione effusis, sæpe prædicari audivimus. Age vero, non adeo antiqua sunt, quæ animis nostris propius observantur, nobisque spem certam faciunt, quam Isabellam, seu Elisabetham Austriacam Belgio dedit elapsum proxime sæculum, eam in Te nobis certissime restitutam; hoc felici discrimine, quod hæc variis bellis agitata, atque adeo populi sibi amantissimi ærumnis afflicta, iis tandem immortua sit; Tibi vero sereniora tempora obtigerint, iis excolendis apta, quibus de cetero piissima illa Isabella, toto, quo Belgio præfuit, tempore, subditis suis constantissime præluxit. Est qui audacter pronuntiet, phœnicis instar fuisse raram istam inter monarchas Principem; quippe cujus singularis modestia in gestu, comitas in verbis, temperantia in moribus, justitia in judiciis, effusæ denique in egenos largitiones omnium amorem et benevolentiam demererentur; hasque dotes clementi quadam gravitate sic temperare novisset, ut et mansuetudinem colerent, et majestatem in ea populi suspicerent, eam non ut Principem, sed ut matrem venerantes. Verum et huic Isabellæ, jam ferme a sæculo nobis ereptæ, tot coloribus depingendæ frustra occupamur, dum tota ipsa in Te viget hodiedum vivit et floret. Viget enimvero ipsius in administrandis rebus vigilantia, in consiliis judicii maturitas, in sententiis felicitas, in rebus omnibus justissima æquitas. Vivit ipsa, dum apud Te vivit in Deum matremque Deiparam, in res omnes divinas, in sacratissimam Synaxim, in omnia Religionis officia impensissimus fervor: floret demum in ordinatissimo illo aulæ Tuæ apparatu, quo dum conveniunt matronæ nobiles et virgines, non tam in regali gynæceo quam in ipsissima pudicitiæ schola commorantur, ut ad domestica Tua exempla compositi aulici omnes, virtutes a Te mutuentur, Dei timorem, Sanctorum cultum, castitatem, modestiam, probitatem omnem; reductis eo pacto in Belgium aureis illis Isabellæ sæculis, quæ majores nostri nobis invideant. Sumite animos populares Belgæ; redicre ea tempora in quibus prisca avorum nostrorum sinceritas, avitus ille Belgicus candor, fuci expers religio, unanimis concordia, fides publica, omnis Sanctorum scientia amœnissime revirescant. Elisabetham nacti sumus Principem Austriacam, satis dixi. Et sane quid multa? Virtutum omnium exemplar consecuti estis, tali impetrata Gubernatrice. Ordines omnes, quod tamdiu, tot votis, tam ardenter desiderarunt, sese obtinuisse certo confidant; Ecclesia firmissimum Religionis columen; nobilitas splendoris incrementum; urbes legum suarum præsidium; mercatores in crescente feliciter societate opulentiam; cives pacem et tranquillitatem; populus omnis Archiducem benignam, clementem, benevolam; Musæ Palladem; pauperes veram Elisabetham, Thuringicæ ac Lusitanicæ æmulam, matrem munificam; quamque adeo Deus ter optimus maximus, Sanctis nostris bene faventibus, longa incolumique sospitate beatam, æque diuturnam faciat totius Belgicæ prosperitatem. Ita fidentissime augurantur et vovent

SERENISSIMA ARCHIDUX

ARCHIDUCALIS SERENITATIS VESTRÆ

Devotissimi Clientes

JOAN. BAPT. SOLLERIUS.
JOANNES PINIUS
GUILIELMUS CUPERUS
PETRUS BOSCHIUS

Societatis Jesu.

SYNOPSIS

SYNOPSIS

TOMI QUARTI

DE ACTIS SANCTORUM

JULII.

Sistimus modo hagiophilis tomum de Actis Sanctorum, dies quinque decurrentem, a decimo quinto ad decimum nonum, in quibus denuo variæ classes anonymorum Martyrum : at Sancti centum septuaginta quatuor propriis suis nominibus referuntur : præfixo toti volumini Tractatu præliminari historico-chronologico de Patriarchis Antiochenis, ducta serie a sancto Petro Apostolo ad annum MCCLXVIII, quo ea civitas Saracenica seu Turcica tyrannide postremum oppressa est : recensitis Patriarchis omnibus, tum orthodoxis tum schismaticis, etiam Jacobitis, quos eam sedem aut tenuisse aut invasisse, monumentis historicis traditum est. Porro Sanctorum classes semper eadem sunt, juxta triplicem in Ecclesia statum, nempe *Ecclesiasticum, Monasticum et Sæcularem,* distincto regionum ordine ; feminis autem in quartam classem de more collectis. *Divisio Apostolorum* ac singularis *Septuaginta duorum Christi Discipulorum memoria* ad eas classes facile revocari non potuerunt : satis sit, earum festivitatum meminisse.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Antiquitate et merito ceteros antecedit *Epaphras,* an S. Pauli discipulus? Certe episcopus Colossensis, verosimiliter martyrii laurea donatus. Quantum pro fide Catholica laboraverit, quantum ab Arianis passus sit *Eustathius* Patriarcha Antiochenus, satis loquuntur historiæ : exsilii locus et tempus, obscurioraque alia illustranda fuere. Neque de magno *Jacobo Nisibeno,* altero Orientis lumine, pauciores difficultates solvendæ occurrerunt.

Ex Italia tomum hunc ornant maximi duo Romani Pontifices; alter *Symmachus,* iniquiora tempora passus; utpote sub rege Ariano Theodorico diro schismate, calumniis, odiis, multisque persecutionibus misere implicitus, ad quæ superanda pacandaque toto robore Apostolico opus habuit. Alter inter synonymos sanctos *Leones* ordine IV, Saracenis nequidquam minitantibus, Urbem quodammodo novam condidit, quæ ab ejus nomine Leonina dicitur, atque munificentia prope incredibili ecclesias ditavit. De ejus ætate, professione aliisque adjunctis non una disceptatio. *Ennodii Ticinensis* nobilitas, eruditio et apologia pro Symmacho PP., obitæ legationes, reliquaque gesta illustrissima sunt. In eadem urbe *Felix* episcopus et martyr colitur; non recte ut Ticinensis, qui potius Spalatensis antistes fuisse videtur. Neque sane alii desunt inclyti sanctitate præsules, quales suggerunt urbes variæ, *Philastrium* Brixia, Mediolanum *Maternum, Athanasium* et *Laurentium* Neapolis, Verona *Felicem, Vitalianum* Capua, qui Catacii in Calabria potissimum celebratur, non paucis difficultatibus obnoxius. Adde *Rofilum* seu *Rophillum* Forolivii, *Eugenium* cum sociis Nauli, *Terentium* Lunæ. Nec *Signiensis Bruno* prætereundus est, ex episcopo monachus et abbas, ex abbate denuo episcopus, in utraque dignitate libertatis ecclesiasticæ vindex, atque insigne sæculi sui ornamentum.

Inter Gallos seu Francos antistites in hoc tomo eminet *Arnulphus,* ex magno regis ministro et multorum regum parente major Metensis episcopus, atque hac etiam dimissa dignitate, anachoreta deinceps maximus; cujus genus, munia gestaque cetera non usque adeo pervia sunt : nos ea hoc die potius quam ad XVI Augusti illustranda censuimus. Accedunt et alii sancti præsules tametsi non usquequaque adeo celebres, *Martinus* Trevirensis, *Rethicius* Augustodunensis, *Æternus* Ebroicensis, *Benedictus* Andegavensis, *Ternanus* Leonensis in Britannia Armorica, et *Theodosius* Autissiodorensis.

Anglia unicum exhibet *Deusdedit* episcopum Cantuariensem. Plures suppeditat Belgium. *Frederici* Ultrajectensis martyrium, et causa executioque martyrii ancipitem pridem dedere disputandi materiam, Gallis acerrime contendentibus, Juditham imperatricem non nisi calumniose in invidiam trahi. *Monulphus* et *Gondulphus* ambo Trajectenses ad Mosam episcopi, ne quidem sepulcro disjunguntur : ambos vero, ex eo redivivos, ad concilium Aquisgranense perrexisse, historia seu popularis traditio est, quam vetustioribus testimoniis subnixam cuperemus. *Bernulphus* Ultrajectensibus adscribendus est. De *Plechelmo,* non Massæ candidæ aut candidæ Casæ, sed in Scotia episcopo, multa satis temere tradita, quæ Bollandus olim operose elucidavit. De Sancti cultu Ultrajecti, Oldensaliæ et Ruræmundæ, deque sacrarum reliquiarum divisione paulo certiora commemorantur. *Gonerius* presbyter in Britannia Armorica ad inferiorem hujus classis ordinem pertinet.

EX STATU MONASTICO

Primas in hac altera classe tenet celeberrimus *Arsenius,* qui ex duorum imperatorum præceptore anachoreta factus, Ægyptum, seu mavis Libyam, imo Orientem et orbem universum virtutum suarum odore replevit. Dicta ejus, documenta ascetica et facta expenduntur, daturque Vita græco-latina, numquam hactenus, saltem quod sciamus, edita. Ad Orientem etiam spectat *Dius* archimandrita, dictus thaumaturgus, condito monasterio, aliisque præclare gestis Constantinopoli venerandus.

Ex

Ex Italia locus inter Sanctos negari non potuit vino doctrina et vita religiosa insigni *Ambrosio Autberto,* post alia munia, ad S. Vincentii prope Vulturnum abbati : cui ex Ordine Vallumbrosano alium item abbatem adjungimus, moribus juxta ac nomine *Benignum.* Junior iis quidem, at non minus clarus est *Robertus,* a loco natali *Salentinus* dictus, dignissimus sancti Petri Cælestini discipulus, rerumque ad Ordinem spectantium vigilantissimus procurator, pro cujus recepto cultu argumenta subministrata sunt.

In Germania floruit *Gumbertus,* sancti Burchardi discupulus, Anspacensis ecclesiæ, primum, opinor, monasticæ, fundator, cum episcopo Herbipolensi, et forte aliis ferme synonymis, perperam confusus. *Ansuerus* et socii martyres Saxoniam illustrarunt : neque tacendus *David* abbas in Westmannia Sueciæ : quibus adde *Zoerardum* seu *Andream* et *Benedictum,* a Polonis et Hungaris cultos, de quorum patria et professione concertatio. In Hungaria obiisse certum est, et postremum quidem martyrio coronatum. Habet et suum Wratislavia Silesiæ patronum *Ceslaum,* Ordinis Prædicatorum alumnum, cujus cum S. Hyacintho discussa cognatio. Ast illis in partibus nullus hodie Sanctus illustrior magno illo Poloniæ thaumaturgo *Simone de Lipnica,* Ordinis Minorum, stupendis miraculis, numquam antea typis editis, jam toti orbi notissimo. *Fredegandus* in Belgio prope Antverpiam monasticen egit, an Belga ipse ? dubitatur, nos eum Antverpiensibus tribuere non refugimus.

EX STATU SÆCULARI.

In Oriente plures Martyrum classes, sed his expressius laudantur *Hyacinthus* et *Athenogenes,* non uni discussioni materiam præbentes. *Æmilianus* Dorostori multos martyrii socios nactus est, utinam et fidelem Actorum scriptorem. *Antiochum* et *Cyriacam* dedit Sebaste in Armenia, *Abudemium* insula Tenedos : *Faustus* et *Lolianus* suis non carent elogiis. Longe nobilior est Africana martyrum turma sub nomine *Scillitanorum,* quorum præclarissima Acta, ceteraque ad gesta et translationes spectantia eruderantur.

In portu Romano inclyta *Bonosa,* nunc cum *Eutropio* et *Zosima,* alias cum quinquaginta militibus conjuncta, crisim non parum exercuit : neque de *Hilarino* Ostiensi omnia componere, satis promptum fuit. Huc etiam spectant *Generosus* martyr Tibure in Latio, *Marcellus* Mediolani, apud Bergomenses *Domneo. Elius* sive *Ælius* Justinopoli in Istria, et *Felicissimus* Nuceriæ, confessores sunt. Ast hos inter nullus *Alexio* celebrior, nullus majoribus difficultatibus implexus, ut Vitam ejus ænigmati prope similem non immerito dixeris. De eo Baronius et alii tacere maluerunt, quam dubia pro certis obtrudere. Nos Acta ejus, tum Romana vulgatissima, tum Edessena, numquam hactenus visa, ex Syriaco et Arabico accepta tradimus, nihil temere in ea controversia definientes. Sæculo XIV insigne nomen sibi adeptus est *Petrus,* a solo natali *Fulginas,* appellatus, ab incredibili prope in pauperes misericordia laudatissimus. Ad Italiam etiam spectat *Bernardus* marchio Badensis, in Monte Calerio Pedemontii tumulum et cultum consecutus.

In Gallia *Domninus* Apriliacensis dubium reliquit, an cum synonymo Candiacensi confundendus sit. Pares ambages dissolvendæ fuerunt circa *Helerium* in Cæsarea maris Britannici insula : tum vero de *Arnulpho* in silva Aquilina, cujus peregrinationes, prætensus episcopatus, et gesta reliqua luce non modica indigent, quam etiam in *Justiniano* Lemovicensi desideramus. *Sisenandum* Cordubæ in Hispania martyrem paulo notiorem reddidit S. Eulogius. *Kenelmus* puer martyr in Anglia, impiæ sororis parricidio sublatus, miraculis potius quam gestis innotescere potuit. Ad Scotiam spectat *Donavaldus* cum novem filiabus virginibus. *Arnoldus* autem, vulgo dictus Caroli magni citharœdus, colitur in Arnsweiler ditionis Juliacensis.

EX SEXU FEMIMEO.

Magnorum Sanctorum dignissimam sororem, et ferme educatricem *Macrinam,* satis est nominasse, uti et ejus encomiasten S. Gregorium Nyssenum fratrem, quo præstantior ei obtingere non potuit. Non adeo nota est *Daria* martyr Constantinopoli ; at Carthagine prædicatur *Guddene.* Naturæ miraculum dici potest tenella virgo, sub virili habitu et nomine *Marinus* dicta, enormi calumnia illati stupri accusata ; de cujus patria ærumnarumque tolerantia, tum de reliquiis multa discutienda fuerunt, ne multiplex potius quam una diceretur.

Tibure in Latio nominatissima est *Symphorosa* cum septem filiis, a Felicitate distinguenda ; tametsi fortasse in filiorum nominibus confusio aliqua facta fuerit, hic, quoad fieri licuit, sublata. *Marcellinæ* virginis, magni Ambrosii sororis sacrum corpus non ita pridem repertum est, de qua re dissertatio Ms. serius ad nos transmissa, nihil continet quod cum nostris apprime non conveniat. Gallis debetur *Apronia* virgo Tullensis. Virgines et martyres nuncupari solent sorores sanctissimæ *Justa* et *Rufina,* quibus Hispalis in Hispania gloriatur, eisque merito addenda est *Aurea* Cordubensis. Non adeo constat, utrum *Marina* aliqua Hispanis tribuenda sit, a superius laudata discernenda. In Germania coluntur *Stilla* virgo et *Regiswindis* puellula : in Scotia *Thenna* seu *Thenew* matrona. In Belgio haudquaquam ignobilis *Reineldis* V. M. Amalbergæ filia, Gudilæ soror, quotidianis ferme peregrinationibus, prope Hallas Deiparæ, invocari, variisque mrobis mederi solita.

Atque hi sunt Sancti præcipui, quorum Acta in hoc tomo illustrantur ; quo autem die quibusve paginis reperienda sint singula, docet index alphabeticus eorumdem toti volumini præfixus. Cetera in subjunctis aliis indicibus quærenda sunt.

FACULTAS

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS

SOCIETATIS JESU FLANDRO-BELGICÆ,

ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

C*um Edictis Philippi II Hispaniarum Regis, deinde Serenissimorum Archiducum Alberti et Isabellæ Belgii Principum, rursumque Philippi III, ac novissime Caroli II Regum, confirmatis* II *Decembris* 1692, *et* XIX *Junii* 1694, *Provincialibus Societatis Jesu, per Flandrobelgicam pro tempore futuris, potestas facta sit eligendi Typographos et Bibliopolas, qui, ad quorumcumque exclusionem, soli imprimere ac reimprimere possint libros et opera quælibet, rite approbata, curantibusque ejusdem Societatis Patribus edita aut porro edenda, sub consueto suæ Majestatis Privilegio, non aliter impetrando, quam in scriptis obtenta et præexhibita licentia prædicti Provincialis; idque sub gravibus pœnis, in contraventores aut aliter impressa importantes statutis, ut latius in ipsis patentibus litteris apparet. Cum etiam sua Cæsarea Majestas idem valere voluerit in ditionibus, S. R. Imperio subjectis;*

Ego infrascriptus, Societatis Jesu per Flandrobelgicam Præpositus Provincialis, potestate ad hoc mihi facta ab Adm. R. P. N. Præposito Generali Michaële Angelo Tamburino, concedo Jacobo du Moulin *facultatem sic imprimendi, et per se aliosque vendendi infrascriptum opus, ex more nostræ Societatis (quod hisce attestor) recognitum et approbatum, videlicet; Tomum quartum de Actis Sanctorum Julii, collectis et illustratis per Joannem Bapt. Sollerium, Joannem Pinium, Guilielmum Cuperum, Petrum Boschium, Societatis nostræ presbyteros Theologos. In quorum fidem hasce, manu propria subscriptas, consuetoque nostri officii sigillo munitas, dedi Antverpiæ* XXIII *Novembris* MDCCXXV.

JOANNES JANSSENS.

SUMMA PRIVILEGII REGII.

Cæsareæ et Regiæ Catholicæ Majestatis diplomate sancitum est, ne quis, præter voluntatem Joannis Bapt. Sollerii e Societate Jesu, ejusve ad illustranda Sanctorum Acta Adjutorum et Successorum, ullo modo imprimat vel recudi faciat, ex parte vel in totum, Tomos eorumdem, de argumento illo, vel jam editos vel porro edendos; aut alibi excusos excudendosve invehat, venalesve habeat: qui secus faxit, confiscatione exemplarium, et aliis gravibus pœnis mulctabitur; ut latius patet ex litteris, Bruxellæ datis.

Signat LOYENS.

Et ego Joannes Bapt. Sollerius Societatis Jesu, permitto Jacobo du Moulin, ut Tomum Quartum de Actis Sanctorum Julii, meo permissu ab ipso impressum, publicet. Datum Antverpiæ XXVII *Novembris* MDCCXXV.

APPROBATIO

APPROBATIO ORDINARII.

Pergunt PP. *Joannes Baptista Sollerius, Joannes Pinius, Guilielmus Cuperus et Petrus Baschius Societatis* JESU *ingens suum opus de Actis Sanctorum sedulo promovere. Prodit modo tomus quartus Julii cum Tractatu præliminari historico-chronoligico de Patriarchis Antiochenis, in quibus nihil reperi quod fidei et bonis moribus apprime non consonet, imo quod eruditorum exspectationi non respondeat. Ita Censeo. Antverpiæ* XXIV *Novembris* MDCCXXV.

F. G. ULLENS
Can. Schol. Offic. et Lib. Censor
Antverpiæ.

PROTESTATIO AUCTORUM.

Quod identidem protestati sunt decessores nostri, in hoc de Actis Sanctorum Opere, se servatas velle Urbani Papæ VIII Constitutiones; neque suis, aliorumve huc relatis Commentariis aliud pondus tribui, quam sit historiæ, ab hominibus errori obnoxiis scriptæ: idem ante hunc quartum Tomum Julii denuo protestamur.

PRÆFATIO

PRÆFATIO

AD LECTOREM.

Prodit tandem, qui præcedenti Actorum tomo destinatus fuerat, Tractatus historico-chronologicus de Patriarchis Antiochenis; opus exile illud quidem, si molem spectes; odiosum vero ac tetricum, si ad materiam placet attendere : at expetitum tamen ab amicis non semel; ac studiis hisce nostris compendio promovendis non dicam utile, sed necessarium : id quod cum per se patet, tum in alio de Patriarchis Alexandrinis Tractatu satis copiose præfati sumus. Mihi certe ex quo paratum opusculum hoc habui, utilitatem ejus necessitatemque experiri sæpius licuit, neque in dubiis id meis dumtaxat; verum etiam, et quidem frequentius, in alienis.

Tractatum hunc inscribere jussus sum *Historico-Chronologicum* ab eo ipso, qui me, cum ad illum suscipiendum impulisset, abstinere, quantum chronologia pateretur, ab historia voluit. Spectavi id ego quidem præcipue; tametsi me probe intelligerem, arido hoc disserendi genere non magnam a vulgo lectorum initurum esse gratiam; quippe quibus obscurior ita videri possem quam brevior; dum res multas ex historia tum sacra tum profana depromptas digito tantum uno notarem, quarum uberiorem illi digestamque narrationem quia perspectam aliunde non habent, fere solent exigere. Non ita tamen temporibus unice supputandis inhærendum putavi, quin ea saltem, quæ facere ad Patriarcharum meorum qualemcumque notitiam judicarem, vel in loco adjecerim ipse, vel, si erant longiuscula, apud auctores idoneos assignaverim : atque ita rationes chronologicas utcumque visus sum cum historia temperasse.

Initium duxi ab ipso institutæ apud Antiochiam patriarchicæ sedis exordio ac primo ejus conditore simul et patriarcha, sancto Petro Apostolo, cujus tempora, ut a me notata sunt, ne quempiam offendant, observari velim, insistere me Majorum nostrorum Diatribæ præliminari ad tomum I Aprilis, qua Christi Servatoris nostri necem accidisse statuunt Coss. Rubellio, ac Fusio, Geminis, hoc est, anno Christianorum æræ vulgaris vigesimo nono. Quam quidem sententiam solidissima ibidem auctoritate stabilitam, quia convellere viri quidam eruditi aliquamdiu argumentis bene multis tentarunt, ego mihi denuo vindicandam putavi quidem, sed cum in eo jam temporis aliquid atque operæ posuissem, nihilque fere objectum ab adversariis deprehendissem, quod non idem subinde apud eruditissimos systematis nostri patronos, Norisium, Pagium, Schelstratium, aliosque, ad quos nuper in Reflexionibus suis ad regulas Criticæ tom. III, lib. v, dissert. I accessit Honoratus a S. Maria, dissolutum invenerim; actum agere desii : maxime cum eadem illa chronologia sic utar, ut firmare eam potius videri debeam, quam ab aliis acceptam precario adhibere.

Porro tres omnino ordines patriarcharum instituo; Græcorum primo, deinde Latinorum, ac postremo etiam Jacobitarum, suis quosque sæculis distributos, nisi quod Jacobitas ad cujusque sæculi, quo vixerunt, appendicem rejecerim; continuam vero patriarcharum seriem, adjecto ad nomina singulorum numero, indicavi. Quod si nomina quorumdam occurrunt, quibus numerus nullus apponitur; id argumento erit, vel patriarchis eos perperam adscriptos fuisse, vel certe patriarchæ alii jam ante constituto agnitoque et nondum defuncto, aut legitime exauctorato supervenisse. Ne Arianos quidem exclusi; quamdiu illis ita paruerunt orthodoxi, ut proprium sibi alium non optaverint.

Atque hoc de totius tractationis meæ scopo, digestione et ordine. Quod reliquum est, ignosci mihi velim, si forte subobscure nonnulla exposuisse videar; aut nimius fuisse in assignandis, quibus potissimum nitor, auctoribus : postremum hoc tametsi lectores quosdam odiose morabitur; iis tamen displicere non poterit, qui convinci se, quam delectari maluerint : alterum autem cum dirigendis temporum rationibus ita connexum est; ut qui in id genus rebus versandis peregrini non sunt, facile sint observaturi, vix aliter componi potuisse. Certe huic malo mederi utcumque conatus sum accurata, ubi opus erat maxime, interpungendi ratione. Hæc te, erudite lector, præmonitum volui.

SERIES

SERIES CHRONOLOGICA

Patriarcharum Antiochenorum Orientalium seu Græcorum.

Ordo	Nomina	Initia	Duratio	Num. marg.
1	S. Petrus Apostolus	33	7	1 *et seqq.*
2	S. Euodius	40	27	18
3	S. Ignatius Theophorus	68	39	26
4	S. Hero, *seu* Heros	108	20	33
5	Cornelius	128	14	37
6	Eros	142	26	38
7	S. Theophilus	168	13	39
8	Maximinus	176	13	45
9	S. Serapion	189	22	46
10	S. Asclepiades	211	6	50
11	Philetus	217	11	54
12	Zebennus, *sive* Zebinus	228	9	56
13	S. Babylas M.	237	13	57
14	Fabius *al.* Fabianus *et* Flavianus, Flavius	250	2	83
15	S. Demetrianus *al.* Demetrius	252	8	87
16	Paulus I, Samosatenus *hæresiarcha*	260	10	92
17	S. Domnus I	270	3	109
18	Timæus	273	7	113
19	S. Cyrillus	280	20	115
20	Tyrannus	300	13	119
21	Vitalis	313	6	121
22	S. Philogonius, *al.* Philogenes	318	5	125
23	Paulinus I, *qui et* Romanus *et* Paulus	323	1	129
24	S. Eustathius	324	7	143
25	Paulinus II *Arianus*	331	*mensibus* 6	169
26	Eulalius *Arianus*	331	*brevi temp.*	180
27	Euphronius *Arianus*	332	1	188
28	Flacillus *al.* Placillus, Placetus, Phlacitus, Phacellius *etc. Arianus*	333	12	189
29	Stephanus *Arianus*	345	3	199
30	Leontius *Arian.*	348	9	206
31	Eudoxius *Arian.*	358	2	213
32	Anianus *Arian.*	359	*depos.*	224
33	S. Meletius	361	20	227
	Euzoïnus Arianorum Antiochiæ patriarcha	361	15	244
	Paulinus III *Eustathianorum Antiochiæ patriarcha*	362	26	253
	Vitalis Apollinaristarum Antioch. ep.	376		272
	Dorotheus, sive Theodorus, Arianorum Antioch. patriarcha.	376	5	273
34	Flavianus I	381	23	274
	Euagrius, Paulini III successor	388	4	284
35	Porphyrius	404	10	287
36	Alexander I	413	4	293
37	Theodotus I	417	12	312
38	Joannes I	429	13	318
39	Domnus II	442	8	321
40	Maximus	440	5	329
41	Basilius	456	2	352
42	Acacius *al.* Alexander	458	1	356
43	Martyrius	459	12	357
44	Petrus Fullo *primo*	471	*mox fugit*	362
45	Julianus	471	5	364
	Petrus Fullo *iterum*	476	2 *fere mensibus*	369
46	Joannes II	477	3	381
47	S. Stephanus II *martyr*	478	1	388
48	Stephanus III	479	3	389
49	Kalendio	482	4	405
	Petrus Fullo *tertio*	485	3	410
50	Palladius	488	10	414
51	S. Flavianus II	499	13	417
52	Severus *hæresiarcha*	512	6	419
53	Paulus II	519	2	430
54	Euphrasius	521	5	434
55	Ephræmius	527	18	440
56	Domnus III *sive* Domninus	545	14	448
57	S. Anastasius I *primo*	559	11	451
58	Gregorius I.	570	23	453
	S. Anastasius I *secundo*	593	6	459
59	S. Anastasius II *martyr*	599	11	461
	Gregorius II videtur fictitius			486
60	Anastasius III	610	19	488
61	Athanasius *Jacobita*	629	10	490
62	Macedonius *Monothelita*	639	10	506
63	Jarihus, *seu* Georgius I *Monothelita*	650	4	510
64	Macarius I *hæresiarcha*	654	27 *depos.*	512
65	Theophanes	681	4	515
66	Alexander II	685	2 *fere*	524
67	Georgius II	686	16	527
68	Stephanus IV	742	2	539
69	Theophylactus	745 *circ.*	7	541
70	Theodorus I *al.* II	751	22	543

Ordo	Nomina	Initia	Duratio	Num. marg.
71	Theodoritus I	773	17	547
72	Jobus	812	32	574
73	Nicolaus	847	21	578
74	Stephanus V	870	*uno die*	582
75	Tadusus *sive* Theodorus II *al.* III	870	20	582
76	Simeon	893	11	584
77	Elias I	904	27	594
78	Theodosius I, *seu* Stephanus VI, *vel* Theodotus II	935		595
79	Theodoritus II	*sub medium sæc.* X		596
80	Agapius I	*sub medium sæc.* X		*ibid.*
81	Christophorus	*necatus ann.* 966		598
82	Theodorus III	970		598
83	Agapius II	976	12 *ejectus*	600
84	Joannes III		*sæc.* X *et* XI	603
85	Elias II		*sæc.* XI	617
86	Georgius III	*ante annum* 1051		617
87	Petrus III	1051		618
88	Theodorus IV	*sedebat an.* 1057		621
89	Theodosius II			622
90	Æmilianus	*sedebat an.* 1078		623
91	Nicephorus Maurus	1089		*ibid.*
92	Joannes IV	*Lat. cessit an.* 1100		625

Reliquos patriarchas Græcos sæculo XI posteriores vide in Auctario a numero 639.

PATRIARCHÆ LATINI

Ordo	Nomina	Initia	Duratio	Num. marg.
1	Bernardus	1100	35	644
2	Radulphus I	1136	6	646
5	Aymericus	1142	45	654
4	Radulphus II			659
5	Petrus I *jam sedebat*	1201	*ob.* 1208	664
5	Petrus II	1209	6 *circiter*	666
7	Raynerius	1219	7 *fere*	668
8	Albertus Regiensis	1226 *cir.*	*ob.* 1246 *circiter*	671
9	Christianus		1268 *martyr.*	674

Alios aliquot Latinos, qui patriarchæ titulo post captam Antiochiam gavisi sunt, habes in Epilogo a numero 676.

PATRIARCHÆ ANTIOCHENI JACOBITARUM

Ordo	Nomina	Initia	Duratio	Num. marg.
1	Severus *post fugam*	518	24	466
2	Sergius	542	3	470
3	Paulus Niger	545	23	474
4	Petrus	578	22	477
5	Julianus I	600	4	483
6	Athanasius I	604	35	484
7	Joannes I	639	10	531
8	Theodorus I	649	16 *circ.*	532
9	Severus II	665	15	533
10	Athanasius II	684	3	534
11	Julianus II	687	21	535
12	Elias	709	14	549
13	Athanasius III	724	15	553
14	Joannes II	740	15	555
15	Isaac	755	1 *fere*	560
16	Athanasius IV	755		563
17	Georgius ; *sub eo*	755 *vel* 759	35 *vel* 31	565 566
	Joannes Callinicensis Antipatriarcha fuit, uti et David			567
18	Joseph	790	2	570
19	Cyriacus ; *sub eo antipatriarchæ*	793	24	571
	Abrahamus et Simeon			573 *ibid.*
20	Dionysius I	818	27	566
21	Joannes III	846	27	589
22	Ignatius I	878	5	591
23	Theodosius	887	9	592
24	Dionysius II	897	12	593
25	Joannes IV	910	12	608
26	Basilius I	923	11	609
27	Joannes V	936	20 *fere*	610
28	Joannes VI	956		611
29	Dionysius III	557	3 1/2	612
30	Abraham	962	1	613
31	Joannes VII	965	20	614
32	Athanasius V	986	16	616
33	Joannes VIII	1004	29 *exsul obiit*	632
34	Dionysius IV	1033	10	634
35	Joannes IX	1049	9	635
36	Athanasius VI	1058	5 1/2	636
37	Joannes X	1064	9	637
38	Basilius II	1074	1 1/2	638
39	Joannes XI *vixit sub* 4 *seqq.*			639
40	Dionysius V	1077	2 *fere*	640
41	Joannes XII	1086	1 1/2	641
42	Dionysius VI	1088 *circiter*	1	642
43	Athanasius VII	1090	38	643
44	Joannes XIII	1130	8 *fere*	660
45	Athanasius VIII	1138	27 1/2	661
46	Michaël I, *sive* magnus	1166	33	662
47	Athanasius IX	1199	7	679
48	Michaël II	1200	15	680
49	Joannes XIV	1208	12	681
50	Ignatius II	1222	31	682
51	Dionysius VII	1253	8 *trucidatus*	683
52	Joannes XV	1253	10	684
53	Ignatius III	1264	18	685
54	Ignatius IV	1283	9	686
55	Ignatius V, *et sub eo*	1293	39	687
	Ignatius, qui et Michaël, uti et			687
	Ignatius, qui et Constantinus			*ibid.*

Reliquos sæculo XIII posteriores habes in Auctario a num. 688.

ORDO

ORDO ALPHABETICUS

Patriarcharum Antiochenorum.

Ordo	Nomina	Initia	Duratio	Num. marg.
42	Acacius *al.* Alexander	458	1	356
90	Æmilianus	*sedebat*	*an.* 1078	623
80	Agapius I	*sub med.*	*sæculi* x	596
83	Agapius II	976	12 *eject.*	600
	S. Agricius non fuit patriarcha Antioch.			162
	Alexander, *vide* Acacius			
36	Alexander I	413 *vel* 414	4	293
66	Alexander II	685	2 *fere*	524
57	S. Anastasius I *primo*	559	11 *puls.*	451
	S. Anastasius I *secundo*	593	6	459
59	S. Anastasius II M.	599	11	461
60	Anastasius III	610	19	488
32	Anianus *Arian.*	359	*mox dep.*	224
10	S. Asclepiades	211	6	50
61	Athanasius *Jacobita*	629	10	490
13	S. Babylas	237	13	57
	Babylas II patr. suppositus est			77
41	Basilius	456	2	352
81	Christophorus	*cæsus*	*an.* 966	598
	Constantinus diaconus non fuit patriarcha			518
5	Cornelius	128	14	37
19	S. Cyrillus	280	20	115
15	S. Demetrianus	252	8	87
	S. Demetrius, *vide* Demetrian.			
	Domninus, *vide* Domnus III			
17	S. Domnus I	270	3	109
39	Domnus II	442	8	321
56	Domnus III *al.* Domninus	545	14	448
	Dorotheus patriarcha suppositus			118
	Dorotheus patr. Arianorum, successor Euzoïi	376	5 *ejectus*	273
	Eleutherius non fuit patr. Ant.			605
77	Elias I	904	27	594
85	Elias II		*sæculo* XI	617
55	Ephræmius	527	18	440
6	Eros	142	26	38
	Euagrius Paulini successor	388	4	284
31	Eudoxius *Arianus*	358	2 *depos.*	213
26	Eulalius *Arian.*	331	*brev. tem.*	180
2	S. Euodius	40	27	18
54	Euphrasius	521	5	434
27	Euphronius *Arianus*	332	1	188
	Eusebius Cæsariensis patriarchatum recusavit			182

Ordo	Nomina	Initia	Duratio	Num. marg.
24	S. Eustathius	324	7 *depos.*	143
	Euzoïus Arianorum Antioch. patriarcha	361	15	244
	Fabianus, *vide* Fabius			
14	Fabius	250	2	83
28	Flacillus *Arian.*	333	12	189
	Flavianus *et* Flavius, *vide* Fabius			
34	Flavianus I *successor* S. Meletii	381	23	274
51	S. Flavianus II	499	13 *exp.*	417
	Georgius I, *vide* Jarihus			
67	Georgius II	686	16	527
86	Georgius III		*ante an.* 1051	617
	Georgius qui non fuit patr. Antioch.			489
58	Gregorius I	570	23 *cedit*	453
	Gregorius II ignot.			487
4	S. Hero, *al.* Heros *et* Heron	108	20	33
	Heros, *vide* Hero *et* Eros			
63	Jarihus *Monothelita*	650	4	510
3	S. Ignatius M.	68	39	26
38	Joannes I	429	13	318
46	Joannes II	477	*mensibus* 3 *depos.*	381
84	Joannes III		*sæculo* x *et* XI	603
92	Joannes IV		*cessit an.* 1100	625
	Joannes Codonatus			403
	S. Joannes Maro primus Maronitarum patriarch.			520
72	Jobus	812	31	574
45	Julianus	471	5	364
49	Kalendio *sive* Kalendion	482	*fere* 4 *pulsus*	405
30	Leontius *Arian.*	348	10	206
64	Macarius I *hæresiarcha*	654	27 *depositus*	512
	Macarius II non fuit patr. Antioch.			605
	S. Macarius III non fuit patr. Ant.			605
62	Macedonius *Monothelita*	639	10	506
	Maro, vide S. Joannes Maro			
43	Martyrius	459	12 *abdicat*	357
	Maximianus, *vide* Maximus			
8	Maximinus	176	13	45
40	Maximus	450	5	329
	Maximus, *vide* Maximinus			
33	S. Meletius	361	20	227

Michaël

Ordo	Nomina	Initia	Duratio	Num. marg.
	Michaël pro Nicolao *male dictus patr. Antioch.*			581
91	Nicephorus Maurus	1089		623
73	Nicolaus	847	21	578
50	Palladius *Eutychianus*	488	10	414
23	Paulinus I	323	1 *deposit.*	129
25	Paulinus II *Arianus*	331	*mensibus* 6	169
	Paulinus III *Eustathianor. patr.*	362	26	253
16	Paulinus I Samosatenus *hæres.*	260	10 *depositus*	92
53	Paulus II	519	2 *cedit*	430
	Paulus, *vide* Paulinus I			
1	S. Petrus Apost.	33	7	1
44	Petrus Fullo *primo*	471	*mox fugit*	362
	Petrus Fullo *secundo*	476	2 *fere ejectus*	269
	Petrus Fullo *tertio*	485	3	410
87	Petrus III	1051		618
	Phacellius *aut* Phanellius *vide* Flacillus			
11	Philetus	217	11	54
	Philogenes, *vide* Philogonius			
22	S. Philogonius	318	5	125
	Phlacitus, *vide* Flacillus			
	Placentius, *vide* Flacillus			
	Placillus, *vide* Flacillus			
	Placitus, *vide* Flacillus			
35	Porphyrius	404	10	287
9	Romanus *idem qui* Paulinus I			141
52	S. Serapion	189	22	46
	Severus *hæresiarcha*	512	6 *fugit*	419
76	Simeon	893	11	584
29	Stephanus I *Arianus*	345	2 *depositus*	199
47	S. Stephanus II M.	478 *circiter*	1	388
48	Stephanus III	479	3	389
68	Stephanus IV	742	2	539
74	Stephanus V	870	*uno die*	582
	Stephanus VI, *vide* Theodosius			
75	Tadusus *sive* Theodorus II *al.* III	870	20	582
71	Theodoritus I	773	17	547
79	Theodoritus II	*sub med. sæculi* x		596
70	Theodorus I *al.* II	751	22	543
	Theodorus III *al.* III, *vide* Tadusus			
82	Theodorus III	970		598
88	Theodorus IV	*sedebat*	*an.* 1057	621
	Theodorus, vide Dorotheus patr. Arianorum			
78	Theodosius I	935		595
89	Theodosius II			622
37	Theodotus I	417	12	312
	Theodotus II, *vide* Theodosius			
65	Theophanes	681	4	515
7	S. Theophilus	168	13	39
	Theophilus Aetianorum Antioch. episcopus			250
69	Theophylactus	745 *circ.*	7	541
	Thomas, *vide* Alexander II			
18	Timæus	273	7	113
20	Tyrannus	300	13	119
21	Vitalis	313	6	121
	Vitalis Apollinaristarum Antioch. episcopus	376		272
12	Zebennus, *sive* Zebinus	228	9	6

Reliquos patriarchas Græcos sæculo XI posteriores vide in Auctario a num. 629.

PATRIARCHÆ LATINI

Ordo	Nomina	Initia	Duratio	Num. marg.
8	Albertus Regiensis	1220 *circiter*	*ob.* 1246 *circiter*	617
	Americus, *v* Aymericus			
3	Aymericus	1142	45	654
1	Bernardus	1100	35	644
9	Christianus		1268 *martyr*	674
	Haymericus, *vide* Aymericus			
	Helias Robertus videtur suppositus			671
	Pelagius Albanensis electus recusat			668
5	Petrus I *jam sedebat*	1201	*ob.* 1208	664
6	Petrus II	1209	6 *circiter*	666
	Petrus Capuanus non fuit consecratus			668
2	Radulphus I	1136	6	646
4	Radulphus II			659
7	Raynerius	1219	7 *fere*	668

Alios aliquot Latinos, qui patriarchæ titulo post captam Antiochiam gavisi sunt, habes in epilogo a numero 676.

PATRIARCHÆ ANTIOCHENI JACOBITARUM.

Ordo	Nomina	Initia	Duratio	Num. marg.
30	Abraham	962	1	613
	Abrahamus antipatr. Jacobit. sub Cyriaco			573
6	Athanasius I	604	35	484
10	Athanasius II	684	3	534
13	Athanasius III	724	15	553
16	Athanasius IV	755		563
32	Athanasius V	986	16	616
36	Athanasius VI	1058	5 *et med.*	636

43 Athanasius

Ordo	Nomina	Initia	Duratio	Num. marg.
43	Athanasius VII	1090	38	643
45	Athanasius VIII	1138	27	661
47	Athanasius IX	1199	7	679
26	Basilius I	923	11	609
38	Basilius II	1074	1 *et med.*	638
19	Cyriacus	793	24	571
	David antipatr. Jacobit. sub Georgio patr. Jacob.			567
20	Dionysius I	818	27	586
24	Dionysius II	897	12	593
29	Dionysius III	957	3 *et med.*	612
34	Dionysius IV	1033	10	624
40	Dionysius V	1077	2 *fere*	640
42	Dionysius VI *primo intrusus, tum electus*	1088	1 *et med.*	642
51	Dionysius VII	1253	8 *trucid.*	683
12	Elias	709	14	549
17	Georgius	755 *vel* 759	35 *vel* 31	565
	Ignatius, qui et Constantinus, sub Ignatio V			687
	Ignatius, qui et Michaël sub Ignatio V *sedit Siside*			687
22	Ignatius I	878	5	591
50	Ignatius II	1222	31	682
53	Ignatius III	1264	18	685
54	Ignatius IV	1283	9	686
55	Ignatius V	1293	39	687
	Joannes Callinicensis antipatr. Jacobit. sub Georgio *patr. Jac.*			566
7	Joannes I	639	10	531
14	Joannes II	740	15	555
21	Joannes III	846	27	589
25	Joannes IV	910	12	608
27	Joannes V	936	20 *fere*	610
28	Joannes VI	956		611
31	Joannes VII	965	20	614
33	Joannes VIII	1004	29 *exul obiit*	632
35	Joannes IX	1049	9	635
37	Joannes X	1064	9	637
39	Joannes XI *vixit intrusus sub 4 patriarchis sequentibus*			639
41	Joannes XII	1086	1 *et med.*	641
44	Joannes XIII	1130	8 *fere*	660
49	Joannes XIV	1208	12	681
52	Joannes XV	1253	10	684
18	Joseph	790	2	570
15	Isaac	755	1 *fere*	560
5	Julianus I	600	4	483
11	Julianus II	687	21	535
46	Michaël I, *sive* magnus	1166	33	662
48	Michaël II *invasor, fere fugitivus vixit*	1200	15	680
3	Paulus Niger	545	23 *dep.*	474
4	Petrus	578	22	477
2	Sergius	542	3	470
1	Severus I	518	24	466
9	Severus II	665	15	533
	Simeon antipatr. Jacob. successor Abrahami			573
8	Theodorus I	649	16 *circit.*	532
23	Theodosius	887	9	592
	Theophanes, vide Theophilus			
	Theophilus an patriarcha			471

Reliquos sæculo XIII posteriores habes in Auctario a numero 688.

A D

TRACTATUS

HISTORICO-CHRONOLOGICUS

Ad tom. IV Julii præliminaris

DE

PATRIARCHIS ANTIOCHENIS

SÆCULUM I.

I. S. PETRUS APOSTOLUS.

B

S. Petrus primus fuit episcopus Antiochiæ;

Antiochenam cathedram erexisse primum atque occupasse Petrum Apostolum, tam constanti jam inde a primis Ecclesiæ sæculis traditione comprobatum est; ut temerarium omnino esse necesse sit, qui neget : hoc enim tradunt Origines homil. vi in Luc. . *Ignatium dico, episcopum Antiochiæ, post Petrum, secundum;* Eusebius Cæsariensis tum in Chronico, ad annum Claudii imp. secundum : *Petrus Apostolus . . . cum primum Antiochenam ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur;* tum in Historia lib. iii, cap. xxxvi, cujus verba dabuntur infra num. 3; S. Joannes Chrysostomus apud Frontonem Ducæum tom. I, hom. xlii in S. Ignatium : *Sed quia Petri mentionem feci, quintam ex ipso contextam coronam animadverti; quoniam illi* (Petro) *in episcopatus Antiochensis dignitate successit* (Ignatius.) Et paulo inferius S. Ignatii coronas colligens, quartam repetit, *Ex solio, cui Petrus insederat;* S. Hieronymus de Scriptoribus eccles. cap. i : *Simon Petrus . . . . princeps Apostolorum, post episcopatum Antiochensis ecclesiæ et prædicationem...*

C

in Ponto, Galatia etc. *Romam pergit;* et in Epist. ad Galatas cap. ii : *Denique primum episcopum Antiochenæ ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, et Romam exinde translatum; quod Lucas penitus omisit;* S. Innocentius PP. I epistola xviii ad Alexandrum episcopum Antiochenum : *Unde advertimus non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem* (ecclesiæ Antiochenæ) *attributum* (quod super diœcesim suam constituta sit,) *quam quod prima primi Apostoli sedes esse monstretur;* S. Leo magnus serm. in Nat. Apostolorum Petri et Pauli, Petrum alloquens, *Jam populos,* inquit, *qui ex circumcisione crediderant, erudieras; jam Antiochenam ecclesiam, ubi primum Christiani nominis dignitas est orta, fundaveras,* etc. Maximus in concilio Chalcedonensi sexcentorum triginta episcoporum, actione 7 appellat sedem Antiochenam τὸν θρόνον τῆς Ἀντιοχέων μεγαλοπόξεως τὸν του ἁγίου Πέτρου *Thronum Antiochensium magnæ civitatis, qui fuit S. Petri;* S. Gregorius magnus lib. vi, epist. xxxvii de S. Petro et sede Antiochena scribens, *Ipse firmavit sedem,* inquit, *in qua septem annis, quamvis discessurus, sedit.* Et quis erit finis, si

E

enumerare omnes voluero, qui hæc eadem ad posteros scripta transmiserunt? Sunt enim fere innumeri, teste Baronio ad annum Christi xxxix, ubi rem hanc agit a num. 8 usque ad anni finem.

quod Tillemontius nimis hic timide asserens.

2 Hæccine, obsecro, ejusmodi testimonia sunt; ut subvereri quemquam sinant; ne, si Chronicon Alexandrinum aut Clementis Recognitiones non penitus abjiciantur, ex corruptis hisce fontibus hæc hausta traditio, atque adeo incerta videri possit? Mirari certe hunc scribendi modum subiit in Tillemontio in Monumentis pro ecclesiastica historia tom. I not. 25 in S. Petrum; uti etiam illud quod paulo superius dixerat; fieri nimirum posse, ut episcopatum S. Petri Antiochiæ, cujus memoriam Innocentius, Gelasius, S. Gregorius innuant in Romana Græcaque ecclesia traditione servatam, utraque Ecclesia ex Hieronymo, Hieronymus vero ex Eusebio didicerit. Quid restat igitur, si hæc ita sunt, nisi ut Eusebii auctoritatem hac in parte convellas; eum-

F

que ex libris Recognitionum apocryphis sua dicas hausisse? Jam tota hæc tam solida, tam antiqua παράδοσις revocatur in dubium; jam tot gravissimi, sapientissimi, sanctissimique Ecclesiæ Doctores ac Patres, jam Universa adeo Ecclesia imprudentissimæ in hac tum credenda, tum posteris asserenda temeritatis arcessitur. Quid viro catholico indignius; quid heterodoxis gratius dici potest?

occasionem dat hæreticis nos impugnandi.

3 Arripuit hæc sane, spe traditionis, ut innuit, violentius hac via concutiendæ, lecto citatoque eodem illo Tillemontii loco, nuperus quidam in Hollandia scriptor acatholicus; sed eatenus imperite, quod, quantum Eusebii Chronicum hoc maxime loco impugnat, tantum ejusdem Historiam ab accuratiori fide commendet, in qua, inquit, hujus rei non meminit. Meminit enimvero lib. iii, cap. xxxvi, ubi de Ignatio sic habet : Ὁ, τε παρὰ πλέιστοις εἰσέτι νῦν διαβόητος Ἰγνάτιος, τῆς κατ' Ἀντιοχείαν Πέτρου διαδοχῆς δεύτερος τὴν ἐπισκοπὴν κεκληρωμένος. *Ignatius præterea multorum sermonibus nostra etiam ætate celebratus, secundus successionis apud Antiochiam Petri episcopatum*

scopatum sortitus, sive, ut Valesius vertit, *secundus, post Petrum, Antiochensem ecclesiam sortitus.* Ruffinus vertit lib. III, cap. XXXV : *Sed et in nostra quoque tempora famæ celebritate vulgatus Ignatius, apud Antiochiam post Petrum secunda successione episcopatum sortitus.* Quid hoc, cedo, est aliud, quam primum cathedræ Antiochenæ episcopum pronuntiare S. Petrum? Patet id eodem hoc lib. III, cap. II, ubi fere de Lino succedente Romæ loquitur, sicut hic de Ignatio Antiochiæ. Adi Baron. ann. Christi XXXIX, num. 18. Nimirum animus mihi non est hæreticum, ubique turpissime cæcutientem, persequi, in iis ipsis operibus, si quis inspexerit, quæ impugnanda susceperat, abunde confutatum; et Romæ jam ab anno MDCCVII confixum, Sanctorum denique gloriæ, et Ecclesiæ catholicæ obtrectatorem sacrilegum simul et ineptum. Sed nempe (ut ad institutum redeam) nec Alexandrino, nec Eusebii seu Chronico, sive Historia, nec Recognitionibus Clementinis, res hæc adeo subnixa est, ut quamvis hæc abessent omnia, imo tantum adversarentur, quantum prosunt B modo, ei timeri debeat; quando tot tantorumque Patrum auctoritate firmata est, qui undecumque sua illa sensa deprompserint, pro ea, qua pollebant, prudentia, doctrina, sanctitate, non nisi ex probatis illa solidisque principiis adduxisse credendi sunt. Adde Catalogos Romanorum Pontificum, qui idem adstruunt, in multis ab Eusebio ita recedere, ut ineptum sit, eos ab Eusebio sua mutuatos comminisci, qui verosimiliter antiquissimi Catalogi auctori ne notus quidem fuit, ut observat Tillemontius in S. Petro tom. I Monum. eccles. art. 28.

Fundata est sedes Antiochena anno Christi 33:

4 Quam porro certa est collocatæ a S. Petro suæ hujus sedis historia, tam incertum controversumque tempus est, quo id primum contigerit. Probabilis mihi præ reliquis apparet, quam Godefridus noster Henschenius, ac post eum Conradus Janningus sunt amplexi sententiam, cum Sedis Antiochensis exordium ad annum æræ Christianæ vulgaris XXXIII, qui fuit juxta chronologiam nostram annus a Christi passione quintus, revocarunt; sic scopulos omnes feliciter prætervecti, in quos C auctores plerique videntur impegisse. Res palam fiet, si paucula quædam cum illo exordio ita connexa, ut alteri accommodari non possint, statui omnino oportere ostendero. Hæc ad tria præcipue capita reducuntur. Primum quidem ut martyrii palmam tulisse dicatur Apostolorum Princeps Coss. A. Silio Nerva, et M. Vestino Attico; id est, anno æræ vulgaris LXV; alterum vero, ut solidis XXV annis Ecclesiæ Romanæ præsederit; tertium denique, ut annos septem, priusquam Romam adiret, in cathedra Antiochena posuerit. Hæc tria si vera sunt, et veram esse sententiam nostram, et corruere ab ea diversas necesse est : suis igitur singula momentis expendam.

nam S. Petrus martyrium fecit anno Christi 65, juxta Catalogum.

5 Ad Apostoli Petri martyrium Nervæ ac Vestini consulatui illigandum magno sibi præsidio putavit esse Schelstratius, Antiq. eccles. tom. I, dissert. I, cap. V, art. 5, Catalogum antiquissimum Pontificum Romanorum, quem In Diatriba præliminari ad tomum I Aprilis exhibuit Henschenius in hæc verba : *Petrus annis viginti quinque, mense uno, diebus novem,* D *fuit temporibus Tiberii Cæsaris, et Caji, et Tiberii Claudii, et Neronis; a Consulatu Vinicii et Longini, usque Nervæ et Vestini. Passus autem cum Paulo die tertia Kalendas Julias, Consulibus supradictis, imperante Nerone.* Esset, fateor, instrumentum hoc quantivis pretii, si tale saltem esset, quale ab Henschenio vulgatum est; verum ab illa integritate tantum distat exemplar Catalogi, quo Decessor noster usus est, ut illud per capita fere singula in aliquibus restituendum existimaverit : quod mirum est neque ab erudito Schelstratio ibidem, et dissert. III, cap. II, neque ab aliis quibusdam recentioribus observatum fuisse; cum id Henschenius tum alibi, tum in ipso hujus Diatribæ prologo lectores suos satis aperte præmonitos esse voluerit :

ab Henschenio correctum:

6 Sic enim habet num. 10 : *Apographum nostrum communicavit olim Joannes Bollandus noster Ægidio Bucherio, qui illud edidit in Commentario suo in Canonem Paschalem Victorii.* Potuitne clarius edicere, quid ferat apographum suum, quam illud ipsum assignando jam editum in opere, quod in eruditorum omnium manibus est? Neque enim Bucherium arguit, quasi id ille fideliter non ediderit; sed unum istud queritur, *quod is non parum fuliginis ipsi adjecisset; dum Catalogum illum (quem confusiorem et vitiosum judicabat) non satis æstimaverat;* quod ne et alii facerent, emendare illum conatus est Henschenius studio sane atque eruditione minime vulgari, et vero optima fide; quandoquidem apographum suum assignando apud Bucherium, satis unumquemque moneat, in iis Catalogum a se correctum esse, in quibus a Bucheriano differret; neque proinde in apographo nostro legi, passum esse S. Petrum Coss. Nerva et Vestino; sed ita legendum esse; cum is locus in apographo nostro, ut patet apud Bucherium, sit manifeste corruptus, Nervam cum Vero conjungens; nec videatur emendari rectius posse, quam si loco Veri Vestinum substituas; id quod Henschenius tam erudite demonstrat; ut hic ego me non diffitear multo amplius argumentis illis, quibus Catalogum repurgare hoc loco conatus est, quam ipsi Catalogo sic repurgato tribuere. F

non prius

7 Ostendit enim luculente exercit. IV a num. 31, nec prius occisum esse S. Petrum, quam Nerva et Vestino Consulibus, nec occidi posterius a Nerone potuisse : non prius; quia, Eusebio teste lib. II Hist. eccles. cap. XXII, Nero circa initia imperii clementius se gesserit et defensionem pro fide nostra benigne susceperit; adeo ut in illa Romanæ Ecclesiæ tranquillitate Petrus Vicarium sibi Romæ S. Linum substitueret, ut ipse alia in loca profectus Christi fidem longius latiusque diffunderet, ut ibidem colligitur ex Actis atque ipso, quo de agitur, Catalogo. Sævire vero primum in Christianos Nero cœpit Coss. C. Lecanio et M. Licinio, hoc est anno Christi LXIV, qui imperii ejus anno X et XI respondet, cum incensæ Urbis invidiam in eos detorsit, quod ex Tacito ac Suetonio ibidem citatis, et Sulpicio Severo Sacræ Hist. lib. II, comprobatur. Martyribus autem in illa persecutione crudelissima quæque supplicia cædesque perpessis S. Leo magnus ambos accenset Apostolos; sed non primo statim impetu illo arreptos eos fuisse manifeste tradit

A tradit Sulpicius Severus loco jam notato. Præterea: *Fuere,* ait Tacitus lib. XV Annal., *qui annotarent,* XIV *Kalend. sextiles* (hoc est XIX Julii) *principium incendii hujus ortum, quo* etc. Incendium autem consecuta persecutio est; Apostoli vero martyrium fecerunt XXIX Junii, ut ad illum diem probamus in Actis.

ut patet ex tempore primæ persecutionis;

8 Est igitur cur in annum consulesque sequentes cum Catalogo Henscheniano differatur Apostolorum interitus, quo furere nihilominus Nero perrexit, ut est apud Tacitum lib. citato; maxime cum is annus Neronis imp. undecimo ac duodecimo respondeat, in quem Petri ac Pauli necem, Hær. 27, contulit S. Epiphanius; *quæ in duodecimum,* inquit, *annum Neronis incurrit.* Annum quidem XI rectius scribendum fuisse putavit Papebrochius, cum Neronis ab assumpto imperio annus XII non nisi Octobri mense inchoaretur; sed ita numerati, ut observat Henschenius hic num. 35, et probat Petavius Doctr. temp. lib. XI, cap. XIV, anni imperatorum passim solent a veteribus, ut eorum initium non a die quo imperium adierunt, sed ab ejus anni B civili et populari exordio repetatur. Hac ratione duodecimum putare potuit vel a Januario præcedente, si civili; vel a Paschali mense, si ecclesiastico utebatur anno S. Epiphanius; ut nihil hic corrigendum sit. Accedit quod idem hic annus sit a passo (sub Geminis) Servatore trigesimus septimus, quem annum notant S. Hieronymus de Scriptorib. eccl. cap. V in elogio S. Pauli, quem eodem anno ac die cum Petro interfectum dicit; et S. Joannes Chrysostomus tom. VI, serm. in Petrum et Paulum, sub finem; ubi textus Græcus, quem non recte vertit Vossius, habet, Paulum, cum capite plecteretur, servivisse annis XXXV Domino, quod redit ad annum trigesimum septimum a passione Christi, post quam passionem Paulus altero tantum anno servire Domino cœpit. Idem asserunt Isidorus Hispal. de Vita et obitu utriusque Testamenti Sanctorum; Nicephorus Callistus lib. II, cap. XXXVI, aliique passim: *Sed, ut supra ex Augustino monuimus,* inquit loc. cit. Henschenius, OB IGNORANTIAM CONSULATUS, QUO CHRISTUS PASSUS EST, COACTI FUERE ABERRARE C ALIQUI, *qui dum serius Christum dixere passum, et vellent S. Petro dictos* XXXVII *annos tribuere, etiam coacti fuerunt serius mortem Petri statuere.*

non etiam posterius.

9 Sed hoc anno serius eam statui non posse evincit, opinor, numero 33 et seq., saltem adversus eos, qui necem illam anno Neronis, ab imperii exordio, decimo tertio, aut decimo quarto fixerunt: nam qui cum Tillemontio eam referunt in annum imperii duodecimum, Christi LXVI, eos conveniam jam mox. Et quidem de anno XIV, Christi LXVIII, res plana est, cum illo anno sibi ipse Nero manus attulerit die IX Junii; Petrus vero in crucem actus sit XXIX Junii. Sed nec fieri potuit anno ejusdem imperii decimo tertio, Christi LXVII, quod vult Petavius et alii: nam jam ab anno præcedenti absens Nero agebat in Græcia, teste Xiphilino in Epitome Dionis Cassii, ubi hoc anno decimo tertio adhuc versabatur forte circa hiemem: siquidem istic meditabatur Isthmum Peloponesi perfodere, quo ad eum, post partam die VIII Septembris de Taricheis victoriam [1], Vespasianus, qui bello Judaico præerat, sex millia lectissimorum juvenum submisit, ut lib. III de Bello, cap. XIX narrat Josephus. Præsentem autem Apostolorum supplicio tyrannum fuisse, nemo veterum, quod sciam, negavit; quidam tam aperte affirmant, ut explicari aliter vix possint: vide Tillemontium nota 40 in S. Petrum. Acta clamant ad diem XXIX Junii data, ubi ob lapsum Simonis Magi, abductasque ab impurissimo ejus commercio ad fidem, castumque propositum pellices, eum plane præsentem furentemque exhibent; uti et quæ habentur ad eum diem tom. VII Junii; denique communis ita fert trrditio, ut ait Pagius, ubi sententiam nostram prolixe tuetur ad ann. Christi LXVII, patronumque adducit Orosium lib. VII, cap. V.

ne uno quidem anno;

10 Restat ergo annus ab accepto imperio XII, Christi LXVI. Sed contra illum faciunt non pauca: atque imprimis Historia Xiphilini post nominatos hujus anni consules Cajum Telesinum et Suetonium Paulinum, statim Tiridatis adventum, ludos, regnumque Armeniæ ei datum, et Neronis iter, comitatumque describit in Græciam; ut verisi- E milimum sit, ea ante Junium contigisse; et ut serius accidissent, certe nullo pacto cum persecutione ferventi et martyriis, prout narrantur, Apostolorum, congruunt; cum totus in ludis esset imperator. Deinde non est hic annus trigesimus septimus post Christi passionem, quem passim omnes apud Henschenium et Pagium requirunt. Tum quo auctore se fundat, qui ita sentit? Epiphanium supra relatum Tillemontio eripui; superest, nescio quis Euthalus in Prolegom. Œcumenii; sed qui adventum Christi statuit annis 111 ante æram vulgarem; passionem vero anno Christi secundum æram vulgarem trigesimo. Favet is vero nobis, cum Paulum dicit martyrio coronatum anno post Christi passionem trigesimo sexto: nam idem annus, qui est ab anno æræ vulg. vigesimo nono trigesimus septimus, ab anno ejusdem æræ trigesimo est trigesimus sextus: ergo assignat quidem aliter, sed tamen eumdem omnino annum quem nos, hoc est Christi LXV, quo consules fuere Nerva et Vestinus. Sunt et alia, quæ in hanc rem dici possunt; sed F hæc, puto, sufficiunt, ut sub Nerva et Vestino consulibus S. Petri martyrium collocari cum Catalogo nostro omnino debere quivis videat; cum eumdem illum annum tot alia per totam Henschenii Diatribam inter se collata confirment. Ab Eusebio hic recedimus, fateor; sed idem Eminentissimus Annalium Parens, idem alii passim factitarunt. Et vero quanti in hac re sit Eusebius, docet Henschenius num. 35, Pagius ad ann. Christi LXVII, num. 11 etc. Nunc ad alterum, quod proposueram, caput accedo.

post Romanam Sedem ante annos 25 solidos erectam.

11 Per annos XXV Romanam tenuisse cathedram Apostolum Petrum, ostendit Hemschenius loco citato, num. 28; iterumque ad diem XXIX Junii in Comm. præv. ad Acta SS. Petri et Pauli, num. 11. Idem adstruit Illustriss. Schelstratius Antiq. eccles. diss. I, cap. V, art. 4 ex Eusebio, Hieronymo, Prospero, Beda, libro Pontificali, codicibus Mss., Catalogis antiquis; confutatque Baluzium, Pagium, Papebrochium id negantes aliquando et pro se frustra Lactantium appellantes; quo te, lector,

SÆCULUM I.

ctor, ne in re testatissima receptissimaque sim longus, remitto. Neque vero annos illos accipi fas esse inchoatos (ut eos plurimi, cum aliter in sua chronologia non possent, accipere, cum Ruffino in S. Hieronymum, coacti sunt) præter alia evincunt Catalogi, quos viderim omnes, Pontificum Romanorum (si unum exceperis Corbeiensem) qui apud Mabillonium, Pagium, Schelstratium, Henschenium, Papebrochium editi, supra annos XXV mensem unum, quod habent pauciores; aut duos, quod habent reliqui omnes, ac dies insuper aliquot adjiciunt; unus tamen apud Schelstratium addit menses VI et alius menses III.

de quibus mira Catalogorum omnium concordia est.

12 Jam si anni XXV completi fuerint subducti cum uno alterove mense ab anno æræ vulgaris LXV, die XXIX Junii; ad anni quadragesimi ejusdem æræ mensem Maium aut Aprilem venietur; cum vero plerique Catalogi vel septem, vel octo dies adjiciant, facile cum hoc nostro vetustissimo, qui novem addit, conciliari possunt: septem enim sunt, si solidi tantummodo computentur; octo, si B primus collocatæ sedis, aut ultimus amissæ negligitur; novem, si utrumque annumeres; qui singuli modi satis arbitrarii sunt et usitati. Hac ratione, si Catalogum nostrum et alios tres Colbertinos apud Pagium sequimur, initium Sedis Romanæ redigetur ad diem XXI Maii; sin alios plures, sed auctoritate inferiores, ibitur ad XXI Aprilis anni Christi quadragesimi. Verum, quoniam ea cum istius cathedræ annua festivitate, *quæ, juxta antiquissimorum sanctorum Patrum nostrorum testimonium decimo quinto Kalend. Februarii fuit*, (verba sunt Bullæ S. D. N. Pauli IV apud Bollandum ad illum diem. Vide etiam tomum I Junii pag. 459) non satis videntur cohærere; adi eumdem Bollandum XXII Februarii, ubi de Cathedra S. Petri Antiochena. Ibi num. 4 et 5 ex Joanne Beletho colligit, festivitatem utriusque cathedræ non esse certum argumentum, quo illis diebus credi debeat esse posita, id quod de aliis plurimis festis, Martyrologorum arbitratu signatis, per Acta Sanctorum passim ostenditur. Videsis etiam Florentinium in Martyrologio Hieron. C XXII Februarii; et Acta SS. tom. V Junii in Analectis de SS. Petro et Paulo, pag. 471. Quidquid sit; si minus hic tum cum antiqua Ecclesiæ celebritate, tum inter se de diebus ac mensibus consentientes habemus Catalogos, de annis tamen XXV plenis conveniunt omnes, quod tanto certius faciunt, quanto in reliquis magis colluctantur; id enim argumento est, alios ex aliis non esse descriptos. Ex quo et illud conficimus, anno Christi XL fundatam a S. Petro Romanam Ecclesiam fuisse; sive Romam, Euodio Antiochiæ, ut jam dicetur, constituto, recta contenderit; sive per viam, inquit Janningus ad Acta SS. Petri et Pauli Comm. præv. num. 25, aliis quoque nationibus Christum annuntians, eo primum pervenerit anno secundo Claudii, quæ Eusebii et Hieronymi doctrina est: neque enim ad hoc opus esse, ut coram adsit in loco, contendit Eminent. Baronius anno Christi XXXIX, num. 16; quæ res eo facit, ut de XXV totis annis laborare non sit opus, qui aliter inveniri vix possunt; si tamen omnino possunt.

13 Hisce jam positis, restat ut id exequar, quod tertio loco asserebam; nimirum annis VII Apostolum sedisse Antiochiæ. *Longo tempore* sedisse tradit S. Chrysostomus tom. I, hom. XLII in S. Ignatium ep. M. uti et Innocentius I apud Labbeum tom. II Concil. col. 1265. *Per annos aliquot, priusquam Romam veniret*, gubernasse Antiochenam ecclesiam asserit Nicolaus PP. I ad consulta Bulgarorum apud Labbeum tom. VIII Concil. col. 546. Septem annos inchoatos numerat Eusebius in Chronico apud Pontacum a fundata ecclesia Antiochena usque ad primordia S. Petri Romana: totidem annos habet Gregorius magnus supra num. 1 citatus. Eosdem dat auctor libri Pontificalis: Ms. item codex Anastasii Bibliothecarii, olim servatus apud Cardinalem Mazarinum, ut vide in Comm. præv. SS. Petri et Pauli num. 11; Codex Ms. Bibliothecæ reginæ Sueciæ Apud Schelstratium tom. II Antiq. eccl. in Appendice ad opus Geograph. pag. 541; Catalogi antiquissimi fragmentum, litteris majusculis conscriptum, in Bibliotheca Vaticana, apud eumdem tom. I Antiq. eccl. diss. I cap. V, art. 4, E num. 5: Catalogus septimus apud Pagium; denique *Latini omnes*, inquit Baron. ad annum citatum, num. 19, *qui numerant annos sedis Antiochenæ...; licet ex Græcis unus tantum Nicephorus* (in Chronico) *ponat annos duos; imo undecim:* nam græce habet ιά. Nimirum accenset Nicephorus etiam episcopatui Petri Antiocheno annos IV, qui inter mortem Christi sub Geminis et sedis Antiochenæ primordia effluxerant. Porro integri fuerint anni illi septem, an aliqua parte delibati, compertum non habeo: plenos fuisse innuit citatus codex Anastasii Bibliothecarii, cum dies octo superaddit; at mutilos eos fuisse, colligitur ex Catalogo tertio Papebrochii ex antiquissimis membranis Palatinis Bibliothecæ Vaticanæ, qui sex tantum annos assignat; quod si verum est, iis favet, qui utriusque cathedræ exordium in illos dies ac menses conjici volent, quibus jam olim in Ecclesia celebratur: ab anni enim quadragesimi die XVIII Januarii, ad anni trigesimi tertii diem XXII Februarii, anni sunt septem præter mensem unum ac dies 4; quæ sententia mihi satis F apparet verosimilis.

Annos illos ab septem Antiochiæ

14 Sed nihil egero, nisi eosdem illos annos ita præcessisse episcopatum Romanum ostendero, ut hujus initium, sit finis illorum: cujus rei auctorem idoneum Eusebium jam dedi in Chronico; neque obscurus est, quem statim adduxi, S. Gregorius; patrocinatur S. Hieronymus lib. de Scriptoribus eccl., scriptor Historiæ de Vitis Rom. Pontificum, ubi quidam ita legunt: *Petrus sedit cathedram episcopatus in Antiochia annos* VII; HINC *Petrus ingressus in urbem Romam* etc., Adrianus Papa II ep. XXXII ad episcopos synodi Duziacensis tom. VIII Concil. Labbei, col. 932: *Petrus namque.... de Antiochia utilitatis causa translatus est Romam, ut ibidem potius proficere posset;* Nilus item archimandrita ad Rogerium Siciliæ regem anno Christi MXLIII, apud Schelstratium Ant. eccl. tom. 2, pag. 722; demum quotquot inter dimissam Antiochensem ecclesiam fundatamque Romanam vel nihil, vel non nisi prædicationem Evangelii per Cappadociam, Pontum, Galatiam, Bithyniam

immediate præcesserant.

A thyniam etc. videntur interponere : nam eos cum sententia nostra non incommode conciliari, jam ostensum est num. 12. Atque hoc modo vix erit, quem a nobis, licet cetera diversum, in hac re tamen dissentientem reperias. Atque hæc sunt, quæ me ad tuendam Henschenii et Janningi, quin tandem etiam Papebrochii, de prima Petri apud Antiochiam cathedra anno Christi XXXIII occupari cœpta, sententiam impulerunt : nam si mortem Petri sub Nerva et Vestino Coss., id est, anno Christi LXV, toti XXV anni Sedis Romanæ, atque hos iterum alii septem Antiochenæ præcedere debuerunt, ad annum jam indicatum cathedræ hujus primordia necessario rediguntur. Itaque *quarto* (circiter) *post Domini in cælos assumptionem anno Petrus Apostolus Hierosolymis Antiochiam magnam profectus... illic semet in thronum immisit,* ut habet Chronicum Paschale ad Olymp. CCIII.

Neque huic sententiæ adversatur traditio Apollonii aut Clementis Alex.

15 Difficultatis hic aliquid ex Apollonii apud Eusebium lib. V, cap. XVIII traditione Papebrochius aliquando movit Henschenio, jam vita functo; sed hunc Schelstratius tom. I Antiq. eccl. diss. I, cap. V, art. 3 vindicavit : ita tamen, ut ab Henschenio quasi furtim non nihil recedat; dum contra Ms. Anastasii Biblioth. codicem, de quo supra, ab Henschenio adductum, eique consentiens Martyrologium ecclesiæ S. Gudilæ Bruxellis, tom. III Febr. pag. 283 in Actis; imo et Chronicum Paschale citatum, non quatuor, sed quinque annos prædicationis Petri in Judæa statuit ante aditam (anno æræ vulgaris, ut ipse vult, XXXIV; non XXXIII, ut censuit Henschenius) Antiochensis ecclesiæ sedem; quam cum VII annis tenuisse velit, cogitur eam serius terminare; sed nescio quibus hic se tenebris involvat. *Annus ultimus sedis Antiochenæ*, inquit tom. II Antiq. eccl. diss. I, in Annal. prædic. Apost., *nempe* XL, *complebat annum* XII, *qui exigitur juxta traditionem Apollonii, in cujus fine, contigisse dicenda est Apostolorum divisio, sive sequentis anni initio.* Tomo I autem in secunda serie chronologica S. Petri cathedram Romæ figit anno XLI : atque ita dum VII annos serius inchoat Antiochiæ, XXV integros non invenit Romæ, C eoque minus, quod annos Romanæ Sedis ab ipso tantem S. Petri in urbem ingressu repetere videatur. In hasce angustias conjecisse Virum eruditum videtur nimis anxia tum Apollonii tum Clementis Alexandrini interpretatio; quæ ne et nobis incommodare possit, hic explicanda est.

ab aliquibus nimis rigide intellecta.

16 Verba Eusebii de Apollonio sunt : Ἔτι δὲ ὡς ἐκ παραδόσεως τὸν σωτῆρά φησι προστεταχέναι τοῖς αὐτοῦ ἀποστόλοις, ἐπὶ δώδεκα ἔτεσι μὴ χωρισθῆναι τῆς Ἱερουσαλήμ. *Ad hæc tamquam ex traditione præcepisse ait* (Apollonius) *Salvatorem Apostolis suis, ad annos duodecim Hierosolymis ne discederent;* Rufinus vertit : *uti ne ante duodecimum annum ab Hierosolymis discederent.* Clemens Alex. lib. VI Strom. sic scribit : (quod mirum non legisse Tillemontium tom. I Monum. nota 6 in S. Matthæum, cum exstet in omnibus editionibus Græcis ac Latinis, quas viderim. Adi editionem Lugduno Batavicam anni MDCXVI pag. 459) sic, inquam, habet Clemens Alexandrinus : *Propterea dicit Petrus, Dominum dixisse Apostolis : Si quis ergo velit ex Israël duci pœnitentia, et propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata.* (Sic interpunctionem restituit Schelstratius tom. I, diss. I, cap. V, art. 3, num. 1.) *Post duodecim annos*, μετὰ δώδεκα ἔτη, *egredimini in mundum; ne quis dicat, non audivimus.* Hinc post Papebrochium Schelstratius colligit, divisionem Apostolorum, adeoque et Petri ad Urbem iter, ad expletum usque duodecimum a Christi passione annum esse differendum; verum ego post Henschenium nihil video, quod eo adigat, vetetque ad anni duodecimi initium illa revocare. At enim Eusebius ponit, *ad*, vel, ut interpretatur Valesius, *intra annos duodecim ne discederent :* Clemens vero, *post annos duodecim egredimini.* Fateor; sed quid tum postea? An completos dixerunt annos XII? Nihilo profecto magis, quam completos dies tres a morte ad resurrectionem iisdem verbis Christus asseruit, cum dixit Matth. XXVII, ℣ 63 : *Post tres dies resurgam,* et Marc. VIII. ℣ 31 : *Et cœpit docere eos, quoniam oportet Filium hominis pati multa... et occidi : et post tres dies resurgere;* ubi habet utrobique textus Græcus, μετὰ τρεῖς ἡμέρας; μετὰ autem et μὴ ἐπὶ, id est, *post*, et, *non ad*, E vel, *intra*, idem, opinor, significant : ergo, nec apud Eusebium Apollonius, nec apud Clementem Petrus plus exigunt quam primi duodecimique anni quantulamcumque partem, sicut nec sententia Christi plus exigit quam primæ diei jam pene occidentis finem et initium tertiæ. Nam quod Martyrologi quidam recentiores Divisionem Apostolorum celebrent XV Julii, nihil obest; ut jam dictum est num. 12.

Gesta S. Petri Antiochiæ.

17 Jam de modo, quo episcopatum Antiochensem auspicatus sit sanctus Apostolorum Coryphæus, consule Baronium ad annum Christi XXXIX, num. 10 : neque enim vacat de re nusquam tradita operosius divinare. Habes etiam Chronicum Paschale paulo ante citatum. De miraculis a S. Petro Antiochiæ patratis, tamquam de re vulgo nota, loquitur Basilius Seleuciensis in Vita S. Theclæ lib. I, sub finem. Non pauca ejusdem apud Antiochenos acta congerit Theodoricus Pauli, Vicedecanus ecclesiæ collegiatæ SS. Martini et Vincentii Gorcomii anno circiter MCCCCLXXX, cujus duo volumina F Chronici universalis Mss. servamus, ubi agit de patriarchatu Antiocheno : quorum aliqua etiam in Martyrologiis quibusdam particularibus, apud Bollandum tom. III Februarii, pag. 283, et in Usuardo XXI Februarii, uti et in Actis SS. Petri et Pauli a nobis editis, referuntur; quæ cum fere omnia librum X Recognitionum S. Clementis redoleant, fontem et rivos assignasse satis habeo. Illud certum cum omnibus putat Baronius ad annum Christi XXXIX num. 17, nequaquam Antiochiæ ita resedisse Apostolum; sicuti nec postea Romæ, ut inde pedem nusquam extulerit; quippe qui omnium princeps et caput ecclesiarum, ibi aderat continuo, ubi maxime laborabant; aut ubi præsentem operam collocari utilius posse judicabat. Ceterum ex solis primum Judæis Antiochenam ecclesiam coaluisse ibidem docet Baronius num. 14, idemque narrat, sed aliquanto severius, Chronicum Paschale loco citato, aliique; atque ea ratione, explicatur facile, quod adversus Antiochensem Petri cathedram ex Apostolorum

stolorum Actis afferri posset; sed mihi, qui chronologiam specto præcipue, hisce diutius immorari non licet.

II. S. EUODIUS.

Euodium primum fuisse S. Petri successorem negare videntur PP. aliqui;

S. Euodii notum ubique nomen; obscura ubique historia est. Et sane Acta ejus, quæ dedimus VI Maii, oppido jejuna sunt; nec aliud fere lucis Viri tam illustris afferunt memoriæ, quam ex Martyrologiis Menæisque derivatum; atque illud quidem tam tenue; ut monumenta ejus pene singula disputentur. Ut enim ab eo exordiar, quod ad rem, quam ago, maxime pertinet; quis ambigi credat potuisse, quem potissimum sedi Antiochenæ suum Petrus successorem primo instituerit; Euodiumne, an Ignatium; cum nihil apud historicos chronologosque sit magis obvium, quam ut Ignatium postponant Euodio? Hæc tamen ipsa *res,* si Emin. Baronium audimus ad annum Christi XLV, num. 13, *non est absque aliqua controversia : quando-* B *quidem Joannes Chrysostomus, civis Antiochenus, et ejus ecclesiæ olim clericus, aperte profitetur, primum omnium a Petro eidem Sedi fuisse præfectum S. Ignatium :* (Chrysost. tom. I edit. Frontonis Ducæi, hom. XLII, successisse Petro Ignatium dicit; immediate seu primum successisse non dicit; innuit id quidem, fateor; sed orationi panegyricæ concedendum est aliquid.) *Testatur ad ipsum Theodoretus, cum ait : De illo enim Ignatio omnino audisti, qui per magni Petri dexteram pontificatum suscepit. Felix quoque Romanus Pontifex in epistola, quam scripsit ad Zenonem imperatorem, quæ est recitata in quinta synodo Constantinopolitana, plane testatur, S. Ignatium dextera Petri esse ordinatum ejusdem Antiochenæ sedis episcopum.* His addit Tillemontius nota 1 in S. Ignatium, S. Maximum abbatem aliosque posteriores, qui et Petro successisse et ordinatum ab eo Ignatium esse memoriæ prodiderunt; imo et S. Athanasium, et Joannem Antiochenum in sua Synodique suæ epistola, et Origenem; sed postremi tres omitti commode poterant, cum nihil ipsi infensum habeant : non Athanasius; cum tan- C tum dicat, episcopum Antiochensem post Apostolos fuisse S. Ignatium. Quis id neget? Non enim negat intercessisse Euodium. Non etiam Joannes, cum dicit, *Magnum martyrem Ignatium, qui secundus post Petrum, Apostolorum primum, Antiochenæ sedis ordinavit ecclesiam* etc. (apud Facundum lib. VIII, cap. I.) Neque qui eadem phrasi utitur, Origenes : nam eadem utitur Eusebius a me num. 3 productus; qui ea tamen certissime Euodium non exclusit; et res clarius elucescit, ubi de Lino loquitur, loco ibidem notato. Origenem loco citato, id est, hom. VI in Lucam, omnino aliter, quam Tillemontius, intellexit Card. Baronius ad annum Christi LXXI, num. 11. Vide Vitam in Actis tom. I Februarii, pag. 129, num. 1, et alibi passim, ubi eadem phrasis sic adhibetur, ut excludatur ille, post quem numerantur alii.

ceteri omnes aperte asserunt.

19 His contra uterque jam dictus auctor opponit Eusebium, tum in Hist. lib. III, cap. XXII, ubi ait : *Apud Antiochiam vero defuncto Euodio, qui primus ejus loci constitutus fuerat episcopus, secundus tum maxime florebat Ignatius;* tum etiam in Chronico, ubi post mortem D S. Petri, imo et Othonis imp., sic habet : *Antiochiæ secundus episcopus ordinatur Ignatius :* Eusebio addunt S. Hieronymum, de Script. eccl. cap. XVI, ubi dicitur *Ignatius Antiochenæ ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum episcopus :* Accedunt Patriarcharum series apud Syncellum, Nicephorum, aliosque ordinatæ : atque ipse denique, cum Græcis ac Latinis quotquot Euodii meminerunt, Ignatius, cum ad suos Antiochenos ex itinere Romano scribens, *Mementote Euodii,* inquit, *beatissimi pastoris vestri,* ὅς πρῶτος ἐνεχειρίσθη παρὰ τῶν Ἀποστόλων τὴν ὑμετέραν προστασίαν, *qui primus commissam accepit ab Apostolis præfecturam vestram : ne simus pudori Patri; simus genuini filii, non autem adulterini.* Quam epistolam, nescio cur aliqui S. Ignatio tam confidenter abjudicent; nam licet argumentis minus evidentibus ab eo scripta demonstrari possit, quam septem aliæ; at certe probabilius momentis ejus eam esse potius, quam non esse, tom. I Februarii Comm. præv. ad Acta S. Ignatii, § VI, maxime a num. 42 (quidquid aliter Usserio visum fuerat) probavit Henschenius; neque adeo deturbari tam proterve ab eo loco meretur, E quo jam olim apud S. Adonem, Usuardum, aliosque in antiquissimis Mss. fuit. Non dubitat Tillemontius nota 8 in S. Ignat., quin ad Antiochensem ecclesiam de compressa a Deo persecutione scripserit; (haud dubium id quidem, cum ipsemet id affirmet in epistola ad Smyrnæos, ante salutationes, sub finem,) sed in eo laborat, quod quæ circumfertur ad Antiochenos epistola, de pace nihil meminit. Nihil meminit autem? Imo vero ab ipsa pace epistolam exorditur : Ἐλαφρά μοι καὶ κοῦφα τὰ δεσμὰ ὁ Κύριος πεποίηκε, μαθόντα (forte μαθόντι) εἰρηνεύειν ὑμᾶς : *Levia mihi et non onerosa vincula Dominus fecit, discenti, pacem habere vos.* Quam pacem præcepta per totam epistolam sparsa videntur spirare.

Viæ aliquæ conciliandi priores cum posterioribus;

20 Tentat exinde Baronius dissidentes inter se partes, arrepta ex Constitutionibus Clementis conjectura, componere, statuendo creatos simul episcopos, Euodium a Petro, a Paulo autem, ut istic narratur, Ignatium; hunc ut gentilibus conversis, illum ut Ju- F dæis præesset, dum esset inter utrosque dissensio; ea sublata, Ignatium cedere potuisse Euodio, donec vita functo successerit. In eamdem pene sententiam abiit Petrus Halloix, in eo solum diversus, quod utrumque simul, dum vixit Euodius, rexisse existimet, uti simul cœperant; et inter protestantes ipsos Hamondus citatus a Tillemontio dicto loco : ubi et aliam proponit eorum, qui, misso hic Eusebii Chronico, putarunt, mortuo jam Euodio, quem pridem S. Petrus ordinasset, suffectum ab eodem, Antiochia Romam ad martyrium transeunte, fuisse S. Ignatium. Vide Cotelerium in librum VII Constitutionum Apostolicarum, caput XLVI. Harum ipse opinionum lectori dat optionem art. 1 de S. Ignatio : necessariam enim omnino earum aliquam esse putat; cum nimis aperte, Ignatium Apostolorum manibus consecratum eisque Antiochiæ substitutum esse, affirmet Chrysostomus ac Theodoretus, quam ut negari possit; nec minus certum sit ex Eusebio, Hieronymo etc., Euodio Ignatium successisse; utrumque vero cujuslibet harum sententiarum præsidio

SÆCULUM

A præsidio defendi nullo negotio posse: cum Ignatius ita et successisse Petro, et Euodio dici possit; inconcussæque adeo veritates hæ subsistant, et Euodium Petro, et Petro Ignatium, et eumdem Euodio successisse.

sed hisce rejectis.

21 Verum nulla ex his auctores allatos conciliandi rationibus mihi plane satisfacit. Et prima quidem Eminentissimo auctori suo visa est parum firma: subjicit enim: *Sed quod agamus conjectura, nihil certi de his affirmare audemus.* Non immerito; quando ipsæ (cujuscumque sint auctoritatis) Clementis Constitutiones, quas hic adducit, sic sonant: *Euodium episcopum Antiochiæ a me Petro ordinatum; cui successit Ignatius a Paulo ordinatus:* hoc sane aliud significat, quam constitutos esse simul, ut simul una statim præsiderent. Non est mihi hic animus discutere singula penitius; vel unum hoc quam durum est tum in prima tum in secunda sententia, quod juvenem sedecim circiter annos natum, ut ex sequentibus colligetur, Ignatium moderari gubernacula statuat amplissimæ ecclesiæ? Tertia mortuum statuit Euodium ante Petrum, a quo tum B sit consecratus Ignatius. At quo auctore? Uno scilicet Joanne Malela, scriptore passim contempto; cum ne ipse quidem S. Nicephorus, quamvis Euodio annos tantum viginti tres concedat, ei S. Petrum superstitem faciat: deinde huic systemati repugnat Eusebius in Chronico et alii num. 25 citandi. Aliter ergo Patres jam adducti ad concordiam revocandi sunt.

videtur alia commodior, quam dedimus in Actis SS.

22 Modum alium Henschenius adhibuit tom. I Febr. Comm. præv. ad Acta S. Ignat. § III, ubi et citata Chrysostomi, Theodoreti etc. atque explicata fuse verba reperies, totamque hanc quæstionem satis operose ventilatam. Eo fere vertuntur omnia, ut Ignatium a Petro destinatum Antiochensium præsulem admittat quidem, quocumque id tempore factum sit; sed vivo etiam tum Euodio; non ut continuo ecclesiam illam administraret pari cum Euodio auctoritate; sed ad eum modum, quo primos in Sede Romana successores constituit: itaque in illud tempus distinarit Petrus S. Ignatium suum Euodiique Antiochiæ successorem, quo ab eo, C post suum atque Euodii obitum, Antiochiam in Christi fide præviderat conservandam et plurimum augendam. Quam opinionem firmat Nicephorus Callistus lib. II, cap. XXXV, ubi *S. Petrum,* dum *per orbem circumiens, ecclesias ubique constitueret,* tradit plures elegisse aliis deficientibus in *dignitate episcopali* successuros: *Et Antiochiæ,* inquit, *primo Euodium; deinde revera numine afflatum Theophorum statuit Ignatium:* eo scilicet modo, quo illum ante dixerat, *Romam commisisse suis successoribus, Lino videlicet, Anacleto, et tertio sacro Clementi.* Hoc ibi deductum latius probatumque, lector invenies; et, ut mihi quidem videtur, satis feliciter.

in qua tamen aliquid corrigitur.

23 Displicet tamen, quod inter primos Romanos S. Petri successores et Antiochenos, aut saltem Ignatium, id statuat discriminis, quod illi ab ipso Petro ordinati; hic tantummodo fuerit designatus; sic enim non satis conciliantur allegati Patres, qui per ipsius Petri dexteram factum istud esse pronuntiant. Cur igitur id neget quis, quod difficillimis istis Ecclesiæ temporibus et usitatum erat et necessarium? At enim obstat S. Hieronymus in Chronico Eusebii, ubi post mortem SS. Petri et Pauli, item Galbæ, Vitellii et Othonis Cæsarum ita scribit: *Antiochiæ secundus episcopus ordinatur Ignatius.* Tum subdit Henschenius: *Ordinatur, inquit S. Hieronymus: non ergo a Petro Apostolo nuper vita functo.* Quo igitur anno ista leguntur in Chronico? Nempe illo eodem, ubi anachronismum in SS. Apostolorum martyrio notavit ipse Henschenius. Tum quibus verbis? Iis, ni fallor, quæ explicari tolerabilius possunt, quam aliorum Patrum testimonia negari: nam quod Hieronymus vertit, *ordinatur,* Græce apud Scaligerum est καθίσταται, *constituitur:* ut non temere judices, nihil amplius Hieronymum significatum voluisse. *Constitui* autem satis recte dicitur episcopus, exempli gratia, Coloniensis, qui ante datus fuerat coadjutor, ipso illo tempore, quo obiit prædecessor, aut ipse possessionem adit, tametsi annis aliquot ante sit ordinatus. Habes hic igitur hoc pacto Euodium primum S. Petri successorem, ut Eusebius et ceteri volunt; habes Ignatium a Petro constitutum secundum, ejusque E manibus ordinatum, ut Chrysostomus (nam plus eum non exigere, loco citato apud Henschenium num. 18 probatur) Theodoretus etc. testati sunt.

Successit S. Euodius S. Petro anno Christi 40;

24 Successit itaque S. Petro S. Euodius, ab ipsomet, ut ex Actis die VI Maii videre est, ordinatus. At quo tempore? Jam id sequitur ex iis quæ dicta sunt num. 12; item ex memorata jam sæpius Henschenii Diatriba, ad quam in Actis S. Euodii lectorem remittit; quamque secuti sumus in Actis SS. Petri et Pauli. Dicimus adeo, id contigisse anno post Christum passum duodecimo, qui fuit Christi XL, quo facta est Apostolorum divisio, juxta dicta superius num. 16, et Petrus Romam destinatus est: *Nam cum duodecim Apostoli,* inquit S. Leo magnus in Natal. SS. Petri et Pauli,... *imbuendum Euangelio mundum, distributis sibi terrarum partibus, suscepissent, beatissimus Petrus, princeps Apostolici ordinis, ad arcem Romani destinatur imperii.* In eumdem etiam annum profectionem Petri Romanam et Euodii Antiochiæ successionem congessit Georgius Syncellus ad annum divinæ Incarnationis XL. F

et sedit annis 27.

25 Quot annos exinde sederit episcopus Antiochenus Euodius, in tanta chronographorum discordia quis certo definiat? Martyrium fecisse ostenditur in Actis Sanctorum, ad diem VI Maii: *At quo præcise anno,* inquit ibidem Henschenius, *fuerit Euodius glorioso martyrio coronatus, non satis constat. Petrus de Natalibus id factum asserit sub persecutione Neronis, sub qua SS. Petrum et Paulum in citata Diatriba ostendimus passos anno XII Neronis prædicti, vulgaris autem æræ LXV, nec videtur diu postea vixisse S. Euodius.* Tillemontius, si quidem martyr occubuerit, id accidisse etiam probabilius putat sub finem persecutionis atque imperii Neroniani, art. 1 in S. Ignatium: cum Eusebius jam Ignatium substituat, nondum anno integro a tyranni nece expleto; ut verisimile sit, jam tum mortuum fuisse Euodium. Nec video, ad Vespasiani annum primum reservari posse, nisi viventi successisse sine ulla causa dicatur Ignatius. Accedit, quod illa persecutio ab Antiocho

sæculum I.

tiocho quodam suscitata, qua, ut ex Josepho lib vii de Bello, cap. xxi narrat Card. Baronius ad an. Christi lxxi, num. 11, coacti sunt idolis sacrificare Judæi Antiochiæ commorantes, acciderit, non anno primo imperii Vespasiani, sed anno xiii imp. Neronis; *quo tempore bellum* (Judaïcum) *fuerat conclamatum* (græce ἀνακεκήρυκτο, hoc est, *indictum fuerat) et recens in Syriam Vespasianus navigio delatus est*, inquit ibi Josephus. Postea quidem ab eodem Antiocho, exusto foro quadrato, iterum Judæi in crimen adducti sunt, sed non jussi sacrificare diis, imo absoluti. Si in illa persecutione ceciderit S. Euodius, Vespasiani imperium neutiquam attigerit. Sedit igitur annis circiter xxviii inchoatis, (quot ei etiam tribuit Syncellus ad annum mundi 5540, ἔτη κή quamquam alibi scribat annos xxix) aut xxvii (quot habet Catalogus græcus Ms., de quo infra num. 36.) Dies martyrii æque incerta est, cum ejus memoriam annuam aliis mensibus ac diebus Græci, aliis Latini celebrent, ut videri potest in Actis, ubi et ejus aliquot recensen-
B tur elogia; atque illud imprimis insigne, quod fuerit ex numero lxx Christi Discipulorum. Cælibem ejus sanctamque vitam indicat S. Ignatius, in epist. ad Philadelphenses. Epistolam ejus aliquam citat Nicephorus Callistus lib. ii, cap. iii; sed antiquis ignotam. Vide Baronium in Apparatu, num. 47 et ad annum Christi lxxii, num. 13.

III. S. IGNATIUS THEOPHORUS.

S. Ignatius Euodio successit.

S. Ignatius cognomento Theophorus, quod ei proprium fuisse, non honoris causa (quamquam illud et sic omnino merebatur) datum, patet ex epistolis, ubi semet ipse sic nominat; Syrus origine putatur fuisse; nec abludit præfixarum epistolis ejus inscriptionum, epithetorumque prolixa congeries. Admirabilium illarum, quibus orbi, quaqua protenditur, late inclaruit, virtutum apud ipsos Apostolos, teste Chrysostomo, hom. citata, tirocinium posuit, apud Joannem im-
C primis, quod, cum Actis ejus quæ dedimus in Eusebii Chronico ad annum Trajani xi tradit Hieronymus: deinde etiam apud Petrum, ut lib. iv, epist. xxxvii Gregorius magnus est auctor. Annum, quo S. Euodio successerit, numero superiori ex Eusebii Chronico Græco, ut illud quidem exhibet Scaliger, ac S. Hieronymi versione auctiori dedimus, qui cum eum post Galbæ et Othonis interitum collocent, necesse est dicere, vel vacasse aliquamdiu sedem Antiochenam, vel annum potius in Chronico, quam rerum illo anno gestarum seriem, spectari; vel denique non vivo Nerone, sed ab ejus nuper defuncti urgentibus edicta præfectis excruciatum Euodium ad martyrii palmam evolasse.

anno Christi 68;

27 Primum tamen minus mihi fit verisimile, propter ea quæ num. 22 et 23 prolata sunt: ideo enim viventibus cum sibi tum aliis successuros episcopos destinabat consecrabatque S. Petrus, ne pastore destitutæ cacare tam arduis temporibus cogerentur ecclesiæ. Secundum magis approbo; videntur enim multa, quæ sub eumdem annum cadunt, ὕστερον πρότερον in Chronicis ordinari: sic D
S. Linum, quem in Chronico Canone Scaligeriano Eusebius post mortem Galbæ, Vitellii, Othonis (nam hujus obitum postponit neci Vitellii, quod confirmat argumentum meum) Romanum Petri successorem locat, ante mortem etiam Neronis in versione sua posuit Hieronymus; utrumque, id est, tam Ignatium quam Linum, interfecto statim Neroni subjicit Hermannus Contractus etc., eodem omnes anno, ordine tamen omnes diverso. Modo igitur annum teneamus, de ordine non adeo laborandum. Successerit itaque Ignatius S. Euodio, sive is mense Aprili (quando ejus memoriam celebrant Græci quidam) sive Maio (quando ejus martyrium Latini colunt) obierit, anno Neronis xiv, Christi lxviii; quamquam ad annum sequentem id referre maluit Henschenius, tom. I Februarii, pag. 18, religiosius secutus Chronici ordinem, quam annum: quippe quod omnia, licet uno anno illa serie, qua narrantur, accidere non potuerint, tamen eodem uno Olympiadis ccxi anno quarto (nam anni Christi nec ab Eusebio, nec a S. Hieronymo E
notati, aliena manu, teste Schelstratio, irrepserunt) complectitur.

Ætatis vero sua…

28 Qua tum ætate fuerit Ignatius, non satis est exploratum. Colligit id quidem ibi Henschenius, num. 27, ex eo quod Græci posteriores eum fuisse credant parvulum illum, quem anno ultimo prædicationis statuit Christus in medio et complexus est, Marci ix. Quod ita scribit Nicephorus Callist. lib. ii, cap. xxxv: *Quem Ignatium tenellum etiamnum, tamquam simplicem et integrum, manibus suis sublatum Christus exhibuit, atque simplicitatem integritatemque discipulis ostendere et commendare volens, nisi ei ipsi similes fierent, nequaquam illos in regnum, quod tunc prædicabatur, perventuros esse dixit. Hæc Nicephorus*, inquit Baronius ad an. Christi lxxii, num. 13; *sed unde acceperit, non invenimus.* Idem conjicit Henschenius ex Lectione Evangelii, quam in ejus festo assumunt Græci ex hoc Marci capitis noni loco assignato. Idem habent, (xx Decembris, adhibita tamen voce, φασί *dicitur, fertur)* Menæa anno mdxcv Venetiis excusa. Nec dici potest, id factum esse ignora- F
tione aut contemptu S. Chrysostomi, qui, homilia jam sæpius adducta, dicit, Ignatium nec ullo Christi conspectu, neque congressu fruitum umquam esse, Ἰγνάτιον τὸν οὐδὲ ἑωρακότα αὐτὸν, οὐδὲ ἀπολελαυκότα αὐτοῦ τῆς συνουσίας; nam ejusdem haud dubie homiliæ statim faciunt mentionem, his verbis: *Illum* (Ignatium) *sanctus Pater noster Joannes Chrysostomus condecoravit encomiis.* Idem fere adstruunt ejus Acta apud Metaphrasten, idem alii plures.

circiter 43.

29 Ex his, inquam, colligit quidem Henschenius, Ignatium ultimo prædicationis Christi anno, id est, æræ vulgaris xxix, annos natum fuisse vi vel vii (quidni potius iv aut v, cum eum Evangelia *parvulum*, pusillum, græce παιδίον, *puerulum*; Menologia in Odis item *admodum parvulum* et *puerulum*; Nicephorus ἔτι νήπιον, *adhuc infantem* appellent?) Atque adeo natus sic fuerit anno circiter Christi xxv: cathedram vero Antiochensem adierit anno ætatis circiter xliii. At cum Euodium sibi S. Petrus suffecit, quindecenni major vix fuerit Ignatius. Quidam tamen

A tamen, his omnibus ob allatam modo Chrysostomi auctoritatem rejectis, etiam juniorem facere maluerunt; satisne id solide, ipsi viderint; mihi certe ex Chrysostomo illud non penitus liquet; quamquam videri possit utcumque probabile; cum et antea dicat, eum fuisse inter Apostolos educatum, ἐντραφέντα ἐκείνοις quæ vox juniorem ejus inter Apostolos ætatem sonat, utique post mortem Christi; quippe quem numquam viderit, juxta Chrysostomum: et hoc si verum est, multo minus dici poterit, cum auctoribus ante productis, episcopatum una cum Euodio auspicatus.

Martyrio decoratus Romæ die xx Decemb. A. C. 107:

30 Spatium occupatæ ab hoc strenuissimo Pastore cathedræ definit annus præclarissimo ejus martyrio consecratus; quem annum, quando Acta tandem sincera, et maximo apud eruditos piosque viros in pretio habita Theodoricus Ruinartius, presbyter et monachus Benedictinus, publici juris fecit, non aliunde facilius aut certius eruemus. Asserunt illa pag. 696, num. 2, Trajanum *nono sui imperii anno* insolescentem, ob victoriam B quam adversus Scythas et Dacos et alias multas gentes reportaverat, persecutionem Christianis indixisse; tum subdunt: *tunc igitur pro Antiochena ecclesia pertimescens generosus Christi miles* (Ignatius) *sponte ductus est ad Trajanum, qui tunc temporis apud Antiochiam agebat, atque in Armeniam et ad Parthos properabat.* Antiochiam advenerat VII Januarii, anno nono imperii sui ad diem ejusdem mensis XXVII exeunte, ut ait Tillemontius in S. Ignatio art. 3; et fuse probat, ubi agit de imperatore Trajano art. 18, et nota in illum 17, contra Norisium, Pagium, aliosque. Deinde, narratis colloquio cum Trajano, secutaque in loco damnatione et itinere Romam versus Ignatii, quæque in eo gesta sunt, ac tandem martyrio, hæc num. 6 subnectunt Acta: *Hæc autem acta sunt ante diem* XIII *Kalendas Januarias, hoc est,* XX *die mensis Decembris, apud Romanos consulibus* SURA ET SEDECIO SECUNDUM.

ut ex Actis ejus constat.

31 Pro *Sedecio* legi jubet Ruinartius, *Senecio*, et palpabile mendum est, quod ipsa corrigunt Acta Latina apud eumdem Auctorem C pag. 14: *Præsidentibus apud Romanos Syria et Senecio secundo.* Venia quoque danda est auctoribus Romæ peregrinis et ad dies ibi pauculos in summa consternatione commoratis, si quartum C. Sosii Senecionis consulatum putarunt esse secundum; Licinii autem Suræ, sive Syriæ, tertium, nude quasi primum expresserunt. Satis per notatum prius annum Trajani nonum, satis per contextum historiæ, et nuda consulum nomina significant, annum hic alium non posse intelligi, quam Trajani imp. X, Christi CVII; quem iisdem quoque consulibus eodemque S. Ignatii martyrio insignitum exhibet Chronicus Eusebii Canon, ut græce corrasus est a Scaligero; eumdem annum Trajani X habet et Chronicon Eusebii Latinum ab eodem evulgatum, et pleraque Mss., teste Ruinartio, inter quæ Valliscellense nostrum non infimum sane locum meretur. Non refero Prosperum in Chronico integro, qui in primis hisce temporibus frequenter aberrat; quod etiam hic facit, dum S. Ignatii martyrium refert ad Coss. Trajanum VII, seu potius VI, et Africanum, hoc est ad A. C. CXII. Præfuit igitur ecclesiæ Antiochenæ annis omnino XXXIX, et sex propemodum, septemve mensibus, quot a S. Euodii morte anno Christi XL et XXIX Aprilis apud Græcos, aut VI Maii apud Latinos, ad annum CVII diemque XX Decembris, intercedunt. S. Nicephorus patriarcha CP. in Chronographia compendiaria; uti et Syncellus nimis hic aperte corrupti sunt, quam ut ostendi debeat: hic, cum non dat Ignatio nisi XXX annos in episcopatu, et mori facit anno divinæ Incarnat. XCVI; ille, cum post annos Petri XI, Euodii XXIII, Ignatii IV, martyrium ejus statuit sub Trajano, qui tamen ante annum Christi XCVIII imperator non fuit.

SÆCULUM I.

Ejus Acta, reliquiæ etc.

32 Præsulis hujus ac martyris sanctissimi vereque apostolici Acta dedimus ad diem I Februarii; sed qualia tum potuimus; perantiqua illa quidem, et magnam partem cum genuinis, quæ nondum uspiam apparuerant, consona; at multis locis interpolata; sinceriora ex Ruinartio prolaturi, cum Januarii ac Februarii tomos ingenti mole auctos revocari ad prælum contigerit. De epistolis ejus E actum non parce Comm. præv. § VI. De reliquiis sic est in Actis, quorum auctores, comites fuerunt itineris, et martyrii spectatores: Μόνα γὰρ τὰ τραχύτερα τῶν ἁγίων αυτοῦ λειψάνων περιελείφθη, *solæ enim duriores partes sanctarum ejus reliquiarum superfuerunt.* Hæc, et promptissimam devorationem ibidem narratam confer cum auctoribus, ab Henschenio in Comm. præv. citatis num. 7, cum Actis Latinis pag. 32, num. 18 etc. De variis sanctarum reliquiarum translationibus multa ibidem invenies a pag. 33.

SÆCULUM II.

IV. S. HERO, alias HEROS, et HERON.

Heros S. Ignatii discipulus ac diaconus,

F Fuit Hero ecclesiæ Antiochenæ diaconus, idemque discipulus S. Ignatii longe carissimus: quanti enim illum fecerit, cum epistola ad eum data, tum aliæ plures testantur, quas ad secundam classem pertinere judicavit Henschenius, hoc est, ad eas, quæ non adeo quidem certo atque aliæ; attamen non temere Ignatio adscribuntur. Hæc est epistolæ ad Heronem inscriptio: *Ignatius, qui et Theophorus, a Deo honorando ac desideratissimo, Christum ac Spiritum sanctum in corde circumferenti, germano filio in fide et charitate, Heroni, Christi diacono, ministro Dei, gratia* etc. Ad Antiochenos suos versus finem ita scribit: *Saluto sacros diaconos, et optabile illud mihi nomen* (Heronem intelligit teste Baronio ad annum Christi CIX, num. 16;) *quem utinam loco meo videam, ubi ad Christum pervenero: pro quo vel animam dare velim.* Et ad ipsum Heronem: *Credo enim in Patrem Domini Jesu Christi, et in unigenitum Filium, quod ostendet mihi Deus Heronem in throno meo . . . . . Custodi depositum meum, quod ego et Christus deposuimus tibi, neque iis indignum te reputa, quæ a Deo revelata de te sunt. Commendo tibi ecclesiam Antiochensium. . . . . Quos commendo tibi, ut*

Moyses

SÆCULUM II. *Moyses Jesu, post ipsum Duci . . . Tu enim induces amodo et educes populum Domini, qui est Antiochiæ : et non erit synagoga Domini, ut oves quibus non est pastor.* Nec vero mirum est, si tantus erat, tantoque muneri destinatus, quem magnus Ignatius in eam spem educaverat : *Te ipsum,* inquit paulo superius, *castum serva, tamquam Dei domicilium; nam Christi templum es, et organum Spiritus sancti. Nosti, quomodo te educaverim.*

successit Ignatio,

34 Facile cuivis est ex his litterarum fragmentis præter insignem S. Heronis commendationem, illud etiam animadvertere, Ignatio ad martyrium profecto, diaconum tantummodo, non episcopum, nedum jam tum in throno Antiocheno successorem eum fuisse; quod et Smyrna ad Romanos aperte scribit, *Mementote,* inquiens, *in oratione vestra ecclesiæ quæ est in Syria, quæ pro me pastore Deo utitur, qui dixit : Ego sum pastor bonus; et solus eam inviset, ac vestra in ipsum charitas. Ego autem erubesco ex ipsis dici.* Item ad Antiochenses: *Saluto eum, qui vester pro me princeps futurus est.* Et sane quis Ignatio superstiti B alium substituisset episcopum? Non ipse quidem, uti jam vidimus : non etiam alius quispiam : quantum enim ipse timebat, ut est in epistola ad Romanos, et Actis ejus, ne vel amicorum aliquis suo patrocinio aut precibus, vel ipse Deus pro sua bonitate feroces belluarum impetus mitigando desideratum ardentissime martyrium intervertisset; tantum id omnes boni non optabant modo, verum etiam sperabant. Et ei alium suffecissent, quem reducem exspectarent?

anno Christi 108.

35 Sed neque video, cur diu possit differri post Ignatii obitum successio Heronis. Non id patitur ea cura, quam de sua ecclesia in omnibus epistolis, sed imprimis ea, quam ad ipsum Heronem destinavit, gerere se ostendit : quæ eo potissimum ferebatur, ne esset *synagoga Domini* (ecclesiam Antiochenam designat) *ut oves, quibus non est pastor.* Tum igitur successisse illi S. Heronem existimo, cum certus primum peracti martyrii nuntius in Syriam allatus est. Atque eatenus Eusebium sequor, cum in Historia, lib. III, cap. XXXVI, sic ait : *Atque hæc quidem de* IGNATIO : *quo* C *defuncto, episcopatum Antiochenæ ecclesiæ suscepit* HEROS; non vero usque eo, ut hujus successionem cum illius morte eumdem in annum, Trajani decimum, quod facit ipse in Chronico, juxta quosdam codices (non tamen juxta editionem Pontaci, in qua notatur annus Trajani undecimus) conferendam putem. Quippe cum annus ille Trajani die XXXII Januarii post obitum S. Ignatii, qui XX Decembris accidit, exspiraret, res hæc nimium deproperari videtur. De anno Abrahamitico et Olympiaco alia res est, cum hic a mense Julio, ille ab autumno supputetur. Sed si annos nobiscum a Kalendis Januarii ducere placet, omnino ad sequentem annum Christi CVIII proferenda est Heronis successio : et quidem, si a S. Polycarpo (quod asserit Martyrologium Hagenoyense in Usuardo nostro; et ex eo suaderi potest; quod ecclesiam Antiochenam Polycarpo Ignatius in itinere Romano ipsumque successorem futurum, ut ad Heronem scribit, commendarat) si, inquam, a S. Polycarpo episcopus consecratus est Hero, plus uno mense tum nuntius mortis, tum iter Smyrna Antiochiam etc. D exigebant.

Martyrio videtur coronatus A. C. 128.

36 Heronem hunc nostrum Adonis Martyrologium ab Heriberto Rosweydo editum, ad diem XVII Octobris exornat his verbis : *Beati Heronis, de quo beatissimo Ignatio pergenti ad passionem revelatum est, quod Antiochenam post eum recturus esset ecclesiam : erat enim hic beati martyris Ignatii tunc diaconus : episcopus factus viam magistri pius imitator sequitur, et pro commendato grege amator Christi occubuit.* Hinc sua Usuardus aliique recentiores de S. Herone ad eumdem diem hauserunt; hinc eum occubuisse martyrem asseruit Baronius ad annum Christi CXXXI. Eusebius, anno Hadriani imp. XII, dat Heroni suffectum Cornelium; quod argumento est, jam tum desiisse illum vivere. Antiochenam itaque ecclesiam ab anno Trajani imperatoris XI, Christi CVIII, usque ad Hadriani XII, Christi CXXVIII, diem XVII Octobris, id est, per annos XX et menses forsan aliquot moderatus est; quot ei etiam annos et Nicephorus patriarcha, et Georgius Syncellus attribuunt, uti et Catalogus Græcus Ms. ex veteri membrana E annorum circiter DCCC, ut anno MDCLXXX notavit Papebrochius, qui eum Harlemio commodato acceptum descripsit, quem ideo Harlemiensem nuncupabo. Quid eo tempore Magistri tanti discipulus tantus et successor egerit, invida nobis, ut alia istorum temporum plurima, subduxit antiquitas. Precationem ejus ad S. Ignatium ex codice Vaticano profert Card. Baronius ad annum Christi CX, num. 9; sed quam suppositam esse volunt recentiores aliqui ab auctore, qui Acta Ignatii Latina spuria pro genuinis admiserit; quod nec vacat, nec meum est hic pluribus disquirere.

V. CORNELIUS.

Sedit ab A. C. 128 usque ad 142.

S. Heronem secutus est CORNELIUS, ut est apud omnes; et quidem anno Hadriani imperatoris XII, quod notant Eusebius, ut jam dixi, et Georg. Syncellus aliique juxta num. præced. explicati, atque adeo anno F Christi CXXVIII exeunte; cum sancti decessoris ejus memoria, die XVII Octobris sacris fastis adscripta, diem martyrii, quando nihil obstat, designatum velle credi possit. Ecclesiam Antiochenam annis XIII rexisse tradunt laudatus Syncellus ac Nicephorus patriarcha; annos XIV ponit Catalogus Harlemiensis : facilis concordia est ex Eusebii Chronico ut est in Græco ac Latino Scaligeri et plerisque codicibus Mss. apud Pontacum in notis : etenim cum illud Cornelio subjungat succedentem Erota anno Antonini Pii quinto, qui anno Christi CXLII, vel a die XXV Februarii, si ab adoptione; vel a XII Julii, si ab Hadriani morte ducatur, decurrere cœperat; perspicuum est ab Hadriani imp. XII, Christi CXXVIII exeunte, ad Antonini quintum, Christi CXLII, annos numerari posse cum S. Nicephoro, Syncelloque XIII integros, et cum vetusto Catalogo XIV inchoatos. Blasius Terzi di Lauria de Syria sacra lib. I, cap. XXXIII scribit, gubernasse ecclesiam suam Cornelium *operibus exemplisque raræ virtutis.* Non dubito equidem; sed

A sed tamen id alibi nusquam reperi. Theodoricus Pauli, de quo supra num. 17, Sanctum eum facit et martyrio coronatum. Quo auctore id asserat, ipse non dicit; ego frustra quæsivi : nusquam vel a Græcis vel a Latinis in album aut Martyrum aut Sanctorum relatum offendi.

VI. EROS, sive HEROS.

Ab anno Christi 142 usque ad 168.

Non dixi *secundum*, quamquam et alius ante Cornelium a quibusdam dicatur *Heros;* sed hic noster per Ε' græce scribitur et quidem tenue apud Eusebium Hist. lib IV, cap. XX, et in Catalogo Harlemiensi; ille per Ἡ aspiratum, aliterque inflectitur, ut plane sit aliud nomen. Erotem hunc annos XXVI præsulem Antiochiæ fuisse, affirmant S. Nicephorus, G. Syncellus, Catalogus Harlemiensis; totidemque censentur ab anno Antonini Pii quinto, Christi CXLII, ad annum Marci et Lucii octavum, Christi CLXVIII, B quo Theophilum successorem locat Eusebius; atque adeo non immerito annos XXIV, quos plerique Chronici Eusebiani codices Erotis episcopatui tribuunt, de suo Vazatensis expunxit. Laudatus Blasius Terzi hunc penitus omisit; quam ob causam, nescio : nam eum veteres, quos viderim, omnes annotant. *Hic sanctus Heros,* inquit Theodoricus Pauli, *cum doctrinis et miraculis plurimos convertisset ad Christum, bono fine potitus est.* Utinam Auctor ille suos hic fontes, quod alibi non raro facit, assignaret! Ego res ejusmodi invenio nuspiam.

VII. S. THEOPHILUS.

Consecratus S. Theophilus A. C. 168, cur ab aliquibus VI Patriarcha Antiochenus numeretur.

Antiochiæ sextus episcopus ordinatur Theophilus, inquit Eusebius in Chronico ad annum VIII M. Aurelii et Lucii Veri impp., qui inchoatur a die VII Martii (quo die mortuus est Antoninus Pius) anno Christi CLXVIII : quem annum confirmat S. Prosper C in Chronico integro per Coss. *Apronianum* (alii Montanum) *et Paulum,* sub quibus Theophili ordinationem collocat. Quod eum sextum episcopum Antiochensem dicat Eusebius, quem nos septimum facimus (ut semel hoc moneam,) morem in eo servat præcipuis Historiæ ecclesiasticæ scriptoribus usitatum, cum S. Petrum tamquam ἔξοχον ἄλλων, communi cum ceteris ordine non censent; non quasi sedis illius exsors fuerit, ut observat Halloix in Vita S. Theophili cap. III; sed quod præcellens esset ac latius dominans. Sic idem Eusebius in Chronico cum ad annum Claudii imp. secundum ita scripsisset : *Petrus Apostolus...... Romam mittitur ubi Euangelium prædicans* XXV *annis ejusdem urbis Episcopus perseverat;* tamen anno Neronis XIV ad Linum deveniens, *post Petrum primus,* inquit, *Romanam Ecclesiam tenuit Linus;* deinde ad annum Titi II; *Romanæ ecclesiæ secundus constituitur Anacletus* (Cletum intellige :) atque ita porro de ceteris. Idem obtinet ibidem in sede Alexandrina, ubi S. Marco extra seriem posito, ab Aniano ejus successore reliquos, tamquam a primo, secundum, tertium et ita deinceps numerat. Non desunt tamen qui nostram numerandi rationem, posterioribus hæreticis minime gratam, et vel ideo hoc tempore adhibendam, jam olim tenuerint, quos inter S. Hieronymus epist. 151 ad Algasiam q. 6, sic habet : *Theophilus Antiochenæ ecclesiæ septimus post Petrum Apostolum episcopus, qui* etc. Sic etiam de Ignatio lib. de Scriptoribus eccles. cap. XVI : *Ignatius Antiochenæ ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum episcopus;* licet alibi non respuat etiam ordinem numeri Eusebiani; accedit S. Nicephorus CP., itemque vetustus Catalogus Harlemiensis, ut alios prætercam.

Sedit aliquamdiu una cum Maximino ejus postmodum successore,

40 Quot annos Antiocheno gregi sedulus hic Pastor invigilaverit, non una antiquorum sententia est. Eusebius in Chronico non videtur ei concedere plures quam octo, dum (juxta Pontacum et Mss.) ad annum M. Aurelii imp. XVI, Christi CLXXVI, Maximinum Theophilo in cathedram substituit; quod facit etiam S. Prosper in Chronico integro, juxta codicem nostrum vetustissimum Ms., in quo Coss. *Pollione et Apro* scribitur : *Antiochiæ* VII *episcopus Maximus ordinatur.* E Atqui ipse S. Theophilus lib. III ad Autolycum in fine, annum ac diem mortis Veri (sic M. Aurelium, ante Syncellum, Eusebium aliosque nominavit) in sua Chronotaxi notavit : vixit ergo scripsitque sub Commodo imperatore. Quid igitur? An viventi Theophilo suffectus sit aut datus adjutor Maximinus? An potius error est hic in Chronicis Eusebii, et Prosperi? Hoc post Baronium fere asserunt auctores alii, astipulante S. Nicephoro (addi poterat et Georgius Syncellus,) qui episcopatui S. Theophili tribuit annos XIII, quos, si sumantur integri, ducanturque ab anno Marci et Lucii octavo, Christi CLXVIII, quo in thronum elatus est, necesse est in annum Commodi imp. secundum, Christi CLXXXI, diem XIII Octobris, quando ab Ecclesia colitur, desinere.

juxta P. Halloix;

41 At primum nostro Petro Halloix, benigno eruditoque Eusebii interpreti, potius visum est, notatione penultima in Vitam S. Theophili; tum quod in primis Ecclesiæ temporibus, ut supra vidimus, non esset inso- F lens, maxime si persecutio grasiaretur; tum quod insignem ejus eruditionem industriamque necessaria fidei adversus hæreticos gentilesque defensio occupare ita deberent, ut ecclesiæ, jam multo quam suo Euodio Ignatioque amplioris, solicitudini sufficere forsan unus et senex haud posset : cujus rei etiam paulo serius exemplum habes in Narcisso et Alexandro, anno Caracallæ II, episcopis Hierosolymorum collegis apud Euseb. in Chron. et in Hist. eccl. lib. VI, cap. XI editionis Valesianæ; item aliud lib. VII, cap. XXXII in Theotecno et Anatolio Cæsareæ Palestinæ episcopis; tum denique quod hoc pacto intér Eusebium, Nicephorum ac Syncellum optime convenit, dum hi annos XIII S. Theophilo episcopo concedunt, quos non negat Eusebius : et hic episcopum constituit Maximinum ad annum M. Aurelii XVI nihil contra dicentibus Nicephoro aut Syncello. Non displicet hæc mihi sententia; quamquam Tillemontio minus arrisit, quia non tanti esse in Chronico putat Eusebium, ut id in ejus

SÆCULUM II.

ejus gratiam excogitare necesse sit, tom. III Monum. eccles. edit. Paris. MDCCI, pag. 53, ubi agit de S. Theophilo.

nisi temere dixeris errasse Eusebium.

42 Et vero qui Eusebium errasse in Theophilo, quam sic explicari malunt, laborant in Maximino; cui cum Eusebio, atque adeo Hieronymo, qui eum vertit, auxit, restituit, successorem dant S. Serapionem anno imp. Commodi X, Abrahami MMCCV, Olympiadis CCXLII primo, Christi CLXXXIX. Igitur non nisi VIII circiter annis Maximini principatum circumscribunt; cum XIII sint in Eusebio, totidemque in S. Nicephoro, Syncello, et Catalogo Harlemiensi (ponit hic quidem annos XIV, sed inchoatos intelligo.) Quo id jure fieri potest; qua auctoritate? VIII annos protulit nemo, IX solus habet Eutychius, primum Arabs, deinde sæculi decimi, præterea in ipsis Annalibus Alexandrinis quos ex professo, ut aiunt, conscripsit, patriarcha ipse Alexandrinus, parum accuratus, ut colliges ex tractatu de Patriarchis Alexandrinis a nobis edito; in rebus vero Antiochensibus ne ibi quidem fide satis di- B gnus, ubi ad sua tempora propius accedit, ut patebit in decursu; denique, ut breviter dicam, talis auctor, ut eum Tillemontius tom. III Monum. pag. 53, cum solo Nicephoro collatum rejiciat tamquam juniorem minorisque auctoritatis. Hunc tamen talem auctorem idem ille auctor eodem tomo, pag. 168, quasi sui oblitus, ut Eusebium errasse sustineat, et Eusebio, et Syncello et S. Nicephoro non modo æquiparare, sed etiam anteferre coactus est. Quanto hoc durius est, quam si statuas cum Halloix, XIII annis præsedisse S. Theophilum ac totidem Maximinum, idque ab anno Marci et Lucii impp. VIII, Christi CLXVIII, usque ad annum Commodi X, Christi CLXXXIX; ita ut annos circiter quinque simul præfuerint, qui utrique ad annos cujusque tredecim annumerentur? Nam licet Eusebii, maxime in Chronico, non eadem sit ubique accuratio et auctoritas; hoc loco tamen elevari non debet a chronologis, alioqui non reperturis, ubi pedem figant, nisi ad eumdem redeant continuo, quem paulo ante contempserint; quemad- C modum post Baronium, ubi ad Serapionem ventum est, Tillemontius fecit.

Episcopatu simul et vita defunctus est A. C. 181.

43 Non perinde assentior Halloixio, quod ait, notatione ultima in Vitam S. Theophili, *probabilius videri posse, eum, quem in confesso sit primo Commodi imp. anno dedisse operam scriptioni, et in scriptis suis meminisse mortis illius imperatoris, qui proxime Commodum antecessit, aliquot annis amplius postea vixisse; quam eodem aut proximo, postquam scripserit, anno obiisse.* Non assentior, inquam, hoc Halloixio: nam si, ipso consentiente, ab anno Aurelii et Lucii Veri octavo, Christi CLXVIII, susceptum episcopatum solis XIII annis administravit, qua ratione probari potest vixisse diutius, quam sedisse? An muneri ergo suo par non erat? At non deerat adjutor. An illud abdicaverit? Hoc certe nec usquam scribitur; nec voluisse vir Apostolico Spiritu plenus; nec permissura fuisse, etiamsi id ipse expetiisset, ecclesia Antiochena credi potest: Præsulem enim tam eruditum, tam sanctum, tam strenue qua voce qua stylo pro re catholica etiam tum decertantem eo loco habuisse putanda est, ut, nisi mors interve- D nisset, avelli illum a suo grege passa non esset. Simul itaque scriptione, simul dignitate, simul vita decessit anno Commodi imp. secundo, Christi CLXXXI: nec enim multo citius seriusve aut scribendi, aut vivendi finem fecit; alterum, ut jam dixi, ex eo conficitur, quod Marci Aurelii mortem ipse commemoret, memineritque persecutionis *adhuc hodie* (sub initia Commodi, forte usque ad annum Christi CLXXXIII, ut notat Tillemont. in Commodo § IV et tom. III Monum. eccles. pag. 55) non cessantis; alterum quod anni tredecim ab anno Marci et Lucii octavo excurrere longius non possint.

Perperam confunditur cum Theophilo, de quo S. Lucas in Actis Apostolorum.

44 Qua ætate tum fuerit, facile assequetur, qui veram judicaverit opinionem laudati Halloixii, natum illum sæculo secundo ineunte, nescio quo argumento, asserentis. Guilielmi quidem Tyri archiepiscopi (de quo Halloix notat. 1 in cap. I Vitæ S. Theophili) incredibile, ne dicam ridiculum opinamentum est, quo eumdem hunc facit Theophilum cum eo, cui S. Lucas Evangelium et Acta Apostolorum dedicaverit. Errorem E adeo palpabilem notasse, refellisse est. Adi, si lubet, auctorem jam citatum, apud quem et conversionem ejus a paganismo ad fidem orthodoxam et acta cetera, scriptaque, prout erui ex variis auctoribus potuerunt, digesta invenies tom. II, illustrium eccl. Orient. Script. Vit. et document. pag. 735. Nos de iis disseremus die XIII Octobris, quo ejus memoria apud Martyrologium Rom. vetus Rosweydi seu parvum, ante Usuardum atque Adonem, latinosque alios consignatur. Vide etiam Euseb. Hist. eccl. lib. IV, cap. XXIV.

VIII. MAXIMINUS.

Maximinus defuncto S. Theophilo sedem Antiochenam solus obtinuit ab A. C. 181 usque ad 189.

S. Theophilo, ut jam explicui, successit MAXIMINUS anno Commodi imp. II; Christi CLXXXI exeunte; siquidem die XIII Octobris obiisse decessorem innuunt Martyrologi; inde vero ad annum Commodi decimum, Christi CLXXXIX, anni sunt VIII, quibus Antiochiæ solus præsederit. Doctum eum facit Theodoricus Pauli, et inter enatas hæreses ap- F prime catholicum; imo et miraculis clarum; credo, quia contrarium nusquam legerit, et talem illa tempora requirebant. Ceterum altum de his rebus apud antiquitatem silentium: ne ipsum quidem nomen satis omnibus perspectum fuit: nam quem plerique *Maximinum,* Georg. Syncellus et Catalogus Harlem. *Maximum;* S. Nicephorus *Maximianum* appellarunt.

IX. S. SERAPION.

S. Serapion patriarcha factus A. C. 189;

S. SERAPION anno Commodi decimo, Christi CLXXXIX, thronum Antiochensem conscendit; anno, inquam, Christi CLXXXIX: nam et hic anno Commodi decimo a die XVI Martii respondet; et hunc esse, quem Eusebius assignatum velit, ex editione Græca Chronici Canonis, ubi præter annos imperatorum etiam consules Junius et Servilius (Silani ambo) notantur, eruimus. Adde quod idem sit annus Abrahami juxta Eusebium

MMCCV

A MMCCV usque ad autumnum, et Olympiadis CCXLII primus; qui omnes characteres faciunt, ut ab Hieronymo recedam, Serapionis initium referente ad annum Commodi undecimum de Scriptoribus eccl. cap. XLI, ubi ex professo chronologum non agit; itemque a Prospero in Chronico integro, in quo idem refert ad Coss. Fuscianum et Silanum, hoc est, A. C. CLXXXVIII : nam hic non convenit cum anno Commodi imp. X; ille præterea discrepat ab Eusebio in anno Abrahamitico et Olympiaco. *Forebat igitur* (ita colligit ex Eusebio Halloix) *tum Serapion, hoc est, sub extremum secundi seculi. Unde colligitur et sub ejus medium natus esse; propter ætatem scilicet iis temporibus ad thronum episcopalem requisitam, quæ* XL, *aut* L *solebat esse annorum,* notat. in Vitæ cap. I, lit. b. in fine secundi sæculi pag. 860. Usque adeo de rebus ad eum ante susceptum episcopatum, spectantibus, de patria, de parentibus nihil quidquam apud veteres oculatissimus eorum diligentissimusque scrutator invenerat : ut merito recentiora censeri debeant, siqua de

B illis magis uspiam definita narrentur.

num sciatur antea fuisse asceta?

47 Dicit quidem Trithemius lib. de Scriptor. eccles., Serapionem *ex anachoreta* ecclesiæ Antiochenæ factum episcopum; Sed *id unde habeat,* inquit Halloix; *haud equidem scio. Nullus enim antiquorum hoc adstruit; nisi forte ex illis Hieronymi verbis* (de Script. eccles. cap. XLI, ubi docet Serapionem epistolas scripsisse *auctoris sui* ἀσκήσει *et vitæ congruentes) occasionem sumpserit dicendi, eum ascetam et anachoretam fuisse.* Sed aliud illa vox quam vel ascetam vel anachoretam significat apud Eusebium Hist. eccl. lib. VI, cap. XII, unde eam Hieronymus mutuatus videtur : του δὲ Σεραπίωνος τῆς περὶ λόγους ἀσκήσεως καὶ ἄλλα μὲν εἰκὸς σώζεσθαι παρ᾽ ἑτέροις ὑπομνήματα, quod ita vertit Valesius : *Porro Serapionis multa quidem alia* DOCTRINÆ *monumenta penes alios exstare credibile est.* Sane ἄσκησις περὶ τοὺς λόγους : non aliud sonare potest, quam vel doctrinam, vel exercitationem iu studiis litterarum et eloquentiæ, seu studium, ut Hieronymi vocem loco citato Miræus explicat. Sensus ergo S. Hieronymi est, Serapionis epistolas doctrinæ

C ejus atque eruditioni insignique sermonis elegantiæ ac vitæ sanctimoniæ omnino congruere. De his plura in Actis, cum ad diem XXX Octobris agendum de hoc S. Serapione erit.

Obiit A. C. 211.

48 Sed neque de ejus obitu, inquit Tillemontius, quidquam nos docent historiæ. Eusebius tamen in Chron., anno primo M. A. Antonini Caracallæ, Asclepiadem ei successisse testatur; in Historia vero lib. VI, cap. XI, *Antiochiæ vero,* inquit, *Serapione mortuo, episcopatum ecclesiæ suscepit Asclepiades.* Obierat igitur juxta Eusebium anno I Caracallæ, Christi CCXI; præsederatque adeo annis circiter XXI. Cave tamen S. Serapionis obitum differas usque ad diem XXX Octobris, quo in Ecclesia colitur : obstant enim tam annus Abrahami, quam Olympiadis CCXLVII tertius, qui apud Eusebium mense Septembri anni Christi CCXI desinunt : ex quo etiam sequitur, deserendum hic esse S. Prosperi Chronicum, quod Asclepiadis initia refert ad consules anni Christi CCXII, nempe duos Asperos. Neque dici etiam commode potest pertinere mors Serapionis ad Octobrem anni Christi CCX; cum non tantum Eusebius, sed et alii passim chronologi Asclepiadis ordinationem postponant initio imperii Caracallæ, quod incidit in mensem Februarium anni Christi CCXI. Accedit, quod ibidem docet Eusebius, S. Alexandrum, Hierosolymitanum postea cum S. Narcisso episcopum, in Severiana persecutione captum, per epistolam ex carcere datam de suscepto ab Asclepiade episcopatu Antiochensibus gratulatum esse : nondum itaque deferbuerat vexatio Christianorum, cum in defuncti Serapionis locum subrogatus est Asclepiades anno I Caracallæ, qui non statim edictum patris videri voluit reprobare; ut ostendit Tillemontius de persecutione Severi art. 7, et notatione 3 in eumdem art. Subsidere tamen illa cœperat anno Caracallæ II; cum illo anno non modo liberum Alexandrum Eusebius in chronico (in Græca latinaque editione Scaligeri et pluribus exemplaribus Mss., quæ et nos secuti sumus in Patriarchis Hierosolymitanis tom. III Maii) statuat, sed ordinatum etiam Hierosolymorum antistitem. Nimis hæc apte cohærent inter sese, quam ut amplecti E renuam. Quid ergo ad Syncellum, Nicephorum CP., Catalogum Harlemiensem, qui omnes annos XXV S. Serapioni concedunt? Quando consistere cum Eusebio in Chronico et Historia non possunt, deserendi sunt sæculis multis illo posteriores; ut hic passim ab omnibus deseruntur.

Ejus elogia.

49 De ipso ejus episcopatu tam præclaro, tam diuturno, desæviente nequidquam tot annis imperatore Severo, constantissime sanctissimeque gesto, quam pauca ex corrasis apud veteres testimoniis colligere licuit Halloixio eumque consecutis auctoribus? Hæreticos acerrime insectatus est Docetas imprimis, et Cataphryges, Domnumque, qui tempore persecutionis a fide in Christum ad Judaïcam superstitionem dilapsus erat. Scriptorum ejus aliquot fragmenta producit Eusebius lib. VI Hist. cap. XIV et lib V, cap. XIX, ex quibus non obscure potest intelligi, quam late jam tum sese extenderet præsulum Antiochensium cura et jurisdictio; sed istud persequi instituti non est mei, quod ab aliis cumulatissime factum est. Virtutum ejus omnium quam breve, tam est luculentum elogium, F quod eum Ecclesia anniversario cultu veneretur ut Sanctum : die enim Octobris trigesimo ab Adone primum, deinde ab Usuardo, postea ab auctore Martyrologii Romani celebranda ejus memoria consignata est; ibi eruditum virum et fide clarissimum illum appellat beatus Viennensis antistes; reliqui, sanctum episcopum eruditione clarissimum.

SÆCULUM III.

X. S. ASCLEPIADES.

Cœpit A. C. 211; at quando desiit?

Anno M. A. Antonini Caracallæ imp. primo, Christi CCXI defuncti Serapionis ecclesiam excepit ASCLEPIADES; sed eam quamdiu administraverit, res admodum est implexa; adeo ut ignotum esse putaverit Tillemontius (ubi de S. Serapione), obieritne Macrino imperante, anno Christi CCXVII; an M. A. Antonino Heliogabalo, anno Christi CCXX;

CCXX; an denique anno I Alexandri imp., Christi CCXXII. Primum est in Chronico Eusebii; alterum colligi videtur ex Georgio Syncello, S. Nicephoro, Catalogo Harlem., et Eutychio, qui omnes Asclepiadi annos IX adscribunt; tertium erui putatur ex Eusebii Historia lib. V, cap. XXI; et eruit Nicephorus Callistus lib. V, cap. XXVI, cum dicit: *Antiochiæ sub Alexandri imperio in episcopali functione Asclepiadæ suffectus est Philetus.*

Probabilius A. C. 217;

51 Si tamen paulo attentius adductum Eusebii caput introspexeris, facile, ni fallor, ad annum in chronico assignatum reducetur: nam cum istic quasi per anacephalæosim multa congerat, ut tempus imperii Caracallæ, Macrini, Heliogabali; deinde Romanorum Pontificum Zephyrini, Callisti, Urbani; ac tandem Heliogabalo succedentem Alexandrum; ita pergit: ἐν τούτῳ δὲ καὶ ἐπὶ τῆς Ἀντιοχέων ἐκκλησίας Ἀσκληπιάδην φιλητὸς διαδέχεται, quod sic interpretatur Valesius: *Quo quidem tempore* (Alexandri utique capessentis imperium) *apud Antiochiam mortuo Asclepiade, episcopatum ejus ecclesiæ sortitus est Philetus.* Sed B latius patet ἐν τούτῳ, id est *inter hæc* (quæ jam scilicet narravi a morte Antonini Caracallæ) *interea, interim, hoc interim spatio etc.* non alligat igitur Phileti successionem imperio Alexandri; sed vagis particulis utens, totum illud spatium complectitur, quod a Caracallæ interitu usque ad initium Alexandri interjacet; licet ergo per Historiam successorem Asclepiadæ Philetum sub Macrino imp., anno Christi CCXVII cum Chronico collocare: atque huic sententiæ subscribit S. Prosper in Chronico integro, cum ordinatum ait Philetum, S. Asclepiadæ successorem, Coss. Præsente et Extricato.

quod confirmatur.

52 Huc etiam facit, quam eodem capite statim subjicit, profectio Origenis ad Mamæam, Alexandri matrem, tunc Antiochiæ commorantem; quam anno Christi CCXVIII contigisse contra Huëtium probat Tillemontius not. 16 in Origenem, et contra Pagium ad annum Christi CCXXIX, num. 16, tom. III, not. 8, in imperatorem Alexandrum, sedente jam apud Antiochenos Phileto. Quando itaque a Chronico non discedit Eusebii C Historia, quid est, quod annum auctoremve alium requiramus; imo admittamus? Præfuit ergo S. Asclepiades annis VI circiter expletis: tot enim sunt ab anno Caracallæ 1, Christi CCXI, ad anni sub Macrino Christi CCXVII diem XVIII Octobris, cum ejus obitus in Ecclesia celebratur. Et sane post illius anni Septembrem obiisse Asclepiadem, patet ex anno, quem adscripsit Eusebius initio Phileti, Abrahami MMCCXXXIV, Olymp. CCXLIX secundo, qui apud ipsum inchoatur ab autumno anni Christi CCXVII. Syncellus, Nicephorus et ceteri supra memorati quot annos Asclepiadæ superaddunt, totidem adimunt Phileto, quos alius forte ab alio mutuatus est; sed in historia quantum quisque alteri tempore; tantum, si cetera sint paria, auctoritate concedit. Nec enim hic placet iterum collegas episcopos adstruere; cum nulla causa, nullus timor, nulla persecutio id exigat: nam Sulpicius Severus lib. II Hist. sacræ, cap. XXXII, ubi de Severi persecutione meminisset; *interjectis deinde,* inquit, *annis octo et triginta pax Christianis fuit: nisi quod medio tempore* (post Alexandrum) *Maximinus nonnullarum ecclesiarum clericos vexavit.* D

An martyr obierit?

53 Quibus verbis et illud redargui videtur, quod eum inter martyres reponat Martyrologium Romanum a Baronio restitutum et notationibus illustratum (nam vetus Romanum, a Rosweydo editum, tantum habet: *Et Asclepiadis, Antiocheni episcopi.*) Passum eum esse ante episcopatum, atque adeo tyrannidem in Christianos exercente imperatore Severo, non obscure docet Eusebius Hist. eccl. lib. VI, cap. XI; sed qui illud sub Decio factum asserunt Ado atque Usuardus et alii eos secuti, manifesti erroris a Baronio in notationibus arguuntur. Verum a recentioribus etiam ipse arguitur, cum illum adscribit *præclaro martyrum numero, qui sub Macrino gloriose passi sunt;* quandoquidem et ante episcopatum gloriose multa perpessus est; neque adeo martyrium morte coronavit; et sub Macrino, persecutione jam diu sublata, teste Sulpitio Severo, *pax Christianis fuit:* videsis Usuardum nostrum ad hunc diem; Tillemontium not. 2 in S. Serapionem, aliosque posteriores; donec rem hanc in Actis E Sanctorum suo tempore ac more nostro discusserimus.

XI. PHILETUS.

Sedit ad A. C. 217 usque ad 228;

Collegimus modo ex die, qua in sacros fastos relatus etiam apud Martyrologium vulgo Romanum vetus seu parvum invenitur, obiisse S. Asclepiadem XVIII Octobris, anno Macrini imp. primo, Christi CCXVII; eodemque anno (ut est in Eusebii Chronico) sed adulto jam et exeunte, successisse PHILETUM (sic enim passim scribitur; licet alii *Philitum,* alii *Philippum;* Eutychius, sed minime accuratus, etiam *Philemonem,* appellent.) Sedit porro, ut suadet idem Chronicum, usque ad annum Alexandri imp. septimum, Coss., quos notat editio Græca Scaligeri, Modesto et Probo, id est, Christi CCXXVIII. Cathedram igitur Antiochenam, juxta Eusebium, per annos XI tenuit; e quibus cum tres primos Syncellus, ac post eum Nicephorus patriarcha attribuerint S. Asclepiadæ, non F mirum est, si non nisi annos VIII Phileto reliquos fecerint; uterque tamen probat, Phileti finem non esse ultra annum Christi CCXXVIII differendum: nam sive annos octo Phileti ducas ab anno Christi CCXX; sive undecim ab anno Christi CCXVII; sive septemdecim, quot Asclepiadæ simul et Phileto tribuunt, ab anno Christi CCXI, quando S. Serapioni successit Asclepiades, semper intra annum Christi CCXXVIII consistendum erit: cum intra illum anni jam dicti compleantur, utcumque illos duxeris. Est tamen, cur ante autumnum decessisse Philetum non existimes; quandoquidem Zebenni initium reponit Eusebius juxta editiones Pontaci et Miræi anno Abrahami MMCCXLV, Olymp. CCLII primo, qui incipit ab autumno anni Christi CCXXVIII. Dissonant hic Catalogus Harlemiensis, qui Phileti annos X; et Eutychius, qui XIII notat.

non usque A. C. 229, ut vult Pagius, aut 227, ut S. Prosper.

55 Antonius Pagi, quia profectionem Origenis ad Mamæam, Alexandri imp. matrem, collocandam putavit anno Christi CCXXIX, uti

A uti dictum est supra num. 52; corrigendum etiam hic Baronium censuit, in Criticis ad annum Christi CCXXVIII, num. 2, asserendo Philetum anno Christi CCXXIX adhuc in vivis fuisse; sed quo id confirmaret, nihil afferre potuit præter Marianum Scotum: quippe qui in Chronico suo initium Zebenni cum tertio Alexandri consulatu, qui incidit in annum Christi CCXXIX, conjungat; *quod ab Eusebio,* inquit ibi Pagius, *in Chronico accepit.* Imo vero annum Alexandri imp. septimum, quo hæc notat, ab Eusebio accepit in Chronico Marianus; at consules nequaquam accepit ab Eusebio; sed, ut ipsemet paulo superius fatetur, a Cassiodoro, cujus ibi singulos consulatus singulis Alexandri imperatoris annis adaptavit Marianus; atque ita quos loco septimo sub illo imperatore consules recenset Cassiodorus, ille satis infeliciter accommodat anno septimo imperii Alexandri: infeliciter, inquam: nam duos primos consulatus, qui ad Alexandrum pertinent, ille post Cassiodorum adscribit imperio Heliogabali; deinde Annianum et Maximum, uti et Albinum et Maxi-
B mum in annos Alexandri IV et V dispescit; quod nec Pagius, nec ceteri sequuntur; denique anno Alexandri sexto consules innectit Modestum et Probum, quos omnes cum Pagio et Scaligero, quem is carpit, anno Alexandri septimo locant. Non est ergo, quod nos Mariani Scoti consules quidquam commoveant. Consules hic etiam a S. Prospero notatos in Chronico Albinum (al. Balbinum) et Maximum, qui spectant ad A. C. CCXXVII, negligendos putavi: quia nec cum anno Eusebii Abrahamitico, nec cum Olympiaco, neque cum Alexandri imp. septimo coincidunt.

XII. ZEBENNUS sive ZEBINUS.

Cœpit A. C. 228; desiit 237.

Philetum secutus est ZEBENNIUS, anno Alexandri imp. VII, Christi CCXXVIII; et quidem post autumnum, uti jam dictum est. Zebennus, inquam, nam sic nuncupa-
C tur in Eusebii Chronico Græco ac Latino, itemque apud Syncellum; sed in Hist. Eusebii lib. VI, cap. XXIX, uti et Zonaræ ZEBINUS dicitur; S. Nicephoro Σεβῆνος, Nicephoro Callisto Σέβενος, Catalogo Harlem. Σαυβίνος, Eutychio *Rabunas.* Nec minor in annis episcopatus ejus, quam nomine est auctorum diversitas. Eusebius eos in Chronico non recenset; uti nec S. Prosper: Georgius Syncellus, et qui eum sequitur Nicephorus CP. dant annos VI, Catalogus Harlem. tantum β' id est, II, forte corrupte pro ιβ' id est, XII; Eutychius IX;. Nicephorus Callistus lib. VI, cap. XXVI, cum eum sub Gordiano defunctum dicit, potest secundum Eutychium explicari, uti et Eusebius in Hist. lib. VI, cap. XXIX; sed, cum tota hæc disceptatio pendeat ab exordio S. Babylæ, quæ mox ad illud stabiliendum adducam, eadem ad confirmandum Zebenni in suo episcopatu novennium valebunt.

XIII. S. BABYLAS HIEROMARTYR.

Juxta Eusebium,

Quo tempore sanctus hic Martyr ad infulas Antiochenses vocatus accesserit, quamquam in Chronico tacuit Eusebius, non obscure tamen prodidit in Historia lib. VI, cap. XXIX, quod sic orditur: *Interim cum Gordianus in Maximini locum successisset, mortuo Pontiano, qui sex annis Episcopatum tenuerat, Ecclesiæ Romanæ administrationem suscepit Anteros. Hic intra unius mensis spatium Sacerdotio perfunctus, Fabianum successorem reliquit... Tunc vero* (τότε δὴ) *etiam defuncto Zebino, apud Antiochiam episcopo, in principatu successit* BABYLAS: *et Alexandriæ post Demetrium... ecclesiæ ministerium suscepit Heraclas.* Tria ergo hæc, nempe 1, Pontiani mortem ac successionem Anterotis ac Fabiani; 2, obitum Zebenni substitutionemque Babylæ; 3 denique, Demetrio suffectum Heraclam; hæc, inquam, E tria Eusebius hoc loco manifeste revocat ad primordia Gordiani, ut ex verbis patet. Fuit ergo hæc ejus, historiam scribentis, opinio, quam etiam quoad primam partem confirmat in Chronico ad annum primum Gordiani. Quis vero dubitet, standum esse auctoritate Eusebii, quem patrem appellant historiarum, ubi eam validior alia non infringit?

quem hic immerito Tillemontius arguit,

58 Atqui errat, inquit Tillemontius not. 2 ad S. Babylam, Eusebii chronographia in Pontiani morte et successione Anterotis ac Fabiani; itemque in obitu Demetrii ac successione Heraclæ usque ad Gordiani imperium differendis: ergo nec in morte Zebenni ac Babylæ successione ad Gordiani initia defigendis testimonium ejus magni momenti esse potest. Nego sane collectionem ego istam: nam in prioribus istis errasse probatur aliunde, quod non probatur in postremis; imo in hisce potius aliunde ejus chronologia confirmatur, ut ostendam num. seq. Præterea potuit res Antiochenas melius habere perspectas, quam vel Alexandrinas vel Romanas; quippe qui Antiochiæ et habi- F tasse, et in sacris Litteris operam dedisse creditur Dorotheo presbytero Antiocheno. Denique si error unus et alter in re una auctoris fidem omnem elevat in alia; jam omnis perierit fides historica, quæ sacris oraculis non sit firmata; cum vix ullum assignare sit, qui non in multis peccaverit. Teneo ergo Eusebium pro me pronuntiantem, ubi nullus ejus error ostenditur; nam in ceteris ad me nihil attinet. Quare ad initium imperii Gordiani, juxta Eusebium, initia referimus patriarchatus S. Babylæ. Juxta Eusebium, inquam, qui Gordiani imperium orditur (recte an perperam, mea nihil refert) a cæde Maximini, anno Christi CCXXXVII mense circiter Octobri in castris ad Aquileiam una cum filio interempti: ordinatumque proinde, eodem anno jam ad finem vergente, statuere Babylam videtur.

sedit S. Babylas ab A. C. 237

59 Neque vero exarrare multum hoc loco chronologiam nostram, tempus tum occupatæ a Babyla sedis Antiochenæ, tum facti ab illo martyrii demonstrat. Sedit enim annis

SÆCULUM III

annis tredecim, ut cum Georgio Syncello S. Nicephorus patriarcha testatur: palmam autem martyrii sub Decio tulit, ut iidem asserunt post S. Dionysium patriarcham Alexandrinum, qui, cum, forte vivo adhuc Decio, certe non diu post persecutionem ejus, Fabium episcopum Antiochenum, Babylæ successorem, consulat, apud Eusebium Hist. eccles. lib. VI, cap. XLI, et XLII, quid sibi facto opus censeret de iis, qui in persecutione lapsi, deinde resipiscebant, invicte probat, jam tum defunctum fuisse Babylam; uti et Cornelius Papa, qui ultra annum Christi CCLIII non vixit, et epistolas tamen ad eumdem Fabium jam tum episcopum Antiochensem dedit, de quibus legi potest idem Eusebius lib. VI, cap. XLIII. Idem hoc affirmant ipse Eusebius Hist. eccl. lib. VI, cap. XXXIX, et in Chronico; S. Hieronymus lib. de Scriptoribus eccles. cap. LIV; S. Epiphanius de Pond. et Mensur. § XIX; S. Prosper Aquitanus in Chronico integro; auctor Chronici vulgo Alexandrini, aliique. Cum ergo anni tredecim in Deciana persecutione desierint, ne-
B cesse omnino est, eos ab anno Christi circiter CCXXXVII ordiendos esse; sic enim reditur ad annum Christi CCL, qui usque ad mensem Julium, ut Pagio placet, Decii primus fuit, idemque, uti post Labbeum in Chronologia historica aliosque vult Tillemontius, illustri S. Babylæ martyrio consecratus, die XXIV Januarii.

usque ad ineuntem 250.

60 Annus, inquam, is fuit Christi CCL: quamquam enim anni tredecim, si completi accipiantur, extendi facile possint usque ad annum Decii secundum, et Christi CCLI; et anno illi faveant pleraque Chronici Eusebiani exemplaria tum in annis Abrahamiticis tum in Olympiacis (in quibus tamen utrisque multum variant codices;) uti et consules hic in Chronico integro S. Prosperi, et Alexandrino notati; quia tamen hæc eadem Chronica in eumdem annum Christi CCLI, eosdemque consules initium referunt persecutionis Decii, in qua martyrium narrant S. Babylæ, non videntur alia de causa mortem Babylæ ad hunc annum adscribere, quam quod ad eumdem pertinere putaverint ini-
C tium persecutionis Decii, quod tamen certissime usque ad annum Decii secundum differri non potest; quandoquidem tyrannus ille, statim ut imperium invaserat, desævire in Christianos immanissime cœpit, *et quasi hujus rei gratia,* inquit Lactantius de Mort. persecut. § IV, *provectus esset ad illud principale fastigium, furere protinus contra Deum cœpit.* Adde, quod Eusebius Hist. eccl. lib. VI, cap. XXXIX statim a Decii successione hoc inter alia S. Babylæ martyrium commemoret. Nec dubium est, qui exscindere atque exstirpare rem Christianam funditus voluit, quin ab iis initium fecerit, per quos illa maxime stabat, episcopis nimirum et Ecclesiæ patriarchis.

diem XXIV Januarii.

61 Idem etiam ratiocinium facit, quo magis ad mensem Januarium, quo apud Latinos colitur atque imprimis in Martyrologio Hieronymiano, dies martyrii diligentius persequi solito, mors ista pertinere videatur, quam ad diem IV Septembris, quo celebratur modo apud Græcos; modo, inquam; nam et ipsi olim temporibus S. Joannis Chrysostomi Antiochiæ extremo Januario festam D
hujus Martyris lucem agebant, ut ex ipso Chrysostomo demonstrat Castellanus in Martyrologio suo Romano ad hunc diem Januarii XXIV, pag. 395: ut satis verosimile sit, diem IV Septembris ob aliquam reliquiarum ejus translationem subinde fuisse delectum.

Porro ex dictis consequens est, ut, quod ante dicebam, novem annis ecclesiam Antiochenam Zebennus gubernaverit; ab anno scilicet Alexandri Mamææ septimo, Christi CCXXVIII, usque ad annum Christi circiter CCXXXVII

PARERGON

De Actis S. Babylæ a nobis editis XXIV *Januarii, et crisi Tillemontii.*

E
Triplicia S. Babylæ Acta in lucem dedimus ad diem XXIV Januarii; et prima quidem descripta ex vetusto codice manu exarato monasterii S. Mariæ de Ripatorio, collatoque cum excusis Agonibus martyrum, et iis, quæ, subinde prolixiora, edita sunt a Bonino Mombritio: altera paulo elegantiora ac fusius deducta, quæ Rosweydus descripserat e vetustissimo M. Velseri codice, eaque ad Mss. S. Maximini et S. Audomari deinde exacta: his addita sunt tertia, quæ Metaphrastes vel composuit, vel collegit, a nobis, inquit Bollandus, cum Græco codice collata. De his ita pronunciat Tillemontius, in suis Monumentis pro historia eccles. tom. III, edit. Paris. MDCCI, not. 1 in S. Babylam: *Acta S. Babylæ tribus modis dedit nobis Bollandus, quorum primus, ut simplicissimus, absque dubio est optimus, aut ceteris potius minus malus: nihilo tamen secius talis est, ut misere tempus is tereret, siquis illi vellet immorari.* Nam quam ob causam, absecro? Causam non dicit; neque enim vacabat immorari. Atqui non piguit illi immorari S. Chrysostomum, non piguit coævum Chrysostomo Philostorgium, tametsi hæreticum; neque adeo Photium, qui F
ejus historiam in compendium redegit, non Suidam, locis hic ab adversario fideliter pro more suo sane laudabili citatis.

Tillemontius Acta a nobis data temere suggilat,

63 Utinam pari fidelitate adductum Philostorgium, lib. VII. num. 8, exposuisset! Binas enim nobis hic Tillemontius fictiones crisi sua parum dignas obtrudit: alteram quidem, cum dicit, eum videri esse sensum Philostorgii (quem nobis interea æque ac Suidam, congruere omnino fatetur), ut significet imperatorem, de quo agit, sive Numerianus is fuerit, sive Decius, non ut tyrannum, sed ut Christianis amicum ad ecclesiam venire voluisse, *quod capere,* inquit, *non possumus.* Hoc vero ut redarguam, ipsa Philostorgii verba Latine versa in medium afferre satis est; sic habent: *Antiochiæ episcopus erat Babylas: Numerianum vero imperatorem, vel ut quidam aiunt, Decium, a dæmone quodam percitum, cupido incessit ecclesiam, cum frequentissima esset, ingredi: at enim Dei Sacerdos in vestibulo templi stans, ingressum præclusit, dicens, quantum in se esset, non visurum sese lupum in gregem*

cum iis favere fateatur Philostorgium: cujus tamen et sensum corrumpit.

A *gregem irruentem. Et ille quidem statim a cœpto destitit : Episcopi autem, sive seditionem veritus, sive qua alia ratione sententia mutata, primo quidem audaciam incusavit, postea vero jussit Sanctum dæmonibus sacrificare ;* (sed hæc alibi, imo sequenti die facta sunt, ut ex Actis liquet) *hanc scilicet solam deprecationem liberationemque a crimine fore, imo et honoris deinde gloriæque conciliationem. Hic vero, cum gloriose ad singula, quæ proponebantur, respondisset, martyrii corona redimitus est.* Quid hic, cedo, amicum ; quid non plane tyrannicum ; quid ab Actis a nobis editis alienum sonat?

Et auctoritatem in hac historia tentat elevare testimonio Photii.

64 Vidit etiam Tillemontius, utut torquere Philostorgium conatus esset, nimis eum tamen aperte cum Actis nostris congruere, quam ut vel negari possit, vel dissimulari. Cujus ergo auctoritatem nobis extorquere non potest, imminuere satagit. Nimirum *Photius,* inquit loco cit. Tillemontius, *satis dilucide insinuat, Philostorgium in hoc puncto ab aliis historicis abire diversum.* Hæc altera ejus prolapsio est, ipsis iterum auctoris verbis revincenda. Ita scribit apud Photium Philostorgius Hist. eccl. lib. VII, B num. 8 : *De Babyla martyre, quot et quanta Julianus circa Martyris istius* (jam olim sub Decio defuncti) *corpus debacchatus fuerit ; quot item dæmonia ejecisse dicatur, et quomodo templum una cum statua Apollinis fulmine absumptum fuerit ; quæcumque item alia partim humano more, partim supra vires humanas prodigia facta sint, narrat hic* (Philostorgius) *non multum ab aliis diversa. Ait vero* (λέγει δὲ) *sanctum Babylam martyrio affectum una cum tribus adolescentibus valde juvenibus, genere vero fratribus ; martyriumque ab hujusmodi principio ortum. Antiochiæ episcopus erat Babylas* et cetera, quæ dedi num. præced. Si satis assequor mentem Tillemontii, ibi vult innui a Photio, diversum in hac historia ab aliis historicis abire Philostorgium, ubi de illo post hæc verba, *narrat hic prodigia facta non multum ab aliis diversa,* subdit hæc de eodem, AIT VERO *sanctum Babylam* etc. ; ubi particulam Græcam δὲ Tillemontius accipi vult tamquam adversativam ; quasi sensus Photii sit hic : *Prodigia quidem illa narrat Philostorgius non multum ab aliis auctoribus diversa ; sed in eo plane diversa narrat* C *ab aliis, quod ait, sanctum Babylam martyrio affectum cum tribus* etc. Et hunc quidem sensum, judice Tillemontio, *satis dilucide insinuat Photius.* Vah cæcum ergo in Græcis auctoribus vertendis Valesium, qui rem tam dilucidam non viderit ! Imo vero temerarium, qui emendare ausus sit interpretationem Gothofredi ! Nam quod hic verterat, λέγει δὲ, *ait vero,* vertit Valesius, *ait porro ;* quæ particula non adversatur ante dictis ; sed narrationem continuat, estque adeo particula, ut vocant, transitiva ; qua quidem apud Græcos nulla adhibetur frequentius, cum ab una periodo transitur ad aliam priori minime oppositam. Sed quid hisce nugis immoror ?

Et quod Babylæ facinus ab eo et in Actis nostris narratum, incredibile videatur.

65 Premit tamen urgetque Philostorgium, ac Suidam, Actaque adeo nostra, hoc maxime argumento : *Neque hoc,* inquit, *percipere possumus, si tamquam persecutores seu Decius seu Numerianus ad ecclesiam accederent, qua ratione impedire eos Babylas attentaverit.* Usque adeone humiliter abjecteque hominem, in historia nascentis Ecclesiæ martyrumque tam diligenter versatum, de tanto heroë cogitare ! Cur enimvero id ausus non esset, qui eos non timere didicisset, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere ? Cui, utpote pastori bono, nihil adeo in votis erat, quam ut animam liceret ponere pro ovibus suis ; quem caritas Christi urgeret, ut anathema esse cuperet etiam a Christo pro fratribus suis (quæ sunt fere sententiæ a Chrysostomo in hanc rem adductæ ?) Quid ? furenti Attilæ, armatoque in Ecclesiæ perniciem ac vastitatem exercitui prorsus innumerabili occurrisse ad Mincium usque pro Ecclesia sua S. Leonem fatebimur ; iterumque Genserico, in expugnata jam urbe cædem ubique atque incendia, orthodoxis maxime sacerdotibus, spiranti ? Et intelligere post hæc nos posse negabimus, satis animi fuisse S. Babylæ, ut intra urbem, maxima ex parte Christianam, in frequentissimo civium ac promiscuæ plebis Antiochenæ, tantum præsulem depereuntium, concursu, aras suas focosque defenderet adversus sacrilegum, invisum, imparatum, præsentemque veritum seditionem tyrannum ? Obvia nimis hujus- E modi fortitudinis etiam in sexu femineo, apud Christianos exempla sunt, quam ut iis recensendis lectori tædium creari velim. Illud sane ferendum non est, ut propterea quidquam Sanctis continuo denegetur, quia id mirabile sit, etsi ab idoneo auctore asseratur : quasi falsum esse illud possit ps. LXVII, ℣. 36 : *Mirabilis Deus in Sanctis suis : Deus Israël ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ.*

Neque cum historiis cohærens

66 Pergit tamen, eadem notatione, et instat Philostorgio Tillemontius : *Accedit,* inquit, *quod numquam Decius, dum quidem imperator esset, Antiochiam accesserit ; tum quod non modo ante regnantem, verum etiam ante nascentem Numerianum obierit S. Babylas.* De Numeriano nihil disputo ; tametsi non desint, qui hanc S. Babylæ historiam cum Actis nostris ad Numerianum referant, quos vide apud Bollandum Comm. præv. § II, et Christianum Lupum in Tertullianum de Præscript. Schol cap. XLI, pag. 645. Sed nescio, unde Tillemontio tam certum sit, imperatorem De- F cium Antiochiæ numquam fuisse ; cum nihil in historia sit obscurius, ipsomet post alios fatente art. 1 in Philippo imp., quam pleræque imperatorum, qui a Gordiano ad Valerianum usque rerum potiti sunt, res gestæ ac tempora : quippe quorum Vitæ, a Trebellio Pollione aliisque conscriptæ, prorsus interierint ; *ut cogamur,* inquit Tillemont. loco cit., *historiam ejus* (Philippi , idemque est de reliquis) *arcessere ex epitomis admodum imperfectis ;* Eutropii videlicet, Sext. Aur. Victoris, et similium, qui rerum maximarum vix summa notant capita, nedum itinera cæsarum singula persequuntur. *Asserit universim Zosimus;* inquit iterum ipse in Decio sub initium, *imperium Decii turbis plenum fuisse, de quibus nihil singillatim compertum habemus.* Turbatum in Syria a Jotapiano fuisse constat ex Aur. Victore ; non item, quando in primum cœptum sit. Quidni aliqua ejusmodi causa esse Decio potuerit Syriam adeundi, maxime si a rege simul extero, intestinarum perturbationum occasionem ad imperii fines incursandos arrepturo, timebat ?

67 Denique

SÆCULUM III. imperatorum

67 Denique si ea causa est, cur Philostorgium prorsus abjiciat, nec edita a nobis Acta vel confutari digna censuerit, quod hæc Numerianum, ille Numerianum vel Decium, templi ingressu prohibitum a Babyla memorent; cur non etiam universam pariter S. Chrysostomi narrationem, nihilo sibi minus infestam, prætermittendam duxit? Quam enim certum dicit esse, not. 2 in S. Babylam, sub Decio Babylam occubuisse; tam certum ei esse ex Chrysostomo debet, eumdem illum et regis cujusdam filium interfecisse, et a S. Babyla templo submotum, vincula illi, cruciatus, ac necem imperasse; quod non uno loco, lib. contra Gentiles, inculcat, ad unum semper hæc omnia disertissimis verbis nec parum amplificatis, atque eumdem referens imperatorem; quem et infidelem fuisse, innuit ibidem tom. I, pag. 745 in editione Ducæi, et pag. 755; ubi non modo adversus peccatum et pro ordine sibi a magno Rege assignato; sed etiam *pro tuenda veritate*, περὶ τῆς ἀληθείας, ad mortem usque decertasse Babylam, asseverat. Hoc idem aperte colligere
B est ex nece trium puerorum, quos, eodem tomo, homil. XL in Juventinum et Maximum, martyrium cum S. Babyla subiisse significat, ideoque appellat simul omnes *Martyrum quadrigam*. Quid enim causæ cædis eorum afferri potest, nisi fides Christiana, quam professi palam cum eo sint coram eodem illo tyranno, ut in Actis, et apud Philostorgium, Theodoretum Hist. eccles. lib. III, cap. VI, Suidam etc. narratur? Non diffiteor interim, alibi Chrysostomum in hac re minus esse clarum.

Expenduntur Acta S. Babylæ, quæ concinnat Tillemontius, tamquam in Eusebio et Chrysostomo fundata, imo et in Chronico Alexandrino;

68 Sed videre juvat, qui ab aliis prolata contemnit, qualia nobis ipse sancti hujus Martyris Acta concinnet. *Satis* igitur *habemus*, inquit not. 1 in S. Babylam, *ea referre quæ in Eusebio ac S. Chrysostomo de Sancti hujus actionibus et martyrio reperimus.* Præfatur subinde argumenti difficultatem, quod iterat in ipsa S. Babylæ historia; neque proinde se afferre certa, sed probabilia dumtaxat. Optime sane; modo ut probabilia sint. Adeatur ergo historia Tillemontii tom. III Monum. pag. 401 (utor editione Parisiensi MDCCI.)
C Ibi post successionem durationemque Babylæ in episcopatu, de qua nos supra, continuo ad facinus illud ejus tam eximium commendandum descendit, *quo*, inquit, *coegit imperatorem Philippum, cui addunt aliqui imperatricem ejus conjugem, Sabbato sancto, anno* CCXLIV, *inter publice pœnitentes sese recipere; cum eum alia ratione admittere ad ecclesiam noluisset.* In margine Chrysostomum citat in Gentiles, Eusebium lib. VI, cap. XXXIV, et Chronicum Alexandrinum. Hoc qui legit, quis non credat, exhiberi sibi a Tillemontio historiam S. Babylæ, ut paulo ante promiserat, *in Eusebio ac S. Joanne Chrysostomo fundatam?* At mihi pictura potius Horatiana videtur, in qua, dum humano capiti cervicem pictor equinam junxit, monstrum efformavit Eusebio juxta atque Chrysostomo abhorrendum. Alia quippe omnino res est, aliæ personæ, alia tempora, quæ hic narrat Eusebius, ab iis quæ contra Gentiles Chrysostomus asserit; Chronicum Alexandrinum pugnat cum utroque; ut jam de singulis conabor ostendere.

cum auctore[s] illi in omnibu[s] fere hoc loco

69 Eusebius indicato loco rem aliam narrat, aliam Chrysostomus; ille etenim de imperatore agit, qui ab episcopo loci (non dicit, cujus) prohibitus ecclesiam ad comprecandum ingredi, nisi prius confessionem scelerum fecisset, iisque qui lapsi fuerant et in pœnitentium ordine stabant, se adjunxisset, *libenter obtemperasse dicitur, sincerumque ac religiosum affectum timoris Dei, operibus ipsis declarasse.* Vera sit historia, an falsa, vide Pagium in Criticis Baronianis tom. I, editionis MDCCV, ad annum Christi CCXLIV, a num. 4; ubi recantatur, quod in prima editione stabilitum fuerat, demonstraturque, Philippum Christianum numquam fuisse. Idem repetitur in Breviario gestorum Pontiff. Rom. sæc. III, ubi de S. Fabiano. At contra Chrysostomus de imperatore loquitur, qui ab episcopo ab ecclesia, ad quam a cæde ad inferendam contumeliam irruebat (pag. 751, et 753 edit. Ducæi,) jussus absistere, *non sustinuit infelix; quin potius morso fræno prorsus obsistens, seque et furori et insaniæ, rationis gyro relicto, dedens, in extremi exitii voraginem conjecit.* Ecquid non hæc toto cælo diversa sunt? Sed et personas E
esse plane alias et tempora, ex eo manifestum fit; quod Eusebius imperatorem nominet Philippum; Chrysostomus illum non appellet quidem, sed tamen eumdem esse dicat, qui ob illud factum Babylam conjectum in vincula, deinde *a carcere eductum, jussit vinctum ad mortis supplicium abduci,* ibid. Quibus verbis non alium designare potuit (ut num. 59 ostensum est, idque juxta ipsum, licet invitum, Tillemontium, et mecum sentiunt Baronius ad annum Christi CCLIII, num. 128, et Cangius not. in Chronicum Paschale, pag. 547) quam Decium. Contra Chrysostomus Babylam exprimit episcopum Antiochenum; Eusebius episcopi sui nomen silentio premit; intelligi tamen S. Fabianum Papam, Bollandi in Comm. S. Babylæ, et ad diem XX Januarii pag. 255, num. 26; Frontonis Ducæi, not. 2, in cap. XXV libri V Nicephori Callisti; Cabassutii in Notitia eccl. in tertii sæculi historica synopsi, num. 11; prope omnium denique est sententia, teste Card. Baronio anno Christi CCXLVI num. 9 in fine, quam et ipse sequitur ad annum Christi CCXLIX, F
num. 3.

inter se dissi-deant.

70 Chronicum Alexandrinum edidit Matthæus Raderus noster Monachii anno MDCXV. Is ad locum a Tillemontio citatum Græco textui addit in margine: *Mutat quadrata rotundis;* Latino: *Locus mire corruptus;* quod licet in isto Chronico non sit infrequens; hoc loco tamen tanto turpius hallucinatur, quod et Eusebio adversetur et Chrysostomo. Chrysostomo quidem, dum cum Babyla Philippum committens, causam contentionis statuit, occisum a Philippo, quem juniorem vocat, non obsidem pacis, ut ait Chrysostomus, exteri cujusdam Regis filium, *qui puer admodum erat*, παιδίον δὲ ἦν κομιδῆ; sed ipsius Gordiani filium, adeoque ipsum augustum, jam annos saltem XIX natum, non sane παιδίον κομιδῆ, tutelæ suæ commissum. Non vacat alia hic vitia notare; satis est, quod repugnet S. Chrysostomo. Cum Eusebio nihilo facilius conciliatur; cum sic ait: *Decius hic S. Babylam non solum ob Christi religionem interfecit; sed quod ausus esset Philippi imperatoris*

A *ris conjugem et ipsum Philippum, uti Christianos, cum deliquisset Philippus, ab aditu templi arcere.* Nempe cujus vel defuncti, si Eusebio credimus lib. VI, cap. XXXIX, tantopere memoriam Decius oderat; eum simul amare tantum potuit, ut inultas ejus esse pati non posset injurias? Quantum ergo inter se amor et odium, officium et insectatio, tantum inter se conflictantur Eusebius et auctor Chronici Alexandrini. Et hæc omnia tam disparata, tam inter se colluctantia, in massam unam a Tillemontio conflata, dici probabilia mereantur; imo etiam, si Superis placet, *in S. Joanne Chrysostomo Eusebioque fundata?*

etiam in ipso martyrio, de quo agunt.

71 Prosequitur Tillemontius a pag. 401 cum Chrysostomo, unum hoc factum amplificans et ad mores hominum pro concione informandos convertens usque ad pag. 403; ubi martyrium ejus ita describit: *Carcer, et, ut fas est dicere, mors, quam pro Jesu Christo subiit sex circiter post annis, effectus fuit in ordine divino et merces actionis hujus tam magnæ et tam generosæ.* Adverte hic, amabo, quam se torqueat, ut Chronico Alexandrino, numero B superiori a me confutato, sanum sensum ac tolerabilem affingat: non adeo ergo ob pulsum a templo Philippum Decius Babylam interfecit, quia hoc factum ulcisci Decius intenderit; sed quia ita Deus ad illud remunerandum ordinaverit. Subtilis hæc quidem cogitatio; sed paucis, credo, occurret, qui locum adductum in Chronico legerint. Pergamus porro: *Martyrium ejus,* subdit Tillemontius, *magno numero testantur auctores. De circumstantiis quod asseri certius possit, illud est, quod de illis nos docet Eusebius, quod, postquam tempore persecutionis Decii fidem confessus esset, in carcerem sit conjectus, in eoque exspiraverit, sicut S. Alexander Hierosolymitanus forte anno uno ante ipsum, id est anno* CCL. Addit not. 3 in S. Babylam: *Modum non videmus Eusebium circa S. Babylæ martyrium cum Chrysostomo conciliandi; et alteri necessario renuntiandum est: nam Eusebius diserte dicit, mortuum esse in carcere.... S. Chrysostomus vero non minus clare dicit, illum, postquam catenis oneratus fuisset et in carcerem compactus, postea eductam inde C fuisse, ut ad necem duceretur, quam in vinculis sustinuit, et occisum esse,* σφαγὴν ἐδέξατο. Hæc fere sunt Acta tum Vitæ, tum Martyrii S. Babylæ, quæ nobis attulit Tillemontius.

Tillemontii historia nequaquam fundatur in Chrysostomo,

72 Non queror, oppido jejuna esse et arida; istud quæro, quo jure dici possint in Chrysostomo huc usque esse fundata; quam item sint probabilia? Tria enim continent; primum, quando Zebennum secutus sit S. Babylas, et quamdiu sederit. Hoc nusquam, quod quidem sciam, attigit S. Chrysostomus: alterum est præclarum istud Babylæ facinus, quod imperatorem abegit ab ecclesia; istud, ut a Tillemontio narratur, nec Chrysostomi esse, nec Eusebii, num. 69 demonstratum est: tertium denique est martyrium Babylæ, in quo se aperte profitetur ipse, not. 3, a Chrysostomo eique suffragantibus discedere, atque Eusebio, *tamquam antiquiori et melius instructo*, adhærere. Nihil ergo a Chrysostomo mutuatus est nisi verba multa, in historiam a se confictam detorta. Omisisset, credo, etiam illa; quando tam incommode suis rebus aptari poterant. Sed quid ageret? De tanto Martyre pudebat parce scribere; Eusebius vix quidquam habebat; Chrysostomus quidem aliquanto plura, sed Actis nostris nimium quantum conformia. Invenit modum Tillemontius: res arripuit, utcumque potuit, ex Eusebio; iis accommodavit copiosam Chrysostomi rhetoricam; ita, dum nec res multas habet nec pauca verba, scripsisse quantum Viri tam illustris merita postulabant, videri poterat. At enim quid aliud scripsisset, inquies; si aliud in Eusebio nihil erat; ea vero quæ addebat Chrysostomus, Philostorgius etc., antiquiori Eusebio contraria, Actis spuriis consona, atque adeo nequaquam erant probabilia?

qui tamen in hujus rei narratione ceteris anteferri meretur;

73 Respondeo, Eusebio me detractum nihil velle; ceterum in re, Antiochensi ecclesiæ non minus gloriosa quam propria, Antiocheno Chrysostomo potiores longe partes deferendas censere; neque id eo dumtaxat, quod Antiochiæ natus esset, ejusque ecclesiæ presbyter; neque eo tantum, quod, cum solus sit Eusebius (nam Hieronymus variat,) pro Chrysostomo faciant Philostorgius, ejusdem propemodum cum eo ætatis; Suidas, qui certe non omnia sua ex solo hausit Philostorgio; Acta nostra triplicia ex E Mss. tam vetustis, a tam diversis auctoribus, idem tamen quoad historiæ substantiam asserentibus, composita, cum tot aliis exemplaribus collata: sed vel ideo solum ac maxime, quod ea Chrysostomus non de suo penu, non ex corrupta, ut vult Tillemontius, ignari creduliquе vulgi traditione fabulisque trivialibus; verum ex erudita seniorum Antiochensis ecclesiæ doctorum ac patriarcharum auctoritate, testimoniisque deprompserit.

rem edoctus a doctoribus Antiochenis senioribus,

74 Ipsummet audi, eodem tomo, hom. de S. hieromartyre Babyla, coram populo Antiocheno disserentem: *Enimvero quo pacto præfectus huic ecclesiæ nostræ fuerit, et in mediis procellis, tempestatibus, fluctibusque sacram hanc navim servarit, quantamque fiduciam, cum imperatorem alloqueretur, præ se tulerit, et quo pacto pro ovibus animam suam posuerit, ac beatam illam cædem subierit; hæc et alia hujusmodi senioribus commemoranda doctoribus, communique patri nostro* (Flaviano) *relinquemus: res enim antiquiores præclare vobis a senibus possunt narrari: quæ vero non ita pridem, ac nostra ætate sunt gesta, vobis juvenis ego narrabo* etc. Cedo, an hos populo fontes, tam- F quam ceteris magis limpidos, commendaverit; ipseque interim quæ de hoc argumento dixit in gentiles, derivarit ex aliis? Habes ergo tot hic Eusebios, quot a juvene Chrysostomo seniores laudantur Antiochiæ doctores; nam et eorum aliqui cum Eusebio haud dubie vixerunt, et res Antiochiæ peractas a suis etiam ipsi senioribus olim doctoribus ac patriarchis, hoc est, ab ipsa ecclesia Antiochena, rei, cum gereretur, numerosa aliquando spectatrice, multo sincerius haurire debuerunt, quam et illis junior et extraneus undecumque Eusebius; quem quidem supra rerum Antiochensium minus ignarum dixi, quam vel Romanarum, vel Alexandrinarum; at non adeo in eis versatum, ut æquiparari Chrysostomo debeat. Accedit, quod Eusebius hic timide admodum et modeste loquatur, ut indicant voces illæ, *fama est, dicitur:* quasi suo nomine id asserere non audeat, quod narrat. Imo quod hic nequaquam de S. Babyla, verum de S. Pontiano a viris eruditis

SÆCULUM III. ac probe callens;

tis intelligatur, ut supra num. 69 notabam.

75 Occurrat mihi continuo quispiam ac dicat : Si tales historiæ hujus suæ auctores habuit S. Joannes Chrysostomus, quidni imperatorem noverit, sub quo contigit? Si noverit autem; cur non expresserit? Cur dixerit, contra Gentil. pag. 737 : *Fuit imperator quidam majorum nostrorum temporibus, qui qualis alioqui fuerit, dicere non habeo,* οὐκ ἔχω λέγειν? Qui Græce vel tantillum didicit, satis intelligit, non recte hinc colligi, ignotum imperatorem illum Chrysostomo fuisse : neque enim id agitur hoc loco, quis imperator ille fuerit; Decius, an alius; sed, ὁ ποῖός τις ἦν, *qualis esset,* id est, cujus indolis, quam crudelis; hoc, inquit sanctus Pater, *dicere non habeo,* sive non debeo; rationem vero statim addit : *Ubi vero scelus, quod attentavit, audieritis, reliquam morum illius crudelitatem probe perspectam habebitis.* Neutiquam ergo hic fatetur, imperatorem illum, quo de agit, sibi notum non esse. Cur igitur, inquis, eum non appellat, si novit? Dicam : eamdem ob causam, ob quam in S. Babylæ B contra Gentiles panegyri pag. 756 et 761 nec Gallum appellat nomine nec Julianum, quem tamen ultimum certissime noverat; cum et sub eo vixerit, et talibus hominem characteribus designet, ut ipso nomine multo sint clariores, nominaverit denique in homilia prædicta de S. hieromart. Babyla. Hanc divinent quorum interest; mihi satis est ostendisse, nihil ei ignorantiæ in hoc negotio, nihil erroris objici merito posse; assertamque illi proinde, num. præced., auctoritatem, Eusebiana hic longe graviorem, ab obtrectatoribus vindicasse. Et vero episcopum illum suum non nominat etiam Eusebius. An et hoc ignorantis est?

ad cujus narrationem Acta nostra examinantur.

76 Ad hujus itaque narrationem, tamquam ad lydium lapidem, exploret Acta nostra, qui volet; et sicubi adversari S. Chrysostomo deprehenderit, per me licet, expungat; sed præter *Numerianum imperatorem* (cum nomen ipse nullum expresserit) nihil admodum, quod quidem ad historiæ substantiam faciat, nisi fallor, offendet. Quamquam et C hic ipse qualiscumque error, propter auctorum aut dubitantium, aut idem omnino asserentium antiquitatem, ut ex Philostorgio aliisque patet bene multis, veniam facilem meretur; et ad SS. Martyrum Acta, ad imitationem potius quam ad eruditionem conscripta, parum adeo conferat, hoc, an illo imperante sint facta; ut in iisdem hisce S. Babylæ Actis Chrysostomus ne eum quidem vel semel per tot paginas sibi nominandum censuerit; quem tamen, ut jam vidimus, nominare sine dubio poterat. Atque hæc necessariæ Actorum olim a Majoribus nostris vulgatorum defensioni sufficiant; non adversus Tillemontium tantummodo, sed et contra Adrianum Baillet, in tomo suo primo satis Romæ confutato, et si qui sunt alii Tillemontii in hac historia vel duces, vel sequaces.

D

PARERGON ALTERUM

An duo fuerint sancti Babylæ MM. episcopi Antiocheni.

Babylas geminos martyres et episcopos Antiochenos aliqui confinxerunt:

Cum, ex num. 59, certissimum videatur, S. Babylam episcopum Antiochensem, Zebenni successorem, martyrii palmam, imperatore Decio, retulisse; nec defuerint jam olim usque a quarto aut quinto post Christum sæculo, qui Babylam episcopum Antiochenum sub Numeriano passum, tanto vel numero vel auctoritate testarentur, ut in eorum sententiam et Philostorgius aliique propendisse, et Acta nostra, et consecuti deinde auctores non pauci (vide Bollandum in Comm. ad Acta num. 9) descendisse omnino videantur; existere inde cœpit nova quorumdam opinio, quæ geminos Babylas et Antiochiæ præsules, et ambos martyres, alterum sub Decio, sub Numeriano alterum, fuisse adstrueret. E Novam dico; non quod hodie primum excogitata sit; sed quod apud antiquos ante sæculum septimum inaudita : primus enim eam commentus videtur auctor Chronici Alexandrini; secuti deinde, sæculo XII, Georgius Cedrenus; sæculo XIV, Nicephorus Callistus, quos dat Bollandus ibid. num. 13 ac 14; nec vero ipse ab illorum sententia, ut apparet num. 11, multum abhorruit. Insectatus illam imprimis est Card. Baronius, verbo quidem uno in Annalibus an. Christi CCLIII, num. 126; sed fusius in suis ad Martyrologium Romanum notis, ad diem XXIV Januarii; secuti subinde alii : nec sane immerito.

sed recte confutantur ab aliis,

78 Primo, quia, ut dixi, veterum nullus duorum meminit ante Chronicum Alexandrinum; cum tamen de S. Babyla plurimi scripserint, et alii sub Numeriano, alii sub Decio martyrium subiisse contenderent. 2. Nec Eusebius, nec Georgius Syncellus, nec Nicephorus patriarcha CP., nec Catalogus Harlemiensis, nec ipse Nicephorus Callistus, F quod mirere, lib. VI, cap. XXXIV, nec eorum, qui patriarcharum ordinem consignarunt, quos viderim, ullus secundum sub Numeriano martyrem Babylam inter eos recensent; quem tamen præterire peccatum esset tanto gravius, quanto fuisset priori Babyla secundus illustrior. 3. Nescio, an satis expenderit aut Cedrenum, aut Nicephorum Callistum Bollandus locis citatis. Etenim Cedrenus alterum quidem S. Babylam sub Numeriano martyrem facit Antiochiæ; sed non episcopum, nedum Antiochenum; eumdem Nicephorus lib. VI, cap. XXXIII, episcopum appellat, et quidem satis verisimiliter Antiochenum, cum ei adscribat insignem illam imperatoris ab ecclesia Antiochensi depulsionem : sed, si ita est, sibi contradicit aut non constat capite sequenti; ubi eum inter succedentes sibi patriarchas omittit; quod perinde accipi debet in continuata serie, quam format identidem, ac si, ad eam pertinere istum Babylam, plane neget.

ob rationes varias.

79 Præiverat hisce auctoribus pridem Georgius Syncellus, qui anno Carini primo secundum

A secundum Babylam locat, sed minime episcopum; multoque etiam minus episcopum Antiochenum, quem eo toto tempore Cyrillum dicit fuisse; Numerianum tamen ab eo pulsum, illumque ideo a Numeriano interfectum, affirmat. Restat igitur, ut pro duobus Babylis Antiochensis ecclesiæ patriarchis stet unum Chronicum Alexandrinum, misere passim corruptum. Alii tres contra me non faciunt, tum quod secundum illum Babylam patriarcham non statuunt; tum quod hoc ipso manifeste ex Chrysostomo, Philostorgio, Suida, Actis nostris etc. arguuntur falsi, quod factum jam toties memoratum in eum conferunt, qui episcopus Antiochenus non fuerit.

hasce vel similes

80. 4. Error ille posteriorum auctorum, Numerianum pro Decio scribentium, facile admodum committi potuit ab iis, quibus temporum ratio perspecta non erat; si Chrysostomi in ecclesia Antiochensi majores eum narrandi modum tenuerint, quem in tota S. Babylæ vivi ac defuncti historia (saltem in libro adversus Gentiles) religiosissime ipse servavit; ut nullius, etiam notissimi, et homilia B præcedenti appellati (puta Juliani) frequentissimeque occurrentis, imperatoris nomen usquam adhibeat; imo defugiat quasi ex industria: potest enim illis, uti et nobis modo, minus notus tunc fuisse Decii, quam Numeriani Antiochiam adventus; et ita cum alium determinatum nullum audissent, possunt illum ipsi, ea seducti ratione, determinasse; atque ita porro alteri Babylæ excogitando occasionem præbuisse. 5. Sub Numeriano imperatore accidere res ista non potuit, quemcumque demum Babylam fingas; si verum est, quod habet Bollandus in Comm. cit. num. 9, post mortem Cari patris reversum numquam esse Antiochiam Numerianum.

non tamen ob eam, quam addit Tillemontius: qua ruente, ruit ejus historia, imo et Eusebii;

81 Rationem aliam affert præterea Tillemontius excludendi Numerianum; quia nempe is Christianus non fuerit; quod tamen putat exigi a Chrysostomo. Hæc ratio mihi non probatur. De Chrysostomo dixi num. 67. Quid si nec ipse Philippus Christianus umquam fuerit, ut locis supra num. 69 citatis defendit Pagius auctoritate Lactantii, Eusebio coævi, Sulpicii Severi, Theodoreti, C auctoris Vitæ S. Pachomii, S. Ambrosii, Epiphanii diaconi in concilio Nicæno, actione 6; ex ludis sæcularibus ab eo magnificentissime datis, ethnica superstitione longe contaminatissimis, quibus tamen, ut ibidem ex Christianis ethnicisque scriptoribus ac numismatis variis probat, Philippus interfuerit ita, ut nihil immutarit eorum, quæ ab aliis olim imperatoribus in istiusmodi ludis celebrandis servari consuevissent. Quid si saltem Christi fidem Philippus non nisi post exhibitos ludos sæculares, ut contendit Baronius, amplexus sit; cum post initium imperii, si Huëtio credimus lib. I Orig. cap. III, num. 12, Antiochiæ numquam comparuerit? Utrovis hoc ariete pulsata Tillemontii historia, jam satis parergo superiori luxata, corruet.

non item Chrysostomi vel nostra.

82 At nequaquam his S. Chrysostomi narratio concutitur, qui, licet in libro contra Gentiles non nulla habeat, quæ imperatorem, de quo agit, Christianum fuisse videntur supponere; ut cum illum ovem, ægrum, discipulum, servum improbum etc.; S. Babylam contra, pastorem, medicum, pædagogum, patrem spiritualem etc. appellat; tamen et explicationem ista pati possunt, maxime in oratione panegyrica; et alia tum ibi, tum alibi habet, ut num. 67 dictum est, quæ supponunt probantque contrarium. Quin imo omnino ineptum videtur id quod scribit a pag. 745 usque ad pag. seq.; nisi supposuerit fuisse infidelem. Addi potest et hoc argumentum: Si de Christiano imperatore egisset Chrysostomus, fuisset is Philippus (neque enim ante Constantinum in Christum alius credidit; si tamen ipse Philippus credidit;) atqui de Philippo Chrysostomus ibi agere non potuit; cum eum, de quo loquitur, tyrannum, belluarum omnium immanissimam, etc., denique S. Babylæ interfectorem fuisse, quanta potest eloquentia, statuat; quæ de Philippo nec dixit, nec vero, dicere quisquam, nisi ab omnibus historicis alienus, potuit. Non igitur agit Chrysostomus de imperatore Christiano, ut adstruit nota sua 3 in S. Babylam Tillemontius.

XIV. FABIUS. E

S. Babylæ successit Fabius A. C. 250 ineunte;

FABIUS, Ruffino *Fabianus,* Eutychio, et Hieronymo de Script. eccl. cap. LXVI *Flavianus* (non tamen ille, ut perperam istic notat Aubertus Miræus, de quo in concilio Ephesino aut Chalcedonensi fit mentio,) Georgio Syncello modo *Flavianus,* modo *Fabianus,* Nicephoro CP. et Chronico Alexandrino *Flavius,* Babylam excepit, imperante Decio, anno æræ vulgaris CCL, haud forte multum inchoato, ut habes num. 60 et seq. Obitum ejus colligere est ex successione Demetriani apud Eusebium in Chronico, quam collocat anno primo impp. Galli et Volusiani, quando et uterque augustus, ut est in Chronico Eusebii Canone Græco, consulatum gessit, anno Christi CCLII; quod valide confirmat ejusdem Eusebii Historia lib VI, cap. XLVI, ubi de S. Dionysio episcopo Alexandrino ad S. Cornelium Papam scribente, sic habet: *Scribit etiam, sibi nunciatum fuisse, quod Fabius quidem diem extremum obiisset; Demetrianus vero in ejus locum episcopus Antiochenæ ecclesiæ esset constitutus.* F

seditque usque ad A. C. 252.

84 Cum igitur anno sequenti Cornelius, ut ostendit post Labbeum aliosque Schelstratius tom. I Antiq. eccl. dissert. II, cap. VI; vel anno etiam eodem, mense Septembri; quod Henschenio tom. I April. in Catalogo, Papebrochio, Pagio in Critica historia in Annales C. Baronii, Tillemontio not. 14 in S. Cornelium, etc. potius visum est; cum, inquam, Cornelius tum in cælos martyr evolarit, necesse est, et prius scripsisse S. Dionysium, et hoc etiam prius obiisse Fabium. Nihil est ergo quod in annum CCLII Christi cum Chronico mortem ejus vetet conjicere; est autem certissimum argumentum, quo ultra annum CCLIII vixisse Fabium neges. Sedit adeo annos circiter duos; errantque proinde Georgius Syncellus, Nicephorus CP., Catalogus Harlemiensis, qui annos novem; et gravius etiam Eutychius, qui annos undecim præfuisse Fabium volunt. Propius ad Eusebium accessit Chronicum Alexandrinum, quod annos

SÆCULUM III.

annos solummodo tres annotavit; uti et S. Prosper in Chronico integro, ubi Fabio Demetrianum sufficit, Coss. Volusiano II et Maximo, id est, anno Christi CCLIII; sic triennium patriarchatus hujus uno anno serius absolvens, sicut eum anno item uno serius, quam par erat, inchoaverat; uti ostendimus supra num. 60.

In schisma Novatiani aliquando propendit;

85 Vir erat Fabius animo excelso atque erecto; quippe, qui furente nequidquam Decio, electus, in tepentem adhuc sacro Babylæ cruore cathedram ascendere non reformidaverit. In Novatiani tamen schisma subinde non nihil propendit, ut aperte testatur Eusebius Hist. eccl. lib. VI, cap. XLIV his verbis, quæ mirum est, non vertisse Valesium: *Eidem Fabio*, ὑποκατακλινομένῳ πῶς τῷ σχίσματι, *ad Schisma aliqua ratione inclinato*, *scribens Dionysius* etc. Nec dubium est, quin ea potissimum causa S. Cornelius Papa quatuor hoc de argumento ad eum litteras dederit, de quibus Eusebius lib. VI, cap. XLIII, et S. Hieronymus de Script. eccl. cap. LXVI. Item alias S. Dionysius Alexandrinus, apud Euseb. lib. VI, cap. XLI et XLIV.

B

non obstinato tamen animo.

86 Atque hisce epistolis si non ipse Fabius ad Cornelii et ecclesiarum omnium partes est inflexus, id certe effectum est, ut concilium Antiochiæ super illo negotio indicendum curaret; ad quod invitatum se significat S. Dionysius ab Heleno, Tarsi Ciliciæ episcopo, et a ceteris, qui cum illo convenerant; Firmiliano scilicet Cappadociæ, et Theoctisto Palæstinæ provinciæ episcopis: in eo etenim quidam Novatiani schisma confirmare tentabant, Euseb. lib. VI, cap. XLVI. Tum subdit Dionysius, renuntiatum sibi fuisse, quod Fabius quidem diem extremum obiisset; Demetrianus vero ei suffectus esset: ex quo loco non temere eruas, decretam ante fuisse indictamque synodum, quam Fabius obierit. Neque enim ab iisdem, aut eodem tempore, ad concilium vocatum esse se ac de Fabii morte edoctum innuit; sed ita scribit, quasi hoc illo posterius factum sit; (imo Pagius id mensi Martio anni CCLII adscribere non dubitat;) tribuitur nihilominus, in Libello synodico tom. I Concil. Labbe, col. 719, synodus hæc, Antiochiæ collecta, Demetriano, Fabii successori; quia is executus est, quod Fabius, morte interveniente, non potuerat: nam haud ita multo post Fabii mortem concilium istud habitum fuisse, eruitur ex epistola S. Dionysii ad Stephanum Papam (Eusebius eccl. Hist. lib. VII, cap. V;) ubi describit pacem ecclesiarum per Orientem et ulterius positarum. Jam ergo præcesserat synodus contra Novatianum Antiochiæ, ut est in Libello synodico, coacta; quam ideo hujus pacis conciliatricem fuisse ego quidem existimo, quod inter consentientes deinde per Orientem episcopos, eos ipsos nominet S. Dionysius, a quibus ante, ad illam pacem consensumque obtinendum, invitatum se ad synodum dixerat.

C

XV. S. DEMETRIANUS.

Sedit Demetrianus ab A. C. 252 usque ad 260.

Quam cito in Fabii locum optatus fuerit DEMETRIANUS, docet epistola S. Dionysii jam citata, qua S. Cornelio significat, simul nunciatum sibi Fabii obitum esse, et successionem Demetriani Regendam igitur ecclesiam Antiochenam suscepit anno Galli et Volusiani impp. primo, Christi CCLII; sed eam quamdiu administraverit, nemini opinor, credi securius potest, quam eidem iterum Eusebio, quando per Historiam ejus Chronica propugnantur: Chronica, inquam, tum Græcum Scaligeri, tum S. Hieronymi Latinum, saltem in plerisque exemplaribus, ut patet ex Pontaco in notis hic, et editione Auberti Miræi etc.; ubi ad annum Gallieni VII, Coss., ut est in Græco, Seculare et Donato, anno Christi CCLX (nam is septimus Gallieni, saltem usque ad mensem circiter Maium, putatur: adi Pagium in Crit. anno Christi CCLIII, a num. 13) Antiochiæ episcopus constitui dicitur Paulus Samosatenus; cum scilicet, capto apud Persas Valeriano patre, filius Gallienus pacem populo Christiano reddiderat; qua *eadem tempestate,* inquit Euseb. Hist. eccl. lib. VII, cap. XIV, *Antiochenam* ecclesiam *Demetrianus regebat;* eodem anno (si captum Valerianum, redditam pacem, et constitutum Paulum in unum annum conjicias, ut Pontaci Chronicum imitatus Tillemontius facit in chronologia tomo IV Monum. subnexa) aut sequenti (si cum Scaligeri et Miræi Chronicis, quæ sequitur Pagius, captivitatem Valeriani, Ecclesiæque pacem, a Pauli institutione distractam, in annum præcedentem contuleris) sedem suam Paulo Samosateno vacuam relicturus, postquam eam annis circiter octo tenuisset. Hisce rationibus omnino consonat Eutychius pag. 392; si tamen hæc auctoritas, quæ sane exigua esse debet, uti ex ipsa hac pagina nihilo ceteris emendatiori liquet, addere quidquam ponderis Eusebio potest, eadem in Chronico et Historia profitenti: cui proinde et Georg. Syncellus et Nicephorus patriarcha, quatuor dumtaxat annos uterque Demetriani patriarchatui assignantes, concedant necesse est; uti et Catalogus Harlemiensis, qui annos XIV adnotavit, et quidni etiam S. Prosper in Chronico integro, ubi ordinatum dicit Paulum Samosatenum Coss. Tusco et Basso, hoc est, anno Christi CCLVIII?

D

E

F

Acerrimus Ecclesiæ contra Novatianos defensor.

88 Acerrimus hic fuit fidei orthodoxæ ac Romanæ Sedis, coacta etiam synodo contra Novatianum, assertor; ut fidem facit Libellus synodicus, apud Labbeum loco supra citato, his verbis: *Synodus divina et sacra provincialis Antiochiæ collecta a Demetrio* (Græce legitur Δημητριανοῦ) *ejusdem sanctissimo episcopo: quæ Novatum* (Græci fere Novatianum cum Novato confundunt) *deposuit, tamquam qui peccatoribus patrocinaretur:* veniam nempe lapsis recusando, atque ita in præcipitem ad scelera quævis desperationem salutis impellendo. Idem testatur S. Dionysius patriarcha Alexandrinus, cum ad S. Stephanum Papam scribens, inter illustriores episcopos cum Ecclesia Romana sentientes, et ob redditam (Novatiani schismate et erroribus condemnatis) insperato pacem incredibili gaudio exultantes, primo loco Demetrianum recenset episcopum Antiochiæ, Eusebius Hist. eccl. lib. VII, cap. V. Sed nihil ad ejus commendationem augustius, quam innumerabilium fere episcoporum, Antiochiæ congregatorum, in epistola synodica ad S. Dionysium, Romanæ urbis episcopum (Eusebius Hist. lib. VII, cap. XXX)

SÆCULUM III

A cap. XXX) de ipso, jam pridem vita functo, testimonium : ibi etenim, ejecto a sua communione Paulo, *necesse habuimus*, inquiunt, *alium ejus loco ecclesiæ catholicæ episcopum ordinare, non absque divina, ut credimus, providentia, beati Demetriani, qui eidem ante hunc* (Paulum) *ecclesiæ* (Antiochenæ) *præclare præfuit, filium Domnum, virum omnibus, quæ episcopum decent, dotibus exornatum.*

et quidem Martyr, ut quidam volunt:

89 Quid, quod et martyrem eum quidam faciunt? Id certe rotunde asserit Blasius Terzi lib. I de Syria sacra, cap. XXXIII, Theodoricus Pauli, auctor sæculi XV, in suo codice Ms. cum scripsisset *S. Demetrianum* (sic eum appellat ubique) *migrasse in pace anno Domini* CCLX; remittit ad marginem; ubi eodem charactere hæc notat: *Iste sanctus Demetrianus post diversa sibi illata tormenta martyrizatus fuit cum Aniano diacono, et Eustochio, et aliis* XX, *die* XI *Novembris.* Quæ certissime ab Usuardi Martyrologio mutuatus est : quod ad diem X Novembris sic habet : *Antiochiæ, sanctorum Demetrii episcopi, Aniani diaconi, Eustosii et aliorum viginti.* Idem de Demetrio habent B vetustissima Hieronymiana, apud Florentinium, ad eumdem diem; idem alia recentiora plurima, ac tandem etiam Romanum. Sane vel hæc errant omnia sive in nomine Demetrii, quod non habet Corbeiense apud Florentinium, sive in nomine Antiochiæ; vel episcopum non Antiochenum Antiochiæ passum volunt; quod aliter passim omnes accipiunt; vel denique ipsissimus ille est Demetrianus, de quo hic agimus : nam et Demetrium eum nuncupant, ante auctores modernos satis multos, Eutychius, sæculi X scriptor, atque ante annos DCCC, teste Papebrochio, Catalogus Harlemiensis; et alter inter antistites Antiochenos seu Demetrius, seu Demetrianus comparet nuspiam.

verum hoc ultimum examinandum erit accuratius in Actis Sanctorum,

90 Silet hic Tillemontius tom. IV Monum. de Paulo Samosateno art. 1; hæret Florentinius; Card. Baronius ad annum Christi CCLXII, num. 70, *An martyrio obierit Demetrianus*, inquit, *non constat;* nec aliud quidquam addit. Ego, quanticumque faciam Demetrianum meum; martyribus tamen annumerare huc usque non ausim, tum propter C chronologorum, atque historiographorum, ac præsertim Eusebii, non admodum ab hisce temporibus remoti, synodique Antiochenæ in epistola num. 88 citata, ubi locus hujus martyrii commendandi maxime proprius erat et opportunus, silentium; tum præcipue quod hoc martyrium cum historia componi vix possit. Etenim, ut ex ea num. 87 probatum est, jam pacem ecclesiis Gallienus, apud Euseb. lib. VII, cap. XIII, per edicta firmaverat, cum adhuc viveret Præsul hic noster Antiochiæ, ut cap. seq. dicitur, et vel eodem datæ pacis anno, ut Tillemontio placet, vel anno sequenti quidem, sed tamen utrobique Christi CCLX, seu Gallieni VII, ut habent plura Eusebii Chronica, successit Paulus Samosatenus Demetriano, utique defuncto Antiochiæ, teste eodem Eusebio Hist. eccl. lib. VII, cap. XXVII. Unde igitur in tanta pace martyria?

die x Octobris.

91 Scio, lib. VII, cap. XV; *pace cunctis ubique ecclesiis reddita, apud Cæsaream Palæstinæ Marinum quemdam... ob confessionem Christi capite truncatum esse;* sed is miles erat; poteratque adeo legibus aliis, exempli causa, imperatoribus sacrificandi, ut ibidem dicitur, aut aliis ejusmodi superstitiosis ratione militaris dignitatis urgeri, quibus per edicta derogatum non esset. Videsis eumdem Eusebium hoc aperte testantem lib. VIII, cap. IV. Scio parum obsequentes tum temporis Gallieno per Orientem præfectos fuisse; et jam tum forte ad tyrannidem a quibusdam spectari cœptum. Scio denique, ut res tunc erant in Oriente, sic illarum historias satis esse confusas (vide Pagium in Criticis ab anno Christi CCLIX.) Quamobrem negotium hoc indecisum ad Acta nostra, quo proprie pertinet, ad diem X Novembris diligentius pertractandum remitto, non negato interim ei Sancti titulo, quem ceteris ejus decessoribus convenire vix dubitem, tametsi, forte aliquanto religiosius, ab eo adscribendo abstinuerim.

XVI. PAULUS I. SOMOSATENUS hæresiarcha.

E

Paulus regere, imo perdere ecclesiam Antiochenam cœpit A. C. 260:

Anno, ut jam ex Eusebio demonstratum est, Gallieni septimo, Christi CCLX non ultra mensem Maium adulto, emersit e latebris, quibus eum et natales humiles, et cognata fortunarum egestas occuluerant, PAULUS, a Samosatis, urbe Syriæ Euphratesiæ, quæ monstrum hoc in lucem effuderat, SAMOSATENUS vulgo nuncupatus; quando gregem Antiochensem, a quo et Antiochenus vocitatur, non regendum pastor, uti tum simulabat, admisit; sed, ut subinde palam fecit, misere dilaniandum lupus efferatus invasit. Vix etenim eum dignitatis gradum attigerat, cum *a fidei regula recedens* (verba sunt ipsius epistolæ synodicæ apud Eusebium lib. VII, cap. XXX) *ad spuriam et adulterinam doctrinam se transtulit.... Et cum antea pauper ac mendicus esset, nec ullas omnino facultates aut a parentibus relictas accepisset, aut artis ullius exercitio sibi comparasset; nunc* (patriarcha factus) *ad incredibilem opulentiam pervenit per scelera ac sacrilegia, fratrumque concussiones.*

F

homo superbus et impurus.

93 Quam porro fastu plenus et arrogantia; quam inanis appetens gloriæ; quam in aliorum Legis Evangelicæ doctorum, tum vita functorum, famam, ut suam extolleret, petulanter grassatus, adeo ut etiam angelum de cælo delapsum haberi se coram pateretur ac dici; quam merito suspecta cum mulieribus, quas et suis presbyteris et diaconis, ne sibi adversarentur, indulgebat, consuetudine notatus, quarum duas ætate florentes et forma conspicuas secum habuerit, et quocumque proficisceretur, circumduxerit; hæc, inquam, aliaque ejus crimina, loco jam citato, Patres longiori, quam instituto meo conveniat, oratione persequuntur.

Ibi varias contra se synodos

94 De ecclesiæ itaque Antiochenæ incolumitate conclamatum jam erat; nisi tantis malis haud impari remedio obviam itum esset. Sed nempe sic, Deo providente, ceciderat; ut ejusmodi tum præsulibus Oriens abundaret, quibus nec vitæ sanctimonia nec studium religionis nostræ, ut vellent; nec doctrina deerat vel industria ut laboranti possent opitulari. Scriptæ ultro citroque quaquavermus epistolæ;

SÆCULUM III.

epistolæ; collatæ sententiæ; condicta habitaque intra ipsam Antiochiam concilia, neque a paucis istic aut parum exercitatis, sed collecto, quantum erat in Oriente Ægyptoque veteranorum fere antistitum ac virorum insignium robore universo certatum est: nam S. Dionysius patriarcha Alexandrinus, cum advolare per ætatem et affectam valetudinem ipse non posset, interesse tamen per litteras voluit. *At reliqui,* inquit Eusebius lib. VII, cap. XXVII, *ecclesiarum pastores,* quorum præcipuos cap. seq. enumerat, atque inter eos cum fratre Athenodoro magnum Gregorium thaumaturgum, *undique exciti, tamquam adversus gregis dominici vastatorem, simul omnes Antiochiam convenerunt.*

eludit.

95 Neque uno congressu desitum est aut receptui cani visum; sed quantum erat in Paulo fraudis ac pertinaciæ, tantum in Patribus virtutis eminebat atque constantiæ. *Omnibus* enim (juxta Eusebium lib. VII, cap. XXVIII) *vario tempore, diversimode, ac sæpenumero in unum coëuntibus, multæ disputationes et quæstiones in unoquoque consessu agitatæ sunt; cum hinc* B *Samosatensis Paulus dogmatis sui novitatem occultare adhuc niteretur, illinc sacerdotes hæresim illius, et adversus Christum blasphemiam denudare atque in medium producere laborarent. Nec tamen* (subdit Ruffinus lib. VII, cap. mihi, XXVI) *uno id aut secundo tantum concilio ad finem perducere potuerunt; sed conventum sæpe est, et absque operæ pretio discessum.* Quoties vero conventum sit, et quot adversus Paulum habitæ sint hoc tempore synodi, nusquam invenio: duas minimum fuisse, certum videtur, quibus interfuisse in epistola synodica Firmilianus asseritur; cum tamen postremæ certissime adesse non potuerit: *sed cum ille mutaturum se sententiam promisisset: credens ei Firmilianus, speransque, absque ullo religionis nostræ probro atque dispendio rem optime posse constitui, distulit sententiam suam, deceptus scilicet ab homine, qui Deum ac Dominum suum negabat, et qui fidem, quam antea profitebatur, violaverat.* Quo tempore ista contigerint, ostendit Eusebius lib. VII, cap. XXVIII his verbis: *Dum hæc aguntur, Dionysius* (Alexandrinus) *extremum diem obiit, anno principatus Gallieni duodecimo,* C id est, Christi CCLXV, die IX Martii, ut vide in Tractatu nostro de Patriarchis Alexandr. tom. V Junii, pag. 30.

depositus tandem.

96 Tandem elusi tot Pauli artibus Patres, nec miserabilem Antiochensis ecclesiæ statum ultra sustinentes, extremam operi manum adhibere decernunt. Coacto iterum Antiochiæ concilio episcoporum LXX, ut vult S. Athanasius de Synodis, aut LXXX, ut S. Hilario visum de Synod. contra Arianos; imo CLXXX juxta Basilium diaconum in concilio Ephesino apud Labbeum tom. III, col. 425; aut, si quid ibi vitii est, ut non dubitat Tillemontius de Paulo Samosateno art. 4, (perperam tamen istic notat quasi solœcismum instrumenti, quod solius est typothetæ in editione Labbeana, qui Binium tom. I, parte II, pag. 159 omnino in fine, male expressit, cum τῶν vertit in του, et emendari poterat ex ipso Labbei loco, ubi statim eadem constructio recurrit) si id, inquam, parum credibile videatur, credi certe potest Eusebio, lib. VII, cap. XXIX, qui ait, synodum fuisse πλείστων ὅσων ἐπισκόπων *quamplurimorum* (Valesius vertit: *innumerabilium fere) episcoporum.* D

in synodo Antiochena.

97 Hic opera disertissimi Malchionis presbyteri palam convicto Paulo, et auctoritate concilii ab ecclesiastica communione rescisso atque exauctorato, substitutus est Demetriani filius, Domnus, uti jam supra num. 88 ex ipsa hujusce synodi epistola diximus. Sed neque sic profectum satis fuisset, nisi post victam Zenobiam, quæ post Odenati conjugis mortem rerum in Oriente sola potiebatur, Pauloque, dum licuit, patrocinata fuerat, teste S. Athanasio in epist. ad Solitarios, Aureliani interpellati sententia successisset; qua ille ecclesiæ domo, quam hactenus, Zenobia protegente, invitis omnibus, nec hiscere tamen contra audentibus, eadem, quæ hæresim, pervicacia retinebat, tandem facessere juberetur. Nunc Antiochenæ hujus synodi tempora finiamus, quando hinc et episcopatus Paulini exitus, et initium Domniani necessario repetenda sunt.

habita non serius quam anno Christi 270 ineunte.

98 *Omnes itaque in unum congregati antistites,* Eusebius lib. VII, cap. XXX, *unam ex communi sententia ad Dionysium Romanæ urbis Episcopum et ad Maximum Alexandrinum scripserunt epi-* E *stolam... tum ut studium suum ac diligentiam* (in hac synodo adhibitam) *omnibus declararent; tum ut perversum Pauli dogma, confutationes quoque et disputationes adversus illum habitas, cunctamque hominis vitam ac mores* (imo et depositionem ejus, et inaugurationem Domini, atque adeo totius eventum concilii) *exponerent.* Ex his, uti et ex ipsa epistola, quæ subjicitur, liquet 1, non diu post mortem S. Dionysii Papæ scriptam hanc epistolam fuisse; quippe quæ nondum Patribus innotuerat. Non vixit autem Dionysius, ut est in vetustissimo optimæque notæ Catalogo apud Henschenium tom. I Aprilis et Bucherium in Victorii Canonem Paschalem pag. 272, nisi *usque in diem septimum Kalend. Januarii consulibus Claudio et Paterno,* id est XXVI Decembris anno Christi CCLXIX. Eosdem consules notat Catalogus Reginæ Sueciæ ibidem, et uno tantum die ab alio discrepat. Non igitur multo serius aut scripta fuit ad eum epistola, aut synodo finis impositus.

neque adeo sub Aureliano.

99 Liquet ergo 2, neque totam (quod hactenus creditum fuerat, inquit Pagius ad F annum Christi CCLXXI, num. 3) neque aliqua sui parte (quod Valesio visum in notis ad Euseb.) sub Aureliano synodum habitam esse; sed totam imperante Claudio; quippe qui XXVI Octobris anni CCLXX, ut ostendit Pagius ad annum Christi CCLXX, num. 3, adhuc erat in vivis; Claudio vero successit frater ejus Quintillus, illique post diem decimum septimum extincto, demum Aurelianus, mense Novembri, aut insequenti. Liquet 3, aut errasse Eusebium lib. VII, cap. XXIX, ubi sic vertitur: *Hujus* (Aureliani imperatoris) *temporibus postrema synodus innumerabilium fere episcoporum congregata est* etc.; aut Valesium qui sic eum interpretatur; hoc Pagius; istud Tillemontius asserit, not. 4 in Paul. Samosat., ubi Pagium et citat et deserit. Ego quidem cum Tillemontio, sed aliam tamen ob causam, sentio.

ut errat Eusebius.

100 Sic, loco citato, habet Eusebius: Καθ' ὃν τελευταίας συγκροτηθείσης πλείστων ὅσων ἐπισκόπων συνόδου, φωραθεὶς καὶ πρὸς ἁπάντων ἤδη σαφῶς καταγνωσθεὶς ἑτεροδοξίαν ὁ τῆς κατα Ἀντιόχειαν

SÆCULUM III. *quem aliqui frustra conati sunt excusare.*

A χειαν αἱρέσεως ἀρχηγὸς, τῆς ὑπο τὸν οὐρανὸν καθολικῆς ἐκκλησίας ἀποκηρύττεται. Hæc ita Latine reddit Pagius: *Cujus temporibus (cum postrema congregata fuisset*, jam ante scilicet sub Claudio imperatore, *quamplurimorum episcoporum synodus) convictus et ab omnibus jam manifeste falsi dogmatis damnatus auctor illius hæreseos, quæ erat Antiochiæ, a catholica* (seu universa), *quæ sub cælo est, Ecclesia eliminatus est*, seu publico edicto exturbatus est. Si istud ἀποκηρύττεται significet, ut vult Pagius, actionem Aureliani, Paulum lata sententia expellentis; ad illam referri commode poterit illud καθ' ὅν, *cujus temporibus*, et recta erit Pagii versio, quidquid dixerit Tillemontius; et vera proinde, quam deducit inde, sententia; nimirum, per ea verba nequaquam ab Eusebio collocari hanc synodum sub Aureliani imperio: at si ἀποκηρύττεται non actionem Aureliani, sed Patrum, in concilio Paulum publica sententia excommunicantium ac deponentium, designet; errat Pagius, et recte Eusebii B sententiam exprimit Valesius.

recte hic a Valesio versus,

101 Atque hoc postremum mihi potius dicendum videtur: primum quidem, quia eadem pene utuntur voce Patres sub finem epistolæ synodicæ: *Hunc igitur*, inquiunt, *Deo adversantem* (Paulum) *nec cedere volentem, cum a communiine nostra abdicassemus*, ἐκκηρύξαντες; *necesse habuimus alium ejus loco ecclesiæ catholicæ episcopum ordinare*; ubi manifestum est, ἐκκηρύττειν quod idem sonat atque ἀποκηρύττειν aliud significare non posse, nisi quod vulgo dicitur *excommunicare* ac deponere. Consule infra num. 109. Deinde non solum dicitur apud Eusebium, ἀποκηρύττεται, *ejicitur, expellitur, excluditur, eliminatur*; sed τῆς ὑπὸ τὸν οὐρανὸν καθολικῆς ἐκκλησίας ἀποκηρύττεται, *a catholica, quæ sub cælo est, Ecclesia exterminatur*, seu, *per sententiam aut edictum ejicitur*; hoc vero quid aliud esse possit, quam a communione omnium fidelium publico edicto arcere atque excludere? Quod nec fecit Aurelianus, nec potuit. Legitur quidem sub finem capitis: ὑπὸ τῆς κοσμικῆς ἀρχῆς ἐξελαύνετο τῆς ἐκκλησίας, *per secularem potestatem ab ecclesia exturbatus est*; sed alud est ἐκκλησίας *ab ecclesia, seu sede ac domo episcopali*, aliud καθόλικῆς ἐκκλησίας, *a catholica Ecclesia*, seu C universitate fidelium; aliud ἐξελαύνετο, *vi extrusus est*, aliud ἀποκηρύττεται, *per sententiam palam denunciatur ejectus*; hoc jurisdictionem ecclesiasticam exigit; non item istud; sed fieri potest per brachium sæculare; etiam juste, si ab ecclesiastica potestate legitima sit invocatum. Restat igitur, ut excommunicatum ac depositum Paulum, adeoque et synodum, in qua excommunicatus ac depositus est, temporibus Aureliani imp. adscripserit Eusebius; qui tamen sibi contrarius est in Chronico tam Græco (in quo hic consules notantur Gallienus VII et Saturninus, pro Sabinillo), quam Latino, ubi rem eamdem refert ad annum Abrahami MMCCLXXXIII, Olymp. CCLXI annum II, juxta Scaligeri editionem, et Gallieni XIII, id est, Christi CCLXVI. Latinum tamen Eusebii Chronicum iterum huic loco contradicit in Eusebio Laodicensi, ut statim num. seq. patebit. Eusebii Chronicum presse in hac re sequitur S. Prosper in Chronico integro.

102 Errorem hunc Eusebii in Historia etiam agnovit loco citato Henschenius, et post eum Papebrochius; ille tamen ignoscendum putavit; *cum distantia vix trium mensium sit*, inquit, *inter Dionysii obitum et Aureliani initium*. Schelstratius Eusebium etiam defendendum sibi ac sequendum putavit tom. I Antiq. eccl. diss. II in serie chronologica; ideoque ab illis Catalogis, quos alibi tanti facit, recedens, ad annum consulesque sequentes Dionysii obitum transfert. Idem ante illum Labbeus ac Petavius aliique in chronicis factitarunt. Sed, præterquam quod jam dixi num. 98 et 99, quid si Eusebius ibi non ad initium imperii Aureliani (quamquam et illud plus tribus mensibus distet ab obitu Dionysii, ut supra monui;) sed ad annum ejus imperii tertium respexerit? Certe in Chronico, anno Aureliani (apud Scaligerum) secundo, (apud Pontacum tertio) sic legitur: *Eusebius Laodicenus episcopus insignis habetur*: in Historia vero lib. VII, cap. XXXII de Anatolio ejus successore, *Postea vero*, inquit, *cum eum synodus adversus Paulum congregata Antiochiam evocasset* (Græce est συνόδου καλούσης, *synodo eum evocante,*) *per urbem Laodiceam iter faciens, a fratribus illius loci, mortuo* TUNC *Eusebio, detentus est*. Evocante ergo E Anatolium synodo Antiochena, jam fato cesserat Eusebius, qui tamen anno Aureliani II, aut III, adhuc florebat; non igitur ad initium Aureliani retroagi potest, neque de tribus mensibus hic, qui inter Dionysii mortem synodumque intercesserint; sed de tribus ut minimum annis agitur.

aut defendere.

103 Idem colligi potest ex cap. XXX, ubi post epistolam synodicam, statim subjicit, interpellatum fuisse adversus Paulum, qui cedere episcopatu nolebat, Aurelianum; qua ratione satis indicat, id ab ipsis concilii Patribus, nondum inde digressis, fuisse præstitum; ita certe eum intellexerit sæculo V Theodoretus Cyri episcopus lib. II, Hæret. fabul. cap. VIII in fine; multisque post sæculis Zonaras Annal. lib. XII, cap. XXV, ubi successionem Domni expulso per Aurelianum Paulo posteriorem facit. Atqui Antiochia Aureliano ante annum ejus imperii tertium non parebat, sed Zenobiæ; ut vide apud Pagium ad illum annum: nondum igitur ante annum illium dissoluta fuerit synodus. Imo cum tunc de toto F Orientis imperio cum Zenobia dimicaret, nec interpellari imperator potuit, nec inter armorum exercituumque hinc atque inde maximorum terrores, *innumerabilium fere episcoporum synodus* esse collecta; sed si Eusebium sequi placeret, serius utrique rei tempus inquirendum esset, ut infra iterum demonstrabitur.

non semel in hac re secum pugnantem.

104 Quid si hic denuo confligentem secum in eadem re Eusebium exhibeam; dignusne tandem videbitur, cui chronologiam Pontificiam hic Viri eruditi accommodent? Age sane. Quot annis Romanum episcopatum Dionysius administravit? Si Eusebium audis lib. VII, cap. XXX in fine, *novem annis*. At isti unde inchoantur? Ibid. cap. XXVII: *Cum Xystus undecim annis Ecclesiæ Romanæ præfuisset, in ejus locum successit Dionysius... Eodem vero tempore* (ἐν τούτῳ δὲ) *defuncto Antiochiæ Demetriano, Paulus Samosatensis episcopatum suscepit*. Paulum autem Demetriano successisse, dicit in Chronico Græco, in quo consules adduntur Secularis et Donatus, et Latino Scaligeri, anno Gallieni

SÆCULUM III.

Gallieni VIII, Christi CCLX. Dux igitur inde annos totos novem, et defunctum ex Eusebio Dionysium habebis anno Christi CCLXIX, qui ipsissimus ille annus est, quem nos ejus morti supra ex catalogis antiquissimis assignavimus, idemque Claudii imperatoris secundus; qui cum tertium annum sequenti circiter Aprili anni Christi CCLXX inchoaverit; imo ad mensem Novembrem vivendo decurrerit (vide Pagium loco. sup. cit.,) ridiculum profecto est synodum Antiochenam sub Aureliano demum cogi cœptam, ac post multas longasque, ut rei gravitas postulabat, disceptationes, antequam in Paulum sententiam ferret, protractam comminisci, quæ tum tandem ad S. Dionysium Papam, plus quam integro anno defunctum, epistolam synodicam inscripserit; ineptissimum vero, si id post tertium Aureliani annum fecisse fingatur.

Occasio erroris quænam esse potuerit Eusebio;

105 Mea igitur hæc est opinio : Sciverit Eusebius, Paulum Samosatenum jussu Aureliani sede pulsum, postquam judicio synodi Antiochensis exauctoratus antea fuisset; ignoraverit deinde, quo anno Dionysius ex B hac vita decesserit, qui solus est character, ex quo tempus concilii utcumque ex epistola synodica determinari potuit. His positis, nihil erat pronius, quam ut illud ad Aureliani tempora revocaret; quippe per quem ejus decreta ultimum, ut aiunt, effectum sortita sunt, depositione Pauli executioni mandata. Ignota vero fuisse Eusebio Dionysii, uti aliorum plurium Pontificum, tempora, vel inde palam est, quod Xysti Pontificatui annos octo tribuat in Chronico; eidemque in Historia, ut mox vidimus, undecim; cum non nisi totidem menses et dies insuper aliquot sederit, ut probat Pagius ad annum Christi CCLVIII; Schelstratius tom. I Antiq. eccl. diss. II, cap. VII; ubi ex S. Firmiliani ad S. Cyprianum epistola ostendit, superstitem adhuc fuisse S. Stephanum Papam, Sixti II decessorem, anno CCLVI; indeque eruit vitium Catalogi Henscheniani, mortem Stephani notantis Coss. Valeriano III, et Gallieno II, pro Valeriano IV, et Gallieno III; ex quo vitio secutum est aliud, quo Sixto duo anni ad menses undecim adjecti sunt. Dionysio C vero dat Eusebius in Chronico annos duodecim; in Historia autem, loco jam adducto, novem.

nempe ignorantia chronologiæ Pontificiæ.

106 At lib. VII, cap. XXX in fine, cum de sexennio Aureliani, alteroque sexennio Probi, Cari, filiorumque ejus, ac tandem Diocletiani ac sociorum ejus imperio meminisset, ita subdit : *Quorum temporibus* (Diocletiani et sociorum) *maxima illa nostrorum persecutio, simulque ecclesiarum eversio perpetrata est : ceterum paulo ante hæc tempora* (μικρῷ τούτου πρότερον) *mortuo Dionysio* etc. Qui locus, fateor, ambiguus est : nam si τούτου referatur ad aliquid Aureliano aliquanto posterius, poterit error esse gravior quam in Chronico, ubi Dionysii tempora tantum extendit usque ad annum I Probi imp.; sin τούτου referatur ad omnia quæ præcedunt usque ad persecutionem Aureliani; etiam sic Dionysium in vivis recenset usque ad annum circiter Aureliani quartum, Christi CCLXXIII; sibique adeo, ut modo ostendimus, iterum contradicit. Imo vero cap. XXXII dat Felici, Dionysii successori, annos V; ita tamen, ut quintum annum vix inchoaverit, ut constat ex Chronico, ubi eodem anno Eutychiano successor adscribitur Gaianus, id est, D Cajus; adeo ut ne cum Eutychiano quidem Felix totos quinque annos expleverit. Eutychiano dat menses vix X, Cajo annos XV. Marcellini autem temporibus (anno ejus VIII in Chronico, Diocletiani XIX, uti etiam habet Historia lib VIII, cap. II, Christi CCCIII) assignat persecutionem Diocletianeam. Non quæro, vera hæc, an falsa sint; sed hos annos congeri volo. Erunt, opinor, ut summum XXVIII, qui si tollantur a CCCIII, residui erunt CCLXXV, quo anno juxta Eusebium vivere adhuc debuerit S. Dionysius; et ne vacationes interjecisse putetur, inspice Chronicum, quod hic historiæ accurate consonat; nisi quod Eutychiano menses non plus octo concedat, in historia vero, lib. VII, cap. XXXII, *vix decem;* cum re vera seder annis octo. Manifestum est itaque, perspecta nequaquam Eusebio fuisse tempora Dionysii; neque proinde etiam habiti Antiochiæ postremi contra Paulum concilii, neque excommunicationis ac depositionis ejus, neque substitutionis Domni. Merito igitur, misso Eusebio, epistolam ipsam synodicam sequimur, eam E certiori Pontificum Romanorum chronologiæ adaptantes.

Synodus eadem Antiochena non est etiam habita citius quam sub finem anni Christi 269.

107 Verum etiam hoc pacto aliud nihil hactenus evicimus, quam depositionem Pauli anno Claudii secundo, Christi CCLXIX exeunti, aut CCLXX ineunti posteriorem non fuisse. Restat, ut neque priorem fuisse demonstremus; ut, cum Eusebii Chronico, Pearsonio visum est. Docet id *Contestatio publice proposita a clericis Constantinopolitanis et publicata in ecclesia, quod Nestorius ejusdem sit sententiæ cum Paulo Samosateno, ante* CLX *annos ab orthodoxis episcopis anathemate condemnato.* Vide Labbeum tom. III Concil. col. 337. Scripta est hæc contestatio anno Christi CCCCXXIX, ut habet Pagius in Crit. Baron. ad an. Christi CCLXXI, num. 2 et CDXXIX, num. 15; Schelstratius vero tom. I, Antiq. eccl. diss. II, in serie chronol. ad annum Christi CCLXXI, ac Tillemontius nota 4 in Paulum Samos., illam referunt ad annum Christi CDXXX. Utcumque acceperis, demptis CLX a CDXXIX vel CDXXX, reditur vel ad annum Christi CCLXIX, quo Antiochiæ F postrema in Paulum synodus inchoata sit post mensem Octobrem (ut patet ex S. Firmiliani, cum in itinere esset ad hanc synodum, obitu, quem Græci in Menæis consignant die XXVIII Octobris,) vel ad annum Christi CCLXX, quo ineunte finita esse debuit. Ceterum rationibus hisce nostris chronologicis favent in Chronicis suis Hermannus contractus, Marianus Scotus lib. II, æt. VI, ad Quintilium imp., ubi et pro se Methodium citat; et Abbas Urspergensis, dum condemnationem Pauli imperio Claudii solius innectunt.

Paulus, licet depositus, toto biennio noluit loco cedere.

108 Ecclesiæ itaque Antiochensi, ab anno Christi CCLX ineunte ad CCLXX circiter inceptum, annis X ita dominatus est antistes hæreticus, ut ne maximæ quidem synodi auctoritate sic frangi potuerit, quin cœptam pridem tyrannidem toto in eam biennio, ut privatus, exercere perrexerit, quando usque ad victam Zenobiam, captamque ab Aureliano Antiochiam, pro patriarcha se gessit, quoscumque tandem subditos ac sequaces habuerit. Ex his collige, emendandum esse et Georgium Syncellum et, qui eum fere sequuntur

A tur, Nicephorum CP. et Catalogum Harlem. imo etiam Eutychium, dum annos tantum octo Samosateno concedunt. De Pauli hæresi, et unde nata, et quarum ipsa parens fuerit, sive in mysterio SS. Trinitatis, sive divini Verbi incarnationis, consule Dionysium Petavium Theologiæ dogmaticæ tom. II de SS. Trinitate lib. I, cap. VI, num. 6; sed præcipu tom. IV de Incarnatione lib. I, cap. III.

XVII. S. DOMNUS I.

Domnus Paulo subrogatus A. C. 269 exeunte, aut ineunte 270:

Quam durum accidit mihi, cum ab Eusebio recedendum est, tam in Domni patriarchatu suis limitibus includendo est necessarium: non enim in principio illius dumtaxat, quod jam ad annum Claudii imp. II, Christi CCLXIX elabentem, aut CCLXX vix initum diximus revocandum; verum etiam in fine statuendo Eusebius aberrat, saltem in Chronico; ubi anno Aureliani imp. I (Coss. Aureliano Aug. et Basso, ut est in Græco) B id est, Christi CCLXXI, Domno Timæum sufficit, in quo cum sequitur iterum S. Prosper in Chronico integro. Hoc pacto decessisse patriarchatu dicendus esset Domnus ante, quam expulsus per Aureliani sententiam ex possessione sua Paulus fuisset. Hoc vero historicos, ni fallor, plerosque offendit; Zonaram imprimis, qui Annal. lib. XII, § XXV, cum narrasset, qua ratione episcopi Paulum in synodo ecclesia cedere jusserint (ubi utitur itidem voce ἀπεκήρυξαν) ita subdit: *Recusantem apud Aurelianum, qui tum imperabat, detulerunt orthodoxi, qui cum decreto iis ecclesiam attribui jussisset, quibus Romani et Italici episcopi suffragarentur, Paulo per ignominiam pulso, Domnus successit*: Græce est: Ἐντεῦθεν ἀτίμως ἐξηλάθη τῆς ἐκκλησίας ὁ Παῦλος, καὶ ἀντεισήχθη Δόμνος; *inde ignominiose extrusus est ab ecclesia Paulus, et pro eo introductus est Domnus.* Supervixisse ergo Domnum testatur ejecto per Aurelianum Samosateno.

sedit usque ad 272 aut 273;

110 Eadem est Georgii Syncelli aperta sententia, ubi post Orientem domitum, reducemque inde Romam Aurelianum, adhuc C Domnum Antiochiæ agnoscit antistitem. Et quid alios commemorem? Ipse Eusebius lib. VII Hist. cap. XXX, quem, nisi Domnum, designare potuit, cui ecclesiam Aurelianus adjudicaverit? Scribit enim in hunc modum: *Igitur cum Paulus a recta fide simul et episcopatu excidisset, Domnus, ut dictum est, administrationem Antiochensis ecclesiæ suscepit. Sed cum Paulus e domo ecclesiæ nullatenus excedere vellet, interpellatus imperator Aurelianus, rectissime hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi præcipiens, quibus Italici Christianæ religionis antistites et Romanus Episcopus scriberent.* Solius Domni hactenus ab Eusebio facta erat mentio; nulla Timæi; de quo primum meminit cap. XXXII. Orientem autem anno primo imperii nondum adierat Aurelianus, nedum illum Zenobiæ, cui parebat unice, eripuerat; neque adeo Antiochiæ aut interpellari, aut jus dicere potuerat, cujus non ante annum imperii tertium, Christi CCLXXII, ut supra ex Pagio docui, potitus est.

111 Viderat id, credo, Tillemontius, cum (tom. IV Monum. ubi de S. Felice Papa) idem omnino de Domno post Aureliani edictum affirmat; recteque inde conjicit, expulso Paulo, Domnum in debita pridem sibi jura successisse anno Christi CCLXXII aut CCLXXIII, qui est Aureliani III aut IV; et tomo eodem in persecutione Aureliani art. I negat, id fieri potuisse ante finem anni Christi CCLXXII. Sed quomodo cum hac assertione componi possit alia, quam habet tom. V, ubi agit de S. Luciano Antiocheno, dicitque Domnum, deposito per synodum Paulo sub finem CCLXIX, non amplius duobus circiter annis præsedisse, itemque illa, quam ibidem proponit in indice materiarum: *Domnus episcopus Antiochenus anno* CCLXIX *usque ad* CCLXXI (remittit quidem ad notam 4 in S. Lucianum, ubi duas sententias proponit, sed nihil decidit; quod facit tamen locis citatis;) hæc, inquam, quo pacto componi possint, non satis equidem intelligo. Convenit hoc, fateor, cum Eusebii Chronico; sed vel propterea, ut contendi, longe probabilius deserendo. Adhærendum igitur (quando aliud nihil superest) Georgio Syncello atque Eutychio; qui, cum tres annos Domno indulgeant, facile usque ad E annum æræ vulg. CCLXXIII, qui Aureliani III et IV respondet, ejecto Samosateno supervixisse illum aliquamdiu, juxta historiographorum placita, patiuntur.

SÆCULUM III. cui sententiæ subscribit Tillemontius: sed sibi non constat:

favent et Martyrologi, qui Domnum hunc videntur accensere Martyribus

112 Mirifice huic sententiæ patrocinatur Franciscus Maria Florentinius in Martyrologio Hieronymiano ad diem II Januarii, ubi *Syridonum ejusdem loci* (Antiochiæ) *episcopum*, inter Martyres relatum, uti et ab Usuardo corrupto nomine *Isidorum*, eumdem hunc esse Domnum, Paulo Samosateno, propter hæresim damnato, a synodo episcoporum substitutum, defendit; de quo legerit Holstenius in Ms. Martyrologio serenissimæ Reginæ Succiæ, *Antiochiæ Syriæ, S. Donni episcopi ejusdem loci.* Vide ipsum Holstenium in animadversis ac Martyrol. Roman. editis Romæ MDCLXIII, et in epistola ad Florentinium, quam hic operi suo præfixit pag. 4. Eodem inclinant Castellanus in notis in Martyrologium Rom. ad II Januarii; Observationes ad Usuardum eodem die; atque ipse Tillemontius tom. IV Monum. de Paulo Samos. art. 5, et fusius tom. XV nota 29 in S. Leonem. F Sane si martyr fuit Domnus hic noster, omnino post ejectum ab Aureliano Samosatenum vixisse debuit; cum ante tempus illud Christianos imperator iste usque adeo persecutus non sit, ut iis potius, Eusebio teste lib. VII Hist. eccl. cap. XXX, impense faverit; et patet ex ipsa illa, qua Paulum rogatu episcoporum catholicorum ejecit, sententia. Ceterum qualis quantusque vir Domnus jam tum fuerit, cum ad hanc sedem innumerabilium fere episcoporum calculis delectus est, testatur ipsa epistola synodica verbis, quæ supra num. 88 descripta reperies; ubi brevi compendio virtutum ejus omnium summa continetur, talis utique, ut Sanctis merito annumerandus videatur.

XVIII. TIMÆUS.

Quemadmodum in Catalogo Harlemiensi Domnus, sic apud Georgium Syncellum Timæus nusquam apparet: utriusque tamen certa

SÆCULUM III.

Sedit ab A. C. 273 ineunte usque ad 280; juxta Eusebium et et S. Prosperum.

certa successio est, tum ex Eusebio in Chronico et Historia lib. VII, cap. XXXII; tum ex Nicephoro CP.; Eutychio, pag. 395, ubi eum appellat *Timotheum*; Zonara lib. XII, num. 30; Nicephoro Callisto lib. VI, cap. XXXIV, etc. Timæum Domno subrogatum esse anno Aureliani III, Christi CCLXXIII vix delibato, apparet ex numero præcedenti; siquidem Domnus extinctus est II Januarii, anni utique CCLXXIII: nam Januario mense anni CCLXXII nondum Syriam Aurelianus attigerat. Serius autem, quam anno Christi CCLXXIII, Domni decessum collocare nulla me sinit auctoritas. Quod ad obitum Timæi attinet, nihil cogit ab Eusebii Chronico dissidere; neque adeo id licet: nam Syncellus manifeste corruptus est; primum quidem, quia Timæum expungit; præterea quia, cum Cyrillo, Domnum, ut ipse putat, statim secuto, annos adnotet solos XV, ac deinde B. Theophanes, cui Chronographiam suam perficiendam moriens commendaverat, Tyranno XIII; collecti illi XXVIII, additique CCLXXIII, non conficiunt nisi annos CCCI: defunctus ergo Tyrannus fuerit biennio ante persecutionem, anno CCCIII a Diocletiano suscitatam, quod est contra Eusebium in Hist. lib. VII, cap. XXXII, ubi sic ait: *Post Cyrillum Tyrannus episcopatum Antiochensis ecclesiæ suscepit: cujus tempore ecclesiarum vastatio maxime viguit.* Nicephorus patriarcha CP. Timæum sedisse scribit annos X, Cyrillum XV, tum Tyrannum; junge annos Timæi ac Cyrilli; erunt XXV; qui juncti annis CCLXXIII dant annum CCXCVIII, Diocletiani XIV et XV, quo cœperit patriarchatus Tyranni; quod Eusebio repugnat in Chronico Græco ac Latino, omnibusque, ut num. seq. dicetur, exemplaribus.

contra recentiores.

114 Quis autem hic non credat Eusebio, cum ea scribit, quæ suis ipse oculis spectare potuit, ignorare jam adultus rerumque ecclesiasticarum avidus indagator non potuit? Gravius impingit Eutychius, et auctor Catalogi Harlemiensis: et hic quidem, quia Domnum præteriit; uterque vero, cum tres tantum annos Timæo, et XV Cyrillo attribuit, quibus si adjeceris XIII Tyranni, imo undecim (totidem enim Tyranno, quem Eurim vocat, assignat Eutychius,) toto amplius decennio a Chronico Eusebiano aberrare comperies; cujus auctoritas si uspiam ulla sit, hic certe maxima esse debet; quando ceterorum omnium rationes, multis post sæculis initæ, ab iis dissonant, quæ sua ipse ætate per Orientem imprimis, ubi agebat, facta commemorat. Neque obest, quod illud ipsum Chronicum non nisi ab Hieronymo versum et amplificatum accepimus: nam et S. Hieronymi perspecta fides est, ut nihil temere immutaverit, quamvis non nulla addiderit; et nota antiquitas, ut Chronicum ab Eusebio elaboratum multo sincerius habuerit, quam sæculo demum octavo Syncellus aliive posteriores. Hoc itaque duce Timæi episcopatum ad annum usque Abrahami MMCCXCVII juxta editionem Pontacenam, Probi imp. quartum, producimus, Coss. Messala et Grato, ut habet Græcum; uti et Chronicum integrum S. Prosperi Aquitani; id est, Christi CCLXXX: is enim ad medium usque Aprilem Probi quartus fuit, cetera quintus; quamquam Eusebii more totus pro quarto notetur. Erraverit, credo, eruditus Pagius in Crit. anno Christi CCLXXXIII, num. 8, ubi Baronium corrigens, Timæi episcopi Antiocheni obitum ad annum CCLXXXI ex Eusebio in Chronico retrahendum esse dicit. Certe is annus nulla ex parte fuit Probi quartus, quem tamen Chronici exemplaria omnia exhibent, teste Pontaco in notis hic. Suspicor, a Pagio quartum Probi consulatum pro quarto imperii anno temere acceptum esse. Ab initio igitur CCLXXIII præfuit annis admodum septem, sed utrimque completis. Aliud de Præsule hoc nihil apud antiquos notatum invenio, nisi quod illi Eusebius Hist. lib. VII, cap. XXXII, successisse sua memoria Cyrillum affirmet.

XIX. S. CYRILLUS.

S. Cyrillus præfuit ab A. C. 280 usque ad 300 juxta Eusebium, et S. Prosperum.

Satis jam, opinor, numero superiori persuasimus, unius Eusebiani Chronici fidem per hæc tempora ceterorum omnium calculis præferri oportere. Cyrillus itaque Timæo in patriarchica dignitate suffectus est anno Probi imp. IV, id est, Christi CCLXXX; in quem Probi annum quartum omnia, ut modo dicebam, conspirant exemplaria. At non eadem inter illa de Antistitis hujus fine, Tyrannique successione concordia est: nam Pontacus ea reducit ad annum Diocletiani XVI, hoc est, Christi CCC, et pro eo faciunt Eusebii Chronica Victorinum, Oisellinum, Fabritianum, itemque Valcellense nostrum ac vulgata quædam; favetque Marianus Scotus; sed omnium maxime Chronicum S. Prosperi integrum, tum in vetustissimo codice nostro, tum a Labbeo editum parte I ad Coss. Constantium III et Maximianum III, id est annum Christi CCC, qui juxta Eusebii imperatores putandi modum debet esse Diocletiani XVI. Annum Diocletiani XVII delegit in editione sua Aubertus Miræus, cui adstipulatur apud Vasatensem Ms. codex Pithœanus, et in Chronico suo Onuphrius Panvinius. Saliger in utraque editione tum Græca tum Latina annum Diocletiani XVIII prætulit, cui præiverat, apud Pontacum, Ms. Lodonense, Petavinum, Fabritianum excusum Basileæ MDXXIX plurimis et variis lectionibus ditatum, quibus accedit Hermannus Contractus. Annum denique Diocletiani XIX apud eumdem Pontacum, solum habet Ms. Fuxense.

qui editum a Pontaco Eusebii Chronicum hoc loco confirmat.

116 Atque hæc quidem sunt omnia, in quibus tum vulgati tum Mss. codices de hocce tempore inter sese disceptant; nullusque proinde cum Nicephori CP., ut num. superiori notabam, chronologia consentit. Difficile tamen est germanam in tanta diversitate Eusebii atque Hieronymi sententiam discernere. Ego Pontaci editionem ceteris anteferre non dubito, tum quod nemo alius aut tot habuit codices, aut quanti eorum quisque valeret, dijudicare securius potuit; tum etiam quod ad momenta, quibus illustrissimus auctor ad annum Diocletiani XVI exprimendum impulsus est, non leve pondus accedat a pulcherrimo codice nostro Valcellensi Ms. quem ipse non viderat; et multo insuper gravius a Prosperi Chronico, quod nemo

nemo integrum, ante Labbeum in nova Bibliotheca Mss. Librorum tom. I, pag. 16, in publicam lucem eduxerat. Quamobrem sedisse Antiochiæ S. Cyrillum puto ab anno Christi CCLXXX usque ad CCC, hoc est, annis universim XX.

S. Cyrilli elogia et Acta, de quibus nihil Eusebius.

117 Hujus memoriam in sacris Fastis ad diem XXII Julii Martyrologium Romanum commendat his verbis: *Antiochiæ, sancti Cyrilli episcopi, doctrina et sanctitate conspicui.* Baronius vero in notationibus sic habet: *De eo hac die Beda* (vulgo, sed falso nuncupatus.) *Adscribitur hic decimus nonus ejus sedis. episcopus.... Habentur ejus Acta juncta illis sanctorum Claudii et Nicostrati, quæ ex antiquis codicibus edidit Mombritius tom. I; ubi scribitur, ipsum ob Christi fidem passum, ac tandem in carcere Deo spiritum reddidisse.* Sed ea fatetur, not. 2 in diem VIII Novembris, *in nonnullis esse corrigenda;* hinc forte martyrem Cyrillum appellare ausus non est. Meminit illius etiam Ado sexto Idus, seu die VIII Novembris; sed nec Cyrilli martyrium attingit; nec Pannoniam, ubi in carcere obierit; sed ea quæ narrat, quasi Romæ sint facta, proponit; cetera quæ habet illo die, Acta sunt Mombritiana in epitomen contracta; de quibus agi poterit in Actis nostris tum XXII Julii, tum præcipue VIII Novembris, ubi de SS. Claudio, Nicostrato, Symphoriano etc., qui alii videntur ab illis, de quibus actum est VII Julii. Vide interim breviter Tillemontium tom. IV Monum. not. 4 in S. Sebastianum.

Dorotheus patriarcha non fuit, aut Cyrilli successor.

118 Mirandum sane, si vera sunt Acta Mombritii, aut de Sancto hoc nostro intelligenda, Eusebii de illis altissimum ubique silentium, cum et Timæo Cyrillum sua ætate successisse, et XX saltem annis deinde præfuisse, testetur. Ne vero quis eum putet in Antiochensi ecclesia peregrinum omnino, hisce saltem temporibus, aut hospitem fuisse et ignarum, subdit lib. VII, cap. XXXII: *Sub hoc* (Cyrillo) *Dorotheum virum doctissimum Antiochenæ tunc ecclesiæ presbyterum, cognovimus* etc. Quæ verba occasionem forte quibusdam præbuerunt, ipsum illum Dorotheum inter patriarchas Antiochenos, quasi qui Cyrillo successerit, reponendi: quod faciunt Marianus Scotus in Chronico excuso, Theodoricus Pauli in Ms., Petrus de Natalibus in Catal. Sanctorum lib. XI, cap. VII. Sed perperam et contra omnes antiquos, ipsumque Eusebium jam citatum, qui post paucula Dorothei elogia, hæc habet: *Post Cyrillum vero Tyrannus in Antiochensis ecclesiæ episcopatum successit.* De hoc Dorotheo consule Acta nostra tom. I Junii, pag. 434 in Comm. Hist. ad S. Dorotheum episcopum Tyri, § I, ubi et alios de illo errores deteges.

SÆCULUM IV.

XX. TYRANNUS.

Sedit ab A. C. 306 usque ad 313:

Tyranni ad Principatum Antiochensis ecclesiæ promotionem jam satis, opinor, probabiliter ad annum Diocletiani imp. XVI, Christi CCC, defiximus. At quamdiu illum exercuerit, silente imposterum Eusebio, aliunde inquirendum est; nam Chronici continuator S. Hieronymus dum plurimos in unum patriarchas congerit, nullius tempora definit; ne ipsius quidem Tyranni: quippe quem locat cum ceteris ad annum Abrahami MMCCCXLV, cujus initium incidit in annum Christi CCCXXVIII; cum certum sit ex dicendis infra, inter annum illum et Tyrannum plures fuisse ejus successores. Idem dictum puta de S. Prosperi Chronico integro, in quo descriptum magna ex parte invenies hunc locum Hieronymi sub Coss. Januario et Justo, hoc est ad eumdem annum Christi CCCXXVIII. Annos XIII notant cum Nicephoro patriarcha Theophanes, ut supra dictum est, et Catalogus Harlemiensis, itemque Zonaras lib. XII, num. 34, quorum testimonium juxta chronologiam nostram pene certum facit Theodoretus Hist. eccl. lib. I, cap. II (in editione Sirmondi,) cum ita scribit: *Antiochiæ vero post Tyrannum, cum ecclesiis jam reddita pax esset* (Græce τῆς τῶν ἐκκλησιῶν ἀρξαμένης εἰρήνης *ecclesiarum pace cœpta*, seu *primum restituta*, ut vertit Valesius) *episcopatum obtinuit Vitalis.* Idem asserit Nicephorus Callist. lib. VIII, cap. VI: imo et Nicephorus CP., dum post Tyrannum hæc notat: *Hactenus gentiles imperatores et Christi persecutores.* Tum ubi sequentibus patriarchis hunc titulum præfigit: *Universi patriarchæ post Christi fidem ab imperatoribus receptam, sunt isti:* XXI *Vitalis* etc.

quando, cœpta ecclesiarum pace, obiit.

120 Pax autem ecclesiarum in Oriente cœpta demum est, saltem serio et absolute, anno Christi CCCXIII (ut contra Baronium probat Pagius ad annum Christi CCCXII, num. 26, et ad CCCXIV, num. 6 et seqq., et Tillemontius tom. V Monum. de perfec. Dioclet. art. 46 et 47) post affixum Nicomediæ a Licinio die XIII Junii edictum de restaurandis ecclesiis, eodem anno Mediolani conditum, quod non longo intervallo Maximini dignissimus tam immani tyrannide interitus consecutus est. Anni igitur XIII Tyranni, ab anno Christi CCC ducti, in pacem ecclesiarum jam cœptam desinunt; nec eos proinde contra Eutychium dubitamus adstruere. Exinde etiam patet, falsum id esse, quod apud Theodoricum Pauli, nescio quo ex fonte, de martyrio ejus narratum inveni; siquidem in ecclesiarum pace conquievit; nec usquam inter martyres in Fastis aut historia recensitus apparet. Non diffitendum est tamen, quin martyrio multiplici graviora perpessus sit, qui toto decennio dirissimis cruciatibus mutilari, torreri, discerpique impune gregem summo ipse semper in discrimine positus pastor conspexerit. Vide Eusebium a lib. VIII, cap. XII.

XXI. VITALIS.

Sedit ad A. C. 313 usque ad 318 inchoatum:

Demortui Tyranni infulas impositas esse Vitali, post Hieronymum in Chronico ceteri omnes, quos § superiori dedimus, asserunt; ex quibus et annum Christi CCCXIII elicuimus, quo id acciderit. Nec vero minor est in tempore, quo dignitatem illam administraverit, assignando concordia: de sexennio enim omnes conveniunt, Nicephorus CP., Theophanes, Eutychius, Zonaras loco prædicto

SÆCUL. IV.

dicto, Catalogus Græcus Harlemiensis, qui hic desinit; sed nihil habent antiquiores; nec ipse Hieronymus in Chronico; non omissurus; credo, si annos Vitalis divinare potuisset. Sequitur tamen recentiores illos Tillemontius tom. VI Monum. in Vitale et S. Philogonio ubi dicit circa annum Christi CCCXIX hunc illi successisse; sed si hæc ita velit intelligi, ut non nisi in fine anni CCCXVIII vel initio sequentis successio illa contigerit, sudabit, opinor, qui eam cum ecclesiæ, de qua mox, instauratione a Philogonio absoluta volet componere. Contra Card. Baronius ad an. Christi CCCXII, num. 91: *Quod autem spectat ad tempus sedis ejus* (Vitalis,) *haud possumus,* inquit, *Nicephori Chronicum sequi, in quo annis sex ille sedisse ponitur*: Sed *post celebrata Ancyranum et Neocæsariense concilia,* ait ad an. Christi CCCXIV, num. 92, *Vitalis episcopus Antiochenus, qui utrique interfuit* (imo et verisimilius utrumque indixit, et utrique præsedit, cum utrique primo loco subscripserit, vide Concilia Labbei tomo I, col. 1475, B 1478, 1488, 1490) *haud diutius superstes fuit.*

licet aliter Baronio visum sit.

122 Ancyranum autem concilium haud dubie ex illis est, de quibus meminit Eusebius Hist. lib. X, cap. III, quæque Maximini persecutionem ac mortem statim sunt secuta; siquidem priores ejus 9 Canones eo unice collimant, ut statuant, quid iis faciendum sit, qui cum in persecutione quocumque modo ethnicæ aut vi, aut terrori cessissent, continuo, illa cessante, ad Ecclesiæ gremium supplices convolarent. Coactum ergo illud volunt Baronius, Binius in notis ad illud tom. I Concil. Labbei, col. 1477, Labbeus ipse in Chronologia, et passim alii omnes, anno Christi CCCXIV, circa Pascha, ut colligunt ex Can. VI. In eumdem annum conferunt Neocæsariense; quia iidem fere omnes episcopi utrique interfuerunt, quasi suppleturi, teste Baronio, ea quæ in Ancyrano fuerant prætermissa. Labbeus tamen in Chron. hist. an. Christi CCCXV, dicit esse, qui ad illum annum CCCXV istud revocent, quo et S. Philogonium Vitali successisse Baronius autumat, num. 93. Habet Eminentissimus auctor, cur ita statuat; quippe qui pu- C tarit, Licinium anno sequenti, Christi CCCXVI, furere in Christianos per Orientem cœpisse: nam omnino ante persecutionem illam patriarchatum suscepisse Philogonium necesse est; quandoquidem, juxta Theodoretum Hist. eccl. lib. I, cap. II (Valesio est cap. III) cœptam restaurari a Vitali in Palæa ecclesiam consummavit; quod, conspirantibus jam ubique in orthodoxorum perniciem cum impiissimo tyranno paganis atque ecclesias Dei, teste Eusebio lib. II de Vita Constant. cap. II, alias solo æquantibus, occludentibus alias, tentare neutiquam potuisset.

neque enim recusandum ei videtur sexennium a S. Nicephoro aliisque concessum;

123 Ego nihil video, quod a S. Nicephoro aliisque jam adductis cogat recedere, saltem huc usque: nam si anni illi sex sumantur, ut sæpe solent, incomplete ex utraque parte, ita ut annus Christi CCCXIII dicatur Philogonii primus, et Christi CCCXVIII jam tum ab initio, Philogonii sextus; annum relinquunt integrum ante persecutionem ædificio in Palæa, cui forte pauca deerant, consummando; quod ad explicandum Theodoretum abunde sufficit; certe nihilo plus temporis in sua hypothesi dat ipse Baronius. D Dixi annum integrum ante persecutionem: nam eam ante anni Christi CCCXIX exordium inchoatam non esse, demonstrat Pagius in Crit. Baron. ad an. Christi CCCXVI, a num. 6, et ante eum Petavius de Doctr. Temp. lib. XIII, Labbeus Chron. hist. etc., quibus favet Prosper in Chron. apud Labbe, consules notans Constantinum V et Licinium Cæsarem: non tamen continuo ut in Bithynia, ubi Licinius tum agebat (vide Acta S. Theodori Ducis tom. II Februarii, pag. 29,) nata est credibile est eam usque in Syriam deflagrasse; cum et Pontum paulo serius attigerit; ut conjicere licet ex martyrio S. Basilei XXVI Aprilis in Actis Sanctorum, de quo etiam consule Pagium loco citato.

124 Neque obest (quæ alia Baronii ratio est) quod S. Chrysostomus tom. I, hom. XXXI, pag. 399 apud Ducæum, de S. Philogonio, episcopatum post Vitalem adeunte, dicat: *Res tum erat multæ difficultatis, cum nuper* (ἄρτι) *esset sedata* (Maximini et præcedentium tyrannorum) *persecutio, manentibus etiamnum gravissimæ tempestatis illius reliquiis,* E *cumque negotia plurimam desiderarent correctionem.* Quis enim non videat, quantam *nuper* illud latitudinem patiatur; maxime si tempus respicias, quo a Chrysostomo hæc dicta sunt? Nam quod sexennio et amplius postea reliquiæ gravissimæ istius tempestatis remanserint sive in hominibus, sive in dirutis ecclesiis etc., apertius est, quam ut probari debeat; et hoc ipsum asserimus, dum a Philogonio ultimam perficiendo in Palæa templo manum dicimus admotam fuisse: neque enim dubium esse potest, quin illud ante alia multa sit instauratum; quando tam eximia præ ceteris religione colebatur, ut ex S. Chrysostomo ac Theodoreto Tillemontius supra citatus ostendit. Quantam autem negotia etiam tum correctionem requirerent vel ex iis manifestum est, quæ concilium Ancyranum Canonibus variis in posterum circa lapsos in persecutione, eosque qui bona ecclesiastica distraxerant, servanda præscripsit. Nihil igitur vetat Vitalis episcopatui post auctores jam memoratos sexennium ea, quam F dixi, ratione consignari. Ceterum quantopere res Ecclesiæ cordi Vitalis habuerit, facile quivis ex iis, quæ hic dicta sunt, æstimabit: nam reliqua ejus Acta nos latent.

quibus non repugnat S. Chrysostomus.

XXII. S. PHILOGONIUS.

Quibus auctoribus patriarchatum sexennem Vitali vindicandum putavimus, iisdem (si Catalogum Harlemiensem excipias, qui jam desiit) nec S. PHILOGONIO quinquennem denegari posse, contendimus: tot enim annos notat S. Nicephorus in Chronico, S. Theophanes pag. 9, Zonaras Annal. lib. XII, num. 34, Eutychius pag. 431: hic patriarcham hunc *Philonicum*, illi *Philogenem* nuncupant. Refert tamen, quamvis hoc alioquin arbitrarium sit, integros illos hic, an mutilatos accipias: nam si integros numeres ab anno Christi CCCXVIII non admodum provecto, ad annum Christi CCCXXIII itidem aliqua parte inchoatum devenies, quem sibi potissimum

Sedit S. Philogonius ab A. C[hristi] 318 usque ad [fi]nem 322;

A potissimum Tillemontius nota 2 in S. Philogonium deligit; ai si inde tantum abstuleris, quantum est retro usque ad diem xx præterlapsi Decembris, in anno Christi CCCXXII consistes: illo etenim die ad superos evolasse Philogonium, ex Chrysostomo in homilia, num. præcedenti assignata, compertum est. Posteriori huic modo nihil valde incommodat; placetque adeo magis, tum quod aliquanto frequentius videtur usitari, tum etiam quod iis, quæ de successore dicenda sunt postmodum, spatii plusculum indulget; denique illo etiam Tillemontius usus est, loco citato: nam cum illum sua computandi ratio ad annum Christi CCCXXIV deduceret, maluit aliquid amputando ad CCCXXIII retrocedere. At si priorem adhibeas modum, simulque victum dicas a Constantino Licinium anno tantum Christi CCCXXIII; laborabis in Sozomeno, non secus ac Tillemontius; ut num. 140 videbitur.

juxta sententiam probabiliorem.

126 Atque in hac temporum ratione verendum non est, quod in quavis alia (etiam Pagii ad an. Christi CCCXIX, num. 7, ubi mortuum asserit Philogonium anno circiter CCCXXI;) B ne aut nullam sequi auctoritatem videamur; aut eam, quam sectamur, auctoritas historiæ vetustioris major infirmet. Ita cum Chrysostomo hom. citata commode dixeris, *hæreticorum* (Arianorum) *factionem sub illo* (Philogonio) *natam negotium ei exhibuisse*: tametsi enim Arius jam tum a S. Alexandri ad patriarchalem Alexandriæ cathedram, quam superbus ille frustra dudum ambierat, evectione, id est, ab anno Christi circiter CCCXIII, conceptum invido sinu virus fovebat; tegere tamen illud tam caute noverat latenterque diffundere; ut tum primum nata ejus hæresis videri debeat, cum Alexandrinæ geminæ synodi decreto damnata, litterisque synodicis tum ad S. Alexandrum episcopum CP., tum ad ipsum S. Philogonium, ad S. Eustathium item, episcopum tunc Berœensem, aliosque apostolicorum dogmatum patronos, ut est apud Theodoretum lib. I, Hist. cap. III, aliisque subinde ad omnes Ecclesiæ catholicæ præsules destinatis ab Alexandro, Alexandrinæ ecclesiæ, cui præerat, acerrimo C defensore ex Ægypti tenebris in apertam ecclesiarum omnium lucem protracta est. Quæ omnia non ante annum Christi CCCXX, aut CCCXXI, hoc est, Philogonii tertium aut quartum, contigisse, evincit Pagius in Crit. ad annum Christi CCCXV, a num. 6 asque ad anni finem. Jam de Licinii tyrannide cujus temporibus, teste Theodoreto lib. I Historiæ cap. II, *in veritatis defensione singulare studium Philogonius declaraverit*, quid opus est disserere? Cum illa, ut superius vidimus, ab anno Christi CCCXIX, hoc est, Philogonii secundo, exorta satis ei temporis ac materiæ præbere potuerit, ut singulare illud suum veritatis defendendæ studium declararet. Quid vero aliud argumenti adversus chronologiam hanc nostram afferri possit, quod locis a me indicatis non dissolvatur, discam equidem perlibenter.

[illegible] S. Philogonii tum matrimonio juncti, tum postea episcopi.

127 Qualis vero quantusque præsul hic fuerit, homilia paulo ante indicata Chrysostomus ostendit; ubi sic præfatur: *Quænam igitur oratio par sit viri laudibus, quem Deus tam felici sorte dignatus est? Non est ulla.* Quippe etiam in sæcularis vitæ instituto hominem se prorsus eximium et ad summa quæque natum probavit: ut adeo cum Deus ipse ad Antiochensis ecclesiæ principatum suo suffragio designaverit: nam *quod elegerit illum Deus*, inquit S. Chrysostomus, *vel ex ipsa morum integritate perspicuum est; quippe quem e medio abreptum foro* (ubi causarum patronum agebat) *ad thronum hunc evexerit. Adeo castam et insignem prius egit vitam etiam tum, cum uxorem haberet* (καὶ γυναῖκα ἔχων; Menæa habent: καίτοι γυναῖκα ἔχων, *tametsi uxorem haberet;*) *et filiam, et in forensibus negotiis versaretur; adeo solem ipsum splendore vicit, ut statim a judiciorum tribunali ad sacrum tribunal evectus sit: mortua* videlicet *uxore*, ut est in Menologio Græcorum apud Ughellum tom. VI; et quamquam id non dicat Chrysostomus; non tamen etiam *valde clare*, ut vult Tillemontius nota I, *contrarium asserit.*

128 Factus antistes ita muneris tam ardui partes omnes explevit, ut illum nec paganorum sub Licinio rabies, de qua lege Eusebium Histor. lib. x, cap. VIII et alibi, nec artes hæreticorum a constantissimo veritatis gregisque E defendendi studio adeo avocarint, ut accenderint potius plurimum. Audi ipsum Arium, cujus atrocissima in eum convitia, luculenta sunt hujus Patriarchæ præconia: *Quoniam vero*, inquit in epistola ad Eusebium Nicomediensem apud S. Epiphanium hær. LXIX, et Theodoret. Hist. eccl. lib. I, cap. IV, *Eusebius frater tuus Cæsareæ, et Theodosius et Paulinus et Athanasius et Gregorius et Aëtius, et Orientales omnes* (dignum hæresiarcha mendacium!) *Deum asserunt sine ullo principio ante Filium existere, anathemate damnantur, excepto Philogonio* (en primo loco, tamquam sibi infensissimum appellat) *Hellanico, Macario, hæreticis, ac rudimentorum fidei ignaris hominibus, qui Filium partim eructationem, partim ingenitam productionem appellant. Quorum quidem impiorum voces ne auribus quidem admittere possumus; etiamsi mille nobis mortes ab hæreticis intententur.* Ita Vir hic, cujus eximiis dotibus Os illud Aureum parem orationem invenire non poterat, per infamiam et bonam famam viam sibi ad cælum muniit, ad quod evocatus est, ut jam dicebam, die xx Decembris, quo die festa F ejus memoria apud Græcos ac Latinos quotannis celebratur.

XXIII. PAULINUS I.

Trium Paulinorum apud scriptores confusio:

Iter hinc jam ingredimur tenebris tam crassis obsitum, tot implexum ambagibus; ut ne oculatissimis quidem, quod per decursum patebit, non exerrare licuerit. Ut a Paulinis exordiar; cum tres, iidem quidem nomine, re ipsa tamen inter se plane diversi, hoc sæculo Antiochiæ præfuerint, mira passim apud auctores oborta confusio est. Primum cum secundo confundit, apud Valesium annot. in Euseb. Hist. eccl. lib. x, cap. II, Montacutius, uti et Hankius apud Pagium Crit. Bar. an. CCCXIX, num. 9; secundum cum tertio Gothofredus in indice ad Philostorgium; imo omnes in unum, dissert. in lib. III, cap. XV ac XVIII. Primum Hieronymus aliique agnoscunt, non secundum; secundi Philostorgius et alii meminere, at non item primi

SÆCULUM IV.

mi (quamquam hoc mirum non est in Philostorgio; cum nullum ante S. Eustathium nominet, nisi S. Babylam ratione reliquiarum ejus : vide Gothofredum diss. in lib. III, cap. XV :) utrumque jam recentiores admittunt aliqui; utrumque olim Theodoretus expunxit. Nec dispar quoad alios aliaque ubique contentio est ac perturbatio; quæ omnia, tum quid de iis censendum existimem, suis quæque locis ostendam. Nunc id ago, ut Paulinum Philogonio ita substitutum demonstrem, ut nemo alius intercesserit; ita suis exhibeam characteribus insignitum, ut a duobus aliis, de quibus agendum erit postea, nullo negotio discernatur; ita denique rem hanc modo partiar meo, ut eam viris eruditissimis, a quibus eruderata est operose, acceptam ultro referam; non nulla tamen, ubi erit facultas, inventis additurus.

quorum unus hic successit S. Philogonio.

130 PAULINUM statim Philogonio successisse, manifeste tradit S. Hieronymus in Chronico his verbis : *Post quem* (Vitalem) *vigesimus primus* (numeros Eusebii prosequendo) *Philogonius. Cui succedit vigesimus secundus Paulinus; post quem vigesimus tertius Eustathius* etc. Idem aut asserit, aut supponit Sozomenus (ac proinde conciliabulum episcoporum Orientalium Sardicense anno CCCXLVIII in epistola synodica, de qua istic agit) lib. III, cap. XI, in quod vide annotationes Valesii. Idem ipsis Hieronymi verbis Prosper Aquitanus in Chronico integro apud Labbeum. Idem subinde S. Nicephorus in Chronico ubi eum appellat *Paulum*; S. Theophanes ad an. Incarn. CCCI; Eutychius, quamquam *Apollinium* illum nominat, pag. 431; Hermannus Contractus; Marianus Scotus in Chronicis; Zonaras lib. XII, num. 34; Nicetas Choniata Thesauri lib V, cap. VI : et quid scriptores modernos commemorem, quorum plurimi ac præcipui quique, Baronius, Petavius, Labbeus, Pagius, Tillemontius etc. in hanc sententiam descenderunt?

male omissus a Theodoreto.

131 Quis vero post hæc audiendum hic lib. I, cap. VI, et ad calcem ecclesiasticæ Historiæ, Theodoretum putet, unum hic ex omnibus Paulino renunciantem? Enimvero quantumcumque ei tribuendum alibi censeam; hoc tamen loco patrocinari non possum; ubi non primum hunc modo Paulinum, verum etiam secundum extrusit, in quo et ipsum sibi ecclesiasticæ historiæ patrem Eusebium, ut postea videbitur, adversarium conscivit; atque adeo neminem (si unum exceperis, et quidem oppido recentem, Nicephorum Callistum lib. VIII, cap. XIV et XLV) seu veterem, seu juniorem aut secutus ipse est, aut sequacem habuit; cum alterum saltem e duobus hisce Paulinum omnes admiserint : nisi forte sacra diptycha consuluerit, e quibus erasum fuerit Paulini prioris, utpote episcopatu dejecti, nomen. Quod si ita est, veniam potius, quam fidem merebitur Nam quod secundum omiserit, non adeo mirum est : quæcumque enim illius prætereundi causa fuerit, certe non temere factum credi debet, quod alii plures nec minus graves sibi faciendum putaverint.

et diversus a Paulino Ariano;

132 Jam vero alium prorsus hunc esse Paulinum ab eo, quem secundo loco proponam, quique a sede Tyria ad Antiochenam translatus sit, hoc ipso citati jam auctores evidenter asserunt, quod eum sanctos inter Philogonium et Eustathium, adeoque ante concilium Nicænum, collocant : cum dubitari non possit, quin illi concilio, tamquam episcopus Antiochenus, non nisi unus interfuerit S. Eustathius; ut adeo vel jam tum inter mortuos necesse sit Paulinum Tyrium reponere, vel causam afferre, quæ abdicato Antiochiæ patriarchatu, ad sedem Tyriam, quam pridem tenuerat, reverti eum coegerit; hoc ex historia numquam quisquam eruet; illud, imo utrumque, manifeste negat Philostorgius lib. III, cap. XV, ubi eum, Antiochiam ab ephoria Tyri traductum, immediatum facit Eulalii, de quo postea, decessorem. Quid, quod ipsi synodo Nicænæ Paulinus Tyri episcopus inter eos adstitit, quibus synodi decreta non arriserint? Id certe non modo idem Philostorgius, sed et Theodorus Mopsuestiæus affirmat apud Nicetam Thesaur. Orth. lib. V, cap. VII. Idem testatur Theodoretus eccl. Hist. lib. I, cap. VI, ubi sic ait : *Pauci tamen quidam, quorum supra* (cap. IV in fine) *memini . . . . suscepto Arii patrocinio, apostolicæ doctrinæ refragati sunt. Quin etiam fidei formulam, quam dictarant, obtulerunt concilio* etc. Inter eos vero, quorum loco citato meminerat, tertius erat *Paulinus Tyri.*

qui Tyriam sedem longe posterius deseruit.

133 Plus aliquid habet Sozomenus lib. II, cap. XIX : *Congregata,* inquit, *Antiochiæ synodo* (aliquot annis post Nicænam) *Eustathius episcopatu Antiochensis ecclesiæ exuitur : re ipsa quidem, sicut major pars asserit, eo quod Nicæni concilii fidem adstrueret, et Eusebium Pamphili, Paulinum Tyri episcopum ac Patrophilum Scythopoleos . . . . tamquam Arianos aversaretur, palamque accusaret : specie vero* etc. Vixit ergo, et quidem Tyri episcopus, Paulinus ille, etiam usque ad ejectum Eustathium : vel igitur de illo Paulino intelligi non possunt adducta superius testimonia; vel ostendendum, ut ante dicebam, cur, et quo tempore a sede Tyria ad Antiochenam, rursusque ab Antiochena ad Tyriam, atque ab hac denuo ad Antiochenam (in qua denique moriens, teste Philostorgio, successorem habuerit immediatum Eulalium,) paradoxa sane neque audita hactenus vicissitudine transilierit. Cujus rei falsitas quamquam sese ipsa prodit; faciam tamen, ut elucescat magis, ubi de altero Paulino agendum erit.

Arianis amicus a quibus hic noster infamia notatur.

134 Quis igitur, inquis, Paulinus hic fuit, si Tyrius non fuit? Dicam : nam et hoc ad id, quod suscepi demonstrandum, facit unice; siquidem hinc palam fiet, etiam a tertio illo, quem hoc sæculo proferam, hunc toto cælo distare. *Exstat epistola synodica,* inquit Valesius annot. in Sozomeni lib. III, cap. XI, *sive decretum Orientalium apud Serdicam episcoporum. Ubi notanda sunt hæc verba in depositione Hosii : Sed et Hosium propter supradictam causam, et propter beatissimæ memoriæ Marcum etc. Et quod convixerit in Oriente cum sceleratis ac perditis : turpiter namque Paulino quondam episcopo Antiochiæ individuus amicus fuit, homini, qui primo de maleficiis fuerit accusatus, et de ecclesia pulsus, usque in hodiernum diem in apostasia permanens, cum concubinis publice et meretricibus fornicetur : cujus maleficiorum libros Macedonius episcopus atque confessor a Mopso, combussit. Sed et Eustathio et Cymathio adhærebat pessime et carus fuit, de quorum vitæ infamia*

A *infamia turpi dicendum nihil est. Exitus enim illorum omnibus declaravit.* Scio, paulo aliter hæc scribi in Fragmentis S. Hilarii, a Nicolao Fabro ex bibliotheca Pithœana anno MDXCVIII Parisiis primum editis, unde epistola hæc in concilia Binii, Regia, Labbeana transcripta est : ibi etenim pag. 26 pro *Hosium, Ossium* ; pro *Antiochiæ, Daciæ* ; *Eustasio* pro *Eustathio* ; pro *Cymathio,* legi *Quimassio.* Alia igitur exemplaria secutus fuerit Valesius; neque enim quidquam, non monito lectore, immutasse credi potest aut correxisse ; nisi in illud impegisse multo turpius velis, quod in alio carpsit annot. in Hist. eccl. Theodoriti lib. I, cap. XIX. Utut est, genuinam esse Valesii lectionem ex laudato Sozomeno (in versione Christophorsoni est lib. III, cap. x) multo suadetur efficacius, ut non male Tillemontius advertit not. 1 in S. Eustathium, quam ex quibuslibet Mss., castigatione plerumque non modica indigentibus.

B

ac proinde non minus diversus a Paulino, quem Lucifer Calaritanus ordinavit, quam a Paulino Tyrio.

135 Hunc itaque locum qui introspexerit, facere non poterit, quin Paulinum nostrum, cum Valesio, continuo deprehendat. Scripta enim est epistola ab Arianis anno Christi CCCXLVII ; in ea dicitur Paulinus *quondam* fuisse episcopus Antiochiæ ; et quidem, si ordinem spectes, ante Eustathium ; ut est etiam apud Sozomenum. Non est ergo tertius ille, cui dudum postea Lucifer, ut loco suo videbitur, manus primum imposuit. Dicitur ei Hosius amicus fuisse individuus. Non igitur Arianus, non Paulinus ille Tyrius fuit, cum quo non major Hosio, quam cum Eusebio Nicomediensi, ipsoque adeo Ario, familiaritas intercessit. Dicitur denique sceleratus ac perditus, maleficus, usque in hodiernum diem in apostasia permanens, etc. Papæ ! Tam atrocibus calumniis ocellum illum suum, Paulinum, inquam, Tyri aliquando episcopum Ariani prosciderint? Imo vero *Hac nota,* inquit, S. Athanasius ad monachos tom. I, parte I, pag. 345, num. 2 edit. Benedictin., *eam hæresim dignoscere, imo potius confutare licet, quod quisquis ipsis amicus est et impietate socius, etiamsi aliis sceleribus, et sexcentis criminibus obnoxius sit, quamvis reus et convictus, licet probationes evidentissimæ adversus eum suppetant; hic tamen*

C

apud illos probus, statimque imperatoris amicus efficitur.

Quantum Arianis, hunc nostrum accusantibus, tribuendum sit.

136 Quærendus itaque Paulinus, Antiochiæ quondam episcopus, ab hoc tempore diversus. Is ubi inventus erit, noster erit ; neque enim superest alius. Ceterum quod ad criminationes attinet, nihil Arii Eusebiique assectis fuit antiquius, quod et in tota hac epistola videre est, quam ut hujusmodi flagitia comminiscerentur in eos, qui rem catholicam adversus gliscentem Ariomaniam, defendendam utcumque susciperent ; sic in magni Hosii, sic in S. Eustathii, sic in S. Athanasii, et cujus non viri funestis illis Ecclesiæ temporibus orthodoxi integerrimam sanctissimamque famam grassati sunt. Vide S. Athanasium pag. 346, num. 3. Ac proinde fidem hic nullam faciunt, nisi forte in iis, in quibus, nisi vera dixissent, palam omnibus mendacissimi videri voluissent. Itaque amicitia cum Hosio conjunctum fuisse, accusatum item maleficii, et ecclesia sua pulsum, uti et attributos ei libros fuisse, quos Macedonius episcopus Mopsuestenus, post Nicænam synodum Arianus, exusserit ; imo et supervixisse synodo Sardicensi, quamvis aliter visum Baronio ad annum CCCXXIV num. 143, et CCCXL num. 29, facile crediderim etiam mendacia professis hæreticis ; erant enim hæc publica et publicis haud dubie tabulis mandata partim, partim in omnium conspectu sita. At vera esse ut credam, quæ in eum jactata sunt, et ob quæ forsitan exauctoratus fuerit, crimina, testes alios requiro quam Arianos, istiusmodi in sanctissimum quemque præsulem strophis infames.

Sedit Paulinus I ab initio A. C. 323.

137 Restat modo, in Paulini hujus primi, jam retecti, tempora, nihilo minus ambigua, disquiramus. Obiisse S. Philogonium vidimus non ante annum Christi CCCXXII, diem XX Decembris. Subrogatus igitur et Paulinus haud multo citius esse potuit, quam anni insequentis exordio. Certissimum vero est, ecclesiæ Antiochenæ unum jam tum saltem Eustathium præfuisse, cum Nicænæ synodo, confidente inter Patres Constantino imp., initium datum est, Paulino et Juliano Coss., id est, anno Christi CCCXXV. Abeundum ergo est omnino a Nicephoro CP., Theophane E pag. 10 (si tamen istis laterculis tot passim vitia inseruisse Theophanem ipsum credibile est,) Eutychio, ac Zonara, qui omnes memoratis locis quinquennem fuisse hujus Paulini episcopatum scribunt. Sed nempe facilius hic est errores notare alienos, quam proprios non admittere ; facilius, inquam, quinque annos evertere ; quam, quot anni fuerint, definire.

At quamdiu?

138 Nam, si Sozomenum audias lib. I, cap. II, vacua aliquamdiu fuerat sedes Antiochena, cum in eam sublatus est Eustathius : *Antiochiæ autem* inquit, *ad Orontem fluvium sitæ, nemo adhuc* (Consulibus videlicet Crispo III et Constantino III Cæsaribus, ut ex initio capitis et præfatione constat, id est, an. Christi CCCXXIV) *post Romanum* (de quo mox) *constitutus fuerat episcopus, persecutionibus, ut verisimile est, ordinationem fieri prohibentibus* : tum ea subdit, quæ de S. Eustathii ordinatione discutiemus inferius, uti et errorem Nicetæ ex hoc loco deductum. Supponit ergo Sozomenus vacasse sedem etiam aliquo tempore persecutionum Licinianarum ; F at quanto, non dicit ; et vero ut hoc dixisset, ne sic quidem nos reddidisset multo certiores ; quando harum persecutionum tempora a postrema Licinii apud Chalcedonem clade dependent, quam alii ad annum Christi CCCXXIII, alii ad CCCXXIV non levibus utrimque momentis revocant ; hos Pagius defendit ad an. Christi CCCXVIII, a num. 2, cui præter istic citatos adstipulatur etiam Chronicum Prosperi ; illos Tillemontius Hist. impp. tom. IV, not. 43 in Constantinum, et in hanc sententiam propendit aliquando Papebrochius II Maii in Vita S. Athanasii cap. II, num. 36 ; quia in alia opinione non satis appareat spatii inter debellatum Licinium, et habitam Nicææ synodum, ut commode fieri interea potuerint, quæ facta narrantur.

Usque ad initium circiter anni 324.

139 Utut est (neque enim tanti refert, ut evagari multum hic lubeat) etiam in posteriori chronologia credi possunt edicta Licinii, quale est illud, de quo Eusebius in Vita Const. lib. I, cap. LI, *ne episcopi uspiam inter*

SÆCULUM IV

inter se de ulla re conferrent, neve ulli eorum in alterius sibi vicini ecclesiam ventitare liceret, et synodos ac concilia de communibus negotiis habere; credi, inquam, possunt edicta talia legesque Licinii ordinationem, de qua loquitur Sozomenus, fieri prohibuisse tantisper Crispo et Constantino III Coss., sive anno Christi CCCXXIV : cum tyrannicas Licinii leges Constantinus XVII Kalend. Jun. iisdem Coss. primum aboleverit, ut vide apud Gothofredum in cod. Theodos. lib. XV, tit. XIV, l. I. Sed vel sic per Sozomenum facile licebit patriarchatui Pauliniano annum circiter unum concedere, qui fuerit annus Christi CCCXXIII; supererunt enim menses sex septemve, quibus prohiberi per leges a tyranno latas successoris in viduam sedem ordinatio potuerit.

Tillemontio Sozomenus incommodat: non nobis.

140 Porro hic Sozomeni locus quam parum Tillemontio sit commodus, facile perspicitur : nam cum ille initium Paulini circa annum Christi CCCXXIV figat, vix quatuor habet menses, ut Paulino simul et satis notabili, atque adeo historiis mandari dignæ, et cui causa quæri debeat persecutio, B post Paulinum vacationi contribuat : si tamen tot menses aut ullum omnino tempus habere potest juxta Sozomenum : si enim credibile est, ordinationem successoris prohibitam persecutionibus fuisse post unum alterumve mensem Paulini; profecto credibile est etiam, Paulini ordinationem intra eumdem annum impediri debuisse, quæ in idem fere tempus, juxta Tillemontium, incidisset. At si anno toto retroeas, sicut non idem est moraliter, ut aiunt, tempus, sic non eadem est difficultas, non eadem, ut credibile est, præfectorum, ministrorum, rerumque aliarum adjuncta; maxime cum bellum interea suscitatum, tyranni animum in Christianos mirum in modum efferaret.

PARERGON

De Romano.

Romanus videtur idem esse cum Paulino I;

C Numero 138 supra Sozomenum produxi, ubi *Romanum* tamquam S. Eustathii in episcopatu Antiocheno decessorem commemorat; at illum unde hauserit, nescire se fatetur in annot. Valesius; quippe qui non Hieronymo dumtaxat in Chronico, sed et Nicephoro patriarchæ, imo et antiquis plane omnibus, ignotus fuerit. *Habetur tamen*, inquit, *in indice episcoporum, qui majores ecclesias rexerunt a Christo usque ad tempora magni Constantini.* Pergit : *Hic index habetur in bibliotheca Florentina post Historiam ecclesiasticam Eusebii Cæsariensis. In eo igitur indice inter episcopos Antiochenos decimus septimus ponitur Timæus : decimus octavus Cyrillus : decimus nonus Tyrannus : vigesimus Vitalis : vigesimus primus Philogonius : vigesimus secundus Romanus : vigesimus tertius Eustathius. In margine vero ad nomen Philogonii adscriptum est hoc scholion :* σημείωσον, ὅ τι θεοδώρηθος ἀπὸ του φιλογονίου εὐστάθιον φησί. *Id est, Nota quod Theodoritus post Philogonium, nullo interjecto, ponit Eustathium.*

qui proinde binominis fuerit.

142 Ego ex hoc catalogo non temere suspicari mihi videor, Romanum illum, qui Paulini locum istic occupat, eumdem cum Paulino, atque adeo binominem fuisse : ita nullo D negotio Sozomenum cum catalogo, et cum antiquis omnibus unum, inter Philogonium Eustathiumque, Paulinum agnoscentibus, conciliabis : neque erroris eum argues aut cum Gothofredo, diss. in Philost lib. III, cap. XV, dicendo eum scripsisse ματα Ῥωμανὸν pro ματα Παυλῖνον : aut cum Pagio ad an. Christi CCCXIX, num. 8 dicendo : *Sozomenus et Nicetas Romanum Philogonio successisse scribunt; quia, ut conjicere licet, post Paulini abdicationem ecclesiam Antiochenam pastore destitutam rexit :* hoc est, patriarcham dixerunt, qui non fuerit. Hæc mihi conjectura non placet; 1, quia Sozomenum carpit. 2, quia Sozomenus manifeste innuit, itidemque Nicetas, ipsum Romanum ordinatum fuisse episcopum Antiochiæ. Adi textum. 3, si post Paulinum regere aliquis ecclesiam vacantem debuit, debuit etiam aliquis post Romanum : ibi enim est illa vacatio, cujus unius meminit Sozomenus. Cur illum nominat, qui tantillo tempore rexisse potuit; hunc non nominat, qui diutius rexerit? Aut si, post Romanum nullus administravit rector ecclesiam; qua ratione conjicere licebit, post Paulinum eam administrasse pro Vicario Romanum? 5, denique nusquam Sozomenus Paulinum ac Romanum ostendit esse diversos; quamquam ita perperam ex hoc loco simul et aliis auctoribus Nicetas Choniata, auctor sæculi decimi tertii, collegit, Thesauri lib. V, cap. VI. Cui errori et alium adjecit : nam cum illum suum Romanum a Paulino distinctum reperiret nuspiam, Romanum arripuit martyrem, de quo Euseb. cap. II de Martyribus Palæstinis, Antiochenum illum quidem, si ecclesiam, cujus erat, aut locum spectes martyrii; sed non nisi diaconum, ac totis ante viginti annis gloriosa morte defunctum. E

XXIV. S. EUSTATHIUS.

S. Eustathius electus, non in Concilio Nicæno,

EUSTATHIUS, ait S. Hieronymus de Script. eccl. cap. LXXXV, *genere Pamphylius, Sidites, Berœæ Syriæ, deinde Antiochiæ rexit ecclesiam.* At quo tempore illam dimiserit, hanc adierit, operæ pretium est animadvertere. Sozomenus lib. I, cap. II, verbis num. 138 citatis hæc subjicit : F *Sed non multo post* (quam scilicet, *persecutionibus ordinationem fieri prohibentibus,* cathedra vacasset) *episcopi apud Nicæam congregati, cum Eustathium ob vitæ simul ac doctrinæ meritum admiratione prosequerentur, dignum eum judicarunt, qui apostolicæ cathedræ præsideret : ac proinde cum episcopus esset vicinæ urbis Berœæ, illum inde, Antiochiam transtulere.* Hæc qui legit, quis dubitet, eam esse Sozomeni sententiam, quod in ipso concilio Nicæno a Berœensi sede ad Antiochenam translatus Eustathius fuerit?

vel ab ejus p... tribus A.C. 3...

144 Atqui id jam antea factum fuisse, docet Theodoretus Hist. eccl. lib. I, cap. VII (in versione Valesiana,) ubi descripto totius cœtus Nicæni primo consessu, subdit : *Statimque magnus Eustathius ecclesiæ Antiochensis præſecturam sortitus* (τὴν προεδρίαν λαχὼν;) *qui Philogonio... ad meliorem sortem translato, communi consensu episcoporum et sacerdotum Deique amantissimæ plebis, invitus ad ecclesiæ illius administrationem evectus fuerat* (ψήφῳ κοινῇ κατηνάγκασαν,) *primus omnium imperatori panegyricum*

A *cum dixit* (quem vide apud Baronium ad annum Christi CCCXXV, num. 50 et in Actis Sanctorum ad diem XVI Julii) *ejusque erga res divinas studium gratulationibus ac votis remuneratus est.* Jam ergo erat patriarcha Antiochenus ante concilium. Omnino, inquis; verum ita tamen, ut ab episcopis Nicææ congregatis, antequam adesset Constantinus imperator, inauguratus sit. Sed ne hoc quidem satis mihi probatur, ut non aliud voluisse Sozomenum putem. Cur ita sentiam, paucis ostendo.

sed a provincialibus episcopis et populo Antiocheno A. C. 324,

145 Primum argumentum Sozomenus ipse suggerit, loco supra citato; ubi dilatam ideo novi patriarchæ ordinationem conjicit, quod eam persecutiones prohiberent. At illæ vi legis a Constantino sive ante, sive post Licinii cladem illam fatalem latæ prohibere id pridem ante synodum Nicænam desierant: nihil igitur causæ est in hoc auctore, cur usque ad comitia illa, rejecta S. Eustathii electio atque institutio censeatur. Et vero quid ea res ad Patres Nicænos attinebat; si per episcopos clerumque Antiocheno patriarchatui subjectos confieri et soleret et posset? B Certe ita scribit Nicephorus Callistus lib. VIII, cap. XIV: *Hunc Eustathium invitum admodum et reluctantem, vi plurima allata, provinciales episcopi* (οἱ τῆς ἐπαρχίας ἀρχιερεῖς) *communisque Domini populus ex Berrhœa ad eum thronum pertraxerunt.* Fac tamen, delatum hoc ad eos negotium a principio fuisse; eumne, amabo, ab una sede in aliam iidem illi transmisisse credendi sunt, qui ejusmodi translationes canone suo decimo quinto severissime inhibere decreverant? Enimvero tam insigni exemplo parum legi suæ consultum ivissent.

et subinde a Nicænis PP. confirmatus est.

146 Ego itaque Sozomenum ita potius intelligendum existimem, ut non diu admodum vel post datam legem num. 139 citatam, vel post eversam (si tamen eversa tam sero est) Licinii tyrannidem, hoc est, aliquanto post Maium, aut Septembrem anni Christi CCCXXIV, electum inauguratumque per episcopos provinciales, clerum, ac populum jure ac more tum temporis usitato velit Eustathium, mussitantibus subinde, ut credibile est, pauculis quibusdam, nec adhuc C sat notis, Arianæ sectæ fautoribus: quibus ne canone suo XV favere Nicæni Patres videri possent, neve adeo quod istic in posterum cautum esset, hoc ad ea quæ prius facta erant, infirmanda quispiam abuteretur; omnino significarint, ratam habere sese electionem translationemque Berœa Antiochiam Eustathii. Conjecturam hanc meam firmat, præter jam dicta, Theophanes pag. 16, ubi sic habet: Τῆς δὲ Ἀντιοχέων ἐκκλησίας στερευούσης, ἡ σύνοδος Εὐστάθιον ἐκύρωσε τὸν ἐπίσκοπον Βεῤῥοίης τῆς Συρίας; quasi dicat: *Eustathium, Berrhœæ prius in Syria episcopum, qui in viduam Antiochensium ecclesiam translatus jam fuerat, auctoritate etiam sua synodus confirmavit:* κυρόειν etenim proprie significat, id quod jam actum est, ratum habere, et pro auctoritate confirmare.

Nullæ in ejus electione fuerunt turbæ.

147 Est et alia in hac S. Eustathii electione difficultas a Cardinale potissimum Baronio suscitata: contendit namque Vir Eminentissimus, narratos ab Eusebio, de Vita Constantini lib. III, cap. LIX, tumultus ad illam omnino pertinere, anno Christi CCCXXIV, num. 143, et anno CCCXL, num. 29; iterumque in Appendice addendorum et emendandorum ad calcem tomi XII anno CCCXXIV; quo loco jam tum sibi fatetur adversatos in hac re complures fuisse, non modo cum ista scriberet, sed olim etiam Socratem, Theodoretum, Sozomenum; ideoque argumentum instaurat, quod ita verbis meis contraho: *Turbatum est Antiochiæ propter Eustathium, superstite Constantino M. imp., secundum Eusebium loco citato. Id vero factum esse non potest in Eustathii depositione, tametsi id plurimi velint; cum ea certissime in tempora Constantis inciderit. Necesse est igitur in ejusdem creatione contigisse; quippe quæ vivo Constantino, atque adeo ante concilium Nicænum, sit instituta.* Si qua huic ratiocinio vis inest, ea omnis in secunda seu minori, ut scholæ loquuntur, propositione est posita: quare ad Annales lectorem remittit, in quibus illam ad annum Christi CCCXL, num. 21 perspicue demonstraverit.

ut putavit Baronius;

148 Et primo quidem ex Theodoreto, qui lib. I Hist. eccl. cap. XX testetur, Eustathium non ante e sede fuisse expulsum, quam Eusebius Nicomediensis in episcopatum CP., E ejecto Paulo, translatus fuerat, quod non contigit ante annum Christi CCCXL, ipsis Socrate ac Sozomeno testibus. Deinde ex Sozomeno lib. II, cap. XIX (in edit. Vales.) ubi depositum narrat Eustathium *eo quod Nicæni concilii fidem adstrueret;* contra quam, dum vixit Constantinus, ne mutire quidem licuit, nedum episcopatu quemquam exuere, quod illam assereret. *His accedit*, inquit, *Athanasii testificatio, qui disertis dilucidisque verbis sub Constantio Eustathium damnatum affirmat, cum ait:* (in epist. ad Solitar.) *Fuit quidam Eustathius Antiochiæ episcopus.... quem homines Arianæ opinionis ita apud Constantium ficta calumnia accusarunt, quasi in matrem principis contumeliosus fuisset: nec mora, in exilium ejicitur* etc. *S. Hieronymus itidem ... testis accedit, cum ait:* (de Scriptor. eccl.) *Eustathius.... primum Berœæ Syriæ, deinde Antiochiæ rexit ecclesiam; et adversus Arianorum dogma componens multa, sub Constantio principe pulsus est in exilium* etc. Nimirum hæ rationes auctoritatesque sunt, quas *plane invincibiles* appellat *demonstratione*, quibusque tantum tribuit doctissimus F Cardinalis in appendice, ut sine illis *summæ esse dementiæ* censeret, si quis contra antiquos historicos ante memoratos obniteretur. Has itaque si vacillare quis ostenderit; necesse omnino erit, ipso judice, ad Socratem, Theodoretum, Sozomenum, aliosque accedere.

sed in ejus depositione tantum.

149 Tentavit id pridem (ut omittam alios) Gothofredus dissert. in Philostorg. cap. VII; secutus est clarissimus Valesius annot. in Eusebium de Vita Constantini imp. lib. III, cap. LIX; recentius etiam Pagius in Crit. Baron., nec multo post Tillemontius tom. VII Monum. not. 3 in S. Eustathium; et ad primum quidem argumentum facile respondent; ab ipso scilicet Theodoreto Eustathii expulsionem non modo ad Constantini tempora, sed etiam ante synodum, Tyri anno Christi CCCXXXV coactam referri: erratum tamen ab eo esse in Eusebio Nicomediensi, qui multo serius sedem Constantinopolitanam invaserit; quippe qui nondum Nicomediam reliquerat, cum ibi Julianum, anno Christi CCCXXXI, mense Novembri, natum, teste

SÆCULUM IV.

Ammiano lib. XXII, cap. IX, in edit. Lugduno-Batav. MDCXCIII, educaret, non utique 'um infantem, sed percipiendis ejus præceptis, imo et sacris Litteris, si Zonaræ credimus lib. XIII, num. 10, utcumque idoneum. Nec minus plana ad secundum argumentum responsio : nam etsi Sozomenus veram depositi ab Arianis Eustathii causam fuisse dicat, *quod is Nicæni concilii fidem adstrueret;* tamen ea nequaquam usi sunt apud imperatorem aut vulgus Eusebiani; verum longe aliam, ut ibidem subdit Sozomenus, scelerato suo judicio causæ speciem prætendebant, nimirum, *Quasi honorem,* inquit, *sacerdotii flagitiis quibusdam commaculasse deprehensus fuisset.* Flagitia illa S. Eustathio imputata vide apud Theodoretum lib. I, cap. XX, Socratem lib. I, cap. XXIV, S. Athanasium supra, Philostorgium lib. II, cap. VII. Quid, quod eadem ratione negari posset etiam ipse Athanasius sub Constantino exilium esse passus?

quæ sub Constantino contigit.

150 Tertium argumentum, quo uno maxime se tuetur Baronius, est in testificatione S. Athanasii. Sed qui an. MDCXCVIII Atha- B nasium ad codicum Mss. plurimorumque vetustissimorumque fidem exactum et castigatum Parisiis ediderunt, loco a Baronio pro se adducto, non *Constantium,* sed *Constantinum* imprimi curarunt; itaque in codice regio prima manu scriptum fuisse testantur tom. I, part. I, pag. 346 num. 4. Notat præterea post Gothofredum et Valesium Pagius an. Christi CCCXXIV, num. 27, in auctoribus Græcis *Constantii* et *Constantini, Maximiani* et *Maximini* nomina plerumque confundi, ut mille exemplis liquet. Eodem cuniculo subruitur argumentum quartum ex Hieronymo petitum : nam et ibi codices nonnulli, teste Gothofredo, et Sophronius Hieronymi interpres, Constantini nomen habent. Adde quod *in antiquis editionibus, adeoque in Lugdunensi, quæ penes me est,* inquit Valesius, *diserte scriptum sit* SUB CONSTANTINO PRINCIPE *missus est in exilium.* Hæc ad argumenta Baronii.

imo toto saltem quinquennio ante obitum Constantini:

151 Alia colligunt recentiores non pauca, quibus depositum sub Constantino S. Eustathium clarissime demonstrant. Sed quando C S. Athanasii in hac re auctoritas ceteris merito antecellit, ea tantum seligam quæ ex ipso deprompta sunt, et quidem ex eadem epistola ad Solitarios, in qua Arianorum persecutiones ordine persequitur : ibi enim primum locum illa obtinet, quam in Eustathium ita concitarunt, ut exutum dignitate onustumque calumniis cum multa presbyterorum diaconorumque turma extorrem continuo facerent, pag. ibi 346. Quis vero nescit, vexationes Arianorum et multas, vivente Constantino, et graves fuisse, qui vel concilii Tyrii meminerit, in causa Athanasii habiti? Vide Labbeum tom. II, col. 435. Addit ibidem S. Athanasius, eos, quos Eustathius impietatis causa in clerum admittere noluerat, postquam hic in exilium esset actus, non solum in ecclesiam ab Arianis introductos, sed plerosque etiam ex illis ordinatos fuisse episcopos; *ex quorum numero,* inquit, *est Leontius Castratus, qui nunc Antiochiæ episcopus est, et qui ante ipsum ibidem episcopus fuit, Stephanus, Georgius Laodiceæ* etc. Quando istud factum? Primum ante annum Christi CCCXXXV : nam jam episcopus Georgius ille interfuit D conciliabulo Tyrio, teste ipso S. Athanasio in Apolog. contra Arian. tom. I parte I, pag. 130, num. 8 : idem enim est Georgius, qui ab Alexandro Alexandrino depositus, ab Eustathio rejectus, ac tandem ab Arianis ad episcopatum Laodicenum promotus est; ut vide apud Tillemontium Monum. tom. VI, in indice materiarum. Idem formari potest argumentum de Placillo, qui et ipse illi synodo astitit; mitto tamen; quia sufficit mihi quod habet Athanasius. Dudum ergo, juxta Athanasium, pulsus est de sua sede Eustathius ante obitum Constantini.

ut probatur ex S. Athanasio.

152 Sed quid dixi ante obitum? Imo audi Athanasium num. 5, post ea quæ jam ex illo dedimus, ita narrationi suæ insistentem : *An hic saltem,* inquit, *substiterunt?* (ergo jam hæc facta erant, cum illud contigit quod modo narrabit.) *Nequaquam. Eutropius enim, olim Adrianopolitanus episcopus.... easdem quas Eustathius, calamitates patitur, et civitate ecclesiaque sua pellitur, Basilina enim contra illum summopere urgebat.* Fuit Basilina, ut ibidem notatur in margine, uxor Julii Con- E stantis, qui frater erat Constantini M. Hæc paucis post mensibus quam Julianum peperisset, excessit e vivis, quod ipse Julianus in Misopogone, editionis Petavianæ anni MDCXXX, pag. 80, testatum reliquit. Natum vero Julianum sub finem anni Christi CCCXXXI, probat Tillemontius Hist. impp. tom. IV, not. 1 in Julianum. Non potuit igitur serius quam anno Christi CCCXXXII, eoque non ita pridem inchoato, ipsa urgente, S. Eutropius expelli : quæ expulsio cum Eustathiana, juxta S. Athanasium, certissime posterior fuerit, debuit hæc toto ut minimum quinquennio Constantini mortem, quæ incidit in annum Christi CCCXXXVII, antecessisse. Nescio, quid afferri possit contra Baronii sententiam evidentius.

aliisque:

153 Everso igitur ratiocinio, quod num. 147 proposui, sequendus omnino Eusebius lib. III de Vita Constantini, cap. LIX, turbas Antiochenas referens post concilium Nicænum, aliaque multa, quæ S. Eustathii ad sedem Antiochensem translatione longe recentiora F sunt; sequendus Hieronymus in Chronico, qui episcopatum Antiochensem Eusebii (de quo sibi deferendo actum esse statim post illos tumultus Eusebius ipse narrat) non modo post Eustathium depositum, sed etiam post Eulalium notat; sequendi denique Theodoretus lib. I, cap. XX, Socrates lib. I, cap. XXIV, Sozomenus lib. II, cap. XIX, qui in illud omnes conspirant, ut seditionem illam Antiochiæ non tantum in Eustathii exauctoratione, quæ illius occasio fuerit, sed etiam Constantino magno imperium obtinente, motam fuisse asserant. De turbis vero aut illis omnino dissensionibus, quæ accidissent, cum ad episcopatum illum legeretur Eustathius, tantum abest ut quisquam meminerit, ut non potuerit Theodoretus verbis magis disertis significare contrarium; vide illa sis num. 144. Si quis tamen in hanc rem plura desiderat, adeat auctores num. 149 assignatos, ac præsertim Tillemontium not. 2 et 3 in S. Eustathium.

154 Neque vero quæ disputata sunt hactenus, argumenta tantum evertunt Em. Card. Baronii,

unde corriguntur aliquorum errores in chronographia episcopatus Eustathiani.

Baronii, verum etiam Nicephori CP., Theophanis, ac Zonaræ, qui episcopatum S. Eustathii annos ipsos octodecim complexum fuisse volunt, chronologiam : nam si ab anno Christi CCCXXIV jam propemodum elabente, quo sedem Antiochensem capessere jussus est, ad annum usque Christi CCCXXXI, quo illam commutare coactus est cum exilio, tempora supputentur; anni existent octo tantummodo, et illi quidem non integri. Certe non plures notat Eutychius pag. 432. Quid si non plures etiam Nicephorus habuerit; et pro ἔτη . ή (annis VIII) librariorum vitio jam legatur ἔτη ιή (annis XVIII;) illumque porro errorem secuti sint alii? Suspicionem auget Theophanes in Chronographia, qui cum annos illos octodecim in laterculis, haud dubie interpolatis, præferat; a concilio tamen Nicæno non nisi annos octo, quos Eustathio daret, invenit; reliquos decem ante concilium statuit, errore tam in historia manifesto, ut inepti ego potius auctoris opus illud esse, quam Theophanis putem; vide tomo III Martii Exegesin prælim. I, cap. I, B num. 4; imo ipsummet Theophanem supra num. 146 citatum; ubi satis innuit, non diu admodum ante synodum Nicænam Eustathium in viduam Antiochensium cathedram fuisse translatum; cum in ipsa illa synodo confirmatam translationem ejus, quasi recentem adhuc parumque firmam, putarit. Adde, in ipsa Chronographia depositum dici Eustathium, anno divinæ Incarnat. CCCXVIII, qui tamen annus in laterculis illis tantum est Eustathii duodecimus. Ut ut est; graviori huc usque auctoritate usi sumus tum ad initium, tum ad finem patriarchicæ S. Eustathii dignitatis stabiliendum, quam ut illi scriptorum, sæculis pluribus posteriorum, historia possit opponi. De initio quidem dubitare non potest, qui totum hoc opusculum ordine volverit : quod autem ad finem attinet, aliquanto id pressius certiusque determinandum est.

Depositus est S. Eustathius, non anno Christi 327, vel ineunte 328, ut contra Valesium, C

155 Depositionem S. Eustathii annum Christi CCCXXXI prætergressam non esse, satis constat ex Athanasio, supra; siquidem Eutropianam antecessit, quæ anni sequentis initio, ut jam vidimus, posterior esse non potuit; verum quanto hanc spatio præverterit, indidem non datur intelligi. Quare non nulla hic inter auctores modernos est controversia. Valesius annot. in Euseb. de Vita Constantini lib. III, cap. LIX, accidisse illam arbitratur *anno Christi* CCCXXIX, *ut ex Philostorgii lib.* 2, inquit, *manifeste colligitur.* Imo ex illo libro, cap. VII colligitur quidem manifeste, eam citius non potuisse contingere, cum non nisi post tres integros annos Eusebium Nicomediensem, Marin et Theognin ab exilio revocatos fuisse narret; (neque adeo ante annum circiter CCCXXIX moliri adversus Eustathium quidquam hi valuerunt, si Philostorgio standum est;) non dicit tamen hic auctor, id factum non esse ferius; quin potius contrarium ex ibidem adjunctis manifeste colligitur; quod et ipse Valesius advertit, dum ita prosequitur : *Aut* (anno Christi) CCCXXX, *ut adstruere videtur Theodoretus lib.* 2, *cap.* 31 : *Hic enim Meletium ad sedem Antiochenam translatum esse scribit triginta annis post abdicationem Eustathii. Meletium porro Antiochiam translatum esse constat anno Christi* CCCLX. Hæc Valesius.

voluit Pagius,

156 Contra Pagius, in Crit. Baron. ad annum Christi CCCXL, num. 19, *Existimo tamen,* inquit, *hanc synodum* (in qua Eusebiani Eustathium in exilium ab imperatore Constantino pelli curarunt) *anno Christi* CCCXXVII *aut ineunte* CCCXXVIII *coactam esse; ideoque Theodoretum numero, ut aiunt, rotundo locutum; ac triennium exilii Theognii et sociorum exordiri Philostorgium ab anno* CCCXXV, *et extremos annos incompletos pro integris numerare.* De Theodoreto id temere dicitur : accipienda enim sunt auctorum verba ut sonant, nisi solida id ratio vetet. De Philostorgio multo minus assentior erudito Pagio. Quid enim? Si his vocibus : Μετὰ τρεῖς ὅλους ἐνιαυτοὺς (*post tres integros annos*) anni significantur incompleti; quibus, amabo, verbis exprimi completi poterunt? Juvat tamen expendere, quid Virum de historia optime meritum impulerit, ut hanc Theodoreto ac Philostorgio vim afferret?

E *at non solide probavit;*

157 Momentum primum affert ex Hieronymo in Chronico, ubi *de Eustathii depositione sermonem habet anno Abrahami . . .* MMCCCXLIV. Hoc argumentum videtur sane debile, ne dicam nullum : nam si propterea illo anno depositus est Eustathius secundum Hieronymum, quia de ejus depositione illo anno sermonem habeat; consequens profecto est, ut eodem illo anno ordinatus sit Vitalis, S. Philogonius, Paulinus S. Eustathius ceterisque, de quorum ordinatione ipso illo anno sermonem habet; quo quid fingi potest magis inconcinnum? Eadem ad Hermannum Contractum, et Marianum Scotum, qui hunc S. Hieronymi locum ad an. Christi CCCXXVII in sua Chronica transtulerunt, responsio est. Hieronymus ergo multos in annum unum patriarchas congessit, ne, si diversis eos annis consignasset, eorum digerere voluisse tempora videretur; quod omnino non fecit, sive quia in promptu non erat, ut de orthodoxis credibile est; sive quia operæ pretium se facturum non putavit, si Arianos, quos forte poterat, in suos quemque annos tribuisset, quod hostes eos potius quam episcopos judicaret. Alterum Pagii momentum auctoritas F est Theophanis : *Præterea Theophanes,* inquit, *qui per Constantini magni tempora annum unum minus putat, Eustathii depositionem consignat anno Incarnationis secundum Alexandrinos* CCCXVIII, *qui in anno Christi* CCCXXVI *desinit.* Nimirum hoc etiam redit ad annum Christi CCCXXVII, et quidem ante autumnum, quando vix duos annos Eusebius Nicomediensis expleverat in exilio (siquidem post tres a synodo Nicæna menses, id est, mense, circiter Novembri anni CCCXXV, juxta Philostorgium lib. I, cap. X, exulare primum jussus est) quod est apertissime contra eumdem Philostorgium supra, qui, licet hæreticus, quatuor tamen sæculis Theophanem antecessit, fidemque mereatur, ubi nullam ei hæresis mentiendi causam præbere potuit.

verum anno Christi 331 circiter ineunte:

158 Quamobrem probabilior apparet opinio Valesii, quæ et presse Theodoretum sequitur et Philostorgio maxime congruit; ita tamen, ut eodem utens argumento, Eustathii abdicationem non ad annum Christi CCCXXIX; sed ad CCCXXXI circiter cum Tillemontio not. 3 in

SÆCULUM IV.

in S. Eustathium, referam ; ab illo enim usque ad Meletii expulsionem, quæ anno CCCLXI ineunte, ut suo loco videbitur, accidit, anni sunt XXX, quos dicto loco Theodoretus adstruxit. Huic sententiæ non obscure suffragatur Eusebius de Vita Constantini lib. III, ubi a dedicatione Constantinopoleos, quæ facta est anno Christi CCCXXX, die undecima Maii, multa narrat a cap. XLVIII usque ad tumultum Antiochiæ, propter Eustathium, excitatum, de quo agit a cap. LIX ; ab illo autem tumultu usque ad bellum adversus Scythas Sarmatasque, lib. IV, cap. V et VI, quod susceptum est anno Christi CCCXXXII, habet admodum paucula ; unde colligitur non tantum post, sed et diu post Maium anni CCCXXX exturbatum Antiochia S. Eustathium fuisse. Ita tamen hic cum Tillemontio sentire me fateor, ut nequaquam ausim cum illo, tum in hac nota, tum locis in hac nota citatis, asserere, eodem tempore Asclepam Gazæ episcopum cum Eustathio nostro privatum fuisse episcopatu.

B

ante depositionem Asclepæ ep. Gazensis.

159 Tametsi etenim Asclepas, ut est in epistola synodali pseudosynodi Sardicensis apud Labbeum tom. II Concil. col. 703 in fine, *ante decem et septem annos* (ante synodum illam anni CCCXLVII) *episcopatus honore discinctus est ;* tamen omnino id factum existimo post pulsum Eustathium, cum illud manifeste innuat S. Athanasius in epistola ad Monachos superius adducta tom. I, parte I (edit. Paris. MDCXCVIII) pag. 347, num. 5. Idem namque etiam pro Asclepa facit, quod pro Eutropio proposui num. 152. Possunt autem anni XVII, saltem incompleti, intelligi ante synodum illam Sardicensem ; modo fluere cœperint intra annum CCCXXXI quantumvis provectum, quo facile fuit Eusebianis post amotum Eustathium, sub patriarchis Arianis, quandocumque lubebat, conventus agere et catholicum quemque episcopum isti sedi subjectum, ut erat Asclepas, pro sua libidine obterere, aut ab ecclesia sua procul exulem amandare. Frequentes eorum Antiochiæ fuisse synodos, satis patet ex Libello synodico apud Labbeum tom. II Concil. a col. 87. Ceterum ex dictis collige, ab anno CCCXXIV ad CCCXXXI circiter ineuntem annos patriarchatus Eustathiani numerari cum Eutychio posse octo, sed utrimque, ut monui, tantummodo delibatos.

C

Elogium S. Eustathii accusationes Arianorum;

160 Non licet hic mihi totam hujus Viri, sanctitate, doctrina, eloquentia, stylo, atque invicto catholicæ fidei adversus exortas tunc hæreses defendendæ studio, etiam cum viveret, universo, quam late in Orientem atque Occidentem porrectus erat, orbe Christiano celebratissimi, historiam et elogia texere. Dici hoc breviter potest, stante Eustathio, rem in Oriente contra furias Arianas stetisse catholicam, at illo semel dejecto, ruere istam simul ac fatiscere passim cœpisse. Prospexerant id scilicet hostes Ecclesiæ, senserantque jam pridem, et cum Berœensem occuparet sedem, et cum ad Antiochenam promotus nec in synodo Nicæna, nec usquam alibi post eam, consistere illos ac ne delitescere quidem tuto, nedum in agrum sibi creditum proseminare hæresim pateretur. Atque adeo in hunc unum ante omnia lectissimorum suæ sectæ ducum, Eusebii Cæsariensis, Patrophili, Aëtii, Theodoti, aliorumque armatam furore dolisque malis aciem instruunt : hos inter primipilus erat Eusebius Nicomediensis, qui ceteros Antiochiam adduxerat : fit conventus ; conducta in medium prodit meretricula ; et infantem, quem in ulnis gestabat, ostentans, ex Eustathio se suscepisse, dato etiam jure jurando, inverecunda mentitur. Frustra testes requirit Eustathius, frustra leges divinas obtendit ; auditur mulier, et *sententiam* (depositionis) *in eum tamquam adulterum veri* (scilicet !) *amatores*, inquit Theodoretus lib. I, cap. XX, *pronuntiarunt.*

D

ejus exilium et obitus.

161 Cujus deinde æquitatem, adjectis insuper criminationibus aliis, ita Constantino persuasere, ut nec reclamando, qui synodo interfuerant episcopi orthodoxi non pauci, nec tumultuando magistratus ac cives (ut narrat Eusebius de Vita Const. lib. III, cap. LIX, Socrates item ac Sozomenus citati jam supra) aliud profecerint, quam ut imperatoris animum magis exulcerarent, impendensque sanctissimo Præsuli suo maturarent exilium ; in quod utrum Trajanopolim in Thraciam adductus sit, ut auctor est S. Hieronymus de Script. eccl. cap. LXXXV, favente Chrysostomo tom. I, hom. LII de S. Eustathio, pag. 646 apud Ducæum ; an per Thraciam in urbem quamdam Illyrici, ut vult Theodoretus lib. I, cap. XX ; an Philippos denique in Macedoniam, ut post Theodorum Lectorem Hist. eccl. lib. II in initio tradunt alii ; uti et tempus mortis, quæ exulem in patriam cælestem transcripsit (quam nullo modo usque ad Meletii episcopatum Antiochenum S. Chrysostomus hom. cit. in fine distulit ; non enim hoc ibi de Eustathio, sed de Flaviano dicitur, quod patet apertissime ex iis quæ habentur pag. 652, a versu octavo, ut bene advertit contra Blondellum Tillemontius not. 5 in S. Eustath., ubi defunctum ipse putat circa annum Christi CCCXXXVII ;) hæc, inquam, ceteraque quæ ad gesta ejus, cultum, reliquias, scripta pertinent, ad Acta Sanctorum remitto, die XVI Julii, quo ab Ecclesia Romana colitur, ex instituto nostro latius pertractanda.

E

F

PARERGON

De S. Agricio sive Agrœcio.

S. Agricium volunt aliqui Patriarcham fuisse Antiochenum, tempore S. Silvestri Papæ;

Non potui commodiorem in locum rejicere, quæ de *S. Agricio* circumferuntur : quippe quem volunt aliqui patriarcham fuisse Antiochenum, atque ex illa sede ad Trevirensem a S. Silvestro Pontifice Romano interventu S. Helenæ Constantini M. matris, jam e Palæstina reducis (adeoque anno Christi circiter CCCXXVII) evocatum. Consule Vitam S. Agricii, quam dedimus ad diem XIII Januarii, cap. I. *Idem avorum etiam memoria,* inquit Browerus Annal. Trevir. lib. IV, num. 4, in edit. Jacobi Masenii, *Joannes Enenius, Ordinis secundi præsul, attestatus, auctoritatem publicam Eusebii interponens, a cujus vulgato Chronico narrationem hanc querebatur vir ille dolo malo subductam. Verum inspiciendi tandem*

A *dem Ms. Eusebiani Chronici, quod in majoris ecclesiæ bibliotheca sane vetustum exstat, facta copia, reperiebam antiqua, fateor, et fideli manu, at reliquo characteri dissimili, et extra ordinem, ad obitum senioris Constantii cæsaris, ita scriptum : Hæc Helena Trevereos Gallicæ indigena, Agricium patriarcham, Antiochenum Trevirorum constituit episcopum. Cum quo Trevirim misit tunicam et clavum Domini cum ossibus Matthiæ Apostoli* etc.

... nulli solida ... veritate.

163 Notat Browerus num. 5, dubiam hic esse sententiam, propter interpunctionem *Patriarcham* inter et *Antiochenum* locatam, nec satis intelligi, fueritne S. Agricius origine tantum Antiochenus; an ejusdem etiam urbis patriarcha, aut cum illo certe exæquetur. Sed hic scrupulus auctorem, quisquis fuerit, Vitæ S. Agricii usque adeo moratus non est, ut patriarcham Antiochenum non modo ipse, cap. I a num. 3, Agricium faciat, verum etiam, num. 7, ipsum S. Silvestrum inducat ita in diplomate, ad Trevirensem ecclesiam per Agricium dato, scribentem : *Quem (super Gallos specialem, ut ante dicitur, et Germanos primatum) ego Silvester, ejus* B (Petri) *servus, successione indignus, per patriarcham Antiochenum Agricium renovans confirmo, ad honorem patriæ dominæ Helenæ Augustæ, ejusdem metropolis* (Trevereos) *indigenæ, quam ipsa felix per Apostolum Matthiam de Judæa translatum cum clavo ceterisque reliquiis Domini magnifice ditavit* etc. Ex his fontibus, opinor, patriarchatus Agricii Antiochenus in recentiora (antiquis enim ignotus est) ecclesiarum auctorumque complurium Martyrologia profluxit, ut videre est in Comm. præv. ad Vitam S. Agricii, num. 1, et in Usuardi nostri auctariis, die XIII Januarii.

... et popularibus fabulis nititur:

164 Verum Diploma illud a Silvestro traditum, teste Browero, libro citato, num. 2, nusquam inventum est; sola sententia vetustissimis asservata schedis mansit, et sic habet loco citato : *Sicut in gentilitate propria virtute, sortire et nunc, Trevir, super Gallos et Germanos primatum; quem tibi præ omnibus harum gentium episcopis, in primitivis Christianæ religionis doctoribus Euchario, Valerio, Materno, per baculum, Caput Ecclesiæ Petrus signavit habendum, suam quodammodo minuens dignitatem : ut te participem faceret. Quem ego Silvester ejus servus, successione indignus, per Agricium patriarcham, renovans confirmo.* Vides C hic, lector, quam popularibus inspersum fabulis auctor Vitæ S. Agricii diplomatis hujus numero superiore compendium proferat. Patriarcham hic habes Agricium, Galliarum videlicet ac Germaniæ, ut Browerus intelligit, primatem; at neutiquam Antiochenum; Imo, *hinc imperitia factum videtur posteriorum*, inquit idem eodem numero Browerus; *ut quem ex clero Antiocheno cooptatum, inde factum patriarcham acceperant, uno ferme consensu traderent, extitisse patriarcham Antiochenum.*

... quas frustra ... conatur ... noster.

165 At num. 5, postquam ostendit locum inter præsules Antiochenses nullum Agricio reperiri; *Si quid igitur*, ait, *hic purgari, et pro inveterata opinione sanum afferri potest, dixerim, quod obvium est, patriarcham Antiochiæ designatum, Helenæ studio traductum ad æque nobilem cathedram* (hoc duriusculum profecto est;) *aut Orientalibus certe plus quam tragicis, qui mox secuti sunt, motibus offensum ultro cessisse... Sed hæc, cum parum liquet, in judicio libero posita cujusque sunto.* Nimirum hæc vir ille, candoris juxta atque eruditionis minime alioqui vulgaris, facta credidit post inventam ab Helena Crucem Domini reditumque ex Oriente, anno Christi CCCXXVII, cum tamen nihil vel de Helena, vel de allatis ab ea reliquiis, vel de Antiochia meminerit S. Silvester in productis jam schedis, quibus diplomatis ejus, primatum Agricio asserentis, sententia continetur; et merito non meminit; quando alia haud dubio falsa sunt, alia parum verisimilia : falsum, inquam, est, S. Agricium ad infulas Trevirenses tum primum esse vocatum, cum e Palæstina S. Helena jam redierat; falsum item, patriarcham eum umquam fuisse Antiochenum, etiam designatum; minime autem verisimile est aut civem illum Urbis illius, aut clericum fuisse; quod ita breviter ostendo :

SÆCULUM IV.

nam Agricius nec patriarcha fuit Antiochenus,

166 S. Agricius, sive Agrœcius, septimus et vigesimus Trevirorum Antistes, interfuit Concilio Arelatensi I (non II, ut post Baronium in notat. ad Martyrologium Rom. XIII Januarii quidam alii hallucinati sunt, cum tamen Constantini M. temporibus floruisse eum E velint : seduxerint illos editiones antiquiores conciliorum, quæ Arelatense secundum habitum notant circa annum Christi CCCXXVI; cum toto amplius sæculo posterius fuerit : vide Labbeum tom. IV Conciliorum col. 1010, 1017, 1018.) Coactum autem est Arelatense I, Volusiano et Anniano coss., anno Christi CCCXIV; Labbei tom. I, col. 1421 et 1434. Ibidem Agrœcium in epistolæ synodicæ ad Silvestrum Papam inscriptionibus, col. 1425, invenies; iterumque (ne dubites eumdem illum esse, de quo agimus,) col. 1430 his verbis : *Agrœcius episcopus, Felix exorcista, de civitate Treverorum.* Atque hoc quidem jam in confesso est. Annis igitur minimum XIII Trevirensem ecclesiam S. Agricius administraverat, cum Helena ex Oriente reversa est.

ne designatus quidem,

167 Eodem argumento et solidissime stabilitur quod contra quosdam sustinuit Browerus num. 5; inveniri scilicet non posse locum Agricio inter eos, qui sedem Antiochenam aliquando insederint; et evertitur fundamentum, quo idem eodem numero, modeste F tamen ac timide, conjectat Agricii ad illum episcopatum designationem, quæ episcopatum ejus Trevirensem præcesserit. Verba exhibui num. præcedenti. Patriarcha ergo Antiochenus numquam fuit, ne designatus quidem, Pontifice Romano Silvestro : is enim non sedit ante Kalendas Februarias anni CCCXIV; ab anno autem CCCXIII jam Tyranno Vitalis patriarcha successerat, præfuitque, ut a num. 121 diximus, usque ad annum CCCXVIII. Designatum autem Agricium cum Vitali fuisse, neque finxit hactenus quisquam, neque vero fingi, nisi inepte potest. Quod si etiam intercessisse tum Helenam quis velit, ea, qua fertur, ratione; næ is erit multo ineptior. Res hæc tam est aperta vel ex iis, quæ jam dixi; ut odium verear eruditorum incurrere, nisi pluribus supersedeam.

neque illo pacto ad Antiochiam pertinuisse videtur,

168 Jam quod Agricium civem faciat aliquis aut clericum Antiochenum (quamquam id mea parum refert) quid præter instrumenta illa proferet, quorum hic auctoritatem elevavimus?

SÆCULUM IV.

elevavimus? At cur Gallum fuisse potius credas, dat Bollandus in Comment. citato, num. 4. In Vita autem S. Hadelini tom. I Febr. ad diem III ejusdem mensis, initio statim capitis primi dicitur S. Agricius noster natus in Aquitania; quem in locum vide annot. Bollandi: nam piget his immorari diutius, quæ extra rem sunt posita, quam ago. Ceterum nihil hæc ad historiam reliquiarum Trevirensium faciunt; potuit namque illas S. Helena florenti jam tum Trevirorum ecclesiæ post reditum e Palæstina per S. Agricium destinasse, tametsi is ibi jam pridem esset episcopus, ut in ejus Vitæ Commentario prævio num. 4 observatum est.

XXV. PAULINUS II.

Paulinus Arianus ex episcopo Tyri, patriarcha Antiochenus.

Quisnam post Eustathium sederit, haud facile est invenire, inquit Baronius anno Christi CCCXL, num. 31; *cum de successione Antiochenorum episcoporum diversæ scribantur sententiæ.* Neque vero id mirum videri in illo debet; B cum locata perperam Eustathii sub Constantio imp. depositio sic eum in sequentium patriarcharum serie intricaverit, ut eam hoc numero desperatam quodammodo relinquere sit coactus usque ad Leontium. Mihi tamen de PAULINO *Tyrio* vix relinquitur ambigendi locus: nam si *nullum dubium* est, ut ait Pagius in Crit. Baron. ad annum CCCXL, num. 21, *quin Paulinus, Tyri episcopus, Antiochiam translatus fuerit; cum id testentur Eusebius lib. I adversus Marcellum, cap. IV* (sive mendosum Montacutii textum versionemque consulas, sive castigata utraque a Valesio in annotationibus in Eusebii Historiæ eccl. lib. X, cap. II,) *et Suidas in voce* Ἀέτιος; imo et Philostorgius lib. III, cap. XV; dubium quoque esse non potest, quin Paulinus ille Eustathium sit secutus. Etenim præterquam quod id aperte Philostorgius loco citato, atque ex eo Suidas asserit, cum Paulino successisse statim Eulalium uterque scribat, quem nemo, nisi Eustathio posteriorem, notavit; extorquent illud etiam omnino quæ num. 132 et 133 producta sunt testimonia. Neque enim intelligi C aliter Eusebius potest; quippe qui Paulinum non modo temporibus Licinii episcopum Tyri facit; sed etiam exstructam ab eo, jam episcopo, prædicat ecclesiam illam Phœniciæ totius magnificentissimam, cujus ipse dedicationem, circa annum Christi CCCXIX, oratione panegyrica, quam Historiæ libro decimo inseruit, copiose exornavit; in qua etiam oratione, pag. 376 editionis Valesianæ, longo ipsum temporis spatio Tyriorum jam tum rexisse dicit ecclesiam.

successit S. Eustathio;

170 Si ergo Eusebius translatum Tyro Antiochiam Paulinum assereret ante Eustathium, adeoque ante concilium Nicænum, profecto in absurda illa impegisse dicendus esset, quæ num. citato deduxi; quo quid cogitari potest historico illo, ubi res se coram factas pertractat, indignius? Accedit, quod, cum alium necesse sit admittere Paulinum episcopum Antiochiæ pridem ante synodum Sardicensem, ut num. 132 probatum est, is vel ante Eustathium, vel post illum sedisse debeat; quorum neutrum dici potest, si ante Eustathium Paulinus Tyrius in ea sede collocetur; sic etenim vel duo fuissent Paulini, et quidem D eorum unus Ario impense favens, ante Eustathium, quod hactenus nemo somniavit; vel Paulinus Tyrius præcesserit Eustathium, quem Paulinus alter secutus sit; hoc vero est contra S. Hieronymum, Prosperum, Nicephorum CP. etc., in Chronicis, imo et S. Joannem Chrysostomum tom. I, homil. LII, pag. 652; qui omnes ab expulso S. Eustathio usque ad Meletium occupatam affirmant fuisse cathedram Antiochenam ab Arianis, qualis absque dubio Paulinus ille alter non fuit, ut ostendi num. 135. An vero credibile est, si ante Eustathium Paulinus, professus Arii, jam Alexandriæ damnati, fautor, in sedem illam evectus fuisset, neminem eorum reclamaturum fuisse, qui tanto numero post Eustathium omnia commoverunt, ne occultis etiam Arianis parerent? Non ita illis, opinor, S. Philogonii strenuus adversus nacentem hanc pestem ardor universis exciderat. Aut si jam tantum Antiochiæ valebant Ariani; an non id etiam facere potuissent, atque adeo fecissent, ne Paulino succederet Eustathius, et quidem communi, ut a num. 144 E dictum est, episcoporum, clericorum ac plebis consensu, imo etiam invitus? Restat igitur, ut ordinem illum, quem hic damus, Paulini isti duo servarint.

licet ejusmodi translationes prohibitæ essent in Concilio Nicæno.

171 Non ignoro tamen, opponi aliqua jam dictis posse; atque imprimis canonem XV concilii Nicæni, qui sic statuit: *Propter multum tumultum, et seditiones quæ fiunt, omnino visum est, ut consuetudo, quæ præter canonem* (Apostolorum XIII, tom. I Labbei, col. 27) *in non nullis partibus invenitur, tollatur: ut a civitate in civitatem nec episcopus nec presbyter, nec diaconus transeat. Si quis autem post sanctæ et magnæ synodi definitionem tale quidpiam aggressus fuerit, vel se res ejusmodi dederit, quod factum erit, omnino infirmabitur* etc. Sane, inquis, credi vix potest, regulam hanc ab Eusebianis, qui dum vixit Constantinus, in istius synodi verba jurare omnino videri saltem volebant, Paulini ex episcopatu Tyrio ad Antiochensem promotione violatam fuisse; ante concilium igitur id factum potius, quam post illud, apparet. Verum hæc objectio facile diluitur; per illum enim canonem Nicæni F Patres consuetudinem tantum illam sublatam voluere, quæ præter, seu contra canonem in non nullis partibus invaluerat: Canon vero ille alius non videtur fuisse, quam qui inter Apostolicos numeratur decimus tertius; qui cavet quidem, ut *episcopo non liceat, sua relicta parochia, ad aliam transilire, etiamsi a pluribus cogatur*: Sed vide quos casus excipiat: *Nisi*, inquit, *sit aliqua causa rationi consentanea, quæ eum cogat hoc facere, utpote ad majus lucrum, cum possit ipse iis, qui illic habitant, pietatis verbo conferre: idque non ex se, sed multorum episcoporum judicio et maxima exhortatione.*

quod facil[illegible] Arianis[illegible]

172 Quis hic non videat, quam speciosæ istiusmodi translationibus prætendi causæ ab episcopis Arianis, Antiochiæ post amotum Eustathium regnantibus, potuerint? ut adeo dubitandum non sit, quin id sæpius factitarint: nam, ut de Eusebio Cæsariensi, quem tanto ambitu Cæsarea paulo post Antiochiam, quamquam assentiri ipse noluit, traducere tentaverunt, aliisque sileam, adisis, lector,

A lector, epistolam concilii Sardicensis ad omnes episcopos, quam ex Athanasii Apologia II exhibet Labbeus tom. II Concil. col. 670; in ea præter alia gravissima Arianorum crimina reperies col. 675, referri *Transpositiones a minoribus civitatibus ad majores parœcias.* Vide etiam quæ habentur paulo superius in eadem columna ad litteram B, ubi non multum absimilia narrantur, simulque qua causa fierent, et quo imprimis auctore; eodem illo scilicet Eusebio, qui exigendum Antiochia S. Eustathium curavit.

et auctores alii qui Paulinum hic omittant;

173 Alterum quod officere non nihil huic sententiæ nostræ videtur, est veterum auctorum, qui seriem episcoporum Antiochensium ad sua usque tempora integram texuerunt, altum de hoc Paulino, tamquam Eustathii successore, silentium. Sed nec illud commovere nos debet; quando testes habemus Eusebium, Philostorgium ac Suidam : dissidia enim eorum, qui, quod alium præter Eustathium agnoscere præsulem recusabant, Eustathiani dicti sunt, et Eusebianorum, qui suæ factionis homines in Eustathii exulis locum intrudebant, B in varias quoque sententias illorum temporum historicos distraxerunt; ut alios alii patriarchas expunxerint. Ita Paulinum hunc tres, quos dixi, auctores recensent, ceteri prætermittunt; ita Eulalium atque Eusebium Cæsariensem notat Hieronymus; Eusebium contra Theodoretus, Nicephorus, Theophanes aliique rejiciunt; imo et Eusebium et Eulalium Theodorus Mopsuestiæus apud Nicetam in Thesauro orthod. fid. lib. IV, cap. IX, Socrates, qui sedem Antiochenam octo continuis post Eustathium annis vacasse insuper meminit, Sozomenus, Zonaras. Sed de his aliisque, qui sequuntur, antistitibus Arianis ordine suo plura dicentur. Hanc interim Paulini nostri successionem, adversus Gothofredum dissert. in Philostorgii lib. III, cap. XV, aliosque, vindicat erudite Valesius annot. in Eusebii Hist. eccl. lib. X, cap. I; falsumque adeo dicit esse, quod ait Socrates lib. I Hist. eccl. cap. XXIV, post abdicationem Eustathii, Antiochenam sedem octo annorum spatio vacuam permansisse : vide C annotationes ejus in Socratem. Idem etiam ex dicendis palam fiet.

licet etiam alius fuerit episcopus Tyri in Concilio Nicæno.

174 Tertia difficultas, haud paulo gravior, hæc est : Tyri in Phœnicia episcopus fuit Zenon quidam antiquus, idque non modo tempore concilii Nicæni, cui subscripsit, ut videre est apud Labbeum tom. II Concil. col. 51; verum etiam ante illud, cum encyclicam ad eum epistolam daret S. Alexander episcopus Alexandrinus, ut auctor est S. Epiphanius hæresi 69, § IV in editione Petavii. Si ergo episcopus Tyri jam pridem Paulinus fuerit ante initium persecutionis Licinianæ, id est, diu ante annum Christi CCCXIX; tum si ex episcopatu Tyrio ad Antiochensem ascendit; videtur id omnino factum esse debuisse etiam ante concilium Nicænum; quandoquidem jam tum episcopus Tyri erat Zenon. In omnem partem hic se versat Tillemontius not. 1 in S. Eustathium, nec videas ubi tandem consistat; nisi ad inscriptionem controversiæ redeas, ubi mentem ipse suam, ac nostram exponit. Ego rem omnem brevi compendio confectum iri existimo, si Paulinum ac Zenonem simul episcopos fuisse Tyri dicamus; et hunc quidem ἀρχαῖον, hoc est, antiquum, ut eum vocat Epiphanius; quia episcopatum illum ante Paulinum gesserit, eumque sibi sive senii, sive affectæ valetudinis, sive alia qua causa coadjutorem aut successorem adsciverit, ad eum modum, quo de S. Narcisso Hierosolymitano aliisque non semel est dictum.

qui videtur Paulinum habuisse collegam:

175 Et vero quo alio pacto aut secum ipse, aut cum aliis, quos num. 132 et seq. produximus, conciliari possit Epiphanius, non intelligo. Postquam enim loco jam dicto meminit circularium litterarum ad Zenonem aliosque episcopos ab Alexandro missarum, statim subjicit § VI epistolam, ab Ario ad Eusebium Nicomediensem illarum occasione scriptam, in qua inter alios episcopos, secum consentientes, Paulinum appellat hæresiarcha, et quidem Tyri episcopum, ut explicat Theodoretus Hist. eccl. lib. I, cap. IV in fine. Erat ergo Tyri una cum Zenone episcopus Paulinus ante synodum Nicænam; erat et in ipsa synodo; ut de Zenone fidem facit subscriptio, de Paulino autem auctores num. 132 et seq. citati. Nihil itaque E objectus nobis Zenon incommodat. Grandem tamen, scio, in hoc responso difficultatem Tillemontius apprehendit : non enim apparet, inquit, quam aliam ob causam Zenon episcopatus onera, reservato sibi illius honore, transferre potuerit in alium, nisi ob senectutem; quod si adeo senuerat, cum primum Paulinus Tyri creatus est episcopus, id est, diu admodum ante annum CCCXIX; satisne fuerit viribus et corpore ad iter Nicænum, ad quod omnino non tenebatur, anno demum CCCXXV comparatus? Enimvero, inquit, brevior est ac forte verior hisce tricis expediendi ratio, si dixeris, non magni in historia ponderis esse subscriptiones concilii Nicæni; parum etiam, in rebus maxime Arianorum, valere S. Epiphanium.

nempe Zenon, qui synodo subscripsit.

176 At mihi quidem ejus argumentum nequaquam tanti est, ut eo adigat. Quid enim? Si Zenonem annos finxeris (ut agam liberaliter) LXVIII natum ad annum Christi circiter CCCXIV, ac non nulla insuper tentatum ægritudine, quæ tardam ac dubiam exigeret medicinam; numquid non satis id causæ F erat, cur sibi adjutorem adlegeret, iis maxime temporibus, cum, sublata nuper diuturna acerbissimaque persecutione, instauranda templorum ædificia, corrigendi mores, collapsa pene religio revocanda, instruendi fideles, dispersi colligendi, lapsi restituendi, pagani certatim ad veri Dei cultum convolantes Christianis sacris imbuendi, validissimum sane sine mora Præsulem requirebant? Fac igitur id ætatis tum fuerit Zenon; quid ni octogenario minor, Tyro, ex portu longe celeberrimo solvere in Bithyniam potuit? Quam vero graves eo rationes impellebant? Invitatio imperatoris, S. Alexandri Alexandrini aliorumque orthodoxorum, quibus Paulini nimium quantum suspecta fides erat, adhortatio, ultimum denique, in quod res catholica; imo ecclesia præ multis aliis Tyria, vocabatur, discrimen. Quid? Tot inter senes ætate decrepitos, qui etiam effossis istuc oculis, ac poplitibus succisis adrepserant, unum se, et quidem solo senectutis obtentu, desiderari, si modo aliquid vitæ supererat, Zenon ille sit passus? Non equidem

SÆCULUM IV

dem crediderim : neque adeo desperatum illud placet effugium : quo aut subscriptionum in hoc nomine fides, aut S. Epiphanii elevatur auctoritas.

Sedit vero Antiochiæ Paulinus sex circiter menses, ab anno Christi 331 non valde adulto.

177 Narrat Philostorgius Hist. eccl. lib. III, cap. XV, Aëtium ab egestate sua et aurificis opificio in disciplinam concessisse Paulini, *qui ex ephoria Tyri ad Antiochenam translatus fuerat* : (Suidas habet ad vocem Aëtius; *Ad Paulinum se confert, recens Antiochiam Tyro profectum)* tum, paucis interjectis, subdit : *Ubi vero is post sex menses obiit, ejusque loco Eulalius sedem obtinuit*, etc. Ex quibus planum fit, non nisi semestrem circiter fuisse Paulini Tyrii patriarchatum ; ac proinde, ut ex num. 158 colligitur, intra annum Christi CCCXXXI exspirasse.

Vitæ ejus compendium. Utrique Eusebio.

178 Juvat nunc quæ ad hujus viri notitiam faciunt, non nulla subtexere. Fuerat is primum presbyter Antiochenus, teste Eusebio contra Marcellum Ancyratem lib. I, cap. IV, saltem juxta textum ac versionem a Valesio castigatam annot. in Eusebii Hist. eccl. lib. X, cap. I. Inde ad infulas Tyrum B evocatus, dirutam istic a Diocletiano ecclesiam illam, quam prolixe describit Eusebius Hist. eccl. lib. X, cap. IV, e ruderibus excitavit. Mirifice Paulinum hunc coluit Eusebius Pamphili, ut cui libros Historiæ ecclesiasticæ aliosque nuncupavit; vide Valesium annot. in Eusebii lib. X, cap. I. Idem locis modo notatis vivum ac defunctum immodicis exornat præconiis uti, et apud ipsum lib. I contra Marcellum cap. IV Asterius, sophista item Eusebianus, de quo videri potest S. Athanasius de Synodis Arim. et Seleuc. num. 18, in edit. Benedict. tom. I, parte II, pag. 731, aut Socrates Hist. eccl. lib. I, cap. XXXVI, editionis Valesianæ : nec ea penitus non meruisse visus est, donec Ariana nondum illum lues afflaverat ; quantum enim in utramvis partem ejus inclinatio valeret, testatur Eusebius Nicomediensis in epistola, quam exhibet Theodoretus Hist. eccl. lib. I, cap. V, quaque illum exhortatur, ut rupto silentio, vocem ac stylum suum excultum ad Ariana dogmata defendenda expromat : nam *Eusebii* (Cæsariensis) *Domini mei*, inquit, C *causa lætitiam* (ob ejus in tuenda veritate, Ariana scilicet, studium ;) *tua vero dolorem cepimus, conjectantes tanti viri vel silentium, cladem nobis esse non exiguam.*

et Ario in pretio fuit.

179 Inter suos eum censet Arius, ut supra ex Theodoreto lib. I, cap. IV diximus. Et sane antequam Nicæna synodus celebraretur, blasphemias scripserat haud absimiles Arianis, ut S. Athanasius docet in epist. de synodis Arim. et Seleuc. § XVII, p. 730. In ipsa synodo quid egerit, habes num. 132 et 133. Antiochiam deinde artibus Eusebianorum promotus, discipulum, hæretico magistro non indignum, excoluit, atque ab invidorum, quoad vixit, insectationibus vindicavit, Aëtium ; ut Philostorgius mox assignatus ac Suidas est auctor. Cetera quæ ibi gesserit, comperta non habemus ; nisi quod brevissimo tempore usurpata malis* artibus dignitate gavisus est. Hæc *sedis brevitas*, inquit Pagius anno Christi CCCXL, num. 21, *in causa fuit, cur a laudatis auctoribus memoratus non fuerit ;* sed si ita est, cur Eulalius a plerisque memoratur, cujus episcopatus, secundum ipsum ibidem, dimidia parte fuit D brevior ?

XXVI. EULALIUS.

Eulalius sed. ab A. C. 331 usque ad ineuntem 332.

EULALIUM Paulino suffectum jam ex Philostorgio dedi numero superiore. Eumdem patriarchis nostris inserunt S. Hieronymus, Nicephorus CP., Theophanes, Eutychius pag. 455, ubi eum *Valerium* nuncupat ; etc. Adi numerum 173. Exiguo tempore, ut habet Theodoretus Hist. eccl. lib. I, cap. XXI, ordinationi suæ supervixit. Theophanes tamen ac Nicephorus in Chronicis ei numerant annos tres, Eutychius undecim ; sed quo plures numerant, hoc aberrant longius. Et hæc quidem chronologia per Theodoretum cum hic, tum num. 155 citatum, evertitur ; cum neque anni XI, imo neque III, *breve tempus* dici possint ; neque adjecti ceteris, qui ab Eustathii abdicatione usque ad Meletium ab illis auctoribus putantur, annos XXX conficiant ; sed E apud Eutychium XXXVII ; apud Nicephorum vero ac Theophanem XL. Sed et alia est ratio, cur notatos hic ab illis annos rejicias, uti et vacationem per annos octo continuos ab Eustathio usque ad Euphronium, quam adstruit Socrates lib. I, cap. XXIV : quia nimirum hæc omnia annum Christi CCCXXXV longe excedunt, quo Flacillus, Euphronii successor, conciliabulo Tyrio si non præsedit, ut probat Tillemontius tom. VIII Monum. art. 17 in S. Athanasium, certe inter primarios interfuit, ut facilis conjectura est ex epistola tum episcoporum 47, Dionysio comiti oblata, tum ipsius Dionysii ad Eusebianos, apud Labbeum tom. II Concil. 454 et 455.

occultus erat Arianus : sed infestus Aëtio.

181 His itaque missis, Theodoretum sequimur, qui per ὀλίγον χρόνον pauculos, ut summum, menses intelligit, si enim annum unum adeptæ dignitati superstitem Eulalium fuisse credidisset, cur illum non æque consignasset Eulalio, quam *annum unum et paucos menses*, ibidem designavit Euphronio ? Non est igitur, quod ultra anni CCCXXXII initium Eulalii tempora protrahamus ; neque F adeo verum est, quod narrat Eutychius pag. 459, eum synodo Tyri congregatæ (anno Christi CCCXXXV) adfuisse. Ariana labe, teste Theodoreto loco citato, non secus atque Euphronius ac Flacillus, occulte laboravit ; nihilo tamen secius Aëtium per invidiam, ut habet Philostorgius lib. III, cap. XV, facessere jussit Antiochia : alia ejus acta nos fugiunt.

PARERGON

Eusebius Cæsariensis.

P[illegible]triarchal[illegible] Eusebius [illegible] tum numq[illegible] admisit

E*usebium Pamphili* pari cum ceteris præsulibus Antiochenis ordine in Chronico recenset Hieronymus ; non alia, opinor, de causa, quam quod Antieustathianorum ad illam sedem suffragiis expetitus ac designatus fuerit ; quamquam eam ab episcopatu Cæsariensi

A riensi translationem et constanter ipse recusaverit, et per Constantinum imp. curaverit impediri, ut patet ex ejus epistola, de Vita Constantini lib. III, cap. LXI; sive quod Nicæni canonis religiosus videri volebat observator, ut ibidem innuitur; seu potius, quod notat Socrates Hist. eccl. lib. I, cap. XXIV editionis Valesianæ, ut exortum ita Eustathianos inter et Eusebianos tumultum compesceret: neque enim, ut narrat hic auctor, in Eustathii depositione tantummodo coorta est ingens seditio; *sed et postea frequenter* (πολλάκις, quam vocem in versione sua Valesius omisit) *cum de episcopo eligendo ageretur, tanta flamma dissensionis exarsit, ut parum abfuerit, quin tota civitas funditus everteretur, populo in duas partes diviso; et his quidem Eusebium Pamphili a Cæsarea Palæstinæ Antiochiam transferre; illis vero Eustathium in sedem suam restituere contendentibus..... et imperator quidem litteris suis; Eusebius vero episcopatum recusando* B *tumultum illum ac seditionem sedavit.*

atque ita seditionem Antiochiæ sæpius exortam, compressit.

183 Notandum vero hic est illud μεταταῦτα πολλάκις, *postea frequenter*, ab Eustathio scilicet usque ad Euphronium, ut colligitur ex eodem capite: hinc enim liquet nec semel per illud tempus de episcopo eligendo actum, nec semel excitatas fuisse turbas Antiochiæ; sed sæpius; puta ter: primo cum de Paulini electione tractaretur, obnitentibus haud dubie episcopo Arii blasphemias palam professo, quotquot erant, catholicis: quem proinde soli auctores Ariani Eusebius ac Philostorgius patriarcham agnoverint; ceteri episcoporum suorum albo indignum censuerint: iterum deinde, cum Paulino defuncto substitutus ab eadem factione Eulalius est; cui forte, quod non nisi occulte ab Ario staret, non ab omnibus orthodoxis reclamatum est; unde et plerique ejus nomen inter patriarchas retulerint; quamvis non deessent, qui restitutum identidem Eustathium constantissime vellent; nec alium quemquam admitterent; quæ ratio esse potuit, cur Eulalium perinde ac Paulinum Socrates ignoraverit episcopum Antiochensem fuisse; ideoque turbas horum occasione bis natas in eum contulerit, quem solum nove- C rat, Eusebium scilicet Cæsariensem; cujus tentata ab Eusebianis in thronum Antiochensem translatio non poterat non tertiam, eamque gravissimam, commovere seditionem; dum is pro Eustathio, quem boni omnes deperierant, obtrudebatur antistes, qui præcipuas cum Eusebio Nicomediensi in sanctissimi præsulis oppressione sacrilega partes egerat, omniumque adeo fuerat malorum, quæ Antiochenos inde consecuta sunt, auctor.

184 Senserat exortam sua causa tempestatem Eusebius; cumque aliud nullum esset malo remedium, amoliri a se quacumque ope posset, dignitatem illam periculi plenam maluit, quam eam per strictos tumultuantium gladios mutua civium cæde contaminatus invadere. Ita ejus interventu pacem dissidentium inter se partium factam, cum Socrate intelligo; quam ne Eusebiani, nimis obstinate episcopi Cæsariensis translationem, cui jam ipse renunciaverat, urgendo iterum perturbarent, hortatus eos est per litteras Constantinus, ut eum nequaquam sibi vindicare vellent. Atque hoc pacto Socrati cum Eusebio de Vita Const. lib. III, cap. LIX optime convenit, dum ait, imperatorem quidem litteris suis; Eusebium vero episcopatum recusando tumultum illum ac seditionem sedavisse.

Postulans vero ad patriarchatum fuit, non statim post depositum Eustathium; sed post Eulalium.

185 De tempore, quo istud acciderit, litem Theodoreto movet Valesius annot. in Historiæ ejus ecclesiasticæ lib. I, cap. XXII: *Non possum*, inquit, *assentiri Theodoreto, qui post mortem Eulalii Eusebium Cæsariensem ad episcopatum Antiochenæ urbis vocatum fuisse dicit. Nam Eusebius ipse in libro* 3 *de Vita Constantini aperte indicat, id statim post depositionem Eustathii factum fuisse. Sed et litteræ imp. Constantini, ibidem ab Eusebio relatæ, id ipsum non obscure indicant.* At ego neutrum hoc assentiri possum Valesio: nam Eusebius quidem libro citato, cap. LIX tumultus omnes Antiochenos in unum confundit; quippe uni Eustathio, quem revocatum volebant identidem, imputatos, nec fere interquiescentes, maxime cum brevissimi episcopatus Paulini atque Eulalii, frequentesque electiones vix spatium sopiendæ aliquantulum discordiarum flammæ concederent; imo tanto eam accenderent E magis, quanto plures pro Eustathio Eustathii fideique hostes obtrudebantur. Resuscitatam tamen eam aliquoties fuisse, satis ibidem indicat, cum de imperatore scribit: *Aliisque super alias scriptis litteris hortatus est eos, ut paci studerent.* Tum subdit: *Quocirca has quidem* (litteras) *impræsentia omittam, quippe qui malorum memoriam haudquaquam renovare decreverim*; quibus verbis satis ostendit, non nisi obiter sese et confuse de tota hac re meminisse. Ac tum demum ad ea aggreditur, quæ ad sedatos utcumque per suam oblati patriarchatus recusationem Antiochenorum animos pertinent. Non igitur aperte indicat, electionem suam statim post depositionem Eustathii factam fuisse.

186 Quod ad epistolas attinet Constantini, ab Eusebio ibidem a cap. LX relatas, eæ omnino contra Valesium faciunt: nam eo collimant unice, ut ne congregati apud Antiochiam episcopi Eusebium Cæsarea Antiochiam abstrahant; tum ut eumdem Eusebium impense laudent, qui *et mandata Dei et apostolicam atque ecclesiasticam regulam custodire statuerit, episcopatum Antiochensis ecclesiæ* F *repudians, et in eo potius permanere desiderans, quem Dei mandatu ab initio suscepisset.* Tum denique, ut episcopos illos hortentur, ut in novi præsulis electione, *ea decernant, quæ Apostolorum traditioni consentiunt*; atque *juxta Ecclesiæ regulam et apostolicam traditionem ita hanc electionem dirigant, quemadmodum ecclesiasticæ disciplinæ ratio postulat*, cap. LXII. Manifeste canonem tum Apostolicum, tum Nicænum intelligit imperator, translationes istiusmodi, uti ante diximus, prohibentem; vide Sozomenum lib. II, cap. XIX. Cedo, quando istud scriptum est? Statim post Eustathii depositionem, inquit; adeoque priusquam de Paulino et post illum de Eulalio fuit actum. Itane vero? Ergo ausi fuerint Eusebiani post expressam adeo Constantini prohibitionem Paulinum ab episcopatu Tyrio ad Antiochensem transferre? Quid enim in Paulini translatione post hoc imperatoris interdictum minus futurum fuisset piaculi, quam in translatione Eusebii? Certissime ergo hanc ista præcessit;

Sæculum IV.

cessit; neque adeo de Eusebii electione statim post Eustathii depositionem hæc agitari cœperunt: neque proinde est, cur ab Hieronymo ac Theodoreto, qui eam post Eulalii obitum collocant, recedatur.

et ante Euphronium.

187 Accedit quod in eadem epistola, cap. LXII, Constantinus, id agentibus ipsis sine dubio Eusebianis, duos nominatim offerat synodo pro Eusebio Pamphili eligendos, ac primo quidem loco *Euphronium presbyterum, civem Cæsareæ, quæ est in Cappadocia,* deinde *Georgium Arethusiorum civem, itidem presbyterum,* de quibus ait, ad se relatum esse (ab Eusebianis videlicet,) *viros esse in doctrina fidei probatissimos.* Tum subjicit: *Placuit itaque significare prudentiæ vestræ, ut hos viros, et alios, quos ad episcopatum idoneos judicaveritis, in medium proferentes, ea decernatis, quæ Apostolorum traditioni conveniunt* etc. Dubiumne esse cuiquam potest, quin eum statim pro Eusebio Eusebiani elegerint, quem primo loco imperator eis suggesserat; imo quem ipsi Eusebiani potius primum suggesserant imperatori? Quis credat, qui Arianos noverit? B Eusebii loco igitur electus illico est Euphronius. Hic autem sine controversia fuit Paulino Tyrio, Eulalioque posterior; posterior his ergo etiam fuit Eusebii Cæsariensis ad episcopatum illum postulatio, quam inter et Euphronii electionem aliud intercessit nihil, nisi quod illi Eusebius obstitit, idque ratum esse voluerit ac per litteras significaverit imperator.

XXVII. EUPHRONIUS.

Sedit Euphronius Arianus a medio fere anno Christi 332 usque 333 declinantem.

Acceptis *igitur,* inquit Sozomenus lib. II, cap. XIX, *imperatoris litteris,* de quibus a num. 185, Euphronium *episcopum ordinarunt;* omisso scilicet Eusebio (ut cum Socrate ac Theodoreto sentit hic auctor; imo et cum Hieronymo, ut eum ante exposuimus;) et post Eulalium, ut ceteri omnes antiqui tradunt. Arianum fuisse docet Hieronymus in Chronico, aliique; hæresim tamen illam semper occuluit, ut num. 181 ex Theodo- C reto observavimus; quamquam cum eo *familiariter vixit,* teste Sozomeno lib. III, cap. VI, Eusebius Emisenus, *Arianæ,* ut habet S. Hieronymus in Chronico ad annum XI Constantii imp., *signifer factionis.* Quin etiam *opera ac studio eorum, qui Nicænam fidem convellere nitebantur,* teste Socrate lib. I, cap. XXIV, *episcopus ordinatus est,* aliquot mensibus post obitum Eulalii, ut verisimile faciunt ea, quæ modo dicta sunt de Eusebio, adeoque anno Christi CCCXXXII ad medium circiter vergente: præfuitque usque ad annum CCCXXXIII paucis amplius mensibus adultum: *Annum enim et paucos menses,* inquit Theodoretus lib. I, cap. XXI, *post ordinationem vixit;* cui suffragatur Eutychius pag. 476, ubi *Cyprianum* (ita Euphronium appellat) sedisse scribit biennium, intellige inchoatum. Nicephorus CP., Theophanes, Zonaras lib. XII, num. 34 annos VIII adscribunt, et Zonaras quidem non litteris arithmeticis, sed verbis integris ἔτος ὄγδοον. Verum potior hic esse debet, quanto antiquior, Theodoreti auctoritas: redi ad num. 180.

D

XXVIII. FLACILLUS.

Sedit ab A. C 333 usque ad 345.

Cum in Euphronium præmatura morte, item ut in decessores ejus iniquissimos, animadvertisset divina justitia, cessit ecclesia Antiochena Flacillo; qua de re inter scriptores quidem omnes convenit; at in nomine mira discrepantia est: quem enim apud S. Athanasium in Apologia II contra Arianos, pag. 141 Julius Papa, et pag. 196 episcopi Ægyptii, qui Tyrum venerant, et pag. 197 Flavius Dyonisius comes *Flacillum* nuncupant, eum vocat Hieronymus in Chronico *Placillum;* Socrates lib. II, cap. VIII *Placitum,* at in Historia tripartita, interprete Epiphanio Scholastico, *Flacillum;* Sozomenus lib. III, cap. VI, quem sequitur Nicephorus Callistus lib. IX, cap. XXIII, *Placetum;* Theodoretus lib. I, cap. XXII apud Christophorsonum ac Valesium, *Placentium,* at juxta Sirmondum cap. XXI, *Phlacitum;* eodem nomine venit apud Theophanem et Zonaram; Nice- E phorus CP., *Phacellium,* aut, si fidelior est Scaliger; *Phanellium* appellat; ac tandem Eutychius pag. 476, *Blasium.* Ego antiquissimos, et qui cum eo vixerint, sectandos putavi. Sedem igitur illam Flacillus obtinuit, Nicephoro CP. ac Theophane testibus, annos XII; et quidem, uti Zonaras utcumque innuit lib. XII Annal. num. 34, expletos; id est, ab anno Christi CCCXXXIII declinante, ut ex numero superiori colligitur, usque ad CCCXLV propemodum exeuntem; cui equidem rationi, cum nihil sciam officere, libenter subscribo. Hoc certum, ut postea videbimus, anno Christi CCCXLI episcopum illum Antiochenum fuisse; ac proinde falli Eutychium pag. 476, qui quatuor ei tantum annos assignat.

Arianus fuit, ab Eusebio Cæsariensi aliisque magno in pretio habitus.

190 Ariana hic item labe, ut ex Theodoreto num. 181 monuimus, sed occulte, laborabat; Eusebianis vero, quibus et acceptam referre dignitatem debebat, impense favit ac palam: siquidem Eusebium Emisenum, de quo num. 188, Eusebii Cæsariensis ac Patrophili Scythopolitani episcopi discipulum, non F modo in familiaritatem adscivit; verum etiam episcopum deinde Emisenis datum, atque ab ecclesia illa de astronomia apotelesmatica, vulgo judiciaria, postulatum, vixque præcipiti furentis ob eam rem populi manibus elapsum fuga, adnitentibus Narcisso ac Georgio Laodiceno, restituit; ut est apud Sozomenum lib. III, cap. VI. Tanti porro eum fecit Eusebius Pamphili cum amicitiæ, tum eruditionis causa; ut libros tres de Theologia ecclesiastica contra Marcellum Ancyratem post iniquam ejus condemnationem, id est, anno CCCXXXVI, ut vult Tillemontius tom. VII Monumentorum, ubi de Eusebio Cæsariensi, art. 8, aut paulo serius, ut Labbeo de Scriptorib. eccl. tom. I, pag. 307 visum est, elaboratos ita inscripserit: *Reverendo admodum* (τιμιωτάτῳ) *et dilecto comministro Flacillo, Eusebius in Christo salutem:* neque hoc tantum; sed etiam lucubrationem illam suam ejus omnino censuræ commiserit: *Si quid defuerit,* inquit ibidem, *tuum erit implere... Si opus alicubi correctione atque medicina*

medicina fuerit, in hac quoque parte reformationem adhibebis. Vide Richardi Montacutii notam 1 in præf., aut potius Valesium in prolegomenis ad Historiam eccl. ejus, ubi de vita et scriptis Eusebii Cæsariensis, paulo ultra medium, et annot. in Socratis Hist. lib. II, cap. VIII; Tillemontium tom. VI Monum. de Arianis, art. 20, qui Flacillum hic nostrum ab Eusebio designari volunt.

Interfuit conciliabulo Tyrio;

191 Dubium igitur esse non potest, quin idem sit ille, qui conciliabulo Tyrio (anno Christi CCCXXXV) interfuisse, locis supra in Athanasii Apologia citatis, dicitur. Theodoretus certe episcopum Antiochensem factum eum narrat lib. I, cap. XXI; de synodo autem Tyria primum agit cap. XXVII. Cur igitur ad synodum talem non venisset? Aut quis alius ei Flacillus interfuisset? Quin et præsedisse eum non nulla suspicio est; sive propter sedis Antiochenæ dignitatem; sive quod Tyrus ejus patriarchatui suberat, maximoque istuc numero subditarum sibi ecclesiarum episcopi confluxerant: *Nec deerant,* inquit jactabundus Eusebius de Vita Constantini lib. IV, cap. XLIII, *ex Ciliciæ episcopis clarissimi quique . . . . Adhæc Syria omnis, Mesopotamia, Phœnice, Arabia :* quæ omnes patriarchicæ ecclesiæ Antiochenæ parebant, ut docet Carolus a S. Paulo in sua Geographia sacra, lib XI. Vide etiam Schelstratium Antiq. eccl. tom. II, dissert. V, cap. IV. Et licet hæc narret Eusebius de iis, qui Hierosolymis aderant, quo, relicta Tyro, conferre se ab imperatore jussi episcopi synodum instaurabant; tamen eosdem illos, aut eorum plerosque, Tyrio conventui interfuisse, manifeste eruitur a capite XLI.

anno Christi 435;

192 Sed nihil æque conjecturam hanc firmat, ut epistola Flavii Dionysii in eadem S. Athanasii Apologia II, pag. 197 : cum enim de conjurationibus insidiisque Eusebianorum apud Tyrum coactorum, atque imprimis de missis in Mareotidem legatis, quos ipsi recusaverant, questi essent catholici, qui ex Ægypto aderant, episcopi, idemque Alexander episcopus Thessalonicensis moneret, *Dionysius comes,* inquit Athanasius, *Eusebianis rescripsit his verbis :* juxta veterem versionem apud Labbeum tom. II Concil. col. 456 : *Hæc ipsa erant, quæ dicebam domino meo Flacillo : Athanasius insurget, dicetque, quos ipse rejecerat, eos ad istud negotium submitti, seque injuria tractari et circumveniri vociferabitur.* (Hæc futura in præterita mutant nuperi interpretes; forte quod ἀόριστοι fere pro præteritis adhibentur; verum eos non numquam pro futuris etiam adhiberi, docent Grammatici.) Nam quid, obsecro, hæc admonitio ad Flacillum proprie pertinebat; nisi quia ipse prædicto jam sibi incommodo poterat occurrere, efficiendo, ut nulli mitterentur legati, nisi communi calculo ac decreto delecti; atque adeo nisi ad ipsum synodi totius moderatio spectaret? Sed et aliud est, quod hic observatum velim; nimirum haud placere satis mihi editas hactenus hujus epistolæ versiones, quæ habent omnes loco jam dato : *Domino meo Flacillo :* nam Græce legitur : Ταῦτα ἦν ἃ νῦν διελεγόμην τοῖς κυρίοις μου τοις περὶ Φλάκιλλον, ὅτι etc. Id est, *Hæc ipsa erant, quæ dicebam dominis meis qui a partibus Flacilli stabant,* sive *Flacillianis :* sic enim potius vertendum videtur; sicut οἱ περὶ Εὐσέβιον, quod ad singulas fere paginas, atque in ipsa hujus epistolæ inscriptione, occurrit, recte vertitur *Eusebiani*, sive, *qui partes sectantur Eusebii :* non diffiteor tamen, hæc phrasi apud Græcos unam sæpe personam designari; idque ex sensu et adjunctis non numquam colligi; sed in hac epistola puto ego significari plures unius socios, imo ipsos illos, ad quos scribit Dionysius, Eusebianos : quibus antea significasse se ait, legatos communi decreto esse mittendos, adjecta sine dubio hujus suæ sententiæ causa; quod scilicet, nisi ita mitterentur legati, Athanasium vociferaturum timeret, se injuria affici etc. Iisdem igitur rem jam factam denunciat, quibus antea futuram prædixerat; eosdemque adeo, quos in titulo epistolæ S. Athanasius vocat τοὺς περὶ Εὐσέβιον, *Eusebianos,* appellat, ni fallor, Dionysius τοὺς κυρίους μου τοὺς περὶ Φλάκιλλον, id est, *Dominos meos Flacilli socios*, seu *Flaccillianos.* Idem sane in eadem epistola aliis verbis utitur, cum solum Alexandrum, episcopum Thessalonicensem, iterato compellat : ὁ κύριός μου τῆν ψυχῆς Ἀλέξανδρος; ὁ κύριός μου Ἀλέξανδρος. Atque hoc pacto sensus epistolæ Dionysianæ hic mihi videtur esse : Quæ vos nuper præmonebam, domini mei, qui Flacillum sequimini; hæc ipsa mihi modo renunciavit Alexander cœpisse fieri : cavete igitur, ne res ista accusationi sit obnoxia etc.

eique videtur præfuisse;

193 Hæc animadversio mirifice favet opinioni propositæ : nam cum Flacillus ejusdem omnino esset sententiæ, eademque omnia vellet, quæ volebant Eusebiani; sequitur sane, ut iidem fuerint Flacilliani in hac synodo et Eusebiani. Sicuti ergo ubique dicti sunt *Eusebiani;* quia eorum in omnibus antesignanus erat Eusebius; ita non video, cur iidem in hac synodo nuncupentur a Dionysio *Flacilliani*, nisi quia ipsis in hac synodo Flacillus præerat, remque ipsorum contra orthodoxos, qui ad synodum convenerant, primaria auctoritate gerebat. Quod si Tyri cœperit, haud dubie continuavit Hierosolymis. Hæc opinio satis apparet probabilis; placuitque Tillemontio tom. VI Monum. de Arianis art. 20.

licet S. Epiphanius præsedisse velit Eusebium Cæsariensem.

194 S. Epiphanius tamen hæresi LXVIII, sive XLVIII num. 7 sic habet : *Igitur Tyri in Phœnice convocari synodum jubet* (Constantinus imp.) *eique judicio præesse cum aliis nonnullis Cæsariensem* (non Nicomediensem, ut est in tom. II Concil. Labbe, col. 436) *Eusebium, qui omnes in Arianorum inanissimum dogma propensiores erant . . . . At beatus Potamo . . . qui . . . pro veritatis confessione alterum in persecutione oculum amiserat, Eusebium sedentem et judicantem, stantem vero Athanasium conspicatus : . . . Tene, inquit, Eusebi, sedere, et innocentem Athanasium a te judicari? Quis ista sustinere possit? Dic sodes; nonne mecum persecutionis tempore in custodia fuisti? Atque ego quidem oculum pro veritate perdidi, tu nulla corporis parte mutilatus es . . . . Qua ratione e custodia evolasti, nisi quod persecutoribus nostris nefarium facinus admissurum te esse recepisti, vel etiam admisisti? Hæc Eusebius audiens magnopere excanduit, et repente surgens, concilium dimisit* (διέλυσε τὸ δικαστήριον,) *itaque locutus est : Si huc accedentes tantopere nobis contradicere audetis, verum est profecto, quod vestri accusatores objiciunt,* etc. Hæc sane omnia

.ræsidem

SÆCULUM IV.

præsidem synodi Eusebium fuisse arguunt Cæsariensem; uti et quod statim sequitur num. 8 : *His hoc modo transactis, aliud quiddam aggressus est Eusebius et qui cum eo erant* (ergo ipse præcipuus fuit, alii quasi socii.) Tum narrat legationem Ursatii et Valentis Alexandriam et in Mareotidem ab Eusebio et suis destinatam. Hæc S. Epiphanii, tametsi in re Ariana non est ubique maxima, minime tamen levis haberi debet auctoritas, in re quæ contigerit anno Christi CCCXXXV, hoc est, IX circiter post annis, quam ipse monasticam vitam amplexus est : quando ei nemo aperte contradicit.

et S. Athanasius primas ibi tribuere videatur Eusebio Nicomediensi :

195 In Apologia vero II S. Athanasii contra Arianos, licet de Eusebio Cæsariensi, tamquam de adversario sibi inter hujusce synodi judices infestissimo, hinc inde catholici conquerantur, ut tomo I, parte I, pag. 130 editionis Benedictinorum, num. 8, itemque pag. 195; primum tamen ubique locum istic obtinet Eusebius Nicomediensis, qui fere simpliciter ibi vocitatur Eusebius : ut vide in epistola I, II, III episcoporum Ægypti catholicorum pag. 193, 195, 196 et alibi; non ita tamen, quin imperium cum aliis partitum habuerit (uti et habuit Eusebius Cæsariensis juxta S. Epiphanium supra.) Unum esto pro multis exemplum ex epistola synodi Alexandrinæ pag. 130 num. 8, ubi de synodo Tyria hæc habentur : *Quomodo synodum vocare audent, in qua comes* (Flavius Dionysius) *præsidebat? . . . . Ille jubebat; nos a militibus trahebamur; imo potius jubentibus Eusebianis,* τῶν περὶ Εὐσέβιον κελευόντων, *ille eorum sententiis obsequebatur.* Adde ipsummet Athanasium pag. 188, num. 72 : *Eusebiani,* inquit, . . . *auctores sunt Dionysio comiti ex eorum partibus stanti, ut quosdam in Mareotem mitteret.* Non igitur unus omnia pro auctoritate moderabatur Eusebius, sive Nicomediensis, ut contendit Valesius de vita et scriptis Eusebii Cæsariensis circa medium; sive Cæsariensis, sive alius eorum quispiam; sed omnes istius factionis coryphæi capita conferebant, in quibus satan usque adeo in se divisus non esset, quin in unam omnes Athanasii ruinam, atque Arii defensionem restitutionemque conjurati, consiliis inter sese per omnia congruerent : eodem omnes, eodem singuli spectabant; ut parum ipsorum ac meditati sceleris interesset, Flacillus, an Eusebius, an alius in tali confessu præsideret.

nam ubique Eusebio Flacillus dignitate præstabat.

196 Cur igitur dignitatis ratio servata non fuerit? Cur infra episcopum præsidem in ordinem redactus patriarcha consederit? Non ea certe hæreticorum hominum ratio est; ut, cum possunt, non maxima rebus suis ac partibus conquirere ac prætendere nomina studeant. At si ita est, inquis; cur Eusebius ubique primus appellatur? Cur Flacillus in epistola episcoporum Ægyptiorum ad comitem Dionysium pag. 196 inter hostes catholicarum partium tertio tantum loco comparet? Respondeo, fieri id potuisse, quod in illa epistola non adeo dignitatis atque ordinis in hac synodo obtenti, quam adhibitæ contra Orthodoxos operæ ac machinationis ratio habeatur; quibus excelluit plurimum Eusebius Nicomediensis, ac deinde Cæsariensis aliique apud imperatorem ac proceres, ipsumque adeo Flavium Dionysium in hoc conciliabulo regnantem, familiariter noti juxta et gratiosi. Sed de his jam satis, ac fortasse ad institutum nostrum aliquanto amplius dixi, quam par est.

Interfuit etiam Concilio Antiocheno A. C. 341.

197 Concilio item Antiocheno, *Coss. Marcellino et Probino, Indictione* 14 (Athanasius de synod. tom. I, parte I, pag. 737, num. 25) hoc est, anno Christi CCCXLI, inter primarios adstitit, ut indicat epistola Julii Papæ apud eumdem Athanasium in Apolog. cit. pag. 141, in qua Flacillum ac socios superbiæ arguit et contentionis, ostenditque, quam multa in concilio suo Antiocheno iniquissime gesserit. Ne vero dubium esse possit, noster, an alius quispiam Flacillus is fuerit, diserte id asserit Socrates lib. II, cap. VIII : *Præsidebat,* inquit, *eo tempore* (synodi Antiochenæ, Marcellino et Probino consulibus, ut statim dixerat, habitæ) *Antiochenæ ecclesiæ Placitus* (corrupte pro *Flacillus,* ut patet ex Historia tripartita) *qui Euphronio successerat.* Idemque testatur Sozomenus lib. III, cap. V.

Multa ejus et magna flagitia

198 Scelera porro ejus nervoso compendio Theodoretus complexus est Hist. eccl. lib. II, cap. XIX, ubi ait : *Quæ a Placito* (Flacillo) *et Stephano et Leontio* (successoribus ejus) *impie et inique apud Antiochiam gesta sunt, peculiare opus exigunt propter multitudinem, et Davidico planctu lugenda sunt propter magnitudinem : nam de his quoque dici convenit :* (Psalmo LXXXII, v. 2) *Quoniam, ecce, inimici tui sonuerunt, et qui oderunt te, extulerunt caput. Super populum tuum malignaverunt consilium et cogitaverunt adversus Sanctos tuos. Dixerunt : Venite, et disperdamus eos de gente, et non memoretur nomen Israël ultra.*

XXIX. STEPHANUS I.

Stephanus Arianus ab Arianis promotus ad patriarchatum A. C. 345 elabente.

Flacillo STEPHANUM subjungunt S. Hieronymus in Chron., Socrates lib II, cap. XVI, Nicephorus CP., Theophanes, Eutychius, qui eum vocat *Estathium,* et ceteri communiter. Hujus itaque initia non immerito ad annum Christi CCCXLV elabentem, juxta num. 189, revocaveris : certe id optime congruit cum S. Nicephori, Theophanis, ac Zonaræ chronologia, quæ annos tres episcopatum ejus tenuisse affirmat, itemque cum historia depositionis ejus, de qua dicam inferius. Quibus porro adnitentibus in solium illud evaserit, explicat S. Athanasius tom. I, parte I, in epistola ad episcopos Ægypti et Libyæ, pag. 277, num. 7 : *Quis ignorat,* inquit, *Secundum Pentapolitanum, qui olim ob insanam Arii hæresim sæpius fuit depositus, ab ipsis* (Eusebianis) *susceptum esse : promotos item Georgium, qui nunc Laodiceæ est episcopus, et Leontium castratum, et ante eum Stephanum* etc.? Et rursus in epistola ad Solitarios sive Historia Arianorum num. 4, pag. 347 eadem repetit his verbis : *Ac demum quos ille* (S. Eustathius) *impietatis causa in clerum non admittebat, hos, postquam episcopus in exilium est actus, non solum in Ecclesiam introduxere* (Ariani, seu potius Eusebiani;) *sed plerosque ex illis ordinarunt episcopos, ut eos suæ pro impietate conjurationis socios haberent. Ex quorum numero est Leontius castratus, qui nunc* (anno Christi CCCLVIII) *Antiochiæ episcopus est, et qui*

A *qui ante ipsum ibidem episcopus fuit Stephanus.*

præsedit conciliabulo Sardicensi A. C. 347: at in vera synodo Sardicensi propter crimina excommunicatus est:

200 Neque continuo spem eorum fefellit; siquidem, ut habet epistola sanctæ synodi Sardicensis, quæ est apud Theodoretum lib. II, cap. VI, Hilarium Fragmento II, Athanasium in Apologia II, num. apud hunc 48, pag. 166, inter Eusebianæ post Eusebium factionis principes insignis fuit; eique in pseudosynodo, nomine quidem, Sardicensi, at re vera Philippopoli in Thracia eodem fere tempore, hoc est, anno Christi CCCLVII, ab elapsis Sardica Eusebianis episcopis celebrata, præsedit; aut certe ibi decretis ante omnes subscripsit; ut vide ad calcem Fragmenti III inter Hilariana: ac proinde merito apud Athanasium citatum, num. 49, pag. 167 una cum aliis a vera ac sancta synodo Sardicensi non modo ab ecclesia sua, verum etiam a fidelium communione ob delata crimina communi calculo proscriptus est.

ac tandem etiam ab ipsis Eusebianis.

201 Sed decreta illi catholicorum curabant scilicet: nam *Qui depositi fuerunt,* inquit S. Athanasius in Historia Arianorum ad monachos tom. I, parte I, num. 18, pag. 354, B *quos vel tunc quiescere par fuit, post adeo turpem fugam digressi, talia perpetrarunt scelera, ut levia priora facinora iis collata viderentur.* Ea hic legere poterit, cujus interfuerit; mihi satis est ea seligere quæ ad Stephani depositionem spectant, ac breviter num. 20 narrantur in hunc modum: *Imo vero novum quoddam scelus aggrediuntur, eorum sane hæresi consentaneum; verum quod nec ante auditum, neque forte umquam futurum sit, ne vel apud gentilium quidem petulantissimos, nedum apud Christianos. Nam cum sacra synodus legatos episcopos misisset Vincentium, Capuæ, quæ metropolis est Campaniæ, episcopum, et Euphratem Agrippinæ, quæ metropolis est Galliæ superioris; ut, prout decretum a synodo fuerat, imperator* (Constantius) *episcopos in suas reverti ecclesias concederet, quos nempe expulisset ipse; etsi commendatitias pro episcopis litteras misisset fratri suo piissimus Constans; at admirandi homines, ad omneque scelus audacissimi, ubi illos Antiochiæ conspexere; una consilium ineunt; solus tamen Stephanus, utpote ad res hujusmodi probe comparatus, fabulam peragendam* C *suscipit.*

ob turpissimum facinus depositus.

202 *Publicam itaque meretricem ipsis sanctissimi Paschatis diebus mercede conductam, noctu ad Euphratem episcopum nudatam immittunt. Meretrix, quæ se initio a juvene accitam existimabat, prompte sequebatur; ubi autem intromissa ab illis, dormientem vidit hominem, ac rei quæ agebatur ignarum, dehinc senem hominem ac episcopi formam conspicata, clamore statim edito vim sibi inferri conquerebatur. Rogare illi, ut taceret, confictamque criminationem episcopo imponeret. Die igitur illucescente pervulgata res est, accurritque universa civitas. At qui e palatio erant, tanti rumoris stupore commoti, rogabant, ut ne illud silentio tegeretur. In jus itaque res vocatur, hominesque qui meretricem acciverant, leno prodidit: illi Stephanum: erant enim ejus clerici. Stephanus ergo episcopatu abdicatur, in ejusque locum Leontius castratus sufficitur, idque eo solum, ne Arianæ hæresi patronus deesset.* Depositus ergo est ab iis, per quos Leontius est evectus, id est, ab ipsis Arianis. Hæc omnia paulo explicatius traduntur a Theodoreto Hist. eccl., lib. II, cap. VI, VII et VIII (intellige semper editionem Sirmondi, nisi alia exprimatur.)

SÆCULUM IV. non anno Christi 347;

203 Jam ut rationem temporis ineamus, ex adducto S. Athanasii textu conficitur primo, evenisse, quæ modo diximus, non solummodo post absolutam synodum Sardicensem; sed etiam aliquamdiu post illam, cum inter eam ac depositionem Stephani tot Arianorum tamque grandia per universam Constantii ditionem in orthodoxos narret intercessisse flagitia. Constat indidem secundo, impiissimum Stephani facinus, atque adeo ejectionem, ad sanctissimi Paschatis dies esse referenda: non igitur ad annum CCCXLVII; quando, Rufino et Eusebio Coss., ut habet Socrates lib. II, cap. XX, ac Sozomenus lib. III, cap. XII, *anno undecimo post obitum Constantini,* qui a XXII Maii ejusdem anni CCCXLVII fluere cœpit, cum Pascha celebratum esset III Aprilis, convocatum est concilium Sardicense; necesse est igitur, hæc ad anni sequentis Pascha defigere; cum serius facta esse non possint. Constat enim insuper ex Athanasio ad Solitarios, pag. 356, num. 21, decem circiter post exauctoratum pulsumque Stephanum mensibus defunctum esse Gregorium, qui exulantis Athanasii sedem invaserat; quam necem in Januarium anni CCCXLIX conferunt E Papebrochius in Vita S. Athanasii ad diem II Maii, cap. XVII, Pagius ad annum Christi CCCXLVIII, num. 2, aliique.

sed, uti probatur ex Athanasio,

204 Denique narrat in eadem Arianorum ad Solitarios Historia S. Athanasius numero citato, affirmasse Constantium fratri suo Constanti in iis litteris, quibus demum Athanasius persuaderi se sivit, ut Constantium adiret, ipsomet teste num. 22, *se anno integro Athanasium exspectasse;* etiam antequam eum ad comitatum accivisset, ut ipsemet indicat in epistola sua prima ad Athanasium, quam habes in Apologia II, pag. 170, ubi, *Etsi diu distuli,* inquit, *mentis meæ propositum litteris tibi significare, eo quod te ultro accessurum, laboribusque tuis remedium rogaturum exspectarem; tamen* etc. itaque annus integer, quo Athanasium exspectaverit, ducendus est, non a morte Gregorii, quando primas ad Athanasium litteras misit, ut loco citato ad Solitarios dicitur: sed ab accepta fratris Constantis cum legatis Sardicensibus epistola, quando primum Constantius, Athanasii restitutionem F a fratre rogatus, *facturum se pollicitus est id quod frater ipsi mandaverat;* ut ait Theodoretus Valesii lib. II, cap. VIII in fine; hoc est, ab illo tempore, quo scelus jam dictum admisit luitque Stephanus.

anno Christi 348 circa pascha.

205 Annus ergo tantum unus elapsus erat ab ejectione Stephani, quando Constantium Antiochiæ tunc agentem, ut est in Apologia ad imp. Constantium tomo I, parte I, pag. 298, num. 5, et apud Sozomenum lib. III, cap. XX, Athanasius adiit: adiit autem anno Christi CCCXLIX, ut probat Gothofredus in chronologia codicis Theodosiani ad illum annum, et ex eo Pagius ad annum Christi CCCL, num. 3, sequunturque auctor Vitæ S. Athanasii, nuperrimæ operum ejus editioni anni MDCXCVIII præfixæ, pag. XLV, Papebrochius in Vita ejusdem, loco citato et cap. XVIII, Tillemontius tom. VIII Monumentorum eccl. not. 64 in S. Athanasium, aliique contra Baronium. Stephanus itaque gradu motus est anno Christi CCCXLVIII circa Pascha. Seditque adeo annis 3, ut recte Nicephorus

SÆCULUM IV.

rus CP., Theophanes, ac Zonaras notaverunt, ab anno videlicet Christi CCCXLV usque ad CCCXLVIII : erratque Eutychius pag. 476, cum annos ei quinque concedit. Ceterum hunc *Stephanum*, an alium quemdam, *tum ob doctrinæ perversitatem, tum ob vitæ improbitatem ab ecclesiastico principatu amotum, jusserit de integro magisterii sedem occupare* anno Christi CCCLXII Julianus, ut narrat S. Chrysostomus tom. I, edit. Frontonis Ducæi, lib. contra Gentiles, pag. 783, non satis liquet; probabile tamen id putat Tillemontius tom. VII Monum. de Persecutione Juliani art. 3, et tom. VI de Arianis, art. 42.

XXX. LEONTIUS.

Leontius Arianus infamis, successit Stephano A. C. 348 :

In Stephani sedem, teste Athanasio supra num. 202, repositus est continuo LEONTIUS, quem *castratum* appellat; quia, ut est in Apologia de Fuga sua tom. I, parte I, pag. 335, num. 26, *accusatus, quod cum ju-*
B *niore quadam muliere versaretur, nomine Eustolio* (de qua vide etiam quæ scribit ad Solitarios pag. 360, num. 28) *prohibitusque cum illa habitare, sese castravit; quo sibi cum illa vivendi esset facultas. Neque tamen ita,* inquit, *levavit suspicionem; ea enim maxime de causa, presbyter cum esset, damnatus depositusque est: tametsi Constantius hæreticus vi et potestate sua illud effecit, ut is nominaretur episcopus;* id agentibus nimirum Arianis, ut num. 199 ex Athanasio monuimus; idemque habet in epistola ad episcopos Ægypti et Libyæ tom. I, parte I, num. 7, pag. 277. Neque id mirum, cum hisce temporibus res Ariana hominem magis idoneum nancisci, imo fingere posset neminem : erat enim, ut ait Theodoretus lib. II, cap. VIII, *Vir genere Phryx, animo versutus et tectus, saxisque in mari latentibus assimilis.*

cum se ipse castrasset;

207 Obstabat quidem ordinationi ejus præter alia, concilii Nicæni canon primus, ut Theodoretus advertit lib. II, cap. XIX, cum sua seipsum manu abscidisset; sed fraudulentus erat ac simulatus; hoc satis Arianis, non
C alium jam tum canonem agnoscentibus, quam eum, quem aliquanto post Constantius, suggerentibus ipsis, condidit : *Quod ego volo, id pro canone habeatur,* S. Athanasius tom. I, parte I, ad Solit. pag. 363, num. 33. Philostorgius lib. II, cap. XV, S. Luciani martyris Antiocheni, de quo in Actis Sanctorum VII Januarii, discipulum eum facit. Verum antiquius nihil fuit Arianorum principibus, quam ut eo magistro gloriarentur; vide Gothofredum in illum locum. Idem cap. seq. *dicit illibatam* eum *pietatem* (nam ἀσέβειαν pro εὐσέβειαν positum esse, notat Valesius) *servasse*, hoc est, Ariomaniam professum esse pertinacissimam. Videtur tamen scripsisse Acta SS. Babylæ et Luciani, forte priusquam sese Arianis adjungeret; adisis Commentarium ad Acta S. Babylæ XXIV Januarii pag. 569, § I, num. 3; nisi id illum fecisse malis occasione translationis reliquiarum S. Babylæ anno circiter CCCLII. Ceterum de ordine successionis ejus inter auctores convenit.

208 Episcopatum male partum, quam male gesserit, docet Theodoretus lib. II, toto capite XIX (Valesio est XXIV.) Illud breve est, quod hinc dedimus num. 198, uti et illud quod habetur paulo altius : *Nulla res Leontium adducere potuit, ut malitiam suam corrigeret; sed sub modestiæ ac mansuetudinis larva Stephani et Flacili* (Flacilli) *execrandam nequitiam* (βδελυρίαν) *occultavit : eos enim qui perversam fidei doctrinam amplexi fuerant, licet alioqui vitæ essent turpissimæ, in presbyterorum tamen ac diaconorum ordinem promovebat; eos vero, qui omni genere virtutis ornati essent, et qui Apostolicæ doctrinæ mordicus adhærerent, inhonoratos relinquebat. Quam ob causam clerus quidem plerosque habuit hæretica labe contaminatos; populi vero maxima pars rectam fidei doctrinam tuebatur.* Sic ibidem Aëtium, ab Eulalio, ut num. 181 diximus, ejectum, et suum aliquando, cum Prophetas ac potissimum Ezechielem adhuc presbyter explanaret, teste Philostorgio lib. III, cap. XV, auditorem, diaconum creasse dicitur (licet aliter narret Epiphanius apud Valesium annot. in Hist. Sozom. lib. IV, cap. XII) et quamquam Flaviani, de quo postea, ac Diodori minis *territus, Aëtium ministerio deinceps fungi vetuit; in* E
reliquis tamen eum fovere ac tueri non desiit. Sic Eudoxium, suum deinde successorem, propter impietatem, quam ab Aëtio didicerat, ad Ordinem eumdem promovit, ut est apud Athanasium de Synodis tom. I, parte II, pag. 753, num. 38.

sub ovili pelle lupus Antiocheno gregi perniciosissimus.

209 Tillemontius tom. VII Monum. ubi de S. Eusebio Vercellensi, art. 4 ait, Leontium nostrum interfuisse pseudoconcilio Mediolanensi anno CCCLV, eo quod epistolæ concilii illius ad Eusebium Vercellensem, quam dat Baronius ad annum Christi CCCLV num. 6, subscripserit loco decimo octavo *Leontius* cum aliis aliquot hæreticis. Subscriptiones tamen illas ibi non habet editio Antverpiensis anni MDXCVIII; sed quærendæ sunt tom. IX in addendis vel emendandis pag. 867. Et sane, si quo pacto potuit, haud dubium, quin adfuerit; ut patet tum ex Actis concilii istius, tum ex ipso Athanasio ad Solit. a pag. 360, num. 28 : erat enim Athanasio infestissimus; adeo ut ejus etiam vitæ insidiaretur, ut ipse testatur tom. I, parte I, in Apologia de fuga sua, pag. 320, num. I, sive F
privato ad hoc impulsus odio, quod eum, utpote hæreticum, ut ait Sozomenus lib. III, cap. XX, revocatus ab exilio Athanasius aversatus esset, communionemque Antiochiæ cum Eustathianis iniisset; sive publico, quod Ariana, dum ille viveret, stare hæresis non posset; seu potius utroque. Ex dictis facile licebit æstimare, quam fidem mereatur Chronicum Alexandrinum ad annum II Olympiadis CCLXXXII, cum dicit : *Beatus Leontius, Antiochiæ Syriæ episcopus, vir in primis fidelis ac pius, veræque fidei propugnator,* etc. Hæc profecto auctorem arguunt manifeste Arianum; uti et quod de Constantia sub finem ejusdem anni dicitur.

et S. Athanasio imprimis infestus.

210 Quo tempore autem villicum hunc iniquitatis ad rationem villicationis suæ reddendam Dominus evocaverit, non consentiunt auctores. Si Socratem audias lib. II, cap. XXXVII, mortem ejus Romæ Eudoxius intellexerit, cum istic etiam esset (ut manifeste supponitur) Constantius imperator; quod redit ad anni Christi CCCLVII mensem Maium, quo

Obiit autem A. C. 357; non sub initium;

A quo nuntium illum ex Oriente acceperit Eudoxius, Coss. Constantio IX, et Juliano Cæs. II: illo enim anno, et non præcedenti, ut contra Baronium ostendit Pagius ad annum Christi CCCLVI, num. 13 aliique ex Fastis Idacii et Ammiano, Romam venit Constantius IV Kal. Maias; *ac tricesimo, postquam ingressus est, die* IV *Kal. Junias, ab Urbe profectus, per Tridentum iter in Illyricum festinavit;* vide plura in chronologia codicis Theodosiani: et Tillemontio tom. IV de imperatoribus, ubi de Constantio, art. 42 et not. 39. Hoc pacto ante Maium anni CCCLVII Leontius obiisset. Verum huic opinioni adversatur S. Athanasius tum in Apologia de fuga sua tom. I, parte I, pag. 320, num. 1, tum in Historia Arianorum ibid. pag. 347, num. 4, ubi adhuc præesse Leontius dicitur Antiochenis anno Christi CCCLVII exeunte, aut CCCLVIII inchoato: neque enim citius utramque illam lucubrationem editam ab Athanasio fuisse, argumento sunt ea, quæ ibi de Osii lapsu ac morte, uti et Liberii subscriptione memorantur: nam hæc posterius ab ipso Athanasio fuisse addita, tum credam, cum solide
B probatum videro.

sed, juxta S. Athanasium et Philostorgium.

211 Pro hac sententia stat Philostorgius lib. IV, cap. IV, ubi de Leontii morte meminit, postquam de Osii Liberiique casu ac restitutione dixisset; restitutionem hanc Liberii tamen Philostorgius cum ejus lapsu eo tantum conjunxisse censendus est, quod res natura connexas divellere noluerit: quamquam restauratio ejus non paucis mensibus fuerit subscriptione posterior: restitutus enim primum fuit post synodum Ancyranam, teste Sozomeno lib. IV, cap. XV; cum cecidisset jam a fine circiter anni Christi CCCLVII, aut initio CCCLVIII, ut ostendit Tillemontius tom. VI, ubi de Arianis cap. LXIX. Et vero adhuc exulem, postquam succubuisset, Liberium fuisse, palam est ex ejus litteris, quas habes in Fragmentis S. Hilarii, Fragm. VI a col. 1335 editionis Parisinæ anni MDCXIII, scriptas, ut istic etiam notatur in margine, sub finem anni CCCLVII; quando scilicet post biennium exilii fractus erat, minisque mortis perterritus subscripserat, ut habet Athanasius ad Solitarios pag. 368, num. 41;
C cujus quidem biennii initium duci debet ab anno Christi CCCLV declinante; cum jam præfectus Urbis esset Leontius, ut manifestum est ex Ammiani lib. XV, cap. VII. Leontii autem decessor Orphitus adhuc Urbis præfecturam gerebat pridie Non. Julias anno Christi CCCLV, uti videre est in chronologia codicis Theodosiani.

sub finem illius, aut initium sequentis anni.

212 Superstes igitur, Athanasio teste, fuit Leontius sub exitum anni CCCLVII; at quamdiu, ex Sozomeno discitur; qui inter obitum ejus et synodum Ancyræ habitam instante jam Paschate anno Christi CCCLVIII, ut Petavio in S. Epiphanium animadvers. ad Hæres. LXXIII, Semiarianorum, ceteri recentiores assentiuntur, hæc narrat intercessisse: 1. Iter hiemale Antiochia usque in partes Occidentis eorum, a quibus *nuntius allatus est de morte Leontii Antiochensis episcopi* lib. IV, cap. XII. 2. Iter Eudoxii ex Occidente Antiochiam; ibidem. 3. Usurpationem sedis Antiochenæ; ibidem. 4. Conciliabulum ab eo coactum in patrocinium Aetii hæresisque ejus, vexationesque dissentientium, ibid. et seq. capite. V. Querelas post illum conventum una cum litteris Georgii Laodicensis Ancyram delatas a multis, qui ex Antiochena ecclesia ejecti ab Eudoxio erant, quod ejus conatibus restitissent; cap. XIII; tum demum dat synodum Ancyranam ibid. Quæ cum ante Pascha, hoc est, ante XII Aprilis, celebrata sit; liquet profecto, vix anno CCCLVII supervivere Leontium potuisse. Eodem redit argumentum, quod ab Asphalii missione ducit Tillemontius tom. VI Monumentorum eccles. nota 56 in Arianos. Ecclesiam itaque Antiochensem vexavit hic antistes non annis tantum VIII, ut habent Nicephorus CP., Theophanes et Zonaras; neque VIII tantum cum dimidio, ut Tillemontius, recte posita a se tempora non recte colligens; nisi forte sit error typothetæ, tom. VI Monum. art. 70 de Arianis: sed toto novennio et amplius, quod notat Eutychius, qui eum *Leonem* vocat pag. 476; nimirum a Paschate circiter anni CCCXLVIII usque ad annum CCCLVII prope decursum.

XXXI. EUDOXIUS. E

Eudoxius, Aetii discipulus.

EUDOXIUS *Arianorum omnium scelestissimus,* teste Baronio ad annum Christi CCCXI, num. 21 et CCCLVI, num. 123, patrem habuit Cæsarium nomine, ortum ex Arabisso, minoris Armeniæ oppido; qui, licet in amores mulierum effusior fuisset, vitam tamen consummavit martyrio; adscriptusque legitur Martyrologio Romano die XXVIII Decembris; quem in locum jejunam hanc oppido annotationem adjecit Baronius: *Græci de eodem.* Utinam Græcos illos produxisset, si quos vidit Cæsarii hujus Martyris præcones alios quam Suidam, quem unum in Annalibus affert locis modo citatis, quique hæc more suo forsan hauserit ex Philostorgio, historiographo Ariano, ut ex ipsa hujus epitome, a Photio data, colligere est lib. IV, cap. IV. Sed hæc alio spectant. Fuit item Eudoxius, si eidem Philostorgio credimus lib. II, cap. XV, S. Luciani discipulus, non secus ac Leontius, de quo supra num. 207. Hoc certius, magistrum ei impietatis Aetium fuisse, ut F num. 208 ex S. Athanasio dictum; unum item ex illis post Stephanum ac Leontium fuisse, quos ob impietatem S. Eustathius admittere in clerum noluerat, quosque Ariani, *postquam episcopus ille in exilium est actus, non solum in ecclesiam introduxere, sed... ordinaruns episcopos, ut eos suæ pro impietate conjurationis socios haberent; ex quorum numero*, inquit S. Athanasius ad Solitar. loco, quem citavi num. 199, *est.... Eudoxius Germaniciæ;* Quæ *civitas est in Cilicum et Syrorum Cappadocumque confiniis posita,* ut ait Theodoretus lib. II, cap. XX, *Euphratesiæ, quam vocant provinciæ attributa.*

Germaniciæ primum episcopus.

214 Et illius quidem ecclesiæ jam tum gubernacula susceperat, cum anno Christi CCCXLI concilio Antiocheno interfuit, ut est apud S. Athanasium de Synodis tom. I, parte II, pag. 752, num. 37, et Sozomenum lib. III, cap. V in fine; ac post tres annos missus est, ut ejus fidei formulam quintam in conventu novo *plurimis conscriptam, multisque additamentis auctiorem, quam superiores,* in Italiam deferret; vide S. Athanasium loco citato, pag. 738, num. 26.

SÆCULUM IV.

num. 26. Eodem anno CCCXLV iis adjunxit sese, qui, *cum apud Mediolanum Arii sententiam hæreticam noluissent damnare, de concilio animis iratis exierunt*, teste Liberio in epistola legatorum apud S. Hilarium, Fragm. V, pag. 1331, num. 4 : *Arianorum enim quidem sententiam sequebatur*, inquit Philostorgius lib. IV, cap. IV ; *nisi quod ex scriptis Asterii ad sententiam eorum, qui Filium similem secundum substantiam profitebantur, aliquamdiu abductus fuerat ; Ariani tamen eum ab hoc dogmate retrahentes, ad dissimilis substantiæ assertionem revocarunt.*

et Ariomaniam pridem professus, carusque Constantio imp.

215 Subscripsit, anno Christi CCCXLVII, decreto pseudosynodi Sardicensis, ut est in Fragm. IV S. Hilarii, col. 1324. Concilio quoque Sirmiensi contra Photinum adstitit anno Christi CCCLI, ibique perfidiam cum aliis conscripsit; Hilarius Fragm. VI, col. 1337, num. 7. Itemque anno Christi CCCLV, ut habes apud Baronium ad illum annum, num. 6, synodo Mediolanensi, quam idem Eminentissimus auctor num. 4 verius fuisse dicit tyrannicam consultationem, conjurationem Arianam, factionem sceleratorum, conspiratio-
B nem impiorum, et publicorum latronum violentam grassationem. Ita denique fidem suam Arianis Eudoxius, ita imperatori Constantio probavit, ut infensissimum sectæ suæ adversarium, Luciferum Calaritanum, exilio post conciliabulum Mediolanense damnatum, Germaniciam, tamquam in tutissimam custodiam, ad Eudoxium princeps hæreticus destinarit; quod ipse Lucifer testatur lib. I pro S. Athanasio in Bibliotheca Patrum Coloniensi anni MDCXVIII tom. IV, pag. 125. Quo loco, uti et alibi sæpius, eum vocat merito *Adoxium*, id est, *inglorium* et infamem. Vide Acta Sanctorum tom. V Maii ad diem XX, pag. 199, num. 8 usque ad pag. 202. Quin imo ne abesse quidem illum imperator, si quando magnum aliquid adversus Ecclesiam catholicam meditabatur, a suo comitatu volebat : sic aderat in Italia, teste Sozomeno lib. IV, cap. XI, quando Liberium Berœam Thraciæ abduci jussit; sic iterum, eodem teste lib. IV, cap. XII, cum, *imperatore adhuc in Occidentis partibus commorante, nuntius allatus est de morte Leontii*
C *Antiochensis episcopi.*

patriarchatum Antiochenum invadit A. C. ineunte circiter;

216 Verum enim sic aderat Constantio vir ambitiosus, ut sibi deesse minime vellet : ita enim prosequitur citatus auctor : *Eudoxius itaque, quasi ecclesia illa custode indigeret* (aliud prætenditur apud Socratem lib. II, cap. XXXVII) *petiit ab imperatore, ut in Syriam reverteretur. Quod cum impetrasset, celeriter Antiochiam venit, ejusque loci episcopatum sibi assumpsit, nec Georgio Laodiceno episcopo, nec Marco Arethusio, qui tunc temporis inter episcopos Syriæ præcipui habebantur, nec aliis item episcopis, penes quos jus ordinandi erat, consentientibus.* (Contigit hoc sub initium anni Christi CCCLVIII, ut ex dictis supra colligitur.) *Fama porro est, id illum egisse ex sententia imperatoris, suffragantibus Eunuchis palatii, qui una cum Eudoxio opinionem Aëtii sequebantur. Postquam igitur ecclesiæ illius compos factus esset, licentiam nactus, exinde opinionis illius patrocinium palam suscepit.* (*Cum enim Antiochenam ecclesiam*, inquit Theodoretus lib. II, cap. XXIII, *invasisset Eudoxius, rediit ille* (Aëtius) *ab Ægypto secum ducens Eunomium ; et sententiæ suæ congruentem, et una cum impietate Sybariticis deliciis indulgentem cernens Eudoxium, Antiochenam habitationem ceteris anteposuit, ibique cum Eunomio illius stibadiis affixus est.*) *Et conventu*, pergit Sozomenus, *Antiochiæ celebrato una cum episcopis, qui eidem opinioni favebant, . . . una cum similis substantiæ vocabulo consubstantialis etiam vocem rejecit.* D

quem quasi tyrannice exercet,

217 Non igitur abs re Theodoretus lib. II, cap. XX, *Eudoxius*, inquit. . . . *episcopatum* (Antiochensem) *invasit, instar apri silvestris vineam dominicam devastans : neque enim malitiam suam, sicut Leontius, occultabat; sed aperte adversus apostolica dogmata rabiem suam exerens, eos qui contradicere auderent, omnibus incommodis afficiebat.* Vide etiam Sozomenum lib. IV, cap. XIII. Mentitur adeo Philostorgius lib. IV, cap. IV, cum illum ait, *moribus mitem fuisse ac modestum* ; cumque eum *ob ignaviam* tantum *ac timiditatem magnopere traducit.* Neque vero hoc in auctore illo est insolens, ut pessimorum quorumque Arianorum virtutes, perinde atque orthodoxorum atque integerrimorum virorum vitia, mentiatur ; quem ea propter ipse Photius modo *mendacem* ac *malevolum* (φιλοψευδῆν κακοστόργιον) lib. II, cap. I; modo *Dei hostem*, ibid. cap. III ; modo *impium*, cap. VI ; modo *impium mendacii instrumentum* appellat cap. XI. E

a Constantio imp. mulctatur exilio, sed minime diuturno

218 Dum hæc agit Eudoxius, non ignorat, multorum in se non catholicorum dumtaxat, sed Semiarianorum etiam odia suscitari, indeque non nullum invasæ recens per violentiam dignitati existere periculum posse. Hoc ut prævertat, *Asphalium Antiochenæ ecclesiæ presbyterum, ardentissimum*, ut eum vocat Sozomenus lib. IV, cap. XIII, *fautorem dogmatis Aëtii*, in Occidentem ad Constantium destinat, eo consilio, sicut ex adducto capite et sequenti colligitur, ut injustissimam promotionem suam ratam haberi ab imperatore curet. Jam Asphalius rem in aula confecerat; jam, impetratis a principe litteris, parabat reditum, cum legati superveniunt conventus Ancyrani Basilius Ancyræ, Eustathius Sebastiæ, Eleusius Cyzici antistites, et cum illis Leontius quidam, ex imperatoris cubiculario, presbyter; per quos indicata, præter alia de quibus Philostorgius lib. IV, cap. VIII, Eudoxii hæresi, Constantius eum cum suis jam Ancyræ crebro percussum anathemate, ut F patet ex S. Epiphanio Hæresi LXXIII, condemnavit; epistolam vero suam ab Asphalio recepit, ejusque loco aliam, priori haud dubie contrariam, ad ecclesiam Antiochenam conscripsit, quam habes apud Sozomenum lib. IV, cap. XIV. In ea negat primum, missum a se fuisse Eudoxium : tum post alia, quibus dignus erat, jactata in eum convitia, *Facessat*, inquit, *callida factio, et divinis thronis insidere desinat.* Atque in hunc modum *a cœtibus ecclesiasticis et a publico conventu arceri* hominem jubet; imo *ab urbe*, testibus Theodoreto lib. II, cap. XXI, et Philostorgio lib. IV, cap. VIII, *expelli*, graviora passurum interminans, nisi a rabie ista temperaturus esset. Perculit Eudoxium repentina tempestas. Eunomium igitur diaconum creat, et legatum illum continuo ad Constantium dirigit, quo decreta dissolvat. Verum hic *in itinere ab his, qui a Basilio* (Ancyrano) *erant, captus, Midæumque, Phrygiæ urbem, pulsus est. Aëtium quoque in Basilianorum potestatem delatum Petusa Phrygiæ exilio recepit. Eudoxius vero in patriam suam Armeniam*

A *meniam concessit: sed et ceteri* (Eudoxiani, sive Anomæi) *exiliis mulctati sunt:* ut ait Philostorgius loco citato.

atque anno sequenti depositus pronuntiatur in synodo Seleuciensi:

219 Sed neque ibi res stetit: nam *Post aliquod tempus,* ut scribit Theodoretus lib. II, cap. XXII, *Constantius, suggerentibus accusatoribus Eudoxii, synodum Seleuciæ,* in Isauria, *haberi præcepit; ad hanc convenire jussit Orientales episcopos, Ponticos etiam et Asianos.* Die XVI mensis Thoth, id est XIII Septembris, juxta S. Athanasium tom. I, parte II, pag. 725, num. 12, convocati omnes aderant; disputari vero cœptum die ejusdem mensis XXVII, anno Christi CCCLIX, sive Coss. Eusebio et Hypatio, ut narrat Socrates lib. II, cap. XXXIX. *Erant vero ibi episcopi,* inquit S. Athanasius loc. cit., *circiter* 160. *Cum autem ex illis multi accusarentur,* (quos inter *Eudoxius, qui Antiochenam invasit ecclesiam,* pridem ab exilio cum aliis revocatus, juxta Philostorgium lib. IV, cap. X) *clamarentque accusatores adversus illos..... callidam rem aggrediuntur. Veriti quippe accusatorum suorum probationes, alios secum Arianæ factionis assumpsere.... de variis criminibus* B *accusatos.... Et cum se de fide* (prius, quam de personis) *inquirere velle simularent, haudquaquam latuit, eos formidare accusatores suos.... Acaciani igitur* (e quibus erat Eudoxius) *dementiæ suæ audacia usi, quæ Nicææ scripta fuerant, plane abnegarunt, ipsamque synodum criminabantur. Alii autem multo majore numero, reliquis omnibus synodi admissis verbis, solam Consubstantialis vocem... improbabant. Cum igitur illic diutius immorarentur, instantibus accusatoribus, accusatis autem defugientibus, et ea de causa vehementius impietate sua concitatis, in Dominumque blasphemantibus, episcoporum multitudorem indignissime ferens, Acacium, Patrophilum, Uranium, Eudoxium* etc. *deposuere:* hujusque in locum Anianum quemdam, de quo dicam inferius, ordinarunt.

sed, dejectus ope Acacii

220 Exanimatum cernere hic erat Eudoxium, quando *Acacius metum illi, quo tenebatur, exemit, fiduciamque addidit, spondens se patronum illi sociumque certaminum futurum. Vetans autem, ne in concilium intraret, Constantinopolim cum eo profectus est. Ibi tunc enim Constantius ab Occidente reversus commorabatur.* C *Apud quem cum episcopos, Seleuciæ congregatos, multis accusasset Acacius, perditorum hominum cœtum appellans, ad perniciem exitiumque ecclesiarum convocatum, exarsit iracundia imperator.* Hæc et plura Theodoretus lib. II, cap. XXII et XXIII. Eodem etiam alii plures Seleuciæ condemnati advolaverant, ut ex S. Hilario contra Constantium num. 15, col. 1250, et Sozomeno lib. IV, cap. XXIII colligitur; imo ipse quoque Aëtius atque Eunomius, teste Philostorgio lib. IV, cap. XII. Jam ergo regnabant in aula Acaciani, *jam ipsos palatii proceres in suam sententiam traxerant, eorumque opera benevolentiam sibi principis conciliaverant* (Sozomenus loco citato,) ecclesiarum etiam ad id opibus abusi; cum eos istic offendunt decem illi episcopi, quos e synodo Seleuciensi imperator ad se evocaverat. Vide Theodoretum loco citato.

apud Constantium adversariis suis,

221 Involant illi statim in Eudoxium ejusque blasphemias, quas habes in adducto jam Hilarii libro col. 1248, num. 13; profertur formula ab eo scripta; cujus impietate commotus imperator, Eudoxium interrogat, utrum eam ipse scripsisset; negat ille extemplo, et Aëtium scripsisse respondet; introduci jussus rogatur Aëtius; seque scripti illius auctorem professus, cum laudem exspectat, exilium tulit. Instant Seleucienses, eadem Eudoxium sentire; sin minus, inquiunt, damnet sane scriptum Aëtii. Dictum approbat imperator; tergiversatur Eudoxius, multisque modis provocationem eludere conatur. Sed quia Constantius indignabatur, et exilium cum Aëtio, velut impiæ sententiæ socio, minabatur, propriam tandem ipse doctrinam ejuravit, quam et illo tempore, et postea semper profiteri non destitit. Attamen objecit et ipse vicissim adversariis, Homousii (erat haud dubie in hac voce Theodoretus, ut vide apud Tillemontium tom. VI Monum. de Arianis, art. 89; nisi dixeris ὁμόουσιος hic accipi pro ὁμοιούσιος, sic enim non semel accipitur in Philostorgio lib. IV, cap. IX et seqq.) Homousii, inquam, nomen damnare ipsos quoque oportere; quod cum illi facere constanter detrectant, Constantius ecclesiis eos expulit, aliosque illorum loco subrogari præcepit. Ita perfidus Eudoxius Semiarianis, minus, quam ipse fuerat, ad perjuria promptis, facile apud aulam superior evasit. E

non aliter patriarchatu cessit Antiocheno.

222 Non usque adeo tamen valuit, ut amicissimum sibi Aëtium, cujus iterum agitata causa est, ab iterata condemnatione, diaconatus a se collati privatione, exiliique Mopsuesteni sententia vindicaret. Verum hæc, uti et Formula Ariminensis, Acacianorum opera a legatis etiam Seleuciensibus subscripta, quæ res, juxta Sozomenum lib. IV, cap. XXIII in fine, ad ultimam usque noctem Decembris extracta est, ad institutum nostrum nihil admodum facit. Anno insequenti Acacius atque Eudoxius cum suis, cum jam Constantio factum esset satis, damnato Aëtio, quem Semiariani Seleucienses accusaverant; fractisque his ipsis in ejus etiam ultionem semiarianis, quos Acaciani apud Principem in invidiam peræque vocaverant, ad propriam jam ipsi porro vindictam, ambitionem, ac tyrannidem exercendam incumbunt. Evocatis itaque episcopis ex Bithynia, ut est apud Sozomenum lib. IV, cap. XXIV, et Socratem lib. II, cap. XLI, novum instituunt conciliabulum, ubi comprobata rursus Formula Ariminensi, exutoque diaconatu, ut Constantio gratificarentur, Aëtio, ad episcopos, quoscumque lubitum esset, exauctorandos vertuntur. F

quam ut Cpolitonum multo pinguiorem invadat, ineunte A. C. 360.

223 *Et primum deponunt Macedonium* qui ecclesiam Constantinopolitanam obtinebat, deinde alios ex ordine, ut vide apud Socratem lib. II, cap. XLII, et Sozomenum lib. IV, cap. XXIV: nam hæc ad rem, quam ago, non attinent. *Haud multo post,* inquit hic ibidem cap. XXV, *alii in aliorum locum substituti sunt ab Eudoxianis. Et in Macedonii quidem locum Eudoxius ipse suffectus est, Constantio Augusto decies,* ut ait cap. seq., *et Juliano Cæsare ter Consulibus,* id est, anno Christi CCCLX. Chronicum Alexandrinum non annum tantum eumdem, sed mensem quoque ac diem annotat: et annum quidem sic refert: *Ind.* III (Constantii Augusti anno imperii) XXIII, *Conss. Constantio Augusto* XII, *et Juliano* III: error enim in consulatu Constantii, tum ex Indictione, tum ex anno imperii, tum ex consulatu tertio Juliani manifeste corrigitur. Mensem

sem vero ac diem his verbis ibidem assignat : *Macedonius, episcopus Constantinopolitanus, propter multa ipsius propria crimina exauctoratus est, et in ejus locum surrogatus Eudoxius mense Audynæo*, seu Januario, *die* XXVII, *præsentibus episcopis* 72. De anno etiam conveniunt aliquot codices Chronici S. Hieronymi apud Pontacum in notationibus. Sedem igitur Antiochenam tenuit ab initio circiter anni Christi CCCLVIII usque ad initium CCCLX, hoc est, biennio, ut notarunt Nicephorus CP. in Chron., Theophanes, Eutychius pag. 479, Zonaras lib. XII, num. 34. Porro hinc jam ego monstrum hoc desero, quando ad patriarchatum alium deinceps pertinet, cum de illo agetur, tum de ceteris sceleribus conveniendum.

XXXII. ANIANUS.

B

Anianus in synodo Seleuciensi A. C. 359 a Semiarianis consecratus patriarcha,

Dixi num. 219, deposito per synodum Seleuciensem Eudoxio, in sedem Antiochenam sublectum ibidem fuisse ANIANUM : id enim testantur S. Epiphanius Hæresi LXXIII, num. 27, Socrates lib. II, cap. XL in fine, Sozomenus lib. IV, cap. XXII item in fine, et Philostorgius lib. IV, cap. XI. Erat is, teste Sozomeno, ecclesiæ Antiochensis presbyter, vixque episcopus ordinatus, cum eum *mox comprehendentes Acaciani, Leonæ ac Lauricio* (de quibus eumdem consule lib. IV, cap. XXII,) *tradiderunt. Illi vero aliquamdiu quidem eum sub militari custodia detinuerunt : tandem vero exilio damnarunt. Ea re commoti episcopi*, inquit Socrates, *qui Anianum ordinaverant, contestatorios libellos apud Leonam ac Lauricium adversus Acacianos deposuerunt, quibus denuntiabant, violatum esse judicium synodi. Porro cum nihil amplius proficeretur, Constantinopolim profecti sunt, ut imperatorem de iis quæ decreverant, certiorem facerent.* Verum tantum abest, ut etiam ibi quidquam obtinuerint; ut omnia potius synodi Seleuciensis acta, ab Acacianis Constantinopoli, id quod ex dictis facile eruitur, verisimillime sint rescissa.

statim captus et exauctoratus.

225 De Aniani certe istic abolita promotione dubitari non potest; quandoquidem *Neonam*, episcopum Seleuciensem, *Ideo*, ut habet Sozomenus lib. IV, cap. XXIV sub finem, *deposuerunt, quod, ut Annianus Antiochensium episcopus in sua ecclesia ordinaretur, impense studuisset.* Accedit, quod non modo S. Hieronymus in Chronico ad annum imperatoris Constantii XXIII, ac Theodoretus lib. II, cap. XXVII, qui Aniani non meminere; sed etiam Sozomenus lib. IV, cap. XXVIII, aliique, qui meminerant, immediatum Eudoxii successorem faciant Meletium. Sic habet Socrates lib. II, cap. XLIV : *Post hæc, concilio apud Constantinopolim congregato, Antiocheni, cum Eudoxium comperissent, spreta ipsorum ecclesia, ad Constantinopolitanæ sedis opulentiam transiliisse, Meletium Berœa accitum in sede Antiochena collocant :* nec minus dilucide idem asserit Philostorgius lib. V, cap. I.

C

sedis Antiochenæ possessionem numquam adiit.

226 Possessionem ergo sedis Antiochenæ numquam adiit Anianus ille; neque ab Antiochenis agnitum umquam inter patriarchas apparet fuisse, ut patet ex Theodoreto, ecclesiæ istius alumno, ceterisque modo allegatis. Expungere tamen illum ex albo nostro visum non fuit; sive quod ordinatum fuisse Seleuciæ constet, sive quod eum serie sua non excludunt S. Nicephorus in Chron., Theophanes, Eutychius pag. 479, ubi eum nuncupat *Athanasium ;* Zonaras lib. XII, num. 34, qui appellat *Arrianum*, aliique : quibus tamen assentiri nequeo, cum eum annis quatuor sedisse volunt : postquam enim in exilium, ut narravimus, extrusus est, nusquam in historia comparet; sive in eo statim obierit, sive privatam deinde vitam procul exul ignotusque traduxerit. Sane ita de Meletio mox agi videbimus, acsi Anianus in mundo nec esset ullus, nec umquam fuisset. D

XXXIII. S. MELETIUS.

Translatus est S. Meletius, episcopus antea Sebastenus, ad sedem Antiochensem,

De magno MELETIO quam potero paucissima dicam; quippe cujus historiam late diffusam dedimus in Actis Sanctorum tom. II Februarii, ad diem duodecimam ejusdem mensis, sanctissimæ ejus memoriæ consecratam, a pag. 585. Hac igitur hic omissa, solius chronologiæ difficultates attingam, præ primo statim initio implexa valde est ac perturbata. Nam si Socrati credimus lib. II, cap. XLIV, itemque Sozomeno lib. IV, cap. XXVIII, jam Antiochiam Berœa translatus fuerit Meletius, antequam *imperator, cum ipsi nuntiatum fuisset, Persas iterum expeditionem movere adversus Romanos, propere Antiochiam perrexit.* Id si verum esset, patriarcham oporteret fuisse Meletium et absente Constantio, et ante æquinoctium autumnale anni Christi CCCLX ; jam tum enim contra Persas Constantius, transito Euphrate, Edessam venerat, ut narrat Ammianus lib. XX, cap. XI : si verum, inquam, esset, aditam ab imperatore, in Persas movente, Antiochiam fuisse; nam longe aliam viam, teste Ammiano ibidem, tenuit. E

juxta Theodoretum,

228 Contra Theodoretus, lib. II, cap. XXVII, id asserit accidisse, quo *tempore Constantius Antiochiæ morabatur, et quiete restituta et Persico bello confecto, Episcopos rursus convocavit, omnes tum ad ejusdem, tum ad diversæ substantiæ negationem compellens.* Pro confecto primum haberi bellum Persicum cœpit Tauro et Florentio Coss., id est, anno Christi CCCLXI, quando Constantius post hiemem exactam Antiochiæ, rursum Edessam contra Persas profectus, intellexit, Saporem cum omni manu quam duxerat, ad propria revertisse, auspiciis dirimentibus, indeque lenito metu, revocatis omnibus, præter eos, quos consuetudo præsidio Mesopotamiæ destinarat, reversus est Hierapolim, uti tradit Ammianus lib. XXI, cap. XIII, atque inde Antiochiam; ubi diu commoratus non est; sed festinando ingressus, paratis omnibus, autumno jam senescente, exire properabat immodice, renitentibus plurimis murmure tenus, ut ait idem Ammianus ibidem cap. XV : urgebat enim vehementer illum Juliani in Occidente rebellio. Non erat igitur hoc tempus cogendis Antiochiæ præsulibus ulla ratione opportunum : ergo aliud respexisse Theodoretum necesse est; nimirum quo post primam in Persas expeditionem anno Christi CCCLX, ingravescente hiemis magnitudine, omisso vano incepto, hiematurus Antiochiæ Constantius in Syriam rediit, ut habet Ammianus lib. XX, cap. ultimo. F

Tunc

A Tunc enim Antiochiæ diutius hæsit imperator, ἐν Ἀντιοχείᾳ διέτριβε, erantque quales quales induciæ ac bellum cessabat, seu potius interquiescebat, ob hiemis videlicet asperitatem, τῆς ἀνακωχῆς γρνομένης, καὶ του Περσικοῦ παυσαμένου πολέμου; quæ sunt verba Theodoreti.

A. C. 361 ineunte;

229 Hiemem hanc Meletii translationi Majores nostri in Commentario delegerunt num. 8; ita tamen, ut eam anno Christi CCCLX illigari posse arbitrarentur, secuti, credo, Baronium, quia ad hunc annum num. 47 Theodoretum carpit, quod synodum statuat in ingressu Meletii, quæ in ejus depositione statuenda sit potius juxta ea, quæ traduntur ab aliis. In ejus tamen ingressu concilium fuisse convocatum affirmat cum Theodoreto Libellus synodicus, licet hic valde mendosus, apud Labbeum tom. II Concil. col. 96. Ceteri antiquiores de synodo nec in ingressu nec in depositione meminerunt. Hiemem eamdem Meletio inaugurato assignat Tillemontius tom. VI Monum., ubi de Arianis, art. 101, et alibi, secutus Valesium annot. B in Theodoreti Hist. lib. II, cap. XXXI; sed cum ad illam præter imperatoris præsentiam, et inducias belli Persici, insuper Theodoretus concilium requirat Antiochiæ a Constantio convocatum, maluerunt eam illi ad initium anni CCCLXI defigere.

quando coacta est ibi synodus una;

230 Tum enim juxta Socratem lib. II, cap. XLV, *Tauro et Florentio Coss.* talis Antiochiæ synodus celebrata est, qualem notat Theodoretus, in qua nimirum omnes compulsi sint *tum ad ejusdem, tum ad diversæ substantiæ negationem;* siquidem altercantibus frustra Anomœis et conceptam ibi a se formulam, qua dissimilem omnino Patri Filium, teste Athanasio de Synodis tom. I, parte II, pag. 747, num. 31 (qui sic optime cum Socrate hic, Sozomeno lib. IV, cap. XXIX, et Theodoreto conciliari videtur) profitebantur, obtrudere conantibus, eadem demum ab omnibus formula recitata est, quam prius Constantinopoli ediderant, quamque dat Socrates lib. II, cap. XLI: in ea Filius nec ejusdem, nec diversæ, cum Patre admittitur esse substantiæ; sed proscripto *substantiæ* vocabulo, *similis* Pa- C tri Filius dicitur *secundum Scripturas.* Hæc sententia merito videri potest ante alias amplectenda; quandoquidem Theodoreto, cujus narratio tum per se ipsa commodior est, tum cum Ammiani Historia minime confligit, in hac re adhærere satius est, quam vel Socrati vel Sozomeno, qui præterquam quod cum Ammiano, num. præc. citato, in itinere Persico Constantii nequaquam conveniunt, in eo etiam recedunt a Philostorgio, quod S. Meletii abdicationem atque exilium, absente Constantio, indictum velint, quod auctor ille lib. V, cap. V, non secus ac Theodoretus, agenti tum Antiochiæ augusto imputat.

non duæ; quarum prima habita sit in electione Meletii A. C. 360;

231 Valesium tamen, Baronium, aliosque arguit Pagius in Criticis Baronianis ad annum CCCLX, a num. 5, quod synodos duas, quarum una, secundum Theodoretum coacta sit in electione Meletii, alia vero sequenti tantum anno, perperam confundant in unam. *Prior,* inquit, *Synodus hoc anno* (CCCLX) *coacta; in eaque Meletius e sede Sebastena ad Antiochensem translatus. Hanc Theodoretus laudatus et Libellus synodicus diserte memorant.* Memorant, fateor; sed annum non memorant: synodum item in Meletii translatione habitam diserte memorant; sed ad eamdem illam synodum referendam esse Meletii depositionem, nihilo minus diserte uterque memorant: hunc enim titulum toti capiti præfigit Theodoretus, quem recte vertit Valesius (est apud ipsum lib. II, cap. XXXI:) *De synodo Antiochiæ celebrata, et de his, quæ S. Meletio illic contigerunt:* tum narrat tam electionem ejus, quam depositionem. Libellus synodicus, quamquam cetera multo vitiosior, tamen in hac re æque disertus est, ut inspicienti patebit. Pergit Pagius: *De translatione vero Meletii, in ea* (synodo) *facta, agunt Socrates lib. 2, cap. 44, Sozomenus lib. 4, cap. 28, Philostorgius lib. 5, cap. 1.* De translatione facta agunt illi sane omnes; at de synodo vel tum, vel in depositione habita, nullus quisquam.

ut voluit Pagius;

232 Agit *et Hieronymus,* inquit, *in chronico juxta editionem Scaligeri ad annum Abrahami* MMCCCLXXVI, *qui mense Septembri currentis Christi anni* (CCCLX) *desinit. Ex quo et constat, Meletium præsenti anno, non vero sequenti, ut male Valesius autumat, ad Antiochenam sedem translatum.* Respondeo 1. Eumdem S. Hieronymum in Chronico juxta editionem illustrissimi Pontaci, quæ ceteris merito solet anteferri, de hac agere tantummodo ad annum Abrahami MMCCCLXXVIII; at in eleganti codice nostro Valcellensi Ms. notatur istic annus Abrahami MMCCCLXXIII. Adde quod anni illi MMCCCLXXVI Abrahami apud Scaligerum, et MMCCCLXXIII in codice nostro eidem anno XXIII imperii Constantii innectantur; cum tamen tribus inter se annis discrepent; anni autem MMCCCLXXVIII apud Pontacum jungantur anno ejusdem imperii XXIV; cum tamen II annis a Scaligerianis Abrahami annis differant, et toto quinquennio a codice Ms. Concludi ergo ex hoc loco nihil solidi potest; imo ne ex annis quidem imperii Constantii ibidem appositis, cum alia exemplaria annum illius exhibeant XXIII, qui cum anno Christi CCCLX jungitur; alia annum XXIV, quæ secutus est Pontacus, respondetque anno Christi CCCLXI. Vide Pontacum in notis.

cujus in hac re chronologiæ repugnat S. Chrysostomus.

233 Respondeo tamen 2. Si sola hic admittenda esset Scaligeri editio, responderetque annus Abrahami MMCCCLXXVI anno Christi CCCLX usque ad Septembrem; inde tamen Pagio nihil futurum præsidii. Sic etenim synodus illa prior (cujus tamen Hieronymus ibi non meminit) Antiochena ac translatio Meletii ante autumnum accidissent anni CCCLX, imo *dum adhuc Constantinopoli Constantius moraretur,* ut vult Pagius num. 7, hoc est, ante adultum ver, ut constat ex Ammiano lib. XX, cap. VIII. *Meletius* vero, ut habet Pagius num. 6, *in exilium actus est a Constantio, et ipso Antiochiæ agente, in patriam ipsius Melitenem, inquit Philostorgius lib. 5, cap. 5, ideoque hoc anno exeunte* (CCCLX) *vel initio sequentis,* imo verisimilius initio sequentis, ut ex Theodoreto colligit num. 8. Sedisset ergo juxta Pagium haud minus septem vel octo mensibus, cum exulare jussus est Meletius. Atqui hoc manifeste falsum est ex S. Chrysostomo, qui non modo cum S. Meletio familiarissime vixit, sed

sed ab illo etiam lectoris ac deinde diaconi suscepit Ordines.

ubi ait Meletium post xxx dies Antiochia fuisse expulsum

234 Is enim in Homilia de S. Meletio paulo ultra initium bis repetit, cum non nisi *triginta diebus, nec iis quidem integris,* ecclesiam Antiochenam, ante primum exilium illud tam celebre in Armeniam, administrasse. Unde et illud sequitur, ut, nisi una illa synodo Antiochensi, de qua dixi num. 230, contentus sit Pagius, jam duas illas, quas adstruit, in unum circiter mensem compingere teneatur, et ambas quidem ad idem dogma stabiliendum celebratas; cum tamen secunda plane futura fuisset inutilis ac supervacanea: nam si in priori omnes ipse Constantius, teste Theodoreto, compulit (ἀναγκάζων) *tum ad ejusdem, tum ad diversæ substantiæ negationem;* qua spe aut fronte ausi fuissent *Acaciani omni studio laborare, ut iterum*, uno vix mense elapso, *Antiochiæ congregarentur, quia ipsos pœniteret, quod omnino Filium Patri similem esse dixissent,* ut narrat Socrates lib. II, cap. XLV? Dixerant vero hoc non Antiochiæ, ut putat Pagius, sed Constantinopoli, eoque referendum est istud *Iterum,* quod habet hic Socrates; et clare innuitur in Sozomeno lib. IV, cap. XXIX, quod Pagius pro se citat; et in ipso Socrate num. sequenti a me citando.

non secus ac Socrati et Sozomeno

235 Sequitur ex eodem S. Joannis Chrysostomi testimonio, translationem S. Meletii ad ecclesiam Antiochenam a Socrate ac Sozomeno narrari loco non suo: nam si præsente Antiochiæ imperatore expulsus est, ut cum Theodoreto, Philostorgio (et quid ni etiam Chrysostomo loco citato pauculis versibus superius?) consentit Pagius num. 6; nec Antiochiam anno CCCLX, nisi ab expeditione Persica revertens, adierit imperator, ut ex Ammiano citato supra num. 227 et 228 palam fit; non potuit translatus fuisse Meletius antequam augustus expeditionem Persicam aggrederetur; nedum cum adhuc Constantinopoli moraretur; quandoquidem a translatione usque ad depositionem, soli XXX dies intercesserint. Denique cum propter Theodoreti auctoritatem synodum Antiochenam in electione Meletii celebratam asserat Pagius; cur contra ejusdem auctoritatem eam negat celebratam esse præsente Constantio, cum essent induciæ, bellumque Persicum cessaret? aut cur adeo diversam hanc synodum fuisse comminiscitur ab illa, de qua Socrates lib. II, cap. XLV? An forte, quod istic Euzoïus jam tum ecclesiæ Antiochenæ præfuisse dicatur, quando ex iis, qui convenerant, Tauro et Florentio Coss., cum *imperator ibidem moraretur, pauci quidam ea, quæ prius ab ipsis decreta fuerant, rursus in quæstionem vocarunt, vocem similis tollendam esse dicentes ex fide, quæ tum Arimini, tum apud Constantinopolim fuerat promulgata* etc.?

non item Theodoreto, quem sequimur.

236 Atqui id optime congruit cum historia Theodoreti, qui, durante eodem conciliabulo, deposito Meletio subintrusum narrat Euzoïum. Nam ante electum S. Meletium, teste Theodoreto, *episcopi, qui undique plurimi collecti aderant, ante omnia pastorem gregi assignandum esse aiebant, deinde una cum illo de dogmatibus consultandum.* Quia ergo evocatum subinde Meletium ab Arianis dogmatis, secus ac speraverant, longe animadvertebant esse alienissimum; non dubium quidem est, quin continuo id operam dederint, ut consultatio illa eo usque differretur, donec invisum hunc formidandumque hæreticis cavillatoribus Præsidem amoliti, alium nacti essent, suis erroribus, ut erat Euzoïus, addictum. Non igitur ante occupatam ab Euzoïo sedem gesta illa sunt, quæ loco citato Socrates narrat; quamquam non tunc primum Antiochiam episcopi, juxta Theodoretum, advenissent. Atque hæc de initio patriarchatus Meletiani; quod proinde in annum Christi CCCLXI ineuntem, quo Antiochiæ Constantius hiemabat, accidisse dicendum. Confer hæc modo, si placet, cum iis, quæ de S. Eustathio dedimus num. 158.

S. Meletius ab exilio Antiochiam redit A. C. 362, ordinato jam ibidem Paulino.

237 De modo, quo ex urbe eductus est S. Patriarcha noster, uti et de causa exilii consule in Actis Sanctorum Commentarium assignatum superius, § II; Orationem item S. Chrysostomi Commentario subnexam cap. II, vel etiam Tillemontium tom. VIII Monumentorum, ubi de S. Meletio, art. 4, uti et notam 6 ibi assignatam. Rediit Antiochiam ab hoc exilio post ordinatum jam istic a S. Lucifero Calaritano Paulinum, de quo postea; vi quidem edicti, quo Julianus episcopos exules anno CCCLXII ineunte revocaverat; sed mensibus tamen aliquot serius; atque adeo circa ejusdem anni Septembrem; vide Commentarium jam dictum § III, a num. 22, et § IV, num. 31. Tillemontium de Meletio art. 7 in fine; adi etiam infra numerum 254. Revisit, inquam, sponsam, quam reliquerat, quæque dum *ille in certaminibus pro pietate susceptis desudabat .... durabat in castitate matrimonium conservans;* tametsi *quidam adulterandi animo* (verba sunt S. Gregorii Nysseni, quibus haud dubie Paulinum designat tom. II, in Orat. funebri S. Meletii pag. 1023 edit. Paris. anno MDCXV) *immaculatum lectum conjugalem aggressus esset.* Conventus autem sacros, ab Arianis Eustathianisque sejunctos, extra urbis portas in Palæa celebrabat, ut est apud Socratem lib. III, cap. IX, et Theodoretum lib. III, cap. II, donec ecclesiam in urbe recenter exstructam illi Jovianus imperator attribuit; vide Comment. cit. § V, num. 42, et Tillemontium art. 8. Sub idem tempus concilium Antiochiæ pro Nicæna fide coegit, de quo Commentarius ibidem num. 40; Tillemontius loco citato, Labbeus tom. II Concil. col. 97 et 825, aliique.

Alia duo Meletii exilia;

238 Exilium illud primum S. Meletii alia duo sunt consecuta; ut auctor est S. Gregorius Nyssenus, qui verbis superius modo allatis hæc subjicit: *Ac denuo reditus, et rursus exilium idque tertium accidit;* sed ea quibus temporibus acciderint, non facilis conjectura est, Majores nostri in Comm. cit. secundum exilium sub Juliano locarunt, exemplo Cardinalis Baronii; vide § V, num. 37. Estque ea opinio commodissima, et nititur auctoritate Theophanis pag. 47, ubi a Joviano revocatus dicitur ab exilio Meletius; cui favet S. Hieronymus in Chron. anno II Juliani: in ea enim et brevissimum, ut esse debuit, invenitur exilium, ob secutum continuo Juliani interitum; et opportuna revocatio, succedente mox in imperium Joviano, cui et fides Nicæna in pretio et Meletius in summa veneratione simul et amoribus erat. Nam quod S. Chrysostomus in Oratione jam dicta, cap. II,

num. 7

A num. 7 ita pronuntiet : *Post primam reversus persecutionem, non triginta solum dies, sed etiam menses et annum unum et duos et plures hic est versatus ;* id videtur intelligi posse de toto illo tempore, quo post primum exilium ad mortem usque, de qua statim agit num. seq., Meletius Antiochiæ versatus est; nec enim dicit illos dies, menses et annos fuisse continuos, aut nulla alia persecutione interruptos : quemadmodum vult Tillemontius nota 10 in S. Meletium ; ubi propterea maluit exilium hoc usque ad imperium Valentis et annum Christi CCCLXV differre. Qua quidem in re, suis etiam difficultatibus, ut istic videre est, obnoxia, auctores habet Socratem lib. IV, cap. II, ac Sozomenum lib. VI, cap. VII ; sed locis partim falsis, partim, ipsomet fatente, suspectis, eamque ob causam a Pagio, in Criticis Baronii anno Christi CCCLXX num. 28, ad annum Christi CCCLXXII detortis ; in quem circiter annum, tertium exilium incidisse dicendum est, ut colligitur ex Comm. cit. § VI, num. 50 et 51 ; ac § VII : certe nec citius id accidisse quam anno Christi CCCLXXI B exeunte, nec serius quam ineunte CCCLXXII, contendit Tillemontius nota 11 in S. Meletium. Tenuit porro ultimum istud exilium, donec illi Gratianus, ut primum, Valente, qua dignus dudum erat, nece sublato die IX Augusti anno Christi CCCLXXVIII, imperio potitus est, finem imposuit; ut est in Comm. cit. § VII, num. 63, suscipientibus interea viduati pastore gregis curam Flaviano ac Diodoro, imo et S. Aphraate, ut narrat Theodoretus lib. IV, cap. XXII, et alibi. Vide Comm. § VII, num. 60.

et concilium ab illo celebratum Antiochiæ A. C. 380 circiter.

239 De Concilio, de quo Comm. § VIII, num. 67, omnis ecclesiæ Orientis, quod celebratum est Antiochiæ anno Christi CCCLXXIX mense Septembri aut Octobri (Pagius in Criticis Baronii ad annum Christi CCCLXXVIII num. 8, illud reponit in annum Christi CCCLXXX) a 146 aut 153 episcopis Orientalibus, præsidente Meletio, legi omnino meretur Tillemontius, de S. Meletio art. 13, uti et exemplum synodi habitæ Romæ sub Damaso, quod Bollando et quos ipse citat, videre non licuit, quodque in hac synodo C Antiochensi subscriptum luci dedit Lucas Holstenius in Collectione Romana part. I, pag. 165, impressionis Romanæ anni MDCLXII. Habes illud etiam tom. II, Concil. Labbei col. 891 ; ubi nulla diuturnæ Meletium inter et Paulinum controversiæ fit mentio.

Obiit patriarcha Meletius Cpoli A. C. 381,

240 De obitu S. Meletii agit Commentarius noster § X, eumque recte quidem confert in annum Christi CCCLXXXI, num. 89 ; quandoquidem Constantinopoli, dum convocatum istuc a Theodosio ex universo imperio episcoporum concilium longe ipse inter omnes præcipuus, Coss. Syagrio et Eucherio, celebraret, acciderit : sed minus commode diem illi præfixit XII *Februarii aut non multo post :* tum quia sic episcopos ex remotissimis etiam Orientis provinciis media hieme evocatos fuisse oporteret, quod non est verisimile ; tum quod Antiochiæ adhuc erat Meletius, cum illuc advenit Sapor magister militum, vi legis a Theodosio Cpoli latæ X Januarii anno CCCLXXXI (et non alterius, quæ sive a Gratiano anno CCCLXXVIII, sive ab ipso Theodosio XXVIII Februarii anno CCCLXXX edita fuerat, ut probat Tillemontius tom. V de impp. not. 7 in Theodosium I) Euzoïo ecclesias, quas ibi obtinebat, erepturus cessurusque Meletio ; quod quidem negotium Antiochiæ eo lentius confici potuit quam apud gentes alias, quod ambigeret principio Sapor, cui potissimum orthodoxorum adempta Arianis templa contribueret, dum ea pro se Paulinus atque Apollinaris ; pro Meletio vero Flavianus ambirent, eadem omnes Theodosii lege designari se contendentes. Vide Theodoretum lib. V, cap. II et III.

non mense Februario,

241 Accedit insuper ; quod, cum hæc lex ad omnes Orientis provincias pertineret, non æque ubivis prompta esse poterat ejus promulgatio atque executio ; ut patet ex Socrate lib. V, cap. X ; hæc vero executio cum præsentes ubique episcopos, saltem orthodoxos, exigeret, de quorum jure agebatur, probabile non apparet, vocatos ante Constantinopolim a Theodosio fuisse, quam suis quemque ecclesiis restitutum is intellexerit ; videturque adeo vix ante XII Februarii de indicenda synodo decretum fuisse. Vide Acta Sanctorum tom. II Maii, annot. in Vitam S. Gregorii Nazianzeni, pag. 412. E Certe ea, quæ habet loco citato Commentarius historicus de S. Meletio, contrarium nequaquam evincunt, etiamsi ultro concederet quispiam (de quo tamen mox videbitur) et jam tum a mense Maio, Coss. Euchario et Evagrio (alias Syagrio et Eucherio) universos Orientis episcopos, et cum illis etiam Ægyptios Constantinopoli adfuisse, quod ait Socrates lib. V, cap. VIII ; et jam antea ordinato istic Gregorio, Meletium obiisse, quod idem istic aperte negat : neque enim tribus quatuorve mensibus opus erat, ut ea fierent, quæ ibi ante Ægyptiorum adventum facta dicuntur, imo ne totidem quidem hebdomadis.

sed Maio vel Junio :

242 Ait quidem Socrates lib. V, cap. VIII : *Post hæc* (diem sextum Kalendas Decembris Coss. Gratiano quintum, et Theodosio Augusto primum, id est, anno Christi CCCLXXX) *Imperator nihil cunctatus suæ fidei episcoporum concilium convocat.* Sed quam non religiose velit intelligi, satis indicat ; cum non nisi mense Maio, et eo quidem jam forte elabente, convenisse omnes significat. F Si ergo mense Maio inchoatum primum est concilium, vivebatque etiamnum, ut ipse ait, ibi tum S. Meletius ; sequitur, ut non ante illud tempus S. Gregorius Nazianzenus in sede Cpolitana sit confirmatus ; erretque adeo Socrates lib. V, cap. VI, dum, nescio quem, episcoporum multorum conventum pridem ante sextum Kalendas Decembris, anni CCCLXXX, ut patet ex cap. VII, comminiscitur ; in quo Gregorius communi suffragio, a Nazianzeno ad Cpolitanum episcopatum translatus sit : factum id enim est in ipso concilio universali episcoporum totius Orientis, ut de se ipse testatur Gregorius tom. II, edit. Paris. anni MDCXI in Carmine de Vita sua, pag. 24. Tum vero necdum aderant episcopi vel Ægyptii, vel Macedones, sed non nisi post Meletii mortem, contentionesque de ejus successore, studiaque Gregorii, episcopatu sese abdicare volentis, repente supervenerunt ; (quamvis non *repente,* ut quidam intelligit, sed pridem cum aliis *invitati)* ut patet ex eodem Carmine pag. 28. Vel ergo errat Socrates, quod mense Maio

cœpisse

SÆCULUM IV.

cœpisse synodum asserat; in quo hallucinari eum non facile crediderim, cum propter ea quæ dixi num. 240 et 241, tum quod tempus illud cogendæ tantæ synodo sit maxime opportunum, idemque adeo fuerit ad Nicænam olim a Constantino delectum; vel errat quod adfuisse jam tum Ægypti ac Macedoniæ episcopos memoret, vivente adhuc Meletio, in quo certissimus error est saltem unus, ut ex Gregorio patet.

licet in Martyrologiis plerisque celebretur die XII Februarii.

243 Nihil igitur officere nobis debet Historia Socratica, quo minus gloriosum hujus Patriarchæ obitum cum Papebrochio, loco ante citato, vel ad X usque diem Junii differamus, vel ita collocemus in Maio, ut illo die X Junii tanta, quantam describunt Gregorius pag. 25, et Sozomenus lib. VII, cap. X, pompa ac solennitate elatæ ejus exuviæ, Antiochiam pervenire potuerint; cum ejus tunc memoriam Florarii Ms., cujuscujus auctoritatis, collector celebret. In plerisque tamen Martyrologiis colitur XII Februarii; forte quod illo die Sedem Antiochenam capessens anno Christi CCCLXI, gravissima ac diuturna B hæreticorum præsulum servitute catholicos ecclesiæ suæ filios liberaverat; quos inter adversa plurima per annos deinde XX et menses fere tres admirabili fortitudine et constantia etiam exul diu ac procul positus gubernavit. Corrige itaque, lector, annos XXV, quibus eum Antiochiæ sedisse volunt Nicephorus CP., Theophanes, Eutychius, Zonaras. Eutychius tamen in eo fallitur tantum, quod Meletium supervixisse putaverit concilio Cpolitano; cetera nobis omnino favet pag. 483, ubi sic vertitur: *Anno Imperii ejus* (Juliani) *secundo creatus est Meletianus Patriarcha Antiochenus* (serius ergo quam vult Pagius supra num. 231,) *qui orthodoxus fuit. Annos* XXV *sedit: cujus præfecturæ anno vicesimo primo* (etiam juxta nos) *celebratum est Cpoli concilium secundum.*

EUZOIUS

Arianorum Antiochensem Patriarcha.

C

Euzoius Ario jam olim conjunctissimus, suplectus est Meletio A. C. 361:

Constantius imp., relegato, ut jam diximus, in Armeniam S. Meletio, accitum Alexandria EUZOIUM, cum ei manus imponere jussisset episcopos, in episcopatu substituit, teste Philostorgio lib. V, cap. V; idque statim, atque in eadem synodo; ut narrat Theodoretus lib. II, cap. XXVII. Vide dicta superius a num. 229 usque ad 237. Idem Theodoretus ibidem, *manifestum* eum ait fuisse *Arianorum dogmatum defensorem: hunc quippe ipsum,* inquit, *magnus Alexander una cum Ario damnatum diaconatu privarat,* in concilio nempe Alexandrino (anno Christi circiter CCCXX;) ut est apud S. Athanasium tom. I, parte I, in epistola encyclica S. Alexandri archiepiscopi Alexandrini, pag. 396 et seqq. Eamdem iterum cum illo sententiam tulit in magna synodo Nicæna, teste Petro Alexandrino apud Theodoretum lib. IV, cap. XIX. Et vero tanta illi cum Ario familiaritas fuit, tam arcta consiliorum dogmatumque consensio, ut illum sibi inter omnes socium hæresiarcha le- D geret, quando ad comitatum Constantini frequentibus litteris ab exilio vocatus anno fere CCCXXX, libellum illum composuit, quo per ambiguam fidei formulam, quæ Arianorum secunda censetur, fucum imperatori piissimo veterator uterque fecit. Exhibet illum, qui hæc narrat, Socrates lib. I, cap. XXVI, item Sozomenus lib. II, cap. XXVII, sic inscriptum: *Religiosissimo Deique amantissimo domino nostro imperatori Constantino, Arius et Euzoïus.* Exinde uterque in synodo Hierosolymitana, anno Christi CCCXXXV, in communionem ab Eusebianis, Sozomeno teste, susceptus est, sugillantibus id maxime Orthodoxis, nec eos propterea minus execrantibus, ut patet ex synodo Alexandrina, anno Christi CCCXL, apud S. Athanasium in Apologia contra Arianos num. 19, tom. I, parte I, pag. 139.

sed a solis Arianis Antiochensibus agnitus.

245 Sed id eluxit tum vel maxime, cum ad infulas Antiochenas evectus est: tametsi enim in illa synodo (anno CCCLXI) recitata Constantinopolitana fidei formula, de qua supra num. 230, remisisse aliquid de pristina sua atque Arii blasphemia videretur; tam alte tamen catholicorum Antiochensium animis odium ejus insederat; ut ne illi quidem, E qui XXX jam annos Arianicam proterviam, ut loquitur Theodoretus lib. II, cap. XXVII, in suis antistitibus patienter pertulerant, quidquam sibi umquam cum Euzoïo commune esse voluerint; nedum illi, qui post S. Eustathium, episcopum alium adhuc nullum agnoverant, quique se vel propterea et ab ipso S. Meletio, et ab adhærentibus ei maximo numero orthodoxis secreverant; *quod Meletius Arianorum suffragio,* inquit Socrates lib. II, cap. XLIV, *ordinatus fuisset, ipsique ejus sectatores baptismum ab iisdem suscepissent.* In tres itaque secta partes misera dissidebat ecclesia; quarum Ariana tantum *Euzoïo* paruit.

et Constantio imp. imprimis carus, quem morti proximum baptizavit.

246 Sed enim in tanta bonorum omnium virorum defectione solatio illi erat pessimi Constantii favor et ad ultimum usque spiritum conjunctio: is etenim, *cum adusque finem,* ait S. Athanasius de Synodis tom. I, parte II, pag. 748, num. 31, *in impietate perseverasset, demum instante morte, baptizari voluit, non a piis utique viris; sed ab Euzoïo, qui* F *Arianæ hæreseos causa non semel, sed multoties, et diaconus cum esset, et cum Antiochiæ sederet, depositus fuit,* non, *depositus fuerat,* ut hic vertitur: neque enim hactenus Antiochiæ deponi potuerat; potuit vero postea, quamquam effectu non secuto, tum sub Juliano Alexandriæ, tum sub Joviano Antiochiæ, tum alibi, quoties pro stabilienda adversus Arianos Nicæna fide conventum est. Vide S. Athanasium in fine epistolæ ad Rufinianum tom. I, parte II, pag. 964. Contulit vero Baptismum imperatori, eodem adepti episcopatus anno, Coss. Florentio et Tauro, a Persis in Occidentem contra Julianum arma vertenti, cum jam pervenisset ad Mopsucrenas in Cilicia, ac morbo ibi correptus esset, qui impio ejus imperio vitæque finem attulit, ut narrat Philostorgius lib. VI, cap. V, et Chronicum Alexandrinum ad hunc consulatum; Socrates tamen lib. II, cap. XLVII, id Antiochiæ factum innuit.

Favet Aetio et Serræ.

247 Exinde cum Julianus statim ab arrepto imperio omnes, qui propter ecclesiastica dogmata exulabant, atque in primis Aetium, revocasset,

A revocasset, ut habet Philostorgius lib. VI, cap. VII, *Euzoïus*, id ab Eudoxio rogatus, *coacta ad novenarium numerum*, seu novem episcoporum, *synodo*, ut narrat idem Auctor lib. VII, cap. VI, *contra Aëtium olim gesta dissolvit; infirmavit etiam sex mensium inducias, quibus elapsis sacerdotii privatio pœnæ loco irrogata fuerat Serræ, nisi Aëtii depositioni et Occidentalium Tomo subscripsisset*. De qua re vide Theodoretum lib. II, cap. XXIV. Jamque hoc negotium procedebat, cum Euzoïi impetum persecutio, in Arianos juxta et orthodoxos desæviens, repressit.

Ab impio Juliano colaphus ei impingitur; a Joviano repulsam fert.

248 Quo quidem tempore Euzoïo quiddam accidit, quod ei sane indecorum non fuit: nam cum Julianus ecclesiam, a Constantino olim magnifice exstructam, quæque Euzoïo jam cesserat, ingressus, Mensam sacram, teste Theodoreto lib. III, cap. VIII, permingeret, velletque facinus istud Euzoïus prohibere, tyrannus ei colaphum inflixit. Joviano deinde imperante, Lucii atque Arianorum patrocinium contra S. Athanasium nihilo suscepit felicius: cum enim illi *per Euzoïum postularent*, ut est apud Athanasium in B Petitionibus ad Jovian. imp. tom. I, parte II, pag. 784, *a Probatio et sociis, Eusebii*, qui Constantio a cubiculis fuerat, *et Bardionis successoribus eunuchis, ut commendationem haberent infideles Ariani; re cognita, imperator eunuchos tormentis applicans, dixit: Hæc patiatur, quisquis voluerit Christianos deferre. Et sic dimisit eos imperator*.

Valens imp. cogit orthodoxos omnes communicare cum Euzoïo.

249 Alia rebus facies sub Valente inducta est: hic enim, ut erat Arianæ perfidiæ devotissimus, orthodoxos, *qui cum Euzoïo communicare renuissent, ecclesiis urbis Antiochiæ expulit, et gravissimis damnis et suppliciis affecit. Multos etiam in Oronte fluvio, qui urbem præterfluit, submersisse dicitur*, ait Socrates lib. IV, cap. II, duobus augustis nempe, ut ex seq. cap. colligitur, primum Consulibus, hoc est, anno Christi CCCLXV; itemque Sozomenus lib. VI, cap. VII; qui tamen uterque in eo hic saltem fallitur, quod hæc Antiochiæ ab ipso coram imperatore gesta esse commemoret; quem hoc anno constat Antiochiam neutiquam attigisse, ut probatum vide. ad hunc annum in chronologia codicis Theodosiani C apud Gothofredum.

Theophilus Aëtianorum Antiochensium fit episcopus.

250 Certe jam tum ab imperii Valentis exordio multum apud eum valebat Euzoïus; ideoque illum Aëtiani, teste Philostorgio lib. IX, cap. III, commonefaciendum continuo putarunt, adesse jam tempus, quo id confici posset, quod numero 248 sub imperio Juliani in Aëtii causa cœptum ab eo fuisse diximus. Destinatus ad rem hanc apud Euzoïum urgendam ab eis dudum fuerat Theophilus quidam, vir apud suos mirabilis, ut loco non uno docet idem Philostorgius; sed ea is lege missus Antiochiam erat, quemadmodum auctor idem asserit lib. VIII, cap. II, ut si adducere Euzoïum ad sua vota non posset, ipsemet eorum istic præfecturam arriperet, qui Aëtii atque Eunomii inter Antiochenos dogmata sequebantur. Sive autem id Euzoïo suboluerit, sive alia qua causa intervenerit, tantum certe abfuit, ut eum Aëtiani propitium haberent; ut ab illo potius maledicta, item ut ab Eudoxio, atrocia tulerint. Adi Philostorgium lib. IX, cap. III. Nihilo tamen secius hæsit Antiochiæ episcopus ille Aëtianus usque ad tempora Theodosii imperatoris, ut patet ex eodem libro, cap. XVIII.

Alexandria post expromptam in orthodoxos sævitiem Lucium Arianum patriarcham constituit Euzoïus.

251 Verum Lucio, quem sibi Alexandriæ post Georgium adoptaverant Ariani, non paulo fidelior Euzoïus fuit: quod enim frustra apud Jovianum tentaverat, id statim atque vita functum intellexit S. Athanasium, *Coss. Gratiano iterum, et Probo*, ut scribit Socrates lib. IV, cap. XX, nosque probavimus in Patriarchis Alexandrinis; hoc est, anno Christi CCCLXXI, summa Valentis, qui tum Antiochiæ morabatur, voluntate præsidioque perfecit; quin etiam *ambivit*, inquit Socrates ibid. cap. XXI, *ut ipse Alexandriam mitteretur, quo ejus loci ecclesias Lucio Ariano traderet. Idem quoque visum est imperatori. Protinus itaque cum imperialibus copiis Alexandriam venit. Nam et Magnus, regiorum thesaurorum comes, una cum illo perrexit; et mandatum imperatoris missum est ad Palladium præfectum Ægypti, jussumque erat, ut milites operam suam ac ministerium præberent. Quocirca Petrum quidem*, Athanasii successorem, *comprehensum in vincula conjecerunt: reliquis autem clericis fugatis et hac atque illac dispersis, Lucium in episcopali* E *sede collocarunt*. Atque hoc pacto Euzoïus et suæ et suorum per Ægyptum rabiei et ferali orthodoxorum tragœdiæ, cujus partem aliquam ex ipsius Petri epistola Theodoretus exhibet lib. IV, cap. XIX, initium dedit. *Porro Euzoïus*, inquit Sozomenus lib. VI, cap. XIX, *rebus, quas instituerat, ad exitum perductis, Antiochiam reversus est*; eadem haud dubie, quantum res ac tempora sinerent, pro se domi suaque secta facturus, quæ Alexandrinæ ecclesiæ accuraverat.

Obiit A. C. 376

252 Donec tandem tot malorum, quot per annos circiter LX per se aliosque commiserat, rationem supremo omnium Judici redditurus, *extremum diem obiit, Consulatu Valentis augusti quinto, et Valentiniani junioris primo*, ut habet Socrates lib. IV, cap. XXXV, id est, anno Christi CCCLXXVI. S. Hieronymus adversus Luciferianos tom. IV, editionis Parisinæ anni MDCCVI, col. 301, sic orthodoxum inducit, Arianorum post alios non ignobiles præcipua capita recensentem: *Ipse quoque, caput horum et causa malorum, Arius presbyter, et* F *Euzoïus diaconus, qui postea sub Theodosio Antiochenus episcopus fuit, et Achillas lector. Hi quippe tres Alexandrinæ ecclesiæ clerici, auctores hujus hæreseos extiterunt*; quæ verba hic placuit exscribere, quia compendiosum exhibent Euzoïi characterem. At quod hic dicitur sub Theodosio fuisse episcopus, non id, credo, veri admodum simile est: nam sub Valente mortuum esse, præter Socratem docent etiam Sozomenus lib. VI, cap. XXXVII in fine, et Philostorgius lib. IX, cap. XIV; Theodoretus quoque, dum ejus, tamquam superstitis, post Valentem non meminit (exempli causa lib. V, cap. II ac III,) defunctum ante non obscure significat. *Devastavit* igitur *præsulatum Antiochensem*, ut Petri Alexandrini apud Theodoretum lib. IV, cap. XIX verbis utar, ab anno Christi CCCLXI usque ad CCCLXXVI, annis XV; pro quibus Nicephorus in Chronico non nisi V posuit; nisi dixeris librariorum vitio factum esse, ut pro ιε jam legatur ε tantum, quod non est insolens; aut etiam pro annis Euzoïi positos esse annos Dorothei, qui hic a Nicephoro prætermissus est;

SÆCULUM IV.

est; quemque nos infra num. 273 daturi sumus.

PAULINUS III.

Eustathianorum Antiochensium episcopus.

Paulinus a Lucifero Calaritano ordinatus est A. C. 362,

De Paulino ita pronunciat S. Hieronymus in Chronico ad annum I Juliani: *Eusebius et Lucifer ab exilio revertuntur: e quibus Lucifer, adscitis aliis duobus confessoribus, Paulinum, Eustathii episcopi presbyterum, qui se numquam hæreticorum communione polluerat, in parte catholica Antiochiæ episcopum facit.* Hujus rei longiorem historiam habes in Commentario nostro jam sæpius appellato de S. Meletio ad diem XII Februarii § III, a num. 22; de eadem agit Ruffinus lib. X, a cap. XXVII, Socrates lib. III, a cap. V, Sozomenus lib. V, B a cap. XII. De anno hujus ordinationis satis etiam convenit, fuisse Christi CCCLXII, post revocatos a Juliano imperatore episcopos, quos a suis sedibus Constantius in exilium amandaverat. Dubitatum solummodo est, consecratusne fuerit a Lucifero, episcopo Calaritano, ante synodum, hoc anno celebratam Alexandriæ; cum ad illam diaconos suos miserit: an potius tempore synodi, aut paulo post illam. Primum opinati sunt Cardinalis Baronius ad hunc annum num. 180, et Valesius annot. in Socratis lib. III, cap. V; sed secundum contra eos evincunt Pagius in criticis Baronii ad eumdem annum num. 23, et nuperi editores Operum S. Athanasii in Monito ad Tomum ejusdem ad Antiochenos num. 4, tom. I, parte II, pag. 770, Hermantius in Vita S. Athanasii lib. X, cap. IX, aliique recentiores.

mense circiter Augusto vel Septembri:

254 Habita autem est synodus Alexandrina post reditum S. Athanasii; illam præcesserant primo adventus Juliani imperatoris Antiochiam, qui contigit sub finem mensis Julii, ut probat Tillemontius tom. IV Hist. impp. C nota VI in Julianum. 2. supplicium capitis in Artemio Ægypti Duce. 3. Georgii, pseudopatriarchæ Alexandrini, diu meritum ab exulcerata plebe exitium. Vide Ammianum lib. XXII, cap. X et XI. *Finito autem concilio,* inquit Sozomenus lib. V, cap. XIII, et constat ex subscriptione apud S. Athanasium tom. I, parte II, pag. 776, num. 10, *Eusebius Antiochiam profectus est.... Cumque moleste ferret, quod Paulinus, contra quam oportebat, absque totius populi consensu ordinatus fuisset,* populum ad pristinam concordiam revocare conatur. Dum in eo totus est S. Eusebius, episcopus Vercellensis, *reversus* tandem est etiam *ab exilio Meletius,* teste eodem Sozomeno ibidem, et Socrate lib. III, cap. IX, ac Ruffino lib. X, cap. XXX, mense circiter Septembri, ut num. 237 diximus; et certe jam Antiochiæ erat Meletius, cum festivitatem septem dierum apud Daphnen Julianus inchoabat, ut patet ex conversione adolescentis ethnici, de qua Theodoretus lib. III, cap. X; illa vero festivitas antecessit diem XXII Octobris; illo enim die, uti testatur Ammianus lib. XXII, cap, XIII, *amplissimum Daphnæi Apollinis fanum .. subita* D *vi flammarum exustum est.* Patet igitur tum synodum Alexandrinam, tum ordinationem Paulini in adultum circiter Augustum, aut Septembrem esse conferendam.

solusque pr... Eustathian...

255 In citato Hieronymi Chronico sic de Paulino agitur, quasi solus is Antiochiæ episcopus esset catholicus, ac sola illa esset pars catholica, quæ illum sectabatur; nihilo mitius de Meletio in eodem Chronico scribitur ad annum Constantini XXII et ad I Joviani imp., et alibi apud Valesium in Theodoreti lib. V, cap. III; imo etiam in Paulinum jam episcopum et Valentis imperium cadere videtur, quod habet idem S. Hieronymus epist. XXXVIII ad Pammachium adversus errores Joannis Hierosolymitani, tom. IV, parte II, col. 308 editionis Parisinæ anni MDCCVI: ubi totum Orientem eo tempore (*excepto Papa Athanasio atque Paulino*) Arianorum atque Eunomianorum hæresi possessum fuisse dicit. Verum de S. Meletii eique adhærentium orthodoxia videri possunt auctores assignati superius, qui hæc uberrime tractaverunt; videri etiam potest judicium synodi, qua de nunc E egimus, Alexandrinæ in S. Athanasio, loco proxime jam citato. Ex quibus constabit, non minus integram illius partis, quæ Meletium, teste Ruffino lib. X, cap. XXX, numerosior; quam ejus quæ Paulinum secuta est, fuisse fidem.

S. Meletium et Meletianos æque orthodoxos aversatus,

256 Hoc tamen Meletianos inter et Paulinum cum suis interfuit; quod hi nullam umquam cum Arianis communionem admiserint; illi tum primum, cum, relegato Meletio, obtrusus Euzoïus est, cum Arianis præsulibus divortium fecerint; quæ causa præter alias non minima esse potuit, cur in Meletium ac Meletianos inclementius semper is egerit, quam in Paulinum, *quem non modo non ejecit,* aut ejici per tyrannos curavit, *ex civitate; sed unam ei ecclesiam,* ut ait Sozomenus lib. V, cap. XIII, *attribuit.* Adi et Socratem lib. III, cap. IX. Ceterum, ut in Meletio summa erant omnia; ita *sanctum virum* fuisse *Paulinum, ac per omnia dignum sacerdotio,* testatur Ruffinus lib. X, cap. XXVII. Alia ejus elogia dat Sozomenus loco citato, aliique, F atque in primis S. Hieronymus, qui ab eo presbyter consecratus est. Unde factum est, ut, quanto a suis quisque partibus impensius amabatur, tanto minus posset avelli; atque adeo res catholicorum ad concordiam revocari; quam ultro ab Eustathianis, nondum ordinato Paulino, Meletiani expetierant, ut est in S. Athanasii Tomo ad Antiochenses, tom. I, parte II, pag. 771, num. 3 et 4.

et ita universam Ecclesiam in varia partium studia

257 Exinde dissidium istud, toto Oriente atque Occidente vulgatum, varia summorum virorum excitavit judicia, tum huic, tum illi, tum utrique, tum neutri communione adhærentium. Atque ab ipso quidem principio *Eusebius* (Vercellensis) *cum redisset* (a synodo Alexandrina) *Antiochiam, et invenisset ibi a Lucifero contra pollicitationem ordinatum episcopum, pudore simul et indignatione compulsus abscessit, neutræ parti communionem suam relaxans,* ait Ruffinus lib. X, cap. XXX. Quæ tacita gestorum a Lucifero condemnatio Luciferiani schismatis occasio fuit. S. Athanasius communionem, ut pridem cœperat, cum Eustathianis ac Paulino servabat, ut constat ex S. Basilio

A S. Basilio epist. CCCXLIX, S. Epiphanio Hæresi LXXVII, pag. 1015, atque adeo ex ipso S. Athanasio in eadem subscriptione, quæ subnexa est Tomo ad Antiochenses mox assignato: sed non item Athanasio junctus Meletius est, ut indicat Ruffinus capite et libro citatis: quamquam enim in votis habebat Athanasius communionem cum illo statim inire, cum Antiochiam Alexandria profectus est; *vafris tamen non nullorum consiliis actum est, ut in aliud tempus distulerit hanc unionem*; quod utinam factum non esset! inquit S. Basilius epist. CCCXXV; ubi de se addit: *Qui postremi subintroierunt* (in sedem Antiochenam post Meletium) *nullius illorum communionem aliquando admisimus: non quod indignos judicaverimus; sed quod nihil in Meletio condemnandum agnoscamus*: cujus paulo ante dixerat ecclesiam suam sectari communionem. De Gregorio Nysseno, ubi Paulini episcopatum suggillat, tamquam adulterium, vide supra num. 237.

distrahentibus;

258 Denique cum Paulino faciebant præter S. Athanasium Occidentales, ut patet ex epistola Damasi ad Paulinum Antiochenum in B Collectione Romana Holstenii parte I, pag. 180: quæ epistola quantum Paulino tribuit, tantum adimit Meletio; maxime si ad ipsum referri debeat, quod habetur pag. 183 in medio, de iis qui de ecclesiis ad ecclesias migrarunt: certe illa, uti et alia, cujus in hac fit mentio, ab eodem sancto Pontifice ad Paulinum directa, Pauliniani mirifice gloriabantur; nisi adhuc alia fuerit illa, cujus meminit S. Basilius epist. CCCXLIX, *Occidentalium epistola, qua sedes Antiochiæ episcopalis ipsorum parti addicebatur, vir autem admirabilis Meletius ab episcopatu ecclesiæ Dei veræ abdicabatur*; ut rumor erat. Cum Meletio vero erant Orientales pene omnes; nec prorsus adversi Occidentales, ut colligitur ex synodo Antiochena sub Joviano imp., et exemplo synodi habitæ Romæ episcoporum XCIII sub Damaso, cui Meletius cum suis subscripsit: vide eamdem Collectionem Holstenii parte I, a pag. 165. Et quatuor postea sæculis in concilio Nicæno II, applaudentibus Patribus, *Petrus, Deo amabilis presbyter et locum retinens sanctissimi Papæ Romani, dixit: ut aiunt histo-* C *riographi, sanctus Meletius ab Arianis est ordinatus et ascendit super ambonem, et prædicavit homousion,* ORDINATIO AUTEM EJUS NON EST REPUDIATA. Vide Labbei Concilia tom. VII, col. 82 et 83.

ut alii Paulinum,

259 Neque vero intra partium dumtaxat studium stetit hæc discordia; sed ad mutuam etiam orthodoxiam calumniandam longe lateque progressa est; quæ res tum maxime ferbuit, cum auxit schisma Vitalis, de quo agam inferius. Is Sabelliani dogmatis Paulinum insimulabat, ut est apud S. Epiphanium Hæresi LXXVII, num. 20. Eumdem cum aliis anathematizare voluit, etiam ipse Apollinarista, Timotheus, apud Facundum Hermianensem a Sirmondo editum lib. IV, pag. 150. Eumdem ad Occidentales episcopos pro Orientis ecclesiis scribens epist. LXXIV in fine accusat Orientalium nomine S. Basilius; quasi Marcelli Ancyrani doctrinam de Filio et Spiritu sancto ita sectetur, *ut non aberret*, inquit, *si quisquam hanc hæresim prorsus alienam esse a Christianismo determinet, ac corruptum quemdam judaïsmum appellet.* Eodem refer quod ei Flavianus, adhuc presbyter, coram Sapore objicit apud Theodoretum lib. V, cap. III; et quod habet S. Hieronymus in celeberrimis ad Damasum epistolis XIV, alias LVII; et XVI, alias LVIII, tom. IV, parte II, col. 19 et 22.

alii S. Meletium, pro hæretici is haberent.

260 De Meletio vero tum ante tum post exilium quid senserit S. Hieronymus, vide in Chronico ad annum Constantini XXII. Epiphanius, quamquam cum maxima de illo commendatione loquitur; Hæresi tamen LXXIII, num. 34, *Utinam vero*, inquit, *et Venerabilis ipse Meletius eamdem cum Antiochenis suis, iisque, qui aliis in locis perinde sentiunt, fidei formulam sequatur! Nec enim desunt, qui cum illo et cum ejus synodo communionem habere videntur, qui in Spiritum sanctum contumeliose non nihil effutiant,* et num. 35. *Nonnulli tamen*, inquit, *haud scio, an odio in eum commoti, an invidia perciti, an denique sua ut in majus extollant, nescio quæ parum secunda de illo fama sparserunt.* Subdit tamen: *Verum ne his penitus assentiamur, prohibent ea, quæ in ipsius cœtu ac concilio in dies emendantur, et, ut antea dictum est, cum rectæ fidei professione consentanea traduntur.* Romam tamen usque ejusmodi E rumores circa annum Christi CCCLXXVII pertigerunt, quod acerbissime queritur S. Basilius epist. CCCXXI ad Petrum episcopum Alexandrinum; ita ut ibi, quod mireris, etiam insanientes inter Arianos cum S. Eusebio Samosatensi sit recensitus. *Ceterum*, inquit S. Basilius, *persuasissimum habeas, Vir re vera reverendissime, non esse vel verbulum aliquod orthodoxum, quod non isti Viri libere et confidentissime prædicarunt: id quod, Deo teste, auritus ego auditor affirmo; qui nec ipse horum societatem ad horulæ spatium tolerassem, si tantillum in fide claudicantes deprehendissem.* Neque vero ita de se invicem Paulinum ipsum ac Meletium sensisse, partim ex dictis, partim ex infra dicendis conjicere pronum est.

Pacem interim frustra flagitante S. Basilio magno,

261 Non defuere tamen interea, qui ad pacem conciliandam omni ope atque industria per se aliosque incumberent, quos inter eminuit S. Basilius, ut passim ejus epistolæ produnt, maxime quas anno Christi CCCLXXI ad S. Athanasium dedit. Brevis est inter illas epistola L, qua ostendit, et sibi et Orienti universo in votis esse, *ut illum* (Meletium) F *videant ecclesiam Domini administrare* (sic enim vertendum erat) *Virum et fide irreprehensibilem, et vita talem, ut aliorum nemo comparari ad eum possit*; *et totius, ut sic dicam,* inquit, *ecclesiæ corpori præesse. Sint autem alii*, subdit, *tamquam segmenta partium: ita ut eos necesse sit simul et expediat Viro huic conjungi, ut magnis fluviis minores; et aliorum rationem talem haberi, quæ et ipsis conveniat, et populum reddat pacatum, et prudentiæ tuæ, solertiæque celebri ac studio respondeat.* Hæc ibi Basilius.

imo ipso S. Meletio conditiones offerente;

262 Sed multo liberalius deinde egit cum Paulino ipse Meletius: *Cum enim hic supradictæ legis* (Gratiani imperatoris, de qua egerat cap. I) *beneficio Antiochiam Syriæ remeasset*, ait Sozomenus lib. VII, cap. III, *gravis contentio in populo exorta est: etenim cum Paulinus adhuc superstes esset, quem imperator Valens ob pietatem, ut supra diximus, reveritus, exilio multare haudquaquam ausus fuerat; quidam postulabant, ut Meletius in episcopali sede cum illo resideret;* imo ipse *Meletius*, ut narrat non suo tempore Theodoretus lib. V, cap. IV, *mortalium*

SÆCULI M IV.

lium omnium mitissimus, amanter ac benigne compellans Paulinum; quoniam, inquit, et mihi ovium istarum curam Dominus commisit, et tu alias oves curandas suscepisti, ovesque inter se pietatis communione consentiunt; greges nostros, amice, conjungamus, et contentionem de præfectura dirimamus, ovesque in commune pascentes, communem illis curam impendamus. Quod si de media sede est controversia; ego hanc etiam conabor removere. Ponatur enim in ea, quæso, sacrum Euangelium, et ex utraque parte nos sedeamus: et siquidem prior ego e vita excessero; tu solus, amice, gregem reges: sin autem tibi prius id contigerit; ego rursus ovium pro viribus curam geram. Quæ cum benigne amanterque a divino Meletio proferrentur, Paulinus tamen non acquievit.

quas rejecit Paulinus.

263 *Cumque diceret Paulinus,* teste Socrate lib. v, cap. v, *refragari ecclesiasticis regulis, ut is, qui ab Arianis ordinatus fuisset, ad societatem cathedræ admitteretur, populus vi adhibita perfecit, ut in quadam extra urbem* (in Palæa sine dubio, unde ejecti ab Arianis sub Valente Meletiani fuerant, ut habet Theodoretus lib. iv, cap. xxi) *ecclesia Meletius in* B *sede episcopali collocaretur.* Eadem scribit Sozomenus lib. vii, cap. iii; videturque proinde id accidisse prius quam ademptæ esseat Arianis per Saporem, ut ante diximus, ecclesiæ; atque adeo prius quam id primis saltem vicibus evenisse narret Theodoretus; imo vero ante concilium Antiochenum, de quo a num. 230. Verisimillimum tamen est, hæc eadem deinde non semel a Meletio oblata fuisse Paulino, etiam tum, cum de ecclesiis Antiochiæ restituendis ageretur.

Crevit tam Antiochiæ quam in urbibus patriarchicæ ditionis aliis, discordia.

264 Crevit exinde contentio usque adeo, ut, populo ex utraque parte concitato, res tandem ad seditionem vergere videretur, ut narrant citati Socrates ac Sozomenus: et quamvis ea minus utrivis episcopo, quam eorum fautoribus tribuenda esset, ut asserit S. Gregorius Nazianzenus in Carmine de Vita sua tom. II, pag. 25, non parum tamen ad eam latius fundendam contulit ordinatio episcoporum in locum aliorum et viventium et orthodoxorum, sed alteri dissidentis Antiochenæ ecclesiæ parti ac patriarchæ adhærentium; uti Tyri factum narrat Ruffinus lib. xi, C cap. xxi; *Sed et in multis aliis urbibus Orientis,* inquit, *hujusmodi confusiones contentio genuit sacerdotum.*

Pax aliqua tandem affulget circa A. C. 381;

265 Donec tandem, si Socrati lib. v, cap. v, et Sozomeno lib. vii, cap. iii fides hic est habenda, *postea populus ad concordiam rediit, pactis inter se ejusmodi conditionibus: Cum eos omnes, qui ad episcopatum gerendum idonei videbantur, collegissent (erant autem sex numero, inter quos etiam erat Flavianus;) eos sacramento adegerunt, ut altero e duobus episcopis mortuo, nemo ipsorum episcopalem sedem ambiret; sed alterum, qui superstes esset, demortui locum sinerent retinere. Ad hunc modum præstito juramento, populus ad unitatem rediit, nec ulterius inter se divisus est.* Juvat hic notare, paulo durius loqui Sozomenum, cum ait, datum ab eis esse jusjurandum, *se neque ambituros, neque electione ipsorum facta* (etiam sine ambitione ulla) *episcopatum suscepturos esse, quamdiu* etc. Hoc vero vix credibile facient, quæ postea de Flaviano dicemus; neque vero hoc argumento Flaviani episcopatus, alioqui satis exagitatus, usquam impetitur. Factum porro id isti narrant paulo ante, quam Con- D stantinopolim abiret Meletius, episcopatum ibi S. Gregorio Nazianzeno suo etiam suffragio asserturus; quod ipsi diu admodum accidisse innuunt ante sextum Kalendas Decembres anni ccclxxx, ut num. 242 dictum; in quo cum iter Meletii Cpolitanum præverterint, facile etiam prævertisse possunt hoc pactum, quod cum illo [illegible]ere conjungunt.

non solennis tamen, aut in concilio Antiocheno sancita.

266 Ceterum conventionem Meletianos inter et Paulinianos oblatam a Meletio fuisse de toto Patriarchatu superstiti relinquendo, satis certum videtur: ast acceptatam eam a Paulino fuisse, non item: hoc enim negat aperte Theodoretus cum loco citato, tum lib. v, cap. xxiii in initio; qui propterea reprehenditur a Baronio ad annum ccclxxviii num. 39, quod Meletio et Flaviano nimis addictus, Paulinum temere ac falso insimulaverit. Vide Valesium annot. in Hist. eccl. Theodoreti lib. v, cap. iii. Sane si pactum hoc a partibus utrimque conclusum est; nequaquam tamen id factum Baronio, num. 36, assentior in concilio Antiocheno, cui episcopi Orientis pene omnes intererant, ut E vidimus num. 239. Quid enim? Cum iidem omnes essent Constantinopoli, ausi illi essent tam solenniter in uno concilio a se sancita, aliquot post mensibus in altero violare? Aut si attentare id voluissent; non illis hanc inconstantiam, seu perfidiam potius, Gregorius Nazianzenus, in Carmine de Vita sua pag. 26, cum alterius pro defuncto Meletio electioni manibus pedibusque obniteretur, exprobrasset? Non pacti saltem mentionem ullam fecisset?

aut in aliqua conventu solenni, ac judicio absoluto:

267 Deinde in pleniore concilio id non fuisse transactum, manifeste satis arguitur ex epistola secunda synodi Aquileiensis ad Theodosium imp., apud Sirmondum in Appendice codicis Theodosiani, pag. 76 et 77. Denique si jam pax in illo concilio mense Septembri tam celebris fuisset inita; unde anni insequentis initio tanta esse poterat inter eos discordia, cum de ecclesiis Antiochenis coram Sapore ageretur, quod narrat Theodoretus lib. v cap. iii; ut ecclesias, Arianis ereptas, solus omnes acceperit Meletius? Cur tandem F etiam post mortem a S. Attico, Constantinopolitano patriarcha, in epistola ad S. Cyrillum Alexandrinum, Cyrillianis inserta, tom. V, parte ii, pag. 203, in edit. Paris. anni mdcxxxviii, *Paulinus et Euagrius schismatis ac dissidii duces in ecclesia Antiochena,* et sacris propterea Diptychis indigni, censentur, ut quibus non nisi propter populi pacem adscripti sint? Durum hoc videri potest in eos, qui conditionibus pacis in tanta synodo propositis prorsus absoluteque acquieverint; et in illos torquendum potius, qui eas deinde, cum privatim ipsimet præscripsissent, palam ac publice primi temeraverint.

sed privata potius, et viam sternens ad aliam pleniorem conventionem:

268 Propositam tamen fuisse admissamque pacis conditionem, non utramque illam quidem, quam continet textus Theodoreti num. 262 adductus, sed secundam dumtaxat, mihi quidem apparet longe probabilius; tum quia id narrant Socrates ac Sozomenus; tum vel maxime quod in epistola citata concilii Aquileiensis id apertissime dicitur; *Oblatas,* inquiunt Patres ad Theodosium imperatorem, *pietati vestræ opinamur preces nostras, quibus juxta partium*

A *partium factum* (lege *pactum*; quamquam hæ voces alibi desiderentur), *poposcimus, ut, altero decedente, penes superstitem ecclesiæ permanerent, nec aliqua superordinatio attentaretur.* Deinde pag. 77 de Meletianis dicitur : *Qui et pacto, quod stare volumus, communionem nostram rogarunt.* Spectare etiam eo potest, quod ibidem legitur in epistola v concilii Italiæ ad Theodosium imperatorem, de illis qui Flavianum ordinaverant : *Atque utinam ... nihil innovarent contra præscripta majorum, nec temere vel* SERVANDA RESCINDERENT, *vel rescindenda servarent.* Vide pag. 102 et 103. Hoc idem ex Gregorio Nazianzeno confirmari videtur. Quorsum enim in Carmine de Vita sua pag. 26 tantopere suadet, ne præter Paulinum alius eligatur episcopus, nisi quia sic intelligebat pacem inter partes Antiochenas futuram et utrasque Paulino subjectum iri? Forte eo etiam referenda sunt, quæ de S. Meletio morti jam proximo narrat Gregorius in Carmine de Vita sua pag. 25 :

Πόλλ', ὡς ἀκούω, συμβατὰ παραινέσας,
Ἃ πρόσθεν ἐξηκούετ' ἐκλκλῶν φίλοις,
B Ἔνθεν μετῆλθε πρὸς χορὸν τῶν Ἀγγέλων.

Quæ verba hunc sensum videntur habere minime tortum : *Multum, ut audio* (neque enim Gregorius adstiterat morienti, ut notat glossema marginale) *commendatis conventionibus, quas amicis coram audiebatur exponere* (vel) *quas amicis ante auditus erat exponere, hinc migravit ad chorum angelorum.*

donec eam, qualis qualis fuerit,

269 Conventum ergo fuerat; sed minus, ut dixi solenniter, et paucorum interventu atque arbitratu. Hinc jam amicos Orientis episcopos hoc moriens Meletius edocet et conditiones explicat, hortaturque, ut ratas eas esse velint. Et vero non fuisse pactum hoc universale et numeris omnibus absolutum; sed particulare quoddam, informe, inchoatum et quasi solemnioris prodromum, indicio est, quod Patres Aquileienses in epistola citata, pag. 76, acceptis dudum utriusque partis litteris, præcipueque illorum, qui in Antiochena ecclesia dissidebant, disposuerant aliquos eo de suo numero dirigere, qui sequestres et arbitri refundendæ, si fieri posset, pacis existerent. Sed quandoquidem id fieri C nequiverat, Theodosium rogant, ut œcumenicum Alexandriæ concilium indicat, ubi res illa *plenius* tractetur; iterumque pag. seq., *Obsecramus*, inquiunt, *ut cum inter se cœtu pleniore tractaverint, etiam auxilia decretis sacerdotalibus vestræ pietatis adspirent, et nobis deferri in notitiam censeatis; ne titubanti nutemus affectu; sed læti atque secuti pietati vestræ apud Deum omnipotentem agamus gratias, non solum quia exclusa perfidia est; sed quia catholicis fides et concordia restituta.*

electio Flaviani intervertit, usque ad Paulini obitum, qui accidit A. C. 388 versus Septembrem.

270 Electio deinde in Meletii locum a Patribus Constantinopolitanis, confirmatoque, ut postea dicetur, Flaviano, intra Eustathianos suos Paulinus, quidquid ei S. Ambrosius aliique per Occidentem præcipue et Cyprum atque Ægyptum patrocinati sint, continere jura sua ad mortem usque coactus est, quæ juxta Socratem lib. v, cap. xv, et Sozomenum lib. VII, cap. xv, in idem tempus incidit, in quod Theodosii imperatoris victoria de Maximo tyranno; *qui interfectus est*, inquit Socrates capite præcedenti, *iisdem Consulibus*, (Theodosio Augusto iterum et Cynegio) *quos supra* (cap. XIII) *dixi, die vigesima septima mensis Augusti.* Sedit igitur ab anno Christi CCCLXII mense circiter Septembri, usque CCCLXXXVIII, mensem fere eumdem, hoc est, annis omnino XXVI.

SÆCULUM IV.

Paulinus interim, numeratur inter patriarchas ab Hieronymo aliisque.

271 Patriarchis Antiochenis illum præter jam dictos auctores accenset etiam Theodoretus ad finem Historiæ ecclesiasticæ editionis Valesianæ, a qua discrepat istic Sirmondiana; Theophanes pag. 47; Eutychius pag. 548, sed hic minime eutychius, sive felix, cum ait : *Anno ejusdem* (Arcadii imp.) *quinto factus est Paulinus patriarcha Antiochenus, qui annos quatuor sedit; dein mortuus est.* Ejus memoria sacris Antiochenæ ecclesiæ Diptychis a Flaviano illata est, ut num. 267 dictum. Virtutes illius vitæque integritatem pluribus locis attingit S. Hieronymus, imo et Confessorem vocat tum alibi, tum lib. III adversus Ruffinum, col. 459, ubi illum a se in Ægyptum contendente conventum Antiochiæ (anno Christi CCCLXXXVI) narrat : passum ergo aliquid pro fide significat; quod etiam tradit Philostorgius lib. III, cap. XVIII, ubi Flavianum et Paulinum a Leontio dejectos fuisse E memorat, quod cum illo fide non consentirent. Sed elogiis ejus non nihil deterit, quod de Euagrii ordinatione dicendum erit.

VITALIS

Apollinaristarum Antiochenorum Episcopus.

Apollinaristis Antiochiæ præfectus est A. C. 376.

272 Fecere diuturna ecclesiæ Antiochenæ schismata, ut vix ulla hæreticorum factio ibi sedem non figeret : itaque ut Eunomiani suos ibi sectatores, suum habebant episcopum, quod num. 250 ostendimus; ita nec suos ibi alumnos, nec alumnis pastorem deesse diu passus est Apollinarius. VITALIS is fuit, de cujus hæresi consuli potest S. Epiphanius, cum illo Antiochiæ congressus, hæresi LXXVIII a num. 20. Ordinavit eum, teste Theodoreto lib. v, cap. IV, ipse Apollinarius, sub annum Christi, ut putatur, CCCLXXVII. Vide Tillemontium tom. IX Monum. in S. Basilio, art. 125. Sed quando F nuspiam venit nomine patriarchæ, nec ecclesiam, quæ quidem nominis alicujus esset, videatur obtinuisse; operæ pretium me facturum non putavi, si de illo hic pluribus agerem. Consulat, qui volet, Annales Baronii circa hæc tempora; Tillemontium item in S. Meletio art. 14 et alibi; sed maxime tom. VII Monumentorum, ubi de Apollinaristis art. 9 et seqq.

DOROTHEUS sive THEODORUS.

Arianorum Antiochensium Patriarcha, successor Euzoïi.

Dorotheus Arianus successit Euzoio A. C. 376; ejectus A. C. 381.

273 Euzoïo *Antiochiæ mortuo*, ait Philostorgius lib. IX, cap. XIV, DOROTHEUS *ex Heraclea Thraciæ in ejus sedem translatus fuit*, anno scilicet CCCLXXVI, ut constat ex num. 252, et Socrate lib. IV, cap. XXXV. Adi etiam Sozomenum

num lib. VI, cap. XXXVII in fine, ubi eum appellat THEODORUM. Vir erat, Philostorgio judice loco citato, superbissimus. Adhuc Ausonio et Olybrio Coss., ut est apud Socratem lib. V, cap. II ac III, hoc est, anno Christi CCCLXXIX, ecclesiis Antiochenis potiebatur, una Paulini, ut ex dictis constat, alteraque in Palæa, quam ab eo Meletiani circa hoc idem tempus vi receperant, ut vidimus num. 263, exceptis; easque obtinuit, donec lege per Theodosium lata die X Januarii anno Christi CCCLXXXI, de qua num. 240, *facessere jussus Antiochia, in Thraciam, unde natus erat, sese contulit,* ut scribit Philostorgius lib. IX, cap. XIX; postquam Arianis istic per annos V præfuisset. Patriarcharum albo Dorotheum inseruit etiam S. Hieronymus in Chronico ad annum XXII Constantini; ceteri fere omittunt. Quas deinde ad episcopatum Cpolitanum evocatus, ibi turbas dederit, alibi erit narrandi locus.

XXXIV. FLAVIANUS I.

B

Flavianus S. Meletio successit: non in synodo Cpolitana:

Meletio, mense Maio, ut supra dictum est, anni Christi CCCLXXXI, post inchoatum jam, ad quod cum Flaviano et Elpidio presbyteris suis, ut est apud Labbe tom. II Conciliorum, col. 955, convenerat, concilium Cpolitanum, ex hac vita ad æternam translato, continuo de successore in ipso illo concilio cœptum est agi ad eum modum, quem a S. Gregorio Nazianzeno, qui rei interfuit, et cujus pars magna fuit, descriptum vide in Carmine jam toties citato de Vita sua tom. II, a pag. 25: rogatus enim, ut manum, ad ordinandum, opinor, Flavianum, adjutricem adhiberet, non modo id recusavit; verum adeo etiam egit strenue, ut penes Paulinum solum tantisper, dum adhuc viveret, patriarchatus Antiochenus esset; ut, pag. 26, cedere ipsa sua ipse dignitate malit (quod et re ipsa deinde fecit, Flavianum ad imitandum se non obscure provocans tum in Carmine citato pag. 29, tum Oratione XXXII in fine,) quam aliorum sequi sententiam. Sed Gregorio, pag. 27, ab uni- C verso juvenum senumque cœtu summa contentione reclamatum est; Flaviani tamen ordinatione ita supersessum; ut, quamvis cum Nectarii, in hac eadem synodo Gregorio, juxta Theodoretum lib. V, cap. VIII, suffecti, *consensione et consilio,* ut testatur S. Ambrosius in epistola concilii Italiæ ad Theodosium imperatorem apud Sirmondum in Appendice codicis Theodosiani, pag. 104; non tamen aut in concilio, aut Cpoli facta sit; sed Antiochiæ, ut colligitur ex epistola synodica concilii Cpolitani anno sequente, Christi CCCLXXXII, celebrati apud Theodoretum Hist. eccl. lib. V, cap. IX, ubi sic Patres loquuntur:

sed Antiochiæ,

275 *Et antiquissimæ vereque apostolicæ Antiochenæ in Syria ecclesiæ, in qua primum venerandum Christi nomen auditum est, reverendissimum et religiosissimum episcopum Flavianum provinciæ simul et diœcesis Orientalis convenientes episcopi canonice ordinarunt, tota ecclesia consentiente et quasi uno ore Virum collaudante; quam quidem legitimam ordinationem synodus quoque universalis* (hæc eadem, quæ scribit hanc epistolam) *comprobavit.* Idem probatur ex epistola concilii Aquileiensis anno Christi D CCCLXXXI Nonis Septembribus, hoc est, paulo post Cpolitanum ejusdem anni concilium, celebrati, ad Theodosium imp., ibidem apud eumdem Sirmondum, pag. 72; ubi adhuc ignorant episcopi, Aquileiæ coacti, Flaviani ordinationem; quam scire potuissent, si Constantinopoli in dicto jam concilio peracta fuissent; uti satis ostendunt, innotuisse sibi, quantum in periculum res Paulini ibidem essent adductæ.

paulo post concilium Cpolitanum ordinatus,

276 Neque vero diu post illam synodum (sive septimo Idus Julias, ut quidem colligunt ex titulo canonum apud Labbeum tom. II Conciliorum, col. 945; sive exeunte tantum Julio, ut aliis placet) soluta illa fuerit, extractam Flaviani ordinationem fuisse, testis est S. Joannes Chrysostomus in Homilia de S. Meletio, Commentario nostro subjecta ad diem XII Februarii pag. 601, num. 9 et 10; ubi sic habet: *Cum enim venerandum illud corpus* (Meletii, statim a morte Cpoli Antiochiam delatum) *excepit civitas, luxit quidem et valde ejulavit; sed luctum cito repressit... Benignus enim et clemens Deus, misertus nostri* E *doloris, alium cito nobis dedit pastorem, qui pulcre exprimebat et conservabat formam omnis illius virtutis* etc.

adulto jam anno Christi 381;

277 Apparet igitur, mox ut concilio finis erat impositus, Antiochiam ab episcopis, quorum intererat, esse concessum; ibique inauguratum sine mora ab iis, atque in primis a Diodoro Tarsensi atque Acacio Berœensi episcopis, Flavianum mense circiter Augusto aut Septembri anni Christi CCCLXXXI; et quidem (si tamen id credibile est) *contra jurisjurandi fidem,* ut vult Sozomenus lib. VII, cap. XI. *Qua ex re,* inquit, *ingens perturbatio Antiochensem ecclesiam iterum occupavit, et plurimi se a communione Flaviani sejunxerunt, ac seorsim sub Paulino collectas celebrarunt. Sed et sacerdotes ipsi hujus rei causa inter se dissidebant: et Ægyptii quidem cum Arabicis et Cypriis Paulini, tamquam injuria affecti, vicem dolebant; Syri vero et Palæstini ac Phœnices et ex Armeniis, Cappadocibus, Galatis ac Ponticis plerique Flaviani partes fovebant. Verum episcopus Romanus* (Damasus) *et reliqui Occidentalium partium sacerdotes non mediocriter indignabantur. Et* F *ad Paulinum quidem, tamquam episcopum Antiochiæ, litteras dabant; at cum Flaviano silentium servabant; quin et Diodorum Tarsi et Acacium Berœæ episcopos, qui illum ordinaverant, in crimen vocabant, et ab eorum communione abstinebant.* Vide etiam Theodoretum lib. V, cap. XXIII.

et anno sequenti confirmatus a synodo Cpolitana.

278 Pergit Sozomenus ea narrare, quæ anno sequenti super hac re contigere: *Itaque* inquit, *ut his de rebus cognosceretur, tum ipsi* (occidentales) *tum imperator Gratianus* (adi epistolam Ambrosii et episcoporum Italiæ ad Theodosium imp. in cit. Append. codicis Theod. pag. 107 et 108) *ad Orientales episcopos scripserunt, eos in Occidentem convocantes.* Jam redierant illi ad synodum Constantinopolim in æstate, anno CCCLXXXII, cum *synodicam ab Occidentalibus episcopis,* inquit Theodoretus lib. V, cap. VIII, *epistolam acceperunt, qua invitabantur, ut Romam ad synodum, quæ ibi maxima cogebatur, se conferrent. Verum hi longinquam quidem profectionem, velut inutilem futuram, deprecati sunt: epistolam autem miserunt,* et

A et legatos episcopos tres Cyriacum, Eusebium, et Priscianum, cum ea Flaviani confirmatione, quam dedi num. 275. Romam ad concilium abiit Paulinus ac S. Epiphanius, ut testatur S. Hieronymus epist. LXXXVI, alias XXVII ad Eustochium, tom. IV parte II, col. 671. Sed ibi quid profecerit, incertum est.

solis Meletianis præfuit

279 Manserunt certe res, ut erant, usque ad Paulini obitum, hoc est, annum Christi CCCLXXXVIII, ordinatumque, de quo paulo post dicam, Paulini successorem Euagrium. Tum vero novi conatus ad recentem divisionem quoquo pacto tollendam ab occidentalibus adhibiti sunt; tum Ægyptus non Flaviani magis, quam Euagrii communione abstinebat, teste S. Ambrosio Epistolarum lib. I, epist. IX ad Theophilum, quidquid aliter narret Theodoretus lib. V, cap. XXIII; tum Capuana synodus indicta Theophilo una cum confidentibus Ægypti præsulibus utriusque Antiocheni episcopi causam examinandam, judicandamque committit; *Quia hoc verum judicium futurum arbitrati sumus,* inquit citatus Ambrosius; *quod neutri parti sociata communione aliquo favore propenderet.* Sed hæc aliaque examina, interpellata etiam Theodosii auctoritate, Flavianus elusit, paratus episcopatu cedere potius, quam illa subire, ut habet Theodoretus loco citato. Quam ejus tergiversationem nigerrimo calculo notat S. Ambrosius in epistola assignata; nihilo tamen magis favens Euagrio, ut indidem liquet.

B

usque ad pacem factam cum Eustathianis A. C. 398.

280 Sublato tandem e vivis Euagrio, anno circiter Christi, ut postea dicendum est, CCCXCIII, *cura et studio Flaviani*, ait Socrates lib. V, cap. XV, *nullus postea in ejus locum subrogatus est. Hi vero*, inquit, *qui ob violatum jusjurandum aversabantur Flavianum, nempe Eustathiani*, *separatim collectas agebant; tametsi is omnem, ut aiunt, lapidem movebat, quo istos etiam suis partibus adjungeret. Quod quidem haud diu postea perfecit;* imo pro eo potius perfecit S. Chrysostomus *in ipso episcopatus sui* (Constantinopolitani) *exordio;* quando opera maxime Theophili Alexandrini eum cum Occidente, Ægypto, totaque Ecclesia, sublato demum schismate, reconciliavit, ut narrat Sozomenus lib. VIII, cap. III; tum enim *populus, ut mos est vulgi, paulatim sese adjungens iis, qui sub Flaviano conventus ecclesiasticos agebant, progressu temporis majori ex parte* (multi enim haud paulo serius, ut ex sequentibus patebit, seorsim agere perrexerunt) *in unum coaluit*, ut ibidem dicitur. Pacem hanc soli pene Flaviano acceptam referre videtur Theodoretus lib. V, cap. XXIII in fine, ubi et restitutam eam asserit *post annos* XVII (episcopatus videlicet Flaviani;) atque adeo anno circiter Christi CCCXCVIII. Vide hic annotationem Valesii in citatum Theodoreti locum, et Tillemontium tom. X, nota II in Flavianum.

C

obiit vero A. C. 404, mense Julio;

281 Mors Flaviani, teste Palladio in Dialogo de Vita S. Joannis Chrysostomi editionis Parisinæ anni MDCLXXX, pag. 144, cum exilio Joannis in Armeniam concurrit. Hoc autem exilium incidit in diem XII Kalendas Julii, Honorio sextum et Aristæneto Coss., id est, anno Christi CDIV, ut est apud Socratem lib. VI, cap. XVIII: adi Baronium, Pagium, Labbeum et alios ad illum annum. Supervixisse eum tamen aliquantulum ejectioni illi necesse est; cum dicatur ei haudquaquam consensisse, apud Sozomenum lib. VIII, cap. XXIV; quod item asserit Theophanes pag. 68, cum ait: *Ceterum neque Innocentius Romanus Præsul, neque Flavianus Antiochenus Joannis ejectioni consenserunt: imo civitatis clerum, litteris ad eum missis, consolati sunt, et de memoratis gestis graviter afflictabantur.* Neque tamen diu admodum superstes fuisse potest; ut patet ex codice Theodosiano XVI, tit. IV. *De his qui super religione contendunt* L. 6, ad Eutychianum data XIV Kal. Decemb., iisdem, quos modo dicebam, Consulibus; qua repelli jubentur ab ecclesia, prohibenturque alio convenire, *qui ab Arsacii* (Constantinopolitani) *Theophili* (Alexandrini) *Porphyri* (Antiocheni, de quo agetur ordine suo) *reverentissimorum sacræ legis antistitum, communione dissentiunt:* Jam tum ergo demortui locum Porphyrius invaserat. Vide Baronium ad hunc annum, a num. 55. Imo vero obierat jam ante adultum Julium; ut colligi poterit ex tempore ordinationis Porphyrii infra num. 287 et seq.

E

sed nescitur, quo die: nec an ipse adscriptus sit Sanctis die XXVII Septemb.

282 Quo pressius mortis ejus tempus definiam, nihil habeo. Scio, inscriptam esse Flaviani, episcopi Antiocheni memoriam Synaxario nostro Ms. Parisiensi die XXVII (non XXVI) Septembris; sed primum, nego, Flavianum hunc tam sero mori potuisse, ut ostendam in Porphyrio: si ergo de nostro Flaviano istic agitur, alia ratio fuerit ejus tunc memoriam recolendi. Deinde primus ibi appelletur Flavianus, an ejus nominis secundus, qui colitur die IV Julii, non satis habeo exploratum; sic enim annuntiatur: Μνήμη τῶν ὁσίων Πατέρων ἡμῶν καὶ Ἀρχιεπισκόπων Νεκταρίου Κωνσταντινουπόλεως, καὶ Φλαβιανοῦ Ἀντιοχείας, ᾗ σύνέδραμε καὶ ἡ του ὁσίου πατρὸς ἡμῶν μνήμη Ἰγνατιου etc. *Memoria sanctorum Patrum nostrorum et Archiepiscoporum Nectarii Constantinopoleos et Flaviani Antiochiæ; cum qua concurrit etiam memoria S. Patris N. Ignatii* etc. Hæc ad Flavianum primum relata sunt in Actis Sanctorum, sed obiter, tom. II Martii, ad diem IX mensis, pag. 9, num. 27. At in Patriarchis Hierosolymitanis tom. III Maii, pag. XXVI, num. 114 referuntur ad secundum. Tomo autem II Julii, ad diem IV mensis, pag. 22, num. 2, dubitatur, magisne ad secundum pertineant quam ad primum. Certe quod cum Nectario ibi jungatur, non magnum pro Flaviano primo, ejus coætaneo, argumentum est. Itaque non modo dies obitus ejus, ut Tillemontio visum est, inde colligi nullo pacto potest; sed ne cultus hinc quidem, aliunde mihi hactenus ignotus, satis ostenditur. Quare etiam abstinui ab appellatione Sancti, quam ei tribuit Tillemontius; donec ea res suo tempore discutiatur in Actis; ubi et locus forte erit uberiori ejus historiæ concinnandæ.

F

Sedit annis circiter XXIII.

283 Hoc interim ex dictis constat, episcopum Antiochenum fuisse Flavianum nostrum per annos XXIII, pro quibus, quia mensis unus alterve deesse potuit, Nicephorus CP. notat solos XXII, uti et Theophanes, licet vitiatus in primo Flaviani laterculo, pag. 64, ut planum sit ex ultimo, pag. 72. Corrige adeo Zonaram lib. XII, num. 34, ubi annos numerat XXVI. Eutychius pag. 536, cum putat annos tantum sex, illos videtur solummodo

SÆCULUM IV.

solummodo numerare, quibus, restituta cum universa Ecclesia communione, solus Antiochiæ jam ab omnibus agnitus præfuit etiam Eustathianis, saltem plerisque.

EUAGRIUS.

Paulini successor.

Euagrius, contra canones ordinatus, successit Paulino A. C. 388 mense Septembri;

Euagrium, quantumvis in patriarcharum Antiochensium elenchis vix notum, successisse Paulino in administranda Eustathianorum ecclesia, apud antiquos historicos in confesso est; adisis Socratem lib. v, cap. xv, Sozomenum lib. vii, cap. xv etc. Patriarchis etiam accensum vide ad calcem Historiæ eccl. Theodoreti in editione Valesiana; imo et in Diptychis Antiochenis, supra num. 267. Interea ordinationem ejus ita depingit Theodoretus lib. v, cap. xxiii, ut merito dubites, utri magis dedecori fuerit; ipsine, qui admisit; an Paulino, qui contulit. *Solus enim*
B *Paulinus illum creaverat,* inquit, *multis simul canonibus violatis.* Neque nullum hic vitium agnoscit S. Ambrosius lib. i, epist. ix. Agnovere etiam sine dubio Ægyptii, nulla cum eo, ut ibidem testatur Ambrosius, societate (quam tamen cum Paulino servaverant) conjuncti. Quid ceteri per Orientem episcopi senserint, satis indicat, apud Theodoretum loco assignato, Theodosius imperator: *Euagrius,* inquit, *non legitime provectus est. Flaviano episcopo adhærent Orientales ecclesiæ, et cum Orientali diœcesi Asianam quoque totam, et Ponticam et Thracicam communione conjunctas habet. Sed et Illyricum universum eumdem agnoscit Orientalibus episcopis præsidere.* Itaque Euagrium episcoporum prorsus agnovit nemo; quando etiam Occidentales causam ejus ante examinandam censuere; non utique tam sibi probatam, quin de ea asserat pro ceteris Ambrosius supra: *Non habet, quod urgeat Euagrius .... examen.* Quod vero ad initium patriarchatus ejus cujuscumque attinet; patet ex ipsa ordinatione, statim a Paulini morte, adeoque ab anni Christi ccclxxxviii, juxta
C num. 270, mense circiter Septembri esse repetendum.

obiit A. C. 392, nemine succedente.

285 *Post ordinationem modico tempore,* ait Socrates ac Sozomenus ante assignati, *superstes fuit*; quod tamen ita non potest intelligi, ut non pauculis saltem annis supervixisse existimes: sic enim de illo Hieronymus de Script. eccles. cap. cxxv: *Euagrius Antiochiæ episcopus, acris ac ferventis ingenii, cum adhuc esset presbyter, diversarum hypotheseon tractatus mihi legit, quos necdum edidit.* Ergo adhuc supererat, cum ita scribebat S. Hieronymus; hoc est, anno xiv Theodosii imperatoris, ut colligitur ex operis Prœmio ad Dextrum; is autem fuit annus Christi cccxcii: vixit ergo in episcopatu annis ut minimum quatuor, aut potius quinque; nam totidem Euagrio concedit Eutychius, qui annos ejus solus, quod sciam, annotavit, pag. 548. Euagrio, inquam, qui perperam in synopsi chronologiæ Eutychianæ cum Euzoïo confunditur, cum sit toto cælo diversus, etiam Eutychio; ut vel ex ipsa successione manifestum est: facit enim successorem Paulini.

D Huic porro patriarchæ suo vita functo Eustathiani alium non substituerunt, uti supra num. 280 dictum.

Ejus elogia.

286 Quæ ad Euagrium, nondum episcopum creatum, pertinent, ea tamquam ab instituto aliena prætereo. Carissimum fuisse sibi, testatur S. Hieronymus in Eusebii Chronico ad annum ii Aureliani imp.; ubi etiam vide, quam nobili Antiochiæ familia sit oriundus; laudes ejus habes epist. xvii, alios xlix, ad Innocentium, tom. IV, parte ii, pag. 26: *Jam enim ad Euagrii nostri,* inquit anno circiter ccclxxxix, *nomen advenimus; cujus ego pro Christo laborem si arbitror a me dici posse, non sapiam; si penitus tacere velim, voce in gaudium erumpente, non possim* etc. Quin etiam Sanctum eum appellat epist. vii, alias xliii, ad Chromatium etc. ibid. col. 13.

SÆCULUM V.

XXXV. PORPHYRIUS.

E
Flaviano succedit Porphyrius A. C. 404,

Antiochiæ mortuo Flaviano, inquit Socrates lib. vii, cap. ix, Porphyrius *episcopatum suscepit.* Idem habet Theodoretus lib. v, cap. xxxv, et, præter alios passim, Sozomenus lib. viii, cap. xxiv in fine, ubi etiam legis istius meminit, quam citavimus num. 281; ex qua certo conficitur, jam tum a die xviii Novembris anni Christi cdiv et defunctum Flavianum, et episcopum fuisse Porphyrium: fuisse, inquam; nam quando esse cœperit, aliunde inquirendum est. Et quidem id non contigisse ante exeuntem circiter ejusdem anni mensem Junium, satis patet ex dictis num. 281. Quæstio igitur tantum esse potest de tempore, quod Junium, inter et Novembrem interfluxit. Palladius in Dialogo de Vita S. Joannis Chrysostomi, ubi totam furtivæ ordinationis Porphyrii historiam texit a pag. 141 in editione Parisina anni mdclxxx, sic habet pag. 145: *Prima die festivitatis apud gentiles celeberrimæ; Olympiorum scilicet (sic enim vocantur certamina, quæ ab Hercule instituta, quarto quoque anno celebrantur) in qua, ut ita dicam, mulierum greges una cum populis effer-* F
vescunt ad Daphnen ad spectandos athletas; cum in ecclesiam irrupisset (Porphyrius) *simul cum memoratis episcopis* (Acacio, Severiano, et Antiocho) *et clericis paucis, clam ordinatur, clausis januis, multa cum festinatione; ita ut ne precationem quidem ad finem perduxerint, metuentes, ne deprehenderentur ... Soluto autem spectaculo* (Olympico) *populisque in urbem regressis, nunciatum ipsis est, quid Porphyrio evenisset et quid Acacius egisset* etc.

mense Julio circiter;

288 Ordinatus ergo est tempore ludorum Olympicorum: ergo verisimilius non serius, quam Julio mense: ordinarium enim ac legitimum ludorum Olympicorum tempus a solstitio æstivo non admodum recedere consueverat, ut docet Petavius in Rationario temporum, parte ii, lib. iii, cap. i, et fuse probat in libris de Doctrina temporum, locis in Rationario citatis. Et quamquam ibi agat de ludis in Elide celebrari solitis; tamen idem de Daphnæis dicendum est; tum quia dicuntur ab Hercule instituti, iisdemque proinde legibus, ritu ac tempore peragebantur, quibus

A bus Eliaci; tum quia constat ex Libanio etiam hos in æstate, item ut illos, celebratos fuisse: *Olympia*, inquit Orat. XXII de vocat. ad Olymp. festa et convivia sub finem, *æstivæ tempestatis festa sunt.* Neque adeo video, cur tempore diverso collocentur; aut cur ad Augustum usque aut Septembrem Tillemontio tom. II Monum. not. 3 in Constantium presbyterum, non assignata dilationis causa, disserantur: neque enim audiendum censeo Joannem Malalam, seu Malelam, qui dum ludos Olympicos Antiochiæ celebrari solitos ait, in Chronographia Oxonii edita anno MDCXCI, pag. 320 et 321, *quinto quoque anno . . . per* XXX *dies . . . facto initio a novilunio mensis Octobris*, et a Palladio dissidet, et pugnat cum Libanio; ad quorum tamen in hac re antiquitatem auctoritatemque ne comparandus quidem est.

non serius.

289 Neque vero obstant sive id, quod diximus num. 281, post damnatum exilio Chrysostomum a Flaviano esse factum; sive quæ de Constantio presbytero, in quem Antiochenses mirifice ac merito propendebant, B narrat Palladius pag. 144 et 145; ubi dicit; *Hunc igitur talem virum* (Constantium) *pecuniis hoc modo fugare molitur* (Porphyrius): *misit ad comitatum et ad potentiores episcopos, atque hunc litteris imperatoriis in Oasim relegari curat, veluti populorum perturbatorem.* Primum enim, ut patet, non adeo magnam temporis intercapedinem exigit, sed accepto statim damnationis Chrysostomi nuncio, paucis post illam diebus fieri potuit; ac deinde leviculo ac brevi morbo, forte etiam ex dolore, ob Chrysostomi sui calamitatem, contracto, Flavianus centenario proximus, ut putatur, extingui. Alterum, fateor, aliquanto diutius extrahi debuisset, si Porphyrius post obitum Flaviani statim quidem (ut erat ambitiosissimus) adversus Constantium scribens, responsa prius exspectare debuisset, quam Constantium in exilium amolitus, episcopatum ipse invaderet. Verum ex Palladio satis patet structas sibi a Porphyrio insidias spontanea fuga Constantium antevertisse: *Qui statim, ubi hoc rescivit,* inquit, *amicorum auxilio in Cyprum fugit.* Non est ergo, cur mense Julio, C ultra quem agones Olympici raro, nec sine urgente causa, qualem hic nullam invenio, prorogari consueverant, ordinatus non credatur fuisse Porphyrius.

Obiit A. C. 413,

290 De fine Porphyrii gravius laboratur: non enim paucis mensibus auctores inter se discrepant; sed annis etiam non paucis. Baronius mortem ejus locat anno Christi CDVIII, num. 31 vel 30 (numeri enim editioni nostræ manu adscripti sunt, non satis ubique accurate): Pagius vero ad annum Christi CDVII, num. 16 eam relegat usque ad annum Christi CDXIII. Quem etiam amplecti ego malim: primo quidem, quia id convenit cum Eutychio, qui pag. 536 Porphyrio, quem *Barkunum* nominat, annos X adscribit, qui, additi ad CDIV, in CDXIII deducunt, si annos X accipias, ut fere fit, incompletos, ita ut ipse annus CDIV primus putetur inter decem. Deinde quia idem videtur habuisse Nicephorus CP.: quod enim jam in ejus Chronico notentur ἔτη λ', hoc est, annis XXX; nimis insulsum est atque ab omni historia remotum, quam ut Nicephoro tribuatur, ac non dormitanti potius amanuensi cuipiam, aut exesi codicis cariei. Itaque λ' sciptum esse putat Pagius citatus pro ι', id est, XXX pro X. Eodem facit, quod ait Theodoretus lib. III, cap. II: *Duravit* (dissensio Antiochensium) *annis quinque et octoginta, usque ad præsulatum laudatissimi Alexandri, qui Antiochenæ ecclesiæ gubernaculum adeptus, viis omnibus tentatis summoque pro concordia studio et voluntate adhibita, distractum membrum* (Eustathianos, quorum adhuc partem non exiguam sibi adjungere nequiverat Flavianus) *cum reliquo ecclesiæ corpore copulavit;* nonnullis tamen etiam illi sese dedere detractantibus, ut suo loco monebimus.

aut sequenti.

291 Hunc locum quia chronologiæ suæ de S. Eustathii depositione Baronius aptare non potuit, Theodoreto errorem impingit, num. cit. At in nostram optime quadrat: cœpta enim est Antiochiæ orthodoxorum dissensio statim ut, post exturbatum S. Eustathium ineunte anno Christi CCCXXXI, ecclesiam illam invasere Ariani; ab horum etenim communione catholici quidam, Eustathiani dicti, abstinendum omnino sibi; at ceteri contra E communicandum cum iis esse, decreverunt: hinc illa catholicos inter jam toties memorata discordia: quæ si annos LXXXV tenuit (annumerato scilicet anno Christi CCCXXXI, qui primus, ab ipso fere initio, dissensionis fuit); desierit tandem anno Christi CDXV, qui magnam partem Alexandri secundus esse potuit: neque enim statim illam pacem cum episcopatu assequi potuit; siquidem *vias* ad eam *omnes tentavit;* ut inveteratam tot annis ac pene cognatam Eustathianis omnibus ab aliis Antiochiæ orthodoxis aversionem exscinderet. Redeunt hæc iterum ad annum circiter CDXIII, quo Porphyrius vita excesserit; nisi quis referre id malit ad insequentem, in quo ei non multum refragabor.

Porphyrii scelera.

292 Porphyrii nec Theophanes nec Zonaras meminerunt: Theodoretus non meminit modo; verum etiam laudat insigniter lib. V, cap. XXXV; ut *Qui post Flavianum illum ecclesiæ clavum tenens, multa benignitatis monumenta post se reliquerit, atque excellenti quadam mentis prudentia fuerit.* Aliter profecto Palladius, qui scelestissimam hominis vitam penitius in- F spexerat: plenam enim illam exhibet stupri, rapinæ, crudelitatis ac tyrannidis; neque id ante episcopatum magis, quam cum illum jam contra jus fasque involasset; S. Joanni Chrysostomo semper infensissimus; Antiochenis execratus; Ecclesiæ Romanæ, cum ad eam scripsisset, ne responso quidem dignus habitus. Consule, lector, indicem copiosum Palladii Dialogo editisque cum eo opusculis subnexum, ad nomen Porphyrii; aut si in promptu non est, adi Baronium ad annum Christi CDIV a num. 57.

XXXVI. ALEXANDER I.

Alexander omni laude dignus successit Porphyrio A. C. 413 aut sequenti;

Porphyrium excepit ALEXANDER, ut auctor est Socrates lib. VII, cap. IX, ac Theodoretus lib. V, cap. XXXV; ubi sic habet: *Antiochenos pascebat Alexander, cui vitæ institutio episcopatui congruebat. Nam cum in palæstra monastica*

SÆCULUM V.

nastica ætatem ante pontificatum transegisset, plurimumque se exercuisset, strenuum athletam exhibuit, sermone docens, et sermonem vita confirmans. Successerat is Porphyrio. Et paulo post : *Alexander autem exercitatione ascetica, egestatis studio, linguæ facundia et infinitis aliis gratiæ donis præcellebat. Hic magni Eustathii partem, quam Paulinus olim, et post eum Euagrius redintegrari non permiserant, suasione et hortatione sua cum reliquo corpore conjunxit, diemque festum celebravit, cujus similem nemo vidit umquam . . . . Hic magni Joannis* (Chrysostomi) *nomen primus ecclesiasticis Diptychis adscripsit.* De hac re plura vide apud Nicephorum Callistum lib. XIV, cap. XXV. Hæc ad laudem, quam ut angelus pacis longe meretur amplissimam et rudem Viri notitiam breviter dicta sunto. Ceterum ex ipsa successione ejus in locum Porphyrii, judicium de episcopatus ejus exordio ferre non est difficile, post ea quæ modo, num. 290 et seq. de decessoris obitu dicta sunt; neque enim hoc illo multo posterius fingi potest; ut eumdem in annum utrumque incidisse credibile sit : at vero quousque Alexandri tempora pertigerint, intricata prorsus est controversia; de qua nunc dicendum.

Obiit autem, non A. C. 420.

294 Alexandrum supervixisse ad annum Christi CDXX contendunt Majores nostri in Actis Sanctorum ad diem VIII Januarii in Vita S. Attici, episcopi CPolitani, § VI, num. 33, Theodoreti, in Vita Zenonis, auctoritate ducti; quos deinde secuti in eo sunt Norisius in Hist. Pelagiana lib. II, cap. IV et VI, et Antonius Pagius in Criticis Baronii ad annum Christi CDXX num. 22. Hæc habet in Historia Religiosa cap. XII de Zenone Theodoretus : *Simul ac Valens imperator e vita sublatus est, militiæ cingulum deposuit* (Zenon) . . . *Ex palatio autem in sepulcrum quoddam se conferens, cujusmodi in vicino Antiochiæ monte sunt plurima, solus ibi degebat.* Tum subdit quam sanctam istic vitam ageret; tum qua ratione Zenonem istic ipsemet inviserit. *Et cum redire jam domum,* inquit, *oporteret, orabam, ut benedictionis viaticum daret. Ille vero repugnabat, æquum esse dicens, ut nos preces perageremus; privatumque se nominans, milites nos appellabat : Lector enim tunc eram et divinas Scripturas populo recitabam. Cumque adolescentiam ætatemque immaturam obtenderemus, ut quibus vix prima lanugo succresceret, ac nos iterum non venturos juraremus, si hoc nunc facere cogeremur; ægre tandem precibus inflexus, Deo quidem intercessionem obtulit; sed intercessionem longa excusatione purgavit, caritatis obedientiæque gratia se fecisse dicens . . . Quod autem ad tantum Philosophiæ culmen evectus, tantam animi moderationem retinuerit vir grandævus, qui annos quadraginta perpetuos in monastica exercitatione posuerat, quis satis admirandi, aut magnitudini pares adferre laudes quis possit ?*

uti ex Theodoreto quidam colligi putant.

295 Exinde Theodoretus ad alia retro dudum acta progreditur, ut patet ex venditione facultatum suarum, diu *propter immaturam fratrum* (non *filiorum fratris*, ut ibi vertitur; græce enim ἀδελφῶν tantum legitur) *ætatem* dilata. Tandem cum vendita nondum ipse distribuisset omnia (etiam posterius, quam illum Theodoretus valentem adhuc et urnas utraque manu gestantem vidisset; quam quam non dicitur, quanto tempore posterius) *de ceteris deliberare, morbo interveniente, coactus est. Accito igitur civitatis antistite (is autem erat magnus Alexander . . . .) Adesdum, inquit, o venerandum mihi caput . . . . Quoniam abire ex hac vita jubeor, harum te* (pecuniarum) *dispensatorem constituo . . . Pecunias ergo velut divino quæstori tradidit. Ipse vero non multo post tempore superstes* (οὐ πολὺν ἐπιβιώσας χρόνον) . . . *decessit.*

296 Ex his collige 1°, Zenonem ab aula ad solitudinem abiisse anno Christi CCCLXXVIII, statim a morte Valentis, quæ eodem anno accidit sub initium mensis Augusti. Collige 2°, quadraginta annis jam tum illum solitarie vixisse, cum eum Theodoretus invisit; annos autem illos, si inchoati accenseantur, redigi ad annum Christi CDXVII, a cujus initio dici poterat, more satis usitato, quamvis non accuratissimo, Zenon annos XL in ascetico vivendi genere transegisse (διηνυκὼς ἐτύγχανεν·) : erat enim is annus civilis et consulatus quadragesimus, ab illo inclusive, ut aiunt, quo nuntium seculo remiserat. Collige 3°, non constare, quamdiu deinde Zenon supervixerit, antequam in morbum incideret : diu tamen superstitem fuisse, non putem; cum non videatur illum amplius Theodoretus visendi causa adiisse; quod facturum tamen sese innuerat. Certe inopinato in morbum incidit, quandoquidem statuerat reliquum, quod ei adhuc erat pecuniæ, per se ipse in res pias expendére, cum illud superveniens ægritudo prohibuit; ut ipsemet Alexandro testatus est. Neque adeo opus est id fingere diu factum post visitationem Theodoreti, aut ultra annum Christi CDXVII.

ex cujus textu tamen non sequitur,

297 Collige 4° non hic fieri mentionem testamenti, cujus Alexandrum executorem designaverit; sed commissam tantum esse Præsuli curam, redactas ex vendita possessione pecunias, juxta Evangelium, in pauperes elargiendi, neque proinde exspectari debuisse mortem Zenonis, ut illæ expenderentur; sed statim ab Alexandro, ubi opportunum videretur, potuisse distribui; non est ergo necesse superstitem diu facere Alexandrum. Collige 5°, quamvis tamen ultro concedatur, usque ad Zenonis obitum vixisse Alexandrum; tamen ne sic quidem ultra annum Christi CDXVII esse procedendum; cum fidelis hic minime sit versio Theodoreti, qua usus est Rosweydus in Vitis Patrum lib. IX, cap. XII in fine, ubi de Zenone post traditam Alexandro pecuniam dicitur : *Ipse autem, cum non plus quam annum vixisset postea, tamquam quidam Olympicus victor a septis, recessit;* ut patet ex Græco textu, quem superius delibavi, quique hoc solum dicit : *ipse vero non multo post tempore superstes, tamquam Olympicus victor quispiam ex stadio decessit.* Consentit Garnerius Diss. II de libris Theodoreti in observat. ad hoc caput Philothei, pag. 202, quatenus eodem anno visitatum a Theodoreto, et mortuum ponit Zenonem; sed illi hoc minime assentior, quod pro XL annis, XXX legendos putet; quod ita ei commodius erat ad suam chronologiam Theodoretum fingere, de qua videri possunt auctores alii. Non sequitur ergo ex allatis illis Theodoreti testimoniis, serius Alexandrum esse mortuum, quam anno Christi

obiisse Alexandrum post annum Christi 417.

A sti CDXVII, etiam, si ita placet, nondum dimidiato.

sequitur ex eo tamen, mortuum non esse citius,

298 Sequitur tamen, mortuum non esse citius; puta anno CDXVI, ut habet Tillemontius tom. X,. nota VI in S. Innocentium; ubi existimat verba illa Theodoreti de Zenone, τεσσαράκοντα γὰρ ἔτη ἐν τῇ ἀσκήσει διηνυκῶς ἐτύγχανεν, *quadraginta namque annos in exercitatione monastica decurrerat*, non esse referenda ad illud tempus, quo eum vidit Theodoretus; sed potius ad universum illud, quod ad mortem usque in solitudine Zenon exegit. Dura hæc videtur interpretatio, ac Theodoreti sententiam ineptam omnino reddit, ut patet ex adjunctis. Nam cum in discessu Theodoretus Zenonem rogasset, ut bene sibi precari dignaretur; idque adeo refugisset Zenon, ut contra adigere Theodoretum ad sibi potius benedicendum voluisset, quidquid ille adolescentiam ætatemque immaturam obtenderet; perculsus hoc facto Theodoretus, suam cum illius ætate conferens, *Quis vero*, inquit, *in tam sublimi philosophiæ culmine tantam inesse animi modestiam in viro grandævo (annos namque* B *quadraginta in exercitatione monastica posuerat) satis pro dignitate admiretur?*

puta A. C. 416, ut ait Tillemontius,

299 Commendat ergo humilitatem ejus erga se tum ibi exhibitam, cum ab ejus sapientia ac sancta eruditione, tum ab ætate grandæva, qualis tunc utique erat quando humilitatem illam erga se exhibebat; sapientiam autem illam et ætatem senilem probat ex continua annorum XL exercitatione spirituali, non quæ aliquando futura esset; nam illa nihil conferre poterat ad doctrinam ætatem, atque adeo humilitatis actum præsentem, de quo agitur; sed quæ tunc erat, cum actum illum exerceret. Alioqui ridiculus non minus hic esset Theodoretus, quam qui diceret: Hic homo senex est, quia diu vivet. Nihil interim disputo; utrum διηνυκὼς ἐτύγχανεν significare possit præteritum perfectum æque ac plusquam perfectum, ut Grammaticorum phrasibus utar; quod vult, at non probat Tillemontius. Mihi certe hoc loco aliter videtur. Vidit hoc ipse Tillemontius haud dubie tom. XV, nota II in Theodoretum sub C finem.

sententiam suam debili argumento confirmans.

300 Confirmare tamen conatur hic sententiam suam; quia, cum episcopus creatus sit Theodoretus anno Christi CDXXIII, non potuerit videre Zenonem anno CDXVIII (aut ut ego quidem posui, CDXVII) tam juvenis, quam ipsemet indicat his verbis: *Cumque adolescentiam ætatemque immaturam obtenderemus, ut quibus vix prima lanugo succresceret* etc. Necesse ergo innuit esse, ut illum viderit aliquot annis citius. Sed argumentum hoc leve est: nam primo ætatem hic suam Theodoretus tanto magis deprimit, quanto eam cum seniori ac prorsus decrepita Zenonis ætate comparat. Deinde voces illæ, quibus adolescentiam suam probat, sic habent græce, ἄρτι γὰρ ἰούλου βραχεῖάν τινα προβολὴν ἐδεδέγμεθα, quæ proprie significant, barbam ei tum adhuc mollem fuisse et parum promissam. Hoc autem quamquam ætatem nullam absolute ac presse designet; tamen facile cadere potuit in annum ætatis ejus XXVI, aut etiam ulterius; quibus si junxeris illos, qui ab anno Christi CDXVII ad CDXXIII accesserunt, ad annos ætatis XXXIII pertigisse facile potuit, cum ad episcopatum promotus fuerit. Et sane quis miretur ea ætate episcopum esse factum; cum se, jam utique episcopus, juvenem ipsemet appellet in Historia Religiosa cap. XXI, pag. 857? Restat ergo ut verba Theodoreti sic accipiantur, ut sonant; ac proinde XL annos vixisse in solitudine Zenonem intelligamus, cum illum Theodoretus adiit; atque adeo superstitem adhuc tum fuisse Alexandrum.

SÆCULUM V.

Obiit, inquam, Alexander A. C. 417,

301 Quærat nunc quispiam; cur annos XL Zenonis ita contraxerim, ut integros illos numerari non patiar ac plane rotundos; ita ut anno tantum CDXVIII elabente completi censeantur? Dicam. Primum, quia modus ille computandi apud chronologos atque historicos passim est obvius ac receptus. Deinde quia orator erat insignis omnino Theodoretus; locus autem de quo agimus, exigebat, ut ætatem affectam Zenonis, quantum popularis loquendi usus veritasque paterentur, extolleret: id igitur fecisse credendus est; ut illustriorem ita redderet senis sapientiam humilitatemque, quam depingebat. Præterea quia hoc pacto inveniri possunt anni V, E quos Nicephorus CP.; aut IV, quos episcopatui Alexandri Eutychius attribuit pag. 551: ab anno enim CDXIII usque ad CDXVII, quatuor anni sunt integri, quinque mutilati. Denique quia, nisi sic exponantur anni illi XL, conciliari cum Theodoreto non poterunt, quæ ex aliis eorumdem temporum monumentis afferuntur.

quod probatur maxime ex tempore relati ab Orientalibus in Diptycha S. Chrysostomi, et pacis cum Occidentalibus:

302 Quod antequam demonstrem, suppono notas esse aliunde celebres illas, quæ Orientales episcopos a Romanæ Sedis communione sub hæc tempora alienos reddebant, dissensiones; dum hæc defuncti in exilio Chrysostomi nomen sacris præsulum Diptychis inscribi constanter imperat; illi contra id facere obstinate detrectant. Ubi Porphyrius, S. Joannis hostis infensissimus, sera tandem pœna ex Antiochena sede simul et vita subductus esset, Alexander, relato in Diptycha Joannis nomine, pacem primus in ecclesiam suam reduxerat; neque eam domi peperisse contentus, *ad imperatorem*, inquit Nicephorus Callistus lib. XIV, cap. XXV, *omnesque ubique episcopos, ut idem et ipsi facerent, et ea re* F *pacem certam et constantem Ecclesiæ conciliarent, scripsit*. Neque hoc tantum; verum etiam, ipso Attico teste ibid. cap. XXVI, *Cpolim venit, et multa ore confidenti verba fecit, vehementerque excitare populum voluit, ut, vel nobis*, inquit, *invitis, necessario ejus quem diximus, nomen ita inscriberetur*. Neque illud assequi tum quidem potuit; tantum effecit tamen apud imperatorem atque episcopos plurimos, quemadmodum ex eadem Attici ad Cyrillum, Alexandrinum antistitem, epistola colligere est; ut subinde concordia ubique propemodum obtineret, *solis nobis*, inquit Cyrillo Atticus, *ei non adstipulantibus*.

retulit enim illum post mortem Alexandri primo Theodotus; dein aliquamdiu post S. Atticus; ac diu post hunc S. Cyrillus;

303 Obierat interea Alexander; eique suffectus est in patriarchica sede Theodotus. Is, sive Chrysostomi nomen e Diptychis suis statim eraserit, sive id facturus videretur, *a populo, ut nomen Joannis in sacras tabulas referret, coactus est*; scripsitque ad Atticum continuo, *ut veniam rei ei quam necessitate adductus fecisset, daremus, petens*, inquit Atticus ibid. Qui litteras illas Cpolim detulerat presbyter, adventus

adventus sui causam, litterarumque suarum sententiam propalavit in vulgus; suscitantur insita nuper ab Alexandro erga S. Chrysostomum pacemque studia, jamque id Cpolitana plebs concitata minabatur Attico, quod in Theodoto Antiochena perfecerat. Recurrit is confestim ad imperatorem. Eadem ibi pro Chrysostomo voluntas. Cedit ergo Atticus et nomen ejus in album referri jubet; simulque dat litteras ad S. Cyrillum hortatorias, quo idem etiam ipse faciat, et ab aliis per Ægyptum episcopis fieri præcipiat. Res hæc satis est hactenus præcipitata, ut non multum temporis ab ordinatione Theodoti aut exigere, aut pati videatur. Verum in Cyrillo, patrui sui ac decessoris Theophili sententia nimium quantum occupato, longior mora fuit; ut ex rescripta ab illo ad Atticum epistola constat, apud eumdem Nicephorum cap. XXVII, in qua ejusdem secum opinionis esse indicat Ægyptum, regionem Augustalem, Arcadiam, Thebaidem, Libyam, Pentapolim; ut non admodum prompta istic ad pacem fuisse omnia, colligas. Nihilominus
B *aliquanto post*, ait Nicephorus cap. XXVIII, *Cyrillus cum magno illo Viro* (Chrysostomo; atque adeo cum tota Ecclesia).... *in gratiam rediit.*

atqui S. Cyrillus jam id fecerat A. C. 419,

304 Hæc, inquam, conciliari cum Theodoreto nequeunt, sit anni XL Zenonis sic numerentur, ut in annum Christi CDXVIII exeuntem desinant: sic enim omnino Alexander CDXIX attigisse censendus esset; cujus obitum cum secuta sit Theodoti successio, et facta ab eo Chrysostomi in Diptycha restitutio; hanc porro inscriptio ejusdem in Diptychis Cpolitanis extorta ab Attico; atque hujus denique exemplum justo intervallo imitatio Cyrilli aliorumque per Ægyptum ceterasque provincias supra memoratas episcoporum; vix denique restaurata ante annum Christi CDXX Orientalium ecclesiarum cum Romana Sede concordia fingi poterit. Atqui stare hoc omnino non potest cum epistola a concilio Africano ad summum Pontificem Bonifacium scripta anno Christi CDXIX (vide Labbeum tom. II concil. col. 1141,) ubi illum obsecrat, *ut scribere etiam ipse dignetur ad*
C *illarum* (Orientalium) *partium sacerdotes, hoc est, ecclesiæ* (τῆς ἐκκλησίας, subintellige sacerdotes, seu patriarchas) *Antiochenæ, Alexandrinæ et Cpolitanæ.... ut inde ad nos,* inquiunt PP., *iidem canones apud Nicæam civitatem a Patribus constituti veniant, te potissimum hoc beneficium cunctis Occidentalibus ecclesiis in Domini adjutorio conferente.* Et præstitisse Bonifacium, quod rogabatur, manifestum est, col. 1144 et 1145, ex litteris et concilii Nicæni exemplaribus tam ad illum, quam ad concilium Africanum destinatis *sub die 6 Kalendas Decembris post consulatum gloriosissimorum imperatorum Honorii XII et Theodosii IX* (VIII) id est, anni Christi CDXIX. Jam ergo restituta erat pridem ante patriarchis illis cum Ecclesia Romana communio; alioqui nec Pontificem Africani Patres officium illud litterarum flagitassent; quippe qui legatum ejus apud se haberent, ex quo sublata esset, nec ne cum episcopis illis contentio atque ἀμιξία, intelligere possent ac deberent; nec illud Pontifex admisisset; nec ad eum Cyrillus Atticusve eodem adhuc anno rescripsissent.

Imo dudum ante medium annum Christi 418

305 Imo vero jam restauratum Orientales inter Romanamque sedem fuisse litterarum commercium anno Christi CDXVIII nondum dimidia parte præterlapso, suadet Epistola Tractoria, sive Tractatoria, a Zosimo Papa ad omnes per orbem universum episcopos missa (ante Kalendas Maias. Vide Garnerium in Marium Mercatorem edit. Parisinæ anni MDCLXXIII, Diss. V de Libellis fidei etc., pag. 325, et Diss. II de Synodis, pag. 216 etc.) Quam Epistolam Mercator, in Commonitorio cap. I, *Scripta* vocat *amplissima vel longissima*, testaturque ea *ad Orientales ecclesias, Ægypti diœcesim, et Constantinopolim.... ....ad episcopos esse transmissa,* a Zosimo utique, ut habet Possidius in Vita S. Augustini cap. XVIII. De eadem epistola agens Mercator ibid. cap. III, *Quæ,* inquit, *et Constantinopolim et per totum orbem missa, subscriptionibus sanctorum Patrum est roborata.*

E

obierat ergo Alexander A. C. 417.

306 Erat ergo jam tum cum episcopis Cpolitano et Ægyptiis, atque adeo Alexandrino, reserata communicatio; relatusque proinde etiam ab Ægyptiis in Diptycha Chrysostomus; ac dudum ab Attico; diutius a Theodoto; qui tamen id fecit post obitum Alexandri; qui proinde anno Christi CDXVII posterior non fuit. Quod si quis mihi objectet epistolam Damasi, de qua egi supra; negetque ex illa consequens esse, ut Damasus sub Joviano cum S. Meletio communicaverit; dissimulabo id quidem; negabo tamen epistolam illam Meletio, tametsi huic iste subscripserit et quidem omnium primus, inscriptam fuisse; sed tantum *episcopis catholicis* (neminem appellando, nedum episcopum Antiochenum aut Meletium) *per Orientem constitutis.* Vide Collectionem Romanam Holstenii parte I, pag. 165. At epistola Zosimi Tractoria *ad Ægypti diœcesim, et Cpolim... ad episcopos* (Cyrillum scilicet et Atticum) *est transmissa.* Hoc satis discriminis est, ut aliud hic addam nihil.

Hæc sententia congruit cum objecto Theodoreto,

307 Atque hæc quidem hactenus ut cum Theodoreti calculo, per annos integros ducto, certant ex adverso; ita facile cum illo conveniunt; si annos Zenonis, eo quem dixi modo, incompletos intelligas. Fac enim Alexandrum esse mortuum anno Christi CDXVII tribus quatuorve mensibus decurso; successisse ei potuit Theodotus mense Maio vel F
Junio; statimque de tollendo e Diptychis Chrysostomi nomine cogitare; eumque obsistentes Antiocheni ab incepto deterrere; atque ipse id rursus continuo ad Atticum scribere per presbyterum. Is porro ut Constantinopolim venit, rem Antiochiæ gestam, rationesque adventus sui ac litterarum spargere in vulgus; quod illico, ut est leve, tumultarie concursans, Attico timorem seditionis injecerit; quam ipse tum ad imperatorem refugiens, tum ejus voluntate perspecta, S. Joannis nomen in mysticas tabulas referens, anteverterit; factique rationem per epistolam reddiderit Cyrillo. Næ ego vehementer fallor, nisi hæc ante mensem Augustum peracta esse possint omnia. Ab Augusto autem usque ad anni insequentis mensem circiter Februarium satis, opinor, est temporis, ut in eamdem quoque sententiam adductus credi possit haud incommode Cyrillus, ac totam sic per Ecclesiam redintegrata communio

308 Sed quid, inquis, ad epistolam Bonifacii,

itemque cum epistola Bonifacii,

nifacii, qui Zosimo in summo Pontificatu successit? Sic enim habet in Collectione Romana parte I, pag. 77: *Ante breve tempus, id est, sub prædecessore meo beatæ recordationis Innocentio* (obiisse putatur S. Innocentius XII Martii anno Christi CDXVII) *Orientalium ecclesiarum pontifices, dolentes se a Petri communione sejunctos, per legatos pacem . . . poposcerunt: quo tempore Apostolica Sedes omnia non difficulter indulsit.* Hic locus est, ut puto, qui Tillemontium adegit maxime, ut eam Theodoreti sententiæ vim afferret, quam dixi num. 298 et seqq.; ut ita Alexandri obitum in annum CDXVI conferri posse contenderet. Neque perspicio tamen, quid hoc eum magnopere juvet; quandoquidem tom. XIII in S. Augustino, cap. CCLXXXV asserat, Theodoti initium verisimiliter anno CDXVII esse reponendum: sic enim nihilo plus habet torquendo Theodoretum a sensu, ut ipse fatetur naturali; quam ego, qui sensum illum defendo. Laborat ergo eadem hic difficultate. Etenim finge, Theodotum episcopum esse creatum sub ipsum etiam, si videtur, anni illius exordium;
B ne sic quidem sub Innocentio, hoc est, ante diem XII Martii, relatum a Cyrillo in Diptycha Chrysostomi nomen esse potuit, ut ex dictis perspicuum est; nedum missi ab eo aliisque post hoc factum legati, Innocentio adhuc vivo, Romam attigisse. Itaque censet ipse Tillemontius, in S. Innocentio art. 11 in fine, pacem hanc penitus confectam intelligi oportere ante Bonifacium, atque hoc sufficere ad ejus epistolam explicandam, cujus scopus sit sanctæ Sedis auctoritatem ostendere; quippe ad quam aliæ omnes recurrere consueverint; quod sub Innocentio factum sit (ad quem certo recurrit Alexander, et a quo pacem obtinuit, ut constat ex epistolis Innocentii ad Alexandrum aliosque tom. II Concil. a col. 1266) an sub Zosimo (ad quem Atticus ac Cyrillus recurrentes in gratiam communionemque recepti sunt) an
C sub utroque, parum ad rem facit.

quæ juxta Theodoreti mentem facile explicatur.

309 Potest interim redintegrata cum Oriente concordia recte temporibus Innocentii adscribi; quia tum cœpta est maxima celebritate ab Alexandro, ac deinceps ejusdem Patriarchæ indefesso pro ea studio latius in dies ac latius propagata; adeo, ut eo vix defuncto, scribens ad Cyrillum Atticus, relictum se propemodum esse solum innuat, qui adhuc paci tantisper obstitisset; efficere tamen ultra non potuisse sese, quin eam eadem cum ceteris conditione vel coactus ambiret; Innocentio, mea quidem sententia, jam ad Superos evocato; sic enim exigere videtur Theodoretus supra; et ex epistolis Innocentii XVI ad Maximianum et XVII ad Alexandrum constat, receptum ad communionem Atticum tum necdum fuisse; at ex nulla constat, sub Innocentio receptum esse posterius; cum tamen tot epistolis laudet reconciliationem Alexandri. Cum ergo res quælibet ad eum recte reducatur, a quo duxit initium, ac magnam partem, quamquam non omnino, confecta est; nihil sententiæ nostræ, imo Theodoreti, objectus Bonifacii locus incommodat.

310 Jam cum ex auctoribus eorum, de quibus agitur, temporum evictum dederim, neque citius, neque serius anno Christi CDXVII, jam propemodum ad medium vergente, vitæ metas attigisse Alexandrum; audiendum non duxi vel Cedrenum, qui ad annum XIV Theodosii Junioris, Christi CDXXI, differt relationem Chrysostomi in album ecclesiasticum ab Attico factam, qua verisimile est non diu priorem fuisse Alexandri mortem; vel Theophanem, qui eamdem inscriptionem refert ad annum Christi CDXX. Horum enim tunc auctoritatem revereor, cum antiquiori non elevatur. Dissimulare non possum tamen, quod habet Pagius in Criticis Baronii ad annum Christi CDXX, num. 23, ubi, *Alexandrum usque ad præsentem circiter annum* (CDXX) *pervenisse, ostendit,* inquit, *epistola ad Dioscorum* (quæ est 83) *in qua anni Theodoti, successoris Alexandri, egregie traduntur: Sex annos ibi (nempe Antiochiæ, inquit Theodoretus) ego docens* (explevi) *tempore beatæ memoriæ Theodoti Antiocheni episcopi . . . Alios deinde tredecim tempore B. Joannis . . . Præter hæc jam septimus agitur annus, quo Deo dilectissimus Archiepiscopus Domnus sedit.*

SÆCULUM V. Notantur aliorum anachronismi:

E

ac respondetur ad argumentum Pagii.

311 Scripsit epistolam illam Theodoretus anno Christi CDXLVIII, ut docet ipse Pagius ad annum Christi CDXLIV, num. 9, et Tillemontius tom. X, nota 6 in S. Innocentium et tom. XV, nota 2 in Theodoretum. Quamquam tom. XIV in S. Cyrillo Alexandrino, art. 147, eamdem referat ad annum CDXLVII; sed male: nam anni hic assignati VI sub Theodoto, XIII sub Joanne, et VI cum parte septimi sub Domno, non conficiunt simul omnes minus, quam XXV annos integros imo aliquanto amplius, juxta ipsum Tillemontium nota 2 in Theodoretum. Ergo cum Theodoretus in epistola 113 ad Leonem Papam tantum numeret episcopatus sui et temporis, ex quo Antiochiæ docuerat, annos XXVI; eaque epistola certissime, ut ex ipsa patet, scripta sit post conciliabulum Ephesinum habitum mense Augusto anni CDXLIX; non potest epistola ad Dioscorum, quæ ne totum quidem annum minus numerat quam epistola ad Leonem, scripta esse nisi ad summum uno circiter anno prius, hoc est, anno CDXLVIII, et quidem valde adulto. Indicat ergo in ea Theodoretus, docuisse sese Antiochiæ ab anno Christi CDXXIII, quo Cyri episcopatum adeptus F
erat, ut etiam num. seq. docet Pagius; docuisse, inquam; nam antea quidem, ut vidimus, sub Alexandro fuerat ὑπαναγινώσκων seu Lector; at nondum etiam διδάσκων, qua voce hic utitur, quod nullo modo videtur cadere posse in tempus, quod episcopatum ejus antecessit; cum ad illum ex monasterio prodierit, ut vide num. seq. Indicat etiam Theodoretus jam tum Antiochiæ sedisse Theodotum; sed quo anno aut Theodotus sedere primum cœperit, aut desierit Alexander, ne unus quidem ibi apex est, ex quo id arguas. Itaque Alexandrum ad annum circiter Christi CDXX pertigisse ex epistola illa quo pacto extuderit Pagius, ego me candide fateor non intelligere.

SÆCULUM V.

XXXVII. THEODOTUS I.

Sedit Theodotus ab A. C. 417 usque ad 429;

Defixo jam supra Theodoti ad annum Christi cdxvii principio, pergam in finienda episcopatus ejus duratione, juniorum auctoritate seposita, vetustioribus adhærere: Nihil itaque vel Nicephori CP. eumque sequentis Theophanis ac Zonaræ quadriennium, vel sexennium morabor Eutychii, qui illum pag. 551 *Barodotum* nominat; nedum annos xvi, quos illi tribuit Cardinalis Baronius, initium ejus perperam repetens ab anno Christi cdxi. (Vide Pagium ad annum Christi cccxxvii, num. 12.) Auctores hic ergo iterum coætaneos consulamus. Dedi num. 310 locum ex epistola 83 Theodoreti ad Dioscorum Alexandrinum, scripta anno Christi cdxlviii; in qua enumerat annos, quibus Antiochiæ docuit, vi sub Theodoto, xiii sub Joanne, et jam septimus fluebat sub Domno: universim ergo xxv completos;
B qui si subtrahantur a cdxlviii, redibitur ad annum Christi cdxxiii, eumdem illum scilicet quo e monasterio, invitus licet, ut ipse de se ait epist. 81, ad cathedram Cyrensem eductus est. Inde ergo ducti anni sex continui quos sub Theodoto explevisse se, populum pro concione instituendo, testatur (διετέλεσα διδάσκων); Theodotum omnino superstitem comprobant usque ad annum Christi cdxxix.

ut probatur ex Theodoreto.

313 Confirmat idem iterum Theodoretus Hist. Eccl. cap. ultimo, ubi hæc scribit: *Quinque autem et centum annorum tempus hæc Historia complectitur, ab Arii vesania incipiens desinensque in obitu laudabilium virorum Theodori* (Mopsuesteni) *et Theodoti.* Ubi voces illæ, *Ab Arii vesania*, non sunt adeo religiose accipiendæ, ut primam omnino Arianæ hæreseos originem indicare videantur: sic etenim Theodoretus secum ipse manifeste pugnaret; repetit namque illam ipse, lib. i, cap. i, inde a S. Alexandri Alexandrini Ordinatione, hoc est, ab anno Christi circiter cccxiii, cui si addas cv, erit annus cdxviii;
C quo mortuus esset Theodotus, contra ipsiusmet Theodoreti in epistola citata, aliorumque omnium testimonium. Intelligendæ igitur voces illæ sunt de tempore post victum a Constantino Licinium latamque, xvi Kalend. Junii anno Christi cccxxiv, Legem *de infirmandis his, quæ sub Tyrannis* (de qua vide Gothofredum in chronologia codicis Theodosiani ad illum annum et præcedentem). Cum scilicet furia illa Arianica tranquillam Ecclesiæ pacem ac patronos nacta gratiosos, grassari per orbem cœpit dominarique licentius. Et vero ita se ipse Theodoretus explicat in præfatione Historiæ suæ, cum ait, inde sese initium ejus esse ducturum, ubi finem Eusebius scribendi fecerat; id est, a morte Licinii ac pace Ecclesiæ restituta: in ea enim definit Eusebius, ut recte Baronius colligit ad annum Christi cdxxvii, num. 25, et patet ex ipso Theodoretianæ Historiæ hoc exordio: *Sublatis de medio nefariis illis et impiis Tyrannis, Maxentio videlicet, Maximino et Licinio, sedata est Ecclesiæ procella,* etc. Nec obstat, quod nonnulla obiter repetat, quæ temporibus illis paulo erant anteriora, ut num. 119 D
et seq. vidimus; hæc enim eo scribere debuit, quod essent ab Eusebio prætermissa, aut cum sequentibus cohærerent. Duc ergo cv annos ab anno cccxxiv; desines in cdxxix, quo vita functum dicimus Theodotum.

Confirmatur hæc sententia testimoniis aliis

314 Et sane anno Christi cdxxvi in vivis adhuc fuisse hunc Præsulem, ipsemet est testis in epistola illa, cujus inscriptionem Photius in Bibliotheca, cod. 52, hanc ait fuisse: *Deo carissimis sacrorum collegis, Beriniano et Amphilochio, omnibusque adeo in Pamphilia episcopis, Sisinnius atque Theodotus, et universa sancta synodus, quæ Dei gratia in magna urbe Constantinopolitana coacta est, consecrandi gratia Dei amantissimi episcopi Sisinnii* etc. Consecratus enim est Sisinnius Theodosio xii et Valentiano ii Coss., id est, anno Christi cdxxvi, uti notat Marcellinus in Chronico; pridie Kalendas Martii, ut addit Socrates lib. vii, cap. xxvi. Quin imo, mortuo ferme post biennium Sisinnio, ut est apud Socratem ibid. cap. xxviii, *Hierio et Ardaburio Coss.* (anno Christi cdxxvii) *die nono Kalendas Januarii, Nestorius,* ut idem ait cap. seq., *elapso trium mensium spatio, Antiochia adducitur... ordinatus* E
Cpoli *die quarto Idus Apriles, Felice et Tauro Coss.* (anno Christi cdxxviii). Is autem, cum ad episcopatum illum proficisceretur, *cum Theodoro apud Mopsuestiam congressus est,* teste Theodulo apud Euagrium lib. i, cap. ii. Vivebat ergo anno cdxxviii ineunte Theodorus Mosuestenus: qui tamen, juxta Theodoretum lib. v, cap. ultimo, *eo tempore, quo divinus Theodotus Antiochenam regebat ecclesiam,... vitam finiit.* Regebat itaque ad illum usque annum ecclesiam suam Theodotus. Carpit hunc Euagrii locum Garnerius in Historia Theodoreti cap. iv, num. 2, quod in chronologiam suam minus quadret; sed cum nostra tam apte conseritur, ut eam non minus confirmet, quam ab ea vicissim confirmetur. Ceterum intra annum Christi cdxxix obiisse Theodotum, colligitur etiam ex Mario Mercatore in Commonitorio (quod, ut patet ex titulo, Theodosio anno illo obtulit) cap. iii, ubi eum appellat *Sanctæ memoriæ Theodotum.*

F

etiam Acacii Berœensis, in epistola.

315 Hoc etiam facit epistola Acacii, Berœæ episcopi, ad S. Cyrillum, apud Labbeum tom. III Concil. in concilio Ephesino col. 381, in qua Joannes, qui Theodoto successit, dicitur *recens admodum, νεωστί, ad episcopatum venisse.* Scripta est vero epistola illa, ni fallor, provecto jam aliquantum anno Christi cdxxx: nam in ea dicit Acacius, curavisse se Cyrilli epistolam legi; *Quam ille* (Joannes Antiochenus) *quoque,* inquit, *summa attentione, nec parvo doloris sensu audivit.* Habes epistolam illam Cyrilli ibid. col. 380, in qua videbis querelas Cyrilli de Nestorio: scripta est, ergo post illam, quam ad Cælestinum Papam dedit idem S. Cyrillus; ad hunc enim scribens, epist. 9 inter Cyrillianas, asserit, hactenus altum se tacuisse: *Neque enim quidquam omnino,* inquit, *de illo qui Constantinopolitanam ecclesiam hoc tempore administrat, vel ad Religionem tuam, vel ad ullum alium consacerdotum nostrorum scripsi.* Epistola autem ad Cælestinum posterior est illa, quam ibi se scripsisse ait secundam ad Nestorium, *Quæ rectæ fidei expositionem brevi compendio complecteretur,*

A *cteretur*, et qua eum admonuerit obtestatusque sit, ut ad modum, quem epistola præfiniret, saperet. *Sed nihil omnino apud illum*, inquit, *etiam tum profeci.*

scripta A. C. 430.

316 Ex quibus verbis colligitur, epistolam, de qua hic agit, illam ipsam esse, quam ad Nestorium dederat *mense Mechir* (qui incipit a XXVI Januarii et finitur XXIV Februarii) *Indictione* XIII (atque adeo anno Christi CDXXX); ut vide tom. IV Concil. col. 158. Cujus epistolæ cum eventum ante exspectaverit Cyrillus, quam ad Cælestinum scriberet, ut patet ex verbis modo datis; necesse est ad Cælestinum fuisse scriptum multo serius: id quod etiam liquet ex responsoriis Cælestini ad Cyrillum in re, quæ moram respondendi longam minime patiebatur, datis III *Idus Augusti, Theodosio* XIII *et Valentiniano* III *Coss.*, sive anno Christi CDXXX (Exhibct illas tomus III Concil. col. 349). Scripta ergo videtur Cyrilli ad Pontificem epistola ineunte circiter æstate, ut etiam notat Garnerius in Præfatione partis posterioris operum Marii Mercatoris pag. 17. Cum ergo B posterior sit epistola Cyrilli ad Acacium; et hujus iterum posterior ad Cyrillum responsoria, exaratam hanc oportet fuisse adulto admodum anno Christi CDXXX: cumque in ea dicatur Joannes νεωστί, id est, *paulo ante*, seu *recens* factus episcopus, quis credat aut Photio cod. 31, sedente etiamnum Cpoli Sisinnio, mortuum esse Theodotum; aut Baronio, non vixisse ultra annum Christi CDXXVII? Sedisse igitur Theodotum dicimus ab anno Christi CDXVII usque ad CDXXIX, annis omnino XII.

Elogium Theodoti.

317 Ex dictis collige, Theodoti jam defuncti memoriam a catholicis viris honorifice appellari consuevisse, tametsi initio episcopatus minus æquis videatur fuisse erga S. Chrysostomum, idemque sit, a quo Antiochiæ male habitus cum suis monachis pulsusque narratur S. Alexander Acœmetus, in Vita quem dedimus in actis Sanctorum ad diem XV Januarii, cap. VI. Pelagium hic damnavit, coacta in eum synodo, cui præsedit Antiochiæ, *Quod ejusdem sancti Theodoti ad reverendissimum urbis Romæ Episcopum... missa scripta testantur;* inquit Mercator in Commonitorio cap. III; at quo in tempore factum sit, C vide apud Tillemontium tom. XV, nota 74 in S. Augustinum.

XXXVIII. JOANNES I.

Sedit Joannes I ab A. C. 429 usque ad 442.

Quam longa est JOANNIS hujus historia, tam brevis est ac facilis ratio temporis, quo sedem Antiochenam occupavit: clarissimis enim verbis eam exprimit Theodoretus epist. LXXXIII ad Dioscorum, cujus supra textum dedimus num. 310; ubi, cum annos numerat, quos Antiochiæ docendo continuaverat, sex numerat sub Theodoreto, tum XIII sub ejus successore Joanne. Quos quidem annos ego pro integris accipio; tum quia id innuit vox διετέλεσα; tum quia, si annos ibi inchoatos pro integris numeraret, idem facere potuisset sub Domno, atque adeo septem sub eo annos numerare simpliciter; quod non videtur facere, cum subdat: *Adhæc septimus annus est Deo carissimi archiepiscopi domini Domni.* Ita verbum de verbo latine vertitur, sonatque annum potius septimum inchoatum, quam si simpliciter dixisset: sub Domno annos insuper explevi jam septem; quo modo de annis aliis locutus erat. Scio, hæc levia esse argumenta; sed in re levi, cum nihil opponitur, sufficiunt. Sedem igitur suam tenuit Joannes ab anno circiter Christi, ut antea vidimus, CDXXIX usque ad CDXLII: nam eo deducunt anni XIII. Frustra alios hujus chronologiæ testes exquiras; frustra proferas illi adversantes posteros, sive Nicephorum CP., sive Theophanem, sive Zonaram qui annos XVIII; sive Eutychium, qui XVI assignat Joanni; sive alios quoslibet: uno enim hic Theodoreto standum est, qui et Joanni convixit, et cum annos ejus numerat, suos numerat; et Dioscoro numérat, a quo redargui vanitatis poterat, nisi recte ac sine exageratione numerasset.

Ejus elogia.

310 Elogium ejus breve quoddam loco citato habet Theodoretus, ubi illum *Beatum* vocat *Joannem: Quem quidem divinis Litteris*, inquit, *a puero imbutum, exactam divinorum* E *dogmatum seientiam adeptum esse Sanctitas tua* (Dioscorum alloquitur) *in litteris suis testata est.* Perhonorifice etiam de illo, recens etiamnum episcopo, scribit Acacius Berœensis ad Cyrillum in epistola citata, apud Labbeum tom. III Concil. col. 386, ubi magno tum in pretio eum fuisse testatur apud omnes Orientis episcopos. Et vero ejusmodi laudibus indignum penitus non fuisse, tum multa præclare ab eo gesta, tum scripta quoque nonnulla, apud Labbeum tom. III Concil. in indice, qui tomo præfigitur, assignata, atque in primis epistola ad Nestorium, incidio sunt. A Palagianæ hæreseos aliquando defensæ suspicione nunc passim vindicatur.

non sine labe aliqua.

320 Nestorii doctrinam damnavit quidem; at personam dilexit impensius ac defendit; qua re æternam nomini suo notam inussít; dum hæc ei causa fuit, cur in S. Cyrillum Alexandrinum, synodumque Ephesinam ea gesserit, quæ meritissimam ei ab illa synodo excommunicationis sententiam accersiverunt. Pacem tamen, de qua epistolam ejus synodicam ad Sixtum Pontificem Romanum, ad F Cyrillum, ad Maximianum, vide apud Labb. in concilio Ephesino tom. III, col. 1087, subinde sic est amplexus, ut ad eam non modo invitaret omnes, sed, interposita etiam Imperatoris auctoritate, cogeret. Theodori Mopsuesteni, cujus eum aliqui discipulum putant fuisse, memoriam et ipse coluit constanter, et ab aliis propugnari voluit. Verum, quoniam hæc aliaque ad Joannem pertinentia narrationem nimis, quam pro instituto meo, longam exigunt, ad Annales te, lector, Baronii remitto ab anno Christi CDXXVII usque ad CDXXXVI, quo Patriarchæ hujus obitum primo locaverat; quamquam eum deinde tom. X, pag. 958 edit. Antuerpiensis reponi voluerit anno Christi CDXL. Pagius de illo etiam non pauca dedit, maxime ab anno Christi CDXXX usque ad CDXL; plurima vero Tillemontius, tum aliis locis, tum præsertim tom. XIV, ubi de S. Cyrillo Alexandrino.

XXXIX.

SAECULUM V.

XXXIX. DOMNUS II.

Sedit ab A. C. 442 usque ad 449, mensem Augustum; quando depositus est.

Successit Joanni, avunculo suo, defuncto Domnus, ut futurum ei prædixerat S. Euthymius, in Actis Sanctorum de xx Januarii, in Vita S. Euthymii, pag. 311, num. 56; præfuitque ecclesiæ Antiochenæ, juxta S. Nicephorum, Theophanem ac Zonaram annis viii, id est, ab anno Christi cdxlii usque ad Latrocinium Ephesium, in quo depositus est anno Christi cdxlix, *post diem tertium synodi, qua dejectus est sanctæ memoriæ Flavianus*, ut habet Breviculus historiæ Eutychianistarum apud Sirmondum editus cum Appendice codicis Theodos. pag. 114; hoc est, die circiter xi Augusti. Erat is annus adeptæ dignitatis octavus; jam enim septimus, teste Theodoreto epist. lxxxiii ad Dioscorum, anno Christi cdxlviii fluere cœperat.

B

Errant hic proinde Eutychius et Victor Tununensis in Chronicis.

352 Cum igitur de Domni initio constet ex dictis a num. 310; de depositione autem in pseudosynodo Ephesina, ut pluribus dicam inferius, dubitari non possit; immanis enimvero videri debet error Eutychii tom. II Annalium Alexandrinorum, pag. 84, cum dicit, annos illum *unum et viginti* sedisse. Fallitur etiam Victor Tununensis in Chronico, dum ait: *Theodosio* xlix *et Albino Coss.* id est, anno Christi cdxliv, *Antiochenæ ecclesiæ episcopatum post Joannem Diaconus* (ita Domnum appellat) *suscepit*: sic namque annus Domni septimus cadere nequaquam potuisset in annum Christi cdxlviii, quod asserit Theodoretus. Sed nec Domni exauctorationem auctor ille loco suo reponit, quando conciliabulum Ephesinum congregatum scribit esse Posthumiano et Zenone Coss., sive anno Christi cdxlviii, contra ipsam Theodosii epistolam, qua synodum convocavit in proximas Kalendas Augusti post consulatum Zenonis et Posthumiani, ut habet textus Græcus in concilio Chalcedonensi apud Labb. tom. IV Concil. col. 100 et 101; ipsaque Acta conciliabuli ibid. col. 116, ubi congregatum fuisse dicitur post consulatum eorumdem sub sexto Idus seu die octava Augusti.

C

Depositionem illi S. Euthymius prædixerat.

323 Animum pridem res humanas pertæsum ad solitudinem Domnus, patria Antiochenus, adjecerat, concesseratque in disciplinam S. Euthymii, ordinatus subinde in ejus laura a Juvenale patriarcha Hierosolymitano, Diaconus, ut est in citata Vita S. Eutymii cap. vi, num. 41 et 42; quando ex Petro Saracenorum episcopo, a synodo Ephesina reverso, ea intellexit, quæ ibi gesta essent ab avunculo suo Joanne. Hinc piissimum Virum tantus continuo dolor incessit et commiseratio, ut, relicta laura, abeundi Antiochiam, quo avunculum ad saniora consilia revocaret, facultatem posceret ab Eutymio. Abnuit sanctus abbas; nihil enim inde emersurum emolumenti; periculi vero et malorum plurimum. Maneret igitur eo loco, ad quem eum Deus vocasset: sin aliter faceret; obtenturum quidem esse administrationem, quam avunculus habebat; sed eam rursus illi ab hominibus malis ac præstigiatoribus, postquam incautus ab iis ignarusque seductus fuisset, ereptum iri.

si per zelum indiscretum ab ejus laura discederet.

324 At ille destinata persequi certus, abbate insalutato, Antiochiam profectus est. *Cum illic vero fuisset*, inquit auctor Vitæ S. Eutymii supra cap. ix, num. lvii, *omnia quæ ei prædicta fuerant, effectum sunt sortita.* Nam ut cetera ejus acta prætercam (quæ videri possunt apud Tillemontium in indice tomi XIV et præcipue XV, quorumque illud sane præclarum est, quod eum primum fuisse asserat Facundus Herminiensis lib. xii, pag. 659 in editione Sirmondi anni mdcxxix, qui scripta ad Theodosium imperatorem epistola, cujus partem exhibet idem auctor lib. viii, cap. v, Eutychi restiterit); juverit vaticinii Euthymiani eventum, sive obtentæ a Domno patriarchicæ administrationis privationem hic paucis attexere.

uti in Latrocinio Ephesino, postquam S. Flavianum etc. damnasset,

325 Vix Ephesum cum episcopis provincialibus circiter xv, ut colligitur tom IV Concil. ex concilio Chalcedonensi, col. 117, convenerat; cum ab ipso primo consessu sinistra sibi ominari debuit omnia: nam nec locus ei debitus assignabatur; siquidem Juvenali Hierosolymitano postpositus est, ibid. col. 115; nec loquendi data est libertas; quippe qui E Eutychetem accusasset, quod eruitur ex iis, quæ ibidem habentur col. 109, 114, 148 et 149. Donec de Eutychete sententiam suam a præside Dioscoro post Juvenalem jussus edicere, ita pronuntiavit: *Quoniam dudum ex transmissa mihi epistola a sancta synodo in Constantinopoli congregata, in damnationem viri religiosissimi Eutychis archimandritæ subscripsi; ex nuper autem oblatis ab ipso libellis sanctæ synodo, in hac Ephesina metropoli congregatæ, confessus est, se acquiescere et fidei sanctorum* 318 *Patrum, qui in Nicæa convenerunt, sed et in priori concilio, quod in hac eadem urbe similiter convenit; comprobavi et ego ipse cum vestra sanctitate recipere eum et presbyterii dignitatem, et primatum sub eo degentium religiosissimorum fratrum*, ibid. col. 256, 3. Ubi egregie ignorationem illam prodit, de qua illum S. Euthymius præmonuerat: neque enim quidquam de suis erroribus hactenus Eutyches retractaverat. Cum exinde ad S. Flaviani damnationem Dioscori terroribus adigerentur episcopi; *Domnus, episcopus Antiochiæ, dixit: Concors sum et ego sanctæ vestræ synodo damnanti Flavianum et Eusebium .... et consentio in eos a vobis prolata justæ sententiæ.* ibid. col. 305. F

prorsus evenit.

326 Frustra sperabat miser his aliisque orthodoxorum proscriptionibus furentem ac latrocinantem Dioscorum delinire, a quo aliud beneficium sperari non poterat, nisi ut post alios jungularetur; et hæ quidem non nisi dierum trium, ut superius dictum est, induciæ fuerunt. *Post omnes autem*, inquit Liberatus diaconus in Breviario, cap. xii apud Labb. tom. V Concil. col. 758, *deposuit et Domnum Antiochenum, remanentem ab orthodoxorum depositione; quia particeps factus Dioscori in depositione orthodoxorum et Eutychetis absolutione. Depositus est autem dolo Dioscori sic. Postquam consensit in omnibus Dioscoro, datis in medio ejus epistolis, quas ad ipsum Dioscorum Antiochenus Domnus contra duodecim Cyrilli capitula scripserat, eo quod essent obscura, damnavit ægrotum et absentem illa die*; laudante hoc decretum cum ceteris et firmante Theodosio tom. IV Concil. col. 863 et 864; imo Patribus Chalcedonensibus unum hoc non irritantibus, col.

A col. 673, 176; sive quod ipse depositione sua Domnus non invitus deinde acquieverit; ideoque Maximi successionem, ut ibidem dicitur, S. Leo Magnus ratam habuerit; sive quacumque alia id causa sit factum. Certe nec Marcianus ejus meminit, ubi legem Theodosii rescindit ibid. col. 865.

Ejus pœnitentia, et reditus ad S. Euthymium,

327 Narrat pag. 87 Theophanes, Domnum post extortam per Dioscorum subscriptionem, *in seipsum reversum, Dioscoro et optimatibus obstitisse, et iis quæ acta erant reluctatum, impiam pronuntiasse eam synodum, datamque rescriptionem recipere postulasse*; nec dissonat Zonaras lib. XIII Annalium, num. 23; idemque asserit Nicephorus Callistus lib. XIV, cap. XLVII in fine; et addit, eam fuisse causam, cur ei synodus illa latrocinalis dignitatem sacerdotalem ademerit: sed silent antiquiores. Euagrius Hist. eccl. lib. I, cap. X negat invenire se potuisse, quid postea Domno sit factum. Verum docet id nos Cyrillus monachus in Vita S. Euthymii superius indicata cap. IX, num. 57, ubi verbis antea citatis hæc subdit: *Illeque* (Domnus) *postea magna* B *ductus pœnitentia, quod non obedisset* (S. Euthymii consiliis) *ad ipsum revertitur, gravi dolore visceribus cruciatus, et acerbe deplorans.* Ad lauram ergo ac solitudinem suam, sanctumque patrem postliminio rediit; felix, cui mentem Deus injecerit contracta in administrato infeliciter episcopatu apud justitiam divinam nomina, ibi dissolvendi, unde si numquam exiisset, ea, teste S. Euthymio, contracta numquam fuissent.

post concilium Chalcedonense.

328 Non videtur tamen id contigisse ante concilium Chalcedonense: apparet enim ex epistola S. Leonis XLVII, ad synodum Chalcedonensem, illum Epheso, cum ceteris episcopis ibi proscriptis, deportatum aliquo in exilium fuisse. Deinde in ipsa synodo, Chalcedone collecta, Actio est peculiaris de Domno Antiocheno col. 681, 682, in qua Maximus, qui ei successerat, rogat universalem synodum, ut humanitatem exercere dignetur in Domnum, et statuere ei certos sumptus de ecclesia, quam gubernaverat; quos illi Patres ad Maximi arbitrium pendi C voluerunt; *ut contentus alimoniis quiescat in posterum*; cum præter hoc nihil Domnus requireret, ut videtur ibidem innuere Anatolius. Scio; Actionem hanc argumentis bene multis impetiit notior hæresi, quam eruditione Quesnellus in appendice ad opera S. Leonis, Dissert. IX; sed illa pridem confutavit Baluzius atque ex eo Pagius in Crit. Baron. anno Christi CDLI a num. 54, quinimo copiose atque erudite Tillemontius tom. XV, nota 54 in S. Leonem. Præterea Theophanes pag. 92 Domnum adhuc sistit Hierosolymis, cum, peracto Chalcedonensi concilio, sedem illam Theodosius monachus crudeliter invaderet, ac tum demum fugam ejus, uti et Juvenalis patriarchæ, in eremum collocat anno circiter Christi CDLII. Ceterum Domni hujus memoriam laudat loco non uno Facundus Hermianensis episcopus; nequaquam tamen ad illum referenda esse puto, quæ ex Martyrologis supra in Domno primo attigimus, ut indidem colliges.

XL. MAXIMUS.

Maximus Domno successit; sed non A. C. 450 elabente; ut statuit Quesnellus.

Ereptæ Domno infulæ ad MAXIMUM delatæ sunt, non in ipsa quidem illa synodo (nam Domno dejecto *Dioscorus repente discessit, solutusque conventus est,* ut habetur in Breviculo historiæ Eutychianistarum pag. 114; sed postea per Anatolium, patriarcham Cpolitanum, et S. Flaviani martyris successorem. Unde non de fine Maximi tantummodo, sed etiam de initio laboratur; atque id quidem Quesnello debemus, qui in Dissertatione mox citata, num. 31 a recepta Cardinalis Baronii, qui Maximi episcopatum inchoat anno Christi CDXLIX, sententia recedens, toto illum anno serius collocat; sed futili prorsus argumento, quod huc redit: Ordinatus est Maximus ab Anatolio episcopo Cpolitano; Anatolius autem ipse episcopatum non adiit nisi *fere decimo mense a soluta synodo Ephesina:* nam nec ante mortem Flaviani electus est; et S. Leo Magnus epist. XXXIII E ad Theodosium augustum de Anatolio scribens anno CDL, XVI Julii, hæc habet: *Qui Constantinopolitanæ* COEPIT *ecclesiæ præsidere.* Ergo Maximum non paulo posterius ordinatum ab eo fuisse necesse est: quandoquidem canonice electus est et ordinatus, teste Stephano Ephesino, Actione X Chalcedonensi, nec aliud S. Leo in ejus ordinatione peccatum notet, quam quod illam Anatolius celebrare præsumpserit, non omissurus, si quid aliud contra canones in ea fuisset admissum; atque adeo si Antiochiæ facta non esset. *Jam vero,* inquit Quesnellus, *aliquod tempus* (post decimum mensem a synodo Ephesina) *fundandis episcopatus ejus* (Anatolii) *exordiis dandum fuit, antequam Antiochiam se conferret, ubi electionem et consecrationem* (Maximi) *fieri oportebat secundum canones.* Ita ille; manifeste innuens, ordinationem Maximi solido, ut minimum, anno conciliabulum Ephesinum esse consecutam.

quia Anatolium, a quo ordinatus est Maximus, nimis sero facit episcopum.

330 Hujus ratiocinii vis omnis in unica illa S. Leonis de Anatolio voce, quam litteris majusculis expressit, sita est (nam de S. Flaviani martyrio dicam inferius). *Cum* enim *scribat ad Theodosium Augustum* XVI F *Julii anni sequentis* (CDL) *de ordinatione ejus, qui Constantinopolitanæ* COEPIT *ecclesiæ præsidere; satis ostendit,* ait Quesnellus, *recenter fuisse ordinatum, id est, fere decimo mense a soluta synodo Ephesina,* hoc est, mense Junio circiter anni CDL. Verum acutus dissertator dum voculam captat unam, totius epistolæ sententiam prostituit. Adi, lector, epistolam citatam; et me arguito, si non ibi totum in eo esse S. Leonem judicaveris, ut Theodosio causam afferat dilatarum tam diu ad Anatolium litterarum, quibus episcopatum ejus approbare censeretur; tum etiam ut ostendat, quibus conditionibus hæc difficultas ac sinistra omnis suspicio tolli per Anatolium brevi possit, si modo illa faciat scilicet, quæ istic ab eo S. Leo exigit. Hæc sane omnia quid aliud arguunt, nisi, præter morem diu post ordinationem Anatolii, quam et hic tamen sancto Pontifici per litteras, quarum partem aliquam edidit Cotelerius in Ecclesiæ

SÆCULUM V.

Ecclesiæ Græcæ Monumentis tom. I, pag. 66 et episcopi, a quibus consecratus erat, significaverant, ut ipse Leo testatur epist. xxxiv ad archimandritas Cpolitanos, exspectatum esse a S. Leone, antequam epistolam illi, communionis confirmatæque ordinationis indicem, destinaverit. Ex quibus omnino liquet, non uno mense, sed pluribus Constantinopolitanæ ecclesiæ præsidere cœpisse Anatolium, cum S. Leo epistolam illam xxxiii ad Theodosium daret. Confirmantur hæc ex epistola ejusdem sancti Pontificis lvii ad Marcianum Aug., ubi exponit, unde secutum sit, *ut cum* (Anatolius) *communionem Apostolicæ Sedis expeteret,* diu *dandis ad eum pacis epistolis abstineret.* Expetierat autem ille communionem statim post ordinationem suam, ut verisimillimum faciunt ejus litteræ apud Cotelerium. Diu ergo inter illam et epistolam ad Theodosium datam exspectatum jam erat a S. Leone: non igitur uno tantum antea
B mense ordinem illum susceperat.

in quo multum fallitur.

331 Sed nihil adeo fatale est opinamento Quesnelliano, ut *Actio de Photio episcopo Tyri et Eustathio episcopo Beryti* in concilio Chalcedonensi, Actione iv, apud Labbeum tom. IV. Ex illa enim constat 1, subductas Photii jurisdictioni aliquot fuisse civitates ab Eustathio per concilium aliquod Cpoli sub Anatolio coactum, et illius concilii definitioni subscripsisse Maximum, jam utique episcopum; qui licet isti conventui non interfuisset; tum temporis tamen erat Cpoli, col. 545. Constat 2, cum contra hanc definitionem nihilominus aliquam in istis locis ordinationem exercuisset Photius, habitam ibidem esse alteram synodum sub eodem Anatolio, ab eaque missam esse Photio excommunicationis sententiam, et mansisse hunc excommunicatum *centum viginti duos dies,* id est, 4 mensibus; ibidem. Constat 3, cum interim Photius antiquo suo jure uti pergeret, ac duos in locis suæ administrationi subtractis ordinasset episcopos, quos Eustathius deposuit, ibidem, tertiam rursus Cpoli synodum convocatam esse; ab eaque missum synodicum ad Photium cum interminatione depositionis, nisi factæ a synodo divisioni subscriberet; quod tum quidem ipse coactus fecit,
C col. 541. Constat 4, hæc omnia contigisse superstite adhuc Theodosio imperatore, ut colligitur ibid. littera B, et clarius ad litteram C, ubi opponens Theodosii imperio imperium Marciani, *sub vestra autem pietate*, inquit Photius, *sciunt quicumque experimentum sumpsere, quod neque irrationabile patrocinium* (quali usum fuisse contendebat Eustathium ibid. B) *quidquam pollet; nec si quis velit, quod vetustati ignotum sit, per novitatem usurpare* (uti Eustathius fecerat) *id poterit.*

ut patet etiam ex actis concilii Chalcedonensis;

332 Hinc sequitur 1, synodum primam ex modo memoratis haud minus quam quinque circiter mensibus ante obitum Theodosii collectam fuisse. Obiit autem Theodosius aut die xx Junii, juxta Theophanem pag. 88; aut xxviii mensis Julii eodem anno Christi cdl, juxta Theodorum Lectorem; vide Pagium ad illum annum, num. 8. Sequitur 2, ut jam tum episcopus Antiochenus fuerit Maximus (neque enim aliter ad ipsum ista subscriptio ulla ratione pertinuisset); imo ut aliquanto ante fuerit consecratus; siquidem id factum sit Antiochiæ, ut vult Quesnellus ex testimonio Stephani Ephesini in concilio D Chalcedonensi apud Labbeum tom. IV, col. 675; cujus tamen textus Græcus in hac re obscurior est, quam Latina interpretatio. Sequitur 3, ut pridem ante primam illam synodum patriarcha Cpolitanus fuerit Anatolius; quippe qui Maximum Antiochiæ consecraverit. Longissime ergo aberrat Quesnellus, cum Anatolium mense demum Junio ejusdem anni ordinatum fuisse episcopum statuit. Restat modo, ut meam hic mentem expromam ûnaque luxatæ Quesnelli sententiæ nervos omnes succidam.

sicut et in differenda morte S. Flaviani, quam secuta est Ordinatio Anatolii, usque ad A. C. 450,

333 Primum itaque pro certo habeo, episcopum consecratum esse Maximum ab Anatolio: hoc enim S. Leo magnus testatur epist. liii ad Anatolium et liv ad Marcianum augustum. Deinde, Anatolium ipsum creatum episcopum non fuisse, nisi mortuo jam S. Flaviano: nam si eo superstite ordinatus fuisset Anatolius; incredibile apparet, aut sanctum Pontificem id vitium in ejus ordinatione notaturum numquam fuisse, postquam ad Cpolitanos scripserat anno cdxlix, die xv Octobris in epist. xxii: *Quisquis incolumi atque* E *superstite Flaviano, episcopo vestro, sacerdotium ejus fuerit ausus invadere, numquam in communione nostra habebitur, nec inter episcopos poterit numerari:* aut scribere ad illum ausuros fuisse tum Anatolium ipsum, tum eos a quibus Ordinem episcopalem susceperat, electionem suam consecrationemque, servato ordine, qui narratur in fragmento epistolæ Anatolii ad Leonem apud Cotelerium in Eccl. Græc. Monum. tom. I, pag. 66, *cum sanctissima Constantinopolitana Ecclesia pastore orbata esset* etc., peractam esse; maxime cum scirent probe, quanto in pretio apud Leonem Flavianus fuisset, quantaque constantia ejus condemnationi depositionique Pontificii legati in Ephesina synodo, præcipiti etiam sibi fuga, quando aliud nihil potuerant, consulendo, restitissent: aut nullum denique futurum fuisse auctorem historicum, qui, cum de Anatolio in Flaviani locum succedente scriberet, rem tam notabilem silentio non præteriret. Imo defunctum ante Flavianum fuisse aut aperte tradunt omnes, aut supponunt. Quando igitur F nec ante Domnon successit Maximus, quam S. Flaviano Anatolius; nec factum hoc credi potest ante obitum Flaviani; obitum hunc, de quo non nulla apud eruditos disceptatio est, ad sua prius tempora redigere cogimur, quam progredi liceat ulterius.

cum accideril A. C. 449 mense Augusto.

334 Majores nostri ad diem xviii Februarii, ubi de S. Flaviano actum est, re diligenter discussa, secuti fere Baronium in notationibus ad Martyrologium Romanum, S. Flavianum obiisse anno Christi cdxlix, mense Augusto, hoc est, eodem illo, quo habita est Ephesina pseudosynodus, recte affirmarunt pag. 75, § iv, a num. 19; quidquid Garnerio nostro, de quo agam inferius, aliter visum sit. Nam si cui Theophanis ac Nicephori Callisti citata istic testimonia libet arrodere, ne tertio post exauctorationem suam die, hoc est, xi mensis Augusti, extinctum credat esse sanctum hunc præsulem; quibus hoc tamen Baronius aliique, atque ipse adeo Tillemontius tom. XV in S. Leone, art. 72, credendum putaverunt; facere tamen non poterit, ut mensem illum integrum pervixisse

A vixisse eum existimet, ubi cetera expenderit, quæ ex Liberati Diaconi Breviario, cap. XII; ex Euagrio, imo Eusebio, Dorylæi episcopo, apud Euagrium lib. II, cap. II; ex Actione 3 et 4 Concilii Chalcedonensis, ibidem adducta sunt, quæque eo tendunt omnia, ut ita male verberibus calcibusque habitum Ephesi a Dioscoro ejusque asseclis virum hunc sanctissimum affirment, ut si vicus loco excesserit, non alio tamen morbo, quam dolore impositarum ibi plagarum, atque adeo brevi post tempore, migrarit ad Dominum; ut proinde Dioscoro ac furoris ejus ministris, parricidium illud, tamquam *novo Cain*, qui suis fratrem manibus trucidaverat, imputetur.

ut multis testimoniis probatur:

335 Sunt hæc sane graviora, quam ut Breviculo Eutychianistarum postponi debeant; qui tamen de Flaviani interitu dubitans, spontaneus fuerit, an ingestus; contrarius haberi non debet. Accedit ad hos auctor minime recusandus, qui eo tempore scribebat, Prosper Aquitanus apud Labbeum tom. I Novæ Bibliothecæ Mss. pag. 53, qui sub Coss. B *Asturio et Protogene* sic habet post ea, quæ in conciliabulo Ephesino facta memorat: *Sanctus vero Flavianus inter manus eorum, a quibus in exilium ducebatur, glorioso ad Christum fine transivit.* Ubi non annum mortis ejus dumtaxat, per Consules appositos, docet esse Christi CDXLIX; sed etiam proximos a synodo, unde depositus abripi in exilium jubebatur, manifeste dies designat; quippe quem obiisse memorat, antequam destinatum exilio locum attigisset, ad quem *ducebatur: idque apud Epipam, quæ est civitas Lydiæ*, teste auctore Breviculi historiæ Eutychianistarum; neque proinde procul Epheso. Hæc argumenta aut vidisse non arbitror Garnerium de libris Theodoreti Dissert. II, ubi scribit in epistolam ejus XI ad Flavianum, num. 14; aut certe magnam partem dissimulasse. Juvat interim audire quid hæc contra Vir doctissimus afferat.

quidquid eam serius locet Garnerius noster propter epistolam Placidiæ augustæ,

336 Sensit ipse, fieri non posse, ut vita functus sit Flavianus triduo postquam damnatus esset; deinde, *probabile esse, mortem ejus contigisse die* XVIII *Februarii anno* CDL (mendo typothetico impressum est CDLVIII). Primum C ex eo consequi putat, quod Galla placidia augusta, Roma scribens ad Theodosium (non parentem, ut ibi dicitur, sed filium) vivere adhuc tum Flavianum existimaverit. *Scripsit vero*, inquit, *Placidia post diem* XVIII *Novembris, id est, post tres menses a soluto concilio Ephesino latrocinali, quo tempore incredibile est, non fuisse adhuc auditum in Occidente de cæde patriarchæ novæ Romæ, si re vera contigisset.* Cur vero id incredibile est? Sane si ne ipse quidem S. Leo, licet in omnem occasionem ea cognoscendi, quæ Ephesi palam ac publice gererentur, intentus, quidquam certi nuntii inde nancisci potuit, nisi duobus post mensibus, idque non nisi ex legatis suis, qui statim Epheso post primum synodi conventum, atque injustissimam Flaviani proscriptionem, contumeliasque profugerant, ut pater ex epistolis ejus XXIV et seqq., quid mirum, si mense Novembri, aut etiam serius (si tamen serius Placidia scripserit: nam res incerta est admodum, ut collige ex Tillemontio nota 28 et præcipue 32 in S. Leonem, ubi et Quesnellum confutat) de Flaviani morte per Occidentem nihil audiretur? Præsertim cum ea contigerit *inter manus eorum, a quibus in exilium ducebatur;* ita ut alii mortis illius testes non essent, quam qui eam, ut verisimillimum est, una cum Dioscoro, in ipsa synodo virum sanctum cædendo et calcando, ipsi intulerant, aut certe deproperaverant. Quorum proinde intererat plurimum, ut eam, quamdiu poterant, occultam omnibus continerent; ne, si ejus, qui sanus ac valens ad synodum venerat, subito innotuisset obitus, interfectus ab ipsis potius, quam mortuus diceretur; quod non in apertum Dioscori tantummodo ministrorumque ejus periculum, sed in summum insuper universæ synodi dedecus atque infamiam redundasset.

ex qua tantum sequitur, ut aliquamdiu cædem illam ignoraverit: si tamen hoc sequitur:

337 Itaque non modo nihil de re illa resciri mense Novembri in Occidente potuit; sed ne Constantinopoli quidem vulgatum quidquam fuisse eo mense, saltem nondum adulto, apparet utcumque ex epistola Leonis XXXII ad Martinum et Faustum, quando illi nihil de illa cæde in suis ad Pontificem litteris videntur meminisse. Hinc latrones Ephesini certam parricidii sacrilegi invidiam a sese E apud plurimos amoliti sunt. Hinc etiam postea dubium evasit, an *superveniente*, an *ingesta morte defunctus sit*, ut habet Breviculus citatus. Hinc Marcellinus Comes solum Flaviani exilium notarit in Chronico; cum de morte nihil certi haberet. Hinc in ipsa Menæa ac Menologia a Garnerio citata num. 13 ea opinio irrepserit, quæ aliquamdiu illum in exilio vixisse innueret. Hinc eam ipse Theodosius ignorare aliquamdiu potuit; aut vero etiam, si non ignorabat cum ad Valentinianum, Placidiam, Eudoxiam rescriberet, dissimulare; ne quid sinistræ in illam synodum, quam uti suam passim ibi defendit, suspicionis moveret: adi litteras modo citatas, apud Labb. tom. IV Concil. et assignatas in indice, qui tomo præfigitur.

et propter diuturnum S. Leonis de illa morte silentium.

338 Itaque, cum nec certum sit, sed valde ambiguum, epistolæ Placidiæ, aliarumque quas dixi, tempus; et causæ esse multæ potuerint, cur de Flaviani morte nihil Theodosius rescribendum putaret; non potest aut hujus silentium, aut illius ignoratio adversus F apertam tot auctorum, quot supra dedimus, sententiam valere. Quod addit Garnerius num. 12: *Denique si ante Februarium* (anni CDL) *mors Flaviani accidisset, quid esset causæ, cur S. Leo ne verbum quidem ea de re fecerit, aut certe de Anatolio non scripserit Theodosio, Pulcheriæ, aliisque ante Julium mensem?* Quæro ego vicissim: Si nesciebat jam mortuum S. Flavianum S. Leo; cur post Idus Octobres anni CDXLIX nullam ejus, tamquam superstitis, mentionem usquam facit? Cur non in epistola saltem XXXI ad Pulcheriam aug., scripta die XVII Martii anni CDL; aliaque eodem die data ad Martinum et Faustum presbyteros, quæ est XXXII? Itane immemorem fuisse sanctissimum Leonem aut caritatis, aut datæ Flaviano fidei, qua opem ei tam prompte spoponderat in epistola XXVII, data III Idus Octobris anno CDXLIX; ut, nisi tertio post die, ejus numquam amplius verbo saltem uno meminerit? Fecit hoc, inquis, per Valentinianum, Gallam Placidiam, Licinam Eudoxiam. Primum quo tempore? in obscuro est.

339 Putat tamen cum Baronio Garnerius, factum

SÆCULUM V

Quod nobis potius favet :

factum id esse post XVIII Novembris CDXLIV; quibus ego multo potius, quam vel Pagio vel Tillemontio, vigesimam secundam Februarii anni sequentis præferentibus, assentior; tum quia id cum dictis modo ac dicendis apte congruit; tum quia nihil admodum grave est in contrarium; tum denique (nam mihi singula persequi fuse non licet) quia incredibile aliter videtur, Leonem tam cito in Flaviani causa elanguisse; ut, cum pro ea a die XIII usque ad XV Octobris tot epistolis tam fervide egerit, remisso statim impetu, otiose pateretur gloriosissimum exulem et clientem suum inter barbaras hostium suorum atque ecclesiæ manus misere contabescere, ne epistola quidem una consolans, aut commendans, aut salutari per amicos jubens, aut de eo saltem aliquid interrogans, donec quarto demum post mense Augustos interpellaret, quorum opem, licet Romæ non essent, facile tamen erat, diebus singulis sive per sese, sive per internuncios et epistolas, implorare. Hoc argumento mihi equidem plane persuadeo, saltem a mense
B circiter Decembri CDXLIX innotuisse Leoni S. Flaviani mortem; idque per ipsas forte litteras Anatolii et qui eum ordinarant. Jam quod de Anatolii communione ad S. Leonem non ante mensem Julium scripserit Theodosius; id primum quæro, unde constet factum non esse : nam contrarium potius innuitur a Leone epist. XXXIII. Si tamen ita est, respondeo, id ante Theodosium non præstitisse; quia id pro se ipse, ut supra diximus, Anatolius per se amicosque suos antea, licet frustra, tentaverat; nec prius ad imperatoris opem confugit, quam cum jam impetrare per se suosque a Leone aliquid responsi desperaret.

Et propter Menæa et Menologia quæ hic plurimum discrepant.

340 Quod affertur num. 13 ex Menæis ac duobus Menologiis, memoriam Flaviani mense Februario, licet non eodem die, consignantibus, id omnium infirmissimum est : quandoquidem non solius mortis dies istic notari soleant, sed vel translationis, vel inventionis, vel alius quicumque, non numquam pro arbitratu ad Sancti cujusdam cultum electus. Quod in Flaviano elucet maxime; quando nec dies ei
C ubique idem assignatur, nec mensis : Menæa enim observant diem XVI Februarii, uti et Vitæ Sanctorum Maximi Cytheræi; in Menologio vero Sirleti, edito a Canisio, colitur die ejusdem mensis XVIII; quo die nunc etiam notatur in Martyrologio Romano; cum tamen pridem ante mortuum Card. Baronius Flavianum judicaret. At in Florario Ms. proponitur XII Decembris; in duobus autem pervetustis Usuardi exemplaribus Parisinis, ut est in Actis Sanctorum, ubi de S. Flaviano, § VII, num. 32; uti et in Vaticano, notatur ejus memoria XXIV Novembris. Vide Usuardum nostrum ibi. Eodem die colitur Recineti et Juliæ Novæ; vide Acta Sanctorum loco citato et num. 33, ibid; ubi ratio datur, cur a Græcis colatur XVIII Februarii, quamvis triduo post depositionem mortuus asseratur; nimirum quia eo *die sacrum ejus corpus Cpolim honorifice translatum est.* Denique in Synaxario Sirmondi annuntiatur XII Novembris. Quid plura? Satis hinc patet, nihil inde ad statuendum de Flaviani morte argumenti peti posse.

Anatolius ordinatus fuit A. C. 449.

341 Non est igitur, quod a Majorum nostrorum sententia, num. 334 proposita, recedatur : licet diffitendum non sit, uti dixi a num. 336, obitum S. Flaviani etiam Cpoli occultum aliquamdiu, atque adeo ad mensem usque Novembrem, etiam, si ita volueris, fere dimidium, fuisse. Tum vero is simul propalari cœpit, simul de substituendo ei successore a Theodosio sine mora agitatum est; ut eruitur ex indicata jam sæpius Anatolii ad S. Leonem Papam epistola apud Cotelerium. Qui proinde consecrari eodem adhuc mense potuit : certe ordinatum eum esse *Consulatu Protogenis et Asterii*, testis est auctor, qui claruit anno Christi circiter DXVIII, Theodorus Lector, dignum quem in hac re Patres in synodo septima Œcumenica, seu Nicæna II, appellarent Actione prima; ut habes tom. VII Concil Labbei, col. 85. Quod sententiæ nostræ de cæde S. Flaviani non leve pondus addit; siquidem ea, ut num. 333 ostensum est, Anatolii consecrationem antecessit.

E

Et ab illo Maximus vel eodem adhuc anno, vel initio sequentis.

342 Atque hinc porro consequens est, ut eodem anno Christi CDXLIX exeunte, aut certe CDL non diu inchoato juxta num. 332, Antiochenæ ecclesiæ præsul creatus ab Anatolio sit Maximus; ubicumque demum id factum sit, sive Constantinopoli, sive Antiochiæ : nam licet extra suam ecclesiam consecratum esse Leo nusquam dicat; tamen non continuo inde consequitur, ut in eo peccatum non sit : multa enim prudentissimus Pontifex, tam in ordinatione Maximi, quam Anatolii, *amore reparandæ fidei et pacis studio,* dissimulavit; ut ipsemet fatetur epistola LIV ad Marcianum aug. Itaque et in communionem eum suam recepit, et episcopum Antiochenum agnovit, ut est in concilio Chalcedonensi tom. IV Concil. col. 673. Quod Leonis de Maximi successione judicium apud Patres Chalcedonenses tantum valuit; ut eam ipsi ibidem propterea ratam habeant, *Quoniam et sanctissimus Leo Romanus Archiepiscopus in communionem eum* (Maximum) *recipiens, præesse eum Antiochensium judicavit ecclesiæ.* Cave tamen, lector, cum locum illum, unde hæc desumpsi, totum inspexeris, ne consecratum fuisse in ipsa synodo latrocinali Maximum existimes;
F quia istic ejus episcopatus ab illa synodo dependere dicitur : neque enim ideo ab illa dependebat, quod in ea collatus esset episcopatus Maximo; sed quod in ea depositus Domnus esset : quæ depositio quamdiu a catholicis deinde approbata non erat, irrita prorsus erat; nullusque proinde, qui ab illa dependebat, Maximi episcopatus, quocumque demum tempore aut loco collatus. Vide supra num. 329, et 333. Atque hæc quidem de Maximi initio. Nunc quæ ad finem pertinent, exequamur.

Obitum sive depositionem Maximi passim male notatam.

343 Zonaras lib. XII, num. 34, S. Theophanes pag. 87, S. Nicephorus patriarcha in Chronico; Eutychius tom. II, pag. 91, hoc est, omnes, a quibus enumerari sciam patriarcharum Antiochenorum seriem ac tempora, in id unum conveniunt, ut Maximum annos quatuor sedisse asserant; qui solidi ab initio circiter anni Christi CDL, aut fine præcedentis, repetiti (unde repetit etiam Theophanes) adjectis aliquot insuper mensibus, in annum Christi CDLIII exeuntem, aut CDLIV,

inchoatum,

A inchoatum, excurrunt. At hoc pacto satis commode cum antiquioribus monumentis conciliari auctores citati nequeunt : nam iidem Basilio, qui secutus est Maximum, annos tantum duos tribuunt : Basilium autem pertigisse dicemus infra usque annum CDLVIII; Maximum vero sediisse diutius, quam ipsi statuant, ostendam jam mox.

Baronius refert ad initium A. C. 456; sed non solide id probat;

344 Cardinalis Baronius ad annum Christi CDLVI, num. 30 ex ruina Antiochena, quam Nicephorus CP. ad Acacii tempora refert, dicendum esse colligit, anni CDLVI exordio Maximum esse ex hac vita subductum. Nimirum communiorem hic sequitur chronologorum sententiam, qua Basilio, Maximi successori, anni tantum duo tribuuntur; et qua terræ motus, quo subversa est Antiochia, accidisse statuitur anno Christi CDLVIII, die XIV Septembris, quando jam juxta S. Nicephorum successisse Basilio debebat Acacius. His positis, sequitur, fateor, Maximum obiisse aut exutum esse patriarchatu anno Christi CDLVI ante Septembrem : at non sequitur, id factum esse ejusdem anni B exordio. Deinde cum illorum opinio, qui ruinam illam Antiochenam contigisse volunt anno Christi CDLVIII, potius quam anno præcedente, sit admodum dubia (uti videre est apud Norisium de Epochis Syromacedonum, diss. III, cap. VI, et Pagium in Criticis ad annum CDLVIII, num. 6 et 7,) non videtur ex ea satis solidum, peti posse rationis hujus chronographicæ fundamentum.

sicut neque Pagius, eam referens ad ejusdem anni finem,

345 Quam ob rem Pagius in Criticis ad illum locum, recte quidem consignatam ibi Maximi mortem, dicit anno Christi CDLVI; attamen eam ipse aliunde decernit, non ad anni istius initium, sed ad exitum potius, aut initium sequentis referendam esse; quod liquet, inquit, ex epistola S. Leonis ad Basilium, ejus (Maximi) successorem, scripta, ex qua ad annum sequentem, num. 5 ex Quesnelli editione, apud quem est 118, hæc verba producit : *Ordinationem quidem dilectionis tuæ secundum ecclesiasticum morem tuo vel fratrum nostrorum provincialium episcoporum debueramus sermone cognoscere. Sed quia non* C *defuerunt causæ, quæ possent hanc diligentiam præpedire, et sanctæ memoriæ Marcianus princeps fuit scriptis consecrationem tuam nobis cognitam fecit* etc. Tum subdit Pagius : *Quare Maximus, Basilii decessor anno superiori* (CDLVI) *jam affecto, vel currentis forsitan initio mortuus est; cum S. Leo die* XXIII *mensis Augusti* (anni CDLVII) *queratur, Basilii, ejus successoris, ordinatum sibi ab episcopis comprovincialibus significatam nondum fuisse. Quod si anni præcedentis* (CDLVI) *initio Basilius consecratus fuisset, et Leo tantam moram non objecisset.*

sed ratiocinio satis paradoxo.

346 Cur non objecisset eam tum, quæso? Imo vero multo magis objecisset, mea quidem sententia; quia quanto mora erat longior, tanto excusari poterat minus. Certe ex hac S. Leonis epistola aliud non liquet, quam Basilii ordinationem, imperante Marciano, esse factum; at quo ejus tempore, exinde non liquet : nam quamdiu nullas Basilio ejusve ordinatoribus litteras S. Pontifex acceperat, merito nullas etiam ad illum dabat. Verum quandocumque scribendi postea sese offerret necessitas (qualis tum sese obtulerat, cum epistolam hanc Leo exaravit) etiam post annos duos aut plures, si pluribus is episcopus fuisset, optimo jure castigare Basilium S. Leo poterat ac debebat, quod aliquando suo muneri defuisset. Itaque hæc epistola magis vagum Basilio episcopatus initium, finemque Maximo relinquit; quam argumentum Baronii, cui crisim hanc suam Pagius opponit.

Nos ex S. Leonis magni epistola ad Julianum,

347 Aliquanto rem hanc pressius, opinor, definire poterat epistola ejusdem sancti Pontificis ad Julianum Coënsem episcopum, quam auctor idem damnatus edidit ex Ms. codice Cardin. Grimani, estque apud ipsum 113, in qua sic habetur cap. II : *De Antiocheni autem episcopi* (Maximi) *statu multo animi dolore contristor, si (quod absit) vera adversus eum ab accusatoribus proferuntur. Sed propter sacerdotalem diligentiam, quam curam utilitatis habiturum esse non ambigo, maxima mihi de justitia et benevolentia glorisissimi principis* (Marciani) *fiducia datur, qua certus sum, in quantum potest fieri, providendum, ne in ullam partem possit valere fallacia. Sed ad quem finem hæc causa pervenerit, cum opportunum fuerit, dignaberis indicare. Datum quinto Idus Martii, Valentiniano* E *Augusto octies consule,* id est, die XI Martii anno Christi CDLV.

cum figimus sub exitum A. C. 455,

348 Ex hoc textu colligitur 1°, episcopum Antiochenum fuisse Maximum ineunte anno Christi CDLV, nec defunctum esse illa dignitate anno CDLIV, ut putat fieri potuisse Tillemontius in S. Leone, art. 154; alioqui rescire id potuisset S. Leo ante XI Martii anni sequentis : saltem ex imperatore Marciano, ad quem spectasse videtur qualecumque crimen, quod Maximo patriarchatum ademit : itaque ejus condemnationem S. Leoni continuo significasset, non minus, imo magis, quam consecrationem Basilii, quæ minus ad se pertinebat. Neque enim hic argumentari licet, sicut in causa ac morte S. Flaviani; cum res et adjuncta sint cœlo toto diversa. Facit etiam contra Tillemontium, quod dixi num. 343. Colligitur 2°, errare Nicephorum aliosque supra citatos, dum Maximo IV tantum annos assignant : annus etenim CDLV Maximi sextus erat. Colligitur 3°, Maximi causam, quæcumque illa fuerit gravem certe ac periculosam (quippe ob quam et Pon- F tifex multo dolore contristatus sit, et quæ ad justitiam ipsius imperatoris ac benevolentiam, et episcoporum sollicitudinem referatur); causam, inquam, illam jam in judicio solenni ab anni CDLV exordio ita ferbuisse; ut eventus ejus expectatio jam tum Leonis animum suspenderet. Colligitur hinc 4°, non esse verisimile, toto illo anno rem illam discussam non fuisse ac judicatam; cum tanti ob illam motus toto Oriente inde ab anni principio extiterint. Neque adeo, cum dejectum fuisse ab episcopatu Maximum dicat S. Nicephorus propter delictum, quærendus annus alius, aut aliud judicium videtur, quam quod anno illo CDLV habitum esse constat : non constat autem habitum esse serius aut citius. Hæc eo redeunt, ut neque cum Tillemontio sentiam, neque cum Pagio; dum hic Maximum patriarchatus cessisse vult exeunte anno CDLVI aut ineunte CDLVII, ille autem id factum innuit ante finem anni CCCCLIV; sed ut ad Baronium in hac re proprius accedam, hoc est, ad inclinatum circiter annum Christi

Christi CCCCLV, aut, ut summum, exorientem CCCCLVI.

et ita redimus ad antiquiores chronologos in Basilio, Maximi successore.

349 Ita, sicuti Nicephorum aliasque jam dictos chronologos desero in annis Maximi, in quibus falli eos ostendi; sic eosdem illos in annis Basilii sequor, in quibus non convincuntur errare; quod nec facere Tillemontius potest, nec satis etiam commode Pagius: et hic quidem; quia, dum Maximum mortuum dicit esse initio anni CCCCLVII circiter, non potest annos integros duos Basilio, et integrum unum cum mensibus quatuor Acacio dare, quin transgrediatur initium anni CCCCLX, incurratque adeo in tempora Martyrii, ut infra patebit: ille vero; qui Basilio, quem anno CCCCLVIII circiter ineunte adhuc superstitem admittit fuisse, annos tres solidos concedit; cum Nicephorus aliique, non concesserint, nisi integros duos. Integros, inquam, duos: nam si inchoati ac mutili tantum illi fuissent, nec plus quam annum unum cum aliquot mensibus complexi; cur non eodem modo de Basilio scripsisset Nicephorus, quo de Acacio scripsit, Basilii successore, qui
B annum in episcopatu secundum aliquot item mensibus inierat? Eum certe non biennio sedisse notat; sed *anno uno, mensibus quatuor.* Hæc animadversio, uti et ea, quæ dixi numero superiore, manifeste contra Pagium pro Baronio faciunt, saltem quatenus hic Basilium negat serius, quam anni CCCCLVI initio, consecratum fuisse: cujus quidem sententiæ nihil admodum solidi, ut vidimus, opponere Critica potuerunt.

Brevis notitia Maximi,

350 Monachum fuisse hunc Maximum, eumdemque diaconum ecclesiæ Antiochenæ, atque Archimandritam, acerrimumque Nestorii adversarium, priusquam in sedem patriarchicam evaderet, putat post Christianum Lupum in Append. ad synod. Chalced Act. X. aliosque Tillemontius, simplici tamen, ut ait tom. XV in S. Leone, art. 79, conjectura. Non abludunt sane ab hac opinione, quæ habentur tom IV Concil. col. 624: *Maximus, reverendissimus episcopus Antiochiæ, dixit: Dudum quidem et a principio reverendissimum episcopum Theodoretum novi catholicum, audiens doctrinas ejus in sanctissima ecclesia;*
C nempe Antiochena, in qua, ut antea dictum est non semel, a principio Theodoretus docuerat: unde ex hoc loco recte colligit Garnerius Diss. III, de fide Theodoreti, cap. II, art. 2, Maximum in ecclesia illa innutritum fuisse.

et gestorum ejus.

351 Ordinationem ejus S. Leo magnus quamquam ab Anatolio *sine ullo exemplo contra instituta canonum* factam esse non ignoraret, tamen *amore reparandæ fidei et pacis studio retractare cessavit*, quemadmodum de se ipse Leo asserit epist. LIV ad Marcianum augustum. Quin et *in communionem eum recipiens, præesse eum Antiochensium judicavit ecclesiæ*, uti dicitur in concilio Chalcedonensi Act. 10, col. 673. *Quam formam*, inquit ibidem Anatolius episcopus Cpolitanus, *sequens et ipse approbavi et præsens omne concilium.* Maximo inscripta item est epistola S. Leonis LXII, in qua eum *Fratrem* appellat *charissimum*. In Chalcedonensi orthodoxiam S. Flaviani professus est, col. 178. Ecclesiasticæ sententiæ suo ibidem suffragio Dioscorum addixit, col. 426. Ibi etiam cum legatis Apostolis pro innocentia ac restitutione Ibæ sententiam tulit, col. 677. Tantumdem pro Theodoreto præstitit, col. 624 modo citata. In eodem concilio inter illum et Juvenalem, episcopum Hierosolymitanum, ita convenit; ut sedes Antiochena duas haberet Phœnicias et Arabiam; sedes autem Hierosolymorum tres Palæstinas, quod et ceteris Patribus placuit, a col. 613. Qui de eo plura desiderat, consulat eos, quos citat Tillemontius passim tom. XV. Ceterum quod S. Nicephorus episcopatum ejus depositione, reliqui morte finiant, indicio esse potest, hanc ab illa modico intervallo fuisse disjunctam.

XLI. BASILIUS.

Sedit Basilius ab initio circiter A. C. 456 usque ad initium fere anni 458;

Ex numero præsertim 347 et seqq. satis liquet, BASILIUM patriarcham Antiochensem esse consecratum versus anni Christi CCCCLVI principium. Cum vero sederit annis duobus, juxta auctores citatos num 343, iisque integris, juxta num. 349; pertingere debuit usque ad ineuntem circiter annum E
Christi CCCCLVIII. Hoc idem colligitur, non ex litteris Leonis imperatoris ad eum scriptis et a Baronio ad illum annnum num. 18 et seq. recitatis, ut ait Pagius ad eumdem annum, num. 5; neque enim aut litteras Leonis imp. ad Basilium istic recitatis invenio a Baronio (cum sint S. Simeonis Stylitæ ad Basilium), neque si recitarentur, id confici, quod putat Pagius, ex iis posset; cum scriptæ litteræ illæ circulares imperatoris ad Basilium omnesque metropolitas fuerint anno CCCCLVII circa extremum Octobrem, uti eruitur ex responsione S. Leonis Papæ ad Augustum *data Kalendis Decembris Constantio et Rufo viri Clarissimis Consulibus*, id est, die prima Decembris anni Christi CCCLVII, apud Labb. tom. IV Concil. col. 902 et 904.

ut colligitur ex responsoriis ejus ad Leonem Aug.

353 Colligitur, inquam, hoc idem, ex responsoriis Basilii et provincialum ejus episcoporum ad Leonis augusti encyclicas, quas habes apud Labbeum ibidem col. 913, itemque ex epistola S. Symeonis Stylitæ ad Basilium scripta, in qua se dicit jam circularibus imperatoris litteris respondisse, Euagrii F
lib. II, cap. X: neque enim verisimile est, aut multo citius aut multo serius responsum esse imperatori a Basilio, aut S. Symeone, quam vel a S. Leone magno, qui rescripsit exeunte, ut vidimus, anno CCCCLVII; vel ab Agapito, episcopo Rhodiorum, qui sæviente eadem hieme responsum suum deproperare coactus est, ut ipsemet indicat ibidem col. 941; vel a Luca, episcopo Dirrhacheno, cum suis per novam Epirum antistitibus, qui gratias agunt Augusto, quod eorum parcens infirmitati ac laboribus *maximam propter hiemis vehementiam* satis habuisset eos intra propriam regionem conferre consilia ac de præsentibus rebus, quas nempe litteræ circulares proponebant, sententiam suam proferre, ibid. col. 974. Erat ergo maxima hiemis vehementia, cum de responsione in conventu provinciali ab illis episcopis ageretur, hoc est, aut finis anni CCCCLVII, aut initium CCCCLVIII, nam satic probabile est, non fuisse ab omnibus ante hujus anni exordium Leoni

A ni rescriptum ; unde et Marcellinus in Chronico in hunc annum tam litteras imperatorias, quam episcoporum responsa congessit.

At vero sedit ulterius

354 Huc usque igitur superstitem fuisse Basilium, extra dubium esse debet ; at nequaquam ulterius ; cum annis non amplius duobus episcopum egesserit. Nec obest, quod S. Baradatus monachus Leonis encyclicis responderit *septima et vigesima die Augusti mensis, anno secundo imperii* ejus, Christi vero CDLVIII ; unde suspicari quis possit, non sub idem hiemis præteritæ tempus responsa a ceteris esse data, sed a quibusdam multo serius : nam idem ipse Baradatus col. 979, diserte affirmat, se dudum post alios rescribere : *Et* DUDUM *quidem sancti et venerabiles archiepiscopi*, inquit, *vestræ Tranquillitati veram fidem scripserunt, et de Chalcedonensi concilio.* Et quamquam hic Baradatus epistolam de eadem materia dedisse legatur ad Basilium nostrum, ut est apud Photium in Bibliotheca, cod. 229 omnino in fine ; ibi tamen nec eadem fuisse epistola dicitur, nec tempus indicatur, quo data sit, et locus perobscurus est et mendo- B sus ; ut nihil morari nos debeat, quo minus recensitos supra chronologos sequamur.

Eloquia Basilii.

355 Basilium apparet fuisse antistitem prorsus egregium ; quandoquidem et Symeoni Stylitæ, Jacobo, Baradato Monachis admirabili vitæ austeritate ac sanctimonia toto orbe celeberrimis, in maxima veneratione fuit : et Timotheo Æluro, item ut SS. Anatolius ac Leo magnus omnino execratus ; ut patet ex Chalcedonensi, col. 896. S. Leo magnus (in epistola ad Basilium data XXIII Augusti anni Christi CDLVII, quam ex Ms. codice Cardinalis Grimani Quesnellus edidit numero centesimam decimam octavam) quamquam eum negligentiæ, quam tamen ibidem utcumque ipsemet excusat, arguit, quod ordinationem suam ad se non perscripsisset, subdit tamen : *Nec de tuo possumus merito dubitare, quem novimus.* Quibus verbis præter insignem commendationem, innuitur etiam, eumdem hunc Basilium fuisse, qui anno Christi CDLII diaconus cum Luciano episcopo ex Oriente missus fuit ad S. Leonem, tum ad lit- C teras Marciani imp. et Anatolii patriarchæ Cpolitani ei deferendas, tum ad Anatolii negotia apud illum promovenda, ut colligitur ex epistolis ejusdem sancti Pontificis 53 ad Anatolium et 54 ad Marcianum Augustum : qua occasione et illum novit S. Leo, et filium suum appellat, et de studio ac sedulitate in re gerenda commendat. Ut mirum videri non possit, si patriarchatum is postea obtinuerit, cui etiamnum diacono res tam graves commissæ fuerint.

XLII. ACACIUS.

Sedit ab A. C. 458 ineunte usque ad 459 fere medium.

Acacii ut brevem, sic obscurum fuisse episcopatum necesse est ; siquidem solus eum, quod quidem scire potuerim, agnoscit S. Nicephorus patriarcha, sic illum in suo Catalogo Basilio subjungens : XLIII *Acacius, cujus tempore civitas corruit, anno 1, mensibus 4.* Quod tempus si a Basilii morte, quæ in annum Christi CDLVIII non nulla parte inchoatum incurrere debuit, repetatur, versus medium annum Christi CDLIX effluxerit. In illum etiam obitum ejus Baronius aliique conjiciunt. Victor Tununensis in Chronico sic habet : *Hermia* (Herminerico) *et Basilisco Coss.* (id est, anno Christi CDLXV) *Antiochenæ ecclesiæ episcopatum post Maximum cœpit Alexander.* Deinde : *Leone VI et Probino Coss., Antiochenæ ecclesiæ post Alexandrum Martyrius, et post Martyrium Julianus ordinatur episcopus.* In quem locum Norisius de Epochis Syro-Macedonum Diss. III, cap. VI, *Quem Nicephorus*, inquit, *Acacium, Victor Alexandrum vocat ;* sive binominis fuerit Acacius ; seu potius in nomine Victor erraverit ; uti errare certum est tum in prætermittendo Basilio, tum in annis Acacii ac Martyrii, ut ex dictis ac dicendis constabit, tum in connectendo consulatu Leonis Augusti sexto, pro quarto cum consulatu Probini, seu potius Probiani, qui consulatus inciderunt in annum Christi CDLXXI; tum in aliis, quæ nimis inepte collocat, quam ut refutari mereatur. Illud enimvero insigne, quod litteras Leonis imp. circulares, de quibus supra, scriptas asserit post consulatum Pusæi et Joannis, hoc est, E anno Christi CDLXVIII, toto scilicet decennio et amplius extra demonstrata superius tempora divagatus.

SÆCULUM V.

XLIII. MARTYRIUS.

Sedisse Martyrium putamus, rejecta aliorum chronographia.

Martyrium omnes hic locant, etiam qui Acacium aut Basilium, aut utrumque prætereunt ; sed non eodem omnes tempore aut initium ejus aut finem durationemve in episcopatus administratione circumscribunt : nam Victor Tununensis, ut modo retulimus, sub iisdem consulibus anni CDLXXI Martyrii ac successoris ejus ordinationem reponens, ne unum quidem illi concedit annum ; Eutychius vero tribuit octo tom. II Annalium, pag. 100, et filios quidem ducit ab anno Marciani imp. quinto, qui fuit Christi CDLIV, in quo manifeste hallucinatur, ut collige ex num 352 et seqq. ; Zonoras annos tantum illi novem adnumerat, etiam cum duos ejus decessores, qui plus tribus annis F Antiochenam sedem occuparunt, expungat. Sed nulla harum sententia componi cum historia potest.

ab A. C. 459 usque ad 471;

358 Certum namque est, jam tum episcopum Antiochensem fuisse Martyrium, cum S. Symeon Stylita migraret in cœlum, ut est apud Evagrium lib. I, cap. XIII, item in Actis S. Symeonis a nobis editis ad diem V Januarii, pag. 285, num. 56 et alibi ; ubi etiam vide Commentarium prævium pag. 261, § I, num. 2. Obiit autem S. Symeon anno IV Leonis imp. juxta Theophanem ac Cedrenum, hoc est, anno Christi CDLX, et quidem primo ejusdem anni die, ut fuse docet Tillemontius tom. XV, not. 11 in S. Symeonem Stylitam, pag. 884. Deinde Pontificatum illum tenuisse Martyrium usque ad annum Christi CDLXXI, docent Card. Baronius ad illum annum ; Valesius in Observationibus ecclesiasticis ad Evagrium lib. I, cap. I, Pagius in Criticis Baron. ad annum Christi CDLXXI, num. 6 ; aliique. Quod probari potest.

359 Primo

SÆCULUM V. *quando patriarchatui renuntiavit.*

359 Primo quidem ex ipso Victor Tuenunensi; cum illo ipso anno, sive consulibus supradictis, successisse Martyrio Julianum notat. Deinde ex lege a Leone imp. *data Kalend. Jun. CP. Leone et Probiano Coss.*, id est, anno Christi CDXXI, quæ est 29 in codice Justinianeo lib. I, tit. 3, de episcopis et clericis. Legem illam adversus Petri Fullonis et asseclarum ejus monachorum turbas obtinuisse Martyrium tunc, *cum ad imperatorem venisset* (Cpolim et) *honorifice*, teste Theodoro Lectore hist. eccl. lib. I, *dimissus est; studio atque hortatu Gennadii* episcopi Cpolitani, volunt auctores, quos paulo ante adduximus. Profuit ea tamen parum martyrio, quod Fulloni addictus nimium erat Zeno magister militum, idemque gener imperatoris; quæ res eo Martyrium adegit, ut *reversus Antiochiam, cum Antiochenses turbis ac seditionibus delectari, et Zenonem iis favere animadverteret, episcopatui renuntiaverit coram universa ecclesia, his verbis usus: Clero contumaci et populo immorigero, et ecclesiæ contaminatæ renuncio, servata mihi sacerdotii dignitate.* Ita Theodorus Lector loco
B citato. Postremo idem etiam tradit S. Nicephorus in Chronico: quando Martyrio post Acacium annos XIII assignat: Acacius autem, ut ante ostensum est, desiit anno Christi CDLIX circa medium: inde porro usque ad CDLXXI, duodecim sunt anni completi, tredecim inchoati; quot notat Nicephorus; imo et laterculi Theophanis, licet eorum interpolator annorum illorum initium perperam conjunxerit cum anno sexto imperatoris Marciani, uti ex dictis supra de Basilio manifestum est.

Martyrii laudes:

360 Putavit Eminentiss. Baronius, Martyrium ab Antiochenis deinde revocatum fuisse; neque adeo pulso statim Fulloni suffectum fuisse patriarcham alium; sed hoc infra discutiam, ubi de Juliano egendum erit. Fuit vero Martyrius vir apprime orthodoxus ac pius, atque œcumenici Chalcedonensis concilii strenuus vindex; ut colligitur tum ex auctoribus mox citandis, tum ex Alexandri monachi laudatione in Apostolum Barnabam apud Surium, qui eam ait esse in Symeone Metaphraste, ad diem XI Junii a num. 24.
C Ibi ad Martyrii laudem præcipue faciunt convitia impii Fullonis, quibus hunc Præsulem pro Nestoriano traducit, usitato jam olim ab hæreticis in catholicos insultandi more. Crediderim, illud inde etiam, nescio quo fato, in S. Nicephori Chronologiam aliquot postea seculis irrepsisse; si tamen Martyrius noster est Nestorianus ille, adversus quem epistolam misisse istic Simplicius Papa dicitur.

etiam ab orthodoxis.

361 Gennadius certe tamquam episcopum cum Ecclesia sentientem apud Leonem imp. defendit; catholicus episcopus appellatur quoque in Breviculo hist. Eutych. apud Labbeum tom. IV Concil. col. 1082; tantumque ejus cum vitæ tum doctrinæ integritas ac studium defendendi gregis Petro Fulloni, jam diducto rictu prædas inhianti, incommodabat; ut in has tandem ad Zenonem, patronum suum, voces eruperit: *Nisi hujus civitatis episcopus permutetur, fieri non potest, ut populus quiete vivat.* Ita Alexander citatus; cujuscumque is demum auctoritatis haberi debeat, aut ætatis; de qua re vide Acta Sanctorum ad diem III Maii, ubi de inventione S. Crucis, cap. III, a num. 29; aut Pagium in Criticis Baron. D
ad annum Christi CDLXXIV, num. 5; ubi in re historica multum abest ut tanti fiat, quanti eum Baronius aliique faciendum putaverant. Porro quanto apparatu ac solennitate defuncti recens magni Symeonis exuvias receperit Martyrius, quantoque eas in pretio deinde habuerit, Euagrius et ejusdem sancti Stylitæ Acta, de quibus ante memini, luculente testantur.

XLIV. PETRUS CNAPHEUS primo.

Petrus Fullonica Martyrii sede per vim potitus, A.C. 471.

Frustra PETRUS, e monasterio Acœmetorum, in quo κναφέα, seu *fullonum* egerat, ob turbulentam hæreticamque adversus synodum Chalcedonensem in primis pervicaciam ejectus, ac subinde *presbyter ecclesiæ S. Bassæ martyris, quæ est Chalcedone;* frustra, inquam, *hic sedis Antiochenæ cupiditate captus, persuasit Zenoni, ut conatus ipsius adjuvaret;* frustra, *conductis quibusdam ex Apollinaris secta, contra* E
fidem et contra Martyrium episcopum plurimos tumultus excitavit, anathemati subjiciens eos, qui non dicerent Deum crucifixum; eamque ob causam populum dissidere fecit, ut narrat Theodorus Lector loco citato; idque jam ab anno CDLXIII, ut contra Baronium ac Valesium ex Theophane, Cedreno, Theodoro Lectore etc. contendit Pagius in Criticis ad annum Christi CDLXXI, a num. 3; frustra *multum auri vim Zenoni proposuit,* Alexandro monacho teste, *si ab eo impetraret, quod petebat; .... et gravissima quædam scelera, contra patriarcham falso conficta, ad imperatorem detulit.* Nam quamvis id artibus illis suis tandem evicerit, ut Martyrius, concitati ab eo populi contumacia fractus, ultro ad eum, quem supra dedimus, modum episcopatu cederet, ipseque *post abscessum Martyrii in sedem episcopalem tyrannice invaderet*, uti tradunt Theodorus Lector lib. I, Acacius apud Liberatum diaconum in Breviario cap. XVIII, ac Theophanes ad annum divinæ Incarnationis juxta Alexandrinos CDLVI; efficere tamen haud potuit, ut raptæ infulæ indignum raptoris F
verticem diu premerent.

brevi ab illa exilii metu profugit.

363 Vix enim sacrilegam usurpationem ejus Constantinopoli Gennadius inaudiit, cum rem omnem ad imperatorem detulit, qui *continuo damnatum ab episcopis,* ut addit Liberatus Diaconus cap. XVIII, *exilio plectendum pronuntiat,* inquit Theophanes loco citato; *quod cum Petrus audiisset, ipse fuga proprium exilium evitat.* Idem fere habent Theodorus Lector, auctor Breviculi historiæ Eutychianistarum, Nicephorus Callistus lib. XV, cap. XXVIII, et Libellus Synodicus § XCVI, qui ambo postremi addunt, eum in monasterium Acœmetorum seu Pervigilum confugisse. Ita brevissimi temporis tyrannicus hic Primus Petri episcopatus fuit; ac propterea, ut opinor, a S. Nicephoro, Eutychio, ceterisque in catalogis fere neglectus.

XLV.

A

XLV. JULIANUS.

Julianus Petri loco consecratus est A. C. 471.

Ejus autem (Petri Cnapheos) *loco*, subdit ibidem Theodorus Lector, JULIANUS *communi omnium consensu ad episcopatum promotus est;* idemque asserit totidem pene verbis S. Theophanes pag. 98 ac Georgius Cedrenus ad annum Leonis septimum; idque adeo brevi post Martyrii abdicationem, ut Julianum Martyrio successisse scribant Nicephorus patriarcha et Zonaras; imo ipse etiam in laterculis suis Theophanes, seu quisquis alius eos concinnavit; atque adeo eodem anno Christi CCCCLXXI, iisdemque Coss. Leone Augusto IV et Probiano, uti supra ex Victore Tununensi probatum est. Atque hinc patet, quam præpostere Eutychius tom. II, pag. 104, Joannem, quem sex annis ait sedisse, inter Martyrium ac Julianum medium collocaverit. Euagrius Juliani quidem non meminit; sed is patriarcharum seriem in postremis habuit, cum et alios plures omittat,
B et ipsius Martyrii nos nisi obiter meminerit lib. I, cap. XIII, occasione translationis sacri corporis Symeonis Stylitæ; inde etiam profluxerit error Nicephori Callisti, qui primum petri Fullonis exilium sub Leone imperatore cum secundo sub imperio Zenonis confundens, non alium Petro successorem, quam S. Stephanum martyrem assignat lib. XV, cap. XXVIII; cujus narrationis falsitas per decursum elucescet.

Hic aliqua Baronii asserta notantur: quod Julianum excludat; quod neminem Fulloni sufficiat;

365 Mirari vero etiam hic satis non possum Eminentissimum doctissimumque Annalium Patrem, qui cum Acacium ad annum Christi CCCCLIX, num. 18 admittat, ab anno assertum patriarcha Nicephoro; ex albo tamen Antiochensium præsulum excludit Julianum, et ab eodem S. Nicephoro et a tot aliis, ne dicam omnibus, relatum. Tum illud etiam in eo demiror, quod ait ad annum Christi CCCCLXXI, num. 13: *Porro pulso Fullone abdicantis se Martyrio, nullus in ejus locum suffectus est; quod non alium, quam ipsum, orthodoxi sedi illi optarent episcopum.* Id quo au-
C ctore pronunciatum sit, nescio; ceterum ex allatis contrarium liquet.

quod revocatum fuisse statuat Martyrium.

366 Denique nihilo minus ferit, quod ad annum Christi CCCCLXXIV, num. 7 promit ex Alexandri monachi laudatione in Apostolum Barnabam, prout exstat apud Surium ad diem XI Junii, seu tomo III, uti citatur ad annum Christi CCCCLXXI, num. 6: *Sic enim ait*, inquit: *Postquam Leo imperator terrestre imperium dereliquit, et ad immortale illud regnum translatus est, Antiocheni*, URGENTE PETRO FULLONE, MARTYRIO ITERUM (post abdicationem utique) REVOCATO EJUS SEDIS DIGNO EPISCOPO NEGOTIUM FECERUNT: NEC SUB CATHOLICO IMPERATORE SATIS VIRUM HABUERUNT, UT EUM SEDE OMNINO PELLERENT: *Zenoni imperatori supplicationem obtulerunt, petentes Fullonem illum Petrum sibi episcopum creari, id quod factum est.* De Alexandro dixi num. 361. Itaque quamquam hic auctor revocatum fuisse diceret ad sedem relictam Martyrium usque ad imperium Zenonis, nihil admodum ejus unius auctoritas ad elevandam tot scriptorum, quot numero superiore produximus, fidem valeret. Nunc vero quando ne ipse quidem Alexander ea habet in Surio, quæ in citato textu litteris majusculis expressi; quo teste, obsecro, credibile sit, Martyrium ad abdicatum aliquando episcopatum rediisse? Quod vero asserit Alexander, restitutum Fullonem fuisse, dum Zeno auspicaretur imperium, id modo ostendam non esse admittendum. *SÆCULUM V.*

Sedit Julianus usque ad A. C. 476 ineuntem.

367 Ecclesiam enim Antiochenam administravit Julianus vel annis sex, si mutilos utrimque accenseas, ut habent Theophanis laterculi ac Zonaras eodem semper lib. XII, num. 34; vel annis quinque, si ex altera tantum parte mutilentur; quod faciunt Eutychius tom. II, pag. 104; et haud dubie Nicephorus in Chronographia: nam quamvis jam ibi legantur anni *ι*, id est XV, palpabile tamen adeo hoc mendum est juxta omnes historiographos; ut non possit non librariis imputari, quibus nihil est communius, ut sæpe jam vidimus, quam ut jota illud ubi est, pro accentu numerali accipiant, ubi vero non est, ibi accentum, non semper suo loco notatum, accipiant pro jota, ita V in E
XV mutantur, et XV nonnumquam in V. Cum ergo anno Christi CCCCLXXI regendam Antiochensem ecclesiam Julianus acceperit, necesse est, illum usque ad annum CCCCLXXVI (vide infra num. 376) in illo munere ac vita perstitisse; hoc est, usque ad imperium Basilisci, de quo disseram infra a num. 369.

id est, usque ad initium Basilisci imp.

368 Et vero *Basilisci, non Zenonis, temporibus . . . ad Antiochiam remissum fuisse Petrum Fullonem, ut iterum illic episcopatum teneret*, tradit auctor Breviculi Hist. Eutych. tom. IV Concil. col. 1083; Liberatus Diac. in Breviar. apud Labbeum tom. V Concil. cap. XVI, col. 764, iterumque cap. XVIII, col. 769; Theodorus Lector in editione Valesiana pag. 556, ubi sic habet: *Basiliscus Chalcedonensem synodum damnans, eique aperte repugnans cum imperiali diplomate Ælurum Alexandriam dimisit; et Petrum Fullonem Antiochiam;* Theophanes pag. 104, *Porro Basiliscus*, inquit, ... *Petrum Fullonem in Insomnium monasterio* (ad quod confugisse eum supra diximus, cum exilii Oasitani latam a Leone sententiam subodoratus esset) *latitantem sedi restituit.* Tum F
infra: *Ceterum Julianus Antiochiæ præsul, ex gestis rebus dolore concepto, vitam amisit. Petrus autem Fullo thronum invadens, se ad anathemata et tumultus excitandos convertit* etc. Idem eruitur ex epistola Simplicii Papæ ad Acacium in Collect. Romana Holstenii pag. 194 et 195; idem ex ejusdem epistola XIV ad Zenonem imp. apud Labbeum tom. IV Concil. col. 1033; idem denique etiam innuit non obscure Euagrius lib. III, cap. V, maxime si quod ibi dicitur cum capite præcedenti, et cum octavo ejusdem libri conferatur, ex quibus etiam omnibus aperte colligitur, gesta hæc esse sub ipsa Basilisci imperantis principia; id est, ineunte circiter anno Christi CCCCLXXVI. Sunt hæc, opinor, non paulo graviora certioraque, quam quæ numero 366, ex Alexandri sermone prolata sunt. Adi sis Valesium observ. eccl. ad Euagrium lib. I, cap. II, Pagium in Criticis ad annum Christi CCCCLXXIV, num. 5 et, CCCCLXXVI, num. 7, Tillemontium tom. XVI in Acacio CP. art. 10.

PETRUS

SÆCULUM V.

PETRUS CNAPHEUS secundo.

Fullo Sedem Antioch. secundo invasit, sub initium Basilisci.

Juliano successisse Fullonem, idque sub exordium arrepti per tyrannidem a Basilisco imperii, satis jam numero præcedenti probatum dedimus. Verum cum de ipso illa initio Basilisci non nulla disputatio sit, operæ pretium duxi, suo illud hic tempori restituere, ne minus definite loqui videar aut de Juliani fine, aut de invasione secunda Fullonis. Antonius Pagi in eruditis Criticis Baronianis ad annum Christi CCCCLXXVI, num. 5, *Basilisci tyranni initium anno superiori* (CCCCLXXV) *a quibusdam viris doctis cum Victore Tununensi in Chronico perperam consignatum*, affirmat: *Lex enim*, inquit, XXVIII *Cod. Justin.* (lib. V, tit. XII) *de jure dotium (in cujus titulo habetur : Zeno A. Æliano præfecto prætorio) dicitur data Kal. Jan Basilio (legendum Basilisco) et Armatio (legendum Armato) Coss. Quare hujus anni* (CCCCLXXVI) *initio, quo lex ea emissa, Zeno adhuc imperabat;* B neque adeo adhuc Basiliscus in ejus solium involaverat.

quod initium non recte eruitur ex codice Justiniani:

370 Hæc ratio mihi nequaquam sufficit, ut a virorum illorum doctorum sententia dimovear: nam ne multa de titulis ac datarum legum tempore parum sæpe accurate notato disseram; satis erit hic mihi legem legi opposuisse: est ea XVI in eodem codice Justinianeo lib. I, tit. 2 *de sacrosanctis Ecclesiis* a Zenone inscripta Sebastiano itidem præfecto prætorio *ac data* scribitur XVI *Kalend. Jan. Armatio V. C. Coss.* hoc est, die XVII Decembris ejusdem anni CCCCLXXVI, qua rescinduntur ea, quæ tempore tyrannidis a Basilisco fuerant innovata. Non possunt profecto utriusque hujus legis tempora conciliari, nisi dixeris intra eumdem annum Basilisci tyrannidem exortam atque extinctam fuisse quod neque Pagius admittit, et omnibus adversatur historiæ temporumque monumentis. Utrius ergo legis inscriptione aut tempore standum erit? Neutrius, opinor; quando et altera certissime fallit et eadem C est utriusque auctoritas. Missis itaque legibus, aliunde accersenda sunt Basilisci primordia.

sed aliunde multo solidius probatur.

371 Ac primo quidem qui Basilisci initium revocant ad annum Christi CCCCLXXV, pro se habent, fatente Pagio, victorem Tununensem in Chronico; habent Marcellinum Comitem item in Chronico; habent S. Theophanem, qui illud in sua Chronographia reponit sub anno divinæ Incarnationis secundum calculum Alexandrinum CCCCLXVII, cui si anni VIII adjiciantur (totidem enim hic æra vulgaris Alexandrinam antevertit) redibitur ad annum Christi CCCCLXXV, saltem usque ad mensem Septembrem; et quamquam ex Victore id contigisse videatur sub hiemem; nequaquam tamen illud Theophanes ad annum æræ nostræ CCCCLXXIV referre potuit, ut patet ex tempore, quo Zenonem cum Leone filio suo, ac deinde, illo mortuo, solum imperasse significat. Ad hæc epistolæ quædam Simplici Papæ non annum tantummodo eumdem, sed etiam anni tempus utcumque indicant. Earum prima inscripta est, non *Zenoni augusto*, ut habent edita typis; sed *Basilisco augusto*, ut est in codice Virdunensi, teste Labbeo tom. IV Concil. col. 1070, D et sic legi oportere contendit Pagius in Criticis ad annum Christi CCCCLXXVI, num. 13 et 14; et fusius Tillemontius tom. XVI, not. 2 super Acacium CP. *Data* autem est epistola illa *quarto Idus Januarias, Basilisco Augusto Consule*: sic enim legitur. Neque quidquam hic est corrigendum: non consulatus, ut probat Pagius; non ipse mensis Januarius, ut ostendit Tillemontius, locis citatis.

illud incidisse in annum adultum Christi 475

372 In ea porro epistola significat Basilisco Simplicius, jam tum Romæ delatum ad suam notitiam esse per scripta ferventium pro fide catholica monachorum, *Timotheum parricidam* (Ælurum) . . . *Alexandrinæ urbis ecclesiam... depulsione legitimi pervasisse pontificis... Nec eo tamen fine contentus*, inquit Simplicius, *Constantinopolim insuper urbem... fertur audacter ingressus* etc. Hæc facta esse, non sub Zenone, sed sub Basilisco imp. contendit contra Baronium ipse Pagius ad annum citatum, num. 10, et affirmant auctores, quos dedi num. 368; atque adeo ipse Pontifex Simplicius in epistola ad Acacium, edita a V. C. Luca Holstenio in Collectione Romana parte I, pag. 194, his verbis: *Sub occasione tyrannicæ dominationis* (Basilisci scilicet) *et per absentiam christianissimi principis* (nempe Zenonis) *latro et recidivus invasor Alexandrinæ ecclesiæ* etc. Cum igitur invasio illa Æluri, et iter ejus Constantinopolim, notabile tempus exegerint, quocumque demum exponantur modo (vide Tillemontium loco citato); nec pauci item dies requirantur, ut hæc jam facta Constantinopoli Romam possint esse perscripta Simplicio; nota tamen ipsi fuerint ante diem X Januarii CCCCLXXVI; quis non videat, ea contingere debuisse anno præcedenti nondum elapso; adeoque Basiliscum aliquanto etiam ante tyrannicum imperium sibi vindicasse, saltem mense Novembri anni CCCCLXXV, ut ex Codino asserit Tillemontius tum in nota jam dicta, tum in Acacio CP. art. 4?

non vero in A. C. 476.

373 Idem argumentum firmari potest ex epistola V Simplicii Papæ ad Acacium ibid. col. 1073, et 7 ad Presbyteros et Archimandritas CPolitanos col. 1075, ex qua ultima patet, Epiphanium illum, per quem eorum litteras, de quibus ad Basiliscum meminit, acceperat, serius Romam advenisse, quam ipsi qui scripserant, voluissent: ex quo consequens fit, jam satis diu ea, quæ diximus, Alexandriæ et Cpoli fuisse gesta, antequam ea Romæ summus Pontifex rescierit. Ceterum si mense Novembri tyrannidem arripuisse Basiliscum cum Codino dixerimus, facile intelligitur Zenonem fugientem in Isauriam *Ariadne augusta sub hiemis discrimine, navali itinere* fuisse *subsecuta*, ut ad illum annum CCCCLXXV notat Victor Tununensis.

ut statuit Pagius.

374 Sic etiam optime congruunt annus unus et menses octo, quos Basilisci tyrannidi tribuit Procopius Cæsariensis de Bello Vandalico lib. I, cap. VII, cum epistola VIII, qua Zenoni recuperatum imperium idem Simplicius Papa gratulatur, *data octavo Idus* (alii *septimo*) *Octobris post Consulatum Basilisci et Armati*, id est, anno Christi CCCCLXXVII, ut habetur eodem tom. IV Concil. col. 1079 (sic enim, vitiose licet, columna notatur). Nam viginti menses Novembrem anni CCCCLXXV consecuti, sub mensem Augustum desinunt anni

anni CCCCLXXVII, quo ad solium redierit Zeno; inde porro usque ad initium Octobris spatii satis est, ut ejus reditum et certis nuntiis Romæ Simplicius intelligeret, et litteris gratulatoriis imperatori faustum apprecaretur. At si initium Basilisci, cum Pagio ad annum Christi CCCCLXXVI, num. 5, statuas circa finem Januarii aut ab ineunte Februario ejusdem anni Christi CCCCLXXVI, menses illi XX excurrent ad finem usque Septembris anni sequentis; neque proinde scribere ad Zenonem Pontifex potuerit die octava Octobris ejusdem anni; cum dies octo aut pauciores nequaquam sufficiant, ut res in Oriente gesta Romam certis indiciis deferatur. Sed de his jam satis. Redeo ad Petrum Fullonem.

Hæc tamen secundi Fullonis invasio

375 Quamquam ex iis, quæ allata sunt hactenus, dubium esse non possit, quin sedem Alexandrinam Timotheus Ælurus iterato invaserit anno Christi CCCCLXXV, ut notat Victor Tununensis; omnino tamen certum videtur, non ante ineuntem annum CCCCLXXVI in Antiochenam secundo sese intrusisse Fullonem. Etenim cum prius ex epistolis Simplicii constet, elapsum exilio Ælurum Alexandrinam ecclesiam, Basilisco rerum potiente, pervasisse, quam Constantinopolim adiret, eo appulisse vix potuit ante Decembrem anni CCCCLXXV: ibi autem non exigui temporis negotium fuit; conferenda cum tyranno ad firmandam Eutychianam hæresim consilia; cogendum episcoporum aliorumque in Chalcedonensem synodum conjuratorum consiliabulum, ut est in Actis S. Euthymii magni ad diem XX Januarii, cap. XX; adornandæ, Æluro imprimis auctore, Basilisci encyclicæ, ut habet Evagrius lib. III, cap. IV, ubi etiam litteras illas recitat, subditque cap. seq. a quingentis circiter episcopis fuisse subscriptas; atque ibidem notat ex Zacharia Rhetore, Petrum quoque Fullonem, *qui, dum hæc gererentur, una cum Timotheo erat Constantinopoli*, his litteris consensisse.

pertinet ad initium A. C. 476; licet quidam repetant a fine præcedentis:

376 Ac tum demum *a Timotheo illo* (Æluro) *damnato.... ad Antiochiam* Fullo *remissus fuit, ut iterum illic episcopatum teneret*, quemadmodum ex Breviculo et Liberato, seu potius Acacio dictum est. Illuc vero non multo ante Februarium anni CCCCLXXVI pervenisse, satis, credo, ex hisce rerum adjunctis liquet: quo tempore Julianus, dolore ex tanta rei catholicæ calamitate confectus, vacuam invasori sedem simul cum vita reliquit, uti ex Theophane supra retulimus. Cum tamen omnino certum videri debeat, decretam ab imperatore, id agente Æluro cum suis, restitutionem Petri fuisse, cum adhuc Constantinopoli versaretur, atque adeo ante elapsum annum Christi CCCCLXXV, et ante obitum Juliani, atque ipsam invasionem Petri Antiochiæ factam; non mirum, si ab anno CCCCLXXV supputari a quibusdam ejus tempora cœperint.

Tenuitque usque ad A. C. 477:

377 Sic ab anno illo Christi CCCCLXXV, episcopatum hunc secundum Fullonis metiri cœperunt Nicephorus patriarcha, Theophanes in expansis laterculis, et Zonaras; cum tres illi annos, utrimque videlicet incompletos, adscribant: nisi malis credere, aut errasse Nicephorum et qui eum secuti sunt, aut aliter annos Æluri, aliter Fullonis computasse: nam huic tres, illi tantum duos assignant; cum ex dictis manifestum sit, prius Ælurum obtinuisse ecclesiam Alexandrinam, eamque posterius, ut mox ostendam, tenuisse, quam Petrum Cnaphea Antiochenam. At exemplar Eutychii, quod duos tantum hic annos numerat tom. II, pag. 111, ab ipsa usurpati throni possessione ordiri potuit, annosque ita una solum parte mancos colligere. Ut ut est; id quidem ego exploratum abunde puto, tyrannicum hunc patriarchatum ultra annum Christi CCCCLXXVII protendi haudquaquam posse; quod quia Pagio aliter visum est in Criticis ad annum Christi CCCCLXXVII, num. 11, sic ostendo:

nam ante expulsus est Fullo, quam defunctus Ælurus;

378 Petrus ab Antiochena sede ante dejectus est, quam Alexandriæ mortuus sit Ælurus: hoc enim aperte testatur Evagrius lib. III, cap. VIII, X et XI; Theophanes pag. 107; et omnium instar S. Papa Simplicius in epistola ad Acacium, ab Holstenio vulgata, quam etiam habes in Labbeo tom. IV Concil. col. 1039: in ea etenim summus ille Pontifex nondum quidquam de Æluri morte cognoverat; quandoquidem Acacium et ceteros qui ad rem catholicam erigendam Constantinopolim confluxerant, instare apud imperatorem jubet, *ut Timotheus* (Ælurus) *cum sequacibus suis ad irremeabile dirigatur exilium;* cum tamen ibidem non modo significet innotuisse jam tum sibi, depulsum esse ab ecclesiæ Antiochensis administratione Petrum; sed etiam Joannem Apamenum, quem, Petro ejecto, eamdem ecclesiam pervasisse scribit, *sub anathemate a Christianorum consortio, vel ipsa appellatione removeat.* Quid, amabo, afferri luculentius potest, ut depositum Fullonem probemus esse, non solum ante mortem, qua Timotheus ille dejectionem suam antevertit; verum etiam antequam de illo expellendo quidquam Constantinopoli a Zenone decretum esset? Si ergo Ælurum constiterit anno Christi CCCCLXXVII non supervixisse, de Fullone profecto multo id erit certius: hoc igitur agamus.

Ælurus autem non vixit ultra A. C. 477;

379 Fatentem in primis hic ipsum Pagium habemus in Criticis ad annum Christi CCCCLXXVII, num. 10; nec fatentem dumtaxat, sed etiam adducto Theophanis testimonio id comprobantem, et illo quidem testimonio, quo, si verum est, mors Æluri statuitur accidisse anno Incarnationis divinæ secundum Alexandrinos CCCCLXIX, hoc est, æræ nostræ CCCCLXXVII, ante initium Septembris: hoc ego tamen eatenus admittere non ausim, ob epistolam S. Simplicii mox adducendam. Addit etiam Pagius, idem confici ex duobus annis, quos Æluro Theophanes concedit in laterculis, imo et Nicephorus patriarcha in Chron., et Eutychius tom. II, pag. 107; biennium autem ab anno CCCCLXXV in finem vergente ductum non potest ultra annum CCCCLXXVII excedere. Victor item Tununensis mortem, seu necem potius Æluri (siquidem hausto veneno interiit) refert *post Consulatum Armati*, adeoque anno etiam CCCCLXXVII. Pondus hisce omnibus gravissimum accedit ex epistola IX S. Simplicii ad Acacium tom. IV Concil. col. 1029, scripta sub initium anni CCCCLXXVIII, sive *tertio Idus Martii, Illo viro clarissimo Consule,* qua respondet Acacii litteris, ex quibus *Alexandrinam ecclesiam divino tandem judicio* (sive Æluri interitu)

SÆCULUM V.

interitu *liberatam*, et restitutum in eam Timotheum Salophaciolum intellexerat.

quidquid aliter Pagio visum est.

380 Hæc epistola, tametsi statim ab acceptis Acacii litteris data esset, uti terrarum temporumque spatia æstimanti omnino persuadet fieri non posse, ut ultra Januarium anni CCCCLXXVIII vixerit Ælurus; ita plane iis* favet qui obitum ejus ad annum CCCCXXVII saltem elabentem reducunt; multoque magis iis, qui Petri depositionem anno illo consignant. Admirari me hic fateor Critica Pagiana, qui cum idem omnino adstruant, affirmentque epistolam Simplicii Holstenianam, quæ depositionem Fullonis clarissime continet, scriptam esse *ipso tempore, quo Ælurus adhuc vivebat* (verba sunt ad annum Christi CCCCLXXVII, num. 12;) miror, inquam, quo pacto et eamdem epistolam, ibid. num. 13, et Fullonis depositionem, ibid. num. 11 retulerint ad annum sequentem, sive Christi CCCCLXXVIII. Verum cum Fullonis extrusio cum Joannis intrusione conjuncta sit; hanc aggredior, ut illam simul quam potero proxime determinem.

B

XLVI. JOANNES II.

Joannes II Petro Fulloni.

JOANNEM hunc omittit Euagrius lib. III, cap. X, et Zonaras loco jam sæpius assignato, aliique. Eutychius eum Juliano præponit, eique sex annos episcopatus tribuit tom. II, pag. 104; sed errores in hoc auctore, etiam graves, non admodum rari sunt; hic certe tota exerrat via: nam et Joannem Fulloni ordine a me servato successisse, et brevissimo tempore tenuisse sedem illam compertissimum est. Et successionem quidem testatur Acacius in Breviculo hist. Eutychianist. apud Labbeum tom. IV Concil. col. 1082; et in Breviario Liberati cap. XVIII, tom. V Concil. col. 769; concilium Romanum II in epistola synodica tom. IV Concil. col. 1125, etc. Successionem vero ac durationem ejus tradunt SS. Nicephorus patriarcha in Chronico et Theophanes pag. 107, ubi tribus illam mensibus definiunt. Sic habet Theophanes: C *Ceterum Petrum Fullonem, ut qui Basilisco faverat, Zeno habuit exosum. Orientalis itaque synodi decreto dignitate motus est, et in ejus locum Joannes ordinatus. Hic quoque post tres menses ejicitur, ac demum successor ejus Stephanus, vir pietate spectabilis, Antiochiæ promovetur episcopus.*

successit.

382 Audiatur etiam S. Simplicius Papa, cujus ego in hac re testimonium longe maximi facio. De Joanne in epistola ad Acacium Holsteniana loquitur ad hunc modum. *De Joanne quondam Constantinopolitano, qui ab hæreticis* (Fullone nimirum, ut narrat Acacius in Breviculo citato) *Apamenum sacerdotium, quod ei, qui presbyter aliunde fuerat, vel a catholicis sumere non licebat, se hæreticum publicavit, et quod in se perperam factum est, improperium retorsit in auctorem, expellens ab Antiochia Petrum pervasorem ipsius, eamdem ecclesiam ipse pervasit, sub anathemate a Christianorum consortio, vel ipsa appellatione removemus; nec umquam his* (Joanni aliisque ante nominatis) *satisfactionis patefaciendus est locus. Quia sicut Judas inter Apostolos, ita isti inter ministros Dei subdola et diabolici spiritus fraude latuerunt.* Hiat D hic subinde constructio, sed sententia plana est. Nunc rationem chronologicam indidem eruamus.

383 Data fuit hæc epistola ad Acacium A. C. 477. vel paulo post, vel eodem potius tempore, quo data est octava ejusdem Pontificis epistola ad Zenonem imp.; ut colligitur 1, ex eo quod in illa, non secus atque in octava, ignoret adhuc Pontifex mortem Æluri. 2. Quod, item ut octava, scripta sit non diu a devicto Basilisco; cum sub finem epistolæ ideo episcopos Orientales Constantinopoli congregatos, properare ad ecclesias suas velit: *Diu autem fratres,* inquit, *et coepiscopos nostros apud Constantinopolim non convenit demorari: nunc præcipue, cum propter concussionem persecutionis, quæ mota fuerat, solicitæ atque attonitæ sunt in suprascriptis ecclesiis civitates.* 3. Quia cum in epistola Holsteniana jubet Acacium cum episcopis apud ipsum collectis imperatori suggerere, ut Timotheus cum sequacibus suis, Paulus item Ephesinus, et Petrus Antiochenus atque omnes, qui ab eo se, vel ab his, quos illicite fecerat, æstimabant episcopos ordinatos, E ad irremeabile dirigantur exilium; addit, se cum eorum suggestionibus litteras suas conjunxisse, quibus idem ipse imperatori suggereret. Hoc autem facit in epistola octava ad Zenonem, cum eum hortatur, ut respiciat *Augustæ memoriæ Marciani,* qui Dioscorum, *atque Leonis,* qui Ælurum ac Fullonem, exutos ob hæresim dignitate, expulerant in exilium, *omni mundo conspicuam catholica devotione constantiam;* cumque eum flagitat, ut Timotheo, *eisque etiam, quos temeritate diabolica diversis ecclesiis ordinasse perhibetur* Timotheus (quos inter Petrus Fullo censeri debet juxta Breviculum Hist. Eutych. col. 1082) *ejectis, rectæ fidei subrogari constituat episcopos: ut, sicut rempublicam suam a tyrannica dominatione purgaverat, ita* UBIQUE *Ecclesiam Dei ab hæreticorum latrociniis atque contagiis exuat.*

384 Neque obest, quod istic disertis verbis Petri aliorumque exilium non precetur; cum id modeste latenterque satis insinuet, atque ita Zenonis animum satis præparet; ut, accedentibus deinde expressioribus Acacii ceterorumque precibus, eo facillime impellatur. F Et vero rem hanc ego numquam conceptis verbis expressam a Simplicio Zenoni fuisse, persuasum habeo: certe ipse sanctus Pontifex, cum postea malum, quod ipse Antiochiæ a Fullone, etiam in ordinem redacto, timuerat, erupisset, nullas suas ad Zenonem de hac re datas aliquando litteras commemorat, sed solas illas, quas miserat ad Acacium: *Si præteritarum,* inquit epist. XIV ad Zenonem imp. col. 1033, *litterarum, quas de Petri* (Fullonis) *aliorumque nomine jam dudum ad fratrem et coepiscopum meum Acacium scripsisse memini, ordo teneretur, ad hoc non potuit pervenire, quod jure nunc meruit vindicare. Mandaveram namque, ut, facta suggestione Pietati vestræ, prædictus* (Petrus) *ut et ceteri, qui per occasionem tyrannicæ dominationis invaserant ecclesias Dei, extra metas vestri pellerentur imperii, ne pestiferis sensibus* etc. Solas iterum litteras illas appellat in epistola XV ad eumdem Acacium col. 1034. Itaque non aliam epistolam suam ad Zenonem assignare Simplicium in Holsteniana illa sua ad Acacium existimo, quam eam,

ut colligitur etiam ex epistola Simplicii PP. ad Acacium;

A eam, quæ inter epistolas ejus numeratur octava; atque adeo cum eodem circiter utraque tempore missa sit, utramque omnino datam puto *octavo* (al. *septimo) Idus Octobris post consulatum Basilisci et Armati*, id est, die VIII aut IX Octobris anno Christi CCCCLXXVII, ut notatur in epistola ad Zenonem, nisi forte Holstenianam diebus pauculis posteriorem velis.

mense circiter Augusto subintrusus.

385 Jam ergo ante diem illum Octobris et expulsi Fullonis, et intrusi Joannis Antiochia Romam nuntius advenerat; jam ergo id pridem ante factam oportet fuisse, atque adeo mense circiter Augusto; aut ita certe; ut tum saltem dejectus ab Antiocheno patriarchatu Joannes fuerit, cum epistola illa Pontificis, ineunte Octobri scripta, Constantinopolim ad Acacium et Orientis episcopos ibi coactus devenit. Neque enim aut prius aut multo posterius exauctoratum illum fuisse apparet: non prius quidem; quia, quantumvis damnatus ante fuisse videatur ab Acacio, quam a S. Simplicio, ut innuit Liberatus cap. XVIII, et Breviculus hist. Eutych. B tom. IV Concil. col. 1082; tamen ea condemnatio, si qua fuit, absoluta non fuit; sed, ut vulgo aiunt, provisionalis tantummodo, atque ex interpellato Romani Pontificis arbitrio suspensa; subjicitur etenim ibidem, *quod illum Joannem, quem Acacius damnaverat cum Petro* (Fullone) *sine remedio pœnitentiæ fecit ab Apostolica Sede* idem Acacius *damnari*: quod idem dicitur in epistola synodi Romanæ ibid. col. 1125; et epistola Gelasii Papæ XV col. 1223. Epistola vero XIII ejusdem, col. 1200, dicitur Acacius *executor dispositionis Apostolicæ Sedis contra hæreticos sæpe extitisse;* et ne dubites, quos hic hæreticos designet, adi Commonitorium ejusdem ad Faustum col. 1169, ubi sic habet: *In hac ipsa causa Timotheus Alexandrinus et* PETRUS ANTIOCHENUS, *Petrus, Paulus,* JOANNES *et ceteri* . . . SOLA SEDIS APOSTOLICÆ SUNT AUCTORITATE DEJECTI. *Cujus rei testis etiam ipse docetur Acacius,* QUI PRÆCEPTIONIS HUJUS EXTITIT EXECUTOR. Et paulo inferius de Acacio loquens: *Qui eorum damnationem*, inquit, *antequam prævaricator existeret, fuerat* C *executus.*

exauctoratus est tertio post mense, sive Novembri circiter.

386 Ex quibus consequi videtur, ut ante, absolute saltem, dejectus ab Acacio Joannes non fuerit, quam Apostolicæ Sedis sententiam, litteris Holstenianis insertam, a Simplicio acceperit: quod fieri potuit mense Novembri; atque adeo versus tempus illud depositionis ejus sententia executioni mandata fuit. Non est enim, cur diutius possit illa differri; cum tribus tantum mensibus sederit; qui ab Augusto inchoati in Novembrem excurrunt. Deinde cum sententiam Acacius ipse Simplicium rogaverit, dubium esse non potest, quin acceptam statim, cum collectis tum apud se Orientalibus episcopis, quos Constantinopoli morari diu Pontifex vetuerat, sit executus. Ceterum quem modo Acacius ex Antiochena Sede dejecit, eumdem postea *Joannem Tyriorum ecclesiæ fecit præsidere*, ut synodus Romana testatur tom. IV Concil. col. 1125. *Petrus autem Pityos relegatus*, inquit, Theophanos loco citato, *custodes eludit et ad sanctum Theodorum Euchaïtarum Tutelarem profugit.* Unde Antiochiam denuo regressus eas turbas excitavit, quas, nisi ad irremeabile diregeretur exilium, provida S. Simplicii cura orituras ab eo prospexerat.

XLVII. S. STEPHANUS II Martyr.

XLVIII. STEPHANUS III.

Utriusque Stephani confusio et permutatio.

Joanni STEPHANOS duos subjiciunt SS. Nicephorus ac Theophanes in Chron., quorum priori annos ambo tres attribuunt, alteri vero unum annum tantummodo; quem, juxta Theophanem, martyrio consummaverit. Eutychius tom. II, pag. 111 eosdem illos albo suo inserit, et Stephano quidem secundo annum unum; tertio vero sex tantum menses; neutri martyrium adscribit. Utrumque etiam agnoscit Libellus Synodicus § XCIX et seqq.; et secundum, quem Theophanes pag. 107 *virum* ait fuisse *pietate spectabilem*, etiam hic *Beatum* appellat quidem, et *mox* asserit ad Christum emigrasse; sed mar- E tyrii palmam Stephano Tertio cum Theophane reservat. Zonaras tres quidem annos notat; sed incertum, qui Stephano, Secundo, an Tertio, concedi debeant; cum ipse unum tantum hoc loco Stephanum agnoverit Euagrius lib. III, cap. X, et Nicephorus Callistus lib. XV, cap. XXVIII unicum hic Stephanum collocant, eumque martyrem, sed nullum ei tempus assignant, nisi quod Fulloni Stephanum, Stephano vero Kalendionem suffectum esse memorent.

S. Stephanus II, successit Joanni II A. C. 477 vel initio 478, martyrio coronatus A. C. 479,

388 S. Simplicius Papa epist. XIV ad Zenonem imperatorem, *data* X *Kalendas Julias post consulatum illi viri clarissimi,* sive die XXII Junii anno CDLXXIX; item epist. XV super eadem re atque uno tempore ad Acacium data, ut vide tom. IV Concil. col. 1033 et sequenti, jam tum respondet litteris, quibus ei cum Zeno tum Acacius non modo patriarchiæ cujusdam Antiocheni patratam ab hæreticis cædem, sed etiam alterius in ejus locum contra synodi Nicænæ canones ab Acacio apud Constantinopolim, (ita jubente ad sedandos Antiochensium tumultus impera- F tore) ordinati substitutionem significaverant. Itaque, cum inter Joannem, de quo ante Simplicius ad Acacium scripserat, et Kalendionem, de cujus exordio idem agit epistola XVI ad Acacium *data Idibus Juliis, Severino vero clarissimo Consule*, hoc est, anno Christi CDLXXXII; cum, inquam, inter Joannem et Kalendionem non nisi duo Antiocheni præsules intercesserint, Stephanus videlicet Secundus et Tertius, sequitur ex epistolis Simplicii jam dictis, ut Stephanus Secundus sive senior post unum circiter annum episcopatus, quem anno CDLXXVII elabente aut initio sequentis inierat, martyrio sit affectus, mense circiter Aprili, cujus die XXV colitur, anni CDLXXIX.

Stephanus III sedit ab A. C. 479 fere dimidiato usque ad medium fere 482.

389 Sequitur deinde, ut Stephanus Tertius, sive junior exinde usque ad Kalendionem, id est, annum CDLXXXII sederit, et quidem ab Acacio Constantinopoli ordinatus; atque adeo, ut anni tres, quos Nicephorus ac Theophanes Stephano Secundo tribuunt, ad Tertium spectent; annus contra unus, quem assignant

SÆCULUM V.

assignant Stephano Tertio, pertinent ad Secundum: itemque ut martyrium Theophanes pag. 110, et Libellus synodicus § c Stephano Tertio perperam adscripserint; quando illud S. Simplicius diserte contulit ad ejus decessorem.

Pagii Stephano III tribuentis, quæ Secundo conveniunt, et contra

390 Quis dubitet in hac tanta scriptorum diversitate, potiorem longe quavis alia auctoritatem esse Simplicii, sua ipsius negotia describentis; maxime cum ceteri trecentis et amplius annis, rebus quas hic narrant, posteriores fuerint? Eam igitur et nos amplexi sumus in Actis Sanctorum ad diem xxv Aprilis, ubi de S. Stephano, pag. 362; uti etiam postea Tillemontius tom. XVI in Acacio CP. art. 17 et 18. At Pagius in Criticis Baronii ad annum Christi CDLXXIX, num. 2 et 3, et ad annum Christi CDLXXXII, num. 2 Stephano Secundo dat annos tres, Tertio unum; Hunc martyrium fecisse ait, non illum; denique neutrum ab Acacio Constantinopoli consecratum fuisse sed solum Kalendionem; dicitque *opinionem vulgarem,* quam juxta Simplicii litteras, diligenter expensam, ut colligi potest ex Actis B S. Simplicii ad diem II Martii, pag. 136, num. 11, secutus est Henschenius, *falsam esse.* Hoc ut adstruat, multa congerit, quæ huc, nisi fallor, redeunt omnia.

argumentum

391 Temporibus S. Simplicii Papæ, unus dumtaxat episcopus Antiochenus Constantinopoli ab Acacio ordinatus est, quem tacito nomine in epistolis XIV et XV designat Simplicius illi mox suffectum esse qui ab hæreticis crudeliter interemptus erat; vide Critica ad annum CDLXXXII, num. 10. At constat Kalendionem Constantinopoli ab Acacio esse ordinatum; ut probare nititur ibidem a num. 2. Est ergo Kalendio, quem S. Simplicius in epistolis illis designat martyris continuum successorem. Cum vero Kalendio ante annum Christi CDLXXXII ad infulas Antiochenas non accesserit, necesse est, ut epistolæ Simplicii XIV et XV ante annum illum scriptæ non sint. Perperam igitur epistola XIV inscribitur *data x Kalendas Julias post consulatum Illi viri clarissimi*, sive XXII Junii anno CDLXXIX; sed inscribi debuit, C inquit Pagius, *post consulatum Placidi viri clarissimi*, sive anno Christi CDLXXXII: ita ut epistola XIV et XV Simplicii eodem anno scripta sit ac de eadem agat Kalendione, quo et de quo scripta est epistola ejusdem XVI ad Acacium *data Idibus Juliis* (imo *Juniis*, ut observat Tillemontius nota 13 in Acacium CP.) *Severino viro clarissimo Consule.* Atque hinc porro consequens est; ut usque ad illum annum circiter Antiochiæ præsederit Stephanus martyr, qui alius esse non possit quam Stephanus Tertius; utque tribus annis præesse potuerit Stephanus Secundus, ut Nicephorus patriacha ac Theophanes tradidere.

confutatur 1. Quia corrupto nititur textu S. Simplicii PP.

392 Audax enimvero facinus, et (quod bona Viri eruditissimi venia dictum sit) non uno ex capite temerarium! Num. 1 quidem facile condonari librariis potest unius apicis in alterum commutatio; at *Illi* et *Placidi* immane quantum discrepant! 2. Si scripta est epistola XIV, atque adeo et XV, eodem anno quo epistolæ ejusdem XVI, XVII, XVIII et II; cur item illi, ut istis, subscriptum non fuerit: *Data ... Severino viro clarissimo consule* potius, quam: *data ... post consulatum Placidi?* Sane postconsulatus nusquam in litteris suis adhibet Simplicius, nisi in iis, quas anno illo dedit, D quo consules nulli creati erant. 3. Si datæ sint epistolæ XIV et XV eodem anno, quo data est XVI, agantque de eodem Kalendione; vel datæ sunt aliquot diebus ante illam, ut vult Pagius; vel aliquanto post illam, si nempe datam illam fuisse velis non *Idibus Juliis*, sed *Idibus Juniis.*

in quo notatum consulatum

393 Si primum dixeris; quæro, cur in epistolis XIV et XV unice queratur sanctus Pontifex de ordinatione episcopi Antiocheni Constantinopoli per Acacium facta; de tarditate autem Antiochensium, qua adhuc distulissent de novi episcopi exordio ad se rescribere, verbum nullum faciat? Cur item in epistola XVI, quæ non potest nisi tribus hebdomadibus posterius esse scripta, in ordinatione sive exordio Kalendionis hoc unum carpat *quod fuerit serius indicatum*, quod leve vitium erat, ideoque facile excusatum est; non carpat autem, imo ne littera quidem una insinuet violatos in illo Nicænos canones, quod multo erat apud Simplicium gravius? Quæro item, si prius scriptæ sunt epistolæ XIV E et XV, quam XVI; quo pacto in hac dicere Simplicius Acacio possit: *Miramur autem, nihil nos de statu Antiochenæ ecclesiæ, te instruente, didicisse:* cum in epistolis XIV et XV; tribus ante septimanis juxta Pagium exaratis, totum statum ecclesiæ Antiochenæ et Zenonis Acaciique litteris intellexisse se ostendat?

temere multum alium,

394 Sin autem data est epistola XVI Idibus Juniis, hoc est, diebus IX ante epistolas XIV et XV, res evadet multo etiam incredibilior. nam in epistola LVI significat Simplicius, jam se litteras accepisse de Kalendionis exordio ab ipso Kalendione vel ejus synodo, itemque ab Acacio, idque per episcopum Anastasium, Antiochia ad se directum: cedo igitur; a Kalendione ejusve synodo, ab Acacio, ab Anastasio facta est mentio ordinationis ab Acacio peractæ Constantinopoli, hoc est, violati canonis Nicæni; an non? Si facta est; cur ejus nihil meminit in responsione ad Acacium; quando rem hanc tantopere cordi habebat? Si mentio non est facta illius; cur dissimulationem illam in re tanta non castigat in epistolis XIV et XV, quæ, ut supponitur, F datæ sint novem postea diebus? Imo cur Kalendionis ordinationem approbat, antequam intellexit, quo demum pacto peracta sit?

contra quam epistolarum adductarum sententia patitur.

395 Quarto denique; sive prius missa sit epistola XVI, quam XIV et XV, sive posterius; si tamen de eodem omnes agant Kalendionis episcopatu, inepte profectio repetitur ejus in omnibus approbatio; quasi vero primis litteris satis expressa illa approbatio Acacio non fuisset, ut eam iteratis ad eumdem epistolis significari necesse esset, ex his opinor, apparet luculente, nec eodem anno scriptas esse epistolas Simplicii XIV ac XV, quo scripta est XVI, nec de eodem omnes episcopo agere; neque adeo esse cur mutari vel debeat vel possit epistolæ XIV subscriptio, ut a recepta sententia recedatur.

2. Quia falso asserit vitium in ordinatione Kalendionis.

396 Quod asserit Pagius ad annum Christi CDLXXXII, num. 7 et 8 ex Valesio in annotat. ad lib. III Euagrii, cap. XVI, alium reatum in exordio episcopatus Calendionis notari in epistola XVI a Simplicio non potuisse; *nisi quod Kalendionem contra leges ecclesiasticas ordinarat*

A *dinarat Acacius*; id ex ipsa epistola manifeste redarguitur; sic enim habet: *Antiocheni exordium sacerdotis qua ratione fuerit* SERIUS (hanc vocem omittit Pagius, cum ad rem unice faciat) *indicatum, quamvis minime nos latere potuerit, tamen et ipse, vel synodus ipsius indicavit. Quod sicut non optavimus fieri; ita facilis excusationi, quam necessitas fecit, existimus: quia quod voluntarium non est, vocari non potest in reatum.* Quis hinc OEdipus alium extundat reatum, quam qui diserte exprimitur; quod nempe *serius,* quam par fuerat, Antiocheni exordium sacerdotis Romano Pontifici esset indicatum? Hæc enim dilatio verus erat reatus, dignusque, quem summus Pontifex coargueret; quamquam eum facile remisit, cum intellexisset, causas moræ in officio tam diuturnæ Antiochenis et legitimas fuisse et necessarias. Eumdem certe reatum in Basilio notatum a S. Leone magno, atque ob eamdem causam excusatum dedi supra num. 355.

B

et verum silet.

397 Nec vero magis urget, quod num. 8 subdit idem Pagius, quo persuadeat, rem eamdem in epistola Simplicii XVI notari, quæ notata fuerat in epistolis XIV et XV: *In ea* (epistola XVI) *enim*, inquit, *postquam Simplius dixit: Antiocheni sacerdotis exordium, et cetera supra* (a me etiam) *recitata, statim subjicit: Et ideo per fratrem et coepiscopum nostrum Anastasium qui ex prædicta regione directus est, litteris quoque tuæ dilectionis acceptis, alterni vicissitudinem sermonis tuæ reddidimus charitati, necessario fratris et coepiscopi nostri Kalendionis sacerdotium gremio Apostolicæ Sedis amplexi*, etc. *Neque enim*, addit Pagius, *Simplicius de aliis scriptis ab Acacio litteris loqui potest, quam de iis, in quibus episcopi Antiocheni electionem non reprobat, quia necessitate facta fuerat;* atque adeo de illis, quibus per epistolam XV responderat Simplicius. Verum hæc collectio ut simpliciter asseritur, ita quoque simpliciter negatur; patetque ejus falsitas ex dictis a numero 392; ubi ostendi, alium esse annum, resque omnino alias in epistolis XIV et XV, quam præferat epistola XVI; alia quoque in illis, alia in hac necessitas excusatur; neque proinde de scriptis illis ab Acacio litteris loco citato C agit Simplicius, ut Pagio placet; cum ad rem nihil illæ quidquam pertinerent; verum de illis, quas Antiochia missus Romam Anastasius, in itinere ab Acacio acceptas, una cum Kalendionis synodique ejus epistola ad summum Pontificem toto circiter post illas, de quibus in epistola XV sermo est; triennio attulerat.

3. Quia præcipui auctores a Pagio citati vel ipsi non favent,

398 Sed quid ergo, inquis, ad argumentum supra num. 391 propositum? Respondeo, illud everti funditus, si vel cum Valesio, annotat. in lib II Theodori Lectoris, primam propositionem negaveris, dixerisque, tam Stephanum tertium, quam Kalendionem ab Acacio fuisse consecratos; vel cum Tillemontio, cui Valesii sententia merito displicet, nota 14 in Acacium CP., rejeceris propositionem secundam; quæ asserit, Kalendionem ab Acacio fuisse ordinatum Constantinopoli. At enim tot eam testibus post Valesium defendit Pagius ad annum Christi CCCCLXXXII a num. 3. Proferuntur, qui id asserant, Theophanes, Euagrius, Nicephorus Callistus, Theodorus Lector cum Theodorito juniore, auctor Breviculi hist. Eutychian., Candidus Isaurus, qui illo tempore floruit. Fateor; sed neque omnes illi tamen hoc testantur; neque, si testarentur omnes, iis concedere deberet S. Simplicius; quod ipse satis perspexisse videtur Pagius, quando corrumpere Simplicium maluit, quam ei auctores ceteros anteferre.

ut Candidus Isaurus,

399 Non testantur illud, inquam, auctores illi omnes: neque enim hoc sibi volunt verba Candidi, cujus hic præcipua esset auctoritas, quæ extant apud Photium in Bibliotheca cod. 79: ὡς Πετρου του δυσσεβοῦς τάς τῆς ἀνατολῆς ταράσσοντος ἐκκλησίας, Καλανδίωνα Ζηνων ὁ βασιλεὺς εἰς τὸ ἱερᾶσθαι ἀντιοχείας ἀπέσταλκε: quæ ita vertit Andreas Schottus noster: *Cum Petrus ille impius* (Fullo) *Orientis turbaret ecclesias, misit Zeno imperator Kalandionem, ut Antiochenæ Sedis episcopus sacraretur.* Non est ergo consecratus Constantinopoli juxta Candidum; nedum ab Acacio. *Verum locum hunc pessime,* inquit Pagius, *vertit interpres.* Erat enim, Pagio judice, *is locus ita Latine reddendus: Misit Zeno imp. Kalendionem, ut Antiochiæ episcopus esset, vel, ut Antiochiæ sacerdotii honore* E *fungeretur.* Sane oportet eum Græcis litteris non leviter tinctum esse, qui interpretem Schottum tam confidenter ausit arguere. Quod si Pagius illustriora quæque Lexica consuluisset, vidisset, vocem ἱεράομαι non modo significare idem quod *episcopus sum,* vel *sacerdotii honore fungor,* verum etiam, juxta Synesium, *Sacerdos fio,* sive *consecror.* Recte igitur ita vertit Candidum interpres noster, maxime cum hoc pacto cum Simplicio Candidi historia consonet.

etiam ut a Pagio vertitur, et Euagrius;

400 Sed nempe Pagii interpretatio significat Kalendionem aut Constantinopoli aut ab Acacio consecratum esse; sed missum a Zenone Antiochiam, iis instructum litteris et commendatione, ex quibus intelligerent episcopi comprovinciales, eam esse certissimam imperatoris mentem, ut continuo electus ab ipsis consecratusque Kalendio defuncti Stephani partes obiret, atque ita seditiosam Eutychianorum ambitionem sine mora compesceret. Et sic Zenoni adscribere potuerit Candidus ordinationem Kalendionis, quia ejus præcipuus auctor Antiochenis fuerit. Quid F si etiam non alio sensu intelligi velit auctor Breviculi, ubi ordinationem illam tribuit Acacio, quam quod, sicut pro ea stetit apud Antiochenses Zenon, sic pro ea steterit apud Zenonem Acacius; ejusque adeo prima causa fuerit ac præcipua? Vide tamen numerum seq. Frustra ergo Candidus hujus rei testis accersitur. Nihilo felicius in hanc rem Euagrius adducitur lib. III, cap. X: nam prætergquam quod ibi Stephanum Tertium prætermittit; neutiquam ab Acacio ordinatum fuisse Kalendionem narrat. Et assignatum quidem locum recitare supersedeo, quia nullam vocula habet, quæ id vel redoleat.

vel, quia Stephanum III pro II martyrem statuendo.

401 Ceterorum plerorumque ut ex epistolis Simplicii fateri necesse est errorem, sic ejus natam indidem causam non difficile est assignare. Nimirum notus omnibus fuit Stephanus Secundus propter illustre martyrium; at Stephanus contra Tertius plurimis etiam antiquis ignotus, ut ex Euagrio aliisque colligitur; notissimus item omnibus fuit Kalendio. Hunc cum scirent successisse Stephano, nec

nec alium illi Stephanum agnoscerent, quam Secundum, sive martyrem; martyris eum perperam successorem immediatum fecerint: cum ergo ex litteris S. Simplicii constaret, Stephani martyris successorem Constantinopoli fuisse ab Acacio consecratum, facile fuit auctori, exempli gratia, Breviculi Historiæ Eutychianistarum, id ad Kalendionem referre; quod juxta Simplicium in Stephanum Tertium quadrabat; hoc, inquam, facile fuit, maxime si aut ad datarum litterarum tempus, aut ad Kalendionis initium non satis attenderetur. Atque inde porro nasci pronum erat posteriorum, quam exhibui num. 387, auctorum confusionem.

repugnant S. Simplicio, de Kalendione intelligentes, quæ in Stephanum III quadrabant.

402 Verum, ut dixi, errorem illum ex epistolis Simplicii fateri necesse est. Nam sicuti epistolis XIV ac XV, datis anno Christi CCCCLXXIX, non alius designari potest martyr, quam Stephanus Secundus; ita certum esse debet, non alterius in iisdem epistolis ordinationem a Simplicio suggillari, quod ab Acacio Constantinopoli esset habita, quam Stephani Tertii. Cum igitur ordinationem illam, tametsi ob ecclesiæ necessitatem ita peractam essse agnosceret, ægerrime tamen sanctus Pontifex tulerit; totiesque cum Zenoni, tum etiam Acacio inculcet, ne quid umquam ejusmodi deinceps attentent; cum insuper Acacius facti necessarii veniam postulasset, atque ipse imperator. *In hæc verba jurasset, quod posthac in Antiochena urbe, veteri more servato, a comprovincialibus suis episcopis ordinetur* patriarcha, an credibile est, idem iterum triennio post, statimque ab obitu Stephani in Kalendione aut a Zenone esse mandatum, aut ab Acacio peractum, aut certe a Simplicio in epistola XVI penitus fuisse dissimulatum? Adi sis Tillemontium loco citato. Atquæ hæc quidem pro sententia communi, a num. 388 proposita, quam et nos amplectendam putamus, dicta sunto.

PARERGON

De Joanne Codonato.

Antiochiæ consecratus videtur eodem tempore quo Constantinopoli Stephanus III, id est, A. C. 479:

De hoc ita pronunciat Victor Tununensis in Chronico: *Post Consulatum II Longini V. C.*, sive anno Christi CCCCLXXXVIII, *Petrus Antiochenus* (Fullo) *sub damnatione moritur: et in ejus loco Kalendionem ordinat. Orientales autem episcopi, tamquam nescientes,* Joannem *cognomento* Codonatum, *eidem Antiochenæ ecclesiæ consecrant episcopum: cui Petrus successit hæreticus.* Quam corruptus sit hic locus, nimis patet, quam ut explicari debeat; quandoquidem et Fullonis mortem Kalendionis exordio, et huic successionem Joannis Codanati, exclusa Kalendionis possessione, atque hæc denique omnia anno Christi CCCCLXXXVIII alligat; imo alterum etiam adstruit Petrum hæreticum, a Fullone diversum, Joanni succedere; quorum omnium, anno demortui Fullonis excepto, falsitas per chronologiam nostram palpabilis fiet. Ceterum de eodem illo Joanne scribit etiam Theophanes pag. 110, his verbis: *Zeno porro... Acacio CP. præsuli, ut Antiochiæ crearet episcopum mandavit: qui consecravit Kalandionem. Antiochenses, ordinationis factæ nescii, Joannem, nomine Codonatum, sibi præfecerunt episcopum, quem Kalandion postmodum in Tyri sedem, quæ post Antiochiam prima est, transtulit.*

quamquam parum accurata ejus notitia est, dubiumque, an confundendus non sit cum Joanne II.

404 Hæc paulo accuratiora sunt quidem; sed non immerito tamen suspicari licet, (cum ignoravisse dicantur Antiocheni ordinationem alterius episcopi, quando ipsi Joannem illum sibi præfecerunt episcopum) alterum illum episcopum consecratum fuisse Constantinopoli; neque adeo Kalendionem illum fuisse, ut perperam Theophanes existimat; sed Stephanum Tertium, qui solus circa hæc tempora Constantinopoli ab Acacio inauguratus fuit. Ac proinde non videtur cum Kalendionis exordio ordinatio Codonati, sed cum Stephani Tertii, anno Christi CCCCLXXIX, concurrisse. Verum utcumque se res habeat, ad me parum attinet; quando Joannes hic Codonatus nusquam in albo Antiochensium præsulum recensetur. Hoc igitur monuisse sufficiat. Qui hujus historiæ crisim desiderat, consulat Tillemontium tom XVI, nota 14 in Acacium CP., et Valesium Annot. in Euagrii lib. III, cap. XVI, aliosque passim, qui Joannem hunc Codonatum, eumdem fuisse putant cum Apameno illo, de quo supra, a num. 381.

XLIX. KALENDIO.

Kalendio successit Stephano III ineunte A. C. 482,

Quo tempore Stephano Juniori in episcopatum Antiochenum successerit Kalendio, sive *Kalandion*, conjicere est partim ex quadriennio, quod utrique simul Stephano Nicephorus CP. Theophanesque concedunt; partim ex epistola XVI, qua Kalendionis electionem sanctus Papa Simplicius confirmat tom. IV Concil. col. 1035. Nam anni quatuor illi, juxta ea quæ supra diximus num. 389, ad anni circiter CCCCLXXXII initium pertingere debuerunt; nec vero multo longius extrahi potest ordinatio Kalendionis, neque adeo usque ad illius anni finem, ut habet Pagius hic num. 13. Jam enim diu episcopatum exorsus fuerat quando epistola jam dicta Simplicii ad Acacium data est, cum in ea queratur summus Pontifex *Antiocheni exordium sacerdotis fuisse serius indicatum. Data* est autem epistola illa non serius quam *Idibus Juliis, Severino viro clarissimo consule*, hoc est, anno Christi CCCCLXXXII: imo Tillemontius in Acacium CP. not. 13, Idibus Juniis scriptam fuisse putat. Fac tamen Idibus Juliis datam fuisse vel sic tamen ex ea colligitur, exordium illud Kalendionis ad anni ejusdem initium pertinere: nam si duobus tantum ante mensibus, puta Maio vel Aprili, electus patriarcha fuisset, quid mirum esset, quod per tanta locorum spatia id ante Idus Julias Simplicio non fuisset relatum? Quid ibi tantum piaculi, ut vel purgare suam in hac re moram Kalendio vel synodus ejus debuerint, vel de illa apud Acacium Simplicius conqueri? Accedendum ergo est propius ad anni caput; ita ut de completo Stephani Tertii anno tertio non nihil decerpatur.

406 Atque

Expulsus vero est A. C. 485

406 Atque hic quidem assentimur Eminentissimo Annalium conditori, annum CDLXXXII electione Kalendionis exorso; at non perinde rem acu tetigit vir doctissimus, cum Kalendionis episcopatum uno tantum aut sesquianno conclusit; in quo chronologia ejus a modernis auctoribus merito visa est emendationem exigere: nam ex fine Breviculi hist. Eutychianist. constat, tam expulsionem Kalendionis, quam Fullonis invasionem tentatam esse post Acacii damnationem in synodo Romana pronuntiatam *Kalendis Augusti Venantio V. C. Consule*, sive anno Christi CDLXXXIV: uti habes tom. IV Concil. col. 1073. Præterea non modo SS. Nicephorus ac Theophanes, ut observat Pagius in Criticis ad annum Christi CDLXXXV, num. 3, verum etiam Eutychius tom. II, pag. 111, ubi eum *Clidionem* appellat et Nestoriana perperam notat infamia; itemque Zonaras, quatuor eum annos Antiochenam ecclesiam moderatum esse, testantur.

Versus mensem Augustum,

406 Annos tamen illos non explevit omnino, ut arguit epistola synodi Romanæ ad B clericos et monachos Orientales data III *Nonas Octobris, Symmacho V. C. Consule*, id est, anno Christi CDLXXXV; vide Labbeum tom. IV Concil. a col. 1124: in ea namque de Acacio dicitur col. 1126: *Qui Kalendione episcopo sancto (quemadmodum cognovimus) nuper ejecto, Petrum, totiens a se ante damnatum, in ejus immisit ecclesiam; ita ut plurimi, (si verum est) catholici cesserint, relictis suis sedibus, sacertotes, et nostræ projectæ sint porcis et canibus margaritæ.* Ubi vox illa *nuper*, geminaque parenthesis manifeste insinuant, ejectionem illam admodum fuisse recentem, nec satis adhuc certa constantique fama Romæ vulgatam: expulsus igitur videtur Kalendio versus mensem Augustum ejusdem anni, quando annos tres cum dimidio, qui rotunde quatuor anni vulgo censentur, rem Antiochiæ catholicam egregie administraverat.

Res præclare ab eo gestæ,

408 *Hic omnibus, qui ipsum adibant,* inquit Euagrius lib. III, cap. X, *persuasit, ut Timotheum* (Ælurum) *una cum Encyclicis Basilisci litteris sub anathemate damnarent.* Xenaïam quoque iconomachum vicis procul Antiochen- C sibus exterminavit, ut narrat Theophanes pag. 115. Trisagio adjecit hæc verba, *Christe Rex noster*, ne in aliam ullam SS. Trinitatis Personam cadere quis crederet additamentum illud Theopaschitæ Fullonis, *Qui crucifixus es pro nobis*; ut vide apud Theodorum Lectorem lib. II, et Valesium in annot. pag. 169, ubi Theophanem emendat. Idem Petrum, Moggum seu Mongum, qui Chalcedonensem synodum anathematizaverat, scriptis ad Zenonem imperatorem et Acacium litteris, acriter insectatus est, teste Euagrio lib. III, cap. XVI. Quanto porro celebritate petitas obtentasque ab imperatore S. Eustathii reliquias inde usque a Macedonia Antiochiam, ubi episcopus aliquando fuerat, deportandas ac suscipiendas curarit, atque ita Eustathianos tandem universos sibi adjunxerit, refert Theodorus Anagnostes lib. II, Victor Tunensis in Chronico, et Theophanes pag. 114: quod anno CDLXXXII factum esse, contra Pagium in Criticis ad annum illum, num. 13, volunt Baronius ac Tillemontius in Acacio CP. art. 19.

Sæculi V. ac toleratæ

409 Hisce aliisque virtutibus strenuus antistes Kalendio dignum se præbuit, qui magni Eustathii fortem, improbrorum, inquam, et in primis Acacii, apud imperatorem calumnias, exauctorationem atque exilium forti animo subiret: depositus enim, nulla interveniente synodo, quod sæpe queritur Gelasius Papa, epist. XIII ad episcopos Dardaniæ, tom. IV Concil. a col. 1199, est in Oasim relegatus, ut asserit Euagrius supra, *eo quod Illi et Leontii ac Pamprepii, qui adversus Zenonem tyrannidem sumpserant, partes fovisse existimaretur*; at vera causa fuit, Liberato diacono teste, Breviarii cap. XVIII, *quia se non suspenderet et a Felicis Papæ et Joannis* (Talaïæ) *communione.* Itaque non modo a Felicis successore Gelasio, epist. XV ad episcopos Orientales, *Venerabilis*; sed etiam, quod num. 407 vidimus, a Romana synodo *Episcopus sanctus* meruit appellari. Porro ab exilio rediisse non legitur. Imo Victor Tununensis ait, cum ad Anastasio imperatore, Olybrio V. C. Coss., hoc est, anno Christi CDXCI, *de malis ad pejora deductum esse.* E

PETRUS CNAPHEUS tertio.

Fullo ecclesiam Antioch. invasit tertio

Hic, si usquam, ostendit Acacius, quantum in imperatoris animum exercere posset imperium: quemadmodum enim illo potissimum impellente ad cathedram Antiochensem Kalendionem Zeno promoverat, eodemque auctore dejectum illum amandaverat in exilium; ita quem ejusdem Acacii consilio bis propter hæresim tyranicamque dominationem in exilium detrudi jusserat PETRUM FULLONEM; eumdem illum Petrum, nec jam hæreticum dumtaxat, sed etiam sacrilega S. Stephani aliorumque cæde infamem, ejusdem iterum Acacii suasione imperator idem ad violatæ tot ejus flagitiis ecclesiæ solium subvexit; ut synodus Romana in epistola synodica ad clericos et monachos Orientales, num. 407 citata, testatur. Factum id quoque absque ulla synodo, teste Gelasio I ad episcopos Dardaniæ; non tamen sine vi; si Alexandro credimus apud Surium in Laudatione S. Barnabæ, die F XI Junii, § XXVII.

A. C. 485 circa Augustum, tenuitque usque ad 488, mensem fere eumdem.

411 Quod ad tempus attinet, demonstratum abunde est num. 406 et seq., id contigisse sub mensem Augustem anno Christi CDLXXXV; unde putati tres anni, quibus Petrum ecclesiam illam jam tertio infestasse docent Nicephorus in Chronico, Eutychius pag. 111, Theophanes in laterculis, Zonaras, qui eum non recte alium a Fullone Petrum facit, in annum CDLXXXVIII incurrunt; quo, juxta Victorem Tununensem supra num. 403, *Petrus Antiochenus sub damnatione mortuus est*, adulto jam, ut credibile est, anno; adeoque circa mensem Augustum; neque enim est, cur hic anni tres non computentur integri; adi tamen infra numerum 243. Audiendus hic ergo non est in sua Chronographia Theophanes, ubi Petrum Fullonem Petro Mongo, qui anno Christi CDXC interiit, superstitem facit pag. 116: falsum enim id esse, præter auctores jam productos, non semel ostendit Gelasius Papa tom. IV Concil. epist. XV ad episcopos Orientales. Et vero

vero quam male hoc loco interpolatam perturbatamque chronotaxim Theophanis accepimus, id argumenti satis est, quod eumdem Fullonem, quem sub Zenone anno Christi CDXCI vita defunctum esse affirmat, anno sequenti sub Anastasio exilium, nescio quod, deprecantem exhibeat.

Petri Fullonis scelera.

412 Gesta Fullonis, *cum multa sint et propriam historiam requirant,* ut ait Alexander modo prolatus, missa Facio. Videri ea possunt in Annalibus apud Baronium, aliosque, quibus licuit hæc diffundere latius. Breviter hoc dici potest, subscripsisse mox eum Zenonis Henotico, et synodicas litteras dedisse ad Petrum (Mongum) Alexandrinæ urbis episcopum, ut habet Euagrius lib. III, cap. XVI; et cum eo, quoad vixit, communicasse, teste Gelasio ad episcopos Orientales. Professam quidem Ab Acacio communionem obtinere non potuit; *latenter* tamen, ut ait Gelasius ad episcopos Dardaniæ, cum Fullone communicavit Acacius. *Petrus Fullo,* inquit Theophanes pag. 115, *Antiochiam* (tertio) *ingressus multa nefanda perpetravit, ut* B *puta synodi* (Chalcedonensis) *execrationes, episcoporum abrogationes, noxiorum intrusiones, ordinationes illegitimas, et his similia . . . Idem sustulit verba :* REX CHRISTE, quæ Kalendio, ut supra dictum est, adulterato ante a Fullone Trisagio adjecerat. Xenaïam ejectum a Kalendione, non modo admisit ipse, sed etiam episcopum Hierapoleos consecratum, Philoxenum appellavit; *Eumdemque demum* (Theophanis verba sunt) *Baptismo nondum initiatum comperiens, ejus ordinationem Baptismi defectum supplere sanxit.* Plura vide in epistolis Gelasii Papæ citatis.

ob quæ sæpe damnatus fuit; item alia quædam ad eum spectantia.

413 Quoties et ubi damnatus fuerit, enumerat Valesius observat. eccles. ad Euagrium lib. I, cap. III, in fine, cum quo conferri debent Critica Pagii, vel etiam Tillemontius tom. XVI in Acacio CP. Ad epistolas quod spectat multorum episcoporum partim Occidentalis, partim Orientalis ecclesiæ ad Fullonem datas, quas profert Labbeus tom. IV Concil. a col. 1098, contra Baronium ac Binium dissertat Valesius loco citatato cap. IV, easque proscribit. Contra Valesium vindicare C eas, non nullis mutatis, nititur Pagius in Criticis partim ad annum Christi CDLXXVIII, partim ad annum CDLXXXV. Contra Pagium rursus consule Tillemontium in Acacio CP. art. 49. Notari hoc etiam hic meretur, ipso, quo monstrum hoc periit, anno, juxta Victorem Tunuensem in Chronico, repertum S. Barnabæ, ipsiusmet indicio, corpus in Cypro cum Euangelio secundum Matthæum ejus manu exarato, ingens præsidium Anthemio fuisse, quo Fullonis Ambitionem, Cypriæ ecclesiæ imminentem, averteret; cujus rei longiorem historiam dat Alexander Monachus apud Surium die undecima Junii, brevissimam Theodoretus Lector initio libri secundi Hist. eccl. aliique recentiores. Denique ne nihil boni ab homine pessimo proficisci potuisse existimes, vide sis, quorum ipse sacrorum rituum auctor feratur apud eumdem Theodorum lib. II, pag. 566, et in ullum locum consule annotationes una Valesii, pag. 169.

D

L. PALLADIUS.

Palladius Fulloni substitutus suffragio procerum,

Fullonem excepit PALLADIUS, teste Euagrio lib. III, cap. XXIII : et Theophanes, quamquam, ut dixi, loco non suo, *Eodem anno,* inquit, *Petrus Fullo interiit, et Palladius, sanctæ protomartyris Theclæ ecclesiæ, quæ est in Seleucia, presbyter, promotus est episcopus.* Subdit vero Theophanes : Συνεψηφίσθη δὲ Παλλαδίῳ καὶ Ἰωάννης ὁ Κωνσταντίνου, κατὰ Ἀναστάσιος ὁ Σιλεντιάριος ὁ κακῶς βασιλεύσας : quod ita vertit interpres : *Cum Palladio etiam electi sunt Johannes Constantini, et Anastasius Silentiarius, qui postmodum pessime imperavit.* Hinc facile suspicari quis posset, imo deberet, non unum hic tantum electum esse patriarcham Antiochenum, sed tres eodem tempore. Verum hæc interpretatio omnino corrigenda est; neque enim Athanasius patriarchatum, sed imperium in ipsos etiam patriarchas tyrannicum affectabat, atque aliquanto post consecutus est. Seduxit interpretem vox E illa συνεψηφίσθη passive posita; sed exempla non pauca Grammatici proferunt, quibus tempus illud aoristum actionem significare ostendant. Sic igitur locus ille verti debuit : *Palladio vero suffragatus est et Joannes Constantini filius, et Anastasius Silentiarius* (nomen est dignitatis, de quo vide Cangii Glossarium) *qui postmodum pessime imperavit.* Uterque autem in aula, cujus primi erant proceres, valebat plurimum; unde nihil mirum fuit, si, invitis haud dubie catholicis, sedem illam Palladius obtinuit, quam tam potenti fultus patrocinio affectabat.

sedit ab A. C. 488 usque ad 498 post mensem Augustum.

415 Porro annis X ad Antiochensis ecclesiæ clavum sedit, ut notant S. Nicephorus in Chron., Theophanes in tabulis, Eutychius tom. II, pag. 111, Zonaras lib. XII, num. 34 : ac proinde ab anno Christi CDLXXXVIII usque ad CDXCVIII, et quidem exeuntem; quando mortem ejus consignat Theophanes anno, secundum Alexandrinos, ab Incarnatione Domini CDXCI, qui a mense Septembri anni nostratis CDXCVIII initium F sumit. Cum vero de annis X inter omnes conveniat, apparet iis nec multum superfuisse temporis nec defuisse; atque adeo cum in annum CDXCVIII post mensem Augustum desierint, ab anno CDLXXXVIII post mensem itidem Augustum eos incepisse. Unde ab illo mense dimoveri non procul placuit mortem Fullonis supra num. 411 : tametsi non diffitear, Palladii obitum a Victore Tununensi, cujus Chronicum passim valde dissipatum est, referri ad consulatum Anastasii augusti, id est, annum Christi CDXCVII; sed idem Palladii initium figit *Bnastasio et Rufo Coss.*, hoc est, anno Christi CDXCII; atque ita annos ei quinque tantum concedit; in quo ab omnibus, quos dixi, descritur.

Fuit Eutychianus.

416 Eutychianum fuisse Palladium hunc, non secus ac Petrum ejus decessorem, constat ex Euagrio citato : *De Chalcedonensi* namque *synodo idem fecit quod Petrus.* Idem testatur Cyrillus monachus in Vita S. Sabæ apud Surium ac diem V Decemb. num. 69, ubi Præsulem hunc exhibet *Chalcedonense concilium,* in gratiam imperatoris Anastasii, tertio ejus imperii

A imperii anno, *anathemate ferientem; ea autem amplectentem, quæ tenebant Alexandrini: utpote quod Anastasius eadem, quæ Alexandrini, sentiret.* Idem, imo amplius ex Theodoro Lectore profert S. Joannes Damascenus lib. III de Imaginibus, ut est apud Valesium in Fragmentis Theodori, pag. 581, *episcopus autem Antiochiæ Palladius,* inquit, *imperatori gratificari studens* (cujus nempe suffragio episcopatum obtinebat) *eos, qui sancta Chalcedonensis concilii decreta sequebantur, aversari cœpit, et sanctorum Patrum imagines deposuit.* Et alibi, *Eo,* subdit, *audaciæ proruperat, ut beatorum, qui illic fuerant, episcoporum nomina ex sacris Diptychis sustulerit, eorumque imagines deposuerit, ac tyrannice combusserit.* Hæc breviter; ut hominem noveris.

LI. S. FLAVIANUS II.

S. Flavianus II cœpit versus annum Christi 499;

B Quæ ad sancti hujus Flaviani historiam, cultumque pertinent, habes in Actis Sanctorum ad diem IV Julii, a pag. 22. Sola hic igitur tempora, quibus Antiochenum egit antistitem, supersunt investiganda. Et ejus quidem primordia vel ad anni Christi CCCCXCVIII finem, vel ad sequentis initium referri oportere colligitur ex dictis num. 415: nec enim ab obitu Palladii ad Flaviani successionem temporis multum effluxit; quando hanc auctores cum illo quasi connexam eumdem in annum conjiciunt. Ita Victor Tununensis loco citato, *Palladius,* inquit, *Antiochenus moritur: et pro eo Flavianus ordinatur episcopus.* Ita etiam S. Theophanes ad annum divinæ Incarnationis secundum Alexandrinos CCCCXCI, *Ceterum,* ait, *Palladio, Antiochiæ præsule, defuncto, imperator Flavianum presbyterum, et ejusdem ecclesiæ Missum* (ἀποκρισιάριον) *in mortui locum designavit.* Ita etiam loquuntur Euagrius lib. III, cap. XXIII; et Cyrillus monachus in Vita S. Sabæ num. 70 apud Surium V Decembris. Cum igitur intra annum Christi CCCCXCVIII post mensem Augustum obiisse Palladium supra demonstraverim, consequens (quod modo dicebam) est, ut vel eodem anno extremo, vel ineunte statim CCCCXCIX, C Antiochense solium S. Flavianus ascenderit.

pulsus autem est A. C. 512 circa Septembrem.

418 Tenuit illud porro usque ad annum Christi DXII; quando commutare Antiochiam cum exilio coactus est, *Indictione* V, *Paulo et Musciano Coss.*, juxta Marcellinum in Chronico; sive anno, secundum Alexandrinos, div. Incarnat. DIV, uti habet S. Theophanes pag. 134. Seditque adeo vel annis XIII integris, ut habent ejusdem Theophanis tabulæ, ac Zonaras lib. XII, num. 34; vel XIV incompletis, ut notare placuit Eutychio tom. II, pag. 135. Nicephori Chronographia manifeste corrupta hic est: nam in ea et anni Flaviani, et successor Severus seu librariorum, seu librorum vitio aut vetustate disparuerunt: anni autem VII, qui Severo debentur, adjecti sunt Flaviano: quod patet ex iis quæ addit Paulo, Severi successori, Παῦλος ἐπὶ του αὐτοῦ ἔτη γ', *Paulus ejusdem ætate annis* III: neque enim Paulus superstite Flaviano sedit, sed Severo; alioqui Flavianus, ab exilio revocatus a Justino, cum ceteris, imo ante alios, restitutus ecclesiæ suæ fuisset. Quo vero anni tempore deturbatus antistes hic fuerit quamquam certo non constat; tamen ex iis, quæ modo de Severo, S. Flavianum pone consecuto, dicenda sunt, apparebit, non diu ante mensem Septembrem id fieri potuisse.

SÆCULUM VI.

LII. SEVERUS, hæresiarcha.

Severus S. Flaviano exuli suffectus est sine longa mora;

S. Flaviani exilium anno Christi DXII cum ceteris auctoribus, etiam modernis, alligat Eminent. Cardinalis Baronius num. 31; sed successionem Severi, cum Marcellino Comite in Chron., relegat ad annum sequentem; quod non facit tamen in morte Anastasii imp. atque exordio Justini, quæ idem Marcellinus perinde ac Flaviani exilium et suffectionem Severi, annis adscribit consulibusque diversis. Verum enim quis id credat Marcellino? Nam cum Severus, Euagrio, inquilino Antiochiæ, lib III, cap. XXXIII, et E Joanne Malela, cive Antiocheno in Anastasio imperatore, testibus, ecclesiam Antiochenam invaserit mense Novembri, et quidem die mensis sexta; quid, obsecro, causæ esse potuit, cur anno toto vacare sedem illam Anastasius pateretur? Non satis oderat imperator catholicos; non satis hæreticos, ac præcipue Severum, fovebat, ut illi gregem Antiochenum continuo dilaniandum exponeret? Itane etiam ab omni alienus ambitione Severus erat, ut amplissimum patriarchatum non statim atque vacabat, expeteret; aut parum adeo apud Anastasium gratia valebat, ut, si eum appeteret, non illico esset assecutus? Tantum profecto abest, ut in omnem potius occasionem amoliendi quoquo pacto Flaviani, Severique in ejus locum intrudendi hæreticus imperator intentus esset, ut ne stratagemati quidem in hoc negotio parci voluerit.

neque adeo A. C. 513;

420 Audi S. Theophanem id narrantem pag. 134: *Eadem quoque tempestate Flavianum Antiochiæ throno dejicere tentavit iniquus imperator, et in ejus locum Severum, apertum veritatis hostem, intrudere. Hoc unum insimulabant* F *accusatores, quod ore solo, non cordis sensu, anathema in synodum pronuntiasset.* (Consule tamen de hac re Acta Sanctorum loco citato.) *Consilium subinde dabant, qui ad eum expellendum ab imperatore missi fuerant magistratus, ut ob enatos tumultus ad breve tempus secederet* (Flavianus.) *Illo itaque ad Platanos profecto, impium Severum in schismaticorum monasterio ad Gazæ Majumam prius monachum agentem, confestim,* εὐθέως, *ordinaverunt episcopum. Flavianum vero Petras simul cum aliis pluribus episcopis, clericis et monachis ferro onustis relegaverunt.* Patet hinc quam nihil moræ inter Flaviani depositionem, invasionemque Severi intervenerit. Ac ne Theophanem quis dicat Marcellino seniori concedere, idem quoque colligitur ex Cyrillo Scythopolitano, Marcellini coætaneo, in Vita S. Sabæ græce edita apud Cotelerium inter ecclesiæ Græcæ Monumenta, tom. III, pag. 307, num. 56, *Quo* (Flaviani exilio) *comperto,* inquit, *imperator, lætitia affectus, Severum, Acephalorum principem, in episcopum Antiochiæ*

Antiochiæ misit. Tam segnis, obsecro, in ea occasione arripienda fuerit imperator, qua tantopere lætabatur inventa; ut annum illi totum indormitaret?

sed A. C. 512.

421 Sed quid conjecturis ago, cum evidentia suppetunt argumenta? Sic enim habet Euagrius lib. III, cap. XXXIII: *Ejecto igitur Flaviano, Severus ad episcopatum Antiochensem promotus est anno urbis Antiochiæ quingentesimo sexagesimo primo, mense Dio, Indictione sexta currentis tunc circuli*; cui consonat Malela in Anastasio: *In patriarchatu Antiochensi suffectus est Severus, monachus, Novembris* VI, *anno æræ Antiochenæ* DLXI. Vulgarem Christi æram usque ad Kalendas Septembres, Antiochensis æra prævertit annis XLIX, uti docet Norisius de Epochis Syromacedonum diss. III, cap. V et VI: iis ergo inde subductis, reditur ad annum Christi DXII, quo a mense Septembri fluere cœperat annus Antiochiæ DLXI, et sexta Indictio. Non igitur anno Christi DXIII, ut ait Marcellinus; sed anno DXII, mense Novembri Severus Flaviano successit.

B

mense Novembri.

422 Contendit quidem Valesius annot. in citatum Euagrii locum, id factum esse Indictione septima, atque adeo anno Christi DXIII; sed in eo manifeste fallitur, tum ob ea, quæ dixi modo; tum vel maxime, quod jam tum patriarcha pridem fuerat Severus, cum synodicas litteras secundo Hierosolymam misit *mense Maio sextæ Indictionis*, ut habet Cyrillus in Vita Sabæ apud Cotelerium num. citato; uti et in concilio Nicæno secundo, Actione prima, tom. VII editionis Labbeanæ, col. 87. Cum ergo Indictio illa sexta apud Antiochenos a Septembri anni nostratis DXII inchoata ad sequentis anni Kalendas Septembres desineret, non alius hic assignatus est dies sextus Novembris, quam qui incidit in annum Christi DXII, hoc est in annum eumdem, quo depositus est missusque in exilium Flavianus. Confirmat hæc suo etiam calculo Theophanes loco superius adducto, ubi et Flaviani exilium omnino cum Severi intrusione conjunctum reponit anno div. Incarn. secundum Alexandrinos DIV, qui cum nostro DXII saltem usque ad Septembrem concurrit: unde satis fit verisimile, paulo C ante Septembrem anni DXII contigisse Flaviani depositionem, quando necdum desierat annus Alexandrinus DIV, ideoque et promotionem Severi, utpote cum illa depositione cohærentem, ad eumdem annum a Theophane esse consignatam, quamvis eam non nisi post Septembrem, adeoque anno Alexandrino DV, secuta sit.

duobus circiter mensibus ab expulsione S. Flaviani.

423 Certe ex Cyrillo patet, præsentem Antiochiæ Severum non fuisse, cum extorris factus est S. Flavianus; sed hoc ordine rem contigisse; primo qui cum potestate ab imperatore data Antiochiam venerant, causam ac modum invenerunt exauctorandi, amoliendique in exilium Flaviani; dein id imperatori Constantinopolim renuntiatum est; tum ille hoc nuntio lætus continuo Severum Antiochiam destinavit; qui, ut urbem attigit, confestim in vacuam sedem involavit die VI Novembris duobus circiter mensibus post ejectum Flavianum: neque enim videntur hæc omnia plus temporis aut exigere aut pati. Ita circa Septembrem exturbatus Antiochia sanctus præsul fuerit.

Profugit Antiochia A. C. 518 mense Septembri.

424 Eminentissimus Auctor Annalium ad annum Christi DXIX, num. 143, et post illum Valesius annot. in Euagrii lib. IV, cap. IV, quemadmodum Severi intrusionem in annum Christi DXIII, toto, ut vidimus, anno serius, quam facta sit, referendam putarunt; ita ejusdem jam depositi damnatique fugam in annum Christi DXIX distulere; cum anno præcedenti contigerit. Hunc locum, item ut priorem, erudite emendat Norisius in anno et epochis Syromacedonum diss. III, cap. VI; atque ex illo Pagius in Criticis ad annum Christi DXVIII. Sic sane habet Euagrius lib. IV, cap. IV: *Porro ex Antiochena sede fugit Severus mense Gorpiæo, quem Romani Septembrem vocant, anno Urbis Antiochiæ quingentesimo sexagesimo septimo*; Justini imperatoris, ut initio capitis dixerat, *anno primo.* Sed cum idem Euagrius lib. IV, cap. I dicat, *Justinum sumpsisse purpuram die nono mensis Panemi, qui a Romanis Julius dicitur, anno urbis Antiochiæ quingentesimo sexagesimo sexto*; putarunt inde consequens esse Baronius ac Valesius, ut Severus, juxta ipsum Euagrium, Antiochia fugerit anno Justini secundo, Christi DXIX. E

non A. C. 519, ut Baronio et Valesio placuit.

425 At enim annum Justini primum non solus Euagrius fugæ Severi assignat; sed etiam Theophanes, Cedrenus, Joannes Malela, Nicephorus Callistus lib. XVII, cap. II; ut proinde dubitari non possit, quin ea anno Justini primo, Christi DXVIII contigerit. Nec vero quidquam habet Euagrius, unde annum Justini secundum colligas: nam quod Justinum asserat creatum esse imperatorem anno Antiocheno DLXVI, mense Julio; fugisse vero Severum anno ejusdem æræ DLXVII mense Septembri; id nullo pacto aut alium Justini imperii annum, quam primum; aut alium Christi, quam DXVIII, denotat: nam cum annos Antiochenos putet Euagrius, ut supra dictum est, XLIX annis ante æram Christi vulgarem a Kalendis Septembribus, annus Antiochenus DLXVI currebat a prima die Septembris anni Christi DXVII usque ad Kalendas Septembres anni Christi DXVIII; unde initium ducebat annus Antiochenus DLXVII, cujus exordio, mense scilicet Septembri, qui tertius tantum erat ab imperio Justini, fuga sibi Severus consuluit, eodem utique anno Christi DXVIII, ac Justini primo, a tribus vix mensibus inchoato. F

cum depositionis sententia in eum lata fuisset eodem anno mense Julio.

426 Idem etiam probatur ex acclamationibus a populo Constantinopoli factis anno Christi DXVIII, die XV Julii, qui erat sextus dies imperii Justini; ut imperator sine mora Severum et Amantium foras ejiceret; lege illas apud Labbeum tom. V Concil. a col. 177. Et Amantium quidem sacri cubiculi præfectum *statim*, αὐτίκα, augustus *e medio sustulit*, ut narrat Euagrius lib. IV, cap. II: contra Severum autem, cujus, utpote patriarchæ, causa judicium ecclesiasticum exigebat, convocata est continuo synodus episcoporum XLIII; conventum est die *vicesima mensis Julii, Indictione* XI, *Consulatu Magni clarissimi viri*, id est, anno Christi DXVIII; ut habes tom. V Concil. col. 163; lataque mox ibi in Severum sententia, col. 166, et seq., perpetuo illum submittens anathemati, *omni honore, nomine, dignitate et operatione, quæ Christiano, aut sacerdotalis ordinis viro conveniat, vel convenire possit, privans*, etc.

427 Quid,

unde confirmatur fuga mense septembri.

427 Quid, amabo, post hæc remorari imperatorem poterat, quo minus in Severum confestim animadverteret? Aut cur adeo præcipitanda synodus fuerat, si tam lenta sequi pœna debebat? Sed lenta non fuit, ut apparet ex responsoriis Epiphanii episcopi Tyrii et subjectorum ipsi episcoporum ad synodicam Cpolitanam, ibid. col. 194; in quibus inter alia succlamasse dicitur populus Tyrius, anno Tyriorum DCXLIII, die XVI Septembris, Indictione XII, a Kalendis Septembribus anni Christi DXVIII cœpta, juxta Norisium de Epochis Syromaced. diss. IV, cap. IV: *Ejecit Severum Dei Genitrix, qui turbavit ecclesias.* Item: *imperator jussit, ut dixit synodus: imperator jussit, et tota synodus.* Item: *Trinitas vicit; recessit Acephalus* (Severus) *Augustus vicit*, etc. Jam ergo non modo a synodo Constantinopolitana exauctoratus erat Severus; sed etiam imperatoris edicto damnatus jussusque episcopatu facessere, seu potius Constantinopolim adduci, ut habet Liberatus in Breviario cap. XIX, cum epistola illa synodica Constantinopoli Tyrum destinaretur,
B ubi cum duabus aliis publice prælecta est XVI Septembris anni Christi DXVIII. Quid ni ergo illo ipso mense Septembri fugisse Severus dicatur?

Neque ejus hæc fuga in annum alium quadrare potest,

428 Præterea cum ex Evagrio et Nicephoro Callisto lib XVII, cap. II, constet, elapsum Antiochia Severum esse mense Septembri, imperante Justino, id plane in alium annum cadere non potest, quam in Christi DXVIII: ante illum enim Justinus imperator non fuit; post illum autem, hoc est, anno Christi DXIX, post diuturnas maxime de episcopo in Severi locum eligendo disceptationes, jam a mense Maio in vacuam pridem Severi sedem Paulus electus erat; ut suo loco probabitur. Plura in hanc rem videri possunt apud Eminent. Norisium loco laudato. Hæc interim abunde sufficiunt, ut cum Liberato Diacono, Breviarii cap. XIX, dicas episcopatu Antiocheno potitum esse Severum *plusquam quinque annis*: etenim a die VI Novembris anni Christi DXII usque ad Septembrem anni DXVIII, anni sunt V et menses circiter X. Quod autem anni VII illi tri-
C buuntur in tabulis Theophanis, itemque apud Zonaram, ac forte etiam, ut supra notavimus, apud Nicephorum CP. (quamquam ibi Severi nomen omissum est;) inde id factum puto, quod anni fere septem ab initio Severi usque ad initium Pauli, qui Severo substitutus fuit, effluxerint, ut infra patebit. Ceterum de Victore Tununensi, qui Severi fugam refert *Justino Aug. et Apione*, sive Opilione, *Coss.*, id est, anno Christi DXXIV, nihil dixi: quod ejus auctoritas, ob anachronismos frequentes non admodum gravis, cum adductis tot aliorum testimoniis conferri non possit.

Severi compendiosa descriptio.

429 *Hic Severus*, inquit Evagrius lib. III, cap. XXXIII, *patriam habuit Sozopolim, unam ex urbibus provinciæ Pisidiæ. Ac primum quidem Beryti causidicinæ operam dederat; postea vero, relicto jurisprudentiæ studio, cum sacrum Baptisma suscepisset... illico monasticam vitam amplexus est in quodam monasterio, quod inter civitatem Gazam et oppidum Majumam in medio itineris positum est.* Sed quia synodum Chalcedonensem pertinacius impugnabat, *a Nephalio quodam et a monachis, qui cum illo erant, Severus una cum illis, qui opinioni ejus adhærebant, ejectus est ex monasterio. Qui mox ad regiam urbem perrexit, tam pro se, quam pro illis, qui una cum ipso expulsi fuerant, legationem obiturus. Hoc modo ad notitiam et familiaritatem imperatoris* Anastasii *pervenit*: qua quidem familiaritate ad omne scelus contra orthodoxos abusus est, Macedonium in primis episcopum CP., quem damnavit, et S. Flavianum, quem ab Antiochena sede expulit, teste Liberato Breviarii cap. XIX. Sed nimirum, non ea est Severi flagitiorumque ejus historia, ut eam tantillo compendio complecti sperem. Quibus operæ pretium fuerit ea cognoscere, habent in Annalium Baronii tomo VI et VII, unde ambæ, ut aiunt, aures tinniant; aut si terret scelerum longiuscula narratio; pauca sunt quidem e multis, at selecta gravissimaque, quæ exhibet Supplicatio clericorum et monachorum Antiochiæ ad Joannem patriarcham tom. V Concil. Labbei, col. 158. Quæ Supplicatio quo tempore scripta sit, consule Norisium jam citata sæpius diss. III, cap. VI versus medium. De dogmatis porro Severi E vide Cyrillum Scythopolitanum in Vita S. Sabæ apud Cotelerium num. 56 et alibi. Cetera, quæ ad Severum jam sede Antiochena dejectum pertinent, persequar in hujus sæculi appendice de Patriarchis Antiochiæ Jacobitis.

SÆCULUM VI.

LIII. PAULUS II.

Paulus II pro Severo electus est post longas disceptationes A. C. 519, mense Maio:

Post Severum Paulus, *Chalcedonensem synodum palam prædicare jussus, thronum episcopalem conscendit*, inquit Evagrius lib. IV, cap. IV. Idem habet Liberatus Diaconus Brev. cap. XIX et ceteri communiter. Verum hæc successio magno stetit ac diuturno molimine, ut patet ex *Suggestione Germani et Joannis episcoporum* etc. apud Labbeum tom. IV Concil. col. 1488, ubi dicitur: *Orate, ut Antiochenam quoque consimilis felicitas illustret ecclesiam, de cujus antistite adhuc tractatus nutare conspicitur: quoniam inter diversa vota populorum de personæ electione non constat.* Scripta est hæc Suggestio ad Hormisdam summum Pontificem F anno Christi DXIX circa Pascha, uti ex ipsa colligere est, hoc est, sub finem Martii. Submissæ deinde sunt eodem anno Suggestiones aliæ Constantinopoli ad Hormisdam, quarum prima solius est Dioscori diaconi, apud Labbeum tom. IV Concil. col. 1512, *data III Kalendas Junias*, in qua hæc leguntur: *Nunc, etsi post labores, etsi post intentiones plures, Antiochena ecclesia ordinata est: electus est quidam, Paulus nomine, presbyter Constantinopolitanæ ecclesiæ, quem huic honori aptissimum imperatoris testimonio comprobatum voluerunt et tentaverunt hic ordinare. Ego jussionis vestræ non immemor contradixi, dicens: Jussit Dominus noster beatissimus Papa, secundum antiquam consuetudinem, ibi* (Antiochiæ, non Constantinopoli) *eum episcopum ordinari. Hoc obtinuit quod præcepistis.*

vir probus ille tum quidem:

431 Altera Suggestio est *Germani et Joannis episcoporum, Felicis et Dioscori diaconorum, et Blandi presbyteri*, et subscribitur: *Data III Kalendas Julias, Constantinopoli*, ibid. col. 1514; ubi idem his præter alia verbis asseritur: *Post multas afflictiones, et pene in tres menses a Patribus*

tribus

SÆCULUM VI.

tribus protracta certamina piissimus imperator sua auctoritate Paulum nomine, presbyterum de ecclesia Constantinopolitana elegit episcopum fieri in ecclesia Antiochena, dicens inter alia et hoc testimonium de ipso; quia duobus annis in Antiochia positus non mediocriter resistebat Severo hæretico. Similia et omnes catholici consonabant. Ex quibus omnibus liquet 1. qualis fuerit Severi successor Paulus, et quo pacto evectus: 2. electum eum fuisse ante finem mensis Maii, consecratumque subinde Antiochiæ, juxta *suggestionem* Dioscori: 3. multis ante mensibus vacasse sedem Antiochenam: ac proinde Severum, qui eam mense Septembri fugiens reliquerat, ad annum Christi DXIX in ea nequaquam perstitisse.

at brevi muneris male gesti sibi conscius, ne judicium subiret, sponte cessit ecclesia sua.

432 Qui in vita privata, atque in obscura xenodochii Lubulorum, quam, teste Theophane pag. 141, gerebat, præpositura omnibus sese probaverat Paulus, vix factus episcopus, sublimiori fortuna cœpit insolescere. *Ita versatus esse dicitur*, inquit ipse Justinus imperator ad Hormisdam scribens tom. IV Concil. col. 1555, *in multis causis, quæ religiosis* B *alienæ sunt episcopis, ut clericorum suorum proditione, habitatorum etiam dictæ civitatis, aliorum insuper frequentium, incusaretur, non tantum legatis vestræ Sanctitudinis, in hac regia positis urbe (ut ipsos quoque retinere censemus;) verum post eorum recessum. Qui malæ conscientiæ suæ testimonio, veritus insuper, ne, quæstione habita, graviorem formam exitus rei posceret, recusatores libellos obtulit, ut liceret ei secedere a suscepto (sicut dictum est) episcopatus officio . . . Data Kalendis Maiis, Constantinopoli, Justiniano et Valerio viris clarissimis consulibus;* id est, anno Christi DXXI. Eadem fere habet Relatio Epiphanii episcopi Constantinopolitani, ibidem subjecta; nisi quod addat, *perturbationes* illas *Antiochiæ* et *multas* fuisse, et *non parvo temporis spatio* durasse, et eo usque populi Antiocheni ab indigno Præsule alienasse animos, ut multi a catholica communione separarent sese, et assiduas interpellationes imperatori ingererent, manifestamque fieri supplicarent eorum, quæ in accusationem ducebantur, inquisitionem; quod cum Paulus tantopere formidaverit; necesse est et gravia ejus delicta et C vera fuisse.

A. C. 521 versus Aprilem.

433 Verum quod ad rationes temporis attinet; innotuerat spontanea ejus abdicatio, ut ex dictis patet, ante Kalendas Maias Justino Constantinopoli; factam ergo oportet esse sub finem Martii aut initium Aprilis Antiochiæ; postquam episcopatum obtinuisset a mense Maio anni Christi DXIX, hoc est, anno uno circiter et mensibus undecim, sive annis duobus, ut habet Eutychius tom. II, pag. 152, et iis quidem non expletis; vel etiam tribus, ut numerat S. Nicephorus cum tabulis Theophanicis (quæ tamen hoc loco cum auctoris textu, ut sæpe alias, non conveniunt pag. 143;) sed hi annos hic computant Julianos utrimque incompletos, ut solus medius fuerit integer, primus vero ac tertius mutilati. Porro est Euagrio lib. IV, cap. IV conjicere est, Paulum ab eluso imperatoris tribunali ad divinum paulo post esse citatum.

D

LIV. EUPHRASIUS.

Paulo suffectus Euphrasius sub medium A. C. 521.

Admissis Pauli, quibus in ordinem redigi postulabat, libellis, EUPHRASIUS *post illum*, teste Euagrio lib. IV, cap. IV, et aliis passim omnibus, *ex urbe Hierosolymitana veniens, episcopatum obtinuit;* sub medium, uti ex dictis et modo dicendis colligi poterit, anni Christi DXXI. Cujus quidem patriarchæ quam scelerata videntur initia fuisse, tam ferale fuit exitium. De initio sic ad annum Alexandrinum DXIII, qui cum anno nostrate DXXI usque ad diem XXVIII mensis Augusti concurrit, pronuntiat S. Theophanes: *Euphrasius autem Antiochenus Chalcedonensem synodum, et nomen Romani Pontificis* (S. Leonis magni, cujus Tomus, item ut synodus illa, execrationi erat hæreticis) *erasit ex Diptychis. Postmodum vero male sibi metuens, quatuor synodos promulgavit.* E

decessore nihilo dignior.

435 Addit Malela in Justino imperatore pag. 138, quod vix credibile est, *graviter persecutum eum fuisse eos qui dicebantur orthodoxi, plurimis eorum etiam neci traditis.* Quidquid sit (nam hæc apud antiquiores non legi;) hoc demum certissimum est, Euphrasium, eversæ funditus Antiochiæ ruinis oppressum consepultumque, communi quidem, at miserabili quam quod maxime fato interiisse: hoc enim testantur Marcellinus in Chronico, Euagrius lib. IV, cap. V, SS. Nicephorus et Theophanes in Chronographia, Joannes Malela in Justiniano pag. 149, Georgius Cedrenus sub Justino, Nicephorus Callistus lib. XVII, cap. III, aliique; apud quos videri potest, quam terribilis fuerit hæc strages, cum elementa, cognatæ oblita discordiæ, quasi facto inter se fœdere, in unam omnia civium Antiochensium perniciem urbisque opulentæ vastitatem conspirarent. Disquirendum est modo, quo id tempore Euphrasio acciderit.

terræ motu.

436 Nam, cum ex auctoribus citatis dubium esse nequeat, quin fatali illo, quo Antiochia corruit, terræ motu perierit; fieri non potest, ut interitus ejus annum Christi DXXVI antecesserit, quod putavit Cardinalis F Baronius ad annum Christi DXXV a num. 13: quandoquidem ex ipsis illis, quos ibi pro se adducit, scriptoribus apertissime demonstretur, anno primum Christi DXXVI tempestatem illam Antiochenis incubuisse. Hoc asserit citatus ab eo Marcellinus in Chronico; ubi rem hanc contigisse refert *Indictione* IV, *Olybrio solo Coss.;* qui bini characteres evidentissimi sunt anni DXXVI. Hoc asserit citatus ibi etiam Euagrius, cum ait lib. IV, cap. V: *Anno imperii Justini septimo, mense decimo* (imperii Justini supra annum septimum, ut ex adjunctis palam est:) *mensis Artemisii, quem Maium Romani vocant, die nono ac vicesimo: sexta feria hebdomadis, æstu meridiei ferventissimo, succussio et terræ motus urbi supervenientes pene universam postraverunt.*

qui cœpit mense Maio.

437 Feria sexta incidens in XXIX Maii non potest hic annum alium designare, quam Christi DXXVI, quo littera Dominicalis erat D; cujus item mensis Maius decimus erat supra annum septimum exactum imperii Justini, qui creatus est imperator, ut idem notat

A notat Euagrius lib. IV, cap. I, die nona Julii, anno Antiochiæ DLXVI, qui anno Christi DXVIII usque ad Septembrem respondet. Idem factum narrat Theophanes ad annum Incarnationis Alexandrinum DXVIII, qui nobis est DXXVI usque ad XXVIII Augusti; eumdemque addit, cum Marcellini Chronico, consulem Olybrium, et Indictionem quartam, mensemque, cum Euagrio, Maium. Præter consulem Olybrium, certissimum ejusdem anni indicium exhibet Joannes Malela in Justino imp. pag. 144, ubi dicit, *periisse ab hoc excidio* CCL *circiter mortalium millia : ob magni enim festi,* inquit, *Assumptionis Christi, Dei nostri, celebrationem; frequentia ibidem erat advenarum maxima.* Proximum ergo repentino illi eventui (hoc est diei XXIX Maii juxta Euagrium) erat festum Ascensionis Domini : contigit igitur anno Christi DXXVI quo Pascha celebratum est die XIX Aprilis; Ascensio vero die XXVIII Maii : nam anno DXXV Ascensionis festum inciderat in diem VIII Maii; anno autem DXXVII in diem XIII Maii. Hæc de B anno, mense, ac die exortæ stragis Antiochenæ; nunc ad Euphrasium redeo.

obrutus interiit A. C. 526.

438 Si fœda hæc Antiochiæ procella eodem, quo cœpta est, impetu ac tempore deferbuisset, ut fere narrare videtur Euagrius; jam de ipso die, quo interiisset Euphrasius, manifeste ex dictis constaret. At enim Euagrius rei hujus historiam digito tantum uno attigit, utpote a Joanne Rhetore, ut ibidem ait, fuse atque eleganter jam ante pertractatam. Cum vero ex S. Theophane ac Cedreno locis citatis discamus, terræ motus illos annum unum tenuisse, seu potius identidem exstitisse novos, hoc est, usque ad medium circiter annum Christi DXXVII; quæri potest, utrum anno Christi DXXVI occubuerit Euphrasius, an sequenti; maxime cum Theophanes id factum narret anno Alexandrino DXIX, Justini imp. IX, ut etiam habet Cedrenus; cumque Euagrius quoque satis indicet non primo statim successionis exordio episcopum obtritum esse; sic enim, postquam illam descripserat, pergit : *Postremo Euphrasius quoque ruinis oppressus est, quæ fuit urbis alia* C *calamitas, ne quis superesset, qui res necessarias provideret.*

mense circiter Septembri.

439 Verum ne patriarchæ hujus mortem ab anno Christi DXXVI removeam, facit primo Marcellinus Comes, qui eam contigisse memorat *Indictione* IV, *Olybrio solo Coss.* Auctor quoque Chronici Edesseni ac Dionysius apud Assemanum tom. I Biblioth. Orient. pag. 414, obtritum dicunt Euphrasium anno Græcorum DCCCXXXVII, qui usque ad autumnum respondet anno Christi DXXVI. Deinde S. Nicephorus, Theophanes in laterculis, Eutychius tom. II, pag. 152, Zonaras lib. XII, num. 34 Euphrasii episcopatui annos quinque adscribunt, qui a medio circiter anno Christi DXXI inchoati, ultra medium circiter annum Christi DXXVI, aut paulo amplius, non excurrunt. Accidisse ergo potuit mense Septembri ejusdem anni; cum ab Euphrasii interitu annum Justini nonum describere ordiatur Cedrenus, qui a die IX vel X præteriti mensis Julii cœperat; cumque ab eadem Euphrasii jactura narrare incipiat Theophanes, quæ anno Alexandrino DXIX, qui incipit XXIX Augusti anni Christi DXXVI, contigerunt. Ita Marcellinum, Euagrium aliosque jam allegatos auctores facili negotio conciliaveris.

SÆCULUM VI.

LV. EPHRÆMIUS.

Euphrasio successit Ephræmius.

Collapsam tandem omnique post amissum Euphrasium subsidio destitutam prorsus Antiochiam Providentia divina respexit; cum, Euagrio teste lib. IV, cap. VI, EPHRÆMIUM, *tunc Comitem Orientis, excitavit, ut omni cura ac solicitudine prospiceret, ne ex rebus necessariis quidquam civitati deesset. Quem admirati hanc ob causam Antiocheni, episcopum urbis communi suffragio elegerunt. Igitur Ephræmius apostolicam sedem, tamquam præmium ac mercedem suæ erga urbem illam providentiæ, sortitus est;* idque cum jam instaurandis publicis Antiochensium ædificiis operam daret, ut ex Malela colligitur in Justiniano, pag. 148 et seq., et refertur in Prato spirituali Joannis Moschi apud Cotelerium Monumentorum ecclesiæ Græcæ tom. II, pag. 359, num 27; ubi E etiam narratur, quo pacto promotionem hanc suam ex operario quodam architectis ministrante, ut præ se ferebat, re tamen vera episcopo ac viro sancto ac rerum futurarum scientia divinitus prædito, paulo ante quam facta est, Ephræmius intellexerit.

A. C 527 versus Maium;

441 Theophanes ordinatum Ephræmium notat, pag. 148, anno Alexandrino DXIX in fine, hoc est, ante Septembrem anno Christi DXXVII : Euagrius autem ac Cedrenus, ante imperium Justiniani solius; ac proinde ante mensem Augustum, cujus primo die Justinus obiit. At, si verum est, quod ait Joannes Malelas in Justiniano imperatore, pag. 149, imperatores nempe, Justinum ac Justinianum, audita Ephræmii canonica in patriarcham institutione, Zachariam quemdam Tyrium, (diversum a Patricio Armenio, qui Zachariæ successit mense Octobri ejusdem anni Christi DXXVII, juxta Theophan. pag. 148, et Malelam pag. 152) submisisse Constantinopoli, quem comitem Orientis in Ephræmii locum suffecerint; eumque tum Zachariam venisse Antiochiam, visaque miserabili ejus F desolatione, per litteras ab *imperatoribus* petiisse, ut sibi Byzantium liceret accedere, Antiochenorum causam acturum; eoque concesso, venisse Constantinopolim; indeque porro cum auro revertentem adhuc Justinum imperatorem Byzantii superstitem reliquisse. Hoc, inquam, si verum est, non potest Ephræmius ordinatus fuisse serius, quam versus initium Maii; quandoquidem inter Ephræmii electionem et mortem Justini imperatoris hæc omnia interjiciantur : 1. nuntius electi patriarchæ, Antiochia Constantinopolim allatus; 2. iter novi comitis Orientis Constantinopoli Antiochiam; 3. litteræ ejusdem comitis Antiochia Cpolim, et acceptum ad illas inde responsum : 4. denique adventus ejusdem Antiochia Constantinopolim. Quæ omnia tres facile menses et amplius exigunt, qui præcesserint mortem Justini, seu Kalendas Augusti.

non A. C. 526.

442 Non assentior itaque Norisio in dissertatione historica de synodo V, cap. III, ubi cum suo Panvinio existimat, Ephræmium eodem

[illegible] M VI. eodem anno, Christi DXXVI, quo Euphrasius occubuit, ejus loco consecratum fuisse. Malim eatenus cum Pagio ad annum Christi DXXVI, num. 12, Emin. Baronium sequi, qui, narrata Euphrasii morte, anno demum sequenti ei successorem Ephræmium designat. Hoc enim producti numero superiori auctores, S. Theophanes, Cedrenus, Malela exigunt, qui omnes ordinationem Ephræmii, assumpto in imperii consortium Justiniano, hoc est Kalendis Aprilibus anni Christi DXXVII, posteriorem recensent. Hoc ipsum satis innuit, quantumvis in hac historia succinctus Euagrius lib. IV, cap. V et VI : scribit enim, oppresso jam ruinis Euphrasio, circa Septembrem anni superioris, ut vidimus, neminem superfuisse Antiochiæ, qui res necessarias provideret; donec *Ephræmium, tunc Orientis comitem,* Deus *excitavit, ut omni cura ac solicitudine prospiceret, ne ex rebus necessariis quidquam civitati deesset.* Hanc vero ejus in sublevanda urbis calamitate industriam caritatemque nec admodum brevem nec exiguæ operæ fuisse, indicant verba quæ ibidem subB dit Euagrius; *Igitur Ephræmius Apostolicam sedem, tamquam præmium ac mercedem tantæ providentiæ suæ,* τῆς τοσαύτης προνοίας, *sortitus est;* eam itaque aliquot saltem mensibus, atque adeo in annum facile sequentem continuasse comitem adhuc Orientis Ephræmium oportet, priusquam in episcopum legeretur.

ut Emin. Norisio visum est.

443 Idem firmatur iis, quæ supra ex Malela et Joanne Moscho diximus : nam si publicis ædificiis reædificandis distentus erat, cum ad episcopatum vocaretur; profecto istiusmodi negotio nec instans, nec media hiems erat opportuna; non igitur anno DXXVI successor Euphrasio rogatus est; sed anno DXXVII, jam architectonicæ exercendæ aliquamdiu maturo. Mitto etiam, cum initio anni Alexandrini, juxta Theophanem, DXIX, id est, mense circiter Septembri anni Christi DXXVI, terræ succussio adeo invaluerit, ut *omnes ædes Antiochiæ, et ecclesiæ conciderint,* parum esse verisimile, ut in ea urbis vastitate, solitudine, et civium, qui quidem evadere potuerant, per agros silvasque palantium consternatione, subito de episcopo deligendo C ante omnia sit cogitatum.

Sedit autem usque ad A. C. 545, mensem circiter Maium;

444 Nicephorus patriarcha in Chron., Theophanes in laterculis, Eutychius tom. II, pag. 151, Zonaras lib. XII, num. 34, Ephræmium Antiochenæ ecclesiæ præfuisse omnes asserunt per annos octodecim, qui, ab anno Christi DXXVII repetiti, in annum Christi DXLV desinunt, quo anno a XXIX Augusti mensis tabulæ Theophanicæ annum successoris ejus primum ordiuntur. Doctissimus tamen Baronius ad annum Christi DXLVI obitum Ephræmii differt. num. 68, *cum sedisset,* inquit, *decem et octo annos;* deinde subjicit : *Qui autem eum anno superiori diem obiisse putarunt, ex his quæ ipsum egisse cum Justiniano imperatore hoc anno vidimus, errare noscuntur. Idem dicendum de Petro episcopo Hierosolymitano.* De Petro vide Historiam nostram Chronologicam Patriarcharum Hierosolymitanorum præfixam tomo III Maii pag. XXVIII, num. 124. De Ephræmio vero, cum ejus exordium statuat Baronius anno Christi DXXVI, ut ibi vide num. 52, dici ab eo non potuit sedisse illum tantum annos XVIII.

445 Vidit ipse hoc vir maximus : itaque dicta corrigens ad calcem tomi undecimi pag. 729, pro *decem et octo* reponi jubet, *ferme viginti.* At enim sic SS. Nicephorum et Theophanem; sic Eutychium ac Zonaram erroris arguit; neque tamen quidquam affert, quo sententiam suam adversus eos tueri possit : nam quod ait, anno Christi DXLVI promulgatum primum esse Edictum Justiniani contra tria Capitula, cui Petrus atque Ephræmius subscripserint, id refutat Pagius in Criticis ad illum annum, ostenditque a num. 3, Edictum illud anno Christi DXLIV vulgatum esse ac subscriptum. Alterum, quod in hanc rem profertur a Baronio num. 76, de misso ab Ephræmio ad Vigilium Papam, quando hic iter Constantinopolitanum susceperat, usque in Siciliam legato, perperam humano errore, qui in tam vasto opere facile viro illi, quantumvis sagacissimo potuit obrepere, acceptum ab eo est : neque enim de Ephræmii apud Facundum Hermianensem lib. IV, cap. IV, pag. 171; sed de Zoïli episcopi Alexandrini legato fit mentio; uti post Norisium observat Pagius in Criticis ad annum E Christi DXLVI, num. 8. Quamquam ne hoc quidem, si verum esset, chronologiam nostram everteret; quando Vigilius non anno DXLVI, sed DXLIV Roma in Siciliam profectus est, ut paulo ante contendit Pagius.

tametsi aliter putarit Baronius.

446 De Ephræmio nostro ita scribit Photius in Bibliotheca : *Syrus quidem fuit genere ac sermone; græcam vero linguam non mediocriter calluit. Sed et civiles gessit magistratus, e quibus comes tandem Orientis renuntiatus, inde ad summam ecclesiæ cathedram evectus est. Ferunt autem cum alia laude digna gessisse, tum vero eleemosynis elargiendis enituisse. Libros vero varios composuit, quorum in manus meas tres inciderunt. Omnia pene opera ejus quæ vidimus, pro ecclesiasticis dogmatibus pugnant, defenduntque sanctum Chalcedonense concilium extra omnem esse hæreticorum reprehensionem.* Exinde de libris ejus copiose agit a Cod. 228 usque ad Cod. 230. Quod eum Syrum fuisse dicat Photius, nemo existimet, eumdem hunc esse cum S. Ephræm, qui vulgo Syrus cognomen habet, quique multo fuit senior, et de quo agit idem Photius Cod. 196 : satis enim nostrum ab illo F distinguit, cum *patriarcham* appellat *Theopolitanum* (sive Antiochenum : sub Ephræmio enim Antiochia Theopolis vocitari cœpta est, ut Euagrius lib. IV, cap. VI, aliique docent.) Sanctum tamen hunc etiam præsulem nostrum vocat Photius; in Prato item spirituali apud Cotelerium tom. II Monum. eccles. Græc. pag. 360 et seq. identidem aut *beatus* aut *divinus Ephræmius* nominatur; ubi etiam fertur, num. 28, Stylitam quemdam, hæreticum Severianum, patrato insigni miraculo, ad ecclesiæ gremium reduxisse.

Insignia de Ephræmii eruditione ac pietate testimonia;

447 S. Symeon Stylita junior in Actis Sanctorum ad diem XXIV Maii, pag. 336, num. 75, sanctum quidem Ephræmium non appellat; at præclarum tamen de felici ejus morte, sibi divinitus revelata, testimonium dedit : *nam illucescente jam Veneris die, convocavit denuo fratres, dixitque : Pontifex Dei hac nocte e vita migravit : vidi namque animam illius, turba magna candidis vestita comitante, hac transvolantem, salutantemque me, et memoriam sui apud Deum ut facerem, præcipientem; commemorantemque,*

et S. Symeoni Stylitæ juniori revelatus obitus.

A *commemorantemque, qualiter erga me ac matrem meam fuerit affectus.* Tum subdit auctor vitæ, comperisse deinde fratres, *Hac ipsa nocte sanctum,* τὸν θεῖον, *Ephræmium decessisse.* Ceterum cultus ejus nullum uspiam in Martyrologiis, aut Menologiis vestigium reperi. Quin imo Facundus Hermian. episc., quod Justiniani edicto contra tria Capitula, licet invitus, subscripserit, ita de illo pronuntiat lib. IV, cap. IV : *Effremius Antiochenus, cum primum ei mandaretur, ut hoc etiam ipse subscribendo firmaret, consentire noluit. At postquam ei denuntiatum est, quod excludendus esset, nisi faceret ; sui potius honoris, quam veritatis dilector inventus est.* De synodo a magno, ut ibi nominatur, Ephræmio adversus Origenistas convocata vide Libellum synodicum apud Labbeum tom. V Concil. col. 306.

LVI. DOMNUS III, sive DOMNINUS.

B

Sedit ab A. C. 545 mense Septembri circiter,

Cum Ephræmius, a quatuor, quos modo commemoravi, chronologis annos XVIII posuisse in episcopatu dicatur; nec eorum quisquam plus ei temporis aliquid, aut minus tribuat; nec aliunde plus aliquid aut minus colligatur; consequens videtur esse, ut numerum annorum illorum administratione sua fere, ac moraliter, ut aiunt, loquendo, exæquaverit; pertigeritque adeo a mense Maio circiter anni Christi DXXVII, usque ad mensem propemodum eumdem anni Christi DXLV; unde ulterior, nec improbabilis, conjectura fieri potest, quo circiter anni ejusdem DXLV tempore Ephræmio DOMNINUS (sic eum appellat S. Symeon Stylita junior, Euagrius lib. IV, cap. XXXVII, et quinta synodus passim; alii fere DOMNUM nuncupant, quo nomine tertius est) successerit: etenim cum, defuncto Ephræmio, cathedram illam appeterent plurimi, sibique comparare satagerent, ut est in Vita citata S. Symeonis, num. 76, satis fit verisimile, non continuo fuisse designatum qui demortui locum impleret: quare si versus Maium Ephræmius obierat, facile intelligitur, protrahi potuisse Domnini C consecrationem usque ad Augustum proximum aut Septembrem, quo tempore annum ejus, ut dixi, primum auspicantur laterculi Theophanici.

usque ad A. C. 559 æque adultum.

449 Inde porro si duxeris annos XIV (totidem enim illi concedunt S. Nicephorus, Theophanes in tabulis, Eutychius tom. II, pag. 171) ad annum Christi DLIX, æque propemodum adultum, devenies, una cum tabellis Theophanis, quæ annum Incarnationis Alexandrinum DLII, qui cum anno Christi DLIX a die XXIX Augusti confluit, Anastasii, qui Domninum secutus est, primum designant. Tabulas vero illas hoc appello libentius, quod, licet alibi parum exactæ sint, hic tamen Sancti auctoris Chronographiæ aptissime congruant, ut apparebit ex anno, quo indictum est exilium Anastasio. Victoris Tunonensis Chronicon hic usque adeo luculente parachronicon est, ut solam hujus ac sequentis patriarchæ, sine certo tempore, successionem firmare possit. Baronius, uti Ephræmio pro XVIII annis perperam XX consignandos putavit; ita Domnini annos XIV coactus est usque ad annum Christi DLXI extendere, num. I.

450 Erat Domninus *ex Thracia oriundus, præfectus* primum *cuidam juxta Lychnida, civitatem* Macedoniæ, *ptochotrophio,* sive domui alendis pauperibus erectæ. Cumque *negotiorum causa imperatricem per illud tempus,* quo vacabat sedes Antiochena, *conveniret, amicitiæ jure quibusdam aulicis familiarior factus ab illis ad imperatorem (is erat Justinianus) adducitur. Imperator, ut erat regularis disciplinæ atque apostolicarum constitutionum parum studiosus, primo mox congressu virum suffragio suo eligit, Ecce, inquiens, hic est Antiochiæ patriarcha. Et Domninus statim ad sedem illam se confert.* Hæc in Vita S. Symeonis Stylitæ junioris die XXIV Maii, pag. 336, num. 76. Sensit illico ecclesia Antiochena, atque in primis miserorum ac pauperum turba (quod numero præcedenti vaticinatus erat Symeon) quantam in Ephræmio passa jacturam esset. quam enim in eos durus initio Domninus, jam non amplius ptochotrophus, fuerit, qualemque propterea, juxta S. Symeonis prædictionem, pœnam a Deo tulerit, vide ibidem, num. 76. Videtur tamen ita sese gessisse imposterum, ut ejus mors Antiochenis luctuosa accidere debuerit; cum eam cælesti viso prænoscens S. Symeon, fratres ad preces pro ecclesia Antiochena fundendas, quasi ad hoc ejus malum deprecandum, hortatus sit, ut habetur in Vita jam dicta, num. 192. Quid in synodo V præstiterit anno Christi DLIII, cujus Collationibus omnibus interfuit, subscripsitque sententiæ, lege apud Labbeum tom. V Concil. in concilio Cpolitano secundo, a col. 416.

Domnini initia pejora, quam finis

E

LVII. S. ANASTASIUS I. primo.

S. Anastasius Domnino successit A. C. 559 circa Septembrem.

S. ANASTASIUS, quem Baronius aliique plurimi cum S. Anastasio Sinaïta non recte confundunt, professione monachus fuit, genere Palæstinus, teste S. Symeone juniore Stylita, qui illum Domnino successurum prædixerat in Actis Sanctorum die XXIV Maii, pag. 379, num. 192. Egregias ejus virtutes, doctrinam, scripta, resque præclare gestas et cultum dedimus in Actis Sanctorum die XXI Aprilis, a pag. 850. Legi etiam possunt epistolæ S. Gregorii magni istic citatæ, ex quibus datur intelligi, et quanto Præsulem hunc amore Pontifex ille undequaque Maximus prosecutus olim fuerit, et quam sublimem de eximia ejus cum doctrina tum sanctitate conceptam animo gesserit opinionem. Solam hic ego chronologiam ejus attingam. Ecclesiam itaque Antiochensem gubernandam suscepit, ut num. 449 dictum est, anno Christi DLIX, mense circiter Augusto aut Septembri; obtinuitque, juxta S. Nicephorum ac Theophanem, per annos undecim; atque adeo usque ad annum Christi DLXX, quando *Magnus ille Anastasius Antiochiæ episcopus... Justini mandato sede depulsus est,* inquit S. Theophanes ad annum divinæ Incarnationis secundum Alexandrinos DLXII, qui usque ad Septembrem fere cum anno Christi DLXX decurrit.

F

452 Idem

Sæculum VI expulsus A. C. 570.

452 Idem narrat Euagrius lib. v, cap. v: et ab hac depulsione (non ab alia de qua agit lib. iv, cap. xl, quæ executioni data non fuit; ut videtur intellexisse Baronius ad annum Christi dxciv, num. 29) usque ad ejus revocationem recte annos numerat xxiii, ut numero proximo ostendam. Eutychius tom. II, pag. 183 ait quidem, cum ante exilium sex tantum annis episcopum fuisse; sed errorem hunc arguent, quæ num. seq. de Anastasii restitutione dicenda sunt, ex quibus etiam chronotaxis Baroniana emendabitur, ac stabilietur nostra. Credibile vero non est, quod loco citato narrat Eutychius, exauctoratum Anastasium, *dissimulato habitu, Hierosolyma profectum esse, ubi in templo Resurrectionis candelapta factus, lucernas accenderit, eoque munere* xxiv *annis functus sit .... nemine interim ipsum patriarchatu functum esse dignoscente:* hæc enim non cohærent cum epistolis S. Gregorii magni tum de ipso, tum ad ipsum nondum revocatum scriptis, quæ sane tam ignotum fingi per id tempus Anastasium neutiquam patiuntur.

B

LVIII. GREGORIUS I.

Sedit ab A. C. 570.

Post Anastasium vero, inquit Euagrius lib. v, cap. vi, *ad episcopalem sedem evectus est* Gregorius. Primordia ejus ac finem luculento testimonio probat Lambecius in Commentariis de bibliotheca cæsarea lib. vii, Cod. xc, ex quo profert pag. 168 Orationem Anastasii, de quo modo egimus, sic inscriptam: Τοῦ αὐτοῦ Ἀναστασίου, πατριάρχου Ἀντιοχείας, λόγος, ὁπηνίκα ἐπανῆλθεν ἐπὶ τὸν θρόνον διὰ τριῶν καὶ εἴκοσι χρόνων· ἐλέχθη δὲ ἐν τῇ ἁγίᾳ ἑβδομάδι, μηνὸς Μαρτίου εἰκάδι πέμπτῃ ἡμέρᾳ τετάρτῃ, ἰνδικτιῶνος ια', βασιλεύοντος Μαυρικίου τοῦ εὐσεβεστάτου ἡμῶν βασιλέως, id est, *Ejusdem Anastasii, patriarchæ Antiocheni, Oratio, cum post annos viginti tres ad sedem rediit: pronunciata vero est in hebdomada sancta, mensis Martii die vigesima quinta, feria quarta, Indictionis undecimæ, imperante Mauricio, piissimo imperatore nostro.* Characteres hi omnes alium annum designare non possunt, quam Christi dxciii, quo Indictio erat undecima, Pascha autem xxix Martii; cujus proinde dies xxv in feriam quartam incidebat hebdomadæ Majoris, qua restitutus in thronum Anastasius Orationem hanc habuit.

C

usque ad 593, mensem Martium:

454 Ex hoc igitur antiquo monumento, cujus etiam meminit Nicephorus Callistus, ut vide apud Lambecium ibidem, conficitur i, non sedisse Gregorium nostrum ultra mensem Martium anni Christi dxciii, neque adeo usque ad annum Christi dxcv, ut Baronius autumat. 2. Epistolam, qua S. Gregorius magnus Anastasio reditum gratulatur, tom. V Concil. col. 1189, vel annis duobus post reversum Anastasium scriptam esse, ut vult ibidem Lambecius pag. 170; vel male repositam inter illas, quæ pertinent ad Indictionem decimam tertiam, uti censet in Criticis Baronii ad annum Christi dxcv, num. 5 Pagius. 3. Gregorium exturbato S. Anastasio suffectum esse anno Christi dlxx: inde enim usque ad dxciii viginti tres anni sunt, quibus hic, uti et apud Euagrium lib. vi, cap. xxiv, et Nicephorum Callistum lib. xviii, cap. xxvi, privatus fuisse dicitur sua dignitate Anastasius; itaque annos xxiv, quos Gregorio dant Nicephorus patriarcha CP., Theophanes, et Eutychius tom. II, pag. 184, numerandos esse utrimque mutilos. 4. Hallucinari Chronicum Alexandrinum, ubi reditum S. Anastasii, pag. 865, reponit anno Christi dxcii, sive Indictioni x, post Cons. Mauricii Tiberii viii: quod secutus est annot. in Euagrii lib. vi, cap. xxiv Valesius. 5. Errare Eutychium, qui Anastasio ante expulsionem tantummodo concedit annos sex: cœpit enim, ut vidimus, anno Christi dlix, nec desiit ante annum dlxx, unde ducitur initium exilii annorum xxiii: sederat ergo annis undecim. D

455 Confirmari res eadem potest ex Euagrio lib. vi, cap. xxiv (quidquid aliter Valesio visum est:) ibi enim cum narrasset Symeonis Stylitæ junioris obitum; *nec multo post* consecutam Gregorii Antiocheni mortem, *restituto* jam *Anastasio; nec multo post* secutam, extincto Joanne, ecclesiæ Hierosolymitanæ vacationem: hæc subdit: *Atque hic historiæ nostræ finis esto, anno scilicet duodecimo Principatus Mauricii Tiberii.* Cœpit annus ille Mauricii duodecimus die xiii Augusti anni Christi dxciii: non diu ergo ante, atque adeo eodem anno dxciii, ea, quæ modo descripserat, significat contigisse; illo igitur anno et mortuus est post S. Symeonem Gregorius, et ecclesiæ suæ redditus S. Anastasius. Animum huc non adverterat Janningus noster in Commentario prævio ad Vitam S. Symeonis ad diem xxiv Maii, § iii, ubi obitum ejus differt usque ad annum Christi dxcvi; qua de re vide Pagium in Criticis Baron. ad annum Christi dlxxiv, a num. 13. Gregorii vero nostri mortem ita refert Euagrius loco citato: *Nec multo post,* obitum S. Symeonis, *Gregorius podagræ morbo, quo maxime vexabatur, correptus, abiit e vita, cum medicamentum, ex hermodactylo confectum, ipsi a medico porrectum ebibisset. Mortuus est autem eo tempore, quo senioris quidem Romæ Gregorius, successor Pelagii, junioris autem Romæ Joannes episcopatum gerebant; Alexandrinæ ecclesiæ Eulogius, ut jam dixi, Antiochenæ vero præsidebat Anastasius, post tres ac viginti demum annos in sedem suam restitutus,* etc. E F

quando, restituto S. Anastasio.

456 Quis hinc non colligat, restitutum ante fuisse S. Anastasium, quam Gregorius moreretur? Fallitur ergo auctor Chronici Alexandrini citati, cum ait: *Anastasius Antiochiæ patriarcha Antiochiam rediit post mortem Gregorii, qui patriarcha fuerat, quique etiam ipsi Anastasio successerat.* Sic enim verti debet textus Græcus, non satis hic ab aliquibus intellectus. In eumdem quoque lapidem impegit Eutychius tom II, pag. 192. Quod si mirum cuiquam videatur, abjudicatam superstiti Gregorio, qui eam tam præclare gubernabat, ecclesiam illam fuisse; meminerit, satis causæ id esse, quod illa indignissime injustissimeque pulsus olim fuisset S. Anastasius; ut non solum ipsius Gregorii summa voluntate, sed etiam commendatione atque opera revocaretur; maxime si non ignorabat, id Gregorio Pontifici Romano in votis esse, ut hic lib. vii, epist. xxvii ad Sebastianum Risiniensem episcopum a biennio scribens significaverat.

Gregorius obit.

457 Qualis

vir undequaque maximus;

457 Qualis quantusque vir fuerit Gregorius, ut nemo potuit novisse penitius, quam, qui cum eo familiarissime vixit, Euagrius; ita id nemo uberius elegantiusque posteritati commendavit: *Ab ineunte ætate*, inquit lib. v, cap. vi, *in palæstra monastica exercitatus, adeo fortiter et constanti animo decertaverat; ut brevi, in prima adhuc lanugine constitutus, ad summos gradus pervenerit, et monasterio Byzantiorum præfuerit, in quo monasticum vivendi genus primum amplexus fuerat. Postea vero, Justini jussu, monachis etiam Sinæ montis præfectus fuit . . . Cum altissimam pacem ei loco conciliasset, illinc ad pontificatum evocatus est;* (quod ante sexennium Sergius anachoreta cœlesti viso edoctus, prænunciaverat, apud Cotelerium Mon. eccl. Græc. tom. II, pag. 411 et seq.) *Fuit porro et consilio, et virtute, et reliquis in rebus, omnium mortalium præstantissimus . . . . Admirationi autem fuit non Romanorum modo, verum etiam Persarum imperatoribus,* etc. Horrendis tamen non semel appetitus est, falsissimisque calumniis; ut idem narrat lib. v, cap. xviii et lib. vi, cap. vii; ubi fertur in synodo Constantinopolitana,
B anno DLXXXVIII, absolutus omni sinistra suspicione; quam synodi sententiam eatenus Pelagius II Pontifex Romanus confirmavit, teste S. Gregorio magno lib. vii, epist. LXIX. Quibus in rebus ita sese gessit Gregorius, ut inter virtutes ejus proprias celebris in primis fuerit *Injuriarum oblivio*, ut est apud Cotelerium loco citato, pag. 412.

quamquam non colatur ut Sanctus.

458 Inter præclarissima ejus ac prorsus admiranda facinora non illud in episcopo postremum fuit, quod postremo fere loco recensetur ab Euagrio lib. vi, cap. xxii, ubi sic habet: *At Gregorius, postquam donaria a Chosrhoe missa dedicasset, imperatoris permissu solitudinem Limitum peragrans, ubi Severi dogmata vigebant, iis in locis ecclesiastica dogmata prædicavit: multaque castella et vicos atque integras tribus et monasteria ad ecclesiam Dei adduxit.* Non mirum igitur, si tanti Præsulis *gloria, ut cum poëtis loquar,* inquit Euagrius lib. v, cap. vi, *longe lateque diffusa est.* S. Gregorius magnus, (quod male negat Valesius in Euagrium lib vi, cap. xxiv) illum jam biennio defunctum non
C modo appellat *Fratrem quondam et Consacerdotem suum Gregorium* lib. iv, epist. XXXVIII, sed etiam anno Christi DXCIX *Venerandæ memoriæ Gregorium, episcopum Antiochenum,* lib. vii, epist. LXIX. Est etiam a quo *sanctus*, imo *Vir sanctissimus* nuncupetur, ut habes in Monum. eccl. Græcæ Cotelerii tom. II, pag. 367, et in Indice librorum Palatii, teste Combefisio tom. I Auctarii Biblioth. PP. pag. 827, ubi Gregorii Orationem profert, et pag. 847; quo loco non dicitur *ab Andrea Cretensi aliisque vocari sanctus*, ut Combefisio adscribit Pagius ad annum Christi DXCIV, num. 6; et ex eo forte Castellanus in Martyrologio universali. Dicitur ita tamen istic vocatus in Menæis Græcorum; at ego illum nec Menæis, nec Fastis ullis, quibus Sanctorum sive in ecclesia Latina sive in Græca cultus asseritur, reperire inscriptum hactenus potui.

S. ANASTASIUS I. secundo.

Reversus S. Anastasius I, sedit ab A. C. 593, mense Martio, usque ad 599;

Reversum ad pristinam dignitatem S. ANASTASIUM esse anno Christi DXCIII, mense Martio, jam ostendimus num. 453 et seq. Quare, cum illum deinde ecclesiæ Antiochenæ præsedisse sex annis asserant S. Nicephorus in Chron. et in lamellis Theophanes, ad annum Christi DXCIX circiter pertigisse necesse est. Vivebat certe adhuc, dum eum per epistolam III libri VII S. Gregorius Pontifex maximus exeunte anno Christi DXCVII consolatus est: nec diu admodum obiisse poterat, cum Anastasio secundo, qui Anastasio primo recens successerat, statimque professionem fidei sub ingressum episcopatus ad S. Gregorium destinaverat, per epistolam XLVII, alias XLVIII, lib. VII respondit; quam Gregorii epistolam Pagius in Crit. Baron. ad annum Christi DXCIX, num. 2, datam ait *Indictione* XI, *mense Januario;* indeque contra Baronium concludit, Anastasii primi obitum ad annum præcedentem pertinere.
E

neque contrarium evincit Pagius.

460 Recte id quidem, si epistola illa scripta sit mense Januario; verum unde id constat? Sane editiones ego Operum S. Gregorii consului quatuor, quarum duæ epistolas omnes, quæ recitantur a mense Januario usque ad finem Indictionis XI, nullo amplius interposito mense distinguunt; aliæ duæ, nempe Duacena anni MDCXV, et Labbeana tom. V Concil., a Januario usque ad mensem Julium, nullum epistolis mensem interjiciunt. Inter epistolas vero illas medium fere locum obtinet ea, de qua nobis hic sermo est. Cur igitur propius ad Januarium redigitur, quam ad mensem Junium? Equidem hoc unum arbitror confici ex hoc loco posse, epistolam illam neque ante Januarium Indictionis XI missam esse, neque post Junium. At inde consequens nullo modo est, ut non totis fere sex annis Anastasius primus redditam sedem occuparit; vixeritque proinde, ut putavit Baronius, usque ad annum Christi DXCIX, mensemque circiter Martium. Porro ex his liquet Eutychii prolapsio, qui S. Anastasio jam restituto annos novem assignat F tom. II, pag. 192. Turpius aberrat Nicephorus Callistus, qui omnia permiscens, Anastasium primum usque ad Phocæ tempora relinquit in vivis; de quo consule dicta in Actis Sanctorum ad diem XXI Aprilis, pag. 852, num. 8.

LIX. S. ANASTASIUS II Martyr.

Sedit ab A. C. 599.

Anastasium primum ANASTASIUS ALTER excepit, sanctum sanctus, et quidem martyr; utpote a tumultuantibus Antiochiæ Judæis post infamem cruciatum per urbis compita raptatus ac tandem interfectus. Itaque Martyrologio Romano insertus est die XXI Decembris. Idemne sit, quem Græcorum Menæa cum excusa, tum Ms. Chiffletianum exhibent die XX Aprilis, suo loco discutietur in Actis Sanctorum. Quo tempore vero ad

SÆCULUM VI

ad infulas Antiochenas evectus fuerit, jam dictum est numero præcedenti; anno videlicet Christi DXCIX: cui si addantur anni novem, quibus eum dignitatem illam gessisse asserunt S. Nicephorus, tabulæque Theophanis, martyrium fecisse debuerit anno Christi DCVIII.

usque ad 610, mensem circiter Augustum.

462 Verum obstat ipse S. Theophanes, cum ejus necem refert anno Christi DCX, sive Indictione XIII, ut manifeste eruitur ex Indictionibus trium annorum annum hujus martyrii ibidem subsequentium. Obstat insuper Chronicum vulgo dictum Alexandrinum, quod *Indictione* XIII, *anno Phocæ imp.* VIII, *post Consulatum Phocæ Aug.* VI, sive anno Christi DCX, sic habet: *Sub exitum mensis Septembris Indict.* XIV (ab eodem Septembri inchoata) *renunciatum est, Anastasium patriarcham Antiochenum, qui scholasticus,* id est, causidicus, *fuerat, a militibus fuisse interemptum.* Ex hoc textu non annum tantummodo, sed etiam anni tempus, quo ista contigerint, licet conjicere. Annum etiam eumdem confirmat Cedrenus, dum illum fuisse dicit B imperii Phocæ octavum, sive ultimum, quem inierat die XXIII Novembris anno Christi DCIX; quare si obiit Anastasius mense Aprili, ut probabile faciunt Menæa citata, aut mense circiter Augusto, ut colligitur ex Chronico Alexandrino; omnino martyrium ejus incidit in annum Christi DCX. Cur autem Martyrologium Romanum die XXI Decembris memoriam illius potissimum defixerit, Baronius ibidem non exponit: occasionem, credo, præbuerit Historia Miscella, sive Theophanes; quod, narrata Anastasii cæde, mentionem faciat hiemis eodem anno rigidissimæ.

APPENDIX

AD SÆCULUM VI.

PATRIARCHÆ ANTIOCHENI

C

SECTÆ JACOBITICÆ.

PRÆFATIUNCULA.

Jacobitæ Syri habuerunt patriarchas suos Antiochenos;

Quod in Tractatu Historico Chronologico de Patriarchis Alexandrinis, quem tomo quinto Junii præfiximus, observatum est, ut non orthodoxorum modo patriarcharum, sed Jacobitarum etiam ratio haberetur; idem et ego hic mihi faciendum esse duxi: quando, item ut Alexandriæ, suos hæc secta patriarchas apud Antiochenos habuit, et continua quidem serie inde a Severo ad hæc usque tempora nostra deductos. Docuerat id nos post Chronicum Orientale præcipue Eusebius Renaudotius in Historia sua Patriarcharum Alexandrinorum Jacobitarum edita Parisiis anno MDCCXIII, ubi ex auctoribus suis Arabicis non paucos ejusdem furfuris patriarchas eruderaverat Antiochenses; præfatus interea, successionem illorum ex certis monumentis designari nullam posse; nisi cui litterarum Orientalium perito et major aliquando, quam sibi, instrumentorum istiusmodi copia suppetat, D et par edendi voluntas.

quorum series nuper typis vulgata est.

464 Neutra enimvero subinde defuit Viro Clarissimo Josepho Simonio Assemano, *Bibliotheca* sua *Orientali Clementino Vaticana,* cujus duo jam tomi Romæ in lucem prodierunt, de republica litteraria præclarissime merito. Is itaque tomo secundo, quo scriptores ac scripta Syrorum Monophysitarum recenset, præter alia de hoc genere propemodum infinita, patriarcharum nobis etiam Jacobitarum Syrorum sive Antiochensium ordinem continuum exhibet a pag. 321 ex Chronico Gregorii Bar-hebræi, sive Abulpharagii, primatis Orientis, quem ipse scriptorum Jacobitarum facile principem agnoscit; natumque asserit Melitinæ in Armenia anno Christi MCCXXVI. Binos insuper patriarcharum eorumdem catalogos adjungit, alterum a pag. 323 ex Dionysio Barsabilæo, qui floruit sæculo duodecimo, ut ibidem docet pag. 208; alterum ex Diptychis Jacobitarum a pag. 325, quibus anonymorum deinde appendices assuuntur, cœptam ab aliis seriem continuantium. Hinc ego potissimum, quæ in rem E meam erunt, quam potero brevissime, delibabo; omissurus interim quæ ad hæresim Jacobiticam explanandam dici multa possent, nisi jam id actum satis esset in Tractatu nostro de Patriarchis Alexandrinis. Legi præterea de hoc argumento potest ejusdem Assemani dissertatio copiosa, quam de Monophysitis tomo secundo præfixit.

adjecto tempore, quo quis sederit

465 Porro ne quemquam offendant anni Græcorum, quibus utitur in suo Chronico Bar-hebræus, eos hic ad annos Christi secundum æram nostram vulgarem perpetuo reducam, idque juxta ipsam auctoris computandi rationem, qui cum pag. 315, computum annorum lunarium Arabicorum inchoari dicat anno Græcorum CMXXXIII; satis indicat, annum Græcorum, quo utitur, noningentesimum trigesimum tertium usque ad autumnum, unde initium ducit, concurrere cum anno Christi DCXXII: hoc enim anno a medio Julio inchoantur anni Arabici, sive Hegiræ: ut proinde annus Græcorum CCCXI ille esse debeat juxta Bar-hebræum, unde fluere incipiat æra Christiana F vulgaris, quique cum anno ejus primo usque ad autumnum decurrat: in quam rem demonstrationis loco esse potest, quod infra notabitur num. 591, et alibi. Nunc rem ipsam aggrediamur. Primus itaque Abulpharagio Antiochenorum Jacobitarum Patriarcha notatur.

I. SEVERUS I.

Severus ejectus Antiochia, habetur pro patriarcha apud Monophysitas.

Ejectus ille ac fugitivus, ut supra vidimus, ex Antiochena, quam invaserat, sede, pro patriarcha deinceps haberi quidem ab orthodoxis desiit, at neutiquam ab Antichalcedonensibus seu Monophysitis, qui deinde a Jacobo Baradæo sive Zanzalo, indefesso istius hæreseos per Orientem instauratore, Jacobitæ dicti sunt; neque id in Syria tantum, atque apud subditos aut gregem suum, qui dum ille vixit, alium ipsi, licet absenti, patriarcham non suffecerunt, appellantque in diptychis SEVERUM MAGNUM; verum etiam apud

A ipsemet Assemanus in Catalogo suo pag. 479 Paulum eodem anno electum statuit, quo notat obiisse Sergium.

At hoc Monophysitæ quidam dicti Paulianistæ

476 Hic ille est, de quo meminit Timotheus presbyter apud Cotelerium ecclesiæ Græcæ Monum. tom. III, pag. 397 : *Paulianistæ, a Paulo vocati, qui communicavit quidem cum Ecclesia catholica, sed postea apostata factus, reversus est ad hæresim Acephalorum. Eum tamen Theodosiani non admiserunt, quod vel brevi tempore communicasset cum Ecclesia.* Consule de illo etiam Nicephorum Callistum lib. XVIII, cap. XLIX, ubi affirmat Paulum, cognomento Nigrum, a quibusdam Theodosianis admissum fuisse. Communicaverat autem Paulus, uti docet Assemanus tom. II, pag. 69 et seq, cum Joanne patriarcha Constantinopolitano, quem Theophanes Exscholasticum vocat, quique decessorem habuit Eutychium anno Christi DLXV, eumdemque ab exilio revocatum denuo successorem anno Christi DLXXVII, cujus mense Augusto obiit, et quo communionem ejus expetiisse potuit Paulus, anno sequenti propterea depositus. Verum et alia insuper B dejectionis ejus causa ibidem adjungitur; quod Alexandrinis Petrum patriarcham clam ordinaverit; *qui non alius certe fuit*, inquit Assemanus, *præter Petrum, Theodosii successorem.* Hoc si verum est, toto decennio culpam pœna consecuta fuerit : quando Petrus ille Alexandrinus anno demum Christi DLXVIII constitutus fuit; uti in Tractatu de Patriarchis Alexandrinis pag. 67 ostensum est. Sed quid ego hæc pluribus?

IV. PETRUS.

Sedit Petrus ab A. C. 578 usque ad 591;

J*acobo* (Zanzalo) *defuncto*, inquit Bar-hebræi contractor, *episcopi et monachi Syri in cœnobio Ananiæ, quod inter Balam et Callinicum situm est, congregati, ordinarunt in patriarcham* PETRUM, *Pauli Callinicensis filium, cui Joseph, Amidæ episcopus, manum imposuit.* Et paulo inferius : *Petrus Callicinensis anno Græcorum* DCCCLXXXIX (Christi DLXXVIII usque ad autumnum) *Paulo suffectus, obiit anno Græcorum* CMII C (Christi DXCI.) Præfuit igitur, secundum hunc auctorem, annis XIII. Notatur tum in Diptychis Jacobitarum, tum in Catalogo Barsalibæi jam sæpe citatis. Annos eosdem successionis ejus ac mortis habet in Chronico Dionysius patriarcha pag. 192, et 69 (ubi a successore aliquando suo appellatur *sanctus Mar Petrus*) et 77. *Callinicensis* dicitur ab urbe Mesopotamiæ Callicino, unde fuit oriundus; vocatur etiam Petrus Junior, comparatus ad Petrum alium, de quo supra, Fullonem.

imo ut minimum usque ad 593.

478 Quod ad assignatum modo annum mortis ejus pertinet, nescio, an satis tuto possit admitti : quæ enim de duplici ejus controversia, et priori quidem cum Probo, Joanne ac Stephano circa Incarnationis mysterium, altera vero cum Damiano, patriarcha Alexandrino Jacobita, in mysterio SS. Trinitatis, narrantur, cum anno illo nequaquam cohærent. In prima, juxta Dionysium patriarcham pag. 76, eique consonum, teste Assemano pag. 332, Bar-hebræum, fracti a Petro Probus ac Joannes, atque a Jacobitarum communione depulsi, Chalcedonensis synodi fidem amplexi dicuntur, *et ad Anastasium, Antiochiæ patriarcham* (orthodoxum) *profecti, eique adhæsisse, et ab eodem suscepti fuisse . . . Atque ita res eorum se habuit, donec Mar Petrus in vivis esse desiit . . . Petro autem defuncto, resumptis illi viribus rogant Anastasium, Antiochiæ patriarcham* etc. Quomodo vero, vivente Petro, recurrere ad Anastasium patriarcham Antiochenum potuerunt, si Petrus, patriarcha factus anno Christi DLXXVIII, obiisse statuatur anno Christi DXCI; cum ab anno Christi DLXX usque ad DXCIII solus Antiochiæ catholicis præsederit Gregorius, cui S. Anastasius, tum demum restitutus, successit, uti supra demonstravimus? Vixisse ergo Petrum ultra annum Christi DXCI necesse est; siquidem obiit sub S. Anastasio I.

vel etiam serius

479 Posterior lis Petri Antiocheni cum Damiano Alexandrino (de qua vide Assemanum hoc tomo II, pag. 70, 71 et 332 contra Severum Mokaffæum apud Renaudotium) acris admodum ac diuturna fuit, *adeo ut demum post annos viginti . . . finita fuerit*, inquit epitome Severiana Renaudotii pag. 145. Finita est autem, teste Bar-hebræo pag. 334, E anno Græcorum CMXXVII; cœperat ergo anno Græcorum CMVII, Christi DXCVI : nondum ergo tunc obierat Petrus. Imo, si hæc vera essent, diu postea superfuisset; cum diu per se ipse cum Damiano contenderit. Si, inquam, vera hæc essent; nam omnino ante annum Græcorum CMXXVII, Christi DCXVI, pax illa confecta est; cum illam conciliaverit Anastasius Alexandrinus, teste ipso etiam Bar-hebræo; ut est apud Severum Renaudotianum pag. 152 : Anastasius vero Alexandrinus die XVIII Decembris anni Christi DCXIV, ut alibi docuimus, e vivis excessit; neque adeo pacem inire post annum illum potuit; sed vel ab hoc anno ducti retro anni viginti redigunt nos ad annum Christi DXCIV, quo vivus adhuc Petrus classicum insonuerit.

licet auctoris hic non satis cohæreant.

480 Plus aliquid, scio, requirit compendium Mokaffæi pag. 152; ubi non id solum vult, ut dissidentes pridem Alexandrinam atque Antiochenam Jacobitarum ecclesias composuerit Anastasius Alexandrinus, sed ut id F etiam accurarit, *statim atque audivit, sedisse illius* (Petri) *loco Athanasium, virum doctum et sincerum.* Verum hæc ego me fateor non satis assequi quo pacto stare cum Syrorum Alexandrinorumque patriarcharum chronologia possint; itaque negligenda putavi. Sive etenim Athanasium Antiochenum creatum esse patriarcham dixeris anno Græcorum CMVI, Christi DXCV; sive, ut alii scribunt in compendio Bar-hebræi pag. 334, anno Græcorum CMVIII, Christi DXCVII; sive denique, cum Dionysio ibidem citato, anno Græcorum CMXV, Christi DCIV, nullo ex his modis initium Athanasii Antiocheni incidit in patriarchatum Anastasii Alexandrini; siquidem Anastasius Damiano successit anno demum Christi DCVII, ut in Tractatu jam sæpius appellato comprobavimus. Quod si cum Mokaffæo velis, sedisse Alexandriæ Anastasium ab anno Christi DCII; Athanasium vero Antiochiæ ab anno DCIV; sic quidem initium hujus in illius tempora congruet; at si inde annos viginti retro numeres, ibis ad annum DLXXXIV, quo dissensio cœperit

cœperit cum Damiano; cum hæc toto fuerit decennio posterior; fuit enim posterior depositione Joannis et Probi, teste Bar-hebræo pag. 332; hæc autem posterior restitutione S. Anastasii I patriarchæ Antiocheni, quæ facta est anno Christi DXCIII.

Probabile est, vixisse Petrum usque ad A. C. 600.

481 Denique cum tres tantum assignentur initi ab Athanasio, qui tertius a Petro sedit, patriarchatus epochæ, quarum prima sine dubio falsa est; restat, ut Petri obitum ita secundæ vel tertiæ accommodemus, ut nulla Jacobiticæ sedis Antiochensis Petrum inter et Athanasium vacatio notabilis relinquatur; quippe cujus nec mentionem uspiam invenio; neque causam; cum neque Alexandrina temporibus hisce vacaverit. Sic igitur statuo: Non potest ordinatus fuisse Athanasius anno Christi DXCV, ut vult Bar-hebræus supra; quia ante Athanasium sedit Julianus *annos tres, menses quinque,* teste Bar-hebræo; qui proinde ordinatus fuisset anno Christi DXCI vel DXCII; cum saltem usque ad annum Christi DXCIII sedem illam occupaverit Petrus, ut supra num. 478
B evictum dedimus: vel ergo cœpit Athanasius anno Christi DXCVII, quæ secunda ejus est epocha, vel anno Christi DCIV, quæ est tertia. Si secundæ placet adhærere, deme retro ab anno Christi DXCVII annos tres cum dimidio Juliani, qui Petro successit; et obiisse Petrum dices anno Christi circiter DXCIII vel sequenti: sin magis arridet tertia, tolle eosdem Juliani annos, qui annum Christi DCIV præcedere debuerunt; et Petrum vixisse comperies usque ad annum Christi DC vel initium sequentis. Utrumvis eligas, susque deque habeo; quando mihi neutrum altero magis constat.

Ab hoc Petro secta Monophysitarum Petrianorum seu Petritarum.

482 Censetur Petrus hic inter celebres Jacobitarum scriptores apud Assemanum tom II, cap. IX, ubi cum testatur, adhuc monachum et clericum, magnæ fuisse apud Severum, Antiochiæ patriarcham, existimationis; quippe cujus exstent ad Petrum epistolæ duæ. *Ex ejus scriptis, quæ edidit, duo habemus,* inquit Assemanus pag. 77, *Anaphoram scilicet et Librum adversus Damianum.* De his illum, si lubet, ibidem consule. Ab illo dicti sunt
C Jacobitarum aliqui Petriani, de quibus ita Timotheus de Receptione Hæreticorum apud Cotelerium tom. III Monum. eccl. Græc. pag. 400: *Petriani; affirmant hypostasim esse solas proprietates absque substantia: eamque ob quæstionem adeo cum secta Damianistarum contenderunt; ut scripta multa utrimque prodierint, quæ certamen eorum testantur.* Adi eumdem pag. 408, 412, 413 et 416. Imo et Nicephorum Callistum lib. XVIII, cap. XLIX.

V. JULIANUS I.

Julianus sedit vel ab A. C. 593 usque ad 597: vel ab 600 usque 604.

483 Petro successit, secundum Bar-hebræi compendium pag. 333, JULIANUS *Petri syncellus, ex cœnobio Bar-Aphtonii, quod Kenserinense dicitur,* in Syria non procul Alepo situm. *Sedit annos tres, menses quinque. In Dionysii Chronico desideratur, ut etiam in Historia Alexandrina Renaudotii pag. 152, ubi Athanasius Petri loco sedisse dicitur. Sed Juliani nomen præter Bar-hebræum exhibent etiam Barsalibæus et Diptycha Jacobitarum.* Præfuit vel ab anno D
Christi circiter DXCIII exeunte usque ad DXCVII; vel, juxta Chronologiam Dionysii, ab anno circiter DC usque ad DCIV, uti supra num. 481 dictum. Fertur scripsisse librum pro Petro Callinicensi adversus Sergium, Edessæ episcopum, qui editum a Petro in Damianum Alexandrinum volumen reprehendebat; de quo adi Assemanum tom. II, pag. 333, et in Catalogo scriptorum, qui eidem tomo præfigitur.

VI. ATHANASIUS I.

Ordinatus est A. C. 597 vel 604.

ATHANASIUS, *cognomento Camelarius* (verba sunt epitomes Bar-hebræi) *patria Samosatenus, ex cœnobio Kenserinensi, ordinatus* (est) *anno Græcorum* CMVI (Christi DXCV;) *vel, ut alii scribunt,* CMVIII (Christi DXCVII.) *Dionysius in Chronico Athanasium refert anno Græcorum* CMXV (Christi DCIV) *in locum Petri suffectum . . . Imposuit ei manus . . . Severus, Hierosolymorum episcopus in cœnobio Kenserinensi.* E *Athanasius vero Severum fratrem ordinavit Samosatæ episcopum: et Alexandriam profectus, concordiam cum Anastasio inter Antiochenos et Alexandrinos Jacobitas instauravit, quæ sub Petro et Damiano rupta fuerat. Id accidit anno Græcorum* CMXXVII; de quo vide Renaudotium histor. Alexandr. pag. 152. Annum, quo sit ordinatus, supra num. 481 ostendimus, non fuisse Christi DXCV; sed vel DXCVII, vel DCIV. Notatur etiam ejus successio tam in Catalogo Barsalibæi, quam in Diptychis Jacobiticis. Tempus quo sedit, admodum est incertum, ut constat ex compendio Bar-hebræi, pag. 334, ubi sic habet: *Denique postquam Athanasius annis* XXVI, *vel, juxta alios,* XLIV, *Jacobitis præfuisset, obiit anno Græcorum* CMXLII (Christi DCXXXI) *et in cœnobio Garumitarum sepultus fuit. Dionysius obitum Athanasii consignat ad annum* CMLV (Christi DCXLIV.) Sedit ergo juxta Dionysium annis XL.

Videtur obiisse circa A. C. 639.

485 Sed neque Dionysii in consignanda Athanasii morte neque aliorum calculus satis cohæret cum initio Macedonii, quem Athanasio substitutum esse verisimile est; non quidem ut Jacobitis præesset, sed ut simpliciter patriarcha esset ecclesiæ Antiochenæ, sicut illi aliquamdiu præsedisse Athanasium, F infra dicemus. Eutychius enim tom. II, pag. 271, initiatum esse Macedonium affirmat anno Christi DCXXXVIII post mensem Augustum, vel ante Augustum anni sequentis; cum vel annis quinque superstes fuerit Athanasius juxta Dionysium; vel secundum alios ante annos septem obiisset. Quid si illi, qui eum, Assemano teste, sedisse volunt annis XLIV, eos cum Bar-hebræo, licet perperam, ducant ab anno Christi DXCV? Ita certe obitus ejus cum assignato Macedonii principio satis apte congrueret. Sed mihi in hisce tenebris palpare consilium non est. Porro *sub eodem Athanasio Maruthas primus Jacobitarum Maphrianus creatus est,* inquit Bar-hebræi, qui et ipse Maphrianus fuit, epitome. Erat is metropolitico major, at inferior patriarcha, ut docet Assemanus tom. II, pag. 215. Plura de Athanasio dicentur inferius.

A

SÆCULUM VII.

GREGORIUS II.

LX. ANASTASIUS III hæreticus.

Quam difficilis jam porro sit inceptæ seriei continuatio

Habes huc usque, lector, Antiochensium præsulum seriem suis utcumque per priora sex sæcula deductam, tributamque temporibus; at nunc dehinc res mihi ad desperationem redit. Silet enim S. Nicephorus, dissimulant dissidentque historiæ, instrumenta non suppetunt, quibus institutum adhuc ordinem vel probabili saltem usquequaque conjectura continuem. Itaque cujus voluntate hunc laborem nuper aggressus sum, idem hic mihi propemodum fuit auctor ut sisterem; B quando animos in hoc negotio jam pridem desponderunt etiam illi, qui omnem in hisce studiis ætatem contriverant. At enim, si minus hic præstare possum, quod velim, gravate, credo, lector, acciperes, id saltem me non velle quod possum. Id adeo nunc operam dabo ut faciam; dum alius me felicior quispiam prodeat, qui quæ hic multa desiderabuntur, supplere aliquando possit ac velit. Sed quisquis ille futurus est, hoc monitum, atque adeo exoratum illum velim, ne recentiores quosdam chronologos imitetur, qui res suas in medium adduxisse contenti, de fontibus altum silent, unde eas derivarunt. Fidem illi profecto a lectoribus tanto iniquius exigunt, quanto faciunt minus; nec posterorum laborem minuunt, sed immensum exaugent, dum sæpe diu multumque cogunt investigare, quod tandem reperias nuspiam.

Gregorius II antiquis ignotus fuit.

487 Accidit primum hoc mihi in utroque illo patriarcha, quem in capite proposui: cum enim ambos apud Onuphrium Panvinium in Chronico ecclesiastico, Genebrardum, aliosque C passim offenderem; nec temeritatis arguere viros doctissimos auderem, qui id ausi essent asserere, quod nulla veterum auctoritate didicissent; verti me in omnem partem, ut aliquid, quod huc facere quoquo modo posset, nanciscerer; ac tandem odiose quærendo lassus agnoscere cum Pagio debui, frustra me fuisse: donec mihi nuper in manus venit Assemani Bibliotheca, de qua superius memini num. 464. Intellexi enim statim ex ipso limine, esse apud Virum illum eruditum Catalogos varios patriarcharum Antiochensium. Itaque consulendum eum per litteras putavi ea fretus humanitate, quam etiam alias experiri nobis licuerat. Atque hoc quidem inter proposita ipsi a me dubia primum fuit, quid sentiendum arbitraretur de Gregorio II, quem recentiores catalogi successorem faciunt S. Anastasii II, martyris. Alterum vero his verbis adjeceram: *Quid item de* Anastasio *III, quem Gregorio II successisse quidam aiunt, at non probant?*

488 Respondit continuo Vir clarissimus, ex Catalogo, quem Arabice scriptum habet; quemque optimæ fidei esse, et Assemano nuper transmissum ab Athanasio, Antiocheno Melchitarum patriarcha, qui illum ex archivis ecclesiæ suæ collegisse sese affirmaverat, testatur noster Petrus Benedetti, cujus in hac re opem apud amicum Assemanum imploraveram: ex illo, inquam, Catalogo respondit, *Anastasio* [secundo] *martyrium passo, tertium Anastasium, eumdemque hæreticum, sedi incubasse.* Tum subdit, *Anastasium tertium non Gregorio, sed secundo Anastasio immediate successisse.* Anastasium ergo tertium agnoscit quidem ille Catalogus; at Gregorium secundum non item. Hunc Anastasium III citati modo chronologi cum ejus successore Athanasio confuderunt, cum et Jacobitam eum fuisse velint, et hæreseos Heraclio imperatori auctorem. Eutychius tom. II, pag. 195 ait: *Post mortem ejus* (S. Anastasii II martyris, quam ipse refert tempore non suo) *absque patriarcha mansisse cathedram Antiochenam annis* XXII, hoc est juxta ejus calculum, usque ad Macedonium. Atque adeo neque Gregorium secundum, neque tertium Ana- E stasium, neque hujus postremo successorem admittit Athanasium; cujus tamen patriarchatum mox vindicabimus, ubi paucula dixerimus de Georgio, quem aliqui perperam patriarchis nostris annumerant. Ceterum ex fine S. Anastasii II, et initio Athanasii constabit, Anastasium III (siquidem patriarcha is fuit et tanti esse debet Catalogus Arabicus, qui eum adstruit) neque autem annum Christi DCX, neque post annum DCXXIX sedem illam occupavisse.

SÆCULUM VII. sed Anastasium III agnoscit Catalogus Arabicus, seditque ab an. 610 circiter usque ad 629.

GEORGIUS.

Neque hic patriarcha fuit Antiochenus, sed Alexandrinus

Anastasius Bibliothecarius in Historia ecclesiastica sic habet: *mundi anno* MMMMMMCXI, *divinæ Incarnationis* DCXI; *anno vero imperii Heraclii decimo, Georgius Antiochenus habetur antistes.* Redit hoc ad annum Christi DCXX juxta æram nostram vulgarem, aut certe DCXIX usque a Septembri; ut palam sit ex Indictione et F Paschate anni imperii Heraclii duodecimi paulo inferius consignatis. Verum hic Anastasii locus manifeste corruptus est, cum ad annum illum nihil horum meminerit aut Theophanes Græce editus, quem tamen hic vertit Anastasius; aut latine redditus a Paulo Diacono Hist. Miscel. lib. XVIII. In textum ergo intrusit Anastasius, seu quisquis est alius, quod legerat apud Theophanem in præfixo ad annum illum laterculo; sed et hoc corrupit, cum Antiochenum episcopum Georgium fecit: nam in tabula Theophanica vacat area episcopatus Antiocheni, in Alexandrini vero sic scribitur: Ἀλεξ. Ἐπίσκ. Γεώργιος ἔτη ιδ, *Alexandriæ episcopus Georgius annis* XIV. Cujus initium rectene huic anno jungatur, alio pertinet. Satis est mihi, quod episcopum Antiochenum inde colligi non posse ostenderim.

LXI. ATHANASIUS

SÆCULUM VII

LXI. ATHANASIUS Jacobita.

Athanasius primo Jacobitarum patriarcha Antiochiæ.

De hoc Athanasio ita pronuntiat Pagius in Criticis ad annum Christi DCXXIX num. 6 : *Plane autem falsum, Athanasium Jacobitarum fuisse patriarcham ; cum auctor Chronici Orientalis patriarcharum Jacobitarum accuratum catalogum scripserit, ejusque non meminerit.* Miror enimvero, virum tam eruditum hæc scribere potuisse. Certe Chronicum Orientale catalogum habet patriarcharum Jacobitarum Alexandrinorum quidem ; at nequaquam Antiochensium. An forte Jacobitis tantummodo Alexandrinis, ac non etiam Antiochenis, patriarcham ejusdem sectæ fuisse, credidit Pagius? Atqui contrarium discere potuit ex ipso illo, quod appellat, Chronico Orientali pag. 123. Nulla igitur adversus Athanasium ex illo Chronico duci potuit sana collectio, nedum tam audax : cum plane certum sit, Athanasium Ja-
B cobitarum Antiochenorum fuisse patriarcham.

ut contra Pagium probatur.

491 Hoc enim asserunt S. Theophanes, ex eoque Anastasius, ac Paulus diaconus ad annum Heraclii vigesimum ; hoc auctor Vitæ ac certaminis S. Maximi a Combefisio editus tom. I Operum S. Maximi, num. 8, pag. 7 ; hoc Cedrenus ad annum item Heraclii vigesimum (licet enim in eo notetur annus Heraclii XXV, XX tamen antecedentia et consequentia apertissime exiguunt ;) hoc Zonaras lib. XIV, § XVII, ubi Athanasium quidem non exprimit ; sed eamdem tamen historiam narrat *de Jacobitarum Catholico, quem illi patriarcham nominant ;* hoc ipsi Jacobitæ tum Syri, tum Ægyptii supra num. 484 ; hoc denique Baronius, Petavius, aliique chronologi recentiores amplexi sunt.

universæ tandem ecclesiæ Antiochenæ præfectus est.

492 Hunc igitur Athanasium Jacobitarum in Syria inde ab anno Christi DXCVII vel DCIV patriarcham, eumdem illum fuisse arbitror, quem anno demum Christi DCXXIX aut sequenti, Heraclius imperator universæ ecclesiæ Antiochenæ præfecit ; quo nomine in hac serie locum accepit, licet nihilo minus illegitimus fuerit, quam successor ejus
C Macedonius ; cum tempus, nomen, hæresis, dignitasque conveniant, nec assignari alius possit. Præfecit, inquam ; et quidem anno Christi DCXXIX aut sequenti ; quæ duo mihi modo comprobanda sunt. Primum, fateor, aperte non affirmant auctores modo citati ; scitur tamen Athanasius sedem Antiochenam avide affectasse : *Audivimus*, inquit Antiochus Monachus, qui tum vivebat, Hom. CXXX, tom. I, Biblioth. Vet. PP. Græc. excusæ Parisiis MDCXXIV, pag. 1244, *Audivimus quemdam ex Oriente præcursorem Antichristi venisse, qui voluit sedem Antiochenam occupare, Athanasium nomine... qui Apollinarii, Eutychis, Severi et Jacobi dogmata divulgat* etc. Deinde scitur ei oblata fuisse ab Heraclio sedes, si modo admitteret synodum Chalcedonensem : admisit autem, aut certe id simulavit. Quid ni ergo promisso steterit imperator, eique addictam eo pacto dignitatem contulerit ?

ut ex Theophane,

493 Rem habe, ut eam narrat Theophanes anno Incarnationis secundum Alexandrinos DCXXI, pag. 274 : *Hoc anno*, inquit, *cum imperator adhuc Hierapoli moraretur, Athanasius, Jacobitarum patriarcha, vir vafer et perniciosus, ut ex innata vafritie sunt Syri omnes,* D
ad eum accessit : motisque cum imperatore de fide sermonibus, si modo synodum Chalcedonensem vellet admittere, patriarcham Antiochiæ se constituturum promisit. Is autem, ad imperatoris voluntatem subdole se fingens, duasque in Christo naturas confessus, propositam synodum probavit ac recepit : tum vero de operatione et voluntatibus imperatorem interrogavit, quales asserere deceat, geminas, an unicam ? Imperator inusitata vocum novitate implicatus, Sergio CP. episcopo scribit : sed et Cyrum, Phasidis episcopum, accersitum interrogat, et in unicam voluntatem et actionem pariter unicam consentire reperit. Sergius etenim, ceu patria Syrus et Jacobitis parentibus ortus, unam physicam volendi actionem in Christo confessus et scripto testatus erat. Imperator utriusque invicem comparata sententia, concordem eis invenit Athanasium : ibi namque unam ponendam naturam, ubi una operatio asseritur, probe intelligebat. Interim imperator opinionibus istiusmodi instructus, utriusque mentem Joanni Papæ Romano scriptis significat : ille vero eorum hæresim non probavit. Sed illa cum Joanne haud statim E
contigere, quemadmodum videntur Theophanis verba præferre ; uti nec cetera spectantia ad illam hæresim, quæ deinceps perstringit una ac continua narrationis serie, inquit Combefisius in Historia hæreseos Monothelitarum disput. I, § VI.

aliisque colligitur,

494 Porro rem eamdem totidem pene verbis referunt Cedrenus aliique, quos dedi supra num. 276 ; nisi quod Zonaras disertius dicit, quam ceteri, Heraclium, Sergii et Cyri auctoritate motum, eamdem cum illis et Athanasio opinionem, donec Monothelitas a Sophronio aliquot post annis in synodo Hierosolymitana damnatos inaudiit, amplexum esse ; et hæc facta putat Hierosolymis, quia divisam forte legerat alicubi vocem ἱεράπολις, unde *Sanctam Civitatem* intellexerit. Quid, obsecro, interea fingi potest impedimento fuisse, quo minus obstrictam ambienti Athanasio fidem Heraclius exsolveret, ecclesiamque concrederet Antiochenam ? Ita certe ante me sensit magnus Annalium conditor ad annum Christi DCXLIX, num. 59,
et (ut omittam Calvisium ad annum Christi F
DCXXIX) quotquot per Anastasium III non alium, quam hunc Athanasium videntur intellexisse, ut Gualterius noster in Tabula Chron. sæc. VII, Ricciolius item noster, in patriarchis Antiochiæ, aliique. Enimvero, si Cyrum paulo post, si Pyrrhum deinde, quibus nihil addixerat, hunc ad Cpolitanam, illum ad Alexandrinam sedem promovit Heraclius ; an credibile est, præteritum ab eo fuisse Athanasium, quem Cyro concordem invenerat ; maxime cum huic patriarchatum Antiochenum ea lege pollicitus esset? Hoc certe ex Catalogo suo Arabico mihi nuper etiam affirmavit Assemanus his verbis : *Athanasius, quem Jacobitæ Camelarium vocant, ab Heraclio imp. ex Jacobitarum præsule ad universæ ecclesiæ Antiochenæ patriarchatum promotus fuit.*

A. C. 629 declinante vel 630.

495 De tempore satis convenit inter eos, qui datam jam historiam admittunt ; nam vel annum assignant fere DCXXIX, vel DCXXX, quem elegit Petavius in Rationario temporum ; et sane utrique anno illi aliqua parte respondet annus Incarnationis Alexandrinus DCXXI,

A DCXXI, et Indictio III, qui sunt characteres Theophanis (nam licet Indictionem istius anni non annotet, colligitur tamen ex antecedentibus :) itemque annus imperii Heraclii XX, cœptus ab Octobri anno Christi DCXXIX, quem post Theophanem adhibent alii. Eruditus Pagius in Criticis Baron. anno Christi DCXXIX, a num. 2, non rationem chronologicam hic solum, sed universam hanc Theophanis narrationem pro fabula traducendam suscipit, Combefisio, a quo dubitare tantum didicerat, haud paulo audentior : Combefisius enim cum argumenta sua improbata vidisset a Goare in notis ad Theophanem, ipse in notis suis posterioribus altum silens indefensa illa destituit. Nimirum semper durum est, nisi certissimæ suppetant rationes gravioraque antiquitatis momenta, jam receptas ab eruditis pridem omnibus veterum auctorum historias censoria continuo virga ferire.

B *licet Pagius huic chronologiæ et historiæ multa opponat ut certa*

496 Talia se reperisse existimat Pagius loco citato, num. 4, ubi in historia Monothelitarum hæc certa esse statuit : *primo* Heraclium anno DCXXII cum Paulo Severiano collocutum esse de una operatione Christi; et anno DCXXVI dum in Lazica esset, Cyro, tunc Phasidis episcopo, injunxisse, ut super illa quæstione Sergium episcopum CP. per litteras consuleret; ad quas hic deinde rescripserit testimonia mittens permulta pro unica voluntate et operatione Christo asserenda. Certum ait esse *secundo*, Sergium in epistola ad Honorium Papam, scripta anno DCXXXIV, testari, ab illo congressu Heraclii cum Cyro *silentium hujusmodi capitulum suscepisse*, usque ad annum DCXXXIII; nec in eo ausum esse mentiri. Certum *tertio*, epistolam Cyri ad Sergium, in qua meminit disputationis Heraclii cum Paulo Severiano, scriptam esse anno DCXXVI. Certum *quarto*, qui de colloquio Heraclii cum Paulo meminerunt, de colloquio ejusdem imperatoris cum Athanasio tacuisse, et vice versa. Certum est quinto, Athanasium, natione Syrum, ambiisse episcopatum Antiochenum, eumque Monothelitam fuisse. Certum denique *sexto*, perperam asseri a Theophane, scripsisse imperatorem ad

C Joannem Papam, et hunc pro Honorio esse suppositum. *His positis* (concludit Pagius num. 5) *Theophanis error manifestissimus est : congressionem enim Heraclii cum Paulo confundit cum congressione ejusdem cum Athanasio, sive hæc vera, sive commentitia sit :* ut eum esse paulo post contendit.

... um aliqua ... rta non sunt :

497 Hanc ego sequelam neutiquam admitto; imo nec antecedens, ex quo illa deducitur : in eo namque non omnia perinde certa, quædam etiam ad collectionem Pagii nihil faciunt. Certum non est, ne dicam falsum, quod *secundo* asseritur, mentiri scilicet ausum non fuisse Sergium, cum ad Honorium scripsit anno DCXXXIV, ab anno DCXXVI usque ad DCXXXIII de unica voluntate et operatione Christi fuisse silentium : quam multa enim in hac epistola mendacia sparserit, de quibus coargui poterat, collige ex Combefisio Hist. Monothel. disp. I, § IV; atque illud in primis quam palpabile est, quod ibi de Sophronio narrat? Adi tom. VI Concil. col. 924. Taceo alia, quæ ipsi a Maximo in disputatione cum Pyrrho, a S. Martino I, in Lateran. synodo Secret. I, aliisque impacta sunt.

... et ut essent certa, tamen nihil evincerent,

498 Fac, tamen, si ita placet, mendacem in hac re Sergium non fuisse: fac silentium de unica Christi voluntate actioneque servatum ab anno DCXXVI usque ad DCXXXIII. Num hoc pacto evertitur Theophanis aliorumque de Athanasio historia, tametsi illam referas ad annum Christi DCXXIX? Minime gentium. Recte enim servari de doctrina quadam silentium dicitur, si nullæ ob eam turbæ, contentiones episcoporum nullæ, nulla concilia vel decreta vel oppositio facta sint; quorum omnium nihil fuit in negotio Athanasii, qui subdole quidem, at modestissime tamen et pro discipulo se gessit, dum Heraclio dubium suum proposuit; is porro ad Sergium ac Cyrum retulit, in quorum responso Athanasius libentissime acquievit. Jam quod *quinto loco* certum esse dicitur de ambitione et Monothelismo Athanasii, certum est illud quidem; sed Paganæ conclusioni adversatur id potius multo, quam faveat. Postremum denique quam parum sit certum, patet ex Combefisii animadversione, quam dedi num. 493; neque addere quidquam lubet; cum ad probandam Paulinæ historiæ cum Athanasiana confusionem otiosum sit, ad Joannem imperator scripserit, an ad Pontificem alium.

... ad probandam confusionem congressus Pauli et Athanasii cum Heraclio.

499 Restat igitur quod primo, tertio et quarto loco certum esse statuitur; sed hoc quam facile est ita secernere, ut nulla inter utramque narrationem communio intercedat? Finge rem ita contigisse, ut plane potuit. Anno Christi DCXXII cum exercitu per Armeniam adversus Persas perrexerit Heraclius; ibi in Paulum illum Severianum inciderit, ejus hæresim redarguerit atque *depompaverit pravam ejus impietatem, profanis ejus astutiis sanctæ nostræ Ecclesiæ recta atque immaculata a diverso proferens dogmata, inter quæ et unius operationis Christi mentionem fecerit*, ut narrat ipse Sergius in epistola ad Honorium Papam tom. VI Concil. Labbe, col. 920, aut potius col. 919 (nam textus græcus minus obscurus est :) tum iter suum prosecutus sit imperator, expeditioni Persicæ unice intentus. *Post aliquod vero tempus*, ut ibidem narratur, *in provinciam Lazorum*, Armeniæ vicinam *advenerit*, F idque anno Christi, juxta Theophanem DCXXVI; ibi demum recordatus disputationis cum Paulo a quadriennio institutæ, quæsiverit ex Cyro, Phasidis tum episcopo, unicam asseri oporteret, an duplicem, quod in edicto suo adversus Paulum Severianum ipse vetaret, Christi operationem? Hærentem hic Cyrum, nec satis decidere per se quidquam audentem, imperator ad Sergium per litteras consulendum remiserit.

et posteriora ... pro fabula traducendam ...

500 Dum id fit, et prolixa Sergius ad Cyrum adornat responsa, Heraclium alio vocarit relata a Theodoro fratre de Saë, Persarum duce, victoria; ac porro res prospere contra Persam fluentes immemorem colloquii cum Cyro habiti per triennium reddiderint; perinde ut ante per quadriennium exciderat controversia mota in Paulum Severianum; donec tandem anno DCXXIX Hierapoli Athanasium offendit, qui post ea, quæ hoc loco prosequitur cum aliis Theophanes, dubium ipsi tandem illud proposuerit, atque eodem prorsus modo, quo illud ipsemet ante annos

SÆCULUM VII

tres elapsos Cyro, ac per eum Sergio, non expectato tamen responso, examinandum dederat. Eorum hac improvisa occasione memor, an Sergium, ut narrat Theophanes, scripserit; simulque e Lazica ad se arcessierit Cyrum (nam eum Heraclius, non Sergius, ad se evocavit, teste Theophane, Cedreno et aliis; quamquam non recte vertit hunc locum interpres, quam dum imprudens sequitur Pagius anno DCXXIX, num. 5, tota exerrat via.) Tum cetera porro acciderint, ut ea superius dedimus. Quæ hic, obsecro, confusio congressionum Heraclii, quarum altera cum Paulo, altera cum Athanasio facta narratur?

cum utriusque congressus narrationes

501 Enimvero tantum abest, ut prima cum secunda confusa dicatur, ut nil alteri ex altera conveniat; non tempus: prima enim contigit anno DCXXII, secunda anno DCXXIX circiter; non locus: illa enim in Armenia, hæc accidit Hierapoli in Syria; non persona: nam ibi Paulus erat, hic Athanasius; non conditio, non secta; siquidem Paulus, teste Sergio ad Cyrum et Honorium B tom. VI Concil. Labbe, col. 916 et col. 920 episcopus non erat, sed Prior, aut ex principibus Acephalorum, vel, ut Cyrus ad Sergium scribit ibid. col. 950, Primas Ἀνεπισκόπων, id est, eorum qui sine episcopis vivunt; Athanasius contra non modo episcopus erat, sed etiam episcoporum sectæ Jacobiticæ per Orientem patriarcha; non doctrina: nam Paulo, licet Severiano, opponebat Heraclius unicam Christi operationem, prohibebatque in Jussione contra illum edita duas in Christo Deo nostro dicere operationes, ut est apud Sergium ac Cyrum citatos; Athanasius vero unicam operationem ita tuebatur, ut cum Sergio ac Cyro consentire penitus judicaretur.

sunt inter se per omnia diversissimæ.

502 Non convenit modus ipse aut materia congressus: quia Paulus ad defendendam palam ac pertinaciter hæresim suam unice ad imperatorem accessit, ut patet ex epistola Sergii ad Honorium; Athanasius autem episcopatum Antiochenum præcipue spectabat, quem ut obtineret, Chalcedonensem synodum ac duas in Christo naturas sine ter- C giversatione professus est, neque deinde cum Heraclio de operatione Christi contendit, sed eum submisse tantum, at nequiter, interrogavit. Post colloquium cum Paulo non scripsit ad Sergium imperator, sed Cyrum id facere jussit; at post congressum cum Athanasio scripsit ipse, priusquam rem cum Cyro communicasset; in negotio Pauli Cyrum Heraclius adierat; in negotio Athanasii illum procul absentem accersiit. Denique eventus utriusque congressionis dissimillimus est: Paulus etenim sic ab ea recessit; ut imperatoris in sese edictum provocaverit, ut ab ipsis etiam Sergio ac Cyro, quod in eorum citatis jam litteris videre est, multis etiam post annis pro hæretico, impio, execrabili sit habitus; at vero Athanasius cum iisdem et cum imperatore statim ab initio communem tueri sententiam creditus est. Quid plura? Hæccine ejusmodi sunt, ut vel minima saltem parte confusionis capacia censeantur?

503 Quando igitur tam diversa est Pauli et Athanasii historia, quid est, quod utramvis seorsim rejicias? At enim, inquit Pagius, cur nemo utramque simul dedit? Cur de Pauli congressu silent, qui de Athanasio meminerunt, et contra? Respondeo, quia Sergii ac Cyri, qui de Paulo scripserunt, interesse poterat, ut ne de Athanasio mentionem in litteris suis facerent, cum scirent, ita Monothelismi studiosum eum esse, ut ipsum etiam Heraclium dudum eo inclinantem, (ut ex disputatione et Jussione ejus adversus Paulum colligere est,) in eamdem secum sententiam penitus tandem induxisset, in quem proinde tamquam in professum hæreticum agens Sophronius in synodica sua tom. VI Concil. Labbe, col. 889, *Anathema sint,* inquit, *et catathema et Athanasius Syrus, et apozygarius Anastasius* (Alexandrinum intelligo jam tum vita functum, de quo supra num. 479.) Hujus autem hæreseos quamquam auctores ipsi, Sergius nempe ac Cyrus, fautoresque esse volebant quam qui maxime; at videri tamen apud orthodoxos nolebant; itaque nullum aut cum ipsa, aut cum apertis ejus defensoribus commercium præ se ferebant; hinc Sergius in epistola ad Honorium caute silentio premit Jussionem Heraclii contra Paulum, quasi rem E omnino ignoraret, cujus ipse præcipuus fuerat auctor; hinc ipse in eadem epistola noluisse se ait, palam prædicari aut unicam, aut duplicem Christi operationem.

Nec referunt, qui de Pau. scribunt, d. Athanas. sileant.

504 Cur autem Pauli non meminerint, qui de Athanasio loquuntur, causa facile cogitari aliqua potest, sive quod ejus historiam perspectam penitus non habuerint, sive quod singularia quælibet persequi facta non libuit; sive ob aliam denique rationem quamcumque: sexcentæ enim esse possunt etiam probatissimis ac sanctis auctoribus non scribendi quod sciunt; at nulla scribendi affirmandique quod nesciunt. Facit adeo eis injuriam, qui factum esse negat quod asserunt; quia factum sit aliquid quod omittunt. Cum id etiam Sacrarum Litterarum auctoribus solenne fuerit. Denique quod in conciliis, litterisque multorum inter Monotheliticæ sectæ principes nominari non soleat; id eo factum esse potuit, quod quæ per ipsum facta sunt, ea Sergio ac Cyro tamquam omnium in hac re machinationum præcipuis architectis vulgo imputarentur. Sed hæc ad vindicandam Theophanis aliorumque narrationem sufficiant. F

et contra.

Athanasium etiam Jacobitæ usque ad mortem agnoverunt

505 Dubium nunc videri merito possit, num ab Athanasio post simulatam Chalcedonensis concilii, duarumque in Christo naturarum confessionem Jacobitæ defecerint, aliumque subrogarint; an eidem subesse perrexerint, probe gnari, non confessionem illam fidei Chalcedonensis, sed artificiosam explosionem fuisse: *Gloriabantur siquidem inde Jacobitæ et Theodosiani,* inquit loco citato Theophanes, *palam jactantes, se non quidem cum Chalcedone; at Chalcedonem secum doctrina communicare, et una operatione admissa, unicam quoque Christi naturam confiteri.* Hæc tamen Jacobitarum omnium opinio non fuit, ut patet in Historia Patriarcharum Alexandrin.; ubi hæretici illi, Cyrum agnoscere detrectantes, Benjamino suo obstinatissime feruntur adhæsisse. Ceterum ex iis, quæ supra in appendice num. 484 dedimus, satis liquet, Athanasium etiam a Jacobitis Antiochenis agnitum fuisse patriarcham ad mortem usque; apud quos mirum esse fateor, nullam fieri rerum hic

A hic de eo narratarum mentionem. Obiisse vero illum versus annum Christi DCXXXIX, occupata recens ab Arabibus Antiochia, num. 485 docuimus.

LXII. MACEDONIUS.

Macedonius Monothelita a suis creatus Constantinopoli.

Eutychius tom. II, pag. 271, S. Anastasio II, post annorum XXII intercapedinem, quibus orbatam fuisse pastore ecclesiam Antiochensem putavit, suffectum tandem esse MACEDONIUM testatur his verbis: «*Anno Chalifatus ejusdem* (Omari) *quinto constitutus est Macedonius patriarcha Antiochenus in urbe Constantinopolitana, qui Maronita* (sic ipse Monothelitas appellat) *fuit. Constantinopoli sex annos substitit; dein e vivis excessit, antequam Antiochiam vel ingressus esset, vel vidisset.* Aliqua hic certa sunt; cetera non item: certum est 1, Macedonium fuisse Monothelitam; 2, a Monothelitis creatum esse patriarcham Antiochenum; 3, id factum non esse Antiochiæ: B hæc enim omnia confirmat S. Martinus Papa I epist. V ad Joannem episcopum Philadelphiæ tom. VI Concil. Labb. col. 22, ubi sic habet:

teste S. Martino PP. I.

507 *Hunc enim episcopum* (de Macedonio loquitur) *catholica ecclesia nullo modo novit; non solum quod is præter canones in externa regione sine consensu, et absque ullo decreto, hanc sibi appellationem usurpavit; sed et quod consentiat hæreticis*, (Monothelitis, ut patet ex sequentibus) *qui hæreseos suæ appendicem, ejus electionem per contemptum tumultuarie fecerunt: quemadmodum et Petri, qui ab iis nominatus est et assimulatus episcopus Alexandriæ: ut per plures et adscriptitias personas hæresim suam munitiorem utique reddant: quam una cum ipsis impræsentiarum* (anno Christi DCXLIX) *canonice hic* (in concilio Lateranensi) *et synodaliter anathematizavimus.* Non absimilia scribit epist. XI ad ecclesiam Hierosolymitanam et Antiochenam ibid. col. 41. Utraque autem epistola significat, constitutum a se esse per ambas illas ecclesias Joannem, episcopum Philadelphensem (sicut antea fuerat Stephanus Dorensis C episcopus, de quo agit ibidem epist. IX ad Pantaleonem, col. 34 et seq) *ut locum nostrum*, inquit, *in omnibus ecclesiasticis articulis in partibus Orientis suppleat, et creet in omnibus civitatibus, quæ Antiochenæ sedi, quæque Hierosolymitanæ sacerdotaliter subsunt, episcopos et presbyteros et diaconos: ne, sicut dicit Propheta, deficiant a comestione oves, eo quod non sint boves in præsepibus, id est, fideles et orthodoxi populi, quod catholicæ ecclesiæ episcopos non habeant* etc.

A. C. 638 vel 639. sedit usque ad A. C. 649 exeuntem, ut minimum.

508 Reliqua vero quæ asserit Eutychius; puta, consecratum esse Constantinopoli Macedonium anno Califatus Omari quinto (Christi DCXXXVIII a die XXVIII Augusti, vel DCXXXIX usque ad eumdem diem.) Item substitisse eumdem ibi ac mortuum esse antequam Antiochiam ingressus esset vel vidisset; sicut non est cur negem, ita nihil occurrit aliunde, quo stabiliam. Certe non adeo mirum est, si Constantinopoli, saltem aliquamdiu, substiterit; quando recens in Saracenorum manus Antiochia jam venerat. At illud sine dubio falsum est, quod ait, sex tantum annis electioni suæ Macedonium supervixisse; nisi serius fingatur electus: nam si anno quinto Califatus Omari, Christi DCXXXVIII aut DCXXXIX inauguratus est, superfuisse debuit annos ut minimum X; vivebat utique anno Christi DCXLIX sub finem, de quo tum ita scribebat ad Joannem Philadelphensem S. Martinus I loco citato: *Ejus vero, qui false episcopatus sibi nomen affinxit, Macedonii dico, importunas litterarum minas, sive protestationem, fortiter despuito, ut rabidi canis et temerarii latratum* etc.

SÆCULUM VII.

quidquid hic erret Eutychius.

509 Et vero ex ipso Eutychio errorem hunc colligere facilius est, quam restituere: Macedonio enim successorem assignat Monothelitam et Constantinopoli (a Monothelitis haud dubie) electum anno Califatus Othmani tertio, tom. II, pag. 323; ab anno autem Omari quinto, quo cœpisse Macedonium statuit, usque ad Othmani tertium anni sunt circiter novem, juxta Eutychium latine versum; cum ibidem asserat (recte an perperam, nihil mea interest) Califatum Omari fuisse *annorum decem et novem mensium.* Quid? Adeone in hac re segnes erant Monothelitæ, Constantinopoli ac toto fere Oriente pene soli regnantes, ut in Macedonii defuncti E locum toto biennio neminem e sua secta substituerent? Enimvero S. Martinus non tales eos paulo ante depinxit: neque proinde verisimile est, annos tantum sex episcopatum illum suum gessisse Macedonium, etiam secundum Eutychium, si recte expendatur. Verum, ut dixi, lapsus hic ex Eutychio penitus emendari non potest: cum non patiatur Macedonii tempora extendi longius, quam ad annum Othmani tertium, qui est Christi DCXLVI a die VI Novembris et DCXLVII usque ad eamdem diem; ex dictis vero palam est, annis eum vixisse saltem duobus amplius.

LXIII. JARIHUS sive GEORGIUS I.

F

Sedit Monothelita hic ab A. C. 650 usque ad 654.

Solus hunc iterum producit Eutychius tom. II, pag. 323, ubi sic habet: *Anno Califatus ejus* (Othmani) *tertio constitutus est* JARIHUS *patriarcha Antiochenus, qui Maronita* (Monothelita) *fuit. Constantinopoli autem* [*ei muneri*] *præfectus est, ubi quinque annos substitit, neque Antiochiam pervenit. Mortuus autem est Constantinopoli, ibique sepultus.* Patet, hunc intrusum fuisse a Monothelitis non secus ac Macedonium: sed id fieri non potuisse ante annum circiter Christi DCL, qui fuit annus Califatus Othmani sextus usque ad diem VI Novembris, demonstratum est numero proxime præterito. Unde si per annos quinque, saltem incompletos, usurpata contra canones dignitate gavisus est, annum Christi DCLIV vivendo attigit: quod optime congruit cum initio Macarii, qui ei successit.

non confundendus cum Macario.

511 Videtur interpres Eutychii in Chronologiæ Eutychianæ synopsi, quam tomo primo præmittit, dubitasse, idemne hic sit Jarihus cum Macario; sed si recte ipse Eutychium verterit, nescio, quis ei esse potuerit ambigendi locus: utrumque enim apertissime discrevit Eutychius, ut planum facient, quæ de Macario sequuntur. Dubium tamen esse non potest, quin Jarihus hic idem ille

SÆCULUM VII.

ille sit, quem pag. 348 Georgium nuncupat, ubi ait: *Anathema ergo dixerunt* (PP. in sexta synodo) *in Macarium, Macedonium et Georgium, patriarchas Antiochenos*: non enim plures ipse Antiochiæ præsules agnovit usque ad Macarium, quam duos: Macarium autem sedisse affirmat usque ad synodum sextam, ut mox dicetur; reliqui duo tum dudum vivis excesserant.

LXIV. MACARIUS I Hæresiarcha.

Macarius sedet ab A. C. 654.

De Macario ita scribit Eutychius tom. II, pag. 324: *Anno Chalifatus ejusdem* (Othmani) *decimo factus est Macarius patriarcha Antiochenus, qui et Maronita* (Monothelita) *fuit. Hic etiam Constantinopoli creatus, cum ibi octo annos permansisset, neque Antiochiam accessisset, mortuus est, ibique sepultus.* Cœpit Califatus Othmani, juxta Chronologiæ Eutychianæ synopsim, die vi Novembris anno Christi dcxliv: annus ergo ejus decimus a vi Novembris anni Christi dcliii usque ad eumdem diem anni dcliv fluebat, in quem annum incidisse potuit, ut numero superiore notatum est, tam successio Macarii, quam Georgii sive Jarihi obitus. Verum cetera Eutychius hallucinatur insigniter. D

depositus vero est A. C. 681, die vii Martii in synodo sexta.

513 Primo quod Macarium asserat usque ad mortem permansisse Constantinopoli; deinde quod eum ab anno Christi dcliv, annis tantum octo vixisse statuat; denique quod ne ad sextam quidem usque synodum superstitem faciat; etiam cum synodum illam ipsis xvi annis deproperet: coactam etenim inepte fingit, non anno Christi dclxxx et dclxxxi cum revera convenit; sed anno Christi dclxiv, sive Califatus Moawiæ, filii Sofyan, anno quarto, tom. II, pag. 344; quem pag. 356 ridicule conjungit cum anno imp. Constantini decimo tertio. Tria, inquam, hæc peccat Eutychius: nam ut a postremo incipiam; non tantum interfuit Macarius sextæ synodo; sed etiam tamquam venerabilis archiepiscopus Theopoleos Antiochiæ tertio inter patriarchas Orientales loco consedit, idque inde ab Actione prima, die v Novembris anni Christi dclxxx, usque ad Actionem octavam, habitam die vii Martii dclxxxi, in qua demum percussus anathemate, pallio simul atque omni patriarchica dignitate titulisque exutus est; vide Labbeum tom. VI Concil. col. 758 et seq. C

Multa hic peccat Eutychius.

514 Hinc altera Eutychii prolapsio seipsam evolvit: nam si ab anno Califatus Othmani decimo, Christi dcliv, creatus episcopus erat Macarius, teste Eutychio; profecto non tantum octo, sed totos fere xxvii annos munus illud eum gessisse fatendum est. Postremo, ne quid dicam de commentitia illa patriarcharum a sua diœcesi per tot annos absentia; illud certe a vero alienissimum finxit Eutychius, quod Constantinopoli non modo vivus semper Macarius, verum etiam defunctus permanserit. Constat enim non solum ex Divina sacra Constantini Pogonati ad Leonem Papam II, quam dat Labbeus tom. VI Concil. col. 1100, vindicatque contra Baronium Pagius ad annum Christi dclxxxiii a num. 5; verum etiam ex concilii Nicæni II actione prima tom. VII Concil. col. 82, Macarium, a sexta synodo damnatum, Romam esse missum cum aliis ei adhærentibus, a summo Pontifice judicandum; ibique a S. Leone, cum nollet ab hæretica pravitate recedere, in monasterium esse retrusum, ut auctor est Anastasius Bibliothecarius, seu quisquis alius, in Vitis Pontificum; illo autem exilio liberatus numquam fuit; siquidem *numquam voluit corrigi*, ut dicitur in Nicæno II, loco citato. Hæc de chronologia Macarii. Doctrinam ejus et opuscula disce ex synodo sexta, et historia hæresis Monothelitarum Francisci Combefisii, aliisque. Quam perniciosus fuerit ardor ejus in erroribus suis late propagandis, testatur S. Leo Papa II Constantino tom. VI Concil. Labb. col. 1017. D

LXV. THEOPHANES.

E

Tempore synodi sextæ consecratus A. C. 681 circa initium Aprilis.

Theophanes *Deo amabilis presbyter et abbas monasterii, quod cognominatur Baias, siti in Sicilia*, accensus legitur postremis Patribus, qui synodo sextæ ab initio interfuerunt; at in confutando confundendoque Macario, ac sacrosancta Ecclesiæ catholicæ fide defendenda inter primos emicuit; dignissimus enimvero, qui dejecti adversarii solium occuparet; quod et fecit: nam episcopi, qui ad synodum convenerant, Antiochenæ sedi subjecti, postquam damnatus Actione octava fuisset Macarius, postulata obtentaque in Actione decima tertia, habita die xxviii Martii anno Christi dclxxxi, imperatoris ad novum sibi præsulem deligendum facultate, in Theophanem suffragia contulerunt; qui jam electus consecratusque ante Actionem decimam quartam, celebratam die quinta Aprilis ejusdem anni, in ea ceterisque sequentibus inter sanctæ synodi præsides Macarii loco consedit, appellatus imposterum *Theophanes venerabilis atque sanctissimus Archiepiscopus Theopoleos Antiochiæ.* Hæc, opinor, Theophanis exordium, de quo nulla est controversia, nimis aperte demonstrant, quam ut in eo stabiliendo longiorem me quisquam esse velit F

sedit usque ad A. C. 681 ad [illegible] vel initium sequentis;

516 Porro patriarchatus hujus non adeo facile est exitum, quam initium reperire. Eutychius enim vix ultra annum unum aut alterum durasse innuit; cum Thomam, quem Theophani per annos xx successorem notat, obiisse dicat, pag. 364 et seq., anno Califatus Aldil-Malcci primo, qui incipit anno Christi dclxxxv, die xiv Octobris. Subducti autem anni xx ab anno Christi dclxxxv vel dclxxxvi, redigunt Thomæ primordia ad annum dclxv vel dclxvi, cum ipse consecratum fuisse Theophanem statuat anno Christi dclxiv. Sed quis huic auctori Theophanis episcopatum circumscribenti satis hic fidat, cum in præcedentis Macarii, et consequentis Thomæ temporibus finiendis tot annorum spatiis exerret? Recentiores ergo chronologi maluerunt annos ei quinque concedere. At quo auctore? Nicephoro, inquit Card. Baronius, ad annum Christi dclxxxv, num. 8. Verum quis ille Nicephorus; aut ubi

ubi hoc tradit? Nam qui de patriarchis Antiochenis agunt, Constantinopolitanus patriarcha et Callistus in Anastasio II pridem desinunt.

ut eruitur ex concilio Nicæno II

517 Ex iis tamen quæ ibidem habet Eminentissimus Cardinalis ex concilio Nicæno II, recte colligitur, vacuam fuisse cathedram Antiochenam, defunctumque Theophanem tempore S. Benedicti Papæ II, qui, juxta Pagium, ordinatus est XXVI Junii anno Christi DCLXXXIV, obiitque sub initium Maii anno DCLXXXV : sic enim ibi loquitur Petrus presbyter et *locum retinens Apostolicæ Cathedræ Hadriani Papæ Romæ : Hoc perspicuum est :* (receptos scilicet et restitutos Ecclesiæ fuisse episcopos ab hæresi redeuntes.) *Etenim Romæ in exilio erat Macarius hæreticus a sexta synodo missus : et quadraginta dies dedit ei spatium sanctæ memoriæ Pater noster Papa Benedictus, et per singulos dies mittebat ad eum Bonifacium consiliarium suum, et commonitoriis verbis docebat eum ex divina Scriptura : et numquam voluit corrigi. Hoc autem faciebat, ut persuaderet et reciperet eum,* sive in pristinum statum restitueret, ut habet Baronius, et adjuncta loquuntur. Cur vero tam impense id agebat S. Benedictus; cur diem etiam conversioni præscribebat, ut eum pristinum in locum, sedem videlicet Antiochenam, restitueret; nisi quia jam illa vacabat, nec res moram patiebatur? Obierat ergo jam tum Theophanes, post annos tres aut fere quatuor, quam ecclesiam illam, applaudente sexta synodo, gubernandam suscepisset : neque proinde audiendus videtur auctor Actorum Joannis Maronis apud Assemanum tom. I, pag. 502, qui obitum ejus refert ad annum secundum Justiniani II imperatoris, Christi DCLXXXVI post initium Septembris. Vide Labbeum tom. VII Concil. col. 82.

PARERGON

De Constantino Diacono.

Constantinus hic non fuit umquam patriarcha Antiochenus;

Non possum facere, quin hoc loco Constantinum illum proscribam, quem Patriarchis Antiochenis inseruisse videtur Baronius, ad annum Christi DCLXXXVI, num. 5, ubi sic habet : *Quod rursum ad Cononis res gestas pertinet, illud perperam factum ab eo Anastasius tradit, quod, cum morte Theophanis vacaret ecclesia Antiochena pastore, quorumdam ecclesiasticorum persuasione, inconsulto Romanæ Ecclesiæ clero, ordinarit Constantinum, diaconum ecclesiæ Syracusanæ, rectorem tunc patrimonii Romanæ Ecclesiæ in Sicilia, eique pallium ex more concesserit.* Quis non ex his verbis intelligat, Constantinum, cum esset diaconus et rector patrimonii Romanæ Ecclesiæ in Sicilia, consecratum esse a Conone patriarcham Antiochenum in locum defuncti Theophanis? Ita certe hæc accepit Blasius Terzi de Syria sacra lib. I, cap. XXXIII, et eruditus Assemanus Bibliothecæ Orient. tom. I, pag. 502. Huic errori ansam præbuit corruptus Anastasii textus; quem si legas, ut est a Fabroto ad tres Codices Mss. emendatus, patebit, ibi de Antiochia, ejusve patriarchatu, non magis esse sermonem, quam de insulis Fortunatis; de Theophane autem ne verbum quidem.

Sæculum VII. ut quidam ex mendoso Anasthasii textu putarunt

519 Atque eccum illum, ut videas, totum, ut est apud Anastasium correctum in vita Cononis : *Hujus* (Cononis) *temporibus pietas imperialis relevavit per sacram jussionem suam ducenta annonæ capita, quæ patrimonii custodes Brutiis et Lucaniæ annue persolvebant. Itemque et aliam jussionem direxit, ut restituatur familia suprascripti patrimonii et Siciliæ, quæ in pignore a militia detinebatur. Hic* (Conon) *ultra consuetudinem absque consensu cleri, ex immissione malorum hominum, in antipathia* (antea corrupte legebatur : *in Antiochia*) *ecclesiasticorum Constantinum diaconum, ecclesiæ Syracusanæ rectorem, in patrimonio Siciliæ constituit, hominem perperam* (forte perversum) *et tergiversutum. Sed et pallio ad caballicandum uti licentiam ei concessit. Et post non multum temporis seditio super eum orta est a civibus, ob patrimonii lites; qui a judice provinciæ sub arcta custodia retrusus est, pro eo quod indissensionem judicum inveniretur directus fuisse.* Hæc Anastasius. Extundat inde sane patriarcham Antiochenum, qui potest, cujus ne umbra quidem est minima.

PARERGON

DE S. JOANNE MARONE

Primo Patriarcha Antiocheno Maronitarum.

S. Joannes Maro, licet Patriarcha dictus Antiochiæ post obitum Theophanis,

Quoniam orthodoxi illi in Syria Libani montis incolæ, quas Maronitas vocant, patriarchas suos, jam inde a principio, Antiochiæ titulo insignitos fuisse perhibent, non abs re fore visum est, si patriarchatus illius primordia obiter hoc loco perstringerem; ne quis hanc sedem cum ea confundat, quæ proprie absoluteque Antiochena dicta fuit; id quod proclive illis esset, qui Stephanum Edenensem legerent, apud Assemanum tom. I, pag. 502 et seq., sic pronuntiantem : *Post Theophanis obitum de successoris electione episcoporum synodus habita est. Qua occasione divino consilio Antiochiam* JOANNES (cognomento Maro) *profectus, concordi omnium suffragio Antiochenus patriarcha creatur* etc. Proclive, inquam, esset hæc legentibus existimare, S. Joannem Maronem in locum Theophanis omniaque jura successisse, atque adeo simpliciter ac rotunde patriarcham fuisse Antiochenum, non secus atque alios ejus in sede Maronitica successores.

solis præfuit Maronitis.

521 Verum, ut recte ibidem annotat Assemanus, *Quod Joannes in synodo electus fuisse dicitur, id a nemine, præter Edenensem, affirmatur. Atqui si Joannes concordi episcoporum suffragio patriarcha Antiochiæ creatus fuisset, illius utique nomen in serie patriarcharum Antiochenorum Græci aut Latini ejusdem ævi scriptores notassent, sive is catholicus fuisset, seu hæreticus; uti notata leguntur nomina hæreticorum catholicorumque antistitum, qui eumdem antecesserunt aut subsecuti sunt. Itaque probabilius,* inquit, *puto, illum non ab episcopis Antiochenæ sedis, qui Græcorum imperatori Justiniano parebant, sed ab iis, qui Mardaïtis, seu Maronitis præerant, in patriarcham electum fuisse. Id enim suadere videtur, quod Maronitæ ad præsentem usque diem patriarchas*

SÆCULUM VII.

chas suos a Græcis, Jacobitis, et Nestorianis diversos habere consueverint; nec verisimile est, tantam hominum multitudinem, qui a monte Mauro ad sacram Urbem, Syriam, Phœnicem, et Palæstinam occupaverant, capite ac pastore caruisse, aut in unam gentem, a reliquis ritu moribusque differentem, sine aliquo auctore coaluisse.

non autem ecclesiæ Antiochenæ,

522 *Atque hac de causa*, pergit idem Auctor, *videntur Græci Latinique gesta Joannis Maronis præteriisse, cum hæc in jugis Libani contigerint, et patriarchatus Joannis Maronis a Græcis non fuerit agnitus, utpote qui ad ritum Syriacum, et super subditos Syros explicaretur; quemadmodum nec subsecutos, neque præsentes Maronitas patriarchas in Antiochenorum numero reponunt.* Quos proinde et nos æquum est imitari, missos faciendo patriarchas, qui solum Antiochiæ titulum, non sedem obtinuerunt; id quod non minus de Joanne Marone, quam de ejus successoribus testantur S. Theophanes, aliique infra citandi, cum asserunt, vacasse patriarcha sedem Antiochenam ab anno Christi circiter DCCII usque ad DCCXLII; cum nimirum adhuc superesset Joannes B Maro, juxta citatum Stephanum Edenensem, pag. 505, usque ad annum Christi DCCVII, cui statim alii serie continua successerunt; uti docent idem Assemanus, qui eorum Catalogum in prologo pollicetur, et Joannes Caverius de Vera apud Faustum Naïronum in dissert. de Origine, Nomine, ac Religione Maronitarum, edita Romæ anno Christi MDCLXXIX, § XXII.

quare hic præteritur.

523 Itaque qui plura de Joanne Marone ac Maronitis desiderat, is adeat Quaresmium Elucidationis Terræ Sanctæ lib. I a cap. XXXV, Eugenium Rogerium in Terra sancta, Gallice Parisiis edita anno MDCXLVI, tract. VII, Naïronum in dissertatione jam assignata, et in ejusdem Euoplia Fidei Catholicæ Romanæ historico-dogmatica, vulgata Romæ anno MDCXCIV, part. I, cap. IV; Renaudotium in Hist. Patriarch. Alexandrin. pag. 149 et seqq., aliosque; et cum his Assemanum conferat tom. I, cap. XLIII, ubi de gestis Joannis hujus et scriptis agit; imo et de publica fama sanctitatis ejus et cultu, quo illum ecclesia Maronitica quotannis celebrare consuevit V Idus C Februarias.

LXVI. ALEXANDER II.

Theophani successit Alexander II.

De successore Theophanis, quem ostendimus modo non fuisse S. Joannem Maronem, inter auctores modernos nequaquam convenit, aliis nullum hoc sæculo admittentibus, quod facit Ricciolius noster Chronologiæ reform. tom. III, part. I, catal. XI, itemque Gualterius in Tabulis Chronographicis sæculo septimo; aliis solum Constantinum, ut modo dictum est; aliis ALEXANDRUM II, cui tribuunt annos XVI, ut habent Panvinius, Genebrardus, aliique; aliis solum Georgium, ut sensit Pagius ad annum Christi DCXCII, num. 8. Qua id ratione faciant, cum ipsi non dicant, mihi divinare non vacat. Ego interim duos assignandos existimo, qui eum continua successione secuti sint. Et de Georgio quidem certa res est, ut paulo inferius videbitur; de altero autem, qui Georgium antecesserit, dubitari vix sinunt D Eutychius Alexandrinus et Anastasius Bibliothecarius: hic, cum in historia ad annum divinæ Incarnationis DCLXXVIII, qui est æræ vulgaris DCLXXXVI, ait: *Theodorus autem Constantinopolitanus annis tribus, et Alexander Antiochenus habentur antistites*: ille vero, cum tom. II Annalium Alexandrinorum, pag. 364 et seq. ad annum Califatus Abdil-Maleci primum, qui respondet anno Christi DCLXXXVI usque ad Octobrem, juxta synopsim chronologiæ Eutychianæ, ita scribit: *Porro mortuus est Thomas patriarcha Antiochenus, cum munus illud viginti annis obiisset.*

quem Eutychius Thomam appellat.

525 Nihil hic me moratur nominum Alexandri ac Thomæ diversitas, cum et binominis esse potuerit Alexander, et Eutychius non raro nomina mirum quantum immutet. Nec movent etiam XX anni, quos Thomæ suo adscribit Eutychius: eo enim compulsus esse potuit per errorem illum, quo synodum sextam, in qua creatum episcopum sciebat Theophanem, collocandam putarat anno Muaviæ quarto, Christi DCLXIV; cum igitur perspectum forsitan haberet initium Georgii, E qui Thomæ juxta ipsum statim successit, scireque non diuturnum fuisse patriarchatum Theophanis, videtur annos Macario detractos transtulisse in Thomam, cujus forte tempora minus noverat. Ut ut est, in eo cum Anastasio consonat, quod uterque anno Christi DCLXXXVI patriarcham agnoscit, Theophani suffectum, sive Thomam illum vocare libet, sive Alexandrum, certo a Georgio deinde consecuto diversum.

A. C. 684 exeunte aut ineunte 685, seditque usque ad annum circiter 686.

526 Quod spectat rationem chronologicam, nihil admodum certi est; nisi errasse eos, qui annos ei sedecim aut plures concedunt ab anno Christi DCLXXXVI inchoandos; cum certum sit, sedisse Georgium tempore synodi Quini-sextæ. Ego, ne quid dissimulem, sic censeo: Superstite S. Benedicto Papa II vacabat sedes Antiochena pastore, cum Theophanes obiisset. Hoc ex Oriente rescriptum Pontifici Romano fuerit, simulque significatum, quantum apud Antiochenses non paucos sui desiderium exul Romæ Macarius reliquisset; quos non facile esset sine Macario ad concordiam adducere; per F Macarium autem, si modo converti ab hæresi posset, non ad pacem modo, sed etiam ab hæresi, quam olim ab illo didicerant, ad Ecclesiæ gremium revocare facillimum. Ceterum in mora periculum esse, ne insolescerent factiosi, dum patriarcha nullus esset, qui comprimere eos posset in tempore. Hinc S. Benedictus, rem statim aggressus, dies Macario quadraginta præstituerit, uti antea ex Nicæno II diximus. Iis demum elapsis, rescripserit Antiochensibus Benedictus, operam in Macario frustra consumptam, hæresi mordicus hunc adhærere; de alio deligendo sine mora cogitarent. Hoc pacto electus esse potuit Alexander etiam ante obitum Benedicti, sive anno Christi DCLXXXIV ad finem inclinante, sive DCLXXXV ante Maium; et præfuisse Antiochenæ ecclesiæ anno uno aut propemodum duobus, sive usque ad annum Christi DCLXXXVI, mensem etiam, si placet, Augustum: nam satis est, ut intra annum Abdil-Maleci primum eligi ipsi successor potuerit, ut Eutychio, mox citando, satisfiat.

LXVII. GEORGIUS

LXVII. GEORGIUS II.

Georgius Alexandro successit.

Anno *chalifatus ipsius* (Abdil-Maleci) *primo constitutus est* GEORGIUS *patriarcha Antiochenus, qui annos viginti quatuor sedit, dein mortuus est,* inquit Eutychius tom. II, pag. 367; quem saltem quoad initium Georgii libenter sequimur; quia ducem alium antiquum non habemus. Cœpit annus primus califatus Abdil-Maleci, secundum chronologicam Eutychii synopsim, ut modo dicebam, anno Christi DCLXXXV a XIV Octobris, desinebatque adeo sub initium Octobris anni Christi DCLXXXVI: cum anni lunares Arabici fere diebus undecim breviores sint Julianis; quare ante Octobrem anni Christi DCLXXXVI defuncto Alexandro sive Thomæ successisse debet Georgius, saltem juxta jam dictam synopsim; quod addo, quia si tabulas Gravii sequi placet, ut eas exhibet Cangius tom. I Glossarii mediæ et infimæ Latinitatis ad vocem Annus, aliquot mensium discrimen invenietur.

ante mensem Maium A. C. 686:

528 Inauguratus enim est iste califa, testibus Eutychio, Severo apud Renaudotium pag. 179, Abul-Pharajio, Elmacino, anno Hegiræ LXV, mense, ut addit Chronicum Orientale, Ramdani, seu Ramadan, qui Arabibus nonus est; annus autem Hegiræ LXV in tabulis Gravianis incipit XVII Augusti anno Christi DCLXXXIV; desinitque die VI ejusdem mensis anno Christi DCLXXXV; non potest ergo juxta hunc computum initium califatus Abdil-Maleci incidisse in mensem Octobrem anni Christi DCLXXXV; sed ut summum in mensem Maium, cujus illo anno initium concurrebat X circiter diebus cum fine mensis Ramadan; ac proinde anni primi jam dicti califatus finis, quem præcessit et mors Alexandri et Georgii successio, in extremum Aprilem anni Christi DCLXXXVI tantum excurrebat. Uter hic rectius putaverit, Gravius, an Pocockius, mea non tanti refert, ut examinandum putem; faciat id cui plus est otii, et uberior ad supputationes ejusmodi apparatus; Graviana sane usitatior est apud eruditos.

Sedit usque ad A. C. 702,

529 De Georgio hoc unum extra omnem controversiam esse debet, quod patriarchatum Antiochenum administrarit tempore synodi Trullanæ, sive Quinisextæ, quocumque demum anno illa sit habita (de quo vide Pagium in Criticis ad annum Christi DCXCII, a num. 2; ubi ipse num. 7 celebratam asserit anno Christi DCXCI:) quippe cui post Constantinopolitanum, Alexandrinum et Hierosolymitanum patriarchas ita subscripsit: *Georgius humilis episcopus Antiochiæ definiens subscripsi*: vide Labbeum tom. VI Concil. col. 1188. Ne vero dubites Antiochiam hic designari Syriæ, cujus adeo episcopus fuerit patriarcha, de quo agimus, lege ibidem col. 1128; et mecum juxta miraberis, Præsulem hunc a tot viris eruditis inobservatum abiisse.

530 Jam quod ad annos episcopatus ejus attinet, in eo assentior Eutychio, quod eos deducat usque ad vacationem illam diuturnam sedis Antiochenæ, cujus sub initium sæculi octavi auctores fuere Saraceni; sed cum ea cœperit anno Christi DCCII, ut scribunt Theophanes, auctor Historiæ Miscellæ, Anastasius Bibliothecarius, Cedrenus, quando ad annum Constantini Copronymi secundum, Christi DCCXLII, asserunt, ecclesiam Antiochenam pastore per annos XL fuisse viduatam; nego Georgium ultra annos XVI, quot sunt ab anno Christi DCLXXXVI usque ad DCCII, patriarchatum obtinuisse; neque vero talis Eutychius est, ut, hujusmodi auctoribus non silentibus, mereatur audiri. Hæc sunt, lector, quæ ego quidem ex antiquitate de patriarchis meis corradere hoc sæculo potui: nam de Aimerico, cujus hoc loco meminit, quamquam subtimide, Terzius, nihil offendi.

Sæculum VIII. cum sedes Antiochena vacare cœpit per annos 40.

APPENDIX

AD SÆCULUM VII.

PATRIARCHÆ ANTIOCHENI

JACOBITÆ.

VII. JOANNES I.

Jacobitis præfuit post Athanasium usque ad A. C. 648, vel 649.

531 Athanasium primum primus excepit JOANNES, *cognomento Sedrarum*, ut auctor est Bar-hebræus pag. 334 et seq., *ex cœnobio Eusebonæ* (apud Teledam agri Antiocheni vicum sito) *Athanasii discipulus, ordinatus ab Abraham Nisibis episcopo anno Græcorum* CMXLII (Christi DCXXXI.) *Hic, jubente Amro Saadi filio Arabum dynasta, Evangelium e Syriaco in Arabicum sermonem interpretatus est. Sedit annos* XVIII. *Obiit anno Græcorum* CMLX *mense Decembri*, (hoc est, anno Christi DCXLVIII: hic enim ab autumno respondet anno illi Græcorum, uti et annus Christi DCXLIX usque ad autumnum sequentem) *sepultus Amidæ in templo Zoaræ.* Eumdem referunt Barsalibæus et Diptycha Jacobitarum; uti et Dionysius patriarcha pag. 103; sed hic ordinatum dicit anno Græcorum CMLV (Christi DCXLIV.) Obiisse vero anno Græcorum CMLXI (Christi DCXLIX, siquidem mense Decembri defunctus est.) In obitu ergo ejus propemodum cum Bar-hebræo Dionysius consonat; at in ordinatione assignanda nimium quantum hic ab illo diversus est; sed quoniam in eo saltem ambo consentiunt, quod eodem anno Joannis initium figant, quo mortem notaverant Athanasii, quæ de hac diximus num. 485, ad illud hic accommodari possunt: cum verisimile sit, Athanasium, vivente ac favente Heraclio, universæ ecclesiæ Antiochenæ usque ad obitum præfuisse; illi vero e vivis erepto suffectos esse continuo CPoli quidem a Monothelitis Macedonium; a Jacobitis autem, in Syria Arabicæ servituti adhærentibus, Joannem.

VIII. THEODORUS

VIII. THEODORUS I.

Joanni successit Theodorus I ab A. C. circiter 649 usque ad 665

532 Sic habet Bar-hebræus: THEODORUS *in Scetensi eremo primum, deinde in Kenserinensi cœnobio monachus, ab Abraham Emesæ episcopo, eodem, quo Joannes obiit, anno ordinatus, sedit annos* XVIII; *obiit anno* CMLXXVIII (Christi DCLXVII.) Adscriptus idem est Jacobitarum Diptychis et Catalogo Barsalibæi; refertur etiam in Chronico Dionysii patriarchæ, pag. 103; ubi patriarcha factus dicitur *anno sequenti*, mortem scilicet Joannis, quam ipse consignaverat anno Græcorum CMLXI: ordinatum ergo putavit Theodorum biennio serius, quam Abulpharagius; mortuum vero biennio citius, cum ait pag. 104: *Anno* CMLXXVI (Christi DCLXV) *obiit Theodorus patriarcha.* Utri autem credendum sit potius, aliunde mihi non liquet.

B

IX. SEVERUS II.

Theodoro I successit Severus II; sedit usque ad A. C. circiter 680.

533 SEVERUS, *cognomento Bar-Maske*, ait Abulpharagius pag. 335, *ex cœnobio Phaghindæ Amidensis primum episcopus, deinde a Joanne Tarsensi in patriarcham ordinatus anno* CMLXXIX (Christi DCLXVIII.) *Sedit annos* XII. *Obiit anno* CMXCI (Christi DCLXXX.) Severum hunc recensent etiam Jacobitarum Diptycha, et in Catalogo Barsalibæus; Dionysius patriarcha ordinationem ejus in Chronico refert ad annum Græcorum CMLXXVI (Christi DCLXV;) sed de ejus obitu nihil meminit. De lite hunc inter et episcopos Mesopotamiæ sibi subditos exorta super episcoporum ejus regionis ordinatione, quam illi ad metropolitas, at Severus ad se pertinere contendebat, mutuisque anathematismis, vide hic Bar-hebræi compendium.

X. ATHANASIUS II.

C

Post vacationem annorum 4, sedit A. C. 684 usque ad 687.

534 ATHANASIUS *Baladensis*, inquit in Abulpharagio contracto Assemanus pag. 335, *in synodo Rhesinensi post obitum Severi ab Anania, Mardæ et Caphartutæ episcopo ordinatus anno Græcorum* CMXCV (Christi DCLXXXIV.) Videtur ergo post Severi II decessum sedes Jacobitarum Antiochensium vacasse per annos IV. *Sedit* (Athanasius) *annos* III, *obiitque anno Græcorum* CMXCVIII (Christi DCLXXXVII.) Dionysius in Chronico pag. 105, obitum Athanasii differt usque ad annum Græcorum MXV (Christi DCCIV;) sed errat, ut patebit ex initio Juliani. Nescio, cur hunc Diptycha prætermittant; habetur certe in Catalogo Barsalibæi. Severi Sabochtæ, episcopi Kenserinensis, discipulus fuit, et in cœnobio Kenserinensi Græcam linguam edoctus, in monasterio Beth-Malchi, quod erat in agro Antiocheno, interpretandis in Syriacum sermonem libris incubuit, ut ait Assemanus loco citato, et in catalogo secundo auctorum, quem exhibet initio tomi ejusdem secundi, unde hæc desumimus.

XI. JULIANUS II.

JULIANUS, *cognomento Romanus, id est, miles*, ut habet epitome Bar-hebræi pag. 337, *quod patre milite natus esset, in cœnobio Kenserinensi monasticam vitam professus, Amidæ ab Athanasio, Sarugensi episcopo, in patriarcham ordinatus est anno Græcorum* CMXCIX (Christi DCLXXXVIII ante autumnum, aut post autumnum præcedentis.) *Sedit annos* XXI (inchoatos intellige.) *Obiit anno* MXIX (Christi DCCVIII.) Est et in Catalogo Barsalibæi, atque in Diptychis Jacobiticis. Dionysius patriarcha in Chronico, pag. 105, suffectum Athanasio Julianum ait anno Græcorum MXV (Christi DCCIV.) Verum erroris arguitur non modo ex Bar-hebræo, sed etiam ex Elmacino Hist. Saracenicæ lib. I, cap. XII sub finem; ubi asserit, Simonem, patriarcham Alexandrinum XLII, synodicas ad Julianum dedisse litteras.

Successit Athanasio A. C. 688 vel 687;

E

536 Idem affirmatur in compendio Severiano apud Renaudotium pag. 180 et seq. his verbis: *Scripsit* (Simon) *post ordinationem suam ad Julianum, patriarcham Jacobitarum Antiochenum, synodicas de fidei communione litteras, doctrina Scripturarum et sanctorum Patrum refertas, quas per episcopos misit. Litteræ publice lectæ Antiochiæ magna cum Simonis laude, cujus nomen, ad significandam communionem utriusque ecclesiæ, inter Diptycha pronuntiatum est. Responditque Julianus, et litteras per eosdem episcopos misit, qui honoribus cumulati in Ægyptum redierunt.* Ordinatus autem est Simon, juxta chronologiam nostram alibi traditam circa annum Christi DCLXXXIX; obiit vero anno Christi DCC; qua ratione ergo synodicas dedisset ad Julianum, si hic anno demum DCCIV patriarcha factus esset?

non vero A. C. 704, ut asserit Dionysius,

537 Verum ut hanc ordinationem Dionysius nimium differt, sic eam contra auctoritatem non Dionysii dumtaxat, sed etiam Abulpharagii, nimium maturat sive Renaudotius, sive, quem ibi præcipue sequitur, Severus Asmonæus pag. 196, cum ita scribit: *Obiit interea Julianus, patriarcha Antiochenus, qui pridem synodicas de communione fidei litteras Alexandriam miserat, sedemque Antiochenam obtinuerat ab eo tempore, quo Joannes Alexandrinus patriarcha* (ordine XL) *renuntiatus fuerat* (anno Christi DCLXXXVIII) *usque ad hunc, de quo scribimus, Alexandrum,* qui fuit inter Alexandrinos XLIII, ordinatus anno Christi DCCIII, vel DCCIV.

neque anno 687, ut habet Renaudotius.

F

538 Ceterum de tempore mortis Juliani vix ulla dissensio est: eumdem enim tam Dionysius in Chronico, saltem ut illud edidit Assemanus tom. II Biblioth. Orient. pag. 105: (nam pag. 95 ita vertitur ejusdem Chronici textus, ut anni duo detrahantur) quam Bar-hebræus, annum notant Græcorum MXIX, Christi DCCVIII; neque discrepat Historia Alexandrina, cum eum sub Alexandro patriarcha Jacobitarum Alexandrino, et califa Walido diem extremum obiisse significat: sedit enim Alexander usque ad annum Christi DCCXXIX; Walidus autem præfuit Saracenis ab anno Christi DCCV usque ad DCCXV, juxta chronologiam Eutychianam, et Pagium

Obiit A. C. 708.

A Pagium ad illum annum num. 6. De contentione Juliani cum Denha maphriano, aliisque episcopis super jurisdictione meminit epitome nostra. Dionysius in Chronico ait, eum cum episcopis Amideno atque Edesseno præsedisse synodo habitæ in monasterio S. Silæ anno Græcorum MXVII, Christi DCCVI.

SÆCULUM VIII.

LXVIII. STEPHANUS IV.

Stephanus IV Georgio II post annorum 40 vacationem successit A. C. 742;

STEPHANUM hunc omisit Eutychius; minime tamen illum neglexit S. Theophanes, cum ad annum Constantini Copronymi secundum, quem una cum Indictione undecima auctor ille numerat a Septembri anni Christi DCCLXII, sic scribit: *Hoc anno Isam* (aliis Hesham et Hasciamus etc.) *Arabum dux* (seu califa XVII) *mortuus est. Is sanctam Antiochiæ ecclesiam* (non Jacobiticam, ut B patet ex dictis, et clarius infra patebit) *pastore jam per annos* XL *viduatam, Arabibus nimirum patriarcham eligi prohibentibus, in priorem statum reposuit. Quempiam etenim monastici instituti Syrum, nomine Stephanum, sibi familiarem; rusticum quidem, at pietate clarum, Christianis in Oriente positis, si modo hunc admitterent, patriarcham eligendi liberam fecit potestatem. Illi divinitus hoc fieri arbitrati, ipsum Stephanum in Antiochensium Theopoleos sede episcopum collocant. Atque ita ad hodiernum usque diem eligendo patriarchæ nullum impedimentum a Saracenis affertur.* Eadem fere habent alii, quos assignavi supra num. 530.

obiit anno 744 aut sequenti.

540 Porro, quamvis id Theophanes aperte non asserat accidisse sub mortem istius califæ, qui per annos fere XIX imperavit: hoc tamen satis insinuat, cum historiam illam ad hunc usque annum reservat, quæ æque commode narrari poterat alio quovis Isami califatus anno, si alio contigisset. Itaque Theophanem sequentes Panvinius, Genebrardus, Baronius, Pagius, ceterique communiter Stephani primordia in eumdem hunc annum Chri- C sti DCCXLII, congerunt: neque vero protrahi ulterius possunt; quia, licet annus ille Constantini secundus atque Indictio undecima inchoentur mense Septembri anni Christi DCCXLII, et usque ad sequentis anni Septembrem juxta Theophanem decurrant; mors tamen jam dicti califæ, quam præcedere debuit Stephani consecratio; mors, inquam, illa, quæ incidit in diem VI Januarii anni Christi DCCXLIII, initium hujus patriarchatus omnino ad annum Christi DCCXLII defigendum ostendit. Sedit autem Stephanus annis circiter duobus, ut ex sequentibus palam fiet.

LXIX. THEOPHYLACTUS.

Stephano IV successit A. C. 744 exeunte aut non adulto 745.

HOC *etiam anno*, inquit S. Theophanes ad annum IV Constantini imperatoris, quem incipit mense Septembri anno Christi DCCXLIV, una cum Indictione XIII, ut patet ex anno præcedenti, *Maruam Christianis postulantibus* THEOPHYLACTUM, *presbyterum Edessenum, Antiochiæ patriarcham post Stephani obitum ordinari permisit: eumdemque publicis litteris honorifice ab Arabibus salutari sanxit: spiritualibus siquidem gratiis temperantiaque maxime ornatus erat.* Eodem redeunt, quæ ad eumdem annum Constantini quartum narrant Anastasius Bibliothecarius in Historia, Cedrenus, et Historia Miscella. Cum vero ante califatum occupaverit Maruam, quam sedem patriarchicam Theophylactus; constat initium ejus vix ante Decembrem anni Christi DCCXLIV posse collocari, quando non ante XXIV fere Novembris ejusdem anni califa factus est Maruam II, ut habet chronologus Eutychianus, et colligi facile potest ex ipso Theophane ad annum Constantini Copronymi tertium. At cum annus ille Constantini quartus fluat apud Theophanem usque ad Septembrem anni Christi DCCXLV, quo interea mense consecratus patriarcha fuerit, incertum est.

destitque A. C. 751 extremo Junio.

542 Anastasius Bibliothecarius loco citato ait, Theophylactum *ecclesiæ suæ septem præfuisse annis;* sed eos ipse deducit usque ad annum Copronymi undecimum, quod et facit Historia Miscella; tabulæ vero Theophanicæ E VII etiam annos putant, sed illis finem imponunt ad annum Copronymi decimum, quem orditur Theophanes a mense Septembri anni Christi DCCL, una cum Indictione IV, ubi sic habetur: *Eodem anno, mensis Desii die vicesimo nono, sanctissimus Antiochiæ patriarcha Theophylactus morte obdormiit.* Mensis Desius Junio nostro ab initio respondet, ut patet ex Eusebio Cæsariensi de Martyribus Palæstinæ cap. I, ubi de martyrio S. Procopii. Theophanem sequitur Cedrenus ad annum Constantini Copronymi decimum; quis vero illis vel Miscellam, vel Anastasium anteferat? Septem ergo annis præfuit Patriarcha noster, sed mutilatis; hoc est ab exeunte circiter anno Christi DCCXLIV, aut non admodum effecto DCCXLV, Copronymi IV, usque ad extremum Junium anni Christi DCCLI, Copronymi X. Theophylactum quoque nostrum agnoscit Eutychius tom. II, pag. 399; et nomen quidem aliquantum immutat, cum appellat *Prophylactum*, at ejus tempora subvertit omnino, cum eum constitutum velit *anno chalifatus Abu-Jaafari Almansuri primo* (Christi DCCLIV) *atque* F *inde annos octodecim sedisse.* Vide etiam, quæ de illo Jacobitæ non sine errore et injuria referunt apud Renaudotium Hist. Alexandr. pag. 213.

LXX. THEODORUS I.

Theophylacto successit Theodorus I A. C. 751;

ANNO Alexandrino sequenti, qui est Christi DCCLI a mense circiter Septembri, Theophylactum, teste Theophane, secutus est THEODORUS *Vicarii filius, e minori Armenia oriundus*, quem aliqui secundum appellant, quia Theodorum primum illum faciunt, quem nos supra a num. 312 Theodotum vocitare maluimus. Cum Theophane consonant Historiæ Anastasii Bibliothecarii et Miscella, quando Theodori exordium referunt ad annum Constantini Copronymi undecimum, anno Christi DCCLI a medio circiter Junio inchoatum. Mittendus hic ergo est Eutychius, tom. II Annalium Alexandrin. pag. 399, ubi ait, *constitutum esse Theodorum patriarcham Antiochenum,*

A. C. DCCLVIII

tiochenum, anno (califatus Jaafari Almansuri) *vicesimo* (Arabico scilicet, qui inibatur juxta tabulas Gravianas mense Novembri anni Christi DCCLXXII:) hoc enim aperte redarguit, præter auctores jam allatos, Hadrianus Papa I in epistola ad Carolum regem pro synodo Nicæna II, apud Labbeum tom. VII Concil. col. 919: in qua synodicam commendat epistolam ab hoc Theodoro Antiocheno, et alio Hierosolymitano, uti et Cosma Alexandrino patriarchis missam *Prædecessori* suo *sanctæ recordationis quondam Paulo Papæ*, ad cultum Imaginibus adversus Iconomachos vindicandum: atqui sanctus Paulus Papa I non vixit ultra annum Christi DCCLXVII. Debet ergo ante annum illum, multoque magis ante DCCLXXII, dignitatem patriarchicam Theodorus adiisse. Ex ea vero epistola synodica, seu potius Hadriani de illa, et Stephani aliorumque judicio, ibidem, colligere est, quam egregie rem catholicam hic Patriarcha defenderit.

At quamdiu sederit.

544 Episcopatus hujus terminum, cum apud antiquos scriptores nullum uspiam reperissent, pro suo quisque modo recentiores B alii longiorem quam par sit, alii breviorem, alii nullum assignarunt. Cardinalis Baronius ad annum Christi DCCLI, num. 19, *Hoc anno*, inquit, *Theodorus creatur episcopus Antiochenus; ut Theophanes auctor est, qui et eum sedisse annos sex asserit.* Verum, ut recte ad eumdem annum, num. 10 advertit Pagius, anni illi sex non Theodoro, sed Theophylacto ejus decessori a Theophane, per auctorem Miscellæ et Anastasium latine verso, attribuuntur; ut manifestum fit tum ex ipsomet edito græce Theophane, tum ex antiquis ejus apud auctorem Miscellæ et Anastasium versionibus; ubi ad annum Constantini Copronymi vigesimum tertium narrant, Cosmam, Epiphaniæ in Syria episcopum de distractis impie sacris ecclesiæ vasis apud Theodorum Antiochiæ patriarcham accusatum, ac subinde Constantini hæresim amplexum, communibus calculis ab eodem Theodoro Antiochiæ, ac Theodoro altero Hierosolymorum et Cosma Alexandriæ patriarchis cum suffraganeis episcopis, et quidem in propria a singulis civitate, anathemate percussum esse. Agno- C scit ergo Theodorum adhuc patriarcham Theophanes anno imperii Copronymi XXIII, quem anno ejusdem imperatoris undecimo consecratum dixerat: non igitur solos episcopatui ejus sex annos adscriptos voluit.

Variant recentiores.

545 Eodem argumento revincitur Ricciolius, Chronologiæ reform. tom. III, parte I, catalogo XI, ubi initium Theodori statuens anno Christi DCCLI ita scribit: *Theodorus II Arabum invidia anno* DCCLVI (juxta Theophanem) *in exilium pulsus. Reliqua ignorantur.* Itaque annos illi tantum quinque in Patriarchatu consignat in margine. Panvinius, Genebrardus, et qui hunc sequitur, Marcellus, in suis chronicis ab anno Christi DCCLI annos Theodoro deducunt XVI; sed quo id faciant auctore, ego, nescire me, libenter profiteor. Pagius ad annum Christi DCCLXIX, num. 1 contendit ex eo quod epistola utriusque Theodori et Cosmæ synodica illo anno in synodo Romana a Stephano Papa IV lecta sit, superstites etiam tum illos patriarchas fuisse, at quousque supervixerint postea, non dicit. Abbas Blasius Terzi di Lauria in sua Syria sacra, Innocentio XII D Pontifici Maximo dedicata, lib. I, cap. XXXIII asserit, hunc Theodorum Theophylacto successisse anno Christi DCCLI; tum postea in exilium a Saracenis esse missum; in quo nihil reprehendo: at quæ subdit, quam sint a vero aliena, patebit ex iis quæ de Theodoreto paulo inferius dicenda sunt: sic igitur habet: *Per duos episcopos provinciales interfuit* (Theodorus) *concilio Nicæno II, quod anno* DCCLXXXVII *celebratum est. Obiit circa finem hujus seculi;* imo ultimo ejus anno, aut potius primo sequentis, juxta ejus calculum. Hæc, inquam, falsa esse, mox ostendam, ubi de Theodoreto, Theodori successore, agetur.

546 Ego interim in tanta neotericorum discrepantia, et veterum auctorum Latinorum Græcorumque silentio, Eutychium patriarcham Alexandrinum sequor, qui tom. II, pag. 399, diserte affirmat, Theodorum patriarcham Antiochenum *annos viginti tres sedisse*: neque enim piget magis hunc sectari ducem, cum deest alius potior, quam deserere, cum certior adest; quod feci supra non semel. Præfuisse igitur arbitror hunc E Præsulem ab anno Christi DCCLI inclinante circiter, usque ad DCCLXXIII circiter, neque enim longius excurrunt anni XXIII Arabici, seu lunares, qualibus hic utitur Eutychius. Quod enim dicitur hic auctor tom. II, pag. 472, annis solaribus in historia sua metiri tempora, hoc ad ea tempora pertinet, quibus nondum utitur annis califatuum: nam exinde annis Arabicis tempora computat, non tantum califarum, ut apparet ex tabula, quibus anni eorum ad annos solares reducuntur, tomo primo præfixa; sed etiam patriarcharum; ut patet ex annis XXIII, quos ab anno Almansuri XX, Hegiræ CLV, usque ad VIII Haruni, Hegiræ CLXXVII, Theodoro nostro adnumerat: quot annos solares ibi numquam invenies. Idem constat ex annis XXVIII, quos tribuit Eliæ (de quo infra) ab anno tertio Al-Moctafi, Hegiræ CCXCI, usque ad annum Hegiræ CCCXVII; ubi quidem anni sunt XXVIII lunares; at non totidem solares; ut ad tabulas a Gravio expansas exploranti liquebit.

Nos cum Eutychio s. listetamus usque ad A. C. 773.

F

LXXI. THEODORITUS I.

Sedit ab A. 773

Putarunt Panvinius in Chronico ad annum Christi DCCLXVII, Genebrardus, aliique, incertum esse, quis post Theodorum Antiochiæ episcopus fuerit: cum ex Eutychio jam constet tom. II, pag. 411, Theodoro, exactis circiter in episcopatu annis XXIII, successisse statim THEODORITUM; licet auctor ille annos istos serius inchoet, atque adeo etiam finiat, quam fas erat, uti supra demonstratum est. Hinc Theodoritum constitutum esse narrat patriarcham Antiochenum *anno chalifatus Al-Rashidi octavo;* qui initium sumebat extremo circiter Junio anni Christi DCCXCIII: cum certum sit, Theodoritum patriarcham fuisse ante annum Christi DCCLXXXVII, quo celebratum est concilium Nicænum secundum, cui per vicarios suos interfuit; ut contra Terzium, num. 544 citatum, testatur Ignatius episcopus in Vita S. Tarasii patriarchæ Constantinopolitani, magistri

A gistri quondam sui (adi Acta Sanctorum ad diem XXV Februarii, pag. 580, num. 19;) licet Baronius ad annum Christi DCCLXXXVII, num 2 eumdem Ignatii locum proferens, pro *Theodoreto patriarcha Antiocheno* substituat in margine *Theodoro*: quod miror a Viro Eminentissimo factum esse, cum Theodorum ab anno DCCLI sex tantum annos sedisse asserat supra; sed et frustra Theodoritum expungit, ut pro eo Theodorum reponat: Theodoritum enim, non Theodorum, tempore Nicænæ synodi patriarcham fuisse Antiochenum, non solus Ignatius asserit; verum etiam Photius in Libello de synodis apud Labbeum tom. VII Concil. col. 657; Nilus Rhodiorum metropolita ibid. col. 662; et Menologium Græcorum a Canisio editum; vide Acta Sanctorum loco citato, pag. 581.

usque ad 790.

548 Est igitur, quo Eutychium refellam, cum ait tom. II, pag. 411: *Porro anno chalifatus Al-Rashidi octavo constitutus est Theodoritus patriarcha Antiochenus;* at non perinde suppetit, quo confutem id quod addit: *Qui annos septemdecim sedit, dein mortuus est.* Illud itaque B rejicio; hoc admitto; ita tamen, ut annos illos XVII inde ab anno circiter Christi DCCLXXIII, quo defunctum statui Theodorum, exordiar; ut proinde versus annum Christi DCCXC effluxerint. Ceteros patriarchas ex Eutychio prosequar, (quando aliunde nihil occurrit) sæculo sequenti; siquidem hic vacasse aliquamdiu post Theodoretum necesse est sedem Antiochenam; quandoquidem nemo ei successit ante annum califatus Al Mamunis primum, ut ille quidem affirmat, et ego negando non sum. Idem sentit fere consultus a me nuper V. C. Assemanus: sic enim interrogaveram: An Theodorito, qui Theodoro successit anno Christi circiter DCCLXXIII et sedit usque ad DCCXC, nemo successerit ante Jobum, quem notat Eutychius tom. II Annalium, pag. 428, constitutum esse anno primo califatus Almamunis, Christi fere DCCCXII? Assemanus ita respondet ex Catalogo suo Arabico: *Theodorito Jobus immediate successit. Quamobrem vel Theodoritus usque ad annum* DCCCXII *vitam produxit, vel ab anno* C DCCXC *ad annum* DCCCXII *sedes vacavit.*

APPENDIX

AD SÆCULUM VIII.

PATRIARCHÆ ANTIOCHENI

JACOBITÆ.

XII. ELIAS.

Juliano II successit A. C. 709.

ELIAS, teste Bar-hebræo in epitome pag. 337, *ex cœnobio Gubæ Baraiæ episcopus Euphemiæ urbis, postquam eam ecclesiam annis* XVIII *rexisset, in locum Juliani electus fuit, anno Græcorum* MXX (Christi DCCIX.) Dionysius patriarcha in Chronico pag. 105 successionem ejus in eumdem annum cum Juliani decessoris morte confert, nempe Græcorum MXIX, Christi DCCVIII; vel MXVII, Christi DCCVI, ut supra diximus. Sed videtur eruditus Assemanus plus Abulpharagii, quam Dionysii chronologiæ deferre; cum hanc per illam emendet pag. 337 et alibi. Ut ut est, haud certe magna est admodum temporis discrepantia. Notatus etiam legitur hic patriarcha in Catalogo Barsalibæi ac Dyptichis Jacobitarum, et alibi, ut mox videbitur; ut adeo de successione ejus dubium esse nullum possit.

quando synodicas litteras misit Alexandrino patriarchæ Jacobitico:

550 Hanc etiam ordinationem narrat in Hist. Patriarch. Alex. pag. 196 Renaudotius his verbis: *Cum vero vetuisset Walid, ne in Juliani demortui locum alter subrogaretur, episcopum quemdam Eliam in sede Antiochena communi consensu constituerunt; qui synodicas litteras ad Alexandrum,* patriarcham Alexandrinum XLIII, Jacobitam, *scripsit, et per episcopum Stephanum misit.* Post hæc subdit: *Eo loco observatu dignum est, hanc Eliæ Antiocheni electionem, non haberi* (apud Ægyptios nimirum) *quasi legitimam ... quippe qui jam episcopus et ecclesiæ alligatus, ad Antiochenam transferri secundum canones non poterat, qui adhuc in ecclesia Alexandrina Jacobitica vigent.... Ea translationum prima inter Orientales schismaticos origo fuit.* (Hic errat; ut patet ex dictis supra de Se- E vero II.)... *Erat Alexander in monasteriis Vallis Habib, cum litteræ synodicæ ad eum pervenerunt; quas cum accepisset, congregata suorum frequentia, publice illas legi jussit, simulque significavit, Orientales consensisse, ut patriarchæ loco episcopus Elias constitueretur, qui ordinationes celebraret; idque factum ex necessitate; sicut olim Gregorius Theologus Nazianzo Constantinopolim evocatus erat, ut ei ecclesiæ illius cura committeretur. Qua ratione animi Ægyptiorum placati sunt: scriptaque ad synodicas responsio.*

obiit A. C. 723;

551 *Porro Elias postquam sedisset annos* XIV, *obiit anno Græcorum* MXXXIV, inquit in compendio Bar-hebræus; id est, anno Christi DCCXXIII. Dionysius quidem in Chronico pag. 106 id refert anno Græcorum MXL, Christi DCCXXIX; sed perperam, ut recte ostendit Assemanus hoc eodem tomo pag. 95, ex testimonio Bar-had-besciabæ presbyteri, et Eliæ ac subinde Athanasii patriarcharum syncelli, quod habetur tomo I ejusdem operis, pag. 561, et quo affirmat, Athanasium, hujus Eliæ successorem, patriarcham fuisse F *anno Græcorum* MXXXIX, Christi DCCXXVIII. Non sedit ergo Elias, neque adeo vixit, usque ad annum Græcorum MXL. Verum ex citato illo testimonio confici non potest, ut anno demum Christi DCCXXVIII Elias fato cesserit, ut pag. 95 colligit idem Assemanus; qui proinde in catalogo suo patriarcharum pag. 479 recte se corrigens, mortuum illum esse notat anno Christi DCCXXIII, atque ita ad calculos Bar-hebræi sui revertitur.

Apostata fuit a fide orthodoxa; primus Antiochæ sedit post Severum.

552 Fuerat Elias orthodoxam fidem professus antequam ex lectione librorum Severi, patriarchæ Antiocheni, aliorumque ejusdem hæreseos auctorum ad Monophysitarum sectam defecit, ut probat Assemanus tom. II, cap. XIV, ubi de Elia ejusque scriptis agit. Citat in epistola sua ad Leonem, episcopum Haran, ac rejicit S. Joannem Damascenum æqualem suum, quem per contemptum appellat *Jannem,* fateturque illum contra se suosque tractatum Petri (Damasceni) episcopi sui nomine composuisse, ut vide apud Assemanum tom. I, cap. XXXVIII. Primus hic fuit, post ejectum Severum anno Christi DXVIII, qui jussione

a

a Valid, Arabum rege, accepta, anno Græcorum MXXII, Christi DCCXI, Antiochiam cum monachis et clericis ingressus sit, ubi novam Jacobitis ecclesiam fundavit consecravitque, teste Bar-hebræo in epitome, pag. 337. Anno Christi DCCXVIII Uremam castrum, aliaque Mesopotamiæ loca visitavit, ut constat ex inscriptione ad calcem codicis cujusdam apposita, quam legesis apud Assemanum tom. II, pag. 75.

XIII. ATHANASIUS III.

Successit Eliæ A. C. 724:

Athanasius, *archimandrita cœnobii Gubæ Baraiæ* (verba sunt epitomes Bar-hebræi) *ordinatus mense Aprili anno Græcorum* MXXXV (Christi DCCXXIV) *in cœnobio Cartaminensi per Theodosium, Rhesinæ episcopum; vel, ut apud alios auctores legitur, ordinatus Edessæ a Georgio, Arabum episcopo, qui eodem anno obiit.* Consonat Severi compendium apud Renaudotium pag. 198 et seq.; ubi, narrata Hischami califæ inauguratione, facta ineunte anno Christi DCCXXIV, sic habet : *Statim cum accepisset* (Hischamus recentissime califa proclamatus) *Antiochenos Jacobitas patriarcham non habere, (obierat enim Elias...) alium episcopum elegit, nomine Athanasium, quem patriarcham constituit... Illi igitur episcopi manus imposuerunt, et patriarcham constituerunt. Is ad Alexandrum* (patriarcham Alexandrinum) *synodicas de communi Jacobitarum fide litteras misit; quibus cum gaudio susceptis ipse respondit, ad testandam ecclesiasticæ communionis continuationem.* Athanasium quoque hoc loco reponunt memorata sæpius Diptycha Jacobitarum et Catalogus Barsalibæi. Dionysius patriarcha ejus ordinationem, quemadmodum et decessoris obitum, serius in Chronico refert anno Græcorum MXL, Christi DCCXXIX.

obiit A. C. 739 circiter exeunte.

554 *Obiit* (Athanasius, juxta laudatam epitomen ibidem) *anno* (Græcorum) MLI (Christi DCCXL, vel potius DCCXXXIX post autumnum;) *postquam sedisset annos* XV, (completos a mense Aprili anni jam dicti DCCXXXIX.) *Cujus mortem loco non suo refert Dionysiani Chronici descriptor, hoc est, ad annum* MLVII (Christi DCCXLVI,) *ut supra pag.* 107; neque, qui contra a sex illam annis prævertit, Elmacinus, eumque secutus, ut opinor, Renaudotius; cum Athanasium obiisse volunt eodem illo, quo creatum fuisse diximus, anno Hischami primo, Christi DCCXXIV, ut aulo inferius ostendam. Jacobitas Armenos ab Antiochenis dissidentes, instituta cum eis collatione, reconciliavit anno Græcorum MXXXVII, (Christi DCCXXVI;) ut ex Barhebræo docet Assemanus tum hic, tum pag. 296 et sequenti. Censetur idem inter scriptores Syros ibidem in catalogo secundo, qui huic tomo præmittitur.

XIV. JOANNES II.

Successit Athanasio III per fraudem.

Joannes *ex monacho Zucheninensi* (prosequor epitomen Bar-hebræi loco citato) *et episcopo Hauræ, ab Athanasio Sandalensi, episcopo Maipheractæ, per fraudem in patriarcham electus est. Nam cum episcoporum synodus tres candidatos, quorum Joannes unus erat, sorte eligi designasset; Athanasius, cui id munus episcopi commiserant, in tribus schedulis unius Joannis nomen scribi fecit. Ter itaque extractum veluti ex miraculo, sed re vera quia solum in schedulis scriptum erat Joannis nomen, admirationem primum episcopis et populo creavit; sed, cognita postea fraude, summum Athanasio atque Joanni odium conflavit. Et quidem Athanasius primus fuit, qui fraudulentæ electionis fructus, patriarchæ nimirum inimicitiam collegit. Quum enim Joannes Meruani, Arabum regis* (qui califatum tenuit ab anno Christi DCCXLIV usque ad DCCXLIX, juxta chronologiam Eutychii) *gratiam ingentibus donis sibi conciliasset, cœpit episcopos, ipsumque adeo Athanasium aspernari. Athanasius eumdem Meruanum adit, Joannem gravissimorum criminum accusaturus.*

556 *Episcopi, in factiones divisi, maxime indignati in Joannem, quod is Amidensem diœcesim in duas dividens, partem Severo, ejusdem urbis episcopo, et partem Esaiæ Alpharinensi adjudicaverat. Synodus tandem coacta est in Tarmana, Cyrensis ditionis pago, in qua Athanasius a Joanne veniam petiit. Sed positas simultates mox resumens, episcopos Telæ congregavit, qui ipsum summum, et principem episcoporum ac metropolitam magnum, proclamarunt, patriarchalem pene auctoritatem eidem deferentes. Joannes in episcopos anathematis sententiam tulit : qua illi conterriti, Athanasio relicto, absolutionem a patriarcha postularunt. Athanasius vero, nihilo melior effectus, episcopos instituere cœpit, in quorum numerum etiam adlegit Isaacum Haranitarum, et Josue Bacrum Sigaræ, amoto Elia, ejusdem urbis episcopo, qui primam Gregorii Theologi partem commentariis illustravit.* Hæc describere visum est, ad turbas et pacem, quarum obscuram sub hoc patriarcha mentionem faciunt Dionysius in Chronico, Elmacinus, ac Renaudotius, explicandas. Nunc ad chronologiam redeo.

nec sine turbis

557 Anno Græcorum MLVII, Christi DCCXLVI, ita in Chronico Dionysii notatur : *Per idem tempus post Athanasium factus fuit patriarcha Joannes.* Contra vero Elmacinus, Hist. Saracenicæ lib. I, cap. XVII, *Quod autem ad ea attinet,* inquit, *quæ Christianorum historiæ tradunt accidisse; imperante Hisjamo, dicunt constitutum Antiochiæ patriarcham, nomine Joannem, post obitum Athanasii patriarchæ ejus, anno primo imperii Hisjami* (qui califa fuit, ut modo diximus, ab ineunte circiter anno Christi DCCXXIV) *contra quem insurrexerunt episcopi sui : at, facta deinde pace, obiit : mansitque ecclesia sine patriarcha ad tempora usque Abdallæ Saffahi;* qui califa primus fuit Abassidarum, cœpitque sub finem anni Christi DCCXLIX. Eadem tradit Renaudotius pag. 211; additque : *Scripsisse ad Chailem patriarcham* (Alexandrinum XLVI) *litteras synodicas Joannem illum Antiochenum, probatur ex excerptis, quæ occurrunt ex illis, quas Chaïl ad illum scripsisse dicitur, et cujus magna pars exstat in Tractatu de Fide Patrum;* de quibus litteris iterum fusius agit pag. 217, ubi duo sunt capita cum antecedentibus nequaquam cohærentia :

non A. C. 746: nedum 724.

558 Primum quidem minoris momenti, cum dicit : *Et sane, ut ex aliis hujus historiæ locis intelligitur, Elmacinique testimonio, nulla inter Joannem et Antiochenos Jacobitas, quamdiu ille in vivis fuit, concordia coaluit :* cum et Elmacinus modo productus, et ipsemet Renaudotius

quod non omnino verum ... Renaudotius.

dotius pag. 211, contrarium asserant. Alterum gravius est in re chronologica : narrat enim ex auctore suo, *Venisse Alexandriam litteras synodicas a Joanne patriarcha Antiocheno ad Chaïlem scriptas, flagrante inter episcopos et Joannem discordia, quod eum suscipere nollent quasi patriarcham; quippe qui, cum episcopus esset, eam dignitatem secundum canones adipisci non poterat* etc. Supponit ergo manifeste, id factum esse non diu post Joannis electionem; quod et sequentia ibidem aperte innuunt : non igitur illa diu præcesserat tempora Chaïlis Alexandrini; atqui hic, juxta ipsum Renaudotium pag. 210, ordinatus Alexandriæ non est ante annum Christi DCCXLI : quo pacto ergo ordinationem Joannis Antiocheni Renaudotius supra cum Elmacino statuere factam potuit *anno primo imperii Hisjami*, Christi DCCXXIV?

sed A. C. 740, vel in fine præcedentis : obiit vero 755.

559 Quare Assemanus ceteris omnibus, atque adeo ipsi etiam Dionysio patriarchæ præferendum in hac re Bar-hebræum censuit; secundum quem *Joannes exactis in patriarchatu sexdecim annis, moritur anno Græcorum* MLXVI, *mense Octobri*, hoc est, anno Christi DCCLIV senescente. Opinor tamen *quindecim* scribendum esse, non *sexdecim*; ab anno enim MLXVI mense Octobri anni XVI retro ducti incurrunt usque in Octobrem, hoc est, in initium fere anni Græcorum ML; cum Joannis decessor Athanasius juxta Bar-hebræum tantum obierit anno Græcorum MLI; neque illi vivo Joannes suffectus sit. Ordinatum itaque Joannem putamus non diu post Athanasii decessum anno Græcorum MLI, Christi DCCXL vel sub finem DCCXXXIX; obiisse vero anno Græcorum MLXVI, Christi DCCLV; cum in eo assentientem Dionysiano chronico pag. 111 Bar-hebræum habeamus. Ceterum de successione Joannis hujus constat etiam ex Catalogo Barsalibæi ac Diptychis Jacobiticis.

XV. ISAAC.

sedit A. C. 755,

ISAAC *ex monacho Cartaminensi et episcopo Haran*, inquit in epitome Bar-hebræus pag. 339, *jussu Abu-Giaasar Almansor, Arabum regis, in patriarcham electus fuit eodem anno* MLXVI (Christi DCCLV) *quo Joannes obiit, et Rhesinæ a Jacobo cæco, Reschiphæ episcopo, ordinatus.* Convenit Dionysius in Chronico pag. 111; nisi quod Almansorem tum nondum statuat fuisse califam; cum tamen juxta Eutychium, Abulpharagium, Elmacinum, califatum adierit anno præcedenti, Christi DCCLIV. Elmacinus lib. II, cap. II, et Renaudotius in Hist. Alex. pag. 232, Isaaci initia ad Abdallæ Saphahi califatum retrahunt; sed in eo non majorem promereri fidem videntur, quam cum aiunt, inter Joannem et Isaacum annis aliquot vacuam fuisse sedem Jacobitarum Antiochenam. Differt tamen ab Elmacino Renaudotius, quod hic Isaacum narret patriarcham constitui jussum esse ab ipso Saphaho; Elmacinus vero id factum esse inepte fingat a Constantino Copronymo. Renaudotium fallere potuit nomen Abdallæ, quod Saphaho cum Almansore, juxta Assemanum tom. II, pag. 116, aliisque commune fuit. Diversam quoque Historiæ Saracenica et Alexandrina causam comminiscuntur, quæ principem ad conferendum Isaaco patriarchatum impulerit, quas videsis locis assignatis; nam aliam prorsus afferunt auctores Syri Dionysius et Bar-hebræus.

nec annum totum in patriarchatu explevit :

561 *Refert* enim *Bar-hebræus*, teste Assemano, *cum Isaac in cœnobio Turrium in monte Edessæ monachum ageret, quemdam peregrinum monachum ab ipso hospitio exceptum, quod metallum in aurum convertisset nec eam artem Isaacum docere voluisset, ab eodem interfectum fuisse; Abu-Giafarum autem, qui chymicæ artis peritum Isaacum crediderat, cum eum omnino ejus artis rudem comperisset, anno patriarchatus nondum expleto, hominem suffocari, ejusque cadaver in Euphratem projici jussisse.* Hinc licet conjicere, veram causam hujus monachi ad patriarchatum promovendi Abu-Giafaro fuisse spem utilitatis, quam sibi ex arte ejus chymica eventuram augurabatur; proclive id enim erat principi avaro ac sordido, ut ejusmodi aliquid ab eo monacho speraret, *qui*, ut est apud Dionysium, *Edessæ cellam sibi construxerat, ubi chymicæ arti studebat.* Habes interim hic etiam tempus, quo dignitatem illam apud suos obtinuit : si tamen illam umquam obtinuisse dicendus est : nam licet inter suæ sectæ patriarchas numeretur non solum apud auctores modo appellatos, sed etiam in Barsalibæi Catalogo; in Diptychis tamen Jacobiticis nulla ejus memoria est.

nec apud Syros, nec apud Ægyptios pro legitimo habitus.

562 Neque vero id mirum de Isaaco : quando *hunc illegitimum vocant Syri et Ægyptii Jacobitæ*, ut notat epitome Bar-hebræi. Et de Ægyptiis quidem id Elmacino fusius narrat auctor Hist. Patriarch. Alexandr. apud Renaudotium loco citato, ubi ait, missas esse ad Chaïlem seu Michaëlem Alexandrinum litteras ab Isaaco synodicas, quibus additæ erant aliæ ab Abdalla ad Ægypti præfectum, præcipientes, ut si Chaïl Isaaci synodicas legatosque non reciperet, in Syriam ad sultanum mitteretur, capitis forte pœnam laturus, quam jam tulerant metropolitæ duo, quod vel mussitare aliquid adversus invasoris intrusionem ausi fuissent. Chaïl tamen post longam cum suis deliberationem ferre potius quidlibet decrevit, quam ut patriarchatum Isaaco, qui et episcopus ante fuisset, et sola principum auctoritate promotus esset, subscriptione sua firmaret, revocaretque hoc pacto anathema, quod in ejusmodi ordinationes una cum episcopis Orientalibus sub Joanne, qui Isaacum præcesserat, pronuntiatum a se pridem fuisset. Itineri ergo se accinxit; cum in ipso tempore, nuntius in Ægyptum allatus e Syria de Isaaci interitu et itineris consilium et periculum omne discussit.

XVI. ATHANASIUS IV.

Isaaco substitutus A. C. 755; tertio dir. vel juxta alios A. C. 759, suffocatur :

ATHANASIUS, Sandalensis ab Arabiæ urbe Sandalia dictus, Isaaco, juxta epitomen nostram, suffectus est. *Hic ex monacho Cartaminensi episcopus Maipheractæ renuntiatus, sub Joanne patriarcha turbas plurimas excitavit; ut supra dictum est. Post interitum Isaaci in patriarcham jussu Abugiafari regis electus, a Christianis Haranitis, quod Abdinensem, Isaaci discipulum, ipsis invitis ordinare deliberasset, noctu suffocatus est.*

est.... Qui ipsum interfecere, rumorem in vulgus sparserunt, a rege Abugiafaro occisum fuisse. Ejus certe jussu interiisse dicitur apud Dionysium in Chronico pag. 111, et quidem *paucis post* electionem suam *diebus*; imo *tertio die*, ut est in compendio Severi apud Renaudotium pag. 234; vel *secundo die*, juxta Elmacinum lib. II, cap. II. Contigit hoc eodem adhuc anno, quo Joannes obierat, Græcorum MLXVI, Christi DCCLV, si Dionysio credimus; et ex eo confirmari potest, quod Joanni anno illo successerit Isaacus secundum Bar-hebræum ac Dionysium; Isaaco autem defuncto subito substitutus est Athanasius *ipso die ante solis occasum*, uti tradunt citati Severus Renaudotianus et Elmacinus. Assemanus tamen in suo catalogo pag. 479 periisse vult Athanasium anno Christi DCCLIX; forte Bar-hebræum secutus, in cujus tamen epitome nullum hic tempus apposuit, sed tantum ad initium successoris

habitus pro illegitimo; at post obitum pro sancto cultus apud suos.

564 Illegitimum et hunc fuisse Jacobitarum patriarcham, imo ecclesiæ turbatorem, testatur Bar-hebræus; et quamvis nomen ejus cum ceteris referat in Catalogo suo Bar- B salibæus, in Diptychis tamen Jacobitarum omittitur. Nihilo tamen secius magno apud suos in honore est. *Cadaver ejus*, inquit Abulpharagius, *in cœnobium Cartaminense a monachis elatum* est, *ubi et pro Sancto colitur.* Et sane labores ejus in promovenda Jacobitarum secta mirifice commendantur apud Renaudotium pag. 234; ubi dicitur ante patriarchatum, cum episcopus esset, diœcesim suam, asperrimis atque inaccessis montibus obsitam circumcursasse, soleis ferreis calceatus; ut per inhospita saxa ecclesiæ Jacobiticæ proselytos venaretur. Ceterum Renaudotium hoc loco redarguit Assemanus, quod ab hoc Athanasio Maphrianorum Jacobitarum originem repetat, cum altius multo, atque ab alio Athanasio ducenda sit, ut supra diximus num. 485.

XVII. GEORGIUS, et sub eo

C

JOANNES CALLINICENSIS et DAVID Antipatriarchæ.

Georgius ordinatur A. C. 755, vel, ut alii, 759;

GEORGIUS *ex Baaltan pago oriundus*, inquit Bar-hebræus pag. 340, *monachum egit in cœnobio Kenserinensi, ubi et Græcis litteris operam dedit. Deinde Theodori, Samosatenorum episcopi, syncellus factus, cum anno Græcorum* MLXX (Christi DCCLIX) *post Sandalensis obitum synodus in urbe Mabugo coacta esset, omnium episcoporum, præter Davidem Daræ, et Joannem Callinici, consensu ex diacono in patriarcham ordinatur. Id factum in Dionysii Chronico assignatur ad annum Græcorum* MLXVI, *ut supra pag.* 111; *sed amanuensis mendum est, qui tam Georgii ordinationem quam intrusionem Joannis Callinicensis loco non suo descripsit, quæ ad annum* MLXX *transferendæ sunt*, ut notat hic Assemanus; ubi et contra Renaudotii historicum, cujus textum exponit, negat, umquam catholicum fuisse Georgium, quippe quem Bar-hebræus asserat a puero D Jacobitam fuisse; et apud Jacobitas educatum, nec ab istis umquam descivisse usquam indicet.

sed Mesopotameni pro eo eligunt primo Joannem Callinicensem,

566 *Interea Mesopotameni episcopi* (pergit Bar-hebræus ibidem) *schismate facto, Joannem, Callinici episcopum, sibi in patriarcham constituunt, qui positas ad Orientem regiones per annos quatuor invasit.* Paulo fusius Dionysius in Chronico citato, post recensitos episcopos, qui in synodo Mabugensi Georgium elegerant, subdit : *Cum vero absenti Georgio suffragium scripta manu dedissent, et consecrationis munus ipsi jam collaturi essent, Joannis cujusdam monachi impulsu schisma inter eos ortum est. Nam qui ex insula mesopotamena erant, ac præsertim Cartaminenses et Athanasiani, antequam Georgius ordinaretur, sese subduxere, factoque conventu, Joannem Callinici episcopum, qui primus omnium Georgio suffragium dederat* (quod videtur esse contra Bar-hebræum num. præced.) *in patriarcham constituunt; et Occidentales quidem omnes atque Mosulani Georgio parebant; Orientales vero Joannem sequebantur.* Hinc collige schisma illud exstitisse jam tum ab initio E Georgii; quamquam illud subinde invaluerit, ut habet idem Dionysius anno Græcorum MLXXI, Christi DCCLX, qui et de obitu Joannis hujus meminit anno Græcorum MLXXVI, Christi DCCLXV; sed si quatuor tantum annis sedit, uti vult Bar-hebræus; aut serius fecisse schisma, aut citius mortuum esse, necesse est. Ejus porro mentionem nullam faciunt neque Ægyptii apud Renaudotium et Elmacinum, neque Diptycha Jacobitica, neque in Catalogo suo Barsalibæus.

et hoc mortuo, Davidem, Daræ episcopum,

567 *Post Joannis interitum*, refert Bar-hebræus, *ab episcopis schismaticis Davidem, Daræ episcopum, in ejus locum jussu Abugiafari, Arabum regis, suffectum, apud eumdem tyrannum egisse, ut Georgius in carcerem conjiceretur.* Longe aliter Dionysius in Chronico pag. 112, ad annum Græcorum MLXXVI : *Synodus autem*, inquit, *episcoporum Geziræorum, Mosulanorum et Occidentalium in Sarug habita fuit post mortem Joannis episcopi Callinici, quem Geziræi in patriarcham sibi elegerant. In ea synodo omnes Georgio patriarchæ consensere. Decreverunt* F *præterea episcopali honore amovendos esse, quotquot Joannes ordinaverat. Præfuit huic synodo Georgius patriarcha, præsentibus David episcopo Daræ*, etc. Tum Demum anno Græcorum MLXXVIII, Christi DCCLXVII : *Indignati*, inquit, *in Georgium patriarcham episcopi, quos ille in synodo Sarugensi exauctoraverat, Abdallam, Arabum regem, in urbe Bagdad adeunt, accusantes Georgium, quod tyrannidem in Syrios exerceret. Abdallas, conjecto in vincula Georgio, episcopis dat facultatem alium in ejus locum, quem vellent, patriarcham constituendi. Communibus igitur suffragiis eligitur David, episcopus Daræ; qui licet eximiam in cunctos mansuetudinem præ se ferret, neminem tamen sibi obsequentem habuit, præter eos, qui ipsum ordinaverant. Vertebatur autem et in crimen, quod Georgium prodidisset.*

qui, conjecto in carcerem Georgio, sedit annis circiter decem

568 *Hinc schisma*, inquit idem auctor, *ortum est inter Jacobitas, quorum nonnulli Davidem in patriarcham agnoscebant, alii Georgii nomen, donec in carcere vixit, prædicare in ecclesia non destitere; alii denique neutrum sequebantur. Mansit autem in carcere Mar Georgius*, ut ait Bar-hebræus pag. 341, *novem annos*, donec *mortuo*

mortuo Abugiafaro (qui Davidi favebat, cujus matrem nutricem habuerat, ut habet Historia Renaudotii pag. 235.) *Cum Mohdius, ejus filius, regnum auspicatus esset, Georgius e carcere, hac tamen conditione dimissus fuit, ut patriarchæ titulum abjiceret, dum David viveret. Ille vero, Mesopotamia relicta, Antiochiam fugit, ubi amotis, quos David ordinaverat, episcopis, decem alios constituit;* mortuo jam interea, nisi fallor, Davide, anno ab invasione sua circiter decimo, ut colligi potest ex Elmacino lib. II, cap. V; versus initia patriarchæ Joannis Alexandrini XLVII, quem ordinatum alibi diximus ineunte anno Christi DCCLXXVII; quando hujus litteras synodicas jam liber ac restitutus accepit Georgius, ad easque perhonorifice respondit; ut est apud Elmacinum citatum et Renaudotium pag. 242. Davidem in Catalogo, sed tamquam invasorem, refert Barsalibæus; at in Diptychis non legitur.

Obiit Georgius A. C. 790

569 *Demum in regione Claudiæ*, inquit epitome Bar-hebræi pag. 341, *in cœnobio Barsumæ* (in Armenia circa Melitinen) *anno Græcorum* MCI (Christi DCCXC) *decessit.* De hoc ejus obitu doceri nihil possumus ex Dionysio, cujus Chronicum in fine mutilum, huc usque non pertingit. Georgium patriarchis Antiochenis Jacobitarum tam Diptycha, quam Barsalibæus, ceterique cum Ægyptiis auctores Syri, ut modo vidimus, annumerant. Quin imo accensetur scriptoribus; cum etiam in carcere, teste Bar-hebræo, scripserit *elegantes orationes, et hymnos; sed et canones* 22. *postquam inde exiit, constituerit. Ejusdem Commentaria,* inquit ibidem Assemanus, *in quatuor Euangelia per modum interrogationis et responsionis exstant in Bibliotheca Vaticana.*

XVIII. JOSEPH.

Georgio successit A. C. 790; obiit ineunte 792.

370 JOSEPH *ex Gubensi cœnobio*, ait Bar-hebræus, *in synodo episcoporum, qui in Beda minori in Valle Haran sita congregati fuerant, mense Junio ejusdem anni, quo Georgium vita functum dixi, ordinatus, obiit in monasterio Athanasii supra Telbesme mense Januario anni Græcorum* MCIII (Christi DCCXCII,) *cum unum episcopum, Anthimum scilicet Baalbech, id est, Heliopoleos, in libano ordinasset.* Recenset hunc etiam Barsalibæus in Catalogo suo: non item Diptycha Jacobitica, sicut nec Elmacinus lib. II, cap. V, neque Historia Renaudotii pag. 242, qui Georgio successisse mox volunt Cyriacum; de quo nunc agendum.

XIX. CYRIACUS.

Successit Josepho A. C. 793;

CYRIACUS, ut est in epitome quam sequimur, *ex cœnobio Bezonæ, quod et de columna in ditione Callicini urbis dicitur, a Theodosio, episcopo Baalbech, in synodo, quæ in urbe Haran habita fuit die* VIII, *vel, ut alii scribunt,* XV *Augusti anni Græcorum* MCIV (Christi DCCXCIII) *in patriarcham consecratus* est; agnosciturque tam in Diptychis Jacobiticis, quam apud Barsalibæum in Catalogo; atque adeo etiam apud auctores Ægyptios; et quidem *virum sanctum* illum appellat Elmacinus lib. II, cap. V, ac subdit: *Hic synodicam scripsit et misit ad patrem Joannem* (patriarcham Alexandrinum XLVIII) *qui cum gaudio eam recepit, illique responsum misit, in unitate sanctæ ecclesiæ.* Memento vero, Jacobitam hunc esse, qui de rebus suis tanta cum veneratione scribit. Eadem paulo explicatius traduntur apud Renaudotium pag. 242 et seq., qui et alterius epistolæ synodicæ mentionem facit pag. 247, quam ad Cyriacum subinde dedit Marcus, Joannis Alexandrini successor, uti et Cyriaci ad Marcum responsoriæ; de quibus etiam vide Assemanum tom. I, pag. 625, et tom. II, cap. XVII; ubi tamen observa, non recte supputari Joannis Alexandrini tempora, ut ex ipso Assemano colliges, si initium Cyriaci, etiam prout ibi notatur, conferas cum assignato istic Joannis fine, qui nequaquam convenit cum Renaudotii aut nostra in patriarchis Alexandrinis chronologia.

572 *Cyriacus,* inquit auctor noster, *in urbe Mosul* (in Mesopotamia) *die* XIX *Augusti anno Græcorum* MCXXVIII, (Christi DCCCXVII) *postquam sedisset annos* XXIV, *et episcopos* LXXXVI *ordinasset. Corpus in urbem suam Tagrit navigio delatum.* Ejus scripta recenset Assemanus tomo II, uti dixi, cap. XVII, pag. CXVII. Synodum collegit ad verba hæc tollenda ex liturgia Syriaca, quæ in fractione hostiæ præscripta erant: *Panem cælestem frangimus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti;* sed res in suo cujuslibet arbitrio relicta est. Adi Assemanum hic et pag. præcedenti. Julianistas etiam suo pene gregi adjunxit; sed cum illi Juliano anathema dicere recusarent, communio facta non est. Fuit et aliud ipsi negotium cum Tagritensibus et Matthæanis, quibus tamen utrisque fecit satis; sed mihi persequi similia non licet, cum ad chronologiam parum faciant. At longe graviores ipsi difficultates movit Abrahamus quidam antipatriarcha, qui et Abiron dictus fuit, teste Barsalibæo in Catalogo suo, de quo nunc dicam; quandoquidem ejus initium ad hoc sæculum pertinet.

obiit 817.

ABRAHAMUS et SIMEON antipatriarchæ Jacobitarum.

Abraham antipatriarcha fuit sub Cyriaco ejusque successore ab A. C. circiter 798 usque ad 837, cui successit Simeon.

573 Res ita narratur in compendio Bar-hebræi: *Eodem tempore* (anno Græcorum MCIX, Christi DCCXCVIII) *mortuo Baccho, Alepinorum episcopo, monachi Gubenses Cyriaco supplicarunt, ut Xenaïam quemdam, Bacchi discipulum, in ejus locum substitueret. Cyriacus, rejectis eorum supplicationibus, Salomonem, monachum cœnobii S. Jacobi apud urbem Cyrum, episcopum ordinavit. Illi indignati nec Salomonem receperunt, nec patriarchæ nomen in Liturgia amplius recitavere. Præterea Cyriacum apud Aaronem Rascidum calipham accusavere tamquam Saracenorum hostem et Romæorum exploratorem. Cyriacus... innocens declaratus, ad suum Callinicense cœnobium se recipit. Monachi vero.... episcopos quosdam in Scialaz pago congregatos inducunt, ut duos episcopos ordinarent. Contra patriarcha... synodum coëgit, in qua tam episcopos, quam monachos illos Gubenses excommunicavit: qui ad extrema redacti, Abrahamum quemdam, Cartaminensem monachum, sibi in patriarcham instituunt.*

Vixit

Vixit Abraham hic antipatriarcha sub Cyriaco et Dionysio Telmaharensi usque ad annum Græcorum MCXLVIII (Christi DCCCXXXVIII.) De illo meminerunt Elmacinus lib. II, cap. VI, et Renaudotius pag. 247 et seqq., ubi illi hæresim attribuit in materia SS. Eucharistiæ, a qua vindicatur apud Assemanum hoc loco. Licet vero exauctoratus a Dionysio fuerit; perstitit tamen usque adeo in schismatica dignitate pervicax, ut etiam moriens successorem in ea habuerit Simeonem, fratrem suum, ut notat epitome nostra pag. 347.

SÆCULUM IX.

LXXII. JOBUS.

Sedit ab A. C. 812,

Qui patriarcharum Antiochensium catalogos hactenus edidere, in Theodorito subsistere, aut ordinem certe longo intervallo abrumpere coacti sunt. Nimirum Eutychii Annales, utpote nondum editos, non viderant, apud quem unum, quod quidem sciam, reliquorum ad sua usque tempora orthodoxorum Antiochiæ præsulum servata est atque ordine perpetuo digesta memoria. Vidit Annales quidem illos Blasius Terzi, sed non satis feliciter usus est, ut patet in ejus Syria sacra lib. I, cap. XXXIII. Ego, Eutychii verba, quod dici solet, dabo ut jacent, ea tantum additurus, quæ ad reducenda ad æram communem signata in illis obscure tempora pertinebunt. Sic igitur habet tom. II, pag. 428: *Anno primo chalifatus Al Mamunis constitutus* JOB *patriarcha Antiochenus, qui annos triginta unum sedit.*

usque ad 842;

575 Annos califatus Al Mamunis computat Eutychius, non a cæde Al Amini califæ, fratris ac decessoris ejus, quæ accidit, juxta Eutychium tom. II, pag. 415, *Die Sabbati, quinto ante finitum mensem Al Moharram anno* CXCVIII (Hegiræ) seu XXIV Septembris anni Christi DCCCXIII; quando secundo et absolute califa inauguratus est Al Mamum; sed ab anno Hegiræ CXCVI mense Rajeb, qui tum fere respondebat mensi Martio anni Christi DCCCXII, quando primum califa in Chorasan salutatus est, ut constat ex pag. 416 et 435. Ab anno autem Hegiræ CXCVI, mense Rajeb, anni triginta et unus Arabici excurrunt usque ad annum Hegiræ CCXXVII, mensem itidem Rajeb, sive septimum, qui tum respondebat Aprili nostro a die xv anno Christi DCCCXLII, ultra quod tempus juxta Eutychium sedere hic Patriarcha non potuit: quamquam nihil obest, quin citius desierit; cum annos XXXI non sit necesse fuisse completos. De Jobo aliud nihil Eutychius notatu dignum commemorat, nisi quod idiomatis Græci non ignarus obsessos ab Al Motasemo Ancyranos Amorianosque ad pendendum barbaro tyranno tributum hortatus sit, a quibus tamen præter lapides et convitia, quæ in eum multa jactabant, extundere nihil valuit; vide pag. 439 et seq.

qui non fuit Alexandriæ patriarcha;

576 Negotium facessit hic mihi, fateor, narratio Constantini Porphyrogennetæ, a Combefisio edita, ubi imperator, pag. 90, historiæ suæ de Imagine Edessena testes appellans, *Quin imo tres simul patriarchæ,* inquit, *Job Alexandrinus, Christophorus Antiochenus et Basilius Hierosolymitanus ipsi scripserunt, atque hæc sic se habere, datis Theophilo imperatori, qui sacrarum violator imaginum esset, litteris palam fecerunt.* Imperare cœpit Theophilus ille atque Imaginum cultores persequi ab anno Christi DCCCXXIX usque ad DCCCXLII, quo tempore nec Christophorus ullus inter patriarchas Antiochenos, nec inter Alexandrinos notus ullus est Jobus. Sedit quidem Alexandriæ Jacob usque ad annum Christi DCCCXXX ineuntem; verum Jacobita is fuit, cujus proinde auctoritatem adducere Constantinum non immerito puduisset.

577 Quid ergo? Dicam id quod sentio; erratum hic fuisse puto in titulis patriarcharum; et ita factum, ut nomen Alexandrini, quod Christophoro debebatur, adscriptum sit Jobo, et titulus Antiocheni, qui Jobo conveniebat, perperam Christophoro datus sit. *sed Antiocheni.* Certe ejusmodi permutationem etiam alias commissam supra num. 489, et infra num. 581, ostendimus. Cur ita censeam facit Eutychius, juxta quem et Job, ut vidimus, tempore Theophili patriarcha Melchita sedit Antiochiæ, et ab anno Christi circiter DCCCIV usque ad DCCCXXXV Melchita Alexandriæ patriarcha Christophorus (tom. II, pag. 411,) non adeo ab ipso Eutychio remotus; ut ignorare illum potuerit; sicut nec Jobum ignorasset, si decessor ejus circa hæc tempora Alexandriæ Job ullus fuisset. Accedit, quod hujus etiam Jobi, ut notatur in margine, sive Jacobi, uti habet textus, meminerit continuator Constantini Porphyrogennetæ lib. II, § XII; ubi narrat, tempore Michaëlis Balbi, qui imperavit ab anno Christi DCCCXX usque ad DCCCXXIX, Thomam quemdam perduellem in Oriente proclamatum esse imperatorem *ab Antiochenæ* (non Alexandrinæ) *tunc ecclesiæ præsule Jacobo* (forte alibi legitur Jobo, uti habet hic margo; sed notæ Combefisii ad numeros operi, tam hoc loco, quam aliis inspersos desiderantur.) Videsis quæ, postquam hæc diu scripseram, accepi ab erud. Assemano, et quæ dedi supra num. 548: sententiam enim hanc meam omnino stabiliunt.

LXXIII. NICOLAUS.

Successit Jobo nec ante Novembrem A. C. 846, nec post Augustum 847.

Anno *chalifatus ejusdem* (Al-Watheki) *sexto constitutus est* NICOLAUS *patriarcha Antiochenus, qui annos viginti tres sedit, dein obiit;* hæc tantum de illo Eutychius Annal. tom. II, pag. 444. Califatum iniit Al-Wathekus *mense Rabia priori, anno* Hegiræ CCXXVII, juxta Eutychium pag. 443 et 441. Sextum ergo califatus annum inchoabat eodem mense Rabia priori, anno Hegiræ CCXXXII; qui annus initium ducebat anno Christi DCCCXLVI a die XXVI Augusti; mensis autem Rabia prior a XXIV Octobris ejusdem anni Christi DCCCXLVI. *Mortuus est autem Al-Wathek,* inquit Eutychius pag. 444, *die Mercurii, sex ante finitum mensem Dilhaijah diebus anno* eodem Hegiræ CCXXXII, id est, die X Augusti anno Christi DCCCXLVII. Quare initium Nicolai patriarchæ nec prius esse potuit mense circiter Novembri anni Christi DCCCXLVI, nec

A nec posterius ineunte Augusto anni DCCCXLVII. Cum ergo decessor ejus obierit ut summum anno Christi DCCCXLII, debet ante Nicolaum vacua fuisse sedes Antiochena per annos facile quatuor : *Nullus* enim *medius inter Jobum et Nicolaum intercessisse legitur ;* ut interrogatus nuper mihi rescripsit Assemanus.

...sedit usque ad A. C. 868:

579 Jam vero annus Nicolai vigesimus tertius ductus ab anno Hegiræ CCXXXII mense Rabia priori, inchoari debuit anno Hegiræ CCLIV, eodem mense Rabia priori, qui fere mensi Martio respondebat anni Christi DCCCLXVIII; itaque non diu post necesse est e vivis abiisse Nicolaum ; a cujus morte sedes Antiochena vacaverit usque ad annum Almotammedi primum, Christi DCCCLXX a die XVII Junii, ut postea videbitur. Quæ omnia satis apte conveniunt cum Actis octavi concilii generalis, quod habitum est a die V Octobris anni Christi DCCCLXIX usque ad finem Februarii anni DCCCLXX. Ibi enim dicitur primo vidua fuisse sedes Antiochena tempore concilii : quandoquidem ubique in eo comparet *Thomas santissimus metropolita Tyri,* B *locum tenens sedis Antiochiæ; eo quod eadem viduata esset ecclesia,* vide Labbeum tom. VIII Concil. a col. 978.

quando sedes vacavit, juxta concilium gen. VIII:

580 Dicitur secundo, aut certe manifesto innuitur, viduam eam fuisse jam tum cum ad concilium Thomas profectus est, hoc est, biennio circiter, saltem inchoato, antequam advenissent Romani Pontificis legati, synodo initium daturi, ut est apud Anastasium Bibliothecarium in Vita Hadriani Papæ II, pag. mihi 229. Et vero diu Orientales Romanorum adventum Constantinopoli præstolatos esse, ipsi aliique in ipso concilio indicant Act. I, col. 985, 991, 995. Jam tum, inquam, vacuam fuisse pastore sedem Antiochenam innuitur, cum ad synodum Thomas tanto ante, hoc est, anno Christi DCCCLXVIII contendit; nullibi enim fit mentio in synodo patriarchæ cujuspiam, a quo delegatus esset Thomas; nullas item habebat litteras commendatitias, seu credentiales, ut vocant; quod vide col 985; quin imo *sanctissimum Thomam,* inquit in suis litteris Theodosius C patriarcha Hierosolymitanus ibidem col. 987, *princeps Saracenorom destinavit, præsulatu fungentem urbis Tyri, qui sedis est Antiochiæ, secundum quod hunc quæsistis mitti* (Ignatium Cpolitanum patriarcham alloquitur) *per honorabiles litteras vestras.* Hæc, opinor, satis arguunt, ut nihil addam, patriarcham tum temporis Antiochiæ nullum fuisse.

nec ullus sedit Michael, ut erat Nicetas.

581 Dicitur tertio in synodico ibidem col. 1511, *Antiocheni Syriæ Nicolai* (nuper scilicet defuncti) *locum in concilio tenuisse Thomas Tyri episcopus :* unde colliges, Nicolao, ante synodum vivis erepto, neminem successisse; quæ omnia uti faciunt pro hac Eutychii chronologia ; ita certant cum Niceta Paphlagone, Michaelem hic, nescio quem, patriarcham Antiochenum comminiscente ; cum Michael patriarcha tum esset Alexandrinus ; ut eatenus recte advertit Lupus in scholiis ad octavum concilium cap. IX ultra medium ; quidquid Paphlagonem defendat Pagius ad annum Christi DCCCLXIX, num. 3, ubi satis prodit, Nicolaum sibi penitus ignotum fuisse.

LXXIV. STEPHANUS V.

LXXV. TADUSUS, sive THEODORUS II.

Stephanus V, qui uno tantum die supervixit, et Theodorus Nicolao succedunt A. C. 870 post Junium vel 871 ante Junium.

Quamquam ad patriarchatum Antiochensem destinatus pridem videbatur Thomas ille, de quo jam diximus, metropolita Tyri ; ut erui potest ex verbis Eliæ, (qui Theodosii Hierosolymitani, cujus erat presbyter et syncellus, locum tuebatur in octava synodo) ut in ea leguntur col. 985, tamen, quæcumque id causa interverterit, alium Nicolao successorem assignat Eutychius tom. II, pag. 471, ubi sic ait : *Anno chalifatus Almotammedi primo constitutus est* STEPHANUS *patriarcha Antiochenus, qui uno tantum die sedit, eodem et consecratus et mortuus; constituto post ipsum* TADUSO *ibidem patriarcha, qui annos viginti sedit; dein mortuus est.*

E

Obiit Theodorus A. C. 889 post Octob. vel 890 ante medium Octob.

583 Inauguratus est Almotammedus, teste Eutychio tom. II, pag. 267, *mense Rajeb anno* CCLVI Hegiræ, durabatque adeo annus ejus primus usque ad mensem eumdem anni CCLVII. Cœpit ergo viduam jam ab anno Christi DCCCLXVIII non admodum provecto ecclesiam ducere Stephanus V, et post eum Tadusus anno Hegiræ CCLVI post mensem Rajeb, vel ante mensem illum anno CCLVII, hoc est, anno Christi DCCCLXX post mensem Junium, vel DCCCLXXI ante Junium. Inde autem putati anni XX, quibus dicitur ecclesiæ præfuisse Tadusus, desinunt vel in annum Hegiræ CCLXXVI, mensem Rajeb; vel CCLXXVII ante mensem illum ; obiit ergo Tadusus vel anno Christi DCCCLXXXIX post Octobrem, vel DCCCXC ante medium circiter Octobrem. Cum Tadusum hunc patriarcham appello, interpretem sequor Eutychii Pocockium. Docuit vero me nuper Assemanus, Stephani successorem in Catalogo Arabico Theodorum appellari. *Apud Eutychium* autem, inquit; *fortasse* THADRUS *juxta Arabum inflexionem, hoc est,* THEODORUS *legi debet; vel certe* THADUS, *hoc est* THEODOSIUS, *Male interpres legit* TADUSUS.

F

LXXVI. SIMEON.

Theodoro successit Simeon nec ante Octobrem A. C. 892, nec post Septembrem A. C. 893;

Jam *anno primo chalifatus Al-Motadedi,* inquit Eutychius pag. 484, *constitutus est* SIMEON, *Zarnaki filius, patriarcha Antiochenus, qui annos duodecim sedit; dein mortuus est.* Inauguratum vero Al-Motadedum asserit, pag. 479, die *undecimo ante finitum mensem Rajeb anno* CCLXXIX; hoc est, anno Christi DCCCXCII, die XV Octobris, in Dominicam incidente; qui annus Al-Motodeti primus fluebat usque ad eamdem diem XIX Rajeb anni Hegiræ sequentis CCLXXX, id est, usque ad III Octobris anni Christi DCCCXCIII, intra tempus illud igitur coercendum Simeonis exordium. Vacaverat ergo ecclesia Antiochena ante promotionem ejus annis saltem duobus et amplius.

neque sedit ultra Novembrem A. C. 904.

585 Porro anni ejus duodecim ducti ab anno Hegiræ CCLXXIX in finem vergente, procurrunt usque ad annum Hegiræ CCXCI exeuntem ;

SÆCULUM IX.

exeuntem; cujus anni die XXI mensis Rabiæ posterioris, sive quarti Arabici, initium fuit anni tertii califatus Almoctafi; quo anno tertio, Simeoni mortuo successit in patriarchatum Antiochenum Elias, ut sæculo sequenti dicemus; itaque vix ultra hujus anni Hegiræ CCXCI finem, qui incidit in diem undecimam Novembris anni Christi CMIV, Simeonis vitam licet protrahere. Hæc vero chronologia recte consonat cum historiis Græcorum, ut patet ex iis, quæ verbis mox citatis subjicit Eutychius de quartis nuptiis Leonis imperatoris, super quibus consultos narrat fuisse a Leone *Patriarcham Romanum, Michaelem patriarcham Alexandrinum, Eliam... patriarcham Hierosolymitanum, et Simeonem, Zarnaki filium, Antiochenum:* nam quidquid sit de hac Eutychii narratione, quam a Græcis auctoribus peti mavelim; hoc unum hic notari juvat, sic a Græcis quartum Leonis conjugium narrari, ut omnino in annum Christi CMII, hoc est, in Simeonis nostri tempora, ut ab Eutychio definita dedimus, incidere debuerit; qua de re vide Pagium ad
B annum Christi CMI, num. 3, ubi et citatos invenies auctores, qui de quartis hisce Leonis, cognomento Sapientis, cum Zoe carbounopsina nuptiis meminerunt.

APPENDIX

AD SÆCULUM IX.

PATRIARCHÆ ANTIOCHENI JACOBITÆ.

XX. DIONYSIUS I.

Cyriaco successit A. C. 818, die I Aug.

DIONYSIUS *Telmaharensis,* ut narrat epitome Chronici Bar-hebræi pag. 344,.. *in cœnobio Joannis Bar-Aphtonii, quod Kenserinense appellatur, monasticam vitam professus, ad monasterium S. Jacobi Chisumensis transiit; ubi cum duos annos egisset, interloquente in synodo*
C *episcoporum Theodoro, idoneus judicatus fuit, qui divisum Jacobitarum populum conjungeret. Itaque Basilio, Maphriano Tagritensi, Barhadbesciaba Margæ, Joanne Germaniciæ, Anastasio Ramasci, ceterisque episcopis libello electionis ejus se subscribentibus, diaconus primum ordinatur in monasterio de Columna feria sexta; deinde sabbato presbyter in cœnobio sancti Zachæ; demum patriarcha feria prima, Kalendis Augusti anni Græcorum* MCXXIX (Christi DCCCXVIII) *in ecclesia urbis Callinici, imponente ipsi manum Theodosio, ejusdem urbis episcopo. Hæc Dyonisius ipse de sua electione apud Bar-hebræum.*

Obiit A. C. 845, die XXII Augusti.

587 *Obiit Dionysius,* inquit idem Auctor pag. 348, *die* XXII *Augusti anno Græcorum* MCLVI, *Christi* DCCCXLV, *postquam annos* XXVII *sedisset, centumque episcopos ordinasset. Cadaver in cœnobio Kenserinensi sepultum.* Eodem redit, quod ait Elmacinus lib. II, cap. IX in fine: *Anno autem decimo quinto patriarchatus ejus* Josephi patriarchæ Jacobitarum Alexandrini LII) *obiit Dionysius patriarcha Antiochenus:* initium enim Josephi paulo ante statuit mense Novembri anni Diocletiani DXLVII: inchoat ergo annum ejus decimum quintum anno
D Diocletiani DLXI (non DLXII, ut numerat Renaudotius in historia sua, pag. 291) mense itidem Novembri. Annus autem Diocletiani sive Martyrum DLXI fluit apud Ægyptios a die XXIX Augusti anno Christi DCCCXLIV usque ad ejusdem mensis diem eumdem anno Christi DCCCXLV, quo nimirum obiisse dicendus est juxta Elmacinum Dionysius; siquidem obiit die XXII Augusti, ut ex Bar-hebræo dictum.

Est auctor Chronici sæpe supra citati.

588 Agnoscitur hic etiam in Diptychis et Catalogo Barsalibæi; uti et apud Alexandrinos: *Synodicam* enim *scripsit,* inquit Elmacinus lib. II, cap. VI, *et misit ad patrem Abuna Marcum, patriarcham Alexandrinum* (XLIX Jacobitam, defunctum anno Christi DCCCXIX) *qui responsum ei scripsit in unitate sanctæ ecclesiæ.* Quam communionem in Ægyptum profectus bis innovavit; semel quidem cum Jacobo L in urbe Tani, et iterum cum Josepho LII Jacobitarum Alexandrinorum patriarcha; ut videre est apud auctorem Chronici Orientalis, Elmacinum, Renaudotium; sed præcipue apud Assemanum hic; ubi Dionysii gesta copiosius traduntur, quam ut ea referre liceat hic mihi. E Habetur etiam Dionysius inter nobiles Jacobiticæ sectæ scriptores, agitque de illo Assemanus hujus tomi toto capite XVI; ubi docet, hujus esse Dionysii Chronicum illud, cujus ipse compendium tradit, ex quo multa identidem supra desumpsimus. Auctoritate et gratia valuit etiam apud Arabum dynastas, maxime apud Abdallam, Callinici ducem, qui Abrahamum pseudopatriarcham, de quo supra, puniendum ei tradidit. Dionysius hominem cuculla exutum, et patriarchæ titulo abstinere jussum, dimisit.

XXI. JOANNES III.

Dionysio successit A. C. 846. XXI Novembri

De hoc ita Bar-hebræi compendium pag. 348: JOANNES *ex cœnobio S. Zachæ, quod extra Callinicum urbem situm est, in synodo, quæ in monasterio sancti Silæ habita fuit, anno Græcorum* MCLVIII *(Christi* DCCCXLVI) *die* XXI *Novembris in patriarcham ordinatus* est, *Abibo Tarsensi manum ei imponente.* Recte hic F observat Assemanus annum Græcorum, juxta Bar-hebræum, MCLVIII inchoari ab autumno anni Christi DCCCXLVI, quemadmodum in prologo ostendimus. Vacavit ergo sedes Antiochena Jacobitarum a morte Dionysii anno uno et mensibus fere tribus; nisi Elmacinum sequi placeat potius, qui Joannis initium videtur anno Christi eodem, quo Dionysius obierat, collocare; cum ita scribit, Hist. Saracen. lib. II, cap. IX, in fine: *Anno autem decimo quinto patriarchatus ejus* (Josephi Alexandrini) *obiit Dionysius, patriarcha Antiochenus, in cujus locum successerunt Abuna Joannem: qui synodicam in religione, more recepto, scripsit et misit ad patriarcham Alexandrinum.* Annus enim Josephi decimus quintus terminabatur die XXI, seu potius XXIII mensis Haturi anni Martyrum DLXII, jam a die XXIX Augusti inchoati, hoc est, die XIX Novembris anni Christi DCCCXLV. Scio a Renaudotio annum Martyrum DLXII confundi cum anno Christi DCCCXLVI; quia nimirum hic cum illo majori ex parte, hoc est a Januario

Januario usque ad extremum Augustum concurrit; verum cum primi quatuor menses anni Martyrum DLXII pertineant ad annum Christi DCCCXLV, et ordinatus dicatur Joannes mense Novembri, quo mense exspirabat etiam juxta Elmacinum annus Josephi decimus quintus, omnino Elmacini calculus ultra annum hunc extendit non potest.

Obiit IX Decembris A. C. 873.

590 *Joannes vero*, inquit Bar-hebræus ibidem, *cum annos* XXVII *sedisset*, *ordinatis* LXXXVI *episcopis*, *die* III *Decembris anni Græcorum* MCLXXXV (Christi DCCCLXXIII) *in urbe Rhesina obiit. Cadaver e cœnobio Saphyli, ubi sepultum fuerat, in monasterium S. Zachæ ex ejusdem testamento translatum.* Nomen ejus tam in Diptycha, quam in Catalogum Barsalibæi relatum est: ejusdem quoque mentio fit in quorumdam codicum, hic ab Assemano citatorum, inscriptionibus. Ad eumdem litteras item synodicas dedit, ut primum creatus est, Cosmas Jacobitarum patriarcha Alexandrinus LIV anno Christi DCCCLI, misitque per episcopos, adjunctis sacerdotibus, qui cum gaudio et honore a Joanne accepti sunt, ut vide apud Elmacinum lib. II, cap. II, et Renaudotium pag. 295. Idem ante Cosmam fecerat Michael Alexandrinus LIII, ut colligi potest ex codice Arabico 23 apud Assemanum tom. I, pag. 625, et post illum Sanitius LV anno Christi DCCCLIX; juxta Elmacinum lib. II, cap. 14, et Renaudotium pag. 302.

XXII. IGNATIUS I.

Joanni successit A. C. 878, V Junii: obiit 883, XXVI Martii.

591 IGNATIUS, ut est in epitome, *ex cœnobio Hebbaz ditionis Samosatenæ, ordinatus* est *a Timotheo, Samosatæ episcopo in cœnobio Callinicensi S. Zachæ die* V *Junii anno Græcorum* MCLXXXIX, Christi DCCCLXXVIII. Vacua fuerat ergo sedes Jacobitica post obitum Joannis per annos circiter quatuor cum dimidio. *Obiit de* XXVI *Martii feria* III *majoris hebdomadæ in Moriba castro anno Græcorum* MCXCIV, *cum sedisset annos* VI, *mense* X. *Ordinavit episcopos* XXVI. Annum illum Græcorum MCXCIV cum ab autumno ad autumnum decurrat, apud Bar-hebræum respondere anno Christi DCCCLXXXII ab initio saltem Octobris, et DCCCLXXXIII usque ad Octobris initium, juxta id quod in prologo supra num. 465 diximus, ex hoc loco manifestum est; quandoquidem in annum tantummodo Christi DCCCLXXXIII congruunt characteres hic adjecti, nempe feriæ tertiæ majoris hebdomadæ incidentis in diem XXVI Martii; siquidem anno illo celebratum est Pascha die XXXI Martii; eratque adeo littera Dominicalis F; quod non cadit in annum Christi antecedentem aut consequentem. Agnoscitur Ignatius hic tam in Diptychis Jacobitarum, quam Catalogo Barsalibæi; qui de illo sic habet: 77 *Ignatius. Hic Josue appellabatur: et ab eo deinceps cœperunt patriarcharum et episcoporum nomina prorsus mutari.*

XXIII. THEODOSIUS.

APPENDIX SÆCULUM IX. Sedit ab A. C. 887, V Februarii usque ad 896. Junii.

562 THEODOSIUS, *qui et* ROMANUS MEDICUS (verba sunt ejusdem epitomes) *ex cœnobio Cartaminensi in synodo Amidena ordinatus fuit a Timotheo Samosateno die* V *Februarii anno Græcorum* MCXCVIII (Christi MCCCLXXXVII,) *postquam sedes vacasset annos quatuor. Obiit Kalendis Junii anno Græcorum* MCCVII (Christi DCCCXVI,) *cum sedisset annos octo* (imo novem) *menses quatuor, et episcopos* XXXIII *ordinasset. Cadaver in cœnobio Cartaminensi sepultum.* Est et in Jacobitarum Diptychis et apud Barsalibæum. Assemanus suis eum scriptoribus inserit tom. II, cap. XX; sed quæ ibi de ætate ejus dixerat, emendat postea in compendio Bar-hebræi. Scripsit præter alia epistolam de fide in Trinitatem et Incarnationem ad Michaelem, patriarcham Alexandrinum LVI, in qua primus inter Jacobitas asserit, ut notat Assemanus, Christum habere non tantum *unam naturam ex duabus naturis*, sed etiam *unam personam ex duabus personis*. Putatur ipsius etiam esse *Syntagma medicum*, quod inter codices Syriacos Vaticanos recenset idem Assemanus tom. II, pag. 506.

XXIV. DIONYSIUS II.

Sedit ab A. C. 897 mense Aprili, usque ad 909, XVIII Aprilis.

593 DIONYSIUS, ut habet compendium Bar-hebræi, *ex Beth-Batensi cœnobio, quod in Aseth, regionis Sarugensis pago, situm est, a Jacobo, Emeseno episcopo, ordinatus* est *in synodo in Beth-Batin, ditionis Haran loco, habita mense Aprili anno Græcorum* MCCVIII (Christi DCCCXCVII) .... *Dionysius vero quum sedem annos* XIII (imo XII potius) *tenuisset, obiit die* XVIII *Aprilis, feria tertia, anno Græcorum* MCCXX. *Ordinavit episcopos* LI Qui characteres aperte designant annum Christi CMIX, quo littera Dominicalis erat A. Legitur et in Diptychis et in Catalogo Barsalibæi. Assemanus de illo, tamquam scriptore Jacobitico agit hoc tomo, cap. XXII, ubi citat epistolam ejus synodicam ad Michaelem patriarcham Alexandrinum, non quinquagesimum tertium, ut istic dicit; sed quinquagesimum sextum, ut asserit in compendio Bar-hebræi. Atqui Michael Alexandrinus LVI, juxta Chronologiam nostram Patriarcharum Alex. obiit anno Christi DCCCXCVI, die XVI Martii, hoc est, anno toto et amplius ante ordinationem Dionysii II Antiocheni: vel ergo hæc emendanda est; vel dicendum, synodicam illam non esse Dionysii Antiocheni ad Michaelem Alexandrinum; sed alterutrum nomen in ea esse suppositum: cum juxta Bar-hebræum Dionysii nullius Antiocheni tempora in ullius Michaelis Alexandrini patriarchatum incurrant.

SÆCULUM X.

LXXVII. ELIAS I.

Simeoni successit Elias A. C. 904 obiitque A. C. 931 die II Julii.

594 ANNO *tertio chalifatus Al-Moctafi*, inquit Eutychius tom. II, pag. 488, *constitutus est* ELIAS *patriarcha Antiochenus, qui scriptor fuit. Annos sedit viginti octo; dein mortuus est.* Califatus annum primum inierat Al-Moctafi, ut dicitur pag. præcedenti, *die Dominico, nono ante Rabiam posteriorem finitum, anno* CCLXXXIX Hegiræ: annus ergo ejusdem tertius cœpit eodem die nono ante Rabiam posteriorem

steriorem finitum anno Hegiræ CCXCI, id est, die circiter undecima Martii anni Christi CMIV, fluxiique usque ad mensis Rabiæ posterioris diem XXI anno Hegiræ sequenti, sive initium Martii anno Christi CMV. Adde ergo anno Hegiræ CCXCI annos XXVIII, quibus deinde episcopatum gessisse dicitur Elias, devenies usque ad annum Hegiræ CCCXIX. Quomodo ergo dici potest apud Eutychium ibidem pag. 523 : *Porro obiit Elias patriarcha Antiochenus die Sabbati, Jomadæ posterioris decimo tertio, anno trecentesimo decimo septimo, postquam in cathedra sedisset annos viginti octo?* Certe alterutro loco hallucinatio est; non in annis XXVIII patriarchatus, opinor; cum ii bis notati legantur; restat igitur, ut sit in anno obitus, qui perperam assignatus fuerit Hegiræ CCCXVII, pro CCCXIX, qui cœpit XXIII Januarii anno Christi CMXXXI; quod ex eo patet manifeste, quod dies XIII Jomadæ posterioris, anno Hegiræ CCCXVII, respondens diei XXIII Julii anni Christi CMXXIX nequaquam sit dies Sabbati sed Jovis, cum littera Dominicalis tum fuerit D : dies B vero XIII Jomadæ posterioris anno Hegiræ CCCXIX, respondens diei II Julii anni Christi CMXXXI, omnino fuit dies Sabbati, siquidem littera Dominicalis erat B.

LXXVIII. THEODOSIUS, sive STEPHANUS VI, aut THEODOTUS II.

Eliæ successit Theodosius A. C. 935 mense Augusto;

595 *Anno chalifatus ejus* (Al-Radii) *primo constitutus est Anba* THEODOSIUS, *qui idem est* STEPHANUS, *scriba, qui Bagdadi fuerat cum Munes Eunucho, Antiochiæ Syriæ Patriarcha, mense Ramadan, anno trecentesimo vigesimo tertio.* Ita Eutychius tom. II, pag. 528. Mensis autem Ramadan anno Hegiræ CCCXXIII respondet Augusto nostro a die tertia mensis, anni Christi CMXXXV. Quatuor ergo annorum vacatio fuerat, cum sedem Antiochenam capesseret Theodosius; qui quamdiu sederit, non habeo perspectum; quanto Annales Eutychii in hæc verba desinunt : C *Eodem anno* (CCCXXVI Hegiræ, qui cœpit die VII Octobris anno Christi CMXXXVII) *Theophylactus patriarcha Constantinopolitanus nuntium misit ad patriarchas Alexandrinum et Antiochenum, rogans, ut nominis sui in ipsorum prædicationibus et sacris peragendis mentio fieret. Siquidem desierat hoc fieri a tempore Ommiadarum. Qua in re ipsi annuerunt.* Ex his tantum scitur Theodosius noster vixisse adhuc anno Christi jam dicto. Notari porro hic velim, Theodosium, sive Stephanum, in Arabico Assemani Catalogo appellari *Theodotum.*

LXXIX. THEODORITUS II.

LXXX. AGAPIUS I.

Theodosium secuti sunt.

Eutychio destitutus auctorem alium porro non habuit, qui patriarcharum Antiochenorum seriem, nedum annos, post hæc tempora consignaret. Confugiendum itaque fuit ad scriptores varios, et tamquam venatori in densissima rerum aliarum silva vestigandum, D si quis uspiam se patriarcha offerret, quem apprehenderem. Ita non nullos, recentiorum hactenus ignotos catalogis, offenderam quidem; sed quorum vel initia, vel finis, vel successio, vel hæc simul omnia minime notabantur; ut adeo incertum esset mihi, pluresne omitterem, quam proferrem; an contra : nam omnes quidem satis me noveram assecutum non esse. Hæc præcipue causa fuit, cur ad Orientalium rerum gazophylacem copiosissimum simul ac doctissimum Assemanum recurrerim, apud quem, ut supra monebam, patriarcharum Antiochensium Catalogos esse ex edita ac delata huc non ita pridem Orientali ejus Bibliotheca didiceram. Sed parum feliciter accidit, ut virum tum demum consuluerim, cum in parando Bibliothecæ suæ tomo tertio totus esset : fecit tamen pro sua humanitate, quod rogabatur; brevius quidem, quam optaveram; at pro tempore ac rei difficultate satis cumulate.

Theodoritus II. ac deinde Agapius I.

597 Nam et dubia mea non pauca dissolvit, et continuam, quantum fieri potuit, patriarcharum Melchitarum seriem submisit, quibus utinam annos, aut qualemcumque notitiam adscripsisset ! E Sed nimirum res hæc majoris erat molis et operæ, ut mihi rescribit Benedettus noster, quam ut eam prosequi Assemanum urgentissima modo negotia sinerent. Imo in alteris suis ad me litteris ita scribit Vir idem officiosissimus : *Arabicos indices ipsemet vidi : exactam inde chronologiam erui non posse, statim deprehendi. Quidquid corradi potuit, R. V. descriptum fuit.* Nuda igitur accepi patriarcharum nomina; sed ordine successionis posita; quibus hiatus aliquot meos supplevit. Atque inter ignotos antea mihi duo sunt illi, quos hic adscripsimus, THEODORITUS II et AGAPIUS I, qui inter Theodosium præcedentem ac subsequentem Christophorum in Arabico Assemani Catalogo intercedunt; de quibus tum sciri forsitan plura poterunt, cum suos operosius Catalogos discutere ac tomo quarto Bibliothecæ suæ publici juris facere laudatus auctor potuerit.

LXXXI. CHRISTOPHORUS. F

LXXXII. THEODORUS III.

Christophorus a Saracenis interfectus est anno Christi circiter 966 :

Agapium I in Arabico Catalogo CHRISTOPHORUS, Christophorum THEODORUS III excipit. Prioris initium non reperi; finem notat Baronius ad annum Christi CMLXIX, num. 12, quo illum asserit a Saracenis esse interfectum; quod mihi quidem aliquando citius reponendum videtur : siquidem tum id contigit, cum nondum Saraceni Antiochiam anno Christi CMLXVI exeunte amiserant; sed minantia sibi adhuc Nicephori Phocæ imperatoris arma metuebant, uti in Nicephoro Cedrenus et Europalates referunt, atque imprimis, qui res sui temporis hic persequitur, Leo diaconus, cujus hæc apud Pagium in Criticis ad Annales Baronii anno Christi CMLXX, num. 1, verba sunt, ad Christophorum juxta ac substitutum illi, anno Christi CMLXX, Theodorum spectantia : *Jam magna Antiochia ad Orontem sita, Nicephori imperatoris armis capta, ac antistite destituta. Qui enim prius urbis compos extiterat Agarenus,*

A *Agarenus, patriarcham Christophorum, virum apostolicum divinumque, sustulerat; eo scilicet crimine, quod Christiana fulgeret pietate. Hujus frequentiam civium maximæ rem frugis Joannes* (Tzimisces) *imperator existimans, diligenter curabat solicitioreque agebat opera, ut ejus sedis dignum præsulem inveniret.*

Succedit ei Theodorus III a. c. 970, qui ... diu sedit :

599 *Sic igitur animo æstuanti, remque satagenti venit in mentem Coloniensis Theodori, viri a teneris unguibus ad eremiticam atque a negotiis remotam vitam consecrati, multisque asceticis sudoribus edomiti corporis. Cilicinam enim vestem, qua indutus erat ac qua contegebat ferrum, quod gestabat, ut affligeret corpusculum, non ante deposuit, quam tota diffueret et in nihilum cederet. Aiunt, istiusmodi monachum tum primum Nicephoro tum rursus Joanni, divino oraculo vaticinatum esse, ad imperii infulas fore assumendos. Hunc itaque, cum in urbe tunc versaretur Joannes, adducit Polyeucto; Polyeuctus vero, cum episcoporum in urbe præsentium synodo, habito de illo examine, ubi seculari quidem eruditione haud admodum excultum, divina vero et Christiana magnificentissime instructum comperisset, patriarcham consecrat Antiochenum.* Hæc Leo apud B Pagium; fontem enim ipsum adire mihi non licuit. Eadem fere et plura tradunt Cedrenus in Tzimisce, et Zonaras lib. XVII, § I. Ceterum de fine Theodori exploratum habeo nihil.

LXXXIII. AGAPIUS II.

... Agapius II ei successit,

Non diuturnum fuisse Theodorii III præsulatum colligimus ex Agapii II successione; Agapii, inquam: nam ita nuncupatur a Syris tum Melchitis in Arabico Catalogo Assemani, tum Jacobitis tomo II Bibliothecæ Orientalis, pag. 351. Elmancinus tamen *Agabium* nominat, de quo hæc habet in Historia Saracenica lib. III, cap. V paulo post medium: *Misit autem Sclerus* (qui adversus Basilium et Constantinum imperium affectans, toto propemodum Oriente dominabatur) *patricium quemdam militum suorum, oriundum Malatia, cui nomen erat Abdallæ Muntasiro, Antiochiam (erant autem tunc Tzuguræ et regio Orientis Sclero.) et erat Halebi* (Aleri in C Syria) *episcopus quidam, nomine Agabius, quem petierunt Antiocheni, ut esset patriarcha eorum: eumque miserunt ad ipsum imperatorem* (Basilium). *Ad quem cum ingressus esset, indicavit ei statum urbis et inclinationem atque affectum civium ejus erga ipsum. Misitque eum imperator ad Abdallam Mantasirum, ut tentaret eum movere ad obedientiam: promisitque ei, fore ut, restituta sibi Antiochia, constitueret ipsum patriarcham ejus toto tempore vitæ ejus: Abdallæ autem daret quodcumque ipse ei promitteret. Abiit itaque Agabius, ignotus, habitu monachali, ingressusque est Antiochiam, et convenit Abdallam, ac negotium cum eo transegit; ita ut Abdalla in obedientiam imperatoris se daret, repudiato nomine Scleri.*

die XXIII Januarii A. C. 970;

601 *Sic Agabius factus est patriarcha Antiochenus die Solis, vigesimo tertio Canonis posterioris, anni Alexandri* MCCLXXXVII. Temmpus illud nobis explicat ipse Elmacinus pagina præcedenti, cum dicit, diem undecimum Canonis posterioris, ejusdem anni Alexandri MCCLXXXVII, incidere *in diem septimum Giumadæ prioris, anni Hegiræ* CCCLXV: unde sequitur, ut dies XXIII ejusdem Canonis posterioris, anni ejusdem Alexandri MCCLXXXVII, inciderit in diem XIX ejusdem Giumadæ prioris, anni Hegiræ CCCLXV; qui dies coincidit cum die XXIII Januarii, qui tum Solis, sive Dominicus fuit, signatus littera B, de anno Christi CMLXXVI. Quamdiu vero dignitatem illam obtinuerit, indicatur eodem capite versus finem, his verbis:

SÆCULUM ·

ejectus post annos duodecim.

602 *Porro Basilius imperator, indignatus contra Agabium patriarcham, eum ejecit Antiochia, et manere coegit Constantinopoli in quodam monasterio, cum jam præfuisset duodecim annos;* adeoque vel usque ad annum Hegiræ CCCLXXVII, qui a die VII Maii respondet anno Christi CMLXXXVII; vel usque ad annum Alexandri MCCXCIX, qui usque ad autumnum concurrit cum anno Christi CMLXXXVIII: nam utraque epocha hic utitur Elmacinus, Alexandrina scilicet et Arabica. *Causa autem ejus rei*, inquit ibidem hic auctor, *erat, quod Basilius in cistis Bardæ Phocæ* (qui et ipse in spem adductus imperii, perduellis occubuerat) *invenisset epistolam quamdam ejus* (Agapii) *qua approbat consilium Phocæ de rebellione, et confirmabat eum in isto proposito. Mansit autem* E *in isto exilio fere septem annos;* id est, usque ad annum Hegiræ circiter CCCLXXXIV, Christi CMXCIV; vel Alexandri MCCCVI, qui fluit ab autumno anni Christi CMXCIV usque ad autumnum sequentis CMXCV. *Atque eo tempore* inquit Elmacinus, *fiebant sartonæ in sede ejus*, id est, *ordinationes*, quæ absente Agapio, vel a substituto vicario, vel a subrogato in ejus locum altero patriarcha exercebantur: Sartonia enim vox est Arabica, desumpta ex Græco χειροτονία, ut me docuit Assemanus. Quid Agapio postea sit factum, ignoro. Laudatur certe a Monophysitis infra, ubi de Athanasio Salachensi, quod *Jacobitis nullam molestiam creavit.*

LXXXIV. JOANNES III.

Successit Agapio II versus finem sæculi decimi.

Agapium alterum in Catalogo Assemani Arabico sequitur Joannis, qui hoc nomine tertius est: at quo anno cœperit, quo desierit, quid egerit, non additur: ut ex F illo Catalogo id solum habeam, quod Joannes Agapio II successerit; quod ipsum, nisi ex illo didicissem, penitus ignorarem: licet alioqui Joannem hunc pridem noverim ex epistola Petri, Patriarchæ Antiocheni, de quo agetur sæculo sequenti, ad Michaelem Cerularium, patriarcham Constantinopolitanum, apud Cotelerium Monument. ecclesiæ Græcæ tom. II, pag. 148, § V; ubi testatur Petrus, *Quod sub beatæ memoriæ patriarcha Antiochiæ domno Joanne, Papa Romæ, ipse etiam Joannes nominatus in sacris Diptychis referretur* utique tum vivens. Sedebat ergo Joannes III Antiochiæ, cum Pontifex Romanus esset Joannes XVIII, qui, creatus anno Christi MIII, diem extremum obiit anno Christi MIX.

et sedit tempore Joannis Papæ XVIII: at quamdiu?

604 Dixi, cum Pontifex Romanus esset Joannes XVIII: nam de illo sermonem hic esse, indicant ejusdem Petri verba, quæ continuo subsequuntur: *Constantinopolim præterea*, inquit, *ante hos annos quadraginta quinque regressus, reperi sub sanctæ memoriæ patriarcha domno Sergio prædictum Papam in sacra Missa cum aliis patriarchis referri.* Scribebat hæc Petrus anno

anno Christi MLIV aut MLV; cum jam scilicet per Orientem innotuisset obitus S. Leonis IX, qui incidit in XIX Aprilis anni Christi MLIV, et necdum de successoris ejus Victoris II electione, quæ usque in Aprilem anni sequentis excurrit, quidquam inauditum esset; quod constat ex ipsa epistola, pag. 158, § XIX. Quare demptis quadraginta quinque a MLIV, devenitur ad annum Christi MIX, quo Petrus Constantinopoli Joannem Romanum Pontificem relatum in Diptycha reperit eumdem illum videlicet, cujus Pontificatum aliqua saltem ex parte cum Joannis III Antiocheno patriarchatu concurrisse statuit. De hoc porre Joanne aliud nihil assecutus sum.

PARERGON

De MACARIO II, S. MACARIO III, ELEUTHERIO.

B

Sunt, qui hos putarint fuisse patriarchas Antiochenos;

Tres hosce, tamquam Antiochiæ nostræ patriarchas, offert monachus quidam cœnobii S. Bavonis in vita secunda S Macarii, quam jussu Sigeri abbatis conscripsit Gandavi in Flandria anno Christi MLXVII, quamque nos etiam dedimus ad diem X Aprilis pag. 878. atque eos, uti tales, post Cardinalem Baronium, ad annum Christi MXII, num 15, ceteri fere eruditi aliquamdiu non dubitarunt admittere. Hæsitavit hic tamen Henschenius noster in Commentario prævio ad Acta S. Macarii, a num. 6; tum quod in priori Vita S. Macarii, scripta paulo post ejus ex hac vita discessum, ita legeret : *Adiit hoc Gandense cœnobium quidam magnæ gravitatis vir, . . . qui se quidem Macarium nomine, Antiochiæ vero archiepiscopum fatebatur; quæ urbs Armeniæ flos est, nobilitate, divitiis* etc. Putavit hæc Henschenius intelligi posse de archiepiscopatu alterius Antiochiæ, quæ Pisidiæ metropolis est : Pisidiam quippe ad Armeniam late dictam censuit aliqua ratione pertinuisse. C Hoc uno argumento ductus Pagius in Criticis ad annales Baronii, anno Christi MXI, num. 6, rotunde negat, patriarcham Antiochenum umquam fuisse S. Macarium; asseritque metropolitam fuisse Pisidiæ : *Nam si patriarcha*, inquit, *Antiochenus exstitisset, neque Eremboldum abbatem Gandensem, qui eum viderat, neque monachum, qui priorem Vitam ejus scripsit, quemque Eremboldus de iis quæ ad sanctum præsulem spectabant, edocuerat, id latuisset, vel ab eodem tacitum esset.*

sed ex dictis hactenus patet,

606 Verum altera dubitandi causa, quam non attigit Pagius, multo gravior erat Henschenio : nimirum quod eodem tempore, quo juxta auctorem Vitæ S. Macarii secundæ, Macarius senior, sive secundus, Antiochiæ Syriæ patriarcha fuisse dicitur, patriarcham alium apud Elmacinum offendisset, nomine Agabium. Hoc demum argumentum quam sit validum ad patriarchicam utriusque Macarii atque Eleutherii dignitatem non jam in dubium revocandam tantummodo, sed omnino denegandam, ex contexta huc usque patriarcharum nostrorum serie liquido, nisi fallor, apparet; D maxime cum illam non unius Elmacini, sed ipsorum insuper Syrorum auctoritate tabulisque firmaverim : nam Elmacini quidem historia non satis perspicue docet, fueritne Agabius sive Agapius patriorcha Antiochenus Jacobitarum dumtaxat (quorum unice facere solet ipse mentionem,) an potius Melchitarum, qui solus patriarcha dici proprie merebatur. Si patriarcham Jacobiticum Agapium intelligeres, stabiliri utcumque poterant gemini Macarii et Eleutherii in sede Antiochena Melchitica gradus ac tempora : at si Melchitam fuisse Agabium statueres, nequaquam. Melchitam vero Agapium fuisse, non Jacobitam, ex Syrorum monumentis supra citatis, atque ex ipso Jacobitarum, quem mox subjiciam, patriarcharum ordine, plane certum videtur. Nullum itaque ex tribus jam in capite propositis ad hanc sedem pertinuisse, paucis ostendo.

nullum eis locum inter illos esse potuisse.

607 S. Macarius Gandavi vitam hanc cum æterna commutavit anno Christi MXII, die X Aprilis, ut constat ex prima ejus Vita, num. 3; postquam apostolicis peregrinationibus E annos impendisset facile quatuor aut quinque, ut colliges ex Vita secunda, a num. 13. Patriarcham ergo oportet eum fuisse saltem initio circiter seculi undecimi (nam satis illum diu sedem administrasse adjuncta Vitæ significant); sedisset ergo eodem tempore, quo præfuisse demonstravimus Antiochiæ Joannem III; quod est absurdum. Rursus S. Macarius, si auctore nostro standum esset, juvenis admodum patriarchatum adiisset, ut est num. 7 et 8 : fac igitur eum anno Christi circiter M trigesimum ætatis annum attigisse; sequetur ut ab anno Christi ut minimum CMLXX usque ad S. Macarium patriarchatum administraverit Macarius senior, S. Macarii decessor et consanguineus : nam S. Macarius junior dicitur ibidem num. 5 *Natus ea tempestate, qua senior Macarius, magnæ sanctitatis præsul, in infulis agebat Antiochiæ . . . quæ civitas Syrorum* erat *metropolis.* Atqui certum est illo tempore præfuisse Antiochenis Agapium II, ut supra vidimus : ergo et in Macarii senioris adstruendo patriarchatu fallitur auctor noster. F Quare, si horum, ut idem ait, successor fuit Eleutherius, certe in sede patriarchica fuit.

APPENDIX

AD SÆCULUM X.

PATRIARCHÆ ANTIOCHENI

JACOBITÆ.

XXV. JOANNES IV.

Joannes IV succedit ab A. C. ... usque ad ...

608 Dionysium II apud Jacobitas consecutus est Joannes, qui hoc nomine inter Antiochenos sectæ Monophysiticæ patriarchas quartus fuit. Successionem hanc confirmant citatus toties Barsalibæus in Catalogo, et Diptycha Jacobitarum. Epitome Barhebræi sic habet : *Joannes ex Columna cœnobii Curzachel*

A *Curzachel ditionis Antiochenæ ordinatus a Joanne, Marhas episcopo, in monasterio Tel-Sephre, quod extra Haran urbem situm est, die* XXI *Aprilis anno Græcorum* MCCXXI, Christi CMX. *Postquam sedisset annos* XII, *menses* VII, *ordinatis episcopis* XLI, *obiit Sabbato, exeunte mense Novembri, in urbe Rhesaina in cœnobio Saphyli.* Obiit ergo anno Christi CMXXII. *Ad hunc exstat*, inquit Assemanus, *in Tractatu de fide patrum synodica Chaïlis seu Michaëlis* LVI *patriarchæ Alexandrini.* Itaque fatetur, mendum esse vel in anno obitus Michaëlis Alexandrini (qui juxta chronologiam nostram est annus Christi DCCCXCVI, juxta alios annus Christi CMVI vel CMIX;) vel hic in anno electionis Joannis. Sed quis mendum illud ubi sit, facile demonstret; quando hinc testem unum habemus Bar-hebræum, inde vero chronologos Ægyptios inter se plurimum discrepantes?

XXVI. BASILIUS I.

Sedit ab A. C. 923 usque ad 935.

B 609 Ita Barsalibæus et Diptycha Jacobitarum. Tempora dat Bar-hebræus in epitome, ubi sic habet : BASILIUS *ex cœnobio Saphyli Rhesinæ, ordinatus in Moriba, castro Reschephæ, ab Habibo, Anazarbæ episcopo, anno Græcorum* MCCXXXIV (Christi CMXXIII) *die* XV *Augusti. Obiit die* XXV *Martii, feria quarta majoris hebdomadæ, (anni Græcorum* MCCXLVI, *Christi* CMXXXV, *quo dies* XXV *Martii in feriam quartam majoris hebdomadæ incidit) postquam annos* XI *sedisset, et episcopos* XXXII *creasset. In cœnobio Orientali cadaver ejus sepultum fuit. Scripsit synodicam ad Cosmam Alexandrinum* LVIII, de qua vide Assemanum hoc tomo II Bibliothecæ Orientalis cap. XXII, in quo de Basilio, tamquam scriptore, agitur.

XXVII. JOANNES V.

Sedit ab A. C. 936 usque ad 956.

610 JOANNES, juxta Bar-hebræum, *ex anachoretis montis nigri in Teleda, castro ditionis Antiochenæ, ab Athanasio Tarsensi ordinatus* est *die* XXVIII *Augusti anno Græcorum* C MCCXLVII (Christi CMXXXVI.) *Obiit feria prima, die* III *Julii; (imo* XIII *Julii*, ut hic notat Assemanus, *in quem anno Græcorum* MCCLXVII, *Christi* CMLVI, *feria prima incidit;) postquam sedisset annos* XIX, *menses* X. *Cadaver in magno Teledæ cœnobio sepultum... Exstat ad eum synodica Macarii Alexandrini* LIX *in cod. Arab.* 23, *tom.* I *Bibliothecæ nostræ* (verba sunt Assemani) *pag.* 625, *num.* 22. Eumdem habent Barsalibæus et Diptycha.

XXVIII. JOANNES VI.

Sedit ab A. C. 956.

611 Omittitur hic in Catalogo Barsalibæi, non item in Diptychis. Stylitam fuisse, non secus ac Joannem IV, testatur Bar-hebræus, cujus hæc est epitome : JOANNES *alter ex columna Curzachel ad Uphrinum flumen in Teleda castro die* XVI *Julii anno Græcorum* MCCLXV (*imo anno* MCCLXVII, ait in notis Assemanus, *ut ex obitu decessoris colligitur) a Jacobo Callinicensi ordinatus* est. *Obiit exeunte mense Canun (priorine, an posteriori, haud exprimitur) postquam sedisset annos* II, *menses* X, *et episcopos* X *ordinasset in cœnobio Salomonis Dolichæ sepultus.* Et hic vitium est in ratione chronologica : nam si ordinatus est Joannes die XVI Julii anno Græcorum MCCLXVII, quo pacto obiisse potest mense Canun sive priori, qui Decembri nostro, sive posteriori, qui Januario respondet; siquidem sederit *annos* II, *menses* X? Sane anni duo et menses X ducti a XVI Julii anni Græcorum MCCLXVII excurrunt usque in Maium anni Græcorum MCCLXX. Atqui hoc postremum iterum pugnat cum initio successoris, ut mox apparebit. Expediant hæc, quibus codices genuini ad manum sunt : mihi satis est observasse.

SÆCULUM X.

XXIX. DIONYSIUS III.

Sedisse dicitur ab A. C. 957 usque ad 961.

612 DIONYSIUS III, notus tam in Diptychis, quam Catalogo Barsalibæi, *ex cœnobio Cartaminensi*, ut est in compendio Bar-hebræi, *ordinatus est à Jacobo Callinicensi in Teleda castro die* XXVIII *Novembris anni Græcorum* E MCCLXIX, Christi CMLVII. *Sedit annos* II, *menses* VI. *Obiit die* II *Junii anno Græcorum* MCCLXXII Christi CMLXI; *postquam episcopos* VIII *ordinasset; in cœnobio Cartaminensi in arca Theodosii patriarchæ sepultus.* Dionysium hunc Assemanus tom. II Bibliothecæ cap. XXIV, inter scriptores Monophysitarum Syros enumerat, aitque exstare in libro de fide patrum ad illum epistolam synodicam Macarii LIX Coptorum patriarchæ; et binas item alias ipsius Dionysii ad Mennam, sive Minam, LXI patriarcham ejusdem sectæ Alexandrinum. Verum hæc nequaquam cum hac Barhebræi chronologia consistunt : cum inter Macarii Alexandrini obitum et ordinationem Minæ intercesserit patriarchatus Theophanii Alexandrini, qui juxta patriarcharum illorum chronologos tenuit annos quatuor; quo pacto igitur et a Macario accipere et ad Minam dare litteras synodicas Dionysius patriarcha potuit, si annis tantum duobus cum dimidio sedit? Deinde Minas juxta chronologiam, quam asseruimus alibi, ordinatus statuitur exeunte anno Christi CMLXII, hoc F est, sesquianno post obitum Dionysii III Antiocheni : vel hic ergo, vel ibi error est, quem mihi quidem notare facilius est, quam restituere. Denique qua ratione anni tantum duo cum sex mensibus esse possunt ab anno Alexandri MCCLXIX, die XXVIII Novembris, qui anni Græci mensis est secundus, usque ad annum Alexandri MCCLXXII, diem II Junii, qui apud Græcos est mensis anni nonus? Ego certe annos tres cum sex mensibus numero.

XXX. ABRAHAM.

Sedit ab A. C. 962 usque ad 963.

613 ABRAHAM, quem hoc etiam loco habent Diptycha cum Catalogo Barsalibæi, *ex cœnobio Taril, ditionis Alepi*, juxta Barhebræum contractum, *a Job, Zeugmæ episcopo, in Teleda castro die* XXV *Maii anno Græcorum* MCCLXXIII (Christi CMLXII) *ordinatus, Anastasium, præceptorem suum, qui cœnobii Circisii in regione Germaniciæ archimandrita fuerat,*

fuerat, episcopum Alepi instituit. Quumque menses IX, *diesque* VII *sedisset, ordinatis Cyriaco maphriano et sex episcopis, decessit feria quarta, die* IV *Martii* (anno Christi CMLXIII,) *sepultus in cœnobio Circisii*

XXXI. JOANNES VII.

Sedit ab A. C. 965 usque ad 985;

Habetur in Diptychis et Catalogo Barsalibæi; Bar-hebræus de illo ita scribit in epitome: JOANNES *ex cœnobio Tarilensi ab ea, quam præ se ferebat, paupertate Sarighta, hoc est, Storeæ, seu Sacci arundinei appellatus, in Capharnabo, regionis Sarugensis pago, ordinatus fuit a Sergio, Sarugi episcopo die Dominica,* IX *Julii, anno Græcorum* MCCLXXVI (Christi CMLXV.) *Hic a Nicephoro imperatore e Syria Melitinam evocatus, cœnobium Bared, hoc est, frigidum, ædificavit. Mox ejusdem imperatoris jussu Constantinopolim una cum quatuor episcopis Jacobitis adductus, de fide cum patriarcha Græcorum disputationem habuit. Quumque Jacobiticam hæresim ejurare noluisset, in carcerem detrusus, quatuor post mensibus, interempto a Zimisca Nicephoro, liber cum suis dimissus est. Byzantio Melitinam regressus, e cœnobio Barsumæ ad Bared anno Græcorum* MCCLXXX (Christi CMLXIX, aut sub finem antecedentis) *se contulit; ubi et usque ad annum* MCCXCVI (Christi CMLXXXV) *quo mortuus est, habitavit.*

et scripsit aliqua

615 Binas scripsit synodicas ad Minam Alexandrinum LXI, a quo et unam acceperat, de quibus videri potest Renaudotius in Mina, vel potius Assemanus in Bibliotheca Orientali tom. II, cap. XXI, ubi de scriptis Joannis agitur. In altera sua ad Minam synodica ex carcere Constantinopolitano scripta, *feria secunda, die vigesima tertia Ab* (Augusti) *anno Alexandri Macedonis millesimo ducentesimo octogesimo,* Christi CMLXIX, de se ipse fusius narrat, quæ paucis attigit Bar-hebræus. Quibus eam lubet inspicere, adeat citatum Assemanum, qui menda non nulla Renaudotii corrigit.

XXXII. ATHANASIUS V.

Sedit ab A. C. 986 usque ad 1002 aut 1003.

616 ATHANASII hujus successio notatur in Diptychis, et Barsalibæi Catalogo; at multo distinctius in compendio Bar-hebræi, quod sic habet: *Athanasius Salachensis, qui et Lazarus, ex monacho cœnobii Aaron Sigaræ in patriarcham ordinatus est à Lazaro, Anazarbæ metropolita in Catin, pago regionis Gehon, feria* V, *die* XXI *Octobris, anno Græcorum* MCCXCVIII (Christi CMLXXXVI). *Habitavit in monasterio Bared, quod et novis ædificiis ab ipso auctum fuit. Erat tum Antiochenus Græcorum patriarcha Agapius* (secundus scilicet, uno alterove post anno ejectus Antiochia, de quo diximus supra num. 600) *qui Jacobitis nullam molestiam creavit. Athanasius vero cum annos* XVI *sedisset,* hoc est, usque ad annum Græcorum MCCCXIV, Christi MII, aut MIII) *obiit in cœnobio Barsumæ, quod in regione Claudiæ situm est, ordinatis episcopis* XXXVIII, *et Ignatio Bar-Chichi maphriano, qui a Christiana fide ad Mahometanam superstitionem defecit.* Scripsit synodicam ad Philotheum Alexandrinum LXIII, a quo et responsoriam accepit, ut ostendit Renaudotius pag. 386. Fragmentum synodicæ habes apud Assemanum Biblioth. Orient. tom. II, cap. XXVI, ubi eum inter scriptores Jacobiticos habet: conferri tamen tum ibi, tum alibi de hoc Athanasio ab Assemano dicta debent, cum iis quæ posterius hoc loco scribit in compendio Bar-hebræi.

SÆCULUM XI.

LXXXV. ELIAS II.

LXXXVI. GEORGIUS III.

Elias II. et post eum Georgius III sederunt circiter usque ad A. C. 1051.

617 Cum a Joanne III, de quo supra num. 603, usque ad Petrum III, de quo mox erit agendum, nimium temporis interjaceat, quam ut alium inter eos neminem patriarcham fuisse credibile videretur; nec tamen alium ego uspiam invenirem; hoc inter cetera Assemano proposui. Respondit Vir clarissimus, in Catalogo suo Arabico Joanni ELIAM, Eliæ GEORGIUM, Georgio Petrum successisse: sed cum nuda hæc ab eo nomina tantum acceperim, de tempore, quo utervis sederit, affirmare nihil possum. Latet initium ergo Eliæ II, quia nescitur finis Joannis; hoc tamen ex dictis constat, tam hunc, quam illum ad hoc sæculum pertinere. De Georgii fine ex Petri successoris initiis conjecturam licebit facere; neque enim verisimile est, hæc multum a se invicem esse divulsa. Ad Georgium, Petri successorem, tametsi nomen omissum est, ea pertinent, quæ apud Cotelerium in Monumentis ecclesiæ Græcæ tom. II, pag. 135, ad Petrum ipsum scribit Michaël Cerularius, patriarcha Constantinopolitanus, de diacono quodam; qui a Petri decessore clericatus imperatorii loco donatus quidem fuerat; at nullo istius patriarchæ sigillo, ut apparet, donatio erat firmata: ut existimare liceat, eam sub illius præsulis mortem fuisse factam, nec diu ante electionem Petri, a quo deinde impetratum sigillum, rogatu ac suasione Cerularii.

LXXXVII. PETRUS III.

Electus A. C. 1051.

Vir hic fuit perquam doctus et eloquens, ut ex epistolis ejus ad Dominicum, patriarcham Gradensem, et Michaëlem Cerularium, patriarcham Constantinopolitanum, quas habes apud Cotelerium, Monumentorum ecclesiæ Græcæ tom. II, a pag. 112, facile quisque conjiciet. In priori, ad Dominicum data, pag. 133, § XXVI, ita scribit: *Ceterum antea, initio pontificatus mei, litteras commendatitias dedi ad Beatissimum Papam Romæ* (S. Leonem IX,) *easque per quemdam, qui ex solemni voto Hierosolymam proficiscebatur, misi ad clarissimum magistrum et ducem Italiæ Argyrum, ut dirigeret ad Sanctitatem ejus. Quo ex tempore elapsum est biennium: nec de illis quidquam potui comperire. Et, ecce, iterum has describens misi ad tuam in Deum Dilectionem; ut propter amorem nostri, seu potius propter Deum, ob quem et pro quo epistola est (pro Christo enim legatione fungimur,* inquit divinus Apostolus) *efficias,*

A *efficias, ut ad maxime venerandam illius Beatitudinem perducatur; simulque petas, respondeat scripto, quod mittas ad nos.*

Et a S. Leone PP. IX confirmatus A. C. 1053, non multis annis superfuit.

619 Hæc igitur secundo scripta, biennio post adeptum patriarchatum, ad S. Leonem epistola, illa est cui sanctus Pontifex respondit, ordinationem Petri confirmans, si secundum canones promotus esset. Habes hasce Leonis litteras in collectione conciliorum Labbeana tom. IX, a col. 975. Datæ sunt, teste Baronio, anno Christi MLIII; cum jam scilicet timeretur, ut ex ipsis litteris patet, schisma Cerularii, ad quod antevertendum sanctissimus idem Dominus ineunte statim anno Christi MLIV ad Cerularium scripsit, ut refertur eodem tom. IX Concil. a col. 978. Consecratum igitur oportet fuisse Petrum III anno Christi circiter MLI; quamquam annis tantum postea duobus a Romano Pontifice sit confirmatus. Non superfuit autem Petrus ultra annum Christi MLVII, ut apparebit ex tempore successoris ejus.

Quando secutus videtur schisma Cerularianum.

620 Dixi, scriptam esse S. Leonis ad Petrum epistolam anno Christi MLIII; unde nolim colligi, eodem anno fuisse redditam. B Hoc unum asserere possum, quod illam jam Petrus haberet, cum post notam toto Oriente S. Leonis mortem, Cerulario ad objecta respondit anno Christi MLIV exeunte aut sequentis initio, priusquam de Victoris electione quidquam etiam resciisset, ut patet apud Cotelerium tom. II, Mon. eccl. Græc. pag. 158, § XIX; ejus tamen etiam tum sententiam, deficiente interprete, assequi non poterat, ideoque illam, ad Michaëlem transcriptam remisit Constantinopolim, ut is fideliter ibi versam ad se remittendam curaret; ibidem pag. 161, § XXIV. Eam, credo, ubi græce postea perlegerit, omnem continuo cum Ecclesia Romana communionem, quam adhuc tam impense prosequi cœperat, sibi interdictam putaverit: quamquam enim plurima Cerularii in Latinam Ecclesiam accusationum capita vel falsa esse, vel pacis communionisque studio dissimulanda contenderet; *Malum tamen,* inquit, *et malorum pessimum est adjectio ad sanctum Symbolum hæc: Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filio-* C *que procedit,* ibid. pag. 152, § XI; et § XII, *Nobis,* ait, *ad perfectam pietatis agnitionem confirmationemque sufficit sapientia plenum et salutare divinæ gratiæ Symbolum* (Nicænum)... *Eos autem qui non nihil vel adjiciunt vel detrahunt, anathemate percutimus.* Quid ergo sensisse putandus est, cum in epistola S. Leonis hanc fidei disertissimam professionem legeret: *Credo etiam Spiritum sanctum, plenum et perfectum verumque Deum, a Patre et Filio procedentem* etc.? Fallor, nisi hic ecclesiam deinceps Constantinopolitanam, cui et in aliis se profitebatur addictissimum, secutus sit: *Qui hujus,* inquit pag. 147, § III, *alumnus sum et zelator, si quis alius; verboque ac opere ejus privilegia semper commendo atque extollo.*

LXXXVIII. THEODORUS IV.

Huic Catalogus Arabicus: nam Petro III successit Theodorus IV qui sedebat A. C. 1057.

621 Hiat hoc loco certissime Catalogus clarissimi Viri Assemani Arabicus, (vitio, ut ipse autumat, ac mihi subinde rescribi curavit, amanuensis, qui forte lineam unam alteramve nominum similitudine deceptus transilierit) cum a Petro ad Joannem (quartum opinor, qui clausit hoc sæculum;) a Joanne vero transilit ad Theodorum Balsamonem, qui dignitatem illam obtinuisse creditur saltem usque ad annum Christi MCCIII; imo (si Lambecio credimus in indice ad librum VIII Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis) patriarcha fuerit Antiochenus Græcorum ab anno Christi MCLXXXVI usque ad MCCXIV. Itaque meo hic mihi tantisper cortice nandum est, ac patriarcharum, qui hoc saltem sæculo floruerunt, series, quantum in me erit, promovenda dicam, an continuanda. Certe continuam esse, tametsi non ausim asserere, adjecta tamen tempora satis faciunt verisimile: nam THEODORUM quidem IV, licet ejus neque primordia nota sint satis neque decessus, Petro III successisse, dubitari vix potest; quandoquidem, Cedreno et Curopolate testibus, patriarchatum Antiochenum jam administrabat anno Christi MLVII, quando Isaacus Comnenus proclamatus est imperator, exauctoratusque Michaël Stratioticus: cui proclamationi non tantum E adstitit Theodorus; sed eam ipse ingeminavit; hortatus etiam, ut summorum virorum, quibus illa minus arrideret, diriperentur atque everterentur ædes. Adi Cedrenum in fine Compendii historiarum, et historiam Joannis Curopalatæ paulo ante Isaacum Comnenum in Latinis editionibus.

LXXXIX. THEODOSIUS II.

Videtur successisse Theodoro IV.

622 Quidni Theodoro IV defuncto successisse statim credatur THEODOSIUS II? Cum enim illum Anastasius Cæsariensis de Jejunio Deiparæ apud Cotelerium, Monument. eccles. Græc. tom. III, pag. 436, Petrum III inter et Joannem quartum collocet, non potest alius ei locus assignari, quam qui est ante Æmilianum, vel qui post Nicephorum Maurum: post Nicephorum autem sedisse, non admodum apparet verisimile; cum Nicephorus patriarchatum primum adierit anno Christi MLXXXIX, Joannes vero quartus anno Christi MXCVIII jam pridem Antiochiæ F ordinatus fuisset, ut infra docebimus; restat ergo, ut hoc loco potius Theodosium reponamus; cum nihil, quod sciam, impediat. Ceterum aliud præterea nihil est, de illo quod possim asserere, nisi quod, item ut Petrus III et Joannes IV, servasse ac tradidisse ceteris jejunium, quod Beatissimæ Virginis Matris obdormitionem antecedere consueverat, dicitur ab Anastasio jam citato.

XC. ÆMILIANUS.

XCI. NICEPHORUS MAURUS.

Sedebat Æmilianus A. C. 1078: successit Nicephorus Maurus A. C. 1089 ex unte, et forte aliquanto citius.

623 Theodosio II subjicimus ÆMILIANUM: erat enim hic jam tum patriarcha Antiochenus, cum Indictione I, festo Annuntiationis Beatissimæ Virginis, anno Christi MLXXXVIII a clero ac proceribus pronuntiatus est imperator Nicephorus Botaniates, *præeunte his patriarcha Theopoleos magnæ Antiochiæ,*

chiæ, nomine *Æmiliano;* ut habet Curopalates Cedreno subnexus in editione Græco-Latina pag. 861, et Zonaras lib. XVIII, § XVIII; qui ibidem § XIX subdit : *Æmiliano, Antiocheno patriarcha, mortuo, in ejus locum successit* NICEPHORUS, *cognomento* MAURUS, jam cœpta *Indictione decima tertia,* sive anno Christi MLXXXIX ad finem vergente; ut collige ex Curopalate sub finem Historiæ. Porro quo anno hic decesserit, nihilo minus latere me fateor, quam quo cœperit Æmilianus : diu tamen sedisse non arbitror; quod Joannes IV *pridem* ante annum Christi MXCVIII, teste Guilielmo Tyrio mox citando, in ejus locum fuerit ordinatus. Quin imo, si major adhibenda est fides Arabibus, quam Zonaræ; dicendus erit, et citius patriarchica dignitate indutus simul exutusque fuisse Nicephorus; et jam anno Christi MLXXXIX ante Octobrem ejus loco sedisse Joannes IV; quippe cui jam patriarchæ Antiocheno Thomas Haranites, episcopus Caphartabensis Monothelita, librum de unica Christi voluntate transmiserit anno Græcorum MCD, qui cum B anno Christi MLXXXIX tantummodo usque ad autumnum concurrit; de qua re consuli potest Assemanus tom. I Bibliothecæ Orientalis, pag. 508 et 576.

XCII. JOANNES IV.

Jam pridem sederat A. C. 1098; cessit autem A. C. 1100.

Erepta Turcis, qui eam annis XIV tenuerant, Antiochia anno ab Incarnatione Domini MXCVIII, ut narrat Guilielmus Tyrius lib. V in fine, præcipua Christianorum principum cura fuit, ut res in ea sacras instaurarent : quod fieri cœptum eodem anno, mense circiter Julio; ut colligere est ex epistola Boamundi aliorumque ad Urbanum II Pontificem Romanum, apud Baluzium Miscellaneorum tom. I, pag. 418, et apud Guilielmum Tyrium lib. VI, cap. XXIII, ubi inter alia in rem nostram hæc scribit : *Dominum quoque patriarcham, qui tamquam verus quidam confessor, post nostrorum adventum infinita ab infidelibus pertulerat supplicia* (de quibus lege Albertum Aquensem Historiæ Hierosolymit. lib. V, C cap. I) *in sede propria cum multo honore locaverunt... Nostræ vero Latinitatis patriarcham, eo vivente qui pridem ibi ordinatus fuerat, eligere vel consecrare non præsumpserunt, ne duo unum et eumdem thronum obtinere viderentur : quod immediate contra sacros canones et contra sanctorum statuta Patrum esse dignoscitur. Sed tamen postmodum, vix evoluto biennio, videns ipse, quod non satis utiliter præesset Græcus Latinis, urbe cedens, Constantinopolim abiit.* Itaque Joannes IV et *pridem* sederat ante annum Christi MXCVIII, et patriarchatu cessit biennio fere post, hoc est anno Christi MC.

Non est auctor Fragmentorum schismaticorum;

625 Quem hic *tamquam verum confessorem* laudat Tyrius; eumdem appellat Albertus Aquensis loco citato : *Virum clarissimum et Christianissimum;* unde patet, quanto in honore ac pretio fuerit etiam apud Latinos sive Francos. Vide ergo, num satis verisimile videatur, quod de illo narrat Ordericus Vitalis Ecclesiasticæ Historiæ lib. X, versus finem; cum eum ait Normannis intractabilem fuisse; ac de proditione suspectum, relicto episcopatu, secessisse in eremum. Multo minus pro schismatico traducendus videtur, quam et D notam inurit defunctus nuper ab Ordine suo et catholica religione apostata in Commentariis de scriptoribus et scriptis ecclesiasticis, dum Joanni nostro attribuenda putat excerpta quædam schismatica contra Latinos, de quibus agit Lambecius in Commentariis de Bibliotheca Cæsarea lib. IV, cod. 157, num. 18, pag. 150. Aliter sane ipsi Lambecio visum est; cum in indice chronologico ejusdem libri Joannem illum patriarcham Antiochenum, a quo scripta illa schismatica deprompta sunt, inter auctores incertæ ætatis recenseat; quod alibi non facit, ubi de nostro meminit.

...ec opusculorum asceticorum, quæ ei tribuuntur

626 Magis dubium videri possit; sitne hic auctor Eclogarum Asceticarum, de quibus agit Lambecius lib. V Bibliothecæ, cod. 261, pag. 105; uti et Orationis contra largientes monasteria proceribus et laicis ceterisque, quam habes apud Cotelerium in ecclesiæ Græcæ Monumentis tom. I, a pag. 159 : nam eumdem utriusque operis auctorem esse, suadent hinc titulus Orationi præfixus apud Cotelerium, *Sanctissimi et beatissimi patriarchæ* E *Antiochiæ Domini Johannis, qui in Oxia insula monachus fuit, Oratio;* inde vero apud Lambecium verba hæc subscripta secundæ parti Eclogarum : τέλος τῆν βίβλου του μακαριωτάτου Πατριάρχου Ἀντιοχείας κυρίου Ἰωάννου, του ἐν τῇ Ὀξείᾳ. id est, *Finis libri beatissimi patriarchæ Antiochiæ Domini Joannis, qui fuit in Oxia.* Sed quia nescitur, an monachum in Oxia (de qua consule Cotelerii notam in titulum citatum) egerit aliquando Joannes IV; difficile quoque definitu est, ad illum, an ad alium quempiam Joannem Antiochiæ patriarcham, hæc opuscula pertineant. Joanni cuidam Juniori, qui sub medium sæculi duodecimi patriarchæ Antiocheni nomen potius quam sedem obtinuerit, et hæc et cetera, quæ Joannis patriarchæ Antiocheni nomine inscribuntur, attribuit Cotelerius loco citato in notis col. 747. Eadem omnia Joanni IV nostro adscribit memoratus commentator apostata, Cotelerium carpens; Lambecius Eclogas et Orationem Joanni IV, Fragmenta vero schismatica incerto cuidam Joanni patriarchæ Antiocheno assignat. F

...um illorum scriptor Joanne nostro aliquanto junior videtur.

627 Ego eorum omnium nihil ad Joannem IV spectare arbitror : non scripta schismatica, ut modo dixi : non etiam alia; cum ex Oratione illa, quam profert Cotelerius, videatur ejus auctor scripsisse medio circiter sæculo duodecimo, quousque nostrum pervixisse nemo facile crediderit. Medium, inquam, sæculum duodecimum redolet Oratio Coteleriana : nam cum initium istius, quam impugnat, consuetudinis (qua nempe laicis monasteriorum bona transcriberentur) repetat *præsertim* a Copronymo pag. 168, et iterum clarius pag 170; ab illo tamen initio ad sua usque tempora elapsos ait, pag. 169, *annos quadringentos :* cum ergo imperare cœperit Copronymus post mortem patris ab anno Christi DCCXLI, inde putati anni CD ad medium potius sæculi duodecimi, quam ad finem undecimi deducunt. Atqui constat, inquit Oudinus, addicta laïcis esse monasteria, *sub initium imperii Alexii Comneni,* qui ab anno MLXXXI ad MCXVIII clavum imperii tenuit; cujus rei testem appellat Scylitzen. Respondeo,

A deo, aliquid quidem non admodum absimile legi apud Scylitzen de Isaaco Comneno versus annum Christi MLVII; at nihil de Alexio, cujus imperium auctor ille non describit, cum desinat in Botaniate. Fac tamen, idem etiam Alexium factitasse; an id imperatorum nemo post eum fecit? Tantum abest, ut in monasteriorum fundos vix alius quisquam involarit avidius, quam Manuel Comnenus, qui ab anno MCXLIII usque ad MCLXXX imperavit. Adisis Baronium ad annum Christi MCXLVIII. Quid ni ergo sub hujus imperio scripserit Joannes ille patriarcha Antiochenus? Qui proinde a Joanne IV distinguendus omnino est.

Licet etiam Joannes ille et patriarcha Antiochenus fuerit: sed a nostro diversus.

628 Sunt et alia multa, quæ Joanni nostro sub alieno nomine scripta tribuuntur, de quibus non est hic dicendi locus: neque enim bibliothecarium hic ago; verum ea quæ dixi hactenus, eo tantum dicenda putavi, quod eruditissimum Cotelerium homo apostata vellicans, probabile nobis argumentum subrueret, quo alterum ab hoc diversum Joannem patriarcham Antiochenum medio B circiter sæculo duodecimo admittendum esse cum Cotelerio credimus: quod nulla satis idonea ratione convellit Oudinus; sicut neque testem ullum profert, cum ibidem ait, Joannem IV, de quo agimus, *natione Syrum fuisse, patria Damascenum; unde Joannes Damascenus Junior dictus* fuerit, *ob patriam*.

AUCTARIUM

De reliquis patriarchis Antiochiæ Græcis.

Patriarchæ Græci Antiocheni reliqui.

Hactenus de patriarchis Antiochiæ Græcis; quorum exinde sedem occuparunt Latini sive Franci, donec Saracenorum jugo iterum urbs illa succubuit. Horum proinde solorum tempora supersunt inquirenda. Quia tamen imperatores Græci hoc sibi jus, ut proximo sæculo in Bernardo videbimus, ar- C rogarunt, ut Antiochenos ipsi patriarchas e clero Constantinopolitano soli designarent; idque, quantum in se fuit, tueri non destiterunt, eorum hic saltem nomina non erit alienum attexere: tametsi præter inane patriarcharum nomen, quamdiu Latinis paruit Oriens, nihil habuere; nam vel Antiochiam, dum res ibi stetit catholica, illorum nemo vidit; vel si quis aliquando accesserit sive Armeniæ regis, sive Raymundi comitis Tripolitani, sive aliorum rebellium Ecclesiæ filiorum protectione fretus; nequaquam illum tamen istic Latini subsistere passi sunt: atque adeo ipse summus Pontifex Innocentius III agi tum in illum, tum in ejus fautores per censuras ecclesiasticas severissime voluit, donec procul inde pelleretur. Patet id ex ejusdem Pontificis epistolis in collectione Baluziana lib. II, epist. IX, et lib. XVI, epist. II. Horum, inquam, hic dabo nomina; primum quidem quæ mihi propemodum suapte sponte occurrerunt (neque enim tanti referre visum est, ut operosius indagarem;) deinde vero quæ mihi ex Catalogo suo Arabico submisit laudatus jam sæpe Assemanus.

630 *JOANNES* inter eos mihi sese primus obtulit, quem fuisse monachum supra diximus in Oxia insula, ac scripsisse aliqua cum Cotelerio putamus versus medium sæculi duodecimi imperante Manuële Comneno. Hunc secutus est

Sæculum XI qui fuerunt tempore, quo Latini sedem Antiochenam obtinebant.

ATHANASIUS ille, qui, teste Cinnamo lib. V, § VII, ejusdem Comneni cum Maria, Raymundi principis Antiocheni filia, nuptiis tamquam patriarcha Theopolitanus sive Antiochenus adstitit anno Christi circiter MCLXI; quique deinde anno Christi MCLXVI interfuit synodo, de qua videri potest Allatius de Perpetuo consensu Ecclesiæ Occid. et Orient. lib. II, cap. XII, § IV. Post quem occurrit

THEODOSIUS, qui anno mundi MMMMMMDCLXXXVIII, Christi MCLXXX, Indictione XIII, secundo die Martii, nuptiis Alexii Comneni cum Anna Francica bene precatus est, teste Codino de Originibus Constantinop. pag. 80 editionis Parisinæ anni MDCLV. Hunc excepisse videtur Theodorus Balsamon, scriptis suis notissimus, cujus ambitionem, qua jam se sperabat certo ab Antiocheno patri- E archatu ad Constantinopolitanum vocatum iri, astu lepido Isaacius Angelus elusit, ut est apud Nicetam Choniaten in Isaacio Angelo lib. II, num. 4. Sed quoniam ab hoc Theodoro interruptam hactenus, uti ostensum est, seriem patriarcharum Antiochensium Melchitarum prosequitur Catalogus Arabicus Assemani, et ejus et sequentium nomina ex illo, ut accepi, adscribam; tametsi et hic dubitem, an nullos Catalogus ille præterierit; cum in eo non legam *EUTHYMIUM* illum, de quo meminit Georgius Pachymeris tom. I, lib. IV, cap. IX, et lib. VI, cap. I, quique patriarchæ titulum gessisse debuit, juxta subjectam operi chronologiam, circa annum Christi MCCLXVII; neque *ARSENIUM*, quem idem auctor tom. II, lib. II, cap. V, damnatum ait fuisse atque e Diptychis erasum versus annum Christi MCCLXXXVIII. Ut ut est, seriem, Lector, totidem, ut missa ad me est, verbis accipe.

631 *THEODORUS BALSAMON, qui usque ad annum circiter Christi* MCCIII *sedit* (Vide dicta superius,) *successorem habuit JOACHIMUM. Post hunc sequentes recensentur:* F

Ac deinceps ad hæc usque tempora.

DOROTHEUS,
SYMEON JULIANUS,
ATHANASIUS,
DAVID,
CYRIACUS,
DIONYSIUS,
JOANNES,
MARCUS,
IGNATIUS,
MICHAEL,
MARCUS alter,
PACHOMIUS,
NILUS,
MICHAEL, sub Tamerlane,
PACHOMIUS,
MARCUS,
JOACHIMUS,
DOROTHEUS, sub quo concilium Florentinum;
MICHAEL,
MARCUS,
JOACHIMUS,
GREGORIUS,
MICHAEL,
DOROTHEUS,
MICHAEL alter,
DOROTHEUS alter, sub Hieremia patriarcha CP.
JOACHIMUS,
MICHAEL,
JOACHIMUS alter,
MICHAEL,
JOACHIMUS alter,
JOACHIMUS cognomento BEN-ZAIADE,
DOROTHEUS,
ATHANASIUS,
IGNATIUS,
CYRILLUS,
EUTHYMIUS cognomento CARME,
EUTYCHIUS

SÆCULUM XI.

EUTYCHIUS Chius, MACARIUS Alepensis, CYRILLUS, Macarii hujus ex filio nepos, qui obiit exeunte anno (Christi) MDCCXIX, *eique successit, ATHANASIUS Damascenus, nuper defunctus, hoc est mense Augusto anni* MDCCXXIV. Qui is ipse est, a quo Catalogum hunc accepit Assemanus.

APPENDIX

AD SÆCULUM XI.

PATRIARCHÆ ANTIOCHENI JACOBITÆ.

XXXIII. JOANNES VIII.

Electus A. C. 1004.

JOANNES filius Abdon, adscriptus Diptychis legitur et Catalogo Barsalibæi. Is ex monacho, qualis per annos XLII, teste
B Bar-hebræo, fuerat, *in synodo episcoporum electus anno Græcorum* MCCCXV (Christi MIV) *die* IV *Julii ordinatus fuit diaconus, die sequenti presbyter, et die* VI *patriarcha, Petro Haranita manum ei imponente, idque anno ætatis sexagesimo. Quum autem regendis populis ineptum sejudicaret, Davidi cuidam monacho, syncello suo, id munus commisit, qui multos in ecclesiam abusus induxit. Anno patriarchatus ejus vigesimo septimo* (imo vigesimo quinto elabente, ut mox patebit,) *postquam episcopos* XLVII *ordinasset, excitata fuit in eum persecutio a Nicephoro, Melitinæ Græcorum metropolita. Hic Joannem apud Romanum* (Argyrum) *imperatorem accusavit, quod Græcos erroribus Monophysitarum imbuere satageret. Romanus hominem Byzantium perduci jubet.*

Exul in Bulgaria periit A. C. 1033

633 *Anno Græcorum* MCCCXL *die* XV *Iunii* (qui est annus Christi MXXIX, patriarchatus vero Joannis XXV) *Ioannes cum sex episcopis et viginti presbyteris atque monachis Iacobitis, Nicephoro deducente, Byzantium ingressus, quum a sua secta recedere noluisset, ab imperatore in cœnobium Caii, quod in regione Bulgatorum situm est, relegatus fuit. Ubi quatuor post annis decessit; die*
C *nimirum secunda Februarii anno Græcorum* MCCCXLIV *(qui anno Christi* MXXXIII *respondet.)* Huc usque compendium Bar-hebræi; cum quo conferri possunt, quæ narrat Michaël episcopus Taneos apud Renaudotium in Historia patriarchatus Alexandrini a pag. 402 usque ad pag. 407; uti etiam quæ habet Assemanus tom. II Bibliothecæ Orientalis, cap. XXVIII, ubi de Vita et scriptis ejus agitur satis fuse; corrigenda ibi tamen illa, quæ ex Bar-hebræi compendio emendari jubet hoc loco Assemanus.

XXXIV. DIONYSIUS IV.

Sedit Amidæ ab A. C. 1033 aut sequenti usque ad 1043 aut seq.

634 Renaudotius ex Michaële suo docet pag. 407, post Joannis obitum a Jacobitis electum esse ejus ex fratre nepotem eodem nomine; quasi hic illi continuo successerit; sed medium intercessisse DIONYSIUM, testantur Barsalibæus in Catalogo, Diptycha Jacobitica (quæ tamen illum appellant *Theodosium)* Tractatus de Fide patrum, in quo, teste Assemano hic, exstant epistolæ D
synodicæ, una Dionysii Antiocheni ad Sanitium, sive Senuthium Alexandrinum, et binæ Sanitii ad Dionysium anno Martyrum DCCLI, et DCCLII, Christi MXXXV et MXXXVI, scriptæ; quibus Joannis Antiocheni ad Christodulum Alexandrinum, Sanitii patriarchæ sexagesimi quinti successorem, synodicæ subjunguntur; *quod palam facit,* inquit Assemanus, *Dionysium Joanni præcessisse.* His consonat Bar-hebræus, qui Dionysium, quem et Haje appellat, ex archimandrita ordinatum esse patriarcham narrat ab Abraham, Callisuræ episcopo, anno Græcorum MCCCXLV, Christi MXXXIII post autumnum, vel ante autumnum annis Christi MXXXIV; vixisse autem in patriarchatu annos X, ordinatisque episcopis XXXVI, obiisse Amidæ, ubi juxta monitum decessoris extra imperatorum Græcorum ditionem fixerat sedem. De hoc Dionysio IV inter scriptores tractat Assemanus in hoc tomo supra cap. XXIX; licet eum ibi Dionysium quintum appellet, re tum nondum satis examinata.

E

XXXV. JOANNES IX.

Sedit ab A. C. 1049 usque ad 1058.

635 JOANNES, *qui et* THEODORUS, ut est in epitome Bar-hebræi, *Joannis Abdon ex fratre, vel, ut in serie Barsalibæi et in Vita Christoduli Alexandrini legitur, ex sorore nepos, ex monacho cœnobii Bar-Gaghi in monte Melitinæ, in patriarcham invitus eligitur mense Augusto, anno Græcorum* MCCCLX *(Christi* MXLIX) *postquam sedes annos* V *vacua fuisset. Elias Zeugmæ episcopus manum ei imposuit in synodo episcoporum Amidæ. Sedit annos* VIII, *menses* X. *Ordinavit episcopos* XXX. *Deposuit non nullos episcopos, quod tempore sedis vacantis ecclesias mutare ausi fuissent. Synodicæ ejus ad Christodulum, patriarcham Alexandrinum, habentur in Tractatu de Fide patrum.* Hic est Joannes, de quo agit Assemanus hoc tomo II, cap. XXX; quamquam ibi dicta ad Bar-hebræi compendium exigenda sunt. De eodem legi etiam meretur Renaudotius in patriarchis Alexandrinis pag. 407, 428, 430. In Diptychis appellatur Joannes Bar-Abdon. F

XXXVI. ATHANASIUS VI.

Sedit ab A. C. 1058 usque ad 1064.

636 ATHANASIUS, *qui et* HAJE Barsalibæo simul et Bar-hebræo, at in Diptychis *Theodosius,* ex episcopo Arsamosatæ monachus, *post obitum Joannis in patriarcham ab Occidentalibus episcopis electus fuit anno Græcorum* MCCCLXIX (Christi MLVIII) *in cœnobio Phares, regionis Hesen-Mansur.* Contra Orientales, quod non probarent patriarcham, qui episcopus antea fuisset, Josue Bar-Susan, Joannis IX syncellum, qui et Joannis nomen assumpsit, Amidæ ordinarunt. Sed hic lites prospiciens graviores, relicta dignitate, litteris se totum dedidit. *Athanasius, postquam annos* V *cum dimidio sedisset . . . a Græcis comprehensus una cum Ignatio,* suo ex sorore nepote, quem episcopum Melitinæ ordinaverat, *in cœnobium Eudoxii, quod supra Melitinam est, detrusus fuit: ubi quinto post mense, quum Byzantium traheretur, in urbe Arca obiit.*

XXXVII. JOANNES

A

XXXVII. JOANNES X.

Sedit ab A. C. [illegible] usque ad [illegible]

637 JOANNES Bar-Susan, uti narrat Bar-hebræus, *post Athanasii obitum, ab episcopis, qui in cœnobio Mar-Ab-Hai ad Euphratis ripas convenerant, patriarchalem dignitatem, quam pridem abjecerat, suscipere coactus, in eodem cœnobio quatuor supra viginti canones de disciplina ecclesiastica condidit.... Quum annos* IX *sedisset, episcopis* XVII *ordinatis, decessit Amidæ anno Cræcorum* MCCCLXXXIV (Christi MLXXIII.) Nomen ejus et Jacobitarum Diptycha servant et Catalogus Barsalibæi. Quod spectat ad ejus tempora hic definita, ea visa sunt Assemano tam accurate notata hoc loco, ut secundum illa mutari jubeat, quæ alibi dixerat ab his diversa. *Epistolis,* inquit hic in epitome Bar-hebræus, *et suavium adhortationum libellis totum terrarum orbem implevit.* Scripta ejus non nulla recenset Bibliotheca Orient. hoc tomo, cap. XXVII, et alibi in indice codicum. Sub eo etiam et Christodulo Ale-
B xandrino agitata est Syros inter et Coptos controversia de sale et oleo, quæ Syri Jacobitæ pani Eucharistico admiscebant, ut locis hic citatis invenies.

XXXVIII BASILIUS II.

Sedit ab A. C. 1074 usque ad 1075.

638 BASILIUS, hoc ordine Diptychis et Catalogo Barsalibæi notus, *ex monacho et œconomi cœnobii Barsumæ, ab episcopis sorte electus, ab Athanasio, Edessæ episcopo, mense Januario, anno Græcorum* MCCCLXXXV (Christi MLXXIV) *in Hesen-Mansur invitus ordinatur, quum sibi barbam, vitandæ ejus dignitatis causa, abrasisset. Sedit annum unum cum dimidio. Obiit Maipheractæ.* Hæc Bar-hebræus. Annum itidem unum dumtaxat et menses sex ipsi tribuunt Ægyptii apud Renaudotium pag. 445, et *hac de causa,* inquiunt, *cum synodicam epistolam ad Alexandrinos non misisset, nomen ejus in Diptychis ad altare commemoratum non fuit; sed ex consuetudine facta memoria decessoris ipsius.* Obiit ergo mense Julio circiter
C anni Christi MLXXV.

XXXIX. JOANNES XI.

Intrusus post mortem Basilii [illegible] sub 4 patriarchis.

639 Erat hic, juxta nostram epitomen, ex familia Joannis VIII, sive Abdonis, de quo supra; unde et cognomen habuit ABDON; et archimandrita cœnobii Beth Gaghæi, quando nomen ejus una cum nomine Basilii, quem modo secundum dedimus, in schedula scriptum fuit, ut, episcopis dissentientibus, de utrovis eligendo sors decideret. Atque ita Basilio patriarchatus obtigit quidem, qui JOANNEM subinde Symnadæ metropolitam constituit: at mortuo Basilio, ope Symeonis Chisumensis et Athanasii Samosateni episcoporum, qui ejus nomen, cum ante Basilium extractum esset, a præside synodi occultatum fuisse dictitabant, in patriarcham proclamatus, Philartum, militiæ Armenorum præfectum, muneribus induxit, ut reliquos episcopos ad manum sibi imponendam compelleret. Episcopi post Abdonis ordinationem, collatis Philarto unusquisque centum denariis, obtinuere, ut libertatem sibi quemcumque alium vellent eligendi in patriarcham concederet. Vixit autem Abdon sub IV patriarchis usque ad tempora Athanasii Abulpharagii. Omittitur in Diptychis, tamquam illegitimus; at in serie cum reliquis a Barsalibæo ac Bar-hebræo collocatur.

APPENDIX SÆCULI X XI

XL. DIONYSIUS V.

Ordinatus A. C. 1077, sedit anno uno et mensibus 9.

640 DIONYSIUS, *qui et Lazarus, archimandrita cœnobii Barsumæ, postquam episcopi ex Philarti potestate evasissent, in eodem Barsumæ monasterio anno Græcorum* MCCCLXXXVIII (Christi MLXXVII) *feria sexta ante festum Palmarum a Joanne maphriano Tagriti in patriarcham consecratus est. Obiit in Hesen-Mansur mense Decembri, postquam annum unum sedisset. Sepultus in ecclesia sancti Theodori.* Hæc Bar-hebræus. Scripsit synodicam ad Christodulum Alexandrinum, ut est apud Renaudotium pag. 451; sed cum Thomas, sacerdos Syrus, qui epistolam afferebat, mortuum jam Christo- E dulum reperisset (obierat enim mense Decembri anni Christi MLXXVII,) Cyrillo LXVII patriarchæ Alexandrino reddita est, substituto ejus nomine; idque anno Christi, ut ibidem dicitur, MLXXIX: ex quo consequens esse videtur, ut Dionysius noster non obierit saltem ante annum Christi MLXXVIII exeuntem; alioqui de morte ejus aliquid rescire interea Thomas potuisset. Dionysium hunc referunt etiam Diptycha cum Barsalibæo.

XLI. JOANNES XII.

Sedit ab A. C. 1086 usque ad 1088.

641 JOANNES *anachoreta in regione Carsenæ post Dionysii obitum, cum Joannes Abdon sedem per annos septem invasisset, convenientibus in ecclesia S. Georgii Melitinæ episcopis, qui Abdonem velut hæreticum damnaverant, in patriarcham electus fuit anno Græcorum* MCCCXCVII (Christi MLXXXVI) *Ignatio, ejusdem Melitinæ episcopo, manum ei imponente. Obiit anno* MCCCXCIX (Christi circiter MLXXXVIII) *postquam annum unum cum dimidio sedisset.* Ha- F ctenus Bar-hebræi synopsis. Notus etiam est in Barsalibæi Catalogo; in Diptychis non item.

XLII. DIONYSIUS VI.

Intrusus per annos 6; tum electus, post annum et 7 menses obiit A. C. 1090, vel paulo ante.

642 MARCUS *archimandrita cœnobii Bared, Ioanne defuncto, cum sedem Ioannes Abdon iterum invasisset, et quatuor insuper episcopos ordinasset, oblatis Philarto, Armenorum militiæ præfecto ter mille denariis, duos episcopos ad consecrandum se in patriarcham compulit,* DIONYSII *nomine assumpto. Maphrianus Ioannes ceterique episcopi, coacta synodo, utrumque damnarunt: Abdonem scilicet et Dionysium. Atque ita per sex annos schisma duravit. Tum vero episcopi iterum congregati, ex duobus malis minus elegere, Abdone rejecto, Dionysium recipientes.... Dionysius vero cum annum unum et menses septem sedisset, obiit anno Græcorum* MCCCCI (Christi MXC ineunte, vel circa finem præcedentis, ut colliges ex electione Athanasii,) *sepultus in cœnobio Zarnuchæ ditionis Melitinæ.* Ita Bar-hebræus.

APPENDIX SÆCULUM XI.

brævus. Barsalibæo Marcus est; at ignotus Diptychis Jacobiticis. Ceterum fateor, me chronologiam hanc non satis assequi: nam si primum Joanne defuncto, hoc est, anno Christi MLXXXVIII, patriarchatum invasit Dionysius, et tamquam schismaticus tenuit *per sex annos*, tum ut legitimus patriarcha *annum unum et menses septem*: quo pacto obiisse potest anno Christi MXC? Vel ergo citius schisma fecit, vel non diu continuavit.

XLIII. ATHANASIUS VII.

Sedit ab A. C. 1090 usque ad 1129.

643 Longiusculum hic est Bar-Hebræi compendium, ex quo ad chronologiam nostram hæc paucula contraxisse sufficerit: ATHANASIUS, *qui et* ABULPHARAGIUS *Bar-Chamore, patria Amidensis, Melitinæ educatus, monasticam vitam in cœnobio Barsumæ professus, cum Ioannes Abdon post Dionysii mortem patriarchatum iterum usurpasset, congregatis in castro Karamis regionis Melitinæ episcopis, per sortem electus, vix post menses novem adduci potuit, ut* B *consecrari se in patriarcham pateretur. Gabriëlis itaque, Græci Melitinæ præfecti, opera in ecclesiam Cursoris vi adductus, a Timotheo, Tel-Patriciæ episcopo, ordinatus fuit die Dominico, Kalendis Decembris anno Græcorum* MCCCCII (Christi MXC :) *sed mox ejusdem Gabriëlis jussu, quod summam pecuniæ, cui is inhiabat, nequaquam solvisset, in prostibulum conjectus, Iacobitis quater centum aureos pro ipso pendentibus, dimissus, in cœnobium Barsumæ se recepit.* Deinde, *ut Abdonis insidias evitaret, Bagdadum petens, diploma.. ab Abugiafaro Chalipha obtinuit. Paulo post... moritur Abdon in Hesen-Mansur*, et pœnitens, et post mortem ab Athanasio absolutus. *Denique Dominico Pentecostes die, quum liturgiam in præfato Barsumæ cœnobio inchoasset, ubi ad invocationem Spiritus sancti pervenit, deliquium animi passus, episcopo Cargaræ sacrum perficiente, domum deportatus est. Sabbato, die* VIII *Iunii, anno Græcorum* MCCCCXL (Christi MCXXIX) *hora tertia decessit, postquam annos* XXXVIII *sedisset.* Diptychis additus est et Catalogo Barsalibæi.

C

SÆCULUM XII.

Patriarchæ Antiochenses Latini.

I. BERNARDUS.

Bernardus Joanni IV suffectus A. C. 1100.

BERNARDUS Latinorum Antiochiæ patriarcha primus *vir evoluto* post expugnatam illam urbem *biennio*, hoc est, anno Christi MC circiter medio, ut num. 623 docuimus, cedenti ultro Joanni IV successit: *Post cujus discessum*, inquit ibidem Tyrius, *convenientes ejusdem civitatis clerus et populus, Artasiensem episcopum* (Arthasium videtur oppidum regionis Antiochenæ, ut est apud Fulcherium Carnotensem in Gestis peregrin. Franc. cap. XLV) *Bernhardum nomine, natione Valentinum* (sive Valentinatem, Francum, ut explicat Pagius ad annum Christi MXCVIII num. 8,) *qui in eadem expeditione D. Podiensem* D *episcopum* (Ademarum) *secutus, fuerat Capellanus ejus, sibi præfecerunt patriarcham.* Et quamquam subinde Boamundus inter alias pacis cum Alexio Comneno initæ mense Septembri Indictione II, ineunte anno Mundi juxta Græcos MMMMMMDCXVII, Christi MCVIII, conditiones hanc statuerit: *Promitto etiam, et jurans testor* etc., *non futurum Antiochiæ patriarcham ex nostro genere; sed eum, quem vestra Majestas in eam dignitatem promoverit, delectum e numero alumnorum magnæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ*, etc., uti tradit Anna Comnena, Alexiados lib. XIII, sub finem; nihil tamen hac parte immutatum fuit in patriarchatu Antiocheno.

645 Siquidem illum Bernardus quoad vixit, obtinuit, teste Guilielmo Tyrio lib. XIV, cap. X, ubi sic habet: *Bernhardus bonæ memoriæ, vir grandævus plurimum, simplex ac timens Deum, primus Latinorum apud Antiochiam patriarcha, tricesimo sexto sui pontificatus anno* (adeoque Christi MCXXXV aut MCXXXVI) *viam universæ carnis ingressus est.* Ut vel inde pateat, ejusce pacti pleraque capita nusquam fuisse executioni mandata. Certe quod jam retulimus, nec modo, neque posterius, quando illud iterum Manuel, Alexii ex filio nepos, a Renaldo Antiocheno principe, ut narrat Cinnamus lib. IV, § XVIII et XX, extorsit, servatum est; ut vide apud Cangium in locum Alexiados assignatum. Ibidem invenies, juxta Tabularium Manoscense seu Manuescanum in Provincia, potitum tantum fuisse patriarchica dignitate Bernardum usque ad annum Christi MCXXXIV, qui fuerit XXXV promotionis ejusdem. Tyrium tamen ego sequi malui, ut cujus mihi notior esset auctoritas; quamquam diffiteri non possim, quin ejus chronologia aliquando non parum exerret; puta in obitu et imperii tempore Joannis Comneni, lib. XV, cap. XIII; initio Pontificatus Eugenii III, lib. XVI, cap. III etc. Quid tandem etiam Bernardo nostro cum summis Pontificibus Paschali II et Honorio II negotii fuerit, legi potest apud eumdem Tyrium lib. XI, cap. XXVIII et lib. XIII, cap. XXIII.

Sedit, non obstante pacto Boamundi, usque ad A. C. 1135 vel 1136.

E

II. RADULPHUS I.

F

Bernardi defuncti sedem occ. A. C. 1135 aut sequenti.

Post obitum Bernardi (ut narrat Tyrius lib. XIV, cap. X) hoc est, anno Christi MCXXXV aut sequenti, *cum universi illius amplissimæ sedis suffraganei, tam archiepiscopi, quam episcopi de more convenissent, ut ecclesiæ, pastoris destitutæ solatio, utiliter providerent, et super eo ipso tam salubri negotio in palatio patriarchali, diligentiores, mutuo (sicut in talibus fieri solet) haberentur tractatus, Radulphus quidam Mamistanus archiepiscopus* (est Mamista sive Mamistra, olim Castaballa, urbs Ciliciæ, vide Schelstratium in App. ad opus Geograph. tom. II Antiq. Eccl. pag. 782, imo Tyrium ipsum lib. XIV, cap. XXIV) *de castro Damfrunt oriundus, quod in confinio Normanniæ et Cenomanensis diœceseos situm est, vir militaris, magnificus, et liberalis plurimum, plebi et equestri admodum acceptus ordini, absque fratrum et coëpiscoporum conscientia, solo populi, ut dicitur, suffragio electus est, et in cathedram principis Apostolorum inthronizatus. Quod audientes, qui ad hoc, ut sibi patriarcham, auctore Domino, præficerent, convenerant,*

A *nerant, timentes furentis et vociferantis populi indiscretos impetus, divisi sunt ab invicem, ei, quem non elegerant, obedientiam exhibere recusantes.*

... e invasit Radulphus;

647 *Ille tamen nihilominus ecclesiam et palatium occupans, statim sine mora pallium de altari beati Petri, nulla ad Ecclesiam Romanam habita reverentia, sibi assumpsit. Processu quoque temporis nonnullos de suffraganeis ecclesiæ in suam attraxit communionem. Et, ut multorum relatione cognovimus, si canonicorum ecclesiæ pacem amplexus fuisset, nec eorum turbare possessiones spiritu superbiæ ductus præsumpsisset, potuisset tranquillo statu vitam ibi transegisse. Sed .... peccatis suis exigentibus, præ multitudine divitiarum ita factus est insolens et neminem præ se ducens hominem, ut potius Antiochi, quam Petri vel Ignatii, successorem se exhiberet.* Hæc Tyrius, et plura ibidem, quibus ostendat, quam sacrilega feritate usurpator hic subditorum in sese universorum odia provocaverit, quæ legisse sufficiet ad pernoscendam indignissimi Præsulis B indolem ac mores barbaros.

seu ob superbiam omnibus intolerabilis,

648 Cum vero dissimulatus diu Cleri Antiocheni dolor magis in dies magisque se proderet, atque in apertam tandem erumperet insectationem; Radulphus, qui cedere nosset nemini, modum invenit, quo molitiones ejus omnes potentia frangeret. Halim igitur primum, Boamundi viduam, spe contrahendi cum Raymundo, comitis Pictaviensis filio, conjugii insigniter ac subdole circumventam, suis tantisper partibus addixit; donec veras ipse interea Raymundi cum Constantia, delusæ matris filia, nuptias ea lege conficeret, ut ante sibi a Raymundo juramentum fidelitatis præstaretur, quam hæc ei sponsa cum Antiochiæ principatu posset obtingere. Ita prorsus obnoxium sibi principem nactus *de elato*, inquit Tyrus, *factus est elatior :* ut jam nihil esset, cui non parem se facile aut superiorem reputaret; ne ipsa quidem, cui jam dudum in ecclesiæ Tyrensis diuturno negotio (de quo vide Tyrium lib. XIV, a cap. XII) obedire detractaverat, Romana atque Catholica Sedes : Antiochenam quippe Romana nihilo inferiorem ducebat, quod utraque sedes esset Petri, et Antiochena quidem pri- C mogenita.

etiam amicis,

649 Sed brevi post ipsi etiam Raymundo intolerabilis visa est hominis impotentis superbia; itaque jurisjurandi immemor adversariis ejus operam suam omnem atque industriam impense cœpit adjungere; ut vel invitum denique Præsulem cum iis Romam adire compelleret, ibi pro se causam dicturum; cumque inde, re satis feliciter gesta, seu potius (dum super ea legatus Roma destinaretur in Syriam) suspensa, reversus esset, etiam Antiochiæ ipsum ingressu interdiceret; quem illi tamen deinde, simulata pace, concessit. Legati interea Romani, Petri, archiepiscopi Lugdunensis, ad Aconem sive Ptolemaïdem navis appellitur, omnem tum principis tum cleri Antiocheni, Radulphum aversantis, spem secum advehens. Sed eam brevi præmatura mors Petri intervertit : is enim cum prius voti causa Hierosolymam invisisset, atque inde viam relegens Antiochiam cogitaret, vix Ptolemaïdem usque redierat, cum ibi seu morbo subitaneo, seu veneno, ut creditum est, infectus repente extinguitur. Perculit mirifice Radulphi adversarios tam desperata rerum conversio. Continuo igitur animis omnes cadere; patriarchæ implorare clementiam, atque ei se totos dedere.

SÆCULUM XII.

depositus est

650 *Arnulphus vero*, ait Tyrius lib. XV, cap. XV, (ut fuerat Præsuli suo præ ceteris infensus) *nihil humanitatis inveniens, Principis iterum fretus auxilio, solita longanimitate iterum ad labores et iter accingitur : Romamque denuo proficiscens, iterum opportune et importune pulsat; tandemque precibus proterve insistens, oblinet, ut prædictus legatus* (Albericus episcopus Ostiensis, ut cap. XI dictum erat) *in Syriam dirigatur. Qui Hierosolymam, ut præmisimus* (ibidem) *adveniens, completis orationibus, dominum patriarcham* (Hierosolymitanum) *et universos regni pontifices ad synodum convocans apud Antiochiam prid. Kal. Decemb. illuc cum omni celeritate contendit,* Hæc eo deduxi ex Tyrio longiuscule, ut perspicue quivis videat, synodum hanc Antiochenam non esse coactam eodem anno, quo in patriarchatum involaverat Radulphus, hoc est, Christi MCXXXVI, ad quem illam refert qui Labbeum corrigere voluit in App. ad tom. X Concil. col. 1824. E

A. C. 1142 ineunte.

651 Enimvero non unius erant hæc omnia, sed plurium annorum negotia, quibus hæc synodus tertio, postquam convenerat, die finem imposuit; imo ipse potius legatus, qui *Videns .... quod ad se venire nolebat patriarcha* (licet tertio citatus, ut objecta in synodo sibi crimina dilueret) *de domini principis confisus patrocinio et viribus, in palatium ascendit* (ubi cum magna suorum turba Radulphus sese continebat) *ibique data in eum depositionis sententia, annulum et crucem compulit violenter resignare :* lege Tyrium lib. XV, cap. XVI et XVII. Contigisse ego hæc arbitror anno Christi circiter MCXLII ineunte; quandoquidem Tyrius, ibidem cap. XIX, asserat, *Per idem tempus* Joannem imperatorem Constantinopolitanum iter versus Antiochenas direxisse partes, quo cum exercitu pervenit mense Septembri anni illius, qui mortem ejus proxime antecessit, hoc est, Christi MCXLII : obiit enim in illa expeditione non anno ab Incarnatione Domini MCXXXVIII, sed MCXLIII, ut contra Tyrium lib. XV, cap. XXIII, docent Baronius, Labbeus, Pagius aliique. Eumdem annum de- F positionis hujus elicies ex iis, quæ de Aymerici electione dicentur a num. 654. Sedem igitur Antiochenam tenuit Radulphus toto circiter sexennio.

et in custodiam datus, ex qua elapsus Romam adiit, ibique mortuus est,

652 Hoc ictus fulmine superbus patriarcha, jubente legato, principi Raymundo traditur, qui vinctum illum raptari ignominiose jussit in monasterium sancti Symeonis, ubi diu quidem detentus fuit; at catenis tandem eluctatus Romam evolavit. *Ibi aliquatenus gratiam Sedis Apostolicæ,* teste Tyrio lib. XV, cap. XVII, *assecutus, dum redire maturaret, veneno hausto, sceleris ministro porrigente, nescimus quo, miserabiliter interiit.*

Brevis Radulphi descriptio.

653 *Fuit autem idem dominus Radulphus (nam nos ipsi in nostra pueritia vidimus eum* (inquit idem auctor paulo altius) *vir specie decorus, procerus corpore, oculis aliquantulum obliquis, non tamen ad indecentem modum : litteratus mediocriter, sed facundus plurimum, et jucundissimi sermonis, multam habens gratiam, liberalis admodum, militarium virorum, sed et secundæ classis favorem non modicum assecutus, promissorum*

SAECULUM XII.

rum et pactorum facile immemor : in verbo suo varius et inconstans, subdolus ac nimium in omni via sua multiplex, providus et discretus ; in eo solo repertus imprudentior, quod adversarios, quos sibi merito suscitaverat, in gratiam suam redire volentes, non admiserat. Hactenus Tyrius, quibus adde illegitimam patriarchatus invasionem, incontinentiam, atque opera ejus Simoniaca, de quibus in Antiochena synodo absens postulatus est.

III. AYMERICUS.

Electus est adulto jam A. C. 1142.

Clerus *Antiochenus*, inquit Wilhelmus Tyrius lib. XV, cap. XVIII, *et maxime qui in depositione Domini Radulphi conspiraverant, instinctu et suggestione principis, et maxime (ut dicitur) interventu numerum, elegerunt sibi quemdam ejusdem ecclesiæ subdiaconum*, HAYMERICUM (alias Aymericum et Americum apud eumdem auctorem) *nomine, Lemovicensem, hominem absque litteris, non satis honeste : quem prædictus dominus Radulphus, arbitrans eum sibi*
B *reddere obligatiorem et fideliorem amplius, in Decanum ejusdem ecclesiæ promoverat, spe frustratus. Nam ab ea die cum ejus adversariis dicitur convenisse, et in benefactoris sui, fidelitatis immemor, conspirasse depositionem.* Narrat hæc Tyrius non statim post exauctoratum Radulphum, sed post dedicatum ab eodem legato Romano una cum patriarcha templum Hierosolymitanum, tertia post sanctum Pascha die, convocatumque inibi ab eodem postea concilium. Electus ergo videtur Aymericus adulto jam anno Christi MCXLII ; ita ut anno Christi MCLXII, *duodecimo Cal. Martii*, quando Balduino in regnum Hierosolymitanum successit Amalricus *die octava post fratris obitum*, ut refert Tyrius lib. XIX, cap. I, adhuc flueret *annus Pontificatus Americi* Antiocheni *vigesimus*, ut ibidem notatur.

ut probatur.

655 Anno, inquam, Christi MCLXII : nam, licet loco citato Amalricum Balduino suffectum esse dicat Tyrius *anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo tertio* : hoc tamen mendum est evidens, cum inauguratum eum esse asserat *Die octava post*
C *fratris obitum* ; fratrem autem obiisse dixerat cap. præcedenti, *anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo secundo, regni ejus anno vigesimo, quarto Idus Februarii.* Vide Pagium in Crit. Baron. ad annum Christi MCLXIII, num. 8. Ad eumdem hujus electionis annum facit, quod annus Balduini vigesimus item Tyrio sit vigesimus Aymerici ; cum ergo Balduini initium, lib. XVI, cap. III, statuat *Dominici Natalis die, anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo quadragesimo secundo, præsidente.. ecclesiæ.. Antiochenæ domino Aimerico* ; necesse est, ut ab eodem anno minus tamen provecto, repetat initium patriarchatus Aymerici.

Scripsit vero ad Angliæ regem mense Septembri A. C. 1187.

656 Ecclesiam Antiochenam hic Præsul ad ætatem usque decrepitam gubernavit ; supervixit enim fatali illi, quam quarto die mensis Julii, anno Incarnati Verbi MCLXXXVII, in Syria Saladinus edidit, Christianorum stragi, usque ad obsessam eodem anno, medio circiter Septembri, Hierosolymam ; ut constat ex ipsiusmet de hoc argumento ad Henricum II, Angliæ regem, epistola, data ante factam post dies XIV, ex quo oppugnari cœperat, Saladino Urbis Sanctæ deditionem. D Legesis epistolam illam apud Rogerum Hovedenum in Henrico II versus finem ; unde eam descripsit Baronius ad annum jam dictum, num. 5, hoc tamen discrimine, quod nomen Aymerici in fronte epistolæ Baronius totum exprimat ; Rogerus vero solam nominis litteram initialem A, cum hisce adjunctis, quibus dignitatem suam significat, *Dei gratia sanctæ et apostolicæ sedis Antiochiæ patriarcha.* Dubium vero esse non potest, quin Aymericum nostrum illud A designet ; tum quod neque Tyrius, qui Historiam suam deduxit usque ad annum Christi MCLXXXIV, eumque lib. XXII, cap. VIII, adhuc viventem exhibet anno Christi MCLXXXII, quando apud illum Maronitæ quidam cum suo patriarcha Ecclesiæ catholicæ fidem et communionem amplexi sunt ; de ejus obitu meminerit uspiam ; neque ante annum Christi MCLXXXVII auctor ullus alius ; tum vero etiam, quod nullus inter Antiochenos patriarchas annis post Aymericum L et amplius reperiatur, qui ab A nominis initium duxerit. Vivebat ergo etiamnum Aymericus mense Septembri anno Christi MCLXXXVII. E

657 Ceterum eo ipso anno diem clausit extremum, si Onuphrio Panvinio, Genebrardo, ceterisque passim recentioribus chronologis credimus. Favet iis certe, quod in epistola jam citata se ipse asserat *Diutino languori succumbere*, quem sane desperatissimus illorum temporum status relevari nulla ratione patiebatur ; favet insuper ætas illa, qua tum fuit Aymericus plane extrema, et malis morbisque continuis exhausta : jam tum enim grandævus erat anno Christi MCLIV, quando infensus ei Raynaldus, princeps Antiochenus, *violentas injecit manus, et ausu diabolico captum, in castellum, quod civitati antiochenæ supereminet, ignominiose deduci fecit, .. et Sacerdotem longævum*, (verba sunt Tyrii lib. XVIII, cap. I) *Petri Apostolorum principis successorem, virum ægrotativum, perpetuo infirmantem, nudo capite, et melle delibuto per diem æstivum in sole ferventissimo compulit sedere, nemine contra solis importunitatem præbente remedium, vel gratia pietatis muscas abigente.* Quod supplicium multo F crudelius describit Cinnamus lib. IV, § XVIII, ubi et aliam ejus causam assignat.

quo anno dicitur obiisse.

malis plurimis toleratis

658 Inde porro Balduini regis ope liberatus, relicta Antiochia in regnum Hierosolymitanum per annos aliquot concessit. Hanc persecutionem sub annum Christi MCLXXX secuta est alia haud multo mollior a Boamundo, quem Aymericus ob superinductam uxori legitimæ pellicem ab Ecclesiæ communione proscripserat ; de qua re vide Tyrium lib. XXII, cap. VII. Itaque mirandum magis est, Præsulem hunc tot inter mala annum usque MCLXXXVII potuisse vitam protrahere, quam non vixisse diutius. Fateor interea, non reperisse me quidquam, unde huic sententiæ firmamentum aliud afferam : conjuratos enim dicas illorum temporum historicos et chronologos Guillielmo Tyrio juniores, ne quid fere de patriarchis Antiochenis ad posteros transmitterent ; adeo in hac re muti sunt ac negligentes, cum cetera narrent omnia.

IV. RADULPHUS

A

IV. RADULPHUS II.

... si patriarcha fuit, non sedit ultra annum Christi 1201

659 RADULPHUM II Panvinius, Genebrardus, ceterique fere neoterici, imo et Catalogus Arabicus V. C. Assemani, Aymerico in patriarchatu Latinorum Antiocheno subjungunt. Atque eatenus quidem, quo eos redarguam, nihil habeo. Hoc vero errasse tum illos fere omnes, tum illorum sequaces absque hæsitatione pronuntio, quod Radulphum hunc per annos XXXIII ecclesiam Antiochenam administrasse putaverunt; nullumque proinde ab Aymerico usque ad Raynerium, præter hunc unum, intercessisse: nam, si omnino ad hujus ecclesiæ clavum admotus umquam Radulphus hic fuerit, vix fingi certe potest ultra annos XIV, hoc est, ultra annum Christi MCCI, hoc in culmine perstitisse; id quod seculo mox sequenti palam faciam. Quia igitur hallucinatos hic insigniter fuisse Onuphrium aliosque certum est; incertum profecto est, an non etiam

B erraverint in ipsa Radulphi II successione adstruenda. Nihil porro hic loco de Blasio Terzi di Lauria, quem si legeris in Syria Sacra hoc loco lib. I, cap. XXXIII, dubitabis, opinor, an chronologiam suam satis vigil conscripserit. Quæ vero de litteris Innocentii III ad Radulphum II narrat, eam multo magis pessumdant. Itaque cum auctor ille sua dicta nuspiam probet; odiosus sim, si tam crassos anachronismos verbo uno confutem.

APPENDIX

AD SÆCULUM XII.

PATRIARCHÆ ANTIOCHENI

JACOBITÆ.

C

XLIV. JOANNES XIII.

Sedit ab A. C. 1130 mense februario usque ad 1137

660 JOANNES, inquit Bar-hebræi contractor, *qui et* MAUDIANA, *archimandrita cœnobii Duair ditionis Antiochiæ, in synodo episcoporum, qui Chisumæ congregati fuerant, per sortem electus, in Telbaser opera Goselini, Edessæ comitis, a Dionysio maphriano .... ordinatus est in ecclesia Francorum die* XVII *Februarii, anno Græcorum* MCCCCXL (Christi MCXXIX). Hic error est in litteris arithmeticis: neque enim Joannem credibile est electum fuisse, superstite Athanasio Abulpharagio, qui obiit, ut ante ex Bar-Hebræo diximus, eodem anno Græcorum MCCCCXL die VIII Junii, hoc est, mensibus fere quatuor post ordinationem Joannis. Putem itaque scribendum esse annum MCCCCXLI (Christi MCXXX) quo creatus sit patriarcha Joannes; *Obiit Joannes patriarcha*, ut ibidem post alia dicitur, *in cœnobio Duair, postquam annos octo sedisse et episcopos duodecim creasset.* Imo minus quam annos octo sedit, si vera sunt, quæ mox de successoris ordinatione sequuntur. Nomen ejus est in Diptychis et Catalogo Barsalibæi.

Julii Tomus IV.

XLV. ATHANASIUS VIII.

661 ATHANASIUS, *qui et Josue Barchetre, post annum unum et menses tres ab obitu Joannis ... per sortem electus, ... in urbe Amida a Dionysio maphriano, præsentibus duodecim episcopis, patriacha ordinatus est die Dominico,* IV *Decembris, in festo sanctæ Barbaræ anno Græcorum* MCCCCL (Christi MCXXXVIII). Hinc patet, non posse annos octo, saltem integros, tribui Joanni XIII; siquidem ordinatus est die XVII Fabruarii, anni, ut ostendimus, Christi MCXXX: sic enim octavus annus compleretur mense Februario anni Christi MCXXXVIII; unde usque ad proximum Decembrem ne menses quidem sunt X; cum ex dictis ab obitu Joannis usque ad ordinationem Athanasii fluxerint menses XV. *Obiit autem* (Bar hebræi contracti verba prosequor, prætermissis aliis, quæ ad chronologiam meam non faciunt) *mense Julio anno Græcorum* MCDLXXVII (Christi MCLXVI) *posquam annos* XXVII, *cum mensibus* VII *sedisset, in Thesauro ecclesiæ in sepulcro trium Athanasiorum sepultus;* et in Diptycha et Barsalibæi Catalogum subinde relatus. Ceterum videtur vel anno uno minus vixisse; vel ante Julium obiisse; ut sequenti numero elucescet. E

Sedit ab A. C. 1138 usque ad 1166.

XLVI. MICHAEL I, sive MAGNUS.

Sedit ab A. C. 1166.

LONGA est hujus in epitome Bar-hebræi historia; ego initium tantum inde patriarchatus ejus ac finem decerpam: MICHAEL MAGNUS, *Eliæ presbyteri Melitinensis filius, ex familia Kandisia, archimandrita cœnobii Barsumæ, congregatis in cœnobio Pheschinensi ditionis Gargar episcopis, per sortem Dominico Pentecostes die electus, in cœnobio deinde Barsumæ anno Græcorum* MCDLXXVIII, *feria tertia, die* XVIII *Octobris in patriarcham consecratus est.* Characteres hi annum Christi designant MCLXVI, a cujus Octobri mense inchoatur annus Græcorum MCDLXXVIII; et convenit feria tertia incidens in diem XVIII ejusdem mensis; cum littera Dominicalis tum fuerit B. Est tamen hic iterum, quod emendatum velis: nam cum electus dicatur Michaël *Dominico Pentecostes die*, utique Octobrem, quo consecratus est, antecedente; electus ante fuerit Michael, quam vivere desierit Athanasius: Pentecoste enim anno illo incidit in diem XII Junii, Athanasii vero obitus in mensem ejusdem anni Julium. Hæc ego qua ratione corrigam, nescio; nisi anno uno citius Athanasii patriarchatui finem imponam; vel certe annum quidem obitus servem, (quando eodem anno obiisse testatur ibidem Bar-hebræus Joannem LXXII Jacobitarum patriarcham Alexandrinum; quem nos alibi mortuum demonstravimus anno Christi MCLXVI); sed mensem Julium pro alio aliquo præcedenti positum esse dixero. F

663 *Anno* (Græcorum) MDXI (Christi MCXCIX) *die* VII *Novembris, nocte feriæ secundæ, anno ætatis* LXXIII *obiit Michael patriarcha, cum annos* XXXIII *sedisset, creatis maphriano* s *Tagriti,*

usque ad A. C. 1199, mensem Novembrem.

APPENDIX SÆCULUM XII.

Tagriti, et episcopis LIV, et schisma sustinuisset Theodori Bar-Vchebun antipatriarchæ ab anno Christi MCLXXX usque ad MCXCIII, de quo videri potest Assemanus tum hic, tum cap. XXXIV hujus tomi. *Corpus ejus sepultum fuit in ecclesia nova,* a se ædificata, *cœnobii Barsumæ, in sepulcro, quod ipse sibi vivens exstruxerat. Fuit autem hic vir gloriosæ memoriæ,* inquit Bar-hebræus, *in sacris Scripturis eruditus, statura venerabilis, vultu decorus, clara et suavi voce, in scriptione noctu diuque assiduus: libros admirabiles in sancta Dei ecclesia* (ita Jacobiticam suam appellat) *reliquit.* Libros ejus recenset Assemanus hoc tomo, cap. XXXI. Celebratur in Diptychis et Catalogo Barsalibæi, qui hic desinit: nam cetera quæ in eo sequuntur nomina ab anonymo quodam adjecta sunt.

SÆCULUM XIII.

V. PETRUS I.

Videtur hic fuisse Aymerici successor immediatus; enectus in carcere A. C. 1208.

B Hic ille est PETRUS, cujus in epistolis Innocentii III Pontificis Romani memoria non semel recurrit, quemque appellat lib. XV, epist. 181 *Felicis memoriæ Petrum, qui propter justitiam non solum persecutionem passus est, sed et mortem;* a comite videlicet Tripolitano, qui *in Christum Domini,* inquit idem Pontifex maximus lib. X, epist. 214, *venerabilem fratrem nostrum Patriarcham Antiochenum, dominum suum, cujus est homo juratus, compater et filiolus, sacrilegas manus misit, et ipsum, imo Christum in eo, cum duobus ejus nepotibus* (Iterio, ni fallor, ejusque fratre, de quibus agitur lib. XV, epist. 181) *in gravi non metuit custodia detinere.* Quod iterum lamentatur pius Pater lib. XI, epist. 110, ubi illum scribit in carcere *tandem miserabiliter exspirasse.* Hoc autem scribebat *anno* Pontificatus *undecimo* (Christi MCCVIII) IV *Idus Julii.* In eumdem annum captivitatem hanc et mortem confert Sanutus Torsellus in Secretis fidelium Crucis lib. III, parte 11, cap. III his verbis: *Eodem anno civitas Antiochena, ad* C *inductionem Patriarchæ, principi* (Antiochenæ et comiti Tripolitano Raymundo) *rebellavit, et expulsi per principem milites* (Armeni, ut opinor qui a Rupino, legitimo, ut contendebant, Antiocheni principatus herede stabant) *rediere. Comes vero* (Tripolitanus) *assumptis armis, de Castro descendens, communitatem, ejusque auxiliarios superans, patriarcham non dubitavit carcere includere, ibique affligendo perimere.*

a Raymundo, comite Tripolitano

665 Nimirum hæc odii comitis in Petrum causa omnis erat, quod hic Armeniæ regis ac nepotis ejus Rupini, quem nuper post præstitum sibi ligium, quod vocant, homagium, *de corporali possessione civitatis totiusque principatus Antiocheni Patriarcha sanciverat,* ut ipse ad Pontificem scribit Armeniæ rex apud Raynaldum ad annum Christi MCCV, num. 37; hæc, inquam, comiti causa fuit Patriarcham vexandi, quod hic Armeniæ regis ac Rupini adversus comitem Tripolitanum partibus studebat; quod etiam testatur Innocentius III apud Raynaldum ibidem num. 28 Cum ergo tali etiam jurejurando Petro nostro sese obstrinxerit Raymundus, ut supra ex Innocentii litteris manifestum est, haud dubium quidem est, quin illud fecerit, non post ejectionem D Rupini, quando jam Comes in patriarcham furebat; sed in primo principatus aditu, anno Christi (juxta Sanutum lib. III, parte 11, cap. I) MCCI: eratque adeo Petrus jam tum patriarcha Antiochenus. Quin imo satis suspicor, multo eum diutius Antiochensibus præfuisse, atque ipsius forsitan Aymerici successorem fuisse immediatum; quamquam nihil hic ausim temere definire. Innocentius certe III, lib. XV, epist. 181, videtur innuere, patriarcham fuisse Petrum, cum nepotum suorum redditus *ante captionem suam tempore longo perciperet:* tempus vero longum ibi biennio opponitur; adeoque annos satis multos significat; quid ni omnes usque ad Aymericum? Nam de Radulpho II vix aliter dubito, quam supra, num. 487, de Gregorio II dubitabam: quamquam diffitendum non sit, aliquando hic majorem fidem mereri Panvinium et Genebrardum, quam in Gregorio, a quo pluribus longe seculis distabant.

VI. PETRUS II.

E

Patriarchatum adiit A. C. 1208 circiter medio

Innocentius III, intellecta Petri I nece, novi continuo successoris electionem patriarchæ Hierosolymitano, Apostolicæ Sedis legato, maturandam commendat anno Pontificatus undecimo (Christi MCCVIII) die XII Julii, lib. II, epist 110. In eam curam legatus haud segniter incubuit. Convenere tandem canonicorum Antiochensium suffragia in PETRUM, *Yporiensem* (in provincia Mediolanensi) *episcopum,* cui paulo ante Innocentius metropolim Thessalonicensem obtulerat, ut est lib. XI, epist. 106. Electionem hanc summopere comprobavit Pontifex, datis ad patriarcham Hierosolymitanum litteris die V Martii, anno Pontificatus XII (Christi MCCIX) uti legere est ibidem lib. XII, epist. 8. Petrum igitur, ægre ab Italia avulsum (nam Thessalonicensem ecclesiam non admiserat) et Pallio, insigni videlicet plenitudinis pontificalis officii, de beati Petri corpore sumpto, ac laudibus prolixis a religione, F a potentia in opere et sermone, a vita, scientia, fama, rebusque præclare gestis exornatum Innocentius destinavit Antiochiam die XXVI Maii ejusdem anni, præcipiens clero ac populo Antiocheno, uti et comiti Tripolitano, ut ei debitam obedientiam et reverentiam exhibeant, etc. Vide lib. XII, epist. 38 et 39. Hujus deinceps Patriarchæ crebra fit mentio in ceteris epistolis Innocentii, nec fere sine aliquo elogio: ut facile conjicias, epistolas illas, quæ aliquanto severiores videntur, non Patriarchæ adeo, quam capituli Antiocheni, non satis forte morigeri, causa sic esse conscriptas.

Obiisse autem videtur anno Christi [illegible]

667 Sedebat vero adhuc Antiochiæ Petrus anno Pontificatus Innocentius III sexto decimo (Christi MCCXIV: nam Pontifex ille videtur annos suos numerare non ab electione sua, sed a consecratione facta die XXII Febr. anno Christi MCXCVIII, ut indicat epistola non una libri primi) IV Kal. Februarii, uti colligere licet ex lib. XVI, epist. 177; at quamdiu postea supervixerit, equidem non comperi; nisi quod anno Christi MCCXV gravi

languore

A languore detentus ad concilium Lateranense IV accedere non potuit, nisi per vicarium, teste Parisio aliisque; quodque jam obierat pridie Kal. Septembres anno Christi MCCXVII, ut ex litteris ab Honorio PP. III ad decanum et capitulum ecclesiæ Antiochenæ tum datis, colligit Spondanus in continuatione Annalium eccles. ad annum Christi MCCXIX, num. 11; quamquam id perperam referat ad obitum Radulphi secundi, ut ex dictis liquet.

VII. RAYNERIUS.

Electo subinde Pelagio Albanensi, sed recusante: designatus est Antiochenus Petrus Capuanus; cui nondum consecrato, substitutus est Raynerius A. C. 1219;

Anno eodem Christi MCCXVII, ut ex Honorii litteris docet Spondanus loco mox citato, in defuncti patriarchæ locum Antiochenses elegerant Pelagium, Cardinalem Albanensem, eumque sibi mitti petierant ab Honorio. Respondit summus Pontifex, Pelagium malle esse in Ecclesia Romana, in qua magnum locum obtinebat, et erat omnibus acceptus. Præcepitque eisdem, inquit Spondanus, ut abdicatis æmulationibus et scissuris, B successorem idoneum eligerent intra tres menses post susceptionem ipsius litterarum; vel aliquos mitterent, quorum consilio de persona idonea ab ipso Pontifice provideretur. Utrum vero RAYNERIUS, inquit, ab iis postulatus, aut a Pontifice datus fuerit, non reperimus. Reperit hoc tamen alter Baroniani operis continuator Raynaldus, citans in margine epistolas binas Honorii III, et quibus hæc asserit ad annum Christi MCCXIX num. 20: *Præfecit* (Honorius) *eodem anno Antiochenæ ecclesiæ, diu pastore suo viduatæ, Petrum Capuanum, Petri, olim S. Marcelli presbyteri Cardinalis, e fratre nepotem: verum, cooptato postea, hoc eodem anno, in amplissimum Cardinalium collegium ipso Petro Raynerium S. R. E. Vicecancellarium ei suffecit, uti Pontificis litteræ ab eodem exaratæ testantur.* Hæc Raynaldus, ex quo et fragmentum epistolæ Honorii PP. hic visum est adscribere. Sic habet:

ut constat ex litteris Honorii III

669 *Cum dilectum nostrum magistrum P.... Capuanum, quem deputaveramus ad regimen ecclesiæ memoratæ, circa nos certa de causa providerimus retinendum, eumdem in fratrum no-* C *strorum collegium assumendo, tandem ad multam instantiam dilectorum filiorum Anselmi, Ulrici et Oprandi, canonicorum ipsius ecclesiæ, qui sicut viri providi et fideles pro ea solicite ac fideliter laborarunt, illum nobis pro vestra et ecclesiæ vestræ utilitate subtraximus, per cujus industriam labores nostri relevabantur præcipue, et de cujus prudentia solatium potissimum habebamus, videlicet charissimum nobis R.... Sanctæ Rom. ecclesiæ vicecancellarium, virum scientia, vita et fama præclarum, et elegantia morum ac conversationis dulcedine gratiosum; ipsumque vestræ præficientes ecclesiæ, ac in patriarcham propriis manibus consecrantes, pallium sibi tradidimus, plenitudinis videlicet officii pontificalis insigne, ut ab Apostolica Sede, tamquam sponsus de thalamo suo ad vos in ornatu patriarchali procedat,* etc. Præcipit, ut patriarcham debito honore prosequantur, illiusque monitis obtemperent. *Dat. Viterbii* VII *Id Decemb. Pont. nostri anno* IV (Christi MCCXIX). Ex hac epistola satis eruitur, deputatum quidem fuisse ad patriarchatum Antiochenum Petrum illum Capuanum; at non fuisse consecratum, neque adeo absolute ac simpliciter patriarcham, cum eum Pontifex appellat *Magistrum P.... Capuanum.*

SÆCULUM XIII.

Sedit Raynerius usque ad A. C. 1226.

670 Annos XX in hoc munere Raynerio tribuunt cum Onuphrio Panvinio fere recentiores; quamquam illos non omnes cum Panvinio repetant ab anno Christi MCCXIX; qui quidem ducem suum et male deserunt, et male sequuntur: nam Patriarchæ hujus primordia ad annum Christi MCCXIX pertinere, evincit epistola modo citata: annos autem inde XX Antiochiæ ecclesiæ illum præfuisse nescio qua demonstrari possit auctoritate, cum nullam neque ipsi neque Panvinius afferant. Certe Raynaldus in Annalibus eccles. ad annum Christi MCCXXVI, num. 59, citans in margine Honorii PP. III epistolam 355 (libri X) sic ait: *Cum Antiochenam ecclesiam patriarcha* (utique Raynerio) *orbatam accepisset* (Honorius) *canonicis Antiochenis præcepit, ut evolventis se ab acceptis litteris mensis spatio patriarcham designarent.* Unde colligitur Raynerius ne septem quidem annos explevisse Antiochiæ; nedum viginti.

HELIAS ROBERTUS. E

VIII. ALBERTUS.

Elias Robertus non probatur fuisse patriarcha Antiochenus;

Raynerio succedens *anno Christi* MCCXXXIX HELIAS ROBERTUS *Regiensis, ex episcopo Brixiano, sextus ex Latinis Antiochenus patriarcha, sedit annos* VIII. Ita Onuphrius Panvinius in Chronico suo ecclesiastico; qui paulo inferius ad annum Christi MCCXLVII subdit: *Quis post Heliam ex Latinis patriarcha Antiochenus fuerit, incompertum.* Misera sane res est, quod nullam hic auctor, alioqui eruditus, dictis suis ab antiquiorum auctoritate fidem adstruxerit. Credidit tamen vel sic pronuntianti Genebrardus. Ego vero cur assentiri nequeam, facit primo, quod qui Raynerio successit, jam ab anno circiter Christi MCCXXVI (non MCCXXXIX) ejus locum impleverit, ut numerum superioris dictum est; deinde vero quis est Helias ille Robertus, seculo XIII ante annum MCCXXXIX episcopus Brixianus; aut, sicut Marcellus notat in Tabellis, episcopus Regiensis? Ejus certe nec inter episcopos F Regienses sive Reienses meminere Sammarthani, nec inter Brixienses Ughellus Italiæ sacræ tom. IV.

sed Albertus quidam, qui Raynerio successit A. C. circiter 1226 aut 1227,

672 Meminit hic tamen ALBERTI cujusdam, qui juxta quosdam patria Regiensis fuerit, sedemque Brixiensem tenuerit ab anno Christi MCCXIII, atque in eam, postquam ad ecclesiam ipse Antiochenam promotus esset, successorem habuerit e familia S. Dominici B. Guallam, qui oblatis infulis, quamdiu potuit, obluctatus, caput submittere tandem jussus est anno Christi MCCXXVIII, ut est apud Marchesium tom. V sacri Darii Dominicani ad diem III Septembris. Albertum vero patriarcham fuisse Antiochenum, et quidem sine dubio Latinum, constat ex Bulla ab Innocentio PP. IV in concilio Lugdunensi edita anno Christi MCCXLV, cui expressis verbis *Albertus patriarcha Antiochenus* subscriptus legitur, in Gestis Dei per Francos pag. 1195. Cum ergo et Heliam nusquam apud antiquos reperiam, et episcopum Brixianum invenerim Albertum, non vita, ut scribit Marchesius,

SÆCULUM XIII

Marchesius, sed episcopatu tantum Brixiensi, teste Ughello, defunctum illo ipso tempore, quo juxta numerum præcedentem, Raynerius viduam reliquerat ecclesiam Antiochenam, quique et Regiensis fuisse dicatur, et a Brixinia sede ad Antiochenam evectus; quis dubitet, illum ipsum esse, qui, anno Christi circiter MCCXXVI aut sequenti, Raynerio successerit; eumdemque, quem præferat Bulla Innocentiana anni MCCCXLV, et cujus adeo Pontifices tacito nomine mentionem toties faciant apud Raynaldum ab anno Christi MCCXXXII, atque illustrem imprimis Gregorius IX ad annum Christi MCCXXXV, num. 12?

Jam obierat anno Christi 1246.

673 Qui Heliam Robertum hoc loco sedisse statuunt non veterum, sed sua tantum auctoritate, recentiores, vitam ei atque ecclesiæ Antiochenæ administrationem producunt usque ad annum Christi MCCXLVI. Verum id ne de Alberto quidem nostro, pro quo illi Heliam Robertum acceperunt, verum esse potest; quippe qui jam vita functus erat anno Christi MCCXLVI, uti certum faciunt Statuta selecta capitulorum generalium
B Ordinis Cisterciensis, edita nuper a Martenio tom. IV Thesauri novi Anecdotorum: columna enim 1386 inter statuta anni MCCXLVI, octavum hoc est: *Bonæ memoriæ domino Alberto, quondam patriarchæ Antiocheno, qui existens in curia D. Papæ, ex maxima devotione, quam habebat ad Ordinem, in domo Cistercii, quæ est mater nostra, suam elegit sepulturam, conceditur plenarium officium per universum Ordinem.* Fuit ergo Albertus patriarcha, ut ante dicebam, Antiochenus; et jam diem supremam obierat anno MCCXLVI; neque diu forsan ante; certe post concilium Lugdunense, cui interfuit. Et in ipsa quidem Gallia vitæ terminos attigit, ut colligere est ex loco, quem sibi delegit in sepulturam.

IX. CHRISTIANUS.

Christianus a Saracenis Fidei causa est interfectus A.C. 1268.

Patriarcharum Antiochensium Latinorum agmen clausit vir e sacra Prædicatorum familia præclarissimus, re ac nomine CHRISTIANUS, de quo ita Leander Alberti lib. II
C de Viris Illustr. Ord. Prædicatorum: *Christianus Antistes cum quatuor fratribus coronam martyrii promeruit. Cum enim anno* MCCLXX (imo MCCLXVIII, die XXIX Maii, juxta Sanutum lib. III, part. XII, cap. IX, et sententiam communiorem) *urbs Antiochena capta esset a Soldano Babiloniæ, Christianus antistes (fuerat enim Ordinis Prædicatorum toga ab ineunte ætate indutus; sed postmodum a Pontifice maximo præsulatus insuli ornatus) in cœnobio Prædicatorum existens, ex insperato audito flebili casu urbis, templum ingressus, jussit infulam afferri; qua allata, capiti imposuit. Demum cum quatuor fratribus ante aram procumbens, cum lacrymis Deo suum et civium finem, quorum ploratus, horrendos ululatus, lamenta, vocesque ingentes mœrentium exaudiebat, ob direptiones, vulnera, stupra, et occisiones per barbaros factas, commendabat. Quum sic oraret, ecce, nefandissimi homines templum ingrediuntur, ipsumque cum dictis fratribus ante sacram aram procumbentem, crudeliter peremere.*

sed nomen ejus non fugit.

675 Hactenus Leander, quem sequuntur Michael Pius in Viris Illustr. lib. I, § CLXXV; Spondanus ad annum Christi MCCLXVIII, num. 18; Odoricus Raynaldus ad eumdem annum, num. 53; et hi quidem omnes quamvis martyrium ejus narrent, a *Beati* tamen titulo abstinent, quem illi post Antonium Senensem in Chronico FF. Ord. Prædic. ad annum Christi MCCLXX, Pzovius in Annal. eccl. ad annum Christi MCCLXVIII, num. 12, et ceteri fere auctores Dominicani concedunt. Marchesius ejus tamquam Beati memoriam sacro Diario Dominicano inscripsit ad diem XVII Maii. Nos, quia de cultu non constat, inter Prætermissos illum retulimus ad diem XVIII Maii, pag. 135. De initio patriarchatus ejus nihil reperi; unde ne affirmare quidem ausim, immediatum hunc fuisse Alberti successorem. D

EPILOGUS.

Exinde patr... chæ Antioch... titulo tantum ... fuere

Hic ego, Lector benevole, recensendis Antiochiæ patriarchis supersedere jubeor; nec vero sine causa justissima; quando, ut recte ait Spondanus ad annum Christi MCCXXXIX, num. 17, post Christianum E
nullus amplius quærendus est, qui ibi sederit, excisa civitate: cum nihilominus numquam desierit dari titulus præsulibus etiam Latinis. Nihil vero mirum est, si eis præter titulum nihil, urbe capta, remanserit; quandoquidem jam ab anno Christi MCCLVI ob hostium incursiones vectigalia Antiocheni patriarchatus, teste Raynaldo ad illum annum, num. 45, adeo erant imminuta, ut sustentandæ dignitati patriarchali paria non essent; atque ejus præsuli propterea summus Pontifex Nimociensis in Cypro ecclesiæ administrationem conferret.

quorum ... aliquos ...

677 Titularium vero Patriarcharum illorum seriem persequi non minus otiosum videtur mihi, quam difficile; fuisse tamen jam tum a Christiani nece, vix dubium est, cum *Opizio* anno Christi MCCLXXIV interfuerit concilio Lugdunensi II, ut vide apud Labbeum tom. II, part. I, col. 956, et Raynaldum ad annum illum, num. 3. Opizioni jam aliquot annis, ut colligitur ex litteris Clementis Papæ V concilio Viennensi præfixis apud F
Labbeum tom. II, parte II, col. 1549 et 1553, defuncto suffectus est anno Christi MCCCXI *Isnardus*, archiepiscopus antea Thebanus et Pontificis in Urbe vicarius, cui Clemens, donec barbarorum tyrannide opprimeretur Antiochia, ecclesiæ Papiensis administrationem commisit, de quo hæc et multo plura vide locis assignatis apud Raynaldum in indice tomi XV Annalium. Mitto alios, ut *Seguinum*, de quo vide Joannem Maan in Ecclesia Turonensi ad annum Christi MCCCLXXIX et MCCCLXXXV; *Wenceslaum*, qui anno Christi MCDIX concilio Pisano interfuit, ac fuisse dicitur de Bohemia: Labb. tom. II, part. II, col. 2204, et 2216; item *Vitalem* anno MCDXV in concilio Constantiensi sess. II; *Joannem* ibidem, sess. VIII et deinceps, et in concilio Basileensi, ubi ejus *Opusculum de superioritate inter concilium et Papam* habes apud Labbeum Concil. tom. XII, a col. 911. *Ludovicum* Minoritam, qui anno Christi circiter MCDLXI ex Oriente ad Carolum VII Galliæ regem et Philippum Burgundiæ ac

A ac Brabantiæ ducem una cum aliis legatus advenit; de quo etiam fuse Raynaldus, apud quem consulesis indicem tom. XIX Annalium; *Alphonsum,* qui anno Christi MDXII interfuit concilio Lateranensi V, ut videre est per sessiones singulas; aliosque minus memorabiles, quorum notitia parum ad historiam aut rem chronologicam pertinet.

Excusatio auctoris 678 Habe igitur, Lector, lucubrationem hanc meam, et siquid ei deesse compereris, memento id me, cum ad hæc studia ex aliis recens evocatus accederem, absque ullis in hanc rem peculiarium instrumentorum adminiculis conari jussum esse, quod veteranorum hactenus nemo, nisi aut cum vastis hiatibus, aut anachronismis sequentibus est aggressus. Meam hanc dixi lucubrationem; nam quæ sequuntur de patriarchis Jacobitis, uti et quæ ab initio de iis disserui, ea mihi nequaquam arrogo; cum ejus sint, a quo illa ego non magno meo impendio mutuatus sum; Assemani, inquam, quem utinam Deus præclaris laboribus parem diu præstet.

B

APPENDIX

AD SÆCULUM XIII.

PATRIARCHÆ ANTIOCHENI

JACOBITÆ.

XLVII. ATHANASIUS IX.

Sedit ab A. C. 1199 exeunte usque ad 1207. 679 ATHANASIUS, *qui et* SALIBA CALVUS, *cœnobii Barsumæ archimandrita, die* XVI *Decembris, anno Græcorum* MDXI (Christi MCXCIX) *in cœnobio Modik, regionis Claudiæ, ubi episcopi* XV *convenerant, per sortem electus est.* ..... *Obiit autem Athanasius in præfato Barsumæ cœnobio anno Græcorum* MDXVIII (Christi MCCVII), *cum annos septem sedisset.* Est et in Diptychis et Catalogo Barsalibæi, ut ab Anonymo continuatus est.

C

XLVIII. MICHAEL II.

Invasor ab A. C. 1206 usque ad 1215. 680 Fuit hic Michaelis I sive magni ex fratre nepos: fratrem habebat Gregorium maphrianum, qui partim studio fratris, partim indignatione, quod, se absente, ordinatus esset Athanasius IX, eodem anno Græcorum MDXI, feria sexta, quam Confessorum vocant, hoc est, biduo ante Dominicam in Albis anno Christi MCC, MICHAELEM II, qui et *Junior* appellatus et *Josue Labeo,* in patriarcham ordinandum curavit, favore ad id usus principum Saracenorum. Sed fugitivus fere, dum vixit Athanasius, Michaelis patriarchatus fuit, nec minus plerisque exosus, quam gratus Athanasii. Hoc autem e vivis erepto, sedem iterum invasit mense Julio, ut notavit Barsalibæi continuator, anno Græcorum MDXVIII, Christi MCCVII: donec tandem, intellecta fratris Gregorii morte, nimium quantum commotus decessit in cœnobio Barsumæ anno Græcorum MDXXVI, Christi MLCXV. Præteritur in Diptychis. Scriptoribus annumeratur ab Assemano cap. XXXVII hujus tomi; ubi legi de illo plura possunt. *APPEND. AD SÆCULUM XIII*

XLIX. JOANNES XIV.

681 JOANNES, dictus antea *Josue scriba,* ut auctor est Bar-hebræus in epitome, ex anachoreta in cœnobio Siræ invitus ac reluctans ordinatus est patriarcha anno Græcorum MDXIX, Christi MCCVIII post obitum Athanasii IX. Sed solitudinis amantior quam dignitatis, bis in monasteria profugiens, fere delituit; donec, mortuo Michaele juniore, iterum ab episcopis conquisitus e monasterio Gavigathæ in Cilicia, atque ad cœnobium Barsumæ traductus pro patriarcha tandem se gessit, usque ad annum Græcorum MDXXXI, Christi MCCXX, quo decessit. Servatur ejus memoria in Diptychis et aucto Catalogo Barsalibæi, ubi dicitur *statura pusillus.* Misit synodicam ad Joannem patriarcham Alexandriæ LXXIV, quam, uti et alia ejus scripta, vide apud Assemanum hujus tomi toto capite XXXVIII. *Ordinatus A. C. 1208, obiit 1220* E

L. IGNATIUS II.

682 DE IGNATIO, qui et DAVID appellatus fuit, multa narrantur in compendio Bar-hebræ, quæ inde, qui volet, accipiat. Maphranius erat, cum eligeretur in patriarcham. *In monasterio Barsumæ consecratus fuit anno Græcorum* MDXXXIII (Christi MCCXXII) *Dominica Pentecostes.* In Armenia, *in castro Romano die* XIV *Junii anno Græcorum* MDLXIX (Christi MCCLIII) *decessit.* Exequias Armenorum Catholicus celebravit, et cadaver ad Orientalem majoris Armenorum ecclesiæ partem sepeliendum curavit. Hujus, an sequentis, Ignatii nomen sit in Diptychis, incertum: unus enim tantum adscriptus est pro duobus, qui leguntur in Auctario Barsalibæi. Sub hoc patriarcha Gregorius Abulpharagius, sive Bar-hebræus, cujus Chronici epitomen hic sequimur, Gubæ episcopus creatus est anno Christi MCCLVI; ac deinde Guba in Lacabenam translatus. *Sedit ab A. C. 1222 usque ad 1253.* F

LI. DIONYSIUS VII.

683 DIONYSIUS, *qui et* AARON ANGUR, inquit Bar-hæbreus, *ex episcopo Melitinæ in cœnobio Barsumæ anno Græcorum* MDLXIII (*imo* MDLXIV, *ut liquet ex obitu præcessoris,* inquit recte in notis Assemanus) Christi MCCLIII, *die* XIV *Septembris in festo sanctæ Crucis ab episcopis* ...... *in patriarcham ordinatus est, dissentiente Joanne Bar-maadani, maphriano, cum nonnullis suæ factionis præsulibus, qui ipsum Maphrianum, patriarchali dignitati inhiantem, ad schisma faciendum impellebant,* quod reipsa tertio post mense fecit, ursitque ad mortem usque Dionysii, qui ob ferocem superbiam *a Sergio monacho, Basilio diacono, et Abraham laico die* XVIII *Februarii anno Græcorum* MDLXXII (Christi MCCLXI) *in cancello altaris, ubi nocturnas preces* *Sedit ab A. C. 1253 usque ad 1261.*

sabbati

sabbati Jejunii Ninivitarum celebrabat, misere trucidatus fuit. Prætermittitur in Diptychis; at non a continuatore Barsalibæi. Sub eo Gregorius Bar-hebræus ex Lacabenæ ad Alepi episcopatum translatus est.

LII. JOANNES XV.

Sedit et hic ab A. C. 1253 usque ad 1263.

684 JOANNES BAR-MAADANI *ex maphriano in patriarcham die* IV *Decembris in festo sanctæ Barbaræ anno Græcorum* MDLXIV (imo MDLXV, Christi MCCLIII, cum juxta hujus chronici narrationem inauguratus sit aliquamdiu post Dionysium VII) *Alepi ordinatus* Jacobitarum patriarchatum longo schismate vexavit, inferior modo, modo superior Dionysio, prout alter alterum dynastarum avaritiæ largius suppeditando vincebat, quæ omnia pluribus hoc loco persequitur Barhebræus. Obiit *in Cilicia, ubi a rege et magnatibus Armeniorum summo in honore habebatur, anno* MDLXXIV (Christi MCCLXIII) *in quadragesimali jejunio id cœnobio Baximatæ.*

B Notus est hic Joannes in Diptychis, et Catalogo anonymi, uti et inter scriptores Jacobiticos Assemanni, hujus tomi toto capite XL.

LIII. IGNATIUS III.

Sedit ab A. C. 1264 usque ad 1282.

685 IGNATIUS, *qui et* JOSUE, *archimandrita cœnobii Gavicathæ, quod apud Mopsuestiani, Ciliciæ urbem, situm est, post Bar-maadani obitum.... in Gavicathæ cœnobio anno Græcorum* MDLXXV (Christi MCCLXIV) *in festo luminum* (id est Epiphaniæ) *ordinatus est... Eodem mense Ignatius patriarcha Orienti maphrianum proclamavit Gregorium Abulpharagium, Alepi episcopum,* hujus, ut dixi, auctorem chronici. Obiit hic patriarcha ex hydrope feria tertia die XVII Novembris anno Græcorum MDXCIV (Christi MCCLXXXII). Cadaver in cœnobio Baximatæ in Cilicia conditum.

LIV. IGNATIUS IV.

C

Sedit ab A. C. 1283 usque ad 1292.

686 IGNATIUS, *qui et* PHILOXENUS NEMROD *post Ignatii Josue obitum . . . in festo Præsentationis Domini in templo, anno Græcorum* MDXCIV (id est die II Februarii, anno Christi MCCLXXXIII) *in patriarcham ordinatus* est. Atque hic desinit Bar-hebræus; cetera sunt ab anonymis adjecta; quæ mihi per compendium describere satis erit, ex illo Catalogo, quem ad calcem hujus tomi concinnavit Assemanus a pag. 479, in quo Ignatium IV obiisse notat exeunte anno Christi MCCXCII.

LV. IGNATIUS V.

Sedit ab A. C. 1293 usque ad 1332.

687 IGNATIUS V, *dictus I, qui et* JOSEPH BAR-VAHIB, *electus ineunte anno* MCCXCIII, *obiit anno* MCCCXXXII. *Sub eo schisma ortum inter Jacobitas, quibus tres patriarchæ præfuere: nimirum Ignatius, qui supra, quique sedem Mardæ fixit: et*

IGNATIUS, *qui et* MICHAEL I, *Barsuma olim appellatus, abbas cœnobii Gavicathæ, qui sedem fixit in urbe Ciliciæ, Siside, et paulo post obiit: et* D

IGNATIUS, *qui et* CONSTANTINUS, *episcopus Melitinæ, appellatus patriarcha Syriæ, qui obiit anno* MCCCXLIX.

Observat hic in prosecutione epitomes Barhebræi Assemanus, ab *Ignatio I,* seu *Josepho Bar-Vahib* ad successores patriarchas Ignatii nomen derivatum esse, neglecto eorum ordine, qui eodem nomine antea appellati fuerant. Idem inter scriptores Monophysitas celebratur hujus tomi Bibliothecæ Orient. cap. XLV.

AUCTARIUM

PATRIARCHÆ ANTIOCHENI

JACOBITARUM

SÆCULO XIII POSTERIORES.

E

LVI. I*GNATIUS VI, dictus II, qui et ISMAEL MAGEDUS, Ignatii Bar-Vahibi ex fratre nepos, ordinatus Mardæ anno* (Christi) MCCCXXXII, *obiit anno* MCCCLXV. *Sub eo patriarchatum Ciliciæ tenuit post Michaelem I.* Ab A. C. 1332 ad 1365

IGNATIUS, qui et MICHAEL II; obiit anno MCCCXLIX. *Quo defuncto, patriarchatum Ciliciæ ac Syriæ tenuit post Ignatium Constantinum*

BASILIUS, qui et PHILOXENUS, episcopus Damasci. Tertius autem Jacobitis per id tempus patriarcha præfuit

IGNATIUS I, qui et BASILIUS SABA Salachensis, patriarcha Turabdinensium, ordinatus anno MCCCLXIV *: obiit anno* MCCCLXXXIX.

689 LVII. *IGNATIUS VII, dictus III, qui et Sciahab, sororis Ismaelis filius, ordinatus anno* MCCCLXV, *obiit anno* MCCCLXXXI. *Sub eo Basilius Philoxenus, cui successit* A. 1365 ad 1381.

BASILIUS, qui et GABRIEL; obiit anno MCCCLXXXVII.

690 LVIII. *IGNATIUS VIII, dictus IV, qui et ABRAHAM BAR GARIB CYRILLUS, episcopus Amidæ, electus anno* MCCCLXXXI; *obiit anno* MCDXII. *Sub eo post Basilium Gabrielem electus fuit patriarcha Syriæ* A. 1381 ad 1412

F

PHILOXENUS, episcopus Damasci, qui obiit anno MCDXXI. *Post Ignatium vero I Turabdinensem*

IGNATIUS II partriarcha Turabdunensium, qui et JOSUE Mutæ Medensis filius, electus anno MCCCLXXXIX, *depositus anno* MCDXVII.

691 LIX. *IGNATIUS IX, dictus V, qui et BEHENAMUS BASILIUS, Heldensis, electus anno* MCDXII, *sedit annos* XLIII; *obiit anno* MCDLX. *Sub eo post Philoxenum patriarcham Syriæ* A. 1412 ad 1455

BASILIUS, qui et SYMEON Manemita, episcopus Gargar, electus anno MCDXXI; *obiit anno* MCDXLV. *Tum vero id schisma sublatum est, quod per Ciliciæ, Syriæ et Mardæ patriarchas inductum fuerat. Post ignatium vero II Turabdinensem*

IGNATIUS III patriarcha Turabdinensium, qui et MASUDUS Salachensis, electus anno MCDXVII; *obiit* MCDXX.

IGNATIUS IV patriarcha Turabdinensium, qui et HENOCH Invardensis, electus anno MDXXI; *obiit anno* MCDXLV.

IGNATIUS V patriarcha Turabdinensium, qui et CUMA PHILOXENUS, episcopus cœnobii

A *nobii Cartaminensis, electus anno* MCDXLV; *obiit anno* MCDLVI.

A. 1455 ad 1484

692 LX. *IGNATIUS X, dictus VI, qui et CHALEPH Maadanensis, filius sororis Barsumæ Basilii Maphriani, episcopus Gozartæ, electus anno* MCDLV; *obiit anno* MCDLXXXIV. *Sub eo post Ignatium V Turabdinensem*

IGNATIUS VI patriarcha Turabdinensium, qui et JOSUE BASILIUS Invardensis, electus anno MCDLVI; *obiit anno* MCDLXI.

IGNATIUS VII patriarcha Turabdinensium, qui et AZIZUS PHILOXENUS BAR-SAPTA, episcopus Haæ, electus anno MCDLXI; *obiit anno* MCDLXXXI. *Post ejus obitum duo Turabdinensibus patriarchæ præfuere: nimirum*

IGNATIUS VIII, qui et SABA; et

IGNATIUS IX, qui et JOANNES.

693 LXI. *IGNATIUS XI, dictus VII, qui et JOANNES BAR-SILA, episcopus Amidæ, electus anno* MCDLXXXIV; *obiit anno* MCDXCIII.

A. 1484 ad 1493 et ultra.

694 LXII. *IGNATIUS XII, dictus VIII, qui et NOE Bacuphensis Libaniota, episcopus Emesæ, deinde maphrianus, demum patriarcha anno* MCDXCIII. *Sub eo Turabdinensibus postremus* B *patriarcha præfuit*

IGNATIUS X MASUDUS; quo mortuo, schisma Turabdinenses inter et Mardenses sublatum est, unusque cunctis Jacobitis Syris patriarcha præfuit Ignatius Noe Libaniota.

LXIII. *IGNATIUS XIII, JOSUE ex castro Kelat, qui postquam a Christiana fide defecisset, pœnitentiam sui sceleris egit.*

LXIV. *IGNATIUS XIV, JACOBUS Damascenus.*

LXV. *IGNATIUS XV, DAVID Maadanensis.*

LXVI. *IGNATIUS XVI, ABDALLA ex castro Atta.* AUCTARIUM

LXVII. *IGNATIUS XVII, NEHEMES, seu NEHETALLA Mardensis, qui quum religionem Christianam ejurasset, Romam sub Gregorio XIII se recepit.*

695 LXVIII. *IGNATIUS XVIII, PETRUS DAVID SCIAH, qui Jacobitis præerat anno Christi* MDLXXIX *et* MDLXXXVI. *Ad hunc anno* MDLXXXIII *Nuntius Apostolicus Leonardus episcopus Sidoniensis, missus est.* A. 1579 usque ad nostra tempora

LXIX. *IGNATIUS XIX, PILATUS Mansurensis.*

LXX. *IGNATIUS XX, ABDALGANI, frater Pilati.*

LXXI. *IGNATIUS XXI, PETRUS HODAJE, seu HUDAJES.*

LXXII. *IGNATIUS XXII, ABDALMESSIAS.*

LXXIII. *IGNATIUS XXIII, SIMEON. Sub eo Jacobitas plurimos ad Catholicam fidem convertit, iisque patriarcha præfuit.*

LXXIV. *IGNATIUS XXIV, ANDREAS ACHIGIAN, filius Abdalgal, cui successit orthodoxus patriarcha.*

LXXV. *IGNATIUS XXV, PETRUS, quem Jacobitæ hæretici, Georgio instigante, in exilium mitti Adanam curarunt.* E

LXXVI. *IGNATIUS XXVI, GEORGIUS Jacobita, cui successit*

LXXVII. *IGNATIUS XXVII, ISAAC, qui Jacobitis usque in præsentem annum præest.* Ita Assemanus in catalogo suo, quem cum tomo II Bibliothecæ Orientalis edidit Romæ anno Christi MDCCXXI.

C F

INDEX

INDEX SANCTORUM

AD TOMUM IV JULII.

A

15 Abudemius martyr. *Ex Synax. Græcis ac Martyrologio Romano* 26
18 Æmilianus martyr Comm. § i. Locus martyrii, cultus, ecclesia in Rhabdo, et miracula 170. Acta martyrii ejus Græca, eorumque levis auctoritas 371. Martyrium *auctore Anonymo, ex cod. Ms. Vaticano* 373
15 Æternus episcopus martyr. *Ex Soussayo et Castellano* 48
15 Agrippinus et quatuor socii MM. *Ex Hieron.* 28
17 Alexius conf. Comm. ad Acta Lat. § i. Alexii nomen, patria, parentes, ætas ac mors; idemne an diversus a Joanne Calybita 238. § ii. Sancti cultus apud Græcos et Latinos, elogia, reliquiæ 240. § iii. Ecclesia ac monasterium SS. Bonifacii et Alexii Romæ, antiquus corporum ac modernus status; ædes sacræ alibi in honorem S. Alexii exstructæ, confraternitas Avenione 243. § iii. Festum Sancti apud Latinos; Officium ecclesiasticum; Orationes propriæ, Ordo Alexianorum seu Cellitarum; notio prævia canonis Græci in Sancti honorem concinnati 245. § v. Canon in Sancti honorem conditus sæculo ix, e Græco versus; historia Alexiana vulgaris 247. § 6. Vitarum notitia; Græca prætérita; quænam hic dentur 250. Vita *auctore Anonymo. Ex cod. nostro antiquiss. cum aliis collato* 251. Vita metrica. *Ex codice etiam vetustissimo: auctore, ut creditur, Marbodo* 254. Analecta, Homilia *S. Adalberti Pragensis, ex biblioth. Casinensi* 257. Miracula *ab Anonymo sæc.* xi *scripta, ex eodem cod. Cas. cum aliis collato* 258
17 Alexius confessor Edessæ in Syria. Comm. ad Acta Arabica. § i. Eorum occasio, notitia, auctor, ætas 262. § ii. Vita Arabica corrupta, ex textu Syriaco castigata 264. Vita Arabica *Latine reddita a Petro Benedetti S. J.* Prologus. Cap. i. Sancti natales, educatio, nuptiæ 266. Cap. ii. Sponsam Sanctus clam deserit; Seleuciam primo, deinde Edessam delatus; ubi virtutibus excellit: quæritur, at non invenitur 267. Cap. iii. Lugetur a suis; æditu ecclesiæ Edessenæ cælitus indicatur; cui semetipse totum manifestat. Mors, sepultura 269
19 Ambrosius Autpertus abbas in monasterio S. Vincentii ad Vulturnum in Italia. Comm. § i. Asserta appellatio Sancti et rerum gestarum narratio cum ejus ætate non cohærens 646. § ii. Sancti viri scripta; singulare virtutum Christianarum in iis studium et Acta 647. Vita. *Ex Ms. desumpto e monumentis D. Constantini Cajetani abbatis* 649
15 Ansuerus martyr cum sociis. Comm. § i. Palæstra et epocha 97. § ii. Actorum compendium, ex quo Sancti patria, vitæ professio, socii et reliquiæ examinantur 99. Cultus, Officium et Acta. 102. Acta *auctore Anonymo ex Mss.* Cap. i. Ansueri natales, adolescentia, vita monastica et virtutes 104. Cap. ii. Martyrium, sepultura, translatio et miraculum 107
11 Antiochus et Cyriacus martyres. *Ex Fastis Græcis et Martyrologio Romano* 25
15 Apronia virgo. Comm. Cultus, epocha, patria et Acta 45. Acta *auctore Anonymo* 46
18 Aquilinus et Socii 12 martyres in Africa. *Ex Hieron.* 361
18 Arnoldus confessor. Comm. Sancti cultus et Acta examinantur 447. Acta *auctore Anonymo:* ex Officio Ms. cum aliis tribus collato 449
18 Arnulphus episc. Metensis. Comm. § i. Cultus S. Arnulphi, basilica, reliquiæ, elogia 423. § ii. Arnulphi majores; tempus locusque nativitatis, honores in aula regia; uxor et filii 425. § iii. S. Arnulphi episcopatus, ejus abdicatio; vita solitaria, tempus mortis 428. § iv. Acta S. Arnulphi, quæ hic damus 432. Vita *auctore Anonymo æquali; ex Mss. et excusis.* Cap. i S. Arnulphi natales; profectus in litteris ac pietate; potentia in aula; conjugium et liberi; episcopatus Metensis; austera vivendi ratio; opera misericordiæ; miracula varia; amor solitudinis 435. Cap. ii. Abdicatio muneris episcopalis; recessus ad eremum; restinctum incendium, vita in solitudine, sanctus obitus; sepultura; corporis translatio, et miracula 438. Vita altera *auctore Umnone, ex antiquo cod. Vicensi.* Cap. i. Gesta S. Arnulphi usque ad susceptum episcopatum 440. Cap. ii. Gesta a suscepto episcopatu usque ad obitum 443. Fragmentum i, *ex eodem codice.* Fragmentum ii *ex libro Pauli Warnefridi apud Chesnium* 446
18 Arnulfus martyr. Comm. § i. Cultus ex variis Martyrologiis et Breviariis 396. § ii. Arnulfi distinctio ab altero ejusdem nominis martyre, vitæ tempus, episcopatus, martyrium et Acta 398. Reliquiæ variis locis honoratæ 401. Vita *auctore Anonymo. Ex Ms. collato cum editione Joannis a Bosco.* Cap. i. Sancti prosapia, et Chlodovei regis Francorum conversio ad fidem; Arnulfi matrimonium, virginitas, peregrinatio et miracula 403. Cap. ii. Narratio pœnarum

narum infernalium, Sancti exorcismus, secunda peregrinatio, episcopatus, profectio in Hispaniam, prædicatio fidei, miracula et martyrium 405. VITA METRICA *auctore Letselino. Ex Ms. Belfortiano.* CAP. I. Arnulfi parentes, nativitas, et Chlodovei regis conversio ad fidem. Sancti juvenis educatio, prima peregrinatio et miracula 407. CAP. II. Reditus in civitatem Remensem; benevolentia Remigii erga Arnulfum, quem exorcistam consecrat; qua dignitate præditus statim duos energumenos liberat, et ob periculum vanæ gloriæ fugam meditatur 409. CAP. III. Secunda peregrinatio, episcopatus, iter in Hispaniam et miracula 411. CAP. IV. Reditus in patriam post obitum S. Remigii, martyrium, corporis translatio, prodigiosa ejusdem immobilitas in silva Aquilina, sepulcrum, et auctoris epilogus 413. TRANSLATIO ET MIRACULA *auctore Anonymo suppare, ex Ms.* 415

19 Arsenius anachoreta in monte Scethi Lybiæ. COMM. § I. Scethis notitia; nominis Sancti etymon, patria, natales; vita in sæculo acta, institutio Honorii et Arcadii 605. § 2. Sancti in solitudinem secessus, causæ, adjuncta; præclare ibidem facta et dicta 607. § III. Alia ascetica documenta; fuga ex Scethi in Troën; inde in Canopum; dicta et facta utrobique expensa 609. § IV. Reditus in Troën, mors, sepultura, chronotaxis vitæ, discipuli 612. § V. Memoria in Fastis; cultus in Gallia, Belgio et Germania; elogia; Vita quam edimus; aliæ ab aliis conscriptæ 614. VITA *auctore S. Theodoro Studita ex cod Petri Seguierii Franciæ Cancell.* Prologus. CAP. I. Sancti patria, natales; vita sæcularis cum solitaria divino monitu commutata, insignes in ea progressus; hominum fuga 617. CAP. II. Donum orationis et lacrymarum; vigiliæ, documenta, labor manuum; mortificatio, paupertas; discipulorum dimissio et admissio; reditus in Troen 622. CAP. III. Fraudium dæmonis et arcanorum perspicientia; morbus, visio, cura vilissimæ sepulturæ; mors; habitudo corporis, periocha vitæ, elogium 626. Epilogus 630

15 Athanasius episc. Neapolitanus. COMM. § I. Sancti cultus et quædam chronologica vitæ puncta 72. § II. Acta vitæ et translationis, eorumque scriptores 74. ACTA *auctore Joanne diacono, ex Chronico Ms.* 75. ACTA ALIA *auctore Anonymo coævo, ex regesto S. Placidi.* Prologus 77. CAP. I. S. Athanasii patria, parentes, pia educatio et clericatus in pueritia 78. CAP. II. Athanasii episcopatus, variæ virtutes, magnificentia erga ecclesias et sanctitatis fama 80. CAP. III. Persecutio contra Athanasium, ejus exsilium, sepultura et miraculum 82. TRANSLATIO *auctore Anonymo coævo, ex Ms. Longobardico, cum altero collato.* Prologus 84. CAP. I. Translatio corporis S. Athanasii ex monte Casino, et miracula in itinere facta 85. CAP. II. Miracula ad S. Athanasii sepulcrum patrata 87

17 Athenogenes martyr. COMM. § I. Unde et quo die S. Athenogenes in Fastis sacris Latinis innotescere cœperit 216. § II. Apud Græcos solum signatus est Athenogenes Sebastenus hoc vel præcedenti die 217. § III. Ex Actis Metaphrasticis, nullius vel perexiguæ fidei, non probatur geminus fuisse 218

19 Aurea virgo martyr Cordubæ in Hispania. COMM. Sanctæ patria, stirps, vitæ professio et cultus, 651. VITA *auctore S. Eulogio coævo. Ex Memoriali Sanctorum.*

B

15 Benedictus Andegav. ep. *Ex Martyrologiis et Breviario* 90

17 Benignus abbas. COMMENT. § I. Beati titulus, Benigno passim datus, examinatur 338. § II. Benigni patria, scripta, elogia et Acta 339. ACTA BREVIORA *ex Ms. Florentino biblioth. Laurentianæ* 341. ACTA AUCTIORA *ex Ms. Florentino biblioth. Medicææ* 342

15 Bernardus conf. marchio Badensis. COMM. § I. Cultus et reliquiæ 110. § II. Bernardi elogia et Acta 112. VITA *ex Italico in compendium Latine redacta* 113. MIRACULA *Italice a Blancardo edita, et hic Latine versa* 116

19 Bernoldus seu Bernulphus episcopus, Ultrajecti in Belgio. SYLL. HIST. Sancti cultus, gesta, miracula, sepulcrum, reliquiæ 654

15 Bonosa V. M. et quinquaginta milites ab ea conversi. COMM. CRIT. De ejus seorsim cultu, ætate et Actis 19. VITA *ex editione Stephani Capelli* 21

18 Bruno episc. Signiensis. COMM. § I. Sancti natales inter Vitæ scriptores controversi 471. § II. Canonicus Senensis non Astensis fuisse dicendus est; et cur e monte Casino recesserit 473. § III. Brunonis canonizatio, cultus, Officium et vitæ series 475. VITA *auctore Anonymo, ex Mss. collatis cum edit. Marchesii.* Lectiones 30 in quas tota vita distributa est 478. Ad EXCERPTA ex Chronico Casinensi præfatio. De adventu sancti Bruni ad hunc locum (Casinum) et de bonis operibus suis 485. Sequuntur varia Capita, ac demum APPENDICULA de S. Brunonis scriptis 488

C

15 Catulinus diaconus et quinque socii MM. *Ex Martyrologiis* 27

16 Ceslaus Odrovantius Ord. Præd. COMM. § I. Cultus et Acta 182. § II. Chronologica vitæ series usque ad tirocinium religionis finitum 184. § III. Reliqua vitæ chronotaxis usque ad mortem 187. ACTA *auctore Bzovio, cum Mss. Vratislaviensibus collata.* Prologus 189. CAP. I. Ceslai patria, nomen, pueritia, studia, virtutes et gesta ante statum religiosum. CAP. II. Occasio ingressus in Ordinem S. Dominici, religiosæ vitæ tirocinium, fundationes cœnobiorum, virtutes et labores apostolici. CAP. III. Miracula, administratio provinciæ Polonicæ, prodigiosa arcis Vratislaviensis liberatio, scriptorum testimoniis confirmata. CAP. IV. Ceslai moribundi ad suos fratres exhortatio, quædam de eo testimonia et miracula post mortem 196. APPENDIX de translatione reliquiarum 199

D

19 Daria Cpoli. *Ex Martyrologiis* 586

15 David abbas. Dies cultus, adventus ex Anglia in Sueciam, monasterii constructio, annus mortis incertus 108. VITA *ex Vite Aquilonia* 110

15 Deusdedit ep. Cantuariensis. *Ex Martyrologiis et Capgravio* 48. ELOGIUM *ex Capgravio* 49

15 Discipuli Christi 72. COMM. HIST-CRIT. De eorum cultu, numero et nominibus 16

19 Dius archimandrita thaumat. Cpoli SYLLOGE HIST. Cultus, gesta, monasterium ab ipso conditum, ætas 631

15 Divisio Apostolorum. COMM. HIST-CRIT. § I. Ubi hæc Divisio colatur et quomodo facta sit 6. § II. Quo anno divisi fuerint Apostoli 10. Ubi post Divisionem prædicaverint Apostoli 13

16 Domninus Apriliacensis M. cum sociis. *Ex Martyrologiis Gallicanis et Proprio Podiensi* 124

16 Domninus M. Candiacensis, alius, an idem sit cum Apriliacensi. *Ex schedis Candiacensibus Petri Franc. Chiffletii* 126

16 Domneo martyr. *Ex tabulis Bergomensibus* 128

15 Donevaldus conf. cum novem filiabus. *Ex Fastis Scoticis* 60

E

18 Elius sive Ælius conf. *Ex Ferrario* 395

17 Ennodius episc. conf. COMM. HIST. § I. Sancti nomen, genus, patria et gesta ante episcopatum 271. § II. Ætas, episcopatus et Legationes 273. § III. Obitus, cultus, scripta et elogia 274

19 Epaphras ep. M. 581

16 Eugenius episc. et socii. *Ex litteris P. Flisci S. J.* 180

16 Eustathius patriarcha Antiochenus. COMM. HIST. § I. Eustathii patria, studia litterarum, constantia in fide, episcopatus Berœensis et Antiochenus, locus et oratio in concilio Nicæno primo 130. § II. Eustathii post concilium Nicænum usque ad exsilium suum gesta scriptaque adversus Arianos et eorum patronos 132. § III. Eustathii depositio et exsilium 134. § IV. Amor Antiochensium erga exsulem Eustathium, hujus felix obitus in exsilio 137. § V. Eustathii cultus, reliquiæ, scripta, elogia 138. LAUDATIO S. P. N. Eustathii Antiochiæ magnæ archiepiscopi. *Ex S. Chrysostomo.* PARS I. De felici morte et gloriosa memoria S. Eustathii apud Antiochenos 140. PARS ALTERA. Egregiæ S. Eustathii in patriarchatu administrando virtutes 142

15 Eutropius, Zosimus et Bonosa. *Ex Martyrologiis* 18

F

18 Falteus ep. et forte Jocundus MM. *Ex Hieron.* 361

16 Faustus martyr. *Ex synax. Græcis et Martyrologio Romano* 124

15 Felicissimus confessor. *Ex Ferrario* 96

15 Felix episcopus martyr Papiæ 23

19 Felix episcopus, Veronæ in Italia. *Ex Martyrologio Romano* 644

17 Fredegandus abbas. COMM. § I. Locus habitationis Sancti et cultus 288. § II. De Sancti reliquiis et patrocinio contra pestem 291. § III. Sancti Acta, patria, vitæ professio et epocha 292. ACTA *auctore Anonymo. Ex regesto eccl. Antverpiensis* 295. MIRACULA *ex Ms. Belgico Latine reddita* 296

18 Fredericus episc. martyr. COMM. § I. Sancti cultus, sepulchrum et reliquiæ 452. § II. Frederici patria, vitæ professio, gesta in episcopatu, elogia et mortis annus 454. § III. Examinantur ejus Acta et mortis causa 457. ACTA *forsan auctore Œtberto, ex Ms. Ultraject.* CAP. I. S. Frederici pueritia, pia institutio, clericatus, virtutes et sacerdotium 460. CAP. II. Promotio ad episcopatum post diuturnam recusationem 461. CAP. III. Reprehensio a Frederico facta regi ob illicitas ejus nuptias 463. CAP. IV. Virtutes in episcopatu, zelus apostolicus et constantia 464. CAP. V. Sollicitudo pastoralis, prædictio ultionis divinæ, et regis Ludovici pœnitentia 465. CAP. VI. Iterata regis reprehensio ob incestas nuptias et Frederici martyrium 467. CAP. VII. Normannica Frisiæ vastatio a S. Frederico prædicta; regis Ludovici mors; punitio æditui, qui sepulcrum S. Frederici profanarat 469

G

17 Generosus martyr. *Ex Martyrologio Romano* 220

16 Gondulphus episcopus. COMM. Sancti elogia, stirps, episcopatus, et Acta 159

18 Generius presb. anachoreta. *Ex Proprio Venet. et Castellano* 422

18 Guddene martyr. *Ex Martyrologiis* 359

15 Gumbertus conf. COMM. § I. Variæ confusiones in Sancti nomine, dignitate et locis ubi colitur 61. § II. Sancti professio, cultus ex Martyrologiis, ætas et Acta 63. § III. Cetera cultus monumenta; reliquiæ an et quæ supersint 65. § IV. Pars cranii in Belgium delata 1575, et templo Societatis Jesu Bruxellis postmodum donata 66. § V. Recognitæ approbatæque ab Ordinario reliquiæ, et solenniter in templum nostrum Bruxellense illatæ anno 1641, 68. VITA *ex Lectionario PP. Conventual. S. Francisci et Cartusiæ Herbipol.* 69

H

16 Helerius vel Elerius martyr. COMM. Sancti cultus, Acta et sepultura 145. ACTA *ex veteri Ms. cum aliis collato.* CAP. I. S. Helerii patria, parentes, nativitas, morbus, pia pueritia, miracula, et eorum occasione sui magistri martyrium 148. CAP. II. Helerii discessus e patria, aspera vita, miraculum insigne, peregrinatio in Normanniam et insulam Cæsaream, martyrium et corporis translatio 150

16 Hilarius martyr. *Ex Martyrol.* 144

17 Hyacinthus martyr. COMM. Sancti Martyris cultus, elogia et Acta 221. LAUDATIO GRÆCO-LAT. *Ex editione Combefisii.* CAP. I. Prologus, Sancti patria, adhortatio ad suos populares, ut idololatriam deserant

serant 222. Cap. ii. Sancti martyris zelus in excidenda arbore, libera facti confessio, mors, tumulus et auctoris epilogus 227

J

15 Jacobus episc. Nisibenus. § i. Jacobi cultus 28. § ii. Gesta S. Jacobi Nisibeni in concilio Nicæno et Antiocheno 31. § iii. Ejus scripta 34. § iv. Auctorum quorumdam errores, et obsidio Nisibena 37. § v. Mors, sepultura et Vitæ scriptores 40. Acta *auctore Theodoreto episc. Cyri ex interpretatione Jacobi Sirmondi.* Cap. i. Aspera S. Jacobi vita, et quædam miracula 42. Cap. ii. S. Jacobi episcopatus, miraculum, præsentia in concilio Nicæno, obsidio urbis Nisibenæ ejus precibus prodigiose soluta 43

19 Justa et Rufina VV. MM. Sylloge hist. § i. Sanctarum cultus, templa, reliquiæ et miracula 583. § ii. Virginitas SS. Martyrum asserta, et loca quædam Actorum illustrata 585

16 Justinianus conf. Lemovic. *Ex Breviario loci et Martyrologiis* 172

K

17 Kenelmus puer martyr. Sancti cultus et Acta 297. Acta et miracula. *Ex Ms. Rubeæ Vallis, collato cum Capgravio* 310

L

19 Laurentius episcopus Neapoli in Campania. Sancti cultus et episcopatus tempus 644

17 Leo PP. IV. Comm. Vetustus Sancti cultus, elogia et translatio 302. § ii. Electio et consecratio 304. § iii. Nonnulla S. Leonis gesta, de quibus vix obiter meminit Anastasius 305. § iv. Vita S. Leonis an vere ab Anastasio scripta; fabula Papissæ; et innumera dona ecclesiis collata 307. Vita *ex Anastasio Biblioth.* Cap. i. S. Leonis, doctrina et virtute eximii, ad sacerdotium, atque inde ad summum pontificatum exaltatio 309. Cap. ii. Summa ejus in ecclesias liberalitas; terræ motus, sanctio observanda circa presbyterium; et multorum instauratio 310. Cap. iii. Basiliscus fugatus; repressum incendium, dona alia variis ecclesiis oblata, et restituta monasteria; octava Assumptionis. Cap. iv. Novi ecclesiarum ornatus; constructio monasterii; et reparatio murorum, portarum ac turrium Urbis 313. Cap. v. Illatio sacrorum corporum in Urbem; restauratio ecclesiæ SS. Coronatorum; dona monasteriis; adventus Neapolitanorum, et classis Saracenicæ dispersio 315. Cap. vi. Perpetua munifici Pontificis in varias ecclesias donariorum distributio 317. Cap. vii. Civitatis Leoninæ, Lothario imp. juvante, constructio, et dona iterum varia in Romanos collata 319. Cap. viii. Urbis Portuensis munitio; Corsorum ibi receptio; dona alia in ecclesias et earum restauratio 321. Cap. ix. Synodus Romana in qua depositus Anastasius Cardinalis; dona rursus multiplicia in diversas ecclesias 323. Cap. x. Eversæ Centumcellæ alibi restitutæ, et donis cumulatæ; ubi et aliæ ecclesiæ: Compositio falsæ apud Imp. accusationis, ac pius S. Leonis obitus. 324

15 Lollianus martyr. *Ex Fastis Græcis* 28

M

16 Macarius et Megetia. *Ex Hieron.* 129

19 Machadorus et septem socii MM. *Ex Hieron.* 587

19 Macrina virgo. Comm. Cultus, nativitas, obitus et Acta S. Macrinæ 589. Vita *auctore S. Gregorio Nysseno, interprete Francisco Zino.* Præfatio auctoris 592. Cap. i. Macrinæ ortus, educatio, studium virginitatis, pietas in matrem ac familiam 593. Cap. ii. Vita monastica S. Macrinæ, itemque matris ejus S. Emmeliæ, ac Petri fratris. Pia mors SS. Emmeliæ et Basilii magni. accessus S. Gregorii Nysseni ad sororem decumbentem 596. Cap. iii. Colloquium extremum S. Macrinæ cum S. Gregorio; sanctissimus ejus obitus, et fratris ac Virginum lacrymæ, tum summa Macrinæ paupertas, et repertæ apud eam sanctæ Crucis reliquiæ 599. Cap. iv. Miraculi vestigium in corpore defunctæ; exsequiæ a S. Gregorio accuratæ; locus sepulturæ, miracula in vita patrata 602

17 Mammas et socii x martyres. *Ex Hier.* 220

17 Marcellina virgo. Comm. § i. Sanctæ cultus et elogia 231. § ii. Sanctæ virginis epocha, locus mortis, epitaphium, sepulcrum et Acta. 233. Acta. *Ex Bonino Mombritio.* Prologus 234. Cap. i. S. Marcellinæ natales, pia educatio, et publica post Liberii Papæ exhortationem virginitatis professio 235. Cap. ii. Duo S. Marcellinæ fratres, variæ ejus virtutes, dolor ex fratrum morte, et pius illius obitus 236

17 Marcellus martyr. *Ex Hieron.* 221

17 Marina virgo, *Marinus* dicta. Comm. § i. Marinæ cultus apud Græcos et Latinos 278. Plures virgines sub nomine Marinæ distinguendæ 280. § iii. Marinæ patria, ætas, institutum, translatio et cultus Venetiis 282. § iv. Reliquiæ sub S. Marinæ nomine alibi honoratæ et Acta 284. Acta *auctore incerto. Ex Vitis Patrum* 286. Appendix i De Reparata seu Margarita, *Pelagius* dicta 287. Append. altera. De Marina Scaniensi in Sicilia 288

18 Marina V. M. Hispana. *Ex Martyrologio Romano* 376

19 Martinus Trev. episc. M. *Ex Martyrologiis recentioribus* 582

18 Maternus episcopus. Comm. Sancti cultus, chronotaxis, Acta et gloria posthuma 361. Acta. *Ex biblioth. Ambrosiana.* Prologus 364. Cap. i. Materni electio ad episcopatum, veneratio apud ipsos ethnicos; zelus et solicitudo pro grege suo 365. Cap. ii. Ejus cura episcopalis, constantia in persecutionibus, fidelium confirmatio et pia mors 367

16 Monulphus episcopus. Comm. § i. Sancti cultus, cujus occasione quoddam prodigium examinatur 152. Sancti Acta, stirps, episcopatus et mors 156. Vita prima *auctore Anonymo. Ex Ms. Ultrajectino cum aliis collato* 157. Vita secunda *auctore forsan Jocundo*

Jocundo presb. Ex Ms. Trajectensi etiam collato 158

P

16 Paulus et Mammes MM. *Ex Hieron.* 128

19 Petrus Fulgineus conf. Fulginii in Umbria. Comm. Sancti cultus, Vitæ scriptores et Acta 663. Acta mutila. *Auctore Joanne Gorino a S. Geminiano ex Ord. Prædicatorum. Ex Ms. forte Fulginatensi.* Cap. i. S. Petri conversio, misericordia erga pauperes, et contemptus suiipsius 665. Cap. ii. Studium orationis, pœnitentia, tentationes, et falsa hæreseos insimulatio 666

18 Philastrius episcopus. Comm. § i. Antiquus Sancti cultus ex variis monumentis 383. § ii. Philastrii patria, scripta, episcopatus chronotaxis, Acta et gloria posthuma 385. Acta *auctore S. Gaudentio Brixien. Ex edit. Galeardi cum Mss. collata* 387. Transl. et miracula *a Ramperto Brix. ex eadem editione.* Cap. i. Antiquus S. Philastrii cultus, corporis translatio, et duplex miraculum in ea translatione factum 388. Cap. ii. Multi variis morbis afflicti ad ejus sepulcrum prodigiose sanitatem impetrant 390. Cap. iii. Veterum prodigiorum obliteratio, summa erga S. Philastrium veneratio, et tria miracula ante translationem ejus patrata 392. Altera translatio *ex libris provisionum civitatis Brixiensis* 394

15 Philippus, Zenon, Naseus et decem infantes. *Ex Martyrologiis* 27

15 Plechelmus episcopus Comm. I. B. § i. Plechelmi patria, inque ea episcopatus. S. Swiberti per Marcellinum Vita supposititia 50. § ii. Candidæ Casæ episcopatus in Britannia jam Scotis subjectus; ejus episcopi S. Ninianus, Pethelmus, alii 51. § iii. Plechelmus diversus a Pehthelmo Candidæ Casæ episcopo : perperam de utroque scripta a multis 53. § iv. Plechelmi in Belgium adventus, mors, sepultura, Vitæ historia, publica veneratio 55. § v. Plechelmi reliquiæ translatæ Ultrajectum, Oldensaliam, Ruræmundam 56. Vita *auctore Anonymo. Ex Mss.* 58

R

15 Reginswindis puellula. Comm. Sanctæ monumenta, cultus et Acta 90. Acta. *Ex passionali Bodecensi.* Cap. i. Reginswindis parentes, educatio, violenta mors a nutrice illata, corporis inventio et sepultura 92. Cap. ii. Occasio translationis, sacri corporis translatio et miracula 94

16 Reineldis V. M. cum sociis. Comm. § i. Sanctæ nomen, locus cultus, ejusque celebritas 172. § ii. Genus, ætas, Acta 174. Vita. *Ex Ms. S. Pauli in Sonia, cum aliis Mss. collata* 176

19 Riticius vel Rethicius episc. Sylloge hist. Sancti cultus, scripta et Acta 587

18 Robertus Salentinus. Comm. § i. B. Roberti cultus et Acta 489. § ii. Series chronologica vitæ B. Roberti privatæ 491. § iii. Continuatio chronologica et munia in Ordine publica 493. Vita. *Ex codice Ms. PP. Cælestinor. Parisien.* Prologus 495. Cap. i. Roberti patria, parentes, præsagium sanctitatis; virtutes tum in sæculo tum in religione; amor in eum S. Petri de Morono, etiam post mortem 497. Cap. ii. Asperrima ejusdem solitudo per annos duodecim; desiderium et imitatio mira martyrii; suscitatio mortui, aliaque miracula; imperturbata cum Deo familiaritas 498. Cap. iii. Ejus opera misericordiæ maxime in condendis monasteriis, et xenodochiis, crebra inter illa miracula, absentium ac futurorum notitia 500. Cap. iv. Robertus hospitium exstruit peregrinantibus in Garganum, non sine miraculis; ecstases ejus favoresque; vexatio ab episcopo Theatino; hujus pœna ac Roberti submissio; item misericordia miraculo probata 503. Cap. v. Ejus sedulitas, et in suos modesta severitas, crebra per vitam miracula 504. Cap. vi. Roberti morbus penultimus et lucta cum diabolo; cælestis visitatio, et subita restitutio sanitatis : supremus morbus, piissimus obitus, elogium 506. Cap. vii. Miracula Beati mortem secuta 507

18 Rofilus sive Ruphillus episcopus. Comm. Sancti cultus, Officium et Acta examinantur 377. Acta *auctore incerto. Ex cod. Vaticano cum aliis collato.* Cap. i. Concionis exordium etymologica de nomine S. Ruphilli explicatio, et ejusdem Præsulis virtutes et admonitiones 379. Cap. ii. Aliæ S. Ruphilli virtutes, victoria de dracone, pia mors et sepultura 381

19 Rusticus presbyter conf. Lugduni in Gallia. *Ex Martyrologiis* 643

S

18 Scariberga V. uxor S. Arnulphi. Comm. Sanctæ cultus, reliquiæ et Acta 417. Acta prima *auctore Anonymo. Ex Ms.* 419. Acta alia *in octo lectiones distincta. Ex Ms. Rothomag.* 420

18 Secunda cum sex aliis martyr Dorostori. *Ex Hieron.* 360

18 Simon de Lipnica. Comm. § i. Initium cultus statim post Beati obitum, et ejusdem confirmatio Romæ facta 510. § ii. Beati sepulcrum, aliaque ad posthumam illius gloriam spectantia 512. § iii. Simonis elogia ex diversis scriptoribus collecta 514. § iv. Acta et miracula 516. Vita *a Ludovico Strobkovicio. Ex libello.* Prologus 518. Cap. i. Simonis patria, parentes, studia et ingressus in religionem 519. Cap. ii. Ejus fervor in oratione, amor erga Deiparam, humilitas et castitatis custodia 520. Cap. iii. Carnis maceratio, patientia et fortitudo in adversis 521. Cap. iv. Iter Hierosolymitanum, reditus in Poloniam, conversatio cum piis viris, et zelus erga proximum 523. Cap. v. Spiritualia ejus monita, et pia mors 525. Cap. vi. Concursus populi ad B. Simonis sepulcrum, et publica ejus veneratio 526. Epilogus 528. Miracula *collectore Sokolnikio. Ex Ms. Cracoviensi.* Pars prima. Prodigiosa beneficia, quæ B. Simon de Lipnica patrocinium suum implorantibus præstitit anno 1482 quo obiit, per sex sectiones a pag. 529. Pars secunda. Miracula quæ ab anno 1483 usque ad 1487 notata sunt, per alias

alias sex sectiones a pag. 542. PARS TERTIA. Miræ sanationes quæ ab anno 1487 usque ad 1520 conscripta sunt, per octo sectiones a pag. 555. ALIA MIRACULA *ex variis instrumentis collecta.* CAP. I. Prodigia quæ testes super immemorabili cultu examinati exposuerunt in causa beatificationis a pag. 15, 571. CAP. II. Miracula collecta ex inscriptionibus quorumdam anathematum, quæ ad B. Simonis sepulcrum appensa sunt 573. CAP. III. Quædam miracula desumpta ex Ms. quod R. P. Dominicus Zatorski, Minoritarum Guardianus, anno 1724 Cracovia ad nos misit 574

16 Sisenandus levita martyr. *Ex S. Eulogio* 181

19 Sisinnius martyr. *Ex Hieron.* 587

17 Speratus et socii XI MM. Scillitani. COMM. § I. Martyrum numerus, nomina et cultus 204. § II. Acta, palæstra et epocha martyrii 207. SS. MM. translatio et reliquiæ 210. ACTA PROCONSULARIA. *Ex Annalibus eccl. Baronii* 214. ACTA ALIA SINCERA. *Ex cod. ecclesiæ Toletanæ et Colbertino* 215

19 Stilla virgo in monasterio Mariæburgensi prope Abenbergam in Franconia. SYLL. HIST. Cultus, genealogia, Acta et miracula 656. MIRACULA. *Ex Ms. Germanico mnrii Mariæb. quod Latine reddimus.* PARS I. Recensentur antiqua miracula, quæ usque ad restaurationem cœnobii contigerunt 658. PARS II. Miracula a restauratione monasterii Mariæburgensis usque ad annum MDCIII patrata 660

19 Symmachus Papa Romæ. SYLL. HIST. § I. Cultus, patria, ætas, electio, schisma et concilia habita 634. § II. Synodorum series a Pagio disturbata 636. § III. In antiquum ordinem hic restituta 638. § IV. Ejusdem argumenti prosecutio 639. § V. Res aliæ a Symmacho gestæ, ab Anastasio ferme præteritæ 641. § VI. Brevis Vitæ synopsis ex Anastasio 642

18 Symphorosa cum septem filiis. COMM. § I. Occasio, locus et tempus martyrii; Symphorosæ conjux; eadem a S. Felicitate distincta 350. § II. Controversia de septem filiis S. Symphorosæ de novo hic proposita et discussa 353. Acta, dies cultus ac mortis, sepultura 355. § IV. Translatio, inventio ac reclusio corporum; reliquiæ Tibur advectæ ad templum sub Symphorosæ nomine dedicatum; alibi aliæ honoratæ 356. PASSIO *auctore Anonymo. Ex editis et collatis apud Ruinart. in Actis Sinceris* etc. 358

T

15 Terentius episc. martyr. *Ex Ferrario* 96

18 Thenna seu Thenew matrona, mater S. Kentingerni. *Ex Breviario Aberdonensi et Fastis recentioribus* 422

16 Theodisius seu Theodosius cum aliis quatuor. *Ex Hieron.* 129

17 Theodosius episcopus. SYLL. HIST. De cultu, ætate, gestis, sepultura et inventione 276

V

16 Valentinus, Theon et Diocletius. *Ex Hieron.* 129

16 Vitalianus episcopus. COMM. § I. Cultus et Acta 165. § II. Inventio sacri corporis, ejusdem translatio, et ultima Catacii seu Catanzari visitatio an. 1583, 167. ACTA. *Ex Lectionibus in Sanctuario Capuano* 169. De inventione reliquiarum S. Vitaliani et aliorum Sanctorum 170. APPENDIX. De manna ex S. Vitaliani corpore scaturiente 172

Z

17 Zoërardus seu Andreas conf. et Benedictus martyr. § I. Hodiernus horum Sanctorum cultus in Polonia et Hungaria ex Officiis Polonicis et litteris Hungaricis 326. § II. Antiquus eorumdem Sanctorum cultus ex Martyrologiis et aliis monumentis 328. § III. Sanctorum patria, habitatio in Polonia, et vitæ professio in Hungaria 330. § IV. Tempus quo hi Sancti in Hungariam venerunt 332. § V. Sanctorum eremus, reliquiæ, miracula et Acta 335. ACTA *auctore Mauro ep. Quinque-eccl. Ex Ms. collato cum Legenda Cracoviensi* 336

INDEX CHRONOLOGICUS

SÆCULO I.

Anno 40, a Christi ascensione (quem passum statuimus 29)
12 facta divisio Apostolorum 12
Sæc. 1 Verosimiliter martyrium subiit S. Epaphras 581

SÆCULO II.

Anno circ. 125 Gloriosum cum filiis martyrium fecit S. Symphorosa 351
200 Glorioso martyrio coronati sunt XII Scillitani 210

SÆCULO III.

Anno 203 Martyr inclyta Carthagine S. Guddene 359
Sæc. 3 exeunte signandum martyrium SS. Justæ et Rufinæ 585

SÆCULO IV.

Anno 324 Ecclesiam Antiochenam suscepit S. Eustathius 130
329 An concilium Antiochiæ habitum sub Eustathio? 132
330 Nata S. Marcellina S. Ambrosii soror 233
331 Exauctoratus est atque in exsilium pulsus S. Eustathius 130
Ante annum 337 Verosimillime exstinctus 137
338 Obsessa a Persis Nisibis sancti Jacobi episcopi precibus discrimine liberata est 40
346, alias 350, Alteram obsidionem solvit idem S. Jacobus ibid.
350 (alias 360) tertia ejusdem urbis obsidio ibid.
352 S. Marcellina castitatis voto sese obstringit 233
354 *circ.* Natus S. Arsenius cujus vitæ chronotaxim habes 613
380 Obiit S. Macrina S. Basilii etc. soror 591
Circ. 387 Consignatus obitus S. Philastrii Brixien ep. 386
398 vel 399 Moritur S. Marcellina 233
Sæculi 4 principio obiit S. Maternus ep. Mediolan. 363
Sæc. 4 Celebris fuit S. Rethicius episc. Æduensis 587

SÆCULO V.

Anno circ. 430 Supervixisse videtur Dius archimand. Cpoli 633
473 Natus est S. Ennodius Ticinensis ep. 273
482 Translatæ S. Eustathii reliquiæ Antiochiam 139
494 Sacræ militiæ adscriptus est S. Ennodius 273
498 Summus Pontifex eligitur S. Symmachus 635
499 Habitum est primum S. Symmachi concilium 636

SÆCULO VI.

Anno 501 Secuta alia concilia et Sancti absolutio 638 et seqq.
503 Prima peregrinatio S. Arnulphi M. et reliqua chronotaxis 399
511 S. Ennodius successit Maximo Ticinensi episc. 244
514 Vivere desiit S. Symmachus 635
515 Legationem in Orientem suscepit S. Ennodius 274
517 Alteram legationem obit ibid.
521 Vivendi finem fecit ibid.
560 Ecclesiam Trajectensem regere cœpit S. Monulfus 157
Circ. 582 Natus est S. Arnulphus Meten. episc. 426
Circiter 600 Episcopus ordinatus est S. Gondulfus 160

SÆCULO VII.

Anno 607 vel 608 e vivis ereptus 161
610 Ad episcopatum evectus S. Arnulphus 429
625 Episcopatum abdicavit S. Arnulphus 429
640 Mortuus est 431
664 Obiit S. Deusdedit episc. Cantuariensis 49
Circiter 680 Martyrium subiit S. Reineldis 175

SÆCULO VIII.

Anno circ. 716 Vacuam reliquit cathedram Neapoli S. Laurentius 644
Circ. 753 Translata in Urbem corpora S. Symphorosæ et filiorum 357
755 An medio sæculo 10 translatum corpus S. Vitaliani Beneventum? 168
778 Obiit scriptis suis clarus S. Ambrosius Autpertus 646
Sæc. 8 Vixisse videtur celebris Marina, Marinus dicta 282
Sæc. 8 circiter medio obiit S. Plechelmus 56

SÆCULO IX.

Anno 804 An SS. Monulfus et Gondulfus Aquisgranum redivivi perrexerint? 153
806 Elevatæ reliquiæ S. Reineldis 178
806 Translatæ Lugdunum reliquiæ S. Sperati Scillitani 210
819 S. Kenelmus puer sororis parricidio interfectus est 298
828 Erat episcopus Ultraject. S. Fredericus 455
838 Cæsus est S. Fredericus ep. Ultraject. 456
838 Facta est prima translatio corporis S. Philastrii Brix. 387
847 Electus est Romæ Pontifex S. Leo IV 304
849 Muros urbis Romanæ restaurat 314

850 Verosimiliter

850 Verosimiliter facta Ludovici II coronatio a Leone IV 306
851 Cordubæ martyr S. Sisenandus 181
852 Urbem a suo nomine Leoninam dictam condit Leo IV 319
853 Utrum Alfredus Romam perrexerit 306
855 Mortuus est S. Leo IV 302
856 Cordubæ glorioso martyrio coronata est S. Aurea V. 651
872 Obiit exsul S. Athanasius ep. Neapolitanus 72
889 An translatæ reliquiæ S. Domnini? 127

SÆCULO X.

Anno 941 Ecclesia S. Arnulphi a Canonicis ad Benedictinos transiit 424

SÆCULO XI.

Anno circ. 1010 floruere in Hungaria SS. Zoerardus et Benedictus 333
Circ. 1015 Scripta ab Œtberto Acta S. Frederici Ultraject. 458
1039 Facta translatio SS. Monulfi et Gondulfi 155
1043 An serius ordinatus sit Adalbertus Hamburgensis ep. 99
1054 In regem consecratus Henricus IV, sed regnum pro patre solum obtinuit 1056, alii a 1057 numerant 99
1054 Ad cœlum evolavit S. Bernulphus ep. Ultrajectinus 654
Circiter 1063 Obiit in Westmannia Sueciæ S. David abbas 109
1063 Constructum non procul Aldenarda Eynhamense cœnobium 289
1066 Martyr cum sociis Raceburgi occubuit S. Ansuerus 98
1079 Creatus est S. Bruno episcopus Signiensis 476
1095 Urbanum II in Galliam comitatus est S. Bruno 477
Sæc. XI Propagatus in Germania S. Alexii cultus per S. Meinwercum 244

SÆCULO XII.

Anno 1102 Ad montem Casinum secessit S. Bruno Signiensis 477
1111 Ad sedem suam rediit S. Bruno Signiensis 478
1119, 1120, 1121 an 1122 transferri potuerit corpus S. Vitaliani Catacium in Calabriam 168
1123 Vivere desiit S. Bruno episc. Signiensis 476
1170 Reliquiæ S. Reineldis in augustiori theca repositæ 174
1184 Natus est B. Ceslaus, cujus chronotaxis datur 184
Sæc. XII Transposita sacra S. Gumberti ossa 66
Sæc. XII Floruisse videtur S. Stilla virgo 656

SÆCULO XIII.

Anno 1217 Inventa Romæ corpora SS. Bonifacii et Alexii 243
1220 Facta a Tartaris a Georgiæ vastatio 30
1223 Erecta est ara S. Brunoni episc. Signiensi 476
1230 Translatum Venetias ex Oriente S. Marinæ corpus 283
1236 Ad supernas sedes transiit S. Benignus Vallumbr. 338
1288 Robertus Salentinus fit monachus 492
Vide ibi totam vitæ ejus chronotaxim.

SÆCULO XIV.

Anno 1323 Fulginium illustravit S. Petrus conf. 663
1341 Obiit B. Robertus Salentinus 495

SÆCULO XV.

Anno 1456 Contigit secunda translatio S. Philastrii Brix. ep. 387
1458 In monte Calerio vivere desiit B. Bernardus Badensis 110
1472 A Sixto IV approbatum Cellitarum institutum 246
1482 Mortuus est B. Simon de Lipnica 510

SÆCULO XVI.

Anno 1525 A Lutheranis direpta sunt Acta B. Ceslai 184
1552 Diruta fuit apud Metas S. Arnulphi ecclesia 425
1570 Grassati sunt Autissiodori iconomachi Calvinistæ 277
1572 Tertia est facta translatio S. Philastrii Brix. ep. 387
1575 Reperit Onolspaci S. Gumberti reliquias Margareta a Marca comes Arembergica, atque in Belgium tulit 66
1583 Inventum est Catacii in Calabria corpus alicujus S. Vitaliani 168
1587 Reclusæ sunt Romæ reliquiæ S. Symphorosæ et filiorum 357
1595 Corpus S. Alexii magnificentius repositum 243

SÆCULO XVII.

Anno 1607 Reperta sunt ossa B. Ceslai Vratislaviæ 184
1609 et seqq. Postulatur Canonizatio B. Simonis de Lipnica 510
1634 Inventæ Autissidori S. Theodosii reliquiæ 278
1641 Reliquiæ S. Gumberti in templum collegii Societatis Jesu Bruxellis solenniter illatæ 66
1656 vel 1675 Inventæ reliquiæ S. Bernulphi ep. Ultraject. 659

SÆCULO XVIII.

Anno 1713 Auctoritate apostolica firmatus cultus B. Ceslai 183

NOTITIA

NOTITIA FIGURARUM

Ornantium hunc Tomum IV *Julii.*

Præfigitur solitum operis frontispicium.
Effigies Serenissimæ Archiducis Mariæ Elisabethæ cui tomus inscribitur.
Vera effigies B. Bernardi marchionis Badensis. *Ex imagine huc trànsmissa.* 111
Effigies B. Benigni Vallumbrosani. *Inde accepta* 339
Effigies B. Roberti Salentini. *Ex imagine excusa* 490
B. Simonis de Lipnica. *Accepta ex Polonia.* 514

A D

ACTA SANCTORUM

JULII.

TOMUS QUARTUS,

DECIMA QUINTA DIES.

SANCTI QUI IDIBUS JULII COLUNTUR.

Divisio SS. Apostolorum.

SS. Septuaginta duo Christi discipuli.

B S. Eutropius, S. Zosima, S. Bonosa — Martyres in Portu Romano.

S. Bonosa, eadem vel altera, et quinquaginta milites ab ea conversi, Romæ vel in Portu.

S. Felix episcopus martyr, Papiæ in Insubria.

S. Antiochus, S. Cyriacus — Sebaste in Armenia.

S. Abudemus martyr, in insula Tenedo.

S. Philippus, S. Zeno, S. Naseus et decem infantes — Martyres Alexandriæ.

C S. Catulinus, S. Januarius, S. Florentius, S. Pollutana, S. Julia, S. Justa — Martyres Carthagine.

S. Agrippinus, S. Secundus, S. Maximus, S. Fortunatus, S. Martialis — Martyres Sirmii.

S. Lolianus martyr, apud Græcos.

S. Jacobus episcopus, Nisibi in Mesopotamia.

S. Apronia virgo, Tulli in Lotharingia.

S. Æternus episcopus Ebroicensis, in diœcesi Parisiensi. E

S. Deusdedit sextus episcopus Cantuariensis in Anglia.

S. Plechelmus episcopus, Oldensaliæ et Buræmundæ in Belgio.

S. Donovaldus confessor, et novem filiæ virgines, in Scotia.

S. Gumbertus confessor, Anspaci in Germania.

S. Athanasius episcopus, Neapoli in Campania Italiæ.

S. Benedictus Andegavensis episcopus confessor.

S. Regiswindis puellula, Lauffæ ad Nicrum in Suevia.

S. Terentius episcopus Lunensis martyr, F Sarzanæ in Italia.

S. Felicissimus confessor, apud Nuceriam in Umbria.

S. Ansuerus martyr et Socii, Raceburgi in Saxonia inferiore.

S. David abbas confessor, Snevingæ in Westmannia Sueciæ.

S. Bernardus confessor, marchio Badensis, in Monte Calerio Pedemontii in Italia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

SS. Eucharii et Valerii episcoporum Trevirensium translatio *propria est soli Florario Sanctorum Ms.* ● *De hac seorsim non agimus. Vide quæ de S. Valerio dicta sunt* XXIX Januarii.

S. Vedasti relatio *signatur in codice Usuardino Centulensi, sed paulo expressius in Aquicinctino :* Eodem die relatio corporis S. Vedasti, a Beluaco civitate ad proprium locum, *cujus etiam meminere codices alii. Historiam translationis et relationis habes in Actis* VI Feb.

A S. Norberti *Magdeburgensis archiepiscopi Ordinisque Præmonstratensis in Gallia fundatoris ac Patriarchæ* Ordinationem *hoc die signavit Saussayus. Vide* VI Junii.

S. Ragnebertus *(Gall.* Raimbert*) martyr, Bredone ad radices montis Juræ in Sequanis, Ebroino jubente lancea transfossus annuntiatur a Castellano in Martyrologio universali, eos secuto qui hisce Idibus occisum volunt Sanctum, cum verosimilius notandæ videantur Idus Junii quo die jam pridem de ipso actum est, ut vide* XIII Junii.

S. Albricus *episcopus confessor (Gall.* Aulbrin, *seu* Aubrinx*) colitur in Montebrisone* (Montbrison) *metropoli Foresii* (Forez) *in Segusianis, diœcesis Lugdunensis, ob translatas ejus hoc die reliquias, quæ magna veneratione et accolarum concursu ibi honorantur in ecclesia collegiata regia Deiparæ Virgini dicata. Dies natalis est* II *Januarii, ut in utroque suo Martyrologio, (alibi enim Sanctus ipse plane ignotus) notavit Castellanus, non parum miratus, cur Papebrochius eum ex schedis Chiffletii retulerit* XV *Junii, tamquam Episcopum Augusto-*
B *dunensem, in Montisbrisonis arce casu defunctum. Reperi in Musco nostro Commentariolum gallicum Ms. a Joanne Maria de la Mure, prædictæ ecclesiæ canonico et sacrista, anno* 1662 *missum ad P. Theophilum Raynaudum, ut alteri Indiculi sui Sanctorum Lugdunensium editioni, quam forte tunc meditabatur,* S. Albricum Mombrisonensem *insereret, ut Lugdunensem Archiepiscopum. Narrat in eo scripto Murus, in sua Foresii historia longe verbosior, Guidonem Foresii comitem sacrum* S. Albrici *episcopi corpus ex arce seu castro suo in ecclesiam collegiatam jam dictam, a se fundatam, anno* 1223 *transferri die* XV *Julii curasse, a quo tempore summo semper in honore eo die reliquiæ ibidem habitæ sint, et porro habeantur, licet scripta omnia ad Sanctum pertinentia, a furentibus Calvinianis iconoclastis anno* 1562 *flammis absumpta fuerint. Ut Episcopum coli certum est, excusa imagine et longa Gallica oratione quæ a febricitantibus aliisque Sancti opem implorantibus recitari solet : sic tamen ut de ejus gestis, loco episcopatus et ætate nihil prorsus scriptum reperiatur. Traditio fert, fuisse*
C *Archiepiscopum Viennensem, quod mihi quidem non satis suadetur, credituro potius cum Chiffletio et Papebrochio, confundendum cum Albrico Augustodunensi ; nisi malimus dicere, regionarium fuisse seu Apostolicum. Nomen certo Francicum videtur, de quo fatendum est, nihil nobis constare præter solam dignitatem et cultum. Officium habet et Missam de confessore Pontifice, quæ hic natasse sufficiat, cum in opere nostro jam de eo actum diximus* XV Junii.

Sanctorum Martyrum Quirici *vel* Cyrici ac Julittæ *seu* Julitæ *festivitas hoc die celebratur apud Græcos, uti videre est in eorum Fastis excusis pariter ac manuscriptis : quorum hic catalogum non teximus. Varia hic etiam Usuardi auctaria prætcrimus, in quibus hoc etiam die signati sunt ; quæ an ex Græcis processerint, examinare supersedemus, remittentes lectorem ad diem, quo de iis actum est* XVI Junii.

S. Theobaldi, *cujus jam non semel in Prætermissis meminisse oportuit,* translatio *reperitur in sæpe citatis Monasticis Wione, Dorganio etc. Acta illustrata sunt* XXX Junii.

SS. Processus et Martinianus, *quidquid variis locis diversimode colantur, spectant ad diem, quo de ipsis egimus* II Julii. D

S. Swithuni et sociorum translatio *in multis Martyrologiis recolitur, quorum aliqua habes inter auctaria Usuardina ; ut hic plura enumeranda non sint. Quæ de Sancto isto dicenda habuimus exposita sunt* II Julii.

S. Joseph, Archiepiscopi Thessaloniceusis *memoria hoc die inscribitur Menæis Græcis impressis, nec non Maximo Cytherorum episcopo, utrobique rursum signati die proxime prægresso: quo Sinaxarium Basilianum cum Sirleto illum refert. Horologium Græcum Romæ editum anno* 1677 *in usum monachorum Basilianorum hoc die ponit* Josephum Archiepiscopum. *At nos de ipso jam egimus dicto die* XIV Julii.

S. Bonaventuræ *memoriam alicubi hoc die signatam invenit Bollandus, ipso vero, ut fatear, beati ejus transitus die : verum omnia ad eum spectantia jam illustrata sunt, eo quo festivitas ejus in Ecclesia recolitur die* XIV Julii.

S. Vincentius Madelgarius *in Kalendario aliquo a Bollando hoc die repertus, spectat ad diem præcedentem, quo de eo egimus* XIV Julii.

Justi et Amici episcoporum depositio *ad hunc* E *diem translata est a codice Hagenoyensi. Vide quid de ea conjunctione dixerimus die præcedenti* XIV Julii.

S. Focatus *ibidem etiam hoc die ponitur. Vide rursus* XIV Julii.

Epœneti *nova festivitate Martyrologium suum Hispanicum hoc die sic locupletavit Tamayus :* Saxifirmii in Hispania, S. Epœneti, ipsius urbis episcopi, qui a S. Petro Apostolo, cujus erat discipulus, ordinatus, et ibidem constitutus, ita in opere se gessit commisso, ut B. Pauli mereretur encomium : tandem consummato peregrinationis itinere, fuit ad æterna tabernacula translatus. *Notæ et Vita in flosculum coagulata eamdem prorsus venam sapiunt : sed ea retulisse, satis refutasse est: nobis nulla Epœneti gesta nota sunt : neque scimus a quo, aut quo die sacris Fastis inscriptus sit, ut proinde comprehendi debeat in communi septuaginta Discipulorum, siquidem ex iis unus fuerit, festivitate de qua hoc die agitur.*

Cassianus martyr *annuntiatur hoc die in codice Usuardino, quem Rosweydinum diximus* ; *idem,* F *opinor, qui cum Cyrico in primo Wandelberti versiculo conjungitur. At quis hic sit inter tot synonymos, de quibus jam in opere actum est, vel porro agendum erit, nemo satis divinaverit, quamdiu solius nominis notitia habetur.*

Esychium *aliquem pro hoc die apud Dextrum reperit Bollandus, quem mirum est præteriisse hoc loco Tamayum, qui Hesychium, in Romano Martyrologio* III *Octobris signatum, ut S. Hilarionis peregrinationum socium, in Hispaniam transtulit atque ad Toletanam cathedram evexit. De quo Esychio egerit Dexter, pluribus non disquiro, nullus est, si ejus sanctitas sola fabulatoris istius auctoritate nitatur.*

Catholinum et Zosimum *hodie profert Editio Lubeco-Coloniensis, eosque collocat* Alexandriæ, *et primum quidem cum titulo* Episcopi : *Grevenus ex* Zosimo *fecit* Zosimam. *Eosdem Sanctos laterculo suo adjecit auctor Florarii, unde accipi potuerint. Verum utcumque ea sint, satis manifeste patet, in titulo episcopi erratum esse ; ac de cetero avulsos fuisse Sanctos istos a classibus suis in Hieronymiano distinctis, ubi eos infra invenies.*

Justinianus

A Justinianus Junior Imperator *signatur in Synaxariis Mss. Sirmondi, Chiffletii ac Cardilis Mazarini. Gesta ipsius passim nota sunt, vituperio non laude, nedum publica aliqua veneratione dignissima. Quod satis est hic notasse in cautelam, ne absque delectu in omnibus mox talibus documentis plena habeatur fides; quibus in hoc casu tam manifeste contradicunt historiæ.*

Transitus et Mararis *scribitur in Martyrologio Arabico-Ægyptio, a Gratia Simonio ex Arabico translato; qui nusquam aliunde nobis notus est.*

Dedicationem templi Dominici Sepulcri in Jerusalem *adjunxit Grevenus, opinor ex Florario, quem secutus est Canisius.*

Dedicatio ecclesiæ Autverpiensis *nescio unde pro hoc die inserta sit additionibus Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum.*

Apelles *ibidem signatus est, cujus major notitia requiritur.*

Philippus, Agrippinus et Reginsinda *male connectuntur in Usuardo Rosweydi : de virgine hoc die agitur, priores duo ad classes suas reducendi sunt.*

B *Sic* Fausta et Julia *apud Grevenum.*

Item Secundinus, Maximus, Martialis et Jacobus episcopus *in Hieronymianis minoribus et Bedæ auctariis conjuncti, aut nulli sunt, aut propriis suis locis hoc die relati.*

Harruchum, *ex abbate Amarbaricensi in Scotia, Verdensem in Saxonia episcopum, primus, quod sciam, Sanctis suis Benedictinis adscripsit Wion, eumque certatim secuti sunt Dorganius, Menardus et Bucelinus; iisque accessere Dempsterus ac Camerarius, avidi popularium Sanctorum aucupes, quos mirum est etiam Castellanum in partes trahere potuisse. Rotunde scripsit Wion;* Verdæ, S. Harruchi episcopi et martyris; *addens in notis martyrii coronam accepisse circa annum* 831. *Testis adducitur Krantzius in Metropoli lib* I *cap.* XXIX. *Fontem consulo, statimque perspicio, hæc dumtaxat ex eo hauriri potuisse.* Harruch octavus *(Verdensis episcopus)* hunc *(Isingerum)* insequitur, vir omnium plenus virtutum, cujus neque tempora, neque acta signantur. Hoc solum est annotatum, quod obierit Idibus Julii. *Quid de gestis, martyrio aut ejus tempore?*
C *Solummodo adjungit, fuisse* natione Scotum, *et* abbatem Amarbaricensem; *neque de cetero signa ulla exhibet, unde constare possit, Catholico ritu umquam cultum fuisse : ut prorsus non intelligam, unde Leslæus lib.* V *in rege Alpino, molestias ac cruciatus toleratos, quin et martyrii palmam, nisi ex mera conjectura accersiverit. Ut paucis dicam; vidit hæc omnia, aliaque etiam ex Bruschio observavit Mabillonius sæc.* IV *parte* II *Actorum Ord. S. Benedicti, ac nihilominus satis habuit, Harruchum signare inter Prætermissos, quo plura audere nobis integrum non censuimus; vix quidquam præterea dicturi, etiamsi inter Sanctos collocandus esset.*

Estherem *puellam in Britannia minori ut* piæ et beatæ memoriæ *celebrat hoc die Saussayus, utpote quæ Religionis Catholicæ causa, multa a parentibus, hæresi Calvinistica infectis, passa sit, ob quæ mortem a vitæ largitore precibus suis impetraverit; et ad cujus exspirantis cubile angelorum cantus auditus sit; aliaque quæ pluribus legi possunt in Supplemento pag.* 1146.

Raymarus *seu* Remarus *presbyter et præpositus Duacenus inter Prætermissos relatus est* XXI *Aprilis cum sufficienti viri, ætatis ejus et sepulturæ notitia; ubi tamen mentio facta non est scripti ad eum spectantis quod inter schedas nostras inveni, quasi hoc die facta sit aliqua ejusdem translatio aut inventio. Eo scripto continetur responsum Doctorum Duacensium ad quæsita a Capitulo S. Amati iis proposita, circa licitam erga Beatum istum, uti vocant, venerationem. Ut paucis rei medullam complectar; respondent consulti Doctores Sylvius, Le Long, et Randour* IV *Januarii* 1639, *ac subsequente* XIII *ejusdem mensis et anni tres e nostra Societate, Du Trieu, de la Croix et le Roy;* Non posse, *canonicos S. Amati,* beati Remari reliquias vel publice venerari, vel publice venerandas exponere, sed debere eas in eodem statu relinquere, quo ante inventionem erant, ita ut nec imagines nec lampades, nec candelabra possint apponere, nec quidquam aliud adhibere, quo populus ad earum cultum provocetur : *idque solidis argumentis evincunt, quod hic obiter insinuatum voluimus, ut magis pateat, recte Majores nostros* Remarum *prætermisisse, quorum placitis hic etiam insistendum putavimus.* D E

Milonem, *Morinorum opinor seu Teruanensem episcopum, ab Hispanis Præmonstratensibus in ordine aliquo recitandi Officii in Hispania hoc die repositum invenio sub ritu duplici; melius ab aliis signatur die sequenti, ubi inter Prætermissos plura dicentur.*

Egino *ad S. Udalrici Augustæ celebris abbas titulo* beati *donatus est hoc die a Menardo, his verbis :* Pisis in Italia, depositio beati Eginonis abbatis et confessoris qui multa adversa pro Sede Apostolica viriliter sustinuit. *Longiori elogio labores ejus, toleratas a schismaticis Henricianis persecutiones, constantiam et fortitudinem adversus immanes Herimanni Augustani episcopi vexationes prosequitur Bucelinus; prodigia nonnulla ad S. Udalrici facta commemorans, quæ* Eginonis *sanctitatem et merita non parum commendant; ut jam taceam mortem in exilio obitam; quæ omnia fusius narrat Udalschalcus in Vita quam manuscriptam habemus, unde nonnulla contraxit Mabillonius in Annalibus tomo V ad annum* 1109 *pag.* 542, *virum piissimum et venerabilem appellans, ejusque obitum pag.* 472 *recte anno* 1122 *consignans : sic tamen ut ubique abstineat* beati *aut* sancti *titulo, quem nobis fas non est tribuere, donec majori quam Menardi aut Bucelini auctoritate ipsi legitime decernatur.* F

Tres Hostiæ sacræ *summa cum veneratione asservantur in urbe regia Principumque sede Bruxellis in Brabantia, hodiedum tinctæ sanguine, quas anno salutis* 1370 *impiæ Judæorum manus violarunt; eædemque quotannis circumferuntur solennissima supplicatione medio mense Julio, Dominica S. Margaretæ festum præcedente. Verba ferme sunt Miræi in Fastis Belgicis et Burgundicis, apud quem plura in eam rem videri possunt. Recentissima est memoria septimi Jubilæi, seu anni trecentesimi quinquagesimi incredibili apparatu in ea urbe celebrati, triumphum Eucharisticum eleganti latina oratione decorante Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Henrico Josepho van Susteren Brugensium Episcopo. Quæ omnia typis edita sunt.*

Benedictum

A Benedictum PP. XI *inter Prætermissos signavimus* VII *Julii, eos quorum interest, rogantes, ut veri cultus argumenta suppeditarent, quibus suffulti de ipso hoc die tuto ageremus : quamdiu ea desiderantur, nihil ultra est quod subjiciamus.*

Jacobus de Voragine *Genuensis archiepiscopus, ex Ordine S. Dominici assumptus, satis communiter a suis* Beati *titulo insignitur, sicque hoc die refertur in Diario Marchesii : quin et imaginem altari, ejus nomini dicato impositam asserit Joannes Michaël Pius, in Dominicana progenie pag.* 422, *appensaque ibidem anathemata etc. Scimus, virum multa doctrinæ et sanctitatis laude claruisse, mortuum anno* 1298; *verum* Beati *aut* Sancti *honores legitime permissos aut decretos hactenus ignoramus.*

Vladomiri *alias* Wlodimiri *memoria apud Russos hoc die celebris est, notaturque magnifice,* Mors magni et simillimo apostolici, magni Ducis Wlademiri, autocratoris terræ Russicæ, in S. Baptismo dicti Basilius, qui Russiam Christianam reddidit. *Verba sunt Menologii Slavo-Russici, quod verbatim e Sla-*
B *vonica lingua in Latinam versum a perillustri ac generoso D. Joanne Gabriele Barone a Sparwenfeldt anno* 1688, *cum variis codd. tum Mss. tum diverso tempore editis collatum est : ubi additur, dictum* Vladomirum *(in Ephemeridibus Græco-Moscis* Bladimerum, *alias* Vlodomirum*)* sancto lavacro baptizatum esse anno DCCCCXCVI *(lege* 990*)* sub Imperatoribus Basilio et Constantino; obiisse anno MXIV sub Michaële I, *et* condita esse ossa ejus in templo ejus Diciatimico sanctissimæ Deiparæ Kioviensis. *Ibidem invenio annotatum, templum illud* a decimis nomen habere, quæ vel ibi solvebantur, vel ex quibus constructum erat. *His fere consonat Synaxarium Ruthenorum peculiare diœcesis Kioviensis continens præter Sanctos a Græcis acceptos, etiam Peczerienses et proprios Ruthenorum, quemadmodum invenitur ad calcem Euchologii, estque etiam Moscis usitatum, interprete nostro P. Georgio David missionario Moscuæ residente anno* 1688, *ubi legitur :* Obitus sancti atque æqualis Apostolis Vlodomiri, principis Kijoviensis, autocratoris Rus-
C siæ, dicti in Baptismate Basilii, a quo in Russiam Baptismus et vera fides introducta : *nempe qualis tunc Græcorum erat, ut mitissime dicam, saltem suspecta. In aliis schedis nostris paria ferme reperies, atque appositum passim* Sancti *titulum. Monuit pridem Papebrochius, in dictis Ephemeridibus* cupere se historiam vitæ, et sanctitatis monumenta ex antiquioribus Ruthenorum Mss. discere, nec non præsentem corporis vel sepulcri venerationem et statum. *Non male quis etiam cupiat, ut omnino probetur, ritum vere Catholicum suscepisse Vladomirum, contra quam variis locis, præsertim ad annum* 987 *et* 990 *innuat Dlugossus, atque item Michovius lib.* II *cap.* III; *apud quos, Lubienskum, Herberstainium et alios scriptores non magna invenias sanctitatis indicia aut antiqua cultus argumenta. Atque hæc causa est cur in his lentius procedendum existimem ; atque adeo in ordine ad Sanctos Russos aut Moscos ritum Græcum posterioribus sæculis amplexos, non immerito exigi posse, ut si post famosum schisma vixerint vel mortui sint, cum Ecclesia Romano-Catholica*
sensisse probentur : id quod in Vladomiro, rite D
perpensis omnibus, mihi quidem hactenus desiderari videtur, quidquid et ipsum et hujusmodi alios in Ruthenicis tabuli recensitos videam, quin imo et a Græcanicis nonnullis etiam unitis hodie colantur. Non ignoro, mitiorem in hac re fuisse magistri mei Papebrochii sententiam, quam et Pagius amplexus est ad annum 987 *num.* 8 *et alibi; Russos nimirum a susceptis Christianis sacris irretitos non fuisse Græcorum schismate, quod tunc sopitum fuisse existimant; ubi interim Patriarcharum Constantinopolitanorum istius temporis gesta non usque adeo faventia videntur. Nihil hic contra Majores meos definio; cum autem vix aliud in laudem Vladomiri afferri possit, quam quod suos ab idololatria ad Christianismum adduxerit, in rei vero adjunctis parum convenientia sint Græcorum et Russorum aliorumque testimonia, nihil peccatum fuerit, si res tantisper suspendatur, donec ex illis partibus ea accipiamus, quæ supra a Papebrochio desiderari diximus, quando ultro et libentissime de Vladomiro et duobus filiis, ut Sanctis, acturi sumus* XXIV *hujus, vel in mensis, aut demum totius anni Supplemento.* E

Teresa regina *monialis in Zaydia Valentiæ obiisse hoc die dicitur in Kalendario sacri Ordinis Cisterciensis, nullo* beatæ *aut* sanctæ *titulo adjecto : ast ab Henriquez. Chalemoto et tabulis expansis* beatæ *appellatione donatur et ab utroque scriptore magnis decoratur elogiis, citanturque ab Henriquez scriptores varii qui de ipsa egerint; præter miracula et corporis incorruptionem, postquam cœnobium aquarum illuvie ferme periit anno* 1517. *Necdum reperio tam certa cultus argumenta ut Sanctis eam annumerare audeam : si talia proferantur, debito honore non frustrabitur.*

Godefridus Prior Clarævallensis episcopus Lingonensis *signatur etiam in eodem Kalendario, nude rursus, et absque ullis venerationis umquam exhibitæ indiciis, a quibus etiam abstinent Sammarthani, ejus anniversarium referentes Idibus Novembris. De ipso non meminit Henriquez, verum a Chalemoto collocatur* VIII *Novembris cum longissimo elogio et expresso* beati *titulo, quem ei necdum debitum existimamus.*

Captam Hierosolymam, *seu ejus e Saracenorum* F
manibus liberationem hoc die celebrat Molanus in additionibus ad Usuardum, et post ipsum recentiores alii. Annum male signavit in prima editione, ast in aliis sic recte : Ipso die Hierosolyma ab exercitu Christianorum capta, anno milleno cum centesimo minus uno. *Rem fusius ex Guilielmo Tyrio describit in Natalibus, præmittens fuisse olim hoc die* festum duplex cum octava. Sicut enim, *inquit,* Judæi annue celebrare solent luctum eversæ Jerusalem, cujus testem habemus beatum Hieronymum, ita majores nostri memoriam ereptæ a Turcis Urbis sacræ celebrarunt, usque dum vox solennitatis versa est in planctum. *Erat Officii istius principium;* Ecce nomen Domini venit de longinquo. *Nobis satis est, rei memoriam hic obiter annotasse.*

Petrus Eremita *fundator novi Monasterii, tamquam sacri istius belli primus auctor et incentor ab eodem Molano subjungitur, cum elogio et inscriptione ex qua patet eum obiisse* VIII *Idus Julii anno Domini* 1115, *ut ibi pluribus videri*

A *deri potest : nos de eo in Prætermissis supra egimus die quo mortuus est* VIII *Julii.*

Godefridus Bullonius *ejusdem belli et Francorum cruce signatorum in Orientem ductor locum etiam hic suum habet apud Molanum, præclara ipsius facinora et virtutes Christiano Principe dignas describentem ; quæ vulgo notissima sunt ; uti et quod unanimiter in Regem electus fuerit, rejecto tamen aureo diademate : quod fundaverit claustrum in quo canonicos Dominici sepulcri collocaverit : quod anno proxime sequenti* 1100 *ad æternum regnum transierit* XV *Kal. Augusti, seu mensis hujus* XVIII, *quo die memoria ejus denuo recurret ; non tamen cum titulo* beati, *tametsi notaverit Bollandus, ad S. Waldetrudis Montibus post summum altare depictam esse imaginem regis coronati spinis cum epigraphe* B. Godefridus Bullonius.

Gerardus a Florentia *in agro Picæno*
Peregrinus *Lublini in Polonia*
Paulus de Petra Roya *in Apulia*
Baptista de Rotano *in insula Ilba*
B Christophorus *in territorio Abulensi*
Agnes Viotta *Alenconii in Neustria*
Chatharina de Porta *in diœcesi Hispalensi*

Memorantur ab Arturo in Martyrologio Franciscano ; et duæ ultimæ etiam in ipsius Gynæceo.

Ven. Ignatii Azevedii *e Societate Jesu, generis nobilitate juxta ac sanctitate clarissimi, nec non comitum ejus tum Sacerdotum tum laicorum undequadraginta, in hunc et sequentem diem anno* 1570 *incidit gloriosum certamen ; ut qui ab archipirata hæretico Soria prope insulam Palmam capti, variis modis in odium fidei occisi et in mare mersi sunt. Rem totam libris quatuor accurate descripsit et Romæ edidit noster Petrus Possinus anno* 1679. *Processus ad canonizationem pridem instituti sunt ; verum causa apud Apostolicam Sedem adhuc indecisa pendente, satis habemus hæc paucis hoc loco annotare, alibi, dum licuerit, de eorum triumpho acturi.*

Ven. Rudolphus Aquaviva *ex eadem Societate, non minus illustri, etiam hodie apud Neapolitanos sanguine, quam heroicis virtutibus inclytus,* C *cum quatuor sociis sacerdotibus, hoc ipso die anno* 1583, *Goa non procul, coronam martyrii consecutus est, cujus legitimam declarationem ab eadem Apostolica Sede exspectamus, quando in hujus mensis appendice vitam et gesta singulorum illustrare poterimus.*

S. Margareta *male hoc die adjecta est Martyribus Hieronymianis in codice Rhinoviensi, distincto ab aliis charactere. Jam et superius diximus in multis ecclesiis Sanctam eamdem coli solitam* XIII *Julii. Nos de ea cum Romano agemus* XX Julii.

S. Liberatæ V. M. translationem *hoc die retulerat Marietta, ex quo ipsam haud dubie accepit Ferrarius in Catalogo generali, quamvis notet tabulas eccl. Segontinæ et Casaraugustanæ. Tamayus hic eloquentiæ suæ vela largiter expandit, sed quæ nobis lubet contrahere. Tota rerum ad* S. Liberatam *seu* Wilgefortem *spectantium implexa et obscura congeries, quantum fieri poterit elucidabitur* XX Julii.

Sancti Martyres Paulus, Valentina, et Thea sub Firmiliano vel Firmino præfecto. *Passio summatim descripta est apud Sirletum. Eadem habetur breviter in Synaxario Basiliano. Sed* D *cum* Valentina *in Martyrologio Romano referatur die* XXV *hujus ; tam ipsam, quam Comites ejus remittimus ad eumdem diem* XXV Julii.

Cyriacus et Eutropius *ita conjuncti annuntiantur a Maurolyco et quidem* Romæ, *nescio quo duce vel auctore. Cyriacum cum matre Julitta ad diem proprium jam remisimus ; de Eutropie martyre Portuensi cum sororibus agitur hoc die suo loco.* Cyricum Romæ Martyrem *adjectum lego Hieronymianis minoribus Augustano, Labbeano et Gellonensi, sed tacentibus omnibus aliis tum majoribus tum contractis, assumentum esse tantisper censeo, donec aliunde major accedat auctoritas, nisi et eo rejiciendus sit quo* Cyriacum *alium remittimus. Vetus enim Kalendarium Romanum, a Frontone editum,* Cyriacum *aliquem hodie refert, quem Antiocho Medico Sebasteno, de quo hodie agitur, conjungere non audet, sed putat, occasione ecclesiæ ipsi dedicatæ, eo die positum fuisse, confundendum cum Cyriaco et sociis de quibus agendum erit* VIII Augusti.

Joannes *aliquis presbyter Armoricus, seu in Britannia minori natus, apud Caïnonem* (Chinon) *in Turonibus hoc die cum cognomento* de monasterio *(Gall.* du moutier) *et titulo* sancti *annuntiatur a Castellano in Martyrologio universali, adjecto hoc etiam brevi elogio ; quod* S. Radegondis ab ipso postulaverit cilicium, dum ad eum mitteret ornamentum alteris auro et unionibus textum pro ejus oratorio : ubi postmodum sepultus fuit prope S. Maximum. *Utut plurimum deferam Castellani, Sanctorum curiosi refossoris auctoritati, necdum video, admitti satis posse istum Joannem, Fastis omnibus sacris, saltem hoc die incognitum, cujus veri cultus sufficientia indicia necdum inveni. Plura quidem de ipso leguntur in prædictæ S. Radegondis Vita. At non omnes qui in eis Actis laudantur, continuo Sancti dici possunt : nihil autem præterea tradunt scriptores aut Fasti gallici, nisi eumdem* Joannem *(sic equidem ex gente et positione conjicio) designare voluerit Saussayus ad* XXIII *Februarii ; ubi a Bollando ; ut ignotus prætermissus est. Obscura mihi sunt hactenus et confusa Catholicæ venerationis vestigia. Cum autem tota Joannis istius notitia haberi debeat ex* F *jam laudatæ S. Radegondis Vita ; si certiora accedant cultus argumenta, poterit de eo (cujus natalis dies incertus est) cum sancta ea Regina agi* XIII Augusti.

Balduinus *monachus Claravallensis, S. Bernardi discipulus, et ab eo speciali amoris prærogativa dilectus, abbas deinde institutus Reatini in Italia cœnobii, laudatur hoc die a Chrysostomo Henriquez in Menologio Cisterciensi, a Chalemoto, quod mireris, omnino prætermissus, nisi eum confuderit cum alio Bernardo Cardinale et archiepiscopo Pisano, de quo varia narrat ad* VI *octobris. Utcumque fuerit, cultu gaudet Bernardus apud Reatinos non hoc die, sed eo quo pluribus de eo agemus* XXI Augusti

S. Rosaliæ *Virginis Panormitanæ inventio sacri corporis,* quod Urbano octavo Pontifice maximo repertum divinitus, anno Jubilæi Siciliam a peste liberavit, *adjecta est Martyrologio Romano : Sanctæ natalis est, quando et Acta ejus, et cetera ad eam spectantia diligenter illustrabuntur* IV Septembris

Sanctorum martyrum Onesiphori et Porphyrii ex

A ex urbe Iconio; quorum Onesiphorus fuit discipulus Pauli Apostoli, *certamen hodie inscribitur Menologio a Sirleto latine reddito, et a Canisio edito; de quibus etiam meminit codex Taurinensis Ducis Sabaudiæ; ac die crastina Græci agunt, ut videre est in Prætermissis ista die. At nos eos dabimus cum Martyrologio Romano* vi Septembris.

SS. Senatoris, Viatoris, Cassiodori martyrum et Dominatæ matris eorum translatio *refertur in codicibus Florentinis tamquam hoc die, sed nescio quo anno facta. Eorumdem memoriam lego in Horologio Græco Romæ edito anno* 1677, *in usum monachorum Basilianorum pag.* 464 : *at satis liquet, ipsos a Latinis acceptos fuisse. Eosdem novissime recensuit Castellanus in Martyrologio suo Universali, ubi non recte* Domniate *legit pro* Dominata. *Quærendi sunt Martyres isti in Pauli Gualterii Legendario Martyrum Calabriæ lib.* IV, *cap.* XLV. *Sunt enim Martyres Argentani in Brutiis, de quibus agit Ferrarius in utroque Catalogo, et nos cum ipso agemus* XIV Septembris.

Eadgytha, Eadgatha *seu* Editha *signatur in* B *monasticis Benedictinis Wione, Dorganio et tota reliqua sobole, atque ex ipsis, haud dubie, a Wilsono in Martyrologio Anglicano hoc die, quo a Maihevio in Trophæis longa historia texitur, sed adeo implexa, ut multum dubitem, satisne intellexerit ipse, quæ ibi de una, an tribus synonymis involute congessit : inter alia memorans, constare oportere de sanctitate Eadgythæ Polleswortbensis seu Polesberiensis et Gotzelini testimonio. Audiantur ejus verba pag.* 1050 : Id enim imprimis constat, *inquit*, auctoritate et testimonio Gotzelini Morinensis, auctoris gravissimi, qui, ut paulo superius ex Malmesbur. De gestis Regum lib. 4, cap. 4 retulimus, anno circiter Christi MC, multos episcopatus et abbatias in Anglia D perlustrans, innumeras Sanctorum Vitas conscripsit. Inter alias autem, eum Vitam scripsisse S. Eadgythæ virginis, testantur auctor Catalogi scriptorum Britanniæ, Wion lib. 2, cap. 68, Possevinus in Apparatu et alii. Sed et eamdem Sanctam agnoscunt auctores illi quos statim producemus, ita ut de hoc minime sit dubitandum, quamvis de quibusdam circumstantiis Vitæ ejus nonnullæ apparere videantur inter prædictos auctores differentiæ. *Utique multæ et graves : quæque tales visæ sunt Mabillonio in Actis SS. Ordinis S. Benedicti sæc.* V, *pag.* 636, *ubi de alia S. Eadgytha seu Editha agit, ut non putet, ex Vita a Gotzelino edita, ullo modo dissolvi posse. Nimirum Vita ista, quam ibi ex Gotzelino refert Mabillonius, ad S. Eadgytham Wintoniensem spectat, nihil commune habens cum una aut tribus synonymis Polleswortbensibus. Dubia igitur manent quæ ibi tradit Maihevius, neque nobis sufficiens hactenus videtur Martyrologorum istorum monasticorum auctoritas, ut Sancta, alibi ignota, continuo admittatur. Si tamen postmodum certiora accedant sanctitatis aut cultus* E *argumenta, poterit tota Maihevii obscurior oratio discuti et illustrari ad diem, quo laudata a Mabillonio S. Eadgytha in Martyrologio Romano refertur* XVI Septembris.

Angelus custos *in diœcesi Turasionensi colitur Dominica* III *Julii Officio proprio : solennior est eadem festivitas* pro omnibus provinciis ac ditionibus, tam hereditariis quam aliis Augustissimo Romanorum Imperatori subjectis *Dominica prima Septembris cum octava. Poterit de festi istius institutione agi eo die quo ab Ecclesia communius colitur* II Octobris.

De S. Euchario *agendum erit* VIII Decembris.

DE DIVISIONE APOSTOLORUM

G. C.

COMMENTARIUS HISTORICO - CRITICUS.

C

§ I. Ubi hæc divisio colatur, et quo modo facta sit.

F

VULGARIS ÆRÆ ANNO XL.

Festi hujus cultus ex auctariis Usuardinis,

Q*uamvis antiqui Ecclesiæ Patres, aliique tum Græci tum Latini scriptores de hac Apostolorum Divisione sæpius meminerint, tamen nec certum nec festum diem eidem assignant. Græci quidem in Menæis, Synaxario Basiliano, aliisque Menologiis die* XXX *Junii solennissime celebrant synaxin seu festivitatem sanctorum Apostolorum, ut in Prætermissis ad eam diem indicavimus; sed cum tunc etiam de aliis Christi discipulis mentionem faciant, non videntur proprie colere festum Divisionis Apostolorum, de quo nobis hic agendum est. Ex Beda Plantiniano, Adonis appendice, et auctariis Usuardi primum colligo, illius Divisionis memoriam Idibus Julii annua festivitate celebratam fuisse. Beda Plantinianus, quem etiam supposititium interdum vocamus, hac die simpliciter ait :* Dispersio Apostolorum; *Appendix vero ad Martyrologium Adonis apud Rosweydum nostrum sic habet :* Eodem die Divisio Apostolorum. *Eadem pene verba habet Usuardus Heriniensis, atque ei ætate suppar Rosweydinus, ut saltem sæculo* XII *antiquior videatur festivitatis institutio. Alii codices Usuardini, citato Bedæ testimonio, Divisionis annum addiderunt, ut videre licet in Usuardo non ita pridem illustrato. Ceteris prolixior est hæc Usuardi Lubeco-Coloniensis annuntiatio :* Divisio Apostolorum ad prædicandum verbum Dei per universum orbem; quæ, ut Beda scribit, anno a passione Domini duodecimo facta est. Petrus Antiochiam venit, deinde Romam resedit et ibidem crucifigitur. Paulus mundum sua prædicatione illustravit, et Romæ decollatur. Andreas Achaiæ crucifigitur. Jacobus Zebedei Hierosolymis decollatur. Joannes Epheso in pace moritur. Philippus in Phrygia lapidatur et crucifigitur. Jacobus Alphei fuste fullonis perimitur. Bartholomeus in India excoriatus decollatur. Thomas in alia India, quæ est in fine mundi, transfigitur. Simon et Thadeus in Persida perimuntur. Mattheus in Æthiopia coram altari lancea perforatur. Matthias in Judea martyrium complevit. Hæc Divisio præcepto Christi facta

AUCTORE G. C

A facta est, ut impleretur illud Psalmistæ : In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum.

Equilino episcopo.

2 *Petrus de Natalibus episcopus Equilinus etiam satis fuse hanc Divisionem memorat, et illius festi celebritatem distinctius sic explicat lib.* VI, *cap.* XCIX. Divisio Apostolorum ad prædicandum Idibus Julii celebratur ; quia eo die duodecimo anno post Ascensionem Domini ad euangelizandum verbum Dei per mundum divisi asseruntur, ut impleretur oraculum psalmistæ David ; Quia in omnem terram exivit sonus eorum etc. Nam oriens cessit Thomæ et Bartholomæo ; Meridies Simoni et Mattheo ; Aquilo Philippo et Thadeo ; Medium mundi Mathiæ et Jacobo justo ; Mediterranei maris provinciæ Johanni et Andreæ ; Occidentis regna Petro et Jacobo Zebedei ; Totus mundus Paulo Apostolo datus est, secundum quod in ejus collecta ecclesia asserit dicens : Deus qui universum mundum beati Pauli Apostoli prædicatione docuisti etc. Et cantatur in hoc festo in Missa Epistola : Corde enim creditur ad justitiam. Rom. x.
B Et Euangelium : Euntes in mundum universum Marc. ultimo cap. quæ solennitati maxime conveniunt. *De provinciarum partitione, quæ hoc et præcedenti numero ponitur, postea agemus, ubi ea, quæ ad cultum, Divisionis modum ac tempus pertinent, præmiserimus.*

recentioribus Martyrologiis.

3 *Ex fontibus, ni fallor, supra indicatis sua hauserunt Maurolycus, Ferrarius in Catalogo Generali, aliique recentiores Martyrologi, inter quos Saussayus hac die in Martyrologio Gallicano festum istud celebrat his verbis :* Divisio sanctorum Apostolorum jam pridem in ecclesiis Galliæ celebris, quæ ab hinc suæ fundationis primordia repetunt, quod ab nonnullis Apostolis virisque apostolicis, postquam ab Hierosolymis discesserunt, ut euangelica prædicatione orbem imbuerent, sicut a Domino his præceptum fuerat, plures ex iis censeantur institutæ. *Quidquid sit de hac apostolica Gallicarum ecclesiarum fundatione, quæ suo tempore examinata est ac porro examinabitur, certum est in Gallia hujus Divisionis festivitatem olim celebratam fuisse, ejusdemque memoriam, testibus scriptoribus Gallis, etiamnum in collegio Montis*
C *Acuti Parisiis conservari. Invenio præterea istius Divisionis Officium in antiquo Breviario Autissiodorensi, Virdunensi, et Bisuntino, quod anno* 1590 *excusum est. Vix dubito, quin et in aliis Christianissimi regni ac finitimarum regionum diœcesibus idem Officium olim recitatum fuerit.*

et propriis Officiis

4 *Belgas etiam de hac Apostolorum Divisione jam pridem Officium recitasse conjicio imprimis ex Florario nostro Ms., quod sæculo decimo quinto in Belgio scriptum sic habet :* Divisio Apostolorum IX lectionum. *Post hæc adduntur ibidem varia de Divisionis tempore et Apostolorum prædicatione, quæ postea ex antiquioribus scriptoribus discutientur. In Missali autem insignis ecclesiæ Leodiensis, quod anno* 1509 *Parisiis impressum est, hoc festo legitur sequens collecta :* Deus qui Divisionem Apostolorum tuorum hodierna die fieri tua præordinasti providentia, ut in una fidei gratia, gentium dispersa vocaretur ecclesia, da nobis per supplicationem ipsorum, nostrorum veniam promereri peccatorum, per quorum veram prædicationem ad tui nominis pervenimus agnitionem. Per Dominum etc. *Eadem collecta legitur in Breviario Tungrensi, quod ejusdem cum Missali Leodiensi circiter ætatis esse videtur. Proprium etiam ejusdem festi Officium reperitur in Breviario Insulensi, quod anno* 1533 *ad usum insignis ecclesiæ collegiatæ sancti Petri typis excusum est. Hæc Divisionis Apostolorum festivitas hodiedum perseverat in Metropolitana Mechliniensi, ut videre est in propriis illius ecclesiæ Officiis, et nos in diœcesi Antverpiensi ob aliud festum* XV *occurrens, eamdem quotannis die* XVIII *Julii recolimus, ac in ea recitamus collectam, quæ a Leodiensi superius exhibita parum differt.*

variarum ecclesiarum ostenditur

5 *Ejusdem diei veneratio usque ad gentes septemtrionales penetravit : nam Poloni in Officiis propriis patronorum regni Poloniæ anno* 1643 *Antverpiæ excusis istud festum sub ritu duplici celebrant, et legunt sequentem orationem :* Deus qui Ecclesiam tuam distributam per orbem terrarum sanctorum Apostolorum prædicatione fundasti, concede propitius, ut quorum hodierna die sub una celebritate recolimus insignia, eorum in cunctis necessitatibus nostris experiamur suffragia. Per Dominum *etc. Eodem plane Officio utitur diœcesis Vratislaviensis in Silesia. In Dania aliisque regionibus borealibus, an-* E *tequam Lutherana peste inficerentur, solenniter illud festum celebratum fuisse colligo ex Breviario Slewicensi, quod anno* 1512 *impressum Lectiones proprias sic exorditur :* Divisio Apostolorum Idus Julii a multis solenniter celebratur, quia eadem die post ascensionem Domini per mundum divisi asseruntur. *Ecclesia vero Raceburgensis in Saxonia inferiore sita in suo Breviario anni* 1506, *hanc Officio proprio præmittit Rubricam :* In Divisione Apostolorum summum festum. *Si vacaret omnia Musei nostri Breviaria pervolvere, haud dubie in plerisque orbis Christiani partibus memoria illius festivitatis occurreret. Sed hæc ad hodierni festi cultum ostendendum sufficient. Jam, quomodo facta sit hæc provinciarum divisio, primo videamus.*

Apostolos ante Divisionem Hierosolymam convenisse

6 *Verosimile admodum est, Apostolos, qui in Judæa et Syria Judæis potissimum prædicaverant, Hierosolymam convenisse, antequam fidem Christianam remotissimis gentibus annuntiaturi in totum terrarum orbem dispergerentur. Præter alios id indicare videtur S. Justinus martyr, qui in oratione ad Antoninum ita tradit :* Hierosolymis duodecim viri profecti sunt in mundum ; atque F hi quidem indocti, et minime eloquentes, Dei autem virtute humano generi denuntiaverunt a Christo missos se esse, qui cunctos Dei verbum docerent. *Haud dubie etiam ante hanc divisionem commune quoddam fidei symbolum constituerunt, quo Christiani tamquam militari tessera dignoscerentur, et ne ulla vel apparens inter eos in annuntiatione Evangelii disparitas esse videretur. Testatur hoc Rufinus Aquileiensis presbyter initio commentariorum in symbolum his verbis :* Discessuri itaque *(Apostoli)* ab invicem normam sibi prius futuræ prædicationis in commune constituunt, ne forte alii alio adducti, diversum aliquid his, qui ad fidem Christi invitabantur, exponerent. Omnes igitur in uno positi et Spiritu sancto repleti breve istud futuræ sibi, ut diximus, prædicationis indicium in unum conferendo, quod sentiebat unusquisque, componunt, atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt. *Idem docet Hincmarus Rhemensis archiepiscopus in epistola adversus episcopum Laudunensem.*

7 *Vulgaris*

AUCTORE S. C.

et singulos Symboli compoſuis-se probabile est:

7 *Vulgaris traditio est, quam Baronius in Annalibus ad annum Christi* 44 *num.* 17 *defendit, quod singuli Apostoli singulos Symboli articulos composuerint. Quamvis noverim non esse certam hanc opinionem, miror tamen, quod Tillemontius Tom. I Memor. Eccles. pag.* 649 *scribere ausus fuerit, eam nullo fundamento niti, Baroniumque ad eam tuendam solummodo sermonem perperam S. Augustino adscriptum allegare. Miror, inquam, Tillemontium hæc duo asserere: nam imprimis Baronius loco citato hæc addit:* Hæc apud Augustinum; quamvis, an sit ille sermo S. Augustini, a quibusdam revocetur in dubium. Sed cujus sit, nihil interest, cum de singulis duodecim Apostolorum distinctis elogiis suppetant etiam aliorum testimonia. *Deinde citat S. Leonem Papam, Venantium Fortunatum, aliosque. An hoc est solummodo apocryphum S. Augustini sermonem allegare? Deinde num recte dici potest, nullo fundamento niti sententiam, quam Rufinus supra relatus his verbis indicat?* Breve istud futuræ sibi, ut diximus, prædicationis indicium, in unum conferendo, quod sentiebat unusquisque, componunt. *Clarius eamdem rem tradit S. Leo Magnus in epistola* XXVII
B
alias XIII *ad Pulcheriam Augustam, ubi circa finem de Eutychetis pervicacia ita loquitur:* Hoc stultissima insultatio * audet incessere, quod Dominus noster in Ecclesia neminem sexus utriusque voluit ignorare. Siquidem ipsa catholici symboli brevis et perfecta confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tam instructa sit munitione cælesti, ut omnes hæreticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari. *Venantius Fortunatus lib.* II *symbolum expositurus eadem fere habet, quæ Rufinus. Unde patet, hanc Baronii opinionem, non omni prorsus probabilitate esse destitutam, quamvis non adeo clara sint hæc testimonia, ut Baronii sententiam nos cogant amplecti. Alia quæstio est, an Apostoli communi consensu ita symbolum composuerint, prout in Ecclesia Romana conservatum fuit. De ea re acriter disceptatum fuit inter Gerardum Vossium heterodoxum libro de tribus symbolis Dissert.* I, *et Natalem Alexandrum Dominicanum sæc.* I *Hist. Eccles. Dissert.* II. *Videri etiam potest Christianus Lupus tom. I, cap.* II *in Notis ad Concilium*
C
Nicænum, et Baronius loco citato.

* *al.* refultatio.

saltem contra Tillemontii cavillationes probatur.

8 *Ulterius etiam progreditur Tillemontiana crisis, atque in dubium revocat, an symbolum ab Apostolis fuerit compositum. Fateri cogitur, antiquos Ecclesiæ Patres illud Apostolis attribuisse. Sed vellet ab iisdem Patribus responderi cuidam objectioni, quam ita proponit:* Postquam, *inquit,* Catholica fides de Ariana hæresi omnino triumphavit, utebantur in Oriente symbolo, quod a Nicæna synodo propositum et a Constantinopolitana auctum fuerat. Imo concilium Ephesinum et Chalcedonense prohibuerunt, ne quis alio uteretur; neque invenitur, ut puto, ab ea prohibitione exceptum fuisse symbolum Apostolorum. Difficile autem creditu est, quod sic quodammodo abolere voluissent symbolum, quod existimassent ab Apostolis compositum fuisse ad dirigendam totam Ecclesiam. Hæc difficultas videri potest magna; interim non minor erit, si quis tantum crediderit, hoc symbolum antiquitus in Ecclesia receptum fuisse tamquam doctrinam Apostolorum, de quo tamen nemo dubitat. *Hæc ille. At quorsum, obsecro, ex levibus conjecturis hæc dubia movet Tillemontius, quæ ipsemet solvere debuisset, nisi velit admittere, ne ipsam quidem Apostolorum doctrinam in symbolo contineri, vel illud Chalcedonensi concilio antiquius non esse. Sed jam homini Patrum responsionem, quam nullibi exstare noverat, desideranti, eorum loco satisfaciamus, et scrupulum eximamus.* D

symbolum synodo Chalcedonensi antiquius esse, et ab Apostolis traditum fuisse,

9 *Si Patres dubium adeo insulsum sibi a posteris objiciendum prævidissent, respondissent, quod mens concilii Ephesini et Chalcedonensis tantum fuerit prohibere fidei formulas a Nicæno symbolo discrepantes, ut hoc modo munirent Catholicos contra fraudes hæreticorum, qui quotidie novas fidei formulas excogitabant, et astuta fidei professione errores suos tegebant. Neque opus erat, ut ab hac prohibitione exciperetur symbolum Apostolorum, quod utpote omni exceptione majus Patres Nicæni tantummodo latius explicaverant, ac propter exortas hæreses auctum Ephesina cum Chalcedonensi synodo omnibus præscripserat, ut Catholici ab hæreticis dignoscerentur. Nam teste S. Augustino in libro de symbolo cap.* I, sub ipsis paucis verbis in symbolo constitutis plerique hæretici venena sua occultare conati sunt. *Ita etiam hodiedum Ecclesia Catholica Symbolum Apostolorum* E
non excipit, quando pro varia rerum exigentia certas fidei formulas proponit. Sic Gregorius XIII peculiarem a Græcis exigit fidei professionem nulla facta mentione symboli Apostolorum. Sed hoc responsum manifesto exemplo ad hominem declaremus.

quod argumento ad hominem.

10 *Pius IV summus Pontifex post exortas Lutheri et Calvini hæreses omnibus ad artium liberalium magisteria, Ecclesiastica beneficia, ordinum Regularium et Militarium dignitates promovendis certam præscripsit fidei formulam, cui in Bullario tom. II, pag.* 130 *hæc præmittit:* Nos volentes . . . . . . , ut unius ejusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque et certa illius forma cunctis innotescat, nostræ solicitudinis partes in hoc alicui minime desiderari, formam ipsam præsentibus annotatam publicari et ubique gentium per eos, ad quos ex decretis ipsius Concilii *(scilicet Tridentini)* et alios prædictos spectat, recipi et observari, ac sub pœnis per Concilium ipsum in contravenientes latis juxta hanc et non aliam formam, professionem prædictam solemniter fieri, auctoritate Apostolica tenore præsentium districte præcipiendo F
mandamus hujusmodi sub tenore. *Hic sequitur ipsa fidei formula, in qua post recitatum symbolum Nicænum varii errores Lutheri et Calvini damnantur. Si Tillemontius post mille annos redivivus legeret, summum Pontificem præcepisse,* ut unius ejusdem fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque et certa illius forma cunctis innotescat, *ac* juxta hanc et non aliam formam *professio fidei emittatur, putaret certe, se solidam habere rationem dubitandi, an tempore Pii IV symbolum Apostolorum extiterit, vel an in Ecclesia receptum fuerit, tamquam ab Apostolis traditum; præsertim cum Pontifex ab hac unica et certa forma, juxta quam et non aliam professio fidei fieri debet, non exceperit symbolum Apostolorum. Nam, ut fallaci Tillemontii ratiocinio utar,* difficile creditu est, quod sic quodammodo abolere voluisset symbolum, quod existimasset ab Apostolis compositum fuisse ad dirigendam totam Ecclesiam. *Ecce quam levi argumento antiqua Ecclesiæ traditio impugnetur.*

11 *Si quis forte dicat, postremis hisce sæculis satis*

et antiquis testimoniis confirmatur.

satis aliunde constare, quod Ecclesia utatur hoc symbolo, atque adeo a Pio IV illud excipi non debuisse; respondeo, *idem antiquitus satis notum fuisse: id enim indicant veteres scriptores, quorum breviora testimonia hic exhibeo. Ut omittam Irenæum et Tertullianum, de quorum interpretatione disceptatur, clare S. Ambrosius lib.* I, *Epist.* VII *ad Siricium Papam ita scribit :* Credatur symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit et servat; *S. Augustinus in libro de symbolo cap.* I *sic habet :* Est autem fides Catholica in symbolo nota fidelibus, memoriæque mandata, quantum res passa est, brevitate sermonis *etc. Cælestinus I in epistola ad Nestorium illud vocat* symbolum ab Apostolis traditum. *Concilium Ephesinum in Relatione ad Theodosium Augustum de Nestorii depositione sic loquitur :* Fides initio quidem a sanctis Apostolis tradita, postea vero a trecentis decem et octo Patribus in Metropoli Nicæna exposita, *id est symbolum Apostolicum, et Nicænum. Ruffini et Leonis Magni verba superius dedimus. Adde quod Apostoli symbolum suum scriptis non mandarint ob varias rationes, quas*
B *Christianus Lupus tradit tom. I in Notis ad Concilium Nicænum cap.* II. *Ruffinus in Commentariis ad symbolum hanc illius rei causam assignat :* Idcirco hæc non scribi chartis atque membranis, sed cordibus retineri tradiderunt, ut certum esset, neminem hæc ex lectione, quæ interdum pervenire etiam ad infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse. *Hinc etiam Hieronymus in epistola ad Pammachium contra Joannem Hierosolymitanum ita scribit :* In symbolo fidei et spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta et atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis et unitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis sacramentum carnis resurrectione concluditur. *Hæc sufficiant; jam ad levioris momenti quæstionem progrediamur.*

Negat Baronius, Apostolos provincias inter se sorte divisisse;

12 *Socrates lib.* I *Hist. Eccles. cap.* XIX *in editione Valesii, Apostolos forte provincias inter se distribuisse ita scribit :* Cum Apostoli prædicationis causa ad gentes profecturi, eas inter se sortito dividerent, Thomas quidem Parthiæ, Matthæus vero Æthiopiæ apostolatum sortitus est; Bartholomæo India, quæ Ethiopiæ
C confinis est, obtigit. *Hanc illius opinionem multis argumentis oppugnat Eminentissimus Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi* 44. Omittimus, *inquit,* hic recensere, quæ de ea re in pseudo-Prochoro commenta leguntur, ex quo fortasse acceperunt, qui forte provincias tradunt esse divisas, ut Socrates et alii . . . . . . Non admittunt Patres, post acceptum Spiritum sanctum, qui illos doceret omnia ac cuncta suggereret, Apostolos res agendas tanti præsertim ponderis sorti commisisse. . . . . . Dicimus ergo aliarum exemplo rerum, quæ ab ipsis sunt gestæ, hæc eadem omnia de divisione provinciarum Spiritus sancti speciali instinctu esse peracta : si enim de Paulo et Barnaba, antequam simul mitterentur ad prædicandum gentibus Euangelium, dixit (quod habet Lucas) Spiritus sanctus : Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos; quomodo non magis, cum omnes mittendi essent Apostoli, quo singuli profecturi essent, declaravit idem Spiritus sanctus ? Quin etiam cum singulorum ordinationes, non nisi præcedentibus prophetiis et specialibus admonitionibus Spiritus sancti (ut suo loco dicemus) ab Apostolis fieri consueverint, numquid in tanto tantæque molis negotio eum consulere neglexerunt ? Si insuper ad hominem unum baptizandum missus est angelus ad Philippum, et quo iturus esset, admonuit; numquid cum ad totius humani generis salutem mittendi essent Apostoli, quo singuli profecturi essent, Dominus per angelum vel aliter divinitus desiit demonstrare ? *Similibus exemplis toto numero sequenti idem confirmat.*

AUCTORE G. C.

quod tamen certo sensit asseri posse videtur,

13 *Forte Socrates aliique ita intelligunt illam Divisionem per sortes factam esse, ut peculiarem Spiritus sancti assistentiam non excludant, juxta illud, quod dicitur Prov.* XVI ℣ 33. Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur. *Si enim auctores illi velint, Apostolos hanc provinciarum distributionem ita sorti commisisse, ut a casu penderet, Baronio plane assentior. Sin autem Baronius nullas omnino sortes, etiam a Spiritu sancto directas admittat, oppono ipsi S. Hieronymum, qui hunc provincias par-* E
tiendi modum prædictum fuisse indicat his verbis Isaiæ Cap. XXXV : Ibi obviaverunt sibi cervi et viderunt facies suas; numero transierunt; unus ex ipsis non periit, nec quæsivit alterum. Dominus enim præcepit eis, et Spiritus ejus congregavit eos; et ipse dedit eis sortes et manus illius dividet eis; ut pascantur in æternum, et possideant in generatione generationum et requiescant in ea.

juxta Hieronymum, et electionem S. Mathiæ.

14 *Idem Hieronymus tomo III operum suorum Parisiis anno* 1704 *editorum col.* 279 *in commentario ad illa Isaiæ verba a septuaginta interpretibus translata ita tradit :* Sic allegorice interpretabimur, ut doceamus cervos id est Apostolos . . . . . obviasse sibi in Jerusalem et mutuos vidisse conspectus, et transisse ac reliquisse eam et ad diversas provincias perrexisse, quia Dominus mandaverat eis : Ite et docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti; et Spiritus illius congregaverit eos, dederitque eis sortes, atque diviserit, ut alius ad Indos alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, alius ad Græciam pergeret, et unusquisque in Euangelii sui F
atque doctrinæ provincia requiesceret. *Hieronymus igitur videtur significare, provincias orbis terrarum inter Apostolos sorte distributas fuisse. Et quid quæso in ea re piaculi est, cum de Mathiæ electione legamus Act.* I. Et statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est justus, et Mathiam. Et orantes dixerunt : Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum accipere locum ministerii hujus et apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est cum undecim Apostolis. *Quidni hoc etiam modo fieri potuit Apostolorum Divisio? sed de his fortasse plus quam satis. Jam majoris momenti disputationem de Divisionis tempore instituamus.*

AUCTORE G. C.

§ II. Quo anno divisi fuerint Apostoli.

Difficilis Apostolicæ Divisionis epocha,

Eminentissimus *Annalium Ecclesiasticorum parens Baronius hujus quæstionis difficultatem satis indicat; quando ad annum Christi* 44 *num.* 13 *eam discussurus ita præfatur* : Antequam vero de Petri Romam agamus adventu, operæ pretium existimamus et de ceterorum Apostolorum in diversas orbis provincias profectione paulo fusius atque accuratius agere, ac primum quo potissimum anno eadem acciderit, diligentiori studio perquirere. In his pervestigandis plurimum laboris subiimus, multumque temporis insumpsimus; sed quem secure sive ex Græcis sive ex Latinis auctoribus sequeremur, invenimus neminem. *Deinde profert suam de hac re sententiam, quam postea examinabimus. Hæc difficultas hactenus multorum torsit ingenia, scriptoresque in varias coegit abire* B *opiniones, quarum præcipuas hic prius refutabimus, ac deinde nostram stabilire conabimur.*

a quibusdam paulo post Pentecosten

16 *Quidam Hispani censent, Apostolos statim a Spiritus sancti descensu seu Pentecoste ivisse in suas provincias, atque inter eos noster Gaspar Sanctius in opusculo, quod de Prædicatione S. Jacobi in Hispania post suos in Acta Apostolorum Commentarios edidit, Tract.* I, *cap.* VI, *num.* 4, *ita opinionem suam exprimit.* Cum nihil de hac Apostolorum Divisione sit certum, dicam quod mihi magis videtur ad veritatem. Puto igitur paulo post Spiritus sancti descensum excessisse Apostolos ex Judæa, et in suam quemque provinciam abiisse. *Verum hæc sententia, præterquam quod apocryphis quibusdam testimoniis et infirmis fundamentis innitatur, mihi omnino deserenda videtur; quia Lucas, narrato S. Stephani martyrio, diserte asserit, Apostolos post primam fidelium persecutionem, quæ anno a Christi morte secundo mota est, Hierosolymis adhuc superfuisse, ut patet ex his verbis Act.* VIII. Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Jerosolymis, et omnes dispersi sunt per regiones Judææ et C Samariæ præter Apostolos.

perperam collocatur;

17 *Adde, quod Petrus et Joannes postmodum in Samariam profecti fuerint, ut Spiritum sanctum conferrent iis, qui a Philippo diacono ibidem conversi ac baptizati fuerant, quodque dein Hierosolymam tamquam ad fixum habitationis suæ locum redierint. Ut hæc clare demonstrem, accipe ipsum textum sacrum ex Actis Apostolorum cap.* VIII. Igitur qui dispersi erant, pertransibant euangelizantes verbum Dei. Philippus autem descendens in civitatem Samariæ, prædicabat illis Christum..... Cum vero credidissent Philippo euangelizanti de regno Dei, in nomine Jesu Christi baptizabantur viri ac mulieres..... Cum autem audissent Apostoli, qui erant Jerosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem. Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum : nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum..... Et illi quidem testificati et locuti verbum Domini, redibant Jerosolymam et multis regionibus Samaritanorum D euangelizabant. *Vides hic Petrum et Joannem ad Samaritanos mitti ab Apostolis*, qui erant Jerosolymis, *ibidemque post aliorum discipulorum dispersionem remanserant. Mirum sane, sententiam cum sacra Scriptura ægre conciliandam defendi a doctissimo viro, qui ipsa Apostolorum Acta Commentariis illustravit.*

ut et ab illis, qui eam anno secundo post Christi ascensionem factam volunt.

18 *Ad sententiam jam refutatam proxime accedunt, qui apocrypha Melitonis Sardensis auctoritate inducti, Divisionem Apostolorum anno a Christi ascensione secundo collocant. Audiamus quid Venerabilis Beda de testimonio, quod sub Melitonis nomine adfertur, judicet Retract. in Act.* VIII *tom. VI.* Si, *inquit*, dispersa Ecclesia, Apostoli remanserint in Hierusalem, ut Lucas ait, constat, quod mendacium scripsit ille, qui ex persona Melitonis episcopi Asiæ librum exponens de obitu Virginis dicit, quod secundo post ascensionem Domini anno Apostoli fuerint omnes toto orbe ad prædicandum in suam quisque provinciam divisi. *Tum in fine subdit* : Hæc ideo commemorare curavi, quia nonnullos novi præfato volumini contra auctoritatem beati Lucæ incauta te- E meritate assensum præbere. *Quamvis autem rationes, quas interserit, non satis convincant, tamen aperte his verbis indicat, quid de hac sententia sentiat. Neque hic pluribus opus est, cum hæc opinio ex dicendis refutanda sit.* Nam, *ut Baronii verbis utar loco supra citato*, nulla in primis ratio habenda est apocryphi illius scripti, quod Melitonis Sardensis episcopi nomine circumfertur, quo proditur, anno secundo ab Ascensione Domini Apostolos per orbem divisos in externis provinciis Euangelium prædicasse : neque enim hæc nostra confutatione indigent, quæ Actis Apostolicis perspicue refelluntur.

Alii volunt, divisos fuisse Apostolos ante annum tertium a conversione S. Pauli,

19 *Majus fundamentum habet sententia illorum, qui putant Apostolorum Divisionem factam fuisse, antequam Paulus post triennium a sua conversione ascenderet Hierosolymam, ut Petrum adiret. Sive autem hoc Hierosolymitanum Pauli iter postponatur Cornelii centurionis baptismo, ut quidam contendunt, sive eidem præponatur, ut alii volunt, nostra jam parum interest : nam intricata hujus baptismi epocha ad præsentem quæ-* F *stionem enodandam parum conferet. Sufficiat igitur, Paulum juxta communiorem chronologiam anno quinto post mortem Christi Hierosolymam venisse; quo posito, disquirendum tantummodo est, an ante hunc annum per orbem terrarum divisi fuerint Apostoli. Auctores, qui Apostolorum Divisionem contigisse arbitrantur ante hunc Pauli in urbem Hierosolymitanam adventum, allegant ipsum Apostolum ad Galatas ita scribentem cap.* I : Deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim; alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. *Ex his verbis concludunt, Apostolos jam in provincias sibi commissas abiisse, ut juxta Christi præceptum omnibus mundi nationibus Evangelium prædicarent.*

quorum opinio refutatur,

20 *Quamvis speciosum prima fronte videatur hoc argumentum, nego tamen ex his S. Pauli verbis recte inferri, quod Apostoli tunc fuerint per totum terrarum orbem divisi : facillime enim fieri potuit, ut S. Paulus exiguo temporis intervallo in urbe Hierosolymitana commoratus non viderit reliquos Apostolos, qui forte ad docendam Christi legem, confirmandos fideles, aliave munia apostolica exercenda*

AUCTORE G. C.

A *cenda in urbes aut agros Judææ et vicinarum regionum excurrerant. Sic vidimus Act.* VIII *Petrum et Joannem antea in Samariam missos fuisse, ac post multas Samaritanorum regiones apostolico cursu peragratas, denuo Hierosolymam rediisse. Sic in iisdem Apostolorum Actibus cap.* IX legimus, *Petrum post visitatas variarum provinciarum ecclesias venisse Lyddam, cujus incolas uti et Saronenses ad fidem convertit, et multis diebus mansisse in Joppe, antequam a Cornelio Centurione Cæsaream accerseretur. Dubitandum non est, quin etiam alii Apostoli pro rerum exigentia crebras hujusmodi excursiones instituerint, quamvis eas Lucas sigillatim non commemoret, dum totus versatur in enarrandis Petri laboribus, eique tamquam Apostolorum principi præcipuos nascentis Ecclesiæ fructus attribuit. Sic in descriptione cujusdam victoriæ, peculiariter laudatur ducis fortitudo, etsi constet, otiosos aut ignavos non fuisse milites. Quapropter non est violenta sacri textus interpretatio, si dicamus, alios Apostolos in Galilæa vicina regione ministeriis suis occupatos fuisse, quando Paulus tantum Petrum et Jacobum Hierosolymis invenit. Certe Apostoli nondum e Judæa* B *excesserant, quando Petrus Cornelium Centurionem (hoc multi post Pauli adventum Hierosolymam contigisse opinantur) atque alios gentiles Cæsareæ baptizavit, ut his verbis testantur Actus Apostolorum cap.* XI. Audierunt autem Apostoli et fratres, qui erant in Judæa, quoniam et gentes receperunt verbum Dei.

et S. Hieronymo hujus sententiæ defensori,

21 *Nihilominus instant adversarii, et consequentiam suam probant testimonio S. Hieronymi, qui in commentario ad prædicta Pauli Apostoli verba sic notat:* Non vidit autem eos *(nempe reliquos Apostolos)* non quo contemptui duceret; sed quod illi ad Euangelium prædicandum toto fuerant orbe dispersi. *Fateor hanc rationem ab Hieronymo datam eorum conclusioni omnino favere. Verum Doctoris illius in rebus historicis auctoritatem tanti non facio, ut ob eam plures antiquioresque deseram scriptores, qui aperte negant, Apostolos ante duodecimum a Christi ascensione annum toto orbe fuisse dispersos. Verba eorum dabimus, quando opinionis nostræ fundamenta ponemus. Audi interim Chrysostomum, qui Apostolicæ in Judæa prædicationi longum tempus* C *concedit, in editione Parisiensi anno* 1588 *tom. II Homilia* LXX *in caput* XXII *Matthæi ita scribens:* Post crucem autem non modo non vetuit *(scilicet Christus;)* verum etiam jussit veritatem Judæis attestari: Nam etsi omnes gentes docendas dixerit, in cælum tamen ascensurus, primum illis prædicandum esse significavit . . . . . . Propterea et Apostoli Judæis primo prædicaverunt, longoque temporis spatio cæsi et flagellati in Judæa manentes, ac demum ab ipsis propulsi, in gentes profecti sunt.

opponitur S. Chrysostomus.

22 *Ne quis contendat per tres aut quatuor annos Judæorum conversioni ab Hieronymo assignatos longum tempus intelligi posse, audiat iterum Chrysostomum, qui mentem suam explicat, et Hieronymo plane oppositus Apostolorum Divisionem nimium differt. Nam in editione supra citata tom. III, Hom.* XXV *in Acta Apostolorum sic loquitur:* Audierant, quod Samaria receperat verbum, et miserunt Petrum ac Joannem. Magnum enim discrimen erat, et non oportebat Apostolos illinc pridem separari, ne putentur esse fugitivi et suos fugisse. Tunc autem necessario separantur, quando nulla ratione res Judaicæ curari poterant, quando bello incrudescente perituri erant, quando sententia pronuntiata. Quoniam quamdiu Paulus in Romam non pervenit, illic erant. *Vides hic Apostolorum divisionem differri usque dum Paulus Romam venit, quod æræ vulgaris anno* 56 *contigisse diximus in Commentario prævio ad Acta SS. Petri et Pauli* § II, *num.* 14. *Quemadmodum adversarii coguntur in hac re opinionem Chrysostomi rejicere, ita etiam mihi hic licebit Hieronymi rationem non admittere.*

Baronii chronotaxis erroneo supposito nititur.

23 *Baronius, quem multi hactenus secuti sunt, in Annalibus Ecclesiasticis loco supra citato suum in hac controversia judicium sic satis aperte exponit:* Biennio ante tempus ab Apollonio definitum *(id est anno a Christi morte decimo)* Apostolos in orbis provincias esse profectos, liquido satis apparet. *Conatus quidem fuerat prius probare, Apostolorum Divisionem non potuisse diutius differri; sed ad id ostendendum utitur variis adductis rationibus, quæ tuta chronologia non nituntur, ut videbimus, quando argumenta contra sententiam nostram ab ipso aliisque objecta dissolvemus. Præterea cum Apollonium antiquitate* E *venerabilem rejiciat, non video qua ratione aut auctoritate determinatum huic Divisioni annum assignet. Si enim nulla veterum scriptorum ratione habita, conjecturis indulgere liceat, et statuere tamquam certo facta, quæ fieri potuerunt, æque quadriennio vel triennio quam* biennio ante tempus ab Apollonio definitum *istam Apostolorum Divisionem collocare potuit. Asserit quidem, quod* ex Actis Apostolorum satis perspectum habeatur, *eam ante hunc annum, cui Jacobi Majoris martyrium affigit, non contigisse, at fatendum est, tot perspicaces Scripturæ interpretes, aliosque viros in ea versatissimos hæc manifesta sacri textus testimonia non vidisse. Certe ego ea invenire voluissem ad impugnandam præcedentem sententiam, quam plurimi viri docti cum S. Hieronymo tuentur.*

Qui Apostolorum Divisionem usque ad primum Concilium Hierosolymitanum differunt.

24 *Nimium Apostolorum Divisionem differunt, qui cum Chrysostomo superius citato opinantur, Apostolos tantummodo per orbem dispersos fuisse post primum Concilium Hierosolymitanum, quod anno decimo nono a Passione Domini celebratum est. Arbitror hanc opinionem ortam esse ex non* F *satis recte intellectis Actibus Apostolorum, ubi cap.* XV *indefinite dicuntur Apostoli huic concilio interfuisse. Verum plures sacrarum Litterarum interpretes monent, non hic esse intelligendos omnes Apostolos, sed, ut scribit noster Cornelius a Lapide in Commentario ad hunc locum,* S. Petrum, Jacobum, et Johannem, ut patet Galat. 2, 9: Ceteri enim Apostoli dispersi erant per orbem. *Joannes enim facile* Epheso poterat evocari, uti et Mathias, et si qui alii in locis vicinis degebant. Jacobus aderat, utpote episcopus Hierosolymorum. Alter enim Jacobus Zebedæi, frater Joannis, jam pridem erat occisus. S. Petrus Roma expulsus cum ceteris Judæis a Claudio, ut patet cap. 18, 2, pariter in Jerusalem, quasi fidelium matricem, nutu Dei redierat. Hoc ergo concilium tribus primariis Apostolis constabat.

refelluntur

25 *Neque hujus opinionis defensoribus patrocinari possunt Constitutiones Apostolicæ falso sub S. Clementis Romani Pontificis nomine evulgatæ, in quibus lib.* VI, *cap* XII *asseritur, quod omnes duodecim Apostoli jam per orbem dispersi, instinctu*

Dei

Hi Hierosolymam convenerint, et quæstionem in hoc concilio propositam definierint. At quomodo Jacobus Zebedæi, qui erat unus e duodecim Apostolis, quemque mox cap. XIV, *expresse nominat pseudo-Clemens, huic concilio interesse potuit, utpote jam pridem occisus ab Herode? Hi libri forte ab antiquis hæreticis corrupti multa habent similia, ob quæ a Baronio, Bellarmino, aliisque passim apocryphi censentur. Præterea hæc sententia mihi omnino repudianda videtur, quia S. Marcus, quem ante hujus concilii tempus constat Evangelium conscripsisse, aperte satis significat, Apostolos per orbem fuisse divisos, antequam sacræ suæ historiæ finem imponeret: nam post mandatum Christi de annuntiando per totum mundum Evangelio, postque promissionem edendorum miraculorum Apostolis factam hæc verba subnectit cap.* XVI : Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. *Igitur jam in mundum universum profecti erant, et prædicabant ubique, quando Marcus hæc scriberet. Jam tempus est, ut post refutatas aliorum sententias* B *nostram proferamus.*

Sententia nostra Henscheniana chronotaxi innixa

26 *Imprimis sciendum est, chronotaxim nostram procedere juxta systema de morte Christi sub duobus Geminis consulibus anno æræ vulgaris vigesimo nono, uti Henschenius ante tomum primum Aprilis in Diatriba præliminari solidis argumentis probavit. Idem systema secutus est in eruditissimis suis scriptis Emanuel Schelstratius, ac pluribus confirmavit, præsertim in Antiquitate Ecclesiæ tom. I Dissert.* I. *Novissime vero eamdem sententiam de morte Christi sub Geminis defendit R. P. Honoratus a sancta Maria in Opere Gallico de Regulis et usu criseos tom. III Dissert.* I. *Ea occasione Henschenius in Diatriba præliminari Exercit.* III *de Apostolorum Divisione sic disserit :* Facta porro est Divisio Apostolorum anno Æræ vulgatæ quadragesimo, cum laberetur tunc post Ascensionem Christi annus duodecimus, quod jam statutæ Chronologiæ magnam addit confirmationem. Discessit tunc S. Petrus Apostolorum princeps ad principem orbis urbem Romanam, ibique primam Ecclesiæ universæ cathedram collocavit, in qua testimonio omnium, ut infra ad ejus elogium dicetur, sedit annos quinque et viginti, scilicet C usque ad annum LXV, quo eum martyrio coronatum infra demonstramus. Tunc etiam S. Jacobus Apostolus, filius Zebedæi et frater Joannis Euangelistæ potuit discessisse in Hispanias, ut communis Hispanorum traditio habet, ac potuit tam ipse, quam S. Petrus ob occurrentes causas circa annum XLIII reversus fuisse Hierosolymam, quando Herodes Agrippa, ut affligeret quosdam de Ecclesia, occidit Jacobum fratrem Joannis gladio. Videns autem quia placeret Judæis, apprehendit et Petrum, volens post Pascha producere populo. Hoc anno XLIII contigisse infra in elogio S. Petri probamus : cumque sic potuerit S. Jacobus ad tertium usque annum in Hispaniis substitisse, fit, ut etiam in hac parte, quæ aliis tam difficulter probatur, non laboremus. *Hanc Henschenii opinionem de anno, quo divisi sunt Apostoli, tamquam longe probabiliorem amplector, et, ne videar cæce jurare in verba magistri, eamdem antiquis testimoniis stabilio.*

stabilitur ex testimoniis Clementis Alexandrini,

27 *Clemens Alexandrinus secundi sæculi scriptor lib.* VI *Stromatum in editione Græco-Latina anno 1616 facta Lugduni Batavorum pag.* 450 *sententiam nostram tradit his verbis :* Propterea dicit Petrus, Dominum dixisse Apostolis : si quis ergo velit ex Israel duci pœnitentia, et propter nomen meum credere in Deum, remittentur ei peccata. Post duodecim annos egredimini in mundum, ne quis dicat ; non audivimus. *Ita, restituta loco suo interpunctione, legendum est, uti advertit Schelstratius, aliique. Nescio cur circa hoc testimonium cavilletur Tillemontius tom. I Memor. Eccles. pag.* 649, *ubi dicit, sese in toto sexto libro Stromatum illud non invenisse; cum tamen in tribus, quas vidi, editionibus tum Græce tum Latine sit obvium. Miror etiam, nostrum Cornelium a Lapide in Commentariis ad cap.* XII *Actuum Apostolorum asserere, quod hujus Clementis scripta, ab hæreticis vitiata, in apocryphorum librorum Catalogum a Gelasio relata sint; cum Gelasius tantum reprobet* opuscula alterius Clementis Alexandrini ; *qua expressione distinguere videtur duos Clementes eodem cognomine insignitos. Ut ut est, decretum Gelasii de opere, quod nos hic citamus, intelligendum non esse, patet ex Hieronymo, qui in epistola* LXXXIII *alias* LXXXIV *ad Magnum orato-* E *rem Romanum ita scribit :* Clemens Alexandrinæ ecclesiæ presbyter, meo judicio omnium eruditissimus, octo scripsit Stromatum libros, et totidem ὑποτυπώσεων ; alium contra Gentes ; Pædagogi quoque tria volumina. Quid in illis indoctum, imo quid non de media Philosophia est? *Similia de ejus operibus habet in libro de scriptoribus Ecclesiasticis cap.* XXXVIII. *Eusebius in editione Valesiana lib.* VI *Eccles. Hist. cap.* XIII *et* XIV, *plura de illius scriptis memorat. Si cui libet prolixas de ea re dissertationes legere, adeat Nicolaum Le Nourry monachum Benedictinum, qui in Apparatu ad Bibliothecam maximam veterum Patrum anno* 1703 *Parisiis impresso omnia Clementis Alexandrini opera integro libro examinat atque illustrat.*

et Apollonii.

28 *Alter sententiæ nostræ patronus, Clemente Alexandrino ætate nec auctoritate inferior, est Apollonius scriptor ecclesiasticus, qui, teste Eusebio lib.* V *Hist. Eccles. cap.* XVIII, Cataphrygarum hæresim adhuc sua ætate vigentem refutare aggressus, peculiare adversus eos volumen condidit. *Henschenius memoria lapsus (Schelstratius tom. I Antiq. Eccles. Dissert.* I *cap.* V, F *art.* 3, *errantem secutus est) in Diatriba jam laudata num.* 19 *hunc Apollonium vocat Romanæ urbis senatorem, cum ipsemet die* XVIII *Aprilis ad Acta S. Apollonii senatoris Romani et martyris num.* 8 *eum omnino distinguendum censeat ab illo Apollonio, qui adversus Montanum et Cataphrygas scripsit. Neque hic, de quo agimus, fuit Claudius Apollinaris episcopus Hieropolitanus, uti perperam existimavit amicus meus D. Joannes De Ferreras, regius in urbe Matritensi bibliothecarius in dissertatione sua Latina de prædicatione S. Jacobi in Hispania num.* 6. *Noster itaque Apollonius, qui Cataphrygarum hæresim impugnavit, apud Eusebium a Valesio editum lib.* V *in fine ejusdem capitis* XVIII; Tamquam ex Veterum traditione hæc refert, Dominum Apostolis suis præcepisse, ne intra duodecim annos Hierosolymis excederent. *Id est, ut recte explicat Henschenius, ne ultra Syriam et vicinas ditiones abirent : hic enim sumendam esse civitatem primariam pro tota Palæstina vicinisque regionibus constat ex Actibus Apostolorum, in quibus legimus, Petrum et Joannem non diu post S. Stephani*

A *phani martyrium in Samariam missos fuisse, et a Paulo post tres annos Hierosolymam veniente, neminem ex Apostolis præter Petrum et Jacobum in urbe Hierosolymitana visum esse. Quare dubitandum non est, ut supra diximus, quin Apostoli prædicandi Evangelii causa subinde in regiones vicinas excurrerent, et per intervalla Hierosolymam redirent. Sensus igitur Apollonii est, Christum Apostolis præcepisse, ne serio in totum orbem dispergendi ante duodecim annos Hierosolymis discederent.*

quo, postremum tamquam genuinum tandem admisit Papebrochius

29 *Papebrochius quidem ante admissum a se Henschenii systema de morte Christi sub duobus Geminis, ut ipse fatetur tom. V Junii, die* XXIX *ejusdem mensis ad Acta SS. Petri et Pauli ab Henschenio illustrata in Anamnesi sua* § III, *num.* 20, *inter alia existimaverat*, duodecim annos Apollonii, quibus ante Divisionem Apostoli manserint Hierosolymis, sive (ut Henschenius benigne interpretatur) in Syria, non esse magni faciendos, sed potius tenendos duos, quos ille solos scripserit, alii vero eum transcribentes auxerint perperam ad duodecim. *Verum eruditissimus Schelstratius loco proxime citato hanc Papebrochii conjecturam merito* B *improbat*, cum omnes, *inquit*, codices Mss. et typis editi conveniant in numerum XII annorum, quibus ex Christi præcepto Apostoli in Judæa et Syria versari debebant. *Nihilominus D. Joannes De Ferreras in Dissertatione superius laudata num.* 7, *hanc priorem et singularem Papebrochii opinionem sub generali Bollandianorum nomine pro se allegat. Sed advertere debuisset, Papebrochium ibidem numero sequenti Henschenii sententiam ejusque consectaria amplexum fuisse, ac priores suas opiniones solito candore sic revocasse :* Interim fateor ego in Henschenii Magistri mei sententia non vacillaturum me fuisse, si magnam illam solis obscurationem a Phlegonte notatam ad annum XXIX reduci posse tunc credidissem. *Positis sententiæ nostræ fundamentis, præcipuas objectiones contra eam afferri solitas solvamus.*

Objectionibus contra hæc testimonia afferri solitis.

30 *Gaspar Sanctius in Disputatione de prædicatione S. Jacobi in Hispania Tract.* I, *cap.* VI, *num.* 3, *utrumque opinionis nostræ fundamentum unica conjectura subvertere nititur.* Certe, *inquit*, quidquid sit de Clemente Alexandrino, Itinerarium Petri a quodam Clemente com- C positum, Gelasii censura apocryphum judicatum esse constat. Ex quo Itinerario testimonium illud videtur esse sumptum, quod in Clemente Alexandrino legimus, et ex quo illa videtur propagata traditio, quam ex Apollonio supra recitavit Eusebius. *Eadem fere dicit Cornelius a Lapide in Commentariis ad caput* XII *Actuum Apostolorum. Verum hæc tam facile negantur, quam asseruntur. Quin imo cur Clemens Alexandrinus non citasset illud Itinerarium, sicut plerumque citat alia tum profana tum sacra antiquitatis monumenta, imo et interdum quædam apocrypha? Cur Apollonius* tamquam ex veterum traditione *retulisset id, quod ex Clemente Alexandrino sibi coætaneo transcripsisset? Præterea non est verosimile, doctissimum Clementem Alexandrinum, et Apollonium Cataphrygarum malleum usuros fuisse ad tuendam fidem delirantium hæreticorum somniis, si ipsorum ætate hoc Itinerarium tot hæreticis fabulis corruptum extitisset.*

et Baronii argumentis respondetur.

31 *Baronius in Annalibus ad annum Christi* 44 *num.* 13, *Apollonii testimonium ob male deductas ex eo consequentias ita sibi rejiciendum putat.* Ex ejus namque (*scilicet Apollonii*) sententia dicendum esset, non ante annum quartum Claudii Imperatoris Apostolos in provincias abiisse. Ceterum omnium testimonio certum exploratumque habetur, jam anno secundo ejusdem Augusti, Petrum Apostolorum principem venisse Romam. Rursum ejusdem Apollonii sententia confutari posse videtur Marci Euangelistæ auctoritate, quem cum constet scripsisse Euangelium anno sequenti, ut suo loco inferius demonstrabimus; se illud scriptis consignasse post divisos in orbem terrarum Apostolos, illis verbis in fine positis, satis aperte significat, quibus ait : Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis. *Chronologico Baronii errore, quem eruditi passim norunt, sublato, admissaque morte Christi sub duobus Geminis, duplex hoc telum Baronianum non ferit nostram sententiam, ut consideranti patebit. Nam nos Marci Evangelium post Divisionem Apostolorum conscriptum esse libenter agnoscimus, et Petrum anno secundo Claudii Romam venisse non inficiamur, ut latius videre licet in Actis SS. Petri et Pauli ad diem* XXIX *Junii. Reliqua, quæ objici possent, argumenta in nostro systemate facile diluuntur.* E

AUCTORE G. C.

§ III. Ubi post divisionem prædicaverunt Apostoli.

Apostolorum prædicationi certas regiones Pseudo-Dexter.

E*tiamsi ex sacris Litteris certum sit, Apostolos in universum mundum missos fuisse, ut omnibus nationibus Evangelium prædicarent, et in omnem terram exivisse sonum eorum; tamen non omnino constat de omnibus, quas quisque regiones Christianæ fidei lumine illustraverit, scriptoribus aut id non satis exprimentibus aut inter se dissidentibus. Cum de singulis Apostolis festo illorum die operosius agatur, primo hic in genere tantum referam aliqua, quæ de omnium prædicatione auctores quidam scripsere ; ac dein inquiram, an in omnibus omnino mundi regionibus Apostoli prædicaverint. Pseudo-Dexter hanc divisionem minimasque ejusdem circumstantias (modo lubeat credere) ita describit in Chronico ad annum Christi* 34. Ultima die Junii sancti Dei Apostoli F quadraginta et octo diebus plus minusve post adventum Spiritus sancti conveniunt in cænaculo Sion, quæ domus erat Mariæ matris Joannis, cognomento Marci, ac habito concilio sortitione divina provincias mundi prædicationis causa inter se partiuntur ; contigitque S. Jacobo Zebedæi filio Hispania, Joanni Asia, Matthæo Æthiopia, Thomæ India, Philippo Scythia et Gallia. Quo tempore canones eduntur et Apostolicæ constitutiones componuntur ad Sacramentorum et totius Ecclesiæ œconomiam. *Bivarius hunc textum tamquam antiquitate sacrum operoso commentario ibidem explicat. Nos Pseudo-Dextri nugas jam centies refutatas tanti non facimus, ut iis sit inhærendum. Itaque alios auctores producamus.*

et apud Combefisium.

33 *Combefisius tom. II, Auctarii Græcorum Patrum col.* 831, *affert Catalogum Græco-Latinum* Hippolyti de duodecim Apostolis, ubi quisque, eorum prædicaverit ac ubi consummatus sit. *Is est Græco-Latinus Catalogi titulus. Deinde sequitur :* I. Petrus quidem, cum prædicasset Euangelium

AUCTORE G. C.

Euangelium in Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia, Italia atque Asia, postea a Nerone Romæ crucifigitur capite deorsum verso, cum ipse sic pati rogasset. II. Andreas, cum Scythis ac Thracibus prædicasset, cruci affixus est Patris in Achaia, rectus in olea arbore, ibique sepelitur. III. Joannes vero in Asia a Domitiano imperatore in Patmos insulam relegatus, ubi etiam Euangelium conscripsit ac Apocalypsim vidit, sub Trajano obdormivit Ephesi. Ejus Reliquiæ cum fuissent quæsitæ,. non sunt inventæ. IV. Jacobus ejus frater prædicans in Judæa ab Herode Tetrarcha gladio occiditur, ibique sepelitur. V. Philippus prædicans in Phrygia Hierapoli crucifixus est capite deorsum verso sub Domitiano principe, eodemque loco sepelitur. VI. Bartholomæus cum Indis prædicasset, eisque conscriptum a Matthæo Euangelium exposuisset, crucifixus est et ipse capite deorsum verso Albani magnæ Armeniæ urbe.

Hippolytus assignant.

34 VII. Matthæus cum Euangelium Hebraice scripsisset, Jerosolymis edidit; obdormivitque Hiereæ Parthorum civitate. B VIII. Thomas, cum Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis, Bactris, Margis prædicasset,. abietina lancea quatuor sui corporis partibus confossus est Calaminæ, quæ est urbs Indiæ, illicque sepelitur. IX. Jacobus Alphæi prædicans Hierosolymis lapidatus a Judæis occiditur, illicque prope templum sepelitur. X. Judas, qui et Labbæus, ubi populo Edessæ ac toti Mesopotamiæ prædicasset, obiit Beryti, ac illic sepelitur. XI. Simon Cananæus filius Cleophæ, qui et Judas, post Jacobum justum creatus Hierosolymorum episcopus, obiit sepeliturque eodem loco, cum annos centum et viginti vixisset. XII. Matthias cum esset unus de septuaginta, accensetur duodecim apostolis, cumque prædicasset Hierosolymis, obiit ac illic sepultus est. XIII. Paulus denique, post annum ab Ascensione Christi, adiit apostolatum; incipiensque ab Jerusalem, pervenit usque ad Illyricum et Italiam ac Hispaniam prædicans Euangelium per annos quinque ac triginta: sub Nerone autem amputato Romæ capite, illic sepelitur. C

Origenes apud Eusebium.

35 *Putat quidem Combefisius hujus scripti, quod copiosis notis illustrare nititur, auctorem esse S. Hippolytum martyrem, qui initio sæculi* III *floruit. Verum huic opinioni severiores critici non immerito contradicunt, aliis illud opusculum Hippolyto cuidam multis sæculis posteriori tribuentibus, aliis istud omnino tamquam supposititium repudiantibus. Igitur dubio huic scriptori certum substituimus, nempe Eusebium Pamphili, qui juxta versionem Valesii de quorumdam Apostolorum prædicatione ex veterum testimonio ita scribit lib.* III *Eccles. Hist. cap.* I. Dum res Judæorum hoc in statu essent, Apostoli et discipuli Domini et Servatoris nostri per universum orbem dispersi Euangelium prædicabant. Et Thomas quidem, ut a Majoribus traditum accepimus Parthiam sortitus est; Andreas vero Scythiam. Joanni Asia obvenit, qui plurimum temporis in ea commoratus, Ephesi tandem diem obiit. At Petrus per Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam atque Asiam Judæis, qui in dispersione erant, prædicasse existimatur; qui ad extremum Romam veniens cruci suffixus est, D capite deorsum demisso: sic enim, ut in cruce collocaretur, oraverat. De Paulo jam quid attinet dicere, qui ab Hierosolymis usque ad Illyricum munus Euangelicæ prædicationis implevit, ac postremo Romæ sub Nerone martyrio perfunctus est. Hæc Origenes in tertio volumine expositionum in Genesim disertis verbis commemorat.

quamvis locato in ipsis Origenis operibus hoc testimonium non inveniatur,

36 *Non ita liquet, quodnam sit illud tertium Origenis volumen, quod hic Eusebius citat: etenim Grynæus, qui Origenem anno* 1571 *edidit, post Homiliam tertiam in caput* XVII *Geneseos lectorem hoc scholio monet.* Eusebius in tertio Ecclesiasticæ Historiæ lib. cap. I, Origenis verba refert, quibus ostendit, Apostolos Domini nostri Jesu Christi in certis partibus orbis terrarum Euangelium regni annuntiavisse. Etsi vero ea in tertio tomo expositionum in Genesin extare Eusebius affirmat, tamen cum ad XVII cap. Geneseos illustrationem non faciant, visum est lectorem admonere tantum, non verba illa infarcire: videtur enim Origenes in alio opere ejus rei mentionem fecisse. *Forte ea Eusebius in amplioribus ad Genesim* E *Commentariis jam deperditis invenerit. Utcumque censeas, tanta est Eusebii in rebus historicis fides, ut non dubitem, quin ea alicubi in Origene le-*

Gregorius Nazianzenus. Chrysostomus.

37 *Gregorius Nazianzenus occasione eorum, qui peregrinos et exteros præcones contemnebant, de hac Apostolorum Divisione sic loquitur orat.* XXV *contra Arianos.* Quid? Nonne Apostoli peregrini fuerunt? Nonne multarum nationum atque urbium hospites, in quas divisi sunt, ut Euangelium quaquaversum curreret?... Audi quid Paulus dicat: ut nos, *inquit,* ad gentes, illi autem ad circumcisionem. Sit sane Petri Judæa; quid Paulo cum gentibus commune, Lucæ cum Achaia, Andreæ cum Epiro, Joanni cum Epheso, Thomæ cum India, Marco cum Italia? Quare aut illos etiam objurga, aut mihi quoque ignosce. *Antiquis hisce testimoniis subjungo verba desumpta ex sermone* in sanctos duodecim Apostolos, *qui Chrysostomo communiter adscribitur, quemque noster Fronto Ducæus edidit inter ejus Opera tom. VI, pag.* 320, *ubi leguntur sequentia:* F Petrus hinc Romam erudit; Paulus inde mundo Euangelium annuntiat; Andreas Græciæ sapientes corrigit; Simon Deum docet Barbaros. Thomas baptismate Æthiopas dealbat. Jacobi cathedram Judæa honorat. Marci thronum Alexandria ad Nilum complectitur. Lucas et Matthæus conscribunt Euangelia. Joannes autem divina tractans mysteria, etiam post mortem tamquam vivus Ephesum curat. Bartholomæus Lycaonas ad temperantiam instituit. Philippus miraculis conservat Hierapolim. Omnes ubique omnibus beneficia conferre non desistunt.

Gregorius Magnus, Isidorus Hispalensis.

38 *Inter Latinos Patres Gregorius Magnus Hom.* XVII *in Evangelia extremum judicium graphice describens, de eadem Divisione obiter sic meminit:* In illo tanto examine electorum omnium et reproborum multitudo deducetur, et unusquisque quid sit operatus ostendetur. Ibi Petrus cum Judæa conversa, quam post se traxit, apparebit; ibi Paulus conversum, ut ita dixerim, mundum ducens; ibi Andreas post se Achaiam; ibi Joannes Asiam; Thomas Indiam in conspectum sui judicis * conversam

* *alias regis*

A conversam ducet. *In gratiam Hispanorum addo hic testimonium, quod sub S. Isidori Hispalensis nomine a variis citari solet ex libro De vita et obitu utriusque Testamenti Sanctorum, ubi sub finem hæc habentur :* Hi fuerunt Christi discipuli, prædicatores fidei, et doctores gentium, qui dum omnes unum sunt, singuli tamen eorum propriis certisque locis in mundo ad prædicandum sortes proprias acceperunt : Petrus namque Romam accepit, Andreas Achaiam, Jacobus Hispaniam, Thomas Indiam, Joannes Asiam, Matthæus Macedoniam, Philippus Gallias, Bartholomæus Lycaoniam, Simon Zelotes Ægyptum, Matthias Judæam, Judas Jacobi frater Mesopotamiam, Jacobus frater Domini Hierosolymam, Paulo autem cum ceteris Apostolis nulla propria sors traditur, quia in omnibus gentibus magister et prædicator eligitur. Nam sicut Petro et reliquis circumcisionis apostolatus est datus, ita Paulo præputii in gentibus. *Verum an is liber, prout jam extat, sit genuinus S. Isidori Hispalensis fœtus et tanto viro dignus, pluribus discutietur* XXV *Julii ad* B *Acta S. Jacobi.*

aliquæ de hac provinciarum divisione agunt.

39 *Si quis plura de Apostolorum prædicatione testimonia conferre voluerit, adeat in Actis nostris tomum III Februarii, ubi Henschenius die* XXIV *ejusdem mensis in Commentario prævio ad Vitam S. Mathiæ* § I, *num.* 2, *antiquum de hac re indiculum exhibet. Franciscus, Maria Florentinius hunc indiculum etiam Martyrologio suo præmisit pag.* 92, *eumdemque multis exercitationibus ac notis illustravit. Denique, ut alios omittam, Emanuel Schelstratius tomo II, Antiquitatis Ecclesiæ Dissertatione* I, *pag.* 72, *composuit Apostolicæ prædicationis Catalogum, et plerasque laborum ac certaminum palæstras adductis veterum scriptorum testimoniis confirmat. At hæc topographia non ita videtur intelligenda, acsi Apostoli in alterius provincia numquam prædicare potuerint, sed, ut opinor, tantum significat, quod præcipuum eorum studium fuerit, ut nationibus curæ suæ commissis Evangelium annuntiarent. Atque hoc forte sensu Apostolorum Divisio cum eorum Actis, qui diversos in una eademque regione quandoque collocant, conciliari poterit; quamvis id* C *etiam non multum curandum sit, cum plurima Apostolorum Acta supposita vel interpolata fuerint, de quibus consule Baronium in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi* 44. *Nunc controversiam a recentioribus potissimum agitatam referamus.*

Incertum est, an aliquis Apostolorum in America.

40 *Disputant sacræ Scripturæ interpretes circa interpretationem mandati, quod Christus Apostolis suis ita dedit Marc.* XVI, Euntes in mundum universum prædicate Euangelium omni creaturæ. *Plurimi enim hoc explicant per synecdochen, qua præcipua pars pro toto usurpetur. Alii tamen hæc verba in proprio et stricto sensu intelligunt, voluntque omni prorsus nationi, quæ teste Gregorio omnis creaturæ nomine designatur, Evangelium fuisse nuntiatum. Videtur huic postremæ sententiæ favere Venerabilis Beda, qui verba Psalmi* XVIII, In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum *sic interpretatur :* Sonus prædicationis ipsorum Apostolorum exivit a Judæa perveniens in omnem terram, id est in omnes partes terræ, et etiam in omnes angulos partium, quia verba eorum in omnes fines orbis terræ pervenerunt. *Si dicas, Apostolos non fuisse transvectos in Americam recenter detectam, respondent juxta quorumdam opinionem, hunc novum orbem antiquis notum fuisse, et cum Asia occultis semitis continuari, aut saltem exiguo quodam freto ab ea distingui, uti late probare nititur Torniellus in Annalibus veteris Testamenti ad annum Mundi* 1931 *a num.* 45 *usque ad* 50. *Imo suspicantur, non defuisse angelorum ministeria ad transferendos Apostolos in eam orbis partem. Sic legimus de Philippo diacono Act.* VIII, *quod a spiritu, id est juxta interpretes, angelo Domini raptus fuerit in Azotum, ut Evangelium prædicaret. Verum sicut Apostolos in hanc regionem penetrare potuisse non nego, ita quid revera factum sit, nescire me ingenue fateor : nam, teste nostro Nicolao Del Techo in Historia Paraguariæ lib.* I, *cap.* XXI, *Lipsius, Acosta, Pineda, Solerzanus aliique curiosa magis, quam certa de antiquis Americæ rebus proponunt. Hoc unice constat, Deum, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, hisce populis, pretioso Christi sanguine redemptis, non denegasse media, quibus æternam salutem consequi possent, antequam postremis hisce temporibus Apostolici viri terram illam suo sudore et sanguine rigarunt.* E

et Sinarum imperio Evangelium prædicaverit.

41 *Incertum est, utrum Evangelicæ veritatis notitia usque ad ultimos Orientis terminos eo tempore pervenerit, ac nominatim an in vastissimo Sinarum imperio ab Apostolis propagata fuerit. Trigaultius noster in opere de Christiana Expeditione apud Sinas lib.* I, *cap.* XI *putat, S. Thomam Indiæ Apostolum ad Sinas usque penetrasse, eisque Christianæ fidei doctrinam tradidisse. Ad id probandum affert verba ex Breviario Chaldæo ecclesiæ Malabaricæ, ubi festo S. Thomæ in Lectionibus secundi Nocturni inter alia sic legitur :* Per D. Thomam Sinæ et Æthiopes conversi sunt ad veritatem..... Per D. Thomam regnum cælorum volavit et ascendit ad Sinas. *Præterea in quadam ejusdem Officii Antiphona hæc habentur :* Indi, Sinæ, Persæ et ceteri insulani, et qui in Syria, Armenia, Græcia et Romania, in commemoratione D. Thomæ offerunt adorationem nomini tuo sancto. *Deinde profert alia testimonia quibus ostendit, quod præsul Malabaricus olim vocaretur* Metropolita Indiæ et Chinæ. *Kircherus noster part.* II *Chinæ Illustratæ cap.* II, *eadem verba, ex autographo Chaldæo descripta, Chaldaice exhibet una cum interpretatione Latina.* F

ut de Sinis ostendit Michael Boimus contra Trigaultium,

42 *Viderat hæc Trigaultii argumenta P. Michaël Boimus Societatis nostræ in regno Sinensi missionarius, et nihilominus in epistola (extat integra in citato Kircheri opere parte* I, *cap.* II) *Romæ anno* 1653 *data scribit, ex his aliisque monumentis post Trigaultium inventis necdum certo concludi posse, quod S. Thomas Apostolus per se apud Sinas disseminaverit Evangelium. Non negat tamen, Catholicam fidem jam a multis sæculis in Sinense imperium illatam fuisse : nam præter alia evidentia annuntiati illic olim Evangelii vestigia, asserit repertam esse ferream ingentis ponderis crucem, cui inscripta erat Sinica æra, quæ cadit in annum a Christo nato* 239. *Deinde ducit, anno* 1625 *prope urbem Siganfu in provincia Xensi erutum fuisse marmoreum lapidem, cui insculpta erant præcipua religionis nostræ mysteria, et nomina sacerdotum, qui anno Christi* 636 *extinctam Christianæ legis notitiam apud Sinas renovarunt. Ex hoc insigni monumento, quod Kircherus triplici interpretatione illustravit, infert Boimus, S. Thomam probabilius Evangelium*

AUCTORE G. C.

Evangelium Sinis non prædicasse, quia relatis, *inquit in eadem epistola,* prædicatoribus fidei Christi illius temporis apud Sinas, nulla fit prorsus mentio S. Thomæ aut alterius Apostoli; quod tamen multum conducebat ad intentionem illorum, qui lapidem erigebant ad perpetuam memoriam, consignare; videlicet prædicatores fidei iterum prædicasse illam legem, quam S. Thomas aut alius Apostolus prædicaverat apud Sinas. Proinde evincitur, illos de Tacyn prædicatores non habuisse notitiam, S. Thomam aut alium Apostolum Sinis vulgasse doctrinam Christi, et signum conjecturamque fieri posse, forte nec S. Thomam, nec alium Apostolum intulisse Euangelium Sinis, aut, ut moderatissime loquamur, nihil de hoc certo deduci posse ex vestigiis repertis.

cujus argumentis respondet.

43 *Denique Boimus ad Trigaultii argumenta ibidem respondet, contenditque, quod ea tantum probare possint,* sacerdotes illos ex ecclesia S. Thomæ vel Babyloniæ, quæ tunc regebat Malabaricam de Serra Christianorum S. Thomæ (sicut postea invenerunt Lusitani) missos fuisse ad erigendam sedem episcopalem, B inferendamque fidem Sinarum populis, cum hoc vel ipsa lingua Syriaca antiqua Estrangelo, quæ in illa ecclesia retinetur, et olim in Babylone atque Syria in usu fuerat, verosimiliter testetur. Orationes porro in laudem S. Thomæ compositæ bene intelligi possunt, quod nempe per merita S. Apostoli, et ex ejus ecclesia sacerdotes fidem, quam a S. Thoma acceperant, forte primi in Sinas omnium intulerint, ideoque jure merito S. Thomæ eorum conversionem debere attribui. Quare cum nulla mentio S. Thomæ Apostoli reperiatur in huc usque vestigiis fidei prædicatæ detectis, asseverare certo non possumus, sanctum Thomam vel alium Apostolum Sinis prædicasse Euangelium. *Nos obscuram hanc litem indecisam relinquemus, donec aliis monumentis fortepostmodum eruendisplacuerit summo rerum omnium Arbitro eam dirimere.* D

Ecclesia Carthaginensis, Africa probabilius ab ipsis Apostolis non est instituta.

44 *Ultima, quam hic breviter attingemus, controversia est, an Ecclesia Africana sub Primate Carthaginensi ab ipsis Apostolis fuerit instituta. Baronius in Annalibus ad annum Christi* 44 *num.* 38, *id affirmat, putans hoc a Donatistis negatum fuisse, iisque repugnasse S. Augustinum de Unitate Ecclesiæ cap.* XV. *Deinde præter alia nullius auctoritatis testimonia pro se adducit Salvianum Massiliensem lib.* VII, *de Providentia Dei. Sed eruditissimus Schelstratius in Ecclesia Africana Dissert.* I, *cap.* II *negat, illam quæstionem inter Donatistas et Augustinum umquam agitatam fuisse, atque S. Augustinum explicat, utpotius contrarium videatur asserere. Verba autem Salviani, in quibus vim ponit Baronius, non de Carthagine, sed de Roma intelligenda esse ostendit. Præterea Schelstratius pro se allegat antiquissimum Tertullianum Afrum, qui in libro de Velandis Virginibus distinguit ecclesias Græciæ, Italiæ aliasque transmarinas,* quas et ipsi Apostoli vel Apostolici viri condiderunt, *ab Africanis ecclesiis, quæ sunt* posteræ illæ, *id est post Apostolos institutæ; quod idem non obscure indicat, quando libro de Præscriptionibus cap.* XXXVI, *hæreticos Afros ad ecclesias Apostolicas remittit.* E Percurre, *inquit*, ecclesias Apostolicas.... Proxima est tibi Achaia? Habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam. *Christianus Lupus pluribus eamdem sententiam confirmat in scholiis ad hunc Tertulliani locum. Schelstratius demum concludit, Afros illos secundo Christi sæculo statim post Apostolorum tempora fidem Catholicam recepisse, cui opinioni tamquam probabiliori nos etiam subscribimus.*

DE LXXII DISCIPULIS CHRISTI

G. C.

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS.

C

De eorum cultu, numero et nominibus.

F

SÆC. I. Cur hoc die agamus de LXXII Discipulorum festo.

Bollandus *operis nostri conditor in Prætermissis vel in alium diem rejectis* IV *Januarii præsens festum distulit his verbis :* Sanctorum LXXII Christi Discipulorum agunt Græci hoc die commemorationem. De singulis, quos quidem agnoscit Ecclesia, agetur variis diebus; de omnibus simul XV Julii. *Quapropter Magistri mei promissum persoluturus, generatim de his Sanctis disseram, ac breviter eorum festum illustrare conabor hac die, qua etiam olim apud quosdam celebratum fuisse videtur : nam Petrus de Natalibus episcopus Equilinus post Divisionem Apostolorum et inter alios Sanctos, qui Idibus Julii coluntur,* de sanctis LXXII Discipulis *sic meminit lib.* VI, *cap.* C : Septuaginta duo Discipuli Christi adinstar LXXII linguarum ab ipso electi, post Ascensionem Domini ad prædicandum verbum Dei et ipsi per singulas quasque orbis terræ provincias et civitates divisi sunt, et multarum urbium episcopatus tenuerunt. *Recentiores aliqui Hagiologi etiam die* XV *Julii de iisdem agunt.*

quod IV Januarii collocant Græci.

2 *Græci tamen in suis Menologiis, Synaxariis aliisque monumentis ecclesiasticis constanter istud festum die quarta Januarii collocant. Ne sæpius cogar idem repetere, pauca ex iis excerpam. Imprimis Menologium antiquo charactere forte ad usum ecclesiæ Constantinopolitanæ conscriptum sic habet.* Ἡ σύναξις τῶν ἁγίων ο ἀποστόλων. Festivitas sanctorum LXX Apostolorum. *Iisdem fere verbis hanc Discipulorum festivitatem annuntiant Typicum sancti Sabæ, Martyrologium Slavo-Russicum, aliique Mss. Græcorum libri, quos in Museo nostro servamus. Eadem etiam in impressis occurrunt, uti patet ex Epitome Menologii, et Horologio, in quo posteriore post festi annuntiationem hæc leguntur :* Χριστοῦ μαθητων χορὸν τῶν ἑβδομήκοντα, ἐνθεως πιστοὶ, ἐν ὕμνοις εὐφημήσωμεν. Δι αὐτῶν γὰρ πάντες ἐμάθομεν Τριάδα σέβειν ἀμέριστον, καὶ μένουσι λύχνοι θείας πίστεως. *Id est,* Chorum septuaginta Discipulorum Christi divinitus credentes celebremus : per illos enim individuam Trinitatem adorare omnes didicimus,

A cimus, et manent lucernæ divinæ fidei. *Menæa typis excusa, et Maximus Cytherorum episcopus ea more suo transcribens, annuntiationem festi supra positam sequuntur, præterquam quod Menæa multorum discipulorum nomina in Officio exprimant. Sed quid de his nominibus censendum sit paulo post dicemus.*

et quidam Latini eos secuti.

3 *Latini quidam Martyrologi in assignando hujus festivitatis die Græcos imitati sunt. Sic apud Molanum in Additionibus Usuardinis secundæ editionis, cui Græcum Horologium adjecit, pridie Nonas Januarii legimus :* Congregatio sanctorum septuaginta Apostolorum. *Galesinius in suo Martyrologio quarta Januarii ita scribit :* In Græcia commemoratio Sanctorum septuaginta duorum discipulorum Domini. *Ferrarius eodem die in Catalogo Generali Sanctorum sic habet :* Apud Græcos commemoratio SS. septuaginta discipulorum. *Saussayus pluribus verbis, ut solet, hoc festum die* IV *Januarii sic memorat :* Commemoratio Sanctorum septuaginta duorum Discipulorum Domini, quorum plerique Gallias cælesti Euangelicæ veritatis lumine irradiantes, ecclesiarum multarum insignium B illic fundamenta adhuc solida posuerunt. *Hæc de ecclesiarum Gallicarum fundamentis satis confidenter et magnifice asseruntur ; utinam tam vere ac solide probarentur. Sed hæc partim alias discussa sunt, partim suo loco discutientur. Nunc de eorum numero dubium quoddam solvamus.*

Discutitur quæstio de Discipulorum numero,

4 *Cum jam supra interdum* 70, *interdum* 72 *Christi discipuli computentur, dubitare quis posset, uter numerus sit tenendus. Rationem dubitandi augere posset apparens inter ipsos sanctos Patres et veteres Ecclesiæ scriptores in eo numero discrepantia : nam Eusebius, S. Ambrosius, S. Hieronymus tantum legunt* 70, *cui lectioni favent nonnulli S. Lucæ Græci codices, in quibus dicitur Dominus designasse alios septuaginta. Contra autem S. Augustinus, Beda aliique* 72 *numerant, quem computum confirmat vulgata S. Lucæ versio, quæ* 72 *diserte exprimit. Hanc controversiam meo quidem judicio plane dirimit Græcus codex Vaticanus antiquissimus, utpote ante tempora S. Hieronymi scriptus, qui, teste Schelstratio in Antiquitate Ecclesiæ tom. II Dissert.* I *cap.* III, *sic habet :* Μετὰ δὲ ταῦτα ἀνέδειξεν ὁ Κύριος ἑτέρους ἑβδομήκοντα δύο. Postea vero designavit Dominus alios C septuaginta duos. *Variam vero lectionem ac Patrum enumerationem inter se conciliari posse arbitror : quando enim* 70 *pro* 72 *recensentur, id fit vulgari modo loquendi, quo brevitatis causa numerum rotundum adhibemus. Sic videmus interpretes, qui sacram Scripturam ex Hebræo in Græcum idioma rogatu Ptolomæi Philadelphi regis Ægypti converterunt, vulgo septuaginta appellari, quamvis septuaginta duos fuisse constet. Atque hinc puto, Origenem modo* 70 *modo* 72 *Christi discipulos enumerare. Jam de eorum nominibus pauca addamus.*

et nominibus.

5 *Horum* 72 *sanctorum nomina ita scripta sunt in cælis, ut pauca admodum in terris certo cognita esse existimem. Extant quidem plurimi catalogi, in quibus eorum nomina singillatim recensentur ; sed ita corrupti sunt ac diversi, ut eos hic transcribere non sit operæ pretium. Quidam ita fuere stupidi, ut* 72 *discipulos ab ipso Christo electos nominare volentes, inter eos collocaverint eunuchum reginæ Candacis, aliosque post Christi ascensionem conversos ; imo, ut recte advertit Baronius in Annalibus ad annum Christi* 33, *num.* 40, *omnes fere, quorum nomina in epistolis Pauli invenerunt, discipulis Domini annumerarunt. Pseudo-Dorotheus quemdam inter discipulos Christi Cæsarem appellat, quia S. Paulus in epistola ad Philippenses cap.* IV, *ita scribit :* Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt. *Quasi vero de privató aliquo homine Cæsaris nomine compellato, et non de Imperatore Romano Paulus loquatur.* Sed hæc potius, *ut Baronii verbis utar*, risu sunt digna, quam confutatione, cum nullum illis temporibus Cæsarem dici potuisse certum sit, nisi qui imperator futurus eligeretur.

quorum pauca nobis certo sunt cognita

6 *Quantum vero fidei tribuendum sit variis nominum catalogis apud Pseudo-dorotheum, Auctorem Chronici Paschalis, Vincentium Bellovacensem, Episcopum Equilinum, Georgium Wicelium aliosque auctores exstantibus, aperte liquet ex Eusebio, qui in Ecclesiastica Historia lib.* I, *cap.* XII, *ita testatur :* Et Apostolorum quidem Servatoris nostri nomina ex Euangeliorum libris notissima sunt omnibus ; Quod vero ad septuaginta Discipulos attinet, eorum series nullibi perscripta reperitur. Fertur tamen ex illorum numero unus fuisse Barnabas ; cujus E cum in Actibus Apostolorum crebra fit mentio, tum in Pauli ad Galatas epistola. Ex iisdem etiam Sosthenem fuisse perhibent, eum qui una cum Paulo litteras ad Corinthios scripsit : sic enim refert Clemens in libro quinto Hypotyposeon : In quo etiam Cepham illum, cui Antiochiam ingresso Paulus se palam restitisse dicit, quoniam reprehensione dignus erat, unum ait fuisse ex septuaginta Discipulis, Petro Apostolo cognominem. Matthiam quoque, eum qui Judæ proditoris loco in numerum Apostolorum adscriptus est ; et alterum illum, qui cum Matthia pari suffragio fuit honoratus, fama est ex illo cœtu septuaginta Discipulorum fuisse. Thaddæum præterea unum ex illis fuisse ferunt. *Vides Eusebii tempore nullum eorum catalogum extitisse, atque hos paucos ab eo ex veterum traditione tantummodo recenseri. Mnasonem dedimus* XII *Julii, quem de antiquis Christi discipulis fuisse Actus Apostolorum dubitare non sinunt.*

7 *Est nobis præ manibus tractatus Ms., isque bene longus, a celebri Bernardo Guidonis Lodevensi episcopo olim elaboratus, atque ex codice biblio-* F *thecæ Vallicellensis descriptus ; qui an umquam typis editus fuerit, hactenus nos latet ; certe lucem mereri necdum existimamus. In eo ipse plerumque Discipulorum arbitraria ferme nomina et gesta, corrasis undique obsoletis hodie laciniis, fuse prosequitur, incipiens a S. Martiale, primo Lemovicensi episcopo, cui ea omnia munifice adscribit, quæ ad* XXX *Junii a Papebrochio satis discussa et convulsa sunt. Inde pergit ad S. Saturninum aliosque prætensos Galliæ a S. Petro destinatos Apostolos, ipsius ævo magis quam nostra ætate toleratos ; ut non loquar de obtritis jam toties Pseudodorothei commentis. Cum itaque fabulosis istis, aut ut minimum prorsus controversis tota illa narratio scateat ; eadem vero locis suis jam examinata, aut porro examinanda sint, non ægre feret eruditus lector, quod ea hic a nobis intacta prætereantur ; utpote qui de sola id genus festivitatum institutione, subsecutisque nonnumquam incrementis agendum suscepimus, dubiis aliis et contentiosis ad proprias quasque tractationes opportunius remissis.*

A D

DE SANCTIS TRIBUS MARTYRIBUS

EUTROPIO, ZOSIMA ET BONOSA

IN PORTU ROMANO.

J. B. S.

Ex Martyrologiis.

XV JULII.

In his signandis conveniunt Martlia,

Hieronymianorum codicum et Romani parvi totiusque ejus per Adonem, Usuardum et Notkerum progeniei unanimis consensus est in signandis hoc die tribus propositis Martyribus, cum aliquo tamen discrimine in expressione duarum virginum, pro quarum prima Zosima, ab aliquibus substituitur Zosoma, et etiam Zosimus ; pro Bonosa, in vetustissimo codice Epternacensi legitur Honerora ; rem palam B faciet textuum ipsorum relatio. Sic legunt Lucenses Florentinis codices : In Porto Romano, hoc est in Hisclea, natalis Sanctorum Etropi, Zosome, et Bonose sororum. Nonnihil corrupta esse Etropi et Zosome nomina, satis patet : in Corbeiensi est Zosimi. Majus negotium facessit vetustissimum Epternacense, dum tres istos Martyres primum admiscet Alexandrinis, de quibus hoc die agitur, tum vero textum nostrum sic efformat : Romæ in Portu, Eutropi, Zosimæ et Honoraræ sororum, nulla facta mentione Hiscleæ ad quam inveniendam laborat Florentinius. Quæ sit ista Honerora, equidem non capio ; haud dubie scriptoris mendum fuerit, ex aliis codicibus aliisque Martyrologiis corrigendum. Cuperet Florentinius eam Alexandrinis martyribus annumerare, unde Bonosam huc melius transcriberet.

licet hinc inde discrepantia.

2 Ex Hieronymianis parvis seu contractis nihil magnopere subsidii habetur, nam in Augustano aliis Martyribus absque positione admiscentur Bonosus et Zosimus, in Labbeano Bonosa et Zosimus ; in solo codice Reginæ Sueciæ, seu Senonensi S. Columbæ textus integer refertur hoc modo : Romæ, natale sanctorum Eutropi, Zosimæ C et Bonosæ sororum ; in aliis, tum a nobis tum a Martene et Durando editis præteriti ferme sunt, ut adeo frustra lucis aliquid ex ipsis speremus. Id placet, quod in codice Reginæ Sueciæ tres nostri Martyres ita exprimantur quemadmodum in serie Romani parvi relatos ipsos ostendimus in observationibus ad Usuardum ; præterquam quod non in Portu Romano, sed Romæ fortasse melius annuntientur. Rabanus eadem quidem nomina ex aliquo Hieronymiano signat, sed cum aliis absque positionis seu loci distinctione confusa. Qui a nonnullis citatur Beda, is mere Plantinianus est, seu potius Ado in multis corruptus, ut alibi sæpe monuimus. Ad alia Martyrologia, cujuscumque ea classis fuerint, recurrere operæ pretium non censeo ; tanto major est eorum copia, quanto ignotiora sunt Acta, saltem quæ ad hosce tres Martyres pertineant. Notanda sunt, quæ hoc die in Sanctis suis Cisterciensibus scripsit Chalemotus : Apud Claramvallem solennitas sanctorum martyrum Eutropii, Zosimæ et Bonosæ, quorum sacra ossa, Roma in Galliam delata, ibidem in hoc cœnobio, retro majus altare sub tumulo reposita sunt, ex dono olim facto basilicæ Clarævallensi a Domino Conrado S. R. E. Cardinali. Ad Martyrologia nostra redeamus.

Explicatur locus martyrii.

3 Hiscleam interim quærit Florentinius. Cum vero, inquit, nomen hujusmodi in Geographis hucusque non invenerim, subiit dubitare, an pro Hisclea restituendum esset in Insula. Inter Portum Romanum et Ostiam intercessisse Insulam, quæ a sacrificiis, ibi peragi consuetis, sacra nuncuparetur, docet Cluverius in Italia antiqua, et ex Æthico E aliisque scriptoribus hausit. At pro re nostra id ex Actis sancti Hippolyti Portuensis episcopi et martyris deducere malumus. In his narratur, sacrum corpus a fidelibus humatum fuisse non longe a puteo, in quem fuerat projectus, pedes plus minus sexaginta in Insula, quæ uno latere littore maris, et a duobus divisione alvei Tiberis cingitur. Ibi erectam deinde fuisse ecclesiam, a Leone III exornatam, quæ in ipsa Portuensi urbe recenseretur, ex Bibliothecario habetur in ejusdem Pontificis Vita. Equidem Florentinio in ea disquisitione facile assentior, neque dubium esse potest, quin relati Martyres hoc die in Portu Romano vel Romæ martyrii palmam consecuti sint, id certatim asserentibus Martyrologiis prope omnibus, quæ etiam secutus est Equilinus episcopus lib. II, num. 194 : Eutropius, Zosima et Bonosa sorores martyres Romæ in Portu passæ sunt Idibus Julii.

Acta soli Bonosæ conveniunt

4 Atque hæc quidem certa existimo, non ex Hieronymianis, quæ numquam vidit Equilinus, sed ex Usardo accepta ; non tam facile assequor, F quid deinde velit Florentinius, dum ita pergit : In Romano Portu S. Bonosam, et quinquaginta milites, ad fidem, ac martyrio consecratos, habet Romanum Martyrologium VIII Idus Julii ex Actis S. Bonosæ, ubi notat Baronius, et repetit in Annalibus ; atque ex codice Vaticano profert Aringhius lib. 2 Romæ subterraneæ cap. 25 *. Acta hæc Romæ adservari una cum corpore S. Bonosæ in ejus nomine dicata ecclesia, addit Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ. Præcesserunt quinquaginta milites ad coronam et secuti sunt Bonosam Eutropius ejus frater et Zosima soror. Hic divinat vel palpat Florentinius, nam in allegatis S. Bonosæ Actis altissimum est de Eutropio et Zosima silentium, ut utrum in martyrio milites subsecuti sint, an præcesserint, nec Baronius nec Florentinius ullo indicio colligere potuerint. Et de tribus quidem Martyribus hactenus dicta satis indubitata sunt ; superest ut peculiari Commentario seu dissertatiuncula inquiramus, quid de S. Bonosa cum quinquaginta militibus, huc ex VIII Julii remissis, eorumque Actis sentiendum sit.

* lege 21

DE

A D

DE S. BONOSA VIRGINE ET MART.,
ALTERA AUT EADEM CUM PRIORI,
ET QUINQUAGINTA MILITIBUS AB EA CONVERSIS
ROMÆ VEL IN PORTU.

COMMENTARIUS CRITICUS.

J. B. S.

De ejus seorsim cultu, ætate et Actis.

SUB SEVERO. *An hæc eadem sit cum priori,*

Coli Romæ seorsim ab aliis, et ut Romanam virginem S. Bonosam *aliquam, seu Eutropii et Zosimæ sororem, seu forte ab eis diversam, tam certum est, quam vulgo constet, ecclesiam, olim parœcialem, hodie alteri sub nomine S. Salvatoris de curia in regione Transtiberina Romæ unitam, ei dicatam esse. Cur* Venusam *aliqui appellent, nescio; sane, si recte memini, non alio nomine Romæ venit, nec aliter quam* Bonosam *Italice ipsam enunciat Pancirolus infra laudandus. Eam ab altera Bonosa diversam dicere equidem non ausim, cum talis nusquam in sacris Tabulis nota sit; quidquid Acta ejus ipsi ita propria observem, ut in iis de sanctis Eutropio et Zosima ne verbo quidem mentio habeatur. Porro milites quinquaginta iisdem Actis sic innexi sunt, ut ad Eutropium et Zosimam æque parum pertineant, certo non omittendi in Martyrologiis supra citatis, si vere socii fuissent Eutropii et duarum sororum, a quibus solam positionem seu locum martyrii (in Portu Romano) mutuatus videtur Card. Baronius, qui milites istos primus, quod sciam, Romano Martyrologio inseruit, ipsos* VIII *Julii, unde huc remissos diximus, eo modo annuntians, ut aperte demonstret, non aliunde quam ex Actis* S. Bonosæ *se eos accepisse.*

socios habens L milites

2 *Ita habet* VIII *Idus Julii* : In Portu Romano, sanctorum quinquaginta militum martyrum, qui in confessione S. Bonosæ ad fidem adducti, et a beato Felice Papa baptizati, in persecutione Aureliani occisi sunt. *In notis monet*, horum Martyrum Acta esse juncta simul cum rebus gestis sanctæ Bonosæ martyris, quas habemus, *inquit*, apud nos manuscriptas. *Conferantur cum hac annotatione ea quæ hoc die observat de tribus Sanctis supra memoratis, quæ eadem ferme in Annalibus repetuntur.* Habemus, *ait*, horum Acta tomo VII, Vit. Sanct. manuscript. in nostra bibliotheca : *nempe Oratorii Romani; non Vaticani, ut superius suadere voluit citatus a Florentinio Aringhius, quod clarius indicat Antonius Gallonius in sua historia Virginum sanctarum Romanarum edita anno* 1591; *neque aliunde ea describi curavit Henschenius. Pergit Baronius :* En eorum exordium; ab Incarnatione Domini etc. Alia autem prolixiora vidimus, accepta ab ecclesia S. Bonosæ trans Tiberim. *Hic aliquid a se desiderari passus videtur vir Eminentissimus; nam si utrobique eadem instrumenta intelligantur (ut manifeste innuit signatum principium, ab* Incarnatione Domini;) *jam non trium istorum sed solius* Bonosæ *passionem appellat : si Acta diversa insinuata voluerit, ipsa illa produceret, quæ a nullo hominum citata hactenus aut visa novimus. Qualia porro sint sanctæ ipsius* Bonosæ *Acta, mox videbitur, ubi et illud observaverimus, quod nec in illis, ut descripta sunt, nec in editione Capelli Felix Papa usquam nominetur.*

qui a B. Felice P. baptizati dicuntur.

3 *Vidit quidem apographum aliquod Henschenius cui B. Felicis nomen insertum fuerat : at sedulo notandum est, aliud caput passioni isti studiose impositum, nempe;* Aureliano Imperatore plurimi Sanctorum per diversas provincias martyres coronati sunt; *quo sic aptius omnia congruerent : verum id tam oscitanter præstitum, ut in sequenti passionis serie servatum sit nomen Severi Imperatoris, ad cujus tempora* S. Bonosæ *martyrium disertissime revocat quisquis historiam illam satis imperite composuit. Et quidem etiam ipsam vidisse oportet Baronium, dum ejus initium tam expresse signat,* ab Incarnatione Domini. *Atqui in ea num.* 6 *simpliciter legitur,* baptizatos *fuisse* quinquaginta milites a Pontifice urbis Romæ præsule; *consequens igitur est, Baronium secutum fuisse apographum aliud interpolatum, quale etiam Italice vertit laudatus Gallonius, ubi nomen Felicis Papæ legerit sub annum* ab Incarnatione ducentesimum septimum, *et in quo Aureliani tempora cum Severi ætate pessime commixta sint; ut ex eo etiam capite intelligas, prædicta Acta pro variorum librariorum captu et chronologiæ peritia, male concepta et coagmentata fuisse; sic tamen ut non inconsequenter connexum sit, quod si Aureliani tempore baptizati et passi sint martyres, ea verosimillime acciderint sedente Papa Felice.*

Acta non recte expendit Gallonius.

4 *De ipsis bene meritus fuisset Gallonius, si rejectis confusis, et magis etiam interpolatis truncatisque exemplaribus, adhæsisset editioni Stephani Capelli, quam plane mirum est, ipsum non vidisse, cum toto biennio ante ipsius de Virginibus Romanis opus, et quidem Romæ prodierit, ut infra patebit. Id etiam in eo vehementer displicet, quod satis frigide excuset, se ab originalibus manuscriptis recessisse, atque adeo martyrium sub Severo Pertinace factum, ad Aureliani ætatem revocasse. Opponi posset*, *inquit*, *et meritissime opponitur*, quod in manuscriptis, *atque etiam in editis*, expresse signetur annus CCVII, unde sequeretur, *(S. Bonosam)* non sub Aureliano sed sub Severo coronatam fuisse. *Audi responsum tanto viro non satis dignum.* Non refertur, *inquit*, annus iste CCVII ad tempus quo Sancta martyrium consummavit, sed ad illud quo imperare cœpit Severus Pertinax. *Liceat*

AUCTORE J. B. S.

Liceat verbo interrogare, quorsum Actis martyrii, sub Aureliano, ut prætenditur, facti, præfigatur annus quo Severus imperare cœperit? Cur tam diserte subjungatur, quintam *illum* post Neronem persecutionem in Christianos *exercuisse? Eccui, obsecro, putat Gallonius satis persuaderi posse, annum signatum nihil pertinere ad rem de qua istic agitur? Et tamen id* manifeste demonstrare *ait,* verba prædictorum originalium.

neque difficultates solvit:

5 *At pace ipsius dixero, asserendæ veritatis gratia, si id* demonstrant verba prædictorum originalium, *jam una demonstrant, sese inepte conficta esse, nullamque prorsus fidem promereri; nam sic contraria demonstrare oportet, ne dicam contradictoria; nempe Severum, quintæ in Christianos persecutionis auctorem, qui ibi expressissime cum Virgine agit et loquitur, tyrannum fuisse sub quo* S. Bonosa *passa sit: et rursus demonstrant, Severum non fuisse tyrannum, sed epocham anni ducentesimi septimi in Actis notatam, quæ ibi adeo otiosa est, eodem jure mutari, atque ad quemlibet alium Christianorum persecutorem referri potuisse: puta si istic expressus fuisset annus quo Traianus vel Marcus Aurelius Romanum* B *imperium adepti sint. Equidem candide fateri cogor, me nec eminus perspicere quid Gallonius hujusmodi solutione indicare voluerit, qui longe melius negasset, talem epocham id ipsis Actis signatam fuisse, expungendumque adeo id genus initium, ut aliud substituatur, quod alicubi reperit, dum Romæ moratur Henschenius, nempe* Aureliano Imperatore plurimi Sanctorum *etc. At prædicata ista originalia, a Gallonio tantopere prædicta, paulo propius inspiciamus.*

ea quæ Romæ 1589 edita sunt,

6 *Acta jam dicta qualiacumque manuscripta, ut jam dicere cœperam, invenit Henschenius Romæ in bibliotheca PP. Oratorii, atque inde describi curavit contulitque cum alio Ms. ad* S. Bonosæ *Trans Tiberim, et cum eo quod pridem ibi ediderat, nempe anno* 1589 *Stephanus Capellus de Maradio, ejusdem ecclesiæ rector, sub titulo* Vitæ S. Bonosæ Romanæ Virginis et martyris, *quemadmodum hic a nobis infra recudentur, ubi in Ms. rectius vocabatur* passio, *quandoquidem solum et unicum Sanctæ martyrium complectatur, nulla de cetero præmissa aut ejus generis, patriæ, ætatis, parentum, aut fratris sororisve notitia. Id inter editionem Capelli et* C *Henschenii manuscriptum intercedit discrimen quod in hoc perperam expunctum sit exordium, de quo jam egimus,* ab Incarnatione Domini, *substitutumque initium aliud;* Aureliano imperatore, plurimi Sanctorum *etc. inducta etiam clausula ultima, ex qua nimirum de corruptela convinci poterat quisquis vitiosum istud caput præfixit: rudi sane artificio, nam sic disposita est tota passionis historia, ut rescissis principio et fine, sive deleto Imperatoris Severi nomine, æque ad Neronem aut Diocletianum, quam ad Aurelianum transferri possit, imo ad tyrannum quemcumque.*

non Aurelianum designant, sed Severum

7 *At paulo clariora ignorantiæ suæ indicia relinquere voluit totius historiæ concinnator, ne parum imposuisse videretur. Sic enim incipit:* Anno igitur ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi fere ducentesimo septimo Severus impiissimus adeptus est imperium, qui se Pertinacem appellari voluit. *Aut ego parum video, aut ea quæ subsequuntur, ad eadem tempora revocanda sunt. Tum vero præmissa Severi Imperatoris ejusque regiminis non adeo incongrua imagine, quod quintam post Neronem persecutionem exercuerit, quod sub eo multi Sanctorum per* D *diversas provincias martyrio coronati sint; descripto deinde per locos fere communes eosque tritissimos martyrio, sic narrationem concludit:* Ipse autem Imperator, qui eam *(S. Bonosam)* comprehendi fecerat, eodem anno apud Eboracum oppidum morbo percussus obiit: sic enim Dominus noster Jesus Christus suos vindicat Sanctos, et dat eis gloriam sempiternam. Qui cum Patre et Spiritu sancto *etc. Ex quibus plane intelligi voluit rationis temporum ignarus Anonymus, eodem ipso anno quo martyrium subiit* S. Bonosa *Romæ, Severum Eboraci in Britannia impietatis et sævitiæ pœnas dedisse.*

cujus tamen tempora confundunt.

8 *Turbata sunt hæc omnia; ut jam non dicam, adhibitam epocham Incarnationis Domini, satis ostendere, quam longe a tempore passionis abfuerit bonus martyriographus ad tam minute adjuncta singula, quin et verba interlocutorum omnia memoriter recitanda. Res chronologiæ tironibus nota est, Severi Imperatoris initia figenda esse ad Kalendas Junii anni* 193, *totis quatuordecim annis ante ducentesimum septimum, quo supponere deberemus gesta esse omnia, quæ in passione tam ordinate commemorantur, et tam presse ut non magno temporis intervallo contigisse opor-* E *teat, adeoque circa illud tempus martyrii palmam consecuta sit* S. Bonosa. *Demus tamen scriptori, non annum primum imperii hic indicari, sed annum ipsum martyrii: æque ridicule conveniet principio finis, ubi eodem anno mortuus scribitur, anno primum* 211 *Eboraci extinctus is qui tyranni partes agit Imperator Severus, postquam ultimis vitæ annis Romæ, imo tota Italia abfuisset. Quid ex epochis adeo perturbatis solide educi possit, nemo non videt. Totam vero reliquam historiam aptari posse cuilibet ferme Virgini martyri, ex toto contextu æque facile perspicitur.*

Utrum in Portu an Romæ signandum martyrium,

9 *Neque hic prætereundum, ex præfatæ passionis ordine non videri in Portu Romano, seu in oppido quod hodie Porto appellatur, certasse aut coronatam fuisse* S. Bonosam *et quinquaginta milites ab ea ad fidem adductos. Etenim Romæ videntur fieri omnia, ubi certe sedes erat Imperatoris, non in Portu; supplicium vero peragitur foris non procul a porta civitatis. Sic super milites num.* 7 *dicitur Præses dedisse capitalem sententiam,* qui ducti sunt foras portam civitatis, et decollati sunt VIII Idus Julii. *Hæc admittamus; cetera ferme Portuensia sunt, nempe, opinor, ut* F *cum positione trium Martyrum conveniant.* Eorum vero corpora sepulta uno stadio a Portu Romano: *ipsa autem Sancta num.* 13, *pari modo* educta foras urbis portas, capitalem *ibidem* subiit sententiam *hoc die, seu* Idibus Julii. *Aut ego multum fallor, aut hæc omnia non Portum sed ipsam potius urbem Romanam redolent; neque video cur* virgo Romana *ab ipso Imperatore Portum deduci debuerit, ut istic extremo supplicio afficeretur. Quod autem num.* 5, juxta Romanum Portum ante forum *Præsidem illum suum collocet Anonymus scriptor, vereor ut satis sui sit memor, intelligatque quid dicat.*

quod ad Eutropium et Zosimam non spectat.

10 *Id utiqueverissimum est, non scivisse, aut non cogitasse, aut saltem non insinuasse scriptorem, sanctæ nostræ* Bonosæ *fratrem fuisse* Eutropium, *aut sororem* Zosimam, *cum de neutra vel verbo meminerit, ut facile inducam in animum, totam eam Legendam adornatam esse ab aliquo cliente, seu forte a parocho ipso ecclesiæ ab ejus nomine appellatæ, et in quam translatæ fuerint sacræ ejus reliquiæ, nempe Romæ trans Tiberim, in qua eas cum aliis repertas narrat Pancirolus anno* 1480

in

A *in Thesauris absconditis urbis Romæ pag.* 603. *Scimus autem, quam fuerit olim in more positum, ut de hisce temporibus non loquar, Sanctis eo modo cultis, Legendas, undecumque acceptas, aptare, quo sic magis incenderetur fidelium erga Sanctos istos veneratio. Id quo tempore factum fuerit, non habeo unde certo explorem; at vero recentioris fabricæ rem totam esse, facile quilibet non omnino imperitus intelligit. En ipsa modo prout edita sunt a supradicto Capello de Maradio, servato titulo integro. Annotationes addendas non censui, cum tota historia, toties in Actis nostris phrasi non multum dissimili exposita, ad justam criticæ libram facile expendi possit. Sic habent nullo apice, nisi fortasse in scribendi ratione immutato.*

VITA

Sanctæ Bonosæ Romanæ Virginis et martyris, impressa curante Stephano Capello de Maradio Faventinæ diœcesis, Rectore ecclesiæ S. Bonosæ, regionis Transtiberinæ, MDLXXXIX.

B

Severus an. 207 Christianos persequens,

Anno igitur ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi fere ducentesimo septimo Severus impiissimus adeptus est imperium, qui se Pertinacem appellari voluit. Hic natura sævus, multis sæpe bellis lacessitus, fortissime quidem Rempublicam, sed superbissime rexit. Quintam post Neronem persecutionem in Christianos exercuit, plurimique Sanctorum per diversas provincias martyrio coronati sunt. Ex quibus extitit virgo beatissima, Bonosa nomine, nobili quidem prosapia orta, nobilior sanctitate est facta, quæ dum a cunabulis Christo credidisset, multis cœpit pollere virtutibus, ac jejuniis et orationibus insistens, omnipotenti Domino nostro Jesu C Christo quotidie famulabatur.

S. Bonosam increpitum carceri mancipat,

2 Eodem quoque tempore, quo impiissimus Rex Sanctos Dei fortiter persequi fecerat, comprehensa est virgo Christi Bonosa ab impiis, atque cum summa velocitate ante conspectum Regis adducta est. Quam cum impiissimus Rex vidisset, interrogans eam dixit; Quod nomen tibi est? Cui sancta virgo respondit: Bonosa famula Christi vocor. Imperator ait: Quis est Christus cui te famulari dicis? Bonosa virgo respondit, Christus est filius Dei, Verbum Patris altissimi, quod per uterum Mariæ Virginis de sinu Patris ad terras veniens humanum genus a captivitate diabolica redemit. Severus Imperator dixit; Et quare non adoras Deos immortales, quos universus orbis adorat? Bonosa virgo Christi respondit. Et qui sunt illi quos immortales esse dicis? Imperator respondit: Jovem, Herculem, Esculapium, atque Saturnum. Virgo Christi respondit: Hos quos tu asseris esse Deos, nos qui fidem Christi tenemus, impios, maleficos, atque sceleratos esse decernimus atque judicamus. De istis enim dicit Propheta; Dii, qui cælum et terram non fecerunt, pereant. De vobis autem Psalmista ait: Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis.

EX MSS

ubi ipsa, fusis precibus, confortata,

3 Ad hæc Imperator iratus jussit eam mitti in carcerem, præcepitque non panem, neque aquam ei dari usque ad diem septimum. Cumque introisset beata Virgo in carcerem, ponens genua sua in terram, expansis in cælum manibus ait. Omnipotens Deus, qui cælum et terram creasti, et ex nihilo cuncta fecisti, qui sedes super Cherubin, et judicas orbem terræ in æquitate, justoque moderamine cuncta disponis, qui omnibus te in veritate clamantibus prope semper assistis, et voluntatem timentium te facis, et orationes eorum exaudis, atque salvos eos esse concedis, exaudi me famulam tuam humiliter deprecantem; custodi corpus meum a potestate inimici, ut non corrumpatur, sed integrum et inviolabile, quod tibi consecratum est servetur, ut cum sanctis Virginibus in conspectu gloriæ tuæ accensis lampadibus mereatur possidere perpetuum regnum. Per Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum filium tuum, qui tecum et cum Spiritu sancto semper E vivit et regnat in æterna secula. Amen.

Imperatori denuo sistitur,

4 Statim apparuit ei Angelus Domini confortans eam, et dixit: Noli timere, exaudita est oratio tua quemadmodum postulasti; Pugna viriliter ut coroneris feliciter; Quia nosti quanta omnes sancti passi sunt tormenta ut possiderent æternæ vitæ palmam. Illa autem corroborata visione Angelica reddidit omnipotenti Deo gratiam. Post septimum vero diem jussit Imperator duci eam de carcere, cogitans eam jam esse defunctam. Quam cum vidisset, dixit ei, Quis tibi panem dedit? Bonosa virgo respondit: Dixit Dominus in Euangelio: Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Dixit ei Imperator, sacrifica diis immortalibus, et accipe sponsum nobilem secundum generositatem tuam, cum quo frui possis hujus seculi divitiis. Bonosa virgo respondit: Me ipsam offero in sacrificium Deo vivo, et vero cælesti sponso meo. Dicit ei Imperator: Ergo sponsum habes? Christi virgo respondit: Habeo immortalem sponsum Dominum Jesum Christum. F

qui eam Præsidi cruciandam tradit

5 Tunc iratus Imperator jussit eam expoliari, et fortiter cædi. Quæ dum expoliata fuisset, ita operuit eam Angelus Domini, ut nullus posset videre nuditatem ejus corporis. Satellites vero Imperatoris nimium ceciderunt eam. Sed Christi virgo nec terroribus concutiebatur, erat enim speciosa nimis, et pulchra aspectu. Mox Imperator tradidit eam suo Præsidi dicens; Accipe hanc puellam, et suade ei sacrificare diis nostris, quod si contempserit, diversis pœnis eam interficies. Præses autem accipiens eam lætus effectus est, cogitans eam revocare posse a Dei sui cultura, et lateri suo sociari. Alia autem die jussit sibi Præses tribunal parari juxta Romanum portum ante forum, et sanctam Virginem suis orationibus sisti præcepit. Cui etiam dixit: Consule pulchritudini tuæ, et sacrifica deo Herculi, atque consenti mihi, et possidebis copias auri et argenti, et habebis hereditarios filios. Bonosa virgo sancta respondit, Pro certo scias Præses, quia numquam sacrificabo diis vanis, neque polluar

EX MSS.

luar sordibus alienis; aurum et argentum tu posside fili diaboli, qui possidere debes æternum supplicium. Ego autem habeo æternam hereditatem in regnis cælestibus.

Milites L ab ea conversi,

6 Iratus ad hæc Præses vehementer jussit alapis cædi sanctam Virginem. Ministri autem Præsidis cum vellent eam cædere, obstupebant eorum brachia præ nimio dolore, et non valebant inferre aliquod malum in sanctam Virginem; Sancta autem Bonosa respondit ministris. Numquid non videtis virtutem Domini mei Jesu Christi, miserrimi? Quare non creditis in Dominum meum Jesum Christum? At illi respondentes dixerunt: Credimus in Deum, quem tu prædicas o beata virgo. Et crediderunt in illa die quinquaginta milites in Dominum Jesum Christum, et baptizati sunt a Pontifice urbis Romæ Præsule, quos omnes beata Bonosa de sancto fonte suscepit, et docuit eos omnem legem divinam.

martyrii palmam consequuntur.

7 Audiens hæc Præses jussit satellitibus suis, ut cum nimia injuria ducerent beatam Bonosam ante suum conspectum, quæ cum præsentata fuisset dixit ei Præses: Ego te cogitavi sa- B pienter et rationabiliter arguere, ut ab insania tua recederes; Tu autem arrogans effecta tuis magicis artibus delusisti famulos meos recedere a cultura deorum meorum. Bonosa respondit: Insensate et impiissime tyranne, quare non vereris loqui, qui dæmonia asseris Deos esse? Num audisti quid sanctus Propheta dicat; Omnes dii gentium dæmonia, Deus autem noster cælos fecit? Ad hæc indignatus Præses jussit eam suspendi in eculeo et torqueri. Quæ cum torqueretur beatissima Virgo hilari vultu dicebat, Gratias tibi ago Domine Jesu Christe Salvator meus, qui me dignatus es aggregare in numero ancillarum tuarum. Altera vero die sedens Præses pro tribunali dedit capitalem sententiam super eos, qui nuper baptizati erant, qui ducti sunt foras portam civitatis et decollati sunt octavo Idus Julii, accipientes in Domino victoriæ palmas, quorum corpora sepulta sunt non longe a Portu Romano stadio uno.

C

Præsidem minantem et blandientem

8 Beatam vero Bonosam in tenebroso loco trudi præcepit. Quæ cum esset reclusa apparuit ei Angelus Domini confortans eam, deditque ei panem cælestem, quæ cum comedisset recreata sunt omnia viscera ejus. Præses autem nimis iratus quid ageret ignorabat. Jussit satellitibus suis, ut plumbatis cederent sanctam Bonosam. Ministri autem diaboli fecerunt sicut imperatum eis fuerat. Beata vero Bonosa pulcherrimo vultu dixit ad Præsidem. Iniquissime quid contra me insanis, putasne me vincere? Jam nimirum constat me signatam et consecratam a Domino Jesu Christo. Tunc Præses ait ei: Impia quare ultronea conaris, et amittis tantam pulchritudinem? Abnega Deum tuum, et nega te esse Christianam, et accipe maritum sponsum juvenem, qui dabit tibi pretiosa vestimenta, et cuncta quæ necessaria sunt; sin alias, deservi in templo deæ Vestæ cum aliis virginibus, cum quibus habere poteris quidquid tibi libitum fuerit.

multis docet et terret.

9 Ad hæc Virgo sancta respondit: Absit a me, absit ut Creatorem meum negem, qui est creator, et recreator, formator et reformator cunctorum omnium, perfecit cælum et terram, D mare, et omnia, quæ in eis sunt, visibilia et invisibilia. Qui Luciferum superbientem a sublimibus cælorum sedibus cum suis satellitibus in infernum deposuit; cum quibus et vos o miseri estis arsuri, ubi est luctus et gemitus, dolor, et tristitia inconsolabilis, miseria ac pœna irremediabilis, ubi sunt dracones, serpentes, vermes, qui numquam moriantur, ubi perpetua flamma, quæ numquam extinguitur, et unde evadere poteritis si credideritis in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum filium ejus, et in Spiritum sanctum omnium vivificatorem, qui præstat omnium peccatorum remissionem, insuper etiam regnum condonat æternum, ubi ipsa sancta Trinitas æqualis regnat in majestate sua, ubi gaudent Angeli, lætantur Archangeli, tripudiant Patriarchæ atque Prophetæ, et exultant omnes in gloria sine fine, ubi adest plurimarum rosarum vernantium florum, et violarum multarum fragrantia, ubi non est dolor neque tristitia, sed ibi est æternum gaudium, sempiternaque lætitia.

E

quare ab ea varie torquetur

10 Et Præses ad hæc respondit: Hæc sunt verba, quæ numquam audivi, nec aliquando sum expertus; sed ideo te puto talia loqui, ut possis evadere tormenta, quæ tibi parata sunt. Beata virgo respondit: Cuncta quæ a me audisti profecto credere poteris, si donum baptismi Christi consequeris; Præses dixit: Jubeo te cum meretricibus tradi, atque cum lusoribus in contubernio lupanari concludi, et postquam corrupta fueris ad nostrum reverteris consilium. Sancta Bonosa respondit: Numquam virginitatem meam, quam Christo Domino consecravi amittam, numquam ad vestrum declinabo consilium. Tunc Præses jussit venire lenones, ut acciperent sanctam Virginem suis amplexibus, quod facere Deo juvante minime potuerunt. Videns autem hæc Præses præcepit ingeri flammas circa latera ejus, cumque positæ essent laminæ candentes ut sanctæ virginis corpus exurerent, ait beata Virgo ad Præsidem, tormenta tua pro nihilo computo, quia Redemptoris mei coronam, quam repromisit expecto; sed quia mentem F tuam video in felle amaritudinis, et in diabolico consilio permanere, quidquid tibi videtur exerce. Ad hæc Præses iracundia succensus jussit eam iterum in eculeo suspendi, et attrahi nervis, et ungulis ferreis ejus carnes radi, ut dolore compuncta idolis hostias immolaret. Cum autem vidisset Præses ejus mentem prorsus immolabilem * et impiis tormentis exultare cordis lætitia, præcepit eam deponi, et in arctissima custodia retrudi.

* immotabilem

Angelica visitatione recreatur

11 Angelus autem Domini in custodia carceris ei apparuit, magnumque ibi lumen refulsit, et ait ad Christi Virginem; Constans esto Christi virgo Bonosa, modicum et ad tempus sustine tormenta, ut accipias æternæ gloriæ coronam, quam dabit tibi Christus sponsus et Deus tuus. At illa congaudens reddidit omnipotenti Deo laudes et gratias, dicens, Omnipotens Deus, qui sedes super Cherubin, et profunditatem prospicis abyssi, qui cunctarum stellarum nomina nosti, cunctorumque hominum cogitationes a longe cognoscis, qui sathan ab Sanctorum tuorum

A tuorum pedibus tua virtute conculcasti, et miseros, qui clausi in inferni claustra detinebantur, ad superos revocasti, exaudi me ancillam tuam, et concede mihi misericordiam tuam, ut cum finis vitæ meæ advenerit, ab Angelis tuis sanctis in pace suscipi jubeas animam meam, atque in requiem collocare digneris æternam. Qui vivis et regnas per æterna seculorum secula. Amen.

..pectus Præsidis ..m..15.

12 Præses autem altera die jussit sibi in foro civitatis tribunal parari, et sedens in judiciaria sede Sanctam virginem præcepit afferri, cui etiam dixit. Quod consilium invenisti, vivendi, aut moriendi? Sancta Bonosa respondit: Consilium inveni, ut cum Christo vivam in æternum. Præses autem dixit: Tu deis sacrifica, aut sententiam accipe mortis. Bonosa virgo respondit: Non sunt dii, sed dæmonia pessima comprobantur, quia nec sibi, nec aliis prodesse poterunt neque in hoc seculo, neque in futuro, sed erunt in æterna damnatione et tribulatione omnes, qui colunt eos. Præses dixit: Injuriam meam patienter sustinui, sed deorum

B

meorum jam ferre non possum. Accede et affer libamina diis, sin autem, statim meo gladio interibis.

Ex MSS.

13 Sancta Bonosa virgo respondit, Minister sathanæ cur hortaris Dei famulam fidem mutare, quam ab infantia Christo Domino cognoscis esse firmatam, et cum quo ero æternaliter regnatura? Ad hæc Præses iratus dixit: Sacrilegam Bonosam, blasphemiam diis inferentem, et decretis Imperatorum obsecundare nolentem, jubeo capite cædi. Tunc præcepit spiculatori, ut suo proprio ense decollaret eam. Educta est igitur virgo Christi foras Urbis portas, et capitalem subiit sententiam Idibus Julii. Ipse autem Imperator, qui eam comprehendi fecerat eodem anno apud Eboracum oppidum morbo percussus obiit. Sic enim Dominus N. Jesus Christus suos vindicat Sanctos, et dat eis gloriam sempiternam. Qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat per omnia secula seculorum. Amen. Gloriosissima virgo Bonosa ora pro nobis miseris peccatoribus, cujus festum celebratur die quintadecima mensis Julii.

capite truncata martyr efficitur.

E

DE S. FELICE EPISC. ET MARTYRE

PAPIÆ IN INSUBRIA.

J. B. S.

XV JULII. Papiæ coli satis certum est;

Hujus sancti Episcopi, Papiæ martyris, primus, quod sciam, in auctioribus codicibus Usuardinis meminit, is quem inter Florentinos Strozzianum, a bibliotheca unde prodiit, nuncupavimus, his verbis: Papiæ, S. Felicis episcopi et martyris; *unde verosimillime a Belino acceptus est, ex hoc a Maurolyco, Molano, Canisio et Galesinio, quem postremum secutum se fuisse fatetur Baronius, dum Sanctum Martyrologio Romano inscripsit, nisi potius a Belino signatum reliquerit. Legitur ea annuntiatio in jam citatis Martyrologiis; at quis iste* Felix, *cujus urbis episcopus fuerit, quando vixerit, quid egerit, quo tempore passus martyrium, nusquam satis clare proditum reperio, ne quidem apud sedulum Sanctorum Italiæ scrutatorem Ferrarium, cujus index* C *alphabeticus plane fallit; istic enim in sanctorum Felicium serie sic habet:* Felix episcopus Spalatensis et martyr Papiæ xv Julii, corpus in propria ecclesia: *verum in ipso opere* Felix *iste frustra quæsitus est, ut proinde ad scriptores Ticinenses seu Papienses recurrendum fuerit, ut inde lucis aliquid accerseretur, quo per tenebras tutius liceret incedere: quam ipsi inter se conveniant, faxo mox intelligas.*

non ita constat ..u Episcopum fuisse,

2 *Consului itaque Antonium Mariam Speltam in historia Episcoporum Papiensium edita anno* 1597, *si forte inter istius urbis Episcopos connumeraretur; ast apud ipsum nec de nomine quidem notus est* S. Felix *Papiensis episcopus, quemadmodum nec de eo locuti fuerant Stephanus Breventanus in sua Papiensi historia excusa* 1570, *neque Bernardus Saccus in Ticinensibus* 1587, *neque Jacobus Gualla in Papiæ Sanctuario, eodem anno vulgato aut saltem recuso, ut jam plane crederem, ignotum esse Papiensibus Felicem episcopum, quem Martyrologia ipsis ferme tribuere viderentur. Post citatos scriptores, Annales sacros et diptycha Episcoporum Ticinensium nescio unde collegerit Hieronymus Bossius, in quibus locum suum invenerit* S. Felix, *nonus ordine collocatus, excluso S. Crispino II, ab omnibus aliis constanter servato. Ex jam dicto Bossio Felicem episcopum Papiensem eduxit Ughellus Italiæ sacræ tomo I, col. 5*, sic de ipso scribens:* S. Felix martyr, hujus ejusdem ecclesiæ præsul fuit anno CCLVIII, coronatus autem martyrio est die XV mensis Julii anno CCLV, cujus sacræ reliquiæ honorifice asservantur in Cathedrali, ejusdemque ad hanc diem meminit Romanum Martyrologium.

3 *Errasse typographum in signando anno 258, satis manifestum est; scire autem velim unde Ughello constiterit* S. Felicis *corpus seu* reliquias honorifice asservari in cathedrali. *Rem paulo melius componere conatus est Joannes Baptista de Gasparis in Breviario sanctorum Episcoporum Ticinensis ecclesiæ, edito Ticini* 1651, *in quo pag.* 36 *encomium* S. Felici *concinnavit, quod multis modis displicet, eoque potissimum, quod dictorum suorum vades scriptores nullos Bossio et Ughello antiquiores appellet, præter citata superius a nobis Martyrologia, ex quibus de solo Sancti cultu edoceri potuit. Hieronymi Bossii opus ad manum non est; neque vero magnopere curandum video quidquid ipse in medium proferre potuerit post sæcula quatuordecim a Sancti obitu, vetustioribus scriptoribus de tali sancto Papiensi episcopo plane tacentibus: a quo titulo longe etiam melius abstinuisset Gasparius, paulo securiorem ducem præ oculis habens laudatum modo Jacobum Guallam, apud quem* S. Felicem *episcopum reperio, sed Spalatensem, martyrem Papiæ sepultum honoratumque, a serie Episcoporum Ticinensium rectius excludendum.*

quod recentius excogitatum est.

F

4 *At enim vicisse in eo videtur amor patriæ, quem ex Bossio hauserat, placuitque adeo* S. Felicem *popularibus suis Episcopum vindicare, cui hoc elogium*

Elogium Joan. Bapt. de Gasparis

AUCTORE J. B. S.

elogium adscripsit : Felix bonitatis et justitiæ laudibus admirabilis, morum maturitate, vitæ innocentia ac sanctitate præclarus Ticinensium infula pontificali est anno ducentesimo quinquagesimo tertio initiatus. Tantum adeptus ministerium, nihil a pristino vitæ instituto immutatus est; sed qua erat intrinsecus animi humilitate, eam quoque extrinsecus bonorum operum cultu et caritate adeo patefecit, ut cunctæ civitati admirationi esset. A prædicatione verbi Dei non desistens, etiam ab infidelium et hæreticorum hominum congressu, et colloquio sic abhorrebat, ut ne prope quidem eos accedendum instanter prædicaret. *Diceres, Gasparium vetera aliqua* S. Felicis *Acta alicunde refodisse ex quibus singulas Sancti istius præsulis virtutes paucis contraheret : epocham vero pontificatus et martyrii tam distincte circumscribit ; ac si authenticas tabulas consuluisset, in quibus determinata singulorum Episcoporum tempora accurate designata fuissent. Non magis* B *placebit elogii pars altera, quam ita prosequitur :*

nullo modo id probat.

5 Martyrii desiderio exardescens, infidelibus se opponens, animam pro ovibus posuit, eo videlicet tempore, quo exteræ infidelium nationes, Alpibus penetratis, universaque Insubria subacta, Ticinum pervenere. Sub id namque tempus Felix felicissime extremæ vitæ cursum peragens, in magna rerum perturbatione graviter ab hostibus Christiani nominis affectus, glorioso martyrii triumpho, e corpore ad cælos migravit Idibus Julii anno ducentesimo quinquagesimo quinto, septima persecutione Deciana, quam continuarunt Gallus et Volusianus; cujus venerabile corpus Ticinenses, mœrore confecti, honorifice ac magnifice in ecclesia sancti Salvatoris, post ab ejus nomine S. Felicis nuncupata, sepelierunt. *Quibus, obsecro, hæc se scribere existimat Gasparius? Quid sibi volunt medio sæculo tertio* exteræ infidelium nationes, *quæ,* Alpibus penetratis, universam Insubriam subegerint? *An hæc Gothos potius aut Longobardos non indicant? At totis sæculis res istæ dissitæ sunt : lubens fateor; at hoc ipsum est, quod displicere jam dixi, scriptoris ea in re ignorantiam miratus. Quam autem ecclesiam* C S. Salvatoris *nobis pro eodem sæculo prædicat, in qua* honorifice et magnifice *sepultus sit sanctus Martyr, fervente adhuc persecutione septima? Non satis apte temporibus divisa isthæc sunt, quæ ego Papiensibus combinanda relinquo.*

Spalatensem fuisse, forte melius statuit Gualla.

6 *De loco sepulturæ, posterioribus haud dubie sæculis mutatæ, deque secuta inde* S. Felicis *appellatione, rectius sentit Gasparius quam Ughellus supra, in quo ferme convenit cum citato Jacobo Gualla, quem in aliis etiam minus male secutus fuisset. Agit hic de* S. Felice *Sanctuarii Papiæ lib.* V, *cap.* XIV, *pag.* 96, *diserte ipsum appellans* Spalatensis civitatis dignissimum episcopum. *Quo autem casu aut occasione Papiam advenerit, quo et quanto tempore ibidem episcopus fuerit, qua causa sedem suam deseruerit, quando martyrium subierit, non habuit Gualla unde certo exploraret, explicaretve; brevem passionis historiam referens, quam pluribus discutere, supervacaneum fuerit. Est ea de earum passionum genere quæ, perpaucis mutatis, Martyri ferme cuilibet commode aptari possit, nullis prorsus distincta characteristicis, quæ in temporis aut rerum adjunctarum sufficientem notitiam nos quæant perducere. At qualiscumque ea sit, in eo Gasparianæ præstat, quod non tam aperte impingat in notas temporum, quodque* S. Felicem Spalatensem, *contra vetustiorum omnium scriptorum sententiam Episcoporum Papiensium catalogo non intrudat. Sufficere nobis debet, quod ex Martyrologiis de cultu satis constare videatur. Adjungenda hic tamen etiam Guallæ ipsius narratio:* D

aliam ipsi historiam.

7 Felix Spalatensis civitatis dignissimus episcopus, ab quo ipsa basilica, ubi quiescit, sub nomine Salvatoris erecta, nomen accepit; vir quidem doctrina ac sanctitate conspicuus, cum populum ab idolorum cultura revocaret, et Christiana fide erudiret; impius Tarquinus, ira succensus, imperat, quod repente ad eum properare debeat: quem alloquens, et in Christi fide constantissimum inveniens, trudit in carcerem: ubi dum continue esset in oratione, hanc divinam vocem audire meruit: Felix, si in confessione fidei usque ad mortem perseveraveris, immortalitatis coronam inter Sanctos suscipies. Cui Felix inquit, Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, rex omnipotens æternæ gloriæ; qui mihi peccatori, cunctisque in te credentibus assistis. Nosti Domine, me toto corde te diligere, et pro sanctissimo nomine tuo, omnem etiam cruentissimam Cædem libenter passurum. Sed esto mihi adjutor ne deficiam in tormentis; quoniam a te solo omnis procedit victoria. Postea autem, Tarquino imperante, extra carcerem trahitur ad eum, quem cum videret in fide constantissimum, jussit super craterem ferream apponi, et subtus eam magnum ignem incendi. E

non omnino propriam ...tans.

8 Tunc voce magna Felix exclamavit, Domine miserere mei, sicut misertus fuisti servis tuis in camino ignis ardentis. Ad cujus orationem Deus suam misericordiæ aurem inclinans misit angelum, qui eum extinxit ignem; plures vero in servum Dei sævientes, furenti fulmine interempti, descendunt ad inferos: demum protervo Tarquino jubente, Felix præsul optimus atque sanctissimus capite truncatur, exhortatis tamen prius usque ad extremum vitæ spiritum Christianis, pro Christi fide, ad subeunda quæcumque supplicia. Quo tam cruentissime interfecto, inter duos angelorum choros sanctissima ejus anima, splendore tota præfulgida, ad cælestia deferri visa est gaudia. Quod videntes perfidi barbari, in fugam territi se dederunt. Christiani autem Felicis martyris sanctum et venerabile corpus, cum multis lacrymis devotissime sepelierunt. Ejus autem corpus sanctissimum, una cum divo Castulo, in arca media confessionis templi, ipsius nomine vocati, in præsentia jacet. F

DE SANCTIS MARTYRIBUS

ANTIOCHO ET CYRIACO

SEBASTE IN ARMENIA.

J. P.

Ex Fastis Græcis et Martyrologio Romano.

Sub Diocletian. Sancti Martyres

Sebaste, *alias Sebastia, illustris plurium Martyrum palæstra, urbsque episcopalis, aliis Armeniæ, aliis Cappadociæ tributa, prout indicavimus die* III *Februarii ad Acta S. Blasii ep. et martyris ; et* X *Martii ad Acta Sanctorum* XL *Martyrum, uti etiam die* XX *Aprilis, pag.* 58, *habet in* SS. Antiocho et Cyriaco *unde merito glorietur. Non eadem ubique in sacris Fastis eos annuntiandi ratio est ac dies. Hac* XV *ambo jun-* B *guntur in Synaxario Basiliano, Menologio, quod ex interpretatione Sirleti edidit Canisius, et Martyrologio Romano ; in quo ultimo ita signantur:* Sebaste S. Antiochi medici, qui sub Hadriano præside, capite obtruncatus est : cumque ex eo lac pro sanguine manaret, Cyriacus carnifex conversus ad Christum, et ipse martyrium subiit, *contractis in compendium iis, quæ paulo pluribus refert Sirletus. At Menæum Divionense seu Petri Francisci Chiffletii nostri solum notat* Antiochum *die* XVI *hujus, adjecta in ejusdem apographo nostro nota longioris elogii. Supplementum Ms., quod habemus, ad Menæa excusa ex Synaxario membranaceo Ms. Sirmondi, et Ms. chartaceo Chiffletii accinit ipsi hoc distichon :*

Πρὸς τὸν τὸ πᾶν βλέποντα Δεσπότην βλέπων,
Ἀντέοχες, Ἀντίοχε, καὶ τομὴν μέχρι.

Visu intueris, cuncta qui videt, Deum,
Antioche certans, usque dum aufertur caput.

Patet poëtæ allusio in proprio nomine Martyris et verbo proxime illud antecedente, iisdemque fere litteris ac syllabis constante. C

diverso modo ac die annuntiantur : quorum datur elogium.

2 *In Menæis vero Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ nomen ejus reperio inter diem* XVI *ac* XVII, *incertus utri sit ibidem adscribendus, quia neuter ipsi annotatur, uti nec* Cyriacus. *Versio Kalendarii Syriaci seu Chaldaici, Romæ excusi anno* 1624, *quam Latine Majoribus nostris dictavit D. Josephus collegii Maronitici in Urbe alumnus* 1661, *hac die* XV *dicit :* S. Osii, qui appellatus est Antiochus. *Sed ista non sunt in versione Italica Simonis Moysis Maronitæ, et laudati Collegii etiam alumni. Novi* ὅσιος, *titulum esse Sanctis debitum, ac valere idem quod* Sanctus; *nomen autem Sancti proprium esse non novi, quod pro isto huc potuit esse intrusum. Laudata Menæa sequens contexunt elogium :* Ἄθλησις του ἁγίου μάρτυρος Ἀντιόχου, ἀυταδελφοῦ χρηματίσαντος του ἁγίου μάρτυρος Πλάτωνος, δὶ οὗ καὶ εἰς τὸν Χριστὸν πεπίστευκε. Διερχομένου οὖν του ἁγίου Ἀντιόχου τήντε Γαλατικὴν καὶ Καππαδοκίαν, καὶ παντοῖα νοσήματα θεραπεύοντος, συλλαμβάνεται παρὰ Ἀδριανοῦ ἡγεμόνος, καὶ εὐθέως κρεμασθεὶς ἐπὶ ξύλῳ ξέεται τάς πλευράς, καὶ λαμπάσι πυρὸς κατακαίεται, καὶ τῇ φρουρᾷ ἀποτίθεται · ἐκεῖθεν ἐξαχθεὶς λέβητι ἐμβάλλεται κόχλάζοντι, καὶ θηρίοις ἐκδίδοται · καὶ ἐκ πάντων τῇ του Χριστοῦ χάριτι παραδόξως ῥυθεὶς προσευχῇ πάντα τὰ εἴδωλα εἰς γῆν κατάῤῥαξε κλὶ κονιορτὸν ἀπετέλεσε· διὸ καὶ τὴν κεφαλὴν ξίφει τμηθεὶς ἀνεπαύσατο ἐν Κυρίῳ. Certamen sancti martyris Antiochi, qui fuit germanus frater sancti martyris Platonis, per quem etiam in Christum credidit. Cum autem S. Antiochus transiret Galatiam et Cappadociam, et omnigenos morbos sanaret, ab Adriano præfecto comprehenditur, et mox in ligno suspensus, latera raditur, et lampadibus ignis aduritur, atque custodiæ includitur : indeque eductus E in lebetem injicitur bullientem, ac feris traditur; atque ex omnibus Christi gratia mirabiliter liberatus, idola omnia precibus in terram collisa in cinerem redegit. Ideo truncato per gladium capite requievit in Domino.

Quo tempore fuerint passi?

3 *Dictum Chiffletii Menæum* XVI *hujus ; at synaxarium Basilianum, Menologium a Sirleto versum ac Menæa magna excusa* XVIII *Novembris* S. Antiochum *vocant fratrem Platonis, passumque memorant sub Agrippino : qui in martyrio apud Surium vulgato die* XXII *hujus, et in Actis ejusdem Mss.; quæ apud nos exstant, danda isto die, ac dramatice utrobique adornata sunt, dicitur* Vicarius Agrippinus. *Petrus de Natalibus martyrium innectit tempori Maximiani Imperatoris. Si sub* Vicario *sit passus ; non id contigit ante tempora Diocletiani, quem primo id genus officii instituisse (de quo Pancirolus in Notitia dignitatum imperii Orientis a pag.* 77, *et de vicariis Armeniæ primæ ac secundæ pag.* 67 *versa) colligimus ex Lactantio De mortibus persecutorum cap.* VII. *Si igitur Agrippinus iste non fuerit præfectus, (qualis in Basiliano Menologio, ab Arcudio in Latinum converso, et edito apud Ughellum tomo VI Italiæ sa-* F *cræ, col.* 1137 *vocatur, id est cum Græco laudati Basiliani apographo nostro ac Menæis magnis prælo editis* ἡγεμὼν ;) *sed præses, prout a Sirleto vocatur (Græce* προστάτης) *vel vicarius, ut supra, cui præsides suberant; sub quo martyrium perpessus sit S. Plato, jam illud imperio Diocletiani, sive, ut tradit Menologium Slavo-Russicum Sparwenfeldianum dicta die* XVIII *Novembris, Maximiani affigi poterit. Atque hæc fundamentum nobis præbent sufficiens ad eamdem circiter æram S. Antiochi, germani ejusdem fratris, martyrium revocandi. Secus statue si Agrippinus extiterit præfectus ; qui ante tempora Diocletiani jam erant instituti, uti habemus ex Eusebii Hist. Eccl., lib.* VII, *cap.* XI.

S. Antiochus solenniter colitur sæculo VI.

4 *De cultu* S. Antiochi *sæculo* VI *legitur in Vita S. Theodori Siceotæ, Anastasiopolitani episcopi, et archimandritæ cœnobiorum in Galatia, a Georgio discipulo scripta, et a nobis ad diem* XX *Aprilis illustrata ; ubi pag.* 57, *num.* 110, cum XVI Kal. Augusti solennis Sancti martyris Antiochi dies, in ejus templo celebraretur, et B. Theodorus sacrificaret, *insigne refertur miraculum.*

AUCTORE J. P.

miraculum. Unde recte arguas cum Baronio in Annotationibus ad Martyrologium Romanum hac die, xv, *ex Actis istius Theodori, quæ citat, et extant apud Lipomanum tom. VII, pag.* 56 *versa,* olim post diem sequentem actum *fuisse* natalem S. Antiochi martyris.

De S. Cyriaco ex Mss. Græcis Sirmondi et Chiffleti.

5 *De martyrio* S. Cyriaci *ista elogio Ambrosiano, superius producto, adscripsit Pepebrochius ex Sirmondo ac Chiffletio, notans post* ἀπετέλεσε, *quod in eo legitur, apud illos addi sequentia:* Ξίφει οὖν τὸν αὐχένα τέμνεται, ἐξ οὗ αἷμα σὺν γάλακτι ἔῤῥευσεν· ὅπερ ἰδὼν Κυριακὸς, ὁ τὴν ἀναίρεσιν ἐνεργήσας του Μάρτυρος, παῤῥησίᾳ ἑαυτὸν Χριστιανὸν ὡμολόγησε, καὶ ἀνάθεμα εἰπὼν Ἀδριανῷ καὶ τοῖς εἰδώλοις αὐτοῦ, ἀφαιρεται καὶ αὐτὸς τὴν κεφαλὴν, καὶ προστίθεται τῷ ἁγιωτάτῳ Ἀντιόχῳ. Gladio itaque collum abscinditur *(Antiocho)* e quo sanguis cum lacte effluxit. Quod videns Cyriacus, qui lictorem Martyris egerat, libera voce se Christianum professus est, dictoque anathemate Adriano atque idolis ejus, ipse quoque capite truncatur, et sanctissimo Antiocho apponitur. *Quæ conveniunt cum iis, quæ narrat elogium Synaxarii Basiliani, fabulosa me-*
B *tamorphosi contaminatum, ut patet ex Latina interpretatione, quam more nobis usitato produco ad intelligentiam textus Cræci, ad calcem tomi primi Julii vulgati.*

6 Antiochus Christi martyr Sebastia oriundus medicam artem exercuit. Dum autem omnes pertransiret civitates, atque infirmos sanaret, ab Adriano præfecto comprehensus est, multosque cruciatus primo sustinuit; postremo in lebetem injectus, et non combustus, ducitur ut cum feris certamen ineat: cui feræ abblandiebantur, ac pedibus ejus advolutæ osculabantur eum. Una vero panthera præfectum reprehendit humana voce. Deinde idola omnia, Sancto orante, in pulverem dissoluta sunt. Qui post hæc capite truncatus est, fluente e collo ejus lacte cum sanguine. Cyriacus vero, qui capite Sanctum truncaverat, viso miraculo, libera voce Christianum se esse professus, et dicto idolis Adriani anathemate, ipse pariter capite minutus, Antiocho appositus est. Sicque consummato martyrio, acceperunt a cælesti et magno Rege regnum cælorum. *Observa hic, et apud Sirletum, constanter dici* S. Antiochum *e Sebastena urbe oriundum fuisse; cujus tamen frater Plato utrobique cum Menæis impressis ponitur* ex Ancyra Galatiæ. *De lebete adscripsit ista Papebrochius ad marginem elogii Ambrosiani, quæ fortasse acceperit ex Sirmondo ac Chiffletio,* μεστῷ E ὑπάρχοντι παντὸς δραστηρίῳ ἐλαίῳ, καὶ ἐν ἑπτὰ ἡμέραις ὑπὸ του πυρὸς ἐκφλεγομένῳ: quod plenus esset omni actuoso oleo, ac diebus septem ab igne succensus.

et Synaxar. Basilia- o, et parte fabulos-

DE S. ABUDEMIO MART.

IN INSULA TENEDO.

Ex Synaxariis Græcis ac Martyrologio Romano.

J. P.

SUB DIOCLETIAN. *Mutato aliquantulum nomine signatur hic Martyr.*

Varii *Græcorum fasti hunc nobis hodie Martyrem memorant, mutato aliquantulum nomine* Abudemii, Abudemi et Abudimi. *Menologium a Sirleto Latine redditum, et a Canisio tomo II Antiquæ lectionis vulgatum hæc habet:* Sancti martyris Abudemii *(certamen)* sub Diocletiano Imperatore, ex insula Tenedo; qui de-
C tentus cum cogeretur Christum abnegare, et execrabiles victimas degustare, nec id facere pateretur, flagris cæsus, et multa alia tormenta perpessus, in Christianæ confessionis constantia permanens, beati martyrii corona donatus migravit ad Dominum. *Menologium illud quanto in pretio habuerit Baronius, testatum reliquit amplissimis verbis in suis Notationibus ad Martyrologium Romanum die* III *Januarii; e quo hunc Martyrem in illud sic transcripsit:* In insula Tenedo S. Abudemii martyris, qui sub Diocletiano passus est. *Plura, sed non undequaque verosimilia, nec sincera, tradit pervetustum Synaxarium, e Menologio jussu Basilii Imperatoris Porphyrogeniti, ut putatur sæculo* x *conscripto, collectum, et a Majoribus nostris repertum in monasterio Basilianorum Cryptæ Ferratæ in Latio; cujus sex postremi menses ibidem manuscripti servantur. Excusa tomo primo hujusce mensis sic reddo Latine:*

Elogium Basilianum non est undequaque sincerum.

2 Abudemus Christi martyr fuit sub Diocletiano Imperatore ex insula Tenedo. Cum vero comprehensus esset, et multum cogeretur Christum abnegare; eo adduci haud potuit, sed ejus divinitatem majore cum libertate confessus est. Ideo palis constitutis in flagella extensus, a novem militibus cæditur. Lictoribus autem omni vi illum compellentibus, ut pollutas hostias gustaret; id facere non sustinuit. Idcirco ferreis manibus ipsum radunt; et post alia multa tormenta in proposito persistentem capite obtruncant. Et ecce medio die apparuit Martyr Diocletiano una cum angelis, gladios tenentibus, F et timore cælesti ipsum perculit; aitque: Ecce Abudimus, homo veri Dei, quem tu nunc mortuum esse putas: at Deus auxilio suo tibi ostendit, quod prævaleat adversus dæmonas, tuorum operum adjutores, et adversus te. Sed scelestus, quo per Dei patientiam in *[alium]* hominem mutari debuisset, magis furens, corpus Martyris igni tradidit. *Tenedos insula Asiæ minoris in mari Ægeo notissima est. Hinc Martyr oriundus modo dicebatur; ibidem a nobis in titulo superiore annuntiatus cum Martyrologio Romano, tametsi locus palæstræ nos lateat.* Πάλος *in genuina linguæ Græcæ notione sortem, vibrationem, concussionem significat; in barbara vero palum aut paxillum, voce a Latinis mutuata, more scriptoribus medii ævi valde usitato, prout pluribus exemplis probatum invenies apud Cangium tomo I Glossarii ad Scriptores mediæ et infimæ Græcitatis in voce* πάλος. *Quomodo autem sancti Martyres columnis et palis vincti, vel humi aut super acutis obeliscis extensi, vel ad quatuor stipites alligati cæderentur, tradit Antonius Gallonius de sanctorum*

Variæ in illud observationes.

A *ctorum Martyrum cruciatibus cap.* IV, *pag.* 167.

quibus dilucidatur ejus textus.

4 *Per* Pollutas hostias *intellige idolothyta : (quam vocem hic adhibuerunt Menæa magna Græca excusa die* XVI *hujus, ac Ambrosiana, paulo post denuo memoranda ; ac de quibus Apostolus* I *Corinth. cap.* VIII, ℣. 1) *id est idolis sacrificata : sumpta radice* ἀπὸ του εἰδώλου καὶ του θύειν. *De ungulis, uncis, ac pectinibus ferreis agit laudatus Gallonius cap.* VI, *a pag.* 184 ; *atque ex ipso Ruinartius in notis ad Acta Martyrum sincera pag.* 171 *impressionis Wetstenianæ ; sed nusquam ibi invenio* manus ferreas ; *quas opinor vel eamdem, vel certe parem cum tribus dictis instrumentis excarnificandi vim atque usum habuisse, et nomen forte accepisse a similitudine manus, cujus figuram referebant. Certe in Menæis utrisque proxime jam nominatis pro* τὸ manibus *ponitur* τὸ unguibus. *Quæ dicuntur de apparitione Martyris, facta Diocletiano, ipsius verbis et angelorum comitatu adornata, Metaphrastæi aliquid videntur sapere, et ab sincerorum actorum characteribus alienum.*

B

Alicubi etiam refertur Sanctus die XVI *hujus: versiculi :*

5 *Menæa magna excusa ponunt hac die sanctum martyrem* Abudimum, *quem et die crastina repetunt, subsequente, ut solet, Maximo Cytherorum episcopo in* Βίοις Ἁγίων, *vulgari Græcorum hujus temporis lingua contextis. Parvum de ipso elogium utrobique reservatur in crastinum diem ; hodierno dicta Menæa excusa hoc distichon ei accinunt :*

Ἀβουδίῳ * μαχαίρα πρόξενος τέλους,
Αὐτῇ δὲ τοῦτο πρόξενος καὶ τοῦ στέφους.
Abudimo ensis comparat certam necem,
Ensi coronam comparat nex gloriæ.

AUCTORE J. P.

* lege Ἀβουδίμῳ.

memoria ex aliis Synaxariis et Galesinio.

6 *Elogio Menæorum consonat illud, quod habent hodie Menæa Mss. bibliothecæ apud Mediolanenses, signata littera* O, *num.* 148 ; *quibus adde ex ibidem annotatis manu Henschenii, memoriam Sancti nostri in Taurinensi utroque Synaxario, Ducis Sabaudiæ cum nomine alias in Actis nostris citato ; et Sirmondiano, ibidem pariter eadem manu adscripto. Characteres tam hoc die quam crastino in mox nominatis elogiis occurrente nimium inter se conveniunt cum iis, quos paulo ante retulimus ex Synaxario Basiliano, quam ut duos* Abudemios *admittamus. Unum itaque eumdemque hic occurrere, tametsi duobus diversis diebus notatum, persuadent vita sub Diocletiano acta, extensio in palis, flagellorum supplicium a novem militibus toleratum, pollutæ hostiæ ad gustandum oblatæ, ferrei ungues, capitisque obtruncatio, utrobique relucentia. Raderus noster in observationibus ad Menæa Græca, quas manuscriptas habemus, fecte nobiscum existimat,* Abudium *(ut ibi exprimitur) hac* XV *notatum, et* Abudimum *(pro quo* E *ibi scribitur* Abudemius) *diei proxime sequentis, eumdem esse. Eumdem Martyrem ex Latinis Martyrologis refert Galesinius die* XVI *hujus, quem ut in notationibus habet,* e Græcis tabulis didicit.

DE SS. MARTYRIBUS ALEXANDRINIS

PHILIPPO, ZENONE, NASEO ET DECEM INFANTIBUS

J. B. S.

Ex Martyrologiis.

XV JULII

C*onstans est Hieronymianorum et uniformis, præterquam Vetustissimi, annuntiatio, qua Alexandriæ adscribuntur prætitulati tres Martyres cum decem anonymis infantibus ; sic enim Lucenses codices, Corbeiensis et Blumianus ; dum interim Epternacensis seu Antverpiensis hic tres sanctos Portuenses seu Romanos interserit, sic legens :* In Alexandria, natalis C Philippi, Zenonis, Sisinnii, Eutropi, Zosimi, Bonosæ, et infantum decem ; *ubi satis patet, tres istos* Eutropium, Zosimum *pro* Zosima, *et* Bonosam *transpositos esse ; et pro* Naseo, *alias* Narsæo, *intrusum esse* Sisinnium, *in aliis codicibus non signatum. Quousque tota annuntiatio Adoniana sit, et qua ratione in Usuardum transierit, atque inde in codices plerosque omnes usque ad hodiernum Romanum, in Observationibus ad illius Martyrologium satis explicui ; præter quæ nihil hic adjungendum superest : quod idem ferme dicendum de sequenti* F *classe Martyrum Carthaginensium.*

DE SS. MARTYRIBUS CARTHAGINENSIBUS

CATULINO DIACONO, JANUARIO, FLORENTIO, POLLUTANA, JULIA ET JUSTA.

J. B. S.

Ex Martyrologiis.

XV JULII.

Q*uamquam et hic inter codices Hieronymianos aliqua occurrat diversitas, conveniunt tamen plerique omnes in annuntiandis sex numero Martyribus, ut non satis videam, cur ex iis unum expunxerit Ado, adeoque et ejus descriptor Usuardus, ut suo loco etiam observavi, una indicans id quod de S. Catulino, cujus gesta æque ac aliorum oblivione sepulta sunt, seorsim annotandum erat, hic proinde non repetendum. Ex Usuardo transiit truncata classis in totam ejus sobolem, atque adeo etiam ad Romanum modernum. Restituendam putavi* Pollutanam *seu* Polentanam, *quam cum reliquis legit Blumianus codex. De cetero ex Hieronymianis textibus habetur quidquid de ipsis dici potest. Sic ipsos enumerat vetustissimus Epternacensis :* In Africa, civitate Cartaginis, Catholini diaconi, Januari, Florenti, Polenti, Polentanæ, Juliæ et Justæ. *Sic porro Corbeiensis :* In Africa, civitate Carthagine, natalis sanctorum Catholini diaconi, et reliquorum

AUCTORE J. B. S.

quorum martyrum, qui requiescunt in basilica S. Faustæ; Januariæ, Florentii, Pallutane, Juliæ simul et Justæ. *Atque ab hoc modicum differunt Lucenses codices, unde textum suum formavit Florentinius:* In Africa, civitate Cartagine, natalis sanctorum Cartulini diaconi, et reliquorum martyrum, qui requiescunt in basilica S. Fauste; Januarii, Florenti, Pollutate, Juliæ similiter, et Juste. *Appellatam hic* basilicam Faustæ, *seu potius* Fausti, celebrem esse in conciliis, et Victori Uticensi memoratam, *ex Florentinio obiter indicare sit satis.* D

DE SS. MARTYRIBUS SIRMIENSIBUS
AGRIPPINO, SECUNDO, MAXIMO, FORTUNATO ET MARTIALE.

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

XV JULII.

Classis hæc solis Hieronymianis peculiaris est, Adoni et Usuardo incognita. Locum habet in Rabano et Nothero, a quibus tamen nomina integre reddita non sunt. Sirmium luxavit vetusti s. Epternacense scribens; In Sirmi; B *nec multo melius Corbeiense et Lucensia;* In Syrmia, *præterquam quod in his* Arippini *legatur, pro* Agrippini. *In Hieronymianis parvis non servatur satis accurata loci et nominum ratio: excipe tamen codicem Reg. Succiæ, in quo recte formantur omnia:* Sirmii, natalis sanctorum Agrippini, Secundi, Maximi, Fortunati, Martialis. E

DE S. LOLIANO MART.

J. P.

Notitia ex fastis Græcis.

DIE XV JULII.

Vix quidquam eorum, quæ ad hunc sanctum Christi Martyrem pertinent, nobis transmisit antiquitas, præter solum ipsius nomen, in Menæis magnis excusis ita hoc die annuntiatum: Sancti martyris Loliani. *Plusculum exponit distichon sequens, rudemque aliquam ideam suggerit, quo mortis genere martyrium consummarit:*

Ποσὶ προθύμοις ἔδραμε τρίβον τέλους
Ὁ Λωλιανὸς, οὗ ποσίκρουστον τέλος.

Alacri cucurrit semitam mortis suæ
Pede Lolianus; cui premi pede mors fuit.

Allusio metrica per se patet; per quam haud obscure intelligimus, Sanctum pedibus hominum vel bestiarum obtritum ad Superos migrasse. Ipsum quoque refert Maximus Cytheræus, ac Menæum Chiffletii; quod nomen ejus exprimit geminato ¥. *Reliqua quæ sive ad Vitam sive ad mortem, patriam, ætatem, locum palæstræ pertinent, nos latent. De S. Lolione martyre apud Græcos, colaphis obruto ac protrito egimus* XX *Martii pag.* 84; *uti et de alio synonymo* juniore *dicto, qui tractus per terram exspiravit; utroque æque ac* Loliano *nostro satis obscuro; quem tamen a duobus istis fere ipsi synonymis putamus distinguendum; quamvis nomina et genus martyrii illud aperte non evincant.*

C F

DE SANCTO JACOBO EPISCOPO
NISIBI IN MESOPOTAMIA.

G. C.

§ I. S. Jacobi cultus.

CIRCA MEDIUM SÆC. IV.

Elogium S. Jacobi Nisibeni in Ms. Martyrologio Coptico,

Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum auctor Baronius ad annum Christi 338 testatur, sancti hujus Præsulis memoriam non a Syris tantum, sed etiam a Græcis Latinisque quotannis celebrari. Certe in sacris Æthiopum aliarumque nationum fastis nomen illius crebro recurrit. At nolo hic singula harum gentium monumenta exscribere, ne sæpius eadem cum tædio lectoris cogar repetere. Ex iis unum alterumve breve elogium selegisse suffecerit. Martyrologium Copticum Ms., quod Simon Moyses Maronita anno 1633 *Romæ interpretatus est, Sanctum nostrum die* XVIII *Januarii ita describit:* S. Jacobi episcopi, S. Ephrem præceptoris. Iste sanctus fuit ex civitate Nezbin, et fuit Syrus propter idioma, et ab adolescentia sua elegit vitam monasticam, et vestivit se cilicio ex pilis, et hoc nomen sonat ex capreis pilis seu equinis et susinis et ex hisce similibus, et cum eo transire faciebat calorem æstatis et frigus hyemis; et cibus illi fuit virgultum terræ, et potus aqua pluvialis solum. Propterea corpus suum debile [erat;] anima autem sua splendebat, et propterea meruit donum prophetiæ et patrandi miracula. Et præsciebat facta hominum, antequam fiebant. Miracula autem, quæ patravit, multa sunt. Et iste fuit unus ex sanctis patribus concilii Nicæni contra Arium. *Satis patet interpretem Maronitam linguæ Latinæ non admodum fuisse peritum cum* capreis

A preis *pro* caprinis *et* susinis *pro* suillis *vel* porcinis *aliaque posuerit, quæ eruditus lector facile observabit.*

...t impressus ...i eorum ...Menæis.

2 *Græci in Menæis die* XIII *Januarii satis prolixum exhibent Actorum compendium; verum cum ipsa Acta postmodum integra danda sint, eo omisso, solum hic Latina reddo, quæ in iisdem Menæis ultima die Octobris sic Græce leguntur:* Sanctus hic pater noster Jacobus fuit episcopus Antiochiæ Mygdoniæ, quæ et Nisibis dicitur. Propter summam vero virtutem magnus miraculorum patrator, cum divinitus loqueretur, mortuos per Christi potestatem excitavit, et plures ab idololatria ad Dei cognitionem convertit, multosque, qui ob humanum timorem Christum negarant, ad eum redire fecit. Librum etiam valde utilem composuit. Expressit quædam ad exemplar istius libri Theodoritus Cyri episcopus in Religiosa sua Historia. Ille multas tentationes passus ab idololatris imperatoribus, iisque non cedens perseveravit usque ad magnum imperatorem Constantinum, et in prima synodo fuit unus ex trecentis et octodecim sanctis Patribus;
B et quando ea, quæ ibidem pie publicata erant, cum sociis suis sigillo consignaverat et confirmaverat, profectus est Constantinopolim ad magnum Metrophanem, et postquam cum eo communicasset, et defuncti funus curasset, rediit ad sedem suam, parumque supervivens et signis effulgens quievit in Domino.

quorum phrasis quædam examinatur.

3 *In hoc elogio peculiaria quædam occurrunt, de quibus hic breviter disseremus. Primum quidem, quod spectat ad* S. Jacobi *librum, ad cujus similitudinem aliqua scripserit Theodoretus, ita obscurum est, ut Tillemontius tom. VII Memor. Eccles. Hist. pag.* 265, *posito ad marginem verbo Græco* ἐξεικονίζει, *ingenue fateatur, se nescire, quid Græci velint, dum in Menæis dicunt*, S. Jacobum *Nisibenum composuisse utilem librum, ex quo Theodoretus aliqua repræsentavit in Philotheo. Textus Menæorum sic sonat:* Καὶ βίβλον πάνυ ὠφέλιμον συνετάξατο. Ἐξεικονίζει δέ τινα τῶν του βίβλου ταύτης Θεοδώριτος ὁ του Κύρου ἐπίσκοπος ἐν τῇ φιλοθέῳ αὐτοῦ ἱστορίᾳ, *id est*, librum etiam valde utilem composuit; exprimit quædam ad exemplar istius libri Theodoritus Cyri epi-
C scopus in Religiosa sua Historia. *Non invenio aptiorem interpretationem præter eam quam dedi. Nam* ἐξεικονίζω *significat, ut opinor,* ex exemplari exprimo, ad exemplar effingo, ad similitudinem facio, depingo, repræsento, *aliaque hujusmodi. In hac opinione me non parum confirmat expressio Maximi Cytherorum episcopi, qui in Vitis sanctorum Græco-barbare scriptis in elogio S. Jacobi Nisibeni* XXXI *Octobris pro* ἐξεικονίζει *utitur verbo* μιμᾶται, *id est* imitatur. *An forte* S. Jacobus *librum scripserit, ad cujus imitationem Theodoretus Philotheum composuit, hactenus exploratum non habeo. Alterum quod hic dicitur de* S. Jacobi *colloquio cum Metrophane episcopo Constantinopolitano, et justis ipsi solutis, quamvis fieri potuerit, tamen ex nullo, quod sciam, veterum scriptorum testimonio constat. Tertium quod additur, nempe post finitam anno Christi* 325 *Nicænam synodum, et celebratas Metrophanis exequias* S. Jacobum, *ad sedem suam reversum, parum supervixisse, falsum omnino est, cum ut minimum usque ad annum Christi* 350 *superfuerit, quemadmodum postea pluribus evincemus.*

AUCTORE G. C.

Martyrologia Latina celebrant eumdem Sanctum,

4 *Latina Martyrologia tum antiqua tum recentiora hunc sanctum antistitem Nisibenum memorant. Romanum Parvum simpliciter sic enuntiat :* Nisibi Jacobi episcopi. *Antiquissimum ex Martyrologiis Hieronymianis totidem verbis de eodem meminit :* Jacobi episcopi Nizibæ. *Prolixior est Ado, qui Idibus Julii sic habet :* Nisibi natalis S. Jacobi episcopi, magnæ virtutis viri, ita ut ad ejus preces sæpe urbs discrimine liberata sit. Hic unus fuit ex numero confessorum sub persecutione Maximiani, et eorum qui in Nicæna synodo perversitatem Arii, homousii oppositione damnarunt: Atque intra muros urbis suæ et præcepto Imperatoris Constantini ad tutelam et munimentum sepultus, postea zelo Juliani Apostatæ extra urbem elatus et conditus. Sed mox eadem civitas tanti patroni orbata reliquiis Persarum ditioni succubuit. *Adonis vestigia pressit Usuardus, ejusque primam partem sic exscripsit:* Nisibi natalis S. Jacobi episcopi, magnæ virtutis viri. Hic fuit unus e numero confessorum, sub persecutione Maximini, et eorum qui in Nicæna synodo perversitatem Arii, Omousii oppositione damnarunt. *Satis patet,* E
hæc Usuardum ex Adone desumpsisse præterquam quod pro Maximiano Maximinum *posuerit. Utra lectio præferenda sit, non facile dicam, cum generosi hi Christi pugiles sub alterutro Christianorum persecutore accipere potuerint vulnera, quorum gloriosas cicatrices ad Nicænam synodum attulerunt. Si Sanctus noster ob constantem Christianæ fidei professionem vulneratus sit, putat Tillemontius eum potius passum esse sub Maximino, utpote cui parebat Mesopotamia. Quidquid sit Maximinum etiam appellat Martyrologium Romanum Cardinalis Baronii cura et studio emendatum, in quo ita legimus :* Nisibi natalis sancti Jacobi ejusdem urbis episcopi magnæ sanctitatis viri. Hic miraculis et eruditione clarus, unus fuit ex numero confessorum sub persecutione Maximini, qui in Nicæna synodo perversitatem Arii, Homousii oppositione damnarunt. Cujus et Alexandri episcopi oratione ipse Arius condignam suæ iniquitatis mercedem effusis visceribus Constantinopoli recepit. *De hac postrema Martyrologii Romani assertione alio loco* F
agemus; nunc Martyrologiorum quorumdam additionem examinemus.

qui in aliquibus codicibus dicitur vidisse arcam Noe;

5 *Quidam codices Martyrologii, Hieronymiani post hæc verba* Jacobi Episcopi Nisivis *hanc novam et Theodoreto Gennadioque ignotam subjungunt historiam;* qui in corpore *(Ms. Corbeiense hæc interserit* multa passus est et, *)* multa signa fecit, et arcam Noë solus vidit in monte; nullus alius * de his, qui cum eo perrexerant, videre est permissum. *Eadem fere sed correctius habet Idibus Julii Martyrologium Bedæ cum auctario Flori et aliorum, quod in Actis nostris ante tomum II Martii videri potest. Notherus idem miraculum narrat, et montem, in quo id contigit, Taurum appellat. Florentinius in Notis ad Martyrologium Hieronymianum de hac additione sic scribit :* Nihil autem in his *(loquitur de Theodoreto et Petro de Natalibus Actorum scriptoribus)* de Noëmi arca inspecta narratur; sicuti neque in M. vetustissimo. Unde tam in codicibus nostris quam Corbeiensi ab antiquo tempore et in eorumdem prototypo episodium præter morem additum vix dubitarem. *Vocat autem hoc additamentum antiquum,*

* *lege* nulli alii

AUCTORE G. C.

antiquum, quia Notkerus illud etiam Martyrologio suo inseruit.

qua occasione de reliquiis ejusdem arcæ disputatur.

6 *Florentinius in iisdem Notis operose disputat de arcæ reliquiis, quas post* Jacobi *Nisibeni tempora superfuisse probat in hunc modum :* Quod autem de servatis in monte Tauro arcæ reliquiis narratur, fabula non est. Eusebius sive D. Hieronymus de locis Hebraicis ex antiquioribus chronologis, a Josepho primo Antiquitatum Judaicarum libro adductis, Beroso Chaldeo, Hieronymo Ægyptio, Cansia, Nicolao Damasceno, docet in montibus Ararath sive Armeniæ, quos Berosus montes Carduenorum vocat, vel in monte nomine Beatis super Muniadem resedisse arcam vel Noëmum diluvio superstitem, et ad multas ætates ejus signa monstrari solita, imo quosdam bitumem ex ea evellentes circumferre, quo uterentur, maxime hi qui lustrarentur et se expiarent. Sed recentius tempore Constantis et Constantini, quo S. episcopus Nisibites obiit, adhuc reliquias arcæ perduravisse Philostorgius ex vulgari fama testis est in epitome Photii lib. III, num. VIII; Quin
B imo ad suam ipsius ætatem sub Theodosio juniore perdurare his, interprete Gottifredo, addit : « Euphrates vero fluvius ex Ar- » meniis, secundum quod quidem apparet, » oritur, ubi mons est Araret, qui etiamnum » apud Armenios vocatur, ubi arcam conquie- » visse ait scriptura, in quo etiamnum esse aiunt » haud parva lignorum ac clavorum fragmenta, » quæ ibi reliqua facta sunt ». Perdurarunt hæc arcæ fragmenta ad Benjamini Tudelensis ætatem, qui in itinerario suo, interprete Aria Montano, narrat Nisibin seu Nesibin urbem duobus itineribus non amplius distare a radicibus montis Ararat sive Tauri, ubi urbs est Gezirben Ghamar, nec amplius quatuor milliaribus abesse a loco, in quo Noë arca quieverat. Illam autem arcam, inquit, Ghamar-ben-Alcheseb ex montis dorso sublatam in Ismaëlitarum moscheæ usum translatam adaptavit. *Hactenus Florentinius, qui ex his concludit, non esse incongruum, quod* S. Jacobus *episcopus ex proxima urbe Nisibena ad videndas*
C *arcæ reliquias perrexerit.*

et de hac re diversæ.

7 *Quod postremo huc affert Florentinius ex Benjamino Tudelensi de arca ex monte sublata et in Mahometani templi structuram adhibita, oppo nitur Itinerario cuidam Belgico Amstelodami impresso, in quo pag.* 230 *asseritur, arcam etiamnum ibidem superesse juxta testimonium, quod ab eremita quodam Romano latine scriptum et Itinerarii auctori datum fuisse dicitur hoc tenore :* Postquam non potui intermittere ad petitionem Joannis Jansonii [qua] precabatur, ut testimonium ipsi darem scriptum, quod prænominatus Joannes Jansonius fuerit apud me in monte sancto Ararath, circiter triginta quinque milliarium sursum eundo; ubi prænominatus Joannes me sanavit ab una magna ruptura : propterea ipsi maximas gratias ago propter magnam diligentiam suam, quam mihi præstitit, et ipsi pro hac benevolentia donavi unam crucem, quod fuit frustum ligni de vera arca Noë, ubi in persona intus fui, et illud de quo ista crux est facta, propriis meis manibus ab una camera scidi. Ubi ego Joanni Janson perfectius oretenus veritatem narravi, quomodo illa arca est facta. Super hoc ipsi lapidem etiam dedi, quem ipsemet manibus meis decerpsi infra arcam, ubi arca D quiescit. Hoc omne fateor esse verum, tam verum, quam vere ego in ista mea sancta eremitica habitatione de facto vivo.

Datum in monte Ararath
die XX Julii MDCLXX

DOMINICUS ALEXANDER ROMANUS.

atque inter se pugnantes

8 *Si hoc testimonium a viro fide digno allatum esset, facile ei credidissem. Sed cum Itinerarii istius Belgici auctor adeo multa narret mirabilia, ne dicam incredibilia et interdum manifeste falsa, ubique eum de mendacio suspectum habere cœpi. Mendaci quippe homini ne vera quidem dicenti credere solemus.* Quæ eadem omnino causa subest, *inquit Melchior Canus de locis Theologicis lib.* II, *cap.* VI, ut historiæ illæ valde etiam suspiciosæ sint, quæ tametsi auctoris cujuspiam nomen præ se ferunt, sed quis ille qualisve sit, obscurum et incertum est. Cujusmodi ante hos paucos dies, quædam fabulæ prodiere, quarum et auctores et loca adeo longo intervallo distant, ut an mentiantur illi non possit inveniri, an hæc sint, addubitari etiam possit. Sed bene habet, quod totum narra- E tionis corpus commentitium apparet, ut quod Hispanorum sermone teritur, id quoque in hac re facile probes; de luengas vias, luengas mentiras. *Habeo præterea contrarium sacerdotis e Societate nostra testimonium, quod suspicionem meam non parum auget. Is est R. P. Philippus Avril regis Galliæ mathematicus, qui per totum pene Orientem peregrinatus Belgicum hoc Itinerarium mendacii arguit. In itineris sui descriptione Parisiis anno* 1693 *Gallice edita lib.* I, *pag.* 58 *agens de monte Ararath, asserit, sese mense ferme integro montis illius situm studiose observasse, multa de eo indagasse ; at tandem concludit, montem illum inaccessum esse, adeoque fabulosum in eo Belgæ iter explodit.*

narrationes proponuntur

9 *Superest alia difficultas, quam cum omnibus iis, quæ de arca hactenus dicta sunt, componi posse non video, siquidem vera sit narratio, quam habet Vincentius Bellovacensis in speculo Historiali, in quo postquam lib.* XXX, *cap.* XCV *Georgiæ vastationem a Tartaris anno* 1220 *factam narras set. deinde ejusdem libri cap.* XCVII, *de monte Ararath scribit sequentia :* Est autem mons iste videlicet Arath excellentissimus, nec umquam F illuc ascendisse dicitur homo, nisi monachus unus. Ille siquidem quodam devotionis, ut dicitur, ardore commotus propter arcam Noë, quæ ibi requievit, multotiens illuc ascendere, quibus potuit conatibus, attentavit. Cumque aliquam montis partem ascenderat, et membra corporis fatigata quieti dabat, semper post quietem evigilans in pede montis se inveniebat. Tandem vero Dominus ejus effectui condescendens, ejusque votum et orationes exaudiens, per angelum suum eum monuit, ut semel ascenderet, ita tamen ut de cetero ascendere nullatenus attentaret. Tunc ergo securus ascendit, et postea descendens inde secum ex arca unum asserem detulit. Tunc in montis pede monasterium ædificavit, in quo eumdem asserem tamquam pro sacris reliquiis devote collocavit. *Pugnantes hasce narrationes inter se conciliare nostrum non est : sufficit enim ad propositum nostrum, hanc de arcæ visione historiam postmodum martyrologiis verosimiliter fuisse intrusam, cum antiquissima Martyrologia et Theodoretus gesta* S. Jacobi

AUCTORE G. C.

A S. Jacobi *Nisibeni ex professo describens istius visionis non meminerit. At de hac re plus quam satis. Ad alia pergamus.*

§ II. Gesta S. Jacobi Nisibini in Concilio Nicæno et Antiocheno.

S. Jacobus Nisibenus Concilio Nicæno interfuit.

N*emini dubium esse potest, quin* S. Jacobus *noster Concilio Nicæno interfuerit, cum id præter alios veteres scriptores Theodoretus in Philotheo cap.* I, *ita diserte affirmet :* Postquam ergo is *(nempe Constantinus Imperator)* omnes ecclesiarum præsides illo tempore congregavit Niceæ, venit cum aliis magnus quoque Jacobus pro veris decertaturus decretis, ut vir fortis et princeps totius phalangis : Romanorum enim imperio tunc parebat Nisibis. Postquam autem fuit dimissus sacer ille conventus, et unusquisque in domum suam est reversus, rediit hic quoque tamquam vir fortis victoria potitus exultans ob trophæa pietatis. *In historia* B *sua Ecclesiastica lib.* I, *cap.* VI, *agens de Concilio Nicæno idem sic repetit.* Trecenti decem et octo episcopi convenerant : Romanus autem propter summam senectutem ipse quidem non adfuit, sed presbyteros duos misit cum potestate Actis assentiendi. Erant eo tempore multi apostolicis donis excellentes ; multi etiam, qui stigmata Domini Jesu, ut divinus Apostolus, in corpore gestabant. Jacobus enim Antiochiæ Mygdoniæ, quam Syri et Assyrii Nisibim vocant, episcopus et mortuos suscitavit, vitæque restituit, et infinita alia edidit miracula, quæ supervacaneum duco iterum huic libro inserere, cum sint a me in Historia, quæ Philotheus inscribitur, commemorata.

et juxta quoddam historiæ fragmentum in quibusdam Theodoreti editionibus omissum,

11 *Hæc satis certa sunt. Sed intricatior quæstio est, an* S. Jacobus *noster postea Constantinopoli, junctis cum S. Alexandro episcopo Constantinopolitano precibus, subitam Arii mortem a Deo impetrarit, ut Martyrologium Romanum innuit his verbis :* Cujus et Alexandri episcopi oratione ipse Arius condignam suæ iniquitatis mercedem effusis visceribus Constantinopoli recepit. C *Vix dubito, quin hæc Romani Martyrologii clausula ex quibusdam Theodoreti editionibus desumpta sit : nam in Philotheo, quem Lipomanus, interprete Alberico Longo, in Vitis Sanctorum tom. II Latine edidit, mors Arii precibus* S. Jacobi *et Alexandri adscribitur. In editione operum Theodoreti, quam Sirmondus noster anno* 1642 *Parisiis Græco-Latinam vulgavit, tom. III in Philotheo cap.* I *legitur de gestis* Jacobi *et morte Arii eadem Historia, quam hic lectoris oculis subjiciemus, quia in quibusdam Theodoreti editionibus non invenitur, et ideo in Actis* S. Jacobi *postea dandis omittenda est.*

sed Sirmondianæ ejus operum editioni insertum.

12 *Itaque in editione Sirmondiana post hæc verba in Actis num.* 11 *posita,* in Romanorum enim ditione Nisibis tunc erat, *inseritur sequens fragmentum :* In hac ergo magna synodo, cum multa bene recteque, multa etiam secus dicta fuissent (erant enim pauci quidam, qui contraria quidem sentiebant, sed impietatem suam prodere non audebant, eamque decipulis quibusdam tegebant, non omnibus vulgo notis, sed iis, qui veritatis arcana penetrarent liquido perspectis) recitata est, quæ toto terrarum orbe nunc obtinet, prædicaturque fidei confessio ; subscripsere autem universi, manuque et calamo ita se credere ac sentire professi sunt. Verum eorum pars maxima libenter hoc agebat : septem dumtaxat Arii blasphemiæ defensores, lingua quidem et manu assensi sunt ; linguæ vero repugnantem sententiam retinebant juxta prophetiam : Populus hic labiis me honorat, corde autem longe est a me ; et juxta disertam Hieremiæ vocem : Prope es tu ori eorum, et procul a renibus eorum. Et his consona de iisdem beatus quoque David dixit : Ore suo benedicebant et corde suo maledicebant. Et iterum : Molliti sunt sermones eorum super oleum, et ipsi sunt jacula.

post indicta jejunia et preces,

13 Isti Alexandrum magnæ Alexandriæ episcopum rogabant, ut Arii misereretur ab universa illa phalange exauctorati. Hic vero cum et subdolam istorum mentem nosset, et suspectam illius nequitiam haberet, ac propterea illorum postulatis non annueret, alii quidam simplicioris ingenii multa de clementiæ laudibus disserentes, hac etiam præcipue E delectari universorum Deum suggerebant : Et cum magnus Alexander injustam erga unum clementiam inclementiam appellaret, quæ multis esset perniciosa, damnique occasionem cunctis gregibus futuram affirmaret, hortatur omnes divinus Jacobus, ut jejunii macerationi se dedant, septemque cum eo dierum spatio Deum orent, ut ecclesiarum utilitati consultum velit.

subitam Arii mortem a Deo impetravit,

14 Probato ab omnibus sancti viri consilio (sciebant enim illum Apostolica gratia præditum) jejunio junctæ sunt preces et ecclesiarum utilitati prospexit harum gubernator. Cumque advenisset dies Dominicus, quo die plerique receptum imp[i]ium iri sperabant, et divinæ liturgiæ tempus adesset, exspectarentque omnes, ut inimicum Dei venia donatum viderent, divinum prorsus ac stupendum accidit miraculum. Nam cum in spurcis fœtentibusque locis impius ille inexplebilis gulæ excrementa erereget, cum his intestina etiam, quibus continebantur, egessit, solutisque hoc modo visceribus et cum stercore effusis, concidit repente infe- F lix et turpissimam illam mortem obiit, graveolentis blasphemiæ suæ in graveolentibus locis pœnas luens, et per magni Jacobi linguam letalem ictum excipiens.

et ob zelum suum laudatur.

15 Admiratur sane divina Scriptura Phinees sacerdotem et jure admiratur, quod Zambri popularis exitii auctorem interfecerit. Unde et psallens David aiebat : Stetit Phinees et placatus est et cessavit quassatio et reputatum est illi ad justitiam in generationem et generationem usque in seculum. Verum ille bellico utens telo justam et celebrem illam cædem patravit ; huic vero pro hasta et gladio lingua satis fuit, quæ impium peremit, ne videret gloriam Domini. Atque hoc unum profecto suffecerit ad Arianæ impietatis revincendam insaniam, quod hic tantus vir dogmatum, quæ a nobis celebrantur, præco fuerit et defensor ; istorum autem impietatem sic detestatus sit, ut ejus parentem linguæ suæ mucrone confoderit. *Tota hæc historia, saltem quoad substantiam, Theodoreti Philotheo etiam inserta reperitur apud Lipomanum*

AUCTORE G. C.

monum loco supra citato. Post hanc Actorum nostrorum filum resumitur, et sequuntur hæc verba, Postquam autem fuit dimissus sacer ille conventus *et cetera, quæ in Actis postmodum exhibendis num.* 11 *videre licet.*

Garnerius merito erroris arguit hoc fragmentum.

16 *Garnerius noster tom. V, operum Theodoreti Dissert.* II, *in observationibus ad singula capita Philothei fol.* 200, *in hanc historiam hæc notat :* Circa primum caput, quod de sancto Jacobo Nisibeno est, observandum est primo, memoria lapsum esse Theodoretum in iis, quæ de morte Arii scribit : Ait enim Niceæ periisse statim a concilio, Jacobo jejunium omnibus persuadente; cum Alexander ecclesiæ Alexandrinæ episcopus renueret hæresiarcham recipere. Atqui constat certis testimoniis, Arium Constantinopoli periisse decimo post concilium anno, Jacobo procul posito, Alexandro Constantinopolis præsule renuente Arium in ecclesiam recipere, Macario Alexandrino presbytero preces suas præsulis Constantinopolitani precibus adjungente. Videndus Socrates lib. I, cap. XXV, Sozomenus lib. II, cap. XXVIII, et Theodoretus ipse lib. I,
B hist. eccles. ubi suum hujusce loci errorem allatis Athanasii rem totam narrantis litteris ad Apionem tacite revocat. Mirum profecto tantum Theodoreti errorem non fuisse observatum a Baronio viro tam perspicaci Mirum quoque per incogitantiam a Valesio Latino interprete et ab interprete Gallico Valesium secuto in re tam aperta peccatum esse. Historiam enim Ecclesiasticam cum Religiosa confuderunt. In hac siquidem est error, quem illi tribuerunt, in qua tamen de Arii morte nihil, nisi Athanasii verbis exacte ad veritatem refertur.

quod non videtur Theodoreto attribuendum esse.

17 *Recte quidem Garnerius crassos hujus narrationis errores observat, et jure miratur, Valesium ejusque Gallicum interpretem Cousinum, Historiam Ecclesiasticam Theodoreti pro Religiosa ipsius Historia oscitanter accepisse. At una in re ipsi assentiri non possum; nempe in eo quod supponat, hanc de morte Arii historiam a Theodoreto scriptam esse. Malo istud Garnerii aliorumque suppositum negare : nam quamvis Theodoretum ab omni errore exemptum nolim, tamen tot tamque palpabiles memoriæ lapsus non facile*
C *admittam in hoc viro docto et historiæ studioso, qui in Ecclesiastica sua Historia satis sæpe ostendit, se memorem esse eorum, quæ in Philotheo scripserat. Quis credat Theodoretum adeo fuisse habetem, ut publicam Arii mortem ab Athanasio aliisque synchronis posteritati traditam, et, ut ita dicam, lippis et tonsoribus notam alieno tempore et loco collocarit? Quis credat eum adeo fuisse sui ipsius immemorem, ut Alexandrum episcopum Alexandrinum, cui mortuo post quinque menses a synodo Nicæna Athanasium successisse refert lib.* I *Eccles. Hist. cap.* XXV, *cum Alexandro Constantinopolitano confuderit? Quis, inquam, credat adeo absona scripsisse eumdem ipsum, qui totam Arii catastrophen ex Athanasii litteris veraciter proponit lib.* I *Eccles. Hist. cap.* XIII, *ubi de* S. Jacobo *Nisibeno nullum facit verbum? Itaque suspicor ego potius, fragmentum istud, ab imperito quodam Græculo additum, in aliqua Theodoretiani Philothei exemplaria irrepsisse. Potissima suspicionis meæ ratio est, quod in quibusdam Theodoreti editionibus illud non inveniatur. Certe vitiosam hanc historiam in exemplari suo Græco non videtur legisse Gentianus Hervetus, qui Religiosam Theodoreti historiam*

D *ex Græco Latine redditam anno* 1570 *Parisiis edidit. Hanc Herveti editionem subsecutæ sunt aliæ, in quibus de hac historia dicam an fabula altum est silentium.*

Quomodo S. Jacobus Antiocheno Concilio interfuerit.

18 *Altera non minus laboriosa controversia est, an* S. Jacobus *noster Concilio Antiocheno, quod Labbeus noster tom. II Conciliorum col.* 559 *et sequentibus exhibet, interfuerit, nomenque suum subscripserit. Eminentissimus Annalium Ecclesiasticorum parens Baronius ad annum Christi* 341 *post examinata hujus conventus acta et discussas quatuor fidei formulas tandem num.* 27 *ita pronuntiat :* Porro hæc omnia scripta et edita fuerunt ab Eusebianis tantum, ab illis inquam triginta sex episcopis, qui in Athanasii damnationem et Gregorii suffectionem turpiter consenserant, obnitentibus haud dubium reliquis Nicænæ fidei professoribus, inter quos eminebat magnus ille Jacobus episcopus Nisibita, qui inter paucos illos, qui reperiuntur scripti ante canones concilii Antiocheni connumeratur. Passurusne æquo animo erat magnus Jacobus, Nicænam professionem infringi, verbumque CONSUBSTANTIALIS penitus aboleri? Qui (ut suo loco superius E dictum est ex Gennadio) post multos labores atque certamina pro concilii Nicæni defensione suscepta et fideliter exanthlata, de hoc ipso, QUOD CHRISTUS FILIUS DEI SIT ET CONSUBSTANTIALIS PATRI præclarum commentarium sive antea scripserat, sive post hæc ad horum redarguendam temeritatem confecit; quod magis credimus, cum antehac nulla suæ perfidiæ scriptis Eusebiani edidissent publica monumenta.

illique nomen suum subscripserit.

19 *At si* S. Jacobus *sese opposuerit hujus Concilii decretis, quomodo ejus nomen illi subscriptum legitur? Severinus Binius in notis suis ad hoc concilium huic nodo solvendo primo obvium arripuit responsum : Ait enim ad nomina subscriptorum episcoporum ab Eusebianis additum fuisse insignem illum Jacobum Nisibitam episcopum. Sed id facilius dici, quam probari posse arbitror. Etenim Schelstratius in libro, quo Concilium Antiochenum defendit, Dissert.* II, *cap.* XIX, *pag.* 84 *existimat,* S. Jacobum *nomen suum subscripsisse ; atque ad id probandum allegat præfationem antiquissimi codicis Corbeiensis, Catalogum subscriptionum apud* F *Dionysium Exiguum in codicibus Mss. Sangermanensi et Colbertino, ac denique præfationem Mss. codicum bibliothecæ Thuanææ et Oxoniensis, in quibus inter Patres Antiochenos reperitur* Jacobus *Nisibensis, quem Aubertus Miræus in scholio ad Gennadium De viris illustribus testatur, interfuisse non solum Nicæno, sed et Antiocheno Concilio,* ut habetur, *inquit,* in Actis S. Alexandri Constantinopolitani episcopi. *Idem fatetur Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum die* XV *Julii.*

satis pr[illegible] ter explicat Schelstratius

20 *Schelstratius ex dictis loco proxime citato ita concludit ;* Et ex his patet, errare illos, qui putant cum Severino Binio, hunc Jacobum Nisibensem non adfuisse Antiocheno Concilio, et nomen ejus ab Arianis Catalogo insertum ad conciliandam per hujus viri nomen synodo Antiochenæ auctoritatem; quasi solum hujus Sancti nomen expressum erat, et non etiam S. Pauli Neocæsareensis episcopi. Adfuit revera hic Jacobus Nisibensis, quem principem totius cætus indigitat Theodoretus in sanctorum Patrum historia. *At ipsemet Schelstratius hic in fine hallucinatur, dum*

A dum Theodoretum in Patrum Historia de synodo Antiochena agere putat. Nam ille diserte de synodo Nicæna loquitur, dum magnum Jacobum totius phalangis principem nuncupat, uti manifestum fiet legenti Acta num. 11. Hunc autem principatum ita intelligendum opinor, ut Theodoretus eum non velit totius Concilii Nicæni fuisse principem, sed præcipuum eorum, qui ex Mesopotamia vicinisve regionibus ad synodum Nicænam convenerant. Utut est, Schelstratius volumine integro, quod anno 1681 Antverpiæ impressum est, erudite contendit, omnia in hoc Antiocheno conventu perperam acta non convenire principio hujus synodi a nonaginta patribus celebratæ, sed fini Antiocheni conciliabuli a quadraginta circiter Eusebianis habiti. Hanc Schelstratii sententiam amplectuntur varii recentiores.

Tillemontii effugio circa duplicem synodum Antiochenam

21 *Tillemontius ad evitandas has difficultates plane aliam, et paucis hactenus tritam ingreditur viam : ut enim separet catholicos episcopos ab Arianis, quorum nomina Antiocheno concilio promiscue subscripta legimus, duas comminiscitur Antiochenas synodos, quarum priori Catholici, alteri interfuerint Ariani vel Eusebiani. Tomo VII* B *Memor. Hist. Eccles. pag. 23 supponit potius quam probat, primam tempore Eustathii Antiocheni episcopi, seu, ut alibi dicit, ante annum Christi 335 habitam fuisse. Non opinor eum velle, ut hanc suam opinionem seu potius hypothesin, quamvis subtiliter excogitatam, tamen solido rationum pondere et antiquitatis testimonio distitutam cæce amplectamur. Deinde tom. VI, pag. 311, 315 et sequentibus agit de altero Concilio Antiochiæ anno 341 in encæniis celebrato, quod alicubi iniquitatis conventiculum appellat, cujus quosdam canones et fidei formulas tamquam Arianæ hæresi faventes explicat. Denique in Notis ejusdem tomi VI, pag. 753 conatur ostendere, confusos fuisse duplicis Concilii Antiocheni canones, quorum aliquos primæ synodo, alios secundo Eusebianorum conciliabulo tribuendos esse contendit. Idem de episcoporum subscriptionibus judicat : nam Catholicorum nomina ad primam synodum, Arianorum autem ad secundum conventiculum pertinere* C *censet.*

...ia præcluditur,

22 *Atque hæc quidem omnia adeo feliciter se evincere autumat, ut tom. VI, pag. 756 confidenter asserat, solam suam in quartum canonem observationem sufficere ad evertendum integrum Schelstratii systema. Dubito, an omnes idem judicium laturi sint, qui eruditum super hac re Schelstratii opus attente pervolverint. Utut est, ego omnibus Tillemontii conjecturis duo synchronorum Patrum testimonia tantummodo oppono. Primum est Athanasii, qui in libro de synodis Arianos arguit, quod fidem in encæniis Antiochenis promulgatam postea mutarint. Juvat ipsius verba audire. Libro de synodis in editione Parisiensi operum Athanasii anno 1698 tom. I, part. II, pag. 737 de quadam fidei formula in hoc concilio composita hæc præmittit :* Theophronius porro quidam episcopus Tyanensis, hanc fidei formulam a se compositam coram omnibus proposuit, cui, hominis approbata fide, subscripserunt omnes ..... Porro qui ad encænia convenerant episcopi, nonaginta numero erant Coss. Marcellino et Probino, Indictione XIV, cum ibi esset impiissimus Constantius. *Id est anno Christi 341.*

...verbis S. Athanasii.

23 *Deinde S. Athanasius eodem libro de synodis in editione proxime citata pag. 753 sic in Arianos invehitur :* Quid mirum autem si cum majoribus et cum patribus suis pugnant, ubi ipsi secum concertant, in seque ipsos impingunt : cum enim Antiochiæ in encæniis, ut vocant, declarassent Filium esse substantiæ Patris sine ulla dissimilitudine imaginem, jurassentque se ita sentire, ac eos qui aliter sentirent anathemate damnassent, imo in Isauria scripsissent ; Non refugimus authenticam fidem in Encæniis Antiochiæ editam (illic autem substantiæ nomen scriptum est) veluti eorum immemores paulo post in ipsa Isauria iis adversantia conscripsere, scilicet ὁμοούσιον, et ὁμοιοούσιον, hoc est consubstantiale et substantia simile, utpote a scripturis aliena rejicimus et substantiæ nomen de medio tollimus, quippe cum in Scripturis non reperiatur. Quis igitur viros hujusmodi ulterius Christianos existimabit ? Aut quæ fides, apud quos nec verba nec scripta firma sunt, sed omnia pro temporis ratione mutantur et invertuntur : Si enim, ô Acaci et Eudoxi, non refugitis expositam in Encæniis fidem, in eaque scriptum est, Filium esse substantiæ Patris sine discrepantia imaginem, cur in Isauria scribitis, rejicimus ὁμοούσιον ?

AUCTORE G. C.

E *ac Hilarii*

24 *Ne quis autem cavilletur, contendatque S. Athanasium tantummodo argumentari ad hominem, ut aiunt, ac fidem Nicænam non satis clare in hoc Antiocheno concilio exprimi ; audiat S. Hilarium Pictaviensem episcopum, qui libro de synodis eamdem quæstionem sibi objicit et objectam solvit. In editione anno 1693 Parisiis facta Hilarius in libro de synodis seu de fide Orientalium col. 1168 fidei formulæ in hac synodo Antiochena promulgatæ hunc præfigit titulum :* Expositio ecclesiasticæ fidei, quæ exposita est in synodo habita per Encænias Antiochenæ ecclesiæ consummatæ. Exposuerunt, qui adfuerunt episcopi nonaginta septem, cum in suspicionem venisset unus ex episcopis, quod prava sentiret. *Dein, producto formulæ textu, hanc format objectionem col. 1170 :* Minus forte expresse videtur de indifferenti similitudine Patris et Filii fides hæc locuta esse, maxime cum de Patre et Filio et Spiritu sancto ita senserit significatam in nominibus propriam uniuscujusque nominatorum substantiam et ordinem et gloriam, ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam vero F unum.

opinioni illius opponuntur.

25 *Mox huic objectioni ita respondet S. Hilarius :* Et primum sciendum est, non adversum hæresim, quæ dissimilis substantiæ Patrem et Filium ausa est prædicare, in Antiochia fuisse conventum, sed adversus eam, quæ post sanctam synodum Nicænam in id proruperat, ut tria nomina Patri vellet adscribere, de qua suo loco tractabimus..... Volens igitur congregata Sanctorum synodus impietatem eam perimere, quæ veritatem Patris et Filii et Spiritus Sancti nominum numero eluderet ; ut non subsistente causa uniuscujusque nominis, triplex nuncupatio obtineret sub falsitate nominum unionem, et Pater solus atque unus idem atque ipse haberet et Spiritus Sancti nomen et Filii : Idcirco tres substantias esse dixerunt, subsistentium personas per substantias edocentes, non substantiam Patris et Filii diversitate dissimilis essentiæ separantes. *Hic per tres substantias intelligi* τρεῖς ὑποστάσεις, *ut Græci loquuntur, Theologis passim notum est. Videri potest de ea re*

AUCTORE G. C.

Epiphanius Hæresi LXXIII, *Gregorius Nazianzenus orat.* XXIX *aliique. Observari hic velim, quod a S. Hilario a majori parte denominationem desumente hoc Antiochenum concilium vocetur* Sanctorum synodus; *quæ certe appellatio ei convenire non posset, si a solis Arianis, ut vult Tillemontius, fuisset celebratum. Ex his omnino probatum fit,* S. Jacobum *nostrum huic conventui Antiocheno interfuisse, omniaque postmodum violenter acta tribuenda esse solis Arianis, qui initio virulentum contra veræ fidei defensores odium impia catholicæ religionis simulatione texerant, ut tanto securius hostibus suis nocerent. Qui plura de hac re cupit, legat eruditissimum Schelstratii opus supra laudatum. Nos interim ad aliam de Sancti nostri scriptis controversiam properamus.*

§ III. Ejus scripta.

B

Causa, cur S. Jacobus ab Hieronymo in Catalogo scriptorum omissus sit,

Gennadius *in opere, quod a Miræo editum est, De viris illustribus cap.* 1 Jacobum Nisibenum *antistitem, elogio prius exornatum, inter scriptores ecclesiasticos ita collocat :* Jacobus, cognomento Sapiens, Nisibenæ nobilis Persarum modo civitatis episcopus, unus ex numero sub Maximino persecutore confessorum fuit, et eorum, qui in Nicæna synodo Arianorum perversitatem ὁμοουσίου oppositione damnarunt. Hunc virum B. Hieronymus in libro χρονικῶν velut magnarum virtutum hominem nominans, in catalogo scriptorum Illustrium cur non posuerit facile excusabitur, si consideremus, quod ipsos tres vel quatuor Syros, quos posuit, et interpretatos in Græcum se legisse testetur. Unde constat eum illo tempore ignorasse Syram linguam vel litteras, et ideo hunc, qui necdum versus est in aliam linguam, nescisse scriptorem.

refutatur.

27 *Displicet mihi hic ratio prætermissionis Hieronymianæ a Gennadio assignata. Quis enim credat Hieronymum linguarum orientalium studiosissimum, in Syria vicinisque regionibus diu versatum, linguæ Syriacæ fuisse ignarum? Si enim, ut ipsemet Præfatione in Danielem testatur, linguæ Chaldaicæ addiscendæ improbum laborem impenderit, quomodo inter Syros vivens obviam vulgaris istius linguæ scientiam neglexisset? Adde*

C

quod in Præfatione ad librum Job de sua in linguam Latinam versione sic scribat : Hæc autem translatio nullum de veteribus sequitur interpretem, sed ex ipso Hebraico Arabicoque sermone, interdum Syro nunc verba nunc sensus, nunc simul utrumque resonabit. *Liber autem ille juxta editionem Parisiensem anni* 1693 *ab Hieronymo Latine redditus videtur circa annum Christi* 391. *Atqui Hieronymus anno* 392 *vel* 393 *scripsit Catalogum virorum Illustrium, ut erudite ostendit Antonius Pagius in Prolegomenis Dissertationis Hypaticæ num.* 35. *Hinc sponte fluit consequentia; nempe Hieronymum tum temporis cum illustrium virorum Catalogum conscriberet, satis linguam Syriacam intellexisse. Mallem itaque credere,* S. Jacobi *nostri opera, si Syriace extiterint, ad Hieronymum in angulo Bethleemitico latentem non pervenisse, ut de aliis quibusdam ipsemet in Præfatione ad Catalogum illustrium virorum innuit his verbis :* Si qui autem de his, qui usque hodie scripserunt, a me in hoc volumine prætermissi sunt, sibi magis quam mihi imputare debebunt : Neque enim celantes scripta sua de his, quæ non legi, nosse potui; et quod aliis forsitan sit notum, mihi in hoc terrarum angulo fuerit ignotum. Certe cum scriptis suis claruerint, non magnopere nostri silentii dispendio suspirabunt. D

Diversimode enumerantur opuscula a S. Jacobo scripta,

28 *In enumeratione libellorum, qui a* S. Jacobo *compositi dicuntur, omnes fere Gennadii Catalogi tum Mss. tum editi discrepant. Gennadius noster Ms. ait, eum scripsisse* XXXVI *libros. Sed haud dubie exscriptoris error est, qui oscitanter* X *addiderit : nam in ipsa librorum supputatione ne quidem viginti sex enumerantur. Trithemius in scriptoribus Ecclesiasticis tantum* XXV *computat, cui quidam codex Ms. et excusus suffragatur. Ms. Corbeiense sive San-Germanense ei* XXVII *libros adscribit, uti testantur monachi S. Mauri in editione operum S. Hieronymi Parisiis anno* 1706 *vulgata tom. V, pag.* 50. *Plerique Catalogi impressi* S. Jacobo XXVI *opuscula attribuunt; sed tantum* XXIV *enumerant. Gennadius Coloniæ anno* 1580 *per Suffridum Petrum, et Antverpiæ anno* 1639 *per Aubertum Miræum editus ita habet :* Comprehendit autem omne opus suum in viginti sex libris : De fide; contra omnes hæreses; De caritate generali; De dilectione erga proximum speciali; De jejunio; De oratione; De resurrectione; De vita post mortem; E De humilitate; De patientia; De pœnitentia; De satisfactione; De virginitate; De sensu animæ; De circumcisione; De acino benedicto, de quo in Isaia legitur, non est exterminandus botrus; De Christo quod Filius Dei sit, et consubstantialis Patri; De castitate; Adversus gentes; De constructione tabernaculi; De gentium conversione; De regno Persarum; De persecutione Christianorum; Composuit et chronicon minoris quidem, quam Græcorum, curiositatis, sed majoris fiduciæ, quia divinarum Scripturarum tanta auctoritate conscriptum comprimit ora eorum, qui præsumptuosa suspicione de adventu Christi vel Domini nostri inaniter philosophantur. *In enumerandis hisce opusculis differt tum Gennadius noster Ms., tum Parisiis nuper post S. Hieronymi opera impressus tom. V, pag.* 27.

de quorum auctore dubitat Garnerius noster;

29 *Huic Gennadii testimonio non acquiescit Garnerius noster in Auctario Theodoretiano seu operum Tomo V impresso Parisiis anno* 1684; *sed Dissertatione secunda in observationibus ad singula capita Philothei pag.* 200, *ita disputat :* F Observandum tertio de doctrina librisque Jacobi Nisibeni nihil a Theodoreto scriptum esse, cum tamen ad commendationem plurimum faceret : Nihil ab Hieronymo sive in Chronico, sive in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, nihil pariter ab Hebed-Jesu diligente ceteroquin librorum Syrorum inquisitore; nihil ab ullo veterum, præter unum Gennadium, qui viginti quatuor libros recenset. Verum Gennadii auctoritas non videtur mihi tanta, ut omnem scrupulum evellat : unde enim novit Syriaca opera, qui vix novit Græca? Unde scit ab Hieronymo præterita, propterea quod nondum in Græcam linguam versa essent, nec Hieronymus intelligeret adhuc Syriacam linguam? An conversa fuerunt postea et in Græcam et in Latinam linguam, ut innotescere possent Gennadio non peritissimo, ut videtur, linguæ Græcæ? Si conversa sunt in utramque linguam, quomodo perierunt omnino, cum forent in triplicem quasi orbem sparsa, Latinum, Græcum et Syrum?

A Syrum? cur nulli veterum nota? Ne Photio quidem tanto scriptorum veterum, tamque curioso censori? Augetur ex eo suspicio, quod Gennadius cognomen Sapientis Jacobo tribuat tamquam vulgatum, cujus tamen nemo meminit, nisi qui Gennadium exscripsit. Unde crediderim facile supposita fuisse Jacobo Nisibeno scripta, quæ Jacobi alterius, ut puta Amideni eremitæ clarissimi forent. Sed in tanta obscuritate cui adhæream nullus scio. *Hactenus Garnerius, cujus aliqua argumenta sane non sunt contemnenda.*

sed quidam scriptor hæreticus varias ratiunculas

30 *Heterodoxus quidam, qui in Exercitationibus suis selectis Exercitatione* VI *inter* S. Jacobum Nisibenum *acerrimum Catholicæ fidei defensorem, et inter patrem suum* Jacobum, *Lutheranæ hæreseos sectatorem, ridiculam, ne dicam impiam, instituit comparationem, acrius quam par est, Garnerium refutat. Refutationem illam propriis ipsis verbis dabimus, ne forte vim illi adimere velle videamur. Sed cum responsa interdum extensa et* ὕστερον πρότερον *hinc inde sparsa sint, liceat saltem ea in epitomen ac ordinem redigere, ut Garnerii argumentis directe opponantur.* B *Imprimis adfert Theodoreti textum, ex quo non magis* Jacobi *Nisibensis libros, quam ex pumice oleum extundet. Itaque videns hac via non succedere, aliam Theodoretiani silentii causam profert his verbis :* Illi quippe in Historia Religiosa propositum est non tam scripta, quam facta potius ascetarum extollere, quod in Jacobo etiam Nisibeno eum attendisse argumento sunt duo loca Historiæ Ecclesiasticæ, quibus Jacobum in Philotheo se laudasse testatus, non aliunde quam a miraculis commendationes desumptas innuit. *At hanc rationem omnino incertam esse patet ex ipso Theodoreto, qui lib.* II *in editione Sirmondiana, quam in hoc Commentario plerumque sequor, cap.* XXVI, *obsidionem Nisibenam enarrans, ubi certe ad institutum illius minime pertinebat, S. Ephremum vocat præstantissimum apud Syros scriptorem. Mirum sane est, eum de* S. Jacobo Nisibeno, *de quo sæpius agit, nihil simile dixisse, si tot opuscula scripserit.*

Garnerio objicit,

31 *Deinde heterodoxus ille scriptor Hieronymiani silentii eamdem, quam nos supra, reddit rationem, atque ita prosequitur.* Quare non est, ut quisquam ea de causa Jacobum Nisibensem C nihil scripsisse putet, quod Hieronymus eum prætermiserit; multo minus autem, quod Hebed-Iesu tacuerit. Hic enim superiori demum seculo vixit, nec tantam diligentiam adhibuit, quantam ipsi Garnerius adscribit. Nam Nestorianos præcipue scriptores recensere sibi proposuit; Eutychianos autem, Jacobitas ac Melchitas tantum non præteriit. Hinc nulla apud eum mentio Severi, notissimi illius Eutychiani, nulla Mosis Bar-Cephæ aut similium Jacobitarum. *Tum sic concludit :* Nullum igitur impedimentum adferre potest novitii et negligentis suæque sectæ servientis hominis silentium. *At quid inde? An Hieronymus, Gennadius, Isidorus, Honorius Augustodunensis, Sigebertus Gemblacensis, Henricus Gandavensis, Bellarminus, aliique ecclesiasticorum scriptorum collectores negligentiæ accusandi erunt, quia varios auctores omiserunt, quorum notitia ad eos non pervenit? Sed esto : Hebed-Jesu quosdam scriptores de industria prætermiserit, sectæque suæ servierit. Id ego Garneriomastigi asserenti credo, imo et libenter concedo; verum vel ob id ipsum neutri parti Hebed-Jesu prodesse aut obesse poterit.*

AUCTORE G. C. et ex S. Athanasii testimonio.

32 *Dum Garnerius dicit, neminem veterum, excepto Gennadio, de* Jacobi Nisibeni *libris meminisse, hæreticus ille Thraso, quasi parta victoria, totus gloriabundus exultat et invincibilem, ut ipse quidem putat, illi opponit Achillem, nempe S. Athanasii testimonium, quod sæpe repetit, adducitque magnificis his verbis :* Ne autem lectores amplius in re obscura detineam, aut Jacobi Nisibensis scripta ex recentioribus tantum hominibus confirmare videar, clarissimum firmissimumque Athanasii locum in medium proferam, qui in prima ejus adversus Arianos oratione secundum hodiernam distinctionem reperitur. *Tunc post quædam parerga ac Græcum Athanasii textum subjicit hanc suam interpretationem Latinam :* Si igitur scripta ista ab orthodoxis proficiscerentur, qualia sunt magni illius et confessoris Hosii (aut potius, confessoris sancti) Maximini Galliæ, aut ejus successoris, aut Philogonii et Eustathii Orientis episcoporum, aut Julii et Liberii Romanorum episcoporum etc., vel Jacobi et reliquorum Mesopotamiæ præsulum, aut nostri beati Alexandri, ceterorumque, qui cum eo sunt ejusdem sententiæ, E nihil esset, quod in his scriptis suspicarere : sincera enim et simplicia Apostolicorum virorum ingenia sunt. *Hactenus sunt verba S. Athanasii, quibus hæc subnectit interpres :* Vides Athanasium scriptores plurimos orthodoxos recensere.

perperam intellecto,

33 *Sed obsecro, vir gloriose, noli triumphum canere ante victoriam. Hic Athanasii locus, quem* clarissimum firmissimumque *vocas, mihi maxime obscurus debilisque videtur ad probandum, quod intendis. Ut controversia clarius intelligatur, sciendum est, ab Athanasio hic argui Arianos, quod in scriptis suis voces e sacris Litteris deromptas in hæresis suæ favorem detorquerent, et sub ambiguis orthodoxæ fidei verbis impiam doctrinam fraudulenter tegerent. Dabimus integrum S. Athanasii textum, qui in Græco-Latina operum ejus editione Parisiis anno* 1698 *vulgata reperitur tom. I, part.* I, *pag.* 278, *ubi hæc datur interpretatio :* Itaque si quæ scribunt, ea scriberent orthodoxi, ut magnus et confessor Hosius, et Maximinus Galliæ aut ejus successor : Philogonius et Eustathius Orientis, vel Julius et Liberius Romæ episcopi, Cyriacus Mysiæ, Pistus et Aristæus Græciæ episcopi, Sylvester et Protogenes Daciæ, Leontius et Eupsychius Cappadociæ episcopi, Cecilianus Africæ, Eustorgius Italiæ, Capito Siciliæ, Macarius Jerosolymæ, Alexander Constantinopolis, Pæderos Heracleæ, magni Meletius et Basilius et Longianus, aliique ex Armenia et Ponto; ut item Lupus et Amphio Ciliciæ episcopi; vel Jacobus ceterique ex Mesopotamia; vel denique ut etiam noster beatus Alexander, aliique qui idem ac illi sentiunt. Si, inquam, illi his essent similes, nullus profecto in illorum scriptis esset suspicionis locus : simplex enim ac candidum est virorum apostolicorum ingenium. F

frustra probare nititur, S. Jacobum varia scripsisse.

34 *Jam de hoc Athanasii loco paululum argumentemur. Principio quidem varia est hujus textus lectio, cum in editione Parisiensi proxime citata sic Græce legatur :* Εἰ μὲν οὖν παρὰ ὀρθοδόξων ἦν τὰ γραφόμενα, οἷα ἂν ἐγεγόνει παρὰ τοῦ μεγάλου καὶ ὁμολογητοῦ Ὁσίου *etc. Notandum est, particulam* ἂν, *in quibusdam editionibus omissam sæpe subjunctivi signum esse; ita ut hoc initium*

ita

AUCTORE G. C.

ita possim interpretari : Si igitur ab orthodoxis proficiscerentur ea scripta, qualia fuissent magni et confessoris Osii. *Sed demus particulam* ἂν *expletivam esse, sicuti interdum est ; satis conditionalem sensum exprimunt hæc verba :* Εἰ μὲν οὖν παρὰ ὀρθοδόξων ἦν τὰ γραφόμενα, siquidem igitur ab orthodoxis essent scripta. *Per quam autem dialecticæ regulam ex propositione conditionata,* si scripsissent *aut* scriberent, *licet inferre hanc absolutam consequentiam :* ergo scripserunt. *Has voces* οἷα ἂν ἐγεγόνει *interpretor* qualia fuissent. *Talem interpretationem exigit longa illa præsulum series, quam integram scriptoribus ecclesiasticis accensendam esse nemo facile probabit. Quod si quis explicationi nostræ nolit acquiescere, edisserat, in quo scriptorum Catalogo hi reperiantur, simulque causam indicet, cur Hieronymus et Gennadius hos celebres fidei Catholicæ defensores, et scriptis suis claros illustrium virorum Catalogo non inseruerint. Sed Garnerii adversario gratis concedamus suam textus Athanasiani versionem. An inde eruet* Jacobi Nisibeni *libros, quos Gennadius enumerat? Ad summum inde inferri posset,* S. Jacobum Nisibenum *unam alteramve* B *epistolam scripsisse contra Arianos, quemadmodum scripsere aliqui ex episcopis illic enumeratis. Frustra etiam in auxilium hic vocatur Elias Du Pin, qui tom. II Bibliothecæ suæ ait, Athanasium locutum esse de* Jacobo Nisibeno *tamquam de episcopo, qui scripsisset. Sed præterquam quod ex hoc generali loquendi modo nil evinci possit, is sequioris doctrinæ homo multa temere in chartam conjecit, quæ ab eruditis examinata manifesti erroris convincuntur.*

Alia ejusdem heterodoxi argumenta,

35 *Discutiamus alia, quæ præfatus heterodoxus reliquis Garnerii argumentis ita opponit :* Nec ullius ponderis est, quod dubitat, unde Gennadius sciverit Syriaca opera, qui vix noverit Græca, nec peritissimus linguæ Græcæ fuerit. Enimvero ut a posteriori incipiam, recordari debuisset Garnerius eorum, quæ paulo ante ipse dixerat pag. CLXXIX. « Quo » tempore scribebat Gennadius Massiliæ, ubi » erat presbyter, Græca lingua notior fuit, » quam in ulla alia Occidentis parte ; non » solum propter urbis natales a Græcis, ut » fertur, conditæ, sed etiam ob Cassiani fa» mam illuc ex Oriente appulsi ; ad quem C » S. Cælestinus litteras Nestorii vertendas et » refellendas misit ». Quis igitur Gennadio denegabit tantam linguæ Græcæ cognitionem, quanta satis erat ad colloquendum cum suis Massiliensibus et legenda Græcorum Patrum scripta? In primis quando ipsi Garnerio legisse videtur Græce opera Theodoreti, quæ memorat. *Hic homo contra umbras pugnat : Garnerius enim non denegat Gennadio qualemcumque linguæ Græcæ peritiam ; sed solum dicit eum non fuisse hujus linguæ peritissimum. At fieri potuit, in urbe Massiliensi notiorem fuisse linguam Græcam, quam in ulla alia Occidentis parte, imo Gennadium opera Theodoreti Græce legisse, et tamen linguæ Græcæ non admodum fuisse peritum. Id vulgari et apud nos acto declaro exemplo. Bruxellis notior est lingua Gallica, quam in ulla alia Brabantiæ urbe, imo plurimi istius civitatis incolæ libros Gallicos utcumque legunt et intelligunt, et tamen vere dici potest, aliquos eorum non esse Gallicæ linguæ peritissimos.*

Garnerio opposita expenduntur.

37 *Verosimiliora sunt sequentia, quæ respondet Garnerio quærenti, quomodo Gennadius novisset Syriaca* S. Jacobi *opera :* Ut vero cognosceret, *inquit*, quos libros scripserit Jacobus Nisibenus, non necesse omnino habuit linguæ D Syriacæ notitiam (quam tamen ipsi haud denego) sed adjutus videtur monumentis in Massiliensi cœnobio adservatis. Credibile enim est, Cassianum, qui monasterium illud exstruxit, vitæque asceticæ deditissimus præclaros eremitas summe laudavit, et Syriæ Ægyptique monasteria peragravit, in illa sua peregrinatione curiose celebriorum ascetarum res gestas scriptaque adnotasse et secum in Massiliam deportasse ; ex quibus postea Cassiani tabulis Syrorum Ægyptiorumque auctorum, quos laudat, notitiam Gennadius habuisse videtur. Utcumque sit, falso tamen supponit Garnerius, scripta Jacobi Nisibensis in Græcam et Latinam linguam converti debuisse post Hieronymum, ut innotescerent Gennadio : Id enim ne sua quidem ætate factum esse diserte fatetur Gennadius, quando ait, qui necdum versus est in aliam linguam. Quare frustranea sunt, quæcumque exinde Garnerius elicit de scriptis Jacobi, in triplicem orbem sparsis et a Photio legendis. *Hæc ita fieri potuisse non nego. Sed interim manent difficultates superius propositæ.* E

et futilis ipsius cavillatio exploditur.

37 *Frivolum omnino, imo falsum est, quod sub finem in Garnerio reprehendit hoc modo :* Hinc satis patet, Garnerium scrupulos istos sine ullo fundamento objicere ; qui cum nosset, apud Theodoretum et Theodorum Lectorem μεγάλου sive Magni encomio ornari Jacobum, immerito tricatur de Sapientis cognomento a Gennadio ipsi tamquam vulgari tributo ; siquidem hoc ab illo non tollitur, sed includitur potius ac præsupponitur. *Nova sane est hæc ratiocinandi methodus. Quasi vero non fuerint plurimi, qui vitæ sanctimonia, fortitudine bellica, aut aliis rebus præclare gestis* Magni *cognomentum obtinuerint ; quibus tamen* sapientis *nomen minime conveniret. Nonne Græci colunt plurimos martyres, quos* μεγάλου *cognomine decorarunt, qui tamen vix litteras noverant? Sed tædet has cavillationes diutius refellere. Nunc de re ipsa judicium feramus : nam hactenus ad hominem, ut aiunt, argumentatus sum, et Gennadii ac istius heterodoxi rationes tantummodo impugnavi facile admissurus, Sanctum nostrum aliqua scripsisse, ut mox videbitur.* F

Quædam S. Jacobi opuscula in Armeno codice nuper inventa dicuntur.

38 *Josephus Simon Assemanus, qui nuper Romæ Bibliothecam Orientalem duobus voluminibus edidit, in Vita* S. Jacobi Nisibitæ *pag.* 20, *num.* 10 *contendit a Gennadio confundi* Jacobum *Sarugensem cum Nisibeno, nominatimque* Jacobo *nostro abjudicat scriptum* De Regno Persarum, De Persecutione Christianorum, et Chronicon, *quod Maruthæ Tagritensi vel* Jacobo *Sarugensi attribuendum putat. Postea tamen tomo I ejusdem Bibliothecæ Orientalis pag.* 557 *inter* addenda *et* corrigenda *monet, sese ab Armenis quibusdam audivisse, quod Venetiis in hospitio monachorum Armenorum S. Antonii præclarus codex exstaret Armeno sermone exaratus, in quo quædam* Jacobi Nisibitæ *ad S. Gregorium Armeniæ Illuminatorem scripta legerentur. Accepta hac nova notitia, ait, Reverendissimum Petrum Mechitar, eorumdem monachorum abbatem a se per litteras rogatum esse, ut illum codicem ab erudito monacho describi, et ad Vaticanam bibliothecam transmitti curaret. Codex ille, teste Assemano, præter alia continet Tractatum* S. Jacobi Nisibensis *in octodecim capita divisum : videlicet*

I De

A I De fide. II De caritate. III De jejunio. IV De oratione. V De pugna spirituali. VI De pietate. VII De pœnitentia. VIII De resurrectione mortuorum. IX De humilitate. X De pastorum officiis. XI De circumcisione adversus Judæos. XII De sabbato advérsus eosdem. XIII De delectu ciborum. XIV De paschale. XV De gentium electione, et Judæorum reprobatione. XVI Christum esse Filium Dei. XVII De virginitate et castitate adversus Judæos. XVIII Adversus Judæos, qui Messiam exspectant, ut eorum dispersionem colligat. *Deinde additur* Epistola ejusdem S. Jacobi ad episcopos, presbyteros et diaconos Seleuciæ et Ctesiphontis, de dissensionibus et contradictionibus, quæ ex superbia oriuntur, deque ambitione. *Hæc opusculorum enumeratio a Catalogo Gennadiano non parum differt, ut conferre volenti patebit. Porro an hæc opuscula primum Armenice scripta, an vero ex Syriaca lingua in Armenicam translata fuerint, ignoro. Gennadius ea, quæ enumerat, Syriace conscripta fuisse innuit. Quidquid sit de idiomate, saltem Assemanus censet, ea, quæ in prædicto* B *codice Armeno inveniuntur, genuina* S. Jacobi Nisibeni *scripta esse. Ego in hac re opinioni illius non adversabor.*

sed idem non videtur auctor canonum Arabicorum

39 *Altera de* Jacobi Nisibeni *scriptis controversia pertinet ad famosam de Arabicis Nicænæ synodi canonibus disceptationem, quæ sæculo superiore maxime viguit, aliis illos canones ut genuinos defendentibus, aliis eos supposititios esse contendentibus. Litem hanc dirimere non est hujus loci; interim curiosus lector illorum defensionem videre poterit tom. II Conciliorum Labbei nostri, qui Abrahami Ecchellensis dissertationem. et Francisci Turriani nostri præfationem illi inseruit. Contra hos aliosque canonum Arabicorum defensores acriter se opponunt plurimi, quorum si quis rationes nosse cupit, videat præter varios historicos Gallos Christianum Lupum part.* I *Conciliorum pag.* 570, *Schelstratium part.* II *Antiq. Illust. Dissert.* II, *cap.* IV, *ac brevius in præfatione ad Lectorem num.* 6, *Cardinalem Aguirre in collectione maxima Conciliorum omnium Hispaniæ Dissert.* VIII; *ubi prolatis in utramque partem argumentis rem hanc accurate examinat. Sive autem hi canones sint spurii sive genuini, nos solum hic quærimus,* C *an* S. Jacobus Nisibenus *fuerit eorum compilator. Abraham Ecchellensis in dissertatione Labbeanæ Conciliorum collectioni inserta tom. II, col.* 400 *agens de Syriaca illorum canonum versione ait, quod aliqui existiment,* illam auctorem habuisse D. Jacobum Nisibensem episcopum, qui eidem interfuit concilio. *De hac opinione Schelstratius part.* II *Antiq. Illust. Dissert.* II *cap.* IV, *num.* 169 *ita merito judicat :* Displicet tamen, quod Abrahamus Ecchellensis existimet, hos canones auctorem habuisse Jacobum Nisibensem in Mesopotamia episcopum a Catalogo subscriptionum Nicæni Concilii exhibitum : Enimvero unum ex sanctis Nicænis patribus Acta synodi vel potius canones collegisse, qui adversantur menti ipsius concilii, nemo peritorum admittet. *Dein probat ex variis statutis, Nicæna synodo posterioribus, collectionem eam tantummodo circa tempus Justiniani Imperatoris fuisse factam. Assemanus supra laudatus eosdem canones Sancto nostro abjudicat.*

40 *Postrema quæstio est, an* S. Jacobus Nisibenus *sacram Scripturam Commentariis illustrarit. Id affirmat noster Cornelius a Lapide in Prolegomenis Commentariorum in Ecclesiasticum cap.* III *ita scribens :* In monte Libano Syriace exstant Commentarii manuscripti S. Ephremi (atque similes magni illius Jacobi Nisibis episcopi, qui interfuit Concilio Nicæno) in universam sacram Scripturam, uti Romæ a Maronitis accepi, qui utinam quispiam in Latinum converteret et ederet. *Athanasius Kircherus part.* I *Chinæ Illustratæ cap.* V, *pag.* 39, *et Cardinalis Bona Rerum Liturgicarum lib.* I, *cap.* IX, *num.* 9, *faciunt eum auctorem Liturgiæ, quam inter alias orientales apud se exstare testatur Abraham Ecchellensis in Notis ad Catalogum Hebed-Jesu pag.* 134. *Quamvis aliqui hæc scripta in dubium revocent, nos malumus Maronitis id asserentibus credere, quam de re hactenus nobis ignota temere judicare.*

AUCTORE G. C. *quamvis forte alia quædam conscripserit.*

§ IV. Auctorum quorumdam errores, et obsidio Nisibena.

E

S. Jacobus noster fuit ex urbe Nisibena oriundus,

T*heodoretus in Philotheo cap.* I *Sancti nostri patriam fuisse Nisibin testatur his verbis :* Nisibis est civitas in confinio regni Romanorum et Persarum, quæ olim quidem erat Romanis vectigalis et eorum parebat imperio. Ex ea ortus magnus ille Jacobus, solitariam vitam et quietam est amplexus. *Hunc sequitur Theodorus Byzantius Constantinopolitanæ ecclesiæ lector, qui sexto sæculo ineunte floruit, et in Excerptis Eccl. Hist. ab Henrico Valesio editis pag.* 553 *ita diserte edicit :* ὁ Νισιβινὸς ἦν ὁ μέγας Ἰάκωβος. Magnus Jacobus erat Nisibi oriundus. *Miror post adeo manifesta veterum scriptorum testimonia Andream Masium, virum ceteroquin eruditum, ac Græce, Hebraice et Syriace doctum, hic ita hallucinatum esse, ut eum Edessenum fuisse dixerit, aut potius cum Jacobo Edesseno confuderit. Forte a Mose Mardeno Syro veteris historiæ ignaro, quocum magnam habuit consuetudinem, in hunc errorem inductus fuit.*

F

estque distinctus ab altero Jacobo Juniore, et Theodoreti synchrono.

42 *Circa miracula a* S. Jacobo *patrata non minores deteguntur errores. In Actis num.* 4, 5 *et* 6 *narratur fusius, quomodo inverecundæ puellæ ab ipso miraculose fuerint castigatæ. Theodorus lector apud Valesium loco proxime citato sic paucis verbis miraculum idem comprehendit :* Magnus Jacobus Nisibi oriundus, quanta autem virtute præditus fuerit, apparet ex miraculo, quod factum est in puellis quibusdam gentilibus, quæ lavabant in fonte : Hæ enim post imprecationem Jacobi incanuerunt, et fons ipse exaruit; quem mox Jacobus orationibus suis restituit; puellas vero ipsas canas reliquit. *Ne quis autem* Jacobum Nisibenum *cum altero confundat, Theodorus immediate post præcedentia verba sic monet :* Sciendum porro est, Jacobum hunc, qui istud miraculum in fonte et in puellis perpetravit, alium esse ab eo, qui ad encyclicas litteras rescripsit. Nam Nisibenus quidem ille vixit temporibus Constantii. Hic tamen Junior Jacobus miraculis quoque clarus fuit, ut testatur Theodoritus in Historia Philotheo. *Non obstante hac præmonitione Nicephorus Callistus adeo fuit hebes, ut lib.* XV *Hist. Eccles. cap.* XXII *idem miraculum ex Theodoro lectore pene verbatim*

AUCTORE G. C.

tim describens alteri Jacobo *tribuerit, de quo Theodoretus et synchronus multa narrat in Philotheo cap* XXI, *quæ imprudens Nicephorus huic Nisibeno episcopo applicat.*

Raderus noster quoddam ejus miraculum male interpretatur, sed errorem suum postea correxit.

43 *Aliud miraculum subjicit Theodoretus de injusto quodam judice Persa, qui prodigiosa lapidis comminutione per* S. Jacobi *execrationem facta ad revocandam iniquam sententiam impulsus fuerit. Hoc ita Græce exprimitur in Menæis* XIII *Januarii :* Καὶ δικαστὴν Πέρσην ἀδίκῳ ψήφῳ χρησάμενον θεασάμενος, λίθῳ τινι μεγίστῳ αὐτοῦ που κειμένῳ ἐπαρασαμενος, τοῦτον συνέτριψε, *id est,* judicem Persam conspicatus iniquas edere sententias, imprecatione lapidem maximum, qui ibi forte jacebat, contrivit. *Rosweydus in Notis libri noni de vitis Patrum Antverpiæ anno* 1638 *editis pag.* 858 *errorem Raderi nostri in Viridario sanctorum part.* I, *pag.* 21 *excusum circa hanc Menæorum locum observat his verbis :* Quod in Menæis est τοῦτον συνέτριψε Raderus noster vertit ET JUDICEM ELISIT, referens τοῦτον ad δικαστὴν, non ad λίθον. Sed cum judex supervixerit, et sententiam mutaverit, clarum ex Theodoreto est, vertendum in Menæis; EUM LAPIDEM
B CONTRIVIT. *Sed Raderus ipse in manuscriptis ad Menæa observationibus, quas in Museo nostro servamus, errorem suum candide agnoscit corrigitque his verbis :* Edideram olim : Et judicem quemdam Persam iniqua sententia innocentes opprimentem sublato ingenti saxo elisit. SUBLATO SAXO emendo : Non est enim in Græco ἐπαράμενος ab ἐπαίρω, ut primulum legeram, quod TOLLO sonat; sed ἐπαρασάμενος ab ἐπαράομαι, hoc est execratus seu malum imprecatus saxo, quod contrivit. Saxum, inquam, elisit, contrivit et in pulverem redegit. Τοῦτον ergo, quod sequitur, non ad judicem iniquum, sed ad lapidem referendum est, quod recte monuit doctissimus noster Rosweydus. *Germanum hujus viri candorem, si qua in re a vero aberramus, imitari cupimus.*

S. Jacobus fictitii pauperis fraudem punit.

44 *In tertio, quod sequitur, miraculo de paupere mortuum simulante ac propterea vera morte punito, error, quod sciam, commissus non est. At idem miraculum, teste S. Gregorio Nysseno ante* Jacobum *nostrum Gregorius Thaumaturgus ac post ipsum S. Epiphanius patrasse legitur. Nolim tamen ob hanc historiæ similitudinem de horum*
C *miraculorum veritate dubitare, sed candide pronuntio cum Sozomeno, qui in editione Valesiana lib.* VII, *cap.* XXVII, *simile miraculum a S. Epiphanio patratum narraturus ita præfatur :* Aliud præterea quod de illo refertur, commemorare libet. Id quidem ab admirando Gregorio, qui Neocæsariensem olim rexit ecclesiam, gestum esse accepi et libenter credo. Sed non idcirco incredibile videri debet, idem quoque factum esse ab Epiphanio : Neque enim solus Petrus Apostolus mortuum ab inferis excitavit, verum etiam Joannes Euangelista in urbe Epheso et Philippi filiæ Hierapoli; multosque tam ex antiquis, quam ex nostræ memoriæ piis hominibus eadem sæpenumero gessisse comperimus. *Idem ego in hac re de* S. Jacobo Nisibeno *intelligi velim. Sozomenus his subjungit S. Epiphani miraculum, quod priori S. Gregorii Thaumaturgi et nostro simile est, nisi quod* S. Jacobus *mortuum illum ad vitam revocaverit ; illi autem duo sancti justo Dei judicio illusores suos mortuos reliquerint.*

45 *Postremum miraculum adeo celebre est, ut ipse Philostorgius acerrimus Arianorum defensor, ac proinde* Jacobi *nostri inimicus illud silentio involvere non sit ausus. Juvat prodigiosam sancti nostri virtutem, quamvis jejune et breviter laudatam, ex ipso hoste audire. Sic habetur in Epitome ex ecclesiasticis Philostorgii historiis a Photio confecta lib.* III *Tmemate* XXIII *apud Valesium fol.* 490 : Ait Philostorgius, Saporem Persarum regem Romanis bellum intulisse et Nisibin urbem oppugnasse; verum, re infecta, præter omnium opinionem pudore affectum recessisse, cum Jacobus urbis illius episcopus civibus, quid faciendum esset, commonstrasset, et firma in Deum spe ac fiducia pro salute urbis admirabiliter propugnasset. *Theodoretus illud miraculum pluribus describit in Actis a num.* 12, *usque ad* 17. *Idem fuse describit lib.* II, *Hist. Eccles. cap.* XXVI, *ubi eadem fere alia phrasi narrantur, et S. Ephrem Syrus adfuisse legitur his verbis :* Tum vero admirandus Ephrem, qui apud Syros præstantissimus fuit scriptor, divinum Jacobum rogavit, ut in murum conscenderet, barbaros aspiceret, et imprecationis tela in eos immitteret. Cui obsecutus admirabilis ille vir in quamdam turrim conscendit, visaque innumerabili hominum multitudine, nullum E aliud malum illis imprecatus est; sed oravit tantum, ut cyniphes et culices in eos immitterentur, ut ex minutis animalculis ejus, qui ipsis auxiliabatur, potentiam cognoscerent. *Reliqua, quæ narrantur, conveniunt quoad substantiam cum iis, quæ postea in Actis dabimus ex Philotheo Theodoreti.*

et urbem Nisibenam ab obsidione Persarum prodigiose liberat;

quod prodigium Abulpharajius S. Ephremo adscribit.

46 *Forte ex hac S. Ephremi præsentia occasionem errandi sumpsit Gregorius Abul-Pharajius, qui in Historia Arabice scripta duas Nisibis obsidiones distinguit ; et primam quidem paulo ante mortem Constantini Magni miraculosis sanctorum* Jacobi *et Ephremi precibus, alteram paulo post ejusdem Constantini mortem solius Ephremi orationibus solutam asserit. De prima, interprete Pocockio, sic scribit pag.* 85. Eo tempore Sapores Persarum rex, cum urbem Nisibin triginta dies obsedisset, precibus S. Jacobi episcopi ipsius, et in Ephraimi ejusdem discipuli irrito conatu ab ea recessit, et inter redeundum Mesopotamiam hostiliter vastavit. *De secunda autem, narrata Constantini Magni morte, ejusque sepultura, sic loquitur pag.* 87 : F Hoc anno ascendit Sapores Persarum rex oppugnatum Nisibin, audito mortuum esse Constantinum victorem ; at cum ipsam triginta dies obsedisset, ab ipsa, re infecta, in regnum suum rediit, quod factum precibus sancti Mar Ephraim : Deus enim precibus ipsius annuens in exercitum Persarum cimices *(interpres, ut opinor, cyniphes dicere voluit)* et culices misit, qui elephantos et equos eorum in fugam dederunt. *Dum de his animalculis meminit auctor Arabs, se ipsum prodit : nam hoc miraculum expresse* S. Jacobo *attribuit Theodoretus, cui, utpote antiquiori, magis credimus.*

Theodoretus in narranda Nisibena obsidione partim erroris arguitur.

47 *At pejus est, quod ipse Theodoretus in exponenda obsidionis Nisibenæ solutione tempora confudisse videatur. Garnerius noster tomo V Operum Theodoreti loco jam aliquoties citato sic eum erroris arguit :* Observandum secundo, lapsum quoque memoria Theodoretum in narratione obsidionis Nisibenæ a Persis : cum enim tres obsidiones fuerint, prima anno CCCXXXVIII; altera anno CCCL; postrema anno CCCLIX, in unam priores duas confudit, de tertia siluit, quippe quæ post obitum Jacobi contigit.

A git. *Magis adhuc Theodoretum accusat Valesius in Notis ad Theodoreti a se editi Historiam Ecclesiasticam lib.* II, *cap.* XXX, *ita scribens pag.* 25 : Multipliciter hic fallitur Theodoritus : Primum enim duas obsidiones urbis Nisibenæ inter se confudit. Deinde tempus obsidionis illius, quam hic describit, perperam assignat post synodum Ariminensem ac Seleucenam id est post annum Christi CCCLIX. Atque hunc duplicem errorem Theodoriti jam pridem notavit Dionysius Petavius in annotationibus ad orationem primam Juliani Imp. Tertius error est Theodoriti a Petavio minime animadversus. secundam enim obsidionem Nisibis, Jacobi Nisibeni episcopi precibus solutam esse dicit; cum tamen eo tempore, quo secunda obsidio Nisibis facta est sub Constantio id est anno Christi CCCL, non Jacobus sed Vologesus esset Nisibenæ urbis episcopus, ut docet auctor Chronici Alexandrini.

partim defenditur.

48 *Sed puto quod Valesius ipse Theodoretum tertii erroris arguens erraverit : nam chronicon Paschale vulgo Alexandrinum Olympiade* CCLXXII *seu anno Christi* 350, *narrata urbis Nisibenæ obsidione, tantummodo subdit, circumferri Vologesi Nisibeni episcopi epistolam, qua hæc singillatim exponuntur. At inde nullo modo sequitur, Vologesum tempore obsidionis episcopum Nisibenum fuisse, ut recte observat Tillemontius in Historia Imperatorum tom. IV, pag.* 675 : *potuit enim Vologesus etiamnum existens diaconus aut sacerdos scripsisse hanc epistolam, et postea factus esse episcopus Nisibenus, atque ita dici epistola episcopi Nisibeni, sicut ipse Valesius primam orationem Juliani Imperatoris appellat, quamvis Julianus ante adeptam imperii dignitatem eam scripserit. Potuit etiam Vologesus existens episcopus Nisibenus eam epistolam scripsisse, sed uno alterove imo etiam pluribus annis post obsidionem, cui forte antea interfuerat. Quidquid sit circa obsidionem* S. Jacobi *precibus solutam, nos clarum Theodoreti testimonium ambiguo et facile explicabili chronici Alexandrini textui præferimus.*

Petavius noster ex variis scriptoribus,

49 *Najoris moliminis est diversarum Nisibis obsidionum epocham figere. Intricata et confusa hæc tempora Petavius noster in Notis ad primam Juliani apostatæ orationem evolvere conatur. Integrum illius de hac re discursum hic inseram, quia* C *novam et ecclesiasticæ historiæ aptam continet notitiam.* Hæc Nisibenæ obsidionis historia, *inquit*, acuto ac perattento lectore opus habet : Nam ex ea chronicorum et Annalium ratiocinia castigari dirigique debent. Hieronymus in supplemento Eusebiani Chronici ad annum proximum a morte Constantini Magni, qui primus est trium ejus liberorum, hoc adnotat. « Sapor rex Persarum Mesopo» tamia vastata, duobus ferme mensibus Ni» sibin obsidet ». Mox. « Jacobus Nisibenus » agnoscitur, ad cujus preces sæpe urbs dis» crimine liberata est. » Theodoretus in Philotheo S. Jacobi gesta percensens, obsidionis illius meminit, quæ statim post Constantini obitum secuta est, cum Sapores illius liberos, tamquam imbecillos contemneret? In eadem porro scribit ea contigisse omnia, quæ hic a Juliano referuntur ; et inter cetera præterfluentis fluvii cursum aggeribus repressum : Inde cum majorem in modum collectis aquis intumuisset; interruptis molibus magno cum impetu in muros emissum. Addit et culicum agmina divini viri precibus in hostes immissa; nec non Imperatoris habitu quemdam pro muris a Barbaro conspectum : Quod ille miratus, qui abesse Romanorum Imperatorem dixissent, et obsidionis illius auctores fuissent, capitali supplicio affecit.

AUCTORE G. C.

50 Idem vero Theodoretus lib. II, cap. XXX hanc ipsam obsessæ atque a Jacobo servatæ Nisibis historiam latius prosequitur; ubi et ad ea, quæ in Philotheo scripserat, lectorem remittit. Refert autem Saporem LXX diebus in ea obsidione consumptis et inhibito flumine ac mox in muros immisso, falsum spe sua domum rediisse. Sed quod ad annum attinet obsidionis; a se ipso discrepat : Non enim subinde post Constantini obitum, atque in ipso Constantii exordio, ut in Philotheo, sed diu postea contigisse demonstrat; nimirum post Ariminense et Seleuciense conciliabula, quæ anno Christi CCCLIX, Constantii XXIII celebrata sunt, ac post Antiochenam sedem ab Eudoxio per vim occupatam, rescriptumque Constantii ad Antiochenos contra eumdem Eudoxium editum; quod anno antecedente, Christi CCCLVIII accidit. Demum Antiochiæ per idem tempus, quo Ni- E sibis obsidebatur, fuisse Constantinum indicat Theodoretus cap. XXXI. At Theophanes anno a Constantini morte proximo Nisibenam illam obsidionem perscribit, quæ LXIII diebus tenuit, et S. Jacobi precibus in irritum cessit; neque culicum ac ceterarum rerum mentionem facit. Zosimus lib. III de obsidione Nisibis agit, ejus historiam a Juliano ipso memoriæ proditam asserit; indeque lectorem petere jubet. Hanc autem accidisse scribit, cum jam Cæsar esset Julianus; postque Francos, Salios et Quados ab eo domitos; cum etiam paratis in Occidente rebus, Constantius in Oriente esset, ac totus in Persicum bellum incumberet. Itaque anno CCCLIX vel CCCLX potius id evenerit, quando Persis Romani imperii fines incursantibus Constantius, Juliani gloriæ invidens, Celticas duas legiones e Galliis excivit. Quæ res, militari seditione excitata, Juliano viam ad imperium usurpandum muniit.

inter se collatis,

51 Cum horum scriptorum narrationibus conferamus ea modo, quæ Julianus ipse hac oratione scripsit. Ita multa multorum errata F patefaciemus, et huic historiæ, quæ hactenus ignota fuit, lucem dabimus. Omnium primo testis est Julianus, allato nuntio de Constantis nece et Magnentii ac Vetranionis tyrannide, Constantium munitis Syriæ oppidis in Occidentem esse profectum, Persas vero in eam occasionem intentos, occupato civilibus et occidentalibus bellis Imperatore, Nisibin aggressos esse, in qua menses quatuor exegerunt. Hæc obsidio non alia est ab ea, quam Theodoretus refert : Nam et retentum flumen magno deinde cum impetu mœnibus illisum esse scribit; et de machinis ac ceteris eadem fere percenset. Annus vero indicatur a Juliano Christi CCCL, quo allata Constantis nece, Constantius in Occidentem profectus est. Triplex ergo tempus ex historicorum illorum, quos testes citavimus, comparatione colligitur : Nempe annus CCCXXXVIII, CCCL et CCCLX, qui omnes eidem obsidioni præfiniuntur.

et ex oratione Juliani apostatæ,

52 Mihi non dubium est, quin Theodoretus et Zosimus gravissime aberraverint, atque

AUCTORE G. C.

figit triplicis obsidionis Nisibenæ epocham,

que ex hac Juliani narratione corrigendi sint. Sic igitur habeto : Nisibin sæpius a Persis obsessam, atque a S. Jacobo propugnatam fuisse, ut indicat Hieronymus. Ter obsessam esse Rufus affirmat. Duæ porro præ ceteris insignes obsidiones fuerunt. Prior statim post Constantini obitum contigit, cujus meminit Hieronymus et Theophanes, quæ duobus fere mensibus tenuit. Posterior absente Constantio et in Occidentem contra tyrannos profecto, anno CCCL, quam Julianus et Theodoretus describunt, meminit vero Zosimus. Duas has obsidiones in unam eamdemque conflavit Theodoretus, et Zosimi præterea errorem secutus est in eo, quod posterioris ac celeberrimæ tempus pluribus annis tardius consignavit : Nam obsidio illa, quam hic Julianus exponit, et quam Zosimus ac Theodoretus in animo habuerunt, anno CCCL tribuenda est; antequam non modo Julianus, sed ne Gallus quidem ejus frater Cæsar esset. Quare mirum non est, si Ammianus Marcellinus diligens et accuratus illorum temporum historicus nullam obsidionis illius mentionem B fecerit, cum priores historiæ illius libri perierint. Ex iis castigandi sunt annales et chronici libri, adeoque noster, quatenus anno CCCXXXVIII, cum Nisibenam obsidionem adscriberemus, Theodoretum aliosque secuti, ad idem saxum offendimus. Hæc vero Juliani oratio tanto eruditis et historiæ studiosis esse debet acceptior, cujus ope factum est, nova ut hujus historiæ ratio et hactenus ignota constaret.

cui chronotaxi quidam auctores recentiores subscribunt:

53 *Huic Petavii ratiocinio consentit Valesius in Notis ad Ammianum Marcellinum lib.* XX, *cap.* VII, *præterquam quod primam Nisibis obsidionem anno* 337 *contigisse velit. De hac epocha Antonius Pagius in critica Baronii ad annum Christi* 338 *ita judicat :* Eodem anno, Christi scilicet CCCXXXVII, Nisibis a Persis obsessa, ut habet Theophanes, qui obsidium egregie describit, atque per tres et sexaginta dies illud durasse, quot etiam dies civitatem obsessam tradit auctor chronici Alexandrini anno CCCXXXVII. Quare quando Hieronymus in chronico secundum editionem Scaligeri eam obsidionem copulat cum anno Abrahami MMCCCLIV, C qui Kalendis Octobris anno Christi CCCXXXVII inchoatur, de prioribus illius anni mensibus intelligendus. *Tillemontius tamen post hæc in Historia Imperatorum tomo IV, pag.* 668, *defendit Petavii sententiam, putatque primam Nisibis obsidionem melius anno Christi* 338 *collocari. Hæc exigui temporis discrepantia forte componi potest, si dicatur prima obsidio urbis Nisibenæ inchoata fuisse anno* 337, *ei adhuc anno* 338 *durasse.*

sed circa tempus tertiæ obsidionis non sine ratione dissentit Tillemontius.

54 *Non tam facile conciliari possunt ea, quæ Tillemontius in Historia Imperatorum num.* 4, *pag.* 674, *de tertia Nisibis obsidione tradit, quam contra Petavium Valesiumque novem aut decem annis antevertit. Nam tres istius urbis obsidiones distinguit, quarum primam anno* 338, *alteram* 346, *tertiam anno* 350 *collocat, et solutis adversariorum argumentis, contendit, Nisibin post annum Christi* 354 *a Persis non fuisse obsessam, tum quod Ammianus Marcellinus accuratus belli Persici, cui interfuit, scriptor nullius post illud tempus obsidionis meminerit, sed contra lib.* XX, *cap.* VII *asserat, quod Sapor anno* 360, *intercepta vastataque Singara, Nisibin prudenti consilio vitarit,* memor, nimirum quæ sæpius ibi pertulerit. *Si autem, inquit Tillemontius, obsessa fuisset* D *anno* 360, *non tantum tres, sed quatuor numeraremus Nisibis obsidiones; cum interim Festus Rufus tantum ter eam urbem sub Contantii imperio obsessam fuisse memoret. Hæc aliaque Tillemontii argumenta opinionem ejus reddunt omnino probabilem. Nobis sufficit, quod, teste S. Hieronymo in Chronico, ea urbs, quocumque demum anno obsessa, sæpe per Sancti nostri preces discrimine liberata fuerit.*

§ V. Mors, sepultura et Vitæ scriptores.

Mors S. Jacob. Nisibeni.

T*heodoretus post narratam urbis Nisibenæ obsidionem prodigiosamque ejusdem liberationem sic* S. Jacobi *mortem breviter et indeterminate describit in Actis huic paragrapho subnectendis num.* 17 : In his perseverans, atque in divinis rebus incrementa capiens in dies, summa cum gloria vitam clausit, et ex his locis E demigravit. *Neque etiam mortis epocham satis determinavit Gennadius de sancto hoc Præsule in Catalogo virorum Illustrium cap.* I *ita scribens :* Moritur hic vir Constantii temporibus. *Vagam hanc temporis notam Abul-Pharajius in historia sua Arabica a Pocockio latine versa ad certiorem epocham ita restringit pag.* 87 : Tum Constantinus Nicomediam profectus corpus patris acceptum condivit, atque arcæ aureæ inclusum Constantinopolim advexit, ubi ipsum in templo Apostolorum posuit. Hoc anno ascendit Sapores Persarum rex oppugnatum Nisibin, audito mortuum esse Constantinum victorem. At cum ipsam triginta dies obsedisset ab ipsa, re infecta, in regnum suum rediit, quod factum precibus sancti Mar Ephraim : Deus enim precibus ipsius annuens in exercitum Persarum cimices (cyniphes *legendum esse supra monui)* et culices misit, qui elephantos et equos eorum in fugam dederunt. Deinde Sapores Christianos, qui in ipsius potestate fuerunt, graviter persecutus est. Hoc anno obiit S. Jacobus episcopus Nisibensis in ejus locum F suffecto Babawaiho.

certus annus vel dies assignari nequit.

56 *Si historico huic Arabi fidere liceret, ipsum obitus annum facile assequeremur : verum jam supra ostendimus hunc scriptorem tempora confudisse, aliosque errores in obsidionibus Nisibenis commisisse. Certe si Concilio Antiocheno, quod anno* 341 *celebratum est, interfuerit* S. Jacobus, *uti supra e Schelstratio docuimus, profecto ultra primam Nisibis obsidionem mors ejus differenda est. Quid quod ipse Abul-Pharajius errorem suum satis manifestat, cum cyniphes et culices elephantis et equis immissos Ephremi precibus tribuit, quod* Jacobo *nostro disertissime adscribit Theodoretus. Atque hinc concludi potest,* S. Jacobum *ut minimum usque ad annum* 350 *supervixisse, cum famosa illa Nisibis obsidio ex communi præstantiorum chronologorum sententia anno* 350 *contigisse probetur. Quamvis autem certum ejus morti annum assignare non possimus, tamen inter annum* 350 *et* 361, *quo obiit Constantius, e vita excessisse credimus, quia Gennadius eum Constantii temporibus mortuum esse asserit. Nec magis certus est obitus dies : Syri enim* XVIII *Januarii, Græci* XIII *ejusdem mensis et* XXXI *Octobris, Latini* XV *Julii festum ejus celebrant.*

Sed

A Sed quiscumque sit ex his verus mortis dies, nos Romanum Martyrologium secuti illum die xv Julii collocavimus.

Reliquiæ S. Jacobi ex urbe Nisibena translatæ sunt,

57 *Unanimi consensu asserunt scriptores,* S. Jacobi *corpus in ipsa urbe Nisibena sepultum esse. Obiter hic observo errorem Laurentii De la Barre, qui in Religiosa Theodoreti historia, Parisiis anno* 1583 *a se edita, in fine capitis primi notat in margine, huic* Jacobo Nisibeno *a Theodoreto arcam sepulcralem curatam esse. Forte Nicephorum Callistum lib.* xv, *cap.* xxiii *in eadem re errantem secutus est. Alteri* Jacobo *anachoretæ sese arcam sepulcralem curasse ipse Theodoretus luculente testatur in Philotheo cap.* xxi. *Circa sacrorum ossium translationem, seu potius translationis illius causam Gennadius et Theodoretus in diversas abeunt sententias. Gennadius quidem in opere de viris illustribus post concinnatum sancti Præsulis elogium et enumerata illius scripta cap.* i *ita prosequitur :* Moritur hic vir Constantii temporibus; juxta præceptum patris ejus Constantini intra muros urbis Nisibenæ sepelitur, ob custodiam videlicet civitatis; quod secundum fidem Constantini evenit : Nam post multos annos B ingressus Julianus urbem, et vel gloriæ sepulti invidens vel fidei Constantini, cujus ob id domum persequebatur, jussit efferri de civitate sacri corporis Reliquias, et post paucos menses, consulendæ licet Reipublicæ causa Jovianus Imperator, qui Juliano successerat, tradidit barbaris civitatem, quæ usque hodie Persarum ditioni cum finibus suis subjecta servit.

cujus translationis varia causa adfertur,

58 *Aliam plane hujus translationis occasionem refert Theodoretus in Actis apud nos num.* 17, *ita scribens :* Temporis autem successu, cum in Persicam dominationem ab eo, qui tunc imperabat, tradita urbs fuisset, excesserunt incolæ universi, et defensoris sui corpus extulerunt, migrationem quidem ægre ferentes et dolentes, sed fortissimi victoris virtutem laudibus celebrantes : nec enim illo superstite in Barbarorum potestatem venissent. *De hac urbis deditione a Joviano Persis facta agunt etiam S. Hieronymus in Chronico, auctor Chronici Paschalis seu Alexandrini, et Joannes Antiochenus, cognomento Malala, qui duo postremi asserunt, cives Nisibenos cum bonis suis urbe* C *excessisse, sed nullam specialiter de* S. Jacobi *Reliquiis tunc simul translatis faciunt mentionem. Quamvis Gennadii narratio non abludat a genio Juliani apostatæ, utpote qui miraculorum splendorem ferre non valens etiam sacrum S. Babylæ episcopi Antiocheni corpus transferri jussit, tamen Theodoreto, tamquam viciniori, potius credendum arbitror.*

et de hodierno sacrorum ossium statu nihil certi constat.

59 *Quo loco hodiedum sint* S. Jacobi *reliquiæ affirmare non ausim. Blasius Terzi in sua Syria sacra Romæ anno* 1695 *Italice impressa lib.* i, *cap.* cl *de moderno Nisibis statu et* S. Jacobi *olim illius præsulis templo, cujus etiamnum rudera cernuntur, loquens ait :* Illic Officium celebrant Christiani trium nationum *(dixisset potius* trium sectarum*)* Armeni, Nestoriani, Jacobitæ. Per gradus subterraneos itur in sacellum, ubi dicunt custodiri ejus corpus. *Huic aperte contradicit Angelus a S. Joseph, qui ait, illic ostendi* S. Jacobi Nisibeni *sepulcrum Reliquiis vacuum; de qua re in Gazophylacio linguæ Persarum pag.* 251 *ad vocem* Nisibis *hæc habet :* Vix tantæ civitatis aliud superest vestigium, quam ingens massa basilicæ S. Jacobi episcopi, cujus etiam-

num visitur sepulcrum in crypta exuviis vacuum. Constat ædes ex marmore præstantissimo, impenso labore, mirifice cælato. Nunc porro in bubonum et vespertilionum receptaculum versa est domus Dei. *Recentiores in descriptione itinerum suorum Orientalium de sepulcro et basilica* S. Jacobi *consentiunt, sed de Reliquiis non meminerunt. Joannes Baptista Tavernier lib.* ii *Itinerarii sui Persici cap.* iv *narrat, sese mane Nisibensem ecclesiam intrasse, liturgiam Armenorum audivisse et cum Capucinis comitibus suis, monstrante episcopo Armeno, sepulcrum* S. Jacobi Nisibeni *vidisse. Thevenotus Part.* ii *Itinerarii lib.* i, *cap.* x *eamdem ecclesiam memorat, sed immani errore eam nomini S. Jacobi fratris Domini dedicatam existimavit. Ex his patet, me de hodierno Reliquiarum statu nil certi asserere posse. Jam de diversis Actorum scriptoribus et editoribus pauca adjungamus.*

AUCTORE G. C.

Recensentur varii auctores, qui de S. Jacobi gestis meminerunt.

60 *Sancti antistitis nostri gesta tum Latini tum Græci litteris consignarunt. E Latinis quidem Gennadius presbyter Massiliensis in opere de viris Illustribus cap.* i; *Marcus Aurelius Cassiodorus in Historia Tripartita, ex tribus Græcis auctoribus ab Epiphanio Scholastico Latine versis, a se collecta in compendium redacta lib.* v, *cap.* xlv; E *Vincentius Bellovacensis in spec. Hist. lib.* xiii, *cap.* lxxxii; *Petrus de Natalibus episcopus Equilinus lib.* vi, *cap.* cii, *Mombritius tom. II, fol.* 49 *Lipomanus aliique recentiores, quos hic omitto. Inter Græcos autem Theodoretus Cyri episcopus lib.* ii *Eccles. Hist. cap.* xxvi *describens obsidionem Nisibenam, qui et de eo mentionem facit lib.* i *Eccles. Hist. cap.* vi, *ubi ait, illum Concilio Nicæno interfuisse, mortuos suscitasse, et alia infinita miracula patrasse; Theodorus Lector in Excerptis ex Historia Ecclesiastica lib.* i *apud Valesium pag,* 553; *Nicephorus Callistus lib.* viii, *cap.* xiv *et lib* ix, *cap.* xxviii *aliique, qui obiter tantum ejusdem meminerunt. At copiose sancti viri Acta Græce descripsit Theodoretus in Philotheo cap.* i, *ex quo ea, interprete Alberico Longo edidit Lipomanus episcopus Veronensis tom. II Vit. Sanct. pag.* 197. *Philotheum seu Religiosam Historiam etiam Latinam reddidit Gentianus Hervetus, ac typis mandavit Parisiis anno* 1570. *Hanc Herveti editionem secuti sunt Laurentius De la Barre in Historia Christiana veterum Patrum anno* 1583 *Parisiis impressa, Surius in Vitis sanctorum ad diem* xv *Julii,* F *et Rosweydus noster in Vitis Patrum lib.* ix. *Denique eamdem Religiosam historiam Parisiis anno* 1642 *inter cetera Theodoreti opera tomo III Græce et Latine vulgavit Sirmondus noster, cujus interpretationem, utpote aliis clariorem, hic sequimur.*

EX IMPRESSIS

ACTA

Auctore Theodoreto episcopo Cyri.

Ex editione Græco-Latina Operum Theodoreti, anno 1642 Parisiis facta, tom. III, a pag. 764 interprete Jacobo Sirmondo S. J.

PROLOGUS.

Theodoretus quædam præfatus.

Moses divinus legislator, qui maris fundum aperuit, et aquis obruit aridam solitudinem, et alia omnia fecit miracula, B veterum Sanctorum res gestas conscripsit, non ea utens sapientia, quam ab Ægyptiis didicerat, sed splendore gratiæ cælitus accepto. Undenam enim alioqui Abelis virtutem cognovisset, aut Enoch amorem divinum, et Noë justitiam, et Melchisedech pium sacerdotium, et Abrahæ vocationem, fidem, fortitudinem, et exquisitam hospitalitatem, decantatum filii sacrificium, et aliorum ejus eximiorum facinorum catalogum, atque, ut in summa dicam, divinorum virorum certamina, victorias, præconia, nisi intelligentis divinique Spiritus radios accepisset? Hoc mihi quoque in præsentia opus est auxilio, qui coner vitam conscribere Sanctorum, qui paulo ante nos, et nostris temporibus claruere, et quasdam veluti leges velim imitari eos cupientibus proponere. Illorum ergo invocandæ sunt preces, et incipienda narratio.

C

Caput I. *Aspera S. Jacobi vita, et quædam miracula.*

describit vilem S. Jacobi victum, a

Nisibis *a* urbs est in confinio regni Romanorum et Persarum posita, quæ Romanis olim vectigalis erat, eorumque parebat imperio. Ex hac ortus magnus Jacobus, solitariam et quietam vitam est amplexus, altissimorumque montium occupatis verticibus, in his vitam egit, vere quidem et æstate atque autumno silvas petens et pro tecto habens cælum; hyemis vero tempore in antrum se recipiens, quod parvum ei præbebat tegumentum. Cibus illi erat, non qui cum labore nascitur et seritur, sed qui sua sponte producitur: ex silvestribus enim arboribus sponte natos colligens fructus, et ex herbis esculentas, et quæ instar sunt olerum, ex his corpori dabat, quæ ad vitam tuendam satis erant, ignis usum penitus recusans.

et vestitum, aliasque virtutes.

3 Usum quoque lanarum supervacaneum ducebat, earumque vicem asperrimi caprarum villi explebant, ex quibus et tunica illi fiebat et simplex amiculum. Ita corpus affligens, spiritale alimentum assidue suppeditabat animæ, mentisque aciem expurgans, et divini Spiritus perspicuum efficiens speculum, revelata facie, juxta divinum Apostolum, gloriam Domini speculans, in eamdem transformabatur imaginem a gloria in gloriam, tamquam a Spiritu Domini. Hinc ejus in Deum fiducia augebatur indies, et a Deo petens, quæ petere oportebat, ea statim obtinebat. Hinc futura quoque prophetarum more prævidebat, et ad facienda miracula virtutem a sanctissimi Spiritus gratia percipiebat. Ex his pauca commemorabo, et apostolici ejus splendoris radium iis, qui nesciunt, aperiam. D

et narrat, quomodo Sanctus ob impudentiam quarumdam puellarum,

4 Vigebat illo tempore hominum insania erga simulacra, et inanimæ quidem statuæ divinum sibi cultum vendicabant; Dei autem cultus vulgo negligebatur a plurimis, contemptuique habebantur, qui ebrietatis eorum nolebant esse participes, quique perfecta virtute præditi res discernebant, et simulacrorum ridentes imbecillitatem, universorum Opificem adorabant. Venerat autem ille per id tempus in Persidem, visurus plantas veræ religionis, et congruentem eis curam exhibiturus: cumque fontem quemdam forte transmitteret, puellæ, quæ in eo pannos lavabant, et vestes pedibus emundabant, novum ac decentem ejus habitum nihil reveritæ, exuto pudore et perfricta fronte, impudentibusque oculis divinum hominem conspiciebant, nec capita operientes, nec vestes, quas succinxerant, demittentes. E

fontem exsiccarit, earumque crines canos reddiderit;

5 quod egre ferens homo Dei, opportunum ratus Dei virtutem ostendere, ut illustri miraculo ab impietate liberaret, fontem est execratus, et fluentum confestim evanuit: puellas quoque execratus est, et impudentem earum juventam immatura canitie castigavit; ac verba confestim factum est consecutum, mutatusque est niger color pilorum, et similes evaserunt novellis arboribus, quæ vere opertæ sunt foliis autumnalibus. Ita sensu tactæ supplicii (nam et fontis fluenta effugerant, et sua invicem capita intuentes, repentinam illam mutationem videbant) cursim ad urbem contenderunt, renuntiaturæ, quod acciderat. Qui mox accurrentes, F ut ad magnum Jacobum venerunt, rogaverunt, ut iram compesceret et pœnam remitteret.

et postmodum, restituto fonte, at relicta in pœnam puellarum canitie.

6 Ille vero nihil cunctatus, Domino preces obtulit, et fluenta rursus scatere jussit: tum illa denuo e suis penetralibus Justi nutibus derivata eruperunt. Hoc impetrato, petebant ut etiam filiarum crinibus pristinus color redderetur. Ferunt autem illum hoc quoque concessisse, et puellas requisiisse, quæ plexæ hac pœna fuerant; et quoniam non venerunt, supplicium reliquisse, quod documentum foret temperantiæ, et argumentum honestatis, divinæque virtutis perpetuum et evidens monimentum. Tale fuit novi hujus Mosis miraculum, quod quidem non virgæ percussione, sed signo Crucis perfectum est. Mihi vero præter miraculum admirari subit mansuetudinem. Neque enim, ut magnus Elisæus, impudentes illas puellas ursis tradidit immanibus, sed innoxia quadam disciplina, ut quæ dedecoris parum habebat, pietatem simul et moderationem edocuit. Quæ quidem

EX IMPRESSIS

A quidem non eo dixi, ut prophetam sævitiæ accusem (absit ut adeo insaniam) sed ut ostendam, illum, cum eamdem haberet virtutem, ea potius egisse, quæ Christi mansuetudini et novo testamento congruerent.

iniquum judicem prodigiose correxerit.

7 Idem cum vidisset aliquando iniquam a judice Persa prolatam fuisse sententiam, maximum quemdam lapidem, qui proximus erat, execratus, conteri ac dissipari jussit, illiusque iniquam sententiam arguere; lapide autem in particulas innumerabiles statim comminuto, conterriti sunt, qui aderant, et horrore plenus judex priorem revocavit, et alteram protulit sententiam *b*. Atque hic quoque suum imitatus est Dominum, qui ut ostenderet, se ultro et sua sponte passionem subire, facileque, si vellet, punire sceleratos potuisse, supplicium eis non intulit, sed ficum inanimam verbo arefaciens, quid posset, demonstravit: quam et ipse imitans clementiam, injustum judicem non puniit, sed ictu lapidis justitiam illum perdocuit.

ANNOTATA.

B

a *Nisibis urbs antiquissima in Mesopotamia longius abest ab Euphrate, vicinior fluvio Tigri, a quo posteriore bidui distat itinere. Eam urbem, ut loquitur Plutarchus in Lucullo,* Nisibin barbari, Græci vocabant Antiochiam Mygdonicam. *Plura videri possunt de hac urbe apud geographos passim obvios.*

b *De Raderi nostri errore in interpretando hoc miraculo, ac de illius correctione egi in Commentario prævio num.* 43.

Caput II. *S. Jacobi episcopatus, miraculum, præsentia in Concilio Nicæno, obsidio urbis Nisibenæ ejus precibus prodigiose soluta.*

C

Cum factus esset episcopus Nisibenus.

Hujusmodi ergo rebus insignis, omnibusque amabilis cum esset, atque in ore omnium ejus fama versaretur, trahitur ad munus pontificatus et patriæ suæ præficitur. Montanam autem illam habitationem cum mutasset, urbanamque non ex animi sententia suscepisset, nec cibum mutavit nec vestitum, sed mutatis locis, vitæ institutio nullam cepit mutationem. Crescebant vero labores, et multo plures erant prioribus: ad jejunium enim et humi-cubationem, et saccum, quo induebatur, accesserant etiam curæ indigentium omnium, ut et de viduis esset solicitus et orphanis provideret, et injuriam facientes argueret, et injuria oppressis justum afferret auxilium. Et quid opus est omnia recensere apud eos, qui norunt, quænam illis competant, qui hanc provinciam suscepere? Insigniter autem ille hos amplectebatur labores, ut qui ovium Dominum insigniter et amaret et timeret.

pauper quidam coram illo se mortuum fingens.

9 Quo autem virtutis opes colligebat majores, eo majore sanctissimi Spiritus gratia fruebatur. Nam cum illi aliquando in vicum quemdam vel oppidum iter esset (locum enim certo dicere non habeo) accesserunt ad eum pauperes quidam, unum quempiam ex sodalibus suis velut mortuum proponentes, et quædam ad illum sepeliendum necessaria postulantes. Ille autem annuit rogantibus, Deoque preces offerens tamquam pro mortuo, rogavit ut ei remitteret, quæ in vita peccarat, cumque in justorum cætum admitteret. Quæ ab eo cum dicerentur, evolavit illius anima, qui mortem simulabat, et suppeditata sunt corpori tegumenta.

vera morte punitur, quem Sanctus ad vitam revocat.

10 Paululum deinde progresso Viro sancto, illum, qui jacebat, surgere jubentes qui fabulam composuerant, ut eum viderunt non exaudire, et re ipsa evenisse quod simulabatur, veramque in faciem mutatam esse personam, ad magnum contendunt Jacobum, obtestantes et ad ejus pedes provoluti, audacisque facti causam dicentes fuisse paupertatem, rogabant, ut delictum ipsis condonaret, ablatamque mortuo animam restitueret. Domini ergo imitans clementiam preces admisit, et miraculum exhibuit, vitam precibus ablatam precibus restituens. Mihi vero magni Petri miraculo, quo Ananiam et Sapphiram furti mendaciique reos morti tradidit, simile hoc videtur: nam hic quoque E similiter eum, qui veritatem surripuerat, mendaciumque protulerat, vita privavit. Sed ille quidem furto cognito (revelaverat enim gratia Spiritus) intulit supplicium; hic vero rem nesciens vitæ cursum ei, qui simulaverat, fusis precibus abrupit. Et divinus quidem Apostolus mortuos a calamitate non eripuit, quia salutaris prædicationis initia timore opus habebant; hic autem apostolica refertus gratia et puniit ad tempus, et pœnam mox remisit, quia sic noverat, se lucri facturum eos, qui peccarant.

S. Jacobus Concilio Nicæno contra Arium interfuit.

11 Verum ad alia pergendum est, atque illa etiam breviter exponenda. Etenim cum Arrius blasphemiæ in Unigenitum et Spiritum sanctum pater et opifex in eum, qui ipsum crearat, linguam movens tumultu et perturbatione implevisset Ægyptum, et Constantinus maximus Imperator, gregis nostri Zorobabel (quippe qui totam piorum, sicut ille, captivitatem reduxit ab exilio, et divina templa solo æquata in altum erexit) F ecclesiarum præsides omnes Nicæam convocasset, venit cum aliis magnus quoque Jacobus, pro veris dogmatibus, ut fortissimus bellator, et totius agminis princeps decertaturus: In Romanorum enim ditione Nisibis tunc erat *a* .... Postquam autem dimissus fuit sacer ille conventus, et unusquisque in domum suam est reversus, rediit hic quoque velut strenuus victor exultans ob trophæa pietatis. *a*

Rex Persarum urbem Nisibenam valde oppugnat,

12 Procedente vero tempore, magnus ille admirandusque Imperator cum coronis pietatis excessit e vita, orbisque terrarum imperio ejus filii successere. Tunc rex Persarum, cui nomen Sapores *b*, hos ut patris viribus impares contemnens, adversus Nisibim cum magnis equitum et peditum copiis bellum movit: duxit autem elephantos quoque quamplurimos, divisoque ad obsidionem exercitu urbem circumcinxit, et machinas exstruxit, et propugnacula ædificavit, vallosque figens, et intermedia ramis cratium, more contexens, milites terram aggerere præcepit, et turres contra turres excitare. *b*

EX IMPRESSIS.

excitare. Deinde in eis sagittarios collocans, et tela in eos, qui in muris erant, mittere jubens, alios inferius fodere, murosque subruere imperavit.

et immisso flumine ejus muros diruit;

13 Ubi vero irrita evasere omnia, sancti Viri precibus disturbata, tandem præterlabentis fluvii *c* cursum multorum hominum opera inhibens, cum repressæ oppositis aggeribus aquæ vim maximam collegisset, repente in murum, ceu vehementissimam quamdam machinam, immisit; qui vim aquæ ferre non valens, ejus impetu concussus illa in parte funditus corruit. Tum illi magnum clamorem sustulerunt, quasi urbs captu facilis jam esset (magnum quippe civium murum *d* ignorabant) distulere tamen irruptionem, quod viderent urbem tunc adiri propter aquas non posse. Itaque longius recedentes, quasi a labore respirarent, et quiescebant ipsi, et equos curabant.

quare incolæ ad extrema deducti S. Jacobi opem implorant,

14 Incolæ autem ardentiores in preces conversi sunt, magnum Jacobum intercessorem habentes: at qui ætate adhuc vigebant, quam maxima poterant contentione muros B instaurarunt, nec pulcritudinis nec concinnitatis rationem habentes, sed omnia temere componentes, et lapides et lateres, et quidquid unusquisque attulerat: eoque nocte una opus processit, et in tantam crevit altitudinem, ut et equos aditu prohiberet, et homines ascendere absque scalis non possent. Tunc hominem Dei orant omnes, ut in muris se ostendat, et execrationum telis hostes feriat. Is vero exoratus ascendit, et horum infinitam multitudinem contemplatus, a Deo petiit, ut ciniphum *e* et culicum nubem in eos immitteret. Quod dum peteret, Deus illi obsequens, ut Moysi, continuo immisit. Et viri quidem divinis telis vulnerabantur; equi autem ac elephanti, ruptis vinculis, cum aculeos illos ferre non possent, huc et illuc dispersi ferebantur.

et muro modo ab obsidione liberantur.

15 Videns itaque rex impius et inutiles sibi machinas omnes fuisse, et aquæ irruptionem irritam evasisse, muro ea parte, qua corruerat, iterum ædificato; atque omnem præterea exercitum et laboribus exhaustum et incommodis sub dio conflictantem, et C divinitus immissa plaga percussum. Cum divinum quoque hominem super muros ambulantem conspicatus, Imperatorem operi insistentem ipsum esse conjecisset, quod purpura et diademate cinctus appareret, indignatus est in eos, qui eum deceperant, expeditionemque suaserant, et Imperatorem dixerant non adesse: quare capitis illos damnans, dimisit exercitum et in regiam suam quam citissime regressus est.

Auctoris digressio,

16 Talia sub hoc etiam Ezechia mirabiliter egit Deus, nec illis minora, sed majora meo quidem judicio. Quod enim collapso muro urbs capta non fuerit, quodnam potuit majus esse miraculum? Ego vero præ- D terea hoc admiror summopere, quod cum execrationibus uteretur, non petiit, ut fulgura et fulmina in eos e cælo mitterentur, quod magnus Elias fecit, quando ad ipsum uterque quinquagenarius cum militibus suis venit. Audiverat enim, Dominum Jacobo et Joanni, cum idem præstare conarentur, aperte dixisse: Nescitis cujus spiritus sitis. Et ideo non petiit, ut terra eis dehisceret, nec rogavit, ut phalanx igne consumeretur, sed ab animalculis illis sauciaretur, unde divinam potentiam agnoscentes tandem aliquando pietatem condiscerent.

et epilogus.

17 Tanta fuit viri hujus apud Deum fiducia, tantam cælitus consecutus est gratiam. In his perseverans, atque in divinis rebus incrementa capiens in dies, summa cum gloria vitam clausit, et ex his locis demigravit. Temporis autem successu, cum in Persicam dominationem ab eo, qui tunc imperabat, tradita urbs fuisset, excesserunt incolæ universi, et defensoris sui corpus extulerunt, migrationem quidem ægre ferentes et dolentes, sed fortissimi victoris virtutem lau- E dibus celebrantes: nec enim illo superstite in Barbarorum potestatem venissent. His de Viro divino expositis, ejus benedictionem implorans, ad aliam narrationem progrediar.

ANNOTATA.

a *Hic omisi fragmentum Sirmondianæ editioni insertum, quod legi potest in Commentario prævio a num.* 12. *Ubi etiam num.* 17 *probare conatus sum, hoc fragmentum, quod erroribus scatet, et in variis Religiosæ Historiæ editionibus non reperitur, Theodoreto abjudicandum esse.*

b *Is est Sapor seu Sapores II hujus nominis diuturno regno memorabilis, qui Christianos crudelissime persecutus est.*

c *Hic fluvius vocabatur Mygdonius: Julianus enim Oratione* I *agens de obsidione Nisibena sic loquitur :* Amnis Mygdonius inundans infunditur in adjacentem mœnibus campum.

d *Surius in sua editione pro* muro *posuit* numerum; *sed vox Græca* τεῖχος, *quæ apud Theodoretum legitur, proprie* murum *significat. Forte Surius metaphorice significare voluit, ingentem civium numerum pro civitatis muro quodammodo fuisse.* F

e *Abul Pharajius, seu potius Pocockius Latinus ejus interpres hæc animalcula vocat* cimices. *Græce apud Theodoretum legitur* σκνιφῶν νέφος, *quod Sirmondus vertit* ciniphum nubem. *Vulgatus sacræ Scripturæ interpres Exodi* VIII ỷ 16 *et* 17, *hæc animalcula Latine ter vocat* sciniphes. *Ps.* CIV ỷ 31, *eadem vox in Vulgata vertitur* cinifes. *Theodoretus autem in eadem Historia Religiosa cap.* XXI, *de hoc miraculo iterum agens, animalcula Persis immissa vocat* ἐμπίδας *at quocumque nomine vocentur, sciniphs differt a cimice, qui Græce dicitur* κόρις.

DE

DE S. APRONIA VIRGINE

TULLI IN LOTHARINGIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. C.

Cultus, epocha, patria, et Acta.

In fine sæc. V vel initio sæc. VI. Sanctæ cultus.

Tullum, *vulgo* Toul, *antiqua Lotharingiæ civitas, de qua actum est ad diem* XXIII *Aprilis in Vita S. Gerardi episcopi Tullensis, religioso cultu prosequitur* S. Aproniam *sancti Apri, septimi sui præsulis sororem. Præter alia publicæ venerationis indicia in Actis num.* 8 *et* 9 *expressa, Breviarium Tullense anno* 1535 *typis excusum festivitatem illius Officio celebrat. Sed dum in dicti Breviarii Kalendario* XVII *Kalendas Augusti ponitur*, Aproniæ virginis et B martyris IX lectionum, *opinor esse errorem typothetæ, qui sanctæ virgini perperam martyris titulum addidit : nam in Rubricis tantum appellatur* virgo, *et prescribitur Officium* totum de commune virginum. *Ceterum ejus memoria apud paucos recentioresque Martyrologos occurrit. Saussayus in Martyrologio suo Gallicano die* XV *Septembris de* S. Apro *sanctæ hujus virginis fratre agens, sic eam simul memorat :* Sororem habuit sanctam Aproniam, quam Christo virginem desponsavit, cujus caput cum corpore in principe Tullensi ecclesia quiescit cultu congruo adornatum. *Arturus in Gynæceo eodem die sic habet :* Tulli Leucorum, sanctæ Aproniæ virginis, sororis sancti Apri, ejusdem urbis episcopi qui [eam] ob singularem, quam in ea suspexit, mentis puritatem ac in Christum amorem, præcipuo amore complexus est. *De eadem etiam meminit* XII *Julii sub vernaculo nomine* S. Euroniæ, *testaturque de ea agi hoc die in Breviario Trecensi. Hæc sunt, quæ de* S. Aproniæ *cultu invenire potui.*

Error circa tempus S. Apri Tullensis episcopi,

2 *Incertum est, quo anno hæc sancta Virgo vivere cœperit aut desierit. Arturus quidem in Gynæceo ad diem* XV *Septembris in Notis suis ait :* C Florebat circa annum CCCX. *Nicolaus Des Guerrois in Sanctitate Christiana anno* 1637 *Trecis Gallice impressa eam una cum fratre suo refert ad annum Christi* 420. *Verum has conjecturas nullo fundamento niti video, arbitrorque potius hujus Sanctæ epocham præterpropter colligendam esse ex ætate, qua* S. Aper *ecclesiæ Tullensi præfuit. At ipsum hujus episcopatus tempus obscurum est. Nam Saussayus loco supra citato, et quædam Mss. Tullensia* S. Aprum *sub Adriano Imperatore collocant. Mabillonius in Annal. Benedict. lib.* VI, *cap.* LXXVIII *ad annum Christi* 579 *hunc errorem ita refutat :* In Actis episcoporum Tullensium nondum editis, sanctus Aper septimus illius urbis episcopus fuisse dicitur, et septem annis hanc sedem tenuisse. . . . . Quod vero subdit auctor ille anonymus, qui librum de gestis episcoporum Tullensium scripsit, sanctum Aprum vixisse tempore Hadriani Imperatoris ; longe falsus est ex loco male intellecto Vitæ ejusdem sancti Pontificis, ubi legitur eum ad Cabilonensium urbem profectum reperisse in carcere tres reos catenis vinctos, et pro eis intercessisse apud Hadrianum, qui per id temporis officium judicis illic exercebat ; sed repulsam passum, a Deo impetrasse, ut claustra carceris dissilirent, et vincula, quibus rei constricti erant, rumperentur. Ubi quod Hadriano judici tribuit antiquus ille Vitæ scriptor, prædictus anonymus ad Hadrianum Imperatorem perperam retulit.

ex cujus epocha ætas S. Aproniæ circiter colligenda est.

3 *Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum* XV *Septembris supponit, S. Paulinum episcopum Nolanum, qui anno* 431 *obiit, ad hunc Aprum Tullensem antistitem quasdam litteras dedisse.* E *At R. D. Riguetius Præpositus S. Deodati in Ms. Systemate chronotactico episcoporum Tullensium, quod anno* 1700 *ad nos missum cum grata candidi auctoris memoria conservamus, hoc Baronii aliorumque suppositum negat, et multis eruditisque rationibus contendit, S. Paulinum non potuisse scribere, nisi ad alium quemdam Aprum. Argumenta ejus proferri poterunt, quando ad diem* XV *Septembris* S. Apri *Tullensis præsulis Acta illustrabuntur. Interim videri possunt dubia a Tillemontio in Memoriis Ecclesiasticis proposita tom. XIV, pag.* 727 *et* 728. *De eadem controversia agit auctor anonymus, qui S. Paulini opera anno* 1685 *Parisiis edita elucidavit Dissert.* V *de* S. Apro *cap.* I *et sequentibus. Sammarthani in Catalogo episcoporum Tullensium nomen* S. Apri *sine nota chronologica ponentes ita judicant :* Nequaquam vero potuit illi Paulinus scribere, ut vulgati habent Catalogi : nam decesserat, antequam Sidonius ad episcopatum eveheretur. *Ex iis, quæ hactenus de ea re legi, conjicio* S. Aprum *circa finem sæculi* V, *vel initium sæculi* VI *Tullensem Cathedram occupasse, ac propterea* S. Aproniam *ejus sororem circa idem* F *fere tempus collocandam esse censui.*

S. Virginis patria et Acta.

4 *De Sanctæ nostræ patria scriptores conveniunt, ac communiter tradunt, eam natam fuisse in vico quodam, qui* Tranquillus *vulgo* Trancost *vel* Trancaut *vocatur. Sed mihi dubium suboritur, nempe quomodo in Actis nostris num.* 2, *dicatur* S. Apronia *vitæ exordium sumpsisse in* suburbio Augustæ Trecorum vico, qui Tranquillus dicitur; *Cum Nicolaus Des Guerrois supra laudatus, aliique testentur, vicum illum ab urbe Trecensi novem leucis distare. Quomodo locus novem leucis a civitate distans vocari possit civitatis suburbium libenter a Tullensibus aut Tricassinis discemus. Interim audiatur Nicolaus Camuzatus Tricassinus, sincerus patriæ suæ illustrator, qui in Miscellaneis Historicis circa finem ita scribit :* His miscellis collectionibus, tamquam mantissam et auctarium addam, complures viros illustres, qui in Tricassina diœcesi floruere, celeberrimum nomen ad posteros transmisisse, memoriamque sanctitatis suæ reliquisse sempiternam, in quibus eminent D. Aper Tullensis antistes, et diva virgo Apro-

nia

AUCTORE G. C.

nia ejus germana, qui ambo in viculo quodam dictæ Tricassinæ diœcesis, novemque leucis ab urbe Tricassina subducto, cui nomen Tranquillus (*in margine notat* vernacule Trancaust) editi fuere, qui etiam viculus famoso illi Normannorum duci Hastinguo ortum cunasque præbuit. *Deinde S. Flavitum ejusdem diœceseos indigenam memorans fert hoc candidum de eorum Actis judicium :* Verum adeo negligenter ipsorum Sanctorum historiæ conscriptæ sunt, ut eas huc adscribere et opusculo huic assuere non multum profuturum videatur. *Ex hoc Camuzati judicio facile quivis intelliget, quanti facienda sit Vita seu potius panegyris* S. Aproniæ, *quam a ducentis circiter annis conscriptam hic subnectimus.*

ACTA

Auctore anonymo,

Ex Ms. Tullensi.

B

Prologus auctoris.

Beatissimæ virginis Aproniæ (cujus sacratissimo corpore hæc nostra Tullensis decoratur ecclesia) festivitatem annua celebritate revolventes, licet de ejusdem sanctissimæ vitæ felici exordio ac progressu feliciori, felicissimoque exitu pauca apud nos comperiantur, multa tamen præclare gesta et forsan olim litteris mandata arbitramur; quæ vel nimia temporum vetustate, aut certe calamitate seu infortunio temporum, quibus hæc ipsa ecclesia multum et diu vexata extitit, deperdita vel oblitterata putamus. Nihilominus tamen pauca, etsi arido sermone, ad ipsius Virginis honorem, tam ex aliquibus ejusdem ecclesiæ scriptis, quam ex veridica relatione auditis et aliis probabilibus hic inserere dignum duximus, ut habeat hæc sancta Tullensis ecclesia, quibus in hac die divinis vacet lectionibus, quibusve ipsam gloriosam Virginem extollat laudibus. Indecens est enim et rationi dissonum, ut, cum juxta Scripturæ vocem omnium Sanctorum laudabi-

C lem vitam recolere ac venerari debeamus, illorum, quorum dignissima corpora et venerabiles Reliquias obtinemus, memoriam oblivioni tradamus. Quin potius honore ampliori ad Dei laudem, ac omnium nostrorum salutem et pacem amplectamur, extollamus, et quantum possumus, celebremus.

S. Aproniæ patria et parentes,

2 Hujus igitur Virginis originem ex Legenda beatissimi antistitis Apri, septimi hujus ecclesiæ Tullensis episcopi, ejusdem virginis fratris dignissimi liquido possumus cognoscere : Quippe qui ex eadem prosapia sanctissima quidem ac nobilissima procedentes splendidam duxisse vitam perhibentur. Hæc itaque virgo in suburbio *a* Augustæ Trecorum vico, qui Tranquillus dicitur, præsentis vitæ sumpsit exordium. Nobilibus, et quod excellentius est, sanctissimis, ut dictum est, parentibus et Christianis educata, ac omni morum honestate erudita. Et sicut bonæ arbores ex sese bonum fructum producere solent, ita ipsi parentes in radice veræ fidei firmiter radicati, ac non minus in caritatis ardore inflammati, quales ipsi fuerunt, talem nimirum progeniem in utroque sexu, Aprum videlicet et Aproniam in hoc mundo protulerunt, attestante Domino, qui in Euangelio ait : Non est arbor bona, quæ faciat fructus malos, neque arbor mala faciens fructum bonum. Hi siquidem parentes dictam suam sobolem, ut par erat, à primis, ut ajunt, unguiculis, ad Christi fidem salutaribus documentis imbuerunt, ac morum elegantia clarisque virtutibus omnino decorare studuerunt, adeoque, ut quales in matura ætate futuri essent, in ipsa etiam puerili et juvenili ætate liquido claresceret. D

a quibus pie educata, ca stitate,

3 Virgo itaque prædicta ab ipsa sua pueritia bonis, ut prædicitur, moribus prædita, ac virtutum radiis illustrata, mundana quæque oblectamenta despiciens, cœpit charismatum splendore clarescere, ac inter teneros annos laudabilium morum generositate pollere; inspiranteque Patre spirituum *b*, ac dulcia Christi connubia virgineo pectori instillante, non traxit in longum virgo præclara consensum. Quinimo cælestis ignis ardore succensa terrenæ gloriæ vanitates ex alto contempsit, et carnis illecebras prorsus abhorrendo, corporis virginei integritatem Domino devotissime obtulit. Nec cœptis contenta, sed veluti ædificium super firmam petram inchoatum ad perfectum deducere peroptavit, domum suam, corpus scilicet virgineum undique suavibus redundans unguentorum odoribus pro cælestis amore sponsi toto vitæ spatio illibatum et integrum perseveranter custodivit. Nec dubium, quin et humilitate, obedientia, pietate, ceterisque virtutum fulgoribus adeo resplenduerit, ut cunctis in admirationem sui ac exemplum perfectionis extiterit. E

aliisque virtutibus excellit.

4 Accedit ad hoc pristinorum ac præsentium temporum varietas : Quis enim non perpendit, qua fidei firmitate hæc ipsa virgo claruerit, quæ tempore ipsius beatissimi Apri episcopi vitam præclaram duxit, quo tempore fides adhuc nova et satis recens plurimum incalescebat, et Christiana religio in timore Domini et mandatorum ejus observatione necnon vitæ sanctitate, sicuti de aliis quibuslibet Sanctis tunc degentibus liquet, multo plus florebat, quam his temporibus, in quibus multorum refrigescit charitas, vitia pullulant, et fides ipsa plurimam desolationem patitur. Unde ista virgo beata inter alias virgines Deo dicatas non infima, sed excellentissima ac devotissima fuisse non immerito creditur. Hæc profectio fuit una de quinque virginibus prudentibus, quæ sumpto oleo secum in vasis suis obviaverunt sponso media nocte venienti et cum eo intraverunt ad nuptias. Hæc enim suam virginitatem custodiendo ac quibusque virtutibus sese exercendo hoc non ad vanam gloriam aut ostentationem, sed potius ad Dei gloriam ac honorem cum omni humilitate et sui ipsius dejectione fecisse perhibetur. Unde cum non ab hominibus, sed a Deo intra suam conscientiam gloriam quæsivit, vas suum cum oleo et lumine decenti venienti sponso plenissimum portavit. Rursus cum seipsam castam, immaculatam, et a peccatis mundam exhibuit, uncta oleo lætitiæ præ consortibus fuit : oleo enim lætitiæ perungitur, qui peccatorum macula non coinquinatur. F

5 Dehinc

b quasquinque prudentibus Euangelii virginibus comparatur.

5 Dehinc quinque virginibus prudentibus non abs re similatur : ut enim præclare ait beatus Augustinus : Omnis anima in corpore ideo quinario numero censetur, quia quinque sensibus utitur. Nihil est enim quo sentimus in corpore, nisi janua quinquepartita, aut videndo aut audiendo aut odorando aut gustando aut tangendo. Qui enim se abstinet ab illicito visu, ab illicito auditu, ab illicito odoratu, ab illicito tactu, ab illicito gustu propter ipsam integritatem, nomen virginis accipit. Quia igitur hæc virgo, de qua agimus, non solum corporis et animi castitatem observavit, sed etiam quinque sensus corporis sui a præfatis illicitis penitus retraxit, duplici ratione nomen virginis habere meruit. Insuper et lampadem in manibus accensam portavit, quia ex suis bonis operibus aliis exempla benefaciendi præbuit, juxta illud Euangelicum : Luceant opera vestra coram hominibus, ut videant benefacta vestra et glorificent Patrem vestrum, qui est in cælis.

B

t perfectissimum vitæ statum elegisse ostenditur.

6 Inter omnes status mulier hæc virgo perfectissimum elegit. Quamvis enim sit laudabilis status conjugatarum, et laudabilior viduarum, super omnes tamen eminet et excelsior est, status virginum. Ut enim disertissime ait divus ille Hieronymus : Profecto in carne præter carnem vivere non terrena vita est, sed cælestis : unde in carne angelicam gloriam acquirere majoris meriti est, quam habere : Esse enim angelum felicitatis est; esse vero virginem virtutis; dum hæc viribus obtinere vititur cum gratia, quod habet angelus de natura. Præterea non tradidit ipsa oblivioni optimam doctrinam et consilium Apostoli dicentis : Volo vos sine solicitudine esse; qui matrimonium contraxit, cogitat, quæ sunt mundi hujus, et divisus est; sed mulier innupta et virgo cogitat, quæ sunt Domini, et quomodo placeat Deo, ut sit sancta et corpore et spiritu : prout hæc virgo verbo et opere perfectissime complevit.

Eius mors et sepultura.

7 Denique vero clarissima virgo Apronia, postquam totum vitæ suæ spatium in divinis laudibus ac virtutum officiis adimplevit, tandem a beatissimo suo sponso Domino Jesu Christo, quem tam ardenter amavit, appellari meruit ad coronam, ac suam pretiosissimam animam jam diu dicto suo sponso per spem et caritatem inhærentem et conglutinatam corporeo carcere tunc exutam ad gloriam exhalavit sempiternam. Nec defuisse putamus huic suo glorioso exitui angelorum ministerium, cum secundum supradictum Hieronymum semper angelis sit cognata virginitas, a quibus ipsa ad cælos cum omni gaudio deducta, cum eis regnat sine fine mansura. Corpus autem ejus sanctissimum, in dicta civitate Trecorum sepultum, a populo dictæ civitatis et locorum vicinorum longo tempore, videlicet usque ad tempus beatissimi Gerardi *c*, hujus ecclesiæ trigesimi secundi episcopi, ibidem non sine miraculis, ut credimus, extitit honorifice veneratum.

C

c

Ex Ms. Reliquiarumque translatio in civitatem Tullensem.

8 Adveniente autem tempore, quo prædictus sanctissimus Gerardus dono divinæ dignationis huic ecclesiæ præfectus est episcopus et pastor gloriosus, videlicet circa annum Domini nongentesimum sexagesimum tertium, inter plurima et quasi innumera, quæ per eum præclare gesta fuere, summum ei fuit studium tam in ecclesiis quam in Reliquiis Sanctorum requirendis et habendis. Inter autem alias plurimas Reliquias, quas sagaci indagabat solicitudine, corpus etiam hujus beatæ virginis Aproniæ a Trecorum civibus promeruit suscipere, quod ad plebis tutamen infra suæ urbis mœnia studuit collocare *d*. Quod quidem corpus in prædicta Tullensi ecclesia hucusque requiescens est multa veneratione dignum. *d*

quæ post patratum miraculum solemnius coluntur.

9 Solet autem ipsa Virgo invocari a mulieribus in partu laborantibus seu periclitantibus, et ipsa invocata eisdem auxiliari, ut nostris temporibus accidisse veridicorum relatione compertum est : Cum enim quodam anno non diu lapso caput ipsius virginis sub theca argentea ornatum apud sanctum Nicolaum de Portu hujus diœcesis, causa eleemosynarum pro fabrica hujus ecclesiæ petendarum deportatum fuisset, accidit ut quædam mulier Guyota nomine, uxor cujusdam incolæ dicti sancti Nicolai, nomine Guilielmi Chevalier, in partu laboraret et periclitaretur, quæ divina quadam inspiratione ducta imploravit virginem Aproniam, et cum humilitate postulavit, sanctum ejus caput ad domum suam deferri. Mira res, sed verissima! statim ut ipsum sacrum caput ad domum ipsius parturientis allatum est, mulier ipsa prolem suam facillime edidit ac peperit, quam Aproniam in hujus rei memoriam nuncupans Deo ac ipsi beatissimæ virgini gratias egit ac persolvit. Præmissis igitur nuper videlicet hoc anno MDXXV *e* per capitulum hujus ecclesiæ mature consideratis, ordinatum est per ipsum in capitulo Generali sancti Lucæ, ut festum ipsum virginis Aproniæ, quod antea sub simplici Officio et in crastino Divisionis Apostolorum transferebatur, deinceps die præcedente *f* festi Divisionis, et sub Officio novo solemni, omnino sicuti sit de sancto Amone *g*, celebretur.

E

e

f

g

ANNOTATA.

F

a *Dixi in Comment. præv. num.* 4, *me non satis intelligere, quomodo auctor hunc locum vocet suburbium Augustæ Trecorum, cum ab ea urbe novem leucis distet.*

b *Ita exprimitur, quamvis forte legendum sit* Patre luminum.

c *S. Gerardus creatur Tullensis episcopus anno* 963, *et moritur anno* 994. *Ejus Acta illustravit noster Henschenius ad diem* XXIII *Aprilis.*

d *Hæc verba etiam leguntur in Vita S. Gerardi a coævo conscripta.*

e *Ex hac nota chronologica patet, hanc panegyrim duorum sæculorum antiquitatem non excedere.*

f *Cum hoc statutum dicatur anno* 1525, *miror, quod in Breviario Tullensi anno* 1535 *Divisioni Apostolorum Officium* S. Aproniæ *postponatur.*

g *Hic dicitur fuisse secundus Tullensis ecclesiæ præsul, cujus Officium ibidem celebratur* XXIII *Octobris, quo die de ipso erit agendum.*

DE

A D

DE SANCTO ÆTERNO

EPISCOPO EBROICENSI ET MARTYRE

LUSARCÆ IN DIŒCESI PARISIENSI.

J. B. S.

Ex Saussayo et Castellano.

CIRCA DCLX.

A Saussayo refertur XVII *hujus;*

Antiquis omnibus Martyrologiis ignotus hic *Sanctus, adeoque præteritus, primum, quod sciam, signatus fuit ab Andrea Saussayo, in suo Gallicano, non hoc sed* XVII *hujus mensis die, his verbis :* Ebroicis in Normannia, sancti Æterni episcopi et martyris, qui tempore Clodovæi regis, ecclesiam spiritu Apostolico dirigens, omnis religionis decore, palmaque denique inclyti martyrii decoravit; fastisque ut hodie suis lætificat, sic perpetuis juvat patrociniis. B *Saussayi fluenta oratoria potius quam Sancti Legendam hæc omnia sapiunt. Clodovæum autem dum ita indeterminate appellat, cave alium intellexeris, quam secundum, cum ad sæculum septimum pertineat Sanctus, cujus verosimillimam ætatem ex Castellano apposuimus, qui rem paulo accuratius examinasse videtur, distinctius etiam explicans, quæ ad positionem, seu locum martyrii et ad cultum attinent; nescio tamen, utrum diem natalem, in quo de Sanctis quibusque operosius disquirendo operam se posuisse non semel testatus est, certius deprehenderit, cum Ebroicis colatur Sanctus* XVI *Julii.*

2 *Sufficient ea quæ hic habet ad ignobilis loci cognitionem, de quo æque ac de ipso* S. Æterno *loqui hic supersedissemus, nisi testimonio ejus et Officio Ebroicensi inniteremur pro vero cultu* S. Æterno *exhibito, ut secure hoc loco reponi posset. Ipsum audiamus sic ex Gallico Latine loquentem :* Lusarcæ in diœcesi Parisiensi, S. Æterni episcopi Ebroicensis, eo loco ab hæreticis mactati. Sacrum ejus caput exstat in (Villiers-le-Bel) prope Parisios in ecclesia S. Desiderio dicata, ubi festum ejus celebratur die prima Septembris. *Clarius in scheda manu sua Latine scripta ait,* reliquum corpus asservari Lusarcæ: Villarc bellum *autem leucis circiter quatuor Parisiis distare, medio itinere Lusarcam versus. De Vita Sancti aut rebus gestis quod referrent, nihil habuere Sammarthani, apud quos paucula hæc verba sunt accepta ex Surio ad* XIX *Octobris, in Vita S. Aquilini, ejus in episcopatu successoris num.* **7** : Beato itaque Æterno, Ebroicensis urbis Episcopo, ex hac luce ad æternam translato, ut reipsa esset, quod verbo hactenus dicebatur, totius cleri et populi animi divinitus inflammantur, ut Aquilinus ille, occultus Dei servus . . . . . ei substituatur : *Neque nos plura ad Sancti gesta vel martyrium spectantia invenimus, aut in Officio aut alibi.* E

a Castellano distinctius hoc die

DE SANCTO DEUSDEDIT

SEXTO CANTUARIENSI IN ANGLIA ARCHIEPISCOPO.

J. B. S. C F

Ex Martyrologiis et Capgravio.

ANNO DCLXIV.

A scriptoribus obiter laudatus,

In syllabo *Prætermissorum ad diem* XXX *Junii, quo die perperam signatus erat a Wilsono in suo de Sanctis Angliæ Martyrologio, huc remissus est is, quo de hic agendum est,* S. Deusdedit *Archiepiscopus Cantuariensis seu Dorovernensis ecclesiæ, non semel in Actis nostris laudatæ, ordine sextus, quem nescio cur recentior iste Martyrologus eo die retulerit, cum Venerabilis Beda ceterique scriptores Angli ejus natalem passim et constanter collocent vel hac* XV *Julii, vel saltem die præcedenti, uti ibidem etiam paucis annotatum est. Cursim de eo meminit laudatus Beda lib.* III, *cap.* XXVIII, *et lib.* IV, *cap.* I, *non gesta aut virtutes ejus, sed solum obitus diem et annum designans, quo pacto etiam ferme laudatur a Gervasio in Actis Pontificum Cantuariensium, Thornio in Chronico, Harpsfeldio aliisque, adeo ut noster Alfordus ad annum* 664, *quo vivendi finem fecit, nihilo plus de Actis* S. Deusdedit *attulerit, præter fragmentum ex Capgravii Legenda, de qua mox dicendum erit, ubi ex Martyrologiis Sancti cultum ostenderimus. Pitseus De illustribus Britanniæ scriptoribus de Sancti juventute id solum elogii habet, quod Capgravianæ orationi non inepte præmitti possit; ut fatendum omnino sit, de gestis* S. Deusdedit *vix quidquam superesse.*

2 *Id singulare notant scriptores isti passim, primum fuisse, qui ex gente Saxonica, post Augustinum, Laurentium, Mellitum, Justum et Honorium exteros, sedem illam metropolicam conscenderit, Frithonam antea appellatum, pro quo* nomen anglicum, *inquit Capgravius, ei inditum fuerit, quod aliis* Theodatum *aliis* Deodatum *non male vertere placuit. Nos receptiori appellationi insistimus, sub qua in Fastis sacris primum relatus videtur, ab eo qui Usuardum in Anglia auxit, cujus codicem sæculo* XII *conscriptum, in ecclesia Ultrajectina olim usitatum, Rosweydi nomine, in nostra editione insignivimus. In eo autem codice, ad hunc diem, refertur his verbis :*

in Martyr... die signatus est

A *verbis :* Eodem die in Britannia, depositio beati Deusdedit Archiepiscopi et confessoris. *Grevenus breviter :* Deusdedit Archiepiscopi Cantuariensis et confessoris. *Molanus paulo distinctius :* Cantuariæ, depositio S. Deusdedit, sexti Archiepiscopi et confessoris. *Quid Florarium dixerit, notavimus die præcedenti in Prætermissis. Nihil adducere possunt recentiores, quod ex jam citatis ferme acceptum non sit : nec curandi Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus, Maiheu aut alii, dum Sanctum Ordini suo adscribunt, sive ex Trithemio, sive aliunde ; prudentior Mabillonius eum lapidem movendum non censuit.*

Cetera ex elogio Capgravii.

3 *Pluribus verbis utitur citatum Wilsoni Martyrologium Anglicum, sed ea ex Capgravio desumpta, hic repetenda non sunt : fallor ni is in die obitus errandi occasionem ceperit ex Godwini de Præsulibus Angliæ Commentario, quem alterius suæ editionis margini adscriptum lego; verum non asserit iste sanctum* Deusdedit XXX *Junii decessisse, sub disjunctione sua exponens.* Consecratus est, *inquit*, per Ithamarum episcopum Roffensem (Eboracensi sede tum vacante) B et ultimo die Junii, sive (ut habet Westmonasteriensis) Julii XIV migravit. *De cetero perinde res erit, sive cum Beda die præcedenti, sive cum aliis hoc die ad cælos evolasse dixeris; nos Martyrologia secuti sumus. Non ita admittendum, quod præfatus Godwinus solus, quod sciam, adstruit,* migrasse *nempe* ab hac luce, postquam ecclesiam sibi commissam annos sex rexisset, *ubi ceteri annos ut minimum novem regiminis ei certatim tribuunt, ut ex Capgravii elogio mox intelliges. Elogium voco, non Acta aut Vitam, quandoquidem præter nomen, ætatem, successionem, ordinationem et sepulturam, vix quidquam adferat, quod non Sanctis quibusque Episcopis merito adaptetur. Rem proponam pro ut ab eo edita est, cui ad calcem subnectetur Sancti epitaphium, nescio a quo, nec quo tempore compositum; ubi paucula in memoriam revocavero quæ de ipso jam dicta sunt die* XXVI *Maii, ubi de S. Augustino actum est.*

Ejus translatio

4 *Exstat ibi istius mensis tomo VI a pag.* 411 *fuse narrata a Gocelino monacho historia translationis sanctissimi Anglorum apostoli, cum cujus* C *sacro corpore plura successorum aliorumque Sanctorum conjuncta fuere, atque ea inter ipsum etiam hujus nostri sancti* Deusdedit. *Porro et ejus et sanctorum Justi et Honorii encomia ex professo referuntur cap.* IV, *ubi post alios, tamquam sanctitate consimili illustris adjungitur, ut* qui beati Augustini apostolatui sextus subjungi, et eidem tam proxime meruit consepeliri. *Tum vero paucula ex Beda adducuntur, quæ omnibus communia hic seorsim describere necesse non existimo, uti nec ea quæ habentur paulo superius cap.* II, *num.* 21 *de impensa tota sexta feria in excavando ejus sacro corpore, quemadmodum istic pluribus commemoratum invenies; verum ex quibus de sancti* Deusdedit *præclare gestis aut vitæ serie nihilo magis edoceberis. Demus igitur, quod promissum est, Capgravii breve elogium.*

ELOGIUM
Ex Capgravio.

Egregio Dei pontifice Honorio ex hac luce ad Dominum translato, electus est Archiepiscopus Dorobernensis vir Deo dignus, vita et eruditione clarus Deusdedit, de gente Occidentalium Saxonum cum maximo omnium tripudio, quem ordinaturus venit illuc Ythamarus antistes ecclesiæ Roffensis ; et novem annis, mensibus quatuor ecclesiam suam gloriose rexit. Servus itaque Dei Deusdedit fidelissimus per omnia et Deo devotus, euangelici præcepti non immemor : sicut enim fuerat idoneus auditor, ita non minus ipsius erat et studiosus executor. Verus enim erat Dei cultor, vitiorum mortificator, virtutum amator, verbi divini non segnis sator : meditabatur legem Domini assidue, præceptis ejus seipsum humiliter subdendo, et talentum sibi commissum a Christo, affectu voluntatis nimio nitebatur creditori solvere suo, usu centuplicato. Quidquid de Dominicis eloquiis aure cordis exceperat, non solum opere, sed etiam moribus et vita adimplere satagebat.

EX MSS. Sextus ordine Honorio succedens,

2 Agebat pastor sanctitatis eximiæ ut sibi fieret plebs commissa conformis, et ob merita virtutis, cælestibus titulis adscriberetur. Gregem sibi commissum pane verbi divini E satiabat, et potu euangelicæ institutionis recreabat. Pervigil erat in orationibus, jejuniis intentus, et eleemosynis deditus : ovile sibi creditum non mediocri industria procurabat, et ab eo insidias dæmonum vexillo crucis Dominicæ propellebat. Integerrima vitæ puritate excellens, omnium bonorum opinione pollens, se et sibi subditos Domino jugiter commendabat, et ut in fide Christi stabiles essent, pernox orabat. Præsul igitur insignis ac Domino per cuncta amabilis, cum divini crediti memor esset, et quam humili et cauta dispensatione illud peregisset ; providens in futurum sanctæ ecclesiæ, ne post discessum suum, utpote rudis adhuc, vacillaret, probos et religiosos viros, quos in divina doctrina perfectos esse probaverat, verbum Dei prædicando paterna cum monitione delegavit.

omnibus virtutibus,

3 Deinde sibi a Deo collata scientia, sacri Ordinis primordia disposuit mira industria. Ministros sacri Officii et divini ministerii adjutores usui ecclesiæ, secundum instituta Apostolica deputavit, et in puritate F vitæ servire Deo docuit. Erat enim vir angelicus, doctrina præclarus, spiritu sapientiæ et humilitatis gratia plenus. Hic enim patria lingua Frithona vocabatur, sed ob merita ejus magnifica, nomen Saxonicum ab electis Dei ministris commutatur in nomen angelicum. Iste confessor et amicus Dei Deusdedit nomine vocabatur : gratia namque Dei eum in opus ministerii sancti assumpsit, et sibi in sacerdotem magnum adoptavit. Sumpto sacerdotali officio, in timore Domini perfectus perseverabat, oculos mentis suæ semper ad Deum defixos habens, in servitio Domini dies noctesque assiduabat, pauperes recreando, nudos vestiendo, infirmos visitando, in charitate Dei et proximorum amore perseverando, Deo sibi placere studebat.

Episcopo condignis elucet ;

4 Sanctissimum hunc pastorem et doctorem, ad consummationem Sanctorum nobis superna gratia dedit; id est ad supplementum fidei Sanctorum. Principium igitur consummationis Sanctorum, ad quam beatus Deusdedit

mortuus Idibus Julii an. 664.

EX MSS

Deusdedit missus est, prior dedit almus Augustinus, fundamenta jecit, ad spem reddidit. Deinde melliflui doctores Laurentius, Mellitus, Justus, Honorius, sibi invicem succedentes. Horum vera consummatio erat hic Sanctus, qui post hos, ut sapiens architectus, domum Dei viriliter conscendens, prædicatione, ammonitione, correctione, et eximia charitate omnipotenti Deo templa in æternum mansura stabilivit. Anno autem Domini sexcentesimo sexagesimo quarto, postquam cuncta in tranquilla pace disposuerat, Idus Julii cælestia conscendit, et in monasterio Apostolorum Petri et Pauli sepeliri meruit. Vitam hujus almiflui patris virtutes quoque et merita, mira odoramentorum suavium gratia, de tumba ejus erumpens ostentat. D

Epitaphium ex Harpsfeldio.

Alme Deus-dedit, cui sexta vacatio cedit.
Signas hunc lapidem, lapidi signatus eidem,
Prodit ab hac urna virtute salus diuturna,
Qua melioratur quicumque dolore gravatur.

DE S. PLECHELMO EPISCOPO

OLDENSALIÆ ET RURÆMUNDÆ IN BELGIO.

COMMENTARIUS PRÆVIUS JOANNIS BOLLANDI.

B E

Præfatiuncula.

Mirum videbitur, neque sane immerito, Bollandi, antesignani nostri, nomen seu potius vigilias ad medium usque Julii protendi, ab eoque elaboratum de *S. Plechelmo*, quem hic damus, Commentarium, quandoquidem mensi Martio immortuum Vita ejus, mensi isti præfixa, disertissime doceat, capite XXII explicans, quam exiguam in eo partem viro jam morbis et senio fatiscenti habere licuerit, præter laudatissimam operam, quam in retegendis confingendisque Pseudomarcellini inolitis jam diu figmentis, in S. Suiberti Vita illustranda posuerat, adeo ut in ea lucubratione, operose juxta ac fuse deducta (utpote cujus pars magna rescindenda fuerit) postremas omnes corporis et animi vires consumpsisse videatur. Atenim ea occasione plura alia ab ipso discussa observo, quæ ex eodem fœtido lutulentoque supposititii Marcellini, a quo sincerum die præcedenti discrevimus, fonte profluxerant; qualia certe æstimanda sunt quæ de sanctis Wirone, Plechelmo, et Odgero vulgo ferebantur, quæque ipse eadem industria et sagacitate convellenda suscepit. De S. Wirone dissertationem ejus habes ad diem VIII Maii; hic illam quam de *S. Plechelmo* non minus accurate exornavit, verbis ejus totam et integram exhibemus, cui demum suo tempore, nempe ad X Septembris subjungetur Commentarius de S. Odgero, ejus etiam manu descriptus atque in scriniis nostris asservatus. En igitur modo *S. Plechelmi* gesta a Marcellinianis sordibus studiose expurgata vindicataque.

J. B.

C

§ I. S. Plechelmi patria, inque ea Episcopatus. S. Swiberti per Marcellinum Vita supposititia.

F

SÆCULO VIII.

S. Plechelmus in Scotia natus in eaque Episcopus;

Retulimus ad VIII *Id. Maii* S. Wironis *Episcopi Scoti, ac Gelriæ superioris Mosanique tractus Apostoli, acta, et de ejus patria, Episcopatu, ætate, monasterio in monte S. Odiliæ, plura disseruimus, quamvis in re non admodum obscura, nisi quidam tenebras parum accurata scriptione offudissent. Ejus gentilis, simulque cum eo ad episcopale munus a Pontifice Romano initiatus, ac demum apostolicæ in Galliam Belgicam peregrinationis socius fuit* S. Plechelmus. *Oriundus igitur hic quoque e Scotia fuit, sive ea Hibernia fuit, Scotorum patria, ut de Wirone diximus sentire nonneminem; seu potius Pictorum, præcipue Australium, regio, quæ, ut nunc, etiam ævo quo scripta ejus Vita, Scotiæ nomen obtinuit.*

2 *Neque solum illa Pictorum regio Scotiæ appellationem induit, sed et aliæ provinciæ cis Fortham urbemque Edenburgum, atque inter eas Gallovidia et Lautonia, quas olim Britones Romanis subjecti tenuerunt, dein retractis ab insula armis Romanorum, partim Cumbri, ipsi quoque Britones, partim postea Angli Northanimbri: donec sæculo Christi decimo Boreales illas provincias Regi Scotiæ Angli cesserunt. Et harum fortassis provinciarum aliquam* S. Plechelmo *patriam extitisse, Vitæ illius scriptor voluit indicare, cum eum asseruit* infra confinia Scotiæ, de clara nobilium prosapia patrum, procreatum *fuisse: quod et Joannes Gerbrandus a Leidis Chronici Belgici lib.* II, *cap.* XVI *iisdem verbis tradit. Ut videatur uterque tacite suffragari iis qui Candidæ Casæ in Gallovidia Episcopum faciunt, eumdem videlicet, qui apud Bedam* Pehthelmus *appellatur.*

an cis Fortham in Gallovidia quidam incoluere videntur?

3 *Ejus sententiæ princeps fuit, qui sub S. Marchelmi sive Marcellini nomine, S. Swiberti Boructuariorum Apostoli, ac comitis S. Willibrodi Vitam edidit, quam nos ad diem primum Martii, quo S. Swibertus colitur, refutavimus, neque dignam*

Asserit Pseudo-marcellinus commentitia Vita S. Swiberti, et synodo Trajectensi ... S. Willebrordi.

A *dignam censuimus, quæ operi nostro insereretur, etsi apud Surium extaret. Sanctorum* Wironis *et* Plechelmi *in ea mentio fit cap.* XIV, *his verbis :* Deinde animadvertentes præfati sancti Pontifices, et egregii prædicatores, qui cum eis ex Anglia Trajectum venerunt, quod multus populus, Deo prosperante, ab infidelitatis errore ad Christum conversus esset; convocata synodo in novella Ecclesia Trajectensi, decreverunt more Apostolorum et Discipulorum Christi, in diversas circumjacentes barbaricas nationes, præstantiores prædicatores illinc mittere, ad prædicandum ipsis fidem Christi. Erant autem eo tempore in eadem primitiva Ecclesia Trajectensi apostolici Pontifices et Canonici egregii Prædicatores, qui S. Swibertum cum SS. Ewaldis sequentes, constanter Christum gentibus prædicaverunt : utpote S. Winfridus sacerdos, qui postquam XIII annis in Ecclesia Trajectensi ut Canonicus degisset, Archiepiscopus Moguntinensis consecratur, et Bonifacius appellatur, qui post obitum S. Willibrordi episcopi Trajectensis rediens, B secundus Archiepiscopus Trajectensis ordinatur : qui postquam decem et sex annis per Frisiam prædicasset, martyrio in Frisia coronatur cum suis.

ipsum interfuisse Massæ Candidæ, vel Candidæ Casæ Episcopum,

4 Similiter S. Wiro Episcopus Deirorum : S. Plechelmus Episcopus de Massa candida, vel secundum Bedam Candida casa : S. Othgerus Levita, cum plerisque aliis gloriosis sacerdotibus et prædicatoribus. Cui sanctæ synodo præfuerunt SS. Willebrordus et Swibertus Antistites constantiores : in qua conclusum et diffinitum fuit, ut omnes primi prædicatores in exteras provincias prædicarent verbum Dei. Igitur S. Acca, ut prælibatum est, cum S. Swiberto in Angliam rediens, a S. Wilfrido Episcopo Augustadiensis Ecclesiæ Episcopus consecratus, post sanctissimam vitam, ibidem in Domino quievit. S. Wigbertus in Fostelant martyrio coronatus fuit, ut prætactum est. S. Willibaldus Orientalem adiens Franciam, Aureatensis sive Eistatensis Episcopus effectus est. S. Winnebaldus frater ejus Heyndelamensis Abbas est ordinatus : quorum germana fuit S. Walburgis C Virgo, Levinus pontificatum adeptus, martyrio prope Gandavum coronatur, *etc.*

et scilicet cum S. Levino, minimum 38 annis ante occiso,

5 *Quis est, qui non illico perspiciat hæc inepte esse congesta, si modo primoribus digitis historiam sanam, præsertim Anglicanam, attigerit? Ad singulorum horum Divorum, ac præcipue S. Swiberti, errata insulsi scriptoris pleraque refellimus, nec omnia ubique repeti possunt. Et* S. Levinus *quidem, sive* Livinus, *prius fortasse quam plerique e gloriosa illa turma sociorum S. Willebrordi in vitam mortalem prodiissent, eam adeptus erat immortalem, in ditione Alostana, quæ tunc Bracbantum, sive Brabantia appellabatur, martyrio coronatus anno* DCLIX, *biennio post S. Bavonis mortem, ut* VI *Februarii ad Vitam S. Amandi* § XIII *fuse probatum : non igitur socius fuit S. Willebrordi, nec interfuit synodo ab eo habitæ, si tamen ea habita est umquam. Fateor quidem in quibusdam exemplaribus pro* Livino Liebainum *haberi, et antea cap.* VI, *non* Levinus, *sed* Lebainus *inter illos* XII *viros apostolicos numeratur. Verum Presbyter fuit et Confessor S. Lebuinus, non (ut hic dicitur)* pontificatum adeptus, *nec* martyrio prope Gandavum coronatus : *at nec S. Willibrordi socius aut discipulus fuit, qui temporibus S. Gregorii tertii Ultrajectensis Ecclesiæ Episcopi ex Anglia venerit, ut* XXVI *Martii in Vita S. Ludgeri Monasteriensis Episcopi dicitur : nec poterat hoc ignorare Marcellinus, sive Marchelmus, qui Daventriæ ejus cooperator in semente Evangelica fuisse traditur.*

et SS. Willibaldo et Wunibaldo, necdum natis, vel certe pueris :

6 *Etsi autem crimine ab uno satis perspici queat pseudonymi scriptoris fide sublesta, lubet tamen alterum specimen jungere.* SS. Willibaldum *et* Wunibaldum *ait cap.* VI *cum S. Willibrordo anno* DCXC *jam sacerdotes in Frisiam venisse, cum non nisi undecim post annis Wunibaldus, quatuordecim Willibaldus sit natus ; hic nimirum anno* DCCIV, *ille* DCCI, *ut* VII *Februarii ad Vitam S. Richardi, patris ipsorum, solide probatum est. An igitur synodo illi interfuerunt nondum nati, si habita est circa annum* DCXCVII ? *Vel infantes, si* DCCVII, *aut summum saltem adolescentuli, cum S. Swibertus, qui anno* DCCXV *vel* DCCXVII *decessit, multa tamen post eam synodum egisse memoretur?*

E

at neque uspiam Massæ Candidæ episcopatus : neque (ut alius vocat) Casæ-Dei.

7 *Cur deinde* Wiro *et* Plechelmus, *qui ad Frisios missi non leguntur, nec in Frisia prædicasse, sed in Galliis, soli ex omnibus Galliarum Episcopis ad eam synodum evocati sunt? Neque S. Wiro, ut ad ejus Vitam ostendimus,* Deirorum *Episcopus fuit : at neque S. Plechelmus* Candidæ Casæ, *nedum* Massæ candidæ, *cujus nominis urbem Episcopalem neque alibi terrarum extitisse legimus.* Massa candida *appellati quidem, ut ad* XXIV *Augusti in Martyrologio refertur,* CCC *Martyres Carthagine incendio necati, itemque alii Cæsaraugustæ* III *Novembris, quorum cineribus varii scriptores titulum Massæ Candidæ tribuerunt ; at nusquam urbis id, quod sciam, proditur nomen. Gabriel Bucelinus in Menologio Benedictino, nihilo feliciore conjectura,* Casæ Dei *Episcopum fuisse scribit. Vetus notitia Africæ tres Numidiæ civitates exhibet, quarum a casis ductum nomen,* Casas Madianas, Casas Nigras, Casas Calaneas. *Est apud Arvernos in Gallia celebre Ordinis Benedictini monasterium,* Casa Dei *nuncupatum, de quo agitur* XXIV *Aprilis ad Vitam S. Roberti fundatoris : at nusquam civitas Episcopatu insignita, quæ* Casa Dei *appelletur.*

§ II. Candidæ Casæ episcopatus in Britannia jam Scotis subjectus; ejus Episcopi S. Ninianus, Pehthelmus, alii. F

Secundum Bedam (sed inepte a Pseudomarcellino citatum) Pehthelmus Candidæ-Casæ primus Episcopus fuit.

At *si vere eam Vitam scripsisset S. Marchelmus, non ita S. Bedam negligenter ac projecte, ac si omnium etiam tunc tritum manibus, citasset :* Sanctus, *inquit,* Plechelmus, Episcopus de Massa candida, vel secundum Bedam Candida Casa. *Mortuus erat Beda annis non multis prius, quam illa fingitur scripta S. Swiberti Vita : scripserat autem sub extremum vitæ tempus historiam Ecclesiasticam gentis Anglorum, ac S. Ceolulpho Regi dicarat, in qua scilicet mentio fit* Pehthelmi *Candidæ Casæ in Northumbria Episcopi. Hunc* S. Plechelmum *Geldriæ Apostolum esse, hic auctor existimavit. At Bedæ historiam si legisset, sane errata plurima, quæ passim scriptis suis inspergit, ex ea corrigere debuisset : neque ita tum citare veluti notum omnibus, non Francis*

AUCTORE J. B.

Francis solum, sed Frisiis ac Germanis quibus scribebat ; vel saltem venerabilem Presbyterum *appellari. Verba Bedæ lib.* v, *cap.* xxiv, *ubi exponit qui Angliæ anno* dccxxxi, *quo historiam illam absolvit, status esset. inter alia, quæ huc faciunt sunt ista :* At vero provinciæ Northanhymbrorum, cui Rex Ceolvulf præest, quatuor nunc Episcopi præsulatum tenent Wilfrid in Eboracensi Ecclesia, Æthelwald in Lindesfarronensi, Acca in Hagulstadensi, Pechthelm in ea quæ Candida Casa vocatur, quæ nuper multiplicatis fidelium plebibus, in sedem Pontificatus addita, ipsum primum habet Antistitem.

300 annis post S. Niniam, Pictorum apostolum, qui inter Britones ecclesiam lapide struxit.

9 *Quæret fortasse quispiam, quomodo Pechthelmum* Candida Casa *primum habuerit Antistitem, cum idem Beda lib.* iii, *cap.* iv *ista scribat :* Anno Incarnationis Dominicæ dlxv . . . . venit de Hibernia Presbyter et Abbas, habitu et vita monachus insignis, nomine Columba, Britanniam; prædicaturus verbum Dei provinciis Septemtrionalium Pictorum, hoc est iis quæ arduis atque horrentibus montium jugis, ab Australibus eorum sunt regionibus B sequestratæ. Namque ipsi Australes Picti, qui intra eosdem montes habent sedes, multo ante tempore, ut perhibent, relicto errore idololatriæ, fidem veritatis acceperant, prædicante eis verbum Ninia Episcopo reverendissimo et sanctissimo viro, de natione Britonum, qui erat Romæ regulariter Fidem et mysteria veritatis edoctus, cujus Sedem Episcopatus, S. Martini Episcopi nomine et ecclesia insignem (ubi ipse etiam corpore una cum pluribus Sanctis requiescit) jam nunc Anglorum gens obtinet. Qui locus ad provinciam Berniciorum pertinens, vulgo vocatur ad Candidam Casam, eo quod ibi ecclesiam de lapide, insolito Britonibus more, fecerit.

unde civitas (postea Anglis subjecta) Candida Casa dicta, seu Witterna :

10 *Consentit Bedæ Willielmus Malmesburiensis lib.* iii *De gestis Pontific. Angl. ita scribens :* Candida Casa vocatur locus in extremis Angliæ juxta Scotiam finibus, ubi beatus Confessor Ninia requiescit, natione Britto, qui primus ibidem Christi prædicationem euangelizavit. Nomen loco ex opere inditum, quod ecclesiam C ibi ex lapide polito Brittonibus miraculum fecerit. *Joannes Fordonus quoque, ab Usserio pag.* 662 *citatus, de S. Niniano, sive Ninia ita scribit :* Hic vir Dei sibi sedem in loco qui nunc Witterna et Candida Casa dicitur, elegit : in quo jussu ejus cœmentarii, quos secum a B. Martino adduxerat, ecclesiam construunt. *Guilielmus Cambdenus in Gallonidiæ descriptione, urbem quæ apud Ptolomæum* Leucopibia *appellatur, hanc ipsam* Whitherne *esse divinat, scriptumque a Ptolomæo* λευκ' οἰκίδια, *id est,* candida domicilia, *quod deinde librarii in* Leucopibia *verterunt. Ingeniose id quidem excogitatum, sed tutius Ecclesiasticorum scriptorum, ac præsertim antiquissimi Bedæ, statur auctoritate.*

100 annis post unita Glasguensi diœcesi, late patenti,

11 *An immediate quisquam in* S. Niniani *Cathedram successerit, non comperi. Mortuus is creditur circiter annum Christi* ccccxxxi. *Centum fere post annis Episcopus regni Cumbriensis fuit S. Kentigernus, cujus Vitam dedimus* xiii *Januarii. Is ut cap.* iii, *num.* 13 *dicitur,* in loco nomine Glasghu, in multa abstinentia vixit, donec Rex et Clerus regni Cambrensis, cum ceteris Christianis, licet paucis, ipsum plurimum renuentem in Pastorem et D Episcopum elegerunt. *Ei subjectam fuisse Gallonidiam, urbemque Witternam, satis intelligi ex sequentibus potest :* Cathedralem *enim* Sedem in urbe Glasguiensi constituit, et magnam congregationem secundum formam primitivæ Ecclesiæ viventem ibidem ordinavit. Extendebatur autem diœcesis sua secundum limites Cambrensis, a muro scilicet illo famoso ad arcendum hostes a Britonibus a mari ad mare quondam constructo, usque ad flumen Fordense, id est, ad mare Scoticum.

numquam Pictis constanter habita, nec ipsa Witterna semper juris Scotici fuit :

12 *Cum ex hisce testimoniis constet,* S. Niniani *diœcesim usque ad mare Scoticum protensam fuisse, quousque gens Britonum pertingebat, ab Romanis quondam præsidiis præfecturæ Valentiæ defensa; ipseque Pictis Australibus a se diversis, ordinarit presbyteros et Episcopos, extra suam nempe diœcesim, ultra Scoticum mare; patet errare Ranulphum Cestrensem, dum lib.* i, *cap.* lviii *ita scribit :* Cum Picti Boreales partes Albaniæ prius occupassent, videtur quod locus mansionis, quem dedit Pictis Carausius, sit pars Austrina Albaniæ, a muro scilicet Romani operis transverso, usque ad mare Scoticum protensa, in qua continentur Galwedia et Lodoneia. E *Infestarunt quidem sæpe et evastarunt Picti illas provincias, aliasque remotiores ; sed ultra Footham in suas oras identidem rejecti : neque S. Niniæ tempore eam tenuerunt.*

ne Pectimina dicta Bedæ

13 *Fœdius hallucinatur Dempsterus lib.* v *histor. Ecclesiast. gentis Scotorum cap.* mxxvi, *ubi* Pechthelmum *hunc Bedæ,* Pectelinam *vocat,* Candidæ Casæ in Scotia Antistitem . . . anno dccxxxi. *Et addit :* Hoc sane certo liquet, Candidæ Casæ Episcopatum semper ditionis fuisse Scoticæ, nec umquam Anglico juri subjectum. *Quæ manifeste a Beda, verbis supra allatis, refutantur. At Bedam ridicule interpretatur Hector Boëthius lib.* ix *histor. Scotor. fol.* 181 b; *ubi Mordacum Scotorum Regem scribit anno* dccxxxi *obiisse,* postquam sexdecim rei Scoticæ præfuisset annos .... *ac* nonnulla pia loca diruta bellico tumultu, nondum majorum opera reparata, ingenti sumptu restituit : inter cetera Candidam Casam, ubi beatissimus Pontifex Ninianus quotidie tot miraculis claret, quot Divorum nullum vel ante post eum F in Albione claruisse est auditum. Beda locum Pictiminiam vocat, Actamque antistitem, qui sub id tempus sacræ Sedi Candida in Casa præfuit. *Nihil simile habet Beda, cujus antea verba retulimus.*

Pechthelmus ejus Episcopus, discipulus S. Aldelmi fuit, vir doctus.

14 *De* Pechthelmo *ita scribit Malmesburiensis lib.* iii, *ubi de Episcopis agit Candidæ Casæ :* Ibi sub extremo Bedæ tempore primus factus est Episcopus Pethelmus, qui multo ante tempore in Westsaxonia commoratus, sanctissimi Aldelmi discipulatui interesse meruerat. *S. Aldelmus in monasterio, quod postea Malmesburia appellatum, primum monachus sub Maidulpho Scoto, deinde Abbas fuit, ac postea Schireburnensis Episcopus, ut* xxv *Maii diximus, quo die anno* dccix *obiit. Ipse quoque Beda lib.* v, *cap.* xix Pechthelmum *scribit* cum S. Aldelmo multo tempore adhuc Diaconum, sive monachum fuisse. *Idem porro nobis videtur esse* Pethelmus, *quem S. Bonifacius Episcopus Moguntinus, ex eadem Westsaxonia oriundus, consuluit Epistola* xi, *ita inscripta :* Dilectissimo ac reverendissimo fratri, a me diligendo Pethelmo Coëpiscopo Bonifacius, exiguus

A guus servus servorum Dei optabilem in Christo caritatis salutem.

…atuor post …cat. alii. Dein …aca Sedes: …estituta Scotis. …ubus Galo…cal. relicta.

15 *Recenset Malmesburiensis quatuor Candidæ Casæ Antistites, qui post Pethelmum eam Ecclesiam rexerunt, ac subdit :* Nec præterea plures alicubi reperio, quod cito defecerit Episcopatus, qui extrema Anglorum in ora est, et Scottorum vel Pictorum depopulationi opportunus. *Demum in jus concessit Scotorum Gallovidia, sine armis subacta, sive ultro ipsis eam cedentibus Anglis, ut Mattheus Westmonasteriensis aliique tradidere Anglici scriptores. Tunc vero a Malcolmo III Rege affirmat Boëthius lib.* IX *fol.* 181 b, sacrum Candidæ Casæ magistratum non institutum, sed restitutum fuisse. *Sederunt certe deinceps illic quamdiu in Scotia viguit res Catholica, Episcopi, Glascuensi Archiepiscopo subjecti. Sex omnino recenset Joannes Spotiswoodus lib.* II *historiæ Ecclesiarum Scotiæ pag.* 115 : *quos vocat Episcopos Gallovidiæ.*

B

§ III. S. Plechelmus diversus a Pehthelmo Candidæ Casæ Episcopo : perperam de utroque scripta a multis.

Diversus a S. Plechelmo Pehthelmus, nec potest ad Pippinum dici venisse.

16 Nunc *ad* S. Plechelmum *revertamur, qui omnino diversus ab illo* Pethelmo, *sive* Pecthelmo, *aut* Pehthelmo, *Candidæ Casæ Episcopo fuit. Nam venit* S. Plechelmus, *relicto Episcopatu, in Galliam ad Pippinum Ducem, sive, ut habet ejus Vita, Regem Francorum, quod dici de Pethelmo non potest. Non fuit Dux ille B. Pippinus, SS. Gertrudis et Beggæ parens, ut aliquando existimavit scripsitque Baronius : nam is anno* DCXLVI *mortuus est, quando puerulus adhuc erat Cuthbertus, quem S. Wiro,* S. Plechelmi *socius atque ætate æqualis, imitatus dicitur. Sed, ut ad S. Wironis Vitam diximus, Pippinus Crassus, sive Herstallus fuisse videtur, qui Sanctos illos excepit, et anno* DCCXIV *obiit. Atqui Pecthelmus adhuc anno* DCCXXXI *Candidæ Casæ Episcopus erat Beda teste : neque Episcopatum umquam dimisit, sed in eo diem obiit, ut colligere est ex* C *Florentio Wigorniensi, qui ad annum* DCCXXXV *ita scribit :* Pectelinus Candidæ Casæ Præsul obiit. Cui Frithwaldus in pontificatus regimine successit. *Quare nec ad Pippinum Brevem, filium Caroli Martelli, (post quem cum Carolomanno fratre anno* DCCXLI *Dux et ipse Francorum, sive Major-Domus, dein anno* DCCL *Rex factus est) venisse ille Pecthelmus potuit, cum ad ejus tempora non pertigerit. Præterquam quod hic Pehthelmus natione Anglus fuerit ;* S. Plechelmus, *ut ex Vita S. Wironis liquet, Scotus.*

Pugnantia de eo scribit Dempsterus.

17 *Neque audiendus Dempsterus, qui* Pectelinum *(ita appellatur etiam apud Wigorniensem, errore typographi) scribit lib* XV *histor. Ecclesiast. gentis Scotorum cap.* MXXVI, *Episcopum Candidæ Casæ extitisse anno* DCCXXXI, *eique vita functo successisse* Frithwaldum. *Hunc autem Frithwaldum, quem Sanctum indigitat, lib.* XI, *cap.* DXXIV *mortuum ait anno* DCCLXIV. *Wigorniensis ad annum* DCCLXIII *ita scribit :* Eodem anno Frithewoldus Hwitternensis Ecclesiæ Antistes Nonis Maii defungitur. Pro quo Pechtwinus, XVI Kal. Aug., in regione quæ dicitur Aelfere consecratus, Episcopatu fungitur. *Ast idem Dempsterus eodem libro cap.* MII *S. Plechelmum S. Wironis socium, S. Candidæ Casæ Episcopum ait fuisse, et Bedæ memoratum lib.* V, *cap.* XXIV, *et floruisse anno* DCCXLVIII, *et venisse in Galliam, Pippino regnante, et videri* inaugurationis insignia a Paulo I suscepisse, *qui anno* DCCLVII, XXVIII *Maii Pontifex electus est. Quanta rerum perturbatio! Erat Pecthelmus anno* DCCXXXI, *Episcopus Candidæ Casæ, ipso teste Dempstero, qui* Pectelinum *vocat, aitque illi successisse Frithwaldum, qui* DCCLXIV *obierit. An simul cum hoc Frithwaldo in eadem urbe sedit S. Plechelmus? At qui potest Beda, anno* DCCXXXIV *vel* DCCXXXV *mortuus, ejus Episcopatus meminisse, si non ante annum* DCCLVII *Episcopus est ordinatus?*

Auctore J. B.

ambos confundunt Trithemius et Wion.

18 *Nescio an laboris pretium fuerit, aliorum de S. Plechelmo, Pecthelmoque errata indicasse. In hujus solo nomine hallucinatus Trithemius est, aut qui opera ejus vulgavit :* Plechtelmus, *inquit lib.* IV *de viris illustr. Ord. S. Benedicti cap.,* CLXXVI, monachus Maildubinobiensis, Episcopus Candidæ Casæ, vir doctus, et cum B. Adelmo monastica disciplina multo tempore conversatus, sanctitatis suæ monimenta non contemnenda reliquit. Claruit anno Domini DCC. E *De Pehthelmo recte, sed nihil ea ad S. Plechelmum attinent. Eadem, verbis paullum mutatis, habet lib.* III, *cap.* CXLII, *ubi* S. Pechtelmum *vocat, aitque* festum ejus Idibus Julii celebrari : *quod de* Plechelmo *verum est; de* Pehthelmo *S. Aldelmi discipulo nusquam legi. Arnoldus Wion lib.* II *ligni Vitæ cap.* XL *Trithemium citat, nec sequitur.* Pethwinum, *Fretheswoldi successorem* Sanctum *vocat, quem ait ab aliis* Plechelmum, *sive* Pechtelmum *dici; additque, monachum Malmesburiensem in Anglia fuisse, anno* DCCLXIII *Episcopum renuntiatum, annis* XIII *in omni sanctitate præfuisse et miraculis clarum in pace quievisse anno* DCCXXVIII *Idib. Julii : quiescere in Oudenzeel in Flandria. Ita tres in unum constat,* S. Plechelmum, *qui eo die obiit, et Oldensaliæ colitur,* Pethelmum *primum sub Anglis Candidæ Casæ Episcopum, et quartum Pectwinum, qui anno quem Wion indicat,* DCCLXIII *inauguratus,* DCCLXXVIII *decessit, ut habet Matthæus Westmonasteriensis : Wigorniensis anno uno prius mortuum ait : neuter exprimit diem.* F

De iisdem error Bucelini, Miræi, Molani :

19 *Gabriel Bucelinus in Menologio Benedictino Plechelmum appellat, socium S. Adelmi, Casæ Dei (quod supra refutatum est) Episcopum, anno* DCCLXIII *initiatum,* DCCLXXVIII *mortuum. Autbertus Miræus in Fastis Belgicis ad* XV *Julii,* S. Plechelmum ex Northumbriæ finibus *fuisse scribit, Plecthelmumque et Plechelmum dictum, primum Candidæ Casæ Episcopum, Bedæ memoratum. Joannes Molanus in Indiculo SS. Belgii, Pseudo-Marcellinum et ipse temere secutus,* Episcopum de Massa Candida *scribit fuisse,* vel ut quidam addunt secundum Bedam, de Candida Casa. *In Natalibus autem SS. Belgii idem Molanus, postquam Vitæ synopsin accuratam exhibuit, illud mox ex supposititia S. Swiberti Vita de Massæ Candidæ Episcopatu subnectit.*

multiplex Edouardi Maihew, conciliare volentis Bedam et Marcellinum.

20 *Edouardus Maihew de Tropæis Congregationis Anglicanæ Ord. S. Benedicti ad* XV *Julii multa de* S. Plechelmo *confusissime congerit. Nam quæ a Pseudo-Marcellino tradita sunt amplectitur, et ne Bedæ contradicat, qui anno* DCCXXXI *scribens,* nuper *Episcopum factum ait Pethelmum; divinat venisse eum ac S. Wironem Sanctumque Otgerum*

AUCTORE J. B.

Otgerum in Frisiam cum S. Swiberto, cum is ex Anglia Episcopus inauguratus rediit anno DCXCV : *dein reversum et ipsum in Angliam Plechelmum, Antistitem Candidæ Casæ esse factum circa annum* DCCXX, *venisseque rursus Ultrajectum et synodo illi, quam fingit Pseudo-Marcellinus, interfuisse : id enim omnino illi certum videtur, eumdem fuisse Pethelmum et* S. Plechelmum, *quod nos pernegamus. Sed sua illa de tempore synodi conjectura ipsum Marcellinum impugnat : nam hic mortuum S. Swibertum scribit anno* DCCXVII, *quem ipse tribus aut quatuor annis post vult illi synodo cum S. Willibrordo præfuisse. Quæ vero Pehthelmo causa in Angliam toties revertendi? Dicitur inde venisse anno* DCXCV, *dein eo reversus, electus Episcopus : Romæ consecratus, suos jussu Pontificis revisisse : tum synodo Ultrajectensi interfuisse : ac demum, cum Beda historiam suam concluderet, Candidæ-Casæ sedisse: imo ea rursum relicta ad Pippinum venisse, diemque suum in monte S. Petri obiisse. Quæ satis probabilis excogitari causa potest, ob quam is toties illam ierit ac redierit viam?*

B

et scribentis, in Galliam venisse ad Pippinum Regem, cum necdum Dux esset.

21 *Quod vero anno* DCCXXXV *e vita migrasse Pethelmum Wigorniensis aliique tradant, idem Maihew cum illo anno Episcopatu sese abdicasse existimat, eique subrogatum Frithwaldum, non S. Aldhelmum, ut ad an.* DCCXXXIV *num. 7, Beda perperam citato, scripsit Baronius, qui tamen cum ibi non asserit nostrum hunc fuisse* Plechelmum. *Si is certe dimisso Episcopatu tunc venisset in Belgium, qua ratione susceptus a Pippino Duce Francorum diceretur, cum eo tempore Francicam rem Martellus moderaretur, eoque mortuo partem illam Belgii, in qua erat S. Petri mons, sive S. Odiliæ, tenuerit Carlomannus, usque ad annum* DCCXLVI *quando is monachicam vitam amplexus est? Nam si quis venisse quidem in Galliam Martelli tempore* S. Plechelmum *et socios velit, sed per* XI *annos præcepta pietatis populis tradidisse, ac demum post obitum Carlomanni ad Pippinum ejus fratrem venisse; nescio an non ei refragetur Concilium in Germania, sub eodem religiosissimo Principe Carlomanno, habitum anno* DCCXLII, *cujus decreta in synodo ad Kalendas Martias anni* DCCXLIII congregata in loco qui dicitur Liptinas, *firmata sunt. Illius porro prioris synodi Canon quartus*

C

ita habet : Statuimus etiam, ut secundum canonicam cautelam, omnes undecumque venientes ignotos Episcopos vel Presbyteros, ante probationem synodalem in Ecclesiasticum ministerium non admitteremus. *Quis Canone illo neglecto tot annis per Galliam vagatos esse viros illos Sanctos existimet, ac demum ad Pippinum, vel jam Regem inauguratum, vel adhuc Majorem-Domus venisse?*

Harpsfeldii de Plechelmo Pecthelmoque error.

22 *Nicolaus Harpsfeldius in historia Anglicana sæculo* VIII, *cap.* IV *inter viros apostolicos, qui ex Anglia sub initium illius sæculi in Germaniam fidei disseminandæ causa venerunt, etiam Wironem Plechelmumque numerat, sed illum Deirorum, hunc Candidæ Casæ Episcopum facit, quod utrumque a nobis refutatum. Idem cap.* XXII *Pecthelmum S. Adelmi discipulum memorat Witernæ, sive Candidæ Casæ Episcopum factum anno* DCCXXXV, *citato perperam Beda, qui anno* DCCXXXI *scribens, tunc sedisse scribit,* nuper *electum. Tum in eo hallucinatur ibidem Harpsfeldius, quod Witernam extitisse scribat* in provincia quidem Pictorum, sed quæ Anglicæ id temporis ditionis erat. *Erat enimvero, ut ante probatum est, in Britonum terris, ac Romana antea provincia, non Pictorum, qui ultra Fortham, sive mare Scoticum degebant. Neque illic ait Harpsfeldius Pecthelmum illum eumdem fuisse, qui Plechelmi nomine colitur.* D

Ecclesiæ Ruræmundensis officia correcta

23 *Agit de* S. Plechelmo *Joannes Gerbrandus a Leidis lib.* II *Chronici Belgici cap.* XVI, *deque sociis : usque adeo autem ab errore eorum refugit, qui Candidæ Casæ Episcopum fuisse affirmant, ut ne Episcopum quidem vocet, sed Sacerdotem dumtaxat, comitem S. Wironis Episcopi. Candidæ Casæ Episcopus fuisse dicitur in Officiis Ecclesiæ Ruræmundensis, sed novo adjecto errore. Nam cum ceteri, qui nominis similitudine decepti, idem quoque senserunt, fateantur tamen, quod Beda sæpe jam citatus tradit, Pecthelmum Candidæ Casæ primum Antistitem, tertio post S. Niniani ætatem sæculo esse factum; dicta officia, Henrici Cuyckii Episcopi Ruræmundensis auctoritate edita, Lectione quarta decessorem illi tribuunt, his verbis :* Mortuo diœcesis, in qua morabatur, Episcopo, cum universi Cleri vox erupisset, Plechelmum Episcopum deposcentis, ægre omnino, et non nisi multa cum trepidatione, onus illud admisit : et S. Wi- E
roni associatus, Romam, ad Apostolorum Petri et Pauli limina visenda, cum eo profectus est. *Lectione quinta dicitur a Pontifice Maximo Romæ* in ecclesia Principis Apostolorum *Episcopus consecratus*; *ad eum, opinor, Ecclesiam, ad quam ab illius Clero erat postulatus : atqui mox dicitur* in patriam remissus, in Ecclesia quæ Candida Casa dicebatur, primum Antistes factus, idololatriæ reliquiis indefatigato labore penitus extirpatis, non multo post, ut alibi quoque multos lucrifaceret Christo, patrio relicto solo, una cum SS. Wirone et Otgero ad religiosissimum Franciæ Ducem Pippinum se contulisse.

Ultrajectensia quadantenus probata, e quibus Vitæ ejus synopsis

24 *In Officiis propriis Ecclesiæ Ultrajectinæ (auctoritate Philippi Rovenii Archiepiscopi Philippensis, inque fœderatis Belgii Provinciis Vicarii Apostolici, anno* MDCXL *Coloniæ excusis) etsi ad Kalendas Martii Lectionibus secundi Nocturni de S. Suiberto aspersa quædam apocrypha sint, ex Pseudo-Marcellino hausta ; de* S. Plechelmo *tamen, de quo* XV *Julii (quo de divisione Apostolorum festum agitur* duplex majus, *ut vocant) est nona Lectio, quæ cum Vita ejus ac S. Wironis apprime* concordat, *quam proinde Lectionem visum est hic dare :* Plechelmus, ex regno Scotiæ claris parentibus ortus, a prima ætate humilitatis et modestiæ laude excelluit. Divini amoris igne succensus, corpus suum jejuniis et vigiliis castigans, orationi sedulo vacabat. Erat eloquio blandus, habitu humilis, verecundus aspectu, in pauperes largus. Quare omnibus virtutibus ornatus, non tantum earum merito, sacerdotii gradum ascendit, sed etiam in demortui Episcopi sui locum, totius Cleri suffragiis, electus fuit : et tunc de gentis more, cum SS. Wirone et Otgero Romam profectus, inque ecclesia Principis Apostolorum, una cum B. Wirone, a summo Pontifice consecratus Episcopus, et Sanctorum reliquiis ditatus, ad suos reversus est. Itaque in patria Pontificis munere functus, cum ibidem aliquamdiu, magno cum fructu et animarum lucro, laborasset, relicto patrio solo, cum sanctis Wirone et Otgero ad Pippinum Franciæ Ducem se contulit : qui cum ad ea Galliæ loca ablegavit, ubi F

A ubi nondum radicitus gentilitiæ superstitiones evulsæ erant. Ibi multos ad euangelicæ veritatis lucem convertit; et extinctis inanium deorum delubris, ad cultum unius Dei complures construxit ecclesias. Cum vero ætate ingravesceret, migravit in montem S. Petri juxta Ruræmondam: ubi prædicationis officio insistens, tandem plenus dierum, in senectute bona obdormivit in Domino. In vita et post mortem plurimis claruit miraculis. Major pars corporis ejus una cum capite translata est Oldensaliam, jussu Baldrici Episcopi Ultrajectensis, ubi magna populi religione colitur. *Hæc ibi. De translatione infra.*

§ IV. S. Plechelmi in Belgium adventus, mors, sepultura, vitæ historia, publica veneratio.

Venit S. Plechelmus ex Scotia jam Episcopus, cum S. Wirone, ad Pippinum Juniorem, sive Herstallum, Ducem, regia potestate pollentem,

B Scotus *igitur fuit* S. Plechelmus, *et in patria sua Episcopus, ab ipso Pontifice Romano, (fortassis S. Sergio I) consecratus cum S. Wirone; et ad suos uterque Roma remissus. At quæ civitates eorum cathedris ornatæ fuerint, nos latet. Saltem* S. Plechelmi *Witerna, sive Candida Casa, non fuit, quæ et ipsa tamen paullo post proprium accepit Episcopum, virum doctissimum, Pehthelmum, Bedæ familiarem, sed Anglum, sive Saxonem, non Scotum; nec ipsa sita in Scotia. Venerunt ambo, Plechelmus, inquam, et Wiro, in Galliam, ac Pippinum adiverunt, Ducem Francorum, Ansegisi filium sanctique Arnulphi nepotem, cui* Crassi *et* Herstalli *agnomen a multis tribuitur, veteres fere* Juniorem *vocarunt, ut ab avo materno B. Pippino distinguerent.* S. Plechelmi *Vita illum* Regem Francorum *appellat, uti et posteriores historici complures. Et vero in S. Boniti Arvernorum Episcopi Vita, quam* XV *Januarii edidimus, cap.* II, *num.* 5, *pag.* 1071 *hæc de eodem Pippino leguntur:* Eodem tempore sub Theodorico Principe, Pippinus regni primatum tenens, atque curam Palatii gerens, cunctaque gubernacula suo disponebantur arbitrio. *Et in Vita S. Gertrudis,* C *ejus materteræ,* XVII *Martii de eodem Pippino ista habentur:* hic mortuo sine liberis Hilderico Rege, ... etsi non regio nomine, tamen regia potestate, in Austria regnare cœpit.

erga Sanctos, præsertim advenas, munificum, more suorum majorum:

26 *Merito autem eum Vitæ* S. Plechelmi *scriptor* in receptione Sanctorum incomparabilem appellat. *Nam licet incontinenter ac luxuriose subinde vixerit, atque ex Alpaide pellice filium Carolum Martellum susceperit; fuit tamen in templis ac monasteriis fundandis munificus, et in curanda per viros apostolicos Fidei propagatione sollicitus, erga Episcopos ac religiosos homines benignus, et in iis, præsertim qui e Scotia Angliaque et aliunde in Galliam ac Germaniam ad eamdem fidem propagandam adventarent, tum auctoritate tuendis, tum ope omni recreandis largus. Hauserat eam a majoribus suis, e materna præsertim stirpe, laudem liberalitatis, uti ad S. Beggæ matris, S. Gertrudis materteræ, S. Ittæ aviæ, aliorumque Acta diximus, ac porro dicemus. Quæ forte res deinde ejus nepotibus ad regnum viam aperuit; ac præsertim erga Sedem Apostolicam observantia, ejusque adversus tyrannicam Longobardorum Regum dominationem suscepta defensio.*

AUCTORE J. B.

qui eis Berg, sive montem S. Odiliæ, donat:

27 *Ab hoc ergo potentissimo ac Christianissimo Duce benigne habiti Wiro et* Plechelmus *Scoti Antistites, atque Othgerus Anglus Diaconus, stirpitus evellere idololatriæ reliquias cœperunt, ac pietatem hominum animis inserere, templa quoque variis locis extruere, ad confinia præsertim Frisonum Saxonumque, inter Rhenum, Wahalim ac Mosam amnes, in eo videlicet tractu terrarum, quem nunc ducatus Gelriæ, Cliviæ, Juliæ ac minores aliæ ditiones, continent. Quod ut vidit Pippinus, locum* Berg *dictum ad Ruram flumen, vix horæ unius spatio a Mosa distantem iis donavit, ut templum illic ædificarent, monasteriumque fundarent, additis (ut verisimile est) possessionibus, ut sustentari illic religiosorum virorum cœtus, pietati propagandæ servientium, posset.*

ubi Plechelmus senex mortuus, sepultus, miraculis illustratus.

28 *Ibi tres illi Sancti laboribus fessi senioque, pietatem ad ultimum vitæ spiritum coluerunt, ac placida tandem quiete, finierunt vitam. De S. Wirone alibi diximus. De* S. Plechelmi *obitu ita Vitæ ejus scriptor testatur:* Sanctus vero nimiæ prolixitatis senio fessus, migravit ex hac peregrinationis patria, Idibus Julii, Christum semper in æternitatis visurus patria: atque in ecclesia præfati in montis cacumine E constructa, et in honore S. Mariæ Virginis dedicata, de Fratribus ad exequias beati Viri confluentibus, honorifice sepultus est. Quanti vero meriti Sacerdos Christi fuisset, divina pietas in miraculorum signis ostendit. Nam apud sepulchrum ejus cæci illuminantur; dæmonia effugantur, et plurimorum membra ægrotantium sanantur.

Vita ejus a quo scripta, incertum: unde hic edita?

29 *Quis autem hanc Vitam composuerit, et quo tempore, necdum comperimus. Aliquis fortassis e Clero Ecclesiæ Ultrajectensis, aut certe Bergensis, sive montis S. Odiliæ, ejusdem monasterii monumenta, seniorumve relationem secutus: idque prius quam sub nomine S. Marcellini, sive Marchelmi, illa procuderetur Vita S. Swiberti, quam dudum ut supposititiam planeque apocrypham confiximus: neque enim, quæ in ea insunt, fabulas collegit, correxitve hic scriptor. Eam ex satis vetusto membraneo codice, quem nobis Vir nobilis Theodorus e Renesse Wulpius donavit, atque ex schedis Wilhelmi Lindani Episcopi Ruræmundensis, hic damus. Citavimus jam non paucos, qui ejus Acta stylo prosecuti, at non universi satis dextre.*

Nomen ad XV *Julii inscriptum Martyrologiis,*

F 30 *Inscriptum est nomen ejus variis Martyrologiis, ad eumdem* XV *Julii diem. Ms. monasterii S. Martini Treviris ista solum habet:* Plechelmi Confessoris. *Ms. Ecclesiæ S. Mariæ Ultrajecti:* Plechelmi Confessoris et Pontificis. *Adscriptum erat in margine:* Aldenzale. *Martyrologium Coloniæ anno* MCCCCXC *excusum:* Ipso die, S. Plechelmi Ep. Conf. *Ms. Florarium:* Item S. Plechelmi Ep. et Confessoris: Obiit anno salutis DCCXXXII. *Hermannus Greven Carthusianus in Additionibus ad Usuardum,* Coloniæ excusis anno MDXV et MDXXII: Plechelmi Tweintiensis Episcopi et Confessoris, in Aldensel quiescentis. *Idem habet Joannes Molanus in prima editione auctarii ad Usuardum an.* MDLXVIII, *et Petrus Canisius in utraque editione Martyrologii Germanici. Cur* Twentiensem Episcopum *eum appellent hi auctores, dicemus. Molanus in posterioribus Usuardi editionibus hæc solum habet,* Civitate Oudensele, natale S. Plechelmi Ep.

quibusdam non sine menda:

31 *Sequuntur plures alii, sed pauculis verbis additis aut mutatis, Arnoldus Wion, Hugo Menardus*

AUCTORE J. B.

nardus, Benedictus Dorganius. Prolixius elogium habet Constantinus Ghinius in Natalib. SS. Canonisorum, uti et antea citati Miræus in Fastis, Molanus in Natalibus et Indiculo SS. Belgii, Joannes Wilsonus in Martyrologii Anglicani prima et secunda editione, Andreas Saussaius in Martyrol. Gallicano : qui omnes eumdem esse volunt qui apud Bedam Pehthelmus *dicitur, Candidæ Casæ in Galwidia Episcopus : quod idem Wion in Notis tradit, ut et Thomas Dempsterus in Menol. Scotico, ac David Camerarius, qui* Plechelinum *vocat. Ferrarius quoque in generali Catalogo, his verbis :* Apud veteres Salios, S. Plechelmi Episc. Candidæ Casæ. *Ms. Kalendarium Ord. S. Benedicti ista habet :* S. Plechelmi Ep. Candicasensis sub Archiepiscopo Eboracensi, monachi in Anglia. Hic Aldezael requiescit corporaliter, excepto sinistro brachio. *Omnium exactissime ejus memoriam agit in Martyrologii Belgici synopsi Balduinus Willotius noster his verbis :* Oldenzaliæ, urbe provinciæ Transisulanæ, asservatur caput et præcipua pars corporis S. Plechelmi Episcopi in Scotia, pars Ruræmundæ.

B

Colitur Ruræmundæ XXVI Julii : alicubi Translatio IV Maii. An monachus fuerit, incertum.

32 *In Ecclesia tamen Ruræmundensi, totaque diœcesi, non* XV *sed* XXVI *Julii celebratur ejus festum : qua causa, non satis assequor : nisi forte quod in Ecclesia Leodiensi, cui ante novos in Belgio institutos Episcopatus suberat Ruræmunda, monsque S. Odiliæ, Idibus Julii Divisio Apostolorum ab antiquo celebrari solet, Officio* IX *Lectionum. Citatum antea Kalendarium Sanctorum Ordinis S. Benedicti, ad diem* IX *Maii ista habet :* Eodem die, translatio S. Plechelmi Abbatis in Anglia. Hic in Aldenzaele requiescit. *De variis ejus Translationibus agemus* § *sequenti. Quænam hoc die, et an omnino aliqua facta sit, nos latet. Neque enim qui hoc Kalendarium collegit, magnam meretur auctoritatem. Certe quod Abbatem, et in Anglia quidem, ait fuisse, non apparet unde hauserit. Neque enim ex Vita* S. Plechelmi *sanctique Wironis confici potest, alterum monachum fuisse, et ambo diserte asseruntur in Scotia nati, educati, Antistites electi.*

C

Si in Berg monachos instituit, probabile est Benedictinos fuisse : saltem postea Canonici fuerunt.

33 *Si in monte S. Petri monachos instituerunt, non est improbabile Benedictinam iis regulam præscripsisse. Persuadet id Canon* VII *synodi anno* DCCXLII, XI *Kal. Maii habitæ ab Episcopis qui in* Karlomanni Ducis et Principis Francorum . . . regno *erant, atque anno sequenti* in synodali conventu, qui congregatus est ad Kalendas Martias, in loco qui dicitur Liptinas. *Celebrata est ea synodus in Belgio nostro,* Liptinis *non procul a Sabi amne, qui Namurci in Mosam influit, anno* DCCXLIII : *cum in eodem Belgio circiter* XIII *leucis infra Namurcum, leuca una ab ostio Ruræ fluminis, non multo ante obiisset* S. Plechelmus, *aut adhuc fortassis in vivis ageret, ut qui* nimiæ prolixitatis senio fessus migrasse *scribatur. In illo ergo septimo Canone, ibidem confirmato, decretum,* ut monachi et ancillæ Dei monasteriales, juxta regulam S. Benedicti cœnobia vel xenodochia sua ordinare, gubernare, vivere studeant : et vitam propriam degere secundum prædicti Patris ordinationem non negligant. *Unde conjicere est, Sanctos illos viros, si monachorum proprie Congregationem instituerunt, Regulam S. Benedicti iis præscripsisse. Nusquam tamen legi incolas montis S. Odiliæ, vere monachos fuisse : potest enim* monasterii *nomen etiam ad Canonicos pertinere : et Canonicos inde Ruræmundam migrasse legimus, non monachos. Illud tamen multis locis evenit, ut monachorum cœnobia Canonicis tradita sint in Belgio nostro, præsertim post Normannicam populationem harum provinciarum : uti sæpe post, Antistitum ac Principum pietate, Canonicis solutiorem vitam agentibus subrogati monachi sunt.* D

§ V. S. Plechelmi reliquiæ translatæ Ultrajectum, Oldensaliam, Ruræmundam.

Hungero Ep. Ultrajectensi, metu Normannorum profugo, ann. 858 datum monasterium montis S. Odiliæ.

C*um in ecclesia montis S. Odiliæ paullo amplius centum annis asservatæ essent* S. Plechelmi *sociorumque reliquiæ, pars earum maxima Ultrajectum est translata. Nam cum Frisiam pervastassent Normanni ac Trajectum ejus provinciæ metropolim cepissent, ac multa sacrorum hominum et promiscuæ plebis facta cæde, dirum in modum eam deformassent ; Hungerus Episcopus cum paucis Canonicis fuga elapsus, tandem a Lothario Rege, Lotharii Imperatoris filio, Ludovici Pii nepote, ad quem ea Francici imperii pars, quæ ab eo deinceps regnum Lothariense, sive Lotharingia, dicta est, simulque Frisia pertinebant, monasterium montis S. Odiliæ accepit. Donationis tabulas ad Vitam S. Wironis die* VIII *Maii* § V *recitavimus, datas* die secundo Januarii, Indictione VI, anno regni Lotharii tertio, *qui erat Christi* DCCCLVIII : *in quibus tabulis dicitur monasterium illud situm* in pago Maso, super fluvium Ruræ, in honore S. Petri constructum, Bergh nuncupatum. *Ea occasione Ultrajectum asportatæ feruntur reliquiæ trium horum Sanctorum, aut pars earum maxima. Citavimus ad* VIII *Maii auctores, qui de S. Wironis reliquiis id scripsere.* E

100 annis post inventæ reliquiæ divina revelatione.

35 *Sancti quoque* Plechelmi *reliquias eo devectas constat ex Joanne de Beka, qui in Baldrico* XV *Episcopo (ut alio loco retulimus) ita scribit :* Insuper et idem Episcopus corpora SS. Werenfridi, Lebuini, Plechelmi, Wironis, Otgeri, Odulphi ac Radbodi per mysticam revelationem adinvenit : de quibus sanctis Patronis Trajectensem ecclesiam gloriosius adornavit. *Eadem tradit Wilhelmus Heda. Arnoldo Buchelio in Notis ad Joannem de Beka,* id mirum *videtur* in Radbodo prædecessore, et cui Baldricus immediate successit. *At Jacobo Revio Daventriæ illustratæ lib.* I, *pag.* 17, ridiculum, ad id inveniendum divina revelatione opus fuisse. *Certe cum adhuc Ultrajectensem diœcesim infestarent Normanni, nihil mirum, Sanctorum abdita fuisse lipsana, etiam Radbodi, quem adhuc superstitem Deus miraculis illustrarat. Scimus qua crudelitate Revii symmystæ Calviniani in Belgio nostro, et alibi terrarum, in Divorum reliquias sævierint, sæviantque etiam.* F

quam frustra convellit Calvinianus quidam scriptor

36 *Non potuere, qui tunc res sacras procurabant, ea metuere a barbaris, quæ ipsorum posteri a gentilibus suis sæpius perpessi sunt ? Nec licuit iis quæ salva esse vellent, defodere, aliisve latebris credere, ne harpyis illis paterent ? Earum porro rerum, quæ sic occuluntur, graves, at pauci, esse testes solent : quid enim multitudini notum manere secretum potest ? His ergo paucis vi hostili fatove sublatis, quæ sic clausa et recondita erant, eorum memoriam tolli funditus ac deleri necesse est. An non illud quoque sæpissime evenit in rebus privatorum, ut ubi eas abdiderint, aut etiam absque*

A *que latebrarum consilio locarint, postea meminisse non possint, præsertim si in subita aliqua vel familiæ vel patriæ perturbatione id accidit; ac propterea cœlitibus vota nuncupent, ut se in earum rerum memoriam reducant? Cur non igitur Baldrico id accidere potuit, ut omnino nescierit ubi ædiles, aliive sacræ supellectilis præfecti, duorum illorum reliquias condidissent, nisi mystico instinctu, aut evidentiori revelatione, id illi divinitus fuisse suggestum?*

Caput S. Plechelmi et aliæ reliquiæ translatæ Oldensaliam

37 *Ejusdem* Baldrici Episcopum jussu, major pars corporis S. Plechelmi, una cum capite, *ita ut diximus reperta*, translata est Oldensaliam. *Est* Oldensalia *diœcesis Daventriensis, olim Ultrajectensis, oppidum in Transisalana provincia: cujus provinciæ tres sunt præcipui districtus, Salandia, Drentia, Twentia, Revio Tubantia quoque dicta, ut et aliis quibusdam. In hac* Oldensalia *oppidum, sive* Aldesalia, *vulgo* Oldenseed, Aldenseed, Alde saele, Oudencele veteres Salios *interpretatur, Ferrarius in generali Catal. SS. et Miræus in Fastis,* veterum Saliorum sedem esse *asserit. Fors* Antiqua aula *est, id enim vox Teutonica* Aldesaele *sonat. De* B *hac Heda in Baldrico:* Fertur et oppidum Aldenzalense instaurasse, et ecclesiam illic construxisse. *Annotat Buchelius, in quodam Ms. dici eam Ecclesiam a Baldrico fundatam circa annum* CMLXVIII.

Twentiæ oppidum tunc instauratum ubi solenniter colitur.

38 *Idem ergo Antistes suo tempore inventas* S. Plechelmi *reliquias in illud oppidum transtulit, De quibus ista scribit Molanus:* Ceterum præcipuam portionem corporis Canonici oppidi Oudencelensis, quod est trans Iselam, sibi attribuunt. *Officia diœcesis Ruræmundensis Lect.* 6, *atque ex iis Miræus*: Caput in hoc usque tempus Aldenzaliæ in diœcesi Daventriensi asservatum, magna populi religione colitur. *Paria scribit Saussaius in Martyrol. Gallicano. Quod autem* Oldensalia *Twentiæ oppidum sit, hinc superius* S. Plechelmus Tweintiensis Episcopus *appellatus. Incertum tamen, atque omnino suspectum, quod Joannes Wilsonus in secunda editione Martyrologii Anglicani scribit,* S. Plechelmum *fidem Frisonibus prædicasse circa Iselam flumen. Colitur autem Oldensaliæ (ut habetur in Kalendario præfixo Officiis Sanctorum Archiepiscopatus Ultrajectensis et* C *Episcopatuum suffraganeorum) ut* Patronus Ecclesiæ ibidem, *Officio* duplici primæ classis cum Octava, *translato in alium diem festo Divisionis Apostolorum, quod in provincia Ultrajectina celebratur* Officio duplici majore: *sed Ultrajecti additur commemoratio* S. Plechelmi.

Aliquæ reliquiæ in Berg relictæ, dein Ruræmundam translatæ, ubi iis colitur:

39 *Non tamen omnes penitus ablatæ ex monasterio Bergensi, sive montis S. Odiliæ, trium istorum Heroum reliquiæ sunt: pars singulorum illic retenta, ac postea Ruræmundam cum collegio Canonicorum delata, uti ad S. Wironis Vitam* VIII *Maii diximus: atque hic singuli Officio duplici coluntur, Wiro* X *Maii,* Plechelmus XXVI *Julii, Otgerus* X *Septembris. Ac de* Plechelmo *quidem scribit in Indiculo SS. Belgii Molanus,* esse *eum* inter primos Patronos Ecclesiæ Ruræmundensis. *Amplificat id Gabriel Bucelinus, ita scribens*: Inde in Oudenzeel Flandriæ translatus, et patronus celeberrimæ Ecclesiæ Ruræmundensis cooptatus, magna fidelium veneratione ibidem frequentatur et colitur. *Unde vero translatus? Ex Casa Dei, inquiet: nam ibi Episcopum fuisse, miraculorumque gratia divinitus honoratum decessisse, antea dixerat. At supra ostendimus episcopatum illum* Casæ Dei *nusquam terrarum extitisse. Perperam quoque* Oudenzeel *in Flandria reponit, cum longe ultra Rhenum, ad Frisiæ fines jaceat. Fœdius erratum Arnoldi Wionis est, quem Duaci in Flandria Gallicana natum minus decebat in patria sua esse pegrinum. Ita enim hic Ligni Vitæ lib.* II, *cap.* XXXIX *scribit:* Quiescit in Oudenzeel in Flandia. *Nec illud verum est, quod Bucelinus ait,* magna fidelium veneratione Ruræmundæ frequentari et coli. *Colitur in Ecclesia quo diximus ritu, ceterum populo pene ignotus, quod ipse Ruræmundæ olim observavi. Erit fortassis qui illius sociorumque venerationem aliquando instauret.*

AUCTORE J. B.

at non ei dicatum templum:

40 *Turpius hallucinatur Thomas Dempsterus hist. Eccles. gentis Scotor. lib.* XV, *cap.* XIII, *ita scribens*: Est autem S. Plechelmus Patronus Ruræmundæ in Belgio urbis, cujus nomini præcipuum templum dedicatum, quæ Episcopalis Sedes erecta est. *Quæ Episcopali Sede, collegioque Canonicorum, et horum Divorum reliquiis ornata est Ecclesia, ea sanctis Apostolis Petro et Paulo dedicata fuit, nunc* Sancti Spiritus *appellatur: at non est ea maxima totius urbis et præcipua, sed quæ S. Christophoro sacra,* E *in quam non desunt qui solium Episcopale transferri velint. Nulla vero tota ea urbe ædes est* S. Plechelmo *peculiariter dicata, aut ejus nomine celebris.*

eæ reliquiæ anno 1594 inventæ, et elevatæ.

41 *Ejus porro ac sociorum reliquiæ in ea sancti Spiritus æde*, in excavata basi tabulæ summi altari, *ut scribit Miræus*, consecratæ fuerunt, cum vetusta hac inscriptione, PARTES RELIQUIARUM SS. WIRONIS, PLECHELMI, ET OTGERI. *Eæ, ut ad S. Wironis Vitam retulimus, tabula summi altaris a Calvinianis Wilhelmi Nassovii militibus eversa, basi tamen (quæ singularis Dei providentia fuit) intacta, servatæ sunt, ac multo post tempore repertæ, et honorificentius elevatæ. Cujus Inventionis et Elevationis anniversario memoria, ritu duplici celebratur feria* 3ª *post festum sanctissimæ Trinitatis.*

Bergense, sive S. Odiliæ, templum fœde neglectum.

42 *Quia vero, ut ad S. Wironis Vitam diximus, Canonicis Regularibus Congregationis sancti Sepulchri datum fuit montis S. Odiliæ templum ac monasterium, vix ambigi potest, quin saltem particulæ aliquæ earumdem reliquiarum iis relictæ sint, cum locus esset (fuisset certe) miraculis ad eas reliquias fieri solitis celebris. Quid iis factum, an* F *alio deportatæ, an hagiomachorum rabie dissipatæ, nusquam legi. Nam et locus deinde neglectus, Divorum æræ ex parte collapsæ, statuæ dejectæ: et harum quidem unam audio non procul inde contemptim pronam jacere, atque agrestibus hominibus ad ligones, securesque et alia rustica ferramenta exacuenda, cotis instar, usui esse. Et non licebit, cui zelo honoris divini cor caleat, vaticinari cum Venusino poeta?*

Delicta majorum . . . . lues,
. . . . donec templa refeceris,
Ædesque collapsas.

Sed jam pace Belgio reddita, sancta ejusmodi suscipientur consilia.

A

VITA

Auctore anonymo.

Ex duobus Mss. Lindani et Wulpii, cum aliis collatis.

Post Christum viri apostolici mundum illuminant, ut S. Patricius,

Cum Dominus et Salvator noster Jesus suæ claritatis fulgore mundum illustraret, et humanum genus, per primi hominis lapsum æternis cruciatibus deputatum, liberaret; per mundi latitudinem ejusdem claritatis stellas, ubique innumerabiles exoriri fecit, qui lampade sanctæ prædicationis æternæ noctis tenebras effugarent. Solis denique radiis absentibus, siderum terra solet illuminari fulgoribus: non aliter sancti Doctores Ecclesiæ, veluti sole, qui Christus est, ubique præsente, populum erudiendo, mundum suis illuminant splendoribus. Quorum quamplurimos procreare meruit *a* Northumbria, Scotia, Hibernia. Inter quos *b* S. Patricius, vir magni exempli, Apostolici Ordinis culmine fulciri a Deo promeruit. Qui vero in summi apicis regimine, quantum vel qualem se esse exhibuerit, nostri inculti sermonis minime explicabit oratio.

B

S. Cuthbertus, S. Columbæ, et Willebrordus,

2 Hic quoque velut prudens dispensator, accepti negotii lucrum multiplicare satagens, gregi sibi a Deo commisso tritici mensuram fidelissime in tempore dispensabat. Sancta divinæ virtutis operatio per sui Sacerdotis meritum, in populo plurimum operari dignata est miraculorum. In quibus autem tantum effloruit, ut illa postoralis Sedes antea nec postea talem sortiretur Pastorem. Hujus itaque imitatores plurimi extiterunt, qui in vinea Domini laborando æternitatis gloriam perceperunt. De quorum consortio *c* Cuthbertus Christi præco præcipuus, ejusdem gentis in sancta Dei Ecclesia extitit pretiosissimus. Necnon *d* S. Columba, fortis Christi athelta, Spiritu prophetico sic inflammatus, ut multis futura ceu ante provisa denuntiaret. Sanctus itaque *e* Willibrordus infra ejus patriæ, scilicet Northumbriæ, fines oriundus, velut ardens lucerna in montis cacumine posita, plurimis de via veritatis errantibus, ut in viam redire possent justitiæ, lumen effulsit inextinguibile. Quales isti prælibati Patres extitissent, volumina in sancta Dei Ecclesia de illorum virtutibus conscripta, pie inquirentibus insinuant.

C

S. Plechelmus in finibus Scotiæ natus, virtutibus conspicuus, et pœnitentiis deditus,

3 Sanctus ergo vir, nomine Plechelmus, infra *f* confinia Scotiæ, de clara nobilium prosapia patrum procreatus, jam in pueritiæ annis spiritualium Patrum vestigia sequi imitando cupiebat: sacrarum se mancipabat lectionum studiis. Quantam inter condiscipulos obedientiam majoribus exhiberet, et humilitatis officium cunctis se sibi sociantibus impertiret, totum scripto comprehendi vel dicto omnino deficit: quibus tamen rebus ita sibi consecraverat commilitones, ut eum miris dilectionum colerent affectionibus. Ipse vero divini ardoris flamma succensus, corpus suum edomans jejuniis, vigiliis et orationibus, in primævo ætatis flore animo proposuit, quod postea maturioribus annis explevit.

D

litteris erud[i]tur, precibus Deo sap[ientiam] [...] Eccli. xxiii[...]

4 Sic demum in diem proficiens, litteratoriæ artis dulcedine inebriatur cordetenus. Inter hæc die noctuque deprecans Dominum ex totis præcordiorum nisibus, ut sibi concederetur divinæ sapientiæ intellectus, excubabat ad fores sapientiæ, memorans illud (ut credendum est) in orationibus, quod dictum est per quemdam sapientissimum: Domine pater et Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno, extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et desiderium averte a me, Domine: aufer a me concupiscentiam, et animo irreverenti et infrunito ne tradas me, Domine. Hæc beato Viro sæpius in precum vigiliis iteranti, sic, Dei condonante gratia, cælesti rore irrigatur; ut pluribus per exempla sanctæ et innumerabilis Domini pietatis conciliaretur gratia. Erat etenim magnæ abstinentiæ amator, et divinorum præceptorum perspicax executor, utriusque Testamenti paginæ assiduus inspector.

E

Sacerdotio in[i]tiatur, [...] moribus orna[tus]: Malach. ii, 6[...]

5 Inter quæ beato Viro collatum est divinitus, ut Ecclesiastico fultus ministerio, presbyteralis Ordinis dignitatem sortiretur. Sed Vir Domini constanter idem perseverabat, qui fuerat, humilis in habitu, blandus in eloquio, serenus in face, moribus adornatus, in pauperum cura fervidus, in eleemosynarum *g* dapsilitate largus, in lectionem studio assiduus, omnique virtute præditus. Denique in castitatis vigore pollebat, et lumen veritatis in operatione moustrabat. Et hoc sibi non defuit, quod scriptum est: Lumen veritatis fuit in ore ejus. Et illud: Labia Sacerdotis custodient scientiam. His vero munitionibus fortis Christi athleta viriliter armatus, contra omnes maligni hostis insidias dimicans, Domini se protegente misericordia, per omnia triumphabat. Nam quod verbo docuerat, moribus et exemplis adornabat.

Episcopus [...]tur: cum S. [Wi]rone mittitur Romam ord[i]nandus a Papa. Rom. x, 15

6 Interea contigit sanctæ Dei Ecclesiæ *h* Pastorem, sub cujus regimine hic Dei famulus in castris Christi degebat, viam universæ carnis ingredi, et suæ remunerationis a Domino præmio ditari. Fit non modica tam sacri Ordinis quam subjectæ plebis conventio, et de electione Pontificis quæstio. Tum vero unanimes sanctum Dei Famulum Plechelmum ad hoc opus proclamabant esse accipiendum. At Vir sanctus cognita plebis intentione, quamvis tepide, tamen voluntati eorum obtemperabat. Tunc alterum non inferiorem sanctimoniæ virtutibus prædicto Viro associant, nomine Wironem: quos pariter ad limina Apostolorum miserunt, ut de Apostolico viro, qui tunc temporis apicem summi Ordinis providebat, benedictione firmarentur (juxta illud quod scriptum est: Quomodo prædicabunt nisi mittantur) non tamen in unius Episcopatus sede populum docturi.

F

eo perven[iunt], ac loca sacra obeunt. Ps. L, 19

7 Sed illud omittendum nequaquam esse censuimus, quod beati viri inter eumdem multa perpessi sunt contraria, æquo animo ducebant universa, nec in adversis deficiebant, nec in prosperis se elevabant. Cumque illo quo ire cupiebant pervenissent, et sancta circuirent loca, orationibus vacantes, seipsos

scipsos in holocaustum Domino mactabant, juxta illud sanctissimi Prophetarum David: Sacrificium Deo spiritus contribulatus.

a. Episcopi a Papa ordinantur, et in patriam remittuntur

8 Sed vir Apostolicus cum eorum sanctitatem intellexisset, et in eis sanctæ religionis rigorem et sapientiæ plenitudinem perspexisset vigere; eos secum caritative retinuit: donec statuto tempore in præfata ecclesia B. Petri Principis Apostolorum, cum Clero suo astante, summo eos honore sublimavit. Quo facto, de Sanctorum reliquiis ditavit eos donariis, et alia xenia subministravit. His ita gestis, in eis expleri videtur, quod in veteri Testamento ad Heli Sacerdotem loquitur Dominus: Glorificantes me gloria sublimabo. Tunc vir Apostolicus beatos Dei famulos in euangelizandi opus cum honore remisit. Illi vero ad patriam regressi, et in suis sedibus collocati, semina verbi Dei uberrime multorum cordium agris seminabant. Gaudet populus, plebs tota congratulatur, tantorum virorum prædicationibus se irrigari, [ac] velut imbribus perfundi cælestibus.

B

Plechelmus ut ambitionem caveat, statuit peregre proficisci: i

9 Sed beatus Domini *i* agonotheta Plechelmus cum se a populo frequentari cognovisset, solicite præcavens nequando incideret in humanæ ambitionis gloriam: nam se abstinuit in teneræ ætatis tirocinio a seculi pompis, ab petulantiæ carnalis illecebris, a conviciis publicis, a mundi voluptatibus, a lucris turpibus, et ab ipsa malorum radice superbia. Et sic usque ad vitæ exitum iis se vallari munitionibus satagebat: quo liberius immarcescibilis gloriæ cum Sanctorum cœtibus fructus perciperet. Hæc sibi ne fuissent solicitus existebat. Cum autem vir Sanctus idolorum culturam infra terminos ipsius patriæ extirpatam cerneret, et recte credentium fidem emittere flores, ad salutem aliorum se præparare festinabat, sedulo occultis intentionibus recolens, quod Dominus beato Patriarchæ Abrahæ præcepit, dicens: Exi de terra et de cognatione tua. Hujus itaque Dominici sermonis Sanctus Dei prædicator præconia implere studuit; plus peregrinationem pro Dei amore malens pati, quam in patria sua humanis favoribus extolli.

C

Venit in Galliam ad Pippinum, ac multos convertit, et templa ædificat. k

10 Tunc omnibus postpositis patriam parentesque reliquit, et *k* Regem Francorum Pippinum, virum strenuum, et in receptione Sanctorum incomparabilem, comite quodam magnarum virtutum viro, nomine Othgero, expetivit. Qui vero in ejus conlætatus adventu, plurimum exhilaratus est gaudio. Cumque ejus sanctitatem præfatus Rex animadverteret, et cum eo sanctæ prædicationis colloquia continuaret; misit eum ob euangelizandi constantiam per sui regni latitudinem, ut populos errori implicitos, et in sacrificiorum ritibus sordidantes, sanctæ prædicationis dogmate illustraret, et sacro fonte baptismatis ablueret. Nam quamvis Christiani eo tempore fuissent, quam plurimi tamen illorum vanis superstitionibus vacabant. Quo audito congratulatus est Christo Domino, quod sibi a Rege impositum erat, propter quod de sua patria ad eum se contulerat. Nec mora: Divina se comitante gratia, opus sibi injunctum accelerat, et spinas lubrici erroris exstirpans, populum erudiendo, baptizando, plurimum profecit in operando. Annuente vero Rege, ecclesias Domino in multis ædificavit locis. Illud etiam congruum duximus, et huic operi intermiscendum, quod ubicumque Sanctus Domini Christo ecclesiam dedicaverat, usque hodie annis singulis in die dedicationis ejus permanent S. Plechelmi patrocinia, et divina sibi operante gratia, plurima virtutum fiunt miracula.

ex MS.

Pippinus ei montem Petri donat, de variis confert, eique confitetur.

11 Sed cum Dei Servus jam extitisset senio fessus, præfatus Rex quemdam infra ipsius regni partes locum, qui de suis incolis Mons Petri nuncupatur, concessit ad habitandum. Ibi quoque exstirpata pristini erroris nequitia, usque ad centesimum per servum suum operari dignatus est fructum. Sed Pippinus Francorum Rex incomparandus in tanta veneratione eum habebat; ut singulis annis initiante quadragesimali tempore, de suo palatio descendens, nudis pedibus, et regali deposita purpura, ut præfatum locum, quem Sanctus incoluerat, ire properaret: et cum eo tenuit consilium, quomodo regni gubernacula secundum Domini voluntatem gubernaret, et sanctæ fidei magnitudinem in seipso suisque subjectis adaugeret. E
Ibi quoque cum summo Sacerdote Domini, confessione criminum facta, et accepta pœnitentia, de humanitatis parte deflet contracta. Iste vero vir Sanctus per omnes dies vitæ suæ in divino proficiens opere, Deo et omni populo extitit amabilis.

Moritur XV Julii: sepelitur in monte Petri.

12 Sed cum nulla interpolarent spatia, quibus vel se vel alios non desideraret ad divinæ rectitudinis consistere normam, virum egregiæ sanctitatis ex sacræ religionis amplificatum profectibus, cælica reposcebant agmina, quo in illorum contubernio immarcescibili ditaretur præmio. Sanctus vero nimiæ prolixitatis senio fessus, migravit ex hac peregrinationis patria, Idibus Julii, Christum semper in æternitatis visurus patria: atque in ecclesia præfati in montis cacumine constructa, et in honore S. Mariæ Virginis dedicata, de Fratribus ad exequias beati viri confluentibus, honorifice sepultus est.

et miraculis illustratur

13 Quanti vero meriti Sacerdos Christi fuisset, divina pietas in miraculorum signis ostendit. Nam apud sepulchrum ejus cæci illuminantur, dæmonia effugantur, et plurimorum membra ægrotantium sanantur. Nos F
vero, quos ignavia corporeæ molis deprimit, hujus viri exempla imitantes, ejus patrocinia digne veneremur, ut per ipsius merita mereamur adipisci, quod ipse in paradisi amœnitate meruit possidere, per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

ANNOTATA.

a Northumbria *generatim sumpta, ut ipsum indicat nomen, ea pars Britanniæ est, quæ ab Humbro æstuario in Boream vergit, duos Saxonicis temporibus complexa populos,* Deiros *australiores Humbroque viciniores, ac* Bernicios *ad Fortham ac mare Scoticum protensos. Nunc pressius tribuitur id nomen provinciæ, quæ Dunelmensis Episcopatus, ac Cumberlandiæ Scotiæque hodiernæ parte et Orientali Oceano concluditur.*

b *De* S. Patricio *Hiberniæ Apostolo fuse actum* XVII *Martii.*

c *Vitam* S. Cuthberti *Lindisfarnensis Episc. dedimus*

EX MS.

dedimus xx *Martii*, *imo plures Vitas a coævis scriptoribus compositas.*

d *Celeberrimus Abbas* Columba *colitur* ix *Junii : fuit is centum annis junior S. Patricio, centum S. Cuthberto senior.*

e S. Willebrordi *Ep. Ultrajecten. Vitam dabimus* vii *Novembris.*

f *De* S. Plechelmi *patria egimus in Prolegomenis.*

g *Quid sit* dapsilis *ad S. Wironis Vitam diximus.* Dapsilitas *ergo pro copia, et profusione hic sumitur.*

h *Hinc liquet, eum esse Pechtelmum Bedæ memoratum, quem (ut supra diximus) Candida Casa* primum habuit Antistitem.

i Agonotheta, ἀγωνοθέτης, *est qui certamen instituit, vel præmia proponit. Sed crebro in mediæ ætatis scriptoribus, pro eo qui certamen init, usurpatur, qui potius* ἀγωνιστὴς *dicendus.* D

k *Diximus* § iv *hunc nobis videri fuisse Pippinum Herstallum, qui* etsi non regio nomine, tamen regia potestate in Austria regnabat. *Sicque ejus nepos B. Carolomannus in Præfatione ad concilium Liptinense loquitur :* Ego Karlomannus Dux et Princeps Francorum .... Episcopos, qui in regno meo sunt, cum Presbyteris ad concilium et synodum pro timore Christi congregavi.

DE S. DONEVALDO CONFESSORE

CUM NOVEM FILIABUS VIRGINIBUS.

IN SCOTIA.

J. B. S. B E

Ex Fastis Scoticis.

SÆC. VIII. *Sancti isti hic referuntur*

Recurrit *superius idem* S. Donevaldus *seu* Donaldus *cum sancta sua virginea sobole ad diem* xii *Julii, ubi de ea familia in Prætermissis ex Camerarii Menologio egimus, rem totam, ex aliorum auctoritate ad hunc diem remittentes, non sine causa timendi, ut multo plus lucis agnitis ex tunc tenebris affunderetur : unde verosimiliter et hic prætermittendi essent. Neque sane satis movere me poterat Camerarii aut Dempsteri imbecillis auctoritas, quorum ille ibi patrem cum tot filiabus referebat, iste vero hoc die, pro mero, uti tunc rebar, ipsorum arbitrio. Citabat Scriptores Scotos Camerarius, apud quos utut rei substantia memoraretur, miro nempe et austero vitæ genere Sanctos qualescumque excelluisse, necdum certe constabat, ritu Catholico umquam honoratos fuisse, quo deficiente, haud licitum nobis videbatur, eos in opere nostro collocare. Vicit tandem Breviarium Aberdonense, unde extractis* C *aliis non semel usi sumus : utpote cum in ea ecclesia Officium olim usitatum fuerit. Titulum alibi datum, hic repetimus :* Sanctorum Scotorum Vitæ ex Breviarii in usum insignis ecclesiæ Cathedralis Aberdonensis, adeoque totius ecclesiæ Scoticanæ : impensis Valteri Chepman Edemburgensis mercatoris typis mandati, Kalendis Februariis, anno a Christo nato mdix, Jacobi IV Scotorum regis xxii, parte hiemali excerptæ *: unde per totum annum decurritur.*

2 *Fatebor equidem, non referri ibidem lectiones aut ordinatam historiam de hisce Sanctis; verum cum eorum festivitas, æque ac S. Palladii, S. Kiliani etc. istic expressa sit, videor fundamenti satis habere, ut iis hic locum concedam. Hæc ibi notantur :* SS. novem Virginum filiarum S. Donaldi in Scotia sub rege Eugenio VII, anno dccxii vel dccxvi ; Julii xv. *Verba Camerarii ad* xii *Julii sunt hæc :* S. Donevaldus, aliter Donaldus cum novem filiabus. Vide Leslæum lib. 4, Boëtium lib. 9, Regium in Kalendario. Vitam cum filiabus sanctissimam transegit in solitudine Ogiluy, ipso autem defuncto, Abernathi monasterium ingressæ sunt. *Dempsterus sic habet hoc die :* Abernethæ Donevaldi agricolæ, et filiarum novem sanctis adscriptarum, quarum domicilium quercus, patrum memoria ostendebatur annosa ; et miracula ecclesiolæ vetustissimæ parietinis insculpta, ab hæreticis nuper profanata et abolita. *Eadem ferme apud alios Scotos scriptores exstant, ex quibus Leslæum selegisse sufficiet lib.* iv *in Eugenio VI pag.* 165 : Vivente hoc rege, Doneualdi cujusdam, ex Scotorum nobili familia, sanctitas plurimum ad animos hominum pietatis studio inflammandos valuit : qui in solitudine Ogilvy, non procul ab Alecto oppido, cum novem liberis suis feminis, arctissimam vitam degens, in orationibus et jejuniis vitam transegit. *Hæc proferre ausi sumus, supposita veneratione Sanctis istis aliquando exhibita, quorum historiæ veritatem fidei Scotorum relictam volumus.* F

auctoritate Breviarii Aberdonensis

DE

A D

DE S. GUMBERTO CONFESSORE
ANSPACHII IN GERMANIA.
COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. B. S.

§ I. Variæ confusiones in Sancti nomine, dignitate, et locis ubi colitur.

SÆC. VIII. Sanctus de quo inter synonymos hic agitur.

Nomen S. Gumberti *varie inflexum, variis diebus signatum, multis confusionibus ansam olim præbuit, quas hodie tollere, non usque adeo promptum est. In Actis nostris, ex variis recentioribus Martyrologiis ad* XI *Martii refertur sub* Gumperti *nomine, ut* episcopus Herbipolensis electus, *atque ad hunc diem remittitur. Rursus ad* XVI *ejusdem mensis recurrit* Gumbertus episc. conf, *qui et noster esse supponitur. Tum* XX, Gudbertus *seu* Gundebertus sacerdos in B Germania *signatus est ex Marlliis Mss. Romano Card. Barbarini et Neapolitano Antonii Caraccioli, qui huc denuo translatus est, tamquam episcopus videlicet, qui laicus vixit et mortuus est. Cur autem tam variis diebus memoretur, quis satis divinaverit? Adde aliorum inflexiones in* Guntbertum, Guntpertum, Gondebertum, *qualis in Actis ut martyr colitur* XXIX *Aprilis,* Gundelbertum, Gumbertum *etc. quæ omnia rei, alioquin valde obscuræ, ut statim intelliges, meras tenebras offundunt. Neque fortasse inverosimile est, S. Gumbertum Senonensem episcopum, postea in Vosago monachum, qui* XXI *Februarii in Actis relatus est, ab imperitis hominibus Herbipolim perperam adductum. Hisce confusionibus, utcumque tollendis, hunc paragraphum præmittimus, a loco ubi Sanctus olim præcipue cultus est, incipientes.*

Anspachii certo cultus fuit;

2 Anspachium, *vulgo* Anspach, *marchionatus est hodierno Borussiæ regi, electori Brandeburgico subditus, medium ferme territorium occupans inter ditiones Episcoporum Herbipolensis et Eystettensis, cujus synonymam metropolim sic describit Franciscus Irenicus in Exegesi Germaniæ lib.* XI, C *pag.* 201 *versa, ubi ipsam vocat* Anolspachium (*alias* Onolspachium) Anspach, *inquit,* corrupto vocabulo dicitur, civitas quinque a Nurenberga milliaribus distans, inter Francones et Bavaros, sedes marchionis Brandeburg, a fluvio parvo quodam nominata, qui civitatem præterlabitur, Anolspach dicto. Fuit urbs hæc olim sub dominio de Dornberg, a quibus ad marchionatum devenit. Ecclesiam hic S. Humbertus condidit et erexit, qui et illic ultimum diem claudens, suas reliquias seposuit. *Quidni* deposuit? *Uti et* S. Gumbertus *pro* Humbertus? *Ut pluribus mendis typographicis inspersam eam editionem recte ante me observaverit noster P. Joannes Seyfrid, in Academia Herbipolensi lectionis historicæ professor, cujus amica et liberali opera usus sum in iis conquirendis, quæ ad Sanctum, quo de hic agimus, pertinent.*

licet ejus memoria nonnihil obscurata sit,

3 *In ea igitur civitate, in monasterii a se conditi ecclesia, postmodum collegiata, sepultum et Sanctorum olim veneratione cultum docet Vita inferius danda, fateturque Merianus in sua Franconiæ topographia pag.* 44, *ex quo nonnulla* § III *desumenda erunt. Ibi, inquam, præcipuo cultu celebratus est Sanctus, quidquid a multo tempore duobus nempe jam sæculis, grassante Lutherana et postmodum Calviniana hæresi, Catholici ritus abolita sint ferme vestigia, atque adeo non parum obliterata, ibi æque atque Herbipoli* S. Gumberti *memoria, ut docet epistola R. P. Jacobi Streinii data ad P. Guilielmum de Wael, Collegii Bruxellensis Rectorem. En epistolæ verba :* Quod R. V. de S. Gumberto inquirit, plurimum hactenus ingenia exercuit. Majoribus nostris hanc occupationem pessimam debemus, qui- E bus agere laudabiliter, quam scribere voluptas major fuit. Illud manifestum est, corpus illius, e quo furtim pars a quodam N. N. sublata est, Anspaci loco hæretico in ecclesia parochiali quiescere, quam ab ipso ædificatam, ex Egilwardo, S. Burchardi encomiaste, colligere licet. De rebus ab illo mirifice gestis, canonizatione etc. ingens silentium ; imo nomen vulgo ignotum est. Pro sanctitate duo faciunt : unum est, quod Vitæ S. Burchardi scriptor beneficia quædam impetrata per ipsum jam vita functum haud obscure indicat, alterum quod in Litaniis, quibus in processionibus clerus utitur, S. Gumberte ora pro nobis reperitur. Quærentibus, quis sanctus ille Gumbertus, episcopus an confessor, monachus etc., nemo respondet.

4 *Streinium rogaverat Guilielmus de Wael, Bruxellensis, ut dixi, Rector, ut de* S. Gumberto *seu* Cumberto, *apud Belgas ignoto, notitias suggereret, utpote qui circa id tempus (anno* 1639) *a Regina Clara Mechelmans, vidua Theodori van Reynegom, in supremo Mechliniensi con-* F *cilio olim causarum patroni, Sancti caput dono acceperat, ut infra paulo latius deducemus; ex citata vero responsoria epistola satis patet, Herbipoli tum temporis plane neglectum fuisse* S. Gumberti, *tametsi ecclesiæ istius insignis benefactoris, cultum, qui ex solis Litaniis Streinio innotuerit. Pergit epistola :* Ad Martyrologia quod attinet, tria mihi videre licuit, in quibus nomen illud ; Usuardi, Canisii et Walasseri, qui auctores ad diem XI Martii, meminerunt ut episcopi Herbipolensis. Canisius et Walasserus asserunt, ante obtentam confirmationem habitu militari sepultum esse ; obtenta confirmatione, episcopalibus ornamentis splendidum repertum esse. Equidem in Catalogo Episcoporum nostrorum septimus, a quibusdam octavus, numeratur Hunebertus quidam ; de sanctitate non fit mentio ; nec meo quidem judicio circumstantiæ omnes illi Gumberto conveniunt, quem scriptor Vitæ S. Burchardi laudat, cujus R. V. reliquias obtinuit. Quæ enim excogitari ratio potest, cur qui post Gumberti mortem scripsit, de electione

ut pridem docuit scripta in Belgium epistola.

AUCTORE J. B. S.

ctione episcopali, et miraculosa sepultura, omnibus tam nota, tacuerit?

Quidquid tituli varii ipsi accreverint.

5 *Verum est quod ex adductis recentissimis Martyrologiis observavit Streinius, ut infra magis liquebit; nec minus verum est, inductam (sæculo opinor* XV) *nescio quam confusionem inter episcopum aliquem Herbipolensem vel alium, et* S. Gumbertum *nostrum, quæ a Joanne Gamans, in meditati o eris titulo etiam adoptata est, tametsi fictionem in fronte præferre videatur; sic enim habet foliolum, a laudato Seyfrido ad me transmissum, in quo et alii tituli, et novæ procul dubio confusiones accesserunt. Titulus is est:* Divus Gumbertus, ex Franconiæ Duce, Rotenburgi comes, Onolspacensis Dominus, Herbipolensis ecclesiæ Vicedominus, demum episcopus electus, at exorata sibi morte præreptus, episcopali tamen amictu cælitus in tumulo investitus anno DCCC. *Hæc quidem Gamansius, nobis semper æstimatissimus; verum quidquid ipse, aut Martyrologia, aut alii de* S. Gumberti *miraculosis infulis tradiderint, rectissime observat Streinius, solum Egilwardi, cujus verba inferius dabimus, de prætenso episcopatu silentium,* B *pluris faciendum esse quam recentiorum Martyrologiorum omnium annuntiationes, nisi vetustiores fontes assignentur, ex quibus historiam istam profluxisse certis argumentis demonstrari possit.*

alius esse non potest a S. Burchardi discipulo.

6 *Crediderim ego, historiam illam de Sancti cadavere, episcopali habitu amicto, inde exortam esse, quod posita prima fictione, nempe episcopum fuisse; cum postmodum calculo accuratius inito, deprehenderint Herbipolenses, locum* S. Gumberto *inter urbis suæ episcopos dari omnino non posse, modum excogitaverint, quo salvari aliquousque posset episcopi dignitas, dicendo nimirum, electum quidem fuisse, sed morte præventum Cathedram sibi destinatam non conscendisse. Simile quid statuendum existimo de ducatu Franconiæ, de comitatu Rotenburgensi et Vicedominio ecclesiæ Herbipolensis, quæ omnia ab Egilwardo atque ab auctore Vitæ ignorata sunt, procul dubio non omissuris tam præclaras Sancti prærogativas, si eas umquam possedisset. Audiamus reliqua Streinii verba:* Præterea cum S. Burchardus obierit an. DCCXCI, Hunibertus vero seu Chunibertus electus episcopus tradatur anno DCCCXXXII; quis non videt tantam annorum distantiam C non convenire Gumberto illi, de cujus reliquiis agimus, quem S. Burchardi discipulum fuisse ex ejusdem Sancti Actis liquet. Jam vero si duos Gumbertos admittimus, augentur tenebræ, quando nec clerici nostri dicere poterunt, utrum illorum invocent, nec quisquam alius indicare sepulcrum vel tumulum e quo potuerint decerpi reliquiæ: mihi vero certum est, ex Anspacensi sublatas esse, qui haud dubie is est, de quo auctor Vitæ S. Burchardi meminit. *Hæc Streinius recte et vere, nisi vehementissime fallor.*

Res tota magis involvitur ex aliis notitiis,

7 *Aliam porro et majorem etiam, ne dicam inextricabilem confusionem parit scheda hic inventa Latine et Germanice sub hoc titulo:* Monasterium S. Joannis, vulgo Unterwildberg dictum, Ordinis quondam Cisterciensis in diœcesi Herbipolensi situm, a comitissa quadam Palatina, nomine Gebra (quæ anno MCCIX defuncta ibidemque sepulta est) fundatum. *Unde hæc accepta sint, non indicatur, ego in monasteriorum Catalogis hoc cœnobium non reperi. Sic pergit scheda:* De S. Guniberti ibidem sepulcro. *Tum:* In prædicti monasterii ecclesia juxta summum altare, sepulcrum quoddam D inventum est, quod semper ab incolis sepulcrum S. Gumberti (quem de stirpe ducum Franciæ Orientalis natum, Ordinis S. Benedicti religiosum et episcopum Herbipolensem fuisse, denique hanc episcopalem dignitatem resignasse, atque ad hoc monasterium se contulisse, ibidemque longo tempore Deo præstitis obsequiis, pie et sancte in Domino obiisse ferunt) putatum et existimatum fuit; unde multis, imo immemorabilibus pene annis, sicut et hisce adhuc temporibus, tum animantia tum non pauci hominum, vel furibundorum canum, vel aliorum virulentorum animalium morsu læsi, et rationis usu privati, ad reliquias prænominati S. Guniberti ducti, Deum omnipotentem supplices orantes, et juxta sepulcrum Sancti hujus cibum et potum sumentes, pristinæ sanitatis vigorem consecuti sunt.

quæ Sanctum alium indicare videntur;

8 *Subdit autem,* Sancti *istius,* paucis præterlapsis annis cranium, ex quo peregrini bibere soliti fuerunt, *ostensum fuisse;* num illud forsan surreptum et alibi delatum sit, nesciri. *Tum:* Equidem adhuc unum Gunibertum, eadem stirpe natum, et quondam Rottenburgi ad Tuberam comitem reperio, E *inquit,* qui ad petitionem S. Burchardi anno DCCLI monasterium S. Andreæ, modo collegiata ecclesia S. Burchardi nuncupata, fundavit; num supradictus ille Gunibertus fuerit, et ad statum religiosum se contulerit, adhibita diligenti inquisitione, certus fieri nequeo. *Non miror, scriptorem istum, quisquis sit, hic hæsitasse. Quæ ad me scripsit laudatus Seyfridus difficultatem non explanant. Vidit ipse* in sacello antiquo diruti monasterii S. Joannis, S. Gumbertum in altari pictum habitu episcopali. Ante idem altare dicitur ab accolis sepultus. Lapis sepulcralis multas fissuras et cavitates habet: solent enim rustici vicini, ubi morbo corripiuntur, pulveris aliquid a lapide abradere, idque per modum medicinæ sumunt, cum optato sæpe effectu. Ibidem ex ferreis catenis pendent duo lapides ferro inclusi. Qua occasione suspensi ibi sint, quid sibi velint, nescitur. Rustici autem, tam in suis quam suorum jumentorum morbis solent lapidibus dictis superfundere F aquam, eamdemque bibere, et jumentis potandam dare, obtenta sæpius salute.

at talium inventor,

9 *An hic tertius fortasse* S. Gumbertus *indicetur, viderint Herbipolenses, quibus nodos istos solvendos relinquimus. De cranio Bruxellensi, Anspaci certissime et non alibi reperto, sermo, ut jam dictum est, recurret inferius.* Gunibertum *ex* Gumberto, *mutato* m *in* ni *facillime verti potuisse, nemo est, qui non videat; geminum aut ternum admittere, nulla hactenus ratio satis suadet. Quid si enim reliquiæ ex uno in aliud monasterium translatæ fuerint, unde ambo totum corpus sese possidere existimaverint? Quod vero narrat scheda, de relicto episcopatu Herbipolensi, sumptoque religioso habitu Benedictino, auctiorem aliquam fabulam, seu confusionem sapere potest, ab ignorante confictam, qui Gumbertum et sanctum et episcopum et postea monachum inveniens, non insolita rerum, locorum ac temporum turbatione, ex Vosago Sanctum synonymum, antea Senonensem episcopum, Herbipolim accersiverit, quem vere monachum induisse novimus ex Actis nostris ad* XXI *Februarii, ubi plures adducit Henschenius qui*

sæculo

A sæculo septimo, abjectis infulis, in solitudinem se receperunt, quales fuere S. Arnulfus Metensis, Deodatus Nivernensis, et Hidulphus Trevirensis, de quo postremo non ita pridem actum est ad XI hujus mensis, de S. Deodato ad XIX Junii.

manifestæ hallucinationis convincitur.

10 *Ut ad Schedam redeamus, patentissima est scriptoris hallucinatio; quis enim satis intelligat* Gunibertum *seu* Gumbertum, *qui monasterium S. Andreæ fundaverit anno* 751, *ad petitionem sancti Burchardi, eumdem esse posse cum altero illo, qui monachus fuerit in cœnobio S. Joannis, primum condito a comitissa Palatina Gebra, sæculo* XIII *vita functa, annis ferme quingentis post S. Burchardi obitum? Non longa inquisitione opus fuit, ut talium epocharum impossibilis connexio in oculos incurreret; quemadmodum recte statuebat Streinius,* Hunibertum *sive* Chunibertum, *tametsi et* Gumbertus *dictus fuisset, qui anno* 832 *Herbipolensis episcopus electus traditur, nullo modo connecti posse cum discipulo S. Burchardi, quamvis hic supponeretur vitam protraxisse ad annum usque* 791, *quod falsum esse ostendimus in Commentario prævio ad Acta S. Kiliani num.* 14, *et fusius postmodum suo loco ad* XIV *Octobris demon-* B *strabimus. Quocumque te vertas, ita veris falsa immixta sunt, ut singula discernere, necdum satis pervium videatur. Missis itaque confusionibus istis omnibus, verum saltem unum* S. Gumbertum, *quo de hic agendum est, quique S. Burchardo synchronus fuit, nativis suis coloribus, quousque id fieri poterit, depingere conemur.*

§ II. Sancti professio, cultus ex Martyrologiis, ætas et Acta.

Vera S. Gumberti imago,

U*t veram ac genuinam veri* S. Gumberti *imaginem lectorum oculis exponamus, non aliunde ea melius repeti potest quam ex scriptore ætati ejus proximo, qui quidem exstet, quamquam undecimum sæculum non superet, nempe ex Egilwardo, de quo alibi etiam egimus, auctore Vitæ S. Burchardi cujus capitulum* X *libri secundi describi curavit noster Seyfridus ex codice Ms. monasterii Amorbacensis, quod a nobis collatum est cum editione Mabillonii sæc.* 3 *Benedictino* C *parte* I, *pag.* 709, *servata primigenia phrasi, a qua Mabillonius nunnumquam deflexit. Titulus capituli :* De viro religioso Gumberto converso. *Textus deinde est :* Lucebat inter hæc et post hæc, sine intermissione, lux tantæ lucernæ ardentis fide et dilectione, lucentis verbo et actione, nec abscondi poterat, super candelabrum pontificalis honoris posita lampas, Salvatoris igne flammata : unde quamplures undique confluebant ad tanti doctoris audientiam diversi sexus, ætatis atque conditionis, fontem vitæ quoque sitiens anima. Ex quibus vir illustrissimus, nomine Gumbertus, universa morum ac nobilitatis honestate præclarus, ejus est contubernio conjunctus, quatenus illius convictu atque colloquio, ceu quibusdam medicaminibus, a secularis fastus tumore mollitus, quandoque summæ philosophiæ, quæ est mundi contemptus, apprehendere posset ascensus.

ex solis Actis S. Burchardi rumpta.

12 Verum quia qui cum sapientibus gradietur, sapiens erit, sicut e contrario amicus stulti efficietur similis ei; non multo post prædia sua, quibus præ cunctis in ea regione degentibus abundavit, in S. Kiliani proprietatem delegavit; moxque, depositis armis, seculo renuntiavit : sicque nudus nudam suam crucem bajulans post Christum, cœpit B. Burchardum nullatenus deserere. Hæ sunt autem possessiones, quibus episcopium Wircenburgense large ditavit : Altimoin, Onotelbach, utrumque cum redditibus, et appendiciis, quorum prius cum olim castellum fuisset munitissimum [modo] magnificentiam suam ipsis tantum ruinis declarat. Sequens vero, quæ nunc præpositura canonicorum est, olim abbatiam non ignobilem fuisse, hucusque a majoribus, per multas jam generationes hereditatum, testimonium illius provinciæ non celat. Porro prædictus senior Gumbertus, ex tunc perfectissimi semper adhærens vestigiis magistri, bonis initiis suæ conversationis adeo laudabiles adjunxit successus, ut super ejus conversatione cunctorum ubique sonarent ora : Hæc mutatio dexteræ Excelsi!

** Lectori J. B. S.*

ostendit laicum fuisse, divitem et pium,

13 Nempe multorum ad ipsius provocabantur imitationem corda, in tantum ut exili tempore plurimis donariis et oblationibus fidelium Herbipolitana ditari non cessaret ecclesia, donec jam ex minima et paupercula, E facta est per Dei gratiam magna et ampla respublica, nondumque crescere desistit copia rerum, crescente nempe numero fidelium. Cujus profectui videtur illud apostolicum non inconvenienter aptari : Kilianus plantavit, Burchardus rigavit, Christus autem incrementum dedit. Sed enim vir idem egregius Gumbertus, ut olim in secularium dignitatum fastibus * se probaverat strenuum, ita post conversionem in spirituali conversatione nulli se passus [est] inter Burchardi sequaces haberi secundum; ejus formam semper indeclinabiliter intendens, illud euangelicum ruminabat frequentius : Perfectus omnis erit, si sit sicut magister ejus. Hic etiam post præsentis vitæ cursum bene in Christi famulatu consummatum, juxta B. Burchardi promissionem, in eodem monasterio, quod Christi condonaverat Ecclesiæ, possidet sepulcrum. Ibi nonnumquam ipso interpellante, concessa manifestant beneficia, quantum sibi profuerit B. Burchardi secutum fuisse monita.

** fascibus*

qui in monasterio a se fundato sepultus est

F 14 *Habes hic quidquid tuto ac secure de* S. Gumberto, *licet post duo et amplius sæcula traditum, admitti potest; ubi id satis expresse asseritur, sepultum ipsum esse, non Herbipoli, nec in S. Joannis cœnobio, sed in* Onotelsbach *seu Anspach,* in eodem monasterio quod Christi condonaverat Ecclesiæ, *quodque Egilwardi ætate jam tum* præpositura *erat canonicorum, sive Collegiata ecclesia sub præpositi dignitate; olim* abbatia non ignobilis, *quemadmodum* huc usque, *inquit scriptor,* testimonium illius provinciæ, *intellige territorii Herbipolensis,* non celat. *Quamdiu autem substiterit* abbatia, *quo anno ad Canonicos sæculares transierit, frustra a me quæsitura est. In ea porro Anspacensi ecclesia et sepultum Sancti corpus, et vel totum, vel saltem pro majori parte ibidem cultum fuisse, plane constat; inde vero ablatum cranium, quod Bruxellis in templo nostro asservatur, certissimis* testimoniis infra* § IV *demonstrabitur. Vides etiam, non hic* episcopum, *sacerdotem aut monachum, sed virum mere laicum : rursus non* ducem Franciæ, comitem Rotenburgi *etc., sed* militem, virum illustrissimum, *et divitem describi, ut proinde nec capi hactenus*

AUCTORE J. B. S.

hactenus nec intelligi possit, unde ei tot tituli affcti sint in ipsis Martyrologiis, quorum aliqua non rectam positionem seu locum sepulturæ assignant, plerisque Sanctum Herbipoli annuntiantibus. De eorum ætate, atque adeo et auctoritate hic paucis disseremus, ubi prius aliquam confusionis ansam conjicere tentaverimus.

quod ab Henrico episcopo restauratum.

15 *Vices Seyfridi supplebit quadamtenus Bruschius de Episcopis Herbipolensibus, ita describens Henricum, ordine* XVII : Henricus comes a Rotenburg ad Tubarum, propter brevem corporis staturam, a prima infantia comes Hezelinus, et postea etiam episcopus Hezelinus dictus, subrogatur cognato suo, ex hoc mortali vita evocato, consensu totius Cleri. Præfuit sapientissime ac utilissime annis viginti duobus, mensibus quinque, diebus viginti. Construxit et fundavit in suburbio Herbipolensi Collegiatas S. Stephani et S. Johannis ecclesias; Onoldsbachii vero magnificum S. Gumberti cœnobium Benedictinum, quod hoc nostro seculo Canonicorum secularium est collegium. *His non absimilia mihi ex Chronico Herbipolensi retulit laudatus ad-*
B *jutor meus, ut inde hæc a Bruschio accepta oporteat. Verius alibi notatur, non fundasse ista Henricum, sed* amplificasse *dumtaxat* et ornasse. *Legerit aliquis (ut erant ea ignorantiæ sæcula) sola priora dicti Chronici verba, ubi inveniens* comitem Rotenburgi *ecclesiarum ipsarum fundatorem, et simul* Herbipolensem episcopum; *aliunde vero exploratum habens, verum conditiorem fuisse* S. Gumbertum, *disparata absque examine connectens, ipsum et* comitem Rotenburgi *et* episcopum Herbipolensem *continuo pronuntiandum censuerit: unde non inverisimili conjectura deducas, insignem eam confusionem ortum habuisse.*

occasionem dederit, hujus titulos ad Sanctum transferendi.

16 *Præterea autem cum amplificatio et exornatio Henrico isti Hezelino, comiti Rotemburgi adscripta, expressissime referatur ad* S. Gumberti *abbatiam, adhucdum per id tempus existentem, et Benedictinis subjectam, quemadmodum verba diserte sonant;* Onolsbachii vero magnificum S. Gumberti cœnobium Benedictinum; *idque sub finem sæculi decimi (Chronicon habet anno Christi* DCCCCXCV) *mirum plane est, ita loqui Egilwardum, acsi de præpositura Canonicorum, multis ante sæculis monachis substituta ageret: nam*
C *si vera hæc sunt, sæculo ipso undecimo superfuisse adhuc monachos ibidem oportet; si vero eodem seculo vixerit Egilwardus, consequens est, non multis ante annis monasterium ad sæculares transire potuisse; qui alter nodus est ab eruditis popularibus solvendus, nisi Egilwardus ad posterius seculum retrahatur, quod variis argumentis oppugnat Mabillonius, hic vero operæ pretium non est pluribus discutere: ad Martyrologos, ætate certo posteriores, proindeque ejusmodi confusionibus præoccupatos, nunc procedemus, cetera eo spectantia sequenti paragrapho discussuri.*

Martyrologiorum annuntiationes,

17 *Nullum hactenus codicem reperi in quo melius et simplicius depingatur, quam in additione Ms. nescio unde accepta, quæ adjicitur ad* XI *Martii editioni alicui Belini Patavini, quæ apud nos exstat his verbis:* In territorio Herbipolensi, S. Gumberti militis et confessoris. *Vera item est Wionis et Menardi annuntiatio eodem die:* In territorio Herbipolensi, S. Gumberti confessoris, *quæ ex Molani editione altera desumpta videtur, qui istic correxit, quod in prima scripserat* Gumberti episcopi Herbipolensis. *At placuisse non videtur ea simplicitas auctori Florarii Ms., qui circa medium sæc.* 15 *varia conflavit elogia, absque severo examine non continuo adoptanda; ubi editioni Lubeco-Coloniensi, Violæ Sanctorum, Græveno, Canisio, Walassero et aliis viam stravit ad eo comminiscenda, quæ jam abunde rejecimus. Sic quidem optime incipit:* In territorio Herbipolensi, S. Gumberti patroni Honolspacensis ecclesiæ: *sequentia vero, in quibus episcopatus adstruitur, unde mutuatus sit, equidem divinare nequeo. Ita prosequitur:* Qui prius miles Christianissimus, post, episcopo Herbipolensi mortuo, ad episcopatum possulatus est, licet a Domino ipse contrarium postulaverit et obtinuerit; pendente enim relatione, tempore intermedio defunctus est. Sepulto autem eo, litteræ exauditionis sunt allatæ: quem cum clerus, tamquam episcopum suum confirmatum, vellet honorare, ossa ejus in honorabiliori loco collocando, inventus est ab omnibus pontificalibus adornatus, qui tamen miles vel laicus fuit sepultus. D

initio simpliciores, mire accreverunt,

18 *Hic, nisi fallor, fons est ex quo ceteri hausere, non verba sed sensum secuti. Editionis Lubeco-Coloniensis et Greveni initium tantillum differt:* In territorio Herbipolensi, natale S. Gumberti confessoris. Primum miles fuit Christianissimus et fidelis, cui administratio totius episcopatus Herbipolensis commissa est, quam curam utiliter gessit: mortuo autem episcopo, unanimiter ab omnibus in episcopum est electus. Ipse autem indignum se reputans tanto honore, a Domino contrarium etc. *Paulo pressius Florario inhæsit Viola Sanctorum excusa anno* 1508, *at post* administratio *interjicitur;* et gubernatio totius episcopatus Herbipolensis, tamquam provido syndico est commissa; quam curam valde humiliter gessit et utiliter. Factum est autem ut mortuo episcopo Herbipolensi, omnium voces in eum unanimiter concordarent, et missa legatione ad Papam pro eo postulando ad præsulatum; ipse se non dignum *etc. Canisius, omissa positione, Sanctum rotunde episcopum Herbipolensem pronuntiat, elogium in pauciora contrahens. Galesinus titulo episcopi abstinuit, sic paucis scribens:* Herbipoli, sancti Gumberti confessoris, *quem ferme secutus est Ferrarius:* Herbipoli in Germania, S. Gumberti confessoris: *omnium brevissime Dorganius in Kalendario Benedictino:* Sancti Gumberti confessoris. E F

et variis diebus signatæ sunt.

19 *Frustra hic sit plures Martyrologiorum auctoritates undecumque congerere, cum non nisi recentiores occurrant, et pleræque episcopatum, saltem posthumum sonent, quem nec Egilwardum, nec Actorum infra dandorum auctorem novisse, ex eorum silentio manifestum est; ad probandum vero cultum jam adducta multorum testimonia abunde sufficiunt, reliqua autem cultus indicia tum in sacris Missa et Officio ecclesiastico, tum in reliquiarum veneratione ad proxime sequentem paragraphum remittimus. Cur sanctus* Gumbertus *ubique ad* XI *Martii referatur, disceptari posset, si vel minima de obitus anno aut die superessent vestigia, saltem si sciri posset an tali die in ecclesia Anspacensi celebratus olim fuerit. Equidem dilatam huc festivitatem existimo, quod hoc die solennitas ejus agatur apud Herbipolenses, qui verosimiliter abolitum Aspaci cultum ad se transtulerint, hunc diem pro arbitrio seligentes, tametsi fortasse neutro die carnis exuvias deposuerit: quod certe ignoratum esse ab Egilwardo satis patet, ut proinde dubium maneat, utrum Vitæ auctor alicubi*

AUCTORE J. D. P.

A cubi certo repererit notatum a se v Idus Martii. Vixisse Sanctum cum S. Burchardo, indubitatum est: ad tempora Caroli Magni Vitam protraxisse insinuat Anonymus, utpote a quo potestas ei facta sit condendi monasterii; quo vero demum anno ad superos evolaverit incertum est.

Vitam olim procuravit S. Gamans.

20 *Prædictam jam non semel* S. Gumberti *Vitam nobis olim procuravit diligentissimus et sæpe laudatus operis nostri adjutor per Joannes Gamans, quam describi curavit ex insigni pergamento Ms. Lectionem bibliothecæ PP. Conventualium S. Francisci Herbipoli, contulitque cum altero Ms. Cartusiæ ejusdem urbis, adjectis manu sua variantibus lectionibus, quarum a nobis ea ratio est habita, ut notabiliores in annotatis observaverimus, neglectis minutiis ad rem non magnopere spectantibus, quales sunt modi scribendi in* ammonicione, servicium, cepit *et barbarismis hujusmodi. Ex Cartusiano codice addita, uncis suis inclusa sunt. Ceterum quæ num.* 3 *et* 4 *inseruit Anonymus Vitæ scriptor de S. Burchardi Romæ a S. Zacharia PP. consecratione, et parerga scias esse, et a vero aliena, ut alibi ostensum est, et Latina dicitur ad ipsam S. Burchardi Vitam* XIV *Octobris, ubi* B *denuo probabitur, ipsum non Romæ, sed ab ipso S. Bonifacio in Germania inauguratum. Res tota, Legendarum plurium more, oratio potius est seu panegyris ad populum recitanda, quam historica Vitæ series, cujus substantiam totam jam dedimus ex Egilwardo; ut orationis hujus concinnator sæculo saltem duodecimo vetustior esse non possit, in eo laudandus quod de* S. Gumberti *episcopatu recte siluerit.*

§ III. Cetera cultus monumenta; reliquiæ an et quæ supersint.

Alia cultus argumenta ex S. Stephani Herbipoli.

Singularem olim in fundatorem patronumque suum S. Gumbertum *Anspacensium seu Onolspacensium omnium, tum adhuc Catholicorum, fuisse venerationem, Clerum vero seu Canonicos peculiari festivitate atque Officio ecclesiastico eumdem solenniter coluisse, id minime dubium esse existimo; idque non uno solum die in usu positum fuisse, probant ea quæ mecum communicavit lau-* C *datus sæpe Seyfridus, e cujus litteris potissimum decerpam, quæ ad cultum ecclesiasticum Sancto exhibitum conducere videbuntur: de quo plura dici possent, si instrumenta ipsa, dudum pollicita, huc submisisset. Non unam* S. Gumberti *fuisse solennitatem ostendunt documenta quæ reperit in celebri monasterio PP. Benedictinorum ad S. Stephani Herbipoli. ubi etiamnum exstat vetustum Martyrologium Ms. papyraceum in quo ad* v *Idus Martii ponitur :* S. Gumberti episcopi, *ad hunc vero diem, nempe ad Idus Julii,* S. Gumberti episcopi et confessoris. *Utrum Martyrologium istud in Anspacensi ecclesia olim usitatum fuerit, non habeo unde definiam; duplicem vero, vel geminatam ut minimum festivitatem facile est deducere ex iis quæ nuperrime, nempe* XXVI *Novembris* 1723 *idem Seyfridus significavit.*

ex Missa propria Collegiatæ Anspacensis,

22 *Scribit igitur vidisse se* Missam propriam cum prolixa Sequentia, ut vocant, de translatione corporis hujus Sancti, quam dum nuper Onolspaci essem, describi curavi ex antiquo Missali quod asservatur adhuc in sacristia ecclesiæ quondam colligiatæ Onolspacensis et S. Gumperti honoribus dedicatæ. *Vellem, addi-*

Julii Tomus IV.

disset quo die Missa ista celebrari solita sit, ut sacri corporis translatio a die natali securius distingueretur, quamquam et ex festivitates satis arbitrarie institutæ videntur, cum in alia epistola referat, in vetusto codice Ms. pergameneo eoque eleganti a seculo undecimo *(opinor temporis esse paulo posterioris)* quem nuper ab amico accepit, poni XIII Kalendas Aprilis, S. Gumberti episcopi et confessoris, nulla ejusdem mentione facta Idibus Julii, quo tamen die commemorat S. Reginswindam virginem et martyrem, quæ in prædicto Missali et Martyrologio apponitur S. Gumberto et in Missa quidem de Octava S. Kiliani addita est secunda commemoratio de S. Reginswinda. *En tibi* XX *Martii, ut supra etiam* XVI *Martii notatum est,* S. Gumberti *cultui consecratam, cujus festivitatis nulla ratio assignari possit præter meram diversarum ecclesiarum in colendo Sancto electionem.*

et antiquo Missali Gothico;

23 *Superest etiam in jam dicto monasterio Benedictinorum ad S. Stephanum Herbipoli elegantissimum Missale impressum in pergameno, charactere, ut nunc vocant Gothico, compactum holoserico villoso coloris violacei, in quo festum* E S. Gumberti *ponitur Idibus Julii. In Missa de Octava Kiliani et sociorum martyrum ponitur commemoratio* S. Gumberti *confessoris sequens:* Deus qui hodiernam diem sacratissimam nobis in beati Gumperti confessoris tui solennitate tribuisti, adesto propitius Ecclesiæ tuæ precibus, ut cujus gloriatur meritis, muniatur suffragiis. Per Dominum. *Secreta est hujusmodi :* Sacrificium tibi Domine laudis offerimus, pro solennitate S. Gumperti confessoris tui, ut propitiationem tuam, quam nostris operibus non meremur, piis suffragatoris intercessionibus assequamur. *Tum vero Postcommunio :* Tua sancta sumentes, quæsumus Domine Deus noster, ut beati Gumperti confessoris tui nos foveant continuata præsidia. *Vix equidem dubito, quin ipsissimæ illæ orationes hodiedum in usu sint in ecclesia Herbipolensi, expuncto prudentissime episcopi titulo, quem alius Seyfridi codex tam diserte exprimens, sæculum undecimum sapere omnino non potest.*

quibus addi debet Officium.

24 *Quod de antiqua Missa Onolspaci olim usurpata diximus, id de Officio proprio asseri posse existimamus, tametsi ejusdem exemplaria fortasse non supersint, certe illud ibidem non reperit Sey-* F *fridus. Prædicti Officii vestigia aliqua nobis reliquit Merianus in superius laudata Franconiæ Topographia, dum inter alia quæ de* S. Gumberto *compendiose recensuit, membranam citavit in qua repererit hæc verba :* Prima fundatio de S. Gumberto, *quæ verosimillime ad ecclesiæ Anspacensis seu vetusti monasterii ædificationem referuntur. Quod vero propius ad rem nostram pertinet, exhibetur istic quoque antiphonæ alicujus specimen quæ recentiora sæcula redolet;* Gumbertus antistes et confessor pontificali auctoritate mirificatus : *demum subjicitur* responsorium, *quod non nisi ex Officio desumi potuit :* Beatissimus Christi confessor Gumpertus in acceptata talentorum dispositione solicitus, in eroganda tritici mensura benevolus, in Domini sui gaudio supra multa constitui meruit, quoniam in paucis fidelis fuit. *Non fuisset ingrata Meriani opera si plures antiphonas et responsoria collegisset, quæ procul dubio in eadem membrana seu codice referebantur, jam certo alicubi neglecta, incuria illius qui ex istis monumentis pauca delibare satis habuit.*

AUCTORE J. B. S.

huit, quemadmodum ex Seyfridi verbis intelliges.

De S. Gumberti ecclesia.

25 *Est penes ipsum* compendiaria, sed valde imperfecta, descriptio ecclesiæ S. Gumberti in Onolspach, in qua enumerantur capellæ singulæ et patrocinia Sanctorum dictæ ecclesiæ, anniversaria decanorum, canonicorum, vicariorum, principum, comitum, equitum etc. ibidem sepultorum. Editus est libellus lingua germanica anno MDCXII ab Vito, Erasmo Hoffman, antiquario, ut se nominat, et dedicamus Julio episcopo Herbipolensi, mihi vero communicatus a clarissimo D. Davide Kohler professore historiæ in academia Altorffina. Ex hac epitome excerpsisse videtur Merian ea quæ in Topographia Franconiæ scripsit de primaria ecclesia Anspacensi. Atque utinam auctor documenta dedisset integra, quæ, ut fatetur, manuscripta in membranis habuit, ex quibus tam pauca deprompsit. *Vota mea Seyfridianis ultro adjungo, ut de* S. Gumberti *monumentis ac præsertim de ejus reliquiis paulo distinctius edocear. Obiter advertes Decanos Anspacenses eorumque in ecclesia tumulos enumerari, at Præpositorum omnino nullos, ut non* B *satis perspiciam cur Egilwardus* præposituram Canonicorum *appellet, nisi abrogata subinde fuerit ea dignitas (ut num. sequenti insinuari forte videbitur, dum Gottiboldus primus decanus dicitur sæculo* XII*) et fortasse auctior redditus Canonicorum numerus, qui ad novemdecim ascendisse a Meriano dicitur. Pergit Seyfridus :*

ejusque antiquo sepulcro,

26 Cum duobus DD. Canonicis ecclesiæ collegiatæ in Herrieden (oppidum est diœcesis Eychstadianæ, una solum leuca Anspaco dissitum) accurate lustravi dictam ecclesiam Anspacensem, sed nec vestigium inveni de S. Gumperto. Aiebat æditiuus Lutheranus, tumulum Sancti fuisse retro summum altare, sed mea opinione fallitur, tum quod concamerationes cryptæ choro subjectæ vix locum dederint sepulturæ, tum quod memoratus Hoffmannus referat, ossa Sancti anno MCLXV ab Heroldo episcopo Herbipolensi sarcophago saxeo imposita, anno MCXCV a Gotteboldo primo Decano elevata, et anno MDCX, cum templum renovaretur, in summo altari inventa esse. Est tamen retro summum altare sacellum perangustum, sed non inele- C gans, ad quod per gradus duodecim ascenditur, idque S. Gumperti fuisse, ex Hoffmanni descriptione colligitur. Retro sæpedictum altare stetisse aiebat unus canonicorum, mecum ista inspicientium, cistam magnam, cui cistula minor inclusa servabatur plena ossibus, quæ S. Gumperti esse tunc temporis æditiuus referebat. Cistula hæc modo in sacristia est, longa pedem unum et lata dimidium : obducto olim ebore aut argento fuisse, ex cavitatibus et scissuris tabellarum quernarum patet. Intus abducta est tela serica striata flavi et cærulei coloris; pauca supererant ossicula Sancti, ut fatebatur æditiuus Gumperti : sed quæ fides hæretico?

et dissipatis hodie reliquiis.

27 *Pluscula a Seyfrido documenta speraveram de sacris etiam* S. Gumberti *reliquiis, non sic opinor, dissipatis, quin adhuc in templis aliquibus Catholicis in ipsa Franconia, et forte alibi per Germaniam venerationi exponantur : etenim mirarer vehementissime, proximos orthodoxos (neque enim adeo remoti sunt) tantum thesaurum neglexisse, contemptumque et despectum reliquisse in hereticorum manibus. Quænam vero sint eæ reliquiæ de quibus supra locuti sumus, quæque in* D *S. Joannis diruto cœnobio honoratæ sunt, an hujus* S. Gumberti, *an alterius, an ibi adhuc exstent, an forte alio translatæ sint, Herbipolensibus disquirendum reliquimus. Si* S. Gumberti Anspacensis *lipsana dicantur, a quo et quo tempore accepta, aut ibi deposita fuerint, non minus ambiguum esse, abunde patet; ut fateri necesse sit, paucissima superesse, saltem quæ ad manus meas, post adhibitam omnem diligentiam pervenerint, unde de Sancti sacris reliquiis plenius edoceri possimus. Quid Anspaci fideliter ereptum, atque in Belgium a sesquiseculo et amplius deportatum, quove in honore habitum hactenus fuerit, explicabunt sequentes duo paragraphi, quibus tatam nostram de* S. Gumberto *commentationem absolvemus.*

§ IV. Pars cranii in Belgium delata 1575, et templo Societatis Jesu Bruxellis postmodum donata.

Cranium S. Gumberti,

Constanti Catholica venerationem apud Anspa- E *censes seu Onolspacenses cultum fuisse* S. Gumbertum *usque dum hereticorum rabies in Sanctos eorumque sacras reliquias et imagines furere cœpit, probarunt olim superstites reliquiæ, ibidem in honore haberi solitæ, quemadmodum testata est illustrissima princeps Margareta a Marca Comes Arembergica, earumdem anno* 1575 *fortunata inventrix, uti clarius demonstrabunt subjicienda mox instrumenta e quibus confirmabitur sequens narratio, quam paucis præmittendam censeo. Transibat istac memorata Pinceps, vidua, opinor, celeberrimi Joannis Comitis, do quo videndus Strada ad annum* 1568, *Romam cogitans, lucrandi verosimiliter Jubilæi gratia ; templumque* S. Gumberti *ingressa, suasu boni senis Catholici thesaurum rejectaneum ultro accepit, atque in Belgium redux inter alia sacra Sanctorum lipsana, quibus in eo itinere ditata fuerat, pro eximia sua pietate asservavit, donec singulari favore, pedissequæ seu puellæ honorariæ (quam vocant domicellam Ranst) ante mortem easdem dono dedit; hæc D. Lapidano, Decano Naeltwicensi in Hollandia; hinc ad familiam van Reynegom postmodum* F *translatas, unde tandem ad templum nostrum Bruxellense pervenerunt.*

ecclesiæ nostræ Bruxellensi datum.

29 *Inter veteres schedas nostras unam reperio, Bollandi manu scriptam, in qua notat, ultimum sacri pignoris possessorem D. Theodoricum van Reynegum in animo habuisse pretioso isto thesauro donare Cardinalem de la Cueva,* si aliquid de vita aut cultu Sancti reperisset, de quo tunc, *inquit,* me consuluit et P. Rosweydum, *ut id factum fuisse oporteat ante annum* 1629, *quo Rosweydus vivere desiit, atque adeo antequam de Actis Sanctorum illustrandis cogitaret Bollandus; nisi ea successive accidisse, intelligenda sint. Jam supra ostendimus, non unam disquissionem idcirco a nostris Bruxellensibus institutam, ubi P. de Wael sacrum depositum a D. Vidua van Reynegom impetrasset, haud dubie ante annum* 1639, *cum eo ipso Herbipolim scriptum sit, quamquam testimonium D. Donatricis primum datum fuerit anno* 1641. *Hic jam ordine recensenda testimonia brevem nostram totius rei gestæ seriem sic comprobantia, ut de sacrarum reliquiarum identitate et veritate dubitari haud possit; incipiendo a primaria*

ejusmet

A *ejusmet Principissæ Arembergicæ depositione, manu ipsius D. van Reynegom ex autographo transumpta et ad Bollandum missa.*

Anspaco se attulisse testata est princeps Arembergica

30 *Titulus Belgicus est :* Apographum schedulæ reliquiis S. Comberti *(ita passim exprimitur nomen, vel* Cumberti) annectendæ scriptæque propria manu ipsius Principissæ Arembergicæ. *Scheda ipsa Gallice exarata est, quam sic Latine reddo :* Pars cranii S. Cumberti, sepulti in templo Anspacensi, in ditione Marchionis Brandenburgici, quod cranium argento antea obductum fuerat; sed eo inde avulso, post armarium aliquod rejectum, mihi in ipso templo exhibitum est a sene aliquo adhucdum probe Catholico : inde ipsum ego accepi, testantibus omnibus, eamdem omnino partem esse, a qua argentum detraxerant [*nempe hæretici*] atque adeo veram partem capitis ejusdem Sancti, qui fuerat marchio Brandenburgicus. *Puta ut tum ferebat popularis vulgi opinio. Porro de ipsius autographi, in vetusta schedula scripti, omnimoda sinceritate testati sunt Viri duo omni exceptione majores, et familiæ Arembergicæ intimi, quorum exstat instrumentum Latine datum, ut sequitur :*

cujus testimonii veritas demonstratur ;

31 Nos Jacobus Boonen, Decanus ecclesiæ metropoliticæ Mechliniensis, episcopus designatus Gandensis, et Theodoricus a Reynegom, advocatus supremi senatus Mechliniæ attestamur, contenta hujus schedulæ scripta esse manu propria illustrissimæ Principis Dominæ Margaritæ a Marcka, quondam principis Comitis ab Aremberch etc. Causa scientiæ nostræ est, quod scriptura dictæ Dominæ quam optime nobis cognita sit, qui ante hac multis annis illustrissimæ Dominæ Arembergicæ fuimus a consiliis. In cujus fidem dorso ejusdem scripti hæc inscripsimus, eademque signavimus, et sigillis nostris munivimus penultima Decembris MDCXVI. Subsignatum erat J. Boonen, et T. van Reynegom, et sigillatum cum duobus sigillis, ut supra. *Prædicta omnia die præcedenti longiori Belgica attestatione confirmaverat, ac rei totius historiam paulo fusius explicuerat idem Theodoricus van Reynegom; quam hic ad ampliorem elucidationem Latine etiam* C *vertimus.*

fusiusque explicatur,

32 *Ita loquitur :* Infrascriptus in supremo Mechliniensi concilio advocatus ac familiæ Arembergicæ consiliarius domesticus hisce attestor, characterem, in veteri schedula expressum, scriptum esse propria manu illustrissimæ principis Margaritæ a Marcka, quondam Comitis Arembergicæ etc., quam ego schedam, vetustas chartas ejusdem familiæ evolvens reperi ultimo loco annexam longiori elencho nominum variorum Sanctorum, quorum prædicta Domina princeps reliquias impetraverat anno MDLXXV, dum per Germaniam et Italiam Romam proficisceretur. Erat autem prædictus Catalogus totus ferme ejusdem Principis manu scriptus, e quo postremam illam particulam ipse ego abscidi. Porro in scientiæ rationem adduco, quod tum vivente adhuc memorata Principe, tum post ejus obitum plusquam centenas litteras ipsius manu scriptas viderim, quas vel modo, si opus foret, producere possem, ut ex scripturam collatione veritas dictorum hactenus plane evinceretur.

33 Testor præterea, cranium aliquod seu partem humani capitis ligneæ tornatili annularis formæ pyxidi, aptatis utrimque vitris pellucidæ inclusum, cum hac epigraphe litteris aureis schedulæ inscripta, PARS CRANII SANCTI COMBERTI, quod hoc tempore possidet Dominus Cornelius van Reynegom, Theologiæ Doctor et Decanus ecclesiæ collegiatæ in Naeltwyck : testor, inquam, id cranium a me repertum fuisse in domo mortuaria bon. mem Domini Antonii Lapidani, quondam etiam Decani prædictæ ecclesiæ, ibidem defuncti, meque, utpote executorem testamentarium ultimæ ejusdem Domini voluntatis, ipsam illam thecam reliquiariam ex ejus domo mihi reservasse, eamdemque postmodum jam dicto Domino Cornelio van Reynegum fratri meo tradidisse.

AUCTORE J. B. S. qua ratione prædictum cranium

34 Testor item domicellam Judocam van Hooft matrem meam, etiamnum in vivis superstitem, sæpissime me audivisse cum diceret, quod prædicta theca reliquiaria dicto Domino Lapidano, in mnemosynon legato data fuerit a certa domicella, nomine Ranst, olim pedissequa et a cubiculis laudatæ Dominæ principis Arembergicæ, defuncta subinde in domo, vulgo te Werve, apud Ryswyck, non procul Haga Comitis in Hollandia, dum cohabitaret Domino ac Dominæ van Gheysteren ; cui domicellæ van Ranst jam sæpe dicta reliquiaria a Domina Principe adhuc vivente dono data fuerat. Quæ omnia supradicta ego infrascriptus, quantum memoria recolo et scio, vera esse declaro. In quorum fidem hæc propria manu subscripsi, et solito meo sigillo firmavi hac die XXIX Decembris MDCXVI. Et erat subsignatum Theodoricus van Reynegom, cum sigillo ut supra. *Hisce postremum addo testimonium e Belgico Latine versum, ex quo constet, qua via et ratione ad templum nostrum Bruxellense pervenerit venerabile, de quo agimus,* S. Gumberti *cranium.*

ad donatricis maritum pervenerit. E

Donationis instrumentum.

35 Ego Regina Clara Mechelman vidua Domini ac magistri Theodorici van Reynegom, quondam in supremo Mechliniensi consilio causarum patroni, et consiliarii domestici familiæ Arembergicæ hisce declaro, quod cum ad prædictum maritum meum bon. mem. devenisset pars cranii sancti Comberti, qualem princeps Margareta a Marcka, dum viveret Comes Arembergica, obtinuerat Ansbaci anno MDLXXV, illac per Germaniam et Italiam Romam cogitans, quæ postmodum devoluta erat in manus Domini Antonii Lapidani, Decani ecclesiæ in Naeltwyck, et post ejus obitum transierat ad D. Cornelium van Reynegom S. T. Doctorem et ejusdem ecclesiæ Decanum, in cujus domo mortuaria præmemoratus maritus meus dictas reliquias nactus est et mihi moriens reliquit; declaro, inquam, quod ego eamdem Cranii partem, qua potui cura et devotione custodierim coluerimque. Verum ut tales reliquiæ pro merito debita veneratione honorarentur, visum mihi est, eas transferre in manus Patrum Societatis Jesu Bruxellis, ut in ipsorum templo asservatæ omnium venerationi exponerentur. In quorum notitiam et fidem præsens instrumentum confici volui, idque mea manu subscripsi anno MDCLXI. Et erat subsignatum, Regina Clara Mechelman; et sigillo firmatum. F

§ V.

AUCTORE J. B. S.

§ V. Recognitæ approbatæque ab Ordinario reliquiæ, et solenniter in templum nostrum Bruxellense illatæ anno MDCXLI.

Ejusdem cranii recognitio et approbatio,

Ex præmissis instrumentis de re tota abunde edocti Patres nostri Bruxellenses, nihil antiquius habuere, quam ut feliciter acquisitas pretiosas reliquias ab Ordinario recognosci, approbari, undeque exaltari atque in templum solemniter transferri curarent; quæ quo ordine gesta sint, hic etiam paucis enarrandum superest. Commodum per idem tempus Roma allatæ fuerant reliquiæ sancti Seveliani martyris, quas æque ac Gumbertinas exponi posse censuit Illustrissimus Mechliniensis Archiepiscopus Jacobus, sequenti diplomate : Jacobus Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis, omnibus præsentes litteras visuris, salutem in Domino. Cum Sanctorum reliquiæ, tamquam salutaria exempla, fidelium oculis objiciantur, ut ad eorum imitationem vitam moresque suos componant, quia viva fuerunt membra Christi et templum Spiritus sancti, nuperrime a RR. PP. Societatis Jesu nobis exhibita fuerunt plurima ossa de corpore, ut afferebant, sancti Seviliani martyris, parsque cranii sancti Cumberti, ut eadem visitare, et justo facto examine, tamquam veras reliquias approbare et publicæ Christi fidelium venerationi exponendas decernere, auctoritate nobis per sacrum Tridentinum Concilium attributa, dignaremur.

ab Archiepiscopo Mechliniensi Jac. Boonen.

37 Nos nolentes hac in re Officio nostro deesse, cum piorum et gravium virorum interventu, discussis et examinatis diligenter, quas præfati RR. PP. simul exhibebant informationibus, et litteratoriis documentis, easdem veras et legales esse reliquias Sanctorum Seviliani et Cumberti, quantum in Domino possumus, censemus et decernimus; quas, uti tales, publicæ venerationi exponi permittimus, omnesque Christi fideles exhortamur ut iisdem reliquiis, quam decet, reverentiam exhibeant, et pro talibus pie agnoscant et revereantur. Quod ut studiosius fiat, omnibus, ante dictas reliquias quinquies orationem Dominicam totiesque salutationem angelicam, pro præsenti Ecclesiæ necessitate recitantibus, quadraginta dierum indulgentiam misericorditer in Domino elargimur. In quorum fidem hasce manu, sigillo, et subscriptione secretarii nostri munitas, dedimus Bruxellæ, nostræ diœcesis, die octava decima mensis Mai anni millesimi sexcentesimi quadragesimi primi. Subsignatum erat, Jacobus Archiepiscopus Mechliniensis, J. Herregouts Secretarius, et sigillatum cum uno sigillo de cera rubra.

Rem clare explicat Carolus a Manderscheydt.

38 *Reliqua suggeret longior epistola nostri P. Caroli Alexandri a Manderscheydt, insignis, quoad vixit, agiophili atque hagiographorum adjutoris, quam a Bollando rogatus dedit Bruxellis* XII *Julii 1659, ut plane pateat, securiorem notitiam aliunde haberi non potuisse. Sic scribit ipse plerorumque omnium oculatus testis :* Sperabam, me statim a Deiparæ festo scripturum, sed intercessere tam multæ occupationes, ut citius non potuerim. Nunc ad ea quæ a me Rev. vestra petiit, respondeo. Imprimis quæ de S. Cumberto potui habere, ea habet in adjuncto scripto; *nimirum testimonia illa omnia de prædictis reliquiis earumque approbatione quæ jam superius descripta sunt. Ad rem proprius accedit laudatus P. Manderscheydt :* Domina van Reynegom dicit, non a marchione Ansbacensi, sed a Principissa Arembergica caput illud sacrum suæ familiæ dono datum. Schedula in qua aureis litteris habebatur scriptum nomen, conditio, ætas, tempus vitæ etc. sancti Cumberti, fuit aliquando data P. Heriberto Rosweydo, et amissa ab illo, quod admodum dolet Domina Reynegom. Dicit hæc nihil non egisse defunctum Archiepiscopum Mechliniensem, ut hoc caput sacrum sibi dono daretur. Optasset etiam illud habere domicella Mechelman, quæ si obtinuisset, statuerat dare Domui vestræ Professæ.

miraculosam sanationem adficiens,

29 Domina Reynegom dicit, admodum dolere se, quod non curaverit confirmari, aut certe idoneis testibus firmari miraculum, quod occasio fuit et causa ultima cur tandem nos illud acceperimus. Habebat Domina prædicta filium novennem, qui lenta tabe jam totus consumptus, tamen non videbatur posse mori. Invisit Dominam matrem P. Guilielmus noster de Wael : narrat illi mater statum filii, simulque dicit, frustra a se invocatum sanctum Cumbertum, neque filio se sanitatem potuisse impetrare. Id fortasse, ait P. de Wael, fit ideo; quod Sanctus velit honorari in templo et non domi tuæ. Si ita est, ait mater, ego ex nunc dono Rev. vestræ et collegio sacrum caput. Parabat se ad discessum P. de Wael, et jam descendebat, cum filius æger matrem advocat, petitque sibi vestes dari, ut surgat. Respondet mater, vestes petis, qui a nescio quot hebdomadis [vix] potuisti te commovere? Perstitit tamen filius, nec prius quievit, quam vestes illi fuere datæ. Surrexit igitur, atque ex eo tempore, qui jam moriturus videbatur, in momento convalescere ita cœpit, ut paucis post diebus plane sit sibi restitutus.

in puero ipsius donatricis filio

40 Est is modo Mechliniæ in domo Domini Fierlant Consiliarii sorori sui. Sacerdos quidam qui in vicinia habitabat, advocatus fuit ut coram spectaret rem tam novam, filium nimirum, quem sciebat esse depositum, panem sibi dari petentem. Dolendum prorsus est, neque Patri de Wael, neque matri in mentem venisse, ut rem hanc curarent examinari. *Recte observat P. a Manderscheydt ; merebatur certe tam stupenda sanatio in debita forma legitime comprobari. Ceterum ex adjunctis colligere posse videor, quod nuper dicebam, jam ab anno* 1639 *et forte citius, sacras reliquias templo nostro concessas, tametsi posterior sit Dominæ Reynegom attestatio superius relata. Pergit epistola :* Sacerdos ille jam mortuus est, mortui etiam servi et ancillæ, ut et doctores medici qui oculati fuere testes pueri illius eo modo persanati. P. de Wael non est modo capax qui hac de re possit ferre testimonium. Ad summum poterunt testari mater et filius, sed hic tum novennis tantum erat. Interim anno sequenti conabor efficere ut XI Martii Officium de Sancto dicamus.

Paucis

A *Paucis deinde interjectis, subsequitur narratio solennioris sacri pignoris translationis, in hunc modum:*

Solennis reliquiarum translatio.

41 Cupiebat jam scire Rev. vestra qua solennitate fuisset S. Cumberti caput illatum in templum nostrum, ad quod respondeo, me solenni ejus translationi interfuisse anno MDCXLI institutæ pridie Quinquagesimæ. Erat tum perfectum primum altare quod marmoreum Deiparæ Matri misericordiæ fieri testamenti tabulis mandaverat Comes Joannes Nassovius; quare ut in illud inferretur ejus miraculosa statua, placuit R. P. Guilielmo de Wael, tum Rectori Collegii, ut id insigni aliquo fieret apparatu; qui ut major esset, simul tum etiam sacrum S. Cumberti [cranium] primum est expositum ad publicam venerationem. Circa quartam igitur horam pomeridianam instituta est solennis per templum nostrum supplicatio. Concinuere tibiæ et alia instrumenta musica. Ubi primum illata est in templum ex sacrario Matris misericordiæ sacra statua, a choro musico excepta solenni illa salutione, Maria Mater B gratiæ, Mater misericordiæ. Sacræ Deiparæ statuæ præferebatur caput S. Cumberti, sequebatur proxime ipsa sacra statua.

in templum nostrum Bruxell. an. 1641.

42 Tam ipsum sacrum caput quam statuam stipabant angelico habitu pueri plurimi et titularis gymnasii nostri nobilitas, quæ erat tunc frequentissima. In iis erant tum Princeps Robecanus et Comes Stegrensis ejus frater ex familia Montmorencia, Princeps Nassovius, Marchio de Warembon, ex familia de Rye, Marchio nunc de Aiseaux, tunc Comes de Beaurieu ex familia de Gavre, Marchio de Renty filius Ducis Havræi, Baro de Pamele, Comites Ernestus et Philippus de Boussu et alii nonnulli. Sacram statuam sequebantur Comitissa Nassovia et plurimæ feminæ Principes hujus aulæ. Concursus populi fuit ingens, musica exquisitissima, neque quidquam desideratum est quod posset solennitatem hujus translationis commendare. Hæc habæo quæ scribam Rev. vestræ, circa ea quæ a me petiit, utinam possem ad Sanctorum gloriam plura præstare. *Neque mihi quidquam superest quod hisce queam adjungere;* C *sacro suo thesauro potiuntur hodiedum Bruxellenses nostri eumque debito cultu venerantur. Id modo superest, ut Vitam ipsam exhibeamus, quam a Gamansio Herbipoli transcriptam, atque olim ad Majores nostros transmissam supra monuimus.*

VITA

Ex Lectionario membraneo PP. Conventualium S. Francisci Herbipoli, cura P. Gamans descripta, et collata cum altero Ms. Cartusiæ ibidem.

EX MSS.

Gumbertus nobilis et potens in Franconia, a

Beatus *a* Gumbertus nobilium secundum carnem parentum stirpe progenitus, carnis lasciviam adeo edomuit, ut eam, quæ plerumque homines excitare ad superbiam solet, lineam alti sanguinis non respiceret; sed inter divitias pauper, inter delicias sobrius, sola quæ Dei sunt cogitaret, seque omnibus Deo pie famulantibus servum exhiberet. Ut ergo carnis adversus spiritum concupiscentias posset extinguere, nulla penitus terrenæ voluptatis oblectamenta curavit admittere, reputans secum, quod nemo militans Domino implicat se secularibus negotiis. Quia vero sciebat, quod quæcumque seminaverit homo, hæc et mettet; cœpit pio in pectore provida solicitudine imaginari, quomodo pro æternis temporalia relinqueret, omnemque divitiarum suarum abundantiam in Dei servitium rationabiliter expenderet. Enimvero cum esset admodum locuples, locupletari magis in Domino flagitavit; ideoque mundanæ cupiditatis desideria laudabiliter declinando, veras divitias amavit. Se igitur Deo, cui militare animum induxerat, sedulo committens, et solius Dei adjutorium expetens, cum metu et reverentia deprecabatur ipsius misericordiam, quatenus ei dignaretur inspirare, qualiter possessionum suarum facultates satis digne posset in ejus ministerium erogare. E

quomodo ad Deum conversus sit,

2 Hæc vero dum pia deliberatione penes se incessanter volveret, bonarum oblectator mentium Deus, bonorumque benevolus exauditor, justis precibus clementer affuit, et quod petierat in ejus nomine, vir Sanctus impetravit; sed hæc qualiter evenerunt, sequentium series explicabit. Illo nimirum tempore divinæ illustrationis splendor mundum accenderat, et effectus sacræ fidei sanctæ caritatis opera in Christi fidelium pectoribus excitabat. Et ne fides sine operibus esset mortua, quidquid per fidem bene pullulabat, id ipsum etiam in operibus caritatis ubertim germinabat. Nam quia Dominus in Idumæam extendit calceamentum suum, id est quia per Incarnationis suæ beneficia gentibus innotuerat, voluit laudari nomen suum a solis ortu usque ad occasum, donec, ut ait Apostolus, intraret plenitudo gentium. Sic ergo verbum Dei a Domino *b* jam receperat universus orbis, ut etiam effrænis Theutonicorum barbaries sanctissimis honestaretur viris. F b

postquam S. Burchardus,

3 Præerat enim tunc Moguntinæ sedi sanctissimus Archipræsul Bonifacius; Wirceburgensem vero diœcesim regebat venerabilis antistes Burchardus. Is namque Angliam, quæ sibi patria erat, pro amore Creatoris sui deserens, susceptaque peregrinatione, tandem ad eximium Moguntinæ urbis Archiepiscopum pervenit, cujus sanctitatis fama jam dudum accensus, ejus perfrui colloquio et familiaritate cupiebat: quem sacer Archiepiscopus non minus desideratum summa cum gratulatione suscepit; nam et primo, ut ferunt, intuitu, eum in episcopio Wirceburgensi futurum esse pastorem animarum spiritu prophetico præcognovit, et assistentibus sibi declaravit. Transacto dehinc aliquanto temporis spatio, pius præsul Bonifacius virum Dei *c* Burchardum Romam adductum c Zachariæ summo Pontifici præsentavit, et quis qualisque esset sciscitanti Papæ sanctissimo indicavit. Patefacto igitur causæ negotio, agnitoque Archipræsule Bonifacio, Romanus Pontifex magno valde hilaratus est gaudio, quia eum, quem sola vulgante fama cognoverat, magno videndi desiderio æstuabat.

ex MSS

æstuabat. Beatum itaque Burchardum, cum multa gratiarum actione Deo exhibita, Episcopum consecravit *d*, et ecclesiæ, cujus substitutus erat, observationi, commendatis sibi attentius ovibus Dominici gregis *e* eum destinavit.

a S. Bonifacio ecclesiæ Herbipolensi datus est Episcopus;

4 Dei quippe provida dispensatione factum erat, ut in conveniendo populos in unum ad serviendum Deo viventi, diversisque mundi nationibus in unam fidei soliditatem integritatemque concrescentibus, ipsa Romanæ dignitatis præeminentia concordi stabilitate muniret, ne cujuspiam erroris scissione interposita, vel a capite minus sano membra aliqua discreparent, vel a membrorum suorum infirma compage sani capitis unio discordaret. Denique voti compos effectorque propositi perspicuæ bonitatis antistes Bonifacius, cum accepta benedictione ab Apostolico instituisset reverti, dilectissimum sibi fratrem Burchardum, novæ quidem ordinationis Episcopum, sed antiquæ pietatis virum, necdum deserere voluit, veri non immemor illius dicti, quod bonum sit et jucundum habitare fratres in unum. Sic igitur in opere bono non piger, una cum eo iter arripuit; siquidem cum sponsæ suæ, id est ecclesiæ, cujus susceperat regimen, solum transmittere, populoque sibi adhuc incognito tamquam ingratum noluit exhibere. Itaque prædictæ locum urbis ipse pater venerabilis Burchardus cum lectissimo comite suo ingressus est. Quo ibi ab universis illius incolis provinciæ venerabiliter suscepto, laudabiliterque inthronizato, benefactor Bonifacius alacriter ad sua remeavit.

qui omnes ad Christum perducens,

5 Porro reverendus vir Burchardus, in pontificatus officium honorifice sublimatus, jugi memoria ruminabat Apostoli verba dicentis : Quoniam oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei familiæ dispensatorem. Ut ergo commissam sibi familiam, ad agnitionem veritatis a beatissimo martyre Kiliano adductam, ad amorem cælestis patriæ ardentius excitaret, studuit mirum in modum vitam irreprehensibilem ducere, ut quod ore prædocuit, exemplo bonæ actionis roboraret : sicque factum est, ut promiscui sexus innumerabilis multitudo ad eum sine intermissione conflueret; quatenus per doctrinam salutiferæ admonitionis cœlestibus pasceretur alimoniis, et æternæ perciperet emolumenta retributionis. Quos ille benigne suscipiens, hortabatur, pro cœlestibus terrena relinquere, pollicens pro terrenis cœlestia, pro temporalibus æterna, pro transitoriis sine fine permansura. Non poterat ergo abscondi lucerna super candelabrum posita, quæ spiritu ardoris Domini scintillans, ignorantiæ cæcitate laborantes, ideoque ad dextram vel sinistram a via regia deviantes, cœlitus illuminabat, et in fide tepidis calorem veræ fidei sine cessatione instillabat.

istum præcipue lucratus est : f

6 Itaque *f* cum in Deo laudabilis sancti pontificis Burchardi vita longe lateque cresceret, inter multos, quos pii pastoris eruditio ad ovile Dominicum perduxit, Gumbertum quoque virum illustrem et religiosum Christianæ regulis disciplinæ arctius astrinxit *g*, Cum enim dulcissimæ prædicationis ejus in omnem terram exiret sonus, nec non et suavissimus odor sanctitatis ejus ubique diffunderetur, præmemoratus vir Gumbertus, qui tunc inter Orientalis Franciæ magnates viros magni erat nominis [magnæque potestatis] divina instinctus gratia, ad Pontificem se contulit, et ejus se magisterio devotissime mancipavit. Sanctissimus vir præsul Burchardus, tamquam imbrem cœlitus infusum, ad agrum novellæ plantationis diligentius irrigandum, divinorum mysteria secretorum, in attenta cordis aure beati Gumberti diffudit, et ut castimoniam, ceterarumque virtutum sanctimoniam æmularetur, iterum atque iterum hortatus, quem ex his fructum assequeretur, aperuit. Quia vero sciebat, quod uberior ibi esset admonitio, ubi monitoris vocem operis sequeretur exhibitio, quidquid sacri oris *h* disputatione disseruit, idipsum sanctæ operationis exemplo confirmavit.

nam bonis omnibus sese exspolians,

7 Salutaribus ergo vitæ præceptis auditorem suum efficaciter informans, sedulo eum ut seminaret de benedictione, quatenus et de benedictionibus meteret, instruxit : adjiciens, ne puer efficeretur sensibus, sed, secundum Apostolum, malitia esset parvulus, sensibus autem perfectus. Hæc monens, obedientem illum et benevolum ad omnia invenit. Boni ergo magistri bonus ille discipulus salutaris doctrinæ monita, in pectore piæ sagacitatis excepta, fideli memoriæ commendavit, et fideliter in opus perduxit. Nam cum ad fontem vitæ sitienter accessisset, caritatem, fidem, veritatem et mansuetudinem, quasi de unius scaturiginis vena rivulos emanantes potavit. Cum vero jam in omnibus eruditionis sacræ mandatis fuisset instructus *i*, cumque, ut diximus, prædiorum infinita possessione polleret, et superbi elatione sanguinis inter superbos affines rite gloriari potuisset; illud tamen viri sapientis semper ad memoriam revocabat eulogium *k*. Quod qui superbo communicaverit, induet superbiam, et qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Quia vero qui cum sapientibus graditur, sapiens efficitur, cum sapiente instructore suo indeclinabiliter perseverans, cum sancto sanctus, et cum innocente innocens effectus est.

partem dedit S. Kiliano,

8 Erat autem habitu laicus, et professione miles : deinde vero cum audisset illud Evangelicum : Qui non renunciavit omnibus quæ possidet, et bajulans crucem suam sequitur me, non potest meus esse discipulus, crucem suam tollere, nudusque sequi Dominum instituit, et pro cœlestium remuneratione bonorum, omnia terrena deseruit. Prædiis quoque, quibus non mediocriter, ut diximus, abundaret, beatissimi martyris Kiliani ecclesiam honestissime locupletavit; quin imo et ipsum episcopatum copiose adauxit. Quamvis enim promotionem omnium Dei ecclesiarum per orbem pio complecteretur affectu, prædictæ tamen ecclesiæ specialiori devotione obnoxius *l*, illius se dominio totum subjugavit, illi se mente pariter et corpore, tota [cum] possessione sua filiali dilectione obligavit. Itaque soli Deo spiritualibus armis militans, universa militaris vitæ insignia deposuit, seculoque renuntians, ex hujus mundi pomposa voragine nudus evasit. Omnium vero bonorum suorum facultate prudenter in Dei nomine distributa, tantum sibi vir Sanctus prædiorum adhuc

A huc retinuerat, quantum ad ædificationem monasterii in Onolspach [Herbipolensis diœcesis] quam in mente tum [diu] præconceperat, sufficere credebat. At hujus quoque structur m ecclesiæ locum, qui opportunus videbatur, elegerat; in quo etiam hodie sacratissimi corporis ejus reliquiæ reconditæ sunt.

alterum monasterium Onolspacense condidit,

9 Eodem vero tempore Christianissimus Imperator Carolus Romani apicem gubernabat imperii, qui regni sui fines sanctionibus muniens, hostes justitiæ debitis prosequebatur suppliciis, bonorum vero sectatores operum misericordiæ amplexabatur ulnis. Servus igitur et amicus Dei Gumbertus præmemoratum adiit Imperatorem, et fabricandæ ecclesiæ libertatem ab eo petiit, et accepit, reputans, majori firmitudine roboratum, quod tanti auctoritate principis fuisset indultum. Videns autem Imperator piissimus, quod zelo Dei ferveret beatus Vir, quem revera zelus domus Dei comedit, qui et decorem utriusque domus Dei verissime dilexit; templi, ubi voluisset locandi arbitrium ei
B permisit. Nutu ergo et favore liberalissimi principis erga se comperto, ecclesiam in quodam pago suo nobilem a fundamentis ædificavit, atque ornatum illuc non contemptibilem congessit. Fabricata, ut diximus, basilica, beatus ille famulus Dei, de quo nobis sermo est, monachorum, sub regula S. Benedicti omnipotenti Deo famulantium, collectionem non parvam aggregavit, quibus abundantissime, ut liberius sine curarum occupationibus externarum deservire Domino Jesu Christo valerent; cibi et vestitus necessitatem præbuit; et ne aliquatenus hæc possent imminui, vel certis temporibus non administrari, prædia illis atque mancipia sub testimonio privilegiali constituit, a quibus fratrum illius cœnobii quotidiana exigerentur stipendia. Ipsa vero ecclesia [in] Onolspach *m*, in honore sanctissimæ Dei genitricis et intemeratæ Virginis Mariæ, honorifice dedicata est. m

in cujus templo sepultus est et miraculis claruit.

10 Erat autem in prædicta cella B. Gumberti orationum frequentia, et omnium eorum, quæ ad Dei venerationem spectant,
C jugis observantia. Ipsa enim sancti Viri præsentia cœnobitas illos, ut vigiles essent, admonebat, et beata ipsius religio religionem quoque illorum excitabat. Denique felicissimo Dei confessore Gumberto vergente in senium, mortem corporis, quæ omnibus gravissima est, non timuit; quia, comparatis sibi de mammona iniquitatis prudenter amicis, qui eum in æterna colligerent tabernacula, certus de renumeratione fuit. Sciebat enim, quod in gaudium Domini sui feliciter admitteretur, cum requisitis talentorum lucris, desuper erogati fœnoris pecunia renumeraretur. Cupiens ergo dissolvi et esse cum Christo, v Idus Martii sarcinam carnis deposuit, et victricem animam, in perenni beatitudine collocandam, conditori suo resignavit. Post felicem vero beati Viri obitum, sacri corporis reliquiæ in ecclesia, quam Deo fundaverat, sunt collocatæ: ubi exhibita populis per Dei misericordiam beneficia, cujus fuerit prærogativæ, quanti meriti Gumbertus, cœlestibus declaravere indiciis, qui tam insignibus in hoc mundo coruscat miraculis; præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria per infinita secula seculorum. Amen. ex mss

ANNOTATA.

a *In nostro erat* Igitur Gumbertus: *prætulimus lectionem codicis Cartusiani, uti etiam paulo* infra ut ergo, *pro* utque ergo. *Item* seminaverit, *pro* seminavit; qualiter *pro* quomodo, *quæ observare vix operæ prætium est.*

b *Forte melius legebatur in Cartusien. Cod.* verbum Dei adeo jam perceperat: *verum cùm et alia lectio subsistat, nihil putavi mutandum.* E

c *Scripsi cum Cartus.* virum Dei, *tametsi in nostro haberetur* virum dictum: *et ferme immediate,* quis qualisque esset, *pro* quis, qualis esset.

d *Jam supra monuimus, Burchardum, non a Pontifice Zacharia, sed ab ipso Bonifacio consecratum episcopum; et de cetero parerga esse ad* S. Cumberti *historiam, quæ de toto isto itinere Romano male supposito narrantur.*

e *Sequetur iterum lectionem Cod. Cartusiani: in nostro habebatur* ovilis Dominici gregibus.

f *Monet Gamansius, hic* incipere lectiones Officii Ms. de sancto Gumberto, secundum chorum Novi monasterii *seu Cathedralis ecclesiæ Herbipolensis, quæ quamdiu in usu fuerunt annotare neglexit.*

g *In utroque Ms. erat* arcius astruxit, *secutus sum Germansii correctionem ex Officio Ms.*

h *Altera hæc est Gamansii correctio ex cod. Cartus.; noster scripserat* sacrioris: *et proxime* puerulus, *ubi melius ex eodem codice quadrat* parvulus. F

i *Recte hic denuo Gamansius ex Cartusiano, quem prætulimus; in nostro enim legebatur* instructor *forte pro* instructior.

k *Voluit dicere sermonem bonum, seu verum placitum, quasi id significaret græcum* εὐλογία.

l *In utroque Ms. legebatur* obnixus; *verum ex Lectionibus recte correxit Gamans. ut est in textu.*

m *Dubites utrum in Ms. sit* Ouolspach; *Lectiones, teste Gamansio, habent* Oulspach: *quomodocumque inflectant, indicatur hodiernum* Anspach, *de quo diximus in Commentario.*

DE S. ATHANASIO EPISCOPO.

NEAPOLI IN CAMPANIA.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sancti cultus, et quædam chronologica Vitæ puncta.

ANNO DCCCLXXII. *Reliquiæ S. Athanasii honorantur Neapoli.*

Neapolis notissima Campaniæ civitas in Italia, de qua jam sæpe in actis nostris meminimus, veneratur hac die sanctum suum antistitem Anathasium; de quo habemus Officium Neapolitanum, anno 1525 *impressum. Sed cum novem Lectiones, aliaque hujus Officii propria desumpta sint ex Actis illius, quæ post hunc Commentarium prævium exhibebimus, supervacaneum judico hic ea inserere. In eo autem recitatur sequens oratio:* Deus qui perennem gloriam sanctissimi confessoris tui atque pontificis Athanasii animæ contulisti, tribue quæsumus, ejus nos apud te ita patrociniis sublevari, ut cum eo vitam possideamus æternam. Per Dominum *etc. Sacra hujus Antistitis ossa in majorem ecclesiam Neapolitanam translata, teste Ughello in Italia Sacra tom.* VI *col.* 109, *jam quiescunt in sacello sancti Salvatoris, ubi legitur hæc inscriptio:* HIC JACET CORPUS SANCTI ATHANASII CONFESSORIS ET EPISCOPI NEAPOLITANORUM. *Testatur idem Ughellus, caput ejus ibidem in thesauri sacello argentea atque aurea theca inclusum honorifice custodiri.*

Dicitur Casini obiisse, ac tunc ejus brachium ibidem remansisse.

2 *De ejusdem Sancti cultu in aliis Italiæ locis sic scribit Antonius Caracciolus, libro singulari de sacris ecclesiæ Neapolitanæ monumentis cap.* XXXV *sect.* 5. Colitur hic sanctus Præsul et alibi; Casini nempe, ubi obiit, et unde, brachio ibi relicto (quamvis id in Actis translationis ejus non reperiatur) huc translatus est. *Mihi hæc pauca Caraccioli verba legenti duplex occurrit difficultas. Primo non capio, quomodo asserat,* S. Athanasium *obiisse Casini, quod oppidum juxta cosmographos monti Casino adjacet, cum tamen in Actis nostris a synchrono scriptis dicatur mortuus esse* in oratorio sancti Quirici, quod bis senis millibus a monasterio sancti Benedicti *(Joannes Diaconus in Vita prima, post hunc Commentarium Prævium danda num.* 10 *clare addit;* quod situm est in Monte Cassino) distat. *Non videntur hæc facile componi posse, nisi inveniatur locus homonymus duodecim passuum millibus a monte Cassino dissitus, quem frustra hactenus quæsivi, quempe proinde ab illius regionis incolis, rerum suarum peritioribus, mihi assignari cupio.*

quæ utraque assertio difficultatem patitur.

3 *Præterea non satis intelligo, quomodo tunc temporis Casini relictum fuerit Sancti brachium, quandoquidem monachis Casinensibus, ad quorum monasterium sancti Præsulis corpus primo translatum est, quamdam Reliquiarum partem retinere volentibus sic responsum fuisse lego in antiquis translationis Actis num.* 4: Sicut integer vobis commendatus est, ita auxiliante Domino integrum sua sedes eum habebit. *Dein num.* 5 *dicitur, quod illius* venerabile corpus .... ita inventum *sit* integrum, ut nec capillus capitis ejus vel barbæ decideret, atque vestimenta et omnia salva, ut prius posita fuerant, *sint* inventa. *Ex his verbis videtur erui posse, quod corpus* S. Athanasii *tunc nondum ulla sui parte mutilatum fuerit. Quare Casinates aut huic dubio nostro satisfaciant, aut brachium illud, siquidem sit* S. Athanasii *episcopi Neapolitani, serius ad se delatum fuisse fateantur.*

S. Athanasius, qui Capuæ colitur.

4 *Caracciolus loco proxime citato cultum Sancti nostri sic indicare pergit:* Capuæ quoque celebris erat ejus memoria: Legi enim in quodam pervetusto codice Ms. orationem illius ecclesiæ, ipsum in Litaniis cum aliis sanctis episcopis et confessoribus invocatum. Nec poterit quisquam suspicari, non istum nostrum, sed Alexandrinum intelligi ibi debere, quoniam nullus ibi Græcus episcopus recenseteur, ut inspicienti constabit. *Non convenit inter scriptores Italos, an Athanasius Neapolitanus sit idem cum eo, qui Surrenti tamquam unus ex quinque civitatis istius patronis colitur. David Romæus in libello de quinque Divis custodibus, ac præsidibus urbis Surrentinæ pag.* 278 *putat eumdem esse, et opinionem suam variis stabilire nititur rationibus, quas Majores nostri ad diem* XXVI *Januarii de* S. Athanasio *tamquam episcopo Surrentino agentes ipsiusmet Romæi verbis retulerunt.*

verosimillime fuit episcopus Neapolitanus, et distinctus a Surrentino

5 *Alii contendunt,* S. Athanasium *episcopum Neapolitanum ab homonymo Surrentino omnino differre; inter eos Paulus Regius episcopus Vicoaquensis in suo opere de Sanctis regni Neapolitani parte* II, *pag.* 646 *ex Actis S. Antonini abbatis, quæ Bollandus noster die* XIV *Februarii etiam edidit, refert quamdam* S. Athanasii *apparitionem, in qua se senem et calvum exhibuit, atque inde concludit, non esse illum eumdem cum Neapolitano* Athanasio, *qui quadragenarius ex hac vita migravit. Quod si Ughello credimus, ingens est utriusque discrimen, cum Neapolitanus facile duobus sæculis post Surrentinum vixerit: sic enim scribit in tomo* VI *Italiæ Sacræ col.* 747: S. Athanasius Surrentinus fuit episcopus diversus a S. Athanasio Neapolis episcopo. Hanc sedem sortitus est post Amandum anno salutis DCXVII, de quo non extant Acta; sacra tamen anniversaria celebrantur VI Kalend. Februarii. *Nos, expensis utrimque argumentis, sententiæ duos Athanasios istos distinguenti subscribimus.*

Memoria novi Sancti exstat in Martyrologio Romano.

6 *Quamquam antiquus sit* S. Athanasii *episcopi Neapolitani cultus, tamen apud Martyrologos recens et rara est illius memoria: nam solum in hodierno Martyrologio Romano sic hac die memoratur:* Neapoli in Campania sancti Athanasii ejusdem civitatis episcopi, qui ab impio nepote Sergio multa passus ac sede pulsus, Verulis confectus ærumnis migravit in cœlum,

A cœlum, tempore Caroli Calvi. *Videntur hæc Martyrologii Romani verba innuere, eum Verulis obiisse. Quo posito, non video, quomodo hic mortis locus conveniat cum opinione Caraccioli, qui putat, illum Casini mortuum esse, aut cum assertione Coævi Actorum scriptoris, qui ait, cum Creatori suo spiritum reddidisse* in Oratorio sancti Quirici, quod bis senis [P] millibus a Monasterio sancti Benedicti distat. *Oppidum Casinense, ut supra dixi, non tanto spatio a monasterio Casinensi abest; urbs vero Verulana plus quam duodecim passuum millibus a monte Casino dissita est. Non video, inquam, quomodo hæc inter se conveniant, nisi quis Martyrologii sensum ita interpretetur, ut* S. Athanasius *Roma Neapolim rediens cœperit Verulis febri laborare, et nihilominus iter suum prosecutus, in via morbo et ærumnis confectus obierit. Caracciolus legit, eum venisse* ad civitatem Nerulanam. *Sed potius* Verulanam *legendum esse suadet itineris ratio, cum civitas Verulana inter Romam et montem Casinum sita sit. Atque hæc quidem occasione Martyrologii Romani, quod unicum, haud dubie ex Tabulis ecclesiæ Neapolitanæ, sanctitatem Athanasii nostri confirmat.*

B

sed non, ut putavit Capaccius,

7 *Existimavit Capaccius, teste Caracciolo jam aliquoties laudato, sese invenisse vetus de* S. Athanasio *monumentum, nempe nummum, qui in illius honorem cusus sit; de quo lib.* I, *pag.* 111 *sic loqui perhibetur :* Sed quoniam in hos religionis nummos incidimus, animadvertendus nummus ille est, in quo Januarii et Athanasii, quos sanctissimos habuit Neapolis episcopos, dietas elucet. *Ex his verbis satis patet, quod Capaccius* Athanasium *nostrum indicare voluerit; cum appellet eum sanctissimum urbis Neapolitanæ episcopum, qualem certe titulum non tribuisset alteri* Athanasio *sancti Præsulis nepoti, et in cathedra successori, qui ea appellatione se indignum reddidit, ut noverat ipse Capaccius, qui apud Ughellum dicit, quod* fortasse adhuc excommunicatus, exosusque vitam *amiserit* circa annum Domini DCCCXCV. *Cum vero Capaccius de nummis loquatur, nequaquam censendus est voluisse significare sigillum, quo Neapoli congregatio Hebdomadariorum in* S. Athanasii *fundatoris sui memoriam utitur, in cujus una parte est* S. Athanasii *imago, coram qua Hebdomadarii genuflexi cernuntur, uti tradit Chioccarellus in* C *Catalogo Antistitum Neapolitanorum ad annum Christi* 849 *pag.* 87.

in antiquo nummo, quem Tutinus exhibet.

8 *Igitur vix dubito, quin Capaccius egerit de isto nummo, quem Camillus Tutinus in Vita S. Januarii Italice conscripta cap.* IX *inter alios quarto loco exhibet. In eo ex una parte S. Januarius et ex altera Athanasius episcopali habitu induti, et proprio nomine appellati repræsentantur. Sed cum Tutino et Caracciolo opinor, juniorem Athanasium Sancti nostri nepotem ibi esse expressum, quia in hac nummi parte sancti titulus et radii desiderantur, quod utrumque sanctitatis signum ad quinque imagines S. Januarii ibidem allatas manifeste appositum conspicitur. Ne quis forte dicat, hunc nummum* S. Athanasii *jussu excusum fuisse; prætterquam quod id ad quæstionem nostram non pertinet, meminerit, solis Ducibus licitum fuisse nummos cudere, qualis fuit Sergius* S. Athanasii *pater, cujus effigies in uno ex memoratis nummis exprimitur. Quamvis igitur antiqui et genuini supponantur hi nummi, quod operose discutere hic parum nostra interest, probabilius censeo, in hoc nummo repræsentari* Athanasium *juniorem, qui fuit simul Dux et episcopus Neapolitanus, uti cuilibet Neapolitanas historias volventi constabit. Nunc Sancti nostri Vitæ chronotaxim paucis pertexamus.*

AUCTORE G. C.

Certa nativitatis et mortis ejus epocha,

9 *Verum de hac re non multis hic disceptandum erit, cum præcipua illius puncta in antiquissimis Actis annotentur. Anno* 832 *natus est* S. Athanasius *nobilibus parentibus, scilicet patre Sergio, matre Drusa, quam alii* Dosam, *alii* Drosam *appellant. Varios habuit fratres, quorum aliqui in Actis ejus recensentur. Qui sancti Præsulis genealogiam plenius cupit noscere, adeat Ughellum tom.* VI *Italiæ sacræ col.* 112 *et* 113. *Synchronus auctor a nobis post hunc Commentarium secundo loco edendus nativitatis ejus epocham indicat his verbis num.* 9 : Hoc itaque orto decima Indictione, *id est anno Christi* 832, regnante Michaële et Theophilo, Romanæ Ecclesiæ præsidente Gregorio, votum suum facto firmaverunt parentes, prout decreverant, clericum eum facientes *etc. Caracciolus in opere jam citato cap.* XXXV *sect.* 1 *recte monet, advertendum esse, ne hic duo diversa confundantur : Indictio enim decima seu annus* 832 *non ad* S. Athanasii *clericatum, sed ad ejus nativitatem pertinet.*

E

contra quorumdam scriptorum errores ostenditur.

10 *Id, præter alia a Caracciolo allata argumenta, clarissime demonstrant verba ejusdem scriptoris coævi, qui num.* 26 *testatur, cum mortuum esse* Idibus Julii, Indictione quinta, regnante Basilio imperatore, *hoc est anno Domini* 872. *Deinde autem hæc ibidem subjungit :* Præfatus venerabilis Vir ante episcopatum vixit decem et octo, et in episcopatu sedit annos XXII. *Facto horum quadraginta annorum computu, facile quivis intelliget,* S. Athanasium *anno Christi* 832 *natum fuisse. Unde miror, quod David Romæus in Septem custodibus ac Præsidibus urbis Neapolitanæ pag.* 72, *et Cornelius Grasius Carthusianus in Vitis Sanctorum Tom.* III, *pag.* 172 *contra tam evidens testimonium assignarent nativitati ejus annum* 835. *Eodem testimonio refelluntur omnes illi scriptores, qui a vera mortis epocha deflexerunt, inter quos, præter duos jam citatos, est Philippus Ferrarius, qui in Catalogo Sanctorum Italiæ mortem ejus anno* 877 *consignat, et Ludovicus Zacconius, qui in Vitis Sanctorum Italice editis scribit, eum anno* 881 *obiisse.*

F

In juvenili ætate, ut supremus diœceseos præsul,

11 *Ex verbis Actorum jam citatis facile colligi potest, quod* S. Athanasius *admodum juvenis anno* 849, *ut notat Ughellus, sive* 850, *ut vult Baronius, Neapolitanam Cathedram ascenderit. Porro præmonendus est lector, quod* S. Athanasius *solus tamquam supremus in sua diœcesi rerum spiritualium moderator Neapolitanam Ecclesiam rexerit. Hoc monitum præmitto, ne quis falso putet, tunc temporis Neapoli duos fuisse æquales, dum in Actis num.* 4, *postea inter alias Neapolitanæ urbis laudes leget hæc verba :* Nam et introrsus binas præsulum gestat sedes. *Ne quis igitur hic hallucinetur, noverit, tunc in civitate Neapolitana duplicem fuisse Catholicorum gregem, videlicet Latinum et Græcum, qui suum quisque habebat antistitem, sed ea ratione, ut Græcus Latino subesset.*

Neapolitanam ecclesiam rexit.

12 *Ita etiam hunc Athanasiæ Vitæ locum intellexit Baronius, dum in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi* 872 *num.* 12 *referens* S. Athanasii *Vitam, de Ecclesia Neapolitana ait,* quod duplex populus contineretur in ea, nempe Latinus et Græcus, qui seorsim suos quisque, sub capite tamen uno, perageret ritus. *Atque id satis liquet, si quis cum Chioccarello*

AUCTORE

carello jam laudato sic legat : Nam et introrsus binas Præsulum gestat sedes adinstar duorum testamentorum, quamquam una sit, quæ gubernat et regit reliquam, ut capite reguntur artus diversi. *Imo in quacumque lectione hoc ab Actorum scriptore satis innuitur, dum instituit comparationem, quam desumit a* capite, *quo* reguntur artus diversi. *Qui hæc fusius disputata legere vult, videat Antonium Caracciolum in opere jam citato cap.* XXXV, *sect.* 2; *et Bartholomæum Chioccarellum in Catalogo Antistitum Neapolitanorum ad annum* 878 *pag.* 95 *et sequentibus. Superest ut de Athanasianæ vitæ ac translationis Actis eorumque scriptoribus quædam prænotemus.*

§ II. Acta vitæ et translationis, eorumque scriptores.

Habemus in Mss. ejus Vitam, auctore Joanne Diacono.

B *Varii res a* S. Athanasio *gestas litteris mandarunt, inter quos numerantur Paulus Regius, David Romæus, Cæsar Baronius, Antonius Caracciolus, Bartholomæus Chioccarellus, aliique. De iisdem meminerunt Ferdinandus Ughellus in opere jam indicato, et Nicolaus Parthenius Giannettasius noster in Historia Neapolitana anno* 1713 *Latine edita lib.* VII, *pag.* 145. *Sed nos hisce rivulis non contenti, more solito ipsos fontes, ex quibus hi omnes sua hauserant, indagavimus. In hunc finem Antonius Beatillus noster, de Actis Sanctorum optime meritus, dedit Majoribus nostris manuscriptum Neapolitanorum episcoporum Catalogum a Joanne Diacono Neapolitano, qui sæculo* IX *floruit, conscriptum, in quo post alia Neapolitanorum præsulum gesta legitur Vita* S. Athanasii *nostri. Ecgraphum desumptum est ex antiquo codice Longobardicis characteribus exarato, qui Romæ in Bibliotheca Vaticana servatur. Illustrissimus ac eruditissimus D. Dominicus De Georgio Neapolitanus, vir operis nostri studiosissimus, eamdem Vitam nuper ad nos misit, eo quod crederet nobis illam deesse. Hanc igitur cum altera collocatam*
C *primo loco edemus.*

et alteram ab Anonymo compositam,

14 *Cum in Antonio Carracciolo legissem, insuper aliam extare* S. Athanasii *Vitam, quam ipse olim ex Ms. monasterii in Monte Casino descripserat, protinus ad memoratum D. De Georgio studiorum nostrorum amantissimum litteras dedi, ut ea* S. Athanasii *Acta impetrarem. Is pro sua erga nos benevolentia statim eadem ex codice Casinensi describi jussit, et monasterii ejusdem sigillo munita anno* 1723 *perhumaniter ac munifice ad nos transmisit. Sed cum amanuensis non fuerit Longobardici characteris peritus, ecgraphum hoc, alioqui nitidissime scriptum, tot mendis refertum est, ut coactus fuerim illud cum quibusdam ejusdem Vitæ fragmentis, in Baronio, Chioccarello, Caracciolo et Ughello occurrentibus, operose conferre, et, ubi istud adjumentum deerat, ex probabili conjectura corrigere. Hæc Acta eo modo, quantum fieri potuit, correcta secundo loco typis mandabimus.*

una cum illius translatione, ex qua obscuri versus proponuntur.

15 *Laudatus amicus noster D. De Georgio etiam Neapoli ex pervetusto codice Longobardico, qui ibidem extat in archivo SS. Apostolorum apud Theatinos, describi curavit* S. Athanasii *translationem, a Joanne Baptista Caracciolo ejusdem archivi præfecto subnotatam et solito Religionis sigillo munitam, quam cum alia jam pridem habita collatam post utraque Acta vulgabimus. Subnectuntur huic Translationi quidam versiculi adeo*
D *obscuri, ut eorum sensum vix explicet Œdipus. Ego ingenue fateor, me eos non intelligere. Nihilominus curiosi lectoris oculis illos subjicio, si quis forte in divinando me felicior eos interpretari possit. In utroque Ms. nostro sic leguntur :*

Quisquis Athanasii Vitam, miraque beati,
Quæ gessit, legeris talia scripta patris.
Lunissi scito renovavi mente serena
Præsulis exiguus ductus amore prolis.
Illius ut caream probris prece necne piaclis
Ingrediar summa Elisiique zetam

Judicabam primo intuitu, hæc carmina esse vitiose descripta ; sed præterquam, quod duplex Ms. diversum illa eodem modo exprimat, testatur jam dictus Joannes Baptista Caracciolus, quod perspicuis litteris *ita scribantur, quamvis simul fateatur, sibi nondum compertum esse, quid ea sibi velint. Ego, ut dixi, illorum interpretationem libenter aliis relinquo. Interim examinemus, quinam sint Actorum et Translationis scriptores.*

Prolixioris Vitæ auctor non est Petrus Diaconus Casinensis,

16 *Satis inter eruditos convenit, Joannem Neapolitanæ ecclesiæ Diaconum, qui sæculo* IX *vixit, primam et breviorem* S. Athanasii *Vitam suo Neapolitanorum præsulum Chronico inseruisse. Sed potissima controversia est, quis altera seu prolixiora* E
ejusdem Sancti Acta conscripserit. Baronius ad annum Christi 872 *num.* 4 *prolixioris Vitæ auctorem indicat his verbis :* Hoc item anno, quo mortuus est Hadrianus Papa, pariter ex hac vita migravit, sed ante ipsum, S. Athanasius episcopus Neapolitanus, ita testante Petro Diacono Cassinensi, qui hoc item tempore vixit, resque ab eo præclare gestas conscripsit. *Nescio, unde Baronius hunc Petrum Diaconum Casinensem, sæculi* IX *scriptorem eruerit. Saltem in Actis* S. Athanasii, *quorum magnam partem ibidem Annalibus suis inseruit Baronius, nullibi nomen suum aut vitæ professionem prodit auctor. Certe synchronus illorum Actorum auctor esse non potuit Petrus Diaconus Casinensis, qui tantum sæculo* XII *plura edidit opuscula ; neque illius magister, eodem nomine appellatus, de quo prædictus Petrus in opusculo de Viris illustribus Casinensibus cap.* XXXIX *scribit :* Petrus Diaconus institutor meus, declamator insignis, e civitate Theanensi, de qua oriundus erat, egrediens, Casinum advenit, atque ab Oderisio abbate monachus factus est. *Is autem Oderisius sæculo* XII *fuit abbas, ut videre licet* F
apud Camillum Peregrinium in serie Abbatum Casinensium pag. 64.

sed Anonymus coævus.

17 *Censeo itaque cum Antonio Caracciolo anonymum esse hujus Vitæ scriptorem, qui ætate* S. Athanasii *vixerit ; quod postremum elicio ex Prologi verbis num.* 2. Quem *(libellum)* si quis attentius legerit, non modicam ædificationem sibi acquiret, Dei hominis actus imitando, et opifici omnium immensas gratias referendo, qui NOSTRIS TEMPORIBUS antiqua miracula per famulum suum perpetrare dignatus est. *Deinde in ipsis Actis num.* 6 *ita habet :* Quandoquidem NOSTRIS NUPER TEMPORIBUS sanctissimus Athanasius ejusdem urbis præsul in cunctis piis operibus ita carus extitit Deo, ut ejus non immerito Actis vita æquiparetur beata. *Imo existimo, hanc Vitam a nullo monachorum Casinensium scriptam fuisse, quia auctor de monasterio Casinensi, non ut proprio, sed velut alieno sic loquitur num.* 27 : Inde portatus usque ad montem Casinum, flentibus omnibus, sed exultantibus angelis ; quem suscipiens omnis sancta congregatio illius

A illius monasterii (*verosimiliter dixisset* nostri, *si fuisset monachus Casinensis*) digne ac decentissime sanctissimum corpus condiderunt in ecclesia beati Principis Apostolorum,..... ubi exuberant multa mirabilia per eum ad laudem Domini nostri Jesu Christi, usque in præsentem diem. *Ex his postremis verbis etiam potest colligi, quod hæc Acta composita fuerint, antequam corpus* S. Athanasii *post quinquennium ab ejus morte e Monte Casino Neapolim transferretur. Quamvis ex iis omnibus nihil sciam de scriptoris nomine aut professione, tamen suspicor, illum fuisse civem atque incolam Neapolitanum, cum totus sit in accumulandis hujus urbis laudibus, ut ex initio Actorum patet.*

qui etiam videtur conscripsisse Acta translationis.

18 *Bartholomæus Chioccarellus in Catalogo Antistitum Neapolitanorum ad annum* 849, *pag.* 90 *de duplici* S. Athanasii *translatione ita meminit :* Quinto post ejus obitum anno, ab Athanasio juniore ejus nepote, episcopo ac Duce Neapolis, fuit Neapolim solenniter venerabile ejus Sancti corpus translatum, et in porticu celeberrimæ ecclesiæ sancti Januarii extra urbis mœnia collocatum in oratorio sancti B Laurentii ejusdem sedis antistitis et juxta antrum sancti Joannis prædecessoris ac magistri, ubi miraculis fulsit. Dein in majorem ecclesiam translatum fuit, ubi adhuc requiescit in sacello nempe sancti Salvatoris. *Nescio, quo tempore et modo facta sit hæc ultima translatio ex oratorio S. Laurentii ad Cathedralem Neapolitanam. Priorem translationem, post quinque a Sancti obitu annos factam*, Anonymus auctor, *inquit Chioccarellus loco citato*, qui omnibus interfuit, accuratissime conscripsit. *An omnibus interfuerit, affirmare non ausim; coævum tamen fuisse, satis ex ipsa narratione apparet. Imo eumdem esse, qui Acta Sancti collegit, conjicio ex Prologo translationis, ubi num.* 2 *hæc verba profert :* De cujus (*videlicet* S. Athanasii) vita aliquid adhuc fari cupiverat animus; sed in libello præcedenti de ejus vita et moribus, quantum iners stilus valuit rimari, secutum est. *Observa, quod narrator translationis inertem præcedentis libelli, in quo Sancti vitam et mores exposuerat, stylum excuset. Jam tempus est, ut memorata tum Vitæ, tum* C *translationis Acta promisso ordine exhibeamus.*

ACTA

Auctore Joanne Diacono Neapolitano.

Ex Chronico Ms. episcoporum Neapolitanorum, quod extat Romæ in Bibliotheca Vaticana.

AUCTORE JOANNE DIACONO. EX MSS.

S. Athanasius, ob virtutem populo venerabilis.

Athanasius episcopus XLIV, sedit annos XXII, menses VI, dies XXIV. Hic autem ab ipso pueritiæ suæ tempore, usque ad diaconatus honorem, patre suo Sergio duce, sub tutoribus et actoribus mansit, quatenus negotii secularis ignarus, omni institutione catholica imbueretur. Qualis enim quantusque effulsit, si homines silent, ipsi etiam lapides clamabunt. Infra vigesimum ætatis suæ annum *a* levitali honore suffultus, quasi jam episcopus, venerabuntur *. Dominus enim, qui providebat Ecclesiæ suæ tantum pastorem, quodammodo de illo suæ clementiæ signum præcordiis humanis indiderat, Antistitem ejus designans futurum. Ille, inquam, ille tanto mellifluus nectare, sic omnes dulcabat, ut dominus Joannes episcopus paterno affectu in tantum eum diligeret, quod de eo sine filii vocabulo numquam os aperiret. Populus cunctus [eum amabat, et non] *b* sine Domini assertione mirum in modum certatim a singulis laudabatur, et, quod ante secula omnipotens prædestinaverat, cælebs jam et sanctus auspicabatur.

a
* *al.* numerabatur
b

fit Neapolitanus episcopus,

2 Profecto igitur domino Joanne ad cælestem patriam, hujus electionem e vestigio cunctus acclamavit populus. Qui mox sublimatus in paucis diebus Romam properavit, ubi honorifice susceptus, cum magna gloria Neapolim repedavit. Inthronizatus ergo, ubertatem doctrinæ, quam in pueritia sua suxerat, cœpit affluenter impartiri. Ordinavit E autem lectorum et cantorum scholas; nonnullos instituit Grammatica imbuendos; alios colligavit * ad scribendi officium, ut sic pastor providus aulas * sui gregis muniret, quatenus nullus indigens Domino suam præsentaret speculationem, atque verissime audiret : Floret sancta Ecclesia in diebus tuis, redempta sanguine Christi.

* *forte* collocavit
* *lege* caulas

et in ornandis ecclesiis,

3 Præterea ecclesiam *c* sancti Januarii in ipso cubiculo positam renovavit, nobiliumque doctorum effigies in ea depinxit, faciens ibidem marmoreum altare cum regilis *d* argenteis, supra quod velamen cooperuit, in quo martyrium sancti Januarii ejusque sociorum acupictili opere digessit. Eodem enim opere in ecclesia Stephania *e* tredecim pannos *f* fecit, euangelicam in eis depingens historiam, quos jussit de columnarum capitibus ad ornamentum pendere et in altare ejusdem ecclesiæ hujus operis quatuor velamina obtulit, multo auro multisque gemmis decorata : plurimos enim pannos facere studuit, quos in ecclesiarum ornamentis maluit offerre. Ex argento igitur non pauca F vasa in ipsa fecit ecclesia; nam ad magnas, brevesque * fabricandas coronas, et alia sacra vascula quadraginta octo libras argenti appendit. Ex eodem itaque metallo fecit magnam patenam, sculpens in ea vultum Salvatoris, et angelorum, quam intrinsecus ex auro perfudit.

c
d
e
f
* *al.* hucusque

aliisque piis fundationibus.

4 Item paravit duas conchas argenteas appendentes libras viginti, ex quibus una nomen Sergii exaratum habebat; fecit et comitidas *g*, quibus cantores per festivitates uterentur. In ipso vero episcopio ad quotidiana ministeria in cochleariis *h*, catenisque, fere centum libras contulit argenti. Ordinavit etiam, ut in ecclesia Salvatoris omni die Missa publica cum diptychis celebretur, offerrens ibidem terras ex quibus ejusmodi aleretur collegium. Deinde ordinavit xenodochium in atrio prædictæ ecclesiæ multis terris oblatis, quatenus egenorum et advenarum esset repausatio. In ecclesia denique sancti Januarii foris sita, monachorum collegium sub abbatis regimine ordinavit, offerens

g
h

AUCTORE JOANNE DIACONO.

suam ostendit munificentiam

rens eis unum hortum in campo Neapolitano positum.

5 Multas igitur ecclesias, quarum sacerdotes paupertate laborabant, oblatis suæ largitionis muneribus, suæque præparationis rebus sublevare curabat. Quæ si cuncta recensere volumus, et nobis etiam est longum ire per singula et lectoribus ingerimus non parvum fastidium. Eodem quoque tempore Misenatis *i* ecclesia, peccatis exigentibus, a paganis devastata est, cujus omnes pene immobiles res hoc præsule supplicante genitor ejus Sergius Dux Neapolitano concessit episcopio, et in altare ecclesiæ Stephaniæ cooperuit velamen cum auro et gemmis atque listis *k* ornatum, quod ipsius et uxoris ejus Drusæ * continet nomen. Dedit etiam in ejusdem episcopi bibliothecam tres Flavii Josephi codices.

* al. Dosu·

Ludovicus Imperator S. Athanasium,

6 Præterea mortuo Sergio Consule, et Gregorio filio ejus ducatum regente, Saracenorum ferocitas ita in his prævaluit regionibus, ut multarum urbium, atque castrorum quotidianum fieret excidium. Idcirco B Lhodogwicus *l* imperator supplicatione commotus Longobardorum, ad eorum liberationem validum movit exercitum, asserens se rationem redditurum, si pro quibus Christus descendit de sinu Patris, subiens corpoream mortem, non eos a paganissimo jugo liberaret oppressos. Hujus autem adventui omnium circumquaque urbium patuit introitus, solummodo Neapolitanam non est ingressus civitatem, quia tantam iste Dominus Athanasius familiaritatem apud eum obtinuit, ut saltem in modico non amaricaretur ab ejus potestate. Beneventi itaque commorans magnam de cœlo accepit victoriam. Ita ut Agarenis *m* fame et gladio imteremptis, et Rege eorum * Seodan capto, civitates, quas ceperant, auferret, et in pristinum revocaret dominium.

* al. Sendani

nepotis sui tyrannidi,

7 Interea Gregorius Dux, habito cum suis germanis consilio præsertim cum Domino Athanasio episcopo, statuit consulem Sergium filium suum; nec multo post diuturnitate ægritudinis spiritum exhalavit. Quo mortuo, Sergius Consul, instinctu malorum hominum, C cepit omnes germanos patris sui, etiam eumdem Præsulem, quibus segregatim custodia mancipatis, infra septimi diei spatium collecti omnes monachi servi Dei sacerdotes, et Clerus, clamabant lachrymis profusis : Sergi Consul, redde nobis Pontificem, dimitte Sanctum, patrem orphanorum, defensorem viduarum, totius regionis lumen, consolatorem tristium; solve hominem, per quem omnis patria pacificata manebat; alioquin gratam suscipiemus peregrinationem, quatenus nobis absentibus tanti sceleris ira in te deseviat. Quid gereret, quo se verteret non habebat, coangustatus itaque tandem aliquando memoratum Antistitem illis dimisit, tali sacramento constrictum, ut nusquam sine consensu ejus abiret, nisi tantum ad ecclesiasticam explandam consuetudinem.

se subducentem, in suam clientelam suscipit,

8 Diebus igitur decem expletis, commeatum petivit, quasi convivium monachis insulæ Salvatoris *n* exhibiturus; quo accepto nihil moratus, cum omnibus clericis in eamdem ascendit insulam. Desiderabat enim quodam modo suos germanos ex ergastulo, quo detinebantur, producere; sed Sergius nolens a tanta mentis obstinatione recedere, D aiebat, non solum autem istos patiar esse solutos; insuper eumdem Episcopum ex ipsa insula trahere conabor. Propterea Dominus Athanasius episcopus suum apocrisiarium *o* Domino Lhodogvico Imperatori destinans, insinuavit ei quæ et quanta a suo pateretur nepote. Tunc ille ex urbe Beneventana Marino seniori Amalphitanorum præcepit, ut illum ex prædicta insula cum omnibus ejus hominibus incolumem, quo vellet, perduceret Marinus autem imperata complere festinans, Surrentum illum cum omnibus salvum perduxit.

et ejus hortatu, injuriæ immemor, Salernitanis succurrit.

9 Hic itaque eo degente, Beneventani et Salernitani æmulatores tantæ bonitatis prædicti Imperatoris, insurrexerunt cum consilio Sergii ducis contra eum : Quo capto unaque cum conjuge sua recluso, plurimi Franci amisso pastore, luctifero ululatu reversi sunt in regionem suam. Postmodum vero Beneventani, Salerno jam a superventu Saracenorum obsesso, dimiserunt ipsum Imperatorem sub sacramento districtum, quod E nullatenus pro tanta inhumanitate, quam ei ingesserant, redderet eis meritum. Cui Athanasius episcopus obviam ire satagens illico Surrento egressus, Romam properavit, ibique detentus est paulisper ab Adriano Papa, ac deinde egressus Ravennam occurrit prædicto Imperatori. Sicque cum eo revertens in eamdem Urbem multis precibus ab eo extorsit ut suæ immemor injuriæ suffragaret Salernitanis, Ismaëlitarum *p* obsidione vallatis, prædicans illi judicium Domini, in quo unusquisque secundum adinventionem manuum suarum sit recepturus.

post S. Athanasii mortem.

10 Unde pius commotus Augustus armatam direxit multitudinem, ut, Domino protectore, bellum inirent adversus illos. Qui celeriter venientes atque plurima cæde Saracenos prostrantes, triumpho de cœlo donato, victoriosissimi repedarunt. Cæsarius *q* vero germanus ipsius prædicti Præsulis in ipsa custodia vitam finivit. Athanasius autem itinerans cum eis, vi febrium laborare cœpit et quinto decimo die expleto, omnibus flen- F tibus, migravit ad Dominum; cujus corpusculum ad monasterium sancti Benedicti, quod situm est in Monte Cassino, deportantes, in ecclesia sancti Petri Apostoli ibidem constituta sepelierunt Indictione quinta anno Imperatorum [DCCCLXXII *r*]. Fuit autem temporibus Leonis, et Benedicti, et Nicolai, et Adriani apostolicorum *s*.

ANNOTATA.

a *Jam ex num.* 9, 10 *et* 11 *Commentarii prævii patet, quod* S. Athanasius *anno ætatis suæ decimo octavo Neapolitanam cathedram adierit.*

b *Hæc uncis inclusa hic inserere coactus sum : nam nullus erat sensus.*

c Per ecclesiam S. Januarii in ipso *(vel ut habet Chioccarellus* pag. 88 in ejus) cubiculo positam *intelligo parvum oratorium, quod* S. Athanasius *in cubiculo domus suæ episcopalis renovavit. Possent forte Neapolitani quidam hoc intelligere de ecclesia super ipso S. Januarii cubiculo exstructa. Sed tum litem movebunt Beneventanis, qui in urbe sua S. Januarii domum monstrant.*

A *strant. Quidquid sit nondum venit tempus, ut huic controversiæ nos immisceamus.*

b *Diu frustra quæsivi hanc vocem ; sed ex sensu suspicor, limbos argenteos significari.*

c *De hujus ecclesiæ situ et etymologia fuse disputat Chioccarellus pag.* 92 *et* 94, *qui a curioso lectore adiri potest.*

f *Auctor per* pannos, *hic intelligit peristromata, ni fallor.*

g *Quid per* comitidas *velit auctor, ignoro. Conjicio ex sensu fuisse quoddam vestimenti vel instrumenti genus, quo lectores in ecclesia utebantur.*

h Cochlear *et* Cochlearium *inter vasa ecclesiastica numeratur apud Cangium : alias est instrumentum satis notum, quo ad comedendum utimur. Alterutrum hic significare potest.*

i *Est hujus nominis mons et oppidum in Campania, et vulgo vocatur* Miseno. *Dicitur hic vastata ea ecclesia a paganis, per quos intelligendi sunt Saraceni. De hoc loco plura ex veteribus adfert Christophorus Cellarius in Notitia orbis antiqui parte* I, *lib.* II, *lib.* II, *pag.* 530.

k *Id est limbis : nam nomen Italicum* lista *etiam limbum significat. Belgæ, Germani et Angli* B *in eadem significatione adhibent hanc vocem paulo aliter inflexam, quam ab origine Anglo-Saxonica deducit Spelmannus in suo Glossario.*

l *Is est Ludovicus II Lotharii I filius, in historia satis notus, et bellis contra Saracenos in Italia gestis præcipue memorabilis.*

m *Per Agarenos designantur Saraceni, ut testatur S. Hieronymus in commentario ad Ezechielem lib.* VIII, *cap.* XXV. Sed, *inquit Nicolaus de Lyra in cap.* XX *Isaiæ,* maluerunt vocari Saraceni, quasi Saræ liberæ, non Agar ancillæ sint filii. *Alii a regione Saraca, alii ab Arabica vel Hebraica voce nomen Saracenorum derivatum volunt.*

n *Hæc insula, teste Chioccarello, olim castrum Lucullanum dicta, ab urbe Neapolitana duodecim fere stadiis abest.*

o *Hoc nomen a Græca radice deductum varias habet significationes, de quibus fuse disputat Cangius in suo Glossario. Videtur hic significare nuntium vel legatum.*

p *Ismaelitarum nomine etiam appellantur Saraceni vel Agareni, de quibus Nicolaus de Lyra in cap.* X *Isaiæ sic scribit :* Arabes sunt Saraceni ab C Ismaele et Cadar filio ejus, qui melius a matre sua Agareni.

q *De hoc* S. Athanasii *fratre meminit Carolus Sigonius lib.* V *de Regno Italiæ, aliique citati apud Ughellum tom.* VI, *Italiæ Sacræ col.* 112.

r *In altero Ms. nostro is annus diserte exprimitur, qui in hoc Ms. omissus erat. An autem et quis illum numerum postea addiderit, an in ipso autographo inveniatur, ignoro. Idcirco eum hic unicis inclusi.*

s *Haud dubie Joannes Diaconus vult indicare, quod* S. Athanasius *sub istis Pontificibus fuerit episcopus : nam constat, quod sub aliis eorum prædecessoribus fuerit vel vixerit, ut culibet chronologiæ ecclesiasticæ non omnino imperio manifestum est.*

D

ACTA ALIA

Auctore anonymo coævo.

Ex Regesto S. Placidi, Longobardicis litteris exarato, a pag. 131 ; qui codex servatur in archivo monasterii Casinensis.

PROLOGUS.

Gloriosus, et laudabilis vitæ cursus, ad quam viri Dei pro desiderio superni regni laborioso properare contendunt conamine, etsi verbis utcumque exterius explicari valet, interiorem conversationis vim, qua Deo sedulo adhærent, nullus, ut reor, sermo, nulla umquam medullitus prodit oratio. E Quandoquidem nunc novissimis temporibus ita Christi cultus in aliquibus propensius fervet, ut nulli videatur ambiguum, illos, finito mundi certamine, a bono præsenti siderea regna penetrare securos *a*. E quorum collegio venerabilis vir Athanasius episcopus, bonæ arboris bonus fructus, ab ipso tirocinii sui exordio, quasi splendidissimum sidus inter astra rutilantia, lucidius effulsit : quippe qui animo puerili senile cor gerens, nulli voluptati se subdidit, sed in Dei amore, servitioque promptus, in vigiliis, et orationibus pervigil, in lectionibus et eleemosynis indeficiens, in ecclesiasticis curis solicitus extitit, ut merito credatur, abjectis temporalibus commodis, æterna mercasse gaudia, si varia miraculorum suffragia, quæ, Deo donante, ipsius meritis quotidie ejus ad tumulum fiunt, pensentur. *Auctor ex Vita S. Athanasii ostendit.*

2 Non ergo mirum, aut difficile, nisi indoctis, et incredulis videtur, cælibem, et Deo dignum virum etiam nunc in hac præsenti vita reperiri ; cum Dominus dicat : Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Huic non immerito dicitur a Deo : Bonum certamen certasti, fidem servasti, suscipe coronam, quæ tibi reposita est. Et illud : Euge serve bone, et fidelis, intra in gaudium Domini tui. Si autem quisquam æmulus veritatis existens, contradicere tentaverit, non posse quemquam amodo divinis coruscare miraculis, recolat, quod ait Salvator : Qui in me credit, opera, quæ ego facio, faciet. Et alibi : Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Et iterum : Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Si autem veraciter caput cum membris suis in Ecclesia usque in finem conversatur, non incredibile dicitur, ea posse operari nunc Dominum per fideles suos ; sed et Salomon ante tot annorum curricula hoc confirmat dicens : Gratia spiritus per regenerationes transiens in animas sanctas, amicos Dei, et prophetas operatur *b*. Præfati etenim venerabilis viri propriam, prosapiamque, vitam et mores sequens libellus continet : quem si quis attentius *reperiri sanctos viros, qui patrant miracula.* F

AUCTORE ANONYMO COÆVO. EX MSS.

tius legerit, non modicam ædificationem sibi acquiret, Dei hominis actus imitando, et opifici omnium immensas gratias referendo, qui nostris temporibus antiqua miracula per famulum suum perpetrare dignatus est, ad laudem, et gloriam nominis sui, qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Obscurior paulo syntaxis. Plures hujusmodi constructiones in his Actis occurrentes semper annotare non placuit, dummodo utcumque sensus intelligatur.*

a *Auctor sensum potius, quam verba S. Scripturæ profert. Id etiam alibi ab eo factum est.*

CAPUT I. *S. Athanasii patria, parentes, pia educatio, et clericatus in pueritia.*

B

Laudatur Neapolis

Italiam partem esse Europæ nobilissimam, ac ditissimam, juxta trifariam orbis dimensionem, nemo, qui vel ex parte cosmographiam noverit, ignorat. Quæ quidem in duabus insulis *a*, et sexdecim dividitur provinciis, quarum septima nuncupatur Campania, frugum, omniumque pomorum fœcunda; quæ sicuti ferax est, diversa proferendo fructum germina, ita cœlibes, et Deo dignos viros sæpe produxit, et educavit: inter quos Athanasius, quasi novum sidus, non mediocriter emicuit. Hæc igitur Campania habet civitates decentissimas, et valde optimas; ex quibus una est Heneapolis *, quæ post civitatis Trojanæ excidium, ab Enea filio Anchisæ, et Veneris condita *b*, ita præpotens, et amœna est in structuræ scilicet munitionibus, situ suburbano, et Christicolarum, interius degentium, religione, ut in Hesperia *c*, post Romanam urbem, nulli reperiatur esse inferior. Quæ nimirum quantum C sit egregia Virgilius in distinctis versiculis sui epitaphii, quod sibi ipse moriens dictaverat, manifestat, cum eam Parthenopem, hoc est virginem, a quadam puella innuba, olim inibi degente, appellaverit.

* *al.* Neapolis

ob pulcra ædificia et templa,

4 Hanc denique Octavianus *d*, et Constantinus Imperatores ampliaverunt; hujus decori Belisarius patricius ex præcepto Justiniani Imperatoris septem mirificas turres addidit, quas Augustales, et ob numerum tetragonas, hexagonasque fecit *e*. Narsis denuo patricius, et Augustorum cubicularius, postquam Italiam, Wandalis et Gothis interemptis, eorum ab efferitate exuit, maximam in ea partem auxit, ita ut ex una parte maris illam muniret * contiguo ob navium receptaculum, et tam firmissimo munivit ædificio, ut etiam onustæ mercimoniis trieres *f* a supereminentibus validissime tueantur. Sed cur immoramur in exterioribus ædificiis, quæ utique melius a conspicientibus cernuntur, quam eloquentia cujuslibet valeat sophistæ fari? Quandoquidem ita interius frequentissimis ecclesiis, ac præclaris, antiquæ videlicet, et vetustissimæ structuræ D editis, nec non et monasteriis virorum, et puellarum farta * retinetur, ut horum continuis precibus, nocturnis, diuturnisque adjuta, invictrix consistat, et tuta. Nam et introrsus binas præsulum gestat sedes adinstar duorum Testamentorum, [quamquam una sit] quæ eam gubernat, et regit reliquam, ut capite reguntur artus diversi *g*.

* *al.* muniret

* *al.* referta

5 Reperiuntur plane in ea templa, prisco constructa ædificio; quoniam non solum a Constantino piissimo principe Augustorum Christianissimo, sed plures ante annos Christiana inibi religio floruit. Siquidem beatissimus Petrus Apostolorum Princeps Aspren *h* sanctissimum primum [ibi] ordinavit Episcopum. Nam et Beati illius * Agrippini *i* ecclesia hactenus demonstratur, qui quintus a supradicto Aspren Episcopus ordinatus est, quique et patronus, et defensor est istius civitatis. Beatissimum quoque Januarium, Christi martyrem, postea *k* Neapolites meruerunt habere tutorem, quibus annitentibus, faventibusque præfata urbs, Deo favente, tuta remansit, manebitque in ævum; quoniam quasi duas firmissimas bases, duoque E candelabra splendentia gloriatur se habere supradictos Patres eadem civitas, duabus fulta alis, id est duorum Sanctorum fisa precibus. In qua laici simul cum clericis assidue Græce Latineque, communi prece psallunt Deo, debitumque persolvunt jugiter Officium; in qua etiam indigenæ, et inquilini non circumeundo domos in peregrinorum habitu stipem publice expetunt, sed loco, quo commorantur, omnia necessaria, quæ desiderant animo, abundantissime percipiunt; et juxta præceptum Dominicum prædictæ urbis accolæ potius Lazaros * quæritant, et exhibent largius, quibus indigent, quam inopes affluentum inquirant opes *l*.

g ac sanctos patronos,

* *al.* illo

* *al.* Lazarum

6 Idcirco a multis crebro expugnata gentibus, et prius a Wandalis, postremo a Longobardis indesinenter oppressa per annos ferme ducentos, inviolata persistit, et invicta ab omnium hostium concussione; quoniam civitas hæc, civitas misericordiæ, et pietatis est, hinc inde vallata omni bonitate; F quæ quidem meruit tot, talesque patronos habere apud Deum in exorando, merito hujuscemodi debuit protectione tutari, ut et bonis exhuberet opibus, et a cunctis existat adversariis illæsa. Quid ergo de structuris diversis diversa conamur adstruere, vel de priscorum in ea civitate Sanctorum copia ex prædicta prodeuntium urbe, narrare tentamus, quorum conversatio est in cœlis? Quandoquidem nostris nuper temporibus *m* sanctissimus Athanasius, ejusdem urbis præsul, in cunctis piis operibus ita carus extitit Deo, ut ejus non immerito justorum actis vita æquiparetur beata, cujus mores tunc verius retexuntur, si a progenitoribus ipsius exordium sumatur.

virosque ex ea ortos, inter quos est S. Athanasius.

7 Anno igitur Incarnationis Jesu Christi Domini nostri extante octingentesimo trigesimo quinto, indictione tertia decima, Sergius quidam vir per omnia strenuus, Neapolitum de prosapia procerum ortus, ab ipsis cunabulis gemino de germine nobilis, sed longe nobilior mente, gratus parentibus, sed Deo non

Sergius, vir strenuus ac eruditus

AUCTORE ANONYMO COÆVO. EX MSS. ...

A non ingratus [florebat]. Quo videlicet tempore ingentem sustinebat dicta urbs a Longobardorum agminibus persecutionem, ita ut singularis hic quæreretur ab his interimendus, veluti Moyses famulus Dei ab Ægyptiis. Metuebant proculdubio, ne sicut ille illis ad ruinam, ita iste istis ad perniciem daretur aliquo modo, ideoque innumerabilia probra, dispendiaque non parva pertulit, pro sua, suorumque optata civium commoditate. Cum autem ad virilem pervenisset ætatem, litteris tam Græcis, quam Latinis favorabiliter eruditus est, ita ut si casu librum, Græcis exaratum elementis, in manibus sumeret, Latine hunc inoffense cursim legeret, et Latinos libros in Græco expedite sermone rimaret. Tantæ namque prudentiæ, ac modestiæ, tantæque patientiæ [laude] decoratus est, ut penes Gregorium *n* Romanæ Sedis Pontificem, ergaque serenissimos viros Lodoicum piissimum cognomento Almum *o*, ejusdem sobolem Lotharium *p* invictissimos Cæsares familiarissimus esset maximumque obtineret honoris locum, B quoniam frequenter eorum regalia *q* adibat, ob infestationem jam dictarum gentium, suam urbem sæpe impugnantium. Hic ergo non ab re salvator propriæ gentis nuncupari potest, per quem populus, et civitas ab obsessione immunis efficitur. Hujus rei gratia etiam suæ gentis primatum obtinere promeruit. Nam rectore obeunte jam dictæ civitatis, dum hic absens esset, cives, affinesque illius omnes, Ducem sibi illum statuerunt pari consensu, et petitione. Mox, Dei opitulante misericordia, quievit persecutio sinistræ immissionis.

piam et nobilem ducit uxorem,

8 Sed ut paululum stylus retrovertatur, præfatus vir accepit conjugem dignam generis sui, nomine Drosu, principali probagine satam, ipsamque cunctis honestam moribus, et claritate perspicuam, ut jure ei aptari conveniat quod de sapientibus mulieribus Salomon profatur: Mulierem, inquit, fortem quis inveniet? Procul. Et paulo post: Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senatoribus terræ; et reliqua quæ sequuntur. Quibus cunjunctis, turba sobolum C secuta est, Domino largiente; ex quibus unus, illis adhuc viventibus, Gregorius nomine militum magister *r* constituitur; vir per omnia strenuus, ut genitor, et in Græca, Latinaque lingua peritissimus: duo vero episcopale sortiuntur ministerium. Unus ex his duobus est, de quo loqui nitimur, Athanasius. Hunc etenim prius quam in alvo sua gestaret genitrix, viro non reluctante, immo id magnopere flagitante, Annæ sanctæ imitata [exemplum] vovit Deo, ut de uteri sui fructu, si inesset proles, æquo assensu, Christo traderent ad famulandum, Athanasiumque vocitarent, id est immortalem *s* ob amorem, et honorem doctissimi sancti Athanasii Alexandriæ præsulis; non ignari hujus mysterii, quod immortalis sonat; quoniam Dominus ait: Qui in me credit non morietur in æternum.

... qua natus ... Athanasius ... o Nea... ... insti... tuendus tra... ditur;

9 Hoc itaque orto, decima Indictione *t*, Regnante Michaële, et Theophilo, Romanæ Ecclesiæ præsidente Gregorio, votum suum facto firmaverunt, prout decreverant, clericum eum facientes, in Ecclesia beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ ad informandum Ecclesiasticæ regulæ documentis indiderunt; sed non multo post Johanne *u* reverendo viro Neapolis ordinato Præsule; genitore vero fati viri Ducatus jam regimine suscepto, confestim igitur supradicto Pontifici jam fatus ordinatus est puer, non ut filius, sed ut famulus infimus. Quem vir Dei libenti suscepit animo, et videns eum in Dei timore, atque servitio ex toto esse ferventem, et donum, gratiamque in eo adesse cœlestem, et proficientem quotidie in Dei timore, et litterarum eruditione, affectu materno eum amplexans, quasi pius pater pium diligebat liberum; eumque videns in Ecclesiasticis instrumentis, officiisque divinis pollentem, subdiaconii ministerio junxit: Quod ille, ne sprevisse ut minimum videretur, suscipere non renuit. Futuræ namque humilitatis, specimen quod in Pontificatus, dein culmine [exhiberet] in adolescentia senili jam in mente ostendebat, ministrabatque fidissime pastori suo, prout Samuel innocuus Heli sacerdoti, sub reverentia divinæ Majestatis; et non solum illi, sed et omnibus E clericis etiam infimis, corpore, et corde se exhibebat inferiorem.

qui ab ipso ad sacros Ordines promovetur.

10 Peractis itaque hujuscemodi religionis obtentu septem continuis annis, cum cerneret memoratus præsul animam ejus fervescere in amore Creatoris sui, et in humilitatis proposita immobiliter perdurare, Christi septimum in eadem Ecclesia levitam sublimavit, illustratum videlicet septiformis Spiritus sancti gratia. Is autem diaconatum excipiens, non in vanæ gloriæ lapsus est jactantiam, sed pietatem in se perspiciens cœlitus collatam, potiorem humilitatem ostendebat in moribus, habituque priore, sententiæ profecto Salomonis non immemor dicentis: Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Noverat et vocem intonantem herilem: Qui se exaltat, inquit, humiliabitur. Sectabatur etiam humillimam magistri gratiam, qui eum sumpserat ad imbuendum. His ergo aliisque quam plurimis charismatum ditatus muneribus crescebat quotidie, velut sidus athleta in templo Domini, præliaturus nihilominus adversus omnia figmenta F diabolica.

ANNOTATA.

a *Non adeo promptum est divinare, quas duas insulas auctor hic intelligat, cum in Italia plures sint insulæ, si præsertim minores computentur.*

b *Puto hæc ab aliquo intrusa esse, qui undecumque Neapolitanæ urbis antiquitatem extollere volebat: nam Chioccarellus hujus auctoris verba singillatim referens pag.* 95 *ita legit:* Hæc igitur Campania habet civitates decentissimas et valde opimas, ex quibus una est Neapolis, quæ quo tempore, vel a quo sit condita structore, et a priscis et modernis historiographis reticetur. *Hæc profecto multum a sensu Ms. nostri differunt. Atque hinc colligo, Acta nostra ab amanuensi aliquo facile interpolari potuisse in iis, in quibus cum aliis non conveniunt.*

c *Italia a Græcis compellatur Hesperiæ nomine, quod occidentalem regionem sonat; qualis est Italia, si ad Græciam referatur. Unde Virgilius lib.* I *Æneidos*

AUCTORE ANONYMO COÆVO EX MSS.

Æneidos de Italia loquens, dicit esse terram, quam Hesperiam Graii cognomine dicunt.

d *Hic Chioccarellus in suo Ms. ita legit :* Hanc denique Octavianus Augustus Neapolim jussit vocari, id est novem civitatum dominatrix, et velut nonnulli asserunt, novam civitatem, quod quam sit absurdum, scrupulum movet : cujus enim ex vetustate nescitur initium nova cur dici valeat, non facile animadvertitur, præsertim cum ab illo sit, ut putatur, condita. *Hæc omnia in Ms. nostro non inveniuntur. Hinc augetur conjectura mea, quam supra indicavi; nempe Acta illa ab amanuensium corruptione non omnino pura esse.*

o *Non intelligo, quare Belisarius ob numerum septem curruum, figuram earum quadrangulam aut sexangulam fecerit. Forte hic irrepsit sphalma quoddam amanuensis.*

f *Id est* triremes *a voce Græca* τρίηρης *quæ triremem significat.*

g *De hac comparatione fusius egi in Commentario prævio num.* 12.

h *Hujus Sancti festum colitur* III *Augusti, quando ejus Acta, Deo favente illustrare conabimur.*

B i *Hic sanctus Præsul colitur* IX *Novembris, quando de illo agendum erit.*

k *Caracciolus in sacris ecclesiæ Neapolitanæ numentis cap.* XXXV, *sect.* II, *pag.* 359, *ad hoc temporis adverbium notat sequentia :* Intellige aliquo protectionis signo postea demonstrato : cum alioqui longe antea constet Januarii patrocinium, ut dixi in historia S. Januarii sectione XXI.

l *Hic sensus etiam in variis Mss. varie legitur. Auctor, inquit Caracciolus pag.* 360, alludit ad Diaconias, quæ etiam ptochiæ dictæ sunt. *Sunt autem ptochiæ domus mendicorum, ita appellatæ a voce Græca* πτωχὸς *quæ* mendicum *significat.*

m *Ex his verbis colligi potest, Actorum scriptorem* S. Athanasio *coævum fuisse; quod idem pluribus argumentis confirmavi in Commentario prævio num.* 17.

n *Id est Gregorius IV summus Pontifex, qui obiit anno* 844.

o Almus *hic idem est quod* Pius : *nam constat ex historiis, Ludovicum I Imperatorem hoc cognomine appellatum fuisse.*

C p *Hic Lotharius rebellione contra Ludovicum Pium, patrem suum, satis in historia notus est.*

q Regalia *idem hic est, quod* palatia. *Eadem voce in hac significatione utitur Freculfus Lexoviensis tom.* II, *lib.* V, *cap.* XI.

r *Magistri Militum vocabantur potissimum urbis Neapolitanæ præfecti, ut ex multis Auctoribus probat Cangius in Glossario.*

s *Alludit auctor ad vocem Græcam* ἀθάνατος, *quæ* immortalem, *vel* ἀθανασία *quæ* immortalitatem *significat.*

t *Dixi in Commentario prævio num.* 9, *ad quid referenda sit hæc Indictio, et quomodo sensus sit interpungendus.*

u *Chioccarellus in Episcopis Neapolitanis pag.* 84 *ait, hunc S. Joannem a Gregorio IV Romæ circa annum* 838 *episcopali infula insignitum fuisse.*

D

CAPUT II. *S. Athanasii episcopatus, variæ virtutas, magnificentia erga ecclesias, et sanctitatis fama.*

S. Athanasius factus ecclesiæ Neapolitanæ episcopus,

Expleto igitur in leviticali officio anno uno, duobusque mensibus, prædictus vir Johannes beatæ memoriæ, honestissimæ vitæ præsul, et Deo satis carus diem clausit extremum *a*. Moxque ab universo clero omnique plebe, simulque a Ducibus, genitore scilicet, et germano communi voto, et consilio electus est ad pontificale decus; et proficiscens Romam consecratus est a venerabili Papa Leone *b* Idus * Martii ad altare sancti Gregorii, reversusque, a cunctis civibus magno gaudio exceptus est, eo quod talem meruerunt suscipere pastorem, et patrem, qui nutritorem suum imitaretur moribus, et operibus. Athanasius vero præfatus præsul, accepto tanti mysterii * apice, qualem se quantumque præstiterit in omni regimine ecclesiastico, quamque perfectus in timore Domini, et facilis in litterarum studiis extiterit, esset si nobis ferrea vox, aut omnes artus nostri verterentur in linguas, non valeremus [explicare, et] quotidianam conversationem, illiusque spem semper fixam in Domino [enarrare]. Saltem de pluribus pauca retexere [conabimur] : Quippe opere perfecit ea, quæ Apostolus monitis instruxit inquiens : Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Et paulo post : Et testimonium habere etiam ab his, qui foris sunt.

* al. Idibus

* An non ministerii?

E

variis virtutibus,

12 Grammaticam prius in pueritia, et post in pontificatus honore perfectissime didicit; divini vero dogmatis peritia ita [erat] instructus, ut in Latino nulli foret secundus. Ecclesia namque, quam tuendam suscepit, omni modo interius, exteriusve inopem reperit ob infestationem Longobardicæ gentis, quæ, peccatis exigentibus propriis, Neapolitibus vicinitate cohæsit *c* ; Quo viriliter agonizante, tam in divinis, quam in mundanis adeo aucta est, ut nulli ecclesiæ in Campania inferior in aliquo cerneretur. In Dei autem timore et oratione tam intentus, et pervigil extitit, ut anachoritis, nostris certe diebus, omnibus sit præponendus. Ciborum quoque abstinentia tam arctissime usus est, ut ab omnibus miraretur. Nam et carnem ab ore suo abstulit funditus, et tantum præcipuis festis aliquid parvum benedictionis *d* de volatibilibus accipiebat. De vini autem potatione primo abstinere se voluit, sed propter ægritudinem carnis non potuit; tantum Apostoli sententiam secutus est, qui Timotheum instruit dicens : Vino, inquit, modico utere propter stomachum, et frequentes tuas infirmitates. In pauperum quoque indigentiis dapsilis, in lectione assiduus, in oratione continuus, in Officiis ecclesiasticis promptus, in risu difficilis, in suspiriis, et singultu quotidiano deditus, multiloquium vitans, taciturnitatem amplectens, in eruditione disertus, in fraternitatis collectione profluus,

F

A fluus, animam suam odio habens in hoc mundo, ut in vitam æternam custodiret eam.

adaut voluntarias corporis afflictiones.

13 Quippe inter ipsa quotidiana detrimenta corporis sui, quæ ipse sibi sponte administrabat, plumbum etiam non parvi ponderis diutina subjectione collo proprio suspensum gestabat; subtus ad carnem absconse grossiori vestimento induebatur non ex lino, sed ex lana. Lectisternia quoque pretioso tecta stamine linquens, in vilissimo cilicio, et psiatho *e* terra prostratus, Jacob adinstar, lapide supposito capiti, cum in oratione crebra lassesceret, membra quieti dabat. Ferventius tamen per semet artus proprios tam graviter cædebat, acsi a severo judice juberetur affligi, ut stimulato corpore, saltem nulla tentatio spiritualis nequitiæ subreperet, quatenus a mundi illecebris omni modo immunis effectus, posset acceptissime immaculatum Deo, quotidianumque libare sacrificium, quod omni die minime destitit, nisi forte membratenus adesset ægritudo. Et juxta Apostolorum prius semper propriis expiationibus sacrificium illibatum ante arbitri Dei B conspectum offerebat, deinde in publico pro sibi credito grege. Ideoque et multis sacerdotibus, plerisque abbatibus monasteriorum subsidia alimentorum, et nonnulla ministrabat necessaria, ut pro se Deo sedula supplicarent interventione, ut si in cogitatione, actuque delinqueret quotidiano, sine qua sorde, ut Johannes dicit, nemo natus de muliere alienus est, eorum precibus ablueretur.

et diœcesim suam variis fundationibus,

14 Hic itaque zelo fretus divino, constituit sacerdotes hebdomadarios in ecclesia Domini Salvatoris, quæ Stephania vocatur, qui in ea continuis diebus publicam Missam celebrarent, sicut mos est Ecclesiæ Romanæ, in qua etiam ad eorum sumptus necessarias rerum distribuit opes. In ecclesiis quoque beati Andreæ Apostoli, et Protomartyris Stephani custodem designavit, ubi et res obtulit ad luminariorum concinnationes, et sumptus ipsius custodis. Ecclesiæ vero sanctæ Restitutæ, quæ a Constantino Imperatore condita est, connectit utrumque C Johannem, Baptistam atque Euangelistam, et custodem cum officialibus clericis ordinavit, resque illic ad præsidium eorum largitus est. Fecit etiam xenodochium ad peregrinorum susceptionem super gradus atrii ecclesiastici, cui nonnulla contulit præsidia, illoque exhortante, plures fidelium simili contulere devotione. In insula, Salvatoris vocabulo cognominata, quæ a Neapoli vix duodecim distat stadiis, quamquam multis retro annis a monachis in cellis consistentibus in propria a singulis voluntate incoleretur, illuc frequenter properans crebra exhortatione illos admonens, unum super illis vice pastoris in cœnobio degentibus abbatem constituit, qui eos regulari sub districtione foveret, ad quorum quotidianos sumptus ecclesiam beatæ Luciæ martyris in perpetuum cessit habendam cum omnibus rebus suis.

[...]usque operibus [...]ustrat.

15 In ecclesia namque sanctissimi, ac beatissimi martyris Januarii, quæ juxta memoratæ urbis mœnia condita [est, et] quæ Magna a civibus nuncupatur, ubi unus antea tantum sacerdos excubabat in obsequio, ipse monasterium instituit, illicque religiosæ vitæ virum singularem patrem ordinavit, qui cum collato sibi grege incunctanter Deo juge laudis Officium persolverent *f*. Istius etenim solicitudo circa ecclesias, et monasteria erga pupillorum, viduarumque miserationes, quamque circa redimendos captivos, quos tunc innumerabiles Saracenorum exhulabat * efferitas insatiabilis, quam frequens seu solicita, clemensque extiterit, ita multis est cognita, ut si lingua fando torpeat in eloquendo, tamen procul dubio tonabit æther; quoniam beatitudinis fama nullo valet circumdari antro, neque, ut Euangelii tuba resonat, lucerna sub modio occultatur, sed candelabro supereminens constituitur, ut intrantibus in templo Domini jubar exhibeat inoffensum.

AUCTORE ANONYMO COÆVO. EX MSS. f

* *id est in exilium vel servitutem mittebat.*

S. Præsul ob sanctitatis famam a Nicolao Pontifice, g

16 Cujus opinionem comperiens reverendissimus vix Nicolaus, universalis Ecclesiæ Pater, Apostolicis exhortationibus hunc ad synodum *g*, quam contra Johannem Ravennatis urbis Episcopum congregaverat, singulariter evocavit, tertiumque in Apostolita conventione consedere fecit, eique ad legendum tradidit cautiones, quas prædictus E Archiepiscopus intexuerat, eo quod ceteris, illo convenientibus, in gratiæ divinæ collatione omnibus præstantior apparebat. Hujus enim genitor, dum sibi e vicino languore excessum adesse cerneret ultimum, suos mox accersivit natos, eumque, quem consortem sui ducatus fecerat, cum reliquis Emathetiæ vice (*lege* pathetice *h*) monuit, ut Deo subditi existerent, et huic viro egregio in cunctis obtemperarent dicens: Huic estote subjecti, quasi patri, et domino. Hunc tamquam cæleste consulite oraculum omni tempore. Cui tamen et ipse Dux, ut patri similis, et ejus monitis obtemperans, in cunctis ei paruit omnibus diebus vitæ suæ [et], auxilio fretus superno, commoda universa messuit.

h

et Ludovico Imperatore magni æstimatur. i k

17 Eodem igitur tempore, quo Ludoycus piissimus Augustus *i* Beneventanam provinciam exultatione *k* Sudan eruditissimi Ismaelitum regis advenit eruendam, suæ nexus conjugi, spretis jam Neapolitum legatis, submissione antiqui æmuli (sicut dictum est corrumpunt mores bonos eloquia mala) F hic venerandus Vir pro suorum civium salute frequentissime adiit Cæsaream celsitudinem, a qua officiosissime excipiebatur ob piæ famæ rumorem, et sanctitatis reverentiam, qua non mediocriter pollebat. Erat enim ita serpentis astutia imbutus, ut columbæ simplicitatem non amitteret. Hic promeruit penes virum, et conjugem singularem familiaritatis locum habere, adeo ut illius precibus sacris certatum se commendare satagerent. Et remanserunt antiqui æmuli, et detractores confusi in sua malitia.

ANNOTATA.

a *Henschenius noster tom.* I *Aprilis pag.* 31 *hujus S. Joannis obitum collocat anno* 853; *sed hanc mortis ejus epocham corrigendam esse, patet ex iis, quæ de chronologica Athanasianæ vitæ serie diximus in Commentario prævio num.* 9, 10 *et* 11. *Illic namque ostenditur*, S. Athanasium *anno* 849, *vel ad summum* 840 *debuisse succedere S. Joanni jam*

AUCTORE ANONYMO COÆVO. EX MSS.

jam defuncto, uti Athanasianæ vitæ annos computanti manifestum fiet.

b *Iste est Leo IV, qui ab anno* 847 *usque ad* 855 *summum Pontificatum tenuit.*

c *Quamvis Longobardorum regnum tunc temporis in Italia exstinctum esset, tamen adhuc multi ex illa natione supererant, qui sub principe Beneventano, aliisque Neapolitanorum hostibus militabant. Quod auctor hic satis innuere videtur.*

d Benedictio *hic accipitur pro cibo. Sic etiam pastus, qui solennioribus diebus monachis apponebantur,* benedictiones *aut* caritates *appellantur.*

e Psiatus *idem est quod teges seu storea. Hinc in regula sancti Fructuosi cap.* XIX *sic legimus :* Lectum tamen sternere mandamus corio aut psiato, quod Latine storea nuncupatur.

f *Qui omnes has* S. Athanasii *fundationes, ac pias donationes fusius explicatas videre cupit, adeat Chioccarellum sæpe citatum pag.* 87.

g *Hæc synodus contra Joannem episcopum Ravennatem Romæ habita est anno* 861, *de qua videri potest Baronius ad hunc annum num.* 57.

h *In Ms. nostro habebatur* emathetiæ vice, *quod nihil significat. Quare ex conjectura substitui*
B *adverbium* pathetice, *quod saltem sensum efficit, et vim quamdam habet.*

i *Ille est Ludovicus II Imperator, de quo supra egi in Annotatis ad Acta priora. Non etiam repetam alia, quæ ad eadem Acta jam notavi.*

k Exulatio *hic videtur sumendum esse pro* tyrannide *vel* servitute. *Quo sensu* exulare *apud hunc auctorem significat* in servitutem mittere, *ut superius in margine monuimus.*

CAPUT III. *Persecutio contra S. Athanasium ; ejus exilium, sepultura et miraculum.*

Sergius, instigante uxore,

Interim memoratus Gregorius dux, ægritudine captus, Sergium filium suum, dudum jam ducem constitutum, huic sancto Viro tradere curavit, deprecans nimium, ut
C paterna illum caritate diligeret ; ipsique hoc in mandatis dedit, ut illi subjectus, et obediens existeret, acsi vernaculus suo domino. Si enim, inquit, tanto parueris viro, pro certo salvus eris, sin autem, non erit tibi profuturum. Quo defuncto, cœpit Vir sanctus Dei fratrisque zelo præfatum
a nepotem suum spiritualiter, et [non *a*] mundane diligere, et ut in omnibus se aptissimum præberet, sedula admonitione exhortari.
b Cujus monitionem uxor *b* illius graviter ferens, virum suum cœpit diabolica decipere locutione, ut si vellet monarchiam solus obtinere, non solum huic nullam exiberet obedientiam, verum etiam hunc a latere suo, aut procul eliminaret, aut omnino perderet. In qua deceptionis fraude iniquissima Jezabel calliditatis duelliones * sibi conscios reperit (qui more burdonum, vel mulorum nati sunt) ut conceptum semel virus, prout decreverat, posset auribus hominum propinare, et pectori inserere generi * sui ; quod et factum est. Nam ad hoc usque perductus est tam vi cupiditatis, quam linguæ vipereæ assidua suasione illectus, ut Ser- D vum Dei custodiæ traderet.

* al. perduelles

* lege conjugis

S. Athanasium patruum suum carceri mancipat ;

19 Erat namque vir ille mobilis, ut arundo, quæ omni vento movetur, et avidus in cupiditate, et patri in nullo similis. Hic viros suæ malitiæ conscios in domo sua clam recondit cum gladiis, et fustibus, et Virum Dei subdole, quasi ad concilium ascitum, ceterosque germanos illius fraude tenuit, Deum nihilominus parvipendens, patris monita pro nihilo ducens, Virique Dei sanctitatem abdicans, prout conceperat, circumvenit eos præstigiis suis, ut Judas proditor justissimum Dominum ; reverendissimum Dei famulum, cum omnes metuerent vel fimbrias indumentorum contingere, ab uno Dei adversario, ejusque satellite irreverenter captum, et episcopalibus indumentis exutum, ceu vile mancipium, clericorum adempto solatio, custodiæ arctiori delegari fecit.

sed cleri et populi minis territus,

20 Quo peracto, commota est tota civitas, atque aërem miserrimis verberabat vocibus hoc modo lugubrans : Væ miseris nobis, ad quos tam crudele pervenit facinus! Virum justum, et pium cur oportuit talia E pati? Quis enim ad eum æger, aut egens, vel captivus umquam advenit, et inauxiliatus abscessit? Inter hæc Græca, Latinaque pars sacerdotalis, et monachica turba, præcipueque Antonius, vir satis idoneus, et provectæ ætatis, monachorum abbas, diutinis jejuniis, et ægritudine corporis jam defecti, alienis erectus manibus cum universo clero ad prætorium advenit, itaque exorsus est : Sic miser, et Dei contemptor, quid est hoc, quod fecisti? Hoc ergo pro infando scelere noveris, te non solummodo periturum cunctumque genus tuum ; sed etiam tota urbs, quæ Athanasii hactenus oratione gubernata est, sine dubio desolabitur, pastore decedente. Redde nobis, inquiunt, pastorem nostrum, qui nos spirituali, carnalique protectione tuetur ; si enim hunc retinere tentaveris, tibi extemplo veniet perditio.

cum ficte liberat.

21 Quibus auditis amens dux effectus, primo quidem velut regulus venenatus in eos sibilis irruit ; deinde ait : Ite nunc in propria, et post decreta respondebo vobis. Ve- F nientes igitur ad eum secundo, et tertio, similia illi dixere. Tunc universi flentes regressi dicebant ad alterutrum : Omnium altaria divinorum templorum exuamus, inseramusque Dei inimico anathema perpetuum, quod numquam expietur. Cernens autem ille erga se hujuscemodi conspirationes, consilio habito cum sequacibus suis, misit, et accersivit prædictum virum, et sancti Salvatoris abbatem cum clericis, et monachis, ac pietatem simulans die octavo solvit Virum Dei, veniamque ab illo, licet ficte, patens, dimisit eum, fratribus ejus retentis. Sed Deus justus, qui inicuique reddet secundum opus suum hic, vel in futuro, hunc justissime perculit. Nam in eo loco, ubi Virum Dei retrusit, non multo post captus est, sicut malefactor. Dimisso namque eo, facta est talis lætitia in urbe tota, qualis solet fieri in caris mortuis, ad vitam reductis. Hanc videns ille lætitiam, pœnituit, quod eum dimisit ; tamen posuit undique insidias clam, ne quis ad eum ingredi, aut egredi auderet. Tunc laniabatur hinc inde grex dominicus, viduæ

AUCTORE ANONYMO COÆVO. EX MSS.

A viduæ et pupilli opprimebantur, quia præco obmutuerat, et tuba Euangelica non audiebatur.

A paulo post iterum persequitur.

22 Hæc Vir Deo plenus videns, flebat amarissime magis illius ruinam, ut Saulis Samuel, quam contumeliam, ab eo sibi illatam. Et David mitissimum imitans, ejus rabiem dum sedare non posset multis deprecationibus, ab urbe egressus est, thesaurumque ecclesiæ signatum annulo suo reliquit, et titulum ibi posuit sic continentem: Anathema sit, qui fecerit, vel jusserit absque mea præsentia, vel jussione hanc januam aperire, vel aliquid hinc contingere; sicque in prædictam insulam Salvatoris abscessit. Mox ut ille insanus rem, prout gesta erat, audivit, Dei famulo mandatum dedit dicens: Si vult, ut non eum persequar, rejecto candidatorum *c* tegmine *, monachicum indumentum assumat, mihique ecclesiam ad ordinandam sponte relinquat; clericos vero, quos secum detulit, illico remittat. Ad quem vir Dei: Sponsam, quam, Deo donante, suscepi, nulli viventi, vivens volensque relinquam, B nec ordinandi, me superstite, licentiam dabo; monachi schema *, illo vivente, non accipiam: scortum est enim primam sinendo conjugem adulteræ * sociari; eos autem, qui me caritatis causa secuti sunt, non tradam nec rejiciam; unum autem ab illo peto, ut liceat mihi in tuto loco manere, quousque Dominus duritiam cordis illius emolliat. Talia dum Ducis relata fuissent, Neapolitanorum ille et Saracenorum exercitum congregans, sanctum Pontificem in jam dicta insula per novem dies expugnavit.

* al. regimine

* al. monachismum

* al. alteri

Cum eum Ludovicus Imperator Sergii persecutioni subduxisset,

23 Ludovicus Imperator autem hæc audiens, Marinum præfectum Amalsitanum *d* cum viginti sagenis *e* ad Salvatoris insulam dirigens sanctum Virum exinde abstrahi, sibique deferri mandavit. Hoc videntes Neapolites exierunt super eos navaliter una cum Saracenis, persecutique sunt eum procul ab urbe. Sed Deus, qui subvertit Pharaonem, confregit et illorum tunc superbiam, et in fugam versi sunt, Saracenis captis ibidem, et occisis. Sicque sanctus Vir Beneventum Imperatori delatus, et in maxima est honorificentia habitus. C Magister vero militum dolens, sanctum Virum illæsum recessisse, effracto gazophylacio episcopii, universum thesaurum ecclesiæ auferri, sibique asportari mandavit. Tunc distrahebantur cymilia *, et res ecclesiarum, et iniquis dabantur; sacerdotes Dei contempti erant in tantum, ut etiam ex ipsis fustigati, et tonsurati nudi per plateas traherentur. Ecclesiæ Dei, quæ a religiosis prius tenebantur custodibus, his tribuebantur, qui contempta religiositate, donum Dei muneribus mercabantur, et erat luctus inenarrabilis, et fletus immensus.

* id est cimelia

Neapolim anathematis vinculo exsoluturus

24 Hæc dum ad Adriani *f* Papæ notitiam devenissent, direxit unam epistolam antefato judici et aliam clero, et populo Neapolitano mandans, ut suum Pontificem reciperent; sin autem, anathematis vinculo innodarentur. Qui jussionem Apostolicam pro nihilo computantes, nec Pontificem recipere, nec excommunicationem servare voluerunt. Post hæc Anastasius Sedis Apostolicæ Bibliothecarius *g* una cum Cæsario *h* abbate ex parte Apostolici, et Imperatoris Neapolim venientes, eamdem civitatem anathemate innodaverunt. Vir autem Domini tristis, et lugens, et vagus dum pergeret huc, et illuc, bestialis illa Dalila eum persequi non desinebat, summittens filios belial, qui sanctum Virum Romæ constitutum veneno interficerent. Sed ille, qui non dormit, neque dormitat, custodivit famulum suum ab omni periculo.

Romam tendit.

25 Inde quoque Vir sanctus recedens, Surrentum *i* devenit. Quadam vero die, dum in eadem urbe cum Stephano *k* episcopo fratre suo resideret, subito cœpit flere amarissime. Cumque diu subsisteret, ejusque lacrymas non videret finiri, quænam causa existeret tanti luctus inquisivit. Cui illico respondit Vir Dei: Ecce misera Neapolis sub anathematis vinculo jacet obligata ab universali, et summo Pontifice, et mea parvitate: si utrisque nobis (quod humanum est) finis mortis evenerit, quid erit de ea? Quod et factum est, sicut prædixit: nam eodem anno ambo obierunt. Vadam, inquit, Romam, et rogabo summum Pontificem, ut solvat eam ab excommunicatione. Quod, ut dixit, per Dominicum Episcopum, ab Adriano PP. missum, E opte adimplevit.

et in reditu moritur;

26 Post hæc Vir sanctus Adriano PP. valefaciens, ad Ludovicum Imperatorem tunc in Sabinis *l* remorantem profectus et ab eo cum ingenti honore susceptus, et cum eo Romam regressus, hortatu jam dicti Apostolici cum Imperatore ad Saracenos expugnandos, et sedi suæ restituendus profectus, ad civitatem Verulanam *m* * devenit, in qua tertio Kal. Julii celebravit diem Apostolorum. Peracta missa cœpit febribus anhelare, et pertractus in eadem infirmitate, Deo dignus et carus Athanasius ab hac carnea subtractus est fæce, et suo Creatori novissimum reddidit spiritum in Oratorio Sancti Quirici *n*, quod bis senis militibus a Monasterio sancti Benedicti distat, Idibus Julii, Indictione quinta, regnante Basilio Imperatore. Præfatus autem venerabilis Vir ante episcopatum vixit decem et octo, et in episcopatu sedit annos XXII, et in augustia hujus seculi fuit menses viginti unum *o*. F

* al. Nerulanam

cujus reliquiæ in monte Casino conditæ cæco visum reddunt.

27 Inde portatus est usque ad montem Casinum, flentibus omnibus, sed exultantibus angelis: Quem suscipiens omnis sancta congregatio illius monasterii, digne ac decentissime sanctissimum corpus condiderunt in ecclesia beati Principis Apostolorum, quæ a Rechiso *p* Rege constructa est, et jungitur basilicæ sancti Benedicti, ubi exuberant multa mirabilia per eum ad laudem Domini nostri Jesu Christi usque in præsentem diem *q*. Unum namque de miraculis multis, quod per eum Dominus ibidem operatus est, huic sermoni conjungam ad ædificationem legentium, et audientium. In eodem namque monasterio homo quidam erat lumine privatus a præteritis annis, qui assidue in ecclesia, ubi Viri Dei corpus quiescebat orare consueverat, qui offendens, sicut mos est talibus, super sepulchrum ejus advenit, cujus labente pede cecidit, statim tenebras oculorum repulit, et lumen recepit. Qui mox salutis gaudia suscipiens, luminis decorem omnibus ostendebat, glorificans Deum, qui talia per servum suum Athanasium operatus est. Tunc omnes gaudio repleti, qui ibidem erant,

AUCTORE ANONYMO COÆVO. EX MSS.

erant, videntes hoc miraculum, exultantes dicebant: Benedictns es Domine redemptor, qui tale lumen nostris regionibus, novissimis diebus, hoc est sanctum Athanasii pignus nobis donasti. Et hæc dicebant admirantes: Si non postulatus talia donat, quam largus erit his, qui Dei beneficia devotissime per eum postulant? Sepultus est autem beatissimus Christi Confessor Athanasius Episcopus apud Castrum Casinum civitats Eracleæ *r*, Idus * Julii, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

* id est Idibus

ANNOTATA.

a *Istud* non *deest in Ms. nostro, et Lectionibus propriis Officii Neapolitani. Ego potius cum Baronio legendum puto :* Cœpit vir sanctus . . . nepotem suum spiritualiter et non mundane diligere.

b *Lectiones Neapolitanæ de Sergii socru narrant, quæ hic uxori illius adscribuntur. Adde* B *Acta nostra sibi non constare, dum paulo post asserunt, eam odium contra* S. Athanasium *inseruisse pectori Sergii* generi sui. *Sed forte in error Amanuensis oscitantia in illa irrepsit.*

c Candidati *olim vocabantur, qui in dignitate palatina aut militari constituti erant. Claudianus candidatos appellavit* niveas cohortes militum. *Videtur hic sumi pro veste aut dignitate episcopali. Quod si quis cum Baronio legere malit* candidatorum regimine *pro* togmine, *per* candidatos *intelligi possent clerici in ministerio sacro candidis vestibus induti, quos regebat* S. Athanasius, *utpote eorum episcopus.*

d *Amalphis est urbs regni Neapolitani, sita in ora sinus Salernitani, distatque Neapoli* 24 *milliaribus in ortum hibernum.*

e Sagena *hic est species navigii. Neque propterea scribendum est* samena, *quasi sic dicta sit, quod primum in Samo insula, constructa fuerit hæc species navium, ut contendit Caracciolus pag.* 362 : *nam variis exemplis in Glossario Cangii citatis scribitur* sagena. *Imo, teste eodem, ipsi Græci in eadem significatione scribunt* σαγίνη *vel* σαγήνη. *Gianettasius noster in Historia Neapoli-* C *tana tom.* I, *pag.* 141, *has sagenas vocat* longas naves.

f *Is est Adrianus II Papa Romanus, qui ab anno* 867 *usque ad* 872 *Ecclesiam gubernavit.*

g *Hic Anastasius scriptis suis et legationibus satis notus est, ut videri potest apud obvios quosque bibliothecarum scriptores.*

h *Ms. nostrum, Baronius, alique hunc Anastasii socium constanter nominant Cæsarium. Non video igitur, cur Giannettasius noster in Historia Neapolitana tom.* I, *pag.* 142, *eum vocet Bertharium, nisi forte putaverit, Anastasii socium in hoc negotio fuisse abbatem Casinensem, qui eo tempore florebat et Bertharius appellabatur.*

i *Surrentum est urbs archiepiscopalis Campaniæ, distans* 24 *millibus passuum Neapoli in Meridiem, sitaque est in planitie ad oram sinus Neapolitani.*

k *Pauca, quæ de hoc Stephano episcopo sciuntur, videri possunt apud Ughellum tom.* VI *Italiæ Sacræ col.* 761.

l *Id est in provincia Sabinorum, quæ in ditione summa Pontificis sita est, jamque multo minor est, quam fuerit olim ager Sabinorum, de quo sæpe meminerunt antiqui.*

m *Hic locus in lectionibus Neapolitanis appellatur* villa Veruli. *Baronius legit,* S. Athanasium *venisse* ad civitatem Nerulanam. *At potius legendum puto* Verulanam, *ob rationes dictas in Commentario prævio num.* 6. D

n *De hoc loco satis disputavimus in Commentario prævio num.* 2 *et* 6.

o *Hoc tempus persecutionis, quo Sanctus fuit* in augustia hujus seculi, *computandum est inter annos episcopatus, qui hic rotunde enumerantur omissis mensibus et diebus. Vide, quæ de hac epocha diximus in Commentario prævio num.* 9 *et* 10.

p *Opinor hic agi de Rechiso seu Rachiso Longobardorum rege, qui in Chronico Casinensi cap.* VIII *dicitur factus monachus, quamvis de hujus ecclesiæ ædificatione ibidem nulla fiat mentio.*

q *Ex his verbis colligo, hæc Acta ab auctore Anonymo conscripta esse, paulo post mortem* S. Athanasii : *nam post quinquennium ab obitu, corpus ejus, ex monasterio Casinensi translatum est.*

r *Ignoro, quæ sit hæc civitas Eraclea : ceterum hæc clausula in aliis Mss. non legitur. Quare suspicor ab imperito quodam hanc additam esse.*

E

TRANSLATIO

Auctore anonymo coævo.

Ex Ms. Longobardico, quod Neapoli in Archivo PP. Theatinorum conservatur, et cum altero Ms. collatum est.

PROLOGUS.

Quasi speciale, et proprium plerumque Sanctorum virorum esse assolet, ut loca, in quibus viventes degere fuerant soliti, licet omni mundo suis precibus adsint, præsentia suarum reliquiarum illustrent, etiamsi alibi eos contingat sarcinam deponere F corporis. Quod superna moderatione procul dubio agi creditur, ut videlicet cives sui in eorum præsentiis corporalibus lætentur, et speciatim illorum precatibus se muniri confidant; velut in obitu B. Martini *a* actum fuisse probatur, qui a sua sede disgrediens alibi rebus excessit humanis; sed defunctus ad suum ovile reversus est cælitus, ne plebs illius, etiam eo defuncto, derelicta videretur. Ita enim et venerabilis egit Athanasius, qui dum procul a sua diœcesi obiret, non passus esi suas sanctas reliquias, extra septa sui ovilis morari. Sed crebris coruscans miraculis, quodammodo suas oves * invitabat solicite, ne se relinquerent, sed ad suam sedem illum transferre satagerent: quod et fractum est.

Auctor ait, quod Sancti plerumque reliquiis suis illustrent ea loca in quibus vixerunt.

* *al. suos cives*

2 Iniquorum vero consuetudo ita extat perversa, ut bonos Dominoque charos viros odiant, et non solum vivos, sed etiam mortuos vipereis linguis carpere non desinant, veluti

sicut contra irritos quorumdam impiorum conatus ex S. Athanasii translatione patet.

A veluti reproba Judæorum labia erga nostræ redemptionis auctorem, ejusque famulos existunt: quod et in beati viri Athanasii moribus [patet]; et post ejus obitum, quidam nostratium agere tentabant. Sed vituperantibus, seu adulantibus eos iniquis, pius Redemptor de suis fidelibus disponit famulis, prout ejus potestatis immobilis est voluntas, qui nobis beati Athanasii reliquias reddere dignatus est, in propriam illum sedem reducens, ut de tanto patre gratificemur, et Domino proinde laudes sedulas referamus; de cujus vita aliquid adhuc fari cupiverat animus. Sed in libello præcedenti de ejus vita, et moribus, quantum iners stilus valuit rimari, secutum est *b*: nunc vero de ipsius miraculis, et reversione ejusdem Sancti corporis sermo texendus est.

ANNOTATA.

a *Haud dubie intelligit S. Martinum Turonensem, de cujus translatione aliisque ad eum spectantibus agetur simul ad ejusdem natalem nempe* B *11 Novembris.*

b *Dixi in Commentario prævio num. 18, me ex his verbis colligere, quod idem sit scriptor Actorum et translationis.*

CAPUT I. *Translatio corporis S. Athanasii ex monte Casino, et miracula in itinere facta.*

AUCTORE ANONYMO COÆVO. EX MSS.

Episcopus Neapolitanus mittit quosdam ad montem Casinum ut S. Athanasii corpus impetrent;

Cum sanctissimi Viri opinio sanctitatis, et fama virtutum longe lateque discurreret, audiens Athanasius *a* præsul, qui ab eo ut proles carissimus dilectus, et nutritus fuerat, et in honore locoque ejus successerat, filius fratris ejus Gregorii ducis, cogitabat qualiter in sedem propriam corpus pontificis Sancti reduceret, ut sedes ejus non esset orbata tali patrono, et pastore; sed resistebant ei antiqui æmuli, et benefactores *b*, C qui eum vivum oderant, et expulerant, in tantum, ut nec defunctum reciperent; sed quandoque prævaluit sermo, et voluntas præsulis, et quinto depositionis ejus anno, misit religiosos viros, bonum presbyterum Johannem, et Petrum, atque Johannem subdiaconos, cum locello, et aliis necessariis patri illius congregationis, et fratribus; qui ingressi monasterium sancti Benedicti, quod sub Monte Cassino est, salutaverunt Bertarium *c* abbatem, et fratres, atque dixerunt: Dominus noster, et pastor Athanasius episcopus vester commendatus, vobis precando direxit *, ut depositum nostrum nobis reddatis? Quid est illud? inquiunt illi. Aiunt hi: Domni Athanasii episcopi nostri corpus. Qui omnes una voce negantes dixerunt: Ubi quiescit nunc, non egredietur, nisi novissimo die, quando Domino obviaverit. E contrario illi dixerunt: Vos nobis illum reddite: nam ubicumque fuerit resurget, quia Dominus ubique est. Nam impossibile est *, ut a propria sede sit extorris, licet operante antiquo hoste vivens ab ea dejectus sit.

* al. vos precatur

* al. Non enim conveniat

qui post brevem cum monachis contentionem, cœlitus moniti,

4 Videns abbas, et cuncta congregatio petitionem eorum intentam, ut non posset aliud fieri, consentientes dixerunt: Domini voluntas fiat; et domni Athanasii sui præsulis petitio impleatur. Unum tantum [a] vobis petimus, ut pars corporis hic remaneat apud nos, quia ex quo sanctissimum ejus corpus hic humatum est, sicut in choro episcoporum * est, sic nos ei venerationem exhibuimus: ubicumque enim fuerit, credimus, quia nos non deseret; quia et vivens, dominus, et defensor nobis fuit. At illi respondentes dixerunt: Sicut integer vobis commendatus est, ita auxiliante Domino, integrum sua sedes eum habebit. Nocte namque eadem ibi quieverunt, et intra se statuerunt dicentes: Solicite simus, et mox, ut signum fuerit auditum, surgentes ascendamus montem, et diluculo fodiamus sepulcrum. Tunc sopori se dederunt; et, cum præ ardore æstatis, et itineris fatigatione gravati essent somno, apparuit ipse sanctisimus Vir bono presbytero, Pontificis nepotis sui similitudine, dixitque ei: Cur tam gravi somno opprimeris, collega? Surge, injunctum opus E vigilanter perfice, quia hora statuti vestri jam præteriit. Cumque ille responderet: Tu magis debuisti hujus rei solicitus esse; tunc ille, ut mos est in scholis, fecit eum levari, et tres illi ferulas blandiens dedit; unique ex assistentibus dixit: Tolle ferulam hanc, et reliquos percute. Qui mox exterritus evigilans, excitavit socios suos, vapulati sumus *d* dilectissimi, inquit: nam sic et sic circa nos actum est. Sed surgentes festinemus properantur, ut opus cœptum expleamus. Hoc dicto, signum pulsatum est, et admirati dixerunt: Vere non poteramus parati esse nisi revelatio hæc manifesta fuisset.

* al. Sanctorum

illud integrum effodiunt, et celeriter transferunt.

2 Tunc ascenderunt una cum venerabili illo comitatu monachorum verticem Montis Casini, et intraverunt basilicam, in qua venerabile corpus humatum fuerat. Fodientes sepulcrum, ita inventum est integrum, ut nec capillus capitis ejus, vel barbæ decideret, atque vestimenta, et omnia salva, ut prius posita fuerant, sunt inventa; et tantæ suavitatis fragrantia omnes accepit, ut præ admiratione prosternerentur in terra; F et præ gaudio flentes, laudes Domino redderent bonorum omnium largitori: nam in tantum compago ipsius corporis sacri extitit firma, ut fabrica locelli, quæ fuerat consolidata, vir corporis sui disjungeretur; et excurso per ordinem psalterio, imposuerunt sanctissimi Viri corpus in locello, quem secum detulerant, sanum et integrum, sicut humatum est. Et levantes humero jam dictum locellum, descenderunt Montem, psallentes, et benedicentes Dominum; et obviaverunt ei omnes seniores, et abbas, et omnes fratres monasterii, psallentes, et Domino gratias agentes, pro tam magnifica gloria, quæ in sancto corpore ostensa est, et extra monasterium educentes eum, osculati sunt Sancti loculum, et benedicentes Dominum revertebantur. Similiter et omnes vicini, per quos sanctissimi Viri corpus transibat, ad eum confluebant, et summisis capitibus, osculabantur Sancti locellum, et regrediebantur; at illi locello imposito equis, iter peragunt cœptum. Tanta enim velocitate iter

AUCTORE ANONYMO COÆVO. EX MSS.

iter peragrarunt, ut intra unius diei spatium, a monasterio sancti Benedicti in Atellas *e* devenirent, quæ sexaginta millibus distat, et apud ecclesiam sancti Elpidii *f* manserunt. Tunc collecta omnis simul congregatio sacerdotum ecclesiæ sancti Elpidii tota nocte pervigiles exstiterunt, psalmodiis vacantes, et miserunt Neapolim nuntium dicentes : Venimus cum corpore Viri Dei Atellas.

Sacras reliquias, quibus dæmoniacus liberatus fuerat,

6 Mox ut audivit venerabilis Præsul, nepos ejus, statim misit cursores per universas ecclesias, et loca sibi adjacentia, ut ex cunctis collecta locis sacerdotum collegia, atque monachorum, et multitudo virorum, ac mulierum, occurrerent sanctis ejus obsequiis *; sacerdotes vero universarum ecclesiarum Liburiæ *g* una cum sancti Elpidii Congregatione, accensis luminibus ante Sancti locellum toto itinere psallentes, et venientes ad locum, qui dicitur Grumum *h*, occurrit eis homo quidam vexatus a dæmone, et nolens intravit sub feretro, ubi corpus Viri Dei portabatur, et statim liberatus a dæmone cœpit Domino gratias agere, et descendentes clivum per viam, quæ dicitur transversa, posuerunt sanctissimum corpus in ecclesia beati Petri, quæ a Neapoli distat quasi stadiis tribus; ubi occurrit summus pontifex, cum optimatibus civitatis, et omni cœtu, exceptis his, qui malitiæ et invidiæ veneno repleti erant, et his, qui ventum stantem timebant. Prædictus vero præsul detulit secum dominicas cruces, et ornamenta sicut in diebus festis.

* id est exsequiis

B

præsul Neapolitanus cum clero et populo honorifice excipit,

7 Confluebant autem uterque sexus, et ætas diversa, et qualiter poterant psalmodiæ cantus, utriusque linguarum Græce et Latine suavi modulatione resonabant; mox autem ut divinus pontifex sanctum locellum aspexit, prosternatus * solo caput in terra depressit, faciemque lacrymis irrigans, eum pater, eum nutritor, et institutor, eum pastor, lacrymabili voce clamabat. Similiter et omnis clerus et cunctus ordo, omnes illustri * et nobiles viri ac mulieres, omneque vulgus deflens aiebat : Ubi es orphanorum pater? Ubi es merentium viduarum consolator? Ubi es captivorum redemptor? Ubi es ecclesiæ custos? Ubi est cunctorum rector, et doctor? Per unam fere horam luctuosis gemitibus fatigati, non poterant debiti officii psalmorum exsolvere cursus. Tandem, pulso mœrore, Domino gratias agere cœperunt, eo quod meruerint post quinque annorum curricula integrum illæsumque recipere corpus Pontificis sui ; tunc ex more pontificali inchoato officio, Præsulis corpus ad sedem propriam detulerunt.

* lege prostratus

* id est illustres

C

et, muliere surda prodigiose sanata,

8 Sed illo in itinere, quo tendebatur ad sancti Januarii templum, quod Dominus ostendere dignatus est, signum, ob demontrandum meritum Sacerdotis, silentio prætereundum non est. Nam mulier quædam, Blattu nomine, dum gravi esset dolore capitis detenta, et nullius medicamine posset salutem consequi, vigorem capitis, auditumque perdiderat aurium, sed ut ipsa nunc refert *i*, ita obduruerant aures ejus, ut nullius clamorem, nullius vocis sonum, tonitruumve posset audire, tunc et ipsa cum omnibus obvians occurrit, et capite sub locello apposito, medelam sibi dari a Sancti corpore lacrymabili obsecratione poscebat dicens : Deus miserere mei, et sancti tui Athanasii beneficio merear auditum recipere, quem amisi. Tunc beatissimus Dei confessor, donante divinitate, solitæ pietatis ostendens miraculum, auditum reddidit viduæ ; et quæ venerat tristis, et mœrens, gaudens reversa est. Ecce, qui auditum suum præceptis dominicis semper præbuit, meruit audiendi verbum salutis officia ministrare.

D

sepulturæ tradit

9 Itaque, ut dicere cœperamus, omnis illa multitudo psallentium cum sanctis exsequiis ad templum sancti properans Januarii ascendentes ingressi sunt basilicam, et deposito locello, juxta altare posuerunt; ibique summus pontifex, cuncto astante populo, laudis sacrificavit hostiam; et sumpto munere sacro, finita prece complevit. Mox levantes corporis sanctum pignus; et diaconus imposita antiphona : Aperite mihi portas justitiæ, et ingressus in eas confitebor Domino : hæc porta Domini, justi intrabunt per eam, tunc universus populus in ingenti fletu conversus, educentes eum extra fores in oratorium sancti, et confessoris Christi Laurentii *k*, ejusdem sedis Antistitis, juxta sanctissimi Johannis antecessoris et nutritoris ejus ornatum diligentissime, et digne sepulturæ tradiderunt cum ipso locello, cum quo adductus est I Kal. Augustas *l*, bene hoc cogitantes, ut quorum mens semper in Domino una fuerat, eorum quoque corpora nec locus sepulturæ separaret, ut qui pheronymi *m* fuerunt, congruum nominis meritum a Domino pertulerint.

E

ANNOTATA.

a *Is est Athanasius II, dux et episcopus Neapolitanus, qui* S. Athanasio *patruo suo in episcopatu successit. Ejus gesta qui nosse cupit, adeat Chioccarellum in opere de episcopis Neapolitanis a pag.* 90 *usque ad* 106 ; *et Ughellum tom.* VI *Italiæ Sacræ a col.* 114 *usque ad* 121.

b Benefactores *vocantur per antiphrasin. Sic S. Chrysostomus homilia* IV *de patientia Job, verbum* benedixerit, *quod in libro Job cap.* I ℣. 11 *legitur, explicat hoc modo :* Benedixerit, id est, maledixerit : etenim Scriptura benedictis maledicta velavit.

F

c *Bertharius ille, juxta Camillum Peregrinum in serie Abbatum Casinensium pag.* 23, *gubernavit hoc monasterium ab anno* 856 *usque ad* 883.

d Vapulati sumus *pro* vapulavimus. *Sed hos aliosque solœcismos non est operæ pretium semper annotare, quando sensus intelligitur.*

e Atella *fuit olim urbs Campaniæ; nunc vicus, communiter dictus* S. Arpino, *qui inter Capuam et Neapolim situs est. Plura de hoc loco vide in Actis nostris tom.* V *Maii pag.* 282.

f *De hoc sancto episcopo, ejusque fratre ac nepote actum est die* XXIV *Maii.*

g *Nescio, quænam sit hæc* Liburia. *Non potest esse Liguria ob nimiam distantiam, multoque minus Liburnia. Suspicor itaque intelligi hic terram Laboris, cujus caput est Neapolis, et in quo hæc facta sunt.*

h *Locus hic in mappis geographicis Italiæ a Joanne Antonio Magino editis vocatur* Grumi, *et ponitur inter Neapolim et Atellas seu vicum S. Arpini supra memoratum.*

i *Ex*

A i *Ex hac phrasi pates, scriptorum translationis esse synchronum.*

k *Ughellus tom.* VI *Italiæ Sacræ col.* 85 *asserit, Laurentium anno* 702 *cathedram Neapolitanam adiisse, eamque rexisse annis quindecim.*

l *Alterum Ms. et Lectiones Neapolitanæ habent, hanc translationem contigisse Kalendis Augusti. Hic* I Kal. Augustas *vel ut legit Ughellus,* primo Kal. Augusti, *debet significare, quod hæc translatio facta sit pridie Kalendas Augusti. Sed forte redundat in Ms. nostro illa unitas.*

m Pheronymi *id est* ferentes veritatem nominis sui : *nam vox Græca* φερώνυμος *in Historia Ecclesiastica Theodoreti significat eum, cui vere convenit nomen, quod habet.*

CAPUT II. *Miracula ad S. Athanasii sepulcrum patrata.*

B *Monachus senex gravi dolore levatur.*

Quæ vero beneficia tunc ad ejus pretiosum sepulcrum concurrentibus Dominus præstiterit, veracissima locutione perstringam. In eodem namque monasterio sanctissimi Januarii erat quidam monachus Anastasius nomine, senex, qui gravi dolore artuum nervorumque constrictus, ambulandi ei facultas ablata fuerat, ita ut baculo sustentante, vix necessarios corporis sui usus perficere posset. In uno namque cum fratribus loco quiescens, dolore compulsus, vocibus æthera quatiebat. Ejus infirmitate vel angustia, quiescentes inquietabantur fratres, et unde unus male, inde omnes deterius habebant. Erat autem nimis doloribus detentus. Unum fore sibi remedium credidit, si ad Viri Dei sepulcrum veniens, aut salutem reciperet, vel certe mortis debitum solvens, tandem cruciatibus finem daret; sed et in hoc omnipotens Dominus famuli sui meritum approbans, dolentia membra saluti restituens, vacillantesque gressus confirmans, et omnium nervorum nodos dissolvens, juventutis ejus vigorem restituit. Post novem quoque mensium cursus alia infirmitate præventus de corpore exivit. O immensa misericordia pie- C tatis Dei! quod senectus dirimit, ætasque excludit, adjuncta gratia reddit sanctitas pontificalis. *

Athanasius cæco cuidam apparet,

11 Jam itaque fama virtutum ejus ubique discurrens, concurrebat variis languoribus ex diversis locis detenta multitudo; inter quos quidam cæcus venerat, qui clausis luminibus omnino nihil videbat. Hic itaque per multa fuerat Sanctorum loca portatus, quatenus ei Dominus suorum prece Sanctorum, divino solatio dignaretur lumen ostendere; et creaturarum species demonstrare. Adductus namque est ad beatissimi Præsulis antrum : cumque diutius B. Athanasio preces effunderet, ut ejus miseriæ subveniret, quadam nocte astitit specialiter ipse Sanctus, atque jocunde dixit : Quare tamdiu mihi molestus existis, frater, et conquerendo jugiter interpellas? Numquid tibi dispendium aliquod irrogavi? Numquid fiscali more vi opprimens aliquid a te extorsi? Alia in re occupatus non me hic esse scias. Sed dum reversus fuero, scias te esse salvatum; et his dictis, recessit. Egressis vero sacerdotibus loci ipsius ab officio matutinali, ille pavens, et tremens concitus occurrit. Et accito uno ex eis, quasi secreto dicebat : Putas, mi domine, audeo dicere, quod in somnio vidi? Cui respondens dixit, quare non? Dic frater, quæ vidisti. Et ille : Apparuit, inquit, mihi vir splendidissimus, indutus vestimentis sacerdotalibus, orario *a* circumdatus, crine crispanti, statura procerus, vultu angelicus, et quasi comminans mihi, et [percurrens cetera] ut supra retulimus, visionem ex ordine intimavit.

AUCTORE ANONYMO COÆVO. EX MSS.

a

12 At vero ipse fidens expectabat promissum, et usque ad alium Dominicum diem instanter orabat, ut idem, qui apparuerat, quod pollicitus fuerat, adimpleret, et dum nihil circa eum ageretur, peractis a sacerdote dominicis mysteriis, sumpta communione, in sua rediit. Et aliquantis ibidem diebus commoratus, oculi ejus in tumorem versi sunt (cœpit ex eis quasi albugo decurrere) qui etiam dolore fatigabantur; et intra paucos dies desideratum lumen recepit. Qui mox, accepto beneficio, cum gratiarum actione reversus, illuminatorem suum omnibus ostendebat, vultum scilicet picturæ sancti Athanasii, dicendo : Hic hic est illuminator meus; hic est qui mihi in visione dixit : Non sum hic; sed dum reversus fuero, scias te esse salvatum. En charissimi divinus Sacerdos Dominum suum imitatus est. Ille ad servum centurionis ire paratus; iste vero papilionis * cubiculum jam in cælo positus, non dedignatur intrare pauperrimi : sed tamen ille, ut Dominus, absens salutem concessit; hic autem, ut fidelissimus servus, veniens pauperculo lumen restituit; ille, ut omnipotens, adjutorio nullius indiguit; iste, per omnia eo donante vel adjuvante, ostendere miraculum potuit.

eique, ut promiserat, visum restituit.

E

* *forte* opilionis

Moniali cuidam ac matronæ nobili sanitatem reddit.

13 Nam dum hæc, et alia multis propalarentur, quædam sanctimonialis femina, gressuum dolore fatigata, nequaquam incedere valens, equo vehente, ad Sancti sepulcrum confessoris Christi adducta est; quæ per dies aliquot in oratione ibi excubans, saluti reddita, pedibus suis ad propria remeavit. Alia quædam nobilis genere, Matrona *b* nomine, per annos quamplurimos viscerum dolore cruciabatur, quæ adveniens super sepulcrum Viri Dei, in faciem se jactans suffussa lacrymis aiebat : Subveni mihi benignissime pater, subveni bonorum omnium provisor, subveni mihi infelici, ut vel ad momentaneum tempus requiem invenire possim. Quæ duobus diebus vehementer dolore affligebatur, ita ut nunc caput pedibus necteret, modo ut stipula volutaretur; sed, Viro Dei ejus infirmitati compatiente, die tertia, Domino miserante, a dolore dimissa est; quæ diebus octo in laude, et gratiarum actione permanens, beneficio beatorum Januarii, et Athanasii gratulans in propria est regressa.

F

b

Juvenem dolore capitis liberat.

14 Alius quidam juvenis, Leo nomine, gravi infirmitate capitis afficiebatur, quæ aubrema *c* dicitur : nam solutus ab omni vigore salutis, ut amens incedebat. Qui inter alios cum viduata matre beneficia petiturus advenit. Qui supra sepulcrum Confessoris, et Sacerdotis Christi cum misera matre se jactans, quæ magis filio periclitabatur, doloribus

c

AUCTORE ANONYMO COÆVO. EX MSS.

ribus medelam sibi poscebat; nam et oblationem Domino pro se offerri sacerdotem postulans, mysterium sancti Corporis Domini Jesu Christi in ore suscepit: qui abiens ita, alio die Dominico sanissimus est regressus, acsi nullam umquam insaniam capitis passus fuisset; domino, et beato Athanasio gratias referens, imo Deo, qui operabatur in illo, qui dixit: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Hoc ergo munere clarificat suos pedissequos, ut vice Dei dæmones ejiciant, mortuos vivificent, cæcos illuminent, omnesque morbos depellant; surdis auditum, paralyticis gressum donent; ut impleatur quod dicitur: Signa eos, qui in me credunt, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, novis linguis loquentur, serpentes tollent, super ægros manus imponent, et bene habebunt. Hanc ergo meruit gratiam benignissimus confessor Christi Athanasius: hanc meruerunt omnes electi, qui vere crediderunt in Deum, et Dominum nostrum Jesum Christum. Ille enim veraciter credit, qui non verbotenus, sed actitans,
B fidem gerit: vere enim beatus Athanasius fidem suam operibus auxit, qui vitam suam continentia, humilitate, abstinentia, vigiliis, eleemosynis, atque omnibus bonis ornavit. De his interim sileam, quatenus de ejus certis * virtutibus aliquid narrem.

• al. ceteris

Puerulum ad extrema redactum sanat.

15 Præterea puerulus quidam cum jam extremæ vitæ duceretur in finem, et spem convalescendæ pueritiæ violentia mors rapere parentibus festinaret, nec infantuli necem immaturam considerans, nec optatæ senectutis venerandam canitiem spectans, vorax quidquid invenerit vitæ tempus cuncta ambiendo diripit, nec umquam satiata quiescit. Sed sola inter hæc beati Athanasii sancta precatio, morituro restabat salutis occasio. Quæ misera et periculosa mater, quæ magis filii periclitabatur in morte, tandem jam quasi defuncti ferens exequias intra templum beatissimi Januarii, anxie huc illucque discurrens, ingressa est cubiculum, ubi sanctissimum corpus ejus quiescit; quæ flens et ejulans, sacerdoti, qui ibidem die Dominico Missarum solemnia celebrabat, flendo obtulit dicens:
C Oro te, Domine, ut vel stillicidium sancti liquoris Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, hujus infantuli mittas in os.

16 At ubi sacerdos partem Corporis, et Sanguinis Domini Jesu Christi ejus apposuit ori, ille averso capite, depressis luminibus, dentibusque obseratis, totum se quasi in morte composuit et solo ejus in pectore vigebat spiramen. Tunc misera mater cum ingenti clamore discedens, ad venerabile sepulcrum Confessoris Christi devenit; Quæ ibi, distento pignoris corpore, flens aiebat: Mœrentium consolator, orphanorum pater, viduarum ac pupillorum defensor, miserere mei; et ne me desolatam despicias; ne infelicem ac miseram abjiciens spernas; sed assueto operi opus adjunge [mihique unicum redde]. Tunc ille non dilationem intulit, non moras fingendo composuit, sed cooperante Verbo, quæsitam salutem mox tribuit, et pueri membra compingens, sospitatem pristinam restituens donavit. Quæ mox gaudens egressa cum unico, incolumen omnibus ostendebat. Mirabilis ergo Dominus in summis, mirabilis in infimis, mirabilis in profundis, mirabilis in Sanctis suis, faciens prodigia per servos suos. D

Alterius pueri morbum pellit.

17 Alia quædam mulier cum unico properans, ad sepulcrum Viri Dei devenit, deprecans, ut desuper sepulcri ejus marmore aquam mereretur accipere. Qui ita valetudine erat detentus, ut nullo modo cibum capere posset, capitis ejus omnes capilli defluerent, nullaque spes vitæ in eo haberetur; sed mox, ut aqua benedicta ægroti est parvuli ori propinata, haustaque, aperto ore venenum omne quidem evomuit. Qui sanus ita effectus est, ut statim cibum peteret, et lætus gaudensque benedicens Dominum, cum matre in sua reverteretur; memoresque beneficii, reversi cum luminaribus, domino, et beato Athanasio gratias detulerunt. Nam et in hoc [miraculo] cognoscitur, cujus apud Dominum sit meriti beatissimus Athanasius præsul.

Lampas ante ejus sepulcrum prodigiose ardet;

18 In eodem autem oratorio, in quo ejusdem venerabilis Viri corpus quiescit, lampas quotidie ardere consuevit; quæ, ut mos est, mista aqua, et oleo, lucescente die Dominico, est accensa; sicque nihilominus secunda, E et tertia, quarta et quinta feria die noctuque inextincta permansit, ita ut nec extingueretur, nec minueretur oleum. Quo viso admirati omnes de tam inaudito, et jocundo miraculo, singillatim dicere cœperunt: Videtis, quia hoc candelabrum nec extinguitur, nec minuitur oleum. Cumque alternis hæc fabulis dicerent, et publice hæc omnibus sonuissent, mox minui cœpit. Nam nulla ambiguitas in hoc esse potest (quamquam et de omnibus aliis multi, et idonei testes habeantur) et hoc miraculum omnibus manifestum fuit, et per totam terram divulgatum est.

quod miraculum quidam increduli frustra negant

• al. vester

19 Sed possessi ab antiquo inimico (quorum nomina volens tacebo, quia et Dominus divitis nomen tacuit) delirantes aiebant: Si talia, ut profertis, iste Sanctus vere * operatur, sanet et gibbum talis hominis. Talia isti dicebant, qualia crucifixores de Domino: Si filius Dei es, descende de cruce. Sed istis sic evenit, sicut et illis, quia ipse dicit: Qui vos spernit, me spernit. Sed mihi vindictam, ego retribuam. Sed quid mirum, dilectissimi, si ad ostendendum meritum Famuli sui omnipotens Dominus inextinctam lampadem refertam conservavit, qui ejus pectus oleo misericordiæ semper plenum esse conspexit? Quid mirum, si olei natura sancto Viro diebus et noctibus quinque indeficiens famulavit, qui omni vitæ suæ tempore omnipotenti Deo jugem, et gratissimum famulatum exhibuit? O Beata et admiranda beatissimi Athanasii sancta merita! quæ ei æterna præmia, perennem vitam, mansionem stabilem, requiem sanctam, gloriam sempiternam, donante Domino, acquisierunt, et nobis petentibus salutem præstare non cessant. F

Puer cæcus liberatur. d

20 Interea puerulus quidam cujusdam canicularii *d* filius, per menses septem lumen oculorum amiserat; qui per multos fuerat medicos deportatus, ut ei aliquo modo videndi possent restituere copiam; sed tanto fiebat deterior infirmitas, quanto ei amplissime fuisset cura impensa: qui ad hoc usque devenit,

AUCTORE ANONYMO COÆVO. EX MSS.

devenit, ut quidam medicorum peritissimus diceret: Non potest puer hic visum recipere, nisi ejus infirmitas cauterio fuerit refrenata. Quo audito, pater ejus nimis est territus, noluitque teneriori membro filii sui ignem apponere, ne majus fieret exustione periculum, quam fuerat ex amissione luminis irrogatum; sed dum sanctissimi Viri virtus, famaque ubique divulgaretur, resumpta fiducia, ad venerabilem ejusdem fidens concurrit memoriam, petens, ut ei solitæ pietatis impenderet adminiculum dicens: Candelabrum fulgens, lucerna non in abscondito, sed in excelso constituta, lux eorum, qui in tenebris morantur, speculum splendens, spes unica mihi, subveni filio meo, ut vel modicum possit inspicere alicujus figuram. Et dum his, et aliis incunctanter quotidianis deprecationibus insisteret, vir per omnia pius, duritiæ inscius, animositatis ignarus, intra paucos dies desideratum lumen restituit puero, et patri angenti * reddidit consolationem.

* id est anxio

Monialis vocis usum et adolescens oculorum lumen recuperant.

21 Alia quædam sanctimonialis femina, nimia infirmitate officium vocis perdiderat; quæ ad beati Athanasii concurrit cubiculum, ibique flens aiebat: Infirmantium salus, tribulantium consolator, mœstorum lætitia, subveni mihi miseræ, quo possim clariorem vocis meæ sonum recipere, quem amisi. Et hæc orans reversa domum ita pristinæ saluti est reddita, acsi numquam loquela illius obscuritate vocis fuisset impedita. Quæ reversa statim cum luminariis Domino, et beato Athanasio gratias referebat. Adolescens quidam, oppleto capite morbo, oculorum lumen amiserat, cujus palpebræ crassantes, supra genas, ut ubera, dependebant; qui ad sepulcrum confessoris Christi deductus, die noctuque exorabat, ut ejus miseriæ Dominus subveniret, quatenus patrocinio adjutus sancti præsulis Athanasii, lumen, quod amiserat, recipere mereretur; spe namque fidens aiebat: Pater pupillorum, et defensor, lumen eorum, qui in tenebris morantur, jubar illuminans orbem, subveni et miserere mihi derelicto ac desolato, nullius habenti fiduciam, nisi tui, nullius auxilium poscenti, nisi tuum. Hæc et his similia orans per aliquot dies reversus est domum. Tunc idem Sanctus apparuit uni ex ministris sanctæ ecclesiæ, splendens, ut fulgur: in qua etiam visione pater pueri jam defunctus, videbatur adesse. Dixitque Sanctus ministro: Vade; dic huic, qui nos conspicit, mittat ad me filium suum. Qui expergiscens somnium propalare curavit; statimque puer festinus ad sepulcrum Sacerdotis Christi devenit, qui ibidem duabus, vel tribus hebdomadibus manens, salutem, quam poscebat, emeruit: nam subito ex oculis ejus erumpens per dies tres sanies decurrit. Et sanissimus redditus, obtutu claro benedicens Dominum in propria remeavit.

22 Quidam e famulis sanctæ ecclesiæ Neapolitanæ, conductoris ministerium tenens, filium habebat, qui ab utero matris stridore, et motione horribili afficiebatur, ut tenerrima adhuc membra illius omnia disjungerentur; et, ut cernebatur, quasi a dæmonio agitaretur; Qui ad multa Sanctorum loca fuerat a parentibus deportatus, ut eidem Dominus, propitiatus Sanctorum precibus, condonaret salutem, sed obtinere nullo modo potuerunt; cujus matri veneranda cujusdam effigies in somnis apparuit, eique dixit: Cur vestri patronatum nutritoris relinquitis, et per diversa vagatis: vestro enim vos Dominus pastori consolaturos * servavit, ut ipse vos absens liberet, qui vobiscum positus ereptor in cunctis extitit ac defensor, et ipse vos jam in tuto positus ab omnibus calamitatibus eruat, qui inter adversa degens, ab omni adversario defendit; quem cum illa requireret, dicens: Ubi eum, domine, quæsitura pergam? Ille respondit: In ecclesia Salvatoris, vel ad venerabile ejus sepulcrum; quia ibi petentibus, beneficia præstaturus crebro consistit; Quæ evigilans ordinem visionis suo viro intimare curavit.

S. Athanasius mulieri cuidam apparet,

* consolandos

23 Sed ille aliquantulum incredulitate gravatus nutare cœpit de suo Pastore, quamvis videlicet de venerando Viro talia audiret: sed ex hoc experti sunt grave discrimen: nam duplicatis, imo triplicatis stridoribus, tremoribusque parvuli membra collidebantur; at ubi hoc sensere parentes grave discrimen, conciti ad sepulcrum properant Christi Athletæ; quibus pergentibus obviavit illis custos pretiosi sepulcri, ferens secum aliorum utilitati pelliceam zonam, quam ipsius fuisse affirmant; moxque ut eam super caput parvuli posuit, dolor, tremor, stridor, periculumque omne ab eo aufugit; at illi cœptum iter peragunt, gratias pro beneficio reddituri. Omnibusque ab ipsis res patefacta resultat. O clementia Christi Athletæ, non quærentibus ultro se præbens, sine pretio medicamentum salutis concessit! Plura et alia sunt de hujus Viri virtutibus digna relatu, quæ brevitatis studio omisimus, ne coacervata copia legentibus fastidium generet; verumtamen si omnia istius facta stylus comprehendere nequit, vel pauca de sancti Viri miraculis Domino favente subnectere curavimus.

de qua apparitione dubitans maritus acta pœnitentia, filio sanitatem obtinet.

ANNOTATA.

a Orarium *aliquando peplum, infulam, et sudarium; aliquando stolam et albam sacerdotalem significat. Eligi hic potest significatio, quæ episcopo magis convenire videbitur.*

b *Videtur hic nobilis illius matronæ nomen desiderari, nisi forte* Matrona *sit ipsum mulieris istius nomen, quod etiam in Gallia in usu est.*

c *Frustra apud varios medicos hoc nomen quæsivi; satis ex sensu liquet, quemdam capitis morbum indicari.*

d Canicularius *est, cui canum venaticorum cura incumbit.*

D

DE SANCTO BENEDICTO

ANDEGAVENSI EPISCOPO ET CONFESSORE.

Ex Martyrologiis et Breviario.

J. B. S.

SÆC. IX. *In paucis Martyrologiis notus.*

Indefessi Sanctorum Galliæ collectoris diligentiam effugit sanctus, de quo hic breviter agimus Benedictus, Andegavensis apud Sammarthanos episcopus, ordine nonus et vigesimus, de quo nihil memoria dignum repererunt præter receptum hoc die cultum et Ludovici Pii diploma seu privilegium trium navigiorum super Ligerim, quod istic ex Chartophylacio ecclesiæ integrum refertur.* Benedictum *ex dictis Sammarthanis, vel ex Andegavensi Breviario accepit Castellanus, ut ex collatis textibus ferme perspicitur. Sic ipse habet:* Andegavi, sancti Benedicti episcopi, cujus reliquiæ aliquæ exstant ad S. Maurilii: *sic vero legitur in Gallia Christiana:*
B Sanctitas Benedicti sub ritu duplici die xv Julii recolitur, ejusque aliquot reliquiæ exstant in collegiata B. Maurelii. *Inter auctiores codices Usuardinos solus occurrit Burdegalensis qui de ipso meminerit, his verbis :* S. Benedicti Andegavensis episcopi.

2 *Breviarium Andegavense Parisiis anno* 1624 *editum plane confirmat Sammarthanorum assertum de festo sub ritu duplici hoc die ; ubi de communi Confessoris pontificis sumuntur omnia præter quartam secundi nocturni lectionem, quam propriam exhibet in eum modum, ut de Sancti gestis nihil superesse intelligas. Audi ipsum :* Benedictus episcopus ecclesiæ Andegavensi præfuit imperante Ludovico Pio, quem etiam ecclesiæ causa adiit anno imperii ejus tertio, ab eoque obtinuit, ut quæ a patre Carolo Magno superioribusque regibus Andegavensi ecclesiæ privilegia concessa forent, ea rata haberet, ejusque res omnes fisci jure immunes ac liberas esse imposterum vellet. Cetera quæ in vita gessit, temporum injuria, vel hominum negligentia interciderunt. Sola apud posteros superstes mansit sanctitatis ejus memoria, et propagata publico Ecclesiæ cultu veneratio, cum reliquiis corporis, quæ in ecclesia S. Maurelii conditæ summa civium et advenarum religione celebrantur. E

In Breviario ritu duplici colitur.

DE SANCTA REGINSWINDE

SEPTEM ANNORUM PUELLULA

LAUFFÆ AD NICRUM IN SUEVIA.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Sanctæ monumenta, cultus, et Acta.

SÆC. IX. *Reginswindis Lauffæ ad Nicrum fuit olim celebris.*

Lauffa *exigua Sueviæ civitas in ripa fluminis Nicri sita, et propterea vernacule* Lauffen am Necker *dicta, ut ab homonymis Ger-*
C *maniæ locis distinguatur, nomen suum a rapido præterfluentis fluvii cursu sortita est : nam* lauffen *Germanis* currere *significat. Qui magis specialia de ejus situ aliisque rebus ad eam spectantibus scire cupit, adeat Franciscum Petrum in Suevia Ecclesiastica nuper impressa pag.* 497, *Martinum Crusium locis infra citandis, Matthæum Merianum in Germanica Sueviæ Topographia pag.* 48, *Martinum Zeillerum in Tractatu de* x *circulis Imperii Romano-Germanici pag.* 585, *aliosque topographos, quorum plerique in hujus loci descriptione de Sancta in titulo proposita meminerunt. In isto enim oppido, quod antiquitus specioso satis nomine* Augusta Nicri *appellatum fuisse dicitur,* S. Reginswindis *vel* Reginswida *catholico ritu colebatur, ejusque prodigia celebrabantur, antequam Lutherus contagiosum hæreseos suæ virus per Germaniam diffunderet. Imo etiamnum hujus sanctæ Puellulæ memoriam inter heterodoxos illic superesse, testatur Joannes Gamansius noster, qui anno* 1645 *Hailbruna ad Bollandum ita scribit :* Nudiustertius excurri in Lauffen ad S. Reginswidam ; ejus plura ibi adhuc inter Lutheranos monumenta. F

2 *Quænam sint illa inter Lutheranos monumenta, nec ipse Gamansius indicat, nec mihi certo affirmare promptum est. Plura quidem sæculo* XVI *adhuc superfuisse colligo ex ipsis heterodoxis scriptoribus. Inter eos Martinus Crusius part.* II *Annalium Suevicorum lib.* II, *cap.* III *ait, totam* S. Reginswindis *historiam in templo Lauffensi depictam fuisse. Deinde exhibet sequens epitaphium, quod anno* 1527 *aræ illius aut lipsanothecæ inscriptum fuisse suspicor :*

> Excubat insignis celebris virguncula tumba
> Regiswindis in hac, martyr et eximia ;
> Quam fera primævo nutrix in flore juventæ
> Insontem oppressit acta furore gravi.
> Urna per æternum summo dilecta Tonanti,
> Ossa verenda tenet, spiritus astra colit.

Dubium est, quænam remaneant monumenta.

3 *Nescio an hæc aliave monumenta remanserint post incendium anni* 1564, *quo templum Lauffense de cœlo tactum deflagravit. De hoc infortunio idem Crusius in dictis Annalibus Suevicis part.* III, *lib.* XII, *cap.* X *ita scribit :* Conflagratio templi parochialis Lauffæ (quondam ad honorem S. virgunculæ Regiswindæ exstructi

illic adhuc supersint.

A structi. Vide supra part. II, lib. II, cap. III) annum, diemque mensis his versibus continens :

Quindecies centum, decies sex, quatuor atque
Anni post cunas, Σῶτερ, iere tuas :
September celeres humeros Nonasque parabat,
Hæc cum sulfureo fulmine fana ruunt.

Erat illud fulmen primo seu candela ardens. Sed cum nemo resisteret (quamvis facile resisti potuisset) ita increvit, ut templum hoc in cineres et favillas redegerit. *Hæc ille ; ex quibus patet, me, tum ob templum penitus combustum, tum ob Catholicam Religionem ex hoc oppido eliminatam, dubitare merito posse, an ibidem* S. Reginswindis *lipsana, aliave cultus vestigia adhucexstent. Forte Gamansius noster intelligendus est de politicis quibusdam monumentis in hujus sanctæ Virgunculæ memoriam inter Lutheranos perseverantibus, quale est illud, quod præter alios Martinus Crusius in citato opere part.* II, *lib.* II, *cap.* III *post exhibita* S. Regiswindis *Acta his verbis iadicat :* Hæc hactenus de S. Regiswinde. Consuetudo hinc inolevit, ut rustici servos anciliasque suas die hujus Sanctæ, hoc est XV B Julii, conducant. *Sed relictis civilibus hisce antiqui cultus indiciis, catholicam istius Sanctæ venerationem ex Martyrologiis et Breviariis Ecclesiasticis eruamus.*

Probatur ejus cultus ex Martyrologiis.

4 *Apud Martyrologos prima hujus Sanctæ memoria occurrit in Martyrologiis Hieronymianis contractis, quæ tomo nostro* VII *Junii recensita sunt. In iis enim codex Richenoviensis* XV *Julii post alia sic annuntiat :* Alibi Reginsendæ mart. et virg. *Deinde in Auctariis Usuardi, ac primo quidem in codice Rosweydino memoratur etiam sub nomine* Reginsindæ virginis. *Additiones vero Greveni hac die sic habent :* Regiswindis virginis et martyris. *In additionibus autem Molani, omisso martyris titulo, sic notatur :* Eodem die sanctæ Regiswindæ virginis. *Ferrarius in Catalogo Generali festum ejus annuntiat hoc modo:* Apud Herbipolim in Germania, sanctæ Regiswindæ virginis. *Arturus in Gynæceo ornat eam hoc brevi elogio :* Herbipoli in Germania, sanctæ Regiswindæ virginis, quæ magno spiritu gratiæ et virtutis plena, cœlestia petivit. *Uterque hic scriptor Herbipolim pro diœcesi Herbipolensi accepit, ut liquet ex Actis ei Castellano,* C *qui in Martyrologio Generali distinctius ejus memoriam sic celebrat :* In Lauffen ad Nicrum in Ducatu Wirtenbergensi, in diœcesi Herbipolensi, S. Regensvitha virgo, quæ ibidem colitur ut martyr hac die, quamvis ejus Acta tradant, eam fuisse sepultam sexta Maii. *Verosimiliter Castellanus hanc notitiam hausit ex Actis nostris, ubi ad diem* VI *Maii in Prætermissis dicuntur sequentia :* S. Regnisidis S. Regniswindis virgo et martyr in Lauffen, ad Neccarim fluvium in diœcesi Herbipolensi ; dicitur in Actis sepulta pridie Nonarum Maiarum et refertur in Ms. Usuardino aucto, quod spectavit ad Nicolaum Schechium Hagenoium. Verum in dicta diœcesi colitur XV Julii.

et Breviario Herbipolensi

5 *Antiquus etiam est ejus cultus in Breviario Herbipolensi : nam exstat in Musæo nostro sub littera* I *num.* 18 *codex Ms. in pergameno satis antiqui characteris, in quo continentur Officia ecclesiæ Herbipolensis, ubi in Octava S. Kiliani legitur de* S. Reginswide *sequens collecta :* Omnipotens sempiterne Deus, cujus infirmum fortius est hominibus, concede propitius, ut qui beatæ Regiswindis innocentis et martyris annua solempnia celebramus, ejus patrocinantibus meritis ad continua gaudia pertingere mereamur. Per *etc. Eamdem orationem habet Missale Herbipolense, impressum anno* 1509, *aliaque ejusdem ecclesiæ Breviaria typis excusa, nisi quod in editione Coloniensi anni* 1575 *ponatur :* ut qui beatæ Regiswindæ innocentis martyris et virginis tuæ annua festa celebramus *etc. In Officiis vero propriis Herbipoli anni* 1625 *impressis ita habetur :* ut qui beatæ Reginsvindis virginis et martyris tuæ annua festa celebramus *etc. Adverto,* S. Reginswindem *in his Breviariis ubique* martyris *titulo ornari. Sed hoc nomen in latiori significatione accipiendum est : nam passim notum est, quod causa, non pœna efficiat martyres. Cum vero huic innocenti puellulæ mors ex vindictæ cupidine a nutrice illata sit, non video, quomodo hæc ad stricti nominis martyrium possit evehi.*

AUCTORE G. C.

Acta illius cum Bruschii synopsi conferuntur.

6 *Hujus sanctæ virgunculæ Acta seu potius Actorum compendia apud quosdam scriptores reperi ; sed eorum nullus mihi determinatum ejus mortis annum hactenus assignavit. Potest tamen hæc epocha præterpropter colligi ex tempore, quo Humbertus, aliis Hunibertus vel Hubertus, ecclesiæ Herbipolensi præfuit. Gaspar Bruschius in Catalogo Episcoporum Herbipolensium hujus præsulis annos* E *enumerans simul exactam hujus historiæ synopsin tradit his verbis :* Hunibertus, aliis Hubertus, eligitur pridie Kalendarum Januarii anno Dominicæ incarnationis DCCCXXXII. Præfuit novem annis, tribus mensibus, octo diebus. Obiit anno salutis DCCCXLI mense Martio. Hujus episcopi temporibus habebat Ludovicus Imperator præfectum in oppido Lauffen ad Nicrum sito, principem ex Norico natum, aliqui Landtgravium Leuchtenburgensem fuisse arbitrantur, Ernestum nomine. Is ex conjuge Fridburga exceperat unicam filiolam Regiswindin. Hujus infantis nutrix habebat germanum fratrem servientem Ernesto principi, a quo cum aliquando graviter verberaretur, quod negligentius curasset aliquid sibi a Domino commissum ; adeo exarsit ira et indignatione nutrix, ut consilium secum caperet de trucidanda Regiswinde.

7 Prodeuntibus itaque aliquando Ernesto F et Fridburga, arripuit serva sola domi relicta et furiis agitata puellam, trucidat, et ex arce Lauffensi in præterfluentem Nicrum præcipitem dejecit. Puellam hanc aquis suffocatam, quæ tamen fluminis vi nec a loco isto abripi, nec submergi aut fluctibus opprimi potuit, multis item miraculis coruscantem episcopus iste Humbertus, ab Angelo quodam per quietem monitus, in præsentia multorum sacerdotum ex aquis sublevans, in templum Lauffense detulit, ac honorifice sepelivit, ubi ad hæc usque tempora conservata est. *Video hic Bruschium aliosque quosdam recentiores in aliqua circumstantia ab Actis discrepare : ea enim num.* 12 *asserunt,* S. Reginswindis *corpusculum, non ab episcopo, sed ab aliis e fluvio sublatum, atque in Lauffensis ecclesiæ cœmeterio sepultum esse. Deinde vero num.* 13 *et sequentibus narrant, post elapsos aliquot annos ob crebra miracula et cœlestes monitiones ab episcopo Humberto in novam ecclesiam fuisse translatum. Igitur res, diverso tempore gestas, hic confudisse videtur Bruschius.*

8 *Prolixius eorumdem Actorum compendium contexuit*

AUCTORE G. C. et contra hæretici cujusdam criminationes defenduntur.

contexuit Martinus Crusius heterodoxus jam dicto loco Annalium Suevicorum, ubi se eam historiam ex antiqua charta Germanica transtulisse affirmat. Sed hæretico more prodigia post Sanctæ mortem patrata carpit, et sine sufficienti fundamento Catholicos in hac historia mendacii insimulat. Sed parum curandum est, quid hujusmodi homines ganniant, qui evidentia miracula sectæ suæ contraria explodunt, et juxta Judam Apostolum in Catholica epistola, quæcumque quidem ignorant, blasphemant. Quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia norunt, in iis corrumpuntur. An quia quædam miracula non satis certa, aut etiam, si ita velis, ab impiis aut stupidis hominibus conficta sunt, cetera omnia sine discrimine rejicienda erunt? Nos ipsi Catholici ad vera et falsa discernenda improbum laborem impendimus, nec ad ea distinguenda, livida hæreticorum crisi indigemus. Nulla autem est ratio, cur hujus historiæ scriptor (in Jure tamdiu quis præsumitur bonus, donec probetur malus) fictionis arguatur, cum in narratione sua appareat sincerus, et in Actorum prologo dicat se scribere ea, quæ a sacerdotalibus personis de ejus innocenti morte ad suam pervenere notitiam. Auctor more haud dubie sui sæculi subinde obscurus et verbosus est, ita ut pauca multis verbis explicet. Ejus nomen, ætas et vitæ professio non latent. Acta ipsa, quæ P. Gamansius noster in cœnobio Bodecensi Canonicorum Regularium S. Augustini in diœcesi Paderbonensi describi curavit, hic damus, et quæ obscuriora sunt, notis illustramus.

B

ACTA

Ex Bodec. cœn. Canon. Regularium S. Augustini diœcesis Paderbornensis Passionali pergameno Ms. insigni, fol. XCV *pag. A.*

C

PROLOGUS.

Auctor docet, præcipue sanctos patriæ patronos colendos esse.

Dum omnium Sanctorum merita veneranda jure beata mater Ecclesia per quadrifidi *a* orbis climata præcordiali amore veneretur obsequiis et armonicis concrepat laudibus, qui jam Ægypti singulariter * peregrinationem, vario licet agone, non tamen dispari studio, paschalis illius agni veri, non typici, patrocinante cruore, viriliter egressi, paradisiaca repatriaverunt *b* lætabiles mœnia; specialius tamen quodammodo et quasi solitarie gratulatur, se per diversa loca proprios possidere patronos, quos, auspice divinitate, et propugnatores contra inimici jaculationes semper habeat indefatigatos, et pro excessibus quotidianis interventores propitios. Nos proinde, nos humilibus contenti locellis *c*, non martyrum fulti præsentia sepulchrali, qui cordatissima veritatis assertione Christum in propatulo omnium seculorum regem esse prædicaverunt, sicque proprii sanguinis effusione rubricati, ipsi Regi Regum, cui dimicaverunt atque vicerunt, perpetuo laureandi victricia de hoste vexilla reportaverunt; sed virgineæ parmati *d* coessentia *e* glebæ *f* (quæ antiqui serpentis enecata rancore virgo martyrque tenella innocentiæ penna glorianter subvecta æthereAm pervolavit ad aulam) ea, quæ a sacerdotalibus personis de ejus innocenti morte ad nostram pervenere notitiam, qualicumque calamo, sapientibus simul et insipientibus, patronatu ipsius confisi, pandere hinc aggredimur. D

* forte figuraliter

ANNOTATA.

a *Id est per Orientem, Meridiem, Occidentem et Septemtrionem. Nam tempore, quo hæc scripta sunt, needum nota erant America, atque adeo nec usitata hodiedum divisio mundi in quatuor partes. Varia hujus quadripartitionis exempla occurrunt in sacra Scriptura.*

b Repatriare *sæpe ponitur pro* redire; *hoc sumitur pro* ire *vel* intrare. *Sed hæc et his similia, dummodo sensus intelligatur, deinceps annotare non est operæ pretium.*

c *Per* humiles locellos *auctor hic intelligit exiguam* S. Reginswindis *urnam seu lipsanothecam, qua se indicat esse contentum, quamvis apud se non habeat magnifica magnorum martyrum sepulcra.* E

d *Quamvis hæc vox sit latina, tamen cum sit valde metaphorica, eam hic paucis explico.* Parmatus *seu* parma armatus *hic accipitur pro* confisus, fretus, confirmatus *aut simili significatione.*

e Coessentia *vel quasi* coexistentia *hic sumitur pro* præsentia. *Eadem vox occurrit in Actis S. Vitalis martyris, de quo egimus die* XXVIII *Aprilis, ubi num.* 6 *hæc habentur :* Gaude et lætare, felix Ravenna, ... quæ B. Vitalis sepulchrali meruisti coessentia insigniri.

f Glebæ *id est* corporis. *Sic apud S. Gregorium Turonensem de Vitis PP. cap.* VII *sequitur :* Ad virtutiferam Sancti glebam, nemine retinente, perveniunt. *Itaque his verbis :* Virgineæ parmati coessentia glebæ, *colligo, auctorem Acta* S. Reginswindis *in Suevia et forte in ipso oppido Lauffensi scripsisse, ubi ejus corpus conservabatur.* F

Caput I. *S. Reginswindis parentes, educatio, violenta mors a nutrice illata, corporis inventio et sepultura.*

Ludovicus pius imperator, *a*

Divæ memoriæ, pius Ludewicus *a* semper Augustus, quo tempore Francorum monarchiam imperii sui fræno moderari præpropere desudabat, quippe qui tres præstantiores Europæ species solidum satis corpus sceptrigero sibi dominatu, Deo propitio, subegit, Italiam, videlicet Galliam atque Germaniam, postquam hinc inde imperiali majestate bellorum contrarios compescuit flatus, apud Vindelicensem urbem *b*, quam Augustam vocant, fortuito consedit; in qua aliquamdiu commorans omnibus judicia habentibus ad liquidum, uti decuit, lubens satisfecit. *b*

Eodem

A Eodem vero tempore quidam e militibus armipotens et famosus, Noricus *c* genere, Ernestus nomine, familiaritatis locum apud illum promeruit non ultimum, partim generositatis, partim piæ conversationis experimento.

Ernesti cuidam Bavaro Lauffen oppidum d

3 Est autem locus in Australis Franciæ *d* partibus, quæ membrum Germaniæ dicitur, in territorio sanctæ Herbipolitanæ ecclesiæ, quem incolæ ob impetum pervalidum Neckaris *e* fluvii egregii comitis Rheni lingua Theutonica Loufum *, id est decursum appellant. Visum est ergo venerando Augusto eumdem locum venandi gratia adire debere, et præfato Ernesto aulico suo sub testificatione herilis gratiæ in omnibus, quæ Augustam decent celsitudinem, naviter aptandum credere. Qui jussis obtemperans non mediocri annisu cuncta, quæ ad id negotii instrumenta pertinent, raris interpositis solibus opplevit *f*, sed cum nec situ loci, nec copia venandi talem videretur majestatem posse morosius jocundari, ad Augustum non segnius rediens, de loci qualitate ac rerum circumstantia, prout res sese habuit, fidelì relatione peroravit.

e

* i. e. Lauffen

f

B

... meruit.

4 Cumque præ manibus hac de re nonnullos haberet contestatores satis idoneos, de prospicientia præsumens divina in hæc prorupit verba: Si, inquit, vestræ sedisset dominationi pro beneficio pusillitatem meam locum illum promereri, ad honorem vestrum fortassis aliqua ibi manus mea invenire posset commoda. Quibus Princeps celerem adhibens credentiam, divino quodam attactus instinctu, devoti militis extemplo deliberans satisfacere precamini: Si, inquit, ita est, mi charissime, ut asseris, præsertim quia imperialis me enormitas curæ ad alia compellit teterrima tendere loca, nostra te volumus imposterum uti munificentia, ita dumtaxat ut eumdem locum nostræ fiscalitatis subicem *g* amodo absque cujusvis impeditionis obice, quoad vivas, manu semper potestativa possideas, omnia quæ nostri juris ibidem habentur exin tibi vice nostra obsequantur, quo jugiter dignitas nostra abundantiorem obsequii tui experiatur affectum.

g

C

... qui transferens ... familiam,

5 His ad calcem perductis Ernestus imperialem haud floccipendens delegationem, conjugem suam nomine Frideburgam cum tota domo ac familia omnique supellectili sua de pristina habitatione Noricæ telluris eduxit, et antefatum locum strenuus accola quantocius possedit. Qui succedentibus prosperis adeo est eodem in pago fortuitis rebus locupletatus, ut paucis comprovincialium parvo interstitio inveniretur inferior: nec immerito; quippe qui Euangelici non immemor decreti, quæ Dei sunt, Deo; et quæ Cæsaris, Cæsari reddere satagebat, ut et divinitati religionis conamine atque cæsareæ dignitati stricto placere quivisset cingulo militiæ.

... tenuit filiam,

6 Contigit autem illum post aliquot annorum curricula fœminei pignoris lætabile munus de christianissima conjuge sua ibidem accipere, unde sibi divina providentia perpetui corollarium tripudii * disposuit destinare, qui cum more fidelium natam sobolem regeneratrici gratiæ daret, nomenque illi Reginswindis imponeret, postquam illam de Jordanicis *h* undulis dominici Agni vellere trabeatam recepit, gracili statim infantiæ unam e famulabus, hujus officii gnaram, providit pædagogam, quæ acsi pupillam oculi sui solerti vigilantia infantem custodiæ vallo præmuniret, donec ad intelligibiles annos puellari pudore evaderet. *i*

* id est gaudii.

h

i MSS.

quam nutrix, instigante dæmone,

7 Sed anguis ille virulentus humani generis glutio * inrefertibilis, qui ab initio homicida extitit; irreconciliabilis semper innocentiæ persecutor, vitiorumque incentor, cum doleret nihil in novæ adoptionis filia suum pullulascere, neque veteris fermenti aliquo spargine novam conspersionem ærugínascere, versipellis vafer, arguta sensim occasione admota, ne utrumque esset, genuinæ bilis elaboravit sudore *i*. Nempe * illam infandissimam famulam, quæ fidissima hactenus virgunculæ custos visebatur, adeo invidiæ suæ inussit cauterio, quo versa viceministra fieret necis, quæ jussa fuerat vitæ.

* id est helluo.

i

ob verbera fratri suo ab Ernesto inflicta.

8 Evolutis ergo septenis temporibus ætatulæ sanctæ virginis Regisvindis, accidit bajulæ ipsius germanum equinum domini sui pascere gregem, qui agrestes equarum turmulas studio sagaciore jussus fuerat prævidere. Is itaque cum multoties, uti in id conditionis solet evenire personis, crescente desidia remissius erga gregem ageret, damnumque non modicum domino suo, neglecta pastoralitatis cura, inferret, quadam die rationem de sibi creditis equabus, in præsentia domini sui reddere est coactus; cumque in judicio positus nullo se sagacitatis prætextu defendere potuisset, omni interim apologia depressa, aspera illum flagelli censura, dominus secundum quod meritus fuerat, multari præcepit, ut et illum de cetero emefidaret, et ceteris metum imponeret.

E

enecat et in Nicrum projicit.

9 Talis autem infortunii acerrimo dolore soror illius, nutrix videlicet sanctæ Reginsvindis ultra modum stomachata, tanta cœpit impatientiæ vertigine debacchari, ut novo quodam furoris genere insani capitis municeps nunc se phreneticam, nunc lethargicam simulans, ad ultimum miserabilem dominis suis rependeret talionem. Surgens igitur male merita auspicata opportunitatis hora sacram arripuit furens ac furibunda puellam, et Neckarem fluvium festina adiens, primum gutture intercepto, cervicibus retortis, vita privavit, ac deinde toto vesaniæ furore conducta mediis injecit fluctibus, quæ ubi tale tantumque facinus miserabilis se perpetrasse cognovit, semeptisam desperationis baratro miserius illisit, et suapte voluntate mortis sibi exitium anhela quæsivit: ascendit quippe, malesano agitante spiritu, scrupulosam prærupti saxi eminentiam, ubi cunctis mortale patet præcipitium, quod impugnante alvei valitudine proclivius constat cavatum, acsi humani ingenii operiosius labore desudatum, ut eo sese citius neci traderet, quo periculosius ad ima descenderet.

F

Cives quidam, detecto homicidio.

10 Sed quia secundum veritatis vocem nihil opertum est, quod non reveletur et occultum quod non publicetur, non casu aliquo, sed nutu potius credo actitati divino, supervenere aliqui de civibus loci, qui magno stuporis attoniti prodigio, quidnam misera illa Deo et hominibus perdita eo loci tentare vellet, subtili ocius indagine percontantur; quæ cum se præcipitio committere velle responderet,

Ex MSS.

responderet, nec tamen conscientiæ stimulum prodere præsumeret, strenue illico eam utrimque circumvallant, de periculo instanti extricant, vique permaxima rei veritatem extorquent: qua comperta, miseram conscientia aculeatam postponentes, sacræ Virginis corpusculum jam jamque extinctum sollicita inquisitione per curva fluminis littora vestigare moliuntur.

puellulæ corpus miro modo inveniunt.

11 O novum spectaculum novæ martyri tenerrimæque virgini congruum! Tertiæ diei jam transacto crepusculo, vident Virgunculæ sacrum corpus exanime, piscoso cuidam cohærens gurgustio, facie vivida vultuque rubicundo, quod extensis brachiis instar crucifixionis inter ipsos liquidos undarum globos solidos, jam natura cedente, fixerat passus. Res mira nostroque ævo hactenus invisa. Videres namque septennem virginem, septiformis charismatis amictam decoramine, inter liliatos virginum cœtus crucifixum Dominum intente laudantem, et quod spiritus ante conspectum divinitatis officii haberet, artubus jam morte calcata in lymphis monB strantem. Quid plura? Quia dubitari omnino nequit, quin ab omni prævaricationis integra labe inter hymnisonas Innocentum choreas Agnum Dei quocumque ierit comitetur, num quidnam niveæ agnellæ puritati aliquid deesset? Gemella proculdubio virginitatis simul et martyrii relucens lampade, non modo liliis convallium, verum etiam rosis in sanguine rubricatis in illo albatorum secretario stolata cum Christo regnat sine fine beata. Sed hæc hactenus.

et honorifice sepeliunt in cœmeterio.

12 Tollentes igitur corpusculum Virginis de aquarum stagnantium vorticibus calcatis, postquam ordinem rei parentibus indicaverunt, ad celebrandas more solemni sacras exequias sacerdotum quaquaversum convocatur turba, quo ejus non dico funebria sed magis natalitia complerent officia. Continuo tam de vicinis quam eminus positis innumerabiles coeuntes oppidulis, et cum crucibus ac cereis omnique religionis ecclesiasticæ apparatu tam generosæ occurrentes indoli, maxima parentum nec non amicorum C circum stipante caterva, in supra memorati loci Loufun * videlicet basilicæ cœmiterio terram virginali oppignorantes vadimonio sanctissimæ Virginis corpusculum humidis tumulavere luminibus, sub die pridie Nonarum Maiarum.

* *lege* Lauffen

ANNOTATA.

a *Ludovicus cognomento Pius imperare cœpit anno* 814. *Obiit autem anno* 840.

b *Imperator ex communi Chronologorum opinione anno* 832 *fuit Augustæ Vindelicorum. Forte ex hac nota chronologica, vaga hujus historiæ epocha magis determinari posset.*

c *Quinam fuerint populi Norici obscurum est, ut videre licet apud Baudrand, et Cluverium in Geographia lib.* III, *cap.* IV. *Videtur hic* Noricus *significare* Bavarum, *ut postea ex Actorum contextu patebit.*

d *De antiquis Franciæ divisionibus vide auctores passim obvios. Liquet, hic per Franciam australem designari modernam Sueviam.*

e Neckaris *seu potius* Nicer *vel* Nicrus *fluvius Germaniæ, qui oritur ex Sylva Nigra et monte Arnobæ, et post longum cursum tamdem Rheno miscetur prope Manheimium. Ob hanc aquarum commixtionem puto, Nicrum ab auctore nostro vocari* comitem Rheni. D

f Raris interpositis solibus, opplevit, *id est*, post paucos dies paravit. *Mira expressio, et cinctutis non exaudita Cethegis.*

g Subices *vel ut Nonius legit* subjices, *teste Eilhardo Lubino in suo Antiquario, apud Ennium invenitur pro* subjectis. *Itaque per* locum nostræ fiscalitatis subicem *significare vult auctor* locum nostro dominio subjectum. *Si hæc explicatio non placet, meliorem edissere.*

h *Id est* baptismalibus aquis. *Verosimiliter deductum hoc epitheton ex Christi baptismate, quod in Jordane peractum est.*

i *Hic iterum obscurus sensus, quem post lectionem tandem utcumque intellexi. Hujusmodi in his Actis sunt plures, quod semel monuisse sufficiat, ne nimium excrescant hæc Annotata.*

CAPUT II. *Occasio translationis, sacri corporis translatio et miracula.* E

Post gloriosam beatæ virginis ac martyris Christi Reginswindis tumulationem exhaustis aliquot annis, pius et misericors rex regum ac corona virginum Christus, non ferens sponsam suam, in suo jam secum thalamo manentem, secularium diutius agglutinare sepulchris, cujus esset meriti, miro dignatus est modo ostendere. Ecclesia denique illa paupertino lignorum instrumento per longum tempus inibi durante, nocte quadam vocibus quibusdam ruinæ suæ clamans novam Christi Martyrem recenti memoria cominus subterratam, haud condignum sub divo * sortiri pausatorium, versus sepulchrum Virginis magno fragore parte aliqua cecidit acsi ingressum illi non ostiatim, sed largius præbere cuperet.

Sepulcrum Virgunculæ, ruente semel

* *communius* sub dio

F

atque iterum ecclesia, mutandum declaratur.

14 Quod cum mane die altero cives rusticani conspicerent, nec tamen quid in re esset omnino pensare quivissent, resarcire velocius adjunctis carpentariis studebant, ne forte vel furibus vel bestiis domus Deo dicata pateret: cumque parvo transacto intervallo iterum atque iterum violenter supra tumulum rueret, cœpere nonnulli de civibus loci inter se mussitare asserentes simpliciter, quod tamen verum fuit, quia videlicet propter innocentem puellam, martyriali jam bravio in cælis palmatam, talia fierent cælitus indicia. Jam vero sanctæ Virgunculæ parentes, nativa habitatione Norici salsuginis *a* revisa, cum omnibus mobilibus suis, Francigenis *b* dorsum dederunt, et quod superna clementia erga natam suam ageret, minime scire potuerunt.

a
b

Episcopus Herbipolensis ab angelo

15 Præfuit autem tunc temporis sanctæ Herbipolensi ecclesiæ Deo amabilis episcopus, nomine Humbertus *c*, cui dormienti quadam intempestæ noctis hora astitit aliquis e civibus cæli dicens: Surge quantocius, et locum, qui dicitur Loufun, in ripa Neckaris fluvii situm diligenter ab omni ineptia emundare curato, atque oratorium mihi cum magna

A magna festinantia ædificare studeto, quia margaritam Domini, quæ hucusque incautius humanis subjacuit plantis, magnifico oportet honore in illud asportari, et quamdiu bujus mundi orbita volvitur, Missarum ibidem hymnorumque ecclesiastico more solennia convenit celebrari.

16 His peroratis nuntius ille nubivolus illico unde venit redit. Episcopus autem de nocte consurgens dominicam parvi pendens jussionem, et velut somnium incertum habens quod audivit, humana pressus inertia attendere omnimodis neglexit: cum ecce, parva distante intercapedine, ad repetendum nuncium angelus in stratu positum revisit episcopum dicens: Quare mi frater mandatelam Domini nauci pendisti? Et oratorium, quod præcepi, dissimulasti facere? Jam nunc surge nihil hæsitans, quia a Deo missus sum tibi hæc nuntiare, et mihi crede, quoniam si amplius pedem retraxeris et inobediens inventus fueris, digna te verberum multatione castigare habeo. Evigilans pontifex et hæc secum ruminans, illusionem potius phantasmaticam, quam divinam revelationem mente B obstinata credidit, et sicut prius rebellis nescius perstitit.

tertio monitus

17 Tertia autem vice, nocte media, cæli cursor secundum promissum illapsus episcopi cubiculum, non jam verbis, sed ultricibus virgis ejus inobedientiam vehemens increpavit, et tanta illum disciplina stigmatizavit, ut videlicet lividæ cutis apta vestigia divinæ visionis cunctabilia *d* omnia facerent credibilia. Hoc modo tandem rei veritatem expertus episcopus, stulte se egisse sero pœnituit, et convocatis ocius consiliariis et suffraganeis suis presbyteris quamplurimis, omnia illis teste verbere patefecit, quæ tam diu tacitus distulit; deinde sumptuum adhibita copia, cœmentarios undecumque collegit, et oratorium, prout jussus erat, in prædicto loco construens, pro posse illud decoravit.

opus ejus in novam ecclesiam transfert. c

18 Cumque extremam divino operi manum imposuisset, et statuto die, hoc est III Idus Julii *e*, in quo Phœbus naturali cursu penultimam tropici cancri partem annuatim ignire solet, more episcopali ecclesiam con- C secrasset, cum maximo cœtu monachorum, clericorum, ac ceterorum utriusque sexus fidelium, sacræ Virginis glebam intus devotissime transportavit, et in decentissimo locello collocavit; in ipsa autem processione inter dulcisonas cleri melodias, angelorum sancta frequentia hæc Davidica percrepuit orsa: Beata, quam elegisti et assumpsisti, Domine, in æternum habitabit in atriis tuis. Tanta denique miri odoris fragrantia omnes, qui aderant, percelluit, ut æstimarent odorifera se circumseptos aura, et totum illum locum divinitatis obumbrari gloria; pro certo scientes, quia non privabit Dominus bonis eos, qui ambulant in innocentia; qui secundum Euangelium jure talium est regnum cælorum. His rite consummatis magno perfusi gaudio in sua quique rediere cum pace.

miraculis clarescit.

19 At postquam ejusdem regionis catervatio enormis talem tantumque, per inclyta beatæ Reginswindis merita, virtutum persensit odorem, omnes qui habebant imbecillos ac variis oppressos incommodis, fide pleni ad sacratissimæ Martyris tumbam secum cataplasmandos *f* duxerunt, quos et divina largitas, ad declarandam sanctam ejus innocentiam, sanos redire concessit et incolumes. Nam manci restaurationem, cæci illuminationem, paralytici gressum, leprosi recepere cutis munditiam, et febrium facibus æstuantes pristinam se gavisi sunt recuperare salutem, laudem divinitati reddentes.

Ex MSS. f

Consanguinei sacra ossa auferre cupientes

20 Inter hæc neque illud silentio subruere æquum fore arbitror, quod ibidem nuper contigisse refertur. Cum enim sanctitatis ejus fama longe lateque pervolaret, quidam nobiles de parentela ejus, orationis causa de Boioariorum *g* finibus ad sanctæ Martyris tumulum properantes, cum virtutum ac miraculorum ejus insignia per semetipsos luce clarius explorarent, validissimo sunt attacti mœroris affectu, quod sanctam Virgunculam cognatam suam in patrio solo non habebant; sed cum aliquamdiu illic demorarentur, consilium inter se habere cœperunt, quomodo, permittente gratia divina, lipsana sacra furtim auferre potuissent. E

cælitus ab eo facinore absterrentur.

21 At custos ædis suæ omniscius Christus, non sinens locum, quem tanto sublimavit honore, impio violari latrocinio, prohibuit eos tali modo: Cum attentius illi male maturis inservirent excubiis, nocte quadam opportunum tempus existimantes, quo mente cœpta opere tenus peragerent, orationem enixius simulantes, clanculo irruperunt atque thesaurum Domini, loco illo cælitus et ante secula prædestinatum, unca manu rapere, patriamque celerius avidi viæ moliuntur repedare. Sed ecce repente de cælo super eos nimius timor ac tremor irruit, adeo ut fundamentum ecclesiæ minaci terræ motu quateretur et ipsi fulminum ac tonitruorum ictibus graviter semiustulati terratenus pene exanimes corruerent palliduli. Postquam vero, divino cessante terrore, ad cor redierunt, magna precum instantia Divinitati supplicantes, emendationis inducias perobstinate flagitarunt, et sic inde decedentes, ad propria regressi sunt. Benedictus per omnia Deus, cujus honor perpetuus, gloria perpes, regnum sine fine, et claritas absque ullius ævi mutabilitate, qui nobis tantilli laboris initium fuit et finis exstat: qui cum Patre et Spiritu F sancto vivit et regnat trinus et unus per immortalia secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a Salsugo *proprie significat quemvis humorem salsum, cujusmodi in salinis est. Forte hic per remotam iterum metaphoram sumitur pro loco sterili, quia loci salsi solent esse steriles.*

b *Per* Francigenas *hic certe auctor intelligit Suevos, ut supra per* Franciam Australem *diximus ab eodem* Sueviam *significari.*

c Hunibertum *vel* Hubertum *vocant, ut monuimus in Commentario prævio num.* 6, *ubi etiam episcopatus ejus annos assignavimus.*

d *Puto hoc compositum esse a verbo* cunctari, *cujus synonyma sunt* procrastinare, morari, differre; *ita ut* cunctabilia *hic* moras *aut* dilationes *significet.*

e *In Actis aliis dicitur hoc templum* XV *Julii consecratum fuisse.*

f Cataplasmare

A f Cataplasmare *proprie est cataplasma applicare, seu remedium morbo vel vulneri adhibere. Sic Joannes Monachus lib.* II. *Vitæ S. Odonis Abb. Cluniacensis dicit:* His et similibus exemplis cataplasmabat vulnus meæ mentis. *Hic per cataplasmandos scriptor intelligit* sanandos, *ut* D *ex sensu colligitur.*

g *Id est* Bavarorum, *qui superioribus sæculis* Boiorum *et* Boioariorum *nomine appellati fuerunt.*

DE SANCTO TERENTIO

EPISCOPO LUNENSI ET MARTYRE

SARZANÆ IN ITALIA.

J. B. S.

Ex Ferrario.

MORTE SÆC. IX. *Italus, an Gallus, incertum.*

Sanctum hunc, *ceteris Martyrologis omnibus plane ignotum, in utroque Catalogo annuntiat Ferrarius; in Generali quidem his verbis:* In territorio Lunensi, sancti Terentii episcopi et martyris. *Citat vero pro religiosæ venerationis, Sancto exhiberi solitæ, certitudine tabulas* B *ecclesiæ Sarzanensis, quæ Lunensi isti successit, quæque illum hodiedum ut suum episcopum agnoscit; quamquam fateatur, rem istam adeo exploratam non esse, ut paulo pluribus antea explicuerat in majori Catalogo Sanctorum Italiæ, ubi de Sancti gestis paucissima quæ referret habuit; de ætate ferme nihil. En ejus ibi annotationem :* Sunt tamen, *inquit,* qui Terentium episcopum, non Lunensem sed Gallum, quem Romam, voti solvendi causa, proficiscentem, eaque transeuntem, a latronibus, ut supra narratum est, interfectum putent, idque Karolo Crasso Imperatore, cum Gualterius episcopus Lunensis ecclesiam administraret. *Utri recte sentiant, non disquiro; nihil habuit Ughellus, quo rem obscuram illustraret; neque placet paulo longior portentosa narratio Italica alicujus recentioris, in qua solidi nihil reperio : cum autem ex Ferrarii, de cultu testantis, fide Sanctum adoptaverimus, ejusmet verbis elogium describimus :* E

Elogium. 2 Terentius episcopus Lunensis (ut tabulæ ecclesiæ Sarzanensis testantur) inter ceteras ejus virtutes, maxima erga pauperes benignitate præditus fuit: nam quocumque loco esset, illis eleemosynam largiter impertiebat. Cumque extra urbem in via pauperibus eleemosynam de more distribueret, a latronibus, magnam pecuniæ summam apud eum se reperturos sperantibus, invasus, interfectus est, juxta Laventiæ, qui in Macram influit, amnem. Cujus corpus plaustro impositum, a juvencis indomitis, in eum locum, qui S. Terentii nominatur, delatum, ibi conditum est, ecclesia ibidem suo nomini constructa.

DE S. FELICISSIMO CONFESSORE

APUD NUCERIAM IN UMBRIA.

J. P. S.

Ex Ferrario.

F

C

XV JULII. *De cultu constat, sed ignoratur ætas.*

Est *hic alter Sanctus, æque ac prior, in omnibus aliis Fastis sacris præteritus, exceptis Ferrarii Catalogis, iisdem istis, de quibus jam proxime egimus; accepta nempe notitia ex solis monumentis ecclesiæ Nucerinæ: talibus saltem, ut, ex cultu ibi immemorabili, tutissime inter Sanctos connumerari possit, tametsi vaga sint, certe nulli distincto tempori affixa, quæ de ipso narrantur. Positionem seu cultus locum fusius describendum non censemus: satis enim nota est gemina apud Italos Nuceria; altera in Picentibus, non adeo procul Neapoli; a qua nostram satis discrevimus, per situm ejus in Umbria, nempe inter Assisium et Camerinum, quod hic obiter notasse sufficiat.* Miratus sum, *inquit laudatus Ferrarius,* nullam in Actis S. Felicissimi temporis mentionem contineri. *Eam alibi frustra quæsivimus; ut proinde nihil supersit, quam ut elogium ab ipso compositum, hic fideliter subjungamus.*

Elogium. 2 Felicissimus, apud Nuceriam Umbrorum urbem, ex patre Rufino, viro in pauperes pientissimo, in pago Sicimano natus, infans, invitis parentibus, Nursiàm in monasterium S. Eutychii se contulit; ubi cum brevi litteras didicisset, aliis prædicare cœpit. A patre exoratus, tandem accepta a monachis (quorum necdum habitum induerat) benedictione, domum rediit, ac pietatis operibus vacans, pupillorum et viduarum, præcipue egentium, curam gessit. Cum autem et proprias vestes pluries pauperibus concessisset, a patre, qui id iniquo animo erebat, domo expulsus, ad boves pascendas mittitur; cumque vaccam pauperi eleemosynam petenti (cum quod daret, aliud non haberet) dedisset, patris iram metuens, in locum, cui Politianum nomen est, aufugit : ubi defixo baculo, cum is statim floruisset, ibi sibi considendum intellexit. Deo itaque orationibus et vigiliis inserviens, cum miraculis clarere cœpisset (cæco enim inter alia lumen restituit) peccatores ad bonam frugem plures convertit. Denique multos ibi annos moratus, migravit ad Dominum Idibus Julii. Miraculis etiam post mortem claruit; cum enim latro ecclesiam Felicissimi ingressus, et, pretiosioribus

A sioribus sublatis multam per noctem viam se confecisse putaret, mane juxta eamdem ecclesiam deprehensus, voto S. Felicissimo, se illius ecclesiæ perpetuo inservիturum, facto mortem evasit. Quidam a dæmone obsessus, ad eamdem ecclesiam delatus, multis præsentibus liberatus est. D Alius sacras S. Felicissimi reliquias temere ausus tangere, brachio illico sibi stupefacto, pœnitens veniam et sanitatem impetravit.

DE S. ANSUERO MARTYRE ET SOCIIS

RACEBURGI IN SAXONIA INFERIORE.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. C.

§ I. Palæstra et epocha martyrii.

Anno MLXVI. S. Ansuerus cum soc. Raceburgi.

R*aceburgum vulgo* Ratzburg, *quæ ab Helmoldo lib.* I, *cap.* II civitas Polaborum, *et ab aliis* Racipolis, Razispurg *et similibus nominibus appellatur, antiqua Germaniæ urbs in circulo Saxoniæ inferioris, inter Ducatum Megalopolitanum ad ortum et Lavenburgicum ad* B *occasum, juxta lacum cognominem sita est, fuitque episcopalis sub archiepiscopo Bremensi, qui etiam interdum Hamburgensis vocatur, postquam scilicet, approbante Nicolao I Romano Pontifice, cathedra Hamburgensis Bremensi unita est; de qua unione pluribus actum est in Vita S. Anscharii archiepiscopi Hamburgensis ad diem* III *Februarii in Commentario prævio* § II. *Distat autem Raceburgum septem milliaribus Hamburgo ac totidem Luneburgo, tribus vero aut quatuor Lubeca. Qui plura de ejus situ, variaque fortuna nosse cupit, adeat Matthæum Merianum in Germanica Saxoniæ inferioris Topographia pag.* 197. *In hac civitate Raceburgensi, aut saltem non procul ab ea,* S. Ansuerum *aliosque Christianos a Slavis, ad paganismum relapsis, martyrii laurea coronatos fuisse testantur ferme omnes istius regionis historici. Ante alios M. Adamus ecclesiæ Bremensis canonicus, qui eodem tempore vixit, sic scribit in sua Historia Ecclesiastica lib.* IV, *cap.* XI: Ansuerus etiam monachus et cum eo alii apud Razispurg lapidati sunt. Idus Julii passio illorum occurrit. Qui cum ad passionem veniret, flagitasse fertur C paganos, ut prius socii, quos deficere metuebat, lapidarentur. Quibus coronatis, ipse gaudens cum Stephano genua posuit.

Ad pro, ut eam sibi, usus.

2 *Non frustra numero superiore dixi,* S. Ansuerum *ejusque socios* in civitate Laceburgensi, aut saltem non procul ab ea, *martyrii laurea coronatos esse. Huic disjunctioni faciendæ occasionem præbuit textus Adami Bremensis, qui eos* apud Razispurg *lapidatos fuisse affirmat. Eamdem expressionem imitantur Helmoldus presbyter Bosoviensis prope Lubecam in Chronico Slavorum lib.* I, *cap.* XXII, *Chronographus Saxo anonymus, cujus chronologia pertingit usque ad annum* 1188, *quemque propterea circa hæc tempora vixisse opinatur Leibnitius, qui primus Lipsiæ anno* 1698 *hunc scriptorem luci publicæ dedit; Albertus Stadensis in suo Chronico ad annum* 1066, *aliique, qui Adami verba transcripserunt. Verumtamen non ignoro, ab antiquis scriptoribus præpositionem* apud *pro* in *sæpe usurpari. Hujus res exempla in Martyrologiis passim obvia sunt. Unum hic dedisse suffecerit. Usuardus die* XXIV *Januarii sic habet :* Apud Antiochiam natalis sancti Babilæ episcopi, qui persecutione Decii postquam frequenter passionibus suis ac cruciatibus glorificaverat Dominum, gloriosæ vitæ finem est sortitus in vinculis. *Acta tamen illius et antiqua quædam Martyrologia, atque inter alia Hieronymianum, eum* in Antiochia *passum esse testantur. Romanum Parvum sic habet :* Antiochiæ sancti Babylæ episcopi. *Idem contingit in casu nostro : Quod enim ab Adamo, Helmoldo, aliisque* apud Razispurg *peractum dicitur,* E *ab aliis* in Racisburg *factum esse perhibetur : Chronicon enim Riddageshusanum a Leibnitio editum inter scriptores Rerum Brunswicensium tom.* II, *pag.* 76 *ita breviter enuntiat :* Sanctus Answerus lapidatur in Ratzeburg. *Chronicon vero Slavicum incerti auctoris, post Ecclesiasticam Adami Bremensis Historiam impressum, paucis idem martyrium sic complectitur cap.* XIV : Ansuerus monachus cum suis lapidatus est in Racisburg Idus Julii. *Ex dictis facile crediderim,* S. Ansuerum, *ejusque socios in ipsa urbe Raceburgensi martyrio affectos fuisse. Hæc de sacri certaminis palæstra sufficiant; jam ad quæstionem magis intricatam progrediamur.*

Martyrium ejus Baronius,

3 *In figenda hujus martyrii epocha adeo inter se dissident recentiores auctores, ut hic vere locum habeat vulgaris parœmia, quot capita tot sententiæ. Eminentissimus cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis Slavicam persecutionem et* S. Ansueri *cædem anno Christi* 1065 *omnino collocandam censet his verbis :* Hoc eodem anno, qui et vigesimus secundus numeratur Adalberti archiepiscopi Hamburgensis, Slavorum F ecclesia sub ejus parœcia constituta pessumdatur, multis in ea clade martyrio coronatis, in primis vero Godescalco principe, Christianæ religionis studiosissimo propugnatore. Hæc autem tanta gloria ejus ecclesiæ, ut quam firmiter testata relinquatur : in primis, quod ad tempus spectat, Adam, qui aderat, ista habet : Expulsio archiepiscopi et mors Godescalci uno fere anno contingit, qui est pontificis Hamburgensis Adalberti vigesimus secundus. Hoc plane anno, cum creatus ipse fuerit Hamburgensis archiepiscopus anno Christi millesimo quadragesimo tertio. Res tunc gestæ ab eodem auctore breviter ita narrantur, seu potius perstringuntur. *Hic narrata ex M. Adamo cæde Godeschalci principis Slavorum, de quo nos egimus die* VII *Junii, sic ex eodem scriptore pergit Baronius :* Ansuerus monachus et cum eo alii apud Rinsburg lapidati sunt. Idus Julii passio illorum occurrit. *Moneo obiter per urbem Rinsburg hic a Baronio positam, intelligi debere* Raceburgum, *ne alioquin forte confundatur cum Remburgo oppido* Holsatiæ

AUCTORE G. C.

Holsatiæ, quod in limite Ducatus Slesvicensis ad fluvium Eyderam situm est.

et Mabillonius collocant anno 1065:

4 *Hæc Baronii chronotaxis placet Mabillonio, qui in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sæculo* VI *part.* II, *pag.* 156 *eamdem sic stabilire nititur :* Ansueri martyrium, *inquit*, simul cum generali ista Hammaburgensis provinciæ clade, anno MLXVI consignant Albertus Staxensis in chronico laudato, et Helmoldus lib. I Chronici Slavorum cap. XXIV, quam tamen Krantzius libro IV, cap. ultimo ad annum MLX revocat. Sed illi auctores annum martyrii horum Sanctorum cum anno Henrici regis octavo et Adalberti archiepiscopi Hammaburgensis vigesimo secundo componunt. Quare cum Henricum sub finem anni MLVI regnum accepisse constet, Ansuerum anno MLXV martyrio affectum fuisse crediderim. Et quidem, id diserte habetur in Chronico nostro Saxonico, antiqua manu conscripto; in quo hæc Slavica clades anno MLXV narratur, ubi etiam persecutionis auctor dicitur fuisse Blusso, qui sororem habebat Godescalci, Plussonem appellat Albertus Stadensis. *Observo hic etiam* B *per transennam parum sibi constare Krantzium, dum in Metropoli lib.* IV, *cap.* XLIV *illam Slavorum seditionem anno Christi* 1060 *alligat, qui in sua Wandalia lib.* III, *cap.* V, *eamdem anno Christi* 1066 *collocat.*

Pagius autem anno 1064:

5 *Baronii Mabilloniique sententiæ contradicit Antonius Pagius, qui in Critica Historico-Chronologica ad annum* 1065 *ita notat :* A num. 50 ad 53 persecutio adversus Christianos in Saxonia excitata, quam Baronius hoc anno narrat, pertinet ad annum millesimum sexagesimum quartum, ut liquet ex Adamo Bremensi libro IV. Helmoldus in Chron. Slavorum lib. I, cap. XXIV et Krantzius in Wandalia libro III, cap. V, qui Adamum exscribere solet, eam perperam cum anno sequenti copulat, cum Adamus asserat, eam contigisse anno XXII Adelberti Archiep. Bremensis, sed eam accurate narrant. *Deinde iterum ex anno vigesimo secundo Adalberti Archiepiscopi (Baronius Mabilloniusque, ut supra vidimus, ad stabiliendam suam chronologiam eodem argumento utuntur) opinionem Baronii contendit evertere. Denique Helmoldum et Krantzium, qui cum* C *Henrici Quarti anno octavo hanc historiam conjungunt, erroris redarguit :* Anno enim sequenti, *inquit*, Henricus IV undecimum regni annum inchoavit. Quare persecutio hæc accidit anno MLXIV, quo desiit annus octavus Henrici, et incepit annus XXII Alberti archiep. etiam in Helmoldi et Krantzii sententia, qui Alberti initium cum anno MXLIII recte conjungunt.

Nos vero cum aliis illud anno 1066 contigisse putamus.

6 *Plures chronologi volunt, hos Slavicos tumultus anno* 1066 *contigisse. Pro illo anno aperte stat Helmoldus, qui lib.* I *Chronici Slavorum cap.* XXIV *ita diserte pronuntiat :* Accidit autem perturbatio hæc in Slavorum provincia anno post Incarnationem Domini millesimo sexagesimo sexto, anno regni Henrici Quarti VIII. *Albertus Stadensis, qui floruit anno* 1256, *in suo Chronico ad annum* 1066 *post narratum Godeschalci et Ansueri martyrium aliasque turbas ita concludit :* Igitur expulsio archiepiscopi et mors Godeschalci anno Henrici regis octavo, Archiepiscopi XXII, præsenti anno Domini contigit. *Baronius et Mabillonius hos quidem auctores deserunt, imo Pagius Helmoldum errasse* D *rotunde edicit. Malim ego, quamdiu aliunde non urget manifesta ratio, scriptores illos sinceritate et antiquitate venerabiles secum conciliare, et hanc Slavicam adversus Christianos barbariem anno Christi* 1066 *consignare. Quin imo Adamum Bremensem, qui ob loci temporisque viciniam, res gestas perspectas habere potuit, opinioni meæ favere contendo. Quod vere pertinet ad Saxonicum Mabillonii Chronicon, antiqua manu descriptum, quo Slavica hæc rabies anno* MLXV *expresse narratur; ei oppono chronicon Lubecense, quod Meibomius tomo* II *Rerum Germanicarum edidit, ubi pag.* 394 *hæc habentur :* Sub isto etiam Ezone Slavi, facta conspiratione, iterum relapsi a fide, presbyteros et Christianos lapidabant et mactabant anno Domini MLXVI. *Addo etiam Chronographum Saxonem a Leibnitio, ut supra dixi, primo typis editum, qui Codeschalci et Ansueri cædem* anno Domini MLXVII, Henrici Quarti XI *constituit. Quamvis is auctor sententiam nostram non teneat, tamen a Baronii, Mabillonii, Pagiique opinione magis quam a nostra discrepat. Jam sententiæ nostræ fundamenta ponamus.*

E

Opinionis nostræ fundamenta ponuntur

7 *Magister Adamus, quem adversarii, quamvis inter se dissidentes, tamquam opinionis suæ patronum utrimque citant, postquam lib.* IV, *Hist. Eccles. cap.* VIII, *et sequentibus motas contra Archiepiscopum suum turbas et mortem Godeschalco Ansueroque a furentibus Slavis illatam enarrasset, cap.* XXIII *ita concludit :* Igitur expulsio Archiepiscopi et mors Godescalci uno fere anno contigit, qui est pontificis XXII. Hæc est Slavorum tertia negatio, qui primo facti sunt a Carolo Christiani, secundo ab Ottone, tertio nunc a Godescalco principe, et nisi fallor, hæc mala nobis ventura signavit ille horribilis cometa, qui ipso apparuit anno circa dies Paschæ. *Lambertus Schafnaburgensis scriptor etiam coævus in suis Annalibus ad annum Christi* 1066 *narrat sequentia :* Facto mane infensis adeo animis omnes in archiepiscopum *(nempe Adalbertum, de quo agit)* coorti sunt, ut nec manibus temperassent, nisi regia majestas vix et ægre iracundiam cohibuisset. Contumeliose itaque ejectus est de curte regia cum omnibus tyrannidis suæ fautoribus. *Tum interpositis quibusdam, eodem anno* 1066 *sic prosequitur :* In festis Paschalibus per quatuordecim F fere noctes continuas cometa apparebat. *His tamquam pro fundamento præmissis, adversariorum objectiones solvamus.*

et adversariorum objectiones

8 *Baronius loco supra citato ex Adamo Bremensi refert, seditionem illam Slavicam contigisse anno Adalberti archiepiscopi* XXII. *Dein ait, Adalbertum aut Albertum (utrovis nomine appellatur) creatum fuisse archiepiscopum anno Christi* MLXIII; *atque hinc infert Slavicam istam persecutionem collocandam esse anno Domini* MLXV, *cum ille annus Christi concideret cum anno Adalberti archiepiscopi vigesimo secundo. Constat quidem ex Adamo Bremensi decessorem Adalberti obiisse anno* MXLIII *circa diem* XVII *Kal. Maii, Indictione* XI. *At discere cupio, unde constet Adalbertum eodem anno ei successisse, aut saltem ab eo tempore archiepiscopatus sui annos numerare cœpisse. Ad id dicendum me movet diploma ipsius Adalberti de fundatione Gozecensis monasterii, quod inter* Privilegia Archiecclesiæ Hammaburgensis *post Adami Historiam Ecclesiasticam impressum invenio, ubi in fine hæc leguntur :* Dat. III Kal. Octob. anno Incarnationis Domini MLIII Indictione

Indictione III, episcopatus Domini Alberti archiepiscopi anno VIII. Actum Gozeka in Christi nomine feliciter. Amen. *Facto computu, sequeretur Adalbertum tantum dignitatis suæ archiepiscopalis annos numerare ab anno Christi* 1045, *quo etiam anno illum Altbrando successisse scribit Lambertus Schafnaburgensis.*

... Adalberti archiepiscopi.

9 *Fateor in aliis ejusdem præsulis diplomatibus annos aliter numerari, ut patet ex diplomate fundationis cœnobii Rastandensis, ubi in fine sic legitur :* Data anno Incarnationis Dominicæ MLIX, Indictione XII, III Idus Septemb. Ordinationis vero ejusdem Reverendissimi archiepiscopi Adalberti XVI. *Hic ordinatio ejus indicatur facta anno* MXLIII. *Propter hanc variam computandi rationem in his diplomatibus occurrentem, suspicor hujus archipræsulis annos a scriptoribus diversimode numeratos fuisse, quemadmodum fit in annis Henrici Quarti, uti statim videbimus. Forte aliqui eos a nominatione, alii a confirmatione aut consecratione, vel simili quadam circumstantia, nobis hactenus ignota, cœperunt computare. Sed his missis, quid vetat* XXII *Adalberti annos completos accipi, qui ab anno* 1043 *usque ad annum* 1066 *omnino effluxerint, non computatis duabus extremis annorum partibus?*

et regis Henrici IV annis desumpta diluuntur.

10 *Idem fere observandum est ad componendam Slavicam adversus Christianos persecutionem cum anno Henrici Quarti octavo. Nam Germanicæ historiæ vel tantillum peritis notum est, eos annos Henrici Quarti diverso modo numerari. Aliqui eos inchoant ab anno* 1054, *quando, teste Lamberto Schafnaburgensi,* consecratus est in regem Aquisgrani ab Herimanno Coloniensi archiepiscopo. *Alii ab anno* 1056, *quando, teste eodem Lamberto,* regnum pro patre obtinuit filius ejus Henricus, quinque annorum infantulus, anno postquam in regem unctus fuerat, tertio. *Sed cum eo tempore mater ejus regnum filii loco administraret, plures chronologi ab anno sequenti* 1057, *Henrici Quarti regnum numerare incipiunt. Certe Chronographus Saxo jam aliquoties laudatus hunc ponit titulum :* Annus Domini MLVII, Henrici Quarti I. *Deinde ita inferius scribit :* Henricus Quartus, Henrici Imperatoris filius admodum puerilis patri succedens regnare cœpit. *Albertus Stadensis in suo Chronico ita diserte loquitur :* Anno Domini MLVII Henricus Quartus, Henrici Imperatoris filius, LXXXVII ab Augusto, regnare cœpit, et regnavit annis XLII. *Annales Hildeshemenses a Leibnitio inter scriptores Rerum Brunswicensium tomo* I *editi sic habent pag.* 731 : Anno Domini MLVII Ind. IX Henricus filius Henrici Imperatoris admodum puer regnare cœpit. *Si postremam hanc epocham sequamur, et modo supra dicto anni sumantur completi, patet, ab anno* 1057 *usque ad* 1066, *octo annos completos transiisse, atque ita hunc Slavorum tumultum potuisse contingere anno Henrici Quarti octavo completo. Ex dictis saltem liquet, hos annos pro varia computandi ratione valde incertos esse, atque ob unius alteriusve anni discrimen Helmoldum, Albertum Stadensem, aliosque scriptores veteres certum annum assignantes, non statim erroris esse arguendos. Novi quidem in quibusdam diplomatibus alios annos figi; sed cum in eorum Indictiones (forte etiam in numeros) menda irrepserint, talium diplomatum testimonia etiam opinioni meæ faventia non magni facio. His itaque in medio relictis, unicum objicio argumentum, cui ab adversariis satisfieri desidero.*

Unum argumentum adversariis solvendum proponitur

11 *Conveniunt omnes a me hactenus citati historici et chronologi, anno ab Incarnatione Dominica* 1066 *circa festa Paschalia apparuisse cometam. Id ipsi adversarii non diffitentur : Baronius enim in Annalibus ecclesiasticis hunc annum ita incipit :* Millesimus sexagesimus sextus sequitur Christi annus Indictione quarta, idemque comete insigni a chronographis consignatus Latinis pariter atque Græcis historicis. *Pagius vero ad eumdem annum* 1066 *citatis Sigonii verbis, hunc cometam describentibus, historicum illum hoc signo cœlesti erroris convincere conatur :* Quibus ex verbis, *inquit,* eruitur, bellum hoc ad præsentem, non vero ad præcedentem annum, ut perperam Sigonius lib. 9 hist. de Reg. Ital., pertinere : hujus enim cometæ varii scriptores meminere, eumque hoc anno apparuisse scripsere. *Liceat mihi idem argumentum in Pagium Baroniumque retorquere : nam Adamus Bremensis post Slavicam devastationem, Martyrum cædem, aliasque turbas fideli narratione expositas lib.* IV, *cap.* XIII *ita concludit :* Nisi fallor hæc mala nobis ventura signavit ille horribilis cometa, qui ipso apparuit anno circa dies Paschæ. *Possem hic alia adferre ad hujus argumenti confirmationem non parum facientia, quæ in ecclesiastica Adami Historia immediate sequuntur de sancti regis Eduardi morte, turbisque post eam in Anglia excitatis, quæ, ipsis adversariis fatentibus, anno Christi* 1066 *contigere. Sed hæc sufficere existimo ad stabiliendam nostram opinionem, quæ contendit,* S. Ansuerum *ejusque socios martyrii palmam probabilius anno* 1066 *adeptos esse.*

§ II. Actorum compendium, ex quo Sancti patria, vitæ professio, socii et reliquiæ examinantur.

Actorum compendium, in quo S. Ansueri patria,

Joannes Adolphus, Cypræus domo Slesvicensis, *anno* 1634 *Coloniæ Agrippinæ vulgavit Annales Episcoporum Slesvicensium, quibus inter alia inseruit satis elegans* S. Ansueri *elogium. In hoc Actorum compendio narrat quædam antiquis scriptoribus ignota, quæ post exhibitum hic prius istud elogium sigillatim discutiemus. Itaque lib.* I *dictorum Annalium cap.* XIX *sic scribit :* Answerus nobili genere prognatus, patre Oswaldo, equite strenuo, et matre Agnete, et quidem Slesvici in ædibus illis, quæ plateam (Caninam vulgo dictam) ingredientibus ad sinistram sese offerunt, quas nunc, quando ego hæc ad posteritatem transmitto, Bernhardus Soltow quæstor ducalis Gottorfiensis possidet; quemadmodum constanti fama ad nos perlatum est; annos natus quindecim, heres futurus paternorum bonorum, parentibus invitis et reclamantibus, totum se litterarum sacrarum studiis dedit; quæ tamen studia initio nascentis Ecclesiæ in his oris fere neglecta et contempta jacebant, etiamsi Slesvicum civitas Saxonum Transalbinorum, ut eam Helmoldus et alii nominant, opulentissima et populosissima esset.

vitæ professio,

13 Itaque relicta patria et parentibus, Raceburgum profectus, idque hortatu Rodulphi episcopi Slesvicensis, cœnobium S. Georgii ingressus

AUCTORE C. C.

ingressus est; ubi eo tempore inter paganos idolatras, monachi Ordinis Benedictini vivebant. Ubi cum plusculum temporis exegisset, Christianæ doctrinæ fundamentis perceptis, ad religionis professionem sese admitti petiit. Quod cum impetrasset, assumpto religioso habitu, tantos in studiis litterarum progressus fecit, ut inter viros doctos principem locum obtineret, vitæque sanctimonia et exemplo cunctis præiret. Sacris initiatus et ad sacerdotium promotus, totus contemplationi rerum divinarum, ardentibus precibus insistens, cor et corpus suum ferventi devotione in sacrificium Deo offerebat, et lacrymis litabat. Cumque monasterii abbas vel rector e vivis sublatus esset, ipse cunctis collegarum suffragiis, unanimique omnium voto ac desiderio, abbas creatus ac designatus fuit, nomen ac officium boni pastoris consecutus. In quo munere ita se gessit, ut magnam apud omnes laudem invenerit, ut qui gregem sibi commissum non tantum verbo, sed et exemplo erudiret et regeret. Collegas vero delinquentes et B peccantes ita correxit, ut nec rigore et asperitate eos plane pessumdaret, nec nimia facilitate eorum erratis indulgendo conniveret.

et martyrium describuntur

14 Sed et verbum Dei in Slavia, quæ nondum ad Christum conversa erat, publicavit et docuit, una cum collegis et fratribus, quos viginti octo fuisse memoriæ proditum est, et plurimos ad religionem convertit. Qua de causa in odium Slavorum primariorum, qui a religione Christiana abhorrebant, adductus, una cum collegis summo in discrimine aliquamdiu vixit, quoad Slavi, qui inveteratum dæmonum cultum aboleri nolebant, impetu in monasterium facto, Answerum una cum collegis comprehensos in monte non procul a monasterio sito apud Rinsberg lapidaverunt. Answerus veritus ne collegæ ipsius terrore supplicii fracti ac perterrefacti, religione abnegata, iterum deficerent, ab iis, qui eos lapidaturi erant, cum ad supplicium duceretur, precibus contendit, ut priusquam ipse lapidibus obrueretur, de collegis sumeretur supplicium, quo C fortitudine et constantia Christianorum martyrum male de religione sentientes pudore ac ignominia suffunderentur, certaque fide ac indubitata spe contra corona gloriæ brevi indipiscenda non exciderent collegæ, nec pusillanimitate sua Slavorum diffidentiam augerent, religionemque deridendam propinarent. Quibus trucidatis, ipse in genua provolutus, exemplo Stephani, Deo animam commendavit et tradidit magna cum hilaritate. Atque ita .... Idibus Julii martyrii decora sibi peperere. Quo die et eorum memoriam celebrarunt Majores nostri. Answeri brachium adhuc Stadii in ecclesia beatæ Mariæ exstare et conservari dicitur. Ad ejus sepulcrum cæcos visum recepisse et alia miracula edita esse virtute et clementia Servatoris nostri antiquitas memoriæ prodidit; quod nos ut constanti fama ac indubitata fide a majoribus ac progenitoribus nostris accepimus, ita ad posteros fide et vero transmittimus. *Hactenus Cypræus, cujus aliqua asserta, veterum auctorum testimonio destituta, jam examinabimus.*

Disquiritur S. Ansuerus an Slesvicensis

15 *Primo quidem Cypræus nobis* S. Ansueri *patriam, imo ipsam domum natalem assignat, quemadmodum constanti fama ad se perlatum esse asserit. Quidquid sit de hac fama seu traditione, in antiquis historicis nullum invenio hujus assertionis vestigium. Ecclesia quidem Slesvicensis in sacro Officio* S. Ansuerum *tamquam popularem celebrat his verbis :* Beatus Ansuerus nobili prosapia, videlicet ex patre Oswaldo milite strenuo, et matre Agneta progenitus, de civitate Slesvicensi fuit oriundus. *At in Breviario Raceburgensi, quod* S. Ansueri *Passionem describit, de illius patria plane siletur. In Actis vero nostris amplioribus tantummodo traduntur sequentia :* Ansuerus nobilibus propagatus parentibus festivam genealogiam duxit, utpote de patre nobili, milite strenuo Oswaldo et matre Agneta nomine, qui optimæ indolis, laudabilis opinionis et famæ bonæ exstiterunt, et vitam honestissimam actitabant. Idem Oswaldus inter Heydebo civitatem Yuciæ, quæ nunc Sleswich dicitur, et Holsatiam commoratus, tanta excellentia fuit præditus, ut plurimos milites et militares armigeros more vasallico suis possessionibus infeodaret. E *Nolo tamen propterea Slesvicansibus hoc patriæ suæ decus eripere ; sed mallem, ut istius civitatis incolæ Lutherana hæresi infecti, Majorum suorum exemplo* S. Ansuerum *tamquam popularem venerarentur, et sancti Monachi, quod nomen nunc tantopere contemnunt, fidem tenerent ac mores imitarentur.*

et monachus ex ordine S. Benedicti.

16 *Satis constat ex Adamo synchrono aliisque antiquis scriptoribus,* S. Ansuerum *fuisse monachum. At forte quis dubitabit, an fuerit ex Ordine S. Benedicti, uti asserunt Acta, Breviaria, Cypræus supra laudatus, aliique recentiores. Dubium oriri posset ex eo, quod veteres auctores, de* S. Ansuero *agentes, id nusquam diserte exprimant et interim varias Deo servientium congregationes enumerent. Adamus sæpe memoratus jam suo tempore post Slavorum conversionem, a piissimo principe Godeschaldo promotam, diversa Sanctorum virorum cœnobia exstructa fuisse significat his verbis libro tertio capite* XXII : Tunc etiam per singulas urbes cœnobia fiebant sanctorum virorum canonice viventium; item monachorum atque sanctimonalium, sicut ii testantur, F qui in Liubice, Aldinburg, Leontio, Razisburg, et in aliis civitatibus singulas viderunt. In magnopoli vero, quæ est civitas Obodritorum, tres Deo servientium dicuntur fuisse congregationes. *Caviclationem, quæ ex prætermissa Benedictini Ordinis expressione formari posset, Mabillonius sec.* VI *Sanctorum Ordinis S. Benedicti part.* II, *pag.* 156 *ita prævenit :* Porro non est, quod aliquis nobis objiciat, Ansuerum cum sociis Ordini nostro gratis annumerari : enim non solum censemus, quod eorum nomina in Martyrologiis tum Arnoldi Wionis, tum Hugonis Menardi, aut in Bucelini Menologio recenseantur; sed etiam quod certum sit, Hammaburgensem ecclesiam a nostris conditam et diu administratam, sobolem Benedictinam ad vicinas civitates et regiones, quæ ad ipsius curam pertinebant, propagasse. Nec facile quis sibi persuadebit, alios monachos præter Benedictinos tum temporis in illis partibus floruisse. *Plane acquiesco Mabillonii argumentationi, et judico varia cœnobia ab Adamo Bremensi memorata partim fuisse clericorum simul viventium, ut antiquitus fieri solebat,*

A *bat, partim Benedictorum, qui ab illorum temporum locorumque scriptoribus sufficienter per nomen monachorum designabantur, cum aliud monasticum institutum in his regionibus non agnoscerent.*

17 *Major dubitandi ratio est, an illi, quos* S. Ansuerus *habuit in Martyrio socios, fuerint monachi et ex Ordine S. Benedicti. Affirmant hoc passim recentiores, et Acta nostra aliaque incertæ ætatis et auctoritatis monumenta; sed apud veteres Saxoniæ scriptores de illorum vitæ professione altum est silentium. Has aliasque circumstantias primum expressas invenio in chronico Bremensi, quod ab Henrico Wolteri medio circiter sæculo decimo quinto scriptum typis dedit Henricus Meibomius tom.* II *Rerum Germanicarum, ubi pag.* 43 *habentur sequentia :* In diebus illis Gotschalcus princeps Slavorum interfectus occubuit, quos ad fidem convertere nitebatur. Etiam abbas Ansuerus venerabilis cum XXIX fratribus a Slavis prope Raceburg lapidati sunt ad mortem ipso die divisionis Apostolorum, quorum festum celebrat ecclesia Racepoli ipso die Arnulfi propter alia festa interve- B nientia in eadem ecclesia. Et de illis martyribus sic canit ecclesia : Pro nomine Christi digne inventi sunt isti hic pati cum consortibus, quos triumphans in patria nunc possidet ecclesia augentes cœlum sortibus. Et illos martyres Adelbertus fecit canonisari per quemdam suffraganeum in Receborg, annuente sibi Apostolico et sacro approbante concilio. Et canonizatione completa episcopus Raceburgensis misit brachium sancti Ansueri abbatis ad monasterium B. Mariæ Virginis extra muros Stradenses. *Trithemius lib.* III *de viris Illustribus cap.* CCXCIX *hic triginta martyres numerat, ac* S. Ansuerum *monasterii sancti Georgii prope* Rateborch *abbatem fuisse scribit : Krantzius in sua Metropoli lib.* III, *cap.* III *et lib.* IV, *cap.* XLIII *diversis phrasibus* S. Ansuerum *abbatem, et socios martyrii monachos fuisse innuit. Adde his Cypræum aliosque recentiores. Unde autem his circumstantias hauserint, nec ipsi indicant, nec nobis divinare promptum est. Forte eas colligunt ex incerto Chronici Slavici auctore a nobis supra citato, qui cap.* XIV *dicit,* Ansuerum *monachum Idibus* C *Julii* cum suis *Raceburgi lapidatum esse. Fateor hunc scriptoris satis antiqui textum recentiorum assertione favere, atque ex eo probabiliter colligi,* S. Ansueri *socios monachos et consequenter Benedictinos fuisse.*

18 *Veteres Slavicæ historiæ scriptores* S. Ansuero *quosdam martyrii socios attribuunt, sed determinatum eorum numerum non produnt. Adverto interim a Wione, Dorganio, Menardo et Bucelino triginta monachos* S. Ansueri *in sacro certamine socios constanter computari. In Actis Breviariisque Borealibus est quoddam in numero discrimen : nam in Breviario Slevicensi recensentur* XXVIII; *in Raceburgensi autem primum dicuntur* XXIX *sub* S. Ansueri *disciplina in monasterio vixisse; dein narratur, quod persecutores beatum* Ansuerum *cum* XXVIII *fratribus suis de habitationis loco ad mortem inferandam extraxerint, ac denique quod* XXVI *ex hac congregatione beatissima lapidati fuerint. Verum cum lectiones Raceburgenses integram martyrii historiam non contineant, tantum* XXVI *martyres primo impetu lapidatos numerant, duosque alios postea ante* Ansuerum *lapidibus obrutos omittunt. Quod satis patet ex verbis, quibus Officium in eodem Breviario sic concluditur :* O Ansuere vir nobilis cum quater septem sociis *etc. Defectum hunc supplent Acta nostra ex Ms. Gottorpiano postmodum danda, quæ post* XXVI *primo impetu saxis obrutos, deinde Joannem et Volquinum nominant, eosque postea eodem mortis genere affectos fuisse narrant. Hi duo itaque* XXVI *præcedentibus additi numerum* XXVIII *martyrum explent. Accedunt præterea in Actis nostris duo conjuges, qui, miraculis excitati, sese publice Christianos professi sunt, atque ideo etiam lapidibus obruti martyrii palmam obtinuisse dicuntur. Hinc forte Martyrologi Benedictini per errorem triginta monachos pro totidem martyribus acceperint. Utut est, ego non nisi* XXVIII *monachos* S. Ansueri *socios hactenus reperire potui. Nec plures invenit Cypræus, qui hunc numerum memoriæ proditum esse affirmat. Jam de sancti Martyris sepultura et reliquiis pauca dicamus.*

AUCTORE G. C.

Sepultura, translatio,

19 *Acta nostra num.* 20 *narrant, sacerdotem quemdam cum aliis Christianis corpus* S. Ansueri *inter inhumata sociorum corpora satis prodigiose agnovisse, illudque in saxea monasterii, in quo vixerat, crypta sepelivisse, conditis prius juxta locum martyrii aliorum martyrum corporibus, de quorum sepulcro aut reliquiis postea nec in Bre-* E *viariis nec in historiis fit amplius mentio. Deinde num.* 21 *dicitur, quod* S. Ansueri *corpus ab Evermodo Raceburgensi episcopo (obiit is anno* 1178*) honorifice in ecclesiam Raceburgensem fuerit translatum. Paulo ante hanc translationem fertur cæcus quidam per sancti Martyris intercessionem illuminatus fuisse. Idem, ni fallor, miraculum in quadam Actorum appendice, quam propter causas postmodum indicandas omisi, pluribus verbis repetitur. Ut autem lector illum miraculum cum eo, quod in Actis num.* 21 *describitur, conferre possit ac judicare, an sit ab illo diversum, istud ex dicta appendice excerptum hic oculis subjicio. Refertur igitur hoc modo :* Accidit autem quod cum dies et hora transvectionis hujus, sicut solitum est, divulgata esset, quidam cæcus, optans sibi spem consolationis, cupivit anticipare tempus exhumationis reliquiarum sancti Ansueri; accessit ad cœmeterium sancti Georgii, lento passu, velut cæci solent, segniter incedens; venit prope tumulum ejus, pedem graviter impegit in lapidem epitaphii sancti Martyris, et præ dolore angustiatus jacuit semi immobilis in loco offensionis F flens, et ejulans oravit Dominum dicens : O Domine Jesu Christe, si vera sunt hæc omnia, quæ de isto Ansuero referuntur, et si in conspectu tuo Sanctorum tuorum gaudiis est adjunctus, da mihi per merita ipsius, invenire gratiam tuam, ut ego lucem diei videre merear, et Martyris sanctimonia orbi clarius propaletur. Illico oculi ejus aperti sunt; laudans et benedicens Dominum Jesum Christum. Tunc continuo, ut prædictum est dominus episcopus prænominatus affuit, et per ordinem singula pro sanctarum reliquiarum reverentia honorifice consummavit. Et hoc miraculum de cæco omnibus, qui ibi affuerunt, manifestius elucebat.

et reliquiæ S. Ansueri

20 *Corpus* S. Ansueri *ineunte sæculo decimo sexto adhuc Raceburgi fuisse, videtur posse colligi ex Breviario Slevicensi, quod anno* 1512 *impressum sic tamquam de præsenti loquitur :* Gaude Ratzeburgensis ecclesia divinitus inspecta, a Deitatis clementia medullitus electa, quæ Sanctorum sanguine pulchre rubricaris, quorum nunc juvamine mire gubernaris. *Lectio-*

nes

uctore G. C.

nes vero ita concludit : Ad cujus sepulcrum cæci illuminati sunt, et multa miracula operatur clementia nostri Salvatoris. *An autem tempore, quo hæc scribo, etiamnum reliquiæ* S. Ansueri *supersint, aut ubinam exstant, non facile dixero, cum jam Luthærana hæresis, Sanctorum cultui inimica, regionem olim sancti Martyris sanguine irrigatam, et sacris ejus ossibus condecoratam occupaverit. Reliquias* S. Ansueri *non in sola urbe Raceburgensi conservatas, sed etiam alio transmissas fuisse constat ex Chronico Bremensi supra citato, ac præsertim ex Alberto Stadensi, qui in suo Chronico post narratum* S. Ansueri *martyrium ita scribit :* Hujus sancti Ansueri servatur brachium integrum apud Stadium in ecclesia beatæ Virginis. *Albertus Krantzius lib.* IV, *in Metropoli cap.* XLIII, *de iisdem pretiosis lipsanis meminit; sed non satis clare indicat, an ea usque ad suam ætatem illic permanserint, cum simul de eversa beatissimæ Virginis ecclesia sic obscure scribat :* Hujus sancti *(scilicet* Ansueri, *cujus gloriosum pro fide certamen antea narraverat)* brachium integrum servatur apud Stadium in ecclesia beatæ Mariæ nunc subversa, B prius Fratrum moribus eversis. *Hinc liquet non nimium fidendum esse Cypræo, qui, citato Krantzio, de reliquiis Stadensibus ita loquitur, acsi illæ anno 1634, quo scribebat, adhuc ibidem superstites essent. Plura ab hoc Cypræo in* S. Ansueri *elogio supra exhibito confidenter asserta possem in dubium revocare. Sed dum non profert ex antiquitate assertionum suarum testimonia, vix est operæ pretium hunc recentiorem scriptorem impugnare.*

§ III. Cultus, Officium et Acta.

S. Ansueri sociorumque cultus e Martyrologiis.

Q*uamvis ex dictis dicendisque satis manifestum sit,* S. Ansuerum *ejusque socios tamquam veros martyres jam dudum cultos fuisse, tamen more nostro etiam aliquot Martyrologos enumerabimus. Additiones Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum Idibus Julii sic* S. Ansuerum *cum sociis memorant :* In Racisburgo sunt a Wandalis infidelibus lapidati Asuerus monachus cum aliis multis pro Christi fide. *Tum* C *Usuardus auctus apud Molanum in Additionibus hoc die sic habet :* Answeri monachi cum suis in Ratilburg lapidati. *Ferrarius in Catalogo Generali Idibus Julii hanc profert annuntiationem :* Racelburgi in Vuandalia, S. Ansueri abbatis et martyris cum aliis multis. *Dorganius in Kalendario Benedictino sociorum numerum sic definit :* SS. Ansueri abbatis et aliorum XXX monachorum a Slavis pro Christi amore lapidatorum. *Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino sacri certaminis palæstræ numerum ita addit :* In Racezburg passio sanctorum martyrum Ansueri et triginta monachorum, qui a Slavis pro Christi fide lapidati sunt. *Similia habent Arnoldus Wion part.* II *Ligni Vitæ lib.* III, *pag. 225, et Bucelinus in Menologio Benedictino* XV *Julii, nisi quod hic posterior prolixius sancti Martyris elogium contexuerit. Quid de sociorum numero, ab his Benedictinis Martyrologis determinato, censendum sit, dixi paragrapho præcedenti.*

et Breviario Slesvicensi, in quo habet Officium proprium.

22 *Habemus in Museo nostro duo de* S. Ansuero *ejusque sociis diversa Officia. Unum in Breviario Raceburgensi, quod Illustrissimis ac Reverendissimus D. Joannes Parkentyn Raceburgensis episcopus vigesimus sextus anno 1506 Lubecæ imprimi jussit, et singulis, horas canonicas ex eo codice recitantibus, quadraginta indulgentiarum dies concessit, ut in fronte libri legitur. In Rubricis autem notatur, quod hoc festum solenniter celebretur cum Octava. Lectiones propriæ cum capite secundo Actorum nostrorum omnino conveniunt usque ad num. 17, ita ut hanc Actorum partem ex lectionibus, vel lectiones ex hac Actorum parte desumpta esse oporteat. Quare hic eas exhibere supervacaneum foret. Alterum de eodem sancto Martyre ejusque sociis Officium invenitur in Breviario Slesvicensi, in cujus præfatione Illustrissimus ac Reverendissimus D. Godschalcus de Alevelde episcopus Slesvicensis etiam omnibus, ex eo horas persolventibus, quadraginta dierum indulgentias largitur. Canonicis quibusdam expensas suppeditantibus, aliis studium et operam conferentibus, Breviarium istud* per venerabiles viros et magistros Wilhelmum Mercatoris et Thomam Kees civem in urbe Parisiensi impressum *est* e regione collegii Italorum . . . . sub anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo, *ut legitur in fine libri. Cum autem in hoc Officio* E *lectiones propriæ a Raceburgensibus differant, non abs re erit illud hic integrum exhibere. Sic eadem opera totum Officium Raceburgense habebimus : nam, ut jam dixi, lectiones propriæ Raceburgenses in Actis a num. 14 usque ad 17 ad verbum expressæ continentur; reliqua vero Slesvicensia præter lectiones cum hymnis, antiphonis, aliisque propriis Raceburgensibus plane concordant. Jam ipsum Officium ex Breviario Slesvicensi transcribamus.*

ex quo dantur quædam ad primas Vesperas.

23 *Antiphonæ in Primis Vesperis :* 1 Adesto Pater gloriæ nobis, ut victoriæ laudes tuorum martyrum digne possimus promere Ansueri et ejus sociorum. 2 Cordis ex secretario gens omnis symphonizat : nam in tormento vario Ansuerus stephanizat. 3 Cœleste viridarium jocunde tunc stipatur, cum felix per martyrium hic mundus irrigatur. 4 Avete sancti Martyres Ansueri comitiva ; orate, ne nos flebiles mors tangat recidiva. 5 Sancte Ansuere martyr Dei inclyte, cum tuis consortibus ora pro nobis quæsumus. *Capitulum de communi Martyrum.* ℟. Pange terra Holsaciæ nobilis et generosa : nam de tua F progenie prodiit rubens rosa Ansuerus, qui nobiliter ex te generatur, per quem ineffabiliter multa mirabilia Deus operatur. ℣. Ex cujus odoris fragrantia tota redundat Slavia. *Hymnus :* Sanctorum meritis. ℣. Lætamini. *Antiphona ad Magnificat :* Sanctus Ansuerus innocens ab infantia, mansuetus in pueritia, sobrius in adolescentia, secutus parentum vestigia, tantis virtutum moribus est adornatus, ut usque ad ætatem virilem, qua perfecte vixerat, propter suæ perfectionis culmen possit beato Job comparari. *Collecta.* Deus, qui beatum Ansuerum sociosque ejus gloriosissimo protomartyri tuo Stephano in passione coæquasti, concede propitius, ut eorum meritis et intercessionibus a tormentis perpetuis liberemur, et ad vitam perveniamus æternam. Per *etc.*

lectiones pro...

24 *Invitatorium, hymnus, aliaque ad Matutinum nil peculiare continent. Hic igitur tantum dabimus lectiones aliaque, quæ sunt propria. In primo nocturno.* LECTIO I. Beatus Ansuerus nobili prosapia, videlicet ex patre Oszwaldo milite

A milite strenuo, et matre Agneta progenitus, de civitate Slesvicensi fuit oriundus: ipso namque tempore, sicut ex Hamburgensi colligitur chronica, Slesvick civitas Saxonum Transalbianorum, quæ sita est in confinio Danici regni, opulentissima atque populosissima ex improviso paganorum incursu funditus est excisa. Tu *etc.* ℟. Ansuerus sprevit scoriam terrenæ dignitatis, ut usurparet gloriam cælestis civitatis. Dereliquit patriam [in] juveñtutis flore, adeptus castimoniam sub Benedicti more. ℣. Elegit abjectus esse in domo Dei sui, magis *etc.* Lectio ii. Hic beatus Ansuerus cum xv esset annorum, et hereditatis paternæ speraretur futurus heres, parentibus invitis, litterarum anhelavit studiis erudiri. A' patria igitur et a parentibus discedens, declinavit viam suam, bono duce spiritu, ad cœnobium sancti Georgii in Ratzeborch, in quo tunc temporis inter paganos idololatras degebant monachi Ordinis sancti Benedicti. Tu *etc.* ℟. Ut rosa vel lilium constipat viridarium, sic æquali forma per Oswaldi filium fulcitur monasterium sub B Benedicti norma. ℣. Sicut novellæ plantationes *etc.* Lectio iii. Consideratis vero mundi blanditiis, quæ nullum durabile præstant subsidium, aliaque fortunæ secularis despiciens, prædictum adiit monasterium et ferventi desiderio ad religionem se recipi postulavit. Deo itaque volente, qui omnia, quæ vult, facit et disponit, postulata faciliter impetravit. Tu *etc.* ℟. Eia Rachel sponsa Christi, militans Ecclesia, quæ tot proles edidisti, quot ad cæli gaudia animas tu transtulisti per tormentorum genera, quorum neces tu, flevisti per sancta desideria. ℣. Filii tui sicut novellæ olivarum *etc.*

et secundi Nocturni:

25 *In secundo Nocturno.* Lectio iv. In eodem autem monasterio habitu indutus religioso, proficiebat super coævos suos, qui secum scholis inerant, tam litterarum studiis quam virtutum exercitiis. Ad sacerdotium denique promotus, mira devotione contemplativus, lachrymosis orationibus insistens, cor et corpus suum sedule Deo in sacrificium offerebat. Et inter Missarum solennia, crebra meruit revelatione divina consolari. Tu C *etc.* ℟. In patrem dum eligitur Ansuerus, vir discretus ex hoc non erigitur in corde, sed mansuetus in pietatis opere permansit indefessus. Quod docuit summopere [præ] aliis est aggressus. ℣. Hic accipiet benedictionem a Domino *etc.* Lectio v. Tandem dicti monasterii abbate defuncto, concordi Fratrum electione sanctus Ansuerus abbas effectus nomen et rem boni pastoris est assecutus: rexit namque gregem sibi commissum verbo et exemplo. Delinquentes fratres ita correxit, ut nec nimis rigidus eos subverteret, nec præter modum remissus eos in errore confoveret. Tu *etc.* ℟. O sacratissimi amatores Trinitatis Deificæ; Abraham in montis radice tres viros vidit et unum adoravit. Sic Ansuerus ex uno ore tres simul et semel emisit melodias. ℣. Abraham vidit tres viros *etc.* Lectio vi. Cum ergo sanctus pater Ansuerus cum xxviii fratribus suis verbum Dei fiducialiter per Slaviam prædicaret, et plurimos ad fidem converteret, indignati magnates ipsos in monte, non remoto a monasterio lapidaverunt. Sanctus Ansuerus, cum ad passionem veniret, supplicavit persecutoribus, ut prius socii, quos deficere metuebat, lapidarentur. Quibus coronatis, ipse gaudens cum beato Stephano genua posuit, et ipsius patrocinia invocans, lapidatus animam reddidit suo creatori; ad cujus sepulchrum cæci illuminati sunt, et multa miracula operatur clementia nostri Salvatoris. Tu *etc.* ℟. Sicut nón potest civitas in montibus celari, sic et nequit sanctitas in Sanctis occultari. Hoc in Ansuero panditur sancto sufficienter, cui de cælo mittitur virga non latenter, in cereumque vertitur valde competenter. ℣. A Domino factum est istud *etc.*

AUCTORE G. C.

item propria ex tertio Nocturno. Laudibus et secundis Vesperis.

26 *In tertio Nocturno omnia dicuntur de communi præter hæc Responsoria, quæ sequuntur.* ℟. O militantis Ecclesiæ capitanei fortissimi, o triumphantis militiæ phaleratores doctissimi, sancte Ansuere cum tuis sociis hos precibus vestris defendite, quos in vestro servitio humiliter cognoscitis permanere. ℣. Apud Christum patrociniis vestris adjuvemur semper. Quos *etc.* ℟. Ex terrenis inquilinis fiunt cives cælici, dum necantur a lupinis viris viri angelici, per quos Slavi sunt doctrinis docti E roris mellici, et erepti a latrinis carceris Eumenici. ℣. Vindica Domine sanguinem *etc.* ℟. Eia vos triumphatores pro nobis intercedite, et perversitatis mores in nobis corrigite; ut adjutos vestra prece Deus creator omnium, et ablutos ab hac fece perducat in empyreum. ℣. Apud Christum vota nostra promovete precibus. Ut *etc.* *In Laudibus etiam nihil peculiare occurrit præter hymnum sequentem et Antiphonam ad* Benedictus.

Rex gloriose martyrum, remunerator omnium,
Qui Sanctos per martyrium perducis in empyreum.
Rubescit in Slavonia flos, quem divina gratia
Extraxit ex Holsatia, quem trivit gens incredula.
Hic in pueritia subjecit cuncta vitia,
Sub Benedicti regula vixit in castimonia;
Quod experiens æmulus castitatis diabolus,
Hunc contra Sanctum stimulis tumultuavit plurimis.
In abbatem eligitur, quod vir justus renititur;
Sed victus prece populi suscepit jugum Domini. F
Trinitati sit gloria, per cujus beneficia
Ansuerus his cum sociis tantis claret miraculis.

Hymnus hic deest in Breviario Raceburgensi; sed in utroque sequens Antiphona ad Benedictus legitur : Gaude Ratzeburgensis ecclesia, divinitus inspecta, a Deitatis clementia medullitus electa, quæ Sanctorum sanguine pulchre rubricaris, quorum nunc juvamine mire gubernaris. *In secundis Vesperis omnia recitantur, ut in Primis, excepta Antiphona ad* Magnificat, *quæ sic habet :* Mirantur cives cælici et spiritus tartarei stupent, quod hæc fragilis natura sit tam agilis, quod cum tanta gloria in passionis victoria ad cæli transit gaudia. O Ansuere vir nobilis cum quater septem sociis pro nobis preces fundere velis et intercedere, quod annuis devotionibus tua festa recolimus, *Hactenus Officium Slesvicense, quod cum Raceburgensi collatum hinc inde correxi, et pauca uncis [ ] inclusa ex eodem Raceburgensi supplevi. Nunc de Actis amplioribus statim hic subjungendis nonnulla præmoneamus.*

27 *Possidemus*

Acta conf. G. C. De Actis Mss in codice Bodecensi

27 *Possidemus tria Mss. Actorum exemplaria. Primum descriptum est ex Passionali Ms. pergameneo cœnobii Bodecensis in diœcesi Paderbornensi, quod P. Joannes Gamansius Societatis nostræ sacerdos, et numquam satis laudandus Operis nostri promotor anno* 1641 *ad Majores nostros transmisit. In hoc exemplari omnia cum duobus aliis Mss. mox memorandis quoad substantiam conveniunt, nisi quod huic soli Bodecensi exemplari præfigatur ineptum quoddam prœmium. Ne autem istud temere hoc epitheto compellasse videar, illud ipsum lege et judica. Sic habet :* Ansuerus dicitur ab ana *(intellige Græcum adverbium* ἄνω*)* quod est sursum, et sequens et verus, quasi sursum verum sequens ; vel Ansuerus dicitur superiorem sequens veritatem et illam veritatem, de qua Joannes ait : Ego sum via, veritas et vita. Hanc viam sanctus Ansuerus secutus est in pueritia ; veritatem in Religione sancta ; vitam post mortem suam nunc in æterna gloria. Johannes interpretatur gratia, vel in quo est gratia, qui gratuita gratia et bona fama hujus vitæ mortem cum protomartyre meruit pretiosam. Volquinus interpretatur volens et quinus, quasi voluntatem habens ad B quinque, videlicet quinque vulnerum Christi, vel ad quintuplicem denarium, de quo Augustinus in libro de civitate Dei, ubi sic dicit, quod hoc quintuplici denario emis sive comparas tibi, scilicet paupertate regnum, dolore gaudium, labore requiem, ignominia gloriam, morte vitam, quod hi tres simul Sancti cum ipsorum sociis sunt fideliter et constanter assecuti. *De hac contorta nominum interpretatione fortasse plus quam satis.*

et Gottorpiano,

28 *Habemus præterea duo Mss. eorumdem Actorum exemplaria ex Ms. codice Gottorpiano desumpta, quorum unum alteri, ut ovum ovo, est simile. Cum iis etiam convenit supradictum Ms. Bodecense, exceptis quibusdam variationibus, quas ad marginem annotabo et, ubi opus fuerit, in contextu uncis [ ] includam. Mabillonius nullum ex his Mss., imo ne Breviaria quidem impressa videtur habuisse, siquidem de his Martyribus scribens nullorum Actorum meminit. Nos ea dabimus ex duplici Mss. Gottorpiano, quod cum Ms. Bodecensi, ut jam dixi, collatum est. Resecui tamen appendicem quamdam in omnibus exem-* C *plaribus post Acta positam, et tetricis tautologiis confusisque parergis plenam : in ea enim refertur apparitio præcipuorum ex ea societate Martyrum, qui devotæ cuidam mulieri passionis et sepulturæ suæ circumstantias jam antea in Actis explicatas iisdem pene verbis narrant, et ab ea corporum suorum manifestationem fieri postulant. Omnia autem adeo obscure et perturbate illic repetuntur, ut hujus appendicis auctor (utrum sit idem, qui Acta composuit, nescio) hanc somniando scripsisse videatur.*

deque ignoto eorum auctore fertur judicium.

29 *Jam vero quid de reliquis Actis judicandum sit, vix ipse scio. Imprimis a quo, et *quo tempore conscripta sint, ne per conjecturam quidem assequi possum. Scriptorem eorum saltem diu post* S. Ansueri *sociorumque martyrium vixisse, ex eo constat, quod in Actis S. Bernardi sententiam producat. Deinde historiæ et chronologiæ parum peritus fuisse videtur : nam Evermodum vocat primum episcopum Raceburgensem, cum tamen Adamus Bremensis lib.* III *hist. Eccles. cap.* XXIII, *jam suo tempore ab Adalberto archiepiscopo præsulem datum fuisse testetur ecclesiæ Raceburgensi* Aristonem quemdam ab Hierosolymis venientem. *At, cum *sedes Raceburgensis post hunc Aristonem diu ob* D *tumultus vacaverit, forte Evermodum a cathedræ restauratione primum intellexerit. Sit ita ; per me licet. Sed non tam facile condonare possum crassum errorem chronologicum, quem in figenda Ansuerianæ mortis epocha committit ex his verbis num.* 13 *circa finem :* Post hæc dictus abbas Ansuerus cum XXVIII monachis, circa annos Domini millesimum et centesimum vel amplius a paganis in monte non remoto a monasterio sunt lapidati. *Ex dictis paragrapho primo liquet, scriptorem Actorum plus quam triginta annis a vera martyrii epocha aberrare, quod etiam indicio est, illum temporibus illis non fuisse vicinum. Displicet mihi, uti alias simili occasione in Actis nostris indicatum est, auctoris narratio de* S. Ansuero *ante mortem orante sic posita num.* 19 : Qui supplices ad Dominum fundens preces oravit, ut statim post incinerationem pro fidei corroboratione suæ invenirentur reliquiæ, et quicumque in eorum necessitatibus ipsorum Martyrum patrocinia invocarent, Dei misericordia et eorum meritis exauditionis gratiam reportarent. *Sunt et alia quædam, quæ utrum sine noto et idoneo teste admittenda* E *sint, discreti lectoris judicio relinquo. Jam accipe ipsa.*

ACTA

Auctore anonymo.

Ex duobus Mss. Gottorpianis cum Ms. Bodecensi collatis.

Caput I. *S. Ansueri natales, adolescentia, vita monastica et virtutes.*

S. Ansuerus nobili stirpe natus

Ansuerus nobilibus propagatus parentibus festivam genealogiam duxit ; utpote de patre nobili, milite strenuo Oswaldo, et matre Agneta nomine, qui optimæ indolis, laudabilis opinionis, et famæ bonæ extiterunt, et vitam honestissimam actitabant. F Idem Oswaldus inter Heydebo *a* civitatem Yuciæ *b*, quæ nunc Sleswich dicitur, et Holsatiam *c* commoratus tanta excellentia fuit præditus, ut plurimos milites et militares armigeros more vasallico suis possessionibus infeodaret *d*. Mater vero tam sanctæ conversationis extitit, ut multos bonis exemplis, verecundis et decentibus moribus adornaret quod postea in filio prædicto optime pertinuit *. Cum soboles solent progenitorum et parentum vestigia interdum imitari, secundum id : Sæpe solet similis filius esse patri. Et : Lætitia matris filius est sapiens. Quod sanctus Ansuerus [fuit,] qui in infantia innocens, et in pueritia mansuetus, et in adolescentia sobrius usque ad virilem ætatem quasi perfectus vixit *. Qui secundum hoc culmen passuum idem * posset Job sancto comparari ; de quo scriptum est : Vir simplex et rectus, ac timens Dominum, et recedens a malo ; et temporibus successivis, adornatis moribus, prout jam dictum est, et melius dicetur inferius, imitatus.

* al. patuit

* al. quasi perfecte vixit

* al. recte

2 Sanctus

parentes deserit.

2 Sanctus autem Ansuerus germanum fratrem seniorem habuit, qui parentum domicilium deserens viam longinquam pro bonis transitoriis acquirendis, et ut placeret seculo, est profectus; nec ipsum parentes ejus, quia ad ipsos minime rediit, heredem sive superstitem habere penitus voluerunt *. Junior vero Ansuerus, cum tunc esset [trium] lustrorum, id est xv annorum, omnipotentis et misericordis Dei edoctus salubri consilio, quamvis tenerrime dilectus a parentibus, ita ut suarum possessionum sperarent heredem, et paternæ militiæ successorem, iisdem invitis parentibus, anhelabat litteralibus studiis erudiri, fingendo se volentem quemdam avunculum suum ratione propinquitatis visitare, declinavit viam suam, ducente bono Spiritu, ad cœnobium sancti Georgii martyris in Racipolim, in quo tunc temporis degebant inter paganos infideles monachi Ordinis sancti Benedicti.

* al. valuerunt

et ad monasterium S. Georgii divertit, c

3 Confit e in itinere, quod, mentaliter sua disposita voluntate, cum in stratu suo quiesceret, vidit somnium, quod in eodem B loco, quo tenderet, quandoque curam primi regiminis deberet solicitus gubernare, et Deo, cui servire regnare est, usque ad consummationem vitæ inibi famulari. Expergefactus volvit et revolvit inter se hujusmodi somnii interpretationem, et contrectans eam animo supra modum hilari, juvenilem postponens adolescentiæ lasciviam, quæ tamen sibi non infuit, omnem deserens mundialis vitæ concupiscentiam, concepit ferventer sanctæ et religiosæ vitæ propositum, quo mereretur efficative * vitam consequi sempiternam. Consideratis vero mundi blanditiis, quæ nullum durabile præparant * subsidium, aleam fortunæ secularis contemnens et omnino despiciens, præfatum monasterium sancti Georgii adiit, et ferventi animo et desiderio, verbis melliflue dulcibus sibi divinitus inspiratis, animum abbatis pulsans, ad religionem se recipi petiit, et Deo volente, qui omnia bona quæcumque vult facit et disponit et inspirat, faciliter impetravit.

* al. effective

* al. præstant.

in quo vitam monasticam professus,

4 In eodem autem monasterio indutus habitu monastico, exultans ovanter satagebat C imbui non solum litteris et litterarum studiis, sed etiam quomodo placeret ei, qui dat divinam et humanam scientiam omnibus eam pie petentibus affluenter; sicut dicit Jacobus in canonica sua: Si quis autem hæsitaverit etc. Proficiebat super coævos suos [qui secum] scholis inerant, et ab abbate commendatus cuidam seniori, qui ipsum informaret instrueretque vitam monasticam, quam professus fuerat, quomodo fugeret dissolutiones et insolentias faciendorum, et conformaret se voluntatibus fratrum suorum, majores honore præveniens, et sibi coæqualibus et comparibus conformiter obtemperaret; hæc omnia tam sedule, tam humiliter, et tam mansuete adimplens, quod omnes monachi ad plenum non sufficiebant admirari. Et interim se humiliavit, quod postea sodales sui ductu spiritus * superbiæ ipsum pro rudi et stolido fatuo tenuerunt.

* al. ducti spiritu

patientiam

5 Ipse vero gratias agens Deo æmulos suos vultu amabili, favore caritativo est ferventius prosecutus. Tanti namque pudoris boni, et verecundiæ virtuosæ extitit, quod si incusatus de aliquo, quod tamen se numquam meminit perpetrasse, rubor faciei affectum cordis profitens prætendebat. Sicut beatus Bernardus in libro de diligendo Dominum dicit. Verecundia cum sit virtus, quæ omnibus ætatibus, temporibus et personis congruat, maxime tamen innoxiales animos * decet. In timore etenim Domini tam timide se tenuit, et tam humilem sub disciplina sui rectoris simili modo gessit, ut idem suus didascalus pro deliro et amente suspicaretur, quod tam patienter se haberet. Cum etiam de scholis mancipatus, et ad sacerdotium provectus esset, sustinuit, ut bene viro forti posset comparari; sicut scribitur: Melior est vir patiens viro forti, [et] qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.

EX MSS

* al. juveniles personas

aliasque virtutes exercet,

6 Fuit etiam interna devotione crebrius contemplatus *, et ut melius orationi devote posset insistere, elegerat sibi locum extra monasterium non remote, in quo cor et corpus lacrymosis deprecationibus, quando tempus habere poterat, mactavit. Ex quo sæpius accidit quod horam refectionis tam in prandio quam in cœna non captavit. De quo E fratres sibi quandoque molesti seniori suo ejus absentiam impegerunt. Unde senior provocatus in singulis suis factis ipsum suspectum habuit, et plura scrutinia per internuncios contra ipsum, ut quæcumque facta sua examinarentur, fieri mandat. Sed Deus consolator omnium in se sperantium, suos devotos confundi non permittit, sicut legitur: Quis enim speravit in Domino, et derelictus est?

* al. contemplativus

quæ cælitus

7 Inter alios scrutatores quidam scholaris, nomine Oswaldus, quem Ansuerus propter æquivocationem primi * nominis multum diligebat, inter Missarum solennia vidit, divina gratia concedente, sanctum Johannem * eremitam astare sancto Ansuero, dum sacramenta Corporis dominici offerret, et secum levare sanctam Eucharistiam in signum victoriæ, quod sanctus Ansuerus omnium suarum persecutionum, quas *, ut prædictum est, victor existere deberet. Sicut legitur de Moyse, quod quandoquidem elevatis manibus ad Dominum pro Israëlitico populo oraret, victoriam a Domino impetrarat. Prædictus scholaris, permittente Deo, aliam vidit visionem; F Dominum [scilicet] in specie delicatissimi pueri cum manibus tangentem coronam capitis sancti Ansueri, cum post Missam ante altare, ut solitum est, gratias completi officii prostratus redderet, prospexit; et sæpius a confratribus suis, quibus hoc concessum extitit, visum fuit, [fuisse] angelum Dei sub habitu suo secum deambulantem in signum gubernationis angelicæ, sicut psalmus [ait:] Angelis suis etc.

* al. paterni.

* al. evangelistam

* supple sustinuit,

incredulis fratribus manifestantur.

8 Et cum seniori didascalo suo revelata fuerunt, fidem adhibere dedignatus est, et coram abbate et capitulo delatus est, pro suis insuetis moribus inculpatus *f*. Alia quoque vice, absente abbate, quidam vana et inania [protulerunt, et] inflixerunt sibi acrem pœnitentiam. Quidam autem ex eis ipsum non judicaverunt, sed innocentem et immunem a delicto asseruerunt. Et alii quidam in sua pertinacia pedurantes, sic sunt ictu tonitrui attoniti, quod vix evaserunt, et qui prius ipsum ab officio sacerdotali removerant, ipsum,

f

EX MSS.

sum, ut vellet resumere, petierunt. Inter has vexationes et tribulationes non desiit venerari multis suspiriis et singultibus flebilibus Dominum, et sacrosanctam virginem Mariam, quam quotidie specialibus orationibus venerabatur. Unde contigit, ut sancta Dei Genitrix (in testudine eminebat super quoddam altare dicti monasterii sancti Georgii) sibi appareret multarum gemmarum fulgoribus coronata; quæ ut sibi visum fuit, quamdam gemmam pulcherrimam ejusdem coronæ suo capiti inseparabiliter imprimebat.

Miraculo probatur ejus pietas,

9 Fuit præterea sanctæ et individuæ Trinitatis verissimus amator, quod notabiliter probatur ex eo, quod quidam confrater suus in ægritudine positus, scholarem suæ religionis ministrantem sibi habuit, qui devotionis causa, opportunitate sibi præstita, monasterium introivit, et cum frequentius similia similibus congaudeant, exultanti animo vidit sanctum Ansuerum contemplationi devotissime insistere, et demisso capite imaginabiliter incedere, de quo idem minister fuit plurimum emendatus et bono spiritu ductus,
B audivit ipsum melodiam dulcissimam voce triplici vocaliter et dulciter decantare, nimiumque stupefactus, celeriter appropiare cupiens, ut quos audivit, tres inviseret. Cum in eo sensus defecit, certior videlicet quia solum vidit, et tres audivit.

erga sanctissimam Trinitatem.

10 Ex quo colligitur, ipsum fuisse præcipui doctoris Augustini fidelissimum imitatorem, qui in Trinitate tres personas et unam essentiam prædicavit, quod soli Deo notum est et homini assumpto, sicut scribitur per eumdem; Trinitas sibi soli nota est. Sanctus Abraham, sicut in Genesi legitur, tres vidit et unum adoravit. Hic minister unum vidit, tres audivit. Et [sic] uterque sanctæ Trinitatis est professor, videlicet Patriarcha Trinitatis in unitate, et minister unitatis in Trinitate. Et de hoc triplici cantu solius personæ sancti Ansueri congruenter perpende, quod sicut aurora diei in dulci concentu est auribus lætificativa, sic sancti Ansueri vox dulcisonans tripliciter audita est suis confratribus et omnibus Christi fidelibus fidei sanctæ Trinitatis prænunciativa, sicut scribitur,
C Justus meus ex fide vivit. Et alibi in verbo Sapientis: Justi recordatio, est pigmenti compositio, et dulcis ut mel et ut musica in convivio vini.

Fit abbas monasterii,

11 Tandem, dicti monasterii abbate mortuo, fratres pro electione novi patris convenerunt, et in Dei nomine omnes unanimiter in Ansuerum concordarunt, et est adimpleta visio, quam vidit in via sui introitus. Et hæc mutatio dextræ Excelsi, qua omnia tam in vita quam in morte sunt sibi in bonum laudabile commutata. Cum autem rem et nomen boni pastoris est assecutus, rexit gregem sibi commissum verbo et exemplo, videlicet virtutibus et sanctis operibus, fide, spe, et caritate. Nam in fide imitatus est sanctum Abraham, spe sanctum Simeonem, charitate ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, qui pepercit peccatoribus, ipsos patienter tolerans, et eorum pœnitentiam exspectans.

in quo munere severitas ejus lenitate temperata,

12 Unde accidit, ut quemdam monachum enormiter delinquentem sanctus Ansuerus abbas ejus pro suo delicto, exigente justitia, corrigere debuit. Ipse vero attendens, quod justitia virtus est, quæ bene merentes remunerat, et malos punit, juxta quantitatem meriti pœnam vel præmium recompensans, secundum hoc timens severitatem, ne nimium rigidus se extolleret contra delinquentem, vel ne nimium lenis videretur fovere errantem; quid fecit? Oravit cum multo interventu ad Dominum, ut sibi dignaretur inspirare, quomodo errabundum corrigeret, ne modum et metam correctionis excedere videretur. Illico sensit abbas Ansuerus in signum correptionis et disciplinæ virgam de sublimi allatam in manu sua attrectabiliter se portare. D

divinitus comprobatur.

13 Is autem qui deliquerat contra Abbatem, et suum rigorem protrivit *, quasi minime curans suum excessum Domino Deo, prout fuit condecens, emendare. Ad capitolium *g* tamen vocatus coram fratribus suum demeritum extitit omnibus notorie propalatum. Qui audiens suos excessus et videns virgam virtutis Domini in manu sui superioris, in tantum est atterritus *, quod mox quasi in ictu oculi tantam concepit contritionem, et tam immensam portavit confusionem *, et per octo dies condignam educavit satisfactionem, et die nona in pace Dei fine optimo requievit. Quo comperto, abbas Ansuerus orationem suam ad Dominum mundo corde dirigens iteravit, quid observandum placeret Domino, de virga sibi miraculose ministrata. Quæ statim in candelam, cera et lychno indutam, est conversa, et in dicto monasterio usque ad claustri eversionem est, ut dicitur, reservata. Post hæc dictus abbas Ansuerus cum XXVIII monachis, circa annos Domini millesimum et centesimum vel amplius *h* a paganis in monte non remote a monasterio sunt lapidati, in die divisionis Apostolorum, fide et constantia sanctum Stephanum protomartyrem imitantes, quorum passio in hunc modum legitur peracta.

* al. præterivit. *g*

* al. attritus

* al. parturivit confessionem E

ANNOTATA.

a *Adamus Bremensis Slesvicensem urbem vocat* Heithebu *et simul Slesvici etymologiam sic explicat lib.* IV, *Hist. eccles. cap.* XLVII: Hanc quondam regionem Cæsar Otto tributo subjiciens, in tres divisit episcopatus, unum constituens apud Sliaswig, quæ et Heithebu dicitur, quam brachium quoddam freti barbari alluit, quod Sliam vocant, unde et civitas nomen trahit. F

b *Hic intelligitur Jutia meridionalis, quæ aliter dicitur ducatus Slevicensis a Slesvico præcipua ejus civitate. Provincia autem hæc terminatur ab ortu mari Baltico, a septemtrione Jutia septemtrionali, ab occasu Oceano Germanico et a meridie Holsatia.*

c Holsatia *vulgo* Holstein *olim vocabatur* Nordalbingia. *Terminatur a septemtrione Jutia meridionali, ab occasu mari Germanico, ab ortu Baltico et ducatu Lavemburgensi, a meridie ducatibus Bremensi et Luneburgensi, a quibus separatur Albi fluvio.*

d *Feudum militare vocatur, quod a vassallo milite possidetur; qui quidem vassallus tenetur domino præstare servitium in expeditionibus bellicis. De variis militarium feudorum generibus vide Cangium in Glossario. Hinc facile intelligitur verbum* infeudare *sive* infeodare.

e Confit *hic ponitur pro* contingit, *ut ex sensu colligitur. Tota autem constructio vitiosa est, uti*

A *uti et plures aliæ; quod semel monuisse sufficiat, dummodo intelligatur, quid auctor velit significare.*

f Inculpatus *pro* accusatus, *ut ex aliis exemplis patet apud Cangium.*

g Capitolium *sumitur interdum pro capitulo, seu loco, in quo congregantur canonici vel monachi. Joannes de Janua hujus vocis originem ita explicat :* Capitolium dicitur a capitulum, quia ibi conveniebant senatores, sicut in capitulo claustrales. *Si vis plura hujus significationis exempla adi Cangium in Glossario.*

h *De hoc parachronismo egi in Commentario prævio num.* 29.

Caput II. *Martyrium, sepultura, translatio et miraculum.*

B

S. Ansuerus fidem christianam prædicans. a

Cum per multa curricula Ecclesia Dei claruisset, in infidelitatis tenebris Slavia *a* remanebat. At quam convertendam cum prædicatores varii mitterentur, ob illius gentis inconvertibilem duritiam semen Dei verbi, quasi super petram cadens aridam, in paucissimis pullulabat. Receperunt ergo se quidam viri religiosi in quodam Slaviæ loco, qui Raceborgh nunc temporis dicitur, et ædificato ibidem cœnobio, sanctissimam ducentes vitam, inter infideles, tamquam astra matutina inter obscuros rutilabant idololatras; verbum Dei audire volentibus * cum fiducia prædicabant. Horum itaque Sanctorum fratrum numerus ad XXIX personas excreverat, qui presbyterum * quemdam vita et moribus decorum, sub cujus regebantur obedientia, Ansuerum nomine habuerunt. Hi igitur animo, fortitudinis et sapientiæ spiritu, tamquam Dei pugiles roborati verbum Dei in Slaviam fiducialiter in impiorum mentibus seminantes cum sinceris et piis eorum exhortationibus plurimos converterunt.

* al. nolentibus

* al. patrem

C

capitur cum sociis, ex quibus XXVI lapidantur.

15 Super hac re multi de potioribus illius terræ indignati, qui atroci animo Spiritui sancto resistentes; vanitatem et delicias hujus vitæ futuris præponebant gaudiis, decreverunt prædictam congregationem subvertere, ne conversorum numerus in dictis partibus augeretur. Convenerunt itaque prædicti impii atroci feritate sævientes in oves Christi, et ut feroces leones pleni rabie beatum Ansuerum cum XXVIII suis confratribus de habitationis suæ loco extrahunt perimendos. Metuens idcirco pius frater * Ansuerus, ne quis de credita sibi congregatione, suorum * visa mortificatione, spiritum indueret pusillanimem, supplicavit persecutoribus, ut sibi post aliorum usque trucidationem parcere dignarentur. Qui sperantes, forte ipsum velle fidem Christianam abnegare, divino nutu ipsum exaudierunt. Beatus vero Ansuerus passionem Unigeniti Dei filii et aliorum Sanctorum martyrum tormenta et neces occidendis suis commilitonibus proponit, et eos jam ad passionem fervidos suo fervidissimos reddit Creatori. Quid plura? Currunt persecutores lapideis cordibus sine omni compassione ad lapides, et primitus quasi uno turbine XXVI personas ex hac congregatione sanctissima lapidibus miserabiliter trucidabant.

* al. pater

* al. aliorum

ex MSS.

Conspecta horum Martyrum gloria,

16 Cum igitur hi sanctissimi Martyres essent positi in tormentis, volens Deus ostendere, quod non deest iis, qui ipsum in tribulatione invocant, misit de cælo ineffabilis splendoris claritatem, in quo sanctorum angelorum lucentia agmina diversa visa sunt ab aliis Christianis circumstantibus. Qui quidem angeli sanctorum Martyrum animas cum cælesti melodia et tripudio ad cæli gaudia perduxerunt. Quanta igitur gaudia, quantus ibi jubilus, ubi lux spiritualis, quæ piis martyrum mentibus se infuderat ad præparandum passioni eorum animas etiam corporalibus oculis ad corroborandam fidem intuentium et compatientium se corporaliter ingerebat! Quapropter multi de circumstantibus incitati visione hac clarissima, ut æterna perciperent sine dilatione gaudia, Christianos se esse et fidem eorum, qui lapidabantur, se tenere publice fatebantur, et ob hanc confessionem eadem hora lapidati spiritum Domino tradiderunt *b*.

E

b *præter alios uxor cum marito martyrium subit.*

17 Aderat ibidem Dei præordinatione vir quidam cum conjuge sua, et cum pariter viderent tantum animarum numerum per ministerium angelicum ad cæli perduci gloriam, mulier virum alloquitur dicens : Nonne circumfulgentem claritatem et angelos Sanctorum animas in cælum cum magna gloria perducentes respicis? Cum istorum cœtu utique remanebimus, nec ab ipsis expedit separari. Confiteamur igitur Christum Dei filium nos credere et Christianos esse. Respondit ille tamquam pusillanimis, per mulierem fortem, quam dono Dei sibi ad salutem invenerat, corroborandus : Plurimos habemus domi parvulos; cujus illos custodiæ committimus? Ad hæc illa : Pater eorum cælestis, pupillorum adjutor, qui ipsos creavit, pro cujus gloria mortem sustinebimus, ipsis ut tutor fidelissimus procurabit. Ambo læta mente cum aliis se in Domini sacrificium offerentes, lapidati sunt.

F

Dein duo alii monachi saxis obruuntur, c

18 Supererant adhuc una cum beatissimo Ansuero duo viri suæ congregationis, virtutibus et constantia præclari. Quorum unus Johannes, alter Volquinus nominabatur *c*, qui cum Christum post tantorum stragem Martyrum negare minime decreverant, venit quidam ceteris occisoribus vesanior, et grandi lapide dexteram partem capitis Johannis in tempore vulnerat. Ipse vero nimio ardore ex Christi recordata passione inflammatus remisit ad lapidandum se lapidem lapidanti. Quem recipiens idem ipse, qui ipsum sibi injecerat, secundo ictu summitatem capitis Johannis in tantum concutit *, ut cerebrum videretur, aperto vulnere. Præ cunctis * Martyr non territus iterum lapidatori lapidem reprojecit. Qui cum vice tertia ejus ictum sentiret, exspiravit. Producitur inde gloriosus martyr Volquinus, et eodem lapide, quousque Deo redderet animam, lapidatus est.

* al. contrivit

* al. pretiosus

post quos S. Ansuerus idem supplicium patitur.

19 Novissime omnium beatissimus pater Ansuerus impetitur. Qui cum gratias omnipotenti Deo retulisset, quod de grege sibi credito nullus, ut pusillanimus, defecisset, in laude Dei jubilans eodem lapide lapidatur. Qui supplices ad Dominum fundens preces oravit,

Ex MSS.

oravit, ut statim post incinerationem pro fidei corroboratione suæ invenirentur reliquiæ. Et quicumque in eorum necessitatibus ipsorum Martyrum patrocinia invocarent, Dei misericordia et eorum meritis exauditionis gratiam * reportarent *d*. Qua oratione completa et a Domino exaudita beati Stephani, qui gaudenter suscipiebat lapides, invocabat patrocinia, et lapidatus cum glorioso trophæo suo reddidit animam Creatori.

* al. gaudium

S. Ansueri corpus inter alia prodigiose agnitum sepelitur.

20 Cum ergo inhumata Sanctorum jacerent corpora, superveniens quidam devotus presbyter cum pluribus Christianis, et devotis lachrymis Sanctorum corpora intuentes oraverunt Dominum, ut ex sua misericordia dignaretur ostendere, quis inter occisos principalior et aliorum capitaneus extitisset, ut illi corpori sepultura solempnior et major reverentia impenderetur. Venit igitur in mentem dicti presbyteri nutu divino, ut omnium occisorum corpora in aquam, quæ prope occisionis locum erat, mergerentur, et quod supra nataret, excellentissimum corpus martyris esset. Quod cum factum esset, ceteris B corporibus fundum aquæ arenosæ * quæ natari * poterat, petentibus, supernatavit beati Ansueri corpus, quasi Dei adipe et pinguedine saginatum. Illis autem adhuc aliquantulum dubitantibus, oraverunt denuo, ut, si clara veritas fuisset in ipso miraculo, ipsum supernatans corpus singulariter fundum peteret, et de fundo alia corpora ebullirent. Quod et similiter factum est. Collegerunt ergo omnia corpora, et juxta locum, ubi lapidata fuerant, sepulturæ cum multa reverentia tradiderunt. Beati vero Ansueri corpus, quod per singula miracula excellentius repererant, in quadam crypta saxea monasterii, quod ipse inhabitaverat, condiderunt.

* al. vadari

* al. primo

ante cujus translationem cæcus illuminatur

21 Quadam autem vice cum cæcus quidam causa orandi dictam cryptam subintrasset, tangens sepulchrum beati martyris super ipsum expansis manibus corruit, et pronus adorans in terra, meritis beati Martyris visum recepit. Collatam igitur sibi gratiam celare præ gaudio non valens, ipsam venerabili patri domino Evermodo, primo *e* Raceburgensi Episcopo retulit, qui mira devotione, sociatis sibi tam nobilium quam plurimorum clericorum et laicorum agminibus, dicti Martyris corpus effodit, et in ecclesiam Raceburgensem transtulit gloriose. Horum igitur Martyrum intercessionibus ipse multa operatus est in Christo, qui cum Deo Patre, Spiritu sancto vivit et regnat Deus in secula.

ANNOTATA.

a Sclavia sive Sclavonia duplex est, *inquit incertus auctor Chronici Sclavici cap.* I, scilicet major, quæ est circa Dalmaciam ; et minor, quæ est in finibus Saxoniæ versus mare Balticum. *Satis liquet, hic de minori agi, cujus incolæ variis nominibus olim appellati fuerunt, ut fuse tradit Helmoldus lib.* I *Chronici Slavici cap.* I. E

b *Huc usque ab initio capitis secundi omnia pene verbotenus cum Lectionibus Breviarii Raceburgensis conveniunt, ut hæc ex Lectionibus vel Lectiones ex his desumptæ sint, ut monui in Comment. præv. num.* 22.

c *In Antiquis historiis, Breviariis, Martyrologiis nulla fit mentio de horum duorum Martyrum nominibus.*

d *De tali orandi formula quid sentiam, dictum est alias, et hic in Comment. præv. num.* 20.

e *Hic B. Evermodus episcopus Raceburgensis mortuus est anno* 1178. *De illo egimus in Actis nostris ad diem* XVII *Februarii. Quo autem sensu vocari possit primus Raceburgensis episcopus, explicui in Comment. præv. num.* 29.

DE SANCTO DAVIDE ABBATE

SNEVINGÆ SEU MUNCKATORPII

C F

IN WESTMANNIA SUECIÆ PROVINCIA.

C. J.

Dies cultus, adventus ex Anglia in Sueciam, monasterii constructio, annus mortis incertus.

J.-C. XI, FORTE MEDIO.

An colatur Sanctus die XV Julii,

Joannes *Valesius, natione Gothus, protonotarius Apostolicus et canonicus Varmiensis, Sigismundo III Poloniæ et Sueciæ regi olim a sacris et bibliotheca ; in sua* Vite Aquilonia, *ut vocat, collegit Vitas Sanctorum, qui regna Gothorum Sueonumque doctrina Catholica suisque virtutibus olim illustrarunt, in iisque refert* sanctum Davidem, abbatem et confessorem *ad* diem XV Julii. *Eumdem diem signant Ferrarius in Catalogo universali ; Claudius Castellanus in suo universali Martyrologio ; Martyrologus Anglicanus, anno* 1640 *secundum editus, ex cujus approbatione discitur editionem primam anno* 1608 *factam fuisse collectore Joanne Wilsono presbytero. Sed et Officia propria Sanctorum patronorum regni Sueciæ, ex vetustis Breviariis ejusdem regni deprompta; atque ad instantiam serenissimi Sigismundi III Sueciæ et Poloniæ regis, a sacra Rituum congregatione, auctoritate Apostolica, recognita et approbata, typisque Plantinianis Antverpiæ impressa anno* 1631 ; *non alio die, quam* XV *Julii, habent Officium* S. Davidis *abbatis sub ritu simplicis cum lectione tertia propria de Vita, quæ videtur tota ex elogio, quod concinnavit Vastovius, desumpta esse ; certe tota in illo continetur.*

an vero XIV Junii.

2 *Interea dum Acta Sanctorum Julii illustrare aggredimur, superveniunt mihi litteræ a viro erudito, amico nostro, Erico Benzelio, Sueciæ incola, una cum nova editione Vastovii, ab ipso publicata Upsaliæ* 1708, *ac nobis dono ejus missa : quibus*

A *quibus monemur, in antiquis per Sueciam Breviaris aliisque libris ecclesiasticis, festum* S. Davidis *abbatis annuntiari pro die* XXV *Junii. Et nos quoque pro eodem die memoriam ejusdem notatam invenimus Pragæ in Psalterio quodam trecentorum forte annorum, quod olim in monasterio Munkalyff prope Bergas Norvegiæ conscriptum fuit : de quo plura dixi tomo VI Junii pag.* 205 *litt. A. Hinc dubium nascitur, utri diei Sanctus adscribi a nobis potissimum debeat. Monitio Benzelii multum valet pro die* XXV *Junii : valent quoque auctores citati pro die* XV *Julii, e quibus Ferrarius in annotationibus suis ad illum diem; atque Martyrologus Anglicanus, in margine, monent etiam ipsi, se sua habere ex Breviariis Suecicis. Igitur præsumere possim, alterutrum notatorum dierum fuisse proprie natalem seu obitus, alterum translationis corporis : et quia publice extra Sueciam notior est dies* XV *Julii, retineamus illum et nos, eo magis, quod ad diem* XXV *Junii nihil a nobis de Sancto hoc dictum sit.*

Memoria in Martyrologiis

3 *Ferrarius in Catalogo citato simpliciter annuntiat,* In Suecia S. David abbatis, *Martyrologium vero Anglicanum recitat sequens* B *elogium :* Eodem die (XV *Julii)* in Suecia, depositio sancti David abbatis et confessoris, natione Angli, qui trajiciens mare in Sueciam ad prædicandam Christi fidem infidelibus illarum partium, plenus sanctitate ac pietate vitæ, quievit in Domino circa annum Christi millesimum secundum, sepultusque est in Suecia. *At, Ferrarius in suis annotationibus ad prædictum diem scribit,* S. Davidem *circa annum illum* 1002, *non obiisse, sed* in Suecia post S. Sigfridum episcopum prædicasse, *opinatus, S. Sigfridum illo anno vita functum esse, idque expresse notat in eodem Catalogo suo ad diem* XV *Februarii. Verum utraque sententia aberrat a vero. Nam in Chronico Henrici Wolteri, canonici S. Anscharii Bremæ, de episcopis istius loci, quod sub annum* 1464 *desinit et a Meibomio juniore editum est, legimus, ad Libentium, istius nominis secundum, archiepiscopum Bremensem venisse in Bykinam suffraganeos ejus* Odiker et Sigafridum *(idem est qui Sigfridus passim, aliis etiam Sigifridus)* de Suecia, et Rodolfum Normannorum, *id est Norvegiorum,* episcopum, strenuos prædicatores, ut referrent quæ perfe- C cissent in gentium vocatione ; quos et Archiepiscopus honorabiliter remisit ad loca sua. *Electus fuit ille Libentius in archiepiscopum, mortuo sub annum* 1029 *Unwano decessore ejus, et præfuit fere quadriennio. Igitur tunc in vivis fuit Sigfridus, ac deinde etiam fuisse sub duobus Libentii successoribus, Hermanno et Beselino, usque ad episcopatum Adelberti, deducit ex Adamo Bremensi Henschenius.*

Non obiit an. 1002, nec prædicare tunc cœpit,

4 *Jam vero, ut de chronologia* S. Davidis *aliquid verius statuamus, quam habent Martyrologus Anglicanus atque Ferrarius, venit is ex Anglia, ubi monachum agebat Cluniacensem, in Sueciam, martyrii desiderio incensus; postquam ibi S. Sigfridus jam prædicabat Evangelium atque instituerat ecclesiam episcopalem ; et postquam tres Sigfridi nepotes, sancti Vinamannus, Unamannus et Sunamannus, jam consummaverant gloriosum martyrium. Atque ita Sigfridi quidem suasu illic cœpit prædicare, monasterium construere et monachos colligere : an vero supervixerit Sigfrido, plane in obscuro est, nec habeo unde divinem. Sed neque Benzelius in antiquis Sueciæ suæ monumentis, quorum est scrutator valde sedulus, quidquam hactenus invenit, quo obitus* S. Davidis *tempus quoquo modo definiat. Designat quidem Vastovius annum mortis* 1063, *sed pro libito potius suo, quam ex auctoritate scripturarum. Ego me pro determinato illo anno vadem non præsto. Potest tamen secundum indicatum a nobis adventum Davidis in Sueciam supervixisse S. Sigfrido circiter annos viginti, atque ad propositum a Vastovio annum pervenisse.*

Vixit diu post Sueciam primum adventus.

AUCTORE C. J.

5 *Postquam ad Sigfridum in Suecia accesserat David, suumque ei zelum prædicandi Evangelium gentibus probaverat, missus fuit in mediterranea regni, reseditque in loco, qui nunc Munckatorpi appellatur, ecclesiæ Snevingensis, in provincia Westmannia, quæ terminatur ab ortu, provincia Uplandiæ ; a meridie, Sudermanniæ ; ab occasu Nericiæ ; ab aquilone, Cestriciæ. Monasterium illic condidisse et monachos, quibus præfuit abbas, collegisse, ipsum loci nomen indicat. Nam* Munckatorp *Suecis idem sonare existimo, quod Belgis nostris* Munkendorp, *atque interpretatur latine* Monachorum pagus. *Miratur in Notis suis ad Vitem Aquiloniam Vastovii Benzelius, cur Messenius in suo de rebus Suecicis opere, non ita pridem edito, identidem pro* Snevinge, *scribat* Suanvinge, *quod cygneas alas denotat.* Certe, *inquit,* hodieque vetus nomen retinet territorium illud, et Snevinge-hærade vocatur. E Distat autem ecclesia Munckatorpensis altero lapide ab episcopali urbe Westerarhusa, quam posteri, voce circumcisa et amputata, Arosiam nominare cœperunt ; quod nomen adhuc a latine scribentibus retinet. *Hæc Benzelius.*

Mittitur in provinciam Westmanniæ

ac monasterium condit Suevingæ.

6 *Qui et pergit :* Quo anno *emigraverit* S. David, vetustis patriæ historicis silentibus, incertum. Sepulcrum autem nactum fuisse in ecclesia Snevingensi seu Munckatorpensi constat, et ejusdem vestigia hodieque supersunt in pilarum una. *Qualia autem sint vestigia illa ulterius non explicat : declarat tamen in litteris suis, die* XIV *Octobris* 1715 *ad me datis, alia superesse vestigia sanctitatis, videlicet* effigiem S. Davidis, ornatissime lapidi incisam, et occidentali parieti templi Cathedralis Arosiensis insertam, curante Joanne de Klingesboda, decano Arosiensi anno 1510, quæ adhuc integra superest, *sculpta nempe, quando adhuc Romano-catholica Religio vigebat.* F

Annus mortis incertus.

7 *Quod autem porro in notis impressis* memorabile prorsus *vocat, ego* impium *et* scelus *dicam, factum nempe Thomæ pastoris Munckatorpensis,* cui, Joanne III rege Sueciæ, *patre Sigismundi regis catholici,* injunctum fuit, ut S. Davidis reliquias, pridem ablatas *utique ab ipso Thoma,* restitueret. Is itaque minas Regis et Pontificiorum persecutiones veritus, ex ædibus templo contiguis, quibus ossa pridem defunctorum decenter custodiri assolent, nonnulla tacite depromens, in locum reliquiarum reponit, quas postmodum non sine lætitiæ et venerationis testificatione Liturgistæ, ut tum audiebant, excipiunt auferuntque. *Et hoc egregium Thomæ pastoris factum* Petrus Jonæ, episcopus Vexionensis, *pro concione funebri celebravit. Quid dicam? Mihi hac in re imprimis videtur memorabile, quod Pastor ecclesiæ, Deo et hominibus tam impudenter et sacrilege mentitus sit; quodque ipsum propterea laudaverit Episcopus uterque cum antiqua religione etiam timorem Domini exutus.*

Factum memorabile pastoris hæretici.

ACTA

EX MSS.

ACTA

In Vite Aquilonia a Joanne Vastovio

Collecta ex antiquis Breviariis et annalibus Sueciæ.

S. David, natione Anglus, religione Cluniacensis.

Sanctus David in Anglia nobilibus et christianis parentibus natus, a puero in scientia, vitæ probitate et caritate Christiana proficiebat, adeo ut universis, quæ habuit, in pauperes erogatis, ordinem Cluniacensem ingressus, in arctissima disciplina et abstinentia vitam duxerit. Hic postquam de sanctorum Martyrum, sancti Sigfridi nepotum, nece certior factus erat, cupiens et ipse martyrii pro Christo particeps fieri, in Sueciam se contulit, atque ex consilio S. Sigfridi, apud ecclesiam Snevingensem in Vesmania (locus hodie Munkatorp dicitur) sedem fixit, ubi verbum Dei constanter annuntiando, multas injurias et persecutiones perpessus est. Cum jam partim præ senio, partim ex frequentibus lacrymis, in oratione profundi solitis, oculi ejus caligarent, radium solis per fenestram intrantem, forte conspicatus et paxillum esse ratus, in eo chirothecas appendit; quas postea servus ut afferret indigenti missus, in radio solis, ut erant, invenit pendentes. Ad extremum Vir sanctus, dierum et piorum operum plenus, ex hac ad vitam emigravit æternam. Corpus ejus suavissima odoris fragrantia omnes advenientes mirifice recreavit.

martyrii desiderio in Sueciam profectus

monasterium condit et senex obit.

B

DE B. BERNARDO CONFESSORE

E

MARCHIONE BADENSI

IN MONTE CALERIO IN PEDEMONTIO.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Cultus et Reliquiæ.

ANNO MCCCCLVIII. *Cultus S. Bernardi in Pedemontio,*

Mons *Calerius, vulgo* Moncaliere, *munitum Pedemontii oppidum, quod flumini Pado adjacet, et vix tria milliaria Taurino distat, Bernardum Marchionem Badensem propter singularia et prodigiosa beneficia sibi præstita tamquam patronum veneratur, et hac die annuam illius memoriam pie celebrat, ut fusius narrat Joannes Baptista Blancardi in Vita Italica cap.* II, *et breviter refertur in Actis huic Commentario subjungendis num.* 12. *Cultum tamen non esse huic Beato proprium, intelligo ex litteris Silvii Josephi Perini nostri, qui*

C *anno* 1681 *ad Papebrochium Taurino inter alia sic scribebat :* Ceterum de cultu præsenti ipsius Beati nihil possum addere, nisi quod singulis annis in die obitus Beati celebratur in altari, in quo jacet, Missa de festo currenti absque ulla commemoratione, licet solenniter cum magna populi frequentia. *An interea temporis ad communem hunc cultum peculiaris aliqua accessio facta fuerit, poterunt docere ii, quorum interest.*

Lotharingia,

2 *Idem beatus Marchio colitur Vici in Lotharingia, ut hac die Ferrarius in Catalogo Generali Sanctorum testatur his verbis :* In Lotharingia B. Bernardi confessoris. *In notis vero indicat, sese hanc notitiam hausisse* ex monumentis ecclesiæ Vici in Lotharingia, *notatque Beatum obiisse anno* 1458. *Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani tom. II, pag.* 1146 *Idibus Julii de eodem sic habet :* In Lotharingia sancti Bernardi confessoris in Vici ecclesia, quæ est in Metensis ecclesiæ alodio, sancta ex recordatione celebrati. *Castellanus in Martyrologio Universali haud dubie eumdem Beatum designare voluit, dum die* XV *Julii ita scribit :* Vici in diœcesi Metensi S. Bernardi confessoris. *Sed nescio, quo errore lapsus sit, dum more suo epocham indicare volens, in margine sæculum* X *notavit. Certe sæculum* XV *ponere voluit, nisi hic Beatus illi fuerit plane ignotus. Meurissius ex Ordine S. Francisci episcopus Madaurensis et suffraganeus Metensis in Historia episcoporum Metensium, anno* 1634 *edita, pag.* 569 *testatur, imaginem* B. Bernardi, *quæ Vici conservatur, devote visitari a plurimis, qui salutares illius intercessionis effectus experiuntur. Canonici Vicenses ecclesiæ collegiatæ S. Stephani in testimonio Gallice scripto, cujus copiam nuper ad*

F *me transmisit R. P. Valentinus Hoeglein collegii nostri Badensis Rector, de hodierno beati Marchionis cultu ita loquuntur :* Festum beati Bernardi quotannis celebratur Vici (sicut etiam in Monte Calerio) die XV Julii, quando magna populi multitudo ad illud concurrit; imo per anni decursum plurimi, tum oppidi incolæ, tum vicini, implorant illius intercessionem ad pellendos varios morbos, a quibus liberati faciunt celebrari Missas in sacello, ubi ejus effigies opere anaglyptico repræsentatur.

et in monasterio Lucidæ Vallis prope Badenam.

3 *Moniales Lucidæ Vallis vulgo* Lichtenthal *etiam beato Marchioni aliquem cultum exhibent, uti me docet Tobias Elfferich Societatis nostræ sacerdos, qui in litteris anno* 1679 *ad Papebrochium datis ita scribit :* Prostat in monasterio Lichtenthal, a Marchionibus olim fundato, aliqua tabella B. Bernardi imaginem referens, cui inscripta est oratio cum versiculo à Monialibus recitari solita in venerationem Sancti, quæ et serenissimo Wilhelmo, ante biennium defuncto, nostro fundatori, in amoribus et familiarissima fuit. *Collecta autem illa cum Antiphona, versiculo et responsorio est*

tenoris

AUCTORE G. C.

A *tenoris sequentis :* Antiphona. O quanta veneratione est dignus B. Bernardus Marchio Badensis, qui terrenas vanitates spernens in cælo triumphum habere promeruit. ℣. Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam deduxit te mirabiliter Christi dextera. ℟. Quia ex hoc ad cælestia regna te collocavit. Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui in B. Bernardum Marchionem Badensem per donum sancti Spiritus tantam gratiam infundere dignatus es, ut quicumque ad eum confidenter recurrit, salubre remedium a te obtineat: tribue nobis, quæsumus, indignis famulis tuis, ut qui ejus in hoc necessitatis articulo imploramus suffragium, sua benigna intercessione apud te opportunum consequi mereamur remedium. Per Christum Dominum nostrum. *Habeo et aliam orationem Germanicam, nescio quo loco usitatam, et a præcedenti non multum diversam; quare eam hic Latine reddere non est operæ pretium.*

...si moniales putant, cor ejus sepultum esse:

B 4 *Jam memoratæ moniales putant, cor* B. Bernardi *in suo cœnobio sepultum esse ; de qua opinione mox laudatus Tobias Elfferich anno* 1682 *ad Papebrochium ita scribit :* In monasterio virginum Ordinis S. Bernardi in Lucida Valle (Lichtenthal) dicitur et creditur, sepultum esse cor B. Bernardi Badensis, quamvis serenissimus Ferdinandus P. M., magnus hujus Sancti venerator, curaverit inquiri, et nullum vestigium repererit: moniales tamen aliter edicunt, et asserunt, murarios non recte indagasse. *At ego facile crediderim, moniales homonymia deceptas unum Bernardum Badensem pro altero accepisse : nam Hieronymus Henninges in suo Theatro Genealogico tomo* IV *part.* II, *pag.* 240 *dicit, alterum Bernardum, ex eadem illustrissima stirpe ortum, anno Christi* MCCCCXXIV *(Vignierius in Genealogia Badensi pag.* 34 *notat annum* MCCCCXXXIV *) in Lucida Valle sepultum esse. Quare cum moniales forte legissent vel ex seniorum traditione audivissent, inter alios, ex Badensi familia in suo monasterio sepultos, nominari quemdam Bernardum, facile fieri potuit, ut utrumque confuderint, et quod ad alterum homonymum pertinebat, perperam de* B. Bernardo *intellexerint. Quidquid sit, cum constet,* B. Bernardum *Badensem in Monte Calerio mortuum ac sepul-* C *tum esse, cordis ejus translationem ad Vallem Lucidam sine authentico testimonio non admittemus.*

sed alibi asservantur illius reliquiæ.

5 *At cum de reliquiis hic sermo inciderit, breviter indicabo, quibus locis illæ conserventur. Mons Calerius certe maximam corporis partem possidet. Vici in Lotharingia, testibus Canonicis S. Stephani in eodem oppido, gladius et quoddam os B. Marchionis jam ab immemoriali tempore honorifice custodiuntur. Ad hæc accessit pannus sericus, non ita pridem ex Monte Calerio Vicum delatus, cui sacrum corpus diu involutum fuerat. Illustrissima familia Badensis etiam quoddam Beati sui consanguinei os pie veneratur, ut me docet jam sæpe memoratus P. Tobias Elfferich in litteris anno* 1679 *ad Papebrochium datis.* Diu, *inquit*, contuli cum serenissima Marchionissa seniore, quæ satis accuratam Sancti memoriam ejusque gestorum tenet, sed quam omnem hausit ex relatione serenissimi Ferdinandi P. M., qui ante plures annos venerationis causa Moncallerium in Sabaudam excurrit, et sepulcrum veneratus, pulcra et singularia retulit, etiam magnam partem ossis. *Deinde in alia epistola eodem anno scripta de hoc sacro osse sic loquitur:* Ejus reliquia, credo, asservatur a serenissimo Ludovico, filio serenissimi Ferdinandi, qui eam Moncallerio attulit. Inter alia belli metu in tutiore loco collocata est. *Atque hæc sunt, quæ de sacris* B. Bernardi *lipsanis tuto memorare potui.*

Cultus ejus ulterius probatur.

6 *Joannes Baptista Blancardi in Vita Italica cap.* XIII *ex Processu Beatificationis aliisque antiquis instrumentis varia eruit argumenta ad probandum legitimum* B. Bernardi *cultum. Ac primo quidem post virtutum synopsin, quam nos in Actis num.* 13 *damus, citat R. P. Joannem Ergot,* B. Bernardi *confessarium, aliosque testes synchronos, qui ejus sanctitatem et miracula magnis laudibus extulerunt. Deinde adfert fragmentum ex Antonio De Torrellis, Philiberti I Ducis Sabaudiæ secretario, qui jussu Ducissæ Sabaudicæ miracula* Bernardi *examinavit et fideliter retulit. Profert etiam duplex Breve Sixti IV, de quo nos in compendio Actorum num.* 22 *agimus. Præterea adducit quædam illustrium virorum testimonia et varia scriptorum elogia, quæ in paragraphum sequentem rejicimus.*

et vera ipsius effigies exhibetur.

E 7 *Denique idem Blancardus cultum B. Marchionis probat ex antiquis picturis, quibus ante annum* 1500 *titulus* beati *subscribitur. Asserit inter alias, in Pedemontio satis obvias, pulcherrimam* B. Bernardi *effigiem exstare apud Franciscanos in urbe Astena. Intelligo etiam in collegio nostro Badensi ac in parthenone Lucidæ Vallis imagines ejusdem Beati conservari. Sed cum inter se non parum differant, suspicor aliquas pro pictoris arbitrio pictas esse. Quare hic veram beati Juvenis effigiem, ad prototypum expressam, subjicio*



F

VERA EFFIGIES B. BERNARDI
Marchionis Badensis, qui obiit XV Julii Anno MCCCCLVIII in Moncalieri, ubi claret multis miraculis.

Quomodo hæc imago ad nos pervenerit, accipe ex epistola P. Tobiæ Elfferich, qui anno 1682 *ad Papebrochium inter alia hæc scribit :* Serenissima Anna *(nempe Marchionissa Badensis)* dum fuse cum illa conferrem, mihi pervetustam iconem monstravit, quæ veram Bernardi effigiem referre a Majoribus memoratur, quam a prototypo delineatam hic adjicio, ut R. V. æri

AUCTORE G. C.

æri incidi curet, et vitæ præfigat. *Jam superest, ut quorumdam testimonia proferamus, quibus* B. Bernardi *virtus laudatur, et publicus illius cultus non parum confirmatur.*

§ II. B. Bernardi elogia et Acta.

Elogia B. Bernardi ex Georgio ejus fratre episcopo Metensi,

I*nter scriptores hoc paragrapho adducendos, qui de sanctitate et miraculis* B. Bernardi *meminerunt, merito primum locum obtinet illustrissimus ac reverendissimus Georgius, episcopus Metensis, proxima consanguinitate illi conjunctus, qui audiens famam miraculorum, quibus frater suus post mortem coruscabat, ad magistratum Moncaleriensem die* XII *Februarii anno* 1478 *scripsit in hæc verba :* Audivimus jam dudum ab illis, qui ex his oris ad nos veniunt, gloriosum et immensum Deum in ecclesia sanctæ Mariæ de Montecalerio Taurinensis diœcesis, meritis et intercessionibus bonæ memoriæ Bernardi ex Marchionibus Badensibus, cujus
B corpus in ea est inhumatum ecclesia, innumera et crebra facere signa et miracula. Et licet sæpenumero pulsati fuerimus, ut super illius exaltatione operam daremus, tamen ne propriam quæritare laudem intueremur, huc usque in ea requievimus : et cum hujusmodi signa et miracula indies efficiantur notiora, cogimur profecto ad Nobilitates vestras aliqua dare scripta *etc. Deinde agit de illius canonizatione et subjungit sequentia :* Quamobrem etiam cum idem Bernardus in ecclesia S. Stephani oppidi nostri de Vico non paucis et signis et miraculis, ut asseritur, resplendeat *etc. Hæc sunt fragmenta epistolæ, quam integram invenire non potui, etsi Blancardus eam in archivo Moncaleriensi conservatam fuisse testetur.*

Francisco Irenico,

9 *Franciscus Irenicus in Exegesi Germaniæ, anno* 1518 *edita, lib.* III, *cap.* CVI, *de* Bernardi *nostri virtute reddit sequens testimonium.* Hinc in memoriam divi Bernhardi Marchionis adducor, cujus sanctitatis existimatio plurimum apud me valet. Hic ab omni fœditate remotus postquam mundi immundi vias ingrediebatur, solum ad imitandum sibi Christum
C quæsivit, omnem antecessorum religionem superavit, futuris exemplum reliquit. Hujus vita simplex, incorrupta, ac nulla vitiorum pravitate irretita aut offensa erat. Hic universis renuntiavit voluptatibus, veræ religionis sacramentum sequebatur. Quidquid ad divinæ Majestatis cultum attinebat, ab illo nihil videmus prætermissum, nullus somnus huic in delicto mortali subrepsit. Penitus etiam sese a seculari negotio, divinis muneribus alioqui destinatus, subtraxit. Patrimonium amore Christi (ut numquam ab eo oculos haberet remotos) libere suis fratribus addixit, eo contentus tantum, quod ad vitæ suæ sustentationem ac tutelam necessario requirebatur. Hunc inde per hujus seculi tenebras raptum vitæ suæ finis consentaneus excepit, postquam sibi bonis operibus, nobis exemplo respondebat ac satisfecit. Memoriam suam consecravit sempiternam in oppido Lotharingiæ, Mumpelier dicto, inæstimandis coruscat miraculis, visum cæcis restituit, auditum surdis reparat, nulli oculos ad eum tenenti patrocinium denegat. Hunc jam votis expetimus, ad nostram salutem sevocamus, et quidquid tristius accidit, auspicio D
ejus auspicatissimo ac omine corrigimus.

qui in assignando mortis loco errat.

10 *His laudibus B. Marchionem effert et Catholicum ejusdem cultum non obscure indicat Franciscus Irenicus, qui tamen lib.* II, *ejusdem Operis Lutherum, Melanchthonem, aliosque similis farinæ homines impense laudat, et Belial cum Christo componere nititur. Sed id jàm dicto* B. Bernardi *elogio nihil officit, cum ex hoc ipso testimonio oppugnari possint hæretica dogmata eorum, quos laudat. Ceterum quivis facile corriget crassum errorem geographicum, quem Irenicus hic deglutiit; dum nempe* Mumpelier *id est Montem Pessulanum pro Monte Calerio posuit, eumque in Lotharingia collocavit, cum interim pueri ferme norint, Montem Pessulanum vulgo* Montpellier *in Occitania inferiori situm esse. Neque hic error amanuensibus aut typothetis adscribi potest : nam Irenicus lib.* III *Operis jam citati cap.* CIX *eumdem repetit hoc modo :* Sanctus quoque Bernhardus in civitate quadam Lotharingiæ se vita exoneravit, ibidem et sepultus miraculis coruscat. *Hic quidem locum non nominat, sed beatum juvenem in Lotharingia mortuum esse* E
falso affirmat.

et Philiberto Pingonio.

11 *Philibertus Pingonius Baro Cusiacensis, qui fuit Emanuelis Philiberti Sabaudiæ Ducis senator, teste Blancardo, in sua Augusta Taurinorum ad annum Christi* 1458 *pag.* 64 *de Beato nostro habet sequentia :* Eo anno, mensis Julii initio Bernardus Badensis Marchio, sanctimonia vitæ, ut natalibus clarus, Taurinum ingreditur, qui postmodum, suscepto Romano ad pietatem itinere, Montiscalerii morbo intercipitur et morte prævenitur. Obiit XV Julii, et ob toties repetita varia miracula inter Divos est habitus. *Meurissius, paragrapho præcedenti laudatus, in Historia Episcoporum Metensium Gallice edita agens de Georgio, septuagesimo octavo ecclesiæ Metensis præsule, lib.* III, *pag.* 569, *illius occasione hæc de Beato nostro interserit :* Erat frater B. Bernardi, cujus vita tam sancta fuit, ut Deus etiamnum quotidie infinitam miraculorum multitudinem patret in Monte Calerio in Italia, ubi est sepultus. *Nunc audiamus quosdam scriptores genealogicos, qui in illustranda familia Badensi diversimode de* F
B. Bernardo *meminerunt.*

Quidam genealogi B. Bernardo sponsam aut uxorem tribuunt.

12 *Hieronymus Henninges Luneburgensis in Theatro Genealogico tom.* IV, *part.* II, *pag.* 240 *ita loquitur :* Bernhardus IIII cognomine divus vel sanctus, Marchio Badensis, qui Etlingæ habitavit et fratri Carolo gubernationem reliquit, Curialis Frederici III Imperatoris primum fuit, eique desponsata Magdalena filia Caroli VII regis Franciæ; sed fit spiritualis, et obiit in Monte Pessulano anno Christi MCCCCLVIII. In album Divorum relatus a Sixto IIII Papa. *Quod hic auctor de Monte Pessulano dicit, satis supra refutatum est. Antonius Albizius nobilis Florentinus in Stemmatibus Christianorum Principum pag.* 41 *ad gentilitiam familiæ Badensis arborem hæc prænotat :* Jacobus vero Marchio Badensis .... filium habuit .. .... Bernhardum, vitæ sanctimonia clarum, qui obiit ante nuptias cum filia Caroli VII Regis Franciæ celebrandas. *Gabriel Bucelinus in Germania Topo-chrono-stemmato-graphica part.* III, *pag.* 53 B. Bernardo *non tantum sponsam, sed etiam uxorem attribuit his verbis :* Bernardus I *(alii vocant* IV*)* Marchio Badensis, cognomine sanctus,

ctus obiit MCCCCLVIII. Uxor Magdalena filia Caroli VII regis Galliæ. *Nicolaus Rittershusius in suo opere Genealogico agens de stirpe Marchionum Badensium, nullam de* B. Bernardi *sponsa aut uxore mentionem facit, sed hæc tantum scribit:* Bernhardus obiit MCCCCLIX *(melius* 1458) canonizatus a Sixto V *(voluit* IV *dicere)* MCCCCLXXX.

ut probabilius falluntur.

13 *Jam paucis edisseram, quid de illis sponsalibus seu nuptiis sentiendum sit. Imprimis Hieronymus Vignier in suis tabulis Genealogicis pag. 34 de hac re sic judicat:* Bernardus III *(aliis* IV*)* cognomine Sanctus, Marchio Badensis, sponsalia contraxerat cum Magdalena filia Caroli VII Regis Galliæ, ut asserit Albisius; sed haud dubie fallitur. Mortuus est anno MCCCCLVII *(lege* 1458.) *Præterea Sammarthani in Historia Genealogica tomo I, lib.* XIV, *pag.* 647, *tertiæ editionis narrant, Magdalenam, Caroli VII filiam, anno* 1457 *promissam fuisse Ladislao Regi Hungariæ. Verum cum is eodem anno moreretur, postmodum anno* 1462, *ut referunt iidem Sammarthani, nupta est Gastoni Fuxensi, et peperit Franciscum Phœbum, postea Navarræ Regem, qui sine liberis obiit. Mirum sane est accuratos hosce genealogos, qui minutissima quæque notant, de sponsalibus Magdalenæ cum Bernardo Badensi contractis nullum verbum fecisse. Fieri quidem potuit, ut Magdalena illa more magnatum in pueritia Bernardo puero a parentibus promissa fuerit, et Bernardus jam grandior factus cælibem vitam agere voluerit; at cum Acta aliaque antiqua monumenta hanc rem sileant, etiam promissas has nuptias valde dubias esse existimo. Nunc de Actis pauca præfabimur.*

Frustra quæsitis antiquioribus monumentis.

14 *Dolendum sane est, nos antiquioribus hujus Beati Actis ac miraculis carere. Sed ut ostendam per nos non stetisse, quo minus ea obtineremus, breviter indicabo, quanta diligentia in hunc finem a nobis adhibita fuerit. Jam a multis annis Papebrochius, pro secuturis Sanctis sollicitus, scripserat Taurinum, ut canonizationis processum ex Monte Calerio impetraret. Verum a nostro P. Silvio Josepho Perino inde responsum fuit:* Acta pro Canonizatione B. Bernardi non amplius extant apud cives Montis Calerii, sed apud Principes Badenses: nec hic potui aliud invenire, quam ejus Vitam, *nempe Italicam, anno* 1628 *Taurini impressam, quam memoratus P. Perinus transmisit. Deinde Papebrochius scripsit in Germaniam P. Joanni Gamans, diligentissimo Operis nostri adjutori, qui statim litteris ejus respondens primo interrogat,* ecquænam Taurino acceperit de B. Bernardo Badensi miracula? Nominatim an illa, et quidem prima, quæ Ducissæ Sabaudiæ jussu mox a morte Beati conscripsit Antonius de Torellis ejus secretarius? *Deinde Gamansius indicat ea, quæ ipse habebat.* Posteriora, *inquit,* in Processu, Sixti IV jussu instituto, habeo ex exemplari Badenam anno MCCCCLXXX circiter misso, et communicabo libens. *Sed ea numquam ad manus nostras pervenerunt; an autem cum aliis quibusdam schedis Gamansianis in Mœno perierint, an adhuc alicubi in Germania delitescant, ignoro.*

15 *Cum mihi Acta* B. Bernardi *illustranda obtigissent, de accipiendis alicunde antiquis illis monumentis spem non abjeci; sed mox litteras dedi ad R. P. Valentinum Hoeglein Collegii nostri Badensis Rectorem, qui anno* 1723 *ad eas humanissime respondit in hunc modum:* Datis ad me litteris in causa B. Bernardi Marchionis Badensis nunc tandem respondeo, quia hactenus in varia loca et Collegia scripsi; imo ipse aliqua lustravi, ut quæ gloriam ejus Beati promovere possunt, oculatus inspicerem. Sed præter id quod ex oppido De Vic in tractu Metensi, ubi Beati hujus memoria colitur, missum accepi, dignum relatu nihil invenire potui. Putabam in Archivo Principali hic Badenæ aliqua me reperturum, quæ ad intentionem facerent. Sed omnino nihil invenimus, nescio an incuria, an temporum injuria, quæ hanc nostram patriam incendio fere totam delevit. *Postea intellexi, aliqua Gamansii scripta exstare Herbipoli apud Joannem Seyfrid e Societate nostra ibidem historiarum professorem. Itaque bis ad illum scripsi, sed præter compendium Vitæ a Camillo Gabriellio Italice compositum, et diuturnam ulterioris diligentiæ promissionem nihil accepi.*

AUCTORE G. C.

Vitam et miracula ex recentioribus scriptoribus dare cogimur.

16 *Cogor igitur acquiescere recentioribus monumentis, quæ jam enumerabo. Joannes Baptista Blancardus Taurini anno* 1628 *Italice edidit Vitam* B. Bernardi *Badensis; sed eam tot sanctorum Patrum sententiis aliisque digressionibus implevit, ut potius concionatorem quam historicum agere voluisse videatur. Joannes Hornig Societatis nostræ sacerdos, vestigiis Blancardi presse inhærens, eam anno* 1686 *ex lingua Italica in Germanicam convertit. Eamdem Camillus Gabriellius sacerdos in compendium redegit, et Taurini anno* 1658 *Italice edidit. Quamvis autem ille potissimum collegerit puncta historica, quæ ad B. Marchionem spectabant, tamen etiam subinde suas interserit parænеses, aliasque evagationes, quas ego tamquam ad propositum meum inutiles in Latina illius scriptoris versione prætermisi. Ceterum in hoc auctore interpretando non ita scrupulose versatus sum, ut verbum verbo reddere curaverim, sed, servata narrationis substantia, filum historiæ fideliter prosecutus sum, ut utriusque linguæ peritis facile apparebit. Miracula vero* B. Bernardi, *quæ Gabriellius omiserat, ex Blancardo Latina feci. Jam utriusque opusculi translationem una cum meis observationibus hic subjicio.*

VITA

Ex fusioribus Joannis Baptistæ Blancardi Actis contracta, et a Camillo Gabriellio Taurini anno 1658 Italice edita, quam nos Latine in compendium redegimus.

B. Bernardus ex nobilissima Marchionum Badensium stirpe ortus.

Inter antiqua et illustria Germaniæ stemmata jure merito numeratur familia Marchionum Badensium, tum ob sanguinis nobilitatem, tum ob ditionis amplitudinem, atque præcipue ob religionem erga Deum, ac denique ob egregia et heroica horum principum facinora, de quibus præstat tacere, quam pauca dicere; præsertim cum tantummodo intendam orbi Christiano proponere sanctimoniæ exemplar, nec velim rebus, ab hoc instituto alienis, diu immorari. Ex hac nobilissima

EX ITALICO GABRIELII

nobilissima stirpe ortus est beatus Bernardus, princeps Badensis. Patrem habuit Jacobum Marchionem Badensem; matrem vero Catharinam, Ducis Lotharingiæ filiam. Deus felicissimis hisce conjugibus dedit quatuor filios *a*, quorum primus erat Carolus, qui in marchionatu patri successit, et sororem Frederici IV *b* Imperatoris uxorem duxit. Alter fuit Bernardus noster, qui natus est circa annum Domini MCCCCXXXVIII. Tertius fuit episcopus Metensis. Quartus autem ob virtutum præstantiam præ aliis magnæ existimationis viris electus est archiepiscopus Trevirensis.

et in pueritia pie educatus,

2 Serenissimi parentes Bernardum nostrum optime educarunt, quia non solum ipsimet omnium virtutum exempla filiolo suo præbebant, verum etiam pædagogos ac magistros, singulari pietate ac doctrina præditos, illi assignabant. Sic nobilis illa planta cœpit a teneris sese ad cælum erigere, et etiamnum puer monstrabat, se ad divinum servitium peculiari modo esse electum. Fugiebat eas levitates, ad quas puerilis ætas solet esse proclivis; maximam erga Deum ostendebat B reverentiam; multum delectabatur oratione; parentibus et magistris erat obsequentissimus, erga omnes affabilis et mansuetus; et a tenera illa ætate jam assueverat nihil aggredi, nisi se signo crucis præmunivisset.

præcipua Catholicæ religionis exercitia singulari veneratione obit.

3 Hisce solidæ pietatis fundamentis postea imposuit magnum perfectionis ædificium. Adolescens bis per mensem Corpore Christi reficiebatur; quod Catholicæ religionis exercitium in Bernardo maxime fuit laudandum propter sedulam præparationem, qua se ad angelicum cibum sumendum disponebat. Hinc medicina illa cælestis plurimum ipsi proderat, eo quod in animam tam bene dispositam reciperetur. Jam a tenera ætate consueverat quotidie incruento Missæ sacrificio assistere. Satis exprimere nequeo, quanta cum reverentia hisce sacrosanctis salutis nostræ mysteriis interesset: nam genuflexus externa corporis compositione, et interna mentis attentione tantam præ se ferebat modestiam, ut circumstantibus extra se raptus C esse videretur.

Deditus orationi.

4 Crescente ætate, crescebat pietas. Maxime deditus erat orationi, cui ita assueverat, ut inter magna negotia sæpissime mentem ad Deum elevaret, et in ambulatione aut alio corporis exercitio meditationem de rebus divinis prosequeretur. Sæpius coruscanti facie a divino colloquio redire conspiciebatur. Ipsemet suis nobilibus interdum dicere solebat, homini cælestem dulcedinem gustare cupienti per orationem Deo appropinquandum esse, sicut se calefacere volenti ad ignem accedendum est. Atque ita sanctus Adolescens omne auxilium et robur contra dæmones ex oratione hauriebat.

jejunio aliisque corporis afflictionibus,

5 Cœpit etiam a pueritia jejunare, nec solum dies jejunii ab ecclesia assignatos observabat, verum etiam peculiari abstinentia colebat feriam sextam, passioni dominicæ consecratam, qua ob illius mysterii memoriam nullo aut parcissimo cibo utebatur, ut aliquo modo cruciatus Domini sui in se sentiret. Crebro etiam aulicis suis ac nobilibus dicebat, jejunio refrænari corpus, ne cum anima in æternum exitium ruat, sicut equus fræno continetur, ne in præcipitium cadat. Ad hæc aiebat, orationem ac jejunium esse D quasi duas rupes, quæ non possent a dæmonibus expugnari. Ut verbo dicam, semper summa fuit in ejus victu temperantia. Huic cibi abstinentiæ addebat alias corporis afflictationes, de quibus etiamnum hodie testatur ingens cilicium *c*, quo pius Princeps velut asperrimo sine manicis sagulo induebatur. Illud videntes merito mirantur, quomodo adolescens delicate enutritus pati potuerit amictum adeo asperum, qui eum certe magno tormento afficiebat.

statuit virginitatem servare

6 Sic Bernardus amore Dei et odio sui succensus indies aptiorem se reddebat ad recipienda divina beneficia, et res majores pro divina gloria tentandas. Statuit itaque aulicæ vitæ splendorem et commoda contemnere ac virginitatem illibatam conservare. Indicavit heroicum suum propositum confessario suo, nempe P. Joanni Argot *d* ex Ordine S. Francisci, magnæ perfectionis viro, cujus etiamnum viget memoria. Is laudavit Bernardi consilium; attamen ut prudens spiritus magister ipsi ostendit, quanti momenti rem aggrederetur, quantumque difficultatis reperturus esset, ut eam ad gloriosum exitum perduceret. E Bernardus autem omnes occasiones castitati noxias vitabat, et diligentissimam corporis ac sensuum custodiam adhibebat, atque impudicis cogitationibus statim resistebat. Numquam audebant aulici coram ipso dicere quidquam, quod vel remotissime pudicitiam læderet. Solus ipsius vultus sufficiebat, ut nemo in hac re terminos honestatis transgrederetur.

et caritatem mirifice exercet.

7 At quamvis virginitas sit angelica virtus, tamen nihili facienda est, si caritate destituatur. Quare sanctus Princeps se totum operibus misericordiæ impendit. Alebat pauperes, vestiebat nudos, juvabat inopes, erga quos erat munificentissimus, ita ut maximus eleemosynarius et misericors pauperum visitator passim appellaretur. Census suos in tres partes diviserat, unam Christi pauperibus distribuens, alteram locorum sacrorum restaurationi et ornatui impendens, ac tertiam usibus suis reservans. Quid porro dicam de ceteris ejus virtutibus principe Christiano dignis? Numquam aliquem verbo aut F facto offendit; nemini in facultatibus aliisque rebus nocuit; numquam datam fidem violavit; alienas opes non concupivit, nec permisit, ut cuiquam damnum inferretur. Non est passus, miseros, viduas, pupillos, suosve subditos opprimi, sed quantum poterat, erga omnes æqualiter se benignum patrem exhibebat.

Deinde fœdus contra Turcas promovere volens.

8 Dum ita Bernardus ut gigas curreret per viam mandatorum Dei, et in adolescentia tam perfecta magnam de se orbi exspectationem concitaret, circa annum ætatis vigesimum sensit divini amoris flammam, quæ animum suum ad res eximias pro Dei gloria suscipiendas accendebat. Cum igitur generosa passionum suarum expugnatione, et assiduo virtutum exercitio cælestes vires acquisivisset, quærebat undique occasionem, ut Dei gloriam promoveret, et Ecclesiæ Catholicæ quam maxime prodesset. Eo tempore Amurath *e* illius nominis secundus Turcarum imperator victricia Lunæ signa multis provinciis invexerat, et Albaniam, Vallachiam, aliasque

Ex Italico Gabrielli.

aliasque Græciæ et Hungariæ regiones invaserat, infelici principum Christianorum discordia opportunitatem præbente, ut infidelis tyrannus tot terras occuparet, in iisque impia Mahometis dogmata propagaret cum non exiguo veræ fidei detrimento. Hæc infidelium progressio commovit animum generosi Principis, qui censuit, se nil utilius facturum, quam si contra potentem et perniciosum Christianæ religionis inimicum omne studium omnemque industriam adhiberet. Re itaque prius Deo commendata, conatus est inter principes Germaniæ sacrum fœdus componere. Quanto autem zelo et labore hoc negotium promoverit, malim pio lectori cogitandum relinquere, quam paucis verbis enarrare. Sufficiat dixisse, quod rem tam arduam ferme ad optatum finem perduxerit.

ab Imperatore Romam mittitur

9 Fredericus IV Imperator Bernardum tunc temporis ornavit munere præsidis Cæsarei in Italia, cumque tamquam capacissimum elegit, ut cum summo Pontifice sacrum fœdus concluderet, et de gravissimis Imperii negotiis tractaret. Bernardus ergo, rebus in Germania dispositis, iter instituit Romam versus, ubi tunc Callistus III *f* pontificiam cathedram ascenderat. Magnifico comitatu, qualis ejus nobilitati et Cæsarei præsidis dignitati conveniebat, in Sabaudiam venit, et a Duce Ludovico *g*, tunc ibidem regnante, honorifice ac benevole exceptus est. De negotio autem, quod sibi maxime cordi erat, cum præfato Duce ita egit, ut is libenter sacro contra Turcas fœderi se adjunxerit. Quare læto animo Sabaudiam relinquens, direxit iter in Pedemontium.

at in itinere pie moritur.

10 Ingressus Pedemontanam regionem divinitus intellexit, sibi mortem imminere. Eapropter initio mensis Julii Taurinum adveniens noluit in ea urbe diu morari; sed petiit Montem Calerium, quia in hoc oppido liberius exercitiis spiritualibus vacare, et sese ad vicinam mortem præparare poterat. Quando ad hunc locum una cum confessario supra memorato et aulicis pervenit, statim sibi delegit conventum S. Francisci, ibique morbo oppressus cum singulari reverentiæ ac pietatis sensu Sacramentum pœnitentiæ et Eucharistiæ recepit. Interim ferventissime orabat, et ardentissime sese cum Deo unire desiderabat. Demum cilicio indutus, et Crucifixum tenerrimo amplexu stringens, inter pias adstantium sacerdotum ac religiosorum preces, et copiosas suorum aulicorum lachrymas beatam animam reddidit suo Creatori, a quo sancte vivendi sancteque moriendi gratiam acceperat. Accidit felix illius transitus XV Julii anno MCCCCLVIII, cum parum ultra viginti annos vixisset.

Et in [illegible] exsequiis patrato miraculo.

11 Corpus defuncti delatum est ad ecclesiam collegiatam Montis Calerii, ubi ad illius exsequias ingens populi et cleri numerus confluxit. Pater Argot, optimus virtutum ejus testis, habuit orationem funebrem, qua in auditorum animis magnam de pio Principe existimationem concitavit, et funereum eorum dolorem spirituali gaudio temperavit. Quinimo Deus ipso exsequiarum tempore per manifestum miraculum declaravit, Bernardum jam Beatorum consortio frui: nam leprosus quidam *h*, qui luxatis coxis ad templi fores erat, audiens virtutem defuncti Principis ab omnibus laudari, sanitatem ab eo petiit, ac subito impetravit. Hoc prodigium non mediocriter adstantium lætitiam auxit. Quapropter sacrum corpus summa cum devotione et reverentia sub majori altari ejusdem ecclesiæ collegiatæ collocatum est, ubi brevi multis variisque miraculis splenduit.

a civibus Moncaleriensibus patronus eligitur.

12 Ab eo tempore incolæ Montis Calerii Bernardum tamquam suum in cælo protectorem coluerunt, et diem mortis ejus annua festivitate celebrarunt. Deinde populus, non solum in oppido Montis Calerii, sed etiam in aliis Pedemontii locis, in illius honorem sacella ædificavit, altaria exstruxit, et Beati effigiem honoravit. Jolanta *i* vero Sabaudiæ Ducissa propter crebra miracula, quæ Deus per Servum suum operabatur, obtinuit a Sixto IV *k* summo Pontifice, ut die XXIII Decembris anno MCCCCLXXVIII Breve de processu canonizationis ad episcopum Eporediensem et Guilielmum Caccia canonicum dirigeret his verbis: « Fide dignorum relatione accepimus, quod divina clementia multa ostendit miracula ad tumulum et imaginem insignis memoriæ Bernardi Marchionis Badensis, cujus corpus in ecclesia Collegiata S. Mariæ Montis Calerii Taurinensis diœcesis requiescit ». Anno sequenti idem Pontifex post mortem episcopi Eporediensis novum Breve de canonizatione beati Bernardi misit. Etiam multis antiquissimis picturis, ante annum MD factis, ita subscriptum legitur: ILLUSTRISSIMUS BEATUS BERNARDUS MARCHIO BADENSIS, PRÆSIDENS IMPERIALIS.

Datur virtutum illius synopsis ex Processu canonizationis.

13 Lubet hic transcribere synopsin virtutum, quas Processus canonizationis Bernardo attribuit verbis sequentibus: « Quod ipse idem illustris Marchio et beatus homo Dei erat verax, modestus, sobrius et sapientissimus; Deo et hominibus, suisque præcipue servitoribus gratus, et placabilis: nam beatus hic vir erat scientissimus, mansuetissimus, virgo, devotissimus, eleemosynarius grandissimus, visitator pauperum, terrena et mundana spernens, Deum timens, justitiam diligens, pacem perquirens, contumelias et rixas sedans. Præstabat consilio, præstabat ingenio. Jejunabat omni hebdomada. Omni mense confitebatur devotissime bis, ac sanctæ ecclesiæ Sacramenta recipiebat. Corruptelas, fallacias, inquietates, malignitates, et cetera ab altissimo creatore D. N. Jesu Christo et Ecclesia prohibita penibus vitabat, Deo totique curiæ cælesti totis conatibus servire et complacere studebat. Cetera faciebat, quæ ad sedem et regnum gloriæ vitæ æternæ vocatus facere nititur et debet. Misericors erat, pius, humanitate et dulcedine repletus. Delicias mundique vanitates, vitia, dissolutiones spernendo fugiebat; nec ullo pacto in ea voluntarie incidisset. Infinita faciebat bona, et in statu gratiæ ultimorum suorum dierum tempore erat. Bona sua in tres dividebat partes, aliam Christi pauperibus, unam ecclesiæ dispensabat, reliqua in suos usus ».

ANNOTATA

a *Franciscus Irenicus in Exegesi Germaniæ lib.* III, *cap.* CVI *de hoc Jacobo Marchione Badensi agens ita*

EX ITALICO BLANCARDI.

ita scribit : Filios sex fortuna indulsit; unum, cujus nomen inter Divos relatum est, duos episcopatibus amplissimis instructos etc. *Hæc monuisse sufficiat : nam quidquid sit de hoc diverso filiorum numero, parum ad propositum nostrum pertinet.*

b *Hic Imperator ab aliis III ab aliis IV vocatur. Ab anno* 1440 *cœpit regnare, et diutissime imperium tenuit.*

c *Blancardus in Vita Italica* B. Bernardi *cap.* IV *dicit, hoc cilicium suo tempore reverenter conservatum fuisse in ecclesia S. Mariæ oppidi Moncaleriensis.*

d *Modo scribitur hujus viri cognomen* Argot, *modo* Ergot. *Sed frustra illius memoriam apud Waddingum aliosque Franciscanos scriptores quæsivi.*

e *Amurath II obiit anno* 1451, *cui successit Mahomet II, qui usque ad annum* 1481 *Turcicum imperium gubernavit. Cum igitur* B. Bernardus *hæc circa annum* 1458 *gesserit, puto pro Amurathe II substituendum esse Mahometem II, qui anno* 1453 *Constantinopolim intercepit.*

f *Is electus est pontifex anno* 1455, *et obiit*
B *anno* 1458.

g *De hoc Ludovico, qui Lugduni anno* 1465 *obiit, videri potest Philibertus Pingonius in Arbore Gentilitia Ducum Sabaudiæ pag.* 55.

h *Hujus leprosi nomen et cognomen a Blancardo exprimitur, ut in miraculis ab eo collectis postea apparebit.*

i *Hæc Yolanta fuit uxor B. Amadei Ducis Sabaudiæ, de quo actum est ad diem* XXX *Martii.*

k *Summus Pontifex creatus est anno* 1471, *et mortuus anno* 1484.

MIRACULA

Collecta a Joanne Baptista Blancardo et Italice anno 1628 Taurini edita, quæ nos Latine interpretati sumus.

C *Blancardus nonnulla præfatus,*

Miracula certo demonstrant Catholicæ Ecclesiæ et fidei nostræ veritatem, ac præterea probant, Sanctos jam æterna beatitudine frui, eorumque intercessionem hominibus prodesse. Hinc misericors Deus variis signis voluit orbi ostendere, Bernardum jam receptum esse inter illos cælestis aulæ principes, qui a nobis invocati preces nostras divinæ Majestati offerunt, et malis nostris impetrant remedia, omnem naturæ vim et humanam artem superantia; sicuti dum, Deo largiente mortuis vitam, surdis auditum, cæcis visum, claudis gressum, leprosis, aliisque desperatis ægris prodigioso modo sanitatem restituunt. Multi opem B. Bernardi implorantes experti sunt stupenda hujusmodi beneficia, quorum aliqua ex archivo Montis Calerii aliisque antiquis scriptis eruta hic breviter recensebo.

refert primum miraculum, quod in exsequiis B. Bernardi contigit.

2 Dum corpus Bernardi ad exsequias celebrandas in Monte Calerio in ecclesia beatæ Mariæ ante summum altare collocatum esset, eoque tempore R. P. Joannes Ergot de B. Marchionis sanctitate, castimonia, aliisque virtutibus ad frequentem populum verba facere, inter alios aderat ante portam templi quidam D leprosus simul et elumbis, nomine Georgius Corderius, ex Monte Calerio oriundus. Is excitatus sanctimonia Bernardi, quam a concionatore laudari audiverat, B. Marchionem invocat, et vovet sese ad ejus sepulcrum, si sanitati restituatur, picturam beneficium repræsentantem una cum duabus cereis tibiis appensurum. Voto facto, statim ab illa infirmitate liberatur, et reliquo vitæ tempore sanus remansit. « Quo viso miraculo (ait de Turrelis) *a* clerus et » populus Deum cum cantu et jubilo laudarunt et » benedixerunt » *b*.

a

b

Vir mutus simul et claudus ejus patrocinio sanatur;

3 Dominicus Darmelli Moncaleriensis linguæ usum perdiderat, et præterea sese e lecto movere non poterat. Revolvens secum sanctitatem B. Bernardi, statuit intercessionem illius implorare, et emisit votum rependi genibus a porta templi usque ad B. Marchionis sepulcrum : quod cum fecisset, jam sepulcro propinquus, loquelam recepit. « Quæ » gesta sunt præsente universo clero et populo » dicti loci laudantibus et benedicentibus » Dominum. Dominicus vero, recuperata sanitate, » voce magna exclamabat, se ad laudem et E » gloriam divinæ Trinitatis, precibus et meritis » B. Bernardi fuisse liberatum ». Usus sum ipsissimis verbis antiqui scripti, ex quo hæc transcripsi.

alter vero primum hydropicus sanitatem obtinet, ac deinde fulmine ictus reviviscit.

4 Anno MCCCCLXI Andelius Martinolius Bertola, qui Montem Calerium incolebat, devote B. Bernardum venerabatur, et se quotidie orationibus illius commendabat. Is immedicabili hydrope afflictus a Beato sanitatem petiit ac obtinuit, in cujus beneficii memoriam indies B. Marchionis sepulcrum invisebat. Accidit, ut idem vir aliquando ruri versaretur, et magna fulminum ac tonitruorum tempestate suborta, fulmine percuteretur sub arbore, ad quam vitandæ tempestatis causa se receperat. Postquam ibi unius diei spatio mortuus jacuisset, cadaver ejus inventum deferebatur ante sepulcrum B. Bernardi, quem in vita pie coluerat, et intercessione illius subito revixit.

Canonicus immedicabili morbo,

5 Bartholomæus Ferrari canonicus sanctæ Mariæ in oppido Moncaleriensi, ubi corpus B. Bernardi sepultum est, insanabili quodam morbo et acutissimis doloribus opprimebatur. F Vovit igitur ceream tibiam ad Beati sepulturam suspendere, et voto impleto mox convaluit.

mulier sterilitate,

Mulier sterilis promisit B. Bernardo offerre ceream candelam, qua oblata, post novem menses peperit filiolum, cui Bernardi nomen imponi jussit.

et adolescens febri liberantur.

Adolescens febri afflictus in extremum vitæ discrimen venerat. Imploravit opem B. Bernardi, et emisso voto, statim a febri liberatus est.

Juvenis manuum ac pedum usum recuperat,

6 Juvenis quidam Carmaniolensis *c* manus et pedes movere non poterat; neque ei medicamina quidquam proderant. Auditis miraculis B. Bernardi, primo peccatorum confessionem instituit, ac dein se ad Beati sepulcrum portari jussit, ubi extemplo tam perfecte sanatus est, ut pedes domum redierit.

c

et puero combusta manus prodigiose restituitur.

Filiolus Rufini Darmelli, non observantibus domesticis, incidit in focum et manum usque ad brachium omnino combussit. Mater statim ad intercessionem B. Bernardi confugit, et manus puero prodigiose restituta est.

7 Petrus

Quidam pater B. Bernardi opem implorans filio sanitatem impetrat.

7 Petrus Joannes Maria opulentus civis Moncaleriensis unicum habebat filium, nomine Chiafredum, qui quotidiana et assidua febri adeo affligebatur, ut nulla superesset sanationis spes, et paulatim ad agoniam deduceretur. Pater audiens ex medicis, filium suum nullis humanis remediis juvari posse, adiit sepulcrum B. Bernardi, et filii sanitatem suppliciter ac instanter flagitavit. Domum reversus invenit filium plane sanatum: « quamobrem pater et filius simul laudantes » et benedicentes Deum, Missis, orationi» bus, et oblationibus sepulcrum Sancti vene» rati sunt ».

et adolescens ad eumdem Beatum confugiens ex morbo convalescit.

8 Morbus omnino debilitaverat manus et pedes cujusdam adolescentis, eique loquelæ usum eripuerat. Parentes et amici arte medica languorem vincere nitebantur. At videntes, eum nullo modo sanari posse, ægrotanti in memoriam revocarunt miracula, quæ B. Bernardi invocatione patrabantur. « Ip» sius Sancti (verba sunt processus canoni» zationis, qui ad instantiam ducissæ Yolantæ » institutus est) ægrotus præsidium invoca» vit, et subito incolumis e lecto surrexit ». B Deinde invisit sepulcrum Sancti, eumque Missis, oblationibus et laudibus honoravit, et parocho ecclesiæ ac populo miraculum manifestavit.

Idem Beatus duos conjuges febricitantes,

9 Duo conjuges continua febri summopere vexabantur. Itaque omni ope et reparandæ sanitatis spe destituti, Sancto votum obtulerunt, ejus sepulcrum visitarunt, illiusque auxilium enixe flagitarunt, ac liberati sunt. Processus Canonizationis hæc subjungit: « Missis, orationibus, et oblationibus Deum et » Sanctum laudabant ».

virum e renibus laborantem,

Guilielmus De Peneagli Moncaleriensis ita e renibus laborabat, ut erectus stare non posset. Poposcit opem ab hoc Sancto, et subito ab illa infirmitate sanatus est.

et alterum triginta annis morbo detentum sanat. *d*

Unus ex nobilibus loci vulgo dicti Villar Di Basse *d* triginta annis fractura pedum et hernia detentus fuerat, ita ut sine alterius subsidio se movere non posset. Insuper in hac infirmitate continuis doloribus cruciatus, confugit ad intercessionem istius Sancti et Missam votivam in C altari ad ejus sepulcrum posito celebrari jussit, ac protinus convaluit.

Infans habens rupta ilia *e*

10 Uxor Peironetti Ponseti ex pago S. Mauritii *e* peperit filiolum, rupta ilia habentem, talique hernia affectum, ut morti proximus crederetur. Mater ad Sancti nostri præsidium recurrit, et beneficium petitum obtinuit: nam, puerulo quamprimum sanato, ipsa sacram sepulturam visitans, Sancti beatitudinem collaudavit, ut loquitur processus Canonizationis.

et alius puer hernia graviter affectus sanantur.

Joannes Varotus Moncaleriensis deprehendens, filiolum suum hernia laborare, consuluit medicos aliosque hujus morbi peritos; sed frustra huic malo remedium quærebat. Quare, omni arte humana deficiente, recurrit ad nostrum Sanctum, « et filius ab ipsa » infirmitate incolumis evasit, et usque in » hodiernum diem convaluit » (verba sunt informationum anni MCCCCLXVIII) laudans Deum, et visitans Sancti sepulturam.

f *g*

11 Quidam Tarentasiensis *f* tempore hiemali per montem Cenisium *g* iter faciens tantam frigoris, nivis ac ventorum intemperiem perpessus est, ut manus ac pedes congelatos haberet, omnemque illorum membrorum vigorem, usum ac motum penitus amitteret. Sed invocans B. Bernardum Montis Calerii illico liberatus est, vires recuperavit, et in memoriam accepti beneficii adivit Sancti sepulcrum et ibi laudando ac benedicendo Dominum, præter orationes, Missas et sacrificia, obtulit christiana simplicitate eam frumenti copiam, quæ corporis sui gravitatem pondere æquabat.

EX ITALICO BLANCARDI.

Quidam frigore congelatus membrorum usum recipit.

Gallus ex equo delapsus vulneribus suis medelam, *h*

12 Dum Gallus quidam in itinere Villam Novam Astensem *h* attigisset, cadens ex equo, digitos et coxendicem fregit, atque immensum dolorem sensit. Perpendens de nocte miracula B. Bernardi, qui in Monte Calerio quiescit, « votum mente concepit, et precibus » ejusdem Sancti fuit liberatus », atque in memoriam hujus beneficii cercam candelam ad ejus sepulcrum obtulit.

et mulier filiæ suæ ægrotanti pristinam valetudinem obtinet.

Uxor Thomæ De Virle Moncaleriensis habuit filiam, nomine Franciscam, quæ ita ægrotabat, ut ad mortem propinquaret. Domesticis nil nisi ejus obitum exspectantibus, illa in mentem revocans innumera miracula, quæ Deus per intercessionem B. Bernardi faciebat, ad illius patrocinium recurrit, et statim E morbo liberata visitavit simul cum matre sepulcrum Beati, laudans Deum et omnibus declarans miraculum.

Canonicus periculoso asthmate aliisque malis oppressus convaluit,

13 R. D. Hercules Cravetta, canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ in oppido Moncaleriensi, podagra in lecto detentus die XVI Decembris anni MDCVI circa mediam noctem dolore stomachi et asthmate, ex quo sudor aliique angores oriebantur, ita fuit oppressus, ut vix posset respirare, et mortem sibi jam instare crederet. In hac angustia recordatus beneficiorum, quæ Deus patrocinio B. Bernardi multis concesserat, vovit perpetuum jejunium in ejus vigilia, promisitque, se festum illius quotannis celebraturum. Confestim, emisso voto, cruciabile hoc periculum evasit, et palam professus est, hoc beneficium sibi præstitum fuisse intercessione B. Bernardi, cui se semper postea addictissimum ostendit. F

et alter ex lapsu læsus citum vulneri remedium invenit.

14 Prosper Marchettonus incola loci, qui vulgo vocatur Cumiana *i*, videns in ecclesia S. Mariæ plebis Cumianensis antiquissimam Bernardi nostri picturam, pulvere obsitam, voluit eam mundare et aqua abluere, ut ex isto prototypo similis imago pingeretur. Accepta igitur aqua lustrali picturam conspersit, tenensque manu aquam, dum imaginem omnino a sordibus festinat expurgare, offendit in scamnum ac tam graviter lapsus est, ut pellis dexteræ tibiæ ad longitudinem trium digitorum cum copiosa sanguinis effusione et maximo cruciatu dilaceraretur. Tunc cum Sancto amice conquestus est, eo quod hoc infortunium sibi inter abluendam ejus picturam accidisset, et B. Bernardum oravit, ut huic malo mederi dignaretur. Interea incidit ipsi cogitatio miscendi cum eodem pulvere aquam a pictura stillantem, eamque vulneri suo applicandi. Dum inefficax hoc remedium magna cum fiducia adhibet, repente omnis dolor resedit, et tempore matutino sequentis diei jam vulnus ita obductum erat, ut ne cicatrix quidem appareret; cum alioquin opera medicorum aut chirurgorum vix quindecim dierum spatio sanari

EX ITALICO BLANCARDI.

sanari potuisset. Unde ob hoc beneficium se postea semper Sancto devotissimum exhibuit.

B. Bernardus ab oppido Moncalerienst pestem avertit. 15 Vespillones *k*, qui tempore contagionis anno MDXCIX tam crudeliter tractaverant urbem Taurinensem, decreverant etiam Montem Calerium lue inficere. Dum hoc diabolicum propositum executioni mandaturi, vellent circa medium noctis transire pontem Padi, invenerunt in ponte juvenem imberbem, armatum, albo equo insidentem, et facie omnino similem imagini B. Bernardi. Is non solum transitum illis prohibuit, sed etiam irato vultu eos ita terruit, ut semper a transitu impediti fuerint, ac tandem impium consilium mutaverint.

In processu Canonizationis, qui anno MCCCCLXXVIII institutus est, inveniuntur multa alia beneficia et miracula, quæ hic brevitatis causa prætermitto.

ANNOTATA.

a *Hic Antonius De Turrelis vel Torrellis fuit* B *secretarius Philiberti I Ducis Sabaudiæ, ejusque jussu non diu post mortem* B. Bernardi *Vitam et miracula illius collegit, quæ utinam obtinere potuissemus.*

b *Quæcumque his signis » notavi, sunt ipsa verba ex antiquis monumentis desumpta, quod his semel præmonuisse satis est.*

c *Hæc urbs, vulgo* Carmagnola *in Marchionatu Salutiarum, sed intra limites Pedemontii proprii* D *sita est, distatque Taurino versus meridiem octo milliaribus, et a fluvio Pado vix duobus.*

d *Noster Joannes Hornig hic in sua interpretatione Germanica erravit, putans* Villar Di Basse *esse nomen istius viri nobilis, cum interim hoc nomine appelletur pagus non longe ab urbe Taurinensi versus occidentem situs*

e *Hujus nominis pagus cernitur in mappa geographica non procul Taurino dissitus in septemtrionem.*

f *Tarentasia vulgo* Moutiers, *urbs Sabaudiæ nomen suum tractui adjacenti tribuit, cujus ipsa caput est. Fuit patria Innocentii V summi Pontificis.*

g *Notissimus mons, a Gallis dictus* Mont Cenis, *qui partem Alpium Cottiarum in Sabaudia constituit, ubi est transitus e Gallia in Italiam.*

h *Hoc oppidum culgo dictum* Villa Nuova D'Asti *sub dominio Ducis Sabaudiæ distat Taurino duodecim milliaribus versus orientem.*

i *Est pagus inter colles et duos rivos non procul Pinarolio situs, ut videri potest in mappis geographicis.*

k *In Germanica versione P. Joannis Hornig,* E *hujus crudelitatis auctores, tamquam nomine proprio vocantur* Monati. *At ego per eam vocem intelligo vespillones, qui ab Italis vulgo appellantur* monatti. *Utut est, hanc barbaram stragem alias a vespillonibus excitatam fuisse docet Laurentius Beyerlinck in Theatro Vitæ humanæ, Coloniæ impresso, lib.* XIX *ad vocem* Venefici *pag.* 28.

DECIMA SEXTA DIES JULII.

SANCTI QUI XVII KALENDAS AUGUSTI COLUNTUR.

S. Faustus martyr apud Græcos.

C S. Domninus martyr Apriliacensis cum Sociis, Anicii seu Podii in Vellavis Galliæ.

S. Domninus martyr Candiacensis; alius an idem sit cum præcedenti.

S. Domneo martyr, Bergomi in Insubria.

S. Mammes, S. Paulus } martyres Cæsareæ Cappadociæ.

S. Valentinus, S. Theon, S. Diocletius } Martyres.

S. Theodisius seu Theodosius, S. Eustasius, S. Dionysius, S. Theodotus et forte Maximus } Martyres Antiochiæ.

S. Macarius, S. Megetias } Martyres Mediolani.

S. Eustathius Patriarcha Antiochenus. F

S. Hilarinus martyr Ostiensis.

S. Helerius martyr, in Cæsarea maris Britannici insula.

S. Monulfus episcopus, Trajecti ad Mosam in Belgio.

S. Gondulfus episcopus, Trajecti ad Mosam in Belgio.

S. Vitalianus Ep. Conf. Capuæ et Catacii in Italia.

S. Justinianus conf. Lemovicis in Gallia.

S. Reineldis V. M. cum Sociis, Sanctis prope Hallas Deiparæ, in Hannonia Belgii.

S. Tenenanus Leonensis episcopus, in Britannia Armorica.

S. Eugenius

A S. Eugenius Episc. et Socii, Nauli in Liguria.
S. Sisenandus Levita martyr Cordubæ.
B. Ceslaus Odrovantius, Ordinis Prædicatorum conf. Vratislaviæ in Silesia. D

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Milonem, *de quo paucis pridie locuti sumus, ut S. Norberti discipulum, Morinensem seu Teruanensem episcopum, post annos sedis 27, annno* 1158 *mortuum,* Beati *titulo hoc die ornavit Saussayus cum longiori elogio.* Beatum *item vocavit Miræus in folio expanso Sanctorum et Beatorum Ordinis Præmonstratensis, uti et Chrysostomus vander Sterre. Ulterius processere Hispani ejusdem Ordinis, ut patet ex Directoriis ad legendas Horas canonicas. Vidit ex omnia pridem Bollandus, neque tamen dubitavit, in Prætermissis ad* XV *Februarii, de eodem Milone agens, scribere in hæc verba :* B Non colitur ut Sanctus aut Beatus, licet in Ordine recitandi divinum Officium, Madriti 1635 excuso, dicatur ritu duplici coli. Sunt plura in eo libello menda. *Equidem fateor, me prorsus non capere, qua aut cujus auctoritate inductus sit apud Præmonstratenses Hispanos qualiscumque cultus, toto reliquo orbe Catholico, in omnibus sacris Fastis, quin et in ipsomet Ordine Præmonstratensi alibi quam in Hispania ignotus ; præterquam quod apud Belgas, ubi episcopali dignitate floruit, non sciatur, ulla umquam ecclesiastica veneratione donatus : quod mirum est, non vidisse Castellanum, dum ipsum hoc die in Martyrologio suo universali* Beatum *appellavit. Plura Milonis elogia collecta habet, extatque in Vita S. Norberti ad* VI *Junii pag.* 826 *eximium de ipso dictum ; quod nempe, ut S. Bernardus fide, sic ipse humilitate excelluerit : et narrantur quidem apud Saussayum miracula ad ejus tumulum patrata. At enim hæc omnia necdum probant, verum cultum ei legitime ab Eclesia vindicatum, qui si nobis satis demonstretur, de* C *Milone agi poterit, vel in hujus mensis appendice, vel in supplemento ad dictum supra diem* XV Februarii.

S. Fulradum, *S. Dionysii in Gallia abbatem, sola* venerabilis *appellatione hoc die decorat Castellanus; at gesta ejus, tamquam* Sancti, *pridem illustrata sunt* XVII Februarii.

Walterus martyr, *in aliquo Kalendario a Bollando repertus, pro quo supponat, necdum intelligo ; verosimile est, eum indicari, de quo egimus* V Junii.

S. Valentinus *ut* episcopus Trevirensis et martyr *signatur hoc die in editione Lubeco-Col., Greveno, Molano, Galesinio, Ghinio, et in ipso Romano, habetque hoc die lectiones duas in Proprio Trevirensi. De eo* S. Valentino *disputavit Henschenius ad diem* VII *Junii, principiis a se alibi stabilitis inhærens, ubi num.* 6 *ita loquitur :* Si tamen certiora monumenta nobis Trevirenses indicent, libenter omnia retractabimus, cum gratiarum actione ad diem XVI Julii, quo S. Valentinum Treviris adscribit, Romanoque Martyrologio inscripsit Baronius, alias a nobis ibi prætermittendum. *Hæc jam ab annis ferme triginta publici juris facta sunt, visa procul dubio, et lecta a Trevirensibus ; qui cum tacuerit hactenus, nihil est quod moveat a Majorum opinione recedere, ut proinde videnda sint ea quæ jam diximus haberi* VII Junii.

S. Elpidium *(vulgo* Ylpise *seu* Ilpise) *in Arvernia hoc die annuntiat Castellanus, cujus reliquiæ Brivate honorentur, ibique colatur ut Martyr; de quo longiorem historiam compilavit Jacobus Branche. Nos de eo et socio* Archontio *egimus* XVIII Junii.

Anatolius episcopus confessor *a solo Greveno positus, quo reducendus sit, nemo facile divinaverit, non magis quam quid velit Florarium Ms. dum scribit,* Anatoli Ep. et Conf. translatio. *Si Laodiceno aptari possint, de eo jam actum est* III Julii. E

S. Udalrici inventio *in ejus monasterio Augustano facta hoc die a Bucelino memoratur anno* 1183; *de sancto Episcopo satis dictum est die quo colitur* IV Julii.

S. Petri Cretensis martyris ac junioris certamen *signatur hac die in Synaxario Sirmondi. Ea characterismorum convenientia est in hodierno Petro, atque in synonymo, die* XIV *hujus notato, ut quamvis huic apponatur titulus episcopi, hodierno non item, non dubitem tamen, quin idem utrobique designetur. Adi itaque dictum diem.* XIV Julii.

S. Bonaventuræ *natalem, ut Dominica secunda Julii celebratum, signat hoc die editio Lubeco-Col. : de eo aliisque rebus ad Sanctum spectantibus actum est* XIV Julii.

Catulinum diaconum, Januarium *etc. ad hunc diem transtulit Usuardus Hagenoyensis, modo ipsi satis familiari, ut alibi notavimus. De tota ista Martyrum cohorte actum est die præcedenti* XV Julii. F

Philippus *Item cum Sociis martyribus Alexandrinis in eodem Hagenoyensi codice hoc die recurrit ; sed de ipso vide* XV Julii.

S. Abudimus M. *cum elogio signatur hoc die in Menæis impressis ac Maximo Cytherorum episcopo ; sed eumdem hunc esse cum eo, quem notarant die* XV *hujus, et quem nos tunc dedimus cum Martyrologio Romano, liquet ex characteribus inter se collatis eodem die* XV Julii.

Ælherium *nobis hoc die magnis terminis annuntiat et laudat Saussayus hoc modo :* Mediolani Aulercorum, seu apud antiquum castrum Ebroæ, sub Lugdunensi secunda, natalis sancti Ælherii episcopi et martyris, Lisarchiis ab hæreticis occisi, cujus præconium alio die in isto Martyrologio descriptum est. *Vaga locutio, quasi ipsi difficile fuerit, diem indicare, quo alias de sancto isto Ælherio locutus sit, siquidem usquam ipsum antea nominaverit. At Saussayo novum non est, modica variatione inducta Sanctos geminare, uti*

hoc

A *hoc ipso die patet in* Juliano *et* Justiniano *Lemovicensibus, quos eodem die, licet diverso loco memoravit. Sic, nisi ego vehementer fallor, sub tota illa magnifica positione non alium Sanctum nobis profert quam* Æternum Ebroicensem Episcopum martyrem, *de quo ex ipso et Castellano egimus die præcedenti* xv Julii.

Paulum Dionysium et Theodulum *ex nescio quo codice Ms. se desumpsisse testatur Galesinius, opinor ex contracto aliquo codice Hieronymiano, in quo nomina plerumque unde et confuse describuntur.* Paulus *socius est* S. Mammetis *Cæsareæ Cappadociæ ;* Dionysius *et* Theodulus, *pro* Theodoto, *ad Antiochenos spectant, de quibus omnibus hoc die agitur : at quomodo Romam eos perduxerit Galesinius, necdum satis assequor.*

Hilarius martyr *in Florario Ms. aut pro* Hilarino *accipiendus aut pro* Helerio ; *de quibus vide suo loco.* Trevelinus *in eodem codice etiam* martyr, *nescio unde efformatus sit, certe alibi ignotus.*

Symmachus episcopus *ibidem, non magis admittendus est, donec distinctiores notæ accedant.*

S. Fausti martyris Romæ, cujus corpus Mediolani in templo S. Antonii abbatis requiescit, *meminit hoc die Petrus Paulus Bosca in Martyrologio Mediolanensis ecclesiæ, alibi non semel citato ; ubi in notis monet, accepta ea esse* ex tabulario templi Antoniani, ubi hodie fit Officium ritu duplici de S. Fausto, cujus corpus religiose ibidem conditum, sicuti omnia alia lipsana ejusdem sacræ ædis, egregio cultu conservatur. *Subdit porro,* templum hoc Antonianum tot sacra lipsana locupletant, ut huc cryptam aliquam Romanam censeas commigrasse. *Certe non minimam sacrorum eorum corporum partem Roma Mediolanum translatam fuisse, ex solo hujus mensis specimine intelliges : videsis apud Boscam diem* 1, 10, 13, 20, 24, 29 *et* 30. *Longe melius de ecclesia Mediolanensi mereri poterat Bosca, si solos Sanctos indigenas, saltem Mediolanensium proprios, recensuisset.*

Therapionem *aliquem ex Æthiopia accersivit Castellanus, quem haud dubie signatum invenit in Fastis Copticis Seldeni vel Ludolfi. Tam plus semel professus sum, id genus Sanctos a nobis non admittandos, nisi aliunde de ipsorum orthodoxia et cultu plane constiterit.*

C Commemoratio solennis B. Virginis Mariæ de monte Carmelo *hoc die agitur cum Officio et Missa propriis ex decreto Clementis PP. X, pro regnis, provinciis et ditionibus Regi Catholico subditis : sed de festis Deiparæ propriis nos alibi acturos, pridem polliciti sumus.*

Torbachi, *filii Germani, scribæ, lectoris et abbatis Ardmachani meminit Colganus in septima appendice Patriciana pag.* 294, *ubi ait* coli *ipsum* xvi Julii : *quæro ubi, a quo tempore et qua auctoritate? In Catalogis Sanctorum Hiberniæ necdum consignatus est.*

Theodorus martyr Antiochiæ *nescio unde a Greveno acceptus sit, sejunctus a Sociis, quos cum ipso infra ex Hieronymianis referimus.*

Marini episcopi et martyris *meminerunt hoc die editio Lubeco-Col. et Grevenus, nullo charactere addito, quo in distinctiorem notitiam quis deveniat ; quæ ubi accesserit, haud dubie ad aliquem* S. Marinum *pertinebit, de quo inter tam multos jam actum est, aut deinceps agetur ; nisi ex* Marina *diei sequentis,* Marinus *efformatus sit.* Marinum *aliquem* episcopum in Scandinavia *signat hoc die Castellanus, verum et hic nobis ignotus est, diu quærendus in Scandinavia antiqua, quin imo et in hodierna Scania, nisi distinctiora suggerantur. In tota Vastovii Vite Aquilonia nihil est quod ad* Marinum *vel eminus accedat. Doceant nos Sueci, Norwegi aut Dani, an ad ipsos pertineat, quando vixerit, quid gesserit, quo umquam loco cultus fuerit ; non deerit opportunitas res ejus postmodum illustrandi.* D

Cyrici *alicujus meminit hoc die codex Hieronym. Epternacensis, tacentibus aliis, ut male hic a librario insertum credam, quod interim infra insinuatur, ubi de S. Hilarino agimus. Sive autem vero nomine* Cyricus *sive* Cyriacus *sit, alio spectari videtur, ut opportuniori loco explicabitur.*

Sanctæ mulieres multæ gladio martyrium consummasse *notantur in Synaxario chartaceo collegii nostri Divisionensis, seu Petri Francisci Chiffletii, aditis ibidem duobus versibus. Plura, quæ ad locum, palæstram atque ætatem spectant, cum explorata nobis non sint, solam hic illarum memoriam servamus.*

Celebritas sanctorum dcxxx Patrum, quartæ synodi œcumenicæ in urbe Chalcedone, tempore Marciani Imperatoris *a Græcis hoc die recolitur, uti constat ex Menologio, a Sirleto Latine reddito, ac Synaxario Basiliano. Kalendarium Ruthenorum apud Possevinum in Apparatu sacro tomo* II, *pag.* 367, *male habet* Concilium sanctorum Patrum ccccxxx. *In antiquissimo Friderici Lindebrogii bibliothecæ Menologio, et Martyrologio Arabico-Ægyptio a Gratia Simonio Maronita, deinde archiepiscopo Tripolitano in Syria, in latinum converso, notatur memoria sex conciliorum ; quæ Kalendarium Græcorum a Genebrardo editum ac Menea magna impressa distincte recensent, addito numero Patrum, qui eis interfuere : quod et observari lego in Menologio Slavo-Russico Sparwenfeldiano ; ponente concilia septem. Typicum S. Sabæ quinque enumerat, assignatque Officium sacrum. Habent præterea Menæa Officium a Philotheo, ut perhibent, patriarcha CPolitano compositum, et statis diebus cantandum ; nec non pro synodi Chalcedonensis auctoritate ac fidei veritate ad sacras exuvias S. Euphemiæ virg. et mart.* Theodosio, Arcadii filio, sceptra imperii tenente, accidisse prodigiosi aliquid *narrant, miraculum videlicet, non tunc, sed postmodum patratum annitente S. Anatolio, episcopo CPolitano ; quod habes in ipsius Vita tomo* I *Julii pag.* 663 ; *certe ibidem in decursu narrationis dictorum Tenxorum illud recte subnectitur Marciano Imperatori ac synodo Chalcedonensi ; ubi et die* ii *hujus patratum narratur sub eodem Marciano ac Pulcheria. De qua re videri etiam potest utroque die Maximus Cytherorum episcopus, Menæorum descriptor. Patres dictæ quartæ synodi in Horologio Romæ Græco idiomate edito anno* 1677, *in usum Basilianorum monachorum, commemorantur die* xiii *hujus. Sex synodorum picturas repræsentant Ephemerides Græco-Moscæ ante tomum primum Maii, pag.* xxxv ; *quæ explanantur ibidem pag.* xxxvi ; *ubi et de earum usu publico in templis, abrasione sub Iconoclastis ; ac studiosa deinde sub aliis restauratione.*

Macra virgo, regis Scotiæ filia, et S. Guthagoni soror *solius Camerarii auctoritate in Menologio Scotico hoc die locum habet : plus aliquid*

A *quid requiritur ut in hoc opere habeat.*

Harruchus abbas Amarbaricensis, et octavus episcopus Verdensis *notatur ab eodem Camerario; sed nos die præcedenti de eo inter Prætermissos locuti sumus.*

S. Valentinus *ut argentoratensis episcopus, locum inter Sanctos pro hoc die debet Constantino Ghinio, Democharem citante, sed in quo certissime non reperit, eum hoc die obiisse; annum reperit* 689.

S. Solarius *ut successor* S. Valentini, *ex eodem fonte a Ghinio etiam producitur, qui æque ac alter triennio sedem tenuisse dicitur, mortuus an.* 692. *Atque hæc ex Demochare deducuntur. Scripserat Bruschius*, S. Valentinum virum *fuisse* sanctissimæ conversationis : S. Solarium *autem* venerandum et religiosissimum senem. *Ille octavus ordine fuisse dicitur, hic nonus. Quid certo de iis dici possit non invenit Wymphelingus in antiquiori suo Catalogo an.* 1508 *Argentorati edito; in quo post Valentinum solum lego :* Hos tres antistites Justum, Maximinum, Valentinum invenimus Sanctos appellari *(quod de Solario non addi-*

B *dit)* et cum diadematibus depingi, credíturque, ipsos inter Divos esse receptos. *Id equidem non negaverim, at quo die colantur aut colendi sint,* Valentinus *et* Solarius *doceri cupio. Castellanus ipsos reposuit inter suos aemeros, ut quorum natales omnino ignorentur. Si quid ad rem illustrandam suggerere possint Argentoratenses, non deerit locus quo de ipsis commode agi possit.*

Agnellam *viduam Romanam, ut* genere et virtutibus nobilissimam *Gynæceo suo, cum titulo* Sanctæ, *hoc die inscripsit Arturus; citans elogium ejus aliquod ex S. Ennodii Papiensis, de quo die sequenti agendum erit, lib.* XII, *ep.* V, *quod hic examinandum non suscipio. De cultu doceri cupio, cui decernendo sufficientem necdum agnoverunt Majores nostri auctoritatem Arturi; neque quælibet sancti Patris alicujus laudatio debitam Canonizationem importat.*

De Bramidanula *virgine, ibidem etiam ab Arturo signata, idem a fortiori censendum, pro cujus sanctitate vindicanda adducantur Joannes Nyder in Formicario et Bzovius in Annalibus ad annum Christi* 1435, § LXIV.

C Joannem abbatem monasterii ad S. Albanum in Anglia, *solus hoc die nobis suggerit Bucelinus,* ex diversis Rerum Anglicanarum scriptoribus : *mallem citasset Martyrologium aut saltem instrumentum aliquod probatum, ex quo constaret* 1, *eum vere Sanctum esse;* 2, *in hunc diem natalem ejus vere incidere; in quibus nimis rotunde pergit Bucelinus.*

Irmengardis *itidem Sanctis ab eo adscribitur hoc ipso die,* in monasterio Chiemensis insulæ, *quæ fuerit* Ludovici regis filia, et prima ejusdem loci abbatissa, vitæ sanctimonia, et miraculorum gloria celebris; quæ usque hodie, devote invocantibus, prodigiose opitulatur. *Tria hic postulo. Primum, ut Irmengardis ista paulo distinctius depingatur;* 2, *ut probetur, hoc die mortuam esse;* 3, *ut pateat, cultum ei legitima auctoritate exhiberi.*

Landricium *Sagiensem episcopum* Sancti *titulo donaverat Castellanus in suo Martyrologio universali; verum in Supplemento ad hunc diem recte monuit, solum* Venerabilis *nomen ei competere.*

Reineldem, *seu potius* Reinheldem *aliquam*, D *absque ullo distincto natalis die, decessoribus nostris, cum satis mira narratione, suggessit sæpe a nobis laudatus P. Joannes Gamansius; de eadem postmodum interrogatus P. Joannes Kloppenburg, alia scripsit, ex nescio qua historia Ms. nostri P. Turkii : ambo etiam sepulcri delineationem adjecisse videntur, sed quæ non magis inter se cohæreant, quam ea quæ de ipsius* Reinheldis *gestis et cæde, ex mera et obscura populari, quantumvis pertinaci, traditione circumferuntur. Rei totius summa ad hoc ferme reducitur, quod* in pago Risenbeek, non integræ horæ itinere ab oppido et arce Bevergern dissito; *intellige* in territorio Lingensi, prope monasterium Gravenhorstanum diœcesis Monasteriensis, *reperiatur tumulus seu sepultura, ad tres pedes e terra eminens, sub tecto aliquo, quatuor columellis suffulto, ubi visitur effigies feminea, rudi et vetusto artificio elaborata, adscriptis in machinæ ambitu continua serie hisce versibus, per varias abbreviationes contractis :*

Fundant quique preces pro virgine quæ fuit heres E
Patris defuncti, genitrix quam sponte secundi
Conjugis occidit; mox percipiendo petivit
Sidereas sedes, Christi pia facta coheres.
Gerardus, Reinheldis obi.

Quid innuant tria ultima verba, neque explicatum invenio, neque mihi promptum est divinare. Aiunt referri istic prædictam Reinheldem, *quæ rusticis orta parentibus, dum pietati suæ indulgens, relicto aratro templum peteret, equos aratrum ductasse, acsi ipsa adfuisset, aliaque patrasse, per quæ vitrici odium adeo incurrit, ut ipso instigante (contra quam ferant versus) a propria matre strangulata fuerit. Adjuncta alia varie exornata non enumero. Mortuæ cadaver a juvencis sponte deductum asserunt ad locum ubi postea templum conditum, in quo tumulus hodiedum exstare dicitur, quodque monasterio isti Gravenhorstano, anno* 1256 *primum fundato, postmodum cesserit, ut multis ante annis* Reinheldem *istam vixisse oporteat. Hæc omnia confuse lego absque ulla, etiam remotissima temporis nota. Sepulcri binas delineationes intueor, utut inter se dispares, utrobique tamen non feminam habitu rusticam,* F *sed veram sanctimonialem referentes, ut certi nihil ex scriptis aut pictis colligi possit, ne quidem ullum veri alicujus cultus, vel saltem inchoati vestigium; præterquam quod in nullis prorsus sacris Fastis, aut propriis Mss. Westfalicis hujus* Renheldis *sciatur exstare memoria. Inter schedas nostras invenio, notasse Papebrochium, de ea agi posse hoc die, occasione* S. Reinildis Sanctensis; *at priusquam inter Sanctos ei locum concedam, distinctius docere cupio, quo die in ipso loco, quo ritu, a quo tempore, et qua auctoritate colatur : ultro et libentissime de ipsa in Supplemento acturus, ubi certiora Catholicæ venerationis argumenta poterunt suppeditari.*

Marcellinus *in nonnullis Kalendariis nude signatus, cum quo inter tot synonymos Sanctos confundendus sit, necdum mihi liquet.*

Godefridus Bullionius *Martyrologio Romano, gallice verso et Leodii edito* 1624, *aliis litteris adjectus, ad hunc diem non spectat. Jam diximus in Prætermissis die præcedenti laborum heroicorum coronam recepisse* XVIII *hujus,*

A *jus, quo ejus memoriam in eodem elencho iterum agimus.*

Clarum *in Cartusia majori, Ordinis sui Generalem* XIX, *ex Priore Parisiensi,* Beati *titulo, sed sub* piorum *tantummodo classe, donat Saussayus, hoc die, cum hoc elogio.* Qui juxta omen nominis clarus in vita et morte, clarum radiis gratiæ spiritum, gloriæ clarificandum splendoribus anno 1337 in sui Redemptoris manus pie efflavit. *De eo alibi nihil hactenus quidquam invenimus.*

Bernardum de Majorca *titulo* Beati *honorant Henriquez et Chalemotus, ut virum a S. Bernardo satis mirabiliter conversum, et postea* morum probitate celebrem, *qui* tandem post plura bona opera purissimam exhalaverit animam, adscriptus in communi Sanctorum Ordinis Hagiologio, *Kalendario, ut opinor, Divione excuso, in quo etiam* Beatus *dicitur, sed necdum ea auctoritate, quæ sufficiat ut hic inter Sanctos referatur; inter* pios *a Saussayo collocatus, sed a Castellano plane omissus.*

Alanus *tamen ab eo positus est cum titulo* Doctoris venerabilis : *de quo, ne actum agam,*
B *aut hic Chalemoti longum elogium recenseam, vide quæ dicta sunt in Prætermissis die* XXX *Januarii.*

Wernerus Junior, *monachus Eberbacensis, ab Henriquez etiam a Chalemoto, ex his a Bucelino, hoc die relatus, necdum scitur Sanctorum honoribus, saltem legitima auctoritate donatus.*

S. Cunibertus *aliquis ut* martyr *memoratur in Actis* S. Helerii, *de quo hoc die agimus : quis iste* Cunibertus *sit, aut ubi terrarum colatur, nobis compertum non est. In prædictis Actis habentur omnia quæ de ipso dici possunt.*

Bartholomæus de Martyribus *Bracharensis in Lusitania archiepiscopus* toti mundo sanctitatis et doctrinæ fama notissimus, *inquit Altamura in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum;* inter manus fratrum suorum spiritum Deo reddidit, *abdicata nempe jam octo ante annis amplissima dignitate,* XVI *Kal. Augusti anno* 1590, *pro quo die alii melius cum Marchesio scribunt hunc* XVI *Julii. Magni antistitis gesta pridem descripta sunt, speraturque Sanctorum honoribus aliquando donandus : qua super re dum Pontificium oraculum exspectamus,*
C *sufficiet hic adjicere breve laudatissimi Granatensis de eo elogium, quod apud Altamuram legitur :* inter varias pastoralis officii sui curas, numquam Rachelis suæ amplexum deseruit, sed diem pastoralis officii curis, noctem Deo offerebat. Quo tempore quidquid de mystica Theologia a summis viris, hoc est Dionysio, Bernardo, Bonaventura, Gersone scriptum est, studiose legens, has gemmas, super aurum et topazion pretiosas, nobis ministravit. Quibus ego legendis tantopere delectatus sum, ut vere affirmare possim, me nihil hactenus in vita legisse, quod acriores piis hominibus stimulos ad cœlestis philosophiæ amorem adderet, majoremque lucem iis, qui huic studio dediti sunt, præferret. *Plura vide apud laudatos Altamuram, Marchesium et alios passim, quorum omnium meritissima elogia sic contraxit novissimæ Bibliothecæ scriptorum Ordinis sui collector Echardus, ut* ab omnibus uno ore appelletur speculum sanctimoniæ Apostolicæ ; atque episcopalium virtutum, omni ex parte, absolutum exemplar.

Triumphi S. Crucis in Hispaniis *hoc die memoriam in posterioribus suis editionibus retulit* D
Molanus, ob præclaram victoriam, quæ per symbolum Crucis contra Mauros habita est. *Res autem memoratur in nonnullis Kalendariis et notanter a Ferrario, qui eam sumpsisse se ait, ex tabulis ecclesiarum Hispaniæ.* Quod festum, *inquit,* institutum fuit ob victoriam ex Mauris Alphonso rege reportatam anno MCCXII, cæsis ducentis millibus hostium. *Paulo fusius ea victoria describitur in Breviario Cæsaraugustano aliisque, in quibus mirifice extollitur Canonicus Toletanus, nomine Dominicus Paschasius, quod adorandum signum præferens inter conferta hostium agmina intrepidus et illæsus perstiterit, donec barbari ad internecionem deleti sunt. Hic nobis satis est, celeberrimam in Hispania festivitatem paucis indicasse.*

Joannes, Franciscus, Antonius et Stephanus martyres *apud Montem Brisonem in Gallia*
Alphonsus Borroxius *confessor, et doctor, Occaniæ in territorio Toletano*
Innocentius Carpensis *confess. Mirandulæ in Insubria* E
Michael Volaterranus *confessor, Volaterræ in Etruria*
Dominicus Bononiensis *confessor in Thuscia*
Maria Mediolanensis

cum titulo Beati *referuntur ab Artura in Martyrologio Franciscano et ultima etiam in Gynæceo.*

Odonis episcopi Wigorniæ in Anglia, *est Ferrarii annuntiatio in Catalogo generali, ad quam notat his verbis :* Ex tabulis ecclesiæ Wigorniensis. De eo in Vita S. Oswaldi episcopi ejus nepotis apud Surium. *Quot verba, tot fere sphalmata. In Martyrologio Anglicano unicus* S. Odo *colitur, archiepiscopus Cantuariensis, de quo actum est ad diem* IV *Julii. Porro sanctus iste Odo, non habuit S. Oswaldum nepotem, sed patris fratrem seu patruum, quæ omnia disertissime leguntur in S. Oswaldi Vita ad* XXVIII *Februarii, ut meram rerum et nominum confusionem nobis hic propinaverit Ferrarius.*

Leonem *aliquem, cognomento* Præsensem *in eremo Styriæ, ex S. Petro Damiano hoc die eduxit Bucelinus, privilegio, opinor, quod ipse sibi æque atque Arturus proprium existimat, ut* F
quoscumque alicubi laudatos reperit, illos continuo putet Sanctis adscribendos. Pro hoc die nusquam hactenus Leo *iste repertus est ; si vere alicubi colatur, poterit alio die de ipso agi.*

Adeodatus Papa *invenitur in collectione aliqua Sanctorum, seu Martyrologio Ms., quod apud nos Grollus vocatur : de eo egit Papebrochius* XXVI *Junii ; quem velut Sanctis adscriptum notaverat Henschenius ; et recte, cum eo die referatur in Usuardis Florentinis, ut habes in nostra editione inter auctaria. Ceterum nulla hactenus Romæ apud S. Petrum, ubi sepultus dicitur, apparent certi cultus vestigia, ut proinde, et hic prætermittendus sit.* Ego, *inquit Papebrochius,* eum invenio obiisse XVIII Maii DCLXXVII, *quod discutiendum hic non suscipio.*

Diodorum martyrem *ex Campania Italiæ Tamayus Collegio Valentino Patriarchæ D. Joannis de Ribera hoc die vendicat, tamquam socium S. Luciæ martyris, de qua se egisse ait ad diem* VI *Julii, quo et nos in Prætermissis ea notavimus quæ hic repetenda non sunt.*

Elia *seu* Elias, *vel* Helias virgo Trevirensis *ex*

ex Florario Sanctorum Ms. transiit in Grevenum, omnibus aliis Fastis, saltem quos noverim, ignota, de qua nihil etiam reperitur in Propriis Trevirensibus ; ut proinde major aliunde requiratur notitia.

S. Marcellina virgo *soror S. Ambrosii annuntiatur hoc die a Galesinio et aliis, sed de ea cum Romano agemus die sequenti* XVII Julii.

SS. Zoërardi, *dicti* Andreæ, *et* Benedicti martyris *eremitarum festivitas inter Officia propria Patronorum Polonorum hoc die refertur, ubi uterque anachoresim exercuerit et vitæ cursum absolverit. In Officiis, jussu Strigoniensis archiepiscopi anno* 1641 *Posonii editis, coluntur die sequenti. De iis jam locuti sumus in Prætermissis* I *et* V *Maii, atque item obiter* IX *Julii, ad hunc aut sequentem diem eos cum aliis remittentes. At cum Hungaris de iis agemus* XVII Julii.

Leo PP. V *legitur in codd. Usuardinis Medicæo et Strozziano, ubi certo substituendus videtur* Leo IV, *cui elogium aptavit auctor Florarii Sanctorum Ms. in editione Lubeco-Col. et Greveno nonnihil contractum; ast is non hoc die, sed sequenti mortalitatem exuit, ut proinde cum hodierno Romano de eo agendum sit* XVII Julii.

Etingonius M. *habetur in Kalendario Syriaco seu Chaldaico, Romæ edito anno* 1624, *quod Majoribus nostris Latine dictavit D. Josephus e Collegio Maronitico* 1661. *Idem habemus Italice, pridem versum a Simone Moyse, Maronita, dicti Collegii alumno, ubi pro* Etingonio *scribitur* Athenogenes. *Hunc itaque pro isto lege, dandum die* XVII Julii.

S. Athenogenes *martyr inclytus, a S. Basilio laudatus, a Baronio inscriptus est Martyrologio Romano* XVIII *Januarii, nullis usquam Fastis Latinis aut Græcis præeuntibus, occasione, opinor, Martyrum, quos eo die in Ponto ab Usuardo collocatos repererat. Porro hoc die Athenogenem ei suggessit Menologium Græcum, a Sirleto versum, unde eum rursus signavit, ubi tamen non nisi unicum Græci agnoscunt, qui martyrium verosimillime passus est sequenti, quo de ipso agemus, die* XVII Julii.

SS. Cleonici et Stratonici *apud Leontinos in Sicilia* martyrum inventionem *hoc die signat Cajetanus in Martyrologio Siculo, sequenti autem die translationem. Ferrarius* Cleonicum *male transformavit in* Leonicum. *Natalem statuunt ambo, eosque secutus in Ætherea Leontinorum gloria Carolus Antonius Conversanus, diem, quo de ipsis agemus* XXIV Julii.

Sanctorum martyrum Pauli, Theæ et Valentinæ *memoriam hodie agit codex Taurinensis Ducis Sabaudiæ* α ; *de quibus acturos nos heri diximus* XXV *hujus, quo Martyrologium Romanum agit de* S. Valentina. *Rursum itaque monemus, illos dandos* XXV Julii.

S. Cassiani episcopi adventus corporis in basilica S. Quintini *recolitur hoc die in Beda Tornacensi, ut videre est in nostræ editionis auctariis. Agitur de S. Cassiano Augustodunensi, cujus gesta illustrabimus* V Augusti.

Bertini abbatis *scribit hoc die Usuardus Tornacensis, acsi natalem indicare voluisset. Melius Bruxellensis* : Ipso die, elevatio S. Bertini abbatis; *optime Molanus* : Monasterio Sithiu, sancti patris Bertini corpus a beato Folquino transfertur et reconditur an. DCCCXLVI. *Spectant hæc omnia ad diem quo Sanctus colitur* V Septembris.

SS. Onesiphorus et Porphyrius martyres *hoc die notantur in Synaxario Basiliano, Menæis bibliothecæ Ambrosianæ Mediolani, et manuscripto membraneo Sirmondi, ubique cum elogio; quos etiam signat codex Taurinensis β Ducis Sabaudiæ, nec non Martyrologium Arabico-Ægyptium, a Gratia Simonio Maronita ex Arabico translatum. De quibus agendum erit cum Martyrologio Romano* VI Septembris.

S. Terentii martyris translatio *ex tabulis ecclesiæ Pisaurensis hoc die facta dicitur a Ferrario tempore Nicolai PP. V, an.* 1447 : *at simul monet, natalem esse* XXIV *Septembris, qui* maxima solennitate colitur, *quod* S. Terentius urbis illius tutelaris *sit. Itaque et de gestis ejus et de hac translatione agetur jam dicto die* XXIV Septembris.

S. Francisci Canonizatio *refertur in Usuardis Florentinis, ut* celebrata a Gregorio Papa, anno Domini MCCXXVIII, pontificatus sui anno secundo. *De eadem brevius agunt Grevenus et Molanus : sed remittenda ea est ad natalem* IV Octobris.

Justus et Barnabas *de quibus superius sermo fuit in Prætermissis* IX *Julii, alio rursus remittendi sunt; donec certiora de eorum cultu adducantur, quæ ego ex Polonia frustra accersere conatus sum; unde ex erudito responso nostri P. Antonii Szyrma,* XII *Augusti anni* 1723 *dato, facile intellexi, plura scripsisse Martinum Baronium quam quis modo commode probare possit. Putat ipse* Barnabam *non incongrue ad aliquam societatem Sanctorum quinque fratrum Polonorum Camaldulensium, qui* XII *Novembris coluntur, reducendum, quod me clarius etiam docuit Dlugossus ad annum* 997 *lib.* II, *col.* 120, *ubi quinque jam dictis aperte adjungitur* Barnabas; *at de* Justo *magis anceps sententia. Mihi nulla opportunior via superest, quam si utriusque res gestas, cultum et cetera omnia examinanda remittam ad jam dictum diem* XII Novembris.

S. Osmundi Sarisberiensis episcopi Canonizatio *locum habet in Actis ad* I *Januarii; ast ea ratio postmodum recte mutata est, novæque modo insistimus, omnia remittentes ad dies proprios natales. Sic ejusdem Sancti* translatio *ponitur hoc die in Florario Sanctorum Ms., editione Lubeco-Col., Greveno, Martyrologio Anglicano et aliis, sed de omnibus simul agetur* IV Decemb.

Abundantiam *virginem Spoletinam prædicat hoc die Bucelinus, ut quæ fuerit* S. Nicolai abbatis discipula, *cum longo elogio, ex Vita, opinor, a Ferrario vulgata, accepto : verum hic in Catalogo generali eam retulit* XIX *Januarii, ubi a Bollando remissa est ad diem, quo de ipsa agemus* XXVI Decembris.

DE

A D

DE S. FAUSTO MARTYRE

Ex Synaxariis Græcis ac Martyrologio Romano.

J. P.

SUB DECIO.

In variis Græcorum Fastis hic Martyr signatur cum parvo elogio, ubique in substantia eodem. Magna Græca Menæa sic habent : Erat hic temporibus Decii. At propter fidem Christi comprehensus, Christumque libere professus, cruci affigitur, et jaculis vulneratur : cumque dies quinque in cruce perseverasset, in manus Dei spiritum suum tradidit. *Sequitur de more Maximus Cytheræus : consonatque Menologium a Sirleto versum; e quo in Martyrologium Romanum adscitus est, quod paulo brevius ipsum refert :* Natalis S. Fausti martyris, qui sub Decio cruci affixus, quinque diebus in ea vixit, ac demum sagittis confossus migravit in cælum. *Tempus martyrii patet ex Imperatore, qui apponitur; de cujus gravissima adversus Christianos persecutione, medio sæculo tertio excitata agit Baronius ad annum* 253. *Claudius Castellanus in suo Martyrologio Universali censet hunc Martyrem verosimiliter eumdem esse cum alio synonymo, die* XIX *Novembris in Martyrologio Romano annuntiato : quod neutiquam nobis probatur propter adjuncta temporis ac mortis valde diversa; ut videsis apud Eusebium Ecclesiasticæ historiæ lib.* VII, *cap.* II, *ac Martyrologium Romanum dicto die* XIX *Novembris : quo de illo posmodum agetur.*

B E

DE S. DOMNINO APRILIACENSI

ET SOCIIS MARTYRIBUS,

ANICII SEU PODII IN VELLAVIS GALLIÆ.

Ex Martyrologiis Gallicanis et Proprio Podiensi.

J. B. S.

SUB DIOCLETIAN.

Notum ex dictis Martliis S. Domninum,

Nitor hic præcipue Saussayi et Castellani auctoritate, diserte asserentium, corpus hujus sancti Martyris, pueri decennis, Anicium seu Podium (le Puy) *de qua urbe ad* VII *Junii et alibi locuti sumus, translatum esse, ibique hoc ipso die coli, quidquid de ipso non meminerint Gissæus noster aut Jacobus Branche, sanctos Vellavenses seu Velaunenses non oscitanter scrutati. Verba Castellani e gallico hæc sunt :* Apriliaci, S. Domnini pueri, cujus corpus honoratur Podii in Velaunis. *At Saussayum audiamus in* C *Supplemento pag.* 1147 : In vico Apriliaco, natalis S. Domnini, pueri decennalis, qui divinum fidei lumen adeptus, cum nomen Christi adorandum, numen unicum profitetur, jussu Rictiovari virgis cæsus, sale, aceto, sinapi in auribus et naribus tortus, cum ad hæc rideret puer, et diceret : Hæc mihi instar mellis sunt, clavis candentibus viginti quatuor in manuum et pedum digitis, naribus et auribus est cruciatus. Cum autem LIV viros ad Christi fidem, tum divinis verbis, tum admirabili patientia convertisset, et ex triginta, ob eam causam occisis, Maurum et Justinum revocasset ad vitam, ipse tandem, ut corona emerita potiretur, capite plexus est. Cujus corpus ab Apriliaco, a Normannis deleto, primum ad cœnobium Nobiliaci, Pictaviensis diœcesis, deinde Anicium in Velaunis translatum est per Godolenum, Nobiliaci abbatem, tam pretiosi pignoris securiorem custodiam, et tanti Martyris honorem ampliare cupientem. *Translationem eamdem memorat Altaserra, Rerum Aquitanicarum lib.* IV, *pag.* 301.

2 *Jam explicata narratio cum non videretur excerpi potuisse nisi ex Actis aliquibus, qualiacumque ea supponerentur, quæ Saussayo præluxerint; incessit animum cupido, ipsa undecumque eruendi, ususque adeo opera nostri P. Caroli Fleury, tunc Parisiis commorantis, Podio lectiones accepi ex proprio ecclesiæ Cathedralis, fontem nempe ipsum, unde elogium suum Saussayus desumpsit : ut mirum prorsus videri debeat, sancti istius* Domnini Apriliacensis martyris *nullam prorsus exstare in ullis sacris Fastis memoriam, neque de tam illustri martyrio, per Rictium Varum exercito,* F *quidquam alibi traditum esse. Sancti plures istius nominis jam a nobis illustrati sunt; plures alii illustrandi supersunt, at nulli istorum propria videntur, quæ de suo Apriliacensi memoravit Saussayus. Porro uti id genus Actorum fides hactenus mihi satis perspecta non est, sic de facta translatione Nobiliacum primum, atque inde Anicium nihilo exploratiora invenio. Godelenum abbatem novi ex sæculi quarti Actorum Ord. S. Benedicti parte* I, *pag.* 433, *atque ex ejusdem Annalibus tom.* II, *pag.* 532, *ut qui S. Juniani corpus anno* 830 *Nobiliacum transtulerit; at cur* S. Domnini *sacra lipsana, tamquam in securiorem locum, potius quam S. Juniani Anicium transportanda censuerit, fateor me non satis intelligere. De cetero, ex litteris Podiensibus* XXVI *Junii* 1723 *datis, de constanti ibidem cultu, qum et de peculiari Sancti, in ipso altari principe expositi, veneratione certiores reddimur. En paulo fusiorem historiam, quæ ibi quotannis hac* XVI *Julii in Officio recitatur :*

paulo notiorem reddiderunt

lectiones officii Podiensis.

3 Quo tempore Rictiovarus Galliarum præfectus in Christianos diversis cruciatuum generibus desæviebat, Domninus puer, decimum

A mum tantum annum agens, omnium fidelium, qui tamquam rei in judicium adducebantur, causam agebat. Cumque ab eo peteret impius præses, quo nomine appellaretur, primo se Christianum, secundo Domninum vocari respondit. Tum ille sanctissimo puero pecuniam obtulit; cui puer; Pecunia tua, inquit, tecum sit in perditionem: thesaurus meus est gratia Christi Jesu. Quo dicto, Domninus virgis durissime cæditur, sed divinitus animatus, crudeles plagas cum gratiarum actione tolerabat: cumque acetum, sal et sinapi mixtim sibi in nares et aures infundi pari animi constantia perferret, ei clavi candentes quatuor supra viginti in singulis manuum pedumque digitis atque in ambabus naribus et auribus infiguntur. Deinde fortissimo puero, in carcerem post tot tormenta recluso, ibique psalmos cum lætitia decantanti malignus spiritus apparet, in angelum lucis transfiguratus, conaturque persuadere ut impiis Imperatorum legibus obtemperet: sed agnitus a Domnino et despectus abiit, dicens ei; Martyrium exB optas, martyrio carebis. Spiritui nequam successit bonus angelus servum Dei confortans, divinumque auxilium promittens. Cumque peteret ab eo præfectus, non ut diis sacrificaret, sed tantum de diis cum laude loqueretur: Pereant, inquit Domninus, dii tui, atque ipsorum aræ corruant.

quibus martyrium aliquousque describitur;

4 Quæ vix dixerat, cum angelus Domini aras et simulacra subvertit, ridente Domnino et dicente; Dii tui, Rectiovare, male habent, quære eis indumenta, si forte convalescant. His præses in furorem actus sanctum Martyrem retrudi jubet in ergastulum, ubi viros quinquaginta quatuor ad fidem Christi Jesu convertit, ex quibus triginta ad Domnini terrorem necati sunt. Anceps animo præfectus Domnino pollicetur se Christianum futurum, si ex triginta unum aut alterum ad vitam revocet. Conditione accepta, sanctus Puer Maurum et Justinum suscitat a mortuis; ad quod spectaculum hic adstantium clamor auditus est; Vere magnus est Christianorum Deus! Perfidus præses, C miracula divina præstigias vocans, non stat promissis; sed Domnino caput jubet amputari. Dum sacrum corpus sepelirent fideles, auditi sunt angelorum cantus, et cæci quinque visum, et multi ethnici fidem Christianam receperunt. Rictiovarus vero paulo post malo fine interiit. Sancti martyris reliquiæ multis miraculis in vico Apriliaco claruerunt; unde in cœnobium Nobiliacum, Godeleni antistitis opera, translatæ sunt; postea autem in ecclesiam Aniciensem delatæ, ibi jam a multis annis pio fidelium cultu honorantur; unde Nicolaus IV Pontifex maximus iis qui hanc ecclesiam, in S. Domnini festo visitaverint, Indulgentias in perpetuum concessit. *Hactenus Lectiones Podienses huc transmissæ.*

AUCTORE J. B. S.

multis omissis, quæ dubia movent.

5 *Quam ætatem ea omnia sapiant, quave proinde auctoritate nitantur, non est unde quis satis tuto conjiciat; vero martyrio ornatus accessisse, satis patere existimo: mihi hic satis est, quod certissima antiqui cultus notitia habeatur; quæ si ad Senonensis Breviarii reformatores pervenisset, haud equidem dubito quin intacta reliquissent, quæ jam a tot sæculis in eorum Kalendario recepta fuerant. Ita ad me* II *Martii* 1723 *scripsit R. A. D. Le Beuf canonicus et succentor ecclesiæ Autissiodorensis.* Exspectabam, *inquit,* lucis aliquid circa Sanctos duos Senonenses, quorum nomina in vetustioribus diœceseos Kalendariis diserte expressa, non recte meo quidem judicio rescissa sunt. Eorum alter est S. Domninus martyr ad diem XVI Julii, alter Hilarion episcopus ad XXVII ejusdem mensis, de quibus fateor, paucissima hactenus me reperire potuisse. Notus est S. Domninus, exstatque sub ejus nomine prioratus aliquis in diœcesi Senonensi. Martyrologium metropoleos ipsum simpliciter annuntiat his verbis, NATALE S. DOMNINI MARTYRIS, absque positione seu loco martyrii. Kalendaria sequuntur Martyrologium, quod est seculi XIII, E et MARTYREM constanter appellant; seculo XVI [male] accessit titulus abbatis. Ceterum in editione Breviarii anni MDCCII hæc omnia perperam rescissa sunt. *Recte mutationem factam improbat vir harum rerum peritus, quasi ex vicina Bituricensi provincia, aut etiam aliunde* S. Domnini *cultus in Senonensem transire non potuerit.*

Non magis clara sunt.

6 *Moverint fortasse correctores illos Senonenses dubia varia et incerta circa* S. Domninum *identidem occurrentia, quæ et me impulerunt ut post varias alias disquisitiones jam factas, penitius indagarem, nusquamne alibi coleretur sanctus Puer, tot victoriis ac triumphis celebratus, si non hoc, saltem alio aliquo die: quod cum in prægressis mensibus non exstaret, ad sequentes lustrandos recurrendum fuit: atque eccum mense Augusti die* XVI *incido in scripta a nostro Petro Francisco Chiffletio (hic semper laudatissimo) missa olim ad majores nostros; quorum ut caput intelligas, præcipuum instrumentum hunc præfert titulum;* Acta S. Domnini pueri et sociorum martyrum ex Ms. codice monasterii Candiacensis, ubi S. Domninus requiescit. F *Istic porro coli* XVI *Augusti, ibidem testatur Chiffletius, adducens documenta translationum, cum longa farragine antiphonarum, hymnorum, versuum, responsoriorum etc., quæ ex Actis ipsis desumpta sunt. Ex Actis, inquam, sed talibus, ut cum jam datis Podiensibus non omnino conveniant. Viderat Chiffletius Saussayi elogium, jam supra a nobis relatum; de identitate vero non dubitans, hanc eidem annotationem subtexuit:* Passus est, *inquit,* Herbedillæ; fortasse delatus est primum in vicum Apriliacum, 2 in monasterium Nobiliacense, 3 Anicium, 4 Magnilocum, 5 et ultimo Candiacum. *Satis rotunde, si satis vere; id quod altera disquisitione, quantum fieri poterit, jam explorare conabimur.*

A D

DE S. DOMNINO MARTYRE CANDIACENSI;

ALIUS, AN IDEM SIT CUM ANICIENSI.

I B. S.

Ex schedis Candiacensibus Petri Francisci Chiffletii.

Quæ chartæ Chiffletianæ suggesserunt:

E*umdem esse, unum atque unicum* S. Domninum *Apriliacensem, sive Vellavensem, sive Arvernum, sive Pictaviensem, equidem non dubito, tametsi Acta, ut jam dicebam, non undecumque conformia sint. Alia occurrunt quæ distinctionem suadere posse videantur, siquidem atmittenda sint Chiffletii instrumenta; prælerquam quod Podiensis epistola, superius citata diserte asserat,* totum corpus S. Domnini in ara principe Aniciensi, ad cornu epistolæ, venerationi expositum esse, pararique nobiliorem locum alium, B quando altare novum, quod modo magnifice exstruitur, perfectum fuerit; *ut proinde cum Chiffletio dici non possit,* Anicio Magnilocum, *atque inde* ultimo Candiacum *translatum fuisse sacrum corpus,* ubi *hodie* requiescat. *Hæc denuo una est ex iis controversiis, quas uti spinosas et odiosas aversor quam maxime, ubi nempe inter ecclesias de sacris pignoribus contenditur, ut mihi plane ignosci velim, si eam ipsismet dirimendam relinquam, ubi ea omnia proposuero quæ a Candiacensibus cum Chiffletio communicata sunt. Primum itaque Acta ipsa subjiciam, uti ab ipso et a Papebrochio descripta sunt, de quorum veritate facilis erit conjectura: tum vero dicta translationum instrumenta, e quibus colligendum erit, num recte sequatur, integrum* S. Domnini *corpus, post quinque successivas depositiones, Candiacum pervenisse, atque ibi hodie* requiescere. *En igitur prædicta Acta ex duobus apographis Mss. inter se collatis.*

ex quibus Legenda habetur,

2 Cum facta fuisset persecutio magna temporibus Rictiovari impiissimi præfecti, accidit ut inter ceteros Christicolas interesset B. Domninus, parvulus ætate, perfectus autem C omni sapientia, sicut locutus fuit Dominus Apostolis, secum in omni actione conversantibus; Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Horum exemplum imitari cupiens B. Domninus, ante impiissimum tyrannum existens, ejus responsionibus eum afficere non timuit: fuit vero puer iste, de cujus passione loqui inchoavimus, ex genere Judaico. Prosequens igitur interpretationem sui nominis, minis et tormentis diaboli imperterritus, Deum æternum confiteri ante principes mundiales non erubuit, illud recolens quod locutus fuit Salvator in Euangelio discipulis suis dicens; Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo. Omnes denique Christiani, pro sævitia præfati tyranni, cum se in abditis locis, et in cavernis, et latibulis diversis absconderent, præfatus puer ante eum stare non timuit. Habebat autem impiissimus cum suis sequacibus excogitatum, qualiter Christiani punirentur. Alios siquidem super prunas ferventes in craticulis torrebat, alios autem decoriatos in carcerem retrudebat. Puer vero iste cum Justiniano, et cum ceteris sodalibus suis quadraginta, quorum nomina habentur in libro Vitæ, minas et tormenta regis iniquissimi non dubitavit perferre: audiens namque infantulus iste tormenta jam dicta, dixit Justiniano ceterisque sociis; Pastor noster Benedictus episcopus, qui cum Viventio sacerdote Romam perrexerat, dixit mihi: O puerule, cum tuis qui tecum sunt, noli timere Rictiovarum neque Domitianum principem: omnimodis autem cave: ut nec tu, neque sodales tui adoretis Serastiem Deum illorum; illum adorate, qui li- E beravit vos de mari, et de manu Daciani pessimi regis.

altera etiam obscurior

3 Inquirentes autem ministri et milites Rictiovari et Domitiani Christianos Deum timentes, in Aquitanorum [partes] venientes in urbe Herbedillæ invenerunt quadraginta Christianos in ecclesia Deum collaudantes; apprehendentes vero Domninum cum Justiniano, dixerunt eis; Dicite nobis, de qua regione estis, aut quis vos congregavit in hanc domum, qualem Deum colitis, vel si adoratis Deum Serastiem, vel Christum? Respondit eis B. Domninus; Nos de longinqua regione sumus, de Asia, et Deum cæli colimus, qui fecit mare, et aridam, et cælum et terram, et nos et vos creavit, et in Crucis patibulo redemit de potestate tenebrarum. Respondentes milites, dixerunt; Per Serastiem deum nostrum, si illum non credideritis, fames et gladius et ignis interficiet vitam vestram, et carnes vestras, cum veneritis ante faciem Rictiovari F et Domitiani. Apprehendentes autem Domninum cum sociis ejus, ligaverunt eos, et adduxerunt illos ante faciem Imperatoris Rictiovari, accusantes eos in multis sermonibus, dicentes; Invenimus illos in unam domum Christum adorantes, et Serastiem Deum nostrum obliviscentes et negantes, et seducentes populum, qui credit in Deum nostrum, et nos recognovimus locutionem illorum. Sed et iste infans pro eis reddit rationem. Tunc Imperator furore et ira repletus jussit flagellari infantem. Et cum cæderent eum, S. Domninus fortissima voce clamavit; Gratias tibi ago, Domine Deus omnipotens, qui non vis in hoc seculo neque in futuro in me maculam invenire peccati. Precor ergo, Domine, ut jubeas me ad tuam pervenire misericordiam. Cessantibus autem qui eum flagellabant, visus est infans carnem habere sanam, quasi nullam accepisset plagam. Et in ipsa hora facta est ad eum vox de cælo, dicens; Constans esto, fili mi, quia auxilium tuum magnum erit, et socii tui, qui sunt in carceris vinculo, accipient coronas immaculatas.

4 *Hæc*

Verum rem ma- ... opere illu... erant.

4 *Hæc est martyrii Legenda, ex cœnobio Candiacensi accepta, cujus postremam partem desiderari, recte observavit Papebrochius, cum plane deficiat martyrium. Quanti autem isthæc omnia, infans Judæus, ex Asia in Hispaniam profectus, sub rege scilicet Daciano passus, inde a Rictiovaro Imperatore et Domitiano ad colendum Serastiem coactus etc. facienda sint, pluribus non prosequar. Utcumque tolerabilia videri poterant Acta Aniciensia, supposita martyrii veritate, ad similium exemplum nonnihil exornata; at quid de hisce censeri debeat, tam apertum existimo, ut frustra sit singula expendere. Præter hæc invenio fragmenta alia, in quibus* Benedictus *iste* pastor, episcopus Nicomediensis *appellatur; sacerdos autem, non* Viventius, *sed magis apposite* Vincentius. *Confuso Officio, per totam Octavam ex istis Actis excerpto, non una oratio inseritur: satis erit, opinor, hymni partem adducere, ex quo cetera satis pateant. Describam, ut potero:* Sebastiani martyris devota congregatio, Horum adjuta precibus hymnum persolvat Domino, Dompnini præclarissimi, decem annorum martyris, Justiniani collegio cum quadraginta sociis.
B O quam beatæ animæ Candiacensibus sint subditæ, Quæ regnabunt cum Domino gaudentes in perpetuum! Et maculatæ sordibus S. Dompnini martyris, Inter primos Apostolos assistentes ante Dominum, Duos, jubente Domino, resuscitavit mortuos etc. *De quibus in his postremis Actis nec verbum. Cetera Officii propria non adjungo, cum hæc semel dixisse, satis sit. Habe modo quæ de translationibus referuntur; si magis ad veritatem, certe multo quandoque minus ad rectam syntaxim exacta.*

instrumenta translationum anni forte 889.

5 *Primum ac vetustissimum, quod in dictis schedis reperio, instrumentum, si recte annus appositus est, sæculum nonum præfert; at quid velit, fateor me non perspicere, nec unde translatio facta fuerit, explorare. Audi narrationem ipsam cui hic titulus præfigitur:* Duodecimo Kalendas Augusti, adventus sive translatio sancti Dompnini martyris. *Tum ita pergitur:* Agente anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXXXIX *, ante mensis Augusti principium die XII, Magnilocensis oratorii devotissimi fratres, qui duobus milliaribus obviam sancti
C martyris Dompnini corpus celebre deducentibus, cum psallentibus choris occurrentes, laudabiliter susceperunt: fratrum namque mentes, qui officiose convenerant, ignorantia, et non parva dubietas angustabat, hæsitantes, S. martyris Dompnini membra forsitan ne existerent, ob cujus amorem et venerationis laudem unanimiter recurrebant. Cum hac ambiguitate cordis permoti volverentur, et familiari locutione, de suscepti corporis veritate se ignaros esse faterentur, atque se illusos esse metuerent ab his qui illud attulerant, ne tamen fratres ab inceptis laudibus desisterent, repente conspectui psallentium quidam ex vulgaribus, a dæmonio correptus obviavit. *Ibi sistitur, ut quid porro velit, divinari nequeat. Inde deducimur ad annum 1396, si et ibi character non fallit. Sic habet:*

* ...itas 1439

AUCTORE J. B. S.

...tum anni 1396 et 1445.

6 Hodie quinta mensis Junii anno Domini MCCCXCVI fuit translatum corpus beatissimi Domnini de una alia capsa in hanc præsentem capsam, quam fecit fieri domnus Petrus de Basticia, decretorum doctor, prior hujus prioratus Candiaci saltus Cosani et de Bario, et in dicta translatione erant præsentes Jacobus de Cuzi sacrista, FF. Durandus Savateri, Georgius Croseti, Sebastianus Bourt, Petrus David et Andreas Chatillon, religiosi dicti prioratus, nec non Raymundus Azemarii Vicarius perpetuus dicti prioratus, Ludovicus Plaignien curatus Prati longi, Thomas Theveti et Gilbertus Viatroy notarii presbyteri præbendati. . . . qui se subscripserunt, cum multitudine parochianorum dictæ parœciæ.

ex quibus distinctio potius quam identitas erui videretur.

7 *Tertium denique his notis insignitur* ✠ Jesus ✠ Virgo Maria ✠. Anno Domini MCCCCXLV, et die festo B. Margaritæ virginis, quæ fuit XIX mensis Julii fuit aperta præsens sancta capsa per E
venerabilem et religiosum virum F. Joannem de la Bastissia, priorem hujus venerabilis monasterii Candiacensis, cum venerabilibus et religiosis viris FF. Jacobo Boerii sacrista . . . . . In qua capsa fuit repertum corpus clarissimi Domnini martyris, cum pluribus aliis reliquiis, prout continetur in quodam Missali antiquo, et per instrumentum receptum, proprio nomine subscripto. Quæ quidem reliquiæ, excepto proprio corpore S. Domnini, fuerunt positæ in aliis reliquiariis, cum quodam osse longo, et una parte maxillarum prædicti corporis S. Domnini, propter devotionem populi, qui in magna quantitate adfuit die crastina post Assumptionem B. Mariæ mensis Augusti, qua die celebratur festum proprium S. Domnini, et Daresias * ferreas fecerunt fieri prædicti religiosi in dicta capsa, et ipsam capsam dicta die clauserunt, quæ fuerat renovata per D. Asterium priorem et Bernardum sacristam, cum pluribus aliis religiosis et parochianis tempore Joannis abbatis Magnilocensis, de quadam alia capsa, quam D. Petrus fecerat anno Domini MCXLIII . . . . . F
Cetera ad rem non faciunt. Manet dubium quod supra attigi, quando et unde reliquiæ ad cœnobium Magnilocense, inde Candiacum pervenerint; ut proinde admitti nequeat, ultimam translationem factam anno 889, si in Magniloco adhuc exstiterint an. 1143; *neque satis constet, quis iste alter* Dompninus *esse possit, qui Candiaci colitur. Jam dixi, ea me nec posse nec velle dirimere: si me audiant Anicienses et Candiacenses, suum singuli thesaurum, sive Herbedillensem sive Apriliacensem, possidebunt ut possident, si non ex integro, saltem ex tali parte quæ ipsis sufficiat.*

* An. crates?

DE

A D

DE S. DOMNEONE MARTYRE

BERGOMI IN INSUBRIA.

J. B. S.

Ex Tabulis Bergomensibus.

XVI JULII. *Romano adscriptus a Baronio.*

Joannes Antonius Guarnerius *Canonicus commentarium edidit anno* 1584 *de vita et gestis Sanctorum Bergomensium, ex quo Bollandus ad* V *Januarii Domnonis, sancti hujus* Domneonis *nepotis, Acta seu potius elogium desumpsit; unde et nos, quæ ad nostrum pertinent, eodem stylo contexta exhibebimus, potius quam ex Ferrario aut aliis, cum et ipsi non alium fontem habuisse videantur. Est et apud Guarnerium Eusebia,* S. Domneonis *neptis, de qua agendum erit ad* XXIX *Octobris. Primus, quod sciam,* S. Domneonem (Domnionem *scribens) sacris Fastis inseruit Galesinius his verbis :* Bergomi, S. Domnionis B martyris, qui Beati Alexandri martyris studio ad Christi fidem conversus, Maximiano, nominis Christi adversario, illam per varios cruciatus ardenti confessione, liberaque voce exprimens, tandem datis cervicibus, sanguine comprobavit. *Hæc vero melius contraxit Baronius in Romano ad hunc modum :* Bergomi, sancti Domnionis martyris : *quæ verba leguntur in omnibus editionibus Plantinianis ab anno* 1586, *ut prorsus non capiam, quid sibi velit Ferrarius in utroque Catalogo observans, notatum olim in Martyrologio Romano* Domneonem, *sub nomine* Domnionis, *ad mensis hujus diem* VI, *seu pridie Nonas, quod ego nusquam inveni hactenus. Utut sit, sufficiant allegatæ hic auctoritates ad id quod intendimus. En modo laudati Guarnerii elogium.*

2 Domneo Bergomas, domi suæ nobilis, quo tempore Maximianus Herculeus insatiabilem crudelitatem in Christianos exercebat, ipse jejuniis, precationibus, et reliquis pietatis officiis Bergomi vitam traducebat; tantoque studio Christianæ religionis flagravit, ut cum in idolorum cultores acerbius invectus sit, tum Maximiano non dubitaverit per nuntios immanitatem et impietatem gravissimis et doctissimis verbis exprobrare. Eam ob causam Maximianus ira inflammatus, missis Bergomum ministris, cum reliquos E Christianos, tum præcipue Domneonem obtruncari jussit. Is caput abscissum sustulisse, et ad lapidem quemdam, qui extra templum S. Andreæ locatus erat, gestasse memoratur, quo miraculo complures ad Deum conversi sunt. Ejus corpus in eodem templo sepultum est XVII Kalendas Augusti anno CCCVI. *Huc usque Guarnerius, cujus elogium, post tot sæcula ex obscuriori traditione collectum, quanti faciendum sit, harum rerum periti facile intelligunt; ut supervacaneum sit Galesinii aut aliorum ornamenta adjicere. Quid sit, Martyres decollatos, caput gestasse, jam non semel alibi ita explicatum est, ut hic denuo repetere, superfluum sit.*

brevi elogio ornatur.

DE SS. PAULO ET MAMMETE MART.

CÆSAREÆ IN CAPPADOCIA.

C J. B. S.

Ex Hieronymianis.

F

XVI JULII. *S. Mammes qui hic Paulo conjungitur,*

Cæsareæ S. Paulum *in Hieronymianis cum* S. Mammete *conjunctum referunt codices nostri omnes, quibus contractiores nonnulli accedunt : nota characteristica, in solis Lucensibus ipsi apposita,* cujus gesta habentur, *sed quæ frustra hactenus quæsivimus, et ante nos Notkerus, qui, more ipsi satis insolito, solus inter classicos hoc die istius Sancti meminit, sic scribens :* In Cæsarea Cappadociæ, S. Pauli, cujus gesta S. Hieronymo, ut ipse confitetur, agnita, nostræ tarditati sunt ignota. *Indicat nimirum, se priora verba, nempe* cujus gesta habentur, *in aliquo Martyrologii Hieronymiani apographo legisse, Acta vero illa numquam sibi innotuisse. Consensus istorum codicum vetustam ejus in sacris Fastis memoriam satis evincit, ejusdemque cum* S. Mammete *singularem conjunctionem, unde repudiandam intelligas, recentiorum Martyrologorum transformationem in* Paulinum, *uti habetur in Florario Sanctorum Ms., in editione Lubeco-Coloniensi, Greveno et aliis, quos non est operæ pretium referre, nedum examinare, cum ex fonte ipso res pateat, neque ad eam explicandam quidquam conducant, quæ hoc die satis accurate distinxit Florentinius. Neque* Floridam *admiserim, a solo Epternacensi duobus aliis superadditam, cum verosimiliter, æque ac* Cyricus, *amanuensis incuria aut levitate, laterculo, alias mutilo, inserta sit; sufficiat, ejus hic saltem obiter meminisse.*

2 *Major quæstio moveri potest, utrum* Mammes, Paulo *hoc die quodammodo in martyrio socius, certe sub eadem positione Cæsareæ conjunctus, idem dicendus sit cum illo qui in nostris classicis Martyrologiis et in Romano longe celebrior est* XVII *Augusti, quo die nonnulla in Observationibus ad Usuardum notavi, de integro postmodum examinanda. Ex Notkero collegit Florentinius,* Cæsaream *indefinite seu indeterminate positam, in Cappadocia, tamquam martyrii palæstram quærendam esse; idque magis etiam suadere conatur ex longiori elogio, quod sancto huic nostro* Mammeti *Cappadoci tribuit Notkerus, qui ejusdem quasi immemor,*

utrum ab alio distinguendus

A *mor, consimile aliud, quamvis brevius ei* Mammeti *adscripsit, qui præfato die* XVII *Augusti certo colitur, ut tametsi ejusdem Sancti historiam bis retulerit, in duos nihilominus distraxisse censendus sit. Plane constat,* Mammetem *aliquem seu* Mammam, *alias* Mamantem monachum, *qui in Cæsarea Cappadociæ passus sit, in Hieronymianis quoque signari* XVII *Augusti, de quo* D *et ibi disputat Florentinius, non ausus ipsum confundere cum* Mammete *hodierno, quod neque nos hactenus probandum suscepimus, relicturi hic* Mammetem *cum* Paulo, *cetera ad dictum sæpius diem, quousque licebit, discussuri, quo et alius* Mammes *Alexandriæ adscribitur.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

VALENTINO, THEONE ET DIOCLETIO.

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

XVI JULII.

An et hic tres Martyres Cæsareæ Cappadociæ adscribendi non sint, dubium ferme injiceret codex Lucensis Florentinii, dum post S. Mammetem immediate subnectit; Et natalis sanctorum Valentini, Theoni, Diocletis; *at reliqua omnia majora apographa, cum minori Barberiniano, tam distincte interserunt,* et alibi, B *ut dubitationem omnem plenissime tollant. Itaque nec palæstra horum Martyrum, nec ætas, nec gesta, præter pura nomina ad nos pervenerunt; sed neque nomina ipsa ab omnibus uniformiter exprimuntur; pro* Valentini *enim in Epternacensi est* Valenti, *pro* Theoni *legit* Nethoni, *demum* Coclei, *ut clarissime denuo perspicias, corruptum esse in pluribus totum hujus diei in eo codice textum.* Diocleti *scribas, seu* Diocletii, *vel* Diocletis, *parum admodum interest: habes verba Martyrologiorum Hieronymianorum, extra quæ in nullis aliis, quod sciam, noti sunt prædicti Sancti;* E *ut de iis plura hic dici non possint.*

DE SS. MARTYRIBUS ANTIOCHENIS

THEODISIO, SEU THEODOSIO, EUSTASIO, DIONYSIO, THEODOTO ET FORTE MAXIMO.

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

XVI JULII.

Textum desumo ex codice Lucensi, cui similem esse oportet Blumianum, utpote in quo nullam diversitatem observaverit Florentinius; his porro accedit apographum minus Reg. Sueciæ, in quo recte legitur Theodosii. *Epternacensis solos tres nominavit* Theodotum, Eustatium *et* Dionysium: *codex S. Cyriaci tres primos recte effert, sed* Theodotum *præterit: Corbeiensis* C *duas annuntiationes, saltem positiones, in editione Florentinii confudit; etenim duobus Martyribus Mediolanensibus, de quibus infra, plane omissis, Antiochenos nostros eo transtulisse videtur, sic male ibi connectens:* Mediolano, natalis sanctorum Theodosæ, *pro* Theodosii, Eustasii, Dionisii, Theodoti, Maximi; *qui postremus, cum in eo solo codice reperiatur, addidi idcirco particulam* forte. *In Acheriana editione et Antiochiæ positio, et Martyrum nomina distinctius referuntur. Suspicatur ferme Florentinius, sub* Eustasii *nomine latere celeberrimum Eustathium Antiochenum episcopum, de quo infra hoc die fusius agitur: at mihi quidem id nullo modo persuadet, cum hos omnes vere Martyres existimem ante Eustathii tempora passos; præterquam quod primum locum occupare debuisset, episcopali sua dignitate insignitus. Utcumque id fuerit,* F *manipulum dedimus, prout in codicibus nostris repræsentatur.*

DE SS. MARTYRIBUS MEDIOLANENSIBUS

MACARIO ET MEGETIA

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

XVI JULII.

Florentinius in suis ad hodiernum textum Observationibus recte notavit, codicem Corbeiensem solius Macharii *meminisse, quem interim in sua editione omnino neglectum non advertit. Clare illum exhibet editio Acherii, in qua, ni fallor, melius exprimitur, quam in codice Lucensi, ubi habetur* Mocharii; *nam Corbeiensis lectionem confirmant minora aliqua apographa, in quibus etsi totius laterculi confusa sint nomina,* Macharii *tamen legunt, non* Mocharii: *Epternacensis pejus scripsit* Moeci, *ubi et* Mogitiæ, *pro* Megetiæ *codicis Lucensis; quæ lectio iterum confirmatur ex nonnullis codicibus contractis et ex ipso Blumiano. Limatiori et receptiori modo scripsi* Macarii. *Quidquid Galesinius apud Florentinium, aut recentiores alii hodie signaverint, ad Hieronymianorum textum nihil prorsus attinet.*

A D

DE SANCTO EUSTATHIO

PATRIARCHA ANTIOCHENO.

P. B.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

§ I. S. Eustathii patria, studia litterarum, constantia in fide, episcopatus Berœensis et Antiochenus, locus et oratio in Concilio Nicæno primo.

CIRCA AN. CCCXXXVI.

S. Eustathius

Sanctum hunc Eustathium, *quem aliqui* Eustachium *minus recte scribunt, ab aliis ejusdem nominis tum res gestæ, tum adjectus patriarchæ Antiocheni titulus manifesto distinguunt. Quæ de illo fuse disputata sunt in Tractatu Chronologico, quem huic tomo præfiximus, hic pro insertis habebo, at quæ obiter ibi tantum attigimus, paulo hic latius explananda sunt.* B *Utar editis hactenus instrumentis, cum peculiaria nobis nulla suppetant, unde novi aliquid aut singulare eruamus; quod quidem dolendum in eo esset maxime, cujus acta tam illustria fuere; nisi et sortem illam cum aliis illorum temporum viris maximis communem haberet, et ea saltem rerum aliquot ab eo gestarum monumenta superessent, unde de tota ejus Vita, præclarisque apud Deum et Ecclesiam universam meritis statuere apud se facile quisque ac solide possit.*

Side natus, ac liberalibus disciplinis imbutus,

2 *Fuit* Eustathius, *teste S. Hieronymo de Script. Eccles. cap.* LXXXV, genere Pamphylius, Sidites; *sive Sida, urbe olim celebri in ora Pamphylii maris, atque archiepiscopali, cui suberant episcopi sedecim, ut habet Nilus Doxopatrius apud Schelstratium tom* II *Antiq. Eccl. pag.* 733; *at nunc exili, ac vulgo Chirisonda, aut Scandalor, seu Candalor dicta, oriundus. Quod non negat S. Chrysostomus, in Hom. de* S. Eustathio, *cum eum dicit epatria relegatum fuisse: eadem enim exilii sententia, quæ illum Antiochia proprie pepulit, etiam Sida ac Pamphilia exesse jubeat, atque in Thracia commorari. Imo vero etiam Antiochia patria ejus nuncupari potuit, qui patriarchatum* C *in ea jam dudum obtinebat; quamvis alibi natus esset, circa annum Christi circiter* 270, *ut ex tempore Patriarchatus ejus mox conjectabimus. Porro haud dubium est, quin ætatem juvenilem* Eustathius *in litterarum studiis cum sacris tum profanis exegerit; quando illum idem S. Hieronymus in epistola ad Magnum, inter eos recenset.* Qui omnes in tantum philosophorum doctrinis atque sententiis suos refarciunt libros; ut nescias quid in illis primum admirari debeas, eruditionem seculi, an scientiam Scripturarum.

Confessor fuit,

3 *Sunt qui passum illum aliqua fuisse velint fidei causa, sive ante episcopatum in persecutione Diocletianea, sive cum jam factus esset episcopus, in Liciniana. Favet sane nomen* Confessoris *ei a S. Athanasio non semel adscriptum, uti videre est in Apologia de fuga sua tom.* I, *pag.* 321 d, *edit. Benedict. et ad Solitariam vitam agentes pag.* 346 d. *Nam hac voce non alios perea tempora condecorari consuevisse, quam qui vel necem, vel aliquid saltem supplicii a tyrannis ob religionis Christianæ professionem tulissent, satis, opinor, notum est. Tametsi vero titulum illum satis superque meritus sit* S. Eustathius *per ipsum illud, in quo periit, exilium; non eam tamen causam esse, cur Confessorem appellet S. Athanasius, ex eo liquet, quod multos alios utroque loco episcopos recenseat, qui ab Eusebianis, quod fidem orthodoxam defenderent, vel paria, vel etiam graviora pertulerant, quam* Eustathius, *quibus tamen gloriosum Confessoris epithetum non accommodat.*

E

Berœæ primum, deinde Antiochiæ episcopus,

4 *Primum* Borœæ Syriæ; deinde Antiochiæ rexit ecclesiam, *inquit Hieronymus de Script. Eccles. loco citato; idem testatur Sozomenus lib* I, *cap.* II: *hanc adiit anno Christi* 324, *ut in Tractatu de Patriarchis Antiochenis ostensum est; illam quando susceperit, incompertum. Regebat eam certe, cum post excommunicatum Alexandriæ Arium cum asseclis synodicas ad eum dedit S. Alexander Alexandrinus, ut est apud Theodoretum Hist. Eccl. lib.* I, *cap.* III *in versione Sirmondi; hoc est, ut eruditis placet, sub annum Christi* 320. *Et jam tum quidem pro fide catholica tam strenue decertabat, ut inter Ecclesiæ defensores post utrumque Alexandrum quem præfert inscriptio præcedentis epistolæ, solus cum S. Philogonio a Theodoreto ibidem nominetur:* Litteras *inquit,* in eamdem sententiam scripsit *(S. Alexander)* Philogonio Antiochenæ ecclesiæ antistiti, et Eustathio, qui Borœam tunc regebat, et aliis Apostolicorum dogmatum patronis. *Ita vero ecclesiam Berœensem administravit, ut illum* Philogonio *(Theodoreti verbis utor lib.* I, *cap.* VI*)* ad meliorem vitam translato, episcopi, sacerdotes, Christique amans populus universus, ut ejus loco ecclesiam illam F *(Antiochenam)* regeret, communibus suffragiis invitum coegerint; *ac ipsi* non multo post episcopi apud Nicæam congregati, cum Eustathium ob vitæ simul ac doctrinæ meritum admiratione prosequerentur, dignum eum judicaverint, qui Apostolicæ cathedræ præsideret, *atque adeo in ea confirmaverint, ut habet Sozomenus paullo ante assignatus. Vide sis quæ de translatione, successione, et confirmatione ejus dicta sunt in Tractatu præliminari. Hinc interim ætatem ejus utcumque divina: vix enim ante annum circiter quinquagesimum dignitatem patriarchicam attigisse credendus est, juxta primitivæ Ecclesiæ praxim, in Constitutionibus vulgo Apostolicis traditam apud Labbeum tom.* I *Concil. col.* 223 b, c: *quo pacto natus videtur haud multo post annum Christi* 270: *quod eo fit verisimilius, quod toto saltem ante quadriennio, quam Patriarcha fieret, episcopus fuisse sciatur.*

in Concilio Nicæno excelluit,

5 *Non diu sedem Antiochenam occupaverat, cum indicta est prima synodus Nicæna, in qua* Eustathius noster *vindicem sese exhibuit orthodoxæ fidei adversus Ariomanitas acerrimum; ut merito excelluisse*

A *excelluisse istic præ ceteris dicatur. Certe apud Facundum Hermianensem lib.* VIII, *cap.* I *asseritur* Beatissimus Eustachius sanctorum Patrum, qui apud Nicæam congregati sunt, primus existens, fidem orthodoxam confirmavisse : *et lib.* II, *cap.* I : Beatus Eustachius . . . honoratur cum multis et præ multis Patribus, tamquam Nicæni concilii primus existens. *S. Nicephorus in Chronico sic eum appellat :* Eustathius, qui in prima synodo et testis et caput fuit ac princeps (κορυφαῖος) Patrum qui Nicæam convenerunt. *Ipsum quoque fuisse ait Theodoretus lib.* I, *cap.* VI, *qui considentibus in illa synodo cum Constantino Patribus,* mox ante alios . . . . Imperatorem summis laudibus ornare cœperit, præclarum ejus erga res sacras studium præconiorum vice remunerans. *Fallor, nisi hoc ipsum est, quod vult S. Hieronymus ad Euagrium, seu potius Evangelum aut Evangelium presbyterum, ita scribens :* Verti me ad . . . . . Eustathium nostrum, qui primus Antiochenæ ecclesiæ episcopus contra Arium clarissima tuba bellicum cecinit. *Id ipsum narrat, et bellicum quidem illud proferens, Gregorius presbyter* B *Cæsariensis in Oratione in SS. Patres Nicænos apud Combefisium tom.* II *Auctarii sui pag.* 555, *ubi textus Græcus ita Latine versus est :*

atque Constantinum alloquitur,

6 Cum Sancti ergo, piusque Imperator consedissent, Eustathius Antiochenus (ei enim annuit Sancta Synodus, ut verba faceret ad Imperatorem) Deo, inquit, gratias agimus, optime Imperator, qui terrenum tibi imperium dirigit : qui simulacrorum errorem per te abolevit, ac æquos fidelium animos in libertate collocavit : cessavit dæmonum nidor : multiplici Dei cultu eversa est gentilium superstitio : expelluntur tenebræ impietatis : illustratur orbis terrarum luce divinæ scientiæ. Pater glorificatur ; Filius simul adoratur ; annuntiatur Spiritus sanctus. Trinitas consubstantialis, una divinitas in tribus personis et hypostasibus prædicatur. Per eam, Imperator, munitur tuæ pietatis imperium : eam nobis serva inviolatam. Nullus hæreticus in ecclesiam subintrans unum aliquid a Trinitate auferat, sine honore, affectumque ignominia relinquens quod est reliquum. C Arius nobis, qui a furore nomen accepit, orationis causa est et conventus ; qui, nescio quomodo, in ecclesiæ Alexandrinæ presbyterium allectus, nescientibus nobis, alienus a doctrina beatissimorum Prophetarum et Apostolorum inventus fuit. Unigenitum enim Filium et Verbum Patris non veretur ejusdem cum Patre substantiæ consortio privare, et creatorem, creaturæ cultor, contendit creatis accensere. Eum autem persuaseris, Imperator, mutata sententia non repugnare Apostolicis doctrinis : aut, si in sinistræ opinionis, cujus est convictus, impietate perstiterit, a Christi et nostro cœtu prorsus exterminaveris ; ne simpliciorum animos turbidis verborum suorum lenociniis deprædari contingat. *Hæc ille.*

et quidem omnium primus;

7 *Atque ea si vera sunt de* S. Eustathio, *facile erit ex Eusebio colligere, quem in illo Concilio locum occupaverit : sic enim is habet lib.* III *de Vita Constantini cap.* II : Tum ex episcopis is qui in dextra parte primum locum obtinebat, consurgens, modica oratione Imperatorem allocutus est, propter illum gratias et laudes perhibens omnipotenti Deo. *Primus ergo a dextris inter Patres consedit* S. Eustathius, *siquidem ipse est, qui Imperatorem modo jam dicto allocutus est, quod post Baronium, ad annum Christi* 325 *a num.* 54, *alii plures existimant. Non desunt tamen, qui aliter sentiant, ut auctor est Nicetas in Thesauro orthodoxæ fidei lib.* V, *cap.* VII *his verbis :* Atque Eusebius quidem, libro de Constantini Vita tertio, se primum verba in synodo fecisse testatur. Si tamen Theodoreto credimus, Eustathius Antiochenus episcopus primus encomiorum flosculis imperatorium caput redimivit. Ut autem Theodorus Mopsuestiæus scribit, Alexandro Alexandrino Pontifici id honoris ultro delatum est; quippe qui Synodi cogendæ dux et auctor exstitisset. *Pro Eusebio Pamphili stat etiam Sozomenus lib.* I, *cap.* XIX. Ego vero in hac sententiarum diversitate, *inquit Valesius Annot. in locum citatum Eusebii,* libentius ei sententiæ accesserim, quæ Eusebio primas dicendi partes a Synodo delatas affirmat. Primum quia omnium sine controversia doctissimus ac disertissimus erat Eusebius. Deinde, quia id ipse aperte testatur in principio hujus operis his verbis . . . . Nuper etiam nos ipsi victorem Principem in medio Dei ministrorum conventu residentem vicennalibus hymnis prosecuti sumus. E *Valesium recentiores quidam secuti sunt.*

ut probatur.

8 *At ego illorum sententiæ molim subscribere, qui id* S. Eustathio *tribuendum putant : hoc enim diserte asserit Theodoretus : neque aliter intelligi potest Hieronymus supra num.* 5, *citatus : nam ante* Eustathium *bellicum adversus Arium clarissima tuba cecinerat S. Philogonius Antiochenæ ecclesiæ episcopus. Qua ratione ergo primus id fecisse potuit* S. Eustathius, *nisi in acie Nicæna? Accedit his presbyter, quem dixi Gregorius : imo et Auctor Historiæ Tripartitæ lib.* II, *cap.* V, *et Nicephorus Callistus lib.* VIII, *cap.* XVI : *quamquam etenim uterque de oratione ab Eusebio Cæsariensi secundo loco hic instituta meminerit, primo tamen loco dixisse ambo testantur* Eustathium. *Favent etiam ea, quæ supra dedimus num.* 5 *aliaque ejusmodi elogia, quibus primus fuisse dicitur et coryphæus inter Patres Nicænos. Favet ipsa oratio num.* 6 *proposita, quæ si vere talis fuit, et sane bellicum fuit, quale contra Arium cecinisse primum* Eustathium *vult S. Hieronymus, et Eusebio nequaquam convenit, qui tum in Arium minime durus erat.* F *Orationem vero illam, uti talem admisit Baronius; et qui dubitant num ea fuerit re vera* Eustathii, *sane levibus ducuntur argumentis, ut videre licet apud Tillemontium nota 6 in Synodum Nicænam, quæ proinde ne refutare quidem operæ pretium puto. Denique non ea momenta sunt, quæ sive pro S. Alexandro Alexandrino, sive pro Eusebio Pamphili proferuntur.*

refutatis aliorum opinionibus :

9 *Nam pro S. Alexandro quidem sola facit auctoritas Theodori Mopsuesteni; imo vero solius Nicetæ : nam quid asseruerit Theodorus, aliunde non constat ; videtur tamen dixisse tantummodo, Alexandrum Alexandrinum Synodi cogendæ ducem et auctorem extitisse ; atque inde vel ipse vel Nicetas arguisse, primo loco locutum istic esse eumdem Alexandrum, quo pacto multum hæc auctoritas elevatur ; adi textum Nicetæ num.* 7 *descriptum. Nihilo solidiora sunt, quæ pro Eusebio afferuntur testimonia. Nam* 1 *quidem non hoc ipse de se testatur lib.* III *de Vita Constant. cap.* XI : *neminem enim nominat, præterquam in titulo capitis, qui teste ipso Valesio in Annotat. ad ejusdem operis initium,*

AUCTORE P. B.

tium, ipsius non est. 2. *In ipso capite id de se potius aperte negat, cum eum primo verba fecisse narret,* qui in dextra parte primum locum obtinebat ; *Sane locum illum neutiquam obtinebat Eusebius ; aut, cedo, quo exemplo, quo jure, quo ordine? Nam alia hæc omnia in Concilio Chalcedonensi et aliis fuerunt.* 3. *Quia tamen oratorem Eusebius non appellat, hinc facile, quamquam non recte, conjicere potuit Sozomenus lib.* I, *cap.* XIX, *ipsum designari Eusebium ; quasi is nomen suum, ex modestia reticuisset ; et ita pro* Eustathio *Eusebium accipere : sicut idem Auctor, quia apud Eusebium eodem libro* III, *cap.* VII *nomen Pontificis Romani expressum non erat, errore multo crassiori pro S. Silvestro Julium accepit lib.* I, *cap.* XVII. 4. *Nicetas errare potuit ex ipso titulo capitis Eusebiani, qui forte ipso antiquior fuit.* 5. *Non faciunt huc etiam argumenta Valesii num.* 7 *adducta, quorum alterum ab ipsius Eusebii testimonio petitum dissolvit Pagius in Criticis Baron. ad annum Christi* 325 *num.* 22 : *alterum de doctrina atque eloquentia Eusebii longe debilissimum est ; cum ad modicam allocutionem nec doctrina tantopere nec facundia requireretur ; tum si ea* B *necessaria judicabatur, Eusebio profecto utendum non fuit, quando ipse* S. Eustathius *aderat,* vir, *teste Sozomeno* II, *cap.* XIX, tum in aliis rebus egregius, tum eloquentiæ causa merito admirandus.

non tamen Concilio præsedit.

10 *Sed numquid ex dictis consequens est, ut Nicænæ Synodo non Legati Pontificis Romani, sed* S. Eustathius *præsederit? Ita quidem post alios æque Romanæ Sedis auctoritati, ubicumque occasionem inveniunt, derogantes sensisse videtur Tillemontius tum in Concilio Nicæno art.* 2, *tum in* S. Eustathio, *ubi sic habet :* Argumenta suppetunt bene multa, quibus S. Eustathius non adstitisse dumtaxat, verum etiam præsedisse Concilio Nicæno probetur. *Quis nescit, quem ista fontem, aut quam potius cloacam redoleant. Ceterum ne argumentis illis refellendis hic immorer, facit post alios plurimos Pagius in Crit. Baron. apud quem eadem pridem in Launoio confutata, Lector, invenies ad annum Christi* 325 *a num.* 11 *usque ad* 19. *Consule etiam Baronium ad eumdem annum num.* 56, *ubi* Eustathium *Synodi præsidem non fuisse, ex ipso ostendit* Eustathio.

C § II. S. Eustathii post Concilium Nicænum usque ad exilium suum gesta scriptaque adversus Arianos et eorum patronos.

Concilium Antiochenum Niceno posterius S. Eustathio quidam tribuunt:

S*unt qui a* S. Eustathio *non tantum promulgata fuisse velint* in Cœlesyria, in Mesopotamia et Cilicia utraque, *ut, Gelasio teste in Hist. Concilii Nicæni lib.* II, *cap. ultimo,* jussus erat, sacrosanctæ synodi Nicænæ statuta ; *sed coactum insuper ab illo putent Antiochiæ concilium, ad eadem novis Orientalium episcoporum decretis adversus grassantes istic Arianos validius defendenda : in quo quidem concilio conditi sint canones aliqui, qui, modo permisti cum aliis, inter illos viginti quinque canones censeantur, qui apud Labbeum, tom.* II *Concil. col.* 559 *et seqq. omnes uni Concilio Antiocheno, in encæniis habito anno Christi* 341, *attribuuntur, non secus atque epistola synodica eidem concilio præfixa ; cum eam esse anterioris cujusdam Concilii Antiocheni, forte sub* S. Eustathio ; *certe ante annum Christi* 335 *et conciliabulum Tyrium celebrati, ex eo colligant, quod illi subscriptus legatur Theodorus, sive Theodotus Laodicenus saltem ante conciliabulum Tyrium, adeoque dudum ante encænia antiochena certo jam vita defunctus. Ita sentiunt, ac pluribus argumentis stabilire conantur Godefridus Hermantius in Vita S. Athanasii tom.* I *declaratione* II *in libri* V *caput* XII ; *Natalis Alexander sæc.* IV *parte* II, *dissert.* XXV, *conclus.* II, *Tillemontius tom.* VI, *monum., ubi de* S. Eustathio, *pag.* 23, *et locis istic ad lævam citatis. Neque tamen ex his omnibus aliud in rem nostram statuunt, quam celebrari potuisse, nec esse conjecturam improbabilem, celebratam re vera fuisse synodum Antiochenam aliquam ab* Eustathio. D

12 *Contra Schelstratius toto passim opere, quod de sacro* Antiocheno Concilio *erudite conscripsit, sed præsertim dissert.* IV, *cap.* I, *ubi Hermantii objectis respondet, id pugnat acerrime, ut jam dicta omnia, id est, tam canones* 25 *Antiochenos, quam epistolam Synodicam iis præfigi solitam, ad unicum concilium illud quod in encæniis habitum est, referenda omnino esse evincat : nec spernenda sane sunt argumenta, quæ ex antiquitate eruderata depromit, nec vero ea, missis Gallorum suorum sententiis recentioribus, sequi puduit eruditum Antonium Pagium in suis Criticis ad Annales Card. Baronii ad annum Christi* 341. *Ad Theodorum, seu Theodotum Laodicenum, epistolæ synodicæ subscriptum, quod attinet (quod præcipuum est fundamentum opinionis ante propositæ) reponit Schelstratius loco cit. et dissert.* II, *cap.* IV, *num.* 18, *vitium esse vel in nomine* Theodori, *vel in adjecto episcopatu* Laodiceæ; *sed facile corrigi ex Sozomeno ; neque ex eo statim consequens esse, ut alteri synodo epistola assignari debeat, quod in unum nomen error irrepserit ; ubi tot antiqui codices et firmata tot sæculis auctoritas militat in contrarium. Ceterum hæc adducere libuit ; non ut litem hanc ego decidam, quæ longiorem exigit tractatum, quam instituto nostro conveniat ; sed ut ostendam concilium Eustathianum non esse rem usque adeo ab omni controversia liberam, ut asserere rotunde liceat, non modo concilium aliquod a* S. Eustathio *Antiochiæ fuisse collectum, sed id etiam factum ab eo esse versus annum Christi* 329, *quod facit nuperus quidam legendista Gallicus, ducibus suis non parum audacior, qui id et propius admovent Concilio Nicæno, et timide tantum ac prope divinando proponunt ; quod, mea quidem sententia, tolerari utcumque potest ; tametsi in oppositum multo magis propendeo.*

quod alii probabiliter ipsi abjudicant.

E

F

Arianis fuit infestissimus.

13 *Utut est ; habita sit ante exilium Synodus adversus Arianos a* S. Eustathio *(de qua nulla tamen usquam occurrit mentio ;) non sit habita ; parum interest ; ut eximiam ejus post Concilium Nicænum in defendenda contra sectam illam orthodoxa fide constantiam ac fortitudinem demonstremus : ad illa namque tempora respicit S. Athanasius, in Historia Arianorum ad monachos tom.* I, *part.* I, *pag.* 346 d. *(edit. Benedict.) cum ita scribit :* Eustathius quidam fuit, Antiochenus episcopus, Confessor ac fide pius. Is, cum veritatem summo studio tueretur, essetque Arianæ hæresi infestissimus, hæreticosque illos non admitteret, apud Constantinum Imperatorem insimulatur conficta criminatione ; quod scilicet matri ejus contumeliam fecisset : statimque ipse cum multa presbyterorum diaconorumque turma extorris factus est : ac demum quos ille impietatis causa in clerum non

A non admittebat, hos postquam Episcopus in exilium est actus, non solum in ecclesiam introduxere; sed plerosque ex illis ordinarunt episcopos, ut eos suæ pro impietate conjurationis socios haberent. Ex quorum numero est Leontius castratus, qui nunc Antiochiæ episcopus est, et qui ante ipsum ibidem episcopus fuit Stephanus, Georgius Laodiceæ, Theodosius olim Tripolitanus episcopus, Eudoxius Germaniciæ, Eustathius nunc Sebastes. *Verum de exilio dicam infra latius. Patet hinc interim, numquam adduci potuisse catholicum hunc Præsulem, ut palam in ecclesiam suam clericum ullum, Ariomaniæ sibi nomine suspectum, admitteret.*

... n modo in ... ecclesia sua:

14 *Multum id sane fuit, et multarum ipsi causa vexationum, sed parum tamen* Eustathio *videbatur, quod lupos ejusmodi in ovile suum ipse ultro ac publica auctoritate non intromitteret; nisi id etiam sollicite curaret, ne qua vel irrumpere illi vel certe insinuare sese aut pestifera per libellos dogmata possent. Qua de re præclarum est S. Chrysostomi testimonium in Homilia, quam in fine subnectam,* Illo itaque tempore, *inquit,* ecclesiam,
B quæ apud nos est *(Antiochenam)* regebat Beatus iste *(Eustathius)* ac morbus exortus est, quasi pestis quædam infesta, ab Ægypti regionibus, qui per urbes interjectas grassatus in nostram urbem impetum facere properabat. At ille vigilans et attentus, omniaque prævidens quæ imminebant, ingruens bellum arcebat; et tamquam sapiens aliquis medicus, priusquam morbus urbem, in qua residebat, invasisset, medicamenta comparabat, ac sacram hanc navem multa cum securitate gubernabat, quoquoversus circumcursans, nautas, vectores, navigantes omnes concitans, et curans, ut vigilarent et attenderent, quasi jam invaderent eam piratæ, ac fidei thesaurum contenderent deprædari. *Dignum enimvero sollicitudinis quod, hæresi maxime per ecclesiarum suarum viscera furtim serpente, Episcopi orthodoxi omnes pro viribus imitentur exemplum!*

sed etiam in al ... :

15 *Sed nec ibi stetit ardor* Eustathii; *major enim fuit, quam ut unius ecclesiæ suæ, quantumvis late patentis, finibus coerceri, aut per se unum
C expromi satis posset. Audi S. Joannem Chrysostomum loco citato ita prosequentem:* Neque vero hic tantum; sed in omnes partes mittebat, qui docerent, qui cohortarentur, qui disputarent, qui hostibus aditum omnem intercluderent. Probe siquidem a Spiritus gratia fuerat edoctus, ecclesiæ præsulem non de illa tantum solicitum esse debere, quæ a Spiritu sancto illi commissa est; sed etiam de quavis in orbe terrarum constituta. Atque hoc ille sacris e precibus colligebat: si enim pro universa Ecclesia, inquit, fundendæ sunt preces, quæ a finibus ad fines usque pertinet orbis terrarum; multo magis et ejus universæ gerere curam oportet et de omnibus pariter esse solicitum, omnibus providere. *Sed nimirum tantæ voluntati ac studio par facultas esse non poterat: latius enim tectiusque gliscebat ac fundebatur incendium Arianum, quam ut illi ubique restinguendo cum suis ipse sufficeret.*

... scriptis etiam libris.

16 *Stylum ergo, quo plurimum valebat, exeruit, ut ubi audiri ipse per se ac suos non poterat, legi saltem posset atque intelligi. Testatur id S. Hieronymus, de scriptor. eccles cap.* LXXXV, *cum illum dicit* Adversum Arianorum dogma composuisse multa. *Et mirum, ni eo pertineant, quas Eustathium scripsisse ibidem asserit,* Infinitæ epistolæ, quas enumerare longum est. *Certe alia ejus opera, quæ istic notat, ad Arianum dogma non faciunt. S. Eulogius Patriarcha Alexandrinus apud Photium in Bibliotheca cod.* 225, *sex libros* Eustathii *sive dissertationes in Arianos appellat: sic enim scribit juxta versionem Andreæ Schotti:* Etenim Eustathius, Antiochenus episcopus, VI adversus Arianos libris his verbis scribit: Sed Arianæ scenæ saltatores peccatum fecisse Christum jactant. *Et e sexto quidem libro, imo et octavo adversus Arianos citata habemus non nulla apud Facundum Hermianensem lib.* II, *cap.* I, *et S. Anastasium, ut ibidem in Notis ad Facundum docet Sirmondus (cujus annotationem non intellexit Tillemontius, in* S. Eustathium *sub finem; dum ab Anastasio hic citari putavit Dissertationem* S. Eustathii *de Engastrimytho) Theodoretus quoque eccl. Hist. lib.* I, *cap.* VII *(in edit. Sirmondi) elaboratam ab eo fuisse historiam innuit, qua exposuerit, quid ab Arianis tum in ipsa synodo Nicæna, tum post illam sit gestum. Quin ipsum etiam ex illo opere fragmentum exhibet, quod neque me pigebit afferre; ut* E
inde aliquam saltem lector de ceteris ejus in Arianos lucubrationibus conjecturam facere possit. Arianorum igitur Blasphemiam refutans, Proverbiorumque locum enarrans; DOMINUS CREAVIT ME INITIUM VIARUM SUARUM AD OPERA SUA, de illis scribit in hunc modum, *inquit Theodoretus:*

AUCTORE P. B.

quorum aliqua fragmenta supersunt;

17 Veniam autem hinc etiam ad acta Concilii. Quid ergo; cum synodus has ob res Nicæam maxima convenerit, coactis in unum episcopis ducentis circiter et septuaginta? Liquido enim propter eorum multitudinem scribere non possum, quippe qui id curiosius non investigaverim. Ubi cum de fidei ratione quæri cœptum esset, Eusebii blasphemia ex ejus litteris perspicue deprehensa est. Quæ coram omnibus lectæ immensum dolorem auditoribus propter hominis depravationem attulerunt, ipsum vero, qui scripserat, insanabili dedecore affecerunt. Ac jam quidem officina Eusebii patefacta, nefariisque litteris in omnium conspectu discerptis, quidam simul ex composito, pacis nomen obtendentes, silere omnes compulerunt, qui F
aptissime concionari solebant. Arianæ vero dementiæ sectatores, veriti, ne auctoritate tanti Concilii exilio multarentur, prosilientes in medium, Arii dogma respuunt ipsi quidem et damnant anathemate, communisque consensus decreto sua manu subscribunt. Verum postquam episcopatus quamplurimis circumcursationibus adepti sunt, cum eos pœnitentia suscepta prosterni oporteret, damnatas opiniones nunc latenter, nunc aperte propugnant, diversis insidiantes argumentis. Quærentes autem zizaniorum plantas firmare, exploratores metuunt, fugiunt inspectores, atque ita veritatis præcones oppugnant. Sed nos longe absumus, ut credamus, ab impiis hominibus superari Deum posse: ut enim vires iterum comparent, iterum opprimentur, juxta gravissimum prophetam Esaïam. Hæc igitur magnus Eustathius, *subdit Theodoretus. Vide etiam Nicephorum Callistum lib.* VIII, *cap.* XX *et seq. Arguit vero hoc scriptum annum Christi circiter* 329, *quando revocati jam ab exilio Eusebius Nicomediensis ac Theognis*

AUCTORE P. B.

quibusque adversariorum in se odia vehementer accendit.

gnis Nicænus, Ariani erroris propugnatores acerrimi, prostratam hæresim novis artibus erigere satagebant.

18 *Liquet vero hinc etiam, quam eos parum reformidaret, quos hic satis aperte sugillat, quosque noverat non minus infensos esse sibi, quam in aula Constantini potentes. Nec referre arbitrabatur, quod illi pro catholicis haberi se vellent, palamque non modo detestarentur proscriptum Arii dogma, sed fidem quoque Nicænam verbis magnificis adstruerent unice; dum eam re ipsa ambiguis interpretationibus, ac dolis malis subruere funditus nitebantur. Sic nec Paulino Tyri, nec Patrophilo Scythopoleos episcopis, ac ne ipsi quidem Eusebio Cæsariensi parcitum voluit, sed eos, ut habent Socrates lib.* I, *cap.* XXIII, *et Sozomenus lib* II, *capp.* XVIII *ac* XIX *aversabatur, palamque accusabat ut Arianos. Et Eusebius quidem ausus est ei contra Sabellianæ hæreseos labem aspergere, usitatum tum temporis Arianorum in synodi Nicænæ assertores commentum; sed cum ea criminatio, utpote falsissima teste Socrate loco citato, parum in* S. Eustathium *apud homines cordatos valeret, alias Eusebiani sibi ma-* B *chinas excogitandas duxerunt, quibus adversarii tam importuni auctoritatem labefacerent.* Quod ergo in Stephano accidit, *inquit S. Chrysostomus Hom. in S. Eustath.*, id in eo etiam evenit. Ut enim Judæi, cum Stephani sapientiæ non possent resistere, Sanctum illum lapidabant: sic et isti, cum hujus sapientiæ resistere non possent, ac munita cernerent propugnacula, tum e civitate præconem expellunt. *Hoc vero qua ratione perfecerint: paullo uberius explanandum est.*

§ III. S. Eustathii depositio et exilium.

Ariani S. Eustathium.

I*ta rem narrat Theodoretus juxta Sirmondum lib.* I, *cap.* XX: At Eusebius *(Nicomediensis)* sedem quoque Constantinopolis violenter, ut diximus occupavit *(Errat hic Theodoretus; nam id serius factum est, ut notat Valesius in hunc locum.)* Sic majore comparata potentia, Imperatoremque propius frequen- C tans, et ex crebro congressu confidentiam confirmans, insidias adversus veritatis defensores struere est adorsus. Ac primum visendorum Hierosolymorum desiderium præ se ferens, Imperatore hac fraude circumvento, tamquam ad celeberrimum structuræ illius opus conspiciendum, maximo illinc cum honore profectus est, Imperatore vehicula reliquumque apparatum suppeditante. Cum illo autem abiit et Theognis Nicænus, perversorum ejus consiliorum, ut ante dictum est, socius et particeps. Cumque venissent Antiochiam, amicitiam fronte simulantes, honorificentissime excepti sunt. Nam veritatis ille propugnator, magnus Eustathius, fraternam illis benevolentiam omnem exhibuit. Ubi vero ad sacra loca pervenerunt, et eadem ac ipsi, sentientes viderunt Eusebium Cæsareæ, et Scythopolitanum Patrophilum, et Lyddæ Aëtium, et Laodiceæ Theodotum, aliosque quos labes Ariana infecerat, quid molirentur, indicarunt, et una cum illis rediere Antiochiam. Et aliorum quidem adventui deductionis honor prætendebatur: clam autem fraus ad oppugnandam pietatem D parabatur.

tamquam adulterum deponunt in conciliabulo

20 Conducta enim meretricula, quæ formam habebat venalem, cum ei, ut linguæ suæ operam ipsis locaret, persuasissent, ad concilium mox veniunt. Tum aliis omnibus exire jussis, miseram mulierculam introducunt. Illa infantem adhuc lactentem ostentans, hunc se dicebat ex Eustathii concubitu suscepisse ac peperisse, et impudenter vociferabatur. Eustathius vero, qui calumniæ falsitatem compertam haberet, postulabat, ut, siquem ejus rei conscium nosset, in medium produceret. Quæ cum accusationis testem nullum habere se diceret, jusjurandum æquissimi judices detulerunt: quamvis diserte lex clamet, duorum ac trium testimonio dicta confirmari: et Apostolus manifeste præcipiat, nec contra presbyterum accusationem sine duobus aut tribus testibus recipi. Verum isti, spretis legibus divinis, accusationem contra tantum virum sine teste admiserunt: et cum illa quod dixerat, jurejurando confirmasset, Eustathii re vera filium esse, sententiam in eum, tamquam ad- E ulterum, veri amatores pronuntiarunt.

et in exilium relegari curant.

21 Refragantibus autem aliis episcopis, (erant hi numero non pauci Apostolicæ doctrinæ studiosi defensores, et occultæ fraudis prorsus ignari) prohibentibusque, injustam sententiam ne subiret Eustathius, ad Imperatorem celerrime contendunt qui fabulam concinnarant, verumque crimen, et justam depositionis sententiam fuisse persuadentes, perfecerunt, ut tamquam adulter et tyrannus in exilium pietatis et continentiæ athleta pelleretur. Ac ille quidem per Thraciam in Illyrici urbem quamdam abductus est. *Tum cap. seq. de meretricula illa narrat quæ postea contigerunt:* At misera illa muliercula, *inquit*, gravissimo ac diuturno morbo correpta, prodidit insidias, tragœdiamque detexit, fraude, qua usi erant, non duobus tribusve, sed quamplurimis sacerdotibus patefacta. Fassa enim est, se conductam mercede falsum illud crimen intendisse. Nec falsum tamen omnino fuisse quod jurarat: quia Eustathii cujusdam ærarii infans erat. *Hactenus de* F S. Eustathii *depositione exilioque Theodoretus. Juvat hic aliqua tamen animadvertere, quæ ab hoc auctore vel præterita sunt, vel obiter tantum annotata.*

Confirmatur et explicatur narratio Theodoreti de causa depositionis.

22 *Et primo quidem quod ad impactum integerrimo Viro, crimen attinet, ob quod gradu sit motus, dubium non videtur, quin illud ipsum fuerit, quod modo descriptum est: hoc enim etiam ante Theodoretum asserit Philostorgius lib.* II, *cap.* VII *ubi ait:* Eustathium Antiochensem episcopum perinde ab iisdem *(Eusebio ac sociis)* depositum esse, cum puellæ cujusdam stuprum ac fœdæ libidinis crimen ei objecissent. *Et quid aliud sibi volunt, qui apud Labbeum tom.* II, *Concil. col.* 709 e, *in epistola Synodica conciliabuli Sardicensis Osium criminantur, quod* Eustasio et Quimassio adhærebat pessime et carus fuit; de quorum vitæ infamia turpi, dicendum nihil est, *inquiunt:* exitus enim illorum illos omnibus declaravit. *Idem innuit non obscure Sozomenus lib.* II, *cap.* XIX: Congregata igitur, *inquit*, Antiochiæ synodo, Eustathius episcopatu Antiochensis ecclesiæ exuitur: re ipsa quidem, sicut major pars asseril,

rit, eo quod Nicæni concilii fidem adstrueret, et Eusebium Pamphili, Paulinum Tyri, ac Patrophilum Scythopoleos episcopum . . . tamquam Arianos aversaretur, palamque eos accusaret; specie vero, quasi honorem sacerdotii flagitiis quibusdam commaculasse deprehensus fuisset. *Et Socrates lib.* I, *cap.* XXIV: Eustathium, *inquit*, deponunt, ut qui Sabellii dogmati potius, quam Nicænæ synodi decretis insisteret. Sunt qui ob alias etiam causas minus honestas depositum esse dicant; quas tamen in medium non proferunt. Solent autem episcopi in omnibus id facere quos deponunt: ut eos quidem probris onerent, et impios esse pronuntient; causas vero impietatis non exponant. *Deinde ostendit Sabellianismi accusationem, utpote sola Georgii Laodiceni in ea re pugnantia narrantis fide nixam, intentatam probabilius in ea synodo non fuisse* S. Eustathio; *adeoque ob alias causas videri depositum. Nimirum ob infames illas, quas ipse quidem obscure noverat; at alii aperte; ut vidimus, tradiderunt, ut omittam recentiores Græcos, uti Nicephorum Callistum lib.* VIII, *cap.* XLV, *aliosque ad diem* XXI *Februarii in Menæis excusis, Maximum Cytherorum episcopum, imo et Coptos in Martyrologio interprete Simone Moysis Maronita, eadem hic fere omnia cum Theodoreto narrantes: nisi quod Martyrologium jam dictum Copticum addat, post publicam meretriciæ calumniæ retractationem,* sacerdotes Antiochiæ, qui jam nomen Sancti abraserant ex libro Missæ, restituisse memoriam ipsius.

…t seditione tum excitata, et aliis postea.

23 *De seditione tum excitata non meminit satis aperte Theodoretus: licet refragatos Eusebianis dicat episcopos orthodoxos, ac prohibuisse injustam sententiam ne subiret* Eustathius. *Sed illam diserte adstruunt Socrates et Sozomenus mox adducti; verba prioris sunt:* Porro tunc temporis Antiochiæ ingens seditio exorta est in illius depositione. *Posterioris vero:* Ceterum ingens seditio ob ejus depositionem excitata est Antiochiæ: adeo ut parum abfuerit, quin plebs arma corriperet, totaque civitas in gravissimum discrimen adduceretur. Atque hoc præcipue apud Imperatorem ei nocuit. Postquam enim Imperator ista accidisse comperit (*ex iis qui fabulam concinnarant, quique ad Imperatorem statim ut exoriri viderant dissidium, teste Theodoreto, celerrime contenderant*) et plebem ecclesiæ duas in partes discissam esse, ægre admodum eam rem tulit, et Eustathium seditionis auctorem fuisse suspicatus est. Quemdam tamen ex palatii sui proceribus misit, eique in mandatis dedit, ut plebi metum incuteret, et sine tumultu ac detrimento seditionem comprimeret. *Ceterum non unæ hæ apud Antiochenses turbæ exstiterunt; sed identidem suscitatæ sunt aliæ, quoties de eligendo ipsi successore deliberatum est: quas quia confundere placuit Eusebio; perperam Sozomenus aliique crediderunt,* Eustathio *dejecto, statim agi cœptum esse de Eusebio Cæsariensi in ejus locum sufficiendo. At videsis quæ de his aliisque fusius disputata sunt in Tractatu de Patriarchis Antiochensibus inde ab ipso* S. Eustathio *usque ad Euphronium.*

…accusationi… apud Constantinum.

24 *Ex dictis patet, idem quidem crimen ad Imperatorem esse delatum, quod objectum sancto Præsuli in conciliabulo Antiocheno fuerat; sed non illud tamen solum. Idem inquam: nam hoc indicat Theodoretus, cum narrat impios hujus fabulæ auctores ad Imperatorem contendisse* verum crimen (*ob quod Eustathium deposuerant*) et justam depositionis sententiam fuisse persuadentes. *Non solum vero instauratum illud fuisse apud Constantinum; sed additam quoque accusationem excitatæ per* Eustathium *seditionis, non modo Sozomenus numero superiore, verum etiam Eusebius de Vita Constantini lib.* III, *cap.* LIX, *atque ipsa secuti paulo post exilii sententia demonstrat: siquidem exulare jussus est, ut habet Theodoretus,* tamquam adulter et tyrannus; *cum depositus antea tantummodo fuisset tamquam adulter. Ad seditionis etiam calumniam spectare illa poterat, quam supra num.* 13 *ex S. Athanasio dedimus, quaque postulatus ab illis indignissime apud Constantinum fuit,* quod scilicet matri ejus contumeliam fecisset.

AUCTORE P. B.

Cujus opera S. Eustathium in exilium Eusebiani extruserint.

25 *Hæc igitur ut audiit Imperator,* unum ex iis quos circa se spectatos habebat, Comitis honore decoratum, hominem fidelissimum eo misit, plebem quasi legatione blanda compellans, *inquit Eusebius loco citato; imo potius Eusebianorum fraude arbitrioque rem Antiochiæ catholicam opprimens: nam Comitem, quem hic tantopere laudat Eusebius, Strategium fuisse, ait Valesius in Annot. in lib.* III *Eusebii de Vita Constant. cap.* LXII, *conjectura sane non improbabili: nam is et aliquot post mensibus erat Antiochiæ et rerum ibi gestarum rationes ad Imperatorem ex officio perscribebat, ut constat ex epistola Constantini cap.* LXII. *Deinde Antiochenus erat, juxta Libanium epist.* CCCLXXXIV *et* CCCCLI, *et* facundia sermonis utriusque, *Græci scilicet ac Latini,* clarus, *et alias contra Manichæos ab eodem Imperatore tam feliciter adhibitus, ut ab illo Musoniani nomen acceperit;* prudens alia, tolerabilisque provinciis, et mitis et blandus *ut est apud Ammianum lib.* XV *in fine; atque adeo compescendis popularium suorum motibus unice idoneus. Præterea* venalis *erat, ut idem asserit lib.* XVI, *cap.* IX, et flecti a veritate pecunia facilis; *et quod caput est, Arianus, aut, si mavis, Eusebianus, atque ab Eusebianis etiam postea, cum vexandi orthodoxos fuit occasio, tamquam pædagogus advocatusque,* cujus potestate freti quod liberet perficerent, *conduci solitus, ut auctor est S. Athanasius tom.* I, *part.* I *in Apologia contra Arian. pag.* 154 C, *et ad Solitar. pag.* 352 C. *Ut vix dubium esse possit, quin eumdem illum subsidio sibi mitti Antiochiam a Constantino, apud quem omnia poterant, hoc etiam tempore curaverint; ita facile in* S. Eustathium *ceterosque veritatis vindices pro sua libidine quælibet effecturi.*

Quam patiens, quam pro ecclesia sollicitus abductus sit.

26 *Quid in causa sua ab ejusmodi judice recognoscenda superesse spei poterat aut parti Catholicæ, aut sanctissimo Patriarchæ, jam ante ab Eusebianis exauctorato; nisi ut inde facessere quam longissime cogerentur, ubi consistere, præsentibus ipsis, Ariani non possent? Ita plane factum esse tum ex Athanasio supra num.* 13, *tum ex S. Chrysostomo num.* 18, *ac Theodoreto num.* 21, *diximus.* Eustathius vero, sicut accepi, *inquit Sozomenus lib.* II, *cap.* XIX, calumniam illam moderate (ἡσυχῇ, *tranquille ac tacite*) tulit, satius id esse arbitratus; *exemplo Domini sui a Judæis sine ulla sui defensione accusati ac damnati; quem in hoc etiam imitatus est, quod suos, antequam abriperetur, ad constantiam ac fortitudinem egregie est adhortatus.* Itaque peregre profecturus, *inquit ad Antiochenos suos S. Joannes Chrysostomus,* urbem quidem dimittebat, at caritatem in vos non dimittebat: neque

AUCTORE P. B.

neque quod ab ecclesia expellebatur, a præsulis etiam munere, vel cura vestri, quam gerebat, alienum seipsum putabat; sed tum amplius curabat et solicitus erat. Ideo vocatos omnes admonebat, ut ne succumberent neve lupis cederent, aut illis gregem proderent; sed intus manerent: ut os illis obstruerent, eos convincerent, ac simpliciores fratres confirmarent; *et cetera, quæ in ipsa deinde Homilia dabuntur inferius. Atque ita Confessor illustris* cum multa presbyterorum diaconorumque turma *a suis exul abductus est. At quo?*

primo ad Constantinum, inde in exilium suum, id est, Trajanopolim in Thracia:

27 *Primum omnium ad ipsum Constantinum, qui apud Eusebium de Vita Const. lib.* III, *cap.* LIX *ad Eusebianos Antiochenses scribens asserit;* se coram audiisse ipsum, qui totius seditionis auctor fuisset; *quibus verbis designari* S. Eustathium *nemo non videt. Quin imo Philostorgius lib* II, *cap.* VII *novum episcoporum* 250 *conciliabulum convenisse vult Nicomediam, in quo Antiochena in sanctum hunc Præsulem contumelia, id agentibus maxime Eusebio, Mari ac Theognio, denuo sit confirmata; sed nescio, an id historico Ariano* B *sine testibus aliis credi satis possit. Inde porro ad locum exilio destinatum amandatus est; in quo definiendo jam pridem eruditi desudarunt, discrepante antiquorum nec levi auctoritate, distracti: nam S. Hieronymus de Script. Eccl. cap.* LXXXV *ita pronuntiat:* Eustathius . . . sub Constantio principe *(de qua re vide dicta in Tractatu de Patriarchis Antioch.)* pulsus est in exilium Trajanopolim Thraciarum, ubi usque hodie *(scribebat hæc anno Christi* 392*)* conditus est. *In Thracia quoqus sepultus esse sacras ejus reliquias non semel asseverat in Homilia sæpius memorata, circa eadem cum Hieronymio tempora S. Joannes Chrysostomus, tametsi urbem nullam nominet. Quis vero facile credat, utrumvis horum Patrum aut asseruisse quod ignoraret, aut ignorare potuisse quod assereret? Nam id alter coram Flaviano, cui gregem suum discedens in exilium* Eustathius *commendaverat, et frequentissima Antiochensium, apud quos tanti Præsulis recentissima tum adhuc vigebat memoria, pronuntiavit; alter cum idem scriberet, diu olim cum Paulino ipsius primum* Eustathii *presbytero, deinde Eustathianorum Patriarcha, uti et cum hujus successore Euagrio, con-* C *junctissime vixerat. Incredibile vero omnino est amorem tam ardentem constantemque Catholicorum Antiochensium erga* Eustathium *suum, et lacrymas, quibus abeuntem prosecuti sunt, imo et arma, quibus non semel correptis, jam exulem repetierunt eorum plurimi, qui usque ad SS. Chrysostomi et Hieronymi notata jam tempora superstites erant; incredibile est, inquam, tantum illorum affectum cum tanta ignoratione fuisse conjunctum, ut ne locum quidem scirent ejus exilii; nedum epistolas vel ad eum ullas dederint, vel ab eo vicissim acceperint. Durum ergo videtur sive Chrysostomo Thraciam, sive Hieronymo in Thracia Trajanopolim asserenti non credere.*

non vero Philippos in Macedonia, ut aliqui volunt

28 *At enim contra faciunt, quæ supra ex Theodoreto produximus:* At ille quidem per Thraciam in Illyrici urbem quamdam abductus est: *Sic enim non videtur in ipsa Thracia substitisse: Deinde Theodorus Lector initio libri* II, *Hist. Eccl. agens de translatione reliquiarum suis temporibus facta, sic habet:* Calendio vero, cum id ab Imperatore Zenone postulasset, Eustathii reliquias a Philippis, urbe Macedoniæ, in quam olim relegatus, et in qua mortuus erat Eustathius, Antiochiam deportavit. *In eamdem* D *sententiam adducitur Victor Tunnunensis in Chronico, ubi* post Consulatum Longini V. C. *ita scribit:* Calendio, Antiochenus episc. reliquias prædecessoris sui Eustathii episcopi et confessoris ex Philippis populi Macedoniæ colligit, et Antiochiam summo cum honore producit, *quo loco editores Chronici pro* Philippis populi *aut* Philippis populis *substituunt in margine* Philippopoli, *quod oppidum est Thraciæ, non Macedoniæ. Theophanes quoque ad annum divinæ Incarnationis juxta Alexandrinos* 480: Hoc anno Calandion Antiochenus Episcopus Eustathii magni reliquias, Philippis, ubi Sanctus exul obierat, transtulit; *consonat Nicephorus Callistus lib.* XVI, *cap.* X. *Menæa vero excusa ad diem* XXI *Februarii:* Καὶ ἐπέμφθη διὰ τῆς Θράκης εἰς Φιλίππους πόλεως Μακεδονίας, ἔνθα καὶ τὸν βίον κατέλυσεν. Et missus est per Thraciam Philippos in urbem Macedoniæ, ubi et vitam absolvit. *Sed quæ hæc constructio,* εἰς Φιλίππους πόλεως? *Maximus Cytherorum Ep. in* Βίοις Ἁγίων *ad eumdem diem pro* εἰς Φιλίππους πόλεως Μακεδονίας *habet* εἰς τὴν Φιλιππούπολιν τῆς Μακεδονίας: *atqui Philippopolis quidem* E *aliqua in Thracia est; nulla vero, quod sciam, in Macedonia.*

SS. Hieronymo et Chrysostomo juniores

29 *Utut est non video ego hæc omnia tanti esse, ut a SS. Chrysostomo atque Hieronymo cogant recedere: nam Theodoretus quidem non aperte negat Exulem nostrum, per aliquam Thraciæ partem deductum, in Thracia substitisse; cum ipsa Thracia sit pars Illyrici Orientalis. Theodorus Anagnostes scire potuit, reliquias ejus Philippis Macedoniæ Antiochiam fuisse delatas; et inde porro de suo conjectasse videtur* S. Eustathium *in eadem urbe exilium ac mortem obiisse. Conjectura Theodori ceteros recentiores seducere in eamdem sententiam facile potuit. Potuit vero in Thracia et quidem Trajanopoli exulasse S. Patriarcha ibidemque conditus adhuc esse tempore SS. Chrysostomi et Hieronymi; licet toto posterius sæculo corpus ejus quamcumque demum ob causam translatum Philippos, servatum ibi aliquamdiu fuerit, donec, senescente sæculo quinto, inde Antiochiam advectum est. Hæc mihi sane minus cruda videntur, quam si vel S. Hieronymo errorem impingas, vel S. Chrysostomum dixeris pro Macedonia Thraciam accepisse. Thraciam certe etiam notat fragmentum e* F *Martyrologio Coptico superius citato; Imo et Trajanopolim habent Adonis, Usuardi, ac Romanum quo nunc utimur aliaque Latinorum Martyrologia: quod etiam tuetur Pagius ad annum Christi* 482.

Contigerunt hæc anno Christi 331.

30 *De tempore depositionis ac relegationis hujus hoc loco non disputo; id enim feci satis operose in Tractatu de Patriarchis Antiochenis; ubi exutum episcopatu fuisse ostendi* S. Eustathium *ineunte circiter anno Christi* 331; *exauctorationem autem exilii pœna non magno intervallo secuta est: Vix enim, ut supra ex Theodoreto vidimus, refragari sibi in sententia depositionis ejus episcopos catholicos adverterant Eusebiani, cum* celerrime *(*τὴν ταχίστην*)* rem *ad Imperatorem detulerunt; accusationem vero ipsorum vix intellexerat Constantinus, quando* statim *(*εὐθὺς*)* Eustathius *extorris factus est, uti etiam supra ex S. Athanasio diximus.*

§ IV. Amor

A

§ IV. Amor Antiochensium erga exulem Eustathium; hujus felix obitus in exilio.

...um ab... S. Eusta... apud Antio...

Facilius fuit Eusebianis Antiochia S. Eustathium, quam Antiochenorum animis Eustathii amorem ac desiderium expellere. Senserunt id hæretici illi, saltem usque ad Euphronium, quoties de Patriarcha in Eustathii locum sufficiendo fuit actum; tum enim tam ardentia experti sunt orthodoxorum omnium Eustathium reddi sibi pestulantium studia, ut res, teste Socrate lib. I, cap. XXIV, sæpe (πολλάκις, quam vocem omittit interpres Valesius) ad seditionem vergeret: maxime cum de Eusebio Cæsariensi post Paulinum et Eulalium eligendo certatum est; quo tempore tanta flamma dissensionis exarsit, ut parum abfuerit, quin tota civitas funditus evertere-tur, populo in duas partes (orthodoxorum videlicet et Eusebianorum) diviso; et his quidem Eusebium Pamphili a Cæsarea Palæstinæ Antiochiam transferre: illis vero Eustathium in B sedem suam restituere contendentibus. Utrique autem Christianorum parti tota civitas sese adjunxit. Milites quoque, velut contra hostes, utrimque in acie stetere; ventumque esset ad gladios, nisi Deus et Imperatoris metus plebis impetum repressisset. Nam Imperator quidem litteris suis; Eusebius vero episcopatum recusando tumultum illum ac seditionem sedavit. *Ita Socrates, post ipsum Eusebium de Vita Constantini lib.* III, *cap.* XXXIX.

Conservantur tum apud Eustathianos, tum apud ceteros orthodoxos.

32 *Neque* Eustathium *suum pluris, quam* Eustathii *monita doctrinamque fecerunt quotquot erant Antiochiæ Catholici: Et alii quidem eorum, quia, teste Chrysostomo infra, discedens id ille monuerat, Patriarchis Eusebianis, sed fidem tamen catholicam præ se ferentibus, per annos triginta (ut habet Theodoretus epist.* CXII, *ad Domnum episcopum Antiochiæ) id est, usque ad S. Meletium, communicarunt; attamen ne a* S. Eustathii *et fide et pietate interea vel ad latum unguem discederent, egregia Flaviani ac Diodori, nondum etiam tum sacris ordinibus initiatorum, industria* C *perfecit: uti colligere ex Theodoreto Eccl. Hist. lib.* II, *cap.* XIX, *et Chrysostomo infra sub finem. Alii vero ne ab ejus doctrina recedere tantillum videri possent, abeuntis monita vel negligenda sibi esse duxerunt, vel aliter interpretanda: Itaque, quoniam episcopi* S. Eustathio *suffecti* Ariana labe omnes pariter, sed occulte laborabant, *inquit Theodoretus lib.* I, *cap.* XXI, plurimi tum ex clero, tum ex populo, quibus cordi erat religio, conventus ecclesiasticos (*tam Eusebianorum quam orthodoxorum cum Eusebianis communicantium*) declinantes, suos privatim agebant: quos Eustathianos vulgo propterea vocabant, quod post illius discessum segregari cœperant. *Vide ergo, ne* Eustathianos *hosce Antiochenses, cum ejusdem nominis hæreticis illis confundas, in quos agit Concilium Gangrense apud Labbeum tom. II, Concil. col. 413: Nam* Eustathiani *nostris integerrimæ erant doctrinæ; hoc tamen ex capite reprehensione digni, quod postea ne Sancto quidem Meletio Patriarchæ submittere sese voluerint; quod eum dicerent ab Arianis fuisse promotum; atque ita Paulinum sibi proprium episcopum nacti, scindere bifariam ecclesiam Antiochiæ catholicam perrexerint, donec tandem opera S. Joannis Chrysostomi Flaviano adhærere magnam partem cœperunt anno Christi circiter 398. Imo aliqui usque ad Calendionem seorsim agere perrexerunt, ut ex Theodoro Lectore mox apparebit. De his plura vide in Tractatu de Patriarchis Antiochenis: maxime ubi de SS. Meletio, Paulino, Flaviano, Euagrio.*

AUCTORE P. B.

Moritur in exilio, non anno circiter 380 aut 360;

33 *Ceterum vivere ante desiit apud Thraces* Eustathius, *quam amari observarique Antiochiæ: quamquam temporis ratio in ejus obitu nihilo minus sit controversia, quam loci. Nam si Theodorum Anagosten lib.* II, *Theophanem ad annum divinæ Incarnationis secundum Alexandrinos* 481, *Menæa Græcorum excusa ad diem* XXI *Februarii, audimus, mortuus tantummodo fuerit annis centum, antequam translatæ sint Antiochiam ejus reliquiæ anno Christi* 482; *viveritque proinde usque ad annum Christi circiter* 380. *Favent Socrates lib.* IV, *capp.* XIV *et* XV, *et Sozomenus lib.* VI, *cap.* XIII, *ubi* Eustathium, *edicto Joviniani Imperatoris ab exilio priore revocatum, Constantinopoli vivum adhuc sistunt,* Valentiniano tertium et Valente tertium Consulibus, *sive anno Christi* 370, *quo illi, ob ordinatum in ea urbe Patriarcham Euagrium, novum a Valente exilium* E in oppidum Thraciæ Bizuam *indictum fuisse volunt; quos in eo etiam sequitur B. Theophanes ad an. divinæ Incarn.* 361; *nisi quod pro* Bizua, Cyzicum *ponat in editione Pariensi anni* 1655. *Contra vero Theodoretus Eccl. Hist. lib.* III, *cap.* II, *vita jam defunctum fuisse sanctum hunc Patriarcham asserit* ante Meletii creationem, *quæ contigit anno Christi* 361 *ineunte, ut alibi ostensum est; quamquam nec Theodoretus, neque quisquam, quod sciam, alius præter jam dictos, eum ad illud usque tempus protraxisse vitam affirmet: (quod tamen heterodoxo alicui visum est) ut adeo vera esse possit atque integra Theodoreti sententia; tametsi bene multus ante Meletii patriarchatum annis* Eustathius *obiisset.*

sed ante Constantinum sive ante annum Christi 337;

34 *Et vero non modo secundum exilium sub Valente non subiisse, sed ne in primo quidem Constantino Imperatori eum supervixisse, satis communis modo est eruditorum opinio. Quare diversum illum fuisse* Eustathium *existimant, qui Bizuam a Valente relegatus sit; et hallucinatos esse Socratem et Sozomenum, qui eum cum Antiocheno quondam Patriarcha confuderint; adi Valesium in Socratis lib.* IV, *cap.* XV. *Neque porro mirum* F *id etiam videri debet, si duces illos secuti aberraverint subinde Theodorus, Theophanes, et quæ hos sequuntur Menæa Græcanica. Sane si fuit* Eustathius *noster magno Constantino superstes; cur nulla uspiam fit ejus mentio? Cur in patriam, imo ad ecclesiam suam, quæ vel mortuum desiderare non ante destitit, quam sacras ejus exuvias tandem est consecuta; cur, inquam, ad ecclesiam suam illam tum non rediit, cum Episcopos Arianorum fraudibus in exilium ejectos,* tres fratres, Constantinus, Constantius et Constans post obitum patris sui OMNES in patriam et ecclesiam suam reverti jusserunt? *ut habet S. Athanasius in Historia Arian. ad Monachos tom.* I, *part.* I, *pag.* 349 a, *et post eum Philostorgius lib.* II, *cap.* XVIII. *An minus ecclesiæ Antiochenæ sollicitudo cordi ipsi fuerit; quam vel Alexandrinæ S. Athanasio, vel Aliarum exulibus aliis episcopis orthodoxis? Itane vero fractum exilio fuisse Præsulem illum credibile est, qui omnium paulo ante per orbem universum ecclesiarum, ut ex Chrysostomo vidimus, curam sibi demandatam crediderat, ut ne suam quidem amplius, si viveret, nedum*

AUCTORE P. B.

dum alienas respiceret? An ipse forsitan cum aliis revocatus non fuerit? Atqui omnes *revocati sunt, Athanasio teste;* ubicumque *demum terrarum* exilio afflictarentur, *ut addit Philostorgius;* τῶν πανταχόθι μεθορίαις ταλαιπωρουμένων *etc.*

quamquam annus mortis ejus definiri certo non possit.

35 *Deinde si vera narrant Auctores ante citati cur in Concilio saltem Sardicensi anno Christi* 347, Eustathius *non comparuit, ubi tutissimum fuit episcopis omnibus adversus præteritas Arianorum calumnias oppressionesque perfugium? cur causam ibi suam cum aliis non proposuit? Aut si ipse id vel per se non poterat, vel curabat parum; cur cognatorum ejus nemo, nemo Episcoporum sive comministrorum orthodoxorum, nemo denique amicorum ejus præsto fuit, qui pro tanto viro, tamque illustri ecclesiæ Catholicæ contra Arianos defensore verbum certe unum faceret; cum ejusmodi patroni episcopis adhuc viventibus aliis multo obscurioribus ibi minime defuerunt? Ut legere est in ipsa Epistola Concilii Sardicensis tom.* II, *Concil. Labbei col.* 671 c, d. *Imo vero Ariani in suo Conciliabulo Sardicensi eodem anno non obscure innuunt* Eustathium *jam antea obiisse, cum Osium accusantes dicunt :* Sed et Eustasio et
B Quimassio adhærebat pessime et carus fuit; de quorum vitæ infamia turpi dicendum nihil est : EXITUS enim ILLORUM eos omnibus declaravit : *nam per* exitum *hic mortem etiam intelligunt, qui Opera S. Hilarii anno* 1693 *edidere Benedicti, col.* 1321 *in Notis : per* Eustasium *autem nostrum fere* Eustathium *indicari putant alii; et omnino suadet historia; ac tandem Quimassium acceptum hic voluit pro Cymatio, non illo qui Palti fuit episcopus (is enim adhuc in vivis erat anno Christi* 362, *ut patet ex Tomo S. Athanasii ad Antiochenos tom.* I, *part.* II, *pag.* 776 b); *sed altero episcopo Aradi, qui ab Eusebianis item exilium tulerat, juxta S. Athanasium ad Solit. tom.* I, *part.* I, *pag.* 347 b. *Itaque non modo ante tempora a Socrate aliisque signata; sed etiam ante Concilium Sardicense, atque adeo ante Episcoporum exulum revocationem anno Christi* 338 *indictam videtur* S. Eustathius *vitam exul cum morte commutasse. At quanto ante? Id equidem nescire me fateor, nisi quod etiam tum viveret, cum illum, recusato Eusebio, restitutum sibi Antiocheni volebant anno circiter Christi* 332 : *nam ex Commentario in*
C *Hexaëmeron, qui annum Constantini trigesimum numerat pag.* 56, *nihil satis in hanc rem certi eruitur; cum opus illud* S. Eustathio *Antiocheno eruditi passim abjudicent. Centenarium obiisse scribit Auctor Menologii Græcorum Sirletani apud Canisium ad diem* V *Junii; verum cum id alibi nusquam repererim; haud magnum in hujus unius Menologi fide momentum esse puto; cum possit esse etiam vitium interpretis, centum annos, qui apud Anagnosten et Menæa interjiciuntur inter obitum* S. Eustathii *et reliquiarum ejus translationem, perperans ejusdem S. Patriarchæ vitæ annectentis; qui sane error satis pronus esse potuit Menæa non admodum attente vertenti.*

§ V. S. Eustathii cultus, Reliquiæ, scripta, elogia.

Mensem ac diem, quibus ad superos evolavit, divinare promptum esset ex tempore quod celebrandæ quotannis festæ ejus memoriæ omnis pridem Ecclesia consecravit; nisi eam diebus ac mensibus plane diversis assignasset : nam apud Antiochenos quidem eodem adhuc sæculo quarto quo vixerat, ingenti populi celebritate sacer ei dies circa medium Novembrem agebatur, ut ex S. Joannis Chrysostomi panegyrico colligemus inferius : Menæa tum impressa, tum etiam manuscripta bibliothecæ Ambrosianæ, Menologium Sirleti Maximus Cytherorum episcopus, Kalendarium Græcorum a Genebrardo editum, ac forte etiam Menæum Chiffletii, cujus Februarium non habemus, festum ejus consignant et XXI *Februarii et* V *Junii : Typicum vero sive Horologium Basilianum Cryptæ Ferratæ, ejus tantummodo meminit die* V *Junii; at Typicum S. Sabæ et Martyrologium Slavo-Russicum, uti et Synaxarium Ruthenorum diœcesis Kyoviensis Ms. tantum die* XXI *Februarii; quem diem quoque unicum servant Martyrologium quod habemus Ms. Arabico-Ægyptiacum et Copticum tam in fragmento Romæ a Kirchero, ut notavit Papebrochius, verso, quam in integro alio, quod nobis vertit Gratia Simonius, postmodum Archiepiscopus Tripolitanus; in Kalendario tamen, quod ab eodem versum accepimus, Syriaco notatur dies tantum ejusdem mensis decimus octavus. Latini qui* Eustachium *eum passim appellant diem illi decimum* E
sextum Julii unice dedicarunt, ut in Martyrologiis Romano tum parvo seu veteri Rosweydino, tum moderno, item Adonis, Usuardi, aliorumque multorum videre est. Eodem die Eustathium *quemdam Martyribus accenset Martyrologium Hieronymianum; sed absque titulo, episcopi; de quo, noster sit, an alius, jam supra discussum est. Ex his porro constat quam longe lateque per Orientem atque Occidentem jam olim Ecclesia Patriarchæ nostri sanctitatem eximiam venerata sit; verum de die, ut modo dicebam, aut mense quo eam beato fine concluserit, nihil statui toto posse.*

Colitur Eustathius variis diebus [illegible]

Transferuntur ejus Reliquiæ Philippis Antiochiam.

37 *Excelluit tamen inter omnes Antiochensium publica in suum aliquando Præsulem pietas, nec minus in exilio defuncti, quam olim viventis desiderium accendit : quod quidem quantum fuerit, conjicere licet ex iis quæ tum gesta sunt, cum diu expetitas tandem* Eustathii *sui reliquias obtinuerunt. Rem ita narrat Theodorus Lector Hist. Eccles. lib.* II *ab initio :* Calendio vero, cum id ab Imperatore Zenone postulasset, Eustathii reliquias a Philippis urbe Macedoniæ, in quam olim relegatus, et in qua mortuus erat Eustathius, Antiochiam deportavit. Eas F
Antiocheni maximo cum honore exceperunt, omnisque propemodum ætas extra urbem effusa ad octavum decimum milliarium obviam eis processit. Hi vero qui Eustathii causa ad id usque tempus separatim collectas egerant, ecclesiæ adunati sunt annis centum ab obitu Eustathii. *Eadem habet Theophanes ad annum divinæ Incarn.* 481 *et Nicephorus lib.* XVI, *cap.* X; *nisi quod ille pro octodecim milliaris tantum numeret duodecim; Menæa vero impressa, uti et Maximus Cytheræus ad diem* XXI *Februarii scribunt quidem etiam milliaria octodecim, sed ad diem* V *Junii non nisi decem; In eo præterea ambo differunt ab antiquioribus Theodoro, Theophane, Victore Tununensi, Nicephoro, quod in hac translatione Zenonis quidem imperatoris mentionem faciant, at nullam Calendionis, quod idem observo in Menologio Sirletiano ad diem* V *Junii. Deinde etiam quod veteres factum dicunt ab Antiochenis* maximo cum honore, *id paullo explicatius Menæa et Maximus tradunt, cum exceptas ab illis sacras* Eustathii *exuvias dicunt, cum* hymnis et cereis et thymiamatis.

38 *Quæritur*

AUCTORE P. B.

38 *Quæritur modo, quo tempore peracta sit ista translatio : nam Baronium, qui eam illigavit anno Christi* 482, *carpendum sibi duxit Valesius Annot. in Socratis lib.* IV, *cap.* XIV : *Cum ex Victoris Tununensis Chronico, inquit, facta fuerit anno Christi* 490, *Longino* II *et Fausto Consulibus. Theophanes eamdem, ut jam diximus, refert ad annum divinæ Incarnationis secundum Alexandrinos* 481, *qui ab exeunte Augusto respondet anno Christi* 488 ; *Sed Theophanem, atque adeo cum suo Victore Valesium merito refellit Pagius in Criticis Baronianis ad annum Christi* 482 *num.* 13 *et seqq. : nam cum translatas etiam ipsi velint reliquias illas a Calendione Episcopo Antiocheno, omnino id citius oportet fuisse factum ; quandoquidem hic Antiochiæ sedem, quam ineunte anno Christi* 482 *regendam susceperat, deserere, atque in exilium proficisci coactus sit anno Christi* 485 *versus mensem Augustum, ut ostendimus alibi. At non tam solide Pagius refutat Baronius, translationem hanc adscribendo anno Christi* 484 ; *quod eo magis dicendum, inquit, quod Sanctorum translationes annis decennalibus destinatis de more fierent, eodemque Christi anno dedicatio Lauræ sancti Euthymii abbatis facta fuerit. Sed morem hic*
B *illum non agnovit Tillemontius tom.* VII *Monument. Eccl. hist. Nota* 6 *in* S. Eustathium ; *nec immerito censet adhærendum esse Baronio : cum enim ante exitum anni* 482 *jam inter Calendionem et Acacium CP. adeoque Zenonem, minime conveniret, creveritque deinde semper aversio usque ad ejectum Antiochia Calendionem ; haudquaquam apparet verisimile, tantum beneficium post annum* 482 *vel a Calendione petitum, vel ab Imperatore concessum fuisse ; quod utrumque tamen factum esse Theodorus aliique asserunt.*

39 *De sacris porro istis cineribus quid modo, aut ubi supersit, incompertum est. Libri etiam ejus plerique vel interiere vel latent ; non modo quos in Arianos composuisse illum diximus num.* 16 ; *sed etiam alii ; si Dissertationem excipias* de Engastrimytho adversum Originem, *de qua S. Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccl. cap.* LXXXV, *quam Græce ac Latine edidit Allatius Lugduni anno Christi* 1629 : *nam Commentarius in Hexaemerum ab eodem ejus nomine vulgatus* Eustathio *fere adjudicatur ab eruditis : ut vide apud Tillemontium Nota* 7 *et recentiores Bibliothecarios*
C *passim. Sola Operum reliquorum hic illic fragmenta producuntur ; sic præter alia, quæ supra dedimus, plura citantur apud Theodoretum Dialogo* I, II *ac* III, S. Eustathii *testimonia* ex Interpretatione Psalmi XV ; ex ejusdem Libro de Anima, *de quo etiam S. Hieronymus loco citato ;* ex ejusdem Sermone in illud, Dominus creavit me initium viarum suarum ; ex Interpretatione Psalmi XCII ; *ex libro* in Inscriptiones titulorum ; ex libro in Inscriptiones graduum. *Appellat etiam sententiam* S. Eustathii *de Melchisedech S. Hieronymus ad Euangelium cum elogio, quod habes supra num.* 5. *Locus ejus aliquis contra Nestorium profertur in Concilio Ephesino part.* I *cap.* XIII. *In Concilio Nicæno II Act.* 6, *tom.* VII, *col.* 450 b c, *citatur ejusdem interpretatio in illud Proverbiorum,* Comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. *Tanta porro scriptorum ejus æstimatio fuit, ut cum adversus Eutychianos ea etiam proferrentur, quæ ipsis propemodum Nestoriana videri possent, hi tamen non modo nullam ei erroris invidiam auderent commovere ; sed illum etiam solenniter inter suos decessores ac successores ad sacrificia nominarent, ut auctor est Facundus Hermianensis lib.* II, *cap.* I. *Præclarum quoque est illud, quod de ipso ejusque operibus pronuntiat Sozomenus lib.* II, *cap.* XIX : Vir erat tum in aliis rebus, tum eloquentiæ causa merito admirandus : quemadmodum ex libris ejus, qui adhuc exstant, licet cognoscere, qui tum ob priscum genus elocutionis, et ob gravitatem sententiarum, tum ob verborum elegantiam et in rebus explicandis venustatem, magnopere probantur.

Censetur inter Patres ac Doctores Ecclesiæ

40 *Jure itaque* S. Eustathius *non tantum accensetur sanctis Episcopis et Confessoribus in Ecclesia, sed etiam Patribus et Doctoribus ; imo* honoratur cum multis et præ multis Patribus, *ut Facundi mox citati verbis utar,* tamquam Nicæni Concilii primus existens. *Inter præcipuos eum compellat S. Fulgentius lib.* II *de Veritate prædestinationis versus finem* : Quis vero neget, *inquit,* beatos episcopos Innocentium Romanum, Athanasium Alexandrinum, Eustathium Antiochenum, Gregorium Nazianzenum, Basilium Cæsariensem, Ambrosium Mediolanensem, Aurelium Carthaginensem, Augustinum Hipponensem, ceterosque Pontifices, qui ecclesias Dei vigilantissime gubernantes aut nascentibus aut jam natis hæreticis, habitante in se sancto Spiritu, restiteterunt, nec veteres lupos ecclesiastico gregi permittentes irrepere, nec novos perniciose intra ovile dominicum latitare ; quis, inquam, istos neget vasa misericordiæ, quæ Deus præparavit in gloriam ? *In Concilio Nicæno II num. præced. assignato cum S. Basilio confertur* Eustathius propugnator orthodoxæ fidei et Arianæ destructor vesaniæ, *tamquam qui* ex uno eodemque spiritu *ambo* disputaverint. *Hinc idem cognomentum* Magnus, *quod Basilio adhæsit,* Eustathio *nostro concedunt Theodoretus supra num.* 17, *et Ephræmius illustris ejus, quamquam multo junior, in Antiocheno Patriarchatu successor, ut est apud Photium in Bibliotheca cod.* 229. *Mitto alia non inferiora sancti hujus Præsulis apud antiquos elogia quorum aliqua dat Allatius ad calcem Commentarii* D. Eustathii *in Hexaem. et initio ejusdem operis in Epistola dedicatoria ad Em. Card. Barberinum ; mitto et illa quæ in Menæis, ac Martyrologiis ante citatis obtinet, quod hæc non nisi commentarii hujus nostri compendia sint.* F

Elogium S. Joannis Chrysostomi de S. Eustathio.

41 *Unum tamen præterire minime possum, quod in ejus laudem pronuntiavit S. Joannes Chrysostomus, ac versum latine dedit Fronto Ducæus noster anno Christi* 1609 *tomo* I *Operum ejus, hom.* LII ; *quod eo libentius profero, quod a S. Chrysostomo, hoc est, non ab* Eustathiano, *neque coram* Eustathianis ; *sed a Meletiano, coram Meletianis eorumque patriarcha Flaviano tum adornatum dictumque sit, cum nullam adhuc* Eustathiani *cum Meletianis communionem admiserant. Ut hinc elucescat, non apud* Eustathianos *dumtaxat Antiochiæ, sed apud omnes ibi tum Catholicos summam in amando colendoque* S. Eustathio *contentionem ac studium viguisse ; quanto enim Meletianorum concursu plausuque hæc oratio fuerit excepta, Orator ipse testatus est Hom. in locum illum Jeremiæ* : Non est in homine via ejus etc., *quæ habetur tom.* III, *in ipso sermonis exordio ; ubi etiam affirmat sese hanc orationem habuisse statim ante aliam, quam de S. Romano Martyre protulit, haud dubie die ipsi festo, sive* XVII *Novembris, quo S. Romanus palmam Martyrii retulisse*

AUCTORE P. B.

retulisse putatur. Unde et supra conjectavimus festum S. Eustathii *medio circiter Novembri Antiochiæ tum temporis celebratum fuisse. Quo autem anno hæc dicta sint, incertum est : Antiochiæ tamen dicta esse, patet evidentissime ex ipsa passim Homilia; ex quo consequens est, ut nec ante annum Christi* 386, *quo primum sacerdotio initiatus est a Flaviano Chrysostomus dicta fuerint nec post annum Christi* 397 : *nam anni sequentis propemodum initio Chrysostomus Antiochenis ereptus est, ut CPolitanæ ecclesiæ præsideret.*

LAUDATIO

Sancti Patris nostri Eustathii Antiochiæ magnæ Archiepiscopi.

PARS PRIMA.

B

De felici morte, et gloriosa memoria S. Eustathii apud Antiochenos.

Laudari tuto potest S. Eustathius

Sapiens vir quidam et philosophandi peritus, qui rerum humanarum naturam accurate didicerat, et earum fragilitatem noverat, nihilque certum aut stabile in iis esse, omnes generatim homines admonet, ut ante mortem neminem laudent. Quando igitur mortuus est beatus Eustathius, omni cum fiducia deinceps *a* eum laudibus efferre possumus. Si enim ante mortem nemo laudandus est, haud dubium, quin post mortem, eorum, qui digni sunt, laudatio culpa vacet. Etenim hujus vitæ negotiorum euripum prætervectus est; tumultu fluctuum liberatus est; ad tranquillum et quietum portum appulit; incertitudini futurorum non subjacet, nec obnoxius est ruinæ : sed tamquam in rupe quapiam sublimique nunc stans scopulo, fluctus omnes contemnit. Caret igitur omni periculo prædicatio, neque reprehendi potest C laudatio : non enim jam conversionem reformidat neque mutationem pertimescit. Nam nos quidem, qui adhuc vivimus, ut qui medio in mari fluctuant, multis sumus obnoxii mutationibus; et ut illi nunc quidem fluctibus intumescentibus in altum tolluntur, nunc in profundum ipsum deprimuntur; sed neque tuta celsitudo, neque stabilis est dejectio; siquidem horum utrumque ab aquis fluentibus minimeque consistentibus pendet : sic nimirum et in rebus humanis nihil firmum et constans est; sed frequentes sunt mutationes ac perlevi sæpe momento fiunt : hic quidem ob res secundas in altum subvehitur, ille vero propter res adversas profunde admodum deprimitur. Verum nec infletur ille, nec animum iste despondeat : quippe celerrimam singuli mutationem sortientur.

post felicem obitum;

2 At non ille qui in cælum commigravit, et ad eum, quem desiderabat, Jesum profectus est, qui ad locum pervenit turbarum expertem, unde dolor et ægritudo ac gemitus abest : non illic mutationis est imago, non vicissitudinis obumbratio; sed omnia fixa D et immobilia, omnia firma et stabilita, omnia incorrupta et immortalia, omnia interitus expertia et æterna. Idcirco, inquit, ante mortem ne quemquam laudes. Quamobrem? Futurum quippe incertum est, et imbecillis natura, voluntas segnis, et pronum ad nos obsidendos peccatum; multi sunt laquei : Scito enim, inquit, quoniam in medio laqueorum ingrederis : continuæ sunt tentationes, multa turba negotiorum, tum dæmonum perenne bellum et assidui perturbationum insultus. Propterea ante mortem, inquit, ne quamquam laudes : ergo post mortem tutum est laudare dignum, vel potius non simpliciter post mortem; sed post mortem ejusmodi, quando cum corona ad vitam quispiam excesserit, quando cum confessione *b* et fide non ficta. *b* Si enim quovis modo mortuos laudare quis potest, quanto magis eos, qui sic fuerint mortui?

3 Quis autem eos laudavit, dicet aliquis, qui quovis modo sunt mortui? Solomon ille, Salomon sapientissimus : non enim leviter hominem prætereas; sed quis esset, perpende, et quo pacto vixerit, quanta cum securitate ac voluptate mollem et ærumnarum expertem vitam traduxerit; siquidem genus omne deliciarum percurrit, et multiplices recreationis animi modos excogitavit, varias atque discrepantes oblectationum species adinvenit, quas et enarrans dicebat : Ædificavi mihi domos, plantavi vineas, feci mihi hortos et pomaria, feci mihi piscinas aquarum; mercatus sum mihi servos et ancillas, et vernaculi nati sunt mihi : possessio armentorum boum et gregum fuit mihi; congregavi argentum et aurum sicut arenam, feci mihi cantores, et cantatrices, pincernas et vini ministras. Quid igitur idem iste post tantam affluentiam pecuniarum, possessionum, deliciarum, voluptatum, refert? Laudavi, inquit, eos, qui mortui sunt, super viventes; et bonus super hos, quicumque nondum natus est. Vere fide dignus hic est deliciarum accusator, qni talem de illis fert sententiam. Nam si quispiam ex iis, qui vitam in paupertate ac mendicitate traduxissent, hanc sententiam adversus delicias tulisset, visus esset non ex rei veritate, sed quod expertus non esset, ita criminari : cum vero is qui omnes percurrit, et singulas earum vias pervestigavit, eas contemnit; tum omni suspicione libera est criminatio. F

cum laudentur etiam promiscue mortui prævis, E

4 Existimatis fortasse a proposito deflexisse sermonem : imo vero si attendamus, cum eo maxime cohærere deprehendemus, quæ dicta sunt. Nam in Martyrum *c* commemorationibus conveniens est et connexum de philosophia sermonem instituere. Non ut vitam præsentem damnemus, hæc dicimus; absit : sed quod delicias insectemur. Non enim vivere malum est, sed temere et inconsiderate vivere. Itaque si quis in recte factis ac bonorum spe futurorum vitam traduxerit, poterit cum Paulo dicere : Vivere in carne multo melius : hoc enim mihi fructus operis est. Quod utique beato Eustathio contigit, qui et in vita et in morte, ut par erat, se gessit. Non enim in sua regione, obiit, sed in aliena propter Christum mortem obiit, quod facinus ejus hostium fuit : Siquidem eum

quamquam vere malus sit, si reprehendatur. et non me laudari c

cum illi a patria *d* relegarunt, ut ipsum probro afficerent; at ille celebrior et illustrior hac in exilium commigratione reddebatur; quod et rerum exitus demonstravit.

[illegible] Eustathio, cu- [illegible] memoriam [illegible] sepul- [illegible]

5 Adeo namque celebris evasit, ut cum in Thracia *e* sepultum sit ejus corpus, in dies singulos memoria ejus apud nos efflorescat; et cum in illo barbarico oppidulo *f* sit ejus tumulus, noster in eum amor, qui tanto ab eo disjungimur intervallo, post tam diuturnum tempus singulis diebus augeatur. Imo vero, si verum dicendum sit, apud nos etiam sepulcrum ejus, et non Thracia tantum: monumenta enim Sanctorum non loculi solum sunt, capsulæ, columnæ, ac litteræ; sed res præclare gestæ, ac fidei zelus, et sana apud Deum conscientia. Siquidem omni columna splendidior hæc ecclesia Martyri est erecta *g*, quæ litteras habet non mutas, sed quæ rebus ipsis buccina clarius memoriam ejus prædicant ac celebritatem; et unusquisque vestrum, qui adestis, Sancti illius est sepulcrum, sepulcrum animatum atque spiritale: nam si cujusque vestrum, qui adestis, conscientiam explicuero, Sanctum istum intus in mente vestra reperiam diversantem. Videtis ut nihil profecerint adversarii, ut gloriam non extinxerint, sed extulerint potius, sed illustriorem reddiderint potius, tot pro uno sepulcris erectis, sepulcris animatis, sepulcris vocem mittentibus, sepulcris ad eumdem zelum comparatis?

gloriosam apud [illegible] memoriam potuerit [illegible]

6 Idcirco Sanctorum corpora, et fontes et radices et unguenta nuncupo spiritalia. Quid ita? Quoniam unumquodque istorum, quæ dixi, virtutem suam apud se non retinet tantum, sed etiam ad alia multa longe lateque diffundit. Exempli causa, fontes multis quidem scaturiunt laticibus; at eos intra sinus suos non retinent, sed longa flumina parientes cum mari junguntur, et tamquam manus cujusdam extensione longitudine eorum marinas aquas prehendunt. Rursus arborum radix deorsum in terræ visceribus est abscondita, sed non omnem virtutem suam deorsum continet; ac vitium præsertim arbustivarum hæc est natura: ubi enim per excelsos calamos ramos suos extenderint, per arundines illas serpentia sarmenta longum quoddam tectum frondium densitate conficiunt. Ejusmodi est et unguentorum natura; siquidem illa sæpe sunt in conclavi recondita; sed erumpens eorum odor in vicos, angiportus et fora, eis etiam qui foris ambulant, intus repositam aromatum virtutem indicant. Quod si fons, et radix, et arborum, atque unguentorum natura tantam vim habent, multo magis Sanctorum corpora. Enimvero falsa non esse quæ dicimus, vos mihi testes estis. Nam Martyris quidem situm est corpus in Thracia; vos autem, qui in Thracia non versamini, sed ab illa regione multum dissiti estis, suavem odorem tantis spatiis interjectis percipitis, ideoque convenistis; nec eum viæ longinquitas impedivit, nec diuturnitas temporis extinxit. Talis enim spiritualium recte factorum est natura: nullo corporeo interrumpitur obstaculo, sed floret et crescit in dies, eamque nec longinquitas temporis labefactat, nec intervallum itineris intercludit.

7 Neque vero mirum vobis videatur, quod ipso in limine orationis ac laudationis Sanctum Martyrem appellarim; siquidem sua morte sublatus e vivis est. Qui potest igitur Martyr esse? Sæpe numero dixi vobis, martyrem facere non mortem tantum, sed animi quoque propositum: non enim eventu solo, sed etiam voluntate martyrii corona comparatur. Et hanc non ego, sed Paulus affert martyrii definitionem, cum ita dicit: Quotidie morior. Quomodo quotidie moreris? Qui fieri potest, ut uno corpore sexcentas mortes excipias? Proposito nimirum animi, inquit, quodque ad mortem sim paratus. Ita Deus etiam declaravit: etenim Abraham non gladium cruentavit; non altare rubefecit; non Isaac jugulavit; sed tamen sacrificium perfecit. Quis hoc ait? Ille ipse qui sacrificium suscepit: Non pepercisti enim, inquit, filio tuo dilecto propter me. Atqui vivum eum recepit, et incolumem reduxit. Quomodo igitur non pepercit? Quod non ex factorum exitu, sed ex animi sententia, inquit, de ejusmodi sacrificiis soleam judicare. Non mactavit manus, at voluntas mactavit: non gladium pueri jugulo immersit; non cervicem incidit: sed est sacrificium etiam sine sanguine. Sciunt illi, qui mysteriis initiati sunt, quid dicamus: propterea et illud sacrificium sine sanguine perfectum est, quoniam illius figura esse debuit. Vides in veteri Testamento imaginem multo ante adumbratam: noli veritati fidem denegare. Hic itaque Martyr (martyrem enim nobis eum Scriptura demonstravit) ad sexcentas mortes paratus erat, et omnes illas voluntate animique alacritate toleravit: intenta vero pericula permulta re ipsa quoque sustinuit: nam et e patria eum ejecerunt, atque in exilium relegarunt, aliaque multa tum temporis in Beatum illum machinati sunt; tametsi quod illi jure crimini verterent, nihil haberent; sed quod, Paulum dicentem cum audiisset: Coluerunt et servierunt creaturæ potius quam creatori, impietatem ac scelus evitaret *h*. At enim hoc quidem corona, non reprehensione dignum erat.

EX MSS

Cur Martyrem appellet S. Eustathium, licet non violenta morte functum.

ANNOTATA.

a Deinceps. *Videri posset hæc vox nuperam admodum S. Eustathii mortem innuere; sed eum diu mortuum ac sepultum fuisse, cum hæc diceret S. Chrysostomus, patet infra ex num.* 5 *et* 6.

b *De* Confessione S. Eustathii *diximus in Commentario num.* 3.

c *Martyrem hic supponit* S. Eustathium; *sed quo sensu, exponit infra num.* 7.

d *Vide dicta in Commentario num.* 2.

e *Adi Commentarium a num.* 27. *Idem infra dicitur num.* 6.

f *Græce est* χωρίῳ, *quod non magis significat* oppidum, *quam locum, situm, provinciam, regionem etc. Sic infra num.* 8, Ἀπὸ τῶν Αἰγύπτου χωρίων *versum est,* Ab Ægypti regionibus.

g Ecclesia S. Eustathio erecta *dicuntur ibi metaphorice clerus ac populus orthodoxus Antiochiæ, ut patet ex adjectis.*

h *En veram causam, cur* S. Eustathium *Eusebiani persecuti sint; quod nimirum eorum hæresim, qua in Christo creaturam tantum, at non creatorem agnoscebant, detestaretur. Vide Commentarium num.* 13 *et* 22.

PARS

PARS ALTERA.

Egregiæ S. Eustathii in patriarchatu administrando virtutes.

Ecclesiam Antiochenam sollicite defendit ab Ariana hæresi:

Tu vero diaboli malitiam, quæso, perpende. Nam quia non ita pridem paganorum bellum fuerat extinctum, et a gravibus continuisque persecutionibus paulo ante omnes ecclesiæ respirarant, neque multum effluxerat temporis, ex quo templa omnia clausa, altaria extincta fuerant, et dæmonum rabies omnis deleta, hæcque improbum dæmonem male habebant, neque pacem ecclesiæ æquo animo ferre poterat, quid ergo facit? Aliud infert bellum infestum. Nam illud quidem externum fuit; hoc vero intestinum; talia porro multo difficilius præcaventur, et facile opprimunt in quos incurrunt. Illo itaque tempore ecclesiam, quæ

a B apud nos est *a*, regebat Beatus iste, ac morbus exortus est, quasi pestis quædam in-

b festa ab Ægypti regionibus *b*, qui per urbes interjectas grassatus, in nostram urbem impetum facere properabat. At ille vigilans et attentus, omniaque prævidens quæ imminebant, ingruens bellum arcebat: et tamquam sapiens aliquis medicus, priusquam morbus urbem, in qua residebat, invasisset, medicamenta comparabat, ac sacram hanc navem multa cum securitate gubernabat, quoquoversus circumcursans, nautas, vectores, navigantes omnes concitans, et curans ut vigilarent et attenderent, quasi jam invaderent eam piratæ, ac fidei thesaurum contenderent deprædari.

imo et alias quaslibet.

9 Neque vero hic tantum hanc curam adhibuit; sed in omnes partes mittebat qui docerent, qui cohortarentur, qui disputarent, qui hostibus aditum omnem intercluderent: probe siquidem a Spiritus sancti gratia fuerat edoctus, Ecclesiæ præsulem non de illa tantum solicitum esse debere, quæ a Spiritu sancto illi commissa est, sed etiam de quavis

C in orbe terrarum constituta: atque hoc ille sacris e precibus colligebat. Si enim pro universa Ecclesia, inquit, fundendæ sunt preces quæ a finibus ad fines usque pertinet orbis terrarum; multo magis et ejus universæ gerere curam oportet, et de omnibus pariter esse solicitum, omnibus providere. Quod ergo in Stephano accidit, id in eo etiam evenit: ut enim Judæi, cum Stephani sapientiæ non possent resistere, Sanctum illum

c lapidabant: sic et isti *c*, cum hujus sapientiæ resistere non possent, ac munita cernerent propugnacula, tum e civitate præconem expellunt. At enim vox minime tacebat; sed, licet homo expelleretur, non expellebatur sermo doctrinæ. Nam et Paulus alligatus erat; sed verbum Dei non erat alligatum: et hic peregre erat, et doctrina ejus apud nos erat. Erumpentes ergo constipati, tamquam violentus quidam torrens,

d impetum fecerunt *d*: sed neque plantas vulserunt, neque fruges obruerunt, neque segetes vastarunt: tam egregie, tam perite ab ejus sapientia excultæ radicibus fixis hærebant.

10 Verum enimvero dicendum nobis est, qua de causa permiserit illum Deus hinc expelli. Respirare cœperat non ita pridem Ecclesia, neque mediocrem ipsi consolationem illius regimen afferebat; undique illam muniebat, et hostium impetus propulsabat. Cur igitur est ejectus; et hoc illis permisit, qui hinc eum ablegarunt, Deus? Quam tandem ob causam? Nolite autem arbitrari, quod nunc tractamus, solius quæstionis hujus esse solutionem; sed sive cum paganis, sive cum hæreticis a vobis de rebus ejusmodi sermo fiat, ad omnem solvendam quæstionem sufficiet, quod dicemus. Deus quidem veram suam et Apostolicam fidem in multis oppugnari permittit; hæreses autem atque paganismum secura tranquillitate perfrui sinit. Quid ita? Ut illorum quidem infirmitatem discas, quæ cum minime divexentur, sponte destruuntur; fidei vero virtutem agnoscas, quæ dum oppugnatur, eorum opera, qui se illi opponunt, augetur. Neque mea est hæc conjectura, sed divinum ac de cælo delapsum responsum.

Permisit [illegible] tamen Deus [illegible] et ex[illegible]

E

11 Audiamus quid Paulus hac de re dicat: nam et humanum quid aliquando passus hic etiam est: licet enim Paulus esset; attamen naturæ nostræ particeps erat. Quid vero illud est, quod est passus? Exagitabatur, oppugnabatur, virgis cædebatur, sexcentis insidiarum generibus appetebatur, intus, foris, ab iis qui domestici esse videbantur, ab alienis. Sed quid opus est commemorare, quantas afflictiones sit perpessus? Fatigatus igitur, nec amplius ferens tot hostium incursiones, qui semper ejus doctrinam interrumpebant, ejusque verbo adversabantur, supplex Domino provolutus eum obtestatur et ait: Datus est mihi stimulus carni, angelus satanæ, ut me colaphizet. Propter hoc ter Dominum rogavi, et dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Scio equidem, quosdam corporis infirmitatem esse arbitrari; sed non est illud, prorsus non est; verum angelum satanæ homines, qui adversabantur, appellat: illud enim satan vox est Hebraïca; porro satan dicitur adversarius. Instrumenta ergo diaboli, et eos homines, qui F ei famulantur, angelos ejus appellat. Cur igitur, dicet aliquis, additum est, carni? Quia caro flagellabatur; anima vero elevabatur spe futurorum subrecta: non enim animam attingebat, nec interiores cogitationes supplantabat; sed intra carnem consistebant tormenta bellumque, nec intus poterant penetrare. Quoniam igitur hæc concidebatur, hæc flagellabatur, hæc vinciebatur: animam quippe ligare nemo potest; idcirco dicit: Datus est mihi stimulus carni angelus satanæ, ut me colaphizet; tentationes, afflictiones, persecutiones innuens. Propter hoc ter, inquit, Dominum rogavi, hoc est, sæpenumero precatus sum, inquit, ut a tentationibus paululum respirarem.

sicut olim Apostolum Paulum.

12 Vos vero causæ meministis, ob quam Deum dixi verberari servos suos permittere, vexari, infinita mala perpeti, ut virtutem suam ostendat. Ecce enim et hic cum precatus esset, ut a se innumera mala recederent et adversarii, non obtinuit quod petebat; et causam addit, ob quam non obtinuerit.

ut ita [illegible]

A nuerit. Quænam igitur est causa? Nihil enim prohibet rursus eam memorare: Sufficit, inquit, tibi gratia mea: virtus enim mea in infirmitate perficitur. Vides idcirco Deum permittere, angelos satanæ servos suos premere et sexcenta illis negotia exhibere, ut ipsius virtus appareat? Vere namque sive cum paganis, sive cum miseris Judæis disseramus, ad divinam virtutem ostendendam hoc sufficit, quod infinitis exagitata bellis fides superaverit, et universo terrarum orbe repugnante, cunctisque duodecim illos homines magna contentione repellentibus, Apostoli, inquam, illi brevi tempore, virgis cæsi, vexati, innumera mala perpessi, eos a quibus hæc inferebantur, potuerint prospero successu devincere. Propterea beatum etiam Eustathium in exilium abduci permisit Deus; ut veritatis nobis virtutem, et hæreticorum imbecillitatem amplius demonstraret.

B

... vera elu-cet in S. Eusta-thio ad exilium profecturo, et ... tum mitante.

13 Itaque peregre profecturus urbem quidem dimittebat; at caritatem in vos non dimittebat; neque quod ab Ecclesia expellebatur, a præsulis etiam munere vel a cura vestri, quam gerebat, alienum seipsum putabat; sed tum amplius curabat et solicitus erat. Ideo vocatos omnes admonebat, ut ne succumberent, neve lupis cederent, aut illis gregem proderent; sed intus manerent *e*; ut os illis obstruerent, eos convincerent, ac simpliciores fratres confirmarent. Et vero recte illum imperasse, tandem exitus comprobavit: nisi enim tum in ecclesia remansissetis, corrupta pars major civitatis fuisset, oves in deserto devorantibus lupis: verum illius sermo, ne suam nequitiam impudenter exererent, impedivit. Nec vero solum exitus id ostendit; sed et Pauli verba: nam et ab illo hic edoctus, sic admonebat. Quid igitur ait Paulus? Cum olim Romam esset abducendus, ultima sua protectione, postquam non amplius discipulos visurus erat: Non enim amplius videbo vos, inquit: hoc autem dicebat, non ut illis dolorem inureret; sed quod confirmare illos vellet: inde igitur profecturus, hoc pacto illos confirmabat, dicens: Scio quoniam intrabunt post

C discessionem meam lupi graves; et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa. Triplex bellum; ferarum natura, belli sævitia, quodque non alieni sint, sed domestici, qui bellum inferunt. Nam si extrinsecus vulneret me quispiam, aut bellum inferat, facile illum potero superare; sin autem intrinsecus ab ipso corpore ulcus oriatur, sanatu difficile fit malum: quod nimirum tunc etiam evenit. Propterea monebat, dicens: Attendite vobis et universo gregi: non dixit: Derelictis ovibus, foras aufugite.

... postrema monita ... loco ... at Flavia-nus.

14 His instructus cum fuisset beatus Eustathius, discipulos suos admonebat: quæ nimirum sapiens hic quoque ac generosus Magister *f* cum audiisset, opere sermonem implevit. Invadentibus igitur illis, oves non deseruit, tametsi in thronum præfecturæ suæ nondum ascenderat *g*; sed hoc illa generosa et philosophia præstans anima non curabat; nam præsulum honores ceteris relinquebat; laborem autem præsulum ipse exantlabat, et intus cum lupis versabatur: nihil enim eum ferarum dentes lædebant; ita solidiori fide præditus erat, quam ut eorum morsibus esset obnoxius. Cum igitur intus versaretur, et pugna, qua cum eo congrediebantur, omnes illos distineret, multam ovibus securitatem ac tranquillitatem comparabat. Neque vero tantum id agebat, ut eorum ora obturaret et blasphemias refelleret; sed ipsas etiam oves circumiens, perpendebat, num quis telo percussus fuisset; num grave vulnus accepisset; statimque medicamentum adhibebat. Hoc dum faceret, ad veram fidem omnes animavit; nec prius destitit, quam Dei munere atque concessu beatus Meletius advenit, qui totam massam *h* accepit; hic seminavit, ille messuit.

15 Tale quid etiam Moyses et Aaron præstiterunt: nam et illi fermenti in morem dum in medio Ægyptiorum versarentur, multos domesticæ pietatis æmulatores reddebant. Testatur hoc Moyses, dum multum vulgus promiscuum cum Israëlitis ait ascendisse. Hunc Moysem imitans Iste *i*, etiam ante magistratum *k* quæ magistratus erant, gerebat. Siquidem ille priusquam in populum delatum illi esset imperium, fortiter admodum atque generose inferentes injuriam puniebat, injuriam patientes ulciscebatur, et regia mensa, honoribus, dignitatibusque contemptis, ad lutum et lateritium opus currebat, ac deliciis omnibus, voluptatibus, et honoribus præferendam propinquorum curam existimabat; ad quem oculos Iste convertens magistratus omnes sua in populum solicitudine commonefaciebat, et labores perferre, undique divexari, quam voluptatibus frui malebat, ac perpetuas in dies inimicitias incurrebat. Verumtamen levia erant illi omnia: siquidem ex iis rebus, quæ accidebant, idoneam consolationis occasionem arripiebat. Quæ cum ita sint, Deo gratias agentes, Sanctorum istorum virtutes imitemur, ut earumdem cum ipsis coronarum participes esse valeamus gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in secula. Amen.

Moyses propterea et Aaron comparatus.

E

ANNOTATA.

F

a *Ex hoc loco et aliis plurimis evidens est, hanc homiliam habitam esse Antiochiæ.*

b *Arii hæresim significat.*

c *Nempe Ariani sive Eusebiani. Vide Commentarium* § III.

d *Ariani scilicet, qui Antiochenam ecclesiam invaserunt ab expulso* S. Eustathio *usque ad S. Meletium, hoc est ab anno Christi* 331 *usque ad* 361.

e *Videtur hic laudare consilium eorum, qui postea Meletiani Antiochiæ dicti sunt, qui licet semper catholici, ab ecclesia tamen, cum ei præessent Eusebiani patriarchæ et saltem clam Ariani, secessionem non fecerant; uti fecerant* Eustathiani. *Et certe cum iis, utpote orthodoxam ac Nicænam fidem palam præ se ferentibus, communicabant etiam tum Pontifices Romani, ut constat ex Epistola Julii I ad Danium, Flacillum etc. apud S. Athanasium in Apol. contra Arianos.*

f *Assistebat ergo huic Orationi Flavianus Patriarcha Antiochenus, cujus apostolicos ante Patriarchatum labores egregie commendat: de quibus etiam lege Theodoreti Historiam Ecclesiasticam a Sirmondo editam, lib.* II, *cap.* XIX.

g *Quo tempore in thronum Antiochensem S. Meletio*

A *letio successerit Flavianus dictum in Tractatu Chronologico de Patriarchis Antiochensibus.*

h *Hoc est, totam ecclesiam Antiochenam; præter* Eustathianos, *qui cum S. Meletio communicare noluerunt; et Arianos, qui statim ab eo defecerunt, cum præter opinionem suam palam orthodoxæ fidei propugnatorem eum esse deprehendissent.* D

i *Flavianus.*

k *Id est, episcopatum Antiochensem.*

DE SANCTO HILARINO

MARTYRE OSTIENSI.

Ex Martyrologiis.

J. B. S.

SUB JULIANO.

In Martiis celeberrimus.

Celebrem in paucis S. Hilarinum *reddidere vetusta omnia Martyrologia, ipsum hoc die certatim signantia, quemadmodum de Romano parvo, Beda seu Floro, Adone, Usuardo totaque eorum progenie, in nostra ad hodiernum postremi textum observatione non obscure indicatum est, ut adeo innumeros recentiores hic colligere, oleum sit et operam perdere. Simplicior* B *est primi annuntiatio:* In Ostia, Hilarini martyris. *Bedæ nostri, Rabani et Adonis eadem sunt verba:* In Ostia, natale S. Hilarini, qui sub persecutione Juliani, cum nollet sacrificare, fustibus cæsus, martyrium sumpsit. *Notkerus, ut alibi etiam diximus, de suo inseruit,* qui Sanctorum Hilarissimus susceptor et sustentator, *quæ unde acceperit, non est tam promptum colligere: Sanctorum Joannis et Pauli Acta apud Surium, quæ in hoc opere, pro ea parte, S. Gallicano rectius adscripta sunt, ansam fortasse præbuerint, dum ita prædicant:* Hilarius autem, qui quondam Gallicanum in urbe Ostiensi susceperat, cum cogeretur a fidei Christianæ persecutoribus sacrificare, et nollet; fustibus cæsus, martyr effectus est, ejusque corpus in eadem urbe *(nempe Ostiensi)* Christiani honorifice tumularunt. *Adjungo Usuardi textum, solo* monachi *titulo, ex Actis S. Donati* VII *Augusti accepto, ceteris auctiorem:* In Ostia, passio S. Hilarini monachi, qui cum nollet sub persecutione Juliani sacrificare, fustibus cæsus martyrium sumpsit. *Audi etiam Wandelbertum:*

C Cum decima Augustum quæ signat septima mensem,
Hilarine tuo, martyr, nitet, optime, festo.

Ostiæ constanter asseritur,

2 *Hactenus unanimis classicorum, uti vocamus, Martyrologiorum consensus in* S. Hilarini *martyrio Ostiensi civitati abscribendo. Præcesserant Hieronymiana apographa, quorum antiquissimum Epternacense, de cetero hic in nonnullis mutilum, sic legit:* In Ostia, natalis Hilari, *pro* Hilarini, *cui in Lucensibus jungitur* Cyricus, *hoc die, opinor, æque ac in aliis die præcedenti, non satis apte laterculo insertus, qui quo spectet, alibi fortasse commodius dispicietur. Majoribus hisce et plenioribus codicibus plane subscribunt Hieronymiani contractiores omnes, tum a nobis tomo* VII *Junii, tum a Domno Martene in Analectis tomo tertio editi, cum hac differentia, quod Rhinoviense, Richenoviense et Corbeiense eamdem positionem exprimant, pro* Hilarini *scribentes* Helarini: *nomen recte effert codex S. Maximini Trevirensis; apographa Reg. Sueciæ, S. Cyriaci Romæ, et Barberinianum ipsummet referunt citatum jam sub Bedæ, Rabani et Adonis nomine laterculum: cetera, ut brevissima sunt, solis plerumque nominibus, usque confusis enumerandis contenta,* Hilarinum *vel* Ilarinum *signant, non addita positione: at tam diserte enuntiant reliqua, ut certior in eo genere demonstratio haberi non possit;* S. Hilarinum *hoc die* XVI *Julii in urbe Ostiensi martyrium passum fuisse, nullo veteri Martyrologio hactenus producto, nec verosimiliter producibili, quod* Aretium *Tusciæ, tamquam martyrii ejus palæstram assignaverit.*

E *non Aretii, ut Baronius scripsit.*

3 *Tam apertæ auctoritati Martyrologiorum omnium antiquorum, si ea vidisset Baronius, non tam facile, opinor, se opposuisset, nec Usuardi textum in hodierno Romano interpolasset hoc modo:* Eodem die, S. Hilarini monachi, qui una cum S. Donato in persecutione Juliani comprehensus, cum nollet sacrificare, fustibus cæsus, Aretii in Tuscia martyrium sumpsit, cujus corpus ad Ostia Tyberina translatum est. *Hanc Baronii opinionem, etsi non omnino rejecerimus in nostra superius citata Observatione, jam re maturius examinata, admittendam non censemus. Pro ea in notis solummodo citat Acta Sanctorum Joannis et Pauli, et Vitam S. Donati Aretini, quam fatetur* admodum depravatam *esse. De his ex professo disputandum erit ad* VII *Augusti; istud hic notasse sufficiat, quod pridem ad S. Gallicani Acta* XXV *Junii observatum est, nominum homonymiam Eminentissimum Annalistam verosimiliter fefellisse, in quo ei Ado præluxisse videtur, ipsis illis Actis, quæ depravata ultro agnovit, et magis depravata censere debuit, si ea contulit cum iis quæ tradit Petrus de Natalibus Equilinus episcopus lib.* VI, *cap.* CV, *et lib.* VII, *cap.* XXXIII, *res plane ambiguas, tamquam certas ausus producere. A primo loco ducemus initium:* F

inter quos Equilinus secum ipse conciliandus est.

4 Hilarianus monachus et martyr sub Juliano Imperatore in civitate Ostia passus est. Hic de civitate Aretii oriundus, cum beato Donato episcopo et martyre dudum conversatus est; et plurima una secum miracula perfecit: ut de eo dicitur in passione Donati VII Idus Augusti. Post hæc in civitate Ostiensi degens, Gallicanum martyrem, eodem venientem, suscepit, et in fide Christi confortavit. Denique tentus a Quadratiano præside, in præfato oppido, cum sacrificare nollet, fustibus cæsus, martyrium sumpsit XVII Kalendas Augusti, cujus corpus ibidem tumulatum quiescit. *Pugnant hæc cum Actis S. Donati ab Adone relatis; nec nisi satis violenter secum ipse conciliari potest Equilinus Episcopus, dum* Quadratianum Augustalem præsidem asserit tenuisse beatos Hilarianum et Donatum *Aretii, et* primo quidem Hilarianum in civitate Ostia detentum, fustibus cæsum, martyrem Christi fecisse, *quem ex tota narratione intelligere nequeas, Ostiam suis umquam oculis vidisse,*

A vidisse, ut satis pateat, hæc eo modo disposita, ne iis quæ XVI Julii scripserat, nimis aperte contradiceret. Quadratianus præsidem agit ambulatorium, modo Ostiæ, modo Aretii Sanctos persequens; ut martyrium ambo diversis locis subeant; qui Aretii coronantur apud Adonem, cujus interim historia sic demum concluditur; Martyris vero Hilarini ossa in Ostia civitate tumulata servantur; tametsi in totis Actis nec verbum sit quod Ostiam redoleat.

De S. Donato alibi disputabitur

5 Utrum S. Donatus episcopus Aretinus vere martyr censeri debeat, an non potius confessor, an Juliani temporibus apposite innectatur, ad ejus natalem examinandum remittimus. Acta ejus depravata esse, non ex sola Baronii fide, sed ex ipsorum lectione evidenter perspicitur: neque dubium esse potest, quin Hilarianus Equilini idem prorsus sit, qui in Adonis Actis Hilarinus appellatur: Rhodus et saltus est, utrum Hilarini duo Ostiensis et Aretinus, an unicus dumtaxat admittendus, qui Aretii passus, Ostiam post martyrium translatus sit? Vidit nodum Ferrarius, sed transiliit potius quam solvit. Ut mentem paucis explicem; Hilarinum Ostiensem, ex Martyrologiorum consensu martyrii coronam obtinuisse, indubitatum existimo; sub Juliano passum Acta S. Gallicani memorant et Martyrologia superius citata, quæ ex omni, saltem ex ea parte vindicanda non suscipio: neque Ostiensem illum, eumdem prorsus esse cum qualicumque Aretino, ut certum pronuntiare hactenus ausim; imo duos Hilarinos seu Hilarianos diversos malim admittere, quam ut Martyrologiorum inconcussam hic auctoritatem cum depravatis Adonis et Equilini Actis conferri patiar: sed eam controversiam, affulgente postmodum luce fortasse aliqua, facilius dirimendam confido: quando etiam accuratius discuti poterit, quid velit Baronius in Annalibus an. 362, num. 250, dum narrato S. Gallicani martyrio, ita subdit: Quo eodem tempore Romæ Hilarius, Gallicani pernecessarius, necnon Donatus episcopus Aretinus, spectatæ vir sanctitudinis, obtruncatione capitis martyrium consummarunt. Satis sit, S. Hilarinum Ostiensibus hic asseruisse.

AUCTORE J. B. S.

B

DE S. HELERIO VEL ELERIO MART.

E

IN CÆSAREA MARIS BRITANNICI INSULA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. C.

Sancti cultus, Acta, et sepultura.

SÆC. VI.

Describitur insula Cæsarea.

Cæsarea, vulgo Gearsey vel Jarsey, teste Antonino, insula Galliæ Celticæ (eam aliquando ex Hispania in Belgium navigans obiter aspexi) in mari Britannico non procul a littoribus Normannicis sita est. Pertinebat olim ad Normanniam et in spiritualibus suberat episcopo Constantiensi; nunc vero cum quibusdam adjacentibus insulis paret regi Angliæ. Triginta circiter millia passuum ambitu suo complectitur. Villis frequens est, inquit Camdenus in sua Britannia pag. 854, parœciis duodecim distincta et commodis undique stationibus sinuata, inter quas securissima est in australi insulæ parte inter oppidula S. Hilarii et S. Albani, quæ suam habet insululam præsidio munitam, omni aditu circumcisam, in qua S. Hilarium Pictavensem episcopum, huc relegatum, sepulturæ traditum ferunt: oppidum enim ejus nomini sacrum e regione hujus insulæ primarium censetur oppidum, tum ratione emporii, tum fori judiciarii, quod ibi statuitur. Falsa esse, quæ hic Camdenus de S. Hilarii exilio et sepultura narrat, quivis facile intelliget ex Actis S. Hilarii Pictaviensis episcopi, quæ Bollandus noster ad diem XIII Januarii illustravit.

C

in qua passus est S. Helerius.

2 Si conjecturis indulgere fas esset, suspicarer hoc oppidulum, paucis litteris mutatis, potius S. Helerii, quam S. Hilarii appellandum esse: nam S. Helerii nomen olim in ea insula celebre fuisse oportuit, cum in eadem extiterit illius nominis abbatia, uti colligitur ex Roberto De Monte sæculi duodecimi scriptore, qui a Dacherio post opera venerabilis Guiberti aliaque antiqua monumenta anno 1651 Parisiis editus, in Appendice ad Sigebertum ita scribit ad annum MCLXXXIV: Dominus Walterus Rothomagensis archiepiscopus impetravit a Domino nostro Henrico rege Anglorum, ut abbatia S. Elerii (quæ est in insula Gersosii, quam Willelmus filius Hamerici fecerat in eadem insula, consilio et auxilio regis) jungeretur abbatiæ De Voto, quæ est juxta Cæsarisburgum, quam imperatrix mater Henrici regis ædificaverat. Erat autem tripliciter ditior tam in Normannia, quam in Anglia, quam abbatia De Voto. Vides ibidem egregiam abbatiam, nomine S. Helerii insignitam. Quidquid sit de prædicto S. Hilarii oppidulo, insula Cæsarea seu Jarseia, quam numero præcedenti descripsimus, fuit palæstra, in qua S. Helerius martyrii palmam obtinuit. Jam de illius cultu quædam dicamus.

F

qui a recentioribus Martyrologis tantum memoratur.

3 Sanctus noster anachoreta paucis admodum, iisque recentioribus tantummodo Martyrologis notus est. Saussayus in Martyrologio Gallicano ad diem XVI Julii sic habet: Constantiæ in Normannia, sancti Helerii martyris a Wandalis in Gerzuo insula occisi. Castellanus autem in suo Martyrologio Universali sic ad eamdem diem Gallice scribit: In quadam insula freti Britannici, S. Helerii (in margine vocat eum etiam Helvertum et Helibertum) anachoretæ, visitati a S. Marculfo, et ibidem ab impiis occisi, cujus reliquiæ delatæ sunt in Belgium. Quid de reliquiarum translatione hic notata censendum sit, pluribus postea discutietur. Quamquam Sancti nostri nomen in antiquis Martyrologiis non occurrat, aliunde tamen cultus ejus satis innotescit. Imo non dubito, quin in ipsa Cæsarea, quam gloriosus Martyr olim sanguine suo rigavit, præter memoratam superius S. Helerii abbatiam plura superfuerint publicæ venerationis monumenta, donec Elisabetha, Angliæ regina, Ca-

AUCTORE G. C.

tholicis ritibus infestissima hanc et vicinas insulas a diœcesi Constantiensi avulsas pseudo-episcopo Wintoniensi subjecit, ac Genevensibus verbi divini corruptoribus administrandas tradidit, uti testatur Camdenus heterodoxus in opere supra citato pag. 856. *Cum igitur verosimillimum sit, quod hæresis, Sanctorum cultui inimica jam omnia antiquæ venerationis vestigia more suo ibidem eraserit, cultum ejus in proximis regionibus catholicis quæramus.*

et cujus memoria celebratur in Breviario Constantiensi.

4 *Prima quidem et huic insulæ maxime vicina offertur diœcesis Constantiensis in Normannia, quæ in Breviario anni* 1609, *ad diem* XV *Julii intra Octavam Dedicationis suarum ecclesiarum a primis Vesperis facit sequentem commemorationem* S. Helerii martyris, qui a Vandalis in Gerzeyo insula occisus est. *Antiphona.* Inclyte martyr Christi Heleri, salve jugiter, qui gloriosa cælorum patria regnas : Impetra nobis ad te pie clamantibus superna gaudia, pro quibus gravia passionis sustinuisti tormenta. ℣. Gloria et honore. *Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, in cujus virtute et auxilio omnes seculi labentis adversitates a tuis fide-
B libus superantur, exaudi nos propitius et concede, ut sicut beatus Helerius martyr tuus per exercitia laborum et sui sanguinis effusionem laureatus ad consortium supernæ civitatis pervenit, ita nos ejus intercessione facias pervenire gaudentes. Per Dominum. *Die autem* XVI *Julii intra eamdem Dedicationis octavam fit hæc commemoratio* S Helerii *in Antiphona ad Laudes :* O pie martyr Christi Heleri, concio servorum tibi adstat; impetra sibi veniam, qui Christo innectens gloriosam martyrii obtinuisti palmam. ℣. Ora pro nobis beate Heleri. *Deinde repetitur oratio diei præcedentis.*

ac Rhedonensi.

5 *Memoria hujus Sancti etiam viget in Britannia Minore : nam in diœcesi Rhedonensi extat templum* S. Helerio *dedicatum, quemadmodum colligo ex propriis istius diœceseos Officiis anno* 1620 *impressis, in quibus* XVI *Julii hæc leguntur :* S. Helerii martyris in ecclesia propria. *Deinde præscribitur oratio recitanda de communi unius martyris :* Præsta quæsumus, ut intercedente etc. *Missa vero :* Lætabitur justus. *Intelligo, eumdem Sanctum etiam coli in*
C *oppidulo Frugensi vulgo* De Fruges *diœcesis Bononiensis prope castrum Artesiæ Renticam : nam Joannes Maigni Frugensis pastor in litteris anno* 1605 *ad Rosweydum nostrum datis, post transcriptam Vitam S. Bertulphi (de eo actum est die* V *Februarii) et indicatas alias ecclesiæ suæ reliquias, in fine sic monet :* Meminerit præterea R. V. sancti Elerii, cujus festum solemne apud nos annue recolitur in sacello proprio, et fit Officium de Martyre.

At Malbrancus cultum, et Frugis in Picardia exhiberi solitum,

6 *De hoc Frugensi cultu scrupulum mihi quemdam injicit Malbrancus noster, qui eum alteri ejusdem nominis Sancto tribuere videtur, ita scribens lib.* III *de Morinis cap.* XXVI : Circa eumdem annum Elerius vir e Britannia apprime nobilis, transmisso mari, initaque via, quæ Bononia Septemvioque Teruanam ducit, ad Frugas delegisse traditur solitariam sedem, quæ non procul absunt a Lisæ principio. Etiamnum sancti Viri memoria, fons, ædicula, velut eremi monumentum, in præcipuo cultu sunt, quæque olim fuerunt magno indigenis et advenis præsidio. *At Acta narrant, nostrum* S. Helerium *quinquennio apud Morinos*
D *sanctam et solitariam vitam egisse. Quin etiam addunt, illum jam in Normanniam discessurum non procul a Cancia, vulgo* la Canche *fluvio, noxii cujusdam fontis aquas precibus salubres reddidisse ;* inde, *ut eadem Acta nostra num.* 22 *perhibent,* adhuc incolæ illius patriæ a febribus et languoribus liberantur, et vocatur fons S. Helerii usque in hodiernum diem.

perperam alteri sancto homonymo attribuisse videtur.

7 *Malbrancus haud dubie apud Pitseum, quem citat, in opere de illustribus Britanniæ scriptoribus ad annum* 660 *legerat hæc verba :* Elerius natione Britannus et in Cambria monachus, vir mediocriter doctus, et pietate, quæ ad omnia utilis est, plane admirabilis, primum bonis litteris operam dedisse dicitur ad Elvii fluminis ripam, ubi S. Asapho positum erat templum. Deinde ad concursum et frequentiam populi declinandam, ut liberius Deo vacare posset, in eremum exivit. *Plura de eodem habet Alfordus noster in Annalibus ecclesiæ Anglo-Saxonicæ ad annum Christi* 660 *num.* 33. *Manifestum fit utriusque Sancti Acta legenti, eos tempore, patria, vitæ professione, rebus gestis et mortis genere plurimum inter se differre. Sed cum Malbrancus sciret Frugis coli* S. Helerium, *aliumque*
E *non nosset præter* Elerium *Anglum, ex Pitsei verbis conjecit, hunc* Elerium *ad vitandam populi frequentiam, et ducendam vitam solitariam ex Britannia ad Morinos transfretasse, et non attendens,* S. Helerium *nostrum Frugis, ut martyrem honorari, hos duos homonymos Sanctos confudit. An hæc suspicio nullum habeat fundamentum, judicet æquus lector.*

Probabiliter etiam in aliis Normanniæ vicinarumque regionum locis colitur.

8 *Vix dubito, quin in aliis Picardiæ, Normanniæ, et Britanniæ Minoris diœcesibus idem Sanctus Martyr publice honoretur, quamvis singulorum locorum notitia ad nos non pervenerit : reperio enim post* S. Helerii *Acta, ad Bollandum Rothomago missa, rhythmum de eodem Sancto, nescio in qua ecclesia, recitari solitum, ex quo tantum proferuntur verba sequentia :*

Hunc, quem confecerat sitis et macies,
Minuit capite Wandalis * acies.
Novum, quod mortuus propriis manibus
Cervicem detulit plus centum passibus.

* *forte pro* wandalica

Albertus Le Grand Dominicanus in Sanctis Britanniæ Armoricæ anno 1659 *Gallice editis post Vitam* S. Helerii *pag.* 673 *notat, repertum esse*
F *apud Cenomanos antiquum librum, Gothicis characteribus conscriptum, in quo solenne Officium, totumque huic Sancto proprium continetur. At cum Grandus vitam* S. Helerii *juxta hunc codicem Cenomanensem exhibeat, video, nihil aut parum differre ab illo, ex quo infra dabo Sancti nostri Acta, postquam de iis pauca præfatus fuero.*

Acta ejus parum accurate post sæculum IX scripta sunt.

9 *Præter Vitam* S. Helerii *ex codice Cenomanensi excerptam et ab Alberto Le Grand typis editam, habemus tria manuscripta ejusdem Vitæ exemplaria, quorum omnium unum eumdemque puto esse auctorem, quamvis hinc inde interpolata sint, ac in fine præsertim circa sepulturæ locum et personarum nomina differant, uti mox videbimus. Primi scriptoris nomen, conditio et ætas me latent ; at eum saltem post sæculum nonum hæc Acta composuisse patet ex adhibito utrobique Normanniæ nomine, quod huic Neustriæ tractui tantum initio sæculi decimi a Normannis, septemtrionalibus populis, inditum fuisse constat. Ceterum Actorum auctor non videtur chronologiæ admodum fuisse peritus : nam præterquam quod nulla signet tempora, confundit Childebertum Chlodovei filium, qui anno* 509 *factus est rex Parisiorum, et vita functus*

AUCTORE G. C.

A *functus anno* 558, *sub quo Sanctum nostrum vixisse oportuit, siquidem, ut idem scriptor affirmat, egerit cum S. Marculpho, qui circa eumdem annum* 558 *obiit, sicut ostenditur in ejus Actis ad diem* I *Maii ab Henschenio illustratis; confundit, inquam, hunc Childebertum cum Childeberto Brunechildis filio, aut altero ejusdem nominis plus centum annis posteriore, quemadmodum Acta legenti manifestum fiet. Atque hæc de Actis in genere; nunc de singulis nostris Mss. quædam prænotemus, alia in Annotatis observaturi.*

quorum tria Mss. enumerantur exemplaria,

10 *Tria, ut dixi, habemus Actorum apographa, ex eodem, ni fallor, fonte hausta. Primum est Gallice conscriptum, et, ut in principio dicitur, ex Lectionibus propriis, in quadam ecclesia Britanniæ Minoris usitatis, desumptum. Sed harum Lectionum interpres stylo suo indulget, et eas longiori paraphrasi exornat. Dum autem chronotaxim, haud dubie in Lectionibus omissam figere, seu potius ex ingenio suo fingere conatur, inscitiam chronologicam maxime prodit. Unum hujus rei exemplum dedisse sufficiet. Initio Actorum dicit*, S. Helerium *natum esse sub Childeberto Francorum rege; sub finem vero ait*, S. Helerium *sepultum esse* B circa annum trecentesimum nonagesimum *Quis hanc sepulturæ epocham cum Childeberti regno, imo cum Francorum monarchia componet? Alterum est apographum Latinum, quod ex libro Ms. ecclesiæ parochialis* S. Helerii *excerptum P. Fredericus Flonetus anno* 1632 *ad Bollandum nostrum Rothomago transmisit. Illud Ms., quod deinceps ad aliorum distinctionem Rothomagense vocabimus, in plerisque cum altero jamjam citando convenit, sed sub finem in locorum personarumque nominibus ab omnibus aliis Actis tum manuscriptis tum impressis discrepat. Tertium D. Petrus Le Vernier ex veteri et semiroso Ms., ut ipse testatur, apud Cenomanos reperto transcripsit, atque anno* 1658 *ad Bollandum Autissiodoro misit. Hoc postremum, quia videtur reliquis sincerius antiquiusque, cum Ms. Rothomagensi collatum typis edemus, et varias alicujus momenti lectiones annotabimus, aut uncis* [ ] *includemus, ubi prius incertam de ejus sepulcro conjecturam proposuerimus.*

C

ex quibus unum S. Martyri sepulturam assignat in Belgio;

11 *Narrat primo Ms. Rothomagense, quomodo* S. Helerii *pædagogus statim post discipuli sui martyrium timens, ne corpus ejus a piratis contumelia afficeretur, illud una cum abscisso capite parvæ navi imposuerit, atque ipse in ea sedens somno obrutus fuerit. Deinde sic pergit:* Navicula undis circumfluentibus in illo rapitur mari, et per tot vertigines aquarum usque ad oppidum, quod vocatur Herenvarde, ubi fluenda Mosæ et Reni et Vu lli conveniunt, invehitur. Cum autem prædagogus se evigilasset, et omnia loca vidisset ignota præter navem, obstupuit. Quod homines illius villæ videntes putaverunt phantasma esset. Sed postquam ab homine didicerunt, quid esset, magno gaudio gavisi sunt, adduxerunt sanctum Wuillebrodum episcopum, ut videret, quid hoc esset; ille vero postquam cognovit seriem rei diligenter, corpus B. Helerii Actlovenas deportare fecit cum magnis laudibus, ibique eum in nobili mausoleo XVII Kal. Augusti sepelivit. *At, obsecro, qua temporum connexione aut veri specie Willibrordus, qui sæculo octavo episcopale munus in Belgio strenue administravit, dicitur statim a martyrio sepelivisse* S. Helerium, *qui sæculo sexto passus est? Si Actorum scriptor seu potius interpolator scripsisset, corpus* S. Helerii *post multos annos a S. Willibrordo honorifice sepultum fuisse, forsan huic navigationi quantumlibet mirabili ac longinquæ fides adhiberi potuisset.*

duo vero alia ab hoc differunt.

12 *Certe prodigium illud eo modo intellexit Henschenius noster, quando, lectis levi oculo hisce* S. Helerii *Actis, in Diatriba de Episcopatu Trajectensi lib.* II § I *scribit, ejus* sacrum corpus longo post tempore navi per oceanum delatum *esse ad oppidum Herenwertense, atque a S. Willibrordo honorificæ sepulturæ traditum fuisse.* Est autem, *inquit*, Herenwertum insula exigua, pagusque in ea ejusdem nominis inter memoratas antea Maselandiam modernam, Masewaliam, et agros Bommelianum ac Tilensem. *At ego, attente perlectis omnibus* S. Helerii *Actis, quorum tunc aliqua obiter Henschenius ad suum institutum pertinentia percurrerat, mihi persuadere non possum, sacrum hujus martyris corpus in Belgium delatum fuisse, præsertim quia apud hagiologos Belgas nulla invenio cultus vestigia, imo nec ipsius Sancti memoriam. Ut autem verbo dicam, quod sentio, suspicor, sciolum quemdam fortasse Belgam, qui S. Willibrordum contra omnem verisimilitudinem hic in scenam* E *induxit, etiam sepulturæ locum confinxisse, cum omnia alia S. Martyris Acta de his tribus Belgii fluviis confluentibus sileant, et diversa locorum ac personarum nomina assignent, sicut jam lectoris oculis subjicio.*

et diversa ignotaque sepulcralis loci nomina exprimunt.

13 *Codex Ms. apud Cenomanos repertus refert*, naviculam appulisse ad oppidum, quod vocatur Hermiarde. *Deinde, reliquis ut supra narratis, sic prosequitur:* Adduxerunt S. Gillebrium episcopum usque ad navim, ut videret et intelligeret, quid hoc esset. Ille vero postquam seriem rei cognovit, diligenter B. Helerii corpus ad Struenarlensem cum magnis laudibus deportari fecit, ibique eum in nobili mausoleo XVII Kalendas Augusti sepelivit. *Gallicum nostrum Ms. omittit nomen loci, ad quem navis primo appulit, uti et locum, in quo sepultus fuisse dicitur. Episcopum tamen etiam vocat* Gillebrium. *Albertus Le Grand jam citatus idem episcopi nomen exprimit, et locum primi appulsus appellat vulgo* Hexvuarde; *sepulturæ autem* Stonenarleuse.

F

Verosimile tamen non est, ejus corpus in Belgium fuisse translatum.

14 *Hæc quidem nomina, fortasse jam a transscribentibus corrupta, frustra apud scriptores Britones ac Normannos quæsivi. Nihilominus opinor,* S. Helerii *reliquias in Britanniam Armoricam, Normanniam, aut vicinas regiones potius quam in Belgium translatas fuisse, cum in iis partibus Sancti cultus perseveret, de quo in Belgio nulla est notitia. Huic conjecturæ meæ favet Claudius Chalemotus in Menologio breviori Ordinis Cisterciensis, ubi ad diem* XVII *Julii de Sancti nostri Reliquiis ita scribit:* In Normannia et diœcesi Rotomagensi, apud Bellum-Beccum filiationis Savigniaci et Claræ-Vallis cœnobium, memoria sancti Helerii martyris, cujus sacra ossa ibidem in sacello et lipsanotheca posita religiose asservantur, et coluntur. *Imo in Ms. nostro Gallico exstat quædam ode ad* S. Helerii *honorem composita, in qua Reliquiarum thesaurus Britanniæ Minori attribui videtur: sic enim poeta Gallus inter alia de hoc Sancto canit:*

Igitur merito lætaris
Devota Britannia,
Quod thesauro fruaris,
Quem dedit Alemannia.

Atque hæc sunt, quæ de S. Helerio *colligere potui, desiderans,*

AUCTORE G. C. *desiderans, ut Britones et Normanni nos plura edoceant, et Sancti popularis nostri cultum ac gesta amplius illustrent. Nunc ipsa, ut promisimus, exhibemus.*

ACTA

Ex veteri Ms. apud Cenomanos reperto, et cum aliis Mss. collato.

Caput i. *S. Helerii patria, parentes, nativitas, morbus, pia pueritia, miracula, et eorum occasione sui magistri martyrium.*

B

Sancti pater, a

In diebus illis, cum post destructionem efferæ reginæ Brunechildis *a* venerabilis rex Childebertus monarchiam totius regni Galliæ mundo * regimine gubernaret, inter Orientales populos gentilium in Tungrina *b* urbe quidam nobilis vir nomine Sigebardus, opum ubertate, et generis dignitate potentior, omniumque Australis climatis fortissimus secundum ritum paganorum in omnibus excrevit. Qui cum omnes in istis et his similibus superaret, non tamen pompatire *, ut assolet, et ut natura mortalium fert, adversus suos tribules * vel sibi suppositos intumuit, sed in omnibus humilior, cum quadam mediocritate rationabiliter obediens, in nullum ferus, omnibus, quibus dignum esset, consentiens extitit.

* al. intimido
* id est pompam ostentare
* al. commilitones

et mater erant gentiles

2 Qui cum ad id ætatis pervenisset, ut naturalis ordo expostulat, uxorem expetiit nomine Lusegard *c* ex parte patris de genere Bavarorum, et ex parte matris de genere Suevorum, omnibus forma, et probitate, et generis dignitate, prout dignum erat, elegantiorem. Hanc igitur secundum consuetu- C dinem patriæ accepit. Nec tamen illa illecebrosis lenociniis mortalis naturæ instigabatur, sed ita frugaliter, ut nonnulli veridicorum, ex illis sobolem suo Creatori placituram exire dictando portenderent, ut postea rei eventus approbavit. Qui cum secularibus divitiis, et juventute florescerent, tamen vita lugubri afficiebantur, quia sentiebant sibi negatam esse spem gignendæ propaginis, cum septimus eorum conjunctionis annus existeret.

qui nihilominus per preces S. Cuniberti,

3 Eodem igitur tempore erat in illa civitate quidam beatus homo nomine Cunibertus, qui ab utroque populo multum amabatur, et honorabatur; a gentibus, quia illos [ita] rationabiliter de idolatricis reprehendebat, ut hi causas non haberent, quibus ei inimicarentur; a Christianis autem, quia refocillationem animæ et corporis illis subministrabat. Hic frequenter ad domum Sigebardi conveniebat existimans, se illum a cultura idolorum eruere. Ille tamen conversus in arcum suæ pravitatis *d*, ab internecione sua nequaquam revocari potuit. Sed suppliciter sanctum Cunibertum deprecabatur, ut Deum, D quem colebat, invocaret, quatenus eis daret fœcunditatem prolis, eo tenore, quia si sibi filius nasceretur, illum se daturum Deo suo, et Sancto pollicebatur.

4 Discessit igitur vir Sanctus hilaris et gaudens de promisso. Quapropter Jesum Christum humiliter invocavit, ut ea pietate, qua Evam de costa Adam, dum somnum incurrit, produxit, ut maligni spiritus loca liberos procreando instaurarentur, his duobus fœcunditatem afferret, sicut fecit B. Annæ, et Helcanæ. Exaudivit autem Dominus vocem Cuniberti: concepit enim Leutgard, et peperit filium. His autem diebus perrexerat supradictus S. Cunibertus Hierosolymam, cupiens videre locum, in quo Salvator mundi pro salute generis humani passionem gustavit, antequam dissolutio sui corporis adveniret. Quo in loco triennio demoratus est.

a Deo impetrat filium certa conditione.

5 Cum autem inde reversus fuisset, audivit Lutgard peperisse filium, Deo et sibi pollicitum. Quare patrem, et matrem adiit interrogans, ut sibi [Dei] promissio redderetur. Qui responderunt ei magis debere filium E suum nutriri inter primates palatii, quam inter ostiatim pauperes, et nescientes, quem Deum colerent, pro quo frequenter, et sine vindicta inhonorarentur. His auditis, Sanctus confusus abscessit, nunquam postea domum illam repetiturus. Interea puer crescebat pulchrior, et fortior ceteris coætaneis suis. Qui cum septennis esset, omnium membrorum nervis retractis pallidus, paralyticusque intabuit.

quam dum implere renuunt,

6 Quod parentes illius videntes, mirabiliter, et ultra quam credi potest, indoluerunt. Languescente igitur puero, omnes advenientes communiter, et videntes, * et audientes quæ proclamabat, flentes revertebantur: dicebat enim languidus: O Pater, cur me retraxisti ab illo, qui me formavit in utero matris meæ per gratiam suam? Si equidem me vis sanari, redde me viro, cujus precibus in hoc mundo [natus] periclitor. Audiens autem pater ejus gemitus, et vociferationes languentis filii, timens esse diuturnum languorem, tristis effectus est, sicque volendo F nolendo mandavit S. Cuniberto, ut pro sua promissione illum recepturus advenire dignaretur. Cui Sanctus respondit, si attendere, quod promisit, inciperet, et vellet persistere, tunc mittat nobis promissionem spontaneus, a quo discessi confusus [et vacuus].

puer cœpit tabescere.

7 Misit ergo pater filium suum ad Sanctum, cui illum promiserat, timens, ne in manibus suis moreretur; qui cum in grabato suo ad contubernium Sancti provectus fuisset, exclamavit: O Pater sancte, miserere mei. Si tuis precibus sum natus, cur iisdem non renascerer? Postquam autem Sanctus puerum vidit clamantem, et languidum, misericordia motus, flexis poplitibus in oratione prosternitur dicens: Omnipotens æterne Deus, salus æterna credentium, qui cæco nato oculos aperuisti, reintegra puerum istum languescentem et restitue illum per tuam misericordiam pristinæ sanitati. Ad hanc vocem puer paralyticus prosiluit, hilaris et sanus, et petens, ut ab eodem mereretur fieri catechumenus. Quem illico catechumenum fecit, et vocavit illum Helerium, id

ut parentes eum S. Cuniberto educandum tradere coacti fuerint

A id est misericordiam *e*, quia Dei misericordia illum reintegraverat.

Sanctus puer Helerius ... sanitati restitutus, et pie educatus.

8 Taliter catechumenus effectus est, ac vocatur Helerius, et in Ecclesiam ductus, et Deo reconciliatus. Quem postea S. Cunibertus nutrivit [tamquam filium] suum, et docuit eum alphabetum, et post alphabetum totum legere Psalterium. Erat ibidem ecclesia B. Mariæ Virginis, in qua S. Cunibertus, et B. Helerius Deo servientes a laudibus divinis diu noctuque non cessabant, sed tamen unicuique sua erat apotheca, in qua singularis pernoctabat. Ad certas autem horas ad ecclesiam filiolus, et pater ad servitium Dei peragendum coadunabantur Cum autem ab ecclesia reverterentur, unusquisque ad suam cellulam remeabat, sua membra aliquantisper refocillaturus, quorum cibus non erat nisi panis hordeaceus, et crudæ herbæ cum sale, et hoc semel in die, nisi in festivis diebus.

... hortulum sibi ...

9 In illo ergo loco B. Helerius hortulum construxerat, atque propriis manibus oleraverat *f* *, ut ab inde comederet. Ad quem frequentia leporum talis accedebat, ut,

f * olivaverat

B quod Sanctus ædificaverat, totum fere exædificarent. Quibus [Sanctus] fertur dixisse, cnm quadam die inveniret eos pascentes, virgulam tenens in manibus : Partite vobis, ut et nos, et vos habeamus, et divisit illis partem virgula, quam tenebat, ita ut numquam posthac aliqua bestiarum fuit ausa transgredi divisionem.

... quem quidam vi intrare volens divinitus punitur et ab eo sanatur.

10 Quadam die, dum unus satelles unam de prædictis bestiis insequeretur usque ad hortulum, ignorans quid ageret, accurrit atque intravit. Intuens autem B. Helerius venatorem irruentem super bestiam ait : Quare ergo, frater, bestiam, quam non pascis, interficere conaris? Cui ille respondit se minime [pro eo] ipsam dimissurum ; et cum sepem, quam S. Helerius propriis manibus, sine aliquo ferramento, subtilibus virgulis sepiverat, vellet transcendere, percussus virga in oculo, privatus est dextro lumine. Ille vero sciens se exoculatum esse, festinus accurrit ad Sanctum, provolutus ad pedes [ejus] supplicans illi, ut quod arrogantia perdidit, motus misericordiæ visceribus, C restituat illi. Sanctus vero signo Crucis imposito oculum sanavit, et altero clariorem effecit. Juvenis ille, qui orbatus fuerat, clare videns, lætus discessit.

Mulierem a fluxu sanguinis,

11 Non vero post multum temporis advenit ibi quædam mulier, quæ fluxum sanguinis diuturno tempore perpessa fuerat, nec ab ullo medicorum curari poterat, deprecans S. Helerium, ut de suis herbulis benediceret, et daret illi ad comedendum : erubescebat enim confiteri suam infirmitatem. Sanctus vero, acceptis pauculis oleribus, consignavit, et postea illi porrexit. De quibus illa statim manducavit, et confestim sanata est, ac Sancto viro rem indicavit, et læta recessit. Nec mora : fama patriam pervolavit.

... juvenem a serpente per os intromisso liberat.

12 Præterea erat ibi quidam homo, qui, dum inter frutices ore aperto forte obdormiisset, subito coluber, invento ore aperto, [juvenem] subintravit. At ille evigilans, et sentiens, se esse vivo verme plenum, exanimatus fere effectus est. Audierat autem mulierem esse sanatam a Sancto viro : ideo quam citius ad Sanctum virum accurrit, supplicans illi, ut signum Crucis super os suum imponeret, quia dæmon vivus in ventrem suum subintraverat. Beatus igitur Helerius signo Crucis imposito serpentem de juvene eadem via, qua introierat, sine læsura exire coegit.

13 His et aliis ejusmodi per illam terram B. Helerius declaratus est : unde pater illius vehementer admirans, audiente sua familia, dicebat : Quod si ille magus Cunibertus extirparetur, adhuc se rehabiturum unigenitum suum. Quapropter sui famuli conciliati sunt illum in proximo interficere. Sequenti vero nocte apparuit angelus Domini S. Cuniberto dicens, illum in futura nocte de ergastulo hujus mundi exiturum, [et gladio vitam finiturum] atque sic venturum ad convivium civium supernorum ; et addidit, ut admoneret suum filiolum, exire de cognatione sua, et ad alias partes profecturum esse, et eodem fine de hac vita quandoque exiturum esse denuntiaret.

Pater S. Helerii hæc miracula magicæ arti ad scribens.

14 Mane autem facto, et pater, et filiolus ad ecclesiam convenerunt, celebratoque ex more divino officio, enarravit pater filiolo quidquid ab angelo dedicerat. Ille E vero intelligens, dissolutionem corporis sui magistri imminere, dixit : Quare ergo, sancte pater, non me baptizas? Cur me relinquis inanem? Cui pater respondit esse alterius potestatis quod peteret, et alias baptizandum esse, et eodem fine ad Christum migraturum. Duo igitur famuli Dei sine intermissione tota die in Dei laudibus perseverarunt. Vespere autem facto ad singulas mansiunculas redierunt; Cum vero S. Cunibertus centesimum Psalmum Deo caneret, dicens QUANDO VENIES AD ME, subito familia Sigebardi affuit, quæ ei caput amputavit. Unde B. Helerius tumultum audiens [ad domum Sancti] cucurrit, quem [ita] martyrizatum, et adhuc digitum suum tenentem super QUANDO VENIES AD ME, invenit; quem lacrymans, et in brachiis suis amplexatus ad ecclesiam extrahere cœpit dicens : « Mirabilis » Deus in Sanctis suis : ipse dabit virtutem, » et fortitudinem plebi suæ, benedictus » Deus ». Et sic in ecclesia pro modulo suæ fragilitatis Deo commendans eum sepelivit. F

Cunibertum filii sui magistrum occidi jubet.

ANNOTATA.

a *Famosa hæc Francorum regina anno* 613 *occisa est. Quam ob rem auctores parachronismum et Childebertorum confusionem notavimus in Comment. præv. num.* 9.

b Tungri *vulgo* Tongren, *antiqua urbs Belgii, de qua plura videri possunt apud Henschenium nostrum in Diatriba de Episcopatu Trajectensi lib.* II, § I.

c *Scribitur etiam* Lutsegart, Lucegart, *et* Leutgard, *quæ nomina videntur a Germanis trahere originem.*

d *Opinor, hic Actorum scriptorem alludere ad ea verba Psalm.* 77, *quæ de ingratis et pervicacibus Judæis dicuntur :* Conversi sunt in arcum pravum.

e *Parum verosimile est, tunc temporis in Belgio Cunibertum ad Græcam etymologiam vocis* ἔλεος, *id est* misericordia, *respexisse. Sed hæc est, ut arbitror, interpretatio scriptoris, se linguæ Græcæ non ignarum ostentantis.*

f Oleraverat, *id est,* oleribus conseverat. *Ita*

ex mss

Ita legendum potius, quam olivaverat, *ut habetur in Ms. Rothomagensi : nam terra hæc frigida olivis gignendis parum apta est.*

CAPUT II. *S. Helerii discessus e patria, aspera vita, miraculum insigne, peregrinatio in Normanniam et insulam Cæsaream, martyrium et corporis translatio.*

S. Helerius, sepulto magistro suo, patriam deserit.

Sepulto autem illo, flebilis et inenarrabiliter tristis, eadem nocte nutabundus abscessit. Perrexit autem discedens [a patria] per avia nemorum itinere dierum sex, et sic multum fatigatus fame, et dolore, et itinere ad civitatem pervenit Morinensem * *a*. Videns autem S. Helerius civitatem dixit : Deduc me in via tua, et ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum. Deus meus eripe me de manu peccatoris, et de manu patris mei contra legem agentis, et iniqui, quoniam tu es patientia mea. His dictis civitatem ingreditur. Erat autem tugurium mulieris viduæ juxta viam, quæ toto desiderio cordis Deo serviebat, ad quam S. Helerius casu subintravit, a qua sciscitari cœpit, an vellet illum pro Deo in suo hospitio colligere, donec recrearetur; quæ respondit, libenter se facturam quod quæreret. Mansit cum illa duabus hebdomadis, usque dum refocillaretur, et esse illius urbis addisceret, quod totum ei hospita enucleavit.

* *al.* Morianam

a

et apud Morinos quinquennio habitans corpus macerat.

16 Postea vero illum ad aliquam ecclesiam S. Mariæ Virginis aliquantulum ab accessu hominum remotam deduxit, et non infra urbis spatium, in qua Deo Beatus ille homo diu commilitavit : in illa enim Deo serviebat et carnem suam multimoda fatigatione edomabat. In imbraculo * *b* enim ostii illius ecclesiæ Deum diu noctuque exorabat taliter, ut contra scapulas et renes illius erant aculei ferrei infixi in pariete; et ante pectus illius erat stragula strata ad terram, sub qua erant quatuor clavi acutissimi, ut subula cerdonis *c*, infixi in terra, ne prostratus vel retro apodiatus repausaret. In stratu *d* vero pedum ejus duæ fossæ erant excavatæ usque ad genua, quas singulis diebus algenti latice subimplevit, in fundo quarum erant lapilluli minuti et asperrimi, qui basibus [illius] et plantis in tantum illimabant *e*, ut rupta cute aliquando guttæ nigerrimi sanguinis, aliquando vero minutim putrida caro et tabida caries intabescerent. Sicque sanctus Juvenis, et mortificationem Christi circumferens in carne sua, in illa urbe quinquennio [Deo] servire studuit.

* *al* umbraculo

b

c

d

e

Dein ab iis discedere cogitans.

17 Cum vero ab ecclesia ad domum supradictæ viduæ reverteretur, quamtulamcumque refocillationem sumpturus pane hordeaceo, et aqua vescebatur, et crudis herbis. Post namque mortem sui monitoris neque calceamentum, neque aliud pabulum præter panem, et aquam, et crudas herbas habuit. Penulla illius de suinis * pellibus erat, [superioribus vestibus honestis remanentibus.] Lectus illius erat ligneum scamnum in quo aliquantulum sua membra recreaturus acclinabat. Sanctum vero Euangelium fide et opere conservabat. Ægris medelam corporis, et animæ sanitatem præstabat. Jam jamque scintillula sanctitatis illius omnibus fere innotescebat. Ob hoc timens, ne venditio olei et popularis aura cursum beatitudinis suæ obtenebrascerent, aufugere meditabatur. Sed Dominus volens mirificare servum suum, noluit illum abire, donec illis, cum quibus degeret, declararetur, quis esset, ut et ipsi Deo adhærentes libentius servirent, et suos famulos reciperent, et ille securior de præmio cœptum cursum perageret.

* *al* caprinis

Puerum mortuum.

18 In eadem urbe erat quidam nobilis homo, nomine Rotaldus, habens uxorem miræ simplicitatis, quæ pepererat ei filium, quem in tantum dilexit, ut numquam pateretur eam nutriri lacte alterius. Jam nutriverat illum spatio anni unius, cum quadam nocte illum ablactaret, subito sopita somno fellifluo dæmonis, illum oppressit. Quæ evigilata de gravi somno extimuit, vocatoque suo paranympho, ut sibi lumen accenderet, flere cœpit; qui cum accenso lumine mox affuit. Cum autem esset intuita puerum ad lumen, cognovit esse illum exanimem. Quid plura? Adveniente aurora diei, rumor et planctus urbem concusserunt et præ foribus illius domus multos coadunaverunt. Qui cum multis lacrymis infantem in libitina positum ad ecclesiam apportarunt.

ad vitam revocare cogitur

19 Venientes igitur primates civitatis ad ad Episcopum illius urbis rogaverunt illum, ut ad B. Helerium pergeret supplicans illi quatenus ad ecclesiam, in qua corpus exanime jacebat, adveniret. Qui confestim cum paucis ad B. Virum profectus est. Audiens autem homo clamationem * imponi sibi, renuit. Victus tamen precibus, et doloribus illorum, flens, et ejulans ad corpus usque pervenit; deflexisque poplitibus humi juxta libitinam prosternitur dicens : Deus in cujus manu sunt omnium potestates, qui suscitasti puellam in domo clausam, et delatum filium viduæ ante portam Naim, tibi supplico, ut si tibi placet me fieri Christianum, placeat et tibi per suam sanctam pietatem resuscitari istum puerum. Surgente vero sancto Viro ab oratione, resurrexit puer a morte vociferans matrem, ut solito more lactaretur.

* *al.* elusionem

Postea ab angelo monetur ut adeat S. Marculphum.

20 Cum igitur populus hoc miraculum audiisset, [et vidisset] cœperunt Deum benedicere, et beatum Virum mirabiliter exaltare, Sed ille cupiens devitare populi clamantis laudem, et honorem, ad hospitium se proripuit. Media autem nocte sequenti dum pene vigilaret, quasi in exstasi repente factus est, apparuitque ei angelus Domini admonens eum, ut ab urbe discederet, et in Normanniam pergeret, ubi audiret B. Marculfum *f* esse ad locum, qui Nantus *g* vocatur, et addens : Ab illo equidem baptizaberis, et seriem vitæ gerendæ doceberis. Beatus igitur Helerius expergefactus, vale dicto hospitæ suæ, plorans ab illa discessit.

f *g*

In via, a dæmone

h

21 In crastino autem ad quemdam fluvium perveniens nomine Cancia *h* vocatum, diabolum obviam habuit interrogantem, quo pergeret; et dicebat : O carissime juvenis, cum possis repleri omnibus divitiis secularibus, cur

A cur solivagus ad inanem pauperiem raperis? Cui B. Helerius respondens, Vade, inquit, ad officium tibi injunctum, ex quo cadens de cælo nomen Luciferi perdidisti. His auditis dæmon confusus abscessit.

Fons sterilis salubris redditur.

22 Erat in eodem loco fons sterilis, de quo non erat aliquis ausus bibere, vel se lavare: quod si eveniret, vel febribus, vel insanabili languore percutiebatur. Quod audiens B. Helerius petiit sibi sal afferri, quod benedixit dicens: Deus, qui sterilitatem aquæ per manum Helisæi Prophetæ imposito sale benedicto sanasti, utque potabilis, et ad humanos usus habilis esset, indulsisti *; te deprecor, ut super hoc sal tua benedictio infusa sterilitatem, et malignitatem hujus aquæ evacuet. His dictis sal in modum crucis in aquam infudit, et postea rogans vasculum, inde potavit, et quicumque potare voluit. Inde adhuc incolæ illius patriæ a febribus, et languoribus liberantur, et vocatur fons S. Helerii usque in hodiernum diem.

*al. addulcasti

B

et S. Marculphum in Normannia invenit.

*al. Pontiliceuse

23 His ita transactis per Pontificense * i territorium pervenit S. Helerius ad Normanniam investigando ubi erat B. Marculfus, quem juxta Valedunam k super unum montium invenit, ubi erat ecclesia S. Mariæ Virginis constructa, in qua B. Helerium S. Marculfus in die Natalis Domini baptizavit. Tribus igitur mensibus B. Helerius et B. Marculfus locum, qui vocatur Nantus, simul Deo servientes inhabitarunt. Intrante vero mense quarto dedit B. Marculfus S. Helerio licentiam anachorizandi, et locum competentem ad id peregendum nomine Gersut * l indicavit, atque socium nomine Romardum, cujus societate [et adminiculo] ad locum perveniret, accommodavit.

*al. Gersich

cujus consilio discedit in insulam Cæsaream.

*al. Genets

24 Perrexerunt autem Romardus et B. Helerius usque ad locum qui vocatur Gemes * m: inde cum parva lintre usque ad insulam, quæ vocatur Gersut, Deo disponente, pervenerunt, in qua non plus quam triginta promiscui sexus invenerunt. Erant namque ibi rupes, in una quarum invenit B. Helerius paralyticum unum, et loripedem nomine Anchitilum *, quem per orationem suam, et per impositionem benedictionis suæ sanavit; quorum vestigia adhuc apparent in rupibus. Ceterum altrinsecus erat alia rupes septa utrobique a mari, in qua B. Helerius lectum suum non ostro, nec aliquo plumario instravit, sed sola incisura saxi, in quo, quamdiu vixit, qualitercumque caput suum reclinavit.

*al. Ascretillum

C

Quæ post tres annos ipsius et S. Marculphi precibus mirabiliter a piratis liberatur.

25 Tertio vero anno suæ ingressionis B. Marculfus ad S. Helerium venit, quem ita fatigatum, et macilentum vigiliis, et jejuniis invenit, quod vix illum recognoscere potuit. Videntes autem se Sancti præ gaudio fleverunt, et in amplexibus suis diutissime profusis lacrymis ora sua irrigarunt. Factum est autem cum esset B. Marculfus in insula, contingit adventare persecutionem Orcadum n cum XXX navibus, quas cum videret pædagogus B. Helerii subito venit ad eum dicens: Pater, numquid scis, nos esse circumseptos a piratis, et prædonibus?

26 Elevans autem B. Helerius caput suum, et aperiens oculos suos, longis vigiliis fatigatos, vidit piratas navigio appropinquantes. Venit ergo ad B. Marculfum, et interrogavit, quid agerent: cui ille respondit, quod ad arma divina diverterent. Sancti igitur prostrati ad orationem Dominum deprecati sunt, ut illos, et omnes alios ab illis latronibus liberare dignaretur. Descendit igitur ira Dei de cælo super piratas in tantum, quod cœperunt se invicem interficere, et interfecerunt ita unus alium, quod nullus ex tribus millibus, qui casum aliorum ad patriam nuntiaret, remansit. Sancti vero ab oratione consurgentes, ut viderunt se ereptos ab hostibus, benedixerunt Deum, qui salvat sperantes in se.

*Ex MSS.

S. Helerius divinitus præmonetur de imminente sibi martyrio.

27 Die autem tertio o post patriæ liberationem discesserunt B. Marculfus, et B. Romardus a B. Helerio numquam eum postea in hoc seculo visuri. [B. igitur Helerius et pædagogus ejus manserunt Domino servientes nocte et die]; beatusque Helerius sic carnem suam affligebat, quod non manducabat nisi semel in hebdomada, ut tali refocillatione sua membra sustentata liberius Deo servirent: erat enim ita fatigatus, ut per diem non iret, quantus est lapidis jactus. Quintodecimo igitur anno ingressionis suæ in insulam, apparuit ei Dominus Jesus Christus dicens: Veni dilecte mi; ad me usque ad tertium diem ex hoc mundo sanguine laureatus migrabis. Diluculo vero, recedente mari, venit pædagogus p ejus solito more ad eum: cui dixit, quod audierat. Unde ille tristis, et desolatus effectus est.

E

quod, amputato capite consequitur.

28 Altero autem die, stante austro, advenerunt Wandali q cum magna classe atque totam insulam adimpleverunt; sanctus vero Helerius non timore mortis, sed lassitudine latuit. Tamen, Deo volente, gemitibus avium ab Wandalis inventus est, qui videntes eum putaverunt delirum esse: sed unus eorum evaginato gladio caput ejus amputavit. Argumento cujus guttæ sanguinis adhuc apparent in silice, et semper apparebunt, dum terra in infinitum nomen convertatur r. Piratæ ergo transeuntes terram, trepidantes * recesserunt.

*al. terram depopulati

Corpus ejus

29 Veniens autem pædagogus ejus ad rupem invenit magistrum suum decollatum habentem caput suum inter brachia, sicut apportarat per sextam partem dimidii milliarii, scilicet a rupe usque ad certam terram. Videns autem mirabilia, quæ Deus in Martyre suo fecerat, Dei potentiam, qui Sanctos suos ita mirificat, collaudavit. Accepit ergo corpus domini sui, et in parva triremi imposuit, timens ne piratæ * [remeantes] sanctum corpus deturparent, et ingressus in illam ad caput domini sui sedit, et fatigatus dolore, et timore obdormivit: Dei vero inspirante gratia, navicula a confluentibus undis in alto mari rapitur, et per tot vertigines aquarum usque ad oppidum, quod vocatur Hermiarde, s invehitur.

F

prodigiose transfertur

30 Cum autem pædagogus se evigilasset, et omnia loca vidisset ignota, præter navim, obstupuit. Quod homines illius villæ videntes putaverunt esse phantasma. Sed postquam ab homine didicerunt, quid esset, magno gaudio gavisi sunt, et adduxerunt S. Gillebrium episcopum usque ad navim, ut videret, et intelligeret quid hoc esset. Ille vero postquam seriem rei cognovit, diligenter B. Helerii corpus ad Struenarlensem cum magnis laudibus deportari fecit. Ibique eum in nobili mausolæo

EX MSS.

mausolæo XVII Kalend. August. sepelivit. Ubi per orationes ejus fiunt divina miracula, ad laudem et honorem Dei, cui est honor, et gloria in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Ms. nostrum Gallicum hanc civitatem Morinensem receptissimo vocabulo recte vocat* Teruannam : *cum enim Teruanna esset Morinorum caput, potuit per antonomasiam civitas Morinensis appellari. Amplæ hujus urbis, quam Carolus V Imperator anno* 1553 *solo æquavit, hodie tantum tum rudera supersunt.*

b Imbraculum *hic sumitur, ni fallor, pro tecto, quia in illud decidit imber, vel imbricibus tegitur. Nisi forte quis cum Ms. Rothomagensi malit legere* umbraculum *pro loco ubi est umbra, qualis esse solet in porticu ecclesiæ.*

c *Ita necessario restituendus fuit hic locus ; quia in Ms. hic edito legebatur :* Deum diu noctuque exorabat taliter, ut contra spatulas et renes illius juxta strigliam *(ponitur* striglia *barbare pro strigili)* strictam ad terram, sub qua erant qua-
B tuor clavi acutissimi, ut subula alutoriis *etc. In Ms. autem Rothomagensi æque vitiose :* Deum die nocteque exorabat taliter, ut contra scatulas et renes illius erant aculei ferrei infixi in pariete ; et ante pectus illius erat stragula strata ad terram, sub qua erant quatuor clavi acutissimi et sub alutatoriis infixi in terra *etc.*

d *Id est eo loco, ubi pedes ejus quiescere debebant.*

e Illimabant *tamquam lima pedes radebant, ut ex sensu colligo.*

f *Istius Sancti Vita illustrata est primo die Maii.*

g Nantus *vel* Nanthus *in Vita S. Marculphi dicitur esse locus* in pago Constantino *situs. Nunc teste Adriano Valesio in Notitia Galliarum pag.* 369 *vulgo vocatur* Nanteüil. *Olim a rivo decurrente nomen accepit :* Nant *enim antiquis Britonibus dicebatur rivus aquæ defluentis, ut Giraldus Cambrensis docet.*

h Cancia, *vel* Quantia, *qui et* Quentus *dicitur vulgo* la Canche *fluvius, qui oritur in Artesia ac per Picardiam fluens in mare Britannicum se exonerat.*

i *Indicatur hic, ut puto, Pontivensis comitatus in Picardia, qui ab aliis* Pontinia, Pontus, Ponticum, *et vulgo* Le Ponthieu *dicitur. Jacet autem inter Quantiam fluvium et Boloniæ comitatum ad Septemtrionem, et Somonam fluvium ad Meridiem.* D

k *Adrianus Valesius in Notitia Galliarum pag.* 583, *erudite distinguit inter* Vallisdunum *situm in Caletis diœcesique Rothomagensi et* Vallisdunas *vel* Valedunas *in tractu Oximensi et diœcesi Sagiensi. Uter sit locus, de quo hic agitur, non facile dixero, nisi quis judicare velit posteriorem esse, quia major est affinitas inter litteras, quibus* Valedunæ *exprimuntur.*

l Gersut, *idem est quod* Gersich, Gerseium, Gersoium, Jarseia, *quibus omnibus nominibus eadem insula Cæsaria significatur; de qua sat fuse egimus in Comment. præv. num.* 1 *et* 2.

m *Suspicor esse pagum illum maritimum, qui in mappis Geographicis Normanniæ non procul ab Abrincis et portu S. Joannis designatur.*

n *Sic vocantur insulæ quædam Scotiæ ad Boream, in mari septemtrionali seu Caledonio. Forte illis piratis hoc nomen, indidit auctor, quia erant harum insularum incolæ. Tamen in utraque Vita S. Marculphi dicuntur fuisse Saxones.* E

o *In Actis jam aliquoties citatis dicitur S. Marculphus post hoc miraculum in eadem insula monasterium construxisse, et in eo monachos instituisse; quæ res plus quam trium dierum spatium exigit. Nisi quis hoc ita interpretari velit, ut id tantum ipsius jussu postea factum sit, de quo in his Actis* S. Helerii *nulla fit mentio.*

p *Qualis fuerit hic pædagogus nullibi exprimitur. Conjicio fuisse vitæ solitariæ socium vel magistrum. At quomodo auctor postea* S. Helerium *vocat hujus pædagogi magistrum ac dominum?*

q *Jam diu ante hæc tempora Wandali Gallias aliasque regiones devastaverant. Forte hic Wandalorum nomine, ut non raro fit, Septemtrionales piratæ intelliguntur.*

r *Mira sane phrasis ad exprimendum* dum stabit orbis ; *quod auctorem velle significare patet ex contextu.*

s *De hoc aliisque nominibus, pro diverso scribentium genio mutatis, sat fuse egi in Comment. præv. num.* 11 *et sequentibus.*

C F

DE S. MONULPHO EPISCOPO

TRAJECTI AD MOSAM IN BELGIO.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Sancti cultus, cujus occasione quoddam prodigium examinatur.

SUB FINE SÆC. VI. *Hac die colitur in Auctariis Usuardinis.*

T*rajectum ad Mosam, olim episcopalis Belgii civitas, de qua fuse egit Henschenius noster in Diatriba de Episcopatu Trajectensi atque iterum in Exegesi de eodem argumento ante Tomum* VII *Maii edita cap.* XII, *plurimos olim habuit præsules sanctitate et miraculis illustres. Inter eos hac die occurrunt* SS. Monulphus *et* Gondulphus, *ejusdem ecclesiæ episcopi, quorum Acta, quoad fieri poterit, elucidanda sunt. Martyrologia ac Breviaria eos plerumque* XVI *Julii tamquam socios conjungunt, quia tunc coluntur et in plerisque Mss. eodem die mortui aut sepulti fuisse traduntur. Nos claritatis causa de illis separatim agimus hac ipsa die, quamvis aliqui recentiores Martyrologi eos die* XXVI *Julii collocent, quia forte in quibusdam tabulis legerant, eos* VII Kal. Augusti *ad Dominum migrasse. At potius cum pluribus Mss. legendum videtur* XVII Kal. Augusti, *quo die vetustissima Usuardi Auctaria eos celebrant : nam codex Rosweydinus, Lovaniensis, Ultrajectinus, Leydensis, Danicus, Bruxellensis aliique de ambobus*

...rum aliqua ...dam hi... ...rum nar... rant.

A *bus eo die meminerunt, ut videre licet in Usuardo non ita pridem illustrato.*

2 *Mirabile magis est, quam credibile, quod quidam codices Usuardini addunt de prodigiosa horum episcoporum resurrectione. Codex Hagenoyensis sic habet:* In Trajecto super Mosam, depositio sanctorum confessorum Numolfi et Gundolfi, qui dicuntur illi duo defuncti episcopi fuisse, et per beatum Leonem Papam et ejus socios resuscitati, [*qui*] Aquensem ecclesiam cum aliis episcopis dedicaverunt. *Editio Lubeco-Coloniensis rem ita narrat :* In Trajecto inferiori (*antiqui* Trajectum superius *vocant*) super Mosam situatam *, sanctorum Monulphi et Gundulphi episcoporum et confessorum. Hi nutu Dei, ut fertur, vivi de eorum sepulcris surrexerunt, et cum beato Leone III Papa templum in Aquisgrano in honorem Dei Genitricis Virginis Mariæ consecraverunt. Quo facto Trajectum ad eorum sepulcra redierunt, et ad pristinam dormitionem se mutuò collocaverunt. *Codex Greveni miraculum refert his verbis :* Trajecto superiori super Mosam fluvium, sanctorum Monulphi et Gundulphi episcoporum et confessorum, quos ferunt de sepulcris surrexisse, et cum Leone Papa III templum Aquisgrani in honore sanctæ Dei Genitricis consecrasse, eoque officio expleto, in pristinam se quietem recepisse. *Notari hic velim particulas* dicuntur, ut fertur, ferunt, *ubique additas, quæ non historicam certitudinem, sed sæpe popularem quamdam traditionem significant.*

* ...o situato

AUCTORE G. C.

3 *Nihilominus huic narrationi præter quædam chronica adstipulatur Sanctorum illorum sepulcrum in Trajectensi S. Servatii ecclesia erectum, cui hodiedum insculpta legitur sequens inscriptio :*

quæ etiam inscripta legitur Sanctorum tumulo.

HOC
SACRO LOCO
SS. MONDOLPHI ET GONDOLPHI
B XII ET XIII EPISCOPORUM, E
HIC VI SÆCULO SEPULTORUM,
ANTIQUUM AC ALTUM E MARMORE
MONUMENTUM FUIT
CUM HAC MIRACULI ANNI DCCXCVII INSCRIPTIONE ;
EXCITUS HAC ARCHA MONDOLPHUS, AQUISQUE DICATO
GONDOLPHUS TEMPLO SE REDDIT UTERQUE IERARCHA :
QUORUM SACRÆ RELIQUIÆ
POST ANNO MXXXIX
A NITARDO LEODIEN. ET GERARDO CAMERACEN. EPISCOPIS
CUM CORPORIBUS SS. VALENTINI ET CANDIDI
AD CRIPTÆ ARAM EXALTATÆ,
ET ITERUM ANNO MDCXXIII
A CLERO SOLENNITER SPECTATÆ AC ORNATIUS REPOSITÆ ;
DEMUM ANNO MDCXXVIII
TOTIUS ECCLESIÆ PAVIMENTO INNOVATO,
ET D.° MONUMENTO HIC INFRA RECONDITO,
LAMINA HÆC
M. P.

...o parachronismus ...tatur.

C 4 *Imprimis video, in hac inscriptione esse manifestum parachronismum. Nempe in ea legitur, miraculum illud anno* 797 *contigisse in dedicatione ecclesiæ Aquisgranensis, cum tamen ea juxta Baronium aliosque tantum dedicata sit anno* 804, *quando Leo III summus Pontifex secunda vice ad Carolum Magnum in Germaniam venit. Imo ne quidem epocha anni* 797 *subsistere potest, si quis contendat in primo Leonis in Germaniam adventu eam ecclesiam consecratam fuisse, cum certum sit Leonem III anno* 799 *primum in Germaniam venisse. At facile in numerum, nondum a centum annis positum, hic error irrepere potuit. Ceterum ipsa stupendæ historiæ substantia mihi non satis certa videtur : nam mirum foret, rem coram tot testibus factam, a nullo synchrono litteris traditam fuisse. Mirum, ab Eginardo coævo et in rebus gestis Caroli Magni describendis diligentissimo hoc publicum prodigium omissum fuisse. Mirum denique, rem notatu dignissimam in Breviariis, Actisque Mss. miraculo posterioribus non exprimi.*

Joannes Placentius idem prodigium

5 *Plurimi recentiores hoc epitaphii testimonio nixi illud prodigium libris suis confidenter inseruerunt. Sed ne quid difficultatis dissimulare videar, Joannes Placentius ex Ordine S. Dominici, postrema* F *laminæ positione antiquior, testatur in Catalogo* omnium Antistitum Tungarorum, Trajectensium ac Leodiorum, *idem miraculum suo tempore Sanctorum sepulcro inscriptum fuisse : nam, interposita parenthesi incertitudinem rei indicante, sic loquitur post vitam* SS. Monulphi et Gondulphi : Quorum, *inquit,* tumba hactenus in navim Servatianæ basilicæ visitur, ibi utriusque gloriosa perseverat memoria. Cum enim Carolus Magnus Aquensem basilicam regia magnificentia exædificasset, essetque in votis tot accersire antistites illi consecrandæ, quot dies in annum recurrunt, et jam summæ duo deessent, aiunt, Monulphum et Gondulphum e sepulchro seu latebris emersisse, et illic ingenti affuisse miraculo. Qui (si libellis hujusmodi creditur) a Leone Quarto (*Tertium dicere voluit*) Pontifice Maximo benedictione accepta, inclinantes primo Aquisgrani, deinde etiam Trajecti se in mausoleum recepere.

probare nititur ex quibusdam monumentis.

6 *Deinde idem scriptor vulgarem hanc narrationem sic confirmare nititur :* Legi distichon (*idem, ni fallor, quod modo exhibui*) antiquissimis litteris in hac eadem tumba graphice exaratum,

[illegible] G. C.

exaratum, quod hæc ipsa aperte contestatur. Præterea Betasii talem inclinandi ritum, sibi velut a senioribus per manus traditum, incontaminante observant, quoties eam penetrant januam, qua Antistites sancti regressi creduntur. *Puto, quod per Betasios hic intelligenda sit gens Belgica antiquis historicis Romanis nota, de qua Henschenius in Diatriba de episcopatu Trajectensi lib.* I § III *sic scribit :* Reliquam autem Aduaticorum ditionem inhabitarunt Bethasii, quorum etiamnum vestigia remanent : nam ad Getam amnem in oppidi Haleni præfectura, pagus Betasia est, contracte Betsia vulgo Beets. *Sed quicumque sint, parum refert. Audiamus Placentium, idem argumentum ita prosequentem :* Confirmant ista, *inquit*, Brabantiæ Chronica in historia Caroli Magni libro secundo ad medium fere libelli, atque adeo multa vetustissima exemplaria Actorum episcopalium. *Dolendum sane, quod non indicaverit, cujus ætatis sint vetustissima illa Actorum episcopalium exemplaria : sic enim forsan primum prodigiosæ hujus historiæ inventorem potuissemus deprehendere. Ego interim in omnibus nostris Actis Mss.,* B *ut supra monui, nullum hujus miraculi vestigium invenio.*

quibus non obstantibus illud negat Fisenus,

7 *Parum hisce chronicis aliisque scriptis, vage citatis, moretur noster Bartholomæus Fisen, dum in Historia Ecclesiæ Leodiensis lib.* V *ad annum Christi* 799 *num.* 26 *de Leonis Papæ et Caroli Magni congressu, ac templi Aquisgranensis consecratione agens ita rotunde pronuntiat :* Nobilissimum fuisse conventum nemo dubitaverit, quando congrediebantur ambo summi Christiani nominis principes. Fabulosum tamen arbitror, quod nostratium plerique tradiderunt, desiderasse regem, adesse tot episcopos, quot annus totus dies numerat ; qui post dicatum templum de Christianæ reipublicæ rebus consilia agitarent. Verum cum regis voto bini deessent episcopi, surrexisse de sepulcris suis Trajecti duos Monulfum et Gondulfum vita defunctos ante aliquot secula, et Aquis in istum se cœtum dedisse. Quo denique dimisso, ad sua sepulcra redierint. Falsum, inquam, id censeo : veterum enim scriptorum nemo prodidit, ullum Aquis habitum fuisse a Leone concilium. Quod C celebratum est anno seculi sequentis nono ; Leonem abfuisse certum est, Romæque postea probasse decreta Patrum Aquis congregatorum. Denique si tanto prodigio viventibus se inseruissent mortui pridem episcopi ; neque umquam siluissent prisci illi scriptores, qui vel ediderunt, quæ oculis hauserant, vel illis temporibus proximi vixerunt, cum id tantopere faceret ad Caroli gloriam. Neque orbi Christiano mansisset ignotum, quod in oculis tot episcoporum, in suas deinde diœceses redeuntium, evenisset. Et vero auctoritatem concilio non levem addidisset ejuscemodi prodigium ; eaque causa vel sola numquam silentii tenebræ tanti momenti rem abdidissent.

In primis scripta missam apologiam [illegible], perperam [illegible]

8 *Scio equidem Hadelinum Junium, Trajectensis ecclesiæ Canonicum, anno* 1649 *apologiam scripsisse contra P. Fisenum, atque inter alia in eum impotenter invehi, quia stupendam hanc historiam, coævis testimoniis destitutam, in dubium revocaverat. Verum hæc apologia barbaris phrasibus, puerilibus dicteriis, aliisque ineptiis scatet, et fundamentis adeo infirmis nititur, ut commiserationem potius quam refutationem mereatur. Specimen* D *accipe in ea, de qua agimus, materia. Imprimis bonus ille canonicus affert inscriptionem Belgicam, nulla temporis nota distinctam. Deinde citat duos versiculos tumulo inscriptos. Denique, acsi res ad triarios rediisset, firmissimum suum argumentum P. Fiseno opponit.* Tertium, *inquit*, ejusdem miraculi testimonium est, quod certa imago Deiparæ Virginis, adhuc hodie videatur posita foris super vestibulum nostri templi portæ, quæ vocatur BEATA MARIA AQUENSIS ; ideo nimirum, quod præfati Sancti redeuntes Aquisgrano Trajectum, inibique recta platea ad suum tumulum palpabiliter procedentes, referuntur tunc per cives Trajecti viventes, visi ante introitum nostri templi portæ inclinasse ambo, honoris ergo, capita sua dictæ imagini. *Tunc quasi obtenta jam victoria gloriabundus exclamat :* Quid ad hæc diceret Fisen? *Si Fisenus ad similes nugas respondere voluisset, dixisset haud dubie, totam illam assertionem inniti levibus vulgi narratiunculis, nescio quo primum tempore fabricatis. Peteret sibi probari allatorum monumentorum antiquitatem. Merito in dubium revocaret, an jam eo tempore,* E *quo novum templum Aquisgranense Deiparæ Virgini dedicabatur, jam* Beata Maria Aquensis *supra portam ecclesiæ Tr[illegible]jectensis collocata fuerit.*

9 *Ceterum quam credulus fuerit bonus ille vir, vel ex eo satis apparet, quod acriter objurget P. Fisonum, quia S. Servatii cum Christo cognationem, et longævam trecentorum annorum ætatem negaverat. Juvat ipsum audire quantumvis iratum, et post straminea sua argumenta sic concludentem :* Verum acerrimus censor ille (*scilicet Fisenus*) contra ecclesiæ doctrinam præ ceteris sapere præsumpsit, neutiquam tamen nunc, prout nec tunc, prudenter ; et in indifferentibus sentiendum est, ut plures. Is vero volens sciolus solus videri, inconsiderate subministravit ipsis, qui foris sunt, ansam improperandi Catholicos præcones referre plebi fabulas, unde scandalum perniciosum. *Quasi vero non liceat viris eruditis, qualis fuit P. Fisenus, in historiæ veritatem inquirere, et ex ea fabulas eliminare. Certe Henschenius noster, acerrimus alioquin ecclesiæ Trajectensis defensor, eamdem de S. Servatio fabulam explosit in Exegesi cap.* II. F *Nos porro idem opus prosequentes quotidie improbum laborem impendimus, ut in Sanctorum Legendis vera a falsis discernamus. Quod autem addit Junius de dato heterodoxis scandalo, frivolum est : nam potius illis præbetur scandalum, dum vident stupendas historias sine ullo rationum pondere pertinaciter defendi ; contra vero dum animadvertunt, ab ipsis Catholicis Acta Sanctorum, quæ interdum ab otiosis hominibus citra ullum veri discrimen conscribebantur, diligenter discuti, et genuina a fictitiis distingui, paulatim ea, quæ antea spernebant, pluris facere incipiunt, et ad Catholicam fidem amplectendam inducuntur, uti fusius ostendit Papebrochius in Responsionibus ad articulum 2, num. 33 et 34. Præterea si heterodoxi, pervicaci malitia et superbia non excæcati, Acta nostra legerint, videbunt continuam Ecclesiæ traditionem, et religionis Catholicæ veritatem, tot tamque certis miraculis confirmatam, ut ad fidem nostram demonstrandam dubiis, multo [illegible]inus falsis historiis, opus non esse ultro confessuri sint.*

Hadelinus Junius vir nimis credulus.

10 *Petrus a Beeck B. Mariæ canonicus et ad D. Adalbertum Præpositus in sua Historia Aquisgranensi anno* 1620 *impressa, cap.* IV *agens de celebri*

Canonicus Aquisgr[illegible] caute idem miraculum narra[illegible].

A *lebri hujus ecclesiæ consecratione, modestius et cautius eamdem* SS. Monulphi *et* Gondulphi *resurrectionem sic narrat:* Acta sacratio anno gratiæ DCCCIV, præsentibus quamplurimis Metropolitanis, Episcopis, Abbatibus, in frequentia Ducum, Marchionum, Comitum etc. Admiratione dignissimum est, quod referunt plurimi Chronicarii, et ex iis etiam P. Petrus Canisius in suo Martyrologio; licet alii hanc narrationem ad lapidem lydium examinandam censeant, quod cum Christianissimus imperator Karolus ad dedicationem hujus magnificentissimæ basilicæ tot adesse voluisset episcopos, quot in anni circulo sunt dies, hoc est trecentos sexaginta quinque; ac duo deessent, Monulphus et Gondulphus Tungrenses Præsules, fato functi inhumatique in medio ecclesiæ Trajectinæ ad Mosam, D. Servatio sacræ; e suis latebris emerserint, et hic ingenti gaudio affuerint; consecratione rite peracta acceptaque benedictione ab Apostolico, cunctis stupore defixis, recesserint sua monumenta repetentes. *Fateor me esse ex numero eorum, qui censent,* hanc narrationem ad B lapidem lydium examinandam, *atque adeo prodigiosam illam historiam a me admittendam non esse, donec Trajectenses aut quicumque alii solida antiquitatis testimonia protulerint. Sed ne diutius iis immoremur, ad Sancti nostri cultum redeamus.*

Florarium Ms. tradit compen-[illegible]

11 *Florarium nostrum Ms. de utroque episcopo hanc habet annuntiationem:* In Trajecto super Mosam, depositio sanctorum episcoporum Monulphi et Gondulphi. Collecta. *Deinde de* S. Monulpho *sic prosequitur, et sequens texit elogium:* Quorum primus erat heres et dominus oppidi Dynantensis, jam proh dolor nostris temporibus destructi, scilicet anno salutis MCCCCLXVI; omniumque prædiorum suorum sanctum Servatium scripsit heredem. Templum aliud super membra sancti Servatii construxit, et id in altiori loco, eodem tamen, transtulit, ad ecclesiam septimo Idus Julii dedicavit. Is fundavit Trajecti ecclesiam beatæ Mariæ, ubi sedem transtulit episcopalem: transtulit etiam corpus sancti Servatii. Hic visitaturus castrum hereditatis suæ, ut dictum est, Dyonantum, transiens per silvam delectabilem juxta fluvium Legiam, vidit signum C crucis instar ignis rutilantis de terra usque ad cælum elevari. Eja, inquit fratres, comitibus suis: Legia est locus, quem Dominus elegit ad salutem multorum, quæ per merita cujusdam servi sui postmodum magnifice illustrata summis æquabitur civitatibus; in qua etiam idem servus Episcopus nostræ ecclesiæ martyrizabitur. Oratorium igitur in loco visionis ad honorem Cosmæ et Damiani dedicavit. Tandem videns beatus Monulphus finem sibi imminere, omnibus benigne peractis, feliciter migravit ad Christum. Sepultus in medio ecclesiæ Servatianæ, sicut et usque hodie claret. *Eadem ferme habet Magnum Chronicon Belgicum anno* 1607 *Francofurti a Joanne Pistorio editum. Quomodo autem intelligi possit, quod hic obscure et confuse indicatur de translatione sedis episcopalis, explicat Henschenius noster in Exegesi tomo* VII *Maii præfixa cap.* IX.

[illegible] Martyro[illegible] cele-[illegible] Breviaria [illegible] Tra-[illegible] et Leo-[illegible]

12 *Præter Molanum, Felicium, Galesinium, Ferrarium, Saussayum, Castellanum aliosque recentiores Hagiologos, qui de utroque Sancto nostro meminerunt, præcipue* S. Monulphum *celebrant antiqua Breviaria. Vetus Breviarium Tungrense colit eos sub ritu duplici, et vitam* S. Monulphi *describit novem propriis lectionibus, quæ cum Actis, postea primo loco dandis, ferme conveniunt. Antiquum item Trajectense* Breviarium secundum ordinarium ecclesiæ sancti Servatii *celebrat festum eorumdem Sanctorum ritu triplici, ut olim loquebantur, et utriusque gesta in Lectionibus et Responsoriis refert eo fere modo, quo in Actis postea excudendis continentur. Quare illud Officium hic exscribere operæ pretium non est. In Breviariis Leodiensibus, anno* 1514, 1520, 1558 *impressis, tantummodo fiebat de his Sanctis episcopis commemoratio sub hac collecta:* Exaudi Domine populum tuum, et sanctorum confessorum tuorum atque pontificum Gondulphi et Monulphi solennia celebrantem et temporalis vitæ tribue pace gaudere, et æternum reperire subsidium. Per *etc. In Officiis autem ecclesiæ Leodiensi propriis, anno* 1623 *editis, et Breviario ejusdem ecclesiæ anno* 1636 *typis excuso fit Officium semiduplex, in cujus secundo Nocturno recitantur tres Lectiones sequentes.*

cujus postremi Lectiones propriæ exhibentur.

E 13 LECTIO IV. Monulphus genere et virtutibus nobilis beato Domitiano vicesimus primus ordine successit Tungrensis episcopus, homo justus, doctor bonus, orphanorum et peregrinorum pater. Hic, Tungris devastatis, Trajectum devotione erga sanctum Servatium frequentans, ad ejus sepulcrum Deo superædificavit templum, et collatis sui patrimonii prædiis, clericos ibidem divino servitio instituit. LECTIO V. Diversa quoque tum ibi, tum aliis locis sacra erexit ædificia. Inter quæ, et suborta etiam illi ad Legiam splendidissimæ crucis apparitione, prophetico eum prænuntiasse spiritu, locum illum a Deo ad multorum salutem electum, ac meritis alicujus servorum Christi, summis civitatibus adæquandum; insuper oratorio ibidem ad honorem sanctorum Cosmæ et Damiani martyrum constructo, primordia ecclesiæ civitatique Leodiensi excitasse, constans traditio est. LECTIO VI. Martyrium postea confecit eodem loco sanctus Lambertus Tungrensis etiam episcopus, cujus merito paulatim is in tantam civitatem et provinciam evectus est, ut non vanum fuisse Monulphi oraculum satis comprobet. Præfuit autem triginta novem circiter annis; eique in pace F defuncto, ac in basilica sancti Servatii prædicta sepulto, successit Gondulphus, generis etiam nobilitate et vitæ sanctimonia, eruditioneque conspicuus: qui cum gregem sibi commissum septem circiter annis curasset, ac interea vicinis etiam populis adhuc infidelibus magno fructu euangelizasset, quievit in Domino, et juxta beatum Monulphum sepultus est.

Baldericus s[illegible] ptor sæc. XI [illegible] illius transla-[illegible] tione meminit.

14 *Antequam hunc paragraphum concludam, juvat præcipuum antiquæ venerationis testimonium, etiam in lamina sepulcrali indicatum, hic ex auctore synchrono proferre. Est is Baldericus, primo aliquot episcoporum Cameracensium secretarius, ac postea Noviomensis et Tornacensis episcopus, qui sæculo* XI *de* SS. Monulphi *et* Gondulphi *translatione, circa annum* MXXXIX *facta, sic scribit in Chronico Cameracensi lib.* III, *cap.* LVI. Subsequente autem mense Augusto, cum ipso rege Trajectum venit Domnus Episcopus (*videlicet Gerardus I Cameracensis antistes*) et rogatu episcopi Nihardi levavit corpora sanctorum confessorum Gondulphi et Monulfi, acceptis sibi inde

inde reliquiis; et consecrata est ibi ecclesia in honore sancti Servatii. *Plura de hac re videri possunt tom.* II *Junii die* VII, *de SS. Valentino et Candido pag.* 11 *et* 12. *Hactenus dicta ad horum Sanctorum cultum stabiliendum sufficiant. Jam varios Actorum scriptores enumeremus, ac dein aliquas Vitæ Monulphianæ partes illustremus.*

§ II. Sancti Acta, stirps, episcopatus et mors.

Scriptores noti,

P*rimus et* S. Monulpho *synchronus Gregorius Turonensis de miraculo S. Servatii Trajectensis episcopi sepulcro agens in libro de gloria Confessorum cap.* LXXII, *eadem occasione de Sancto nostro sic meminit:* Procedente vero tempore adveniens in hanc urbem Monulfus episcopus templum magnum in ejus honorem construxit, composuit, ornavitque, in quod multo studio et veneratione translatum corpus magnis nunc virtutibus pollet. *Alter est Harigerus abbas Lobiensis, qui exeunte sæculo* X *floruit, atque* B *apud Chapeavillum tom.* I, *cap.* XXXII *de Sancto nostro episcopo sic scribit:* S. Domitiano rebus humanis exempto, et apud Hoyum in ecclesia sanctæ Dei Genitricis sepulto, beatus Monulphus successor, episcoporum vigesimus primus in sancti viri (*scilicet Servatii*) honore templum honorificum erexit, et ejus corpus cum digna reverentia in eo transvexit, sedemque pontificalem illic deinceps esse constituit, in cujus ecclesiæ medio corpus suum humari mandavit. *Denique tertius scriptor, quem novimus, est Ægidius Leodiensis ex Ordine Cisterciensi Aureæ-Vallis monachus, qui circa medium sæculi* XIII *vixit. Is Harigeri abbatis Lobiensis et Anselmi canonici Leodiensis scripta additionibus auxit, atque inter alia res a* SS. Monulpho *et* Gondulpho *gestas copiose posteritati tradidit. At cum illæ a Chapeavillo tom.* I, *cap.* XXXIII *editæ sint, et a Mss. nostris parum differant, ea hic jam recensebimus, et ex iis postmodum unum alterumve typis committemus.*

et Mss anonyma

16 *Sunt penes nos quinque Mss. exemplaria, quæ Vitam* S. Monulphi *continent. Primum quidem est ecgraphum Rubeæ-Vallis, quod est Canoni-* C *corum Regularium S. Augustini cœnobium, non procul Bruxellis dissitum. Id autem desumptum est ex Ms. Hagiologio Brabantino, quod ibidem hactenus conservatur. Convenit quoad substantiam cum editione Chapeavilli, exceptis paucis, quæ suo loco indicabo. Alterum Ms. erutum est ex bibliotheca Canonicorum Regularium S. Martini Lovanii, quod ad distinctionem Lovaniense appellabimus. Maxime illud convenit cum Lectionibus, in veteri Breviario Trajectensi impressis. Tertium exstat in codice nostro Ms., qui episcopos Trajectenses ordine recenset, eorumque gesta describit. Codicis antiquitatem ignoro; saltem ex characteribus non apparet admodum antiquus. Illius scriptor episcopatus epocham, ab aliis omissam, satis recte annotavit; sed hinc inde Acta longioribus phrasibus, et sententiis, e sacra Scriptura depromptis, amplificavit. Quapropter eum ceteris posteriorem esse suspicor.*

quæ S. Monulphum memorant.

17 *Quartum Ms. prodit e bibliotheca Ultrajectina S. Salvatoris, quod aliis brevius est, atque adeo vestutius videtur, quamvis illius ætatem exacte non noverim. Illud, observatis variationibus notatu dignis, post hunc Commentarium primo loco edemus. Quintum denique est fragmentum* D *quoddam Actis S. Servatii immixtum, quod ideo typis mandabimus, quia auctoris ætas aliquatenus colligi potest: nam scriptor narrans miracula S. Servatii, inter alia narrat unum,* quod *inquit,* in gloriam viri, nostrique beatissimi Servatii nuper fecit manus excelsa Altissimi. *Deinde in fine sic concludit:* Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis MLXXXVIII, Indictione XI. *Suspicor auctorem esse Jocundum presbyterum qui, teste Henschenio in Annotatis ad miracula S. Servatii cap.* VIII, *Historiam Servatianam concludit eodem anno* 1088. *De hujus scriptoris levi credulitate plura habet idem Henschenius in Commentario prævio ad Vitam S. Servatii cap.* III, *et in Exegesi jam aliquoties citata cap.* II. *Cum tamen aliorum Mss. ætas nos lateat, hoc postremum scriptum, quamvis non undequaque probandum, etiam vulgabimus et secundo loco curiosi lectoris oculis subjiciemus, postquam aliqua Actorum puncta prius discusserimus.*

Ex unanimi scriptorum consensu,

18 *Quidam scriptores nobilem* S. Monulphi *prosapiam obscurius, alii clarius expresserunt. In Ms., quod secundo loco edemus, ita legitur num.* 1: Descenderat autem hic ex magnis nata- E libus regum Francorum, et divinæ atque humanæ scientiæ litteras accepit in aula eorum. *Postea num.* 2 Castrum Deonantum *vocatur ejus* hereditarium bonum. *In Ms autem Lovaniensi ejus nobilitas generatim sic indicatur:* Sanctus Monulphus, cui nobilitate et sanctitate non erat secundus, in pontificali regimine sanctæ Trajectensis ecclesiæ jam vicesimus primus successit. *Eodem fere modo habent Breviaria et Acta nostra Mss., quæ etiam de castro Dionantensi, tamquam illius hereditate, meminerunt. Attamen in Ms. Rubeæ-Vallis tantummodo dicitur* tam generis quam morum præclarus nobilitate, *at de castro Dionantensi nulla fit mentio.*

fuit nobili stirpe genitus,

19 *Codex noster Ms., Trajectensium Episcoporum gesta describens, stirpem illius magis distincte determinat hoc modo:* Hic tam generis, quam morum nobilitateque præclarus [erat]: fuit namque filius comitis Dyonantensis, ex filia comitis Hostiensis, et cantor ecclesiæ Trajectensis superioris. *Fortasse hunc codicem vidit Joannes Placentius Dominicanus, quando in suo Catalogo sic* F *scripsit:* Monulphus collegii Servatiani cantor, filius regis Dionanti ex Hostiensis comitis filia, habenas moderari cœpit anno salutis quingentesimo sexagesimo primo. *Jam dudum Majores nostri in Appendice* 2 *ad Exegesin, tomo* VII *Maii præmissam, observarunt, perperam scriptum esse* Hostiensis *pro* Diostensis. *Jacobus Lobbetius noster in Gloria Leodiensis ecclesia cap.* III *ait, quod fuerit* S. Monulphus Dionantensis toparchæ filius, ex filia comitis Loffensis. *In Appendice proxime citata etiam ostenditur, quod idem fuerit comitatus Lossensis ac Diostensis. Quidquid sit, ex communi Actorum consensu patet,* S. Monulphum *nobili stirpe progenitum et castri Dionatensis heredem fuisse. Nunc aliqua ad episcopatum ejus spectantia discutiamus.*

et verosimiliter episcopus Trajectensis ad Mosam.

30 *Præcedenti potissimum sæculo inter eruditos orta est quæstio, an Trajectum ad Mosam habuerit aliquando proprios suos episcopos, aliis id asserentibus, aliis autem acriter negantibus. Henschenius noster ecclesiæ Trajectensis defensionem suscepit, atque in Diatriba ac postmodum in Exegesi jam sæpe memorata demonstravit, S. Servatii successores*

A cessores usque ad S. *Hubertum, proprie dictos fuisse episcopos Trajectenses, licet interdum Tungrenses appellentur, eo quod decem eorum prædecessores Tungris habuerint episcopalem cathedram, quam S. Servatius primo Trajectum ad Mosam transtulit. Opposuerunt se quidem Henschenio varii scriptores, sed irrito hactenus conatu : nam talia sunt sententiæ illius argumenta, ut quemvis, patriæ amore aut aliis motivis non præoccupatum, ad agnoscendam veritatem movere debeant. Quare Magistri mei opinionem hic amplector, et* S. Monulphum *Trajectensem episcopum fuisse affirmo; verum, ne actum agam, æquum lectorem ad illius rationes in citatis opusculis expendendas mitto. Interim alia examinemus.*

... computu nunc ... ordine XI et XII Trajectensis et XXI Tungrensis.

21 *Quæri posset, quotus fuerit ecclesiæ Trajectensis episcopus, cum Acta in eo computu plurimum differant. Quædam enim eum undecimum, alia duodecimum, alia denique vigesimum primum appellant. Sed hanc computandi rationem, quantumvis diversam, facile conciliabimus, si meminerimus, Tungrenses episcopos, ex quibus orti sunt Trajectenses, interdum ita computari, ut unam eamdemque episcoporum constituant seriem. Co-* B *dex noster Ms. continens Historiam episcopalem ecclesiæ Trajectensis ad Mosam sic Sancti Vitam inchoat :* Monulphus in regimine sanctæ Trajectensis ecclesiæ duodecimus episcopus, omnium gratiarum possessione pleniter suffultus, beato Domitiano successit. *Recte* duodecimus, *si annumeretur S. Servatius, qui cathedram episcopalem primus Trajecti collocavit. Etiam cum aliis scriptoribus vocari potest* undecimus, *si, relicto S. Servatio Tungrensi et Trajectensi episcopo, initium sumatur a S. Agricolao, qui tantum Trajecti primus sedit. At quo pacto, inquies, dici poterit fuisse* vigesimus primus, *quemadmodum habent Harigerus Lobiensis abbas, Ægidius ab Aurea Valle, aliique Actorum scriptores? Si nempe, ut supra innui, Tungrenses et Trajectenses præsules una serie numerentur, et exordium ducatur a S. Materno primo Tungrensium episcopo,* S. Monulphus *erit ordine vigesimus primus, uti manifestum fiet intuenti Catalogum Henschenianæ Exegesi præfixum. Recte hanc distinctionem facit Magnum Chronicon Belgicum, quod a Pistorio editum sic habet pag.* 20 : Sanctus Monulphus XXI Tungrensis episcopus, et XI Trajectensis cœpit C anno Domini DLX. *Nunc de episcopatus epocha pauca addamus.*

... probabiliter adiit anno ...

22 *Pleraque Mss. nostra episcopatus epocham non signant. Solus codex Ms. Trajectensis eam sic diserte exprimit :* Postquam autem unanimi consensu plebis et cleri, una cum regni principum auctoritate ad Trajectensis ecclesiæ cathedram esset admissus circa annum Domini quingentesimum sexagesimum primum, ut amplificaret Dei sanctitatem, templum aliud novum atque majus erexit. *Hunc annum etiam sequitur Joannes Placentius aliique recentiores ; alii tamen episcopatum ejus uno alterove anno priorem faciunt. Lobbetius noster in Gloria Leodiensis ecclesiæ pag.* 46 ; *notato in margine anno* 571, *cum decennio posteriorem facit. Magnum Chronicon Belgicum, ut numero præcedenti vidimus, episcopatus ejus initium anno* 560 *collocat. Placet mihi præ ceteris epocha codicis Trajectensis vel Magni Chronici Belgici, quamvis exacte definire non possim, uter annus sit præferendus. Cum enim S. Domitianus,* S. Monulphi *decessor, obierit circa annum* 560, *ut in Commentario prævio ad illius Vitam die* VII *Maii illustratam traditur, potuit ei* S. Monulphus *anno eodem vel sequenti succedere. Nec verosimile est, inter illius et S. Domitiani episcopatum magnum intervallum fuisse, cum nulla dilationis causa appareat aut assignetur.*

AUCTORE G. C.

et rexit triginta novem annis.

23 *Ex episcopatus initio, circa annum* 560 *vel* 561 *fixo, colligi posset annus, quo Sanctus noster vita functus est, si de episcopatus duratione certo constaret. Sed hic iterum Mss. nostra inter se discrepant : etenim illud, quod secundo loco hic edemus, in fine sic habet :* Considerans tandem finem vitæ imminere, in medio ecclesiæ, in qua non minus atque XLII annos sederat, designavit locum sepulturæ et in Domino obdormivit. *In Ms. Rubeæ Vallis ita legitur :* Omnibus vero digne peractis, in medio ecclesiæ, in qua fere XL annis fuerat episcopus, designavit locum suæ sepulturæ. *Codex Trajectensis etiam notat, eum* circiter quadraginta annis *ecclesiæ Trajectensi præfuisse. Ms. Lovaniense ait, eum* in medio ecclesiæ, in qua per XXXIX circiter annos fuerat episcopus, *sepultum fuisse. Eodem modo loquitur Ægidius Aureæ Vallis, et Breviarium Leodiense. Ms. nostrum Ultrajectinum, mox primo loco exhibendum, Magnum Chronicon Belgicum, Joannes Placentius,* E *Fisenus noster, aliique scriptores diserte asserunt,* S. Monulphum *triginta novem annis ecclesiam suam rexisse. Cum igitur ex plurium consensu hæc* XXXIX *annorum gubernatio probabilior videatur, et verosimiliter anno* 560 *inceperit, mortem ejus plane sub finem sæculi* VI *colloco, licet Claudius Robertus in sua Gallia Christiana, et Sammarthani in Catalogo episcoporum Leodiensium illius mortem anno* 609 *figant. Jam duplicia Sancti nostri Acta, de quibus jam abunde diximus, subjungemus.*

VITA PRIMA

Auctore anonymo

Ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris cum aliis quatuor Mss. collato.

F

S. Monulphus, exstructa S. Servatio ecclesia, Leodium venit,

Defuncto beato Domitiano *a*, beatus Monulphus in pontificali sede vigesimus primus Tungrensis *b* successit episcopus. Hic tam genitura, quam morum præclarus nobilitate, ut amplificaret Dei sanctitatem, templum aliud, atque amplius construxit, et beati membra Servatii in eodem loco altiori transtulit, miroque modo decoravit, ac septimo Idus Julii dedicavit. Dyonantum *c* deinde visitaturus castrum hereditarie suum, in proficiscendo cominus conspicatur villam in valle sitam inter opaca nemorum, inter ardua montium, fontibus atque fluviolis per prona decurrentibus valde delectabilem, atque irriguam : nam ab occidentali, et septemtrionali plaga, montibus, et siluis maximis claudebatur ; per meridionalem vero partem Mosæ * fluvius, reducto et curvato paululum sinu ambiens, inaccessibilem faciebat.

* al. Mosa.

et prophetico spiritu secuturam ejus celebritatem prædicit.

2 Hunc locum cum beatus Monulphus episcopus quadam die cum suis comitibus intrasset, et captus situ, et amœnitate ejus substitisset, vocabulum loci quæsivit, et Legiam *d* nominatam audivit, moxque prophetico

Ex MSS.

tico tactus spiritu : Eja, inquit adstantibus, locum quem Dominus ad salutem multorum suorum fidelium elegit, et quem per merita cujusdam servi sui postmodum magnifice illustratum summis civitatibus æquabit, statimque descendit, et locum orationis designavit, constructamque ecclesiam in honore sanctorum Cosmæ, et Damiani martyrum, Domino consecravit, quam postmodum sanctus Lambertus *e* martyr, suo sacro sanguine nobilitavit. Pontifex vero Monulphus rediens Dyonantum, omnium prædiorum suorum beatum Servatium *f* scripsit heredem, cujus devotionis plenariam a Domino recepit mercedem. Quod etiam sic sensibiliter probatum est.

Principis animam

3 in diebus ipsius sacerdotii quidam de magnis principibus obiit, illumque Sanctus sepelire rogatur. Surrexit propere, et ecce habet obviam grandem et tenebrosam silvam, dæmonibus, ut aiunt, errore gentilium olim dedicatam. Quam ingressus cum famulis suis, quasi fremitum equorum, rugitum leonum, aliarumque bestiarum voces diversas sensit, in quorum medio tamquam parvulum amarissime flentem, et sine intermissione clamantem : Currite omnes, et succurrite audivit. Sistit gradum, signare se cupit, levat manum, riget dextera, silet lingua, frons pallet, oculi languent, vox faucibus hæsit, coma in vertice stetit, horror et mœstitia sicut nubes obduxerat floridam Pontificis faciem, ipsi etiam pueri ejus majores quoque et fortiores hoc terrore prostrati in terram ceciderunt quasi mortui.

e purgatorio liberat.

4 Post hæc Antistes reversus in se, levansque oculos, vidit juvenem vultus pulcherrimi adstantem sibi, et dicentem : Confortare Pater, et formidare noli : ex voluntate enim Omnipotentis, hoc judicium videre meruisti : nam anima principis quam commendare venisti, a spiritibus immundis *g* tenetur, affligitur, cruciatur, et nisi cito accurreris, ad inferni *h* claustra detrahent eam. Redi ergo in civitatem ad tuos, et orationes, eleemosynas, jejuniumque fac fieri in universo populo. Postea vero cum hic regressus fueris, si nihil horum audieris, tuis orationibus Altissimo oblatam, et in pace noveris eam receptam. Hoc dicto pueros Antistitis levavit, atque confortavit et postea recessit, et omnibus rite peractis, tertia lux oritur, Pontifexque eamdem silvam ingreditur, et ecce silentium, pax ubique et gaudium. Ergo lætus pertansit, mortuumque sepelivit, proponens in medio, quæ viderat in eremo *i*. Qui prius flebant, et dolebant, [gaudebant] glorificantes eum, cujus precibus erat ab inferis liberatus.

et ostensa sua erga S. Servatium munificentia, sancte ex hac vita migrat.

5 Regressus autem Pontifex beatum Servatium, per quem Dominus suo tempore terrigenis plurima præstitit beneficia, mirabiliter glorificabat in auro, et argento, et quibus in ministerio opus est divino, addens familiam et prædia, cum in terrenis possessionibus esset locupletissimus. Videns autem sibi imminere finem vitæ, non expavit, sed confortatus in Domino, cunctum populum per triduum sine intermissione docuit, et monuit, ut semper parati essent occurrere Christo, quasi venienti ad judicium. Omnibus vero digne peractis, in medio ecclesiæ in qua per triginta novem annos fuerat episcopus, designavit locum sepulturæ, ubi sepultus est cum magno honore XVII Kalend. Augusti, sicut hodie videtur in eodem templo.

ANNOTATA.

a *Vita hujus S. Præsulis ad diem* VII *Maii in Actis nostris illustrata est.*

b *Quo pacto vocetur* XXI *episcopus Tungrensis in Comment. præv. num.* 21 *explicatum est.*

c *Dinantum seu Dionantum, vulgo* Dinant, *oppidum Belgii in ditione Leodiensi ad Mosam fluvium, quod* 12 *leucis Leodio et* 5 *Namurco distat.*

d Legia *nunc communiter vocatur* Leodium, *estque ampla et satis nota civitas ad Mosam sita, de cujus origine et etymologia plura habet Adrianus Valesius in notitia Galliarum pag.* 270.

e *Fuit is* XXIX *episcopus Tungrensis, de quo agetur suo tempore.*

f *Id est ecclesiam, a se ædificatam, in qua S. Servatii ossa honorifice sepeliverat. De S. Servatio actum* XIII *Maii.*

g *Animas in purgatorio detentas a dæmonibus cruciari contra fidem non est, cum id doceant aliqui Catholici, quamvis contrarium tueatur S. Thomas in Supplemento.*

h *Id est ad profundiora Purgatorii loca, uti explicat Chapeavillus : nam credimus mortuos in peccato mortali æternis pœnis cruciari, nullisque viventium precibus posse juvari.*

i *Id est publice propalabat, quæ in solitaria silva viderat.*

VITA SECUNDA

Auctore forsan jocundo presbytero

Ex Ms. Trajectensi cum aliis collato.

Monulphus episcopus pius ædificus, *a*

Post obitum S. Domitiani et apud quoddam oppidum, quod vulgo dicitur Hoium, olim autem Benefacta *a*, in basilica gloriosæ virginis Mariæ sepulti, in regimen ejusdem ecclesiæ successit vir magnificus, nomine Monulfus, cui eo tempore, uti relatione venerabilium virorum agnovimus, nobilitate morum, excellentia meritorum non erat similis. Descenderat autem hic ex magnis natalibus regum Francorum, et divinæ atque humanæ scientiæ litteras accepit in aula eorum. Ad virilem perventus ætatem contulit se Trajectum, B. Servatii in palatium; ibi magis magisque in doctrina, pietate, virtutibus profecit. Adeptus episcopalem dignitatem, erat doctor bonus, homo justus, pater orphanorum, viduarum et peregrinorum. Sane inter insignia virtutum in honore B. Servatii, quia minus erat ad tanti viri gloriam, aliud templum erexit magnum, ornavitque decore; corpus ejus in eo digna reverentia transtulit, et clericos Deum timentes atque in amore superno ferventes addidit non paucos, qui sub ipso militarent.

[illegible]

2 Digne Deo mysteria sacra quotidie peragebat; jejuniis, orationibus, vigiliis vacabat, nec tamen proximis operam navare cessabat. Pax et tranquillitas eo tempore undique

A dique erat. Hinc pontifex hic Tungrensem voluit reædificare civitatem; sed protinus a Deo percussus post multos dies vix mortis evasit periculum *b*. Rediit Trajectum, ibique ex propria hereditate monasteria statuit plura, ex quibus, ut aiunt, adhuc superest unum sancta Maria tuum; quia peccatis principum agentibus, multo post tempore alio translata pontificali dignitate, res omnium ecclesiarum translatæ sunt, ideoque ipsæ ecclesiæ dilapsæ; solum templum S. Servatii permansit. Eo tempore populus valde dilatatus fuit, principes novi surrexerunt, qui more luporum devorabant bona justorum. His se viriliter opposuit episcopus gloriosus, auctoritate, nobilitate, doctrina, virtutibus pollens.

...llam Leo ...ensis civitatis ... priam prædi... ...t.

3 Cum castrum visitaret Deonantum, quod erat suum et hereditarium bonum, venit ad quamdam villam aquis montanis jucundissimam. Admiratus quæsivit nomen. Audito Legia, Bene inquit Legia, quia elegit eam Dominus in hereditatem sibi. Statim descendit ex equo, locum orationis designavit, velocius ædificatum in honorem Cosmæ et B Damiani consecravit, in quo B. Lambertus postmodum interfectus, hodie magnifice gloriatur in Christo. Reversus Trajectum, congregata multitudine civium et venerabili senatu sub regula viventium, omnium, quæ possidebat, quæque ædificaverat, B. Servatium fecit heredem et principem.

et principis anima

4 Quidam ex majoribus regni dives valde obiit in illa regione; ad ipsum sepeliendum a parentibus rogatus, iter ingressus ad silvam grandem et tenebrosam, dæmonibus, ut aiunt, errore gentilium olim consecratam ubi pervenit, fremitum equorum, rugitum leonum, aliarumque voces bestiarum audivit, et vocem quasi parvuli amarissime flentem et sine intermissione clamantem: Currite, currite; juvate, juvate. Sistit se, manum ad se signandum levat, obriguit et magnus tremor illum invasit, ministri quasi mortui in terram conciderunt.

EX MSS. *e flammis piacularibus liberata, pie moritur.*

5 Beatus Monulfus paululum ad se reversus ad cælos dum oculos levat, vidit pulcherrimum sibi juvenem astantem et dicentem: Confortare pater mi, et noli formidare. Ex voluntate enim Omnipotentis hoc judicium illi quandoque in salutem tu domine agnoscere meruisti: anima namque principis, quam commendare venisti, a spiritibus tenetur malignis, et nisi citius occurreris ad infernum detrahent. Redi ad tuos, orationes, jejunia, eleemosynas fac fieri triduo; tunc regredere huc et videbis, quæ facta sint. At tum si nihil horum audieris, quæ modo nosti, tuis orationibus Altissimo esse oblatam et in pace receptam certissime scias. Hoc dicto omnes pueros elevavit et statim disparuit. Episcopus ad suos reversus et omnibus rite peractis ad sepulturam principis festinavit, silvam tuto transiit, neque quidquam vidit vel audivit; parentibus *c* et amicis, quæ obvenerant, indicavit ad exemplum; qui Deo gratias egerunt, et Episcopo, cujus intercessione anima filii a tantis malis liberata [fuerat.] Considerans tandem finem vitæ imminere, in medio ecclesiæ, in qua non mi- E nus atque XLII *d* annos sederat, designavit locum sepulturæ, et in Domino obdormivit.

ANNOTATA.

a *Oppidum in Leodiensi ditione, medium inter Leodium et Namurcum, quod olim* Benefactum *appellatum fuisse etiam testatur Baudrand in sua Geographia.*

b *Hoc in plerisque aliis Mss. non invenitur, idemque narratur de S. Gondulpho. Quare non mirarer, hic factam esse quamdam hujus rei confusionem.*

c *In aliis Mss. nullibi parentum fit mentio.*

d *De hoc numero, ab omnibus aliis Mss. discrepante, egi in Comment. præv. num.* 23.

DE S. GONDULPHO EPISCOPO

C F

TRAJECTI AD MOSAM IN BELGIO.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. C.

Sancti elogia, stirps, episcopatus et Acta.

...SÆC. VII. ...antea ... adduntur ex Florario ...

Multa, quæ pertinent ad hujus Sancti cultum, stupendam a morte resurrectionem, aliaque cum sancto decessore communia, in Commentario prævio ad Acta S. Monulphi proxime præcedentia illustrare conatus sum. Ne igitur hic eadem repetere cogar, lectorem eo remitto, tantummodo discussurus ea, quæ S. Gondulpho *propria sunt. In Florario nostro Ms. post Vitæ Monulphianæ compendium supra exhibitum, reperio die* XVI *Julii de sancto nostro Præsule sequens elogium :* Sanctus Gondulphus ex primis Lotharinghis et majoribus Franciæ natus fuit, Trajectique nutritus, Euangelium gentibus prædicavit. Hic semel admirans destructionem Tungrensis civitatis, et respicieus ædificium quoddam beati Servatii nimis dirutum, et virgulta crescere in loco altaris beatæ Mariæ, compatiens jussit ex universa convenire provincia, qui Tungrim renovarent. Sed Dominus recordatus malorum, quæ fecerat urbs illa, lupis missis, fecit colonos devorare; flamma constructa combussit, fulgur cetera comminuit et terræ motus Pergama subruit; sicque resipiscens manum ab incepto retraxit, et pœnitentia delevit, quod nescius fecerat contra Domini voluntatem. Sed consolatus a Deo audivit: Pax tibi, noli timere. Sepultus est juxta S. Monulphum anno salutis DCVII.

Magno Chronico Belgico, et Molano Sancti el... gia.

2 *Similia habet Magnum Chronicon Belgicum, a Pistorio editum, præterquam quod illi inserta sint hæc fabulosa verba :* Aliquando admirans destructionem

AUCTORE G. C.

destructionem Tungrensis civitatis, et palatii Octaviani, a quo Tungris Octavia dicta est, et simul respiciens ædificium quoddam sancti Servatii *etc. Auctor Florarii de palatio Octaviani et Octaviæ nomine olim Tungrensi urbi indito aut nihil in prototypo suo legit, aut ea tamquam nimis manifeste fabulosa, sciens volensque omisit. Propterea tamen pro reliquæ narrationis veritate spondere nolo. Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ex historia Ms., et monumentis Trajectensis ecclesiæ veriorem Vitæ Gondulphianæ synopsim contexuit hoc modo :* Sanctus vero Gondulphus Trajecti ad Mosam nutritus et magnis ex natalibus, primis videlicet Lotharingiæ oriundus, moribus, continentia et eruditione clarus fuit; et sanctam Trajectensem ecclesiam septem annorum temporibus digne rexit. Migravit ex hoc seculo circa annum sexcentesimum septimum, eodem anni die, quo prædecessor, cui etiam par meritis est consepultus in navi sive in medio ecclesiæ sancti Servatii, ubi tumulus eorum, unde elevati sunt, hactenus visitur, et uterque defensor patriæ et custos ecclesiæ celebrem habet memoriam. B *Ita ille, relictis fabulis, quæ in Actis ipsius passim occurrunt, et de quibus postea fusius agemus. Jam nobilem* S. Gondulphi *stirpem primo examinemus.*

De nobili S. Gondulphi stirpe,

3 *Ægidius Aureæ Vallis monachus, qui circa medium sæculi* XIII *floruit, apud Chapeavillum tom.* I, *cap.* XXXIV *hujus sancti Præsulis nobilitatem describit his verbis :* Hic namque, ut relatione quorumdam fidelium agnovimus, magnis ex natalibus, primis videlicet Lotharingiæ, fuit oriundus, Trajecti nutritus. *Omnia Mss. nostra circa hanc Lotharingicam prosapiam consentiunt; solus codex Ms. Trajectensis non admodum antiquus eamdem distinctius explicans asserit, quod* S. Gondulphus *fuerit* filius quidem Ducis Lotharingiæ ex filia Lotharii regis Franciæ. *Hunc codicem haud dubie secuti sunt recentiores rerum Trajectensium ac Leodiensium scriptores, inter quos Joannes Placentius Dominicanus ante ducentos annos ita scripsit :* Gondulphus Ducis Lotharingiæ filius ex filia Lotharii Francorum regis, ordinatus est pontifex anno salutis DC. *Quidquid sit de hac illustri sancti Præsulis stirpe, quam hactenus genuinorum ac* C *veterum monumentorum defectu solide probare non possumus, Vita quædam Ms., a membraneo codice Leodiensis ecclesiæ revulsa, cujus ecgraphum ab amico accepit Papebrochius, aliam plane exhibet* S. Gondulphi *genealogiam, de qua fuse actum est in Paralipomenis ad conatum Chronico-historicum Dissert.* XXVI. *Nos inde breviter hic ea excerpemus, quæ ad institutum nostrum pertinent.*

propter Ms. quoddam non ita pridem detectum.

4 *Imprimis sciendum est, quod Vitæ istius, a codice Leodiensi avulsæ, auctor scripserit sub nomine Joannis, qui* S. Gondulphum, *uno alterove mediante, in episcopatu secutus est; adeoque se fingat ipsi Sancto supparem, et S. Arnulpho coævum, ut patet ex his verbis, quibus Acta concludit :* Vitam et Acta habes, carissime præsul, sanctissimi patrui tui *etc. Porro narrationis contextus, de quo postea alienum et nostrum judicium proferemus, circa substantiam cum aliis Actis convenit; sed principium omnino differt: scriptor enim sic Vitam exorditur :* Sanctus Gondulphus filius deplorati Munderici, quem Theodoricus rex necari jussit, fuit magnus in Austria *(voluit significare* Austrasiam) sed major et nobilior coram Domino, cujus mandata servavit. Ille nutritus cum Bodegisilo D Duce fratre suo in palatio regis Chlotarii, ita hominibus et Deo placuit, ut ab omnibus laudaretur Vir sanctus. Cum polleret honoribus Theodeberti regis, dixit in senectute sua Arnulpho filio Bodegisili Ducis : Audi me, nepos carissime, judicium inchoatum Domini, qui Mundericum perimi gladio permisit, filium Childerici parricidæ. Oremus, ut Christus avertat capita nostra a ventura ira : dixit enim Omnipotens; Visitabo iniquitates vestras usque ad tertiam et quartam generationem. Hæc cogitans, relicto seculo, vitam monasticam amplexus est, et post migrationem Monulfi, cum attigisset ætatis annum septuagesimum sextum ab universis civibus urbis Tungrensis electus, consecratur episcopus.

orta est disputatio inter Ducem Spernonium,

5 *Cum Papebrochius hæc S. Gondulphi Acta recenter detecta Duci Spernonio, illustrandæ Francorum regum genealogiæ tunc temporis intento, communicasset, isque ea Parisiis in plurium notitiam adduxisset, orta est inter ipsum Ducem et nostrum Adrianum Jordanum controversia, uno inde systema suum genealogicum confirmante,* E *altero hoc testimonium tamquam fictitium rejiciente. Dux enim Spernonius contexuit genealogiam sequentem :* Merovæus Francorum monarcha, genuit Sigebertum regem Ripuariorum Francorum, et Childericum Saliorum. Sigebertus claudus filium habuit Childericum. Childericus *(dicitur is fuisse parricida)* genuit Mundericum, Mundericus Bodegisilum ducem et S. Gundulfum episcopum, Bodegisilus Arnulfum. *Huic systemati favet altera genealogia adjuncta Vitæ Caroli magni per Eginhardum descriptæ, quæ sic incipit :* Buotgisus illuster vir genuit Arnulfum sanctissimum virum, episcopum urbis Metensium. *Qui totam hanc rem clarius expositam videre cupit, adeat Papebrochium in Paralipomenis ad Conatum chronico-historicum Dissert.* XXVI *num.* 12.

et nostrum P. Jordanum de quorum opinione

6 *Verum P. Jordanus in Gallica sua crisi circa originem domus Franciæ a pag.* 155 *hoc systema, ac præsertim Vitæ Gondulphianæ fragmentum multis argumentis impugnat. Operæ pretium non est, ea omnia hic utrimque proferre, cum de eadem genealogia iterum agendum sit die* XVIII *hujus mensis in Vita S. Arnulphi Metensis* F *episcopi. Interim audiamus judicium Papebrochii in Paralipomenis loco jam citato de Jordani sententia sic sentientis :* Sed hæc omnia, ut esse sic potuerint, ita solis sunt conjecturis coagmentata, quarum si vel una deficit a veritate (quis autem spondebit deficere nullam?) tota illa incatenatio tam speciosa deficiet, semperque manebit justa formido, ne universa S. Arnulphi genealogia gratis conficta sit, qui credebatur senatorio veterum Gallorum, regioque Francorum sanguine procreatus, parentum nominibus oblivione sepultis. *Deinde tamen illius inventionem sic laudat :* Gratulor Jordano nostro, quod systema suum sic potuerit expolire, ut nihil eorum in ipso supersit, quæ Cantarello Fabro aliisque eruditis stomachum moverant, ut Ansberti Blithildisque matrimonium fabulosum reputarent.

judicium Papebrochius.

7 *De Ducis Spernonii opinione ita judicat :* Gratulabor etiam Spernonio Duci, si suum quoque systema possit expedire ab omnibus, quas Jordanus objicit, difficultatibus. Verumtamen sicut ingenue fateor, eas, quæ a Jordano allegantur SS. Ferreoli, Aygulfi, Firmini atque Arnulfi

A Arnulfi Vitas non esse tam exploratæ antiquitatis sinceritatisque, quam genealogiæ in iis fundatæ certitudo firmanda requirit; ita agnosco Vitam S. Gondulfi, etiam absque illo controverso principio totam mihi esse de suppositione suspectam; nec ullo modo posse ad S. Johannis ætatem, cui affingitur, aspirare. *Denique hanc dissertationem sic concludit :* Ut igitur præfata genealogia Spernonii aliquid credibilitatis accipiat, oportebit eam aliunde probari, quam ex auctore tam manifeste mendaci. *Papebrochius plures ibidem affert notas, quibus ostendit, Acta* S. Gondulphi *esse supposititia, de quibus nos statim fusius agemus, ubi quædam, ad illius episcopatum ac mortem spectantia, præmiserimus.*

\ sti·a senten·
·i··r ep scopa·
tus et mortis
·ns epocha.

8 *Ex dictis in Vita* S. Monulphi *proxime præcedente patet,* S, Gondulphum, *ejus immediatum successorem, fuisse episcopum Trajectensem ordine duodecimum vel decimum tertium, et Tungrensem vigesimum secundum. Ex iis, quæ ibidem diximus, episcopatus ejus initium figendum videtur anno sexcentesimo, quamvis id aliqui ad novennium aut decennium disserant. Superest* B *quæstio de episcopatus illius duratione, ex qua pendet mortis epocha. Quædam Mss. nullos, alia vero vagos episcopalis regiminis annos exprimunt his verbis :* Digne sanctam Trajectensem regebat ecclesiam multo etiam tempore *vel* multorum temporibus annorum. *At si verum est, quod habet fragmentum supra allatum, eum jam septuagesimum sextum ætatis annum attigisse, cum ecclesiæ Trajectensi præficeretur, non est verosimile, quod in tam grandæva senectute illi multorum annorum tempore præfuerit. Utut est, plerique recentiores auctores et episcoporum Leodiensium Catalogi tantum septem gubernationis annos ei assignant. Sic Johannes Placentius supra citatus ait,* S. Gondulphum *obiisse* anno administrationis septimo XVII Kalendas Augusti. *Molanus quoque ex Historia Ms. et monumentis ecclesiæ Trajectensis asserit, quod* sanctam Trajectensem ecclesiam septem annorum temporibus digne *rexerit. Magnum tamen Chronicon Belgicum gubernationi ejus unum annum sic addit :* Sanctus Gondulphus vicesimus secundus Tungrensis episcopus, et duodecimus Trajectensis cœpit C anno Domini DC, anno Mauritii Imperatoris XVII, seditque annis octo. *Unde conjicio, hunc determinatum annorum numerum in quibusdam Mss. inveniri. Qao posito, mortem ejus consignamus anno* 607 *vel* 608 *contra Claudium Robertum et Sammarthanos, qui eam usque ad annum* 617 *differunt. Jam varia Mss. nostra enumeramus.*

·omnibus Mss.
·ie enumeratis.

9 *Quinque Mss.* S. Gondulphi *Acta prodeunt ex iisdem codicibus, de quibus supra in Vita S. Monulphi mentionem feci : nam unum est ecgraphum ex Ms. Lovaniensi, quod exstat apud Canonicos Regulares S. Martini. Alterum habetur in nostro codice Ms. Trajectensi. Tertium legitur annexum Vitæ S. Servatii, cujus forte auctor est Jocundus presbyter, vir credulus, ut monui in Actis S. Monulphi. Quartum prodiit ex bibliotheca Trajectina S. Salvatoris, quod ceteris omnibus brevius post hunc Commentarium prævium primo loco typis edemus. Quintum descriptum est ex secunda parte Hagiologii Brabantini, quod Ms. conservatur in cœnobio Canonicorum Regularium Rubeæ-Vallis prope Bruxellas. Illud verbosis phrasibus auctum secundo loco vulgabimus, ut lector videat, quomodo quorumdam Sanctorum Acta sub-inde magis rhetorice quam historice amplificentur. Sextum etiam, ex Ms. codice Leodiensi erutum, de quo supra memini, aliquando habuimus ; sed illud, anno* 1683 *Duci Spernonio missum, aut periit aut latet ; saltem in museo nostro nusquam comparet. Attamen parva est hæc jactura, cum inter illud et Acta ab Ægidio Aureæ-Vallis monacho conscripta non sit discrimen, excepto initio, quod superius exhibuimus. Omnia* S. Gondulphi *Acta tum manuscripta tum a Chapeavillo tom.* I, *cap.* XXXIV *edita quoad substantiam vix differunt : ubique enim de palatio Octaviani Cæsaris, a quo Tungris Octaviæ nomen olim sit datum, et de æstu maritimo circa eamdem urbem fit mentio. At nunc de his omnibus aliorum judicium exquiramus, et nostrum subjungamus.*

AUCTORI
G. C.

viri eruditi.

10 *Lobbetius noster in Gloria Leodiensis ecclesiæ pag.* 47 *sic timide mentem suam indicat :* S. Gondulphus Ducis Lotharingiæ filius ex filia Lotharii Franciæ regis, Tungrensis episcopus vigesimus secundus. Tungrorum urbem e ruinis excitare voluisse quidam prodidere, divinitusque impeditum, detonante videlicet cælo, et fulmina flammarumque globos emittente ; imo et lupum e cavernis terræ in latomos, aliosque operis præfectos. Verumne E illud, hic non disputo. Hoc sane verissimum et ruinas illius urbis alias meliore modo instaurasse; ruinas, dico, a vitiis, quæ longe turpiores sunt iis, quæ a ferro vel a flammis vel a vetustate inferri solent. *Ita ille Tungrorum restaurationem, in Actis tam mirabiliter propositam, forte non immerito in spiritualem populi Tungrensis ædificatiōnem detorquet. Fisenus noster in Historia Leodiensis ecclesiæ lib.* III, *num.* 4 *nulla circuitione utitur, sed rotunde judicium suum sic profert :* Gondulfus vir generis claritate, sapientia et maxime morum sanctimonia antecessoribus suis haudquaquam impar. Tungrorum urbem e ruinis excitare voluisse tradunt, divinitusque impeditum, eo prorsus modo, quo Julianum constat prohibitum Jerosolymis templum restaurare. Verum cum numquam ejus meminerint antiquiores, et ipsa narratio tot insertis scateat mendaciis, quot pene verbis, rem totam arbitror esse confictam. *Hic satis aperte rem ipsam eloquitur.* F

cum Papebrochio fabulas immixtas esse opinantur

11 *Daniel Papebrochius in Paralipomenis loco jam aliquoties citato quasdam Actorum circumstantias de fictione accusat, et simul accusationis suæ rationes sic reddit :* Plebeias prorsus fabulas ista sapiunt de Tungrorum ante Julium Cæsarem regibus, de Oceani usque ad muros affluxu, deque Octaviano Augusto conditore, nullum ex Romana Historia fundamentum habentia. Quisquis regionum nostrarum situm novit, et quomodo per amplissima schaldis Mosæque æstuaria marini æstus accessus recessusque iis se inferant, sed vix sensibilis ultra Mechliniam Brabantiæ, et Gorcomium Hollandiæ civitates; neutiquam credet, ullo umquam tempore factum, ut illi Tungros usque penetraverint per exiguum Jecoræ fluvioli alveum, post emensum trium leucarum spatium, inferentis se in Mosam juxta Trajectum, unde usque Gorcomium, ubi definit æstus marinos sentire Mosa, plus LX leucarum navigatio est. Nec aliquis suspicetur, quia nonnulla indicia habentur maris, aliquando toti Brabantiæ Hollandiæque superfusi, tale quid esse potuisse ad usque notæ nobis historiæ tempora aut etiam seculo VI, quibus

AUCTORE G. C.

quibus SS. Arnulphus Gondulfusque vixere : nam indicia ista ad tempus ante-Noeticum spectare credibilius est : et saltem ex quo Romani Francique nominari in nostris regionibus cœperunt, cum fere situm omnia tenebant, quem nunc ; præsertim in proxima Tungris Taxandria, nunc Campinia dicta, quæ est alta ac fabulosa regio, et Francorum Rhenum ac Mosam transgressorum prima sedes fuit sub Juliano Imperatore. Noti sunt ex Julii Cæsaris ac Taciti Commentariis populi istic a Romanis inventi, ' et qui horum imperium descripsere geographi celebres, nusquam Octaviæ meminerunt.

Auctoris opinionem ex Harigeri silentio.

12 *Liceat mihi tantorum virorum vestigiis insistere, et meum qualecumque de tota hac historia judicium libere proferre. Antiquissimus, quem de* S. Gondulpho, *meminisse scio, est Harigerus abbas Lobiensis, sæculi decimi exeuntis scriptor. Hic apud Chapeavillum tom.* I, *cap.* XXXII, *S. Monulphi gesta et sepulturam breviter describens, tantum de* S. Gondulpho *subdit sequentia :* Illic et beatus Gundulphus, qui vicesimus secundus successit, locum habet sepulturæ. *Attamen* B *in operis sui præfatione ad quemdam Abbatem testatur, se episcoporum Tungrensium, Trajectensium et Leodiensium Acta usque ad S. Remaclum diligenter et veraciter collegisse.* Et ne labor hic, *inquit*, qui, te adhortante, susceptus est, inferaciter fiat, non ejus modo, cujus meminimus, sancti scilicet Remacli, sed et ceterorum nostræ sedis pontificum tempora et gesta, quæ undecumque potuere corradi, ad nostra usque tempora collegi. *Mirum sane est, Harigerum de* S. Gondulpho *non plura scripsisse, cum episcoporum gesta,* quæ undecumque potuere corradi, *collegerit. Fateor quidem hoc argumentum negativum non omnino concludere ; sed tamen rationem præbet suspicandi, aut numquam ante Harigeri ætatem prolixiora* S. Gondulphi *Acta extitisse, aut ea forte periisse in vastatione Normannorum, qui, teste Sigeberto in Chronico ad annum Christi* 882, juxta Mosam in loco Haslon considentes, Leodium, Trajectum, Tungros, Coloniam Agrippinam, Bonnam cum adjacentibus castellis comburunt : Aquis in palatio equos stabulantes, oppidum et palatium incendunt ; præterea monasteria Stabu- C laus, Malmundarium, Indam, Prumiam.

vel veraci candore confirmamus.

13 *Si quis contendat, imo evincat (hoc tamen futurum non arbitror) Acta* S. Gondulphi, *qualia jam habemus, Harigero antiquiora esse, dicam, Harigerum prudentiorem fuisse, quam ut hujusmodi fabellas scriptis suis insereret : hic enim maluit verax esse, quam disertus videri, uti in eodem proœmio significat his verbis :* Longe quidem, mea sententia, ab oratoris optimi excellentia me ratus differre, qui plurima paucis absolvere, pauca plurimis protelare, vel magna extenuare, maxima et minimis efficere, lata anguste, angusta late, vulgata decenter, decentia intellectualiter, nova usitate, usitata nove, et id genus plurima valeat delibare ; cui et a Poeta præcipitur : aut famam sequere, aut sibi convenientia finge. Nec, ut scholares posito themate, quibus verbis uti potuit, qui injuriam passus est, vel ille qui intulit, aliquid finximus frivolum, imo nec creperum, *id est dubium. Vides Harigerum contemptis vulgi rumoribus et rhetorum ornamentis dubiisque narrationibus tantum certa et explorata voluisse litteris mandare. Ut dicam, quod sentio, ex his omnibus suspicor,* D *post Harigeri tempora magnam Actorum partem confictam fuisse : nam fuit posterioribus præsertim sæculis puerilis, ne dicam impius, in quibusdam hominibus pruritus confingendi nonnumquam etiam sub ficto veterum scriptorum nomine prolixiores Legendas de iis Sanctis, quorum Acta aut perierant aut ignorabantur. Forsan idiotæ quidam innocenter (imprudenter tamen) similes Legendas conscripserunt, ut satisfacerent imperito vulgo, quod vix sanctos credit eos, quorum longam et prodigiosam vitam non legit. Non dubito, quin* S. Gondulphus *eximia vitæ sanctitate claruerit, ejusque virtutes magis Deo quam hominibus notas veneror. Sed sciens Sanctos, qui omnes veris laudibus abundant, fictis encomiis non delectari, falsa a veris discrevi. Nunc duplicem* S. Gondulphi *Legendam, quamvis de fictione suspectam, lectoris oculis et crisi subjicio.*

VITA PRIMA

Partim suspecta E

Ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris cum aliis collato.

S. Gondulphus post præsulatum et consecratus.

** al. Lotar.*

Beato autem Monulpho de medio facto, pretiosus confessor Christi Gondulphus de primis Lotharingiæ * oriundus, ab universo regno, et universis civibus electus, consecratur episcopus, omniumque postposita diligentia rerum temporalium, totus fertur in Deum. In augmentum enim virtutum numquam sibi defuit Deus virtutum, quo mediante, potens in opere, et sermone, disponebat jura regalia ecclesiarum et legalia. In omni etiam castello, et oppido, in quibus nondum erant, ædificari jussit ecclesias, consecrans illas Domino.

destructam urbem Tungrensem, ac S. Servatii domum.

2 In hoc igitur studio dum desudaret, die quadam contigit eum iter habere juxta civitatem Tungrensem. Et accedens propius, dispositionem ejus, quotidianosque maris ac- F cessus miratur *a*, præponens eam Babyloniæ atque Romæ. Obviansque seni petit, quæ ecclesiarum ædificia, quæ regum fuissent palatia. At ille inter cetera ostendit illi palatium, quod in honorem Octaviani Cæsaris constructum erat, a quo et ipsa civitas dicta est Octavia. Dehinc ædificium, in quo beatus Servatius dudum manserat, ad sanctitatis indicium inter cetera minus * dirutum. Huc se protinus conferens Episcopus, notansque in quibus vel sederat, vel steterat locis, ponit genua cum lacrymis universa deosculans.

** al. diruis*

restaurare statuit.

3 Cum autem in eminentiori loco civitatis Virgini Mariæ olim dicato diversi generis virgulta vidisset conscendisse, vestem suam scindens, caputque pulvere spargens, in terram procidit. Inde consurgens conversus ad Dominum dixit : Ecce Sion tua Domine, ecce Hierusalem nostra, sed quomodo desolata est, quomodo devastata ! Siccine abolebitur hæc regia cæli ! Absit hoc, Domine, nec enim potero videre. Et conversus ad suos ex universa jussit convenire provincia, qui eam

A eam citius innovarent, ibique deinceps habitarent.

[illegible] *[illegible]tur, et [illegible]*

4 Hæc illo agente, recordatus Dominus malorum, quæ fecerat urbs illa superba, sancti Servatii zelans injuriam, subito redit ad vindictam, luporumque gravissimorum immissa multitudine, in præsentia sancti Pontificis civitatis, perfidos jussit devorari colonos. Quod constructum fuerat, ultrix flamma consumpsit, cetera fulgur comminuit; terræ motus insuper pergama *b* multa subruit adeo insolens, ut ipse Pontifex mortem evadere desperaret. Intelligens tandem divinis decretis non fore obviandum, reversus ad suam sedem, quod contra voluntatem Dei inscius attemperaverat, pœnitebat, quousque divina revelatione consolatus est sibi dicente: Pax tibi; noli timere, Dominus tecum. Ad æternæ beatitudinis præmia tandem illum Domino vocante, decimo septimo Kalend. Augusti ex hoc seculo migravit. Et quia non impar est meritis juxta prædecessorem suum beatum Monulphum sepelitur in medio ecclesiæ beati Servatii.

B

ANNOTATA.

a *De hoc maris æstu satis dictum est in Comment. præv. præsertim num.* 11.

b *Per* pergama *hic intelligo ædificia vel palatia altiora : nam præter arces Troianas, quibus hoc nomen fuit, postea loca editiora sic appellantur, ut testatur Servius in illud Virgilii :* Trojam incensam et prolapsa videntem Pergama.

VITA SECUNDA

Multum interpolata.

Ex Ms. Rubeæ-Vallis prope Bruxellas cum aliis collato.

[illegible] n[illegible]lulphus

Hinc sequitur electio pretiosissimi confessoris Christi et Antistitis beati Gundulphi, C qui moribus et continentia atque eruditione nulli priorum inferior, nulloque ignobilior, regebat digne sanctam Treverensem * ecclesiam multo etiam tempore. Hic namque, ut relatione quorumdam fidelium audivimus et agnovimus, magnis ex natalibus, primis videlicet Lothariæ extitit oriundus ac Trajecti nutritus. Illo itaque in tempore hæc civitas et hæc ecclesia major erat in tota provincia : in hac siquidem civitate, Spiritus sancti præeunte clementia, ipse fortis et nobilis tyro non sine magna gloria militavit Christo; hinc nomen ipsius longe lateque claruit, magnumque enituit.

* *lege Trajectensem*

[illegible] S. Monul[illegible] fa[illegible]tus [illegible] opus,

2 Beato igitur Monulpho de medio facto, ille ab universis civibus electus, ipse ab universo regno in solium pontificale erectus consecratur episcopus, omnique deposita temporalium diligentia rerum, totus fertur in Deum. Hic revera in simplicitate columbæ et in astutia serpentis ministravit in oculis Dei omnipotentis. At ne forte sit in ratione damnationis, quod accepit a Domino in ratione benedictionis, omnem curam regiminis in populo, quibus maxime credebat, commisit, ad perfectionis summam salutisque perpetuæ in gloriam id fore dignissimum judicans atque utilissimum, si terrenis exutus inhæreat omnino cælestibus. Quapropter in domo Domini jugiter manens sacrisque mysteriis fideliter inhærens, divinus divinam agebat vitam. EX MS.

claret apostolico zelo.

3 Considerans autem omnem civitatem suam omni honore sacro in Domino florere, omnique religione in Christo fervere, ecclesias *a* longe remotas circuit, et quod verbo plantavit, signis ac miraculis rigavit. Erat in diebus illis juxta mare regio *b* quædam multis affluens divitiis, sed notitiam Dei nondum habens summi et veri; illam visitare, illam Domino parare nisus est, de cælo missus, gratia quoque agente superna in brevi multos illorum ad fidem convertit, templis, in quibus colebantur idola, mox subversis, in honore Principis cælorum ejusque Sanctorum novas condidit ecclesias, eisque ad serviendum ministros posuit idoneos, et quot per eas diabolo subtrahebat, absque mora per se Domino consecrabat. E

et veneratione erga S. Servatium.

4 Deinde ad alias transivit provincias; quibus ad Christum conversis et in fide digne firmatis ad suam redire festinavit urbem, extra quam diutius manere sanctissima ejus anima non potuit ferre *c*. Ad sepulchrum namque excellentissimi atque serenissimi confessoris Christi atque antistitis Servatii, apud quod in throno residens pontificali, quasi unus de paradisi fluminibus, prædicando, monendo atque docendo episcopatus sui terram irrigavit universam, quotidianisque divinæ conversationis et virtutis reficiebatur deliciis : etenim ibi de manu ejus visum recipiunt cæci, gressum claudi, leprosi mundantur, diversæ infirmitates curantur; ipsi quoque dæmoniaci, gravioribus ligati catenis, mox, ut adveniunt, et ab infestatione inimici solvuntur, et a nexibus.

cujus cultores paterne fovet.

5 Quapropter ejus gloria mirabiliter crevit in omni ecclesia, illos autem, qui curati sunt, fidelis dispensator Christi beatus Gundulphus collegit et fovit, donec juxta votum confortati et consolati cum gaudio quisque remeavit in sua. Hæc profecto videre F quis non optaret, quis non gauderet? Ille nimirum egregius sacerdos Christi optavit, et devotissimus ordinavit, immo desideravit, imoque nisi ex necessitate invitabili aliquando deesse noluit; nec sibi, quæ fiebant, virtutes assignavit, timens ex hoc verbum Domini, Qui se exaltat humiliabitur. At quia mentem suam in radice humilitatis fundaverat, in partem alteram nec flecti noverat, utpote cui Spiritus sanctus præsidebat rector, jure ab omnibus et in omnibus exaltari meruit et honorari.

Post jura quædam ædificia.

6 In argumentum ergo virtutum numquam ei defuit Dominus virtutum, quo præsidente, potens in opere ac sermone disponebat jura regalia, ecclesiastica, et legalia. Potenter itaque in universo agebat regno et in omni castello et oppido, atque in quibus nondum erant, ædificari jussit ecclesias, attendens illud Salomonis : Quodcumque potest manus tua, instanter operare. Illas videre, illas Domino consecrare citius exivit et quod minus erat in divinis adimplevit, semper laborans ad

EX MSS.

ad hoc ut secrete mereatur videre Deum deorum in Sion.

destructam Tungrensem civitatem.

7 In hoc ergo studio cum desudaret, juxta civitatem contigit eum quadam die iter agere : et accedens propius altitudinem ejus et latitudinem, quotidianosque maris accessus aliaque multa, quæ nusquam erant in terra, miratur : præponit eam Babyloniæ, præponit eam Romæ : nihil huic simile æstimat in urbibus Asiæ : interim petit sibi designari, quæ [fuissent] ecclesiarum ædificia, quæ regum palatia. Ait ei quidam inter cætera : Hoc, pater, negotium nequaquam est hominum ; est autem, sed illorum, quorum conversatio est cum angelis cælorum ; tamen quod audivi, quod agnovi, tibi revelabo. Hæc dicens apprehendit manum ejus, et duxit eum per omnia loca ædificiorum, ostendens et palatium quod in honorem Octaviani Cæsaris constructum fuerat, a quo et ipsa civitas olim dicta est Octavia *d*

et S. Servatii domum.

8 Hinc progressus pusillum, locum, in quo vir angelicus, magnificus beatus Servatius, manere consueverat, ac ædificium ostendit ejus, revera miræ et admirabilis sanctitatis ob judicium Christi, fidelibus ob solatium, inter cetera minus dilapsum minusque destructum. Huc protinus se contulit Episcopus, et diligenter notans loca, in quibus sederat vel steterat beatus Servatius, genua ponit, oscula figit et universa osculando piis irrigat lachrymis : hæc autem cum præ misericordia inspicere non valeret, exiit et ad alia tetendit. In loco vero altaris et sanctuarii, quod erat supereminens et honorabilius universa civitate, quodque erat ipsius Martyris Domini Salvatoris dedicatum majestati, virgulta diversi generis ascendisse ut vidit, vestem, qua indutus erat, scidit, et caput pulvere conspersus decidit in terram quasi mortuus.

restaurare volens,

9 Facto autem quasi horæ spatio, elevans se dixit : Ecce Sion tua, Domine, ecce Hierusalem nostram, sed quomodo vastata est, quomodo desolata ! O malitia hominum ! O invidia dæmonum ! Per vos cælum deseritur, per vos malitia * desolatur. Quid ergo erit ? Tonsa et cæsa permanebit hæc regia cæli ? Absit hoc, Domine : neque enim potero videre. Et conversus ad suos ex universa jussit venire provincia, qui eam citius innovarent, ibique deinceps habitarent. Hæc dixit, et surgens, iter, quod incepit, peregit. Cum vero rediret, et quod factum est placeret, aliquod diebus illic morari disposuit.

* *al.* terra

divinitus impeditur,

10 Mansit itaque et lætatus est vehementer. Dominus autem non immemor, quæ fecerat mala urbs illa superba dilecto dilectissimæ Genitricis suæ consanguineo, *e* lupos vespertinos et gravissimos in medio eorum devenire fecit, et quotquot invenerunt, in conspectum ipsius Pontificis jussit devorare colonos. Quod constructum erat, ignis consumpsit, cætera fulgur combussit ; etiam inter alia pericula terræ motus adeo magnus et frequens, ut ipse Antistes mortem evadere desperaret. Surrexit ergo continuo et abiit, nec ultra redire tarduit *, per omnia gratias agens Deo, quia in hoc non periit judicio.

* *al.* est ausus

et, acta pœnitentia, securè exspirat.

11 Ad civitatem iter suum regressus, quod quasi nescius gesserat, flendo, jejunando, aliaque bona opera, [exercendo] adjuvante se Deo, et pii patroni interventu annuente, summopere delere studuit ; semper habens in corde, semper in ore, quæ fecit Saul rex contra Dominum, et timuit valde ; nec destitit, donec nocte quadam in visione, ut ipse ait *f*, dictum est ei : Pax tibi, noli timere ; Dominus tecum. Ex hoc verbo beatus Pontifex quanto certior ex consolatione, tanto amplius laborabat in omni divina operatione. Ad supernæ igitur repromissionis gaudia et æternæ beatitudinis præmia Domino Jesu vocante, XVII Kalendas Augusti, quo die antecessor ejus Monulphus, ex hoc seculo ad Superos transiit : et quia non impar est meritis, juxta eum sepelitur in medio ecclesiæ illius incomparabilis viri gloriosissimi Servatii ad gloriam et laudem Regis cælorum, cujus regnum et imperium sine fine permanent in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *In Ms. codice Trajectensi sic ea habentur :* Ecclesias suæ diœcesis, aliasque longe remotas circuit.

b *Quænam sit ea regio, tunc temporis adhuc idololatrica, non facile dixero. Ceterum de apostolica hac excursione non meminit Ægidius ab Aurea Valle, nec Ms. Lovaniense, nec Ultrajectinum. Eamdem tamen memorat codex Trajectensis recentiori charactere conscriptus.*

c *In Vita* S. Gondulphi, *Actis Servatianis inserta, interponuntur sequentia :* Sed diu residere haud datum : cum enim fama virtutis et prudentiæ apud omnes reges principesque vigeret, ad negotia diversa componenda sæpius evocabatur. *Reliqua vero de S. Servatii sepulcro illic omittuntur.*

d *Hæc fabula omnibus Mss. inserta est ; atque de ea satis dictum in Commentario prævio.*

e *Hic alludit auctor ad consanguinitatem S. Servatii cum Deipara ; sed hanc fabulam jam dudum refutavit Henschenius in Exegesi præliminari ante tomum* VII *Maii cap.* II.

f *In fragmento, Vitæ Servatianæ annexo, ea sic leguntur :* Ut ipse postea referre solebat. *At de hoc ipsius Sancti testimonio in reliquis Mss. altum est silentium.*

A D

DE S. VITALIANO EPISC. ET CONF.

CAPUÆ ET CATACII IN ITALIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. B. S.

§ I. Cultus et Acta.

[illegible] sæc. VII. [illegible] nerenti [illegible] signe- [illegible].

Inter Sanctos, quos sæpe diximus Romano Martyrologio a Baronio primum insertos, numerandus omnino est hoc die* S. Vitalianus, *incerti temporis Capuanus episcopus, ex istius ecclesiæ Breviario, seu ejus potius Kalendario acceptus, ubi teste Michaële Monacho, in Capuano Sanctuario sic refertur:* Vitaliani Capuani episcopi et confessoris dupl. *Baronius legit:* Capuæ, S. Vitaliani episcopi et confessoris; *nihil in notis adducens præter jam dictum Capuanum Breviarium. Neque alia exstat Sancti, pro Capuanis alibi prorsus incogniti, in ullis sacris Fastis aut Martyrologiis memoria: quæ enim inter auctaria Usuardina* B *signatur ex codice Vaticano charactere Longobardico scripto, notatoque numero* 5949, *de antiquiori aliquo cultu certiores nos quidem reddit, at dubios ferme relinquit, an utrobique sermo sit de eodem Sancto eoque Capuano episcopo, quandoquidem Beneventum diserte exprimatur, nulla Capuæ facta mentione. Verba codicis istius sunt:* Beneventi, natalis sancti Vitaliani episcopi confessoris, *ubi vides, ex rei natura obviaque acceptione, Benevento Sanctum ipsum potius quam Capuæ adscribendum esse.*

[illegible] esse [illegible]tur Bene[illegible] [illegible]dant.

2 *At enim ex ea parte odiosa investigatione liberamur, conveniunt siquidem Beneventani,* sanctum Vitalianum, *tametsi apud se aliquando depositum, suum non esse, sed Capuanum antistitem: nam quemadmodum Marius Vipera archidiaconus Beneventanus, urbis istius Sanctorum illustrator, ad Vespasianum, Capuanum Vicarium olim scripsit, Beneventi in monasterio S. Victorini asservatur codex Longobardicus, habens hæc verba:* Beatus pater Joannes antistes Beneventanus corpus S. Vitaliani episcopi Capuani, C a collabente ecclesia Montis Virginis Beneventum translulit, et in ecclesia beatæ Mariæ Virginis cum multis aliis Sanctis locavit; *quæ a præfato Vespasiano sese accepisse testatur Michaël Monachus in Sanctuario suo Capuano pag.* 41, *ut jam satis securi simus, eumdem esse* S. Vitalianum *qui Capuæ, ut istius urbis episcopus hoc die Officio duplici colitur; Beneventi autem, ut istic aliquando depositus, a citato Martyrologio recensetur: utinam æque perspicuum reddi posset, quis ille beatus Joannes antistes Beneventanus fuerit, qui corpus* S. Vitaliani *episcopi ex Monte Virginis Beneventum transtulerit, unde Sancti nostri ætas aliquousque relegeretur.*

de tempore quo ad se translatus fuerit incerti.

3 *Sic ibi subjungit laudatus Monachus:* Ceterum ille beatus Joannes, ut habent Beneventana monumenta, successit S. Barbato, qui S. Barbatus obiit inchoato anno DCLXXXII, ipse autem beatus Joannes obiit anno DCCXVI. Hinc oportet asserere, S. Vitalianum vel proxime antecessisse, vel proxime successisse S. Decoroso episcopo Capuano, qui coævus fuit S. Barbato. Hinc quoque colligimus, corpus S. Vitaliani, quod a Papa Calixto, hac iter faciente, dicitur Benevento Catanzarum fuisse translatum, fuisse quidem eo translatum anno MCXX, quo scilicet anno Calixtus Beneventi fuit. *Hic paucis multa connectit Sanctuarii scriptor, quæ si vera sunt, ruere necesse est totam posthumam* sancti Vitaliani *historiam a Paulo Regio Vici-Æquensis episcopo, de Sanctis Neapolitanis parte* II *adornatam, ubi per tria capita fuse ea describit, quæ post* S. Vitaliani *sepulturam accidisse supponuntur: nec satis subsistit ipsa sacri corporis Catanzarum seu Catacium Calabriæ urbem vulgatissima translatio, ut se-* E *quenti paragrapho operosius discutietur, hic nobis Capuana primum versanda sunt.*

Non minus dubia est ejus legenda,

4 *Capuana appello, quæ Capuæ aut circa Capuam in vita et post mortem, in ordine ad Sancti Acta et cultum gesta sunt; in quibus primum observandum occurrit quod Legenda in Breviario apud laudatum Monachum in novem breviores lectiones divisa, non nihil obscura sit, nullis plane historicis characteribus prædita, ex quibus vel in solam* S. Vitaliani *ætatem deveniri possit, adeo ut si Capuæ nomen abesset, ad alias ferme quaslibet regni Neapolitani urbes tota historia commode referri posset, ut facile intelligas, multis post Sancti obitum sæculis scriptam esse, obliterata prope vel saltem plurimum obscurata ejus memoria, sic ut non nulla fortasse aptata sint, quæ de episcopo alio, calumnias et injurias a suis passo, confusius narrabantur; unde quis merito suspicetur, multa simul commixta, quæ modo pervium non sit satis accurate distinguere, præsertim ut Acta illa edidit laudatus Paulus Regius, ad novem magna capita per* XXX *facies in forma quarta excusa, nempe a pag.* 280, *ad* 311, *longissima oratione ea prosecutus, quæ melius a Ferrario, et hodierno* F *Capuano Officio unica circiter facie continentur.*

nec satis sunt.

5 *Melius, inquam, saltem minus male, neque enim omnimode placere possunt, quæ ibi et paulo fusius apud prædictum Michaëlem Monachum commemorantur, cujus Lectiones novem infra describentur, compendiosius in hodierno Officio Capuano et Catacensi contractæ. Habeo istud præ manibus excusum Neapoli apud Novellum de Bonis anno* 1669, *ex quo tres Lectiones hic in specimen subjicio.* Lect. IV. Vitalianus Capuæ natus, morum innocentia vitæque sanctimonia ab infantia conspicuus, episcopalem ipsius civitatis thronum omnium consensu promeruit. Quam dignitatem adeptus, vitam absque querela in omni castitate et humilitate usque ad senectam perduxit: viduis enim ac pupillis alendis, consolandis afflictis ægrisque curandis, animis denique corporibusque omni ope juvandis adeo feliciter et exacte incubuit, ut se verum patriæ patrem comprobaret. *Satis patet, opinor, vaga hæc esse ac communia omnia, atque ad sæculum quodlibet revocabilia. Neque id mirum; nam ubi Sancti ætas ignoratur, haud*

AUCTORE J. B. S.

haud sane facile est, gestorum ejus exactam rationem reddere : quod si vitam in omni castitate usque ad senectam *in episcopatu perduxit, non satis apposite ei applicantur quæ habet sequens lectio hujusmodi :*

quæ in hodierno Capuano Officio,

6 Lect. v. Sed cum ejus sanctitati hostis humani generis infensus esset, viros improbos concitavit qui Seni innocenti impudicitiæ crimen imponere hac instructa calumnia conati sunt. Vestes muliebres clam in ejus cubiculum, propriis subductis, injecerunt; cumque de more ad matutinum Officium consurgeret, vestes, quas reperit, assumpsit, atque his indutus, ad ecclesiam pergens, ludibrio habitus est. Nam perditissimi impostores protinus clamarunt, eum qui aliis castitatem prædicaret, cum mulieribus versari, adeo ut nec vereretur illarum vestimenta gestare. Ab impiis itaque captus, cum diceret, se ab aliis potius quam a filiis hæc pati debuisse, culeo insutus, in mare projectus est; divina tamen providentia eum servante, incolumis ad portum Romanum pervenit. *Hic viri improbi dicuntur accusatores, apud Regium sunt lascivi juvenes, apud Jacobum Jordanum in Chronico Montis Virginis lib.* I, *cap.* XVI *scelerati sacerdotes ; non cohærent : nec magis quadrat tota accusatio in virum senio gravem. Adde, crassum esse stratagema, suppositionem vestium, quam facile adverterit Senex, saltem si vigilasse supponatur. Qua autem tempestate dicuntur impostores illi eo progredi potuisse, ut Episcopum culeo insuerent, ipsumque in mare, ut hic habetur, vel in fluvium Lirim (Garigliano) projicerent. Porro subsequens prodigium variis coloribus a Regio depingitur.*

quantumvis paucis de eo memorantur.

7 Lect. vi. Tantum scelus pœna statim divinitus inflicta vindicatum est; nam tanta siccitas terræque sterilitas in finibus Capuæ esse cœpit, ut nulla ibi seges vel herba gigneretur. Cives autem id sibi merito evenire intelligentes ob crimen patratum in Episcopum, facti pœnitentes, conquisitum et inventum orant, ut reversus in patriam, his qui in eum peccaverant, veniam daret, qua impetrata, sanctoque Antistite in pristina sede restituto, copiosi illico imbres exundarunt. Verum ille finem vitæ appropinquare præsentiens, in montem qui Virgilii dicebatur, secessit, ibique exstructa B. Virgini ecclesia, paulo post obdormivit in Domino XVII Kal. Augusti, ac ibidem depositus multis miraculis coruscavit. *Pœnam paucorum crimine universis inflictam, utut negare nolim, vellem sane, et ea satis firma fide subsisteret. Secessum in Montem Virgilii facile admitto ; non item, quod alii adjungunt, ex ædicula sacra, ibidem a Sancto Virgini Deiparæ dedicata, nomen Montis Virginis contraxisse, quod multis post sæculis inditum est. His non contentus Regius alios Sancti secessus memorat, in quos sese receperit, priusquam in prædictum montem conscenderet. Fateamur, historiæ isti, non undequaque certæ, magnum ornatum accessisse. Id in dubium revocari non potest, quod pridem Capuæ cultus fuerit* S. Vitalianus, *quodque, ut notat Monachus pag.* 521, in diœcesi Calvensi exstiterit *ejus* ecclesia, in Casertana quoque, necnon in Cajacensi, una in loco Baluxiano, et altera in Campora longa.

Satis nobis est, certa cultus indicia reperiri :

8 *De cultu itaque, ut semel dicam, dubitandum omnino non est ; de variis historiæ totius adjunctis dubia nonnulla viro Cl. Dominico de Georgio, amicissimo æque ac zelosissimo Sanctorum gloriæ promotori, aliisque eruditis proponenda transmiseram, ad quæ inter alios sincere et candide respondet vir eximius ac eruditissimus ecclesiæ Capuanæ Canonicus Theologus Alexius Symmachus Mazochius, veteris Capuæ historiæ modo intentus, mecum plane sentiens in iis quæ toto hoc Commentario, ad historicam normam expendenda susceperam : id vero præterea suggerens, quod ad sequentis paragraphi disquisitionem pertinet, repertum alicubi vetus Ms., in quo notatur, sacrum corpus* S. Vitaliani *a Calixto Papa donatum fuisse Guilielmo Apuliæ duci, qui obiit anno* 1127, *ut sic facile Catanzarum circa ea tempora pervenisse intelligamus : nisi prævaleat scheda alia Italica, ex Virgineo monte anno* 1668 *accepta, qua asseritur, multo citius, nempe anno* 970 *Ottonem Imperatorem Benevento illud accepisse, dum Græcos debellaturus in Calabriam festinaret. Hæc obiter dicta sufficiant, ut clarius perspiciamus, quam sunt certa quæ ad* S. Vitaliani *cultum pertinent, tam esse ambigua, quæ ejus ætatem, inventionem et translationem circumstant, ut mox paulo pluribus explicabitur.*

nam quæ Acta aliqua Latina narrant,

9 *Prætereunda silentio hic non est Legenda aliqua latina manuscripta, quæ apud nos exstat, nescio unde accepta, sub titulo,* Divi Vitaliani episcopi Capuani Vita, *quam multo rectius appellaveris, orationem panegyricam amplam et inflatam, qua pluribus figuris oratoriis quaquaversum diffusis, eadem ferme describuntur, quæ jam brevius complexi sumus, additis novis dubiis, et binis ad calcem miraculis, cum brevi translationis Catacensis historia, de qua proxime fusius agendum erit. Meram autem orationem esse, pro concione fortasse alicubi pictam, hinc colligi potest, quod hujusmodi epilogo seu peroratione concludatur :* Ex hac rerum gestarum Vitaliani gloria, unusquisque vestrum, fratres carissimi, studio efferri debet ad res divinas contemplandas *etc. Scriptionem illam qualemcumque lucem mereri non censuimus, quod nihil omnino contineat lectoris attentione dignum, utpote mera, ut plurimum, verbositate diversa a jam datis, et infra dandis prolixioribus Monachi lectionibus ; quas paulo tolerabiliores putavimus, certe sufficientibus difficultatibus obnoxias, ut plures ex tali farragine accersendæ non fuerint, non magis quam ex Paulo Regio aut Jacobo Jordano, quorum nomina, in ordine ad* S. Vitaliani *Vitam, satis est indicasse.*

et translatio adjuncta valde dubia sunt

10 *Atque hæc hactenus de Sancti Actis et cultu, prout hic ad Capuanos et circumvicina loca restringitur ; aliam nobis satis ambiguam disquisitionem præbent Catacenses seu Catanzarienses in Calabria, ad quos* sancti Vitaliani *corpus translatum volunt a Calixto Papa II, alii cum laudato Michaële Monacho, in dicto Sanctuario, anno* 1120, *alii cum illustrissimo Regio, ex instrumento inferius producendo, anno* 1122, *quo ipso nempe, in Calabriam profectus sit summus Pontifex, ad componendas, uti aiunt, discordias inter Guilielmum, quem* Italiæ ducem *appellant, et Rogerium Siciliæ comitem ejus consobrinum, quando etiam ecclesiam Catacensem consecraverit, translata, anno præcedente* 1121 *Catacium Trium Tabernarum sede episcopali, ut productis splendidis monumentis probare sese existimant Catacenses, sed quæ pridem ab Ughello convulsa sunt, Italiæ sacræ tomo* IX *a col.* 483. *Et de his quidem obiter meminisse sit satis ; huc proxime pertinet inventionis sacri corporis in Monte Virgilii, ejusque Beneventum primum, deinde Catanzarum translationis*

A *tionis historia, varii generis adjunctis, non oscitanter examinandis, vestita: tum vero recentior S. Vitaliani reliquiarum revelatio ac visitatio a Nicolao Horatio, istius urbis episcopo instituta anno 1583, de quibus altero jam paragrapho disputandum est.*

§ II. Inventio sacri corporis, ejusdem translatio, et ultima Catacii seu Catanzari visitatio anno 1583.

Descriptio Catanzarii in Calabria.

Huc nos ducit celebris S. Vitaliani *veneratio Catacii seu Catanzari in Calabria, ubi tamquam primarius patronus coli dicitur. Est autem Catanzarum, uti describit Ughellus tomo* IX, *col.* 483, parva et mediterranea civitas Calabriæ, quæ inter Crotoniensis et Locrensis terminum, et Albim amnem, edito salubrique, et natura atque opere munito sita loco, sexto a mari Jonio milliari, aëris insuper temperie, situsque B amœnitate coaluit, sic ut hac tempestate inter primarias Calabriæ urbes connumeretur. Hanc antiquam Græcorum coloniam fuisse scribit Solinus, amplam evasisse ex ruinis magnæ Græciæ a Saracenis factis, indeque Cantanzarium dictam ab ipso montis fastigio ubi situm, Catazorios græce, latine cacumen et culmen interpretatur; *(intellige a κατὰ et ὄρος supra montem, interposito sigma seu zita ad suaviorem pronuntiationem.)* Alii volunt, post devastatam a Mauris Calabriam, a Flagitio Nicephori Constantinopolitani Cæsaris copiarum duce, in trium montium planitie conditam, dictamque Catanzanum a verbo græco quod significat sedeo *(saltem ex satis vicina affinitate a verbo καθίζω)* quod hæ, condendæ urbis loco delecto, hic consederint. *Plura istic videri possunt.*

Quo Sancti corpus a Calixto II translatum sit.

12 *En locum quo, ut jam dicebamus, translatum fuerit* S. Vitaliani *corpus e monte Virgilii, seu Virgiliaco (hodie Virginis) vel Benevento, quod non satis distingui potest, sed certo a Calixto PP. II, cujus rei disquisitio paulo altius hic repetenda est. Lectiones proxime relatæ et aliæ* C *paulo longiores* Vitalianum *relinquunt in memorato monte, neque ulterius Vitalianam historiam producunt; ast illam longe fusius extendit laudatus Vici-Æquensis episcopus Regius, cujus excomptam Italicam orationem hic latinam reddere operæ pretium non existimavimus, cum vices ejus supplere commode possit brevius Monachi compendium pag.* 41, *quo sese fatetur Regii narrationem contraxisse in hunc modum:* Vitalianus vita functus, indies majora miracula operabatur, ideoque sepulcrum ejus summa veneratione frequentabatur; at cum impii Saraceni Campaniam, et reliquas provincias occupassent, vastatis oppidis, dispersisque populis, non solum sepulcri veneratio, sed et sepulcri notitia penitus excidit. *Unde hæc Regius acceperit, nec distincte indicat ipse, neque ego aliunde colligere hactenus potui; ceterum hæc ita ordinanda fuerunt, ut ad sequentem historiam via opportune sterneretur. Sic ex ipso pergit Monachus:*

[illegible] repertum a pastoribus disco ludentibus

13 Post multos annos pastores quidam disco ludentes, pro disco, magno lapide utebantur, quem recedentes abjectum relinquebant. Paucis deinde post diebus, sæpius observarunt, lapidem illum amotum e loco, in quem, vespere discedentes, rejecerant, abjectumque reliquerant. Admirantur, de causa inter se perquirunt; et ecce singuli in somnis admonentur a S. Vitaliano, illum esse sui sepulcri locum, in quo toties discum invenerant. Re ad episcopum loci delata, refoditur terra, sepulcrum invenitur, corpus cum ingenti lætitia excipitur, et in monasterium Montis Virginis tandem transfertur. Calixtus Papa II, cum hac iter faceret, S. Vitaliani corpus venerari voluit, et cum Catanzari in Calabria degeret, illud illuc asportari mandavit, et condidit in ecclesia, quam in illa civitate consecravit, ibique hac etiam ætate, summa celebritate ac veneratione colitur. Hactenus *(subdit Monachus)* ex Vita ab episcopo Vici Æquensis Italice scripta, *quam totam amplecti visus est, non sic tamen quin sibi aperte contradicat, dum ex Mario Vipera tradit sacrum corpus Beneventum translatum fuisse, et quidem a* B. Joanne antistite, *atque inde demum Catanzarum transferri oportuisse anno* 1120, *ut ex ejus verbis habes supra num.* 2. E

Quæ omnia vix de recenti auctoritate nituntur.

14 *Quo attentius hæc omnia evolvo, expendo et discutio, candide fateor, eo implexa magis apparere et quasi studiose involuta, nullo usquam occurrente solido aliquo vestigio ubi pedem tuto et certo figas. Ædis sacræ a* S. Vitaliano *exstructæ, ejusque et sepulcri eversionis per Saracenos historia, ejusdem miraculosa prorsus inventio per pastores disco ludentes; rursus novæ ecclesiæ in prædicto monte ædificatio, ac sacri corporis ibidem cultus usque ad conditum istic a S. Guilielmo monasterium, et ad tempora Calixti PP. II; demum postrema ejusdem inde in Calabriam ab ipsomet Pontifice, vel ejus jussu transportatio, sola ferme Regii, sub finem sæculi* XVI *scribentis, auctoritate niti videntur; præter ea quæ ex instrumento Nicolai Horatii Catacensis episcopi, infra dando, colligere aliquatenus potui; quamquam et instrumentum ipsum, qua parte translationem ejusque tempus recenset, non majori quam cetera fide subnixum sit. De repertis* S. Vitaliani *reliquiis fidem quidem facit haud dubiam; de tempore autem quo corpus istud Catacium adductum sit, deque identitate cum* S. Vitaliano *Capuano episcopo, non æque liquent omnia, ut ex brevi rei deductione faxo clarius intelligas.* F

Nec de Sancti ætate quidquam constat.

15 *Quemadmodum ex vero verum sequitur, sic ex dubio non nisi dubia manare posse, in confesso est. Imprimis igitur, non constat quo vere tempore vixerit, quid egerit, aut quo anno mortuus sit* S. Vitalianus; *nec magis scitur, quamdiu in Monte Virgilii corpus ejus sepultum manserit. Beneventanos audivimus, corpus translatum asserentes a B. Joanne episcopo Beneventano, quem Joannem ait Monachus obiisse anno* 716, *ut adeo ante id tempus Beneventi depositus fuerit* S. Vitalianus; *quod si verum est, corruit plane tota Saracenorum et ludentium pastorum, ac per ipsos inventionis Regia narratio. Ast eam Monachi chronotaxim tuendam non suscipimus, cum ridiculum videatur, Sancti non ita pridem, ut volunt, defuncti, reliquias transferri ex collabente ecclesia, quam ipsemet ædificaverit, contra quam paulo ante eumdem ipsum Monachum ex Regio referentem vidimus. Unde eum quoque impugnat laudatus supra Jacobus Jordanus a pag.* 193, *candide et vere primum professus,* grandissimam occurrere inter scriptores diversitatem circa tempus quo repertæ, et locum quo translatæ fuerint S. Vitaliani

AUCTORE J. B. S.

AUCTORE J. B. S.

S. Vitaliani reliquiæ. *Id vero novum nobis prorsus non est, cum id passim deprehendamus in iis scriptoribus, qui de re incerta disputantes systemata et hypotheses liberrime fabricant, quibus gesta innecti posse sibi imaginantur, de præfigendo solido fundamento parum soliciti.*

nec de translatione Beneventana,

16 *Neque ab ea ratione multum abludit Jordanus ipse, qui Monachi opinione pluribus impugnata, operosius inquirit, quis inter plures Joannes Beneventanos archiepiscopos, ille fuerit, qui* S. Vitaliani *corpus transtulit. Et primo quidem satis evincit, nullum istius nominis sub finem sæculi* VII *aut sub* VIII *principium Beneventanam cathedram tenuisse; verum quo minus rem illam Joanni II, qui circa annum* 755 *floruit, adscribat, id ei obesse videtur, quod salvandas susceperit circumstantias a Regio descriptas, de Saracenorum depopulatione, miraculosaque per ludentes pastores inventione etc. de quibus Monachus haud ita solicite laborasse videtur. Urgentius pro altero Joanne, nempe ejus nominis V, episcopo ordine* XLVIII, *argumentum adfert ex Viperæ chronologia, etiam ab Ughello, tomo* VIII, *col.* 79 *adoptata, in qua pro medio sæculo* X *ista leguntur :* Hac
B eadem tempestate fuit per episcopum nostrum Joannem a collabente ecclesia Montis Virgiliaci, corpus S. Vitaliani episcopi Capuani Beneventum translatum, et in ecclesia sanctæ Mariæ Virginis, quæ hodie cathedralis est, honorifice collocatum; ex eadem bibliotheca Beneventana, in Legenda Sanctorum manuscripta part. I, pag. 176.

aut in ecclesiam Montis Virginis,

17 *Si hic hæsisset Jordanus, meritam aliquam laudem referret, at postquam hæc probabilia esse merito censuit pag.* 195, *territus quodammodo auctoritate Regiæ Legendæ, multa commiscentis de oratorio* S. Vitaliani *a Saracenis (quo tempore eo accesserint, incertum) destructo, deque Sancti memoria eo modo prorsus amissa, torquet se vehementer ut inveniat tempus sufficiens inter Saracenicas grassationes, et memoratam jam proxime Beneventanam translationem, quo* S. Vitaliani *memoria interire potuisse dicatur, ut idcirco sacri corporis inventionem ad alterum ut minimum sæculum removendam existimet. Accedunt et peri mentia argumenta, primum Monachi, qui varia adoptans sibique contradicens, vult inventum corpus* translatum esse in monasterium Montis Virginis,
C *sæculo primum* XII *exstrui captum ; alterum laudati Pauli Regii, rotunde asserentis, Calixtum Papam II anno* 1119 *illac transeuntem, idem ipsum* S. Vitaliani *corpus ex prædicto monasterio Catanzarum in Calabriam transtulisse, aut postquam eo advenerat, ad se adferri jussisse : quæ tamen omnia longe magis dubia et incerta sunt quam expressa Viperæ Chronico et alibi translatio Beneventana, veteri et certo monumento firmata, nempe memoria in antiquo codice Usuardino Florentino supra citato num.* 1, *quod mihi certe pluris est, quam ea omnia quæ a Regio, Monacho, Vipera, Jordano et aliis disputata sunt.*

aut demum quod Calixtus II Catacium umquam viderit,

18 *Habes Jordani argumenta dicam, an scrupulos, aque ac fundamenta, quibus innituntur, vacillantes, ex quibus tamen atque id genus aliis procul accersitis suppositionibus ætatem*[1], *saltem obitum Sancti determinare aggreditur, non majori operæ pretio. Ut verbo dicam, post longam orationem eo tandem accedit, ut Regii opinioni sese accommodet, pagina demum* 197 *alia recentioris nescio cujus commenta refutans, quæ nec memorari digna sunt. Vellem equidem, et volent mecum cordati omnes, majorem paulo operam sumpsisset in investiganda vera epocha translationis* D
Catacensis, Calixto PP. II tam rotunde et præfiditer adscriptæ, qua in re id primum quærendum probandumque erat, Pontificem istum in Calabria umquam fuisse aut Catacensem urbem vidisse oculis suis. Audi quid sentiat Ughellus tomo supra citato col. 484, *occasione prætensæ consecrationis ecclesiæ ab eodem Calixto factæ, sic scribens :* Hanc volunt Calixtum II Papam consecrasse anno 1122, V Kal. Januarii : sed gratis videtur assertum : cum ex Actis Calixti apud Baronium aliosque haud colligi possit, Calixtum Calabriam adiisse umquam : *ut puto evidenter demonstrari posse ; quidquid id nobis ad nauseam oggerant scriptores illi, quos jam abunde laudavimus. Videantur porro cetera, apud Catacenses pro indubitatis dudum recepta, quæ Ughellus ibidem supposititia esse, recte arguit, si non omnino evincit.*

ut pridem ostendit Ughellus.

19 *Et evincit certe quamdiu aliunde non ostenditur, Calixtum II Catacium usque perrexisse, cujus profectionis nec causa hactenus, nec verisimilitudo aliunde adducta est, quam ex iis ipsis monumentis, quæ apertissimæ novitatis vestigia præferunt. Pandulphum aliquis, Falconem, Ostiensem et Petrum Diaconum in subsidium advocat ; verum ex iis nemo probaverit, Calixtum, sive in* E
primo Beneventano itinere anni 1120, *sive in secundo, anni* 1121 *(de quibus vide disserentes Antonium Pagium in Critica, et Franciscum in Breviario) Salernum ultra progressum. Quod autem ex diplomate Calixti apud Ughellum col.* 501 *id se demonstrare existiment Catacenses; si me audierint, ei instrumento non fident. Datum dicitur* Catanzarii .... V Kalend. Januarii, Indictione XV, anno Dominicæ Incarn. MCXXII, pontificatus vero Dom. Calixti II Papæ anno quarto. *Fallunt istic characteres chronologici omnes : etenim* V *Kal. Januarii, seu* XXVIII *Decembris, quando in regno Neapolitano fuisse potuit Pontifex, adhuc fluebat annus* 1121, *et Indictio* XIV : *neque vero pontificatus ejus erat* annus quartus *sed* secundus *a* I *Februarii anni* 1119 ; *ut cetera non examinem quæ Ughellus merito suspecta ostendit. Quod si anno insequenti seu* 1122 *prætensam templi consecrationem accidisse velint, tum certe manifestioris falsitatis convincentur, cum eo tempore procul a Calabria abfuisse Calixtum, nimis quam evidenter constet.* F

At quisquis translationis auctor fuerit.

20 *Undecumque interim aut quocumque demum tempore Catanzarum pervenerint pretiosa* S. Vitaliani *lipsana, id certum est ex authentico instrumento, jam non semel allegato atque infra producendo, corpus alicujus* S. Vitaliani *anno* 1583 *sedente Nicolao Horatio, tunc Catacensi episcopo, repertum esse, quod ut inficiari nolim sacras exuvias fuisse Capuani istius episcopi, quo de modo agimus, id sane ingenue fateri cogor, de identitate utriusque necdum mihi sufficienter constare ; quamquam enim in sæpe dicto instrumento num.* 3 *diserte asseratur, in marmore anteriori seu extimo* altarioli *quo reclusa erant plura Sanctorum corpora, lecta fuisse hæc verba,* Corpus S. Vitaliani archiepiscopi Capuæ, *hæc manifeste produnt recentiorem scripturam, ex qua eadem num.* 2 *haberetur, reliquias alicujus* S. Hirenei *(quales homonymi plures sunt) non alterius fuisse quam* S. Irenæi archiepiscopi Lugdunensis *et quidem* unius ex LXXII discipulis Christi, *nempe qui ad usque Severi Imperatoris tempora vitam produxerit, cujusque inventionem recolit Ferrarius in Catalogo generali* XXII *Junii : quorum omnium nec umbra apparet in S. Irenæi Lugdunensis Actis ad*

A *ad* XXVIII *Julii illustratis. Plura addere non oportet, ut quivis facillime intelligat, recentioris fabricæ hæc omnia esse, ex vulgi opinione nimis libere insculpta, atque ex vetustioribus epigraphis melius emollienda.*

Corpus S. Vitaliani Catacii repertum est an. [illegible]

21 *Multo simpliciores sunt, atque adeo et longe verosimiliores, imo veræ, ni fallor, inscriptiones inventæ in antiquis loculis, atque in pluribus laminis num.* 7 *sculptæ hoc modo :* Corpus S. Vitaliani, *uti et num.* 8, Reliquiæ S. Hirenei ; *unde patentissime liquet, de Capua aut Lugduno cogitatum non fuisse, dum utriusque Sancti reliquiæ in primis suis loculis depositæ fuere ; uti neque tum cuiquam incidit,* Fortunatum *credere episcopum Tudertinum fuisse, cujus nominis Sancti sunt prope innumeri. Vident harum rerum periti, non uni dissertationi materiam hinc suppeditari, quam hactenus visum non est scrupulosius discutere : hæc ad intelligendam illustrandamque veritatem unice a me disquisita sunt, nec a Capuanis, opinor, nec a Catacensibus in aliam partem accipienda ; non magis quam ab Auximensibus in Piceno, qui* inventionem corporis, *ejusdem* S. Vitaliani *apud se factam recolunt* XVI *Junii ; apud Ferrarium eo die in Catalogo generali.* B *Mihi certe sus deque est, Capuæ, Beneventi, Auximi an Catanzari requiescant* S. Vitaliani episcopi Capuani *reliquiæ ; colant postremi, uti coluere hactenus; nobis vero permittant ad normam nostram dubia a certis, falsa a veris discernere, discantque, ad veritatem historicam non orationes panegyricas sed firma ac solida auctoritatis momenta requiri. Sequantur modo lectiones Monachi, quibus inventionis seu visitationis instrumentum subjungemus : demum vero per modum appendicis adjicietur testimonium recentius totius Capituli Catensis, a Silvestro Aiossa ad Bollandum missum, de manna olim e* S. Vitaliani *tumulo scaturiente, ut fusius ibi videbitur. En Monachi textum.*

ACTA

Ex Lectionibus Michaëlis Monachi in Sanctuario Capuano a pag. 36.

C

Capuæ natus et ibid. episcopus

Martyrologium Romanum XVII Kalend. Augusti : Capuæ S. Vitaliani episcopi. Breviarium in Kalendario; XVII Kalend. Vitaliani Capuani episcopi, et confessoris dupl., et in Officio; In Sancti Vitaliani episcopi et confessoris, LECT. I. Igitur sanctus Vitalianus Capuanæ civitatis editus, et nutritus, cum bonis polleret moribus, per Dei providentiam ordinatus est in eadem civitate episcopus. Vivens in castitate, atque simplicitate, eleemosynas sine cessatione, prout poterat, pauperibus erogabat : viduarum, atque orphanorum assiduus erat nutritor atque consolator : tristis ad eum quicumque adventasset, lætus revertebatur; qui æger, in Dei virtute, et ejus meritis sanabatur : pulcher aspectu, mente præclarus.

Pluribus virtutibus ornatus,

2 LECT. II. Rectus in omnibus; nullus umquam eum in aliquo crimine, vel odio, seu iracundia, vel detractione invenire potuit : sed in omnibus præclarus, et modestus, humilis atque mansuetus, et simplex in omnibus erat : et sic sibi vixit in seculo isto, ut in omnibus viveret, nullum spernens, nullum lædens, nullum despiciens; contumelias despiciebat, odium vitabat. Qui cum omnibus diebus vitæ a juventute sua sic viveret, invidus diabolus, qui humano generi numquam defecit in adversis, et qui in abditis ejus multa perpetravit, et semper eum Dominus in omnibus suo servo subdit; tamen palam ei suos satellites ita induxit.

Ex MSS

pravis hominibus displicet,

3 LECT. III. Cum esset annorum septuaginta, ut eum Dominus probatum sibi inveniret, sicut aurum ab igne, invidiose quidam maligni contra eum falsum testimonium cogitantes, dicunt : Habeamus consilium, forsan illum deponimus ab episcopatu et de nostris oris ejiciamus, ac unus ex nobis hunc honorem recipiat. Consilio hoc iniquo inito, falsiloqui accusaverunt eum, scorticinium cum meretricibus commisisse; coadunati sunt multi, in hoc malum consentientes, dataque pecunia, quadam nocte ex eis quidam clam ejus cubiculum introgressi, vestimenta cum calceamentis, quibus sanctus Vir indui solebat, tulentes, vestimenta mulierum ibidem, E calceamenta similiter posuerunt.

qui vestes muliebres supponunt;

4 LECT. IV. Ille, ut erat solitus, cum hora evigilandi surgeret, simplex ut erat, et rectus in omnibus, præ solicitudine orationis, vestem, quam invenit, se induit, atque calceatus mulieris calceamenta, ad orationem perrexit : loquente prophetico sermone; Anni nostri sicut aranea meditabuntur, dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus octoginta anni, et plurimum eorum labor et dolor. Hora autem matutinali adhibita, sicut mos est, populi, clerique congregati celebraverunt Officium.

quibus indutus apparens,

5 LECT. V. Quo expleto, dieque lucescente, ut soliti erant populi resederunt omnes ante fores Episcopi Capuani : at illi mali proditores, Judæ similes, canesque garruli, per rapida ora talibus pravis resonabant sermonibus : Audite populi scelus tam pessimum, quod iniquus iste noster Episcopus operatur quotidie : nobis enim prædicat castitatem, ipse vero scorticinium cum meretricibus agit : prædicat humilitatem, ille se F in superbiam erigit : dicit se mulieres odire, et diebus ac noctibus cum ipsis manet, comedit, et bibit : nam si nobis non creditis, oculis vestris aspicite, operibusque credite, quibus calceamentis et vestibus induitur.

calumniam patitur et urbem deserit.

6 LECT. VI. Audiens hoc vir Domini Vitalianus ingemuit; confortatus tamen in Domino, facto silentio, ait ad illos : Audite filii : verum dicitis, quia ego peccator sum, et multa mala Deo meo egi! Unde et istud super me induxistis : hoc tamen ab aliis pati debui, non a vobis, qui filii, et heredes estis Ecclesiæ : et aspiciens in cælum dixit : Tu Deus, qui cælum terramque tua gubernas dextra, qui scrutaris renes, et corda, et scis omnia, antequam fiant, destrue hoc falsiloquium : valeque dicens, abiit.

In mare projectus servatur :

7 LECT. VII. Insidiatores vero illi, sicut a fidelibus viris Deum timentibus audivimus, perrexerunt post illum, et comprehendentes, miserunt in corium et insuentes jactaverunt in mare. Remigante vero illo, Dei providentia, pervenit in portum Romanum sanus, et

[illegible]

et integer. Ab illo etiam die usque sex menses, et dies viginti expletos, quo vir Sanctus inde ejectus est, ibi non pluit, tantaque illis sterilitas advenit, ut ibi nulla seges, vel herba gigneret.

sed puniti Capuani ipsum reducunt.

8 Lect. viii. Cum jam itaque tanto tempore in urbe illa, vel in ejus regionibus non plueret, cognoverunt, quod propter Hominem Dei hæc advenissent eis. Contristati valde, et contriti vehementer, ubi esset Vir Dei, requisierunt. ad ejusque pedes provoluti, veniam postularunt. Ad hæc sanctissimus vir Dei Vitalianus, ut erat pius et misericors, non illis malum pro malo reddidit, sed ut vidit totis præcordiis pœnitere, egit gratias Deo, qui consolatus est Sanctos suos in magnificentia, et corripit malos, ut convertantur in bonum; surgensque abiit cum eis. Cumque pervenisset ad urbem, ejus oratione venit pluvia super terram.

qui in montem secedens, sancte moritur.

9 Lect. ix. Deinde per revelationem ei Dominus ostendere dignatus est locum, ubi jam tempus vitæ suæ finem expleret, et reciperet mercedem, quam per multos annos
B
fuerat operatus. Qui surgens inde, venit in montem, qui vulgo ab incolis Virgilii dicitur, ubi ei a Domino fuerat revelatum, in quo paucis temporibus adhibitis, sanctæ Dei Genitricis Mariæ ecclesiam construxit; quo in loco requievit in pace xvii Kal. Augusti.

ANNOTATIO.

Quæ hic barbara occurrunt, ut tulentes *et id genus alia facile intelliguntur. Notas Monachi describere opus non fuit, cum præcipua capita in Commentario discussa sint.*

De inventione reliquiarum S. Vitaliani et aliorum Sanctorum.

Dum reparatur Catacensis ecclesia.

Nos Nicolaus Horatius U. J. D. Bononiensis, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus Catacensis, universis et singulis,
C
has præsentes litteras inspecturis, visuris, lecturis pariter et audituris. Notum facimus, et in verbo veritatis attestamur, quod cum pro reparatione ecclesiæ nostræ Catacensis, quæ propter illius vetustatem ab omni parte ruinam minari videbatur, necesse esset reficere quemdam parietem navis majoris ecclesiæ, ab ea parte in qua sacristia posita est, et dividentem dictam sacristiam ab ipsa ecclesia: qui quidem paries diebus elapsis tempore Quadragesimæ, et præsertim die Sabbati ante Dominicam de Passione, quæ fuit xxvi mensis Martii præsentis anni mdlxxxiii; dum nos una cum majori parte cleri ac excellenti domino Hieronymo Pistoya syndico hujus fidelis civitatis, ac magnifico Joanne Bapt. Manarino, magistro jurato dictæ civitatis, maximaque populi frequentia tam virorum quam mulierum essemus in ecclesia ad audiendum verbum per concionantem R. P. F. Hieronymum de Castello Ordinis Capucinorum, qui fuerat electus prædicator in dicta ecclesia hoc anno, ex improviso pro majori parte corruerat, neminemque, quod Dei omnipotentis maxima gratia et miraculo effectum est, offenderat. D

variæ reliquiæ inveniuntur.

2 Cumque major pars fundamenti dicti parietis jacta jam esset, et ad ejus perfectionem necesse esset destruere quoddam sacellum dicatum S. Vitaliano protectori ac patrono hujus civitatis, quod et ipsum, propter dicti parietis ruinam, devastatum et diruptum fuerat, et cum in eo res sacra confici non posset antequam sacellum ipsum destrueretur, mandavimus amoveri altare, quod in dicto sacello erat, ne dum devastaretur sacellum ipsum, frangerentur lapides marmorei, ex quibus dictum altare erat ædificatum: operarii dum vellent amovere dictum, repererunt non unum altare ibidem esse, sed tria altariola, insimul ita conjuncta et connexa, mediantibus quibusdam columnis marmoreis, ut præ se ferrent unicum totum altare; et unumquodque altariolum habebat in marmore anterioris partis quasdam litteras antiquas, et latine et græce sculptas in hæc verba. In marmore quod erat ante altariolum medium, legebantur hæc verba: In hoc altare brachia sanctorum Herenei, archiepiscopi E Lugdunensis, unius ex lxxii discipulis Christi et sociorum ejus; Sixti Papæ, S. Leonis episcopi Catacensis, Ermilai presbyteri, et Margaritæ Virginis.

etiam corpus S. Vitaliani.

3 In marmore altaris positi a latere dextro, sculpta erant hæc verba: Corpus S. Vitaliani archiepiscopi Capuæ. In marmore altaris positi a latere sinistro, sculptum erat: In hoc altare continentur reliquiæ sanctorum Fortunati episcopi, brachium Zotici, et reliquiæ Januarii martyris et aliorum Sanctorum. In nullo tamen ex dictis lapidibus apparuere sculpti dies, menses et anni: litteræ vero græcæ propter temporis antiquitatem ita devastatæ erant, ut legi etiam a peritis etiam dictæ linguæ minime possent: instarent tamen apud nos prædicti magnifici D. syndicus, mag. Juratus et electi civitatis, ut ad perpetuam rei memoriam aliquis notarius conficeret instrumentum publicum de dictis litteris. Quapropter egregio notario Nicolao Francisco Vento dictæ civitatis Catanzarii, ut satisfaceret justo desiderio dictorum F magnific. dominorum syndicorum et electorum [injunctum est] qui die decimo nono Junii ejusdem anni, antequam altariola prædicta destruerentur, publicum confecit instrumentum.

quod a C[illegible] II eo [illegible] existimant.

4 Ubi autem rumor irrepsit per totam civitatem, quod altare S. Vitaliani esset destructum (uno enim hoc nomine ac titulo tria illa altariola vulgo nuncupabantur) confestim totus fere populus, tam virorum quam mulierum, convenit ad ecclesiam, maxima spe ductus, et zelo devotionis commotus invisendi ac venerandi corpus S. Vitaliani, quod credebatur reconditum in dicto altari. Ferunt enim olim Romanum Pontificem Calistum, de anno mcxxii in has venisse regiones, pacis componendæ gratia inter Guilielmum Italiæ ducem et Rogerium Siciliæ Comitem, a Capua transtulisse corpus S. Vitaliani in hanc civitatem, posuisseque illud in ecclesia majori, eamque consecrasse, corpusque reconditum esse in altari dicti sacelli. Verum cum tanta multitudo populi hac de causa convenisset in ecclesia, timebatur, ne si altare palam

lam et in conspectu populi amoveretur, nec aliquæ reliquiæ apparerent, populus amitteret devotionem, quam semper habuit erga prædictum S. Vitalianum, propter credulitatem, quam habebat universa civitas, quod in dicto sacello, et altari reconditum esset ejus corpus, eo maxime quia multi ob temporis longitudinem nolebant credere ibi esse, nec umquam fuisse tale corpus, ut pro certo asseccurabat antiquitas;

5 Mandavimus operariis, ne altare præfatum destruerent nisi noctis tempore et clausis januis ecclesiæ, ac remotis quibuscumque arbitris præter unicum sacerdotem, quod sane diligenter executum fuit. Destructo autem altari seu prædictis tribus altariolis, nihil in ipsorum altarium stipitibus repertum fuit, sed sub ipsis altaribus apparuerunt tres loculi marmorei bene clausi : nam sub unoquoque altari aderat unus loculus; quod ut nobis relatum fuit, die sequenti, quæ fuit die XXII Junii ejusdem anni, commisimus duobus sacerdotibus, ut clausis januis ecclesiæ, et remotis quibuscumque personis, aperirent loculum qui erat positus a latere dextro, quod statim ab ipsis diligenter ac secrete executum fuit, nobisque festinanter ac lætanter retulerunt, in præfato loculo adesse reliquias S. Vitaliani. Quod ubi intelleximus, statim ad nos accersiri jussimus plures ecclesiæ nostræ canonicos et presbyteros ac R. P. Rectorem collegii Societatis Jesu, cum duobus aliis sacerdotibus ejusdem Ordinis, nec non et magnificos syndicos et electos civitatis, et alios nobiles quam plures.

6 Quibus convocatis, præmissa sancti Spiritus invocatione, rationem vidimus eorum omnium quæ acta fuere, ac longus habitus fuit inter nos discursus, quid agendum esset; et licet variæ fuissent opiniones, nihilominus conclusum fuit, ut dictæ reliquiæ amoverentur ex dictis loculis; tum quia propter loci humiditatem incipiebant vastari et corrodi, tum etiam ut decentiori et honestiori loco positæ, majori devotione venerarentur; et interim præpararetur arca lignea foderata velo serico rubeo, ac in tres partes distincta ac separata, in qua Sanctorum reliquiæ separatim reponerentur, prout separatæ in dictis locis invenirentur: quæ statim præparata, ac tribus diversis clavibus munita, quarum una apud nos remaneret, altera apud camerarios ecclesiæ conservaretur, tertiam dictus dominus syndicus custodiret. Ad horam quasi circiter secundam noctis, associati a quam pluribus canonicis et aliis presbyteris ecclesiæ nostræ, a R. P. Rectore Societatis Jesu, a RR. PP. Guardianis S. Francisci de Observantia et S. Francisci de Assisa cum eorum sociis, et a duobus RR. FF. Capucinis, necnon a prædictis D. D. syndicis, magistro Jurato et electis, ac multis nobilibus civitatis, inter quos aderant tres excellentissimi artium et medicinæ doctores ac peritissimi qui adhibiti fuere ut ossa, juxta illorum peritiam, quæ in dictis loculis reperirentur, recognoscerent.

7 Accessimus ad ecclesiam, et facta prius ad sanctissimum Sacramentum adoratione et oratione, contulimus nos ad locum ubi erant prædicti loculi, et accepta Cruce ac stola super rochettum et mitra, accensisque quam pluribus luminariis, benediximus primo arcam, in quam prædictæ reliquiæ Sanctorum erant reponendæ, juxta ordinem Pontificalis, factaque benedictione dictæ arcæ, mandavimus aperiri loculum positum in latere dextro; quo aperto, statim inventæ fuerunt duæ laminæ plumbeæ, in quarum una, lingua latina, in altera litteris græcis sculpta erant hujusmodi verba : CORPUS SANCTI VITALIANI, et in præfato loculo repertæ fuerunt infrascriptæ reliquiæ ejusdem Sancti, prout prædicti excellentissimi D. D. medici, secundum eorum peritiam retulerunt et recognoverunt, videlicet XXIII ossa, numeratis parvis et magnis, capitis S. Vitaliani; præterea frustum maxillæ inferioris. Item septem vertebræ dorsi tam integræ quam fractæ. Item tria frusta vertebrarum schinæ, *voluit dicere spinæ dorsi, quemadmodum et alias partes semi-Italice appellat, quas hic enumerare nil juverit, a Paulo Regio satis explicatas in Vita cap.* IX. *Pergit.*

8 Item sacculus pulveris corporis S. Vitaliani : quæ [reliquiæ] omnes maxima cum veneratione inde levatæ fuerunt per manus unius sacerdotis superpelliceo induti, et repositæ in dicta arca in parte dextra. Deinde apertus fuit loculus, qui in medio positus erat, in quo aderant similiter duæ laminæ plumbeæ, una græcis, altera latinis litteris insculpta in hæc verba : RELIQUIÆ SANCTI HIRENEI : et inventæ sunt in dicto loculo reliquiæ quæ sequuntur; videlicet, os unum brachii non integrum; item unum os parvum brachii integrum, item integrum os calcanei . . . . . Item sacculus pulveris ossium parvorum; quæ etiam ipsæ per manus sacerdotis prædicti, inde levatæ, in media parte dictæ arcæ reconditæ fuerunt. Postremo jussimus aperiri tertium loculum, positum a latere sinistro, ubi pariter repertæ fuere duæ laminæ similes superioribus, quæ litteris tum græcis tum latinis, hæc verba scripta habebant : CORPUS SANCTI FORTUNATI ; et inibi aderant infrascriptæ reliquiæ : videlicet XII ossa capitis seu calvariæ, tam parva quam magna : item os integrum vertebræ; item duo parva frusta costæ etc.

quæ in recentiorem capsam, ... *postmodum repositæ sunt.*

9 Item sacculus pulveris dictarum reliquiarum, quæ relatæ fuere in parte sinistra dictæ arcæ; quo enim ordine positæ erant in dictis loculis, eodem ordine fuerunt reconditæ in dicta arca, quæ statim clausa a sacerdotibus canentibus Te Deum laudamus, maxima cum veneratione, ac populi, qui ad sonum campanarum convenerat, devotione delata fuit in sancta Sanctorum, et collocata super uno altari prope altare majus a cornu Euangelii, quo in loco præfatæ reliquiæ conservantur et conservabuntur usque quo ecclesia ipsa et sacellum præfatum reædificabuntur, et cum facta fuerint vasa argentea, quibus custodiantur ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, et beatæ Mariæ Virginis, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac S. Vitaliani patroni ac protectoris hujus fidelissimæ civitatis, omniumque aliorum Sanctorum et Sanctarum Dei. In quorum omnium fidem has præsentes litteras manu nostra subscripsimus, et nostro sigillo muniri mandavimus. Datum in episcopali palatio Catacensi die XXII mensis Junii anno a nativitate Domini nostri Jesu Christi MDLXXXIII, Indict.

EX MSS.

Indict. XI, tempore pontificatus sanctissimi in Christo Patris et D. N. D. Gregorii divina providentia PP. XIII, anno ejus XII feliciter Amen. Nicolaus episcopus Catacensis.

Aliud instrumentum.

10 *Ecgraphi hujus ex proprio originali extractionem et concordantiam manu signisque propriis testatur Antonius Ducatus Catacensis et ipse Notarius* XIII *Julii* 1637. *Reliquum est ut hic aliud instrumentum subnectam, quod superius numero* 21 *pollicitus sum. De testimonii authentia dubitandum prorsus non est, cum propria decani et singulorum canonicorum manu subsignatum sit, ac debite legalizatum, ut aiunt, a Jacobo Tavano presbytero Catacensi, Notario Apostolico. Id observari velim, tempus quo mulier impudica prope Sancti tumulum sepulta dicitur, notari ad marginem manu Silvestri Aiossæ, fuisse annum* 1584; *opinor non satis opportune, nam eo præcise articulo novum altare parabatur, in quo memoratæ jam Sanctorum reliquiæ decentius reponerentur,* delatæ *interim* in sancta Sanctorum et collocatæ super uno altari prope altare majus etc. *Cum autem eodem omnes loculo et ante et post inventionem* B *reclusæ fuerint, non usque adeo exploratum videtur ex qua parte manna stillare solitum sit. Rem propono prout ipsam descriptam inveni.*

APPENDIX

De manna ex S. Vitaliani corpore scaturiente.

De stillatione mannæ.

Nos infrascripti dignitates et canonici cathedralis ecclesiæ hujus civitatis Catanzarii in verbo veritatis, ac tacto pectore attestamur, ex antiqua immemorabili majorum nostrorum traditione accepisse, quod e sacro corpore sanctissimi confessoris Vitaliani, civis et episcopi Capuani, primarii nostri Patroni, cujus sacræ reliquiæ fuerunt circa annum MCXX nostræ civitati concessæ a s. m. Calisto Papa II, cum has regiones personaliter invisit, et cathedralem ipsam consecrare dignatus fuit, et in eadem cathedrali una cum S. reliquiis sanctissimi martyris Irenæi episcopi Lugdunensis et Fortunati episcopi Tudertini, Patronorum minus principalium asservantur, jam diu manna scatebat, usque ad tempus * quo fuit prope locum, ubi sacra pignora latebant, sepulturæ traditum cadaver cujusdam inhonestæ mulieris: quasi indignatus fuerit sanctissimus Pastor, ut apud omnes fuit constans judicium, hujusmodi sepultura, ob solicitudinem maximam, quæ semper eum tenuit suæ pudicitiæ, ut dubitaverit quidem proximitate illius impudici cadaveris quodammodo inquinari; quemadmodum semel in vita, supposititiis muliebribus vestibus immodestiam objicere quidam impii ejus persecutores tentaverunt, prout plane legitur in ejus Vita apud Sanctuarium E et Breviarium Capuanum, et in libro de Sanctis hujus civitatis Patronis ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino Paulo Regio Vici Æquensis episcopo b. m. typis dato. In quorum fidem etc. Datum Catanzarii hoc die XXVIII mensis Octobris MDCLVIII.

D

* id est 1584 ad annum

Subscribunt Franciscus Lopes decanus, Franciscus Cifolli U. J. D. cantor, Dantes Biasi U. J. D. thesaurarius, abbas Vitalianus Marescanus J. P. D. cappellanus major, Julius Misaro subcantor, Fidelis Zeccone canonicus, Carolus Songo canonicus, Joseph Micisetta canonicus, Joannes Antonius Cifolli canonicus, Franciscus Maria Cinna canonicus, Lucas Longo canonicus, Paulus Pelitus canonicus.

DE S. JUSTINIANO CONFESSORE

LEMOVICIS IN GALLIA.

J. P. S.

C F

Ex Breviario loci et Martyrologiis.

XVI JULII.

Solo cultu notus est.

Andreas *Saussayus in magno suo Gallicano Martyrologio, sub laterculi finem memorat hoc die in hunc modum :* Ipsomet die, Lemovicis depositio S. Juliani confessoris, sanctitatis gloria, magis quam speciali Actorum recensione illustris. *Quis* Julianum *istum Lemovicensem Saussayo suggesserit, frustra quæro hactenus : videtur ipse postmodum rem melius intellexisse, dum in Supplemento (nulla prioris annuntiationis facta mentione aut retractatione) ita scripsit pro hoc eodem die pag.* 1146 : Lemovicis, sancti Justiniani confessoris, fidei operibus, et charitatis Officiis præclari, *Differunt certe* Juliani *et* Justiniani *nomina, neque ambo hoc die Lemovicensibus conveniunt; neque multo distinctiorem posterioris, quam prioris notitiam Saussayum habere potuisse, satis constat : neque vero suppeditare eam potuit Bernardus Guidonis in opere* De Sanctis qui ornant Lemovicensem diœcesim, *per Labbeum vulgato, tomo* I *Bibliothecæ Mss. pag.* 629, *utpote in quo nec* Julianus *nominatur, nec* Justinianus, *ut prima fronte perspicere non potuerim, unde ipsum Saussayus protulerit, nullos dictorum suorum fidejussores citare solitus. Posteriorem textum secutus est Castellanus, sed neque ipse ad rem illustrandam quidquam contulit.*

etiam sub Justiniani nomine.

2 *Ex his omnibus facile fuit conjicere, Sanctum hunc sive* Julianum *sive* Justinianum *solo nomine notum esse.* Justinianum *signavit etiam Ferrarius his verbis :* Apud Lemovicos, sancti Justiniani confessoris; *fontem assignans* Kalendarium Lemovicensis ecclesiæ, *addensque,* nil *aliud in eo legisse. Quod sane mirum non est, nam dum istius ecclesiæ Breviarium, anno* 1625 *editum, volvo et revolvo quam possum accuratissime, in ejus Kalendario ad hunc diem solum* Justiniani *nomen propositum invenio : in ipso autem Breviarii ordine hæc paucula dumtaxat leguntur :* Die

A Die XVI Julii. Sancti Justiniani confessoris, Oratio. Adesto Domine, de communi confessoris non pontificis. Lectio III. Justus si morte præoccupatus fuerit. *Atque hinc satis aperte consequitur, Lemovicenses ipsos ignorare, quis, qualis, aut cujas Sanctus iste fuerit : quo sæculo vixerit, quibus in vita virtutibus, quibusve post mortem miraculis claruerit : ut eo demum res tota reducatur, pridem istic et constanter, tamquam Sanctum ecclesiæ isti proprium, cultum fuisse.* AUCTORE J. B. S.

DE S. REINELDE VIRG. MART

CUM SOCIIS GRIMOALDO ET GONDULFO MM.

SANCTIS PROPE HALLAS DEIPARÆ IN HANNONIA BELGII.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. J. B. S.

§ I. Sanctæ nomen, locus cultus, ejusque celebritas.

B

Sæc. VII. Non ad Sanctas Cliviæ.

Varie efformari hujus Sanctæ nomen, in confesso est, aliis scribentibus Rayneldis, Raynildis, *aliis* Reynildis, Reyneldis *vel* Regnildis, *plerisque nobiscum simplicius* Reineldis, *uti in titulo exprimitur (Gall.* Renelde *et* Reneld, *communius a vulgo* Ernelle, *seu* Renelle.*) Utut scribendum censueris, id certe constat, cultu et peregrinationibus ferme quotidianis, ad eam instituti solitis celeberrimam esse in Brabantia potissimum et Hannonia, in quarum provinciarum confiniis situs est pagus ipse* Saintes, *forte ab ipsa Sancta et sociis Martyribus, ut de* Sanctis *Cliviæ a S. Victore et trecentis ac triginta Martyribus notum est, eo nomine insignitus, tametsi usitata prolepsi, a scriptore Vitæ, qui verosimiliter sæculo undecimo antiquior non est, vivente adhuc Sancta ita appellatus supponatur, utpote cui post Normannicas populationes ignotum fuerit nomen vetustius. Ast undecumque indita sit appellatio, errarunt omnes, quos proinde male secutus est Hydruntinus Archiepiscopus Astius in nuperis suis ad Martyrologium Romanum annotationibus, qui* Santhis in Clivia *tribuendam putaverint* S. Reineldem, *quam in Bracbanto seu* C *Brabantia natam, educatam, et martyrio coronatam indubitatum est : intellige in Brabantia latiori modo, uti olim solebat, accepta, a qua avulsæ postmodum partes non minimæ Flandriæ et Hannoniæ adscriptæ sunt, ut alibi in hoc opere sæpius dicendum fuit.*

Sed ad veterem Brabantiam pertinet Sancta.

2 *Ad Vitam S. Amalbergæ viduæ, hujus nostræ* Reineldis *matris,* X *Julii notatæ sunt aliquæ nuperi Legendistæ Gallici hallucinationes, atque hæc inter alias, quod Sanctam hodiernam in titulo Cliviæ adscripserit, ubi in decursu fateri cogitur, non alio ipsam honorari quam in ipsis nostris* Sanctis *Belgicis, paulo plus quam leuca horaria Hallis Deiparæ dissitis, in finitima Hannoniæ parte, qua Brabantiæ conjungitur. Sic eam locant et celebrant Usuardus Bruxellensis atque additiones Molani ad Usuardi textum, ut satis pateat, Bruxellensis annuntiationem, quod alibi non semel factum ostendimus, a Molano descriptam, saltem acceptam esse. Audiamus codicem Bruxellensem :* Apud Xanctas Brabantiæ, natale sanctæ Regnildis virginis et martyris, beatæ Gudilæ nostræ patronæ sororis. Quæ comitatu unius servi et ancillæ contenta, sanctam civitatem Jherusalem, et E singula loca, quæ Dominus Jhesus corporaliter perambulabat, peregre visitavit : et post septennium, cum multis Sanctorum reliquiis ad patriam rediens, apud Xantas mansit, donec ipsa, una cum Grimoaldo subdiacono et Gondulpho familiari, ab Hunnis pro fide Christi martyrii palmam suscepit.

Sanctimonialibus perperam adscripta.

3 *A Greveno absque positione refertur ; verum antiquiora sunt quæ tradit Florarium Sanctorum Ms. quod ita habet :* Apud Xanctum, in confinio Brabantiæ et Hannoniæ, natale S. Raynildis, virginis et martyris, sororis beatæ Gudilæ, de stirpe Karolidarum, quæ sub Danis passa est anno salutis DCLX. *Danos eo tempore per Belgium grassantes reperire difficillimum est ; melius abesset nota ista chronologica. In Adone Lobiensi alia manu adjectum est :* Sanctæ Reynildis virginis, Gundulphi et Grimoldi. *Monastici certatim* S. Reineldem *sibi vindicant, duce Arnoldo Wion, cujus hæc sunt verba :* Sancthis, natale S. Raineldis virginis et martyris, sororis B. Gudilæ, quæ cum Grimoaldo subdiacono et Gondulpho familiari, ab Hunnis pro fide Christi palmam martyrii accepit. F *Sequitur Dorganius, inde Menardus, qui pro* Hunnis *substituit* Hungaros ; *demum Bucelinus qui longum elogium contexuit ; verum illis prudentior Mabillonius recte censuit,* S. Reineldem *sanctimonialem numquam fuisse, nedum Benedictinam. A describendis elogiis hic abstineo, quæ videri possunt in Molani Indiculo ac Natalibus, in Fastis Miræi et Martyrologio Gallicano Saussayi, in nonnullis corrigendi, quorum omnium vices supplebunt Acta, de quibus agimus paragrapho sequenti.*

Sacri corporis elevatio sæc. IX.

4 *Ad cultus celebritatem spectat sacri corporis elevatio quam Manuscripta factam signant anno* 866, *alii* 860 *(Surius in sua editione anno* 806*) coram tribus vicinarum diœceseon episcopis, in qua elevatione primas partes egisse oportet episcopum Cameracensem, qui tunc erat, ut recte notavit Molanus, Joannes* XIX, *istius nominis primus, Sanctorum Catalogo adscriptus ; quod si alii Leodiensis fuerint et Tornacensis, erat ille tum Franco* XXXVIII, *hic vero Rothardus ordine* XXXIV. *Hæc conjectanda fuere, cum in Actis eorum nomina non exprimantur, de qua re sermo recurret in nostris ad ipsam Sanctæ Vitam annotationibus*

AUCTORE J. B. S.

nibus. Addit antiquior de Sanctæ Vita libellus gallicus, ex vetustiori editus Duaci anno 1617, *Gerardum Cameracensem episcopum ordine* XXXIII, *qui sedit ab anno* 1076 *ad an.* 1093, *sacrum corpus decentiori honorabiliorique loco reposuisse, sigilloque suo munivisse; quæ paulo distinctius explicata cuperem : si enim, ut passim dicitur, ab anno* 866 *in theca argentea depositæ fuerant sacræ exuviæ, non video quid eis adjungere potuerit Gerardus, nisi forte lipsanotheca prior a Normannis direpta, aut in templi combustione, de qua Acta etiam meminere num.* 13, *consumpta fuerit, reliquiis tempestive ablatis.*

translatio sæc. II.

5 *Fateamur, hæc omnia obscure et negligenter memoriæ aut litteris mandata, ex quibus id tamen erui posse videtur, anonymum Actorum compilatorem scripsisse post sæculum nonum, quo prima elevatio facta supponitur, et ante finem sæculi* XI, *quo Gerardum floruisse ostendimus; meminit enim primæ elevationis, non translationis a Gerardo factæ. Pergit jam dicta Vita gallica ut ferme etiam habet Molanus ;* Demum anno millesimo centesimo septuagesimo Joannes abbas Laubiensis *(opinor, ut loci primarius dominus)* sacras
B reliquias populo venerabiliter exhibuit, easque in augustiori lipsanotheca coram multis testibus collocavit. *Hactenus Vita illa gallica antiquior, ex qua ferme colligas, auream esse oportuisse alteram istam lipsanothecam, cum argentea dicatur fuisse augustior, sed ea adeo rigide accipienda, quis satis existimet? Adjiciunt Vitæ aliæ gallicæ recentiores, institutam earumdem reliquiarum visitationem anno* 1352 *per Petrum, abbatem item Laubiensem, ac novissime per Illustrissimum Franciscum vander Burch Cameracensem archiepiscopum anno* 1621, *unde, inquiunt, mirabiliter accrevit piorum fidelium in Sanctam veneratio et fiducia, adeoque et peregrinantium ad eam concursus, qui hodieque constantissime perseverat.*

Multiplicia Sanctæ miracula.

6 *Hisce in ordinem, pro rerum tenuitate utcumque dispositis, nonnulla dubia occurrere tum ad cultum, tum vitam spectantia, de quibus ut certior fierem, litteras dedi ad R. P. Arnoldum vanden Eynden, collegii nostri Hallensis Rectorem, ex quo, post non unam ad ipsum locum excursiunculam, paucula illa intelligere potui, quæ de eximio religioso cultu, et quotidianis prope ad San-*
C *ctæ intercessionem beneficiis mecum communicare dignatus est. Miracula imprimis testatur patrari annis singulis quamplurima, quorum ego multitudinem causam esse crediderim, cur ipsorum major ratio non habeatur. Omnis generis infirmitates per* S. Reineldis *merita sæpissime curari perhibentur, potissimum vero inveterata ulcera, vulnera atque id genus incommoda, quibus mire proficua est aqua celeberrimi fontis, medio circiter horæ quadrante a loci templo distantis, ab ipsius Sanctæ nomine appellationem nacti; quæ eadem tum Hallis, tum vicinis in locis ac alibi adhibetur frequentissime, imo et ad remotiora loca certatim deportatur, non sine sperato sæpe successu, cujus rei multiplicia sunt et recentissima argumenta.*

solemnioresque festivitates;

7 *Hinc illa prope incredibilis in* S. Reineldem *pietas et fiducia, ac proinde peregrinantium ad ejus sacras reliquias, ex locis etiam procul distantibus perpetuus concursus, qui et id sensim effecisse videtur, ut a multo tempore tamquam præcipua pagi patrona, in locum vetustioris sancti Quintini, habita jam pridem fuerit, adeo ut hoc die* XVI *Julii, ex more Ecclesiæ, festum celebretur a populo, cum cessatione a servilibus. Ad hæc particulari etiam cultu honoratur festo S. Mathiæ* D
Apostoli, quo, ex antiqua traditione, supponitur facta sacrarum reliquiarum translatio; quid velint Molani Natales per tertiam translationem quæ festive recolatur die XXVI *Octobris, hactenus non satis perspicio ; id certe R. D. loci Pastor indicare prætermisit. Ceterum solennitas longe præcipua celebratur ipsa sanctissimæ Trinitatis festivitate, ordinata frequenti non minus quam pia supplicatione, in qua sacræ reliquiæ currui triumphali impositæ circumvehuntur, una cum duabus lipsanothecis paulo minoribus ligneis SS. Grimoaldi et Gondulfi, quæ et in curru et in ipso altari Sanctæ dicato inferiorem utramque partem occupant. Ex forma thecæ pretiosioris* S. Reineldis, *e cupro deaurato fabricatæ, de aliis duabus, a primaria illa numquam sejunctis, facies conjecturam.*

feretrum, ... plicatio et ... fraternitas

8 *Statunculi argentei ad utrumque Reineldini feretri latus appositi explicatione non egent, cum satis pateat, sanctos duodecim Apostolos efformatos esse, quemadmodum in fronte sese pandit imago ipsius Sanctæ, quæ æque ac ceteræ tota argentea est, et ipsa altitudinis circiter duorum palmorum, virili ferme peregrinantis habitu induta, ut ex adjecto schemate satis patere existimo, in quo id ob-* E
servandum restat, ex opposita feretri fronte, si ita loqui licet, argenteam alteram beatissimæ Virginis Mariæ statuam repræsentari. Sesquipede lata est theca integra, alta duobus, ejusque longitudo ad quatuor extenditur. Quo tempore, aut cujus sumptibus condita fuerit, explorare hactenus non licuit. Porro Sanctensium vicinorumque accolarum singularis in sanctam Patronam veneratio ex eo patet quam maxime, quod sacro quodammodo fœdere inter se connexi, sodalitium seu confraternitatem instituerint, iis legibus, quæ et vulgatæ sunt, sibi præscriptis, quibus ad paulo perfectius vitæ genus, Christianasque virtutes exercitandas mutuis exemplis incitentur, concessis a summo Pontifice variis cœlestibus gratiis, ac plenariis etiam indulgentiis, præter eas quæ in S. Reineldis *festivitate ad omnes eo confluentes extenduntur, ex quibus manifesta sunt quæ in titulo probanda suscepimus.*

§ II. Genus, ætas, Acta.

F

Sanctæ pater, fratres, frater et soror.

De S. Reineldis *genere, parentibus, fratre et sorore totaque ipsorum in immensum aucta prosapia jam toties disputatum est, et recentissime ad dictum diem* X *Julii, ut prorsus supervacaneum sit, eam telam hic rursus exordiri. Tamquam certum statuimus, S. Amalbergam matrem non nisi marito unico nuptam fuisse, liberos vero, saltem qui noti sint, non nisi tres suscepisse, nempe S. Emebertum Cameracensem episcopum,* Reineldem *nostram, et Gudilam natu minimam, Bruxellensium patronam, exclusis omnino Venantio et Gengulfo, Pharailde et Ermelinde, de quibus vide Commentarium ad S. Amalbergam totis duobus primis paragraphis; ut hic non refutari, sed negligi et rejici merito possit adjuncta, de qua ibi locuti sumus, scioli alicujus ad Vitam* S. Reineldis *inepta observatio, qua eamdem corrigere voluit in eo, quem certum existimamus articulo, nempe quod Vita diserte asserat, filium unicum, filias dumtaxat duas genuisse S. Amalbergam, utpote, non nisi semel, ut dicto loco satis demonstratum est, maritatam. Quod præterea sciolus idem advertit, regis titulum Pippino perperam additum, aut Lotharingiæ ducem fingi Witgerum, ea omnia*

A omnia in nostra Legenda non exprimuntur; suntque de cetero satis ibi a nobis observata et repudiata: ignoscendum hominibus, ex sua ætate omnia metientibus.

[illegible] vii flo[illegible]

10 *Ad definiendam aut certis terminis circumscribendam* S. Reineldis *ætatem nihil satis distincti suggessit scriptor Anonymus: vixisse sæculo sancto Belgico, seu Christi septimo, dubitare non sinunt ea quæ de singulis propria quaque festivitate satis explicata sunt. Cum Emeberto et Gudila sæculum octavum non videtur attigisse, cum utroque verosimillime senior fuerit et natu maxima, ejus vero martyrium innecti debeat iis temporibus, quibus barbarorum aliquorum depopulatio in Brabantiam usque acciderit.* Hunos *appellant Acta, sed generico nomine, ut Bollandus ad Vitam S. Relindis* III *Frebruarii recte observavit; qui verosimillime Frisones fuerint, Francis inter se digladiantibus, eo usque prædationes suas extendentes. Ab his, quantum colligere licet, intercepta cum sociis sancta Virgo sanguinis effusione martyrii coronam adepta fuerit, eodem tempore quo Morsellanum S. Relindis monasterium destructum est, interfecto ejus fratre Eligardo, quem-* B *admodum citato loco accurate, et si non vere, saltem ad veritatem proxime explicuit Bollandus, ac post ipsum Cointius in suis Francorum Annalibus ad annum* 680 *a num.* 10.

[illegible] fuerit martyrio coronata

11 *Ceterum, utut fortasse ea omnia indubitata omnino non sint, extra controversiam esse volumus* S. Reineldis *et sociorum martyrium, ex receptissimis sacris Fastis et Legenda satis probatum; cujus non putamus verosimiliorem epocham determinari posse, quam annum istum circiter* 680, *quem tamen scrupulosius stabiliendum non suscipimus, uti nec diem ipsum martyrii; satis est, ab immemorabili, hoc* XVI, *tamquam natali cultam fuisse* S. Reineldem. *Optandum esset, ut Acta paulo majori fide niterentur, quam toties desideravimus in Sanctorum Belgicorum Legendis, post Normannicas ruinas ex superstite, plerumque valde confusa, populi traditione nimis quam liberaliter ornatis et auctis, interpolatisque pro crassa in texendis genealogiis, disponendaque temporum ratione imperitorum hominum ignorantia. Inter varia Mss. a Majoribus nostris collata, ea est potissima diversitas, quod librariorum præjudicia nonnulla hinc inde inseruerint, quæ firmandis opinionibus suis magis apta existimarunt, et sic aliqui liberos plures sanctæ Amalbergæ tribuerint, alii pauciores. Jam alias dixi, placere mihi præ ceteris exemplar illud quod suggerit codex S. Pauli in Sonia notatus* ✠ *Ms.* 50, *neglectis variantibus recentiori calamo alicubi adjectis; ad quod proxime accedit Surii editio, omnibus ferme præferenda, nisi editor ipse fateretur, sese more suo stylum mutasse; imo ita passim elimasse deprehenderetur, ut plerasque difficultates sustulerit.*

[illegible] quæ hic datur,

12 *Præter jam dictum Soniensem codicem exstat et alius, sed is recentior, in quo* S. Reineldis *Acta multo diffusiora sunt; aucta nimirum longioribus parergis, qualia etiam habentur in alio manuscripto, cui apposita est manus Rosweydi, testantis, collationem a se factam cum manuscripto ad S. Martini Lovanii, ut manifeste patet ex pluribus mutationibus interpunctionibusque, quæ satis aperte ostendunt, interpolationes seu phrases amplificatas non paucas in ea exempla irrepsisse, ex quorum aliquo, manu recentiori, plurima ad margines et ad calcem paginarum adjecta sunt in ipso S. Pauli, quem sequimur, codice, sed quæ omnia prætereunda putavimus, quod meræ plerumque auxeses sint verbose extensæ, quibus nimirum magis excrescerent Sanctæ Acta. At enim satis ampla ego existimo quæ hic dabuntur, et sufficientibus dubiis referta, ut aliunde accersenda non sint quæ lectores remorentur. Pippinus, non quidem cum regis sed cum regnantis titulo, soror aut neptis ejus S. Amalberga, Witgerus, ejus maritus, Lotharingiæ ducatum tenens, et hujusmodi alia, ex eadem ferme figlina procedunt, in qua ipsiusmet Amalbergæ et sanctorum liberorum historiæ procusæ sunt, ut jam satis superque dictum et repetitum fuit.*

AUCTORE J. B. S.

Legendis Gallicis præferenda.

13 *A Legendis, seu potius encomiis gallico sermone editis, nihil subsidii quærendum est; libelli sunt ad pietatem venerationemque Sanctæ apud confluentes peregrinos conciliandam magis quam ad fidem faciendam aptati, de quorum genealogica serie, immensis superjectionibus adaucta, jam alibi satis locuti sumus. Ex tribus istiusmodi libellis, qui penes nos sunt, vetustior Duaci editus est apud Marcum Wion anno* 1617, *sub titulo* Vitæ S. Reineldis *(Gallice* Renelle*) alii duo ab priori diversi, sed inter se consimiles, vocantur elogia contracta, eodem ferme tempore Leodii et Bruxellis vulgata, nullo anno apposito, ut ex approbatione data anno* 1681 *ætatem colligere oporteat utriusque editionis, quam certo vetustiores aliæ præcesserint, eodem, quod saltem huc attineat, operæ pretio. Historia pueri Santhensis ad Rhenum, furto scilicet* S. Reineldis *caput auferentis, ita ibi describitur, acsi Sanctæ caput istic remansisset, unde æque ad Rhenum atque in Hannonia ejus habeatur solennitas, de qua re nec vola nec vestigium reperitur apud Santhenses ad Rhenum, ubi nec Virginum cœnobium agnosco, quod ea occasione conditum fuerit, ut proinde absque ulla Legendæ totius corruptione abesse possit tota ea historia, Vitæ* S. Reineldis *adjecta.* E

Quales fuerint martyrii socii.

14 *De duobus sanctæ Virginis et Martyris sociis* Grimoaldo *et* Gondulfo, *seu* Gundulfo *nihil hoc loco dicendum occurrit, præter ea quæ de illis in ipsa communi Legenda memorantur. Hodiernam loci traditionem esse intelligo, primo nominatum, nempe* Grimoaldum, *pastoris seu curati Sanctensis ecclesiæ officio functum fuisse, alterum custodis in eadem ecclesia, ubi interim in Actis num.* 9 *et* 11 *prior* clericus *dumtaxat et* subdiaconus, Gondulfus *autem* serviens *seu* famulus *appellatur. Utra dignitas præferenda utrobique sit, pluribus non disquiro; satis nobis sit, dici ipsos et vere fuisse* S. Reineldis, *per gloriosam fidei confessionem, illustris martyrii socios, eodemque perpetuo et constanti cultu apud Sanctenses donatos, de quorum anteriori vita vel gestis nihil memoriæ proditum sit. His ad debitam notitiam abunde præmissis, reliqua in annotationes observanda rejicimus. Habe igitur modo Acta ipsa pro ut a nobis ex codice S. Pauli descripta sunt, pauculis hinc inde ad perficiendas constructiones inter hæc [ ] signa conclusis.* F

VITA

EX MSS.

VITA

Ex Ms. codice S. Pauli in Sonia, cum aliis Mss. et Surio collata.

Nobilissimis orta parentibus, a b

Igitur *a* beatissima virgo Rayneldis nobilissimis natalibus, Condacensi castro, quod super Scout *b* fluvium situm est, extitit oriunda. Nam regnante Pippino, patre sanctissimæ virginis Gertrudis, cujus vita virtutibus et miraculis innumerabilibus claruit, pater illius, Wigerus nomine, totius Lotharingiæ ducatus officium gerebat, et inter palatinos principes primatum tenebat. Dilectus vero Deo et hominibus idem Dux sic inter seculi fluctus disponebat principatum, ut tam regi quam collegis suis principibus cunctis placeret; et non minus pauperum omnium quam divitum gratiam obtineret. Fuit autem B possessio ejus prædictum castrum Condacum c et Amniacum *c* Wginiacumque *c*, cum aliis prædiis multis, quorum nomina non expedit hic recitari. Conjunxit ergo sibi in matrimonio puellam regiam, supradicti ducis d sororem *d*, nomine Amelbergam, forma speciosam, moribus bonis ornatam, operibus sanctis splendidam, castitate conspicuam, omnique honestate honestissimam. Ex hac ergo dedit ei Dominus sobolem sanctissimam Emebertum, postea sanctæ Cameracensis ecclesiæ pastorem beatissimum, cujus gesta plena virtutibus atque miraculis, usque in e f hodiernum diem ibidem florent *e*, duasque *f* filias, quarum una Gudila, altera Rayneldis vocabatur.

qui etiam ipsi sæculo renuntiarunt.

2 Sed eædem puellæ cum ab infantia sua vitam castissimam ducere proposuissent, multique illas regni primores, ob nobilitatem et divitias copulari sibi in conjugio cuperent, placuit eis, in virginitate permanentibus, cælesti sponso, toto mentis desiderio magis adhærere, quam mortalium contagiis conjugum maculari. Cumque adultæ ætate, Dei C consiliis magis quam hominum acquiescerent, vitamque juvenilem ab omni seculari levitate removere disponerent, placuit etiam patri et matri seculum, cælestis regni amore deserere, et illud verbum Dominicum adimplere; Qui renuntiaverit omnibus quæ possidet propter me, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit. Hæc igitur cupientes, ut tam magni ac tam desiderabilis promissi præmia consequerentur, ad effectum perduxerunt: nam Wigerus dux prudentissimus, sacræ religionis habitu suscepto, monasticæ regulæ se disciplinæ tradidit, uxor vero illius Amelberga, sacro velamine ab Autberto, sedis Cameracensis episcopo suscepto, Christo se dicavit.

nuptias omnino aversata,

3 Iis itaque, omni mundano honore postposito, Deo copulatis, prædia cum beneficiis sanctæ Rayneldi ejusque sorori remanserunt; et [cum] multi principes ac tyranni fortissimi eas legitima copula nuptiarum, non solum magna vi, sed etiam summa precum instantia, sibi sociari assidue perurgerent; fugientes castissimæ vitæ mutare propositum, ad divinæ religionis (sigillo desponsationis Christi cum sacro velamine accepto a prædicto Episcopo) protectionem convolaverunt. Sancta igitur Rayneldis, virgo Domini gloriosa, sicut ab ineunte ætatis teneræ primævo flore moribus bonis composita, castitatis flore decorata, divinis operibus insudare studuit, mox ad hoc totis viribus conversa, incredibile dictu est, quantæ se abstinentiæ dederit, quam assidue jejuniis et orationibus corpus suum afflixerit. Numquam a Dei laudibus lingua ejus silebat; non diebus neque noctibus a psalmis et hymnis, canticisque spiritualibus vel colloquiis divinis vacabat.

Marthæ et Mariæ partes sedulo implet.

4 Circa pauperes Christi semper intenta, qualiter alerentur ac veste tegerentur, nihilque indigerent summo nisu laborans, Marthæ officium plenissime adimplebat. Numquam manus ejus ab eleemosynæ sudore sicca apparebat; pauperes enim sæpius quibus impenderet, quam eos qui superabundabant minus *g* inveniebat. Ut [autem] Evangelicum adimpleret præceptum, de crastino non g cogitabat, sed omnia indigentibus [pro Christi E nomine] largiens, nihil sibi præter tenue sustentamentum vitæ retinebat. Servis et ancillis suis frequentibus obsequium, quam ipsi ei, præbebat, ipsisque recumbentibus ipsa diligentius ministrabat. Subtus ad carnem cilicio tecta crucem Domini carnis mortificatione in corpore suo jugiter portabat, sermonibus divinis sanctarumque Scripturarum doctrinis cordis aures aperiens, Mariæ, secus pedes Domini sedentis, partem optimam eligebat. Cumque in dies magis carnem domando roboraret [spiritum], nudis pedibus semper incedebat, et in oratione prostrata, sæpius noctem diei continuabat. Cibum vix umquam nisi semel in die, et hoc pauxillum panis hordeacei, et aquæ sumebat. Lectum sibi juxta morem nobilium, sericis vestibus tegumentisque pretiosis paratum respuens, in cinere et cilicio recumbebat.

Laubias pe[illegible]cta et ingressu exclusa,

5 Cum igitur nihil præter Deum habere decrevisset, placuit ei, divina inspiratione, cum sorore sua Gudila Laubias adire, et F beato Petro Apostolorum principi universa quæ habebat, tradere. Sed cum pulsassent ad ostium cœnobii, ut intromitti debuissent, ab ejusdem cœnobii monachis, foribus clausis responsum est eis, domum illam, ex quo fundata fuerat, mulierem non introisse. Hoc audito, Gudila recessit; sancta vero Rayneldis ante templi januas genibus nudis et cubitis se prosternens, omnipotentem Deum, per tres dies et noctes continuas sine cibo et potu permanens, piis precibus et lacrymis pulsare non destitit, donec ille, qui numquam servientibus sibi defuit, præsumentesque de se non repellit, signa potentiæ suæ mirabiliter ostendit. Nam tertia nocte media, fratribus cunctis quiescentibus, januas monasterii virtus divina aperuit, et nullo mortalium funes trahente, signa sonari fecit. Hoc excitati sonitu fratres undique concurrunt, et Sanctam ante imaginem sui Redemptoris, instar crucis prostratam invenientes, quid contigerit, vel quomodo ecclesiam intraverit, inquirunt.

6 Ad hæc, si peccatricem, inquit beata Virgo,

Virgo, homines immisericordes intromittere noluistis, ille, cujus misericordia cuncta consistunt *h*, ecclesiæ hujus januas mihi peccatrici aperuit, et sua virtute patefacto aditu, me, sicut videtis, introduxit. Audiens hæc pater *i* monasterii cum fratribus, se ad pedes illius misit, et ut suis orationibus apud Deum auxiliaretur, lacrymando oravit. Tunc se invicem salutantes, beata Rayneldis, positis in terra genibus, se vestigiis eorum prostravit, supplicans ut tantorum patrum orationibus mereretur commendari. Honorabiliter igitur magnaque cum devotione ab eis suscepta, quod disposuerat indicans, devotissime adimplevit. Nam cælestis regni Clavigero Sanctas cum quinque villis, appendiciisque earum omnibus tradidit, ut ab eo ad cæli palatium mereretur introduci.

7 Dehinc benedictione accepta a patre monasterii et fratribus, volensque majoris certaminis cursum aggredi, urbem Hierusalem [unius] tantum servi et ancillæ comitatu contenta adiit, ut ibi Redemptoris sui crucem bajularet, ubi eum pro sua omniumque salute passum credebat; ibique per biennium singula loca, per quæ Dominus abierat, devote visitavit, quasi Christum Dominum præsentem in corpore haberet *k*. Post septennium vero, acquisitis Sanctorum reliquiis pretiosissimis, parte videlicet sepulcri, lignique dominicæ crucis, vestisque incorruptæ Theotocos Mariæ, aliisque multis, ad patriam rediens Sanctas intravit, et a servis et ancillis suis, omnibusque loci illius indigenis cum summa lætitia suscepta, humanum modum transcendens super se vixit, et usque [ad] Hunorum *l* tempora, quasi in extasi mentis jam posita, terrenis cunctis calcatis, cælestibus inhians, contemplativæ vitæ statum, miraculis atque virtutibus refulgens obtinuit.

8 Sed cum, peccatis exigentibus, populum Christianum Dominus flagellis, ut criminis reum cædi permitteret, electosque a reprobis segregari vellet, Huni exire permissi sunt, qui Galliam intrantes gladiis cunctos perimendo, incendiis omnia tradendo, universam regionem penitus devastaverunt. Cum ergo loci illius incolæ terrore trepidi mortisque metu perculsi, alii per nemorum devia fugitantes, alii in speluncis petrarum montiumque cavernis se absconderent, nobiliores potentioresque per municipia et castella munitissima se reciperent, fortissima Christi agonista, nec minis mortis impelli, nec blandimentis amicorum a loco, in quo finire disposuerat, avelli potuit. Dicebat enim iis qui eam exire compellebant: Si propter eum qui se pro ereptione * mea et totius mundi pati voluit, istam miseram vitam perdere fugio, quid dicturus erit mihi, cum in sede majestatis suæ sederit judicaturus vivos et mortuos, si hanc miseram et brevissimam vitam, pro ejus amore perdere fugio?

9 Cum hæc et iis similia fortissima Christi athleta Rayneldis diceret, fugientibus omnibus, in eodem loco sola remansit, cum duobus tantum viris, præ ceteris sibi familiarus * adhærentibus, clerico scilicet, nomine Grimoaldo *m*, servientique, nomine Goudulpho. Irruentibus igitur barbaris, puella sacro pneumate *n* plena, in amore cælestis [sponsi] solidata, cum suis comitibus more solito ad orationis auxilium confugit, et ante altare sancti Quintini *o* martyris, in modum crucis se prostravit, ut sicut [ille] sui Redemptoris, martyrii palmam consequendo, testis fidelis extitit, sic illa juxta memoriam Martyris ejusdem testimonii Christi particeps mereretur fieri.

10 Cum autem barbari irruentes, non hominibus sed beluis immanissimis similes, humanum sanguinem more leonum ferocium sitientes, ecclesiam in qua Sancta Christi famula orabat, irrumperent, ipsamque Virginem arreptis crinibus, circumquaque traherent, cædentes eam fustibus atque flagellis, tundentesque calcibus, et pugnis impingentes, plagisque crudelissimis, et illusionibus atque injuriis multis afficerent, ipsa Domino in lætitia cordis psallebat, dicens: Benedictus es Deus pater Domini nostri, qui donasti mihi peccatrici, non meis meritis sed gratia Unigeniti tui, hoc quod semper optavi ab infantia consequi. Compellentibus igitur illam barbaris ut cervicem extenderet, flexo poplite, viriliter exspectabat ferientis ictum, præ gaudio lacrymans, atque fundens orationem, dicens: Gratias tibi ago, Jesu Christe, qui me dignatus es in numero ancillarum tuarum computari; et suscipe spiritum meum. Quo dicto, cervicem extendit, et ferientis ictum cæso capite sustinuit, et spiritum cælo reddidit.

11 Sanctus vero Grimoaldus, subdiaconus ejus, ejusdem sententiam decollationis succubuit. Gondulphus, tribus cappatis *p* infixis cerebro illius clavis, vitam finivit. Sed illud non expedit silentio supprimi, quod interfectis Martyribus Christi, milites sathanæ ecclesiam cum ipsis Martyribus incendere moliti sint, sed meritis beatæ Rayneldis obstantibus, nullo modo locum valentes accendere, confusi recesserunt. Consummavit igitur sancta Rayneldis cursum martyrii cum Sanctis asseclis suis XVII Kalendas Augusti, et cum victoriæ palma obdormivit in Domino. Recedentibus igitur Hunis, incolæ loci qui superstites remanserant, ad propria remeantes, invenerunt corpora Sanctorum inhumata, sepelieruntque sanctam Virginem cum prædictis sociis suis in eadem ecclesia Idus Augusti.

12 Cum ergo vellet Dominus glorificare Martyris suæ memoriam, fidelibusque suis ostendere, quantam in cælis consecuta esset gloriam, cuidam paralytico, per septem annos membrorum dissolutionem passo, revelatum est, ut ad sepulcrum Virginis deferretur. Qui mox ut ejus tumulum attigit, bases ejus et plantæ, ceteraque membra ejus ita solidata sunt, acsi numquam infirmitatem aliquam passus fuisset. Multi ergo febribus diversisque morbis obsessi, auditis miraculis atque virtutibus illius, de longe propeque venientes, ad ejus tumulum, Dei beneficiis, Martyrisque sanctissimæ adjuti meritis, Deum glorificantes, cum lætitia ad propria sani redibant. Multi cæci illuminati, claudi gressibus firmati ab ejus sepulcro cum ingenti gaudio redibant.

13 Quanta beneficia per eam Deus præstiterit populo suo, longum est enarrare, veremur etiam ne videatur legentibus fastidium generare:

ad S. Quinti aram obtruncatur.

Occiduntur etiam socii Grimoaldus et Gondulfus.

Miracula ad Sanctæ tumulum.

unde levata dicitur 866.

EX MSS.

EX MSS.

generare : horum tamen vestigia, pendentibus cereis oculis, manibus ac pedibus cereis, ceterisque membris virorum ac mulierum, a quibus, ipsius meritis, infirmitas evacuata, sanitasque recepta fuerat, usque [ad] combustionem *q* ecclesiæ, ob scelera populi combustæ, in testimonium [virtutum] illius remanserunt. Levata est autem sacratissima gleba corporis ejus de terra anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo sexagesimo sexto *r*, et recondita est cum magnis populorum atque psallentium Clericorum laudibus in theca argentea, præsentibus tribus confinium diœcesium episcopis *s*.

Caput furto auferens punitus, *t*

14 Post hæc paucorum annorum curriculo elapso, cujusdam nobilissimi viri filius *t*, amore litteralis studii accensus, natalem locum relinquens, ad has partes devenit, et Sanctas intravit, atque ibi hospitio a quodam presbytero, sapienti viro benigne receptus est : qui cum aliquanti temporis spatio ab eodem presbytero discendi causa ibi morari disposuisset, ipsique ecclesiam intrandi, quoniam bene atque morose compositus videbatur, B ad ejus libitum licentia concessa fuisset, nocte quadam, custodibus incaute dormientibus, fracto scrinio, caput sanctæ Rayneldis, cum libello in quo gesta ipsius habebantur, furatus abiit. Sed cum venisset ad domum patris sui cum sacris pignoribus, quantum Deum offendisset, vel quanti meriti esset Virgo, cujus pignora deferebantur, cives ejusdem loci latere non potuit ; nam idem juvenis protinus a dæmonio arreptus est, et adeo vexari graviter cœpit, ut vix in eo remaneret halitus.

parentum voto restituitur.

15 Tunc pater et mater, sicut prolis unicæ expertes, dolore nimio, atque anxietate gravi, continuisque lamentis se affligentes, re cognita, Deum, cui nihil est impossibile, devota mente imploraverunt, ut beatæ Virginis suffragantibus meritis, unicum pignus eorum dignetur saluti restituere, eorumque vota benigne suscipere : promittunt namque se in honore Dei et S. Rayneldis congregationem virginum, Christi sponsarum, ex suis possessionibus construere, si Dominus [eorum] desiderium dignaretur adC implere : quod ita factum est ; nam juvenis, expulso dæmone, ad integrum sanitatem recepit, atque post hæc Deo devotus exstitit. Illi vero, sicut Deo sanctæque Virgini voverant, adimplentes, monasterium feminarum juxta easdem Sanctas, in prædio suo, Elchina vocabulo, construxerunt, atque ibi se in Dei servitio mancipantes, cursum vitæ feliciter transegerunt. Hoc igitur pro posse scientiolæ rudis nostræ, licet incomposite, de vita et actibus sanctæ Rayneldis virginis atque martyris scripsimus : restat itaque, ut ipsius adjuvantibus meritis gloriosis, ad ipsius societatem pertingere mereamur, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et potestas et imperium, cum Patre et Spiritu sancto per infinita secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

D

a *Indicat hæc particula prologum aliquem præcessisse, qui modo non reperitur.*

b *De* Condacensi castro super fluvium Scout *vel* Scelt, *videndus* § IV *Commentarii de S. Amelberga.*

c *Corrupta, procul dubio, nomina, quæ non facile sit hodie reperire.*

d *Ita habet codex, quem aliquis corrigere voluit, substituendo* sororis filiam ; *necdum scio, utrum præferri debeat. Quæ hic et infra de S. Amalberga dicuntur suo loco illustrata sunt.*

e *Non dicit scripta esse, nam si tum, dum hæc scribebantur, exstitissent, etiam hodie probabilissime reperirentur.*

f *Non* tres, *ut male hic rursus aliquis mutare voluit. Consule dicta de S. Amalberga, meminerisque, Gudilam fuisse juniorem, seu natu minimam, de qua etiam ibi, sed fusius ad ejus Acta* VIII *Januarii.*

g *Vult dicere, opinor, plures cygnos se reperisse quam divites.*

h *In aliis Mss., et vel in ipsa editione Surii* E *hæc fusius amplificantur : magis placet brevitas. De negata ingressus causa, vide notationem ad alteram S. Scholasticæ Vitam* X *Februarii litt.* g, *pag.* 404.

i *Hunc putat Cointius fuisse* S. Landelinum, *sed gratis ; quamquam id fieri potuisse non negemus.*

k *Et ista et plura alia num.* 8 *et* 10 *alibi ornatius extensa invenies ; quasi hæc non sufficerent. Satis mira est pro ea tempestate teneræ virginis peregrinatio.*

l *Quinam Hunni isti verosimillime fuerint, dictum est in Commentario prævio.*

m *Inferius est* subdiaconus ; *sed de eo et socio vide numerum ultimum dicti Commentarii.*

n *Nempe Spiritus sancti gratia.*

o *S. Quintini martyris Acta dabimus* XXXI *Octobris.*

p *Vox barbara et redundans, nisi significet* acutis, *vel* capitatis, *ut magna clavorum capita innuat.*

q *Quando id acciderit, non divino : forte ad incursiones Normannorum referri potest.*

r *Malim legere cum Surio* 806, *quando paulo* F *pacatiora erant in Belgio tempora, quam an.* 866, *vel, ut alii,* 860 ; *quibus de theca argentea fabricanda cogitare non sinebat metus a jam dictis Normannis.*

s *Itaque Cameracensi, Tornacensi et Leodiensi, si modo hæc satis certa sint.*

t *Surii editio et Mss. aliqua volunt hunc adolescentem fuisse Santhensem ad Rhenum, forte ex nominum affinitate. Minus quidem displicet nostra lectio ; quamvis, ut dicam candide, abesse mallem totam eam historiam, seu duos ultimos numeros ; ne frustra cogamur quærere nescio quam* Elchinam, *fundatumque istic virginum monasterium, in quod etiam pueri pater se receperit ; cujus modo nusquam occurrit vestigium in Hannonia : ad Rhenum vero de* S. Reinelde *nihil prorsus sciri, jam pridem ad nos perscriptum est.*

A D

DE S. TENENANO SEU TINIDORO
LEONENSI EPISC. ET CONFESSORE.
In Britannia Armorica.

J. B. S.

Sanctorum minoris Britanniæ operosus collector Albertus le Grand de monte Relaxo, de cujus pretio et meritis sæpe alibi dictum est, nuperrime in Thuriavo Dolensi XIII *hujus, et signanter in Commentario ad Acta S. Golveni primo mensis die; Magnus, inquam, collector iste hoc* XVI *Julii, ex nescio quibus monumentis Vitam* S. Tenenani *more suo concinnavit, ex qua summatim capita aliquot delibasse, seu potius refutasse, erit totum quod scriptori isti hoc loco a nobis tribui possit. Id ipse et vetus ecclesiæ Leonensis Kalendarium certissime persuadent,* Tenenanum *a Britannis Armoricis ut vere Sanctum* B *recoli, quamquam Saussayi diligentiam effugisse omnino videatur. Castellanus in Martyrologio universali eum hoc die paucis annuntiat:* Leonæ in Britannia, S. Tenenani, istius urbis episcopi. *Præiverat Cointius in Annalibus, ubi ad annum* 635 *num.* 13 *ita scribit:* Tinidorus seu Tenenanus Leonensis episcopus ad Deum migràvit XVII Kal. Augusti, quo die celebris est ejus memoria; *nos de cetero remittens ad* Armoricam sanctam, *opus nimirum laudati Alberti, quem in ordine ad chronologiam clausis, ut ita dicam, oculis secutus est. Colganus item pro sancto* Tenenanum *habuit, paucula notans in observationibus ad Vitam S. Joavæ die* II *Martii, verum quæ omnia ambo ex solo Alberto decerpsere, reliqua Vitæ serie prorsus neglecta, quam nobis satis erit ex lectionibus Breviarii Leonensis retulisse.*

2 *Satis, inquam, cum aliunde de* S. Tenenano *quidquam certi explorare frustra tentaverim hactenus; ut jam candide non pronuntiem, ipsissimas lectiones ex meris et putis popularibus traditionibus coaluisse, quemadmodum ingenue is fassus est, cujus benevolentia descriptæ et ad me transmissæ sunt. Lobinæi mentem de Sancto ejus-* C *que in Leonensi episcopatu successione, in prædicto de S. Golvano Commentario clare explicui, cujus verba, ibi ex gallico latine versa non pigebit repetere. Sic ille de Sancto, quo de agimus:* S. Tenenanus seu Tinidor, ex insula Britannia ortus, sacerdotio initiatus erat, priusquam in Armoricam transiret. Diu illic vixit ignotus in silvis prope locum, ubi deinde conditum est Landerneau: demum e solitudine extractus est, ut veheretur ad cathedram Leonensem post Cetomerinum. *In his nihil de Hibernia ejusque ibi principatu, nihil de frequentata Britannorum regis aula, aut comitissa Arundelia, nihil de multis propter oris elegantiam periculis, nihil de impetrata deformitate, atque id genus aliis, quibus recensendis supersedeo. Neque nomen, ut semel dicam, inter Leonenses Episcopos, neque justam ætatem, multo minus gesta in ejus ecclesiæ Catalogis agnovere Chenu, Claudius Robertus aut Sammarthani, supra quos hic sapere mihi integrum non est, donec probatiora monumenta aliunde suggerantur. Habe modo jam dictas lectiones, ex Britannia haud ita pridem accepta, quibus quod addam, nihil habeo.*

3 In festo S. Tenenani Leonensis episcopi et confessoris. Lect. I. Tenenanus, claris genere et fide parentibus apud transmarinas partes natus, Caradocum, sanctitate et doctrina famosum, puer audivit: cujus in schola tantum brevi profecit, ut et scientia et meritorum gloria suos longe coætaneos superaret; sanctissima nihilominus Christi disciplina, quam vanis philosophiæ documentis multo illustrior. Absoluto studiorum curriculo, regis Britanniæ aulam, pro voto parentum, ingressus omnium in se oculos et admirationem convertit: cumque esset forma et totius corporis præstantia spectabilis, ut puellæ cujusdam nobilis, a qua deperibatur, importunas ad matrimonium vexationes evitaret, et quam Christo devoverat castitatem, glorioso fœnore servaret illibatam, quasi leprosi deformitatem precibus impetravit. Balneo postmodum ad id parato, et medica Caradoci manu pristinum statum mirifice consecutus est. Adolescens nihil habuit antiquius, quam ut assertam generose castimoniam adversus carnis insultus continua fulciret abstinentia, eleemosynis et oratione corroboraret; modestia et honestate confirmaret; pauperes et ignotos, verbo et exemplo, viam salutis edocebat, quod ut faceret, aptos ad id ex sacris Scripturis locos ac textus depromebat. *Obiter notemus, S. Caradocum, cujus Vitam habes* XIII *Aprilis, obiisse anno* 1124, *atque hic tamen, si Superis placet,* S. Tenenani *nostri magister fuerit, quatuor circiter sæculis antequam nasceretur. Pergamus:*

ne quidem ex Breviarii Lectionibus, E

4 Lect. II. Factus inde presbyter, mundi illecebris omnino abdicatis, se totum Christo specialius addixit, ecclesiasticis Officiis indefesso labore mancipatus. Quæ dum attentiore animo exequeretur, jussus ab angelo in Armoricam transfretare, sedem administraturus, cui nuper præfuerat beatus Paulus Aurelianus. Nec mora, dicto audiens Tenenanus, rebus compositis, cum nonnullis sociis mare Britannicum felici enavigatione prætergressus, ad sinum Brestensem, in solo Leonensi situm, appellit: inde fluminis Elorni ripam, quæ Landerniam ducit, divino numine secutus, in densissimam silvam exilit, non sine magno suscipientium gaudio et fructu: loci namque incolas, cum in locum propter frequentes Danorum incursiones abditos, nec propterea de religionis Christianæ exercitiis admodum solicitos, ad vitæ revocavit sanctioris institutum, ædificatis ibi convenienti distantia duobus oratoriis, quæ ecclesiarum abinde parochialium titulo glorientur, ipsoque altera eorum patrono. *Multa lectionum harum scriptori condonanda sunt, dum sæculo verosimiliter sexto, Danos memorat (alias Normannos) Britanniam minorem invadentes, quos multo serius eas oras infestasse constat: sed fuerint piratæ alii quicumque, in iis non tanto-pere*

quas satis patet, F

AUCTORE J. B. S. et popularibus traditionibus concinnatas.

pere laborabimus. En modo lectionem tertiam.

5 Lect. iii. In iis vir Sanctus Euangelium prædicabat, tremenda altaris mysteria conficiebat, Sacramenta administrabat, et sacrum Domino cum suis Officium persolvebat; quin etiam temporali fideles beneficio recreabat. Barbaros siquidem illos, ut sacrum ærarium diriperent, aliquando contendentes, apparente divinitus supernorum militum exercitu, suis precibus fugavit, et a similibus deterruit deinceps attentandis, patriæ liberator. Hæc omnium Tenenano admirationem et amorem conciliaverunt, unde sancto Golvino, ad æternam retributionem id temporis evocato, communi cleri Leonensis suffragio, populi desiderio, in episcopum electus, ejus in locum a Dolensi tunc Metropolitano rite suffectus est. Tum absoluti pastoris partes omnes ut adimpleret, crebras suæ diœcesis obire visitationes, mores corrigere, diruta ac semiusta templa excitare, ecclesiis parochialibus dignos rectores præficere una illi cura fuit. Tandem miraculis clarus obdormivit in Domino circa annum salutis sexcentesimum trigesimum quintum, in sua cathedrali sortitus sepulcrum. *S. Golvini seu Golveni, de quo jam locuti sumus, successor an decessor fuerit, non est qui satis certo definire hactenus possit, neque nos, in tanta rerum confusione, alia examinanda aut determinanda suscipimus.* D

DE S. EUGENIO EPISC. ET SOCIIS

NAULI IN LIGURIA.

J. B. S. B

Ex litteris Joannis Stephani Flisci S. J. E

XVI JULII. *A Ferrario prætermissum,*

Utut diligentissimum Sanctorum Italiæ investigatorem fuisse Philippum Ferrarium ultro fateamur, id dissimulare non possumus, attentionem suam nonnumquam desiderari passum esse; cujus rei hoc die patentissimum nobis præbet exemplum. Ad diem vii *Septembris de S. Paragorio ejusque sociis Naulensibus martyribus agens, diserte ait, sese* ecclesiam S. Paragorii extra urbem Naulensem haud procul a mœnibus vidisse; *unde, nisi vehementer fallor, plane perspicitur, ipsam etiam urbem ingressum esse, potuisseque adeo facillime intelligere, quis ejusdem primarius esset patronus, nempe* S. Eugenius *episcopus, ipsumque coli hac* xvi *Julii; ubi interim in toto suo magno Sanctorum Italiæ Catalogo, nec verbulo de ipso meminit; ut minime dubites, quin spicas hinc inde post se reliquerit, quas utinam alii colligere satagerent, nobis suo tempore profuturas. In eo operam non modicam pridem posuit noster Joannes Stephanus Fliscus, locis pluribus* C *in hoc opere merito laudatus, cui etiam hoc die acceptum referimus jam dictum* S. Eugenium *episcopum, prædictæ civitatis principalem patronum, hac die* xvi *Julii solenniter cum sociis celebrari solitum, ut docebit ejus epistola ad Janningum nostrum data* v *Octobris* 1694, *ex qua habemus quidquid de Sancto isto reperiri hactenus potuit.*

suggessit nobis Stephanus Fliscus,

2 *In res Naulenses, ac præsertim in ejus loci Episcopos, pro instituto suo studiose inquisivit Ughellus, ut testatur ipse Italiæ sacræ tomo* IV *a col.* 1398, *verum absque sperato fructu, cum sua aliunde colligere coactus sit, quando* nobis scribentibus, *inquit,* nulla Naulensis ecclesiæ monumenta lucem adferre potuerint. *Describit ibi* parvam civitatem *(Noli) prope mare in Ligustica ora, ad occidentem solem sitam, cujus de cetero Fliscus sufficientem notitiam suggerit. Narrat porro Ughellus, qua occasione perexiguum oppidum seu vicus, in urbis dignitatem evectus fuerit, unde manarit versiculus,* Urbs meruit dici, mutato nomine vici. *Id in rem nostram conducit, quod ex ecclesia S. Paragorii extra urbem, translata fuerit a Gregorio XIII episcopalis cathedra* in ecclesiam S. Petri *(nempe intra civitatem)* ubi corpora sanctorum Eugenii, Longini, Parthæi et Parthenopæi episcoporum summo decore asservantur. *De Parthæo seu Partheo et Parthenopæo, non episcopis, ut equidem reor, des S. Paragorii sociis suo loco agetur, nimirum citata jam* vii *Septembris; hic nobis satis est ostendisse,* S. Eugenium *Ughello non fuisse prorsus incognitum; cetera, quæ quidem sciri potuere, ex Flisci litteris modo accipe. Ita scribit:*

cum iis quæ de ipso sciuntur.

3 Nauli in Liguria celebratur festum S. Eugenii episcopi et confessoris, Patroni principalis hujus civitatis, die xvi Julii, quæ tamen non est dies obitus *(accepta sincere refero)* cujus sacrum corpus jacet in altari, eidem Sancto dicato, in ecclesia cathedrali, cum reliquiis duorum sociorum, quorum nomina, ut constat ex quadam visitatione Apostolica anni mdlxxxv, sunt Ennius et Eriginius *(fortasse Longinus.)* S. Eugenius dicitur prædicasse Euangelium in oris Liguriæ, præsertim in urbe Savonensi et castro Vadensi. F Defunctus est in insula, in qua sæpe morabatur, quæque jacet inter Vadum et Naulum, duobus milliaribus ab utroque oppido dissita. In ea visitur adhuc puteus miræ altitudinis, qui aliquot abhinc annis dulci aqua adhuc emanabat. Anno dcccccxci Bernardus a sancta Ecclesia episcopus Savonensis construxit in ea insula, quæ erat suæ diœcesis, insignem ecclesiam et anno sequenti monasterium, cujus adhuc exstant reliquiæ non exiguæ, ubi monachi Lerinenses vixerunt in sacrarum reliquiarum custodia.

Celeberrima erat et ditissima abbatia usque ad annum mccxxxix, quo Naulum ex oppido, urbis titulo fuit insignitum, novæque sedi episcopali dicta abbatia, dimissis ad antiquas sedes monachis, fuit aggregata; eaque occasione sacræ reliquiæ in hanc urbem translatæ sunt. Hæc omnia habentur tum ex traditione, tum ex aliquibus manuscriptis, extractis, ut fertur ex annalibus Savonæ. *Annales istos non vidimus, at quæ Ughellus adfert a col.* 1399 *rem hic a Flisco obiter indicatam pluribus*

A *ribus confirmant, adducto etiam Innocentii PP. IV diplomate, quo episcopatus erectionem a Gregorio IX factam, approbavit,* mensamque auxit episcopalem monasterio S. Eugenii, quod ab ecclesia Brumiacensi perpetuo disjunxit. *Vide ibi plura ab Ughello satis accurate collecta; nobis satis est hic obiter ostendisse* S. Eugenii *memoriam in eo monasterio antiquam fuisse, tametsi gestorum ejus seriem vetustas nobis inviderit. En modo reliqua Flisci verba :* Videntur etiam Nauli picturæ, vetustate pene consumptæ, in quibus conspicitur S. Eugenius in quadam scapha, ex dicta insula ad propinquas oras Liguriæ se conferens, ad prædicandum Dei verbum.

AUCTORE J. B. S.

DE S. SISENANDO LEVITA

MARTYRE CORDUBENSI.

Ex S. Eulogio.

J. B. S.

ANNO DCCCLI. Acta ejus et cultus.

De noni sæculi sub Arabum tyrannide Hispanis martyribus, præsertim Cordubensibus, jam toties in nostro hoc opere agendum fuit, ut eam historiam ex S. Eulogii Memoriali repetere, aut eorum veram palmam B *et constantem cultum ex Martino de Roa pluribus vindicare, necesse omnino non sit. Plures ex Cordubensium istorum numero Fastis sacris inseruisse Usuardum, satis etiam alibi dictum est: de* S. Sisenando *non meminit, qui nec in ejus auctariis, non ita pridem editis, reperitur. A monasticis Martyrologiis Wionis, Dorganii, Menardi et Bucelini, cum variis elogiis signatur tamquam* diaconus *et* monachus, *haud dubie Ordinis sui Benedictini, qui tamen tituli nusquam ab Eulogio exprimuntur; unde et ex eo* levitam *simpliciter appellandum censui, ut ante me fecit Baronius. Encomiis etiam suis Sanctum ornant Galesinius et Ghinius; verum cum tota martyrii ejus series certius et clarius hauriri non possit quam ex laudato Memoriali; iis omnibus et Breviariis quoque prætermissis, sufficient verba Romani Martyrologii ad hunc diem :* Cordubæ in Hispania, S. Sisenandi levitæ et martyris, qui pro fide Christi a Saracenis jugulatus est. *Neque hic quidquam occurrit quod examine aut discussione indigeat.*

Patria et ætas.

2 *Pacensem origine fuisse* S. Sisenandum, *diserte notavit S. Eulogius; eam porro urbem sic de-* C *scribit scholiastes ad libri* II *Memorialis cap.* V *:* Colonia Pacensis, in Lusitania olim, quod ex Plinio constat, etiam juridico conventu nobilitata, Arabum, Hispaniam occupantium, vastatione, ad parvi oppidi formam, ut nunc conspicimus, fuit redacta. Pertinet ad Portugalliæ regnum, Beiaque nuncupatur. De ejus nomine, situ et antiquitate multa egregie, ut semper solet, Andreas Resendius, ad Vasæum scribens. Ejus urbis excidium Rasis prosequitur. *Sed ad rem nostram hæc satis dicta sunto, ne frustra hic nos remoretur nimia, opinor, Tamayi præfidentia, quam Moralis auctoritati absque scrupulo postponimus. De martyrii tempore æque certa sunt omnia, annus imprimis, tot aliis martyriis nobilitatus; nempe Æræ Hispanicæ 889, Christi 851. Neque diem omisit Memorialis auctor, dum ait :* Gloriosa morte peremptum esse septimo decimo Kal. Augusti, feria quinta. Is est, *inquit denuo scholiastes,* Julii dies decimus sextus, qui eo anno feriam quintam occupavit, quod ex superioribus jam quivis poterit deprehendere; quadraginta enim et eo amplius dies sine martyrio processere; *nempe ab* VIII *Junii quo prægressa classis agonem compleverat. Habe modo rem totam ex jam citatis Memorialis libro et capite.* E

martyrium ex S. Eulogio.

3 Denique levita sanctissimus Sisenandus, ex Pacensi oppido ortus, Cordubam, intuitu discendi, avectus est, ibique apud beatissimi Aciscli basilicam, qua corpus ejusdem Martyris requiescit, digniter enutritus, ut ipse familiaribus retulit, invitantibus se beatissimis Petro et Walabonso, jam cælo martyribus collocatis, martyrium quoque et ipse aggressus est. Qui dum in carcere religatus maneret, tradunt, quod prophetico illustratus spiritu, patibuli sui horam præscius nuntiaverit. Nam quodam die cum responsum cuidam amico, se interroganti, aptaret, eique reciprocationis schedam scriberet, tribus aut quatuor jam digestis versiculis, subito nimia hilaritate perfusus, cælesti quodammodo gaudio vegetatus, e loco sessionis suæ consurgens, astanti puero schedulæ portitori, cui miles Christi reciprocari intendebat, semiscriptam, ut erat, accommodans, multis audientibus, ait : Recede modo fili, ne impetu satellitum opprimaris; quoniam jam potestas tenebrarum, vinculis me extrahere F præcipiens, nunc decollandum sibimet exhibebit. Post hanc prophetiam immobili semper gressu ipso persistente, eodem momento vociferantes lictores adveniunt, eumque præcipiti furore ad locum, quo martyrium erat consummaturus, pugnis, alapisque cædentes perducunt. Pergit Dei famulus, lætantibus animis, de corona victoriæ certus, qui ad cæleste convivium exhortantibus Sanctis fuerat invitatus. Sic namque judici præsentatus, eadem qua prius constantia, in sancta confessione perdurans, delicatus ephebus gloriosa morte peremptus est, atque inhumatus præ foribus palatii derelictus est septimo decimo Kal. Augusti feria quinta, Æra qua supra : cujus ossa post multos dies, donante Deo, a quibusdam mulieribus inventa inter lapillos alvei, in prædicti martyris Aciscli aulam deportata reconduntur.

DE

DE B. CESLAO ODROVANTIO
ORDINIS PRÆDICATORUM
VRATISLAVIÆ IN SILESIA.
COMMENTARIUS PRÆVIUS.
§ I. Cultus et Acta.

ANNO MCCXLII VEL MCCLVII.

B. Ceslaum Vratislaviæ olim publico cultu honoratum fuisse testatur Bzovius:

V*ratislavia, quæ a Germanis* Breslaw *et a Polonis vulgo dicitur* Wroclaw, *ampla regni Bohemici urbs et Silesiæ caput in Ducatu Vratislaviensi, qui ab ea nomen trahit, ad Oderam fluvium sita, et episcopali cathedra insignis* Ceslaum, *egregium ex sacro Prædicatorum Ordine apostolum, et prodigiosum suum olim contra Tartaros defensorem, jam ab aliquot sæculis tamquam beatum veneratur. Hujus publicæ venerationis testis est R. P. Abrahamus Bzovius, qui in Actis* B. Ceslai, *huic Commentario subnectendis, post narrata quædam miracula, de ejus cultu sic scribit num.* 54 *:* Propter quæ miranda facinora, non multo post, humo erutus et in ecclesiam munificentia civium, præsertim vero Nicolai Slup Vratislaviensis, anno Domini MCCCXXX in ea, quam nunc cernimus, amplitudine erectam de sub altare, sub ejus invocatione excitatum, illatus summa in veneratione popularium habebatur. Religiosa Majorum devotio sacra ejus pignora in theca parvula recondiderat et sera ferrea clauserat, jamque tum cultu diverso prosequebatur ad usque nostra tempora : nam et imagines ejus sculpebantur atque pingebantur, et honore publico colebantur ; anathemata ad altare illius sacrata beneficii accepti ergo suspendebantur ; Missæ et Horarum tam diurnarum quam nocturnarum propria Officia de eo recitabantur; anniversariæ solennitates ritu consueto aliarum festivitatum celebrabantur. *Hæc ille in genere ; nos ad singularia descendamus*

idemque ostenditur ex inscriptionibus,

2 *Non dubito, quin cives Vratislavienses in grati animi tesseram et religiosi cultus signum etiam fieri curaverint picturas (quo tempore factæ sint ignoro) vitam* B. Ceslai *repræsentantes, de quibus Theodorus Moretus Societatis nostræ sacerdos in litteris ad Henschenium nostrum anno* 1659 *Vratislavia datis sic loquitur :* Visitavi nudiustertius sepulcrum S. Ceslai in templo PP. Dominicanorum in hac urbe, cujus vita in choro cum variis inscriptionibus depicta est. *Deinde* infra imagines, in quibus vita B. Ceslai in pariete depicta est, *testatur legi sequentia : Ad* I. B. Ceslaus natione Polonus, unus de primis Fratribus, qui receperunt istum locum pro conventu anno MCCXXVI, secundus Provincialis provinciæ Poloniæ, vir magni meriti apud Deum, qui quatuor mortuos suscitavit, et aliis innumeris miraculorum insigniis in vita pariter et post mortem, ac usque in hodiernum diem coruscans. Hanc denique nostram inclytam civitatem. Vratislaviensem ab incursu Tartarorum suis orationibus liberavit anno MCCXLII. Hic in ecclesia S. Adalberti Ordinis Prædicatorum sepultus. *Ad* II. B. Ceslaus discipulus S. Dominici, socius S. Hyacinthi et primus Prior hujus loci. *Ad* III. Infantem aquis suffocatum post dies octo vitæ restituit. *Ad* IV. Spiritu apostolico plenus prædicat ; animas Christo lucratur. *Ad* V. Corpus suum disciplinis et vigiliis dure emaciat. *Ad* VI. Per flumen in cappa navigat, illudque sicco transit pede. *Ad* VII. Tres suscitat mortuos et variis claret miraculis. *Ad* VIII. Juveni cuidam in Odera pene submerso imploratus succurrit. *Ad* IX. Conventum sui Ordinis Vratislaviæ in periculosa ignis conflagratione in aëre conspectus defendit. *Ad* X. Moniali de se dubitanti inter Apostolos comparet. *Ad* XI. Cum Fratribus in oras septemtrionales mittitur. *Ad* XII. Fratres in pietate et religione confirmans Deo reddit animam.

et propriis Officii Lectionibus.

3 *Quod Bzovius generatim de ecclesiastico* B. Ceslai *Officio, Vratislaviæ recitato, affirmat, ita intelligendum est, ut a solo S. Dominici Ordine id factum fuerit : nondum enim tunc temporis ad clerum Vratislaviensem illud extensum fuisse videtur, cum in propriis istius diœcesecos Officiis anno* 1662 *impressis, inter quæ tamen S. Hyacinthi et S. Ignatii Loyolæ Officia ponuntur, de* B. Ceslao *nulla fiat mentio. Arbitror itaque, solos PP. Dominicanos Vratislaviæ, et forte in aliis quibusdam diœcesibus septemtrionalibus, Beati sui festum proprio Officio celebrasse : nam præter lectionum propriarum fragmentum, a R. P. Thoma Malvenda in Annalibus sacri Ordinis Prædicatorum ad annum* 1218 *cap.* V *adductum, habeo tria earumdem integrarum exemplaria. Primum a P. Theodoro Moreto Vratislaviæ descriptum est ex Breviario Ordinis Prædicatorum, quod Nissæ impressum est anno* 1602. *Alterum præcedenti omnino simile desumptum est ex Cracoviensi PP. Dominicanorum bibliotheca. Tertium denique inveni apud R. P. Joannem Rechacum in opere de Sanctis et illustribus personis Ordinis Prædicatorum Parisiis anno* 1650 *typis excuso, ubi tomo* III *in Vita* B. Ceslai *proprias Officii lectiones exhibet. Ultimum hoc exemplar duobus prioribus multo brevius est, et, ut dicam quod sentio, mihi antiquius et sincerius videtur : Lectiones quippe Vratislavienses et Cracovienses recentiora referunt miracula, quæ nempe circa finem sæculi decimi sexti contigerunt. Præterea earum interpolator illas incertis et verbosis narrationibus ita auxit, ut ex tribus sex effecerit. Cum autem hæc additamenta in Actis postmodum dandis contineantur, sufficiet hic ex P. Joanne Rechaco subnectere tres illas Lectiones, quas, ut dixi, antiquiores et sinceriores esse existimo.*

LECTIO

[illegible] sancte- [illegible] hic exhi- [illegible]entur.

4 Lectio i. Beatus Ceslaus, filius Eustachii Comitis de Conské, de domo Odrovants in provincia Oppoliensi diœcesis Vratislaviensis ortus, sancti Hyacinthi frater germanus fuit: cui tale nomen in baptismo non sine divino quodam præsagio, et instinctu inditum esse videtur: nam ex Polonico interpretatum honorem et gloriam significat. Qui secundum nomen suum Deo et sibi incorrupto bonæ conversationis odore, pia morum venustate, omnique sanctarum virtutum genere honorem et gloriam procurare satagens, non solum nobilitatis suæ lineam, verum etiam totam suam patriam et circumvicinas regiones decoravit, et splendore affecit illustriori.

Lectio ii. Tenerioribus annis innocenter decursis, theologiæ jurisque divini scientia Bononiæ assecuta, divo Hyacintho non inferior, ab Ivone patruo in canonicorum numerum, adjuncta prælatura custodiæ Sendomiriensis ecclesiæ, cooptatur. Qua dignitate, velut lucerna super candelabrum positus, sanctitate vitæ et pietatis exemplo aliis prælucebat. Religionis postmodum toga una cum sancto Hyacintho in monasterio sanctæ Sabinæ indutus, B sub beati Dominici patriarchæ disciplina tantum profecit, ut in vigiliis, jejuniis, carnis maceratione, orandi studio, piis meditationibus et contemplationibus, ac demum in ipsa humilitate atque ferventi prædicatione verus esset beatissimi patris sui Dominici imitator.

Lectio iii. Vestigiis patris sui Dominici insistens, totus divino ardebat igne, frigidissima mortalium pectora vitæ sanctimonia et divini verbi calore ad Christi amorem accendebat. Miraculis innumeris vivens et vita functus illustris. Vivens puerum aquis octiduo suffocatum ad hujus lucis usuram revocavit. Tres alios mortuos vitæ reddidit. Tartarorum immaniter bacchantium, ferro flammisque Silesiam longe lateque vastantium, innumeram phalangem oratione supplici ab Wratislaviensi civitate fugavit. Globum igneum super caput Ceslai conspectum fuisse ab hostibus aiunt. Prophetiæ insuper spiritu Ceslaus dotatus multa ventura prædixit, mul- C ta occulta patefecit. Aquarum turgentia flumina cappa supposita siccis pedibus trajecit. Hominibus languidis sanitatis desideratæ beneficia contulit. Vitæ cursu sanctissime transacto, laborum suorum coronam et præmium lætus aspiciens beato fine quievit anno mccxlii. Wratislaviæ sepultus plurimis ad nostra usque tempora coruscat miraculis.

Ad au[illegible]endum [illegible] [illegible]ltum nu[illegible] Clemens XI.

5 *Continent hæ Lectiones satis exactum vitæ compendium, et præcipua* B. Ceslai *gesta ac miracula breviter candideque describunt. Mirum profecto est post adeo manifesta publicæ venerationis indicia hujus præclari Viri memoriam non inveniri apud recentiores Martyrologos, qui generales Sanctorum et Beatorum catalogos ediderunt, atque in iis interdum collocarunt quosdam, de quorum cultu nullum exstat vestigium aut argumentum. Sed horum defectum abunde supplevit, et omne, quod ex eorum silentio suboriri potuisset, de legitimo cultu dubium plane sustulit summus Pontifex decreto non ita pridem edito, quod a RR. PP. Dominicanis Antverpiensibus mihi perhumaniter communicatum sic sonat:* Clemens Papa XI ad futuram rei memoriam. Nuper ad supplicationem dilecti filii Antonini Cloche Magistri Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum emanavit a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus præpositorum decretum tenoris, qui sequitur, videlicet:

Auctore G. C.

Decretum sacræ Congregationis de Officio et Missa

6 Wratislavien. Canonizationis beati Ceslai Odrovantii Ordinis Prædicatorum. Relatis ab Eminentissimo et Reverendissimo D. Cardinale Barberino precibus ex parte R. P. Antonini Cloche Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum, nomine totius suæ Religionis sanctissimo Domino Nostro porrectis, et a sanctitate sua ad sacram Rituum Congregationem remissis, quibus humillime supplicabatur, ut nedum in toto prædicto Ordine, verum etiam in civitate et diœcesi Wratislaviensi Officium et Missam de beato Ceslao ejusdem Ordinis Prædicatorum singulis annis ab omnibus tam dicti Ordinis Religiosis, quam etiam ecclesiasticis prædictæ civitatis et diœcesis Wratislaviensis, qui ad Horas canonicas tenentur, die ipsius festo recitandum et respective celebrandum concedere dignaretur, sacra eadem Rituum Congrega- E tio, audito prius tam in scriptis quam in voce R. P. D. Prospero de Lambertinis fidei Promotore, gratiam petitam concedendam esse censuit, si sanctissimo Domino Nostro visum fuerit, die xxvi Augusti mdccxiii. Factaque deinde per me Prosecretarium de prædictis sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas sua benigne annuit, prædictumque Officium de communi confessoris non pontificis pro civitate et diœcesi Wratislaviensi sub ritu semiduplici, pro Religione vero Prædicatorum sub ritu duplici recitari et Missam respective celebrari concessit die vi Septembris ejusdem anni mdccxiii. G. Cardinalis Carpineus. Loco ✠ sigilli. N. M. Tedeschi episcopus Liparitanus sacræ Rituum Congregationis Prosecretarius.

Confirmat.

7 Cum autem sicut dictus Antoninus Magister Generalis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, Apostolicæ confirmationis nostræ patrocinio communiri summopere desideret, nos ipsum Antoninum Magistrum Generalem specialis favore gratiæ prosequi volentes, et a F quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum præinsertum auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus. *Deinde post consuetas decretorum formulas ita subscribitur.* Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die xviii Octobris mdccxiii. Pontificatus Nostri anno decimotertio.

Et primo [illegible] festo indulgentias plenarias concessit.

8 *Anno sequenti idem sanctissimus Dominus* B. Ceslai *cultum augere volens dedit sequens Breve.* Clemens Papa XI universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem cælestibus

AUCTORE G. C.

stibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Fratrum Ordinis Prædicatorum ubique existen. Die decima sexta proxime venturi mensis Julii a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus pro unica vice valituris. *Dein iterum post ordinarias Brevium clausulas subnotatur*: Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XXVI Martii MDCCXIV Pontificatus nostri anno decimoquarto.

Bzovius Acta B. Ceslai ab hæreticis direpta ex fragmentis collegit,

9 *Confirmato jam satis* B. Ceslai *cultu, pauca de Actis ejus præmoneamus. Illa olim in Vratislaviensi PP. Prædicatorum Conventu conservata fuisse testatur ex eodem Ordine huic Beato suppar Humbertus, cujus verba citantur a P. Rechaco in Præfatione ad Vitam* B. Ceslai, *et a Bzovio in Vita huic Commentario subjungenda num.* 55. *At ea Acta anno* 1525 *a Lutheranis direpta et forte combusta fuisse ait eodem numero Bzovius, qui postea ex fragmentis quibusdam, quæ hæreticorum rabiem evaserant,* B. Ceslai *Vitam contexuit. Hic igitur antiqua Vitæ series exspectanda non est. Bzovius quidem diligenter omnia ad hunc Beatum virum spectantia collegit, sed hinc inde stylo suo nimium indulget, et narrat ea, quæ verosimiliter fieri potuerunt potius, quam quæ certo contigerunt. Id autem tantum intelligi velim de incertis quibusdam circumstantiis oratoria facundia exornatis: nam de miraculis aliisque substantialibus, ut ita loquar, gestis nullus dubito, ut patebit ex iis, quæ in decursu dicam.*

quæ nos cum fragmentis Mss. collata,

10 *Ex iisdem, ni fallor, fragmentis composita est* Vita *(hic est Ms. Vratislaviensis a nostro P. Andrea Stredonio ad nos missi titulus)* B. Ceslai Silesii Ordinis Prædicatorum ex bibliotheca PP. Dominicanorum Wratislaviæ ad D. Adalberti degentium eruta. *Statueram primo solum Ms. istud edere ; sed mentem mutavi, cum viderem narrationis seriem subinde non satis cohærere, ejusque collectorem Bzovio juniorem esse, quod postremum intelligo ex his verbis, quæ Actis a se collectis immiscuit*. Hujus Divi ossa, *inquit*, reperta sunt a Patribus Prædicatoribus Vratislaviæ anno Domini MDCVII quinta Januarii in eodem monasterio ; cujus cum honorem hæretici ferre non possent, anno MDCVIII vigesima septima Decembris plebeio tumultu templum D. Adalberti violatum fuit, teste auctore Annalium Silesiæ, et me hæc scribente, qui tum puer Vratislaviæ fui. *Hic itaque scriptor se puerum fuisse dicit eodem anno, quo Bzovius Vitam* B. Ceslai *edidit. Puto tamen, quod præ oculis habuerit eadem fragmenta, ex quibus Bzovius Vitam* B. Ceslai *collegit: nam plerumque verbotenus cum eo convenit, exceptis iis, quæ Bzovius rhetorice exornavit. Ne igitur hanc Vitam Ms. perdam, et ut simul integram Bzovii narrationem habeam, uncis* [ ] *includam ea, quæ Bzovius supplevit. Sic eadem opera lector distinguet fragmenta, quæ in Vratislaviensi PP. Dominicanorum cœnobio verosimilius supersunt, et ea, quæ Bzovius de suo illis addidit.*

posterioribus scriptoribus relictis, edu[ci]mus

11 *Plurimi præterea scriptores ex religioso Prædicatorum Ordine res a* B. Ceslao *præclare gestas litteris mandarunt. Præter varios, qui de illo obiter meminerunt, R. P. Thomas Malvenda ejus virtutes, labores ac miracula Annalibus suis sparsim inseruit ad annos, quibus probabiliter acciderunt. R. P. Dominicus Maria Marchesius in sacro Diario Dominicano tom.* IV, *ad diem* XV *Julii Vitam ejus Italice conscripsit. R. P. Joannes Rechacus in Opere Gallico jam citato eamdem notis chronologicis aliisque testimoniis illustravit. Addi his potest noster Bohuslaus Balbinus, qui in Miscellaneis Historicis Regni Bohemiæ lib.* IV § XLIX, *dedit accuratum ejusdem vitæ compendium. At hi omnes fatentur, se Bzovium secutos esse, ac nominatim Rechacus ante Acta* B. Ceslai *ita præfatur:* Historicus noster Abrahamus Bzovius labore suo diligenter collegit pretiosa antiquitatis monumenta, dum esset Commissarius Generalis conventuum et monasteriorum utriusque sexus in provincia Silesiæ. *Deinde, enumeratis scriptis, in quibus Bzovius de* B. Ceslao *agit, sic prosequitur:* Illi ergo acceptum referre debemus, quod de B. Ceslao scripturi sumus. *Vix dubito, quin R. P. Joannes Damascenus Lubieniecki, qui anno* 1711 *ex Ordine Prædicatorum ad Backoviensem in Moldavia episcopatum assumptus fuit, ex iisdem monumentis confecerit Inquisitionem de gestis et miraculis* B. Ceslai, *quæ Clementi XI oblata publicum licitæ venerationis decretum obtinuit, et Romæ in archivo Congregationis Rituum servatur, uti asserit Jacobus Echardus in recensione scriptorum Dominicanorum anno* 1721 *Parisiis edita tom.* II, *pag.* 792. *Cum itaque Bzovius sit antiquissimus Actorum collector, ejus opusculum de* B. Ceslai *gestis scriptum, quod sub titulo* Tutelaris Silesiæ *anno* 1608 *Cracoviæ typis vulgavit, post hunc Commentarium recudemus, resectis tamen dedicationibus, et parte prolixæ præfationis, aliisque, quæ ad institutum nostrum proprie non pertinent. Sed prius chronologicam Actorum seriem examinemus.*

§ II. Chronologica vitæ series usque ad tirocinium Religionis finitum.

Chronotaxis a R. P. Rechaco adornata.

V*arii variam rerum a* B. Ceslao *gestarum chronotaxim dederunt; sed nullus magis distinctam (utinam solidis fundamentis niteretur) quam dictus Rechacus in opere citato de Sanctis et illustribus personis Ordinis Prædicatorum: siquidem tomo* III *in Vita* B. Ceslai *cap.* IV *notabiliora vitæ puncta a nativitate ejus usque ad mortem in compendium chronologicum redegit, quod hic ex Gallico sic Latinum facio:* Natus est anno MCLXXXIV, S. Dominico decimum quartum ætatis annum agente. Anno MCC Pragæ studuit Philosophiæ cum suo fratre S. Hyacintho. Anno MCCIII Bononiæ operam dabat jurisprudentiæ ac theologiæ, dum decimum nonum aut vigesimum ætatis annum ageret. Anno MCCVII vel MCCVIII rediit cracoviam, et exercuit munus Canonici et custodis ecclesiæ Sendomiriensis usque ad annum MCCXVII. Anno MCCXVII triginta tres annos natus venit Romam cum patruo suo episcopo Cracoviensi. Anno MCCXVIII accepit habitum religiosum in conventu nostro S. Sabinæ

AUCTORE G. C.

A binæ per manus beati Patris nostri, et venit Frisacum in Germania. Anno MCCXXIX venit Cracoviam et ibi mansit usque ad annum MCCXXII. Anno MCCXXII venit Pragam fundatum duos conventus, unum pro Fratribus, alterum pro Monialibus sui Ordinis. Anno MCCXXIII Vratislaviæ fundavit monasterium pro suis Fratribus. Ab hoc anno usque ad annum MCCXXV percurrit regiones, in hac historia enumeratas, ut in iis annuntiaret fidem, aut bonos mores restitueret, vel Ordinem suum propagaret. Anno MCCXXXV fuit Provincialis Poloniæ. Anno MCCXL constitutus est Prior Vratislaviæ. Anno MCCXLII patravit grande istud miraculum liberans urbem Vratislaviensem a Tartaris, ac deinde eodem anno mortuus est XVI Julii. *Jam singulas hujus chronotaxeos partes discutiamus.*

circa nativitatem B. Ceslai.

13 *Imprimis epocha nativitatis, cui Rechacus annum Christi* 1184 *assignat, omnino incerta est. Quin imo ipsemet satis indicat, sese eam ex meris conjecturis figere, dum in Vita* B. Ceslai *ita scribit cap.* I : Non scitur certo, quo anno B. Ceslaus cœperit vivere; sed verosimile est, B cum natum esse post fratrem suum Hyacinthum, ac illo juniorem fuisse : nam sub beati Patriarchæ nostri disciplina cum fratre suo pari passu ad sanctitatis apicem contendens, tamen illi postponebatur, quasi ætas eum fratri suo cedere cogeret. Cum itaque S. Hyacinthus natus sit anno MCLXXXIII, nativitas B. Ceslai uno ex annis proxime sequentibus collocanda erit. Puto autem certe, eam figendam esse anno MCLXXXIV, uno post suum fratrem Hyacinthum anno, quia ita fuerunt ætate æquales, ut eodem tempore studiis operam dederint, eaque absolverint. *Hanc conjecturam, ex S. Hyacinthi nativitate factam, incerto fundamento niti satis innuit summus Pontifex Clemens VIII, qui in Bulla Canonizationis S. Hyacinthi ita loquitur :* Natus est beatus Hyacinthus in Polonia in villa, quæ Camiensis appellatur, Vratislaviensis diœcesis ante annum Domini MCC ex nobilibus et Christianis parentibus. *Vides hic annum nativitatis S. Hyacinthi a summo Pontifice indeterminatum relinqui. Quidni eum determinasset, si certum credidisset?* C *Adde quod Acta nostra postmodum exhibenda num.* 5 *indefinite dicant,* B. Ceslaum *natum esse* supra annum Domini millesimum centesimum octuagesimum ab orbe redempto.

fraternum sanguinis vinculum cum S. Hyacintho,

14 *Neque omnino certus est Fratris titulus, quo Rechacus ad conjecturam suam stabiliendam utitur : nam quamvis multi recentiores* B. Ceslaum *confidenter appellent germanum fratrem S. Hyacinthi; alii tamen ab hoc nomine prudenter abstinent. Leander Albertus in Vita S. Hyacinthi, ad diem* XVI *Augusti a Surio edita, ita scribit :* Porro præclarus antistes, consilio illius usus ex omni familia sua tres juvenes, morum honestate pollentes, delegit, videlicet Hyacinthum, de quo verba facturi sumus, Ceslaum et Hermannum Theutonicum, juvenes utique raros et tanta provincia dignos. *Severinus Cracoviensis in Vita S. Hyacinthi lib.* I, *cap.* I *citat ex Chronico Poloniæ verba sequentia :* Ivo ..... visis prodigiis, sanctitate, religione et prædicatione B. Dominici in Poloniam deducendos Fratres sui Ordinis petiit, et alios obtinere non valens, quatuor familiares et comites suos, scilicet Hyaczkonem sive Hyacynthum Canonicum Cracoviensem nobilem de domo Odrovons de provincia Oppoliensi et in villa Lanka heredem; item Ceslaum Polonum, Henricum Moravum et Hermannum Theutonicum per beatissimum Dominicum ad Ordinem assumi obtinuit. *In Præfatione autem idem Severinus adducit Martinum Cromerum episcopum Varmiensem, Matthiam Miechoviensem, aliosque Poloniæ historicos, qui* B. Ceslaum *tantummodo S. Hyacinthi socium appellant. In subscriptionibus, infra Vitæ ejus imagines Vratislaviæ positis, tantum* socius S. Hyacinthi *vocatur. Forte per æquivocationem hoc Fratris nomen* B. Ceslao *tributum est : cum enim ex eadem regione ac stirpe orti essent, et sese in Religione Fratres, uti mos est, compellarent, facile fieri potuit, ut putarentur germani fratres, quos Religio spirituali fraternitatis vinculo conjunxerat. Quidquid sit Clemens VIII in Bulla Canonizationis, numero præcedenti citata,* Ceslaum *S. Hyacinthi* consanguineum *tantummodo nominat.*

studia litterarum,

15 *Nescio, unde Rechacus adeo distincte studiorum ejus palæstras annosque noverit.* Anno MCC, *inquit*, Pragæ studuit Philosophiæ cum suo fratre Hyacintho. Anno MCCIII Bononiæ operam dabat jurisprudentiæ et theologiæ. E *Bzovius nec alii, quod sciam, studiis ejus philosophicis certam palæstram nedum epocham assignarunt. An forsan Rechacus illis Pragensem urbem assignat, quia legerat, S. Hyacinthum Pragæ studiis operam dedisse, supponitque* B. Ceslaum *cum S. Hyacintho eodem tempore et loco studuisse? Id si verum est, cur non etiam* B. Ceslao *Cracoviam studiorum palæstram tribuit, cum in Vita S. Hyacinthi, a R. P. Severino Gracoviensi conscripta, lib.* I, *cap.* III *legatur, quod S. Hyacinthus* primam Cracoviensem, secundam Pragensem, tertiam Bononiensem illustres academias magistras suæ juventutis *habuerit. Quid? quod Acta nostra num.* 10 *expresse asserant,* B. Ceslaum *etiam Parisiis studuisse. Interim Rechacus de studiis hisce Parisiensibus in chronologico suo compendio non meminit, nec ullum tempus iis vacuum relinquit. Quapropter suspicor totam hanc studiorum chronotaxin a Rechaco tamquam hypothesin proponi, ut explicet, quo tempore ea verisimiliter fieri potuerint. Idem judico de annis reditus in Poloniam et commorationis in urbe Cracoviensi.* F

ac iter Romanum, incerta esse ostenditur.

16 *Etsi reliqua vitæ series apud historicos magis chronologice scripta sit, tamen controversia non caret. Rechacus quidem ita asserit :* Anno MCCXVII triginta tres annos natus venit Romam cum patruo suo episcopo Cracoviensi. *Sed, si aliis credimus, iter illud necessario ad annum sequentem differendum est, cum varii scriptores Poloni affirment, Ivonem tantum anno* 1218 *episcopum Cracoviensem electum fuisse. Joannes Dlugossus alias Longinus lib.* VI, *Historiæ Polonicæ ad annum* 1218, *narrata spontanea Vincentii episcopi Cracoviensis cessione, et Ivonis electione, ita prosequitur :* Verum dum in admittenda Vincentii cessione per summum Pontificem difficultas timeretur, Iwo, assumpto sibi in comitem et consultorem Jackone de Opoliensi provincia et villa Lanka, Canonico Cracoviensi viro sensato et industrioso, ad Honorium Tertium in Urbem se contulit, et tam Vincentii cessionem admitti, quam suam nominationem confirmari, et in Cracoviensem episcopatum se promoveri, personam suam Ugolino cardinali, episcopo Hostiensi, propter familiaritatem præcipuam, quam invicem in studio Parisiensi contraxerant, coram Papa et

et Cardinalium collegio altis efferente laudibus, facile obtinuit. *Consonant huic epochæ varii Historici atque inter alios Joannes Cæsarius in Catalogo episcoporum Cracoviensium, ubi post præcipua Ivonis gesta paucis versibus comprehensa dicit, eum anno* 1218 *ad episcopale munus assumptum esse. Hisce contradicit chronicon Poloniæ a Severino Cracoviensi in Vita S. Hyacinthi lib.* I, *cap.* I *citatum, quod hanc electionem duobus annis prævertit hoc modo :* Suffectus est in locum Vincentii Cadlubconis episcopi Cracoviensis anno Domini MCCXVI Ivo, filius Saulis comitis de Conskye, nobilis de domo Odrowasz, cantor Gnesnensis, canonicus Cracoviensis et Ducis Lesconis Albi cancellarius *etc. Ex his contrariis auctorum opinionibus saltem patet, hic iterum incertam esse Rechaci chronologiam.*

Auctores inter se differunt in assignanda, causa ob quam Ivo Romam ierit.

17 *Nec major est scriptorum concordia, dum assignant causam, ob quam Ivo Romam profectus sit, Leander Albertus in Vita S. Hyacinthi superius citata sic de ea loquitur :* Forte ea tempestate Ivonem Romam persolvendi voti gratia petere oportebat, qui inter ceteros Hyacinthum seligens secum duxit. *Dlugossus autem,* B *cujus verba numero præcedenti dedimus, asserit Ivonem Romam ivisse, ut sua electio ab Honorio Pontifice confirmaretur. Bzovius vero in Actis* B. Ceslai *num.* 18 *longe aliam assignat profectionis causam his verbis :* Honorium Tertium acceperat tunc Ecclesia summum hierarcham; ad eum recuperandæ archiepiscopalis dignitatis causa concedens Ivo Odrovansius Cracoviensis pontifex, Ceslai patruus, eumdem et Hyacinthum sui itineris comitem esse voluit. *Ai Bzovius hic duo Romana Ivonis itinera confundit. Manifestum id fit legenti Martinum Cromerum lib.* VIII *de Rebus Polonorum. Dlugossus unum iter ejusque causam indicat verbis numero superiore datis; ultimam vero Ivonis profectionem describit lib.* VI *Historiæ Polonicæ ad annum Christi* 1229 *hoc modo :* Iwo Cracoviensis episcopus ..... splendorem metropolicum ecclesiæ suæ Cracoviensi, ab aliis prædecessoribus suis neglectum, satagens restituere, optimum et opportunum tempus ratus, quo restitutio ipsi possit provenire, in Italiam ad Gregorium Papam Nonum sibi multipliciter propter communionem familiaritatis et amicitiæ in studio C Parisiensi, dum ambos minor haberet status, contractam, favorabilem et affectum se contulit. *Severinus Cracoviensis in Vita S. Hyacinthi lib.* I, *cap.* IV *tria Romana Ivonis itinera distinguit. Sed ad chronologicum examen revertamur.*

Dicitur B. Ceslaus anno 1218 Ordinem S. Dominicii ingressus

18 *Neque magis certa sunt, quæ Rechacus de* B. Ceslai *ingressu in sacrum Prædicatorum Ordinem et discessu ex urbe Romana in Germaniam scribit his verbis :* Anno MCCXVIII accepit habitum religiosum in Conventu nostro S. Sabinæ per manus beati Patris nostri, et venit Frisacum in Germania. *Fateor equidem, hunc annum etiam passim assignari ab aliis historicis, qui anno* 1218 *collocant illud celebre S. Dominici miraculum, cujus occasione Hyacinthus,* Ceslaus *aliique religiosam vitam amplexi sunt. Odoricus Raynaldus tom.* XIII *Annalium Ecclesiasticorum ad annum* 1218 *num.* 35 *rem ita narrat :* Emicuit quoque Romæ per hæc tempora D. Dominici sanctitas : dum enim sacris concionibus magno cum Christi fidelium emolumento operam daret, adolescentem Napuleonem nomine, Stephani Cardinalis Fossæ-Novæ ex fratre nepotem ab equo dejectum collisumque, ac subita morte extinctum ad vitam revocavit, eaque occasione S. Hyacinthus Cracoviæ canonicus religioso Prædicatorum Ordini adcriptus est. *Hæc ille ex Dlugosso* D *seu Longino, qui lib.* VI *Historiæ Poloniæ ad eumdem annum eadem fusius enarrat. Prodigium istud etiam ad annum* 1218 *refert Malvenda in Annalibus Prædicatorum, citatque Vincentium Bellovacensem, Theodoricum, S. Antoninum aliosque, qui hoc miraculum memoriæ prodiderunt. Eruditissimus Jacobus Echardus, qui novissime scriptores Ordinis Prædicatorum duobus voluminibus edidit, tom.* I, *pag.* 82 *ex variis antiquis historicis conatur evincere, miraculum resuscitati Neapoleonis contigisse anno* 1219 *styli veteris, id est anno* 1220, *prout jam computamus. Nihilominus fateri cogitur, quod in dies, a Theodorico de Appoldia notatos, error irrepserit. Quid si amanuensium oscitantia idem in anno signando acciderit? Attamen Echardus tot tamque solidas affert rationes, ut illius opinionem ceteris præferendam existimem.*

et eodem anno tirocinium absolvisse.

19 *Bzovius in Annalibus Ecclesiasticis tom.* XIII *prodigiosam illam resuscitati Neapoleonis historiam ad annum* 1219 *num.* 8 *refert. Sed hic vel sui oblitus est vel secum ipse pugnat : nam in Actis* B. Ceslai *ad novitiatus, ut vulgo aiunt, principium* E *hæc notat in margine :* MCCXVIII tirocinium in Religione. *At hic iterum videtur sibi quodammodo contradicere, quando religiosæ votorum professioni in margine annum ejusdem sæculi vigesimum assignat his verbis :* Anno MCCXX professio solennis. *Huic longiori moræ repugnat Thomas Malvenda in Annalibus Prædicatorum. Audiamus ipsum ad annum* 1218 *cap.* XXVI *sic disserentem :*

ut probat Malvenda, cujus epocham recte rejicit Echardus.

20 Mansisse S. Hyacinthum cum sociis integrum annum in conventu S. Sabinæ tyrocinia Religionis exercentem, majoremque anni partem sub disciplina S. Dominici, qui tunc ibidem præsens aderat, ejus mores et virtutes imitari satagentem exegisse, Leander, Castillus, Bzovius et alii sunt auctores. At mihi ista reputanti difficultas oboritur; cum quod Annales Polonici, quos supra retulimus, aperte dicant, Ivonem quatuor eos socios, jam habitu sanctæ Religionis indutos, secum in Poloniam reduxisse; quem tamen haud est verisimile, integrum annum Romæ exspectasse, ut illi novitiatus elapso anno profiterentur; præsertim F cum iidem Annales referant, Ivonem tempore excitati Neapoleonis jam Romæ omnia negotia sua, opera Ugolini Cardinalis episcopi Ostientis expedivisse; tunc quod Clemens VIII in bulla Canonizationis, ut vidimus, diserte asserat, Hyacinthum perexiguo tempore omni S. Dominici disciplina instructum e manibus ejusdem Viri Dei habitu suscepto, ac expresse illius Religionem professum, in Poloniam cum sociis rediisse. At quod ait exiguo tempore, de anno novitiatus procul dubio minuit, cum novitiatus tempus justum sit, quo quis egregie instrui possit in disciplina monastica. His adde, quod non potuit Hyacinthus cum sociis a S. Dominico in Poloniam mitti, ejusque benedictione proficisci (quod tamen plerique tradunt) mox ut explevit integrum annum probationis, cum S. Pater eo tempore in Hispaniis egerit, nec Romam post discessum in Hispanias nisi ad finem anni MCCXIX redierit, ut suo loco dicemus. Conjectamur ergo, quod in aliis sæpe factum jam observavimus, Hyacynthum et tres ejus socios exiguo tempore, nempe

AUCTORE G. C.

A nempe duos aut tres menses in S. Sabina apud S. Dominicum religiosæ vitæ formulam hausisse, et omnem vitæ S. Patris rationem animo defixisse, moxque indulgentia et concessione summi Pontificis, vel more tunc recepto, emissa professione, quia necessitas id poscebat, amandatos a sancto viro in Poloniam hoc ipso anno, interque in comitatu Ivonis, qui eos reducebat, ad Carinthiam usque fecisse. *Omnibus expensis, R. P. Echardi opinionem circa tempus memorati miraculi tamquam probabiliorem amplector.*

§ III. Reliqua vitæ chronotaxis usque ad mortem.

Examinatur, an et quam diu Cracoviæ moratus fuerit;

A*cta nostra de triennali* B. Ceslai *commoratione in urbe Cracoviensi non meminerunt, sed num.* 22 *potius innuunt, exstructo monasterio Frisacensi, cum statim a S. Hyacintho Pragam, Bohemiæ metropolim, missum fuisse. Clarius adhuc idem indicat Lectionum propriarum fragmen-* B *tum a Malvenda in Annal. Præd. ad annum* 1218 *cap.* XXV *adductum, quod in fine sic habet :* Ad preces Ivonis uterque, velut duo apostoli, in oras septemtrionales dimissus : ille quidem Cracoviam ; beatus vero Ceslaus cum beato Henrico socio Pragam Boemorum metropolim se contulit. *Rechacus tamen adventus et more Cracoviensis tempus ita definit :* Anno MCCXIX venit Cracoviam, et ibi mansit usque ad annum MCCXXII. *Alii scriptores volunt, eum anno* 1218 *Cracoviam advenisse, et commorationis tempus adhuc magis exacte determinant. Malvenda in Annalibus jam sæpe laudatis ad annum* 1218 *cap.* XXVII *de hac re sic scribit :* Postquam S. Hyacinthus sex menses in conventu Frisacensi commoratus fuisset, Cracoviam cum Ceslao et Henrico Moravo pervenisse auctores omnes affirmant . . . . Mansisse autem ibi a festo omnium Sanctorum hujus anni, quando Cracoviam devenit, usque ad VIII Kalend. Aprilis anni MCCXXII, quando Ordini data est ecclesia sanctissimæ Trinitatis, nempe tres annos et menses quinque, Polonici Annales produnt. *Exiguum* C *enimvero temporis spatium est, ut eodem anno* 1218 *(vel potius* 1220 *juxta computum Echardi) religiosæ vitæ tirocinium per aliquot menses posuerint, Frisacense cœnobium exstruxerint, et Cracoviam advenerint. Attamen cum hæc omnia absolute unius anni intervallo fieri potuerint, Polonicis Annalibus suam qualemcumque fidem relinquo.*

quo tempore Fratrum cœnobium Pragæ fundaverit,

22 *Non convenit etiam inter auctores circa annum, quo Pragæ in Bohemia* B. Ceslao *concessum est monasterium. Malvenda in Annalibus ad annum* 1222 *cap.* XIII *ex chronico quodam Bohemico citat hæc verba :* anno Domini MCCXX Religio S. Domini introducta est in Bohemiam per Præmislaum regem. *Hanc chronici epocham plerique rejiciunt, et illius cœnobii fundationem anno* 1222 *collocant. Bzovius tamen in Actis* B. Ceslai *num.* 22 *de hac fundatione agens notat in margine annum* 1223. *Sed in chronologia sua parum constans videtur, cum in Annalibus Ecclesiasticis tom.* XIII *de* B. Ceslao *loquens, Pragensis monasterii exordium ad annum* 1222 *num.* 16 *referat his verbis :* Pragam a D. Hyacintho dimissus Gregorium Crescentium tituli S. Theodori Diaconum Cardinalem, Honorii III Pont. Max. legatum hoc anno ibidem agentem invenit, et tum auctoritate atque intercessione ipsius ac Andreæ episcopi Pragensis, per id temporis ab urbe reducis, tum beneficentia Præmislai Ottocari regis Bohemiæ, ecclesiam S. Clementis et monasterium Ordinis Prædicatorum acquisivit.

de quo Bohuslaus Balbinus etiam disserit.

23 *Quænam ex his epochis præferenda sit, non facile dixero. Concludo igitur cum nostro Bohuslao Balbino in Miscellaneis historicis regni Bohemiæ lib.* IV, *part.* I, § XLIX, *si quis forte conciliare possit diversa tempora ex his ejus verbis :* Compositis rebus omnibus in Polonia, et cœnobio Cracoviensi excitato, in Bohemiam anno MCCXXII cum beato Henrico Moravo aliisque sociis accessit. Sunt tamen qui beatum Ceslaum cum Roma in Poloniam rediret, Praham transiisse et aliquod cœnobio Pragensi jam tum datum initium suspicentur. Utut sit, Pragam Ceslaus advenit. Przemyslaus Ottogarus I regnabat eo tempore, qui sancti Viri cælestibus moribus, et vitæ innocentia captus, primum ante Pragam Majorem in Porzicz vico ecclesiam S. Clementis, deinde alteram ad pontem Pragensem in ipsa urbe E Majore ecclesiam itidem S. Clementis, jam ante non ignobilem, ereamque amplissimam pro cœnobio excitando liberalissime donavit. *Hæc loci mutatio, ad quam in margine notatur annus* 1527, *fusius narratur in Actis nostris num.* 22 *et* 23, *factaque dicitur propter crescentem Fratrum numerum, quos prior locus capere non poterat.*

Alterum Monialium Pragæ ab eo ædificatum fuisse vult Rechacus,

24 *Rechacus duplex cœnobium eodem anno Pragæ a* B. Ceslao *erectum fuisse affirmat his verbis :* Anno MCCXXII venit Pragam fundatum duos conventus, unum pro Fratribus, alterum pro Monialibus sui Ordinis. *Quo tempore hoc Monialium cœnobium Pragæ exstructum sit, hactenus invenire non potui, quia alii scriptores tantum unius monasterii Fratrum, a* B. Ceslao *Pragæ erecti, meminerunt. Forsan hoc collegit ex Bzovio, qui in Actis nostris num.* 24 *dicit quod* Margareta Leopoldi archiducis Austriæ filia, Henrici regis Romanorum vidua relicta, et post a Præmislao Ottocaro Boemiæ rege ob sterilitatem repudiata conjunx, in monasterio virginum, quod Ceslaus reliquit, pro humilitate inter eas, quas vocant conversas, ad- F scripta fuerit. *Bzovius hic quidem, et forte solus asserit monasterium Monalium a* B. Ceslao *ædificatum seu relictum esse ; sed nullum fundationis annum exprimit.*

qui in eo Margaretam e B. Ceslai manibus habitum Ordinis suscepisse erronee narrat.

25 *Præterea Rechacus Bzovii mentem male intellexit, et in Vita* B. Ceslai *cap.* II *sic perperam est interpretatus :* Simul atque erat ædificatum monasterium, regina Margarita, filia Leopoldi archiducis Austriæ, vidua Henrici regis Romanorum, et a Præmislao ob sterilitatem repudiata, inquit Bzovius, illic habitum religiosum suscepit ex ejus manibus, et humilitatis causa numquam voluit esse nisi soror conversa. *At quomodo, obsecro, ex* B. Ceslai *manibus habitum religiosum accipere potuit, quæ diu post beati Viri mortem Pragense monasterium ingressa est? Quomodo statim post ædificatum anno* 1222 *cœnobium, ut ipsi vult, ibidem religiosam vitam amplexa est, quam tantum anno* 1260 *juxta chronicon Mellicense, ab eruditissimis viro Domno Hieronymo Pez nuper editum, vol anno* 1251 *juxta Hagecium, Balbinum, aliosque historicos, Præmislaus repudiavit ?*

26 *In*

AUCTORE G. C.

Conventus Vratislaviæ a B. Ceslao fundati,

26 *In figenda epocha, qua cœnobium Vratislaviense fundatum est, iterum est dissensio et obscurum quoddam discrimen. Rechacus ita pronuntiat :* Anno MCCCXXIII Vratislaviæ fundavit monasterium pro suis Fratribus. *Malvenda in Annalibus ad annum* 1223 *cap.* IX *eamdem chronotaxim confirmat his verbis :* Eodem quoque anno fundatum conventum nomine S. Adalberti in Wratislavia primaria urbe Silesiæ, ex veteribus monumentis Provinciæ Poloniæ, ab Abrahamo Bzovio collectis, manifeste liquet. *At si ex veteribus monumentis Polonicis a Bzovio collectis manifestum sit, hunc conventum Vratislaviensem anno* 1223 *fundatum esse, quomodo in subscriptionibus, quas num.* 2 *supra exhibui, leguntur sequentia ?* B. Ceslaus, natione Polonus, unus de primis Fratribus, qui receperunt istum locum pro conventu anno MCCXXVI. *Imo cur ipse Bzovius in Vita* B. Ceslai *num.* 25 *circa hanc fundationem sic in margine, sine ulteriori explicatione notavit?* Diploma datum anno MCCXXVI Kal. Maii. *Vidit etiam Rechacus hanc difficultatem, eamque sic solvere conatur in Vita* B. Ceslai *cap.* II : Dum dicitur, quod fun-

B daverit conventum Vratislaviæ anno MCCXXVI, id intelligendum est de emptione loci et ædificatione actuali, sed receptio facta est anno MCCXXIII, sicut ostensum est ex antiquis testimoniis provinciæ Polonicæ. *Quidquid sit de hac explicatione, dolendum est, hæc antiqua provinciæ Polonicæ testimonia non distincte et verbotenus proferri : nam alienis oculis credere quam sit periculosum, quotidiana nos docet experientia, ac præsertim cautum me facit exemplum supra allatum de Margareta, quæ, citato perperam Bzovio, dicitur e manibus* B. Ceslai *habitum Ordinis suscepisse.*

apostolicæ ejus excursionis et Provincialatus,

27 *Duobus sequentibus annis dicitur* B. Ceslai, *animarum lucrandarum zelo incitatus, varias Septemtrionis provincias percurrisse. Ardui illius labores, et spirituales laborum fructus in Actis nostris num.* 28, 29 *et* 30 *enumerantur. Chronologiæ fides sit penes Rechacum, cum in aliis monumentis ex apostolica excursio certo tempore non circumscribatur. Idem fere dicendum censeo de annis provincialatus, quos Rechacus ita consignat :* Anno MCCXXXV fuit Provincialis Poloniæ. *Malvenda in Annalibus ad*

C *annum* 1242, *cap.* VI *eidem epochæ sic subscribit.* Fuisse beatum Ceslaum Provincialem Priorem Poloniæ creatum anno Domini MCCXXXV, index Provincialium ejus provinciæ redditus a Severino et Bzovio manifeste docet.

tempus discutitur.

28 *Ignoro, quem Severini indicem Malvenda inspexerit. Ego in Catalogo RR. PP. Provincialium Poloniæ Ordinis Prædicatorum, quem Severinus Cracoviensis inseruit Vitæ S. Hyacinthi Romæ anno* 1594 *typis excusæ, lib.* I, *cap.* XXIV *ita lego :* Primus post beatum Hyacinthum Provincialis provinciæ Poloniæ Reverendus P. F. Gerardus natione Theutonicus per Reverendissimum Magistrum Ordinis Jordanem præfectus et confirmatus anno MCCLXIII. *Deinde sequitur :* R. P. F. Ceslaus quondam custos ecclesiæ S. Mariæ Sendomiriensis ibidem elegitur et in Provincialem a visitatoribus Theutonicis confirmatur. *Tacile quidem explicari potest, quomodo* B. Ceslaus *hic tertius Poloniæ Provincialis numeretur, qui alibi vocatur secundus. Sed nisi hic sit quoddam vitium typothetæ in arithmetica, certe crassus error est auctoris in chronologia et historia, ut cuilibet Chronici PP. Prædicatorum vel tantillum perito patebit. Interim*

D *suppono, numerum anni* 1258 *computandum esse inter errores typographicos, quibus libenter veniam dedero, petoque vicissim.*

Fuit prior Vratislaviæ.

29 Anno MCCXL, *inquit Rechacus,* constitutus est Prior Vratislaviæ. *Idem munus* B. Ceslao *Malvenda in Annalibus ad annum* 1242 *cap.* VI *sic attribuit :* Per hæc tempora erat Prior Wratislaviensis in Silesia B. Ceslaus. *Bzovius autem in Actis hanc monasticam dignitatem diserte non exprimit, sed post descriptos ejus labores in administranda Poloniæ provincia, eum tamquam privatum Vratislaviæ vixisse potius innuit, hoc loquendi modo :* defunctus magistratu submisit falces, et reliquum tempus Vratislaviæ eodem tenore vitæ exegit. *Attamen in suis Annalibus Ecclesiasticis tom.* XIII *ad annum* 1241 *num.* 9 *narrans prodigiosam obsidionis Vratislaviensis solutionem,* B. Ceslaum *expresse vocat cœnobii Priorem.*

quando Tartaros in Silesiam irrumpentes, prodigiose fugavit,

30 *Quidquid sit de anno* 1240, *quem Rechacus huic religiosæ præfecturæ assignat, ego vix dubito, quin* B. Ceslaus *tempore irruptionis Tartarorum Vratislaviæ suis Fratribus præfuerit, cum id asserant plerique historici, qui* B. Ceslai *gesta*

E *vel leviter attigerunt. Inter hos Joannes Dlugossus lib.* VII, *Hist. Pol. ad annum* 1241 *Tartarorum in Poloniam vicinasque regiones irruptionem et Vratislaviensis castri obsidionem describens, sic expresse notat :* Verum cum obsidionem in dies aliquot, expugnatione non tentata, protraxissent, Frater Czeslaus Ordinis Prædicatorum natione Polonus, et monasterii S. Adalberti in Vratislavia primus Prior, qui in ipse in castrum Vratislaviense cum Fratribus sui Ordinis et aliis Christi fidelibus confugerat, oratione cum lachrymis ad Deum effusa, obsidionem depulit. Eo siquidem in oratione perstitente, columna ignea de cælo divinitus super caput ejus descendit et universum territorium atque locum civitatis Vratislaviensis stupendo atque inenarrabili fulgore illustravit. Quo prodigio Tartarorum pectora adeo in pavorem stuporemque conversa sunt, ut, obsidione soluta, fugerent magis quam discederent. *Etiam Prioris officium tum temporis* B. Ceslao *tribuunt Martinus Cromerus lib.* VIII *de Rebus Polonorum, et Mathias Miechoviensis lib.* I *Chron.*

F *Pol. cap.* XXXVIII, *quorum verba postmodum dantur in Actis num.* 41. *Minutias hasce etiam discutimus, ne quid in illustranda hujus Beati Vita neglexisse videamur.*

et anno sequenti, ut plerique volunt, mortuus est.

31 *Pervenimus tandem ad ultimum punctum chronologicum, quod Rechacus ita nobis proponit :* Anno MCCXLII patravit grande illud miraculum liberans urbem Vratislaviensem a Tartaris, ac deinde eodem anno mortuus est XVI Julii. *Sic breviter miraculi epocham, annum atque diem obitus* B. Ceslai *complectitur. De singulis pauca dicamus. Historici in Actis num.* 41, 42 *et* 43 *citati conveniunt de miraculi substantia ; at circa tempus est inter eos aliosque unius anni discrepantia : aliqui enim cum Rechaco volunt, Tartaros anno* 1242 *in Silesiam irrupisse ; plures vero et antiquiores chronologi illam barbarorum incursionem anno* 1241 *collocant. Quod ad annum obitus attinet ; is a plerisque statuitur post Christum natum* 1242. *Non tamen is ita certus est, quin aliqui Vitam* B. Ceslai *ad quindecim annos protrabant, uti testatur Malvenda in Annalibus ad annum* 1242 *cap.* VI *his verbis :* B. Ceslaum hoc anno ex hac vita

A vita subtractum in sempiternam evolasse Abraham Bzovius in monumentis ejusdem provinciæ tradit; alii ad annum MCCLVII pervenisse volunt. *Ego antiquis testimoniis destitutus hanc litem dirimere nequeo.*

die xv Julii. *32 Est etiam inter ipsos auctores Dominicanos in consignando obitus die aliquod discrimen. Bzovius in Actis* B. Ceslai *num.* 49 *ita expresse asserit :* Hinc postridie, ipsis scilicet Idibus Julii, ... aliquoties nomen Jesu devote invocans, sanctam in manus Conditoris efflavit animam. *Hunc sequitur. Marchesius in sacro Diario Dominicano, aliique, qui eum die* XV *Julii obiisse communiter tradunt. Tamen P. Dominicus Herreus in Anno sancto Ordinis Prædicatorum Flandrice impresso et P. Fredericus Steil in spirituali Viridario Ordinis S. Dominici, Coloniæ anno* 1776 *Germanice edito, eum cum Rechaco die* XVI *ejusdem mensis collocant. Clemens XI quidem in Brevi, quod num* 8 *exhibuimus, die decima sexta Julii primam ejus solennitatem constituit, et fidelibus, eam debite celebrantibus, plenarias concessit indulgentias. At inde non sequitur, illum eo die mortuum esse, cum sæpe ob festivitatum concursum* B *aliasve causas Sanctorum festa in alium diem transferantur. Nos tamen eum hac die, qua colitur, Actis nostris inserimus, et jam ejus Vitam a Bzovio collectam, et cum Ms. Vratislaviensi collatam subjicimus.*

ACTA

Auctore R. P. Abrahamo Bzovio Ordinis Prædicatorum

Cum Mss. fragmentis Vratislaviensis monasterii S. Adalberti collata.

PROLOGUS.

C *...ctor describit ...um statum ...siæ.* Agebatur seculum *a* centesimum supra millesimum a partu Virgineo, quo Ecclesia a profligatis moribus civium, non minus quam a vesania hæreticorum laborabat. Premebat illam gravi tyrannide Otto, ejus nominis secundus *b* Imperator. Consciderat eamdem multo schismate pervicacia aliquorum Orientalium et Occidentalium, et ne quid ad calamitatem deesset, ab orco delapsus Almericus *c*, cum innumera phalange Albigensium, truces in ipsam efflabant iras. Ab Ottonis rebellione, quam contra Innocentium III Pont. Max. suscitarat, in Hungaria, Boemia, Germania, Polonia, aliisque amplissimis regnis, passim volitabat impietas, et morum effrenis libido.

...a undique ...cta. 2 Præcentores malorum unus post alium quasi ex condicto prodibant, Fœdericus, Conradus, Vilhelmus, Mieceslaus, Bela, Ladislaus, et alii in borealibus regnis dynastæ, vel monstra magis naturæ; quorum ad exemplar reliquum vulgus passim, quasi lymphatum errore et amentia raptabatur. Opportunam occasionem nacti tunc hæretici, actum suum non impigre agebant; ædes sacras inflammabant, sacerdotes impio jugulabant gladio, symbola Religionis manibus scelestis temerabant, bonis omnibus necem struebant. Vere tunc poterat illud dici : « Exterminavit eam aper de silva, et » singularis ferus depastus est eam ». Pervaserat ea hæresis universam Italiam, Gallias, et Hispanias *d*, et cædibus, flammis, stupris, sacrilegio omnia fœdaverat. *AUCTORE BZOVIO*

succurrit præter alios S. Dominicus. 3 Ab hac ne internecione deleretur, vel labefactaretur Ecclesia, Dominicum et Franciscum, Religionum strenue adversus impietatem decertantium, antesignanos, aliosque eorum triarios odjecit, qui iram Numinis contra flagitia ferventem restinguerent, et Ecclesiam, qua schismate scissam, sartam tectam servarent; qua hæresi impugnatam atque adeo labantem fulcirent; qua etiam facinore multorum conspurcatam expiarent, et summo studio excolerent. Dormienti Innocentio III, summo Antistiti, ecclesia Lateranen. matrix omnium visa est ruere, nisi lacertos supposuissent Dominicus et Franciscus; ille doctrinæ acrimonia, hic rigore disciplinæ. Hac Franciscus carcinomata et vomicas E civium medicavit, illa Dominieus pestes in caligine serpentes, multosque mortifera lue conficientes deprehendit, depulit, et in eorum astutia comprehendit hos, quibus spes affulserat trahendi in nassam erroris, veritatis lumine collustratas animas.

cum suis socius, ac præsertim S. Hyacintho ac B. Ceslao. 4 Sarcinam sibi impositam communicato labore partitus est patriarcha Dominicus inter suos discipulos, quorum nobile par dederunt ei Triones, Hyacinthum et Ceslaum Odrovansios *e*, duo fulmina ad sternendum, et fulcra ad tenendam lapsantem; vere Fratres de gente deorum : nam ita fas est appellare; uterque enim, acsi cælesti sinu enixi fuissent, tanto animi ardore Ecclesiam ornarunt, amplificarunt, et adversso pectore, contra omnem impetum sanathæ tutati sunt, ut antiquis fidei Christianæ propagatoribus et propugnatoribus non impares censerentur. Patria eorum Polonia *f*, stirps Odrovansiorum a Konskie, ferax virorum in toga, et sago, et infulis illustrissimorum. Parens Eustachius Comes, Saulis filius, et Andreæ olim epi- F scopi Moraviæ abnepos, animo magnus, factis clarissimus. Hujus Andreæ episcopi clarissima laus est apud Hagecum *g* anno MLXXXXII, qui eam stirpem antiquissimam jam tum ab omnibus habitam esse asserit.

ANNOTATA.

a *Hic* seculum *erronee pro* anno *positum est. Voluit haut dubie significare sæculum undecimum, quamvis ea, quæ subdit, potius ineunte sæculo duodecimo contigerint.*

b *Hic manifestus error est : nam Otto secundus et tertius floruerunt sæculo decimo. Intelligendus haud dubie est Ottho Quartus, qui anno* 1218 *obiit. Ne hæ notæ nimium excrescant, alia omitto, quæ Bzovius tamquam ad idem tempus spectantia commiscet.*

c *Exprimitur hic Almericus, tamquam dux hæreticorum Albigensium, cum tamen ille aliam, quamvis circa eadem tempora, hæresim docuerit.*

d *Hæc nimia hyperbole est, cum hæresis Albigensium usque adeo extensa non fuerit.*

e *Sic ambo cognominantur a nobili, ex qua orti sunt,*

AUCTORE BZOVIO

sunt, familia : quamvis enim in Commentario prævio num. 14 *dixerimus, incertum esse, an fuerint germani fratres, tamen videntur ex eadem stirpe progeniti, cum Clemens VIII eos vocet consanguineos. De illustri hac familia videri potest Dlugossus in Historia Polonica, et Severinus Cracoviensis in Vita S. Hyacinthi, aliique scriptores Bohemi et Poloni.*

f *In Ms. nostro Wratislaviensi patria* B. Ceslai *vocatur Silesia. Sec hæc facile conciliantur, si quis advertat, Silesiam olim ad Poloniæ regnum pertinuisse.*

g *Is est Wenceslaus Hagecius, ecclesiæ Boleslaviensis Præpositus, qui patria lingua scripsit historiam Bohemiæ. Obiit Bohemus ille historicus anno* 1553. *Qui plura de eo, ejusque scriptis nosse cupit, adeat nostrum Bohuslaum Balbinum in Epitome Rerum Bohemicarum lib.* v, *cap.* XII.

Caput I. *B. Ceslai patria, nomen, pueritia, studia, virtutes et gesta ante statum religiosum.*

B

B. Ceslaus juxta nominis sui etymologiam. *a*

Natus Ceslaus in pago Kamien *a*, toparchiæ Oppoliensis et diœcesis Vratislaviensis supra annum Domini millesimum centesimum octuagesimum ab orbe redempto. Vivo in ecclesia Catholica perfusus flumine, tulit nomen Ceslaus proprium unius ex quinque martyribus fratribus germanis divi Adalberti Archiepiscopi Pragensis et martyris. *Bzovius hic interserit historiam, quæ ad S. Adalbertum episcopum Pragensem pertinet, quamque nos die* XXIII *Aprilis inter S. Adalberti miracula, ex Annalibus Bohemorum collecta, dedimus. Hic itaque, ea omissa,* B. Ceslai *Acta prosequimur.* Unius ex istis martyribus quinque accepit nomen Divus noster. [Nec forte fortuna, sed divina præfinitione : hac enim tessera præsignabatur infans, cum ætate adolesceret, cedere deberet laudi a vano et falso rumore sparsæ, quam fugacem plurimi persequuntur; vel etiam quod excelso animo terrena contemnens, cæloque non cœno se natum C cogitans, foret Ceslauuny *b* quasi nuncupes, propter rerum gestarum gloriam, inque rempublicam Christianam ingentia merita, immortali fama dignum.]

b

in infantia,

6 Adhuc in crepundiis ex pusionis vultu et oculis relucebat quiddam divinum, se vi quadam tacita exerens, quod ipsum magnum futurum portendebat. Nam tenellus, manus *, quas cibo ferendo impos erat ad cælum surrigere, pectusculum tundere, prius ore balbum quid cælum obversus sibi ruminare, crebraque suspiria emittere, quam verbum proferre; ad ecclesiam, quam ad cunas lubentius deportari, et sacros in ea Christiani populi ritus aspicere, quam papillas sugere avidius didicerat, et consueverat.

* *forte* manibus

et pueritia,

7 A lacte depulsus puer, cum esset velut mollis argilla, facile sequens fingentis manum, illam a paterna disciplina imprimis hausit sapientiam. Cæli Numen, pie, sancte, verecunde ex ritu prisco venerari; non sibi, sed patriæ et stirpi illustrandæ natum; proinde astricti juris et moris se censere; ad optima et summa præcoci sensu aspirare; mentem a vano, corpusculum a labe præservare; modestiam in vultu, comitatem in D convictu apud omnes habere : nil ludicri, omnia quasi seria, serio agere; [ejus quod dedecebat, non solum pudere, sed pigere; initia malorum, non secus ac morborum cavere; familiaritatem petulcorum, præsertim Syrenes, usque in exitium dulces, quæ præmaturam ætatem in ipso limite titillis dulcibus præfocant, declinare; prius extrema pati, quam flagitio animum parare.]

præbet futuræ sanctitatis signa;

8 Parentes cum hæc semina virtutum pullulare cernerent in Ceslao, necnon ipsum audirent, tunc cum se ab eis subduxisset, nunc magna quædam præconcipere solitarium, nunc puerorum agmine septum, mystam vel divini verbi præconem fingere, sibique aliquem insolentiorem designare, in quem vultu et sermone acrioribus animadverteret, ex prima hac velut herbescente ætate, futuræ messis ubertatem facile colligentes, ingentem eruditionis et virtutis spem de illo concipiebant. [Et ne quid culturæ illius deesset, in ipso limine juventæ adsciverunt ei pædonomos magnæ et expertæ virtutis, a E quorum doctrina et convictu, studio sapientiæ, et exemplis probitatis formaretur.] Et cum ingenium acre ad omnia percipienda et pervestiganda detulisset, facile illorum diligentia, in eo excitabantur semina omnigenæ eruditionis, [et demigrabant progressu felici præcepta disciplinæ.]

deinde multum proficiens in doctrina

9 Præter ætatem, illas omnes scientias, tam quæ elegantiæ, quam quæ prudentiæ causa discuntur, ad unguem hausit. Non eum a pulcherrimarum rerum cognitione, aut difficultas, aut obscuritas deterrere potuit, [imo hi acriores stimuli fuerunt, erigendi se ad ea, quæ sublimia. Quamobrem non philosophiæ modo, verum et divinæ theologiæ abdita sagaci cupidine rimabatur; et cum auditione frequenti, tum lectione continua, et contemplatione pertinaci, pectus suum bibliothecam Christi instruebat : illudque discere quod juventuti, immortalitatis ignaræ, tantum tædii et laboris adfert, tanta animi constantia superavit et fregit, ut de illo quoque palam diceretur, hunc et F Hyacinthum solos sapere, ceteros velut umbras ferri.]

ei virtutem conjungit.

10 Lutetianum et Bononiense Athenæum, voluntate parentum [ne eis Thelemachus Homericus esset domi deses] lustrans, eruditionis fomites tanto ardore concitabat, ut [non erro stolidus, cælum nec animum mutans, sed] magnus rerum inquisitor haberetur. Proinde philosophiæ et theologiæ cum insignem operam navasset, summisque viris se addidisset, laurum divinioris scientiæ, et jurisprudentiæ, publico omnium calculo promeruit Bononiæ in recondito sapientiæ domicilio. [Et cum solos illos dignos censeret Deo, rebusque præclare gerendis, qui cum scientia æque imbuti sunt probitate, altitudini doctrinæ, eamdem adjunxit.

seque contra vitii tuetur

11 Nam in longinquis peregrinationibus, apud gentes illas, quæ non minus fæcis corruptorum, quam proborum fertiles sunt; in ea ætate, in qua sathan nullum non movet lapidem, ut pii juvenes nefariis sceleribus se dedicent, incontaminatum, et vere Ulyssem, nec amœnitatibus dementatum, nec blanditiis

A blanditiis emollitum, nec enervatum illecebris se servavit, quinimo parcimonia, continentia, moderatione cum animi, tum sensuum, adeo sese astrinxit, ut jam futuræ sanctitatis non obscura vestigia in eo apparerent.] Adversus omne peregrinum contagium præmunierat se, velut antidoto, cum saluberrimis præceptis, tum majorum exemplis. « Antenati mei, » aiebat, « immortalitati nomina consecrarunt, pietate, religione, temperantia, aliisque divinis ornamentis; mihi quoque veteres eorum laudes non nævis obscurandæ, sed iisdem decoris illustrandæ, et cumulandæ erunt. »

a. hortatur.

12 Dum multæ pellaciæ animum ejus pulsarent, ut pudicitiam proderet, ille hujus lingentis et enecantis excetræ varium caput, custodia sensuum solitudinis studio, lectione sacrorum, jejuniis et vigiliis, ac alio vario armorum genere domabat. « Vince, » dicebat, « cupidinem Ceslae : scyntilla hæc magnum excitat incendium. Cyrceum hoc poculum in bruta deformat. Melle venenato nihil insidiosius, nihil periculosius, nihil ad emasculandum hominem efficacius suavi titillo. Audi magnum illum : Qui rectæ cælum vultu petis, exerisque frontem, in sublime feras animum quoque, ne gravata pessum inferior sidat mens, corpore celsius levato. Alta meditare, ardua cogitatione volve. Magna conatis magna præmia. Audendo et agendo excelsa, tua res crescet, crescet et gloria; laurus perpetuo viret; recte factorum fama numquam intermoritur; sequiorum ultrices flammæ, ne æternitate quidem extinguuntur. » B

In Poloniam reversus ob vitæ integritatem

13 His præceptionibus astrictus Ceslaus, syrtes et charybdes, in quibus innumeri naufragantur, enavigavit, intacto corpore. Ob quam rem abierat in administrationem omnium, ut in ejus aspectu sodales vererentur, ne dicam quid turpe, sed ne ludicrum etiam agere, et si quem in castimoniæ exemplar inducere volebant, Ceslaum monstrabant, omnibus numeris perfectæ virtutes juventutis principem. In patriam reversus, cum C nobilis indolis et sanctimoniæ specimen edidisset, Ivonem c patruum, episcopum Cracoviensem, et Lesci d monarchæ cancelliarum, suo adventu oblectavit. Et quidem, cum ejus prudentiæ dexteritatem perspectam habuisset, ut latus ejus cingeret, voluit.

c d

honoribus augetur.

14 Adlegit itaque ipsum in collegium canonicorum cathedræ Cracoviensis, adjecto honore, quem vocant Custodis, in ecclesia Sandomiriensi. [Intra palatium episcopale ad res gerendas admissus, parem animum suo ordini et muneri adhibuit. In vivendi norma, illibato candore; in administerio, acri solertia et summa integritate.] Nec enim illo concesserat, ut palatinos honores, quos veluti periculosos scopulos remis velisque fugiebat, ambiret; sed quia illud sciret lararium esse virtutis, scholam pietatis, et arenam probæ exercitationis. Sacris initiatus, iisdem sive domi, sive pergere, summa cum devotione operabatur.

et cognoscendis causis ecclesiasticis præficitur,

15 Ad cognoscendas ecclesiasticas, et afflictorum causas difficiles, ad capitulum, ut vocant, [in quo sæpe numerantur, non expenduntur sententiæ, et vel major, vel potentior pars vincit meliorem] pro officii sui præscripto accedens, non odio, non amore, sed veritatis et justitiæ zelo sanciebat sententiam. [Hanc unicam, velut filum Thesei certissimum in effugiendis implicatis controversiis sequebatur. Areopagitæ cognomen, ab æquitate poterat sibi vendicasse. Populares ne apud tribunal patrui cancellarii, odiis delatorum, vel privatis rapinis, aut publicis exactionibus pessumdarentur, intrepide se opponebat; et objecta periculis auctoritate protegebat.] Inter procellas patriæ et tempestates, qua a principibus, qua a clero quodam, qua a seditiosis civibus excitatas, salutem publicam, omni studio tuendam sibi proposuerat. [In gratiam ullius numquam, quod spe et ambitione quidam palatini canes hiantibus faucibus opes alienas devorantes facere solent, vel concessit mendacium, vel occuluit veritatem.]

AUCTORE BZOVIO.

in quo munere multos juvat,

16 Opes, quas non exiguas ex asse hereditario, et beneficio ecclesiastico possiderat, non in aulæ fucos [nec harpias pellaces] aut sanguine devinctos ingratos, sed in ecclesiæ ornatum, in cleri indigentioris juvamen, et in pauperum stipem, beneficia manu corrogabat. E Mensa frugalis pro illo, pro sacerdotibus et mendicis, [quorum non exiguum numerum quotidie vocabat,] liberalior parabatur. [Perniciosam domus sarcinam, Domino vehementer inimicam, amicam bonis cleri, vitiosis scilicet moribus longum ordinem famulorum, a se ablegatum esse volebat.] Honestæ indolis, quos precario alebat, adolescentulos ad cælestis vitæ exemplar formabat.

et sancte vivit.

17 Domus ipsius seminarium totius virtutis communi suffragio nuncupabatur. Nam ipse seipso major indies fiebat, rigida innocentia, invicto cupiditatibus animo, contemptione gratiæ et voluptatum hujus sæculi; [quas noverat avidam et ægram mentem, non modo nullis satiare aut fovere remediis, verum dulcibus venenis inficere, et assuefacere satius, non liberare morbo. Ejus animum nec prospera flatu efferebant, nec, si quæ accidissent, adversa infringebant. In secundis animum, ne successu felici insolesceret moderabatur; in sequioribus secundæ * vultum gerebat. F Scopus, quem collimabat, is erat, ut se Deo, Ecclesiæ, omnibus probis probare, gratumque reddere posset.] Ita undique sibi virtute constans, teres ac rotundus, non propriæ familiæ solum, sed communiter Polonæ gentis et ecclesiæ, quasi quoddam numen, et in rebus dubiis columen prædicabatur.

* *nempe* sortis

ANNOTATA.

a *Voce Polonica* kamien *significatur* lapis *seu* saxum. *Unde conjicio, Leandrum Albertum ad hanc significationem respexisse, dum S. Hyacinthi Vitam, a Surio editam, sic auspicatur :* Hyacinthus ex oppido Poloniæ Saxo, nobili stemmate originem duxit. *Etsi Kamien seu Saxum a Leandro Alberto* oppidum, *a Bzovio* pagus, *a Marchesio* castellum, *a Clemente VIII* villa *vocetur, tamen ubique idem locus indigitatur.*

b Ceslawny *idem est, ni fallor, quod latine* gloriosus : *Nam* gloria *dicitur Bohemice* czest *et Polonice* slava. *Hinc, ut opinor,* B. Ceslaus, *qui*

qui a Cromero Cieslaus, *et Dlugosso* Czeslaus *appellatur, nominis sui originem traxit.*

c *Hic Ivo electus est episcopus Cracoviensis anno* 1218, *ut in Comment. præv. num.* 16 *Dlugosso aliisque ostendimus, quamvis chronicon Poloniæ ibidem citatum velit, eum anno* 1216 *Cracoviensem cathedram ascendisse.*

d *Is fuit* Leszko, *cognomento* albus. *De hujus cognominis occasione, regis adhuc pueri electione, rebusque postea gestis et morte videri potest Dlugossus lib.* VI *Historiæ Polonicæ ab anno* 1174 *usque ad annum* 1227.

Caput II. *Occasio ingressus in Ordinem S. Dominici, religiosæ vitæ tirocinium, fundationes cœnobiorum, virtutes, et labores apostolici.*

B. Ceslaus miraculo S. Dominici incitatus,

Honorium tertium *a* acceperat tunc Ecclesia summum hierarcham. Ad eum recuperandæ Archiepiscopalis dignitatis causa, concedens Ivo Odrovansius, Cracoviensis pontifex, Ceslai patruus, eumdem et Hyacinthum sui itineris comitem esse voluit. Hi ad Urbem cum venissent, ostenderunt ibi D. patriarcham Dominicum, multis virtutibus clarum, Neapoleonem Stephani Cardinalis nepotem, ex collisione gravissima (equus dejecerat feroculus) membrorum defunctum, in ecclesia S. Sixti, tribus Cardinalibus, et multis civibus juxta ac convenis adspectantibus, a morte ad vitam divina ope implorata excitare *b*. Intererat spectaculo et Andreas Pragensis Præsul, a Præmislao Ottocare Boemorum rege propter ecclesiasticas immunitates, quas Rex imminutas esse volebat, graves calamitates passus, insuper sede et patria exactus. Omnes in stuporem ex miraculo patrato versi, Dominico summam sanctimoniæ venerationem decernebant.

in Ordinem Prædicatorum admitti petit,

19 Ivo autem et Andreas de grege suo uterque solicitus, precibus fatigabant Dominicum, dignaretur aliquos sui instituti sodales septemtrioni concedere; qui et gelu malitiæ concretos inflammarent, et veternum dormientes ad veræ lucis aspectum suscitarent. Nec habente Dominico, qui idioma gentis calleret, ecce divino Spiritu acti viri ad cælestis vitæ perfectionem dudum spirantes, Hyacinthus et Ceslaus Odrovansii fratres, Henricus Moravus, et Hermannus Theuto familiares Ivonis, in medium exilierunt, jugo religionis longe suavissimo colla ornari a Dominico flagitantes. Annuit Dominicus, suscepit, prædicatoriaque toga texit in S. Sabinæ religiosissimo cœnobio. Movit Ceslaum ad amplectandum hoc vitæ genus, qua sæculi et suarum fortunarum despectus, qua amor immensus cælestium, cui suscitando, non modicum flabellum viderat esse, paupertatem et humilitatem religiosam.

in eumque admissus, peracto tirocinio,

20 Relatus in formulam discipulorum Dominici, ejus virtutum et felicitatem sibi precabatur. [Fundamentum et basim subsevici ædificii, abjectionem suiipsius, profunde imprimis jecit. Nihil tam infimum erat, quo se indignum judicaret. Obedientiam camque cæcam et avidam parendi superstruxit.] Aures attentas præceptioni, manus promptas operi, pedes expeditos gressui ad nutum Dominici habebat. Nihil tam arduum aut difficile fuerat, quod momento non susciperet, aut exequeretur, [dum sibi Dominici auctoritas injunxisset.] Meum est, ait, obedire, non in sententiam senioris inquirere. Paupertatis diligens cultor opes et vitæ necessaria, quæ præcontempserat, nec [hilum ad eas vel] sinistro oculo aspiciebat. Castitatis vigilantissimus custos. In oratione et meditatione pernox. In varia corporis afflictatione in se severus. [Ne illo inter commilitones prior, ad æmulationem factorum Dominici esset, summa vi adnitebatur.] In summa, tantus animi splendor, et tanta magnitudo aderat, ut sibi omnia, quæ erant Dominici, non dubitaret ascissere.

ad animarum lucrum a S. Dominico dimittitur,

21 Emenso tirocinii cursu, in quo multos veteranos non æquavit modo, sed superavit, accitus una cum sociis in Dominici manibus conceptis verbis ad præscriptum legum Ordinis Prædicatorum, vitam fausto pede inchoatam ducere adusque mortem juravit. A quo paulo post, ad proprios penates dimissus est cum mandatis; Ecclesiæ imprimis, et Ordinis amplificationem, quæ salute potissimum animarum consistit, omni ratione curaret [Ab ea quam semel admisit in pectus, disciplina ne latum unguem declinaret, imo multos alios eadem imbueret,] studio cælestis doctrinæ, præsertim e codice charitatis, sedulo incumberet « Perge, » ait, « in Dei nomine, annuntiare pœnitentiam remissionem peccatorum. Hoc est assumpti Ordinis munus, hæ partes, hæc decora. Qui devium ab errore viæ converterit, et animam ejus salvabit, et sibi præmium inestimabile accumulabit. »

et Pragæ fundat cœnobium.

22 Præcepto Dominici, quod commune sibi et aliis dederat, non minus quam alii, auscultavit Ceslaus. Ad suos revertens in erigendo Frisacensi *c* monasterio. quod aliorum Theutoniæ cœnobiorum origo fuit, Fratri Hyacintho non segnem operam tulit. Ab eo Pragam, Boemiæ metropolim, una cum Henrico Moravo *d* dimissus, Andream episcopum, jam ab Urbe reducem, reperit, Præmislao Regi, opera Georgii Crescentii S. R. E. Cardinalis Sedis Apostolicæ, quem vocant Legati de latere, reconciliatum. Ab iis omnibus, propter vitæ insuetam sanctimoniam, et verbi Dei dicendi facundiam [prope apostolicam, summo honore habitus]; cura et impulsu Cardinalis Legati et Andreæ episcopi, ecclesiam S. Clementis in subripinis Vultaviæ *e*, ubi nunc nova civitas Pragensis e regione aulæ regalis, a Rege obtinuit cum amplissimo monasterio, in quo centum ejus familiæ sodales laudes pariter nocturnas et diurnas Altissimo persolvere possent. Id cum non esset capax tantæ multitudinis eorum, qui divino spiritu correpti, sæculo vale ultimum remittebant, aliquot post annis *f* translatum est ab eodem Præmislao Rege, et Venceslao F ad aliam itidem S. Clementis ecclesiam, monitu angeli olim a Ladislao Rege in majori civitate conditam.

23 Numerabantur

...multos recipit fratres.

23 Numerabantur jam tum Fratres novellæ plantationis sex et viginti supra centum, qui in clero erant, [quando in novam tum coloniam traducebantur.] Variam et pretiosam ab auro, argento, margaritis et lapide rari operis supellectilem Rex ei ecclesiæ largitus fuerat, inter quam recensebantur calices viginti quatuor argentei inaurati, et crux quindecim librarum argenti pondo ad decus altaris. [Quamplurima addiderat et Peregrinus *g*, Andreæ successor, vir, ut scribit Hagecus, simplex, rectus et quietis magis, quam dignitatis amans; quam ut apud commune pacis asylum inveniret, ad Honorii III Pont. Max. pedes pedum deponens, monasticam vitam delegit, adque cœnobium S. Clementis divertens, B. Ceslai disciplinam, quam instituerat, amplexus est.

vitæ suæ imitatores;

24 Ejus magisterio dediderunt se, et alii suo tempore insignes viri, Jaroslaus Rostocensis, Henricus Riczanovius, et B. Adrianus, qui defunctus officio Prioris Pragæ, non multo post Bosnam *h* dimissus, una cum viginti sex fratribus a Turcis palo infixus, gloriosum fidei nec multo post retulit tro-

B

phæum. Complexa quoque est idem vitæ religiosæ institutum Margareta *i*, Leopoldi Archiducis Austriæ F., Henrici Regis Romanorum vidua relicta, et post a Præmislao Ottocaro *k* Boëmiæ Rege ob sterilitatem repudiata conjunx, in monasterio virginum, quod Ceslaus reliquit, pro humilitate inter eas, quas vocant conversas, adscripta.]

dein Vratislaviæ erecto monasterio,

25 Pragæ aliquantulum moratus, cum religionem Prædicatorum præclaris institutis florentem fundasset, atque exemplis stabilivisset, Vratislaviam contendit. Ibi virtutis ante sparsam famam cum factis probaret, multosque mortales ad melioris vitæ statum verbo et exemplo in ecclesia S. Martini traduceret, Laurentii præsulis munificentia, ecclesiam S. Adalberti Vratislaviæ et aream pro erigendo cœnobio accepit. Nihil eorum Vratislaviæ omisit, quæ Pragæ pro lucrandis animabus patrarat. Diaria ejus vivendi regula hæc erat: Noctu in ecclesia contemplationi vacans, ad cælos se surrigebat [et efferebat. Ibi gaudia, quæ cæci mortales

C

despiciunt, adeoque pili æstimant, avida mente legebat.]

variis virtutibus illustris,

26 Rursus ludibrium humanorum casuum evolvens, vehementer mirabatur, quod hæc mirarentur et amarent homines pericula, quæ obliquis tramitibus gradientes manent. [Præsertim vero quod ignis æterni sibi jam præaccendant flammas, dum hos sævior Æthnæ incendiis urit fervens amor habendi; alios libidinis æstus excoquit; hos ira excruciat; illos mœror fatigat; alios spes lubrica torquet; alios aliæ cupiditates per devia trahunt ad sempiternum exitium.] Illacrymabatur sorti peccatorum, quod regno cælesti extorres esse vellent; et quos interdiu ad virtutem formabat, hos noctu orationum clypeo a divino furore tegebat. Flagris deinde ferreis, non tantum ut aculeos cupidinum scintillasque in emortuo plane corpore retunderet, et proprio cruore restingueret, verum etiam ut salutem perditorum tanto facilius demereretur, adusque sanguinis effusionem se lancinare consueverat.

27 Somni parcissimus; [si quando naturæ necessitate premeretur, non nisi lapide subjecto, pro mollissimo cervicali utebatur. Quamobrem Jacobæam quoque assecutus acrimoniam, cælorum axes oculis penetrabat, admirandaque innumera non perspiciebat modo acer scrutator, sed et futurorum conscius prænunciabat.] Henrico Principi, divæ Hedvigis filio, necnon universæ Silesiæ ingentem calamitatem a Tartaris illatam, longe ante prævidit, et prædixit. Quod ab oratione et contemplatione temporis nocturni supererat, libris impendebat, [ut inde promeret, quod esurie verbi Dei laboranti populo abunde proferret. Horam illam studio sapientiæ dictam, nullo modo patiebatur a somno, vel a quavis occupatione auferri, quamquam ad summum sapientiæ, non tam lectione, quam orandi et contemplandi assiduitate pervenisset. Cum sciret ex communi sacrorum præfatione, eos, quibus puræ manus non sunt, sacris arceri; multo studio cavebat, ne ullo piaculo se contaminaret.] Abluta a leviculis conscientia, undantibus fletu oculis, sacratam Deo hostiam quotidie litabat.

ad animas lucrandas se præparat.

E

et apostolico zelo incensus

28 [Dulcorem cælestis doctrinæ, plenius præhaustum, non poterat continere, quin sitientibus eructaret verbum bonum. A sacris igitur precibus mellita eloquia ejus taciti attentique populi rapiebant. Sermonis ejus mulcedo acredine temperata defigebat audiendi avidos, stupentesque arrectis auribus. Ab ejus dictione flamma quædam emicabat, qua non solum illustrabat, sed flectebat; dum virtutes attolleret, vitia elevaret, inferni horrendis suppliciis, et cælorum ineffandis gaudiis monstratis, illas sereret, hæc depelleret. Quantos ille lubricos ab incepto perpetratoque jam prope facinore dejecit? Quantos in barathrum peccatorum jam demersos extraxit? Quam plurimos sub Christi vexillum, contra phalangas sathanæ strenue dimicantes pugiles coëgit? Quam innumeros errones ad ecclesiæ gremium reduxit, et obviis ulnis excepit?] Ab ejus doctrina, lingua, moribus, et totius vitæ ratione distantes populi quam plurimi, præsertim vero Poloni, Boëmi, Moravi, Saxones, Pomærani, Pruteni, omnes hi Marte orti

F

Martialibusque rebus aucti et aliti, pietatem et religionem, anteactæ vitæ prorsus contrariam, traxerunt.

multas regiones percurrit.

29 Ab ejusdem disciplina, Hedvigis *l* illa admiranda diva, Henrici Barbati Principis conjunx didicit, prius matrimonii usum repudiasse, quam vinclum sola morte solvendum dissolvisse; dum aliquot liberis susceptis, et ipsa primum voto perennis castimoniæ sese astrinxerit, adque eamdem vitæ angelicæ imitationem, maritum pellexerit. Ipso præsultore innumerabiles nobilitatis gloria, opibus, dignitateque illustres claustralium chorum ingressi, illa omnia specie blanda et excelsa spreverunt, perfectionisque summam in pauperie complexi sunt. [Itaque religiosæ famæ incognitas aperuit provincias; nec ante semina purioris vitæ spargere desiit, quam quod Hercinio saltu *m*, Albi flumine *n*, et mari Baltheo *o* inclusis, quod Christi dogmate sereret, defuisset.] Innumerus numerus cœnobiorum in iis provinciis, eo auctore, beneficentia piorum prodiit, in quibus cælestem

AUCTORE IOVIO.

lestem vivendi rationem consectantes, e terris cælum, quasi tot astris respersum, vel angelis in carne præter carnem degentibus refertum effecerunt.

ANNOTATA.

a *Honorium III anno Christi* 1216 *Innocentio III successisse contendit contra alios Raynaldus in Annalibus Ecclesiasticis ad hunc annum. De Ivonis Cracoviensis episcopi ad hunc Pontificem profectione, istiusque profectionis causa, quam hic Bzovius confudit, quædam diximus in Comment. præv. num.* 17.

b *De anno, quo clarissimum hoc S. Dominici miraculum contigit, varias opiniones retulimus in Commentario prævio num.* 18 *et seqq. Plura etiam de eadem re legi possunt apud Echardum ibi citatum.*

c Friesacum *vel* Frisiacum *vulgo* Friesach *est oppidum Germaniæ in Carinthia superiore sub diœcesi Salisburgensi. Illic erectum fuit primum cœnobium Ordinis S. Dominici in Germania.*

d *Severinus Cracoviensis in Vita S. Hyacinthi lib.* I, *cap.* V, *et Malvenda in Annalibus ad*

B *annum* 1222 *cap.* XIII *ex monumentis provinciæ Polonicæ pro Henrico Moravo hic Fr. Hieronymum assignat* B. Ceslao *socium. Vide etiam de hac re nostrum Balbinum in Miscellaneis Historicis regni Bohemiæ libro* IV *Hagiographico part.* I § XLIX *et* L.

e *Est is fluvius* Mulda *vel* Multava, *qui a Germanis* die Muldaw *et Bohemis* Wultava *vulgo appellatur. Oritur in limite Bavariæ, et deinde in septemtrionem tendens, auctusque aliis amnibus Pragam dissecat, et tribus milliaribus Germanicis infra in Albim fluvium se exonerat juxta Melnicum oppidum.*

f *Notat Bzovius in margine hanc migrationem factam esse anno* 1227. *Convenit in epocha Hagecius, sed cœnobii Priorem appellat* Adrianum, *quem alii* Hieronymum *et quidam* Henricum *appellant.*

g *Andreæ, qui anno* 1224 *Romæ vita excesserat, successit Peregrinus. Sed episcopalis muneris molem sustinere non valens abdicavit se ea dignitate anno* 1226. *Plura de utroque præsule habet noster Balbinus in Miscellan. hist. Bohem. decad.* I, *lib.* VI, *cap.* V, *sect.* XVIII *et* XIX.

C h *Nescio, an hic indicetur Bosna urbs Bosniæ vulgo* Bosna Saray *dicta et in limite Serviæ ad fluvium Migliaskam sita; an vero ipsa Bosnia. Non urbem, sed istius nominis regionem intelligendam esse, colligo ex Leandro Alberto, qui in opere de Viris Illust. Ord. Præd. lib.* II *horum aliorumque martyrum palæstram assignat in titulo* Dalmatiam *et* Bosinam; *quo posteriori nomine etiam regio Bosniæ appellatur.*

i *Hanc Margaretam non ante annum* 1260 *vel* 1261 *potuisse hoc cœnobium ingredi, diximus in Comment. præv. num.* 25.

k *Hic est Przemyslaus Ottogarus, ejus nominis II, filius Wenceslai, qui patri mortuo successit anno* 1253. *Plura de eo videri possunt apud Bohuslaum Balbinum in Epitome rerum Bohemicarum lib.* III, *cap.* XV.

l *Hæc Sancta nota est in Breviario Romano ad diem* XVII *Octobris, de eaque agetur suo tempore.*

m *Hic fuit olim vastissimus Germaniæ saltus: nam, teste Mela, longus erat* 60 *dierum itinere, et latus* 9. *Nunc autem plurimis in locis excisus Bohemiam circumdat; unde a Germanis* Behemerwaldt *appellatur.*

n *Albis celeberrimus Germaniæ fluvius, vulgo* Elb *et Bohemis* Labe *dictus, ortum habet in montibus Bohemiæ. Inde post varios amfractus Misniam ingreditur, variisque fluminibus auctus ditionem Brunsvicensem et Megalopolitanam aliasque regiones rigat, ac denique Holsatiam a Ducatu Bremensi separans infra Glucstadium seu Fortunæ fanum Oceano Germanico miscetur.* D

o *Vulgo vocatur Balticum mare, quod inter Germaniam, Daniam, Sueciam et Poloniam interfusum est. Aliqui volunt nomen ejus deductum esse a Balthia regione cujus meminit Plinius; alii vero nominis originem trahunt ex eo, quod fretum inter Zelandiam et Fioniam insulas vulgo appelletur* de Belt, *quod cingulum seu balteum indigenis significat.*

CAPUT III. *Miracula, administratio provinciæ Polonicæ, prodigiosa arcis Vratislaviensis liberatio, scriptorum testimoniis confirmata.* E

Excurrebat ille frequentissime in pagos, fora, et viarum compita; si quos debiles vel claudos euangelicos reperiret, pabulo vitalis alimoniæ reficeret, lapsantesque roboraret. [Torrebatur meridiano sole; madebant vix sibi cohærentia membra sudore fere sanguineo; siti fauces arebant; ceterum ille nec cæli intemperie, nec itineris aut laboris opere fatigabatur aut frangebatur, quominus oves aberrantes a recto quæreret, devias dirigeret, inque mentes earum instillaret res salubriter animadversas.] Contigit illum una dierum trans Viadrum *a*, verbi divini causa properare. Hunc reperit effuso alveo, nautas a trajiciendo obvios absterruisse, prorsusque depulisse.

B. Ceslaus animarum lucri inhians.

31 Urgebatur cupidine lucri animarum, sanguine Dei emptarum, quibus poscentibus, non erat qui frangeret panem, ceterum obice aquarum turgentium retrahebatur. Nullus tum nauta, nullus phaselus visebatur. [Quid faceret?] spem rei magnæ conandæ concepit. « Scio, » ait, « Salvatori meo, ad » conquirendos perditos eunti, mare solidum » se præbuisse. Nec mihi eodem amore fla» granti, credo, liquidum se supponet Via» drus. » Mox cappam sibi detractam, in aquas præterfluentes expandit; et virtute, qua Christus mari et ventis imperavit flumini rapido et longe lateque stagnanti præcepit. Crucis deinde signo munitus vesti institit, sicque magis feliciter, quam navigio, nullo madore perfusus tranavit. Gravi calamitate oppressis opem, quam maximam poterat, ferebat; [et si quam nequibat, commiseratione solabatur.]

Prodigiose flumen trajicit. F

32 Vratislaviæ matri cuidam unicus erat infantulus. Is reptans super Viadrum, casu labitur, mergitur, totos dies octo in aquis ceu fruticeto obrutus jacet. Dolore perculsa mater, dum octiduo quæsitum pusionem fatis functum accepisset, fiducia in Ceslai meritis

Infantem octiduo submersum ad vitam revocat.

A ritis posita, ad ejus pedes defert. Flagitat, dignetur Eliam agere, et mortuo infanti animam et vitam restituere. Provolutus in genua ille, cum vitæ mortisque auctorem humillima eaque ardentissima prece flagitasset, spe in Deum subnixus, jubet infanti, surgat. In nomine, ait, ejus qui dat verbum euangelizantibus virtute multa, exurge. Dixerat, et momento vitalis spiritus ad exangue corpusculum rediit, et lividum mox in roseum, adspectantibus multis, demutavit.

...que patrat ...ula

33 Tres alii vario genere lethi intercepti, ejus orationibus ad vitæ usuram postliminio reversi sunt. Nullus erat, etsi miserando casu dejectus, vel infirmitate a medica manu derelicta lecto affixus, qui non Ceslai opera vel levaretur, vel sanaretur. Cæcis ille visum, surdis aures, languidis robur, claudis pedes, febrientibus primam corporis moderationem, et aliis, alio genere morbi afflictis, sanitatem largiebatur; quin et conta dæmones magnam adeptus potestatem, illos ab energumenis dicto pellebat.

B

...vus multa... ...m r...tum ...ter itaum.

34 [Ceterum non magis illum hæc ornabant, quam animi altitudo, mentis innocentia, virginitatis servandæ studium, parcimonia victus, morum quædam mixta severitate suavitas, patientia laborum, religionis proferendæ ardor, salutis animarum desiderium, demisso sui profunda, quibus se Dominici discipulum perhibebat, imo se similem in omnibus probabat.] In oratione, extra se supra se rapiebatur. Ne mortale quidpiam sibi adhæresceret, omni modo attendebat. [Veteratoris, qui illum dolo, vi, occulte, palam, modis, horis omnibus aggrediebatur, et nunc blanditiis alliciebat, nunc terroribus urgebat, ut innocentiam contaminaret, et a constantiæ tenore deflecteret, astum pervidebat, vim despuebat, iram exarmabat, inque agonothetam Christum oculos defigens, pede versutum in ipso limine fatigatum conterebat.]

...mertum ...monor cu... ...lia splendo... ...eddunt.

35 Pro corporis castimonia illibata excubias super sensus agebat; [et nec illud tantum, quod illicere posset, sed et omnes occasiones excitandi fomitis restincti fugiebat.] Eo fine inediam multis diebus producebat, carnibus et in summa ægritudine sibi interdixerant. Corpusculum laboribus et jejuniis exesum, et exhaustum singulis noctibus catenula ferrea cruentabat [Ferrei prope corporis animique fuerit, quem nec tantum hic rigor, verum ne ipsa quidem senectus omnia solvens perfregerit, nec regnorum et provinciarum sensus, quem de ejus veris virtutibus conceperant, tumore inflarit.]

C

...incialis ...loniæ electus,

b

36 Ad præfecturam provinciæ Poloniæ, quæ tunc regno Boemiæ et Poloniæ amplissimisque toparchiis adjunctis continebatur, post Fratrem Hyacinthum *b*. paulo post voluntate B. Jordanis Generalis Magistri assumptus, non nisi commune bonorum studium detulit, in omnibus imperiis in se, quam in suos, severior. Commiseratione maxima super infirmos, et in statione nutantes et labantes, oleum magis quam vinum medicatum eorum ulceribus affundebat. [Prior ad opus quam ad præceptiones fuerat; proinde illud cujusdam abbatis conabatur, ne quidquam doceret, quod prior non fecerit. Nil recusabat, quod minus operam daret religioni ornandæ et amplificandæ. In rebus arduis non suam unius, quamquam spiritu divino afflatus, sed proborum sententiam requirebat hancque suæ anteponebat.]

AUCTORE BZOVIO

munus sedulo administrat.

37 Provinciam, licet tunc vastissimam, pedes obibat. In morum censura ita cunctatorem egit, ut vix in ea quibus fidebat ingrederetur. Administrationis formam, quam tenebat, non ad auram popularem, sed conscientiæ veritatem et justitiæ æquilibrium metiebatur. [Ab jure ad injuriam numquam illum aliquis detraxit.] Nullam regiminis horam male collocatam esse volebat. [Materiam rebus gerendis, ne virtus tacita consenesceret, et optabat, et aucupabatur, non propter gloriæ aut laudis cupiditatem, sed quia se datum religioni censebat.]

ac eo defunctus Vratislaviæ pie vivit.

38 Defunctus magistratu summisit fasces, et reliquum tempus Vratislaviæ eodem tenore vitæ exegit. Hortabantur Fratres, nonnihil sibi indulgeret, nec se tantopere jejuniis, vigiliis, et flagris enecaret. Ille irrequietus esse cupiebat. Eadem illi in ecclesia pernoctandi consuetudo, eadem carnis maceratio, continuata jejunia, sacrorum recitandorum usus quotidianus, concionandi et laborum pro Dei Ecclesia indefessum studium. Non est verus, ait, amor, qui zelotypus, et perpetuus non est.

E

Tartaros, arcem Vratislaviensem obsidentes,

c *d*

39 Sub id temporis evenit calamitas, quam longe olim fatidico ore prænunciarat, universæ Poloniæ et Silesiæ. Scytharum *c* ferocissima gens, transmisso Boristhene *d*, cunctam Poloniam longe lateque cædibus et flammis vastarat; et cum nullis arceretur objectis præsidiis, pervagata est et Silesiam; obsidione cinxit et Vratislaviam provinciæ propugnaculum. Cum furor hosticus hinc ignes ædibus, hinc romphæas cervicibus Vratislaviensium ostentaret, omnes cives, relicta urbe, in arcem utcumque munitam se receperant. Miseri quo se tuerentur, non videbant. Flumine? Is vadabilem se præbebat. [Parietibus objectis? Hi facile ignem concipere poterant.] Militum delecto robore? Sed nullos conscripserant.

F

prodigiose cogit fugere,

40 Ad Ceslaum, qui tum præsens fuerat, oculos vertunt; opem in aperto jam vitæ et fortunarum discrimine implorant. Moysis exemplo, Amalechitas protensa manu sternentis, ad audendum mirandum aliquod facinus perurgent. Dedit se in preces ille, et sacra oblata hostia, se pro omnibus objecit. Et cum mœnia arcis conscendisset, ut pectore, fidei scuto armato, tueretur afflictos ab hoste, ecce mulcentis quædam, et innoxii luminis quasi lambens flamma in eum cælitus illapsa caput illius globi specie illustravit. Quem globum extemplo intra sua castra hostes volitatem, multosque absumentem experti, civitatem obsidione, cives metu mortis liberarunt.

quod miraculum narrans Miechovius et Cromerus,

41 [Ita Miechovius et Johanne Dlugossio. « Et in Vratislaviam, » scribit, « descenderunt Tartari, ac in urbe nihil reperientes, castrum vallarunt, et post aliquot dies obsidionem solventes, (ut aiunt, orationibus et lacrymis Ceslai Prioris Ordinis Prædicatorum, et Fratrum ejus, in castrum admissorum) depulsi recesserunt. » Cromerus vero fusius addit. « Tartari, » ait, « a

AUCTORE BZOVIO.

« a Vratislavia irrito cœpto similes fugientibus abierunt, divino, ut postea compertum est, ostento perterriti, quod fuit hujusmodi : Ceslaus unus de comitibus Ivonis episcopi Cracoviensis, Romæ D. Dominici institutum professus, præerat conventui Vratislavienei divi Adalberti, et ad primum tumultum cum ceteris sodalibus in arcem confugerat. Eo igitur jugibus precibus et lacrymis Dei misericordiam et præsentis periculi depulsionem implorante, ecce columna ignea cælitus apparuit, et stativa Tartarorum, omneque territorium ingenti atque terribili fulgore collustravit. Hoc miraculo barbari perterrefacti, nihil cunctati, obsidionem solverunt. »

ac ipse Curæus hæreticus Lutheranus, e

42 Curræus *e* quamquam hæreticus, secta Lutheranus, suppresso nomine Ceslai, pro more invido, addit adhuc : « Vratislaviam, » ait, » delati sunt Tartari, sperantes ex ea urbe, quam esse caput in Silesia didicerant, uberem prædam ; sed cum urbs ea ætate nondum valeret robore militari, et parum esset munita, cives res suas in arcem comportaverant, ipsi vero discesserant ; deinde præsidiarii tecta, ne eis frueretur hostis, inflammaverant. Tartari, decepti spe sua, instituunt terribilem oppugnationem arcis. Sed manifeste ibi conspecta est præsentia Dei defendentis aliquas Ecclesiæ reliquias : Tartari enim territi sunt flammis ex cælo cadentibus, et late inter ordines ipsorum discursantibus, et ita precibus piorum ab arce, sicut olim Attila ab urbe Aurelia in Gallia fulguribus et tonitru, rejecti sunt. » B

nec non Annales cœnobii Vratislaviensis. f

43 Annales vero Monasterii *f* ita habent scriptum : « Beatus Ceslaus, natione Polonus, a B. Dominico, una cum B. Hyacintho, Romæ habitum Ordinis suscepit, et in Polonia et Silesia miris signis et prodigiis effulsit. Hic circa annum Domini MCCXLI, cum Tartarorum rabie Polonia et Silesia devastarentur, existens in castro inclytæ civitatis Vratislaviensis cum aliis Christi fidelibus, orationibus suis civitatem ab eorum insania potenter defendit. Ipso namque orante, globus igneus super caput ejus apparuit ; quo perterritæ Tartarorum legiones fugæ præsidia assumpserunt, et abeuntes civitatem intactam reliquerunt. Ad ejus etiam venerabile sepulcrum, usque hodie mortui suscitantur, et variis oppressi languoribus ad invocationem nominis ejus, meritis ipsius gratiose liberantur ». Quin etiam illud addunt iidem Annales, quod nulti illorum Scytharum, qui quidem speciem hominum habebant, ceterum moribus ritibusque efferatioribus quam ulli barbari, imo quam rapacissimæ belluæ erant, viso prodigio, feritate cum idololatria deposita, religioni Prædicatoriæ nomina dederunt ; in eaque maximos virtutum progressus sub Ceslai magisterio cum fecissent, ad gentilium suorum conversionem, magnam cum aliis provinciæ Fratribus operam dederunt. C

ANNOTATA.

a Viadrus *vel* Viader *olim dictus, nunc* Odera *communiter nuncupatur. Est autem magnus Germaniæ fluvius, qui in Silesia juxta Oderam oppidulum in confinio Moraviæ oritur, et inter alias urbes Vratislaviam alluit. Deinde per Germaniam fluens Francofurtum ad Oderam dictum rigat, ac tandem effecto infra Stetinum urbem lacu, in mare Balticum tribus ostiis se exonerat.* D

b *Vidimus in Comment. præv. num.* 28, *quod a Severino Cracoviensi inter S. Hyacinthum et* B. Ceslaum *Provincialis Poloniæ statuatur* R. P. F. Gerardus natione Theutonicus. *Quid de notis arithmeticis ibidem positis censendum sit, etiam diximus.*

c Scytharum *nomine etiam Tartari intelliguntur. Plurimas Scytharum nationes Plinius et Ptolomæus enumerant.*

d Borysthenes *fluvius Sarmatiæ Europeæ notissimus, et nunc vulgo* Nieper *dictus. Vocatur etiam* Borystenes septemtrionalior, *ut distinguatur ab altero, qui* meridionalior *et* Pripetus *vulgo* Przipiecz *appellatur, quique se exonerat in famosum Borysthenem, de quo hic Bzovium agere opinor. Utriusque ortus et fluxus legi potest apud topographos passim obvios.*

e *Is est Joachimus Curæus, qui scripsit Annales Silesiæ, et Catholicis risum movet, dum contendit S. Hedwigem suæ sectæ Lutheranæ sociam facere.* E

f *Intellige Annales monasterii S. Adalberti Vratislaviæ, ut in margine indicabatur.*

Caput IV. *B. Ceslai moribundi ad suos Fratres exhortatio, quædam de eo testimonia et miracula post mortem.*

B. Ceslaus mortis suæ conscius

Tandem cum jam non falsis vulgi opinionibus, sed versæ virtutis cultu, magnum nomen acquisiisset, religionemque Prædicatorum ad longe remotos triones invexisset Ceslaus finem laborum sibi propediem imminere, divina monitione agnovit. In hoc ergo se totum dedit, ut se pararet in occursum magni Judicis, [ne, qui scrutatur Hierusalem in lucernis, cum adesset, quidquam adulterini coloris in sua imagine deprehenderet.] Ardebat porro summo desiderio quamprimum evolare ad laticem felicitatis æternæ. F

spe plenus Fratres solatur.

45 Pridie Idus Julii, qui penultimus agonis ejus fuit, corpore jam laboribus, senio et febribus confectus, sed spiritu acrius vigente, humi super duro stramine prostratus, Fratribus accitis denunciat, se, jam vitæ præsentis pertæsum, cupere et debere animam, quam Ecclesiæ et religioni eousque servarat, Deo reddere. « Quantum ad me attinet, » ait, » filii, ne solliciti estote. [Propitius spero mihi erit Deus, curarum mearum acer olim spectator, et nunc justus simulque misericors judex. Cursum mortalis vitæ, si pro illius laude, ut existimo, exegi, inque hac arena palæstritam me invictum gessi, aderit mihi præmia et coronas decernens.] Vestri, quos corpore quidem, non animo desero, me cura premit. Proinde cum vobiscum diutius diurnare nequeo, heredes vos ex asse jubeo mearum divitiarum.

A » divitiarum. Hæ autem sunt, quas mecum
» etiam in cælestem gazam defero, nec mihi
» eas fera rapiet, sed cumulabit dies.
» 46 [Perspexistis corporis, et fortunæ bo-
» norum statum, scilicet] opes irritamenta
» esse malorum, delicias et seculi magnas
» illectationes, multiplices pedicas recondi-
» tas, magnas non ad morbum, sed ad in-
» teritum quoque causas habere. Earum ap-
» petentiam plenam anxietatis, satietatem
» pœnitentiæ; fortunam inconstantiæ ludum
» continuo ludere, rotamque suam volubili
» orbe versare; proinde infima summis, sum-
» ma infimis miscere; humanæ felicitatis dul-
» cedinem multo amarore repersam esse. Me
» et docente, et præeunte, fugistis tristes
» hos voluptatum exitus; divitias fugaces
» liquistis; cæci numinis ambiguos vultus
» sprevistis; ex salebra, in qua hærebatis, ad
» securitatis et stabilitatis sedem advolastis.
» Ne igitur uxoris Loth exemplo retro pro-
» spectetis, neve Hebraico more amplius
» Ægyptiaca juga cogitetis, aut vobis imposue-
» ritis. Rebus omnibus terrenis vos præstare
B » voluit Deus; non est par, vestram digni-
» tatem infra hæc infima demittere et detru-
» dere, sed ad alta, ad quæ temeritati et
» vecordiæ terrigenarum fas non est, aspi-
» rare. Conatibus vestris non terram, sed
» cælum objicite.]
» 47 Opes, oblectamenta, et dignitates illas
» vobis emite, quas nullus deteret dies,
» nulla insperget amaritudo, nulla infriget
» potestas. [Venerandum seculi nomen glo-
» riosæ pretio vitæ vobis comparate. Pala-
» bundæ menti in vario et ancipiti cogi-
» tationum fluctu, quasi sacram anachoram,
» obedientiam injicite. Majorum jussa Dei
» censete. Horum virgam directricem, velut
» cynosuram in vasto cæcoque pelago navigan-
» tibus, vobis præfixam statuite. His obse-
» cundare summam perfectionem arbitramini.
» Paupertatem, ad bene beateque vivendum
» aptissimum instrumentum, lubenti animo
» sustinete. In hac sobria et succincta for-
» tuna nihil eorum, quæ ad vitam in Dei
» laudem producendam necessaria sunt, vo-
C » bis deerit; quin omnia aderunt, cum Deus
» aderit. In Dei sortem adlectis centuplum
» pro simplo, imo et pro nihilo promissum.
» His concessum regium quasi decus et im-
» perium; nosse scilicet abditos a seculis
» Dei sensus, peccata hominum expiare,
» animas ligare et solvere, aereas potestates
» compescere et profligare, naturæ leges
» præsilire, vitæ et mortis jus habere, an-
» gelis convivere, divinæ consortium assequi
» beatudinis, inque perpetuum, non in unum
» diem, esse felices.]
» 48 Castimoniam quoque, quæ decus et
» ornamentum esse vestrum debet, non illi-
» batam modo, sed et ab omni rumore sini-
» stro incontaminatam custodite. Non satis est
» abesse a crimine, nisi criminis etiam suspi-
» cionem effugeritis. Humilitatem profundam
» æmulamini. [Spicæ gravidæ inclines sunt;
» sic vos si virtutibus veris imbuti. Ut
» luna, quod a sole accipit luminis, mundo
» refundit, sic vos dona a Deo collata in com-
» modum Ecclesiæ. Dominici rerum gesta-
» rum gloria, vobis dormientibus vigilan-
» tibus, oculis obversetur. Hac, quam ille
» præcalcavit, via itur ad astra ». Hæc et alia
monita circumplorantibus filiis dicebat.

AUCTORE BZOVIO

pie ex hac vita discedit.

49 Hinc postridie ipsis scilicet Idibus Juliis,
cum jam sacra exhomologesi sese probasset,
sacratam hostiam anhelo corde suscepit;
et tundens senile pectus, ductorem vitæ
lachrymabundus compellabat. Domine, ait,
te solum concupivi, me tu quoque in
tuum complexum admittere digneris. Mox
cum sacro oleo de more Ecclesiæ tinctus fuis-
set, et Fratribus ejulantibus ultimum vale
dixisset, aliquotiens nomen Jesu devote in-
vocans, sanctam in manus Conditoris efflavit
animam. Vir totus ex sapientia et sanctimo-
nia compositus, religioni et Ecclesiæ natus;
magnus animo et consilio, maximus factis.
[Qui in humanis nihil humani passus, præ-
liatus cum natura, semper victor abiit, et
longo itinere defessus, numquam pedem im-
pegit; sed mentem integram et bene sibi
consciam, terreno carcere solutam, cælo
intulit.

Elogium ejus

50 Ita de illo Annales monasterii, quod
vivens condidit Vratislaviæ. « Silesia a Deo
» promeruit clarissimum Christi confessorem E
» Ceslaum velut excelsum ac divinum mu-
» nus. Nihil sibi eo jucundius, nil utilius,
» nihil divinius afferi potuit, sicuti ex Ocea-
» no solem ferunt ascendere, ita Ceslaus ex
» Polonia universam Silesiam, nedum Vra-
» tislaviam illustraturus, tamquam splendidis-
» mum jubar emersit, sua equidem et integer-
» rima, et cælesti vita perditos homines ad
» honestos et integros mores allexit, bonos et
» frugales adhortationibus fovit, Vratislaviam
» quoque suis precibus magnopere juvit. Quid-
» quid virtutis, quidquid probati operis, quid-
» quidquip cælestis gratiæ in religioso umquam
» visum est, id omne effulsit in B. Ceslao, qui
» vere dignus glorificandus. Hunc ingentibus
» miraculis omnipotens Deus in dies magis ma-
» gisque decorare non cessat ». et infra.]

ex Annalibus Vratislaviensibus.

51 « Veniens Vratislaviam Ceslaus singu-
» lare omnium virtutum exemplar, sua vitæ
» honestate et sancta prædicatione flagitio-
» sos multos, [et improbos homines haud
» paucos] a turpitudine et scelere revoca-
» vit, et ad amorem Christi atque virtuose F
» vivendi studium convertit, necnon ad Or-
» dinem quamplurimos induxit. Erat nam-
» que illi suavitas verborum in exhortando,
» in laudandis virtutibus præcipua ubertas
» ac doctrinæ et eloquentiæ præclarissima laus:
» [unde non solum suam, sed et aliorum
» haud paucorum efficaciter operatus est salu-
» tem verbo pariter et exemplo. Unde hic est
» præco salutis, Christi testis, qui testimonium
» perhibuit veritati, cujus secundum nomen
» ejus, ita et laus ejus ».

et inscriptione sub ejus imagine.

52 In ecclesia vero sub imagine ejus, quæ
publice prostat depicta, tale elogium sub-
scripsit illi antiquitas: « Beatus Ceslaus,
» natione Polonus de primis Fratribus qui
» receperunt istum locum pro conventu, anno
» Domini MCCXXVI, secundus Provincialis
» Provinciæ Poloniæ, vir magni meriti
» apud Deum, qui quatuor mortuos suscita-
» vit, et aliis innumeris miraculorum insi-
» gniis in vita pariter et post mortem, ad-
» usque in hodiernum diem coruscans. Hanc
» denique nostram inclytam civitatem Vra-
» tislaviensem ab incursu Tartarorum suis
» orationibus

Propter crebra miracula,

» orationibus liberavit anno Domini MCCXLI » hic in ecclesia sepultus »

53 Statim a morte illius, sanctimonialis quædam, vitæ ejus institutum apud D. Catherinam Vratislaviæ professa, sed tentatoris suggestione non nihil illecta, de ejus beatudine hæsitaverat; cui ille mox Apostolorum choro septus apparuit, et eorum, quorum vitæ persecutionem æmulatus fuerat, gloriæ participem factum se esse, palam testatus est dicens: Apostolico, inquit, throno associatus, ac feliciter glorificatus sum; testatus est et variis miraculis indicibus sanctimoniæ et beatitudinis suæ: nam ut cælum petiit, suos cultores ope quam maxima juvare cælitus semper consuerat. Ad ejus sacras exuvias perennis medicina scaturiebat, ægri sanabantur, a dæmone insessi liberabantur, a morte ad vitam surgebant quamplurimi invocatione Divi.

jam ab anno 1330 publice colebatur;

54 Propter quæ miranda facinora non multo post humo erutus, et in ecclesiam munificentia civium, præsertim vero Nicolai Slup Vratislaviensis, anno Domini MCCCXXX B in ea, quam nunc cerminus, amplitudine erectam de sub altare sub ejus invocatione excitatum illatus, summa in veneratione popularium habebatur. Religiosa majorum devotio sacra ejus pignora in theca parvula recondiderat, et sera ferrea clauserat, [jamque tum cultu diverso prosequebatur, adusque nostra tempora. Nam et imagines ejus sculpebantur atque pingebantur, et honore publico colebantur. Anathemata ad altare illius sacrata beneficii accepti ergo suspendebantur. Missæ et Horarum tam diurnarum, quam nocturnarum, propria Officia de eo recitabantur. Anniversariæ solennitate ritu consueto aliorum festivitatum celebrabantur.

sed Lutheri hæresis ejus Acta atque monumenta abolevit.

55 Non pervasisset utinam Silesiam detestanda, nec non impia hæresis Lutheri monumenta horum et documenta sole clariora, quæ illa derasit et forte Vulcano dedit haberemus.] Anno Domini MDXXV, cum furor civium in ecclesias Vratislavienses debaccharetur, inter alia pretiosa quæque sacrarii ad D. Adalbertum, Annales [exactos] C monasterii, et commentarios Vitæ et miraculorum B. Ceslai et aliorum corripuit. Nam hos extitisse testatur B. Humbertus in suo Chronico Ordinis Prædicatorum in hæc verba: « Sub Magistro Jordane data est fratri» bus ecclesia S. Adalberti episcopi et mar» tyris in Vratislavia, ab episcopo Laurentio, » quam frater Ceslaus ab eo missus accepit, » qui primus Prior ibidem extitit, multis co» ruscans miraculis, quæ usque ad hodie in » eodem conventu Vratislaviensi habentur in » scriptis. »

Postea tamen duo cœnobia ab incendio servavit.

56 Non tamen B. Ceslaus destitit, ejusque miraculorum fulgor coruscare Anno Domini MDLXX Vratislaviæ incendium excitatum omnia circum cœnobium D. Adalberti, in quo quiescit, depascebatur. Jam globi ignei volitantes prope adurebant tecta ejusdem ecclesiæ. Attulit opem B. Ceslaus: cælitus enim [etiam nunc dum hæc scribimus superstitibus] apparens visus est pallio objecto arcere et extinguere flammas a domicilio, quod vivens excoluerat. Feria tertia post festa Corporis Christi fuit qua hæc facta contingerunt. Non multum post scilicet anno Domini MDLXXXV idem, auxilium, eodem prorsus cultu delapsus, tulit religiosissimo virginum S. Catharinæ sui Ordini monasterio, ab ignibus novum suorum Vratislaviæ vastantibus periclitanti, cujus beneficii memores virgines devotæ in variis vitæ afflictionibus ad ipsum confugere consueverunt. [Nonnullæ ex ipsis grati animi ergo hæc integra fide confitentur.]

57 Anno Domini MDLXXXIX soror Dorothea Panckwietzin Suppriorissa, extrema valetudine jactata, et jam a medicorum collegio destituta, voto facto B. Ceslao, convaluit. Anno Domini MDCIII soror Catharina filia ceræfactoris, dolore pedum intentissimo graviter confecta, ut incedere non posset, cum sacrum Missæ in honorem B. Ceslai recitari fecisset, momento erecta gressum recuperavit. Eadem pro matre, gravissimo morbo detenta, votum spopondit, exsolvit, matrem incolumen aspexit intercessione B. Ceslai. Soror Dorothea Majorissa fere jam in agone decertabat, animamque jam spirabat; cum cereum ardere ex voto ad sepulcrum B. Ceslai jussisset ipso adhuc ardente E [nec exusto], a porta mortis ad vitam rediit anno Domini MDCV.

58 [Sororis Mariæ mater in extremis fere agebat: hanc illa B. Ceslao in tutelam commendarat; voto facto, si convalescere, curaret singulis feriis sextis unius anni, Sacrum in honorem quinque vulnerum Christi ad altare B. Ceslai recitare. Ut panxit votum, altero die matrem sanatam agnovit. Eadem dolore brachii unius divexata, oblato cereo tantæ longitudinis, ad altare B. Ceslai curata est anno Domini MDCVI.] Soror Barbara Majorissima laboravit tibia eodem anno MDCVI, morbo immedicabili; cum Missæ sacrificium ad sepulcrum beati Ceslai nuncupasset, dolore abacto surrexit, incessit *a*. [Hæc omnia fassæ sunt scriptotenus, adactæ censuris ecclesiasticis, a me illarum indigno Priore, et Commissario, atque Vicario Monasteriorum Silesiæ Ordinis Prædicatorum latis.] F

59 De pulvere ex sepulturæ loco circumvicino egesto, quamplurimos hæreticorum audiri referre, quod eo ad sedandos acutos capitis dolores, atque alias acerrimas infirmitates medicandas innumeri usi, beneficium sanitatis adepti fuerint. Præ pudore, et magistratus *b* timore, publice id profiteri non audent. [Patrum memoria adhuc prostabant tabellæ votivæ et imagines cereæ appensæ, pro memoria beneficii ad altare beati Viri. Quidam vesanus (cujus nomen sileo si forte resipiscat) decussit, confregit, inque profanos usus convertit. Hunc in pœnam peccati tradidit Deus in reprobum sensum usque adhuc, quando ista ex diversis antiquitatum fragmentis colligebamus.] *Hisce Actis attexuit Bzovius catalogum satis prolixum illustrium virorum, qui prodierunt ex monasterio, quod B. Ceslaus Vratislaviæ condidit. Sed eum hic omisi, quia proprie ad B. Ceslai Vitam non spectat.*

ANNOTATA.

A ANNOTATA.

a *Pro his Bzovii verbis* surrexit, incessit, *in Ms. nostro Vratislaviensi tantum habetur* convaluit.

b *In Ms. Vratislaviensi additur* hæretici. *At talem tunc temporis fuisse, satis ex sensu colligitur.*

APPENDIX

De translatione Reliquiarum.

... in An-... Mss. sui

Cum ex præfatione R. P. Rechaci ad Vitam B. Ceslai *intelligerem, quædam ab Abrahamo Bzovio, teste oculato, circa sacrorum ossium translationem conscripta esse in Annalibus sui Ordinis, qui in Parisiensi PP. Dominicanorum conventu manuscripti censervantur, protinus scripsi Parisios, et, curante P. Carolo Fleury societatis nostræ sacerdote, inde ex Mss. Annalibus obtinui* B *quoddam ecgraphum, in quo Bzovius post quædam beneficia intercessione* B. Ceslai *Monialibus præstita, et jam in Actis num.* 56, 57 *et* 58 *narrata, translationem Reliquiarum, a se peractam, ita describit :* Hæc omnia fassæ sunt scriptotenus adactæ censuris ecclesiasticis a me illarum indigno Priore et commissario atque Vicario monasteriorum Silesiæ Ordinis Prædicatorum in examinatione prolatis anno MDCVII, quo ex vetusta sepultura, consentiente Joanne episcopo et universo Canonicorum Cathedralis ecclesiæ collegio, transtuli ossa B. Ceslai, eaque intuli sub mensam altaris sacelli vicini beatissimæ Virginis, aperto loculo in pariete a retro altaris, ex sacrario inferiori. Ex sacrario inferiori ecclesiæ necesse fuit transferre. Pietas et devotio ad priorem sepulturam accurrentium et pulverem morbis salutarem egerentium foramen aperuerat subtus, per quod hæreticis patebat commoditas aliquibus contumeliis sacra pignora dehonestandi vel etiam perdendi. Detuli periculum episcopo Nissæ commoranti, C nec non patrum canonicorum capitulo, simulque ab illo petii et obtinui duos ex his, qui apertioni sepulcri vetustioris assisterent, simulque coram aspicerent, quæ tunc patefacta forent. Triduanum etiam fratribus et sororibus Ordinis indixi jejunium et sacri edulii Eucharistiæ usum, ut beati Viri exuvias Deus manifestaret.

Hic destinato præsentibus canonicis ab episcopo designatis una cum fratribus cœnobii, exclusis aliis et clausa ecclesia, acciti operarii ; altare ligneum sepulturæ impositum et deinde mensam lapideam amovimus ; mox in fossa alium, sed fractum lapidem vel potius frustum lapidis pridem quadrati, longitudine trium palmarum circiter repererunt. Quo amoto, arculam ligneam et clavem æream immissam in seraculum ferreum ærugine corrosum, et in arcula carie pene consumpta, cranium beati Viri et ossa principalia numero quinquaginta disposita suo ordine patefecerunt, dentibus in candido cranio pariter candidis adeo firmiter infixis, ut vix ferreo instrumento evelli potuerint duo dentes molares ; unus pro serenissimo Poloniæ rege Sigismundo III, alter pro serenissima matre Ferdinandi II nunc feliciter imperatoris. Retecto ad hunc modum sacro corpore, pulsatis organis et fratribus cantantibus TE DEUM LAUDAMUS, statua beatissimæ Dei Parentis in medio ecclesiæ pensilis se inclinavit, a nemine mota, circum circa appensis angelis mirum in modum gestientibus, universis, qui adfuerant, videntibus. Repetitum secundo miraculum, quando post aliquot dies sacrum corpus beati Viri e priore sepultura in locum supra nominatum transferretur et vino ablutum, inque novam arcam ligneam tribus seris munitam repositum conderetur. Vinum istius ablutionis profuit gustatum innumerabilibus, morbis laborantibus, etiam hæreticis. Extat publicum instrumentum horum omnium in conventu S. Adalberti Wratislaviensi.

Dubitari potest, an authenticum illud instrumentum etiamnum ibi supersit, quia, anno hanc translationem sequente, Lutheranum vulgus furens et B. Ceslai *gloriæ invidens Wratislaviensem S. Adalberti conventum violenter ac sacrilege invasit, ut num.* 10 *in Commentario nostro prævio dictum est, et fatetur ipse Jacobus Schickfusius heterodoxus in suis Germanicis Silesiæ Annalibus annum* 1608 *lib.* I, *cap.* XLII, *ubi narrat, quomodo die* XXVII *Decembris inter horam* VII *et* VIII *vespertinam quidam ex plebe Wratislaviensi ob* Ceslaum *a Dominicanis honore affectum concitaverint tumultum, et effractis foribus in S. Adalberti cœnobium irruperint. Unde facile fieri potuit, ut scripta hæc testimonia, aliaque ad* B. Ceslai *gloriam spectantia, a rabida et hæretica plebe direpta aut dissipata fuerint. Quare operæ pretium non duxi Vratislaviam scribere, ut hujus dubii solutionem obtinerem, præsertim cum ad rei substantiam parum conferat, et PP. Andreas Stredonius ac Theodorus Moretus, in Commentario prævio citati, de hoc testimonio non meminerint.*

cujus authenticum testimonium dicitur servari Vratislaviæ.

A

DECIMA SEPTIMA DIES JULII.

SANCTI QUI XVI KAL. AUGUSTI COLUNTUR.

S. Speratus, S. Narzales, S. Cittinus, S. Veturius, S. Felix, S. Acyllinus, S. Lætantius, S. Januaria, S. Generosa, S. Vestina, B S. Donata, S. Secunda — Martyres Scillitani Carthagine in Africa.

S. Athenogenes martyr, Sebaste in Armenia.

S. Generosus martyr, Tibure in Latio.

S. Mammas, S. Emasia, S. Nazarius, S. Maximus, S. Paulus, S. Titiana, S. Nesia, S. Siriana, S. Eutatus et forte S. Justinus, S. Nonnus — Martyres.

S. Marcellus martyr, Mediolani in Insubria.

S. Hyacinthus martyr, Amastride in Paphlagonia.

S. Marcellina virgo, Mediolani in Insubria.

S. Alexius confessor, Romæ, vel ut alia Acta ferunt, Edessæ in Syria.

S. Ennodius episcopus confessor, Ticini seu Papiæ in Insubria.

S. Theodosius episcopus, Autissiodori in Gallia. E

S. Marina virgo, sub virili monachi habitu Marinus dicta.

S. Fredegandus abbas, Turnini prope Antverpiam in Belgio.

S. Kenelmus puer martyr, in Winchelcumbensi monasterio in Anglia.

S. Leo PP. IV, confessor Romæ.

S. Zoërardus seu Andreas conf., S. Benedictus martyr — In Polonia et Hungaria.

S. Benignus abbas, et Ordinis Vallumbrosani in Tuscia.

C F

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Canonizatio S. Thomæ Aquinatis *adjecta est Greveno in Additionibus Cartusiæ Bruxellensis. Quidquid de ea dici potuit, jam illustratum est* VII Martii.

S. Vigilius *episcopus Autissiodorensis et martyr hoc die colitur Compendii in Gallia, ut tradit Ferrarius. Fortassis translatio ejus est, cum natalis, ut alibi diximus, agatur* XI Martii.

S. Anacletum PP. *alicubi hoc die notatum invenit Bollandus, ubi recte eum retrahit ad diem quo de ipso actum est* XIII Aprilis.

S. Eovaldus (*vulgo* Saint Hou *vel* Saint Oud) *in Gallia hoc die recolitur, et quidem ut* Confessor, *ut cum retulit Castellanus, verum potissima ejus, tamquam martyris festivitas est eo die quo de ipso jam pridem actum est* VII Maii.

S. Sixti martyris *apud Gerundam in Hispania meminit hoc die Tamayus, cum nescio qua de causa hic sejungens ab* Eovaldo *socio, cum quo sub Daciano passus est; nos de utroque egimus* VII Maii.

S. Theodota martyr CPoli sub Leone Iconoclasta *hodie refertur in Martyrologio Romano, eo adscita ex Menologio, quod e Græco vertit Sirletus: de qua etiam Ferrarius in nova Topographia pag. 41, et Arturus in sacro Gynæceo ad hunc diem. Baronius quoque consuli potest ad annum 726. At locus, tempus, nomen Imperatoris, et alia adjuncta, in elogio apud laudatum Sirletum expressa, plenissime nobis persuadent, illam prorsus esse eamdem cum S. Theodosia sanctimoniali martyre CPolitana sub Leone Isaurico, quam, cras recensendam inter Prætermissos, alias dedimus* XXIX *Maii. Itaque* omnia

A *omnia remittimus ad eumdem diem* xxix Maii.

Aquisgranensis ecclesiæ dedicatio *signata alicubi est die præcedenti, sed in pluribus Usuardi Auctariis hac* xvii. *Videantur Acta Leonis III* xii Junii

S. Hervæum *signavit hoc die Castellanus, forte quod invenerit, eo die obiisse; at quæcumque causa fuerit, de ipso jam actum est* xvii Junii.

S. Nicostratum Commentariensem *a sociis suis hoc die avulsit Castellanus in Supplemento pag.* 695, *nescio quo scrupulo: nos de eo et ceteris egimus* vii Julii.

S. Amalbergæ virginis Octava *in hunc diem incidit, notata haud dubie pro aliqua ecclesia ubi peculiari festivitate recolitur Gandavi, Tamisiæ aut Maternæ. Nos quæ ad ejus Acta et cultum spectant abunde discussimus* x Julii.

Liberti confessoris *et* Ludberti abbatis *memoria, in Additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum hoc die adjecta, non videtur alio referri posse quam ad* S. Libertum, *Trudonopoli a Normannis interemptum, de quo vide quæ diximus* xiv Julii

B S. Æternum episc. martyrem *Ebroicis in Normannia annuntiat hoc die Saussayus: nos de eo post Castellanum egimus* xv Julii.

S. Sisenandus *a Ferrario ex tabulis Cordubensibus hoc die coli dicitur, at nos eum cum Romano retulimus die præcedenti* xvi Julii.

Triumphi S. Crucis *inutilis est repetitio apud Ferrarium hoc die, qui de eo satis egerat, quando et nos in prætermissis de eo locuti sumus* xvi Jul.

S. Caii martyris sub Diocletiano, Calari in Sardinia *scribit hoc die Ferrarius, primus qui de tali Sancto meminerit: unde et paulo longiorem notam apposuit quæ hic describi meretur:* Ex Tab. ecclesiæ Calaritanæ. Ejus corpus in sacra æde S. Luciferi anno sal. MDCXV a D. Francisco archiepiscopo Calaritano repertum fuit, qui ab hoc S. Martyre familiam Caiorum Calari genus duxisse scribit, in quibus S. Hilarius Papa, Crispini Caii filius, et Benedictus Anastasii Caii, civis Calaritani filius presbyter Card. tit. S. Praxedis sub Gregorio VII Pontifice maximo. Viget adhuc familia hæc Calari inter præcipuas, in qua D. Joannes C Caius, sive ut nunc loquuntur Caus, Canonicus ecclesiæ cathedralis, qui nobis multa de Sanctis Sardiniæ subministravit. *Supersit familia Caia, forte ab antiquis Romanis repetenda, per me licet; quid de genealogiis istis, a Sanctis deductis, sentiamus, pridem et abunde explicatum est. Non video, unde Ferrarius acceperit,* Caium *illum suum* sub Diocletiano *passum; nec quid ipsum moverit, ut hoc die eum collocaret, quem testibus Squirro et Bonfanto, certum est, repertum fuisse die sequenti seu* xviii *Julii. Minus etiam intelligas, cur ad* xxi *Julii iterum primo loco ab eodem repetatur*, Caleri in Sardinia. S. Caii martyris. *Sed Ferrarium mittamus. Laudatus Squirrus in Sanctuario Calaritano, non* Caium, *sed constanter* Acaium *appellat, repertum mutilum epitaphium mirifice resarciens, ut vide pag.* 229. *Bonfantus autem in Triumpho Sanctorum Sardiniæ pag.* 413 *paulo suavius rem inflectit, disjuncto A, ex* Acaio *fingens* Aulum Caium, *multaque alia comminiscens, quæ hic examinare non lubet. Qui plura de hoc et aliis, seu veris, seu prætensis Sanctis, in Sardinia sub initium sæculi* xvii *inventis, scire cupiunt, adeant Bollandi præfationem ante* D *tomum* I *Februarii cap.* v, *et Papebrochii Responsiones ad articulum* xxi *num.* 40.

S. Joannis abbatis sanctitate clari *lego in Benedicti Dorganii Kalendario monastico, nulla apposita loci notitia quam suggessit Menardus:* In Anglia, S. Joannis abbatis monasterii S. Albani, sanctitate et doctrina clari, *quæ male a Bucelino die præcedenti relata, ibi obiter diximus. His similia referuntur in utraque editione Martyrologii Anglicani, citaturque Westmonasteriensis in Floribus historiæ, non in* Floribus Sanctorum, *ut in posteriori perperam notatum est. Bucelinus satis habuit indicare diversos scriptores Anglicos: unde primi duo receperint, non indicatur; ex Wione non accepisse satis certum est; neque alii de Anglicis Sanctis agentes, multo minus Martyrologi antiquiores, Joannem istum sacris Fastis adscripsere; ut magnopere curandus hic non sit Ferrarius in Catalogo suo Universali satis rotunde et libere corradens quidquid usquam ei occurrit. Citat et ipse Parisium et Westmonasteriensem, quorum verba referre equidem non gravabor. Sic habet ille ad annum* 1214 *pag.* 174: Eodem tempore Joannes abbas ecclesiæ S. Al- E bani, in die B. Kenelmi regis et martyris, xix anno prælationis suæ, plenus dierum, sanctitate et religione insignis, scientia ad plenum eruditus, in senectute bona, sanctissime diem clausit extremum. *Vitam ejus paulo diffusiorem habes inter viginti tres abbates a pag.* 67, *at nusquam apparet cultus ullius ipsi exhibiti vestigium. Neque illis quidquam superaddit Westmonasteriensis hæc valde obiter describens:* Eodem tempore obiit Joannes abbas S. Albani die S. Kenelmi regis et martyris: *ut hic saltem frustra adducatur pro vindicanda Joannis istius sanctitate, quam nec Parisii auctoritas ei tam facile tribuet.*

Eulogius mystes, Eliani Ordinis alumnus, in Thebaide prophetiæ dono illustratus inter Eliades florebat sub Damaso Papa anno 373. *Verba sunt Aciei bene ordinatæ, quæ in gratiam Philippi Visitantini hic describere pergimus, uti et sequentia in eodem libello contenta.*

V. Marianus a sancto Benedicto Carmeli alumnus, tanta floruit sanctitate, ut eum sancti Cosmas et Damianus ad cœlum in- F vitaverint et duxerint anno 1594, dum obiit Matriti.

Joannem Beetzium *his jungere liceat ex nostro Fiseno in Floribus ecclesiæ Leodiensis, quem a Trithemio laudatum testatur.*

Petranum *nobis hoc die annuntiat solus Camerarius his verbis:* Hoc eodem die S. Petranus conf. in Campania Galliæ provincia celebris. Fuit hic Dei famulus unus ex fratribus S. Gibriani. *De hoc in opere nostro egit Henschenius ad* viii *Maii quo colitur: ast in notis ad Vitam in qua fratres et sorores omnes enumerantur, recte advertit, nescire se, an et quo die colatur* Petranus: *neque ego hactenus distinctiorem notitiam inveni. Sola Camerarii auctoritas nihil magnopere apud nos definit; sorores prætermisit Bollandus ad* iii *Januarii.* Petranum *aliquem suggerit Castellanus in Martyrologio Universali in Additionibus ad Sanctos incerti diei pag.* 1005, *ut* qui ecclesiæ alicujus in Britannia Armorica patronus sit: *verum an sit S. Gebriani frater, vel ut Saussayus nominat, socius, incertum. Si certiores*

certiores notitiæ accesserint, poterit de Petrano agi alio quolibet die.

Golgus abbas *memoratur item ab eodem Camerario, asserente,* de eo *agere* Adamnum lib. III et alios, *quos nominatos oportuit. Adamnani librum tertium intelligendum puta de Vita S. Columbæ, quam dedimus ad* XI *Junii, licet inter numerosam nominum classem* Golgum *ego non reperiam, aliter fortasse efformatum. Non opinor, Camerarium omnes, qui cum S. Columba egerunt, Sanctis adscribere, quemadmodum ferme Hiberni quidquid S. Patricium spectat, sacrum et sanctum existimant. Certe* Golgum *continuo ut Sanctum non agnoscam, nisi majori quam Camerarii auctoritate cultus ejus probetur.*

Sancti quindecim mille martyres in Pisidia *(alias in perside)* gladio consummati *referuntur in Synaxario Ms. chartaceo Divionensi seu Chiffletiano cum duobus versiculis. Memorantur etiam notati in Mss. Menæis Cardinalis Mazarini. De iis præterea agunt Galesinius ac Ferrarius, ut videsis die proxime sequenti in Prætermissis.*

Romani M. et Joannis I *memoriam suggerit Kalendarium Syriacum seu Chaldaicum, Romæ excusum anno* 1624, *quod Majoribus nostris Latine dictavit D. Josephus collegii Maronitici* 1661. *Plura nescimus.*

SS. Speratus et Veronice gladio perempti *notantur in Synaxario Ms. chartaceo Chiffletii, duobus versibus honorati. De loco palæstræ, ætate aliisve circumstantiis non licuit mihi quidquam discere. Quare sufficit illos hic solummodo memorasse.*

Mariam d'Ajofrin *Hieronymitissam S. Pauli, ut* Venerabilem *Toleti anno* 1489 *defunctam annuntiat Castellanus ; ejus memoriam hic notasse nobis sat est.*

Arnoldus monachus in Hemmerode *locum habet in Kalendario Cisterciensi Divione impresso, non hoc die, sed sequenti; ast in Catalogo Bruxellis edito* 1620, *atque in amplissimo Chronologico geographico Sigismundi Alberti, recentius excuso Monteregali* 1712, *tum vero apud Chrysostomum Henriquez, Chalemotum et alios melius, opinor, hac die* XVII, *cum titulo* Beati *et longiori elogio, quod non usque adeo invitus admiserim ; nempe quod* morum sanctitate insignis . . . . . et virtutibus clarus in pace quieverit ; *quod, teste Cæsario Heisterbacensi lib.* II, *cap.* III, *visus dicatur ab Isembardo* inter triumphantes Jerusalem cives gloriosus et exultans *etc. Hæc, inquam, licet in sola Cæsarii fide, haud equidem difficulter admiserim ; at non item quod de cultu, ei uspiam exhibito, satis constet ; unde a Miræo Sanctos Cistercienses recensente in elencho breviori, typis Joannis Perpermanni anno* 1621 *vulgato, omnino præteritus est. Utinam æstimatissimi nobis Ordinis scriptores, inter veros seu* Sanctos *seu* Beatos *suos, qui cultu gaudent, et venerabiles dumtaxat, paulo accuratius distinguerent ; ne toties eadem a nobis repetenda essent : docendum de cultu, antequam tam multi, apud ipsos* Beati *titulo donati, digniori loco in hoc opere collocentur.*

Stanislaus Polonus *abbas S. Crucis in Monte-Calvo, non procul Cracovia, cum octoginta duobus monachis Cisterciensibus, pro fide Catholica trucidatus cum elogio refertur ab Henriquez et Chalemoto, atque post ipsos a Bucelino hoc etiam die, quo tamen de eo non meminere Catalogi Bruxellenses aut citatum Kalendarium Divionense : amplissimus jam supra dictus Albertinus non dubitavit* Sancti *titulum ei apponere his verbis :* S. Stanislaus Boleslai pudici Poloniæ regis consanguineus, et abbas S. Crucis in Polonia martyr cum LXXXII monachis, in Monte Calvo prope Cracoviam XVII Julii MCCLX. *Lego apud Dlugossum, vastatum eo anno Montis Calvi cœnobium; at qui tunc homines ibi perierint sigillatim non explicat : quod vero magis mireris, scriptores alii Poloni, in Sanctis popularibus sibi vindicandis sane haud scrupulosi,* Stanislaum *istum inter suos non agnoscunt, ne quidem Martinus Baronius, qui vitam alterius Stanislai nempe Casimiriensis Canonici regularis ejusque miracula recensens, atque subopusculi finem catalogum bene longum attexens viginti* aliorum Polonorum ejusdem nominis Sanctorum, *de hoc, quantumvis synonymo, Cisterciensi ne verbo quidem meminit. Nullum scriptorem Polonum citat Henriquez, nixus solo, ut apparet, Bivarii fide, quæ quanta apud nos sit, nihil attinet multis hic depromere. Narrationem in dubium revocare nolim, at de martyrio vel ab ipsa ecclesia Polonica, nedum ab universali admisso, nulla hactenus satis certa exstant vestigia.*

Stanislaum de Stapis *Ord. S. Francisci de Observantia, ut* virum magnæ contemplationis et regularis perfectionis, *et prædicatorem ac confessarium*, spiritu prophetico plenum, Bidgostiæ in Prussia humatum *anno* MDVI *hoc die* XVII *Julii, nobis depingit Martinus Baronius Jaroslaviensis clericus in dicto hic opusculo de Vita, gestis et miraculis B. Stanislai Poloni Casimiriensis edito Cracoviæ* 1609, *ubi alios viginti Stasnilaos enumerat* Beatos *omnes, quos inter ordine decimus est is, quo de hic agimus*, Stanislaus de Stapis, *præter alios septem synonymos ex eodem Franciscano Ordine, eodem titulo donatos, quorum plerosque non novit Arturus a Monasterio in suo Martyrologio Franciscano, nec Fortunatus Huebcrus in paulo recentiori Martyrologio, Monachii anno* 1698 *edito, quod non ita pridem accepimus. Hæc indicasse sit satis : neque enim major hic Baronii quam Arturi aut aliorum auctoritas, donec ea accesserit, qualem pro B. Simone Lipnicio adduximus.*

Hieronymus Pragensis, *eremita Camaldulensis Bohemus, pluribus aliis ejusdem Ordinis Sanctis Polonis adjicitur in opusculo in eum finem edito Cracoviæ anno* 1610 *a Martino Baronio, hic jam bis citato, ubi labores ejus apostolicos in Lithuania exantlatos commemorat pag.* 17, *asserens*, plenum dierum bonorum sancte in Domino obdormivisse Venetiis anno Domini MCCCCXL die XVII Julii. *Hæc ultro ac libens admitto; quæro, unde et cujus auctoritate* Beati *titulum aut Sanctorum honores consecutus sit? Responsa mea Polonica satis manifeste innuunt, hunc et plures alios, licet a nonnullis* Beati *vocentur, nullo umquam cultu donatos fuisse.*

Antonius Brobeus *Londini ob defensionem fidei sub Henrico VIII strangulatus*

Didacus Arias *Carnotæ in Lusitania, doctrina et virtute clarus*

Joannes Tilletus *in Gallia, S. Bernardini Senensis aliquando socius*

Memorantur ab Arturo in Martyrologio Franciscano, et ultima etiam in ejus Gynæceo.

Ballazar

A Baltazar a Vigono *apud S. Romulu in Liguria*	*Memorantur ab Arturo in Martyrologio Franciscano, et ultima etiam in ejus Gynæceo.*
Martinus a S. Maria *in villa Pallhaesad Tagum Portugalliæ fluvium*	
Constantia vidua, *Arragoniæ regina, Barcione*	

Magdalena Rottenburga *Monachii in Bavaria additur in Gynæceo.*

Ambrosius Kyrmar *Monachii an.* 1678 *vita functus adjicitur ab Huebero.*

Beatrix *item* a Rusconibus *Mediolani ab eodem Huebero profertur.*

Guinizoni *monacho Cassinensi titulum* beati *et elogium ultimo loco tribuit Bucelinus, ut qui* natus in ulteriore Hispania *vixerit temporibus Henrici et Basilii Impp. et Benedicti Papæ;* vir sole clarior et plane mirabilis, *teste Petro Diacono.*

Ludovicus a spiritu sancto, *et* Joannes a sanctissima Trinitate *gloriosa morte labores apostolicos in Monomotapæ regno coronasse narrantur in Diario Marchesii anno* 1633 *ad hunc diem.*

Scariberga et Theodosia virgines *sic annuntiantur in Florario Ms. absque positione seu cultus* B *loco, ætate vel alio signo, unde in earum notitiam deveniatur, quam ab antiquioribus Martyrologiis frustra repetas.* Scaribergam, Scarebergam, Scarabergam *seu* Scaraberdam *equidem novi in Silva Aquilina agri Carnotensis cultam, at cum, nescio qua,* Theodosia *nulla prorsus cognatione aut affinitate connexam; ut vel aliunde accersita ea sit, vel ex Theodoræ alicujus nomine transformata : nisi velimus,* Theodosium *Autissiodorensem ab imperito aliquo scriptore femineo genere inflexum, et cum* Scariberga *non minus inepte copulatum. Porro hanc solam memorat, Castellanus in Martyrologio Universali, non hoc die, sed ignota de causa,* II *Octobris Melius fortasse Saussayus a S. Arnulfo, ejus, ut volunt, marito, non disjunxit, die quo res obscura et intricata, quoad licuerit, evolvetur* XVIII Julii.

SS. Justam et Ruffinam *virgines Hispali celeberrimas, ibi et Oriolanæ tamquam Patronas hoc die recoli ait Ferrarius, de qua re hic disputandum non censemus : Acta earum, cultum,* C *et reliqua eo spectantia illustrabuntur die quo in antiquioribus Martyrologiis Adone, Usuardo aliisque, ac demum in Romano signantur* XIX Jul.

Spretum Ep. M. *in nescio quo Kalendario pro hoc die Bollandus alicubi reperit, quem ego in omnibus Fastis nostris frustra quæsivi. Neque cum affinibus nominibus* Sperato *aut* Sperio *eum confundi patiuntur adjectæ qualitates* episcopi et martyris; *neque nuda hujusmodi annuntiatio absque majoris notitiæ subsidio admitti potest, utpote de suppositione aut corruptione merito suspecta. Id unum restat ut suspicemur, ex alia alterius diei annuntiatione retractum hunc Martyrem, nempe ex classe Corinthiorum, duce Cyriaco, in codicibus Hieronymianis, ut patebit die qua de ipsa agemus* XX Julii.

S. Marina *virgo martyr Antiochiæ Pisidiæ apud Græcos hoc die celebratissima est, ut incredibilibus tormentis affecta suo Olybrio præside, quam cur* XVIII *Junii signarit Rubanus et post eum Notkerus aliique ipsos secuti, necdum satis perspicio. Sanctæ istius passionem in Hispaniam translatam, satis certum est, an et Sancta ipsa, definire non ausim ; videntur Marinæ Gallæciensi propria aliqua aptari quæ diversam faciant, ut dicemus die sequenti. Ceterum* Marina Antiochena D *hodie passim confundiiur cum S. Margarita apud Latinos* XIII *hujus et* XX *die signata : ut proinde res tota examinanda sit dicta die* XX Julii.

S. Cleonici et Stratonici *martyrum Leontinorum* inventionem *die præcedenti ex Cajetano in prætermissis signavimus, omnia remittentes ad eorum diem natalem, seu verum seu suppositum,* XXIV *Julii. Hoc die sic habet idem Cajetanus :* Leontinis, translatio SS. Erasmi, Cleonici et Stratonici martyrum a Neophyto episcopo. *Unde Erasmus accesserit, hic non inquiro, certe ad eumdem diem* XXIV *Julii non spectat, sed ut pridem notavit Papebrochius agens de Sanctis Alphio, Philadelpho et Cyrino ad* X *Maii pag.* 503 a, *festum habet cum S. Onesimo* XXXI *Julii. Ceterum, ut pridie dictis inhæreamus, de duobus saltem posterioribus plura inquiremus, etiam ex Pantheo Careræ et ex aliis* XXIV Julii.

Sanctorum martyrum Pauli, Valentinæ et Theæ *cum versiculis et elogio memoria inscribitur manuscriptis nostris Græcis e Synaxario membranaceo Sirmondi seu collegii Claromontani* E *nostri Parisiis, et Ms. chartaceo Petri Francisci Chiffletii nostri, seu colligii Divionensis collecto. Tertio jam in prætermissis hujus tomi monemus, illos differri ad alium diem, quo de* S. Valentina *agit Martyrologium Romanum, nimirum* XXV Julii.

SS. Onesiphorum et Porphyrium, servum ejus, ab equis distractos, *hodie signatos reperio in apographo Synaxarii Ms. chartacei Chiffletii nostri. Sed adjuncta nimium conveniunt cum Sanctis synonymis, duobus proxime hunc præcedentibus diebus inter prætermissos positis, quam ut diversos esse credam. Proinde eos, uti ibidem factum, hic rursum differimus ad diem* VI Sept.

S. Hilarius Papa *hoc die obiisse dicitur a Giacomo, quod facile crediderim*; *at nobis sequendum Romanum Kalendarium quod ipsum habet* X Septembris.

S. Theodoram pœnitentem Alexandrinam *collectioni suæ generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non habentur ; inseruit Ferrarius, ducem assignans Maurolycum, qui haud dubie ex Petri Catalogo* Theodoram *istam, propter consimile exemplum Marinæ hoc ipso die* F *conjunctam, sic etiam annuntiandam putaverit. At Ferrarius observare potuit et debuit, prædictam* Theodoram, *antiquis licet Latinis Fastis ignotam, a Baronio memorari* XI *Septembris, utpote a Græcis acceptam, cujus Vitam auctore Metaphraste, ex Lipomano eodem die descripsit Surius. Cum igitur Kalendario Romano affixi simus, stupendam eam historiam discutiendam remittimus ad dictum diem* XI Sept.

Canonizatio S. Francisci *Ord. Minorum institutoris pridie memorata, iterum signatur hoc die a Molano, ex aliquo Martyrologio Franciscano; item a Canisio et Ferrario : ast de ea et ceteris ad sanctum spectantibus agetur, uti diximus, die ejus natali* IV Octobris.

Teresani Ordinis approbatio *notatur a Balindem in Kalendario Mariano, uti hoc die facta a S. Pio V PP. anno* 1565. *Quæ de ea notatu digna occurrent ad Vitam Sanctæ ipsius Teresiæ illustrabuntur* XV Octobris.

S. Bolonia V. M. *Martyrologiis omnibus, tum antiquis tum recentioribus plane incognita, in pago sui nominis apud Lingonas colitur novem lectionibus*

A *lectionibus duabusque orationibus propriis, quas anno* 1657 *ad Bollandum misit noster Jacobus Vignerius, quasque paulo contractiores etiam accepit a Petro Francisco Chiffletio ; ad quarum calcem notatur, factam sacri corporis translationem hoc die a principe Cardinale de Barro, Lingonensi episcopo anno* 1417. *Ast ibidem observat Chiffletius, in Lingonensi Breviario hujus sanctæ Virginis memoriam recoli* XVI *Octobris, quemadmodum et aliis locis, ibidem ab ipso signatis; ut portento simile videatur, oculatissimos duos Gallicanos Martyrologos Saussayum et Castellanum de* S. Bolonia *non meminisse ; nisi fortasse alio etiam nomine appelletur, quod ipsi præferendum consuerint. Quanti sint pretii lectiones, hic non disputo, cum enim ad hunc diem sola translatio pertineat, eas examinandas remitto ad diem quo ipsam coli diximus* XVI Oct.

Odiliæ virginis translatio *signatur in Florario nostro Ms., ut quæ* fuerit una de decem elegantissimis reginis et virginibus S. Ursulæ in solatium datis Hujus corpus per revelationem Coloniæ inventum, una cum sororibus suis duabus, scilicet Ema et B Jutta, et quodam episcopo, in monasterium Fratrum S. Crucis, in Hoyo Leodiensis diœceseos, quod Clarus locus dicitur, et caput ejusdem Ordinis existit, translatum est anno salutis MCCLXXXV, ubi infinitis coruscat miraculis. *Ita codex iste, cujus historia qualiscumque examinanda remittitur ad diem quo tot aliæ Ursulanæ rejectæ sunt (ut die sequenti iterum dicetur)* XXI Octobris.

S. Severini episcopi Coloniensis commemoratio reliquiarum *agitur in editione Usuardina Lubeco-Colon., atque in Greveno; quæ festivitatis istius causa sit, hic non inquirimus : celeberrimi Sancti Acta, ceteraque ad eum spectantia illustrabuntur* XXIII Octobris. D

SS. Marciani, Terentiani, Stephani, Vitalis, et Agricolæ *apud Dertonenses* reconditio *omitti hoc die poterat a Ferrario ; merito enim asseritur,* corpora aliquorum alibi quiescere, *ut magis patebit, ubi de SS. Vitale et Agricola* IV Novembris.

S. Lazarus, qui in Gallisio monte in pace quievit *cum duobus versiculis suggeritur a Synaxario Ms. chartaceo Chiffletii , reliquiarum vero ejusdem receptio vel relatio (Græce ἀνακομιδὴ) notatur in Synaxario membranaceo Ms. Sirmondi. In Synaxario Ruthenorum, a Georgio David nostro verso, legitur* translatio ossium V. P. N. Lazari, qui in monte Galileæ *(Gallesio de quo Strabo lib.* XIV) jejunabat. *Leo Allatius in Diatriba de Symeonum scriptis pag.* 103 *testatur, Vitam ipsius ac miracula conscripta fuisse a Gregorio patriarcha, assignato scriptionis exordio. Plures fortasse de hoc Sancto notitiæ cum dicta Vita ac miraculis alicunde eruentur, dum interea ipsum remittimus ad diem, quo in Typico S. Sabæ cum titulo thaumaturgi signatur* XII Novembris. E

Florentiam virginem *hoc die commemorat Florarium Ms. ad textus marginem, sed manu eadem : Grevenus istius Sanctæ* corporis translationem in Dacia *collocat ; idque a Canisio Germanice versum non recte intellexit Ferrarius.* Florentiam *Pictavii et Cumulati in ejus agro agnoscimus ; at translatam eam fuisse in Daniam, clarius doceri cupimus. Sanctam referunt Saussayus et Bastellanus, non hoc die, sed eo quo de ipsa agetur* I Decembris.

DE SS. MARTYRIBUS SCILLITANIS

SPERATO, NARZALE, CITTINO, VETURIO, FELICE, ACYLLINO, LÆTANTIO, JANUARIA, GENEROSA, VESTINA, DONATA, SECUNDA,

C

CARTHAGINE IN AFRICA.

F

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Martyrum numerus, nomina et cultus.

ANNO CC.

Contra mendosos Hieronymiani Martyrologii codices ostenditur.

Acta sincera, et vetustissima Martyrologia testantur, gloriosos hosce Christi pugiles, qui communiter Martyres Scillitani vocantur, numero duodecim fuisse. Unde Wandelbertus in Martyrologio Metrico eos* plebem duodenam *appellat. Nihilominus veretur Florentinius, ut Acta proconsularia, quæ tamquam vere pretiosum venerandæ antiquitatis thesaurum Eminentissimus Cardinalis Baronius protulit, revera Scillitanorum Martyrum sint, quia inter duodecim nomina, in Actis illis relata, reperiuntur aliqua, quæ in quibusdam Hieronymiani Martyrologii codicibus a sacra Scillitanorum societate sejunguntur: nam exemplar Lucense sic habet confuse :* In Africa, sanctorum Aquilini, Sperate, Chindini, Bituri, Azardi. In Mediolano, natalis sancti Marcelli. In Carthagine natalis sanctorum Generose, Januarie et Scillitanorum. *Codex vero Corbeiensis adhuc magis hunc duodenarium Martyrum numerum confundit, aut potius dividit hoc modo :* XVI Kal. Aug. In Africa, natalis SS. Aquilini, Speratæ, Chindini, Bituri, Azardi, Menelampi, Zosimi. Mediolano, natalis S. Marcelli, Justini, Nonni ; Carthagine, natalis S. Generosæ, Januariæ et Scillitanorum. Et alibi natalis sanctæ Mammæ. In Asia, Nazarii, Veturii, Januarii, Secundæ, Donatæ, Bessiæ, Maximi, Pauli, Aquilini, Felicitatis, Cutatæ, Titianæ, Bessæ, Sirianæ, Entati, Justini.

2 *Fateor hic tantam esse confusionem, ut non facile horum Martyrum palæstræ aut nomina cum Actis proconsularibus conciliari possint. At ea nominum et locorum, ab amanuensibus corruptorum diversitas, in codicibus Hieronymianis passim obvia* [illegible]

A *obvia, officere non potest Actis nostris omnino genuinis, maxime dum constans veterum Martyrologorum consensus ea confirmat, asseritque, hos duodecim Martyres simul Carthagine passos fuisse. Nemo igitur duodenarium horum Martyrum numerum negare potest, nisi Martyrologis veteribus atque ipsis Actis proconsularibus fidem velit adimere : totidem enim, tum in Mss. Baronianis et Colbertinis, a Ruinartio inter Acta Martyrum sincera et selecta editis, tum in Ms. nostro, quod ex codice Toletano excudemus, recensentur.* Quibus omnibus, *inquit merito Ruinartius in admonitione prævia ad Acta martyrum Scillitanorum num.* 2, prævalere non potest Martyrologii a clarissimo viro Florentinio Lucensi editi auctoritas, ubi aliqui ex illis Martyribus, qui in Actis memorantur, a Scillitanis videntur distingui ; quamvis in eodem Martyrologio, quod scilicet sancto Hieronymo attribuitur, in plurimis codicibus Mss., ut ipsemet Florentinius observat, omnes illi simul Scillitani vocentur.

B

...nomina ...varie ...ntur, in- ...nomen ...Tille- ...

3 *Nomina horum Martyrum in variis Actis et Martyrologiis ita distorta sunt ac diversa, ut vix inter se dignosci, et feminæ a viris distingui possint : etenim præter alias nominum inflexiones in quibusdam* Januarius *et* Generosus *pro* Januaria *et* Generosa *scribitur. Sed hæ aliæque discrepantiæ facile observabuntur, quando de eorum cultu acturi diversas Martyrologorum annuntiationes proferemus. Interim nomina in titulo scripsimus eo modo, quo in Actis proconsularibus a Baronio editis exprimuntur. Tillemontius tom.* III *Memor. Eccles. pag.* 639 *ait, sese in signandis horum Martyrum nominibus sequi Mss. Baroniana, exceptis duobus, nempe* Acyllino et Lætantio, *pro quibus juxta plures codices substituit* Aquilinum *et* Lactantium. *Deinde quia* Aquilinus *Græce scribitur* Ἀκυλῖνος *vix dubitat, quin Acyllini nomen ex Græcis Actis desumptum fuerit, atque hinc confirmat suam opinionem, quam pagina præcedente indicaverat, videlicet Acta primigenia in linguam Græcam fuisse translata ac ea, quæ modo habemus, ex Græca ista translatione prodire. Nobis in re adeo obscura et incerta divinare non lubet.*

C

...ulant ...leviter ...andi ...præ- ...

4 *Miramur tamen, Græcos, siquidem ea Acta suo idiomate conscripta habuerint, nusquam in suis Menæis, Synaxariis aut Menologiis* S. Sperati *et reliquorum martyrum Scillitanorum meminisse. Præterea quid obest, quo minus aliquis Afer vocetur Acyllinus, quandoquidem teste Grutero et Ruinartio, Acylla sit Africæ civitas, de qua Hirtius in Bello Africano cap.* XXXIII *meminit, cujus verba refert Christophorus Cellarius in Notitia orbis antiqui tom.* II, *lib.* IV, *cap.* IV. *Quid si martyr nomen* Acyllini *traxerit ab ea urbe, eo quod in illa natus aut diu commoratus fuerit? Nihil tamen ex his omnibus affirmo. Vocetur Aquilinus vel Acyllinus, parum interest. Id unum volui ostendere, ex* Acyllini *nomine debile argumentum deduci ad confirmandam Græcam Actorum versionem. Nihilo certius est, quod loco mox citando Paulus Gualterius Calaber ex populari traditione de ejusdem S. Martyris nomine scribit, nempe* S. Aquilinum *seu* Aquilanum, *ut eum ab antiquis appellatum falso asserit, natum esse in Aquilano Calabriæ castello jam destructo, atque ab hoc loco natali nomen suum retinuisse. Sed cum nunc de appellatione, omnibus his Martyribus communi, agendum sit, hujus scriptoris opinionem eadem opera refutabo.*

AUCTORE G. C.

Hi duodecim Martyres generali nomine Scillitani,

5 *In vetustissimis Martyrologiis aliisque Mss. codicibus hi Martyres cognominantur Scillitani. Petrus de Natalibus, episcopus Equilinus, in Catalogo Sanctorum lib.* VI, *cap.* CX *istius appellationis hanc reddit causam :* Dicuntur Scyllitani a Scyllitana insula, ex qua oriundi fuerunt. *Ubi terrarum sita sit hæc* Scyllitana insula *ignoro, cum omnes cosmographi, quos videre licuit, nullam hujus nominis insulam noverint. Forte Equilinus geographiæ parum peritus, ut alias me ostendere memini, Scyllæum seu Scyllitanum Calabriæ ulterioris promontorium perperam vocavit insulam, eo quod versus Siciliam instar peninsulæ in mare excurrat; atque ita fortasse occasionem præbuit Scriptoribus Calabris attribuendi sibi istos Martyres tamquam populares. Certe Paulus Gualterius in opere Italico, cui hic titulus præfigitur* Glorioso Triumpho seu Legendarium SS. Martyrum Calabrorum, *lib.* I, *cap.* LXXXVII *eos Calabriæ vindicat.*

non a Calabriæ,

6 *At de ipsorum patria inter ipsos Calabros est controversia, quibusdam affirmantibus, illos ad Scyllam, vulgo* Sciglio, *Calabriæ oppidum, in alta rupe positum, pertinere; aliis autem contendentibus, eos spectare ad episcopalem ejusdem regionis* E *urbem, communiter dictam* Squillaci, *cujus præsul vocatur* Scyllitanus *apud Baronium in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi* 562 *num.* 8 *et* 9. *Non est opus hanc litem componere, cum utrimque nullum habeant assertionis suæ fundamentum, præter quamdam nominis affinitatem. Quod si ad appellationis similitudinem tantummodo attendendum sit, ego eodem jure, id est nullo, patriam illis assignabo Scyllæum Peloponnesi promontorium, quod sinum Argolicum a Saronico dividit, et de quo Ptolomæus lib.* III, *cap.* XVI, *Strabo lib.* VIII *aliique egerunt. Si operæ pretium foret, possem alias Græciæ civitates homonymas proferre, easque eadem ratione Sanctis nostris natalitias attribuere.*

sed Africæ civitate appellati.

7 *Verosimile admodum est, hos Martyres a patria, aut urbe, quam incolebant, dictos fuisse Scillitanos. Notkerus id satis indicat in suo Martyrologio, ubi dicit, eos* sub Saturnino præfecto de civitate sua Scylla Carthaginem *perductos fuisse. Omnes martyrii circumstantiæ ultro monstrant, hanc urbem in Africa sitam fuisse. Quare vix dubito, quin Scilla vel Scillite fuerit episcopalis illa civitas, quam Carolus a sancto* F *Paulo in sua Geographia sacra, cum notis Holstenii edita, pag.* 92 *in Proconsulari provincia collocat, et cujus antistes Squillacius in Collatione Carthaginensi apud Labbeum nostrum tom.* II *Concilorum col.* 1393 *sic memoratur :* Squillacius episcopus ecclesiæ Scillitensis Carthagini constitutus, præsente V. C. Tribuno et Notario Marcellino, die superiori mandavi et subscripsi. *Qui plura de hac Africæ urbe nosse cupit, adeat Ruinartium in notis ad Historiam Persecutionis Vandalicæ pag.* 274. *Adde, quod Wandelbertus in suo Martyrologio metrico hos duodecim Martyres celebrans, Carthaginem Scillitanæ urbis caput seu metropolim fuisse significet his versiculis.*

Sedecimam votis Carthago spectat opimis
Martyrii plebem duodenam læta frequentans,
Scillitana simul CAPITI quos patria misit.

Ex his aliisque, quæ adferri possent, argumentis manifestum fit, Martyres Scillitanos non a Calabriæ, sed Africæ civitate cognomen traxisse. Nunc eorum cultum stabiliamus.

8 *Celeberrimam olim in Africa fuisse horum Sanctorum memoriam, colligo ex venerandis illius* ecclesiæ

AUCTORE G. C.

olim in Africa celebrem cultum habuerunt;

ecclesiæ monumentis : nam Victor Vitensis sæculi quinti scriptor lib. 1 *Persecutionis Vandalicæ num.* 3 *testatur, extitisse istic* basilicam... Scillitanorum, *quam Wandali, Ariana lue infecti, inter ecclesias* alias, quas non destruxerant, suæ religioni licentia tyrannica manciparunt. *Videtur S. Augustinus sermonem* CLV *alias* VI *de verbis Apostoli in hoc ipso templo habuisse : in veteri enim codice Ms. Romani monasterii sanctæ Crucis in Jerusalem Ordinis Cisterciensis huic sermoni is titulus præfigitur* · Habitus in basilica Sanctorum Martyrum Scillitanorum. *Possidius in Indiculo cap.* IX *notat, concionem etiam a S. Augustino habitam fuisse* per natalem Sanctorum Martyrum Scillitanorum. *Sed cum is sermo nusquam inter ejus opera, nequidem novissime edita, compareat, existimo eum aut excidisse, aut etiamnum alicubi cum pulvere luctari. Eamdem ecclesiæ Africanæ venerationem indicat Kalendarium Antiquissimum, a Mabillonio tom.* III *Analectorum pag.* 398 *editum, in quo inter ceteros sanctos, quos ecclesia Carthaginensis annua festivitate celebrabat, nostri Martyres ita referuntur :* XV. Kal. Agustas Sanctorum Scillitanorum.

B

qui postea transiit in Hispaniam.

9 *Neque intra solos Africæ terminos religiosus ille cultus remansit, sed a multis seculis in Hispaniam transiit, ubi jam sæculo* VIII *Missam de S. Sperato extitisse constat ex epistola Elipandi Toletani, qui in ea patrocinium hæresi suæ se reperisse confidenter jactabat. At ei doctissimus Alcuinus, Caroli Magni magister, lib.* II *adversus Elipandum inter ejus opera anno* 1617 *Parisiis impressa col.* 953 *respondit in hunc modum :* Dum tuæ infidelitali, o venerande frater, ex aliis ecclesiarum Christi doctoribus testes defecerunt, subito Toletanos, ut ais, venerabiles patres protulisti, et illorum in Missarum solemniis orationes in auxilium tuæ sectæ adsumpsisti. *Deinde, solutis aliquot Elipandi objectionibus, columna sequenti sic pergit :* Quod ais in Missa sancti Sperati martyris,... inconveniens dictio est. *Hæc Missa ad diem* XVI *Novembris hodiedum legitur in Missali mixto seu Mozarabico, quod Illustrissimus ac Reverendissimus D. Franciscus Ximenius archiepiscopus Toletanus ad conservandum antiquum Mozarabum ritum anno* 1500 *typis mandari jussit.*

C

uti testantur hymnus,

10 *In Breviario Mozarabico, quod jussu ejusdem Illustrissimi archipræsulis duobus annis post Missale impressum est, die* XXI *Julii recitatur Officium de S. Sperato. Cum anno* 1722 *essem Toleti ad conquirenda Operi nostro monumenta, ex editione unica et admodum rara hujus Breviarii, quod nulla ratione obtineri, imo vix commodari potuit, transcripsi hymnum sequentem :*

Sperati sancti Martyris
Palmam virtutis inclytam
Alternis invicem choris
Hymnis canamus mysticis :
Hunc urbs præpollens Africæ
Carthago servat martyrem,
Complectiturque occiduus
Christo dicatus populus.
Floret ejusdem tumulus,
Eximiis virtutibus,
Ut passionis gloriam
Amplificent miracula.
His * sacris cum sodalibus
Dum cogitur ad victimam
Negavit sese fortiter
Thura libanda idolis.
Exclamat namque protinus
Christi minister ego sum;
Quosque videtis socios,
Tales adesse credite.
His dictis præsul * im, ius
Commotus ira insaniæ,
Ferire jubet gladio
Colla piorum Martyrum.
Post hoc trophæum fidei
Evolaverunt animæ;
Petentes Patris solium
Pares coronas capiunt;
Sicque gerentes stigmata
Christi in carne propria
Conformes facti sunt Christo
Cælesti regno ac præmio.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne seculum. Amen.

* *forte Is aut Hic*

* *forte ...*

D

et oratio in ... cio Mozar...

11 *Opinor, quasdam S. Sperati et Sociorum martyrum reliquias ex Africa in Hispaniam translatas solemni huic Mozarabum cultui causam dedisse, quia in prædicto Officio legitur hæc oratio :* Deus exultatio et palma sanctorum Sperati vel comitum ejus martyrum tuorum, exaudi nos supplices tuos, et præsta, ut quorum in tuo amore reliquias veneramur, et emolumenta recolimus, eorum meritis ab omnibus malis liberari et conservari mereamur. Amen. *Adde illos Martyres non ipso martyrii die a Mozarabibus coli, sed in Breviario* XXI *Julii, et in Missali* XVI *Novembris celebrari, qui forte sunt dies, quibus reliquias eorum receperunt, vel populo publice venerandas proposuerunt. Quomodo autem eorumdem Martyrum cultus in Galliam et Italiam pervenerit, postea patebit, quando de sacrorum corporum translatione agemus. Nunc aliquot Martyrologos enumeremus.*

E

Iidem martyres in antiquis

12 *Martyrologia Hieronymiana, aliaque antiqui cultus indicia jam superius dedi. Romanum parvum, a Rosweydo nostro editum, sic habet :* Carthagine, martyrum Scillitanorum, Sperati, Narthali, Cythini, Bethurii, Felicis et aliorum VII. *Beda seu Florus tomo* II *Martii præfixus, eos textu corrupto annuntiat :* In Carthagine Scillidanorum, id est Marcialis, Cithii, Vesturii, Felicis, Aquilini, Lactantii, Januarii, Generosi, Vestæ, Donatæ et Secundæ, sub Saturnino Præfecto, qui post primam Christi confessionem in carcerem missi et in ligno crucifixi, in mari gladio decollati sunt. *Satis patet pro* in mari *legendum esse* et mane, *ut habes in minoribus Hieronymianis Reg. Suec., S. Cyriaci et Barberiniano. Deest etiam in hac annuntiatione* S. Speratus, *apud alios duodenæ cohortis antesignanus, quod transcriptoris oscitantia factum est, ut vide in citatis codicibus. Ado omnes ita recenset :* In Carthagine natalis Sanctorum martyrum Scillitanorum, id est, Sperati, Narthali, Cythini, Bethurii, Felicis, Aquilini, Lethatii, Januariæ, Generosæ, Bessiæ, Donatæ et Secundæ, sub Saturnino præfecto. Qui post primam Christi confessionem in carcerem missi et in ligno confixi, mane gladio decollati sunt. Horum reliquiæ cum ossibus beati Cypriani et capite sancti Pantaleonis martyris, ex Africa in Gallias translatæ, venerantur Lugduni in Basilica sanctissimi Joannis Baptistæ. *Hanc sacrorum corporum translationem postmodum fuse discutiemus.*

F

13 *Usuardus aliorum Martyrologorum vestigiis insistens hoc die eisdem Martyres ita celebrat :* In Cartagine,

Cartagine, natalis sanctorum martyrum Scillitanorum, id est, Sperati, Nartali, Cithini, Beturii, Felicis, Aquilini, Letatii, Januariæ, Generosæ, Bessiæ, Donatæ et Secundæ sub Saturnino profecto, qui post primam confessionem in carcerem missi, et in ligno confixi, deinde gladio decollati sunt. *Varia Usuardinorum codicum lectio videri potest in Usuardo nostro, non ita pridem illustrato. Supervacaneum foret recentiores Martyrologos hic proferre, cum veteres suppetant, et ad cultum probandum sufficiant. Non possum tamen, quin hic subnectam Florarium nostrum Ms., sæculo* XV *exaratum, eo quod consueto horum Martyrum elogio novam quamdam narrationem, nescio ubi inventam, ita inserat :* In Cartagine sanctorum martyrum Scillitanorum, id est Sperati, Nartali, Cyrini, Beturii, Felicis, Aquilini, Letacii, Januarii, Generosæ, Bessiæ, Donatæ et Secundæ ; Qui primi dum forent in aula regia, capta dulcedine Christi, omnia deserentes ei deservire studebant, cui est regnum, potestas et imperium. Tanta eorum fuit constantia, ut tormenta deriderent, et
B ea sibi fieri et infligi, ut martyrum consortio adscriberentur, affectarent. Hi sub Saturnino præfecto, Christianorum maximo [persecutore] post primam Christi confessionem in carcerem missi, et in ligno confixi, tandem gladio decollati gloriosum compleverunt martyrium. *Nescio, ubi Florarii scriptor hanc aulicam dignitatem, in Actis et veteribus Martyrologiis non expressam, legerit. Ex dictis ac porro dicendis forte clarius intelligentur ea, quæ Illustrissimus ac Reverendissimus Franciscus Maria de Aste archiepiscopus Hydruntinus de his Martyribus obscure controvertit in Notis ad Martyrologium Romanum, anno* 1716 *Beneventi editis. Nunc ad alia progrediamur.*

§ II. Acta, Palæstra et epocha Martyrii.

C [illegible] Acta a [illegible] ex Mss. [illegible]

E*minentissimus Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum die* XVII *Julii de Scillitanorum martyrum Actis hoc fert judicium :* Habemus horum sanctorum Martyrum Acta, prout excepta fuerunt a notariis et relata in Acta proconsularia, absque ullo aliquo fuco vel additamento inde descripta, nobis quidem quovis thesauro cariora. *Eadem vero Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi* 202 *integra inseruit, ac ante illa sic præfatur :* Extant proconsularia Acta martyrum Scillitanorum, qui sub eodem consulatu Claudii et Proconsule Saturnino Cartagine passi habentur, digna quidem quæ ad verbum hic intexantur ; ut ex iis, quæ certa atque explorata habentur, Martyrum Actis, cetera quæ vel non scripta, vel aliquando scriptorum memoria commendata, depravata tamen et corrupta, vel penitus periere, intelligere valeamus. Descripsimus ea ex vetustissimo codice, qui apud nos est, cognito et emendato. Ex Vaticana enim bibliotheca duo alia æque vetusta nacti sumus exemplaria. Posuimus in margine variam lectionem ; in textu autem, quam putavimus fideliorem. *Nos ea ex Baronio simul cum variantibus lectionibus priore loco excudemus.*

AUCTORE G. C.

et alia ex Ms. bibliothecæ Colbertinæ a Ruinartio edita :

15 *Quamvis eorumdem Martyrum Acta, aliquatenus a Baronianis diversa, ex Ms. codice bibliothecæ Colbertinæ ediderit Ruinartius, tamen ubique tantam sinceritatem tamque venerandam simplicitatem spirant, ut severissimi critici ea vellicare non fuerint ausi. Tillemontius quidem, ut supra indicavi, ex quibusdam barbarismis et, ut putat, hellenismis conjicit, illa Acta primo e lingua Latina in Græcam, ac postea iterum ex Græca in Latinam fuisse translata, ac inde suspicatur, eam Actorum discrepantiam provenisse ; sed adeo levibus nititur conjecturis, ut parum nos movere debeant. Quasi vero barbaræ et impropriæ phrases transcribentium ignorantia in Acta Latina irrepere non possent. Magis nobis placet judicium Ruinartii, qui in Admonitione ad hæc Acta de ista diversitate sic loquitur num.* 1 : Hanc autem varietatem Actorum ex eo profluxisse existimamus, quod cum hæc Acta a fidelibus, qui quæstioni forte præsentes fuerant, descripta fuissent, vel forte ab iisdem ex notariorum publicorum excerptis compendiose relata, ea quæ audierant vel legerant, alii aliis verbis retulerunt. *Jam nostra horum Actorum ecgrapha recenseamus.* E

habemus octo Mss. eorumdem ecgrapha,

16 *Præter Acta Baroniana, aliaque Bibliothecæ Colbertinæ, et fragmentum ex Ms. codice Augiensi erutum, quæ omnia a Ruinartio typis vulgata sunt, possidemus octo manuscripta eorumdem Actorum exemplaria, de quibus nunc singillatim pauca notabimus. Primum anno* 1660 *ex Suessionensi Cælestinorum bibliotheca descriptum est. Illud ab Actis genuinis potissimum stylo decrepat, ita ut clare appareat, istius scriptorem, salva rei substantia, dictionem et colloquia pro suo libitu immutasse. Præterea iis Actis subnectuntur verba sequentia, quæ ex proprio quodam SS. Martyrum Officio desumpta esse suspicor.* O Carthago caput Africanum mellifluo rore sanguineo suaviter, ut nix supra fœnum, inundata, corde plaude toto : nam Speratum possides patronum cum sociis in regno beato. Si Carthago copia sanguinis decoratur ; quid nunc Ambianis, quæ beata possidet corpora.? Plaudat clerus canticis et hymnis, et populus de tantis patronis, quorum preces nobis dent numera. Amen. *Alterum Ms., quod vocatur Belfortianum, priori omnino simile est, nisi quod post Acta, et verba mox citata addat narrationem translationis, de qua suo loco agemus.* F

ex quibus breviter septem enumerantur.

17 *Tertium nostrum ecgraphum prodiit ex Passionali pergameno cœnobii Bodecensis in diœcesi Paderbonensi, quod hinc inde nonnihil auctum et mutatum est. Ad calcem vero paucis narratur reliquiarum translatio, quæ ex Africa Lugdunum Gallorum factum est. Quartum est ex Ms. Trevirensi S. Maximini, quod tribus præcedentibus sincerius est, et ad primigeniam Actorum simplicitatem proxime accedit. Quintum exstat in quodam Musei nostri codice signato* ✠ *Ms.* 40, *cujus quidam character non est valde antiquus ; at ex vetustiori fideliter transcriptum fuisse arbitror, quia, exceptis paucis levioris momenti variationibus, cum sinceris Actis omnino convenit. Sextum, quod Romæ ex codice Ms. sanctæ Mariæ Majoris desumptum est, dividitur in tres Lectiones, quæ integra Actis satis sincere continent. Unde conjicio, proprias illic de Martyribus nostris Lectiones recitari consuevisse ; an autem solennis ille cultus etiamnum perseveret, compertum non habeo. Septimum ego ipse anno* 1722 *ex Sanctorali*

AUCTORE G. C.

ctorali pergameno ecclesiæ Toletanæ descripsi, quando ad indagandas Sanctorum, maxime Hispanorum, notitias in Hispania versabar. Toletanum hoc Ms. stylo et verbis proximum est iis Actis, quæ Ruinartius ex bibliotheca Colbertina in lucem dedit. Quare hæc Acta Toletana, numquam edita, cum Colbertinis conferemus, et observatis ad marginem præcipuis variationibus, secundo loco typis mandabimus; ea autem, quæ ex Colbertino Ms. supplentur, uncis [ ] includemus.

et octavum præcipue examinatur.

18 *Octavum denique est Ms. Romanum, nescio cujus bibliothecæ, quod ante Acta habet talem prologum, in omnibus aliis Mss. omissum :* Temporibus Severi imperatoris, invalescente persecutione, præerat tunc civitati Carthaginis episcopus nomine Speratus, persistens in præceptis Domini, secum habens alios undecim promiscui sexus *etc. Deinde post expressa Martyrum nomina et laudatam eorum constantiam sequuntur Acta proconsularia, quorum initium interpolatum est : nam inducitur ipse consul Claudius sic* S. Speratum *interrogans :* Claudius dixit : Ego tu, qui major esse videris, dic, qua dignitate fungeris, et quod est tibi nomen? B Speratus dixit : Indignus licet, episcopus hujus civitatis sum ; si nomen requiris, apud homines Speratus vocor, religione Christianus. *Post aliquot interrogationes dicitur Claudius SS. Martyres Saturnino Proconsuli examinandos tradidisse, ac tunc tandem incipiunt vera Acta, subinde tamen in phrasibus paululum mutata. Forte Henschenius noster hujus Ms. principio inductus fuit, ut* S. Speratum *tom.* I *Martii pag.* 632 *Carthaginensem episcopum appellaret. At ego unius Ms. auctoritate non ita moveor, tacentibus præsertim omnibus aliis, ut Carthaginensem cathedram ei certo asserere ausim; nec tamen S. Martyri illam aut similem dignitatem denego, cum ex Actis satis appareat, eum sacri hujus agminis præcipuum fuisse. Atque hæc de Actis dicta sufficiant.*

Aliqui scriptores volunt, eos passos esse Carthagine Nova in Hispania;

19 *Mirum fortasse cuipiam videbitur, nos de martyrii loco hic quæstionem instituere, cum omnes Actorum circonstantiæ clament, illos Martyres Carthagine in Africa passos fuisse. Verum ad eam disputationem nos compellunt aliqui scriptores, qui aut errore lapsi, aut patriæ amore excæcati eos Carthagini novæ (Antonius aliique a Sparti copia* Spartariam *appellant) maritimæ Tarraconensis* C *Hispaniæ urbi attribuunt. Primus, seu potius Joannes episcopus Cabilonensis, qui anno* 1450 *floruit, in sua Topographia Sanctorum ordine Alphabetico disposita sub titulo* Carthago nova civitas Hispaniæ *nominatim collocat hos duodecim* sub Saturnino præfecto martyres. *Atque hunc suspicor, primam errandi occasionem ceteris præbuisse: nam Franciscus Maurolycus Abbas Messanensis, qui hanc Joannis Cabilonensis Topographiam typis mandavit, atque ex ea se multum profecisse fatetur, errantem secutus est in Martyrologio suo* XVII *Julii ita scribens :* In Carthagine Hispaniæ natale sanctorum martyrum Scillitanorum, scilicet Sperati, Martali, Cetini, Betulii, Felicis, Aquilini, Luctatii, Januarii, Generosæ, Bassiæ, Secundæ atque Donatæ sub Saturnino præfecto, qui post primam Christi confessionem in carcerem missi et in ligno confixi, deinde gladio decollati sunt. *Hinc etiam leviter credidit Felicius, qui in Martyrologio Italice scripto horum Martyrum palæstram vocat* Carthaginem Hispaniæ. *Laurentius Padilla, Joannes Marieta, Sanctius Davila aliique hagiologi Hispani eumdem errorem, tamquam patriæ suæ honorificum, avide amplexi sunt, et quod nimis* D *ardenter desiderabant, nimis facile crediderunt.*

Galesinius va[illegible] illos [illegible] Cordubæ, [illegible] et [illegible] thagini.

20 *Nescio, quid in mentem venerit Petro Galesinio, dum in Martyrologio suo* XIX *Julii ita scribit :* Cordubæ in Hispania sancti Sperati martyris et sociorum. *Die autem* XVII *ejusdem mensis sic sibi contradicit :* Carthagine, beatorum martyrum Scillitanorum, Sperati, Nartali, Cythini, Beturii, Felicis, Aquilini, Letatii, Januariæ, Generosæ, Bessiæ, Secundæ, Donatæ; qui fidei ardore inflammati, post primam confessionem Christi, in carcerem Saturnini præfecti mandato conjecti et ligno confixi, mane gladio percussi sunt. Eorum reliquiæ cum ossibus sancti Cypriani martyris, et capite beati martyris Pantaleonis Lugdunum delatæ, in sancti Joannis Baptistæ ecclesia religiose coluntur. *An hi martyres Cordubenses a Carthaginensibus diversi sunt? At eosdem esse ipse Galesinius satis indicat, dum in notationibus Martyrologio subjunctis ad diem* XIX *Julii de Sperato et sociis, quos Cordubæ collocarat, ita loquitur :* Quorum tamen dies natalis in ecclesia Lugdunensi agitur XVI Kal. Aug. *Si hi martyres Cordubenses sint iidem cum* E *iis, quos ecclesia Lugdunensis die* XVII *Julii veneratur, sequitur, etiam eosdem esse cum iis, quos ipse Galesinius eo die Carthagine passos fuisse affirmaverat, nisi falsum quis esse velit hoc tritum Philosophorum axioma :* Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.

quem in signanda Cordubensi palæstra secutus est Ferrarius.

21 *Ferrarius quidem in Catalogo Generali die* XIX *Julii textum Galesinii sic describit :* Cordubæ in Hispania SS. Martyrum Sperati et sociorum; *sed in notis ad eumdem diem observat sequentia :* Ex Martyrologio Galesinii ; at in Martyrologio Romano die XVII hujus, et Carthagine in Africa passi referuntur. Qua in re puto Galesinium hallucinatum, cum de illis nihil in tabulis ecclesiæ Cordubensis legatur. *Hinc collige, quod Tamayus in Martyrologio Hispano die* XVII *Julii Ferrarium perperam accuset hoc modo :* Prorsus a vera chorographia palæstræ sanctorum horum Martyrum deviavit Philippus Ferrarius in Catalogo Generali SS. die XIX Julii pag. 297, cum apud Cordubam passos SS. Martyres Galesinii auctoritate contendit; quia Galesinius nostros Martyres, quos hic appingimus, vere apud F Carthaginem passos, non apud Cordubam scriptum reliquit. *Cur hic potius peccavit Ferrarius, quam Galesinius, cujus verba transcripsit? Quomodo* apud Cordubam passos SS. martyres Galesinii auctoritate contendit Ferrarius, *qui putat, Galesinium ea in re hallucinatum fuisse, et satis aperte ejus auctoritatem rejicit. Deinde Tamayus frivola explicatione Galesinium cum se ipso conciliare conatur, qaasi is tantum dixerit, illos Martyres Cordubæ cultos, et Carthagine in Hispania passos fuisse. Si Galesinius id solum voluerit, etiam Lugdunum in Gallia, ubi celebris est horum Martyrum veneratio, illis assignare debuisset, quam tamen urbem a passionis loco diserte distinguit. Opinor ego, Galesinium memoria lapsum sibi contradixisse, cum de cultu Cordubensi ne quidem in notationibus meminerit, et Cordubam exprimat eodem modo, quo solet aliorum martyrum palæstras designare. Sed quæcumque demum sit hæc super re Galesinii opinio, nihil refert ad præcipuum controversiæ nostræ caput, circa quod mox Tamayum propius conveniemus.*

22 *Si auctores jam memorati ovium more non fuissent*

uissent invicem cæce secuti, haud dubie vidissent, quod genuina Acta, antiqua Martyrologia, aliaque ecclesiastica monumenta Africanam martyrii palæstram commonstrent. Imo si vel ad Saturnini proconsulis nomen attendissent, potuissent colligere, cum non Hispaniæ sed Africæ provinciam administrasse: nam de illo verosimillime meminit Tertullianus Afer et coævus, dum aliquot annis post horum Martyrum certamen scripsit librum ad Scapulam, Africæ proconsulem, quem a persequendis Christianis ita deterrere nititur cap. III: Possumus æque et exitus quorumdam Præsidum tibi proponere, qui in fine vitæ suæ recordati sunt deliquisse, quod vexassent Christianos. Vigellius Saturninus, qui primus hic gladium in nos egit, lumina amisit. *Baronius ob hæc aliaque argumenta in notis ad Martyrologium Romanum hac die sic rotunde pronuntiat:* Hallucinantur prorsus hi, qui hos Carthagine in Hispania passos dicunt: nam ex prædictis ipsorum Actis erroris coarguuntur, et aliis antiquorum monumentis: nam in Breviario Toletano secundum regulam sancti Isidori, dum de sancto Sperato agitur, hæc in hymno sacro de eodem scribuntur:

B

Hunc urbs præpollens Africæ
Carthago servat martyrem etc.

23 *Tamayus in Martyrologio Hispano hac die contra apertam veritatem non tantum pertinaciter, sed etiam fraudulenter cavillatur:* Si Baronius, *inquit,* sequentia ejusdem hymni carmina perpendisset, suum errorem prorsus evitasset: prosequitur enim Isidorus.

Amplecliturque occiduus
Christo dicatus populus
Floret eximiis ejus
Hic tumulus virtutibus,
Et passionis gloriam
Amplificant miracula.
Hic sacris cum sodalibus
Dum cogitur ad victimam,
Negavit sese fortiter
Thura libanda idolis.

Sensus enim carminum est, quod urbs Carthago Africæ servat (per translationem sacrorum pignorum) S. Martyrem, quem amplectitur (per martyrium) populus occiduus id est Hispania, ubi floret eximiis virtutibus ejus tumulus, et ubi miracula amplificant gloriam passionis ejus: Nam hic, id est in Hispania, dum cogitur ad victimam cum sodalibus, negavit constanter, esse libanda idolis thura. Adverbium enim HIC respicit universaliter ultimam partem orationis antecedentis, et cum ea fuerit in carmine Isidoriano occiduus populus, hoc est Hispania, sequentia adverbia HIC tumulus, HIC sacris cum sodalibus, ad Hispaniam referenda sunt, tamquam ad partem ultimam carminis et hymni Isidoriani. *Hactenus Tamayus, cujus ineptiis breviter jam respondeo.*

24 *Præterquam quod hæc hymni interpretatio sit violenter contorta, et translatio reliquiarum ex Hispania in Africam omnino gratis conficta, detego hic iterum malam Tamayi fidem, qua quasdam hymni particulas immutat, et ad figmentum suum defendendum fraudulenter detorquet: nam in Breviario Mozarabico, cujus tantum unica exstat editio, non legitur, ut callide posuit Tamayus:* Floret eximiis ejus hic tumulus virtutibus. *Sed hæc est genuina lectio:* Floret ejusdem tumulus eximiis virtutibus. *Deinde in hymno, quem ego ipse Toleti anno* 1722 *ex Breviario prædicto descripsi, sic habetur:* His sacris cum sodalibus dum cogitur ad victimam. *Interim Tamayus pro* his *legit* hic, *in qua particula maximam argumenti sui vim constituit. Quod si forte errore typographico, quibus hoc Breviarium scatet, excusum sit* his *pro* hic, *quis Tamayo revelavit, particulam* hic *adverbialiter, ut Grammatici loquuntur, accipiendam esse? Nonne æque pronum est, ut* his *cum superflua adspiratione pro pronomine* is *impressum fuerit? Præsertim cum Petrus Bagembach, natione Germanus, et frequentiori linguæ vernaculæ adspirationi assuetus hoc Breviarium typis mandaverit. Si itaque hæc particula tamquam pronomen* hic *vel* is *accipiatur, nihil obstat Africano martyrio, et clare fluet hymni sensus, ut legenti apparebit. Ex dictis concludo, occiduum populum seu Hispanos horum Martyrum cultum amplexos esse in suo Breviario, sicut jam a multis sæculis de S. Cypriano episcopo et martyre Carthaginensi aliisque Sanctis exteris Officia recitarunt; arbitrorque in* S. Speratum *etiam convenire, quod Prudentius Hispanus poeta de eodem Cypriano cecinit:* Est proprius patriæ martyr, sed amore et ore noster.

E

25 *Conquerimur etiam de fraude Tamayi in exhibendis horum Martyrum Actis, quæ ex vetustissimis Hispaniæ monumentis se dare jactat, cum tamen sua somnia, toti antiquitati ignota, pro libitu illis immisceat: sic enim apud ipsum incipiunt:* Speratus, Natalius, Cyrinus, Donata, Secunda et Bassia cives Carthaginis Spartariæ in Hispania, Christi fidem tenentes, et sub Crucis signaculo militantes, a Saturnino Romanorum in Hispania proconsule ad ejus tribunal propter Christi confessionem adducti sunt. *Deinde Acta seu potius Actorum compendium ita concludit:* Beatas animas Domino tradiderunt die XVI Kalendas Augusti, anno Christi CCXC vel circiter. Postmodum sacra pignora Sperati in Africam translata fuere, deinde ex Africa Galliam transvecta, et Lugduni in basilica S. Joannis Baptistæ honorifice fuere condita. *Denique post fictitiam translationem reliquiarum ex Hispania in Africam, aliaque ex cerebro suo iis Actis inserta, non erubescit tamquam fidelis editor ita scribere:* Hactenus Acta, quæ ad SS. Martyrum memoriam conservavit Officium Hispanicæ ecclesiæ in Breviariis antiquis, et in Toletano secundum regulam S. Isidori.

et solitæ fraudes deteguntur,

F

26 *Ne quis magnificis hisce vetustissimorum codicum aut manuscriptorum titulis decipiatur, Nicolaus Antonius eruditissimus Hispanus in Mss. posthumis, quæ mihi Matriti anno* 1721 *ab amplissimo D. Adriano Coninck, doctissimi auctoris consanguineo, perhumaniter communicata sunt, unumquemque adversus consuetas Tamayi popularis sui fallacias occasione hujus controversiæ sic præmunit:* Sed ne nobis molestus etiamnum sit aliquis pro asserenda Hispania eorum Martyrum patria, lecto Tamayi Martyrologio in eoque quibusdam eorumdem Actis, quæ ex Breviario vetustissimo Hispalensi se habuisse ait, in quibus diserta mentio fit Carthaginensis apud nos martyrii, et reliquorum omnium, quæ Tamayus somniaverat; admonendus es, lector, opportuno hic loco, ut Tamayi pravum et perpetuum stylum noscas. Sub specioso is titulo suas nugas solet vendere, quemadmodum hic sub isto: ACTA SS. SPERATI..... ET MARTYRUM CARTHAGINENSIUM IN HISPANIA

per Nicolao Antonio, fabularum ge... ...ore acerrimo.

AUCTORE G. C.

SPANIA EX HYMNO ISIDORIANO ET BREVIARIIS VETUSTISSIMIS HISPALENSI ET ALIARUM ECCLESIARUM HISPANIÆ. in quibus sic venerabilibus prisci ævi monumentis cum de Carthagine Hispana ne verbum quidem reperiatur, nihilominus tamen his ex libris Acta Martyrum, de Hispana Carthagine concepta, se dare profitetur. Quæ sic parum fida rei narratio historicum, præcipueque sacrum, summe dedecet. *Ita ille Hispanus et verus amator patriæ suæ, quæ, utpote fœcunda Sanctorum parens et altrix, non indiget alienis furtibus, quibus nihilominus eam Tamayus in suo Martyrologio Hispano locupletare seu potius dedecorare voluit.*

Verosimiliter Martyres anno 200,

27 *Superest, ut de anno ac die martyrii hic aliquid dicamus. Videtur gloriosum horum Martyrum certamen anno Christi 200 contigisse sub consule Claudio; is haud dubie est Tiberius Claudius Severus, ab aliquibus perperam cum ipso imperatore Severo confusus, quem hoc anno exactiores Fasti consulares una cum Caio Aufidio Victorino consulem fuisse memorant. Baronius quidem amborum consulatum et consequenter* B *Martyrum nostrorum mortem differt usque ad annum 202, quem duorum annorum errore, jam omnibus eruditis noto, in octavum Severi Imperatoris annum incidisse opinatur. At jam omnes periti res chronologi consentiunt, octavum Severi Imperatoris annum cum Christi ducentesimo componendum esse; ita ut ad hanc epocham firmandam ulteriori probatione non sit opus. Ex his lector facile colliget, seriam responsionem non mereri Tamayum, qui ipsis Martyrum Actis hæc inseruit:* Beatas animas Domino tradiderunt die XVI Kalendas Augusti, anno Christi CCXC vel circiter: *Nam saltem sub Severo et Antonino Caracalla eos passos fuisse testantur ipsa Acta proconsularia, quæ Baronius ex tribus antiquis Mss. edidit.*

die XVII Julii martyrii laurea coronati sunt.

28 *Occurrit in variis Mss. quoddam discrimen circa Passionis diem, de quo optime disserit Ruinartius in Admonitione prævia ad horum Martyrum Acta num. 6; cujus proinde verba hic pro meis haberi volo:* De die vero, *inquit,* videtur esse aliqua difficultas: nam ex Actorum Baronianorum initio Martyres illi XIV KALEND. Augusti, id est die XIX Julii coram Proconsule sistuntur, atque postridie rursus C præsentati, post concessas trium dierum inducias, capite damnati sunt. In fine tamen eorumdem Actorum consummati dicuntur MENSE JULII DIE SEPTIMO DECIMO; unde errorem in priores numeros irrepsisse fatendum est. Fragmentum Mabillonianum initio habet, istos Martyres XVI Kal. Aug. comparuisse. Sed etsi inducias sibi oblatas recusaverint, non nisi tamen postridie, id est die XVIII Julii martyrium consummare potuerunt. Nihil lucis ex Kalendario Carthaginensi haberi potest: Nam post has litteras XV aliquod est spatiolum vetustate attritum in Ms; nec dici potest, an unicum tantum I aut duo deleta sint. Certior videtur ceteris omnibus codicis Colbertini lectio, in quo Martyres isti XVI Kalendas Augusti passi dicuntur; cui non solum Baroniana Acta in fine, ut diximus, et Mabilloniana in titulo, sed etiam Martyrologia omnia, quotquot videre licuit, consentiunt. *Non habeo, quæ iis addam, nisi quod in octo Mss. nostris supra memoratis occurrat similis numerorum diversitas, quam transcribentium errori attribuendam censeo: cum enim in quibusdam Mss. horum Martyrum passio collocetur* XIV Kalendas Augusti, *in aliis* XVI Kalendas Augusti, *facile ex unius litteræ transpositione hæc varietas oriri potuit, ut consideranti patet.* D

§ III. Sanctorum Martyrum translatio et reliquiæ.

Reliquiæ S. Sperati una cum aliis ex Africa Lugdunum translatæ sunt

J*am præcedenti paragrapho obiter indicavi, quid sentiam de reliquiis S. Sperati ex Hispania in Africam translatis; nempe hoc effugium Tamayus invenire debebat, ut Africanos martyres quomodocumque Hispaniæ affingeret, et simul hymno Isidoriano aperte non contradiceret. Relicta igitur fictitia hac translatione, ad aliam, indubitatis veterum scriptorum testimoniis comprobatam, procedimus. Ado in Martyrologio* XVII *Julii post nostrorum Martyrum elogium num. 12 citatum de ea sic agit:* Horum reliquiæ cum ossibus beati Cypriani, et capite sancti Pantaleonis martyris ex Africa in Gallias translatæ, venerantur Lugduni in basilica sanctissimi Joannis Baptistæ. *Idem vero Ado in suo Chronico ad* E *annum Christi 806 de ea re hæc habet:* Tunc tempore delata sunt ossa beati Cypriani a Carthagine cum reliquiis beatorum Scillitanorum martyrum Sperati sociorumque ejus, et posita sunt in ecclesia beati Joannis Baptistæ in civitate Lugdunensi. *Adverto, Adonem hic utrobique de S. Sperato ac sociorum reliquiis mentionem facere, cum tamen ipsemet alibi solius S. Sperati meminerit. Florus quoque diaconus Lugdunensis, qui claruit anno 837, S. Speratum cum Cypriano et Pantaleone sine aliis sociis Lugduni quiescentem celebrat suis carminibus, quæ Mabillonius tom. I veterum Analectorum pag. 407 edidit. Illic post quosdam versiculos, de sacris S. Cypriani ossibus concinnatos, leguntur sequentes:*

Additur huic geminum radianti lumine sidus,
Speratus martyr cum martyre Pantaleone;
Cujus cum capite hic pollent sacra ossa priorum,
Quos pariter Carolo Francorum principe gaudens
Gallia suscepit, Lybicis ditata talentis. F

uti in Martyrologio suo XIV Septembris

30 *Ado in suo Martyrologio postquam die* XIV *Septembris martyrium S. Cypriani narravit, fusius eamdem reliquiarum translationem sic describit:* Post multa vero curricula annorum, gloriosissimo Carolo Francis imperante, contigit legationem Francorum ferentibus, illustres ac sapientia circumspectos legatos transitum per Africam fecisse. Hi cum Carthaginem dirutam, et loca venerabilia sanctorum martyrum, revertentes a rege Persarum Aaron, qui, excepta India, totum pene tenebat Orientem, vidissent, facile sibi conciliato principe, ac favorem in re tali præstante, pro magno munere rogaverunt, ut ossa B. Cypriani eis ferenda permitteret. Quod ille non magni ducens, continuo postulata concessit; utque pio Imperatori, cujus gratiam omnium, qui in toto terrarum orbe erant, regum ac principum amicitiæ præponeret, ipsi ea ferrent, libenter assensit.

fuere narrat Ado.

31 Cumque venerabiles legati ingentia dona, martyrum scilicet reliquias ferentes (nam et beati Sperati martyris membra, qui unus fuit ex illis XII præclarissimis martyribus Scillitanis, caput etiam martyris gloriosi

AUCTORE G. C.

A riosi Pantaleonis secum cum beatis ossibus Cypriani habebant) reverterentur, prosperis usi velis, tandem pervenerunt Arelaten, ubi sacra Martyrum membra signata interim relinquentes, legationem suam glorioso Imperatori renuntiare festinarunt, et ut animum regis amplius sibi de legatione strenue perfecta conciliarent, inter alia de Sanctorum reliquiis, ab Africa deportatis, ejus animos attollunt. Unde ille plurimum lætus, eas tam diu apud Arelaten digna veneratione reservari jussit, donec ipse magno aliquo opere in regno suo templum conderet, ubi tam pretiosum pignus ingenti cultu et ornatu reponeret. Sed emergentibus causis, dum opus tardius construitur, occasionem nactus Leidradus, venerabilis Lugdunensis episcopus, gloriosum Imperatorem rogavit, ad civitatem suam deferre beata ossa Martyrum ei liceret. Annuit Imperator. Sed et isdem ocyus votum suum pius perficit. Cum honore infra civitatem Lugduni deportata sunt, ibique in majori ecclesia beati Joannis Baptistæ ac sancti martyris Stephani aliquanto B tempore custodita, et ad defensionem civium, Deo id misericorditer operante, et Imperatore jam votum suum de ædificatione templi in longe alia transferente, sanctus episcopus beatissimas reliquias gloriosorum Martyrum in prædicta ecclesia post venerabile et sacrum altare decentissima sepultura recondidit, ac posteris civibus suis profuturas honorabiliter commendavit.

... itam Com... translan... memi... ...tur.

32 *Adjicitur deinde in pluribus Adoniani Martyrologii codicibus altera S. Cypriani translatio, quæ his verbis exprimitur :* Sed post, interposito tempore, regnante glorioso rege Carolo, Ludovici Imperatoris filio, iterum reliquiæ beati Cypriani ad monasterium novum, quod idem Rex augusto opere construxit in Compendio palatio suo, eo jubente, translatæ sunt. *Dubitari posset, an hæc clausula a recentiori manu Adoni addita non sit, cum in Martyrologio ad diem* XVII *Julii et in suo Chronico de hac translatione nullum verbum faciat. Utut est, cum Ado hic de sacris solius Cypriani ossibus meminerit, ea controversia discuti poterit, quando Acta S. Cypriani illustranda erunt.* C *Interim de hac Compendiensi translatione videri potest Mabillonius in Annal. Benedict. tom.* III, *lib.* XXXVII, *num.* 94, *ubi tamen errat in eo, quod supponat, Adonem vulgatum egisse in hac translatione de reliquiis S. Sperati, quas ibidem honorari sic asserit :* Addunt domesticæ tabulæ cum vulgato Adone reliquias S. Cypriani, simulque SS. martyrum Sperati et Pantaleonis, quæ ex Africa tempore Caroli Magni Arelate, teste Adone, indeque Lugdunum advectæ fuerant. Certe SS. Cornelii et Cypriani reliquiæ in una pretiosa capsa in Compendiensi ecclesia, ibidemque in duabus thecis sanctorum Sperati et Pantaleonis reliquiæ asservantur. *Domesticis tabulis, ossa* S. Sperati *recensentibus, libenter fidem adhibeo, sed eas ex Adone confirmari posse nego. Nunc ad translationem ex Africa Lugdunum factam redeamus.*

...ardus syn... ...us ... ...tibil. ...noa. ossa ...ypriani.

33 *Agobardus ecclesiæ Lugdunensis chorepiscopus, qui Leidrado, eam cathedram ultro deserenti, circa annum* 814 *successit, ac verosimiliter huic reliquiarum receptioni interfuit, translationis Africanæ historiam expressit versibus hendecasyllabis, quos Pamelius operibus S. Cypriani, Antverpiæ anno* 1568 *impressis, præfixit. Deinde Parisiis anno* 1666 *eosdem inter Opera Agobardi edidit Stephanus Baluzius, ac denique Carolus Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi* 807 *numero* 6. *Cum autem Baluzius asserat, sese in edendis Agobardi operibus secutum esse codices fide dignos, nos illos versus, cum Cointii correctionibus collatos, ex ipsius editione hic damus.*

Rector magnificus, piusque princeps,
Augusto Karolus decore fultus,
Sceptrum nobile Francicum regebat,
Subjectos populos pie gubernans,
Lectos æquora jusserat secare ;
Ac jam propitio sibi Tonante,
Post multos nimiæ viæ labores,
Ingressu reduci salum petentes,
Intrarunt Lybicos repente fines,
Qua Carthago gravi jacens ruina
Deflet præteritæ decus juventæ.
Hic dum basilicas Deo dicatas,
Et Christi subeunt verenda templa,
Cernunt, ut tua, Cypriane martyr,
Servaret loculus neglectus ossa.
Tum vero nimio dolore moti,
Et magno gemitu polum intuentes, E
Poscunt auxilium Dei perennis,
Pro quo, Sancte, tibi caput recisum est.
Et mox poplitibus precando flexis,
Pandunt sarcophagum, studentque sacros
Artus stringere linteis paratis,
Committuntque sacro corpus * locello.
34 Sperati quoque martyris beati,
Nec non Pantaleonis ossa raptim
Tollunt cuncta simul, ligantque pannis.
Conscendunt celeres ratem paratam,
Nec sævi metuunt pericla ponti.
Egressis Arelas opima portu
Occurrit placido, sinuque læto
Fessos excipit, ac fovet benigne.
Hæc mox cum audiit optimus sacerdos
Lucduni placidam tenens cathedram,
Sanctorum eximio calore flagrans,
Intendensque sacris ubique rebus
Ledradus, specimen decusque cleri,
Orat, postulat, impetratque raptim,
Ut sanctissima martyrum piorum
Nostris mœnibus ossa conderentur,
Lucduni ad placidam Johannis aram,
Qui Christum vitrea rigavit unda. F
Illic cum sociis honore claro
Florens, inclyte Cypriane, dormis.
Sed quæso vigiles, vigilque nostris
Intendas precibus, flasque nobis
Clemens et validus Dei patronus ;
Solvas crimina, conferasque vota.
Sit, quæso, memor illa lingua nostri,
Quæ confessa Dei perenne Verbum,
Cervicem gladio dedit secandam ;
Sed Christum cecinit, silere nescit.
Hanc Christus jugiter benignus audit,
Vel sacros populos stilo excitantem,
Hæresesve pravas *, deosve falsos
Verbi fulmine funditus cremantem.
Hanc et pro populo, patrono *, nostro
Semper quæsumus audiat rogantem ;
Pastorem foveat, gregem propaget ;
Det munus fidei, decus salutis.
O Doctor sacer, o beate Martyr,
Serva pontificem pius Agobardum,
Qui nomen, meritum, tuumque festum
Dictis extulit, et * honore compsit.
O triplex honor, o triforme culmen !

* al. caput

SS. Sperati et Pantaleonis prius Arelate, dein Lugdunum delata sunt.

* al. vel pravas hereses

* al. patrone.

* al. a

O tres magnifici, piique testes!
Sit nobis triplici o favens precatu
Pollens unica Trinitas per ævum.

Opinio Severtii rejicitur ex ea translationis epocham.

35 *Ex hoc coævi scriptoris carmine patet, quantum a vera hujus translationis chronologia aberraverit Jacobus Severtius, doctor Parisiensis, qui in Chronologia Historica Lugdunensis archiepiscopatus, anno* 1628 *Lugduni denuo impressa cap.* LII § III *ita scribit:* Nescio, a quonam auctore Guilielmus Paradinus didicerit, corpus S. Cypriani sub annum DCCCVI Carthagine allatum a Ratberto, Caroli Magni legato. Siquidem de iisdem asportatis reliquiis hæc legimus facta annis centum et semis antea apud venerabilem Bedam. *Deinde cap.* LV § V *Bedam cum Adone sic conciliare nititur:* Baronius, *inquit*, conformis Adoni Viennensi, quem unum citat, statuit reliquiarum translationem sub annum DCCCVII. At pro eo conciliando cum Beda vetustiore, quem is non allegat aut advertit, dicerem ego cum distinctiuncula, quod ex Carthagine ereptæ sint reliquiæ ad annum præfatum DCXVI et Arelatibus concreditæ, postmodumque Lugdunum B inde opera Ledradi translatæ anno DCCCVII, ex mente textus sic loca dividentis. *Sed hæc aliaque, quæ subdit, effugia omnino vana esse, liquet ex Agobardo, qui reliquias illas sub Carolo Magno ex Africa Arelate ac mox Lugdunum translatas esse diserte testatur. Severtii error oritur ex eo, quod hanc translationem legerit in Beda supposititio, quem genuinum putabat. Interea ne quidem in nostro Beda cum auctariis Flori, quem supra num.* 12 *citavimus, nullum de hac translatione sit verbum.*

et probabilior ea Adone statuitur.

36 *Altera de ejusdem translationis tempore disceptatio est inter auctores, quibusdam Adonis, aliis Sigeberti chronologiam sequentibus. Ado, ut superius vidimus, illam consignat anno* 806, *vel ut alii volunt* 807. *Sigebertus vero in Chronico ad annum Christi* 802 *de ea sic loquitur:* Legati Imperatoris Karoli, ab Aaron Amyra venientes, inter cetera munera, etiam ossa Cypriani Carthaginensis martyris, et Sperati primi Scillitanorum martyrum, et caput Pantaleonis martyris in Franciam adferunt. *Baluzius in Notis ad Leidradum sequitur hanc Sigeberti chronotaxim. Baronius autem in Annali-* C *bus Ecclesiasticis ad annum Christi* 806, *et Cointius in Annalibus Francorum ad annum* 807 *hanc epocham plane rejiciunt. Suspicor ego, duas hujusmodi sub Carolo Magno legationes a Sigeberto fuisse confusas: nam antiqui scriptores, qui res a Carolo Magno gestas posteritati ordine chronologico reliquerunt, distinguunt duas hujus imperatoris legationes ad regem Persarum. Prima collocatur anno* 802, *quo dicitur Isaac Judæus, ante quadriennium cum Lantfrido et Sigimundo ad regem Persarum missus, aliis duobus in itinere mortuis, ad Carolum cum multis muneribus rediisse. Altera memoratur ad annum* 807, *quo traditur defunctus esse* Ratbertus Missus Imperatoris, qui de Oriente revertebatur. *Deinde narratur, quod* legatus regis Persarum cum monachis de Jerusalem . . . . ad imperatorem pervenerint, munera deferentes, quæ prædictus rex Imperatori miserat. *Quamvis hic neutro loco fiat mentio harum reliquiarum, et certo distingui non possit, in qua legatione fuerint obtentæ, tamen Adoni, istis temporibus viciniori, majorem in hac re fidem adhibendam esse censemus.*

37 *Aliam Martyrum nostrorum translationem indicat Baronius in notis ad Martyrologium Romanum* XVII *Julii, ubi post assignatos auctores, qui de translatis SS. Cypriani, Sperati et Pantaleonis reliquiis scripserunt, de S. Sperati sociis ita loquitur:* Ceterorum autem reliquiæ Romam translatæ sunt, atque reconditæ in titulo Pammachii, in ecclesia scilicet SS. Joannis et Pauli, ut vetera ejusdem ecclesiæ monumenta indicant, ubi et ejus translationis vetus pictura ipsam historiam repræsentans, usque ad nostros dies illæsa permansit. *Octavius Pancirolus in Thesauris absconditis urbis Romanæ, anno* 1625 *Romæ impressis, pag.* 702 *hanc Martyrum translationem confirmat; sed* S. Speratum, *quem Baronius Gallis reliquerat, ibidem in ecclesia S. Joannis et Pauli cum comitibus suis sub altari majore sepultum esse asserit.* Habuit, *inquit*, Africa civitatem, quæ Scillitana dicebatur, in qua anno Domini CCII passi sunt mille et ducenti Martyres, tam viri quam feminæ; et omnium caput erat S. Speratus, qui ibi *(scilicet in ecclesia S. Joannis et Pauli, de qua agit)* cum aliquot sociis suis quiescit. *Nil hic moror ingentem Martyrum Scillitanorum numerum, in quo Pancirolus* E *certe excedit. Carolus Bartholomæus Piazza in Hemerologio sacro Romæ Christianæ et Gentilis ad diem* XVII *Julii tredecim martyres Scillitanos enumerat,* de quibus, *ait*, fit solemnis memoria in ecclesia SS. Joannis et Pauli in monte Cælio, ubi major pars corporum eorum quiescit. *Nullibi certam hujus translationis epocham invenio.*

38 *Romanum quoddam Ms. post interpolata horum Martyrum Acta, de quibus supra num.* 18 *memini, sacrorum corporum inventionem ac translationem sine ulla chronotaxeos nota sic describit:* Processu temporis manifestavit Deus SS. Sperati et sociorum ejus corpora hoc modo, quia thesaurus occultus jam latere non poterat. Homo quidam præ dolore capitis amisso lumine amborum oculorum, secum habens ductorem quemdam puerulum, transibat per viam juxta corpora Sanctorum; comprehensus sopore divertit parumper a via, dormivitque in loco, in quo sepulta erant Sanctorum supradictorum corpora. Qui dum dormiret, vidit per somnium adstare sibi F quemdam senem vultu angelico, ac dicentem: Arpati; qui respondens ait: Ecce adsum, domine. Et sanctus senex inquiens: Unde tibi hæc temeritas, ut non te pigeat dormire supra corpora nostra? Cui Arpatius territus præ nimio pavore respondit: Domine, quis es tu, qui talia mihi loqueris? Respondit ei senex: Ego sum episcopus Speratus Carthaginis, qui hic sepultus sum cum undecim meis sociis; sed vide ne amplius contingat tibi hoc, ut dormias supra Sanctorum corpora; et his dictis signo Crucis signavit oculos Arpatii, et post hæc statim disparuit. Qui evigilans statim sensit in se restitutum lumen amborum oculorum, apertisque oculis vidit, laudans et glorificans nomen Domini, qui tanta mirabilia operatur. Post hæc prædicta corpora Sanctorum cum hymnis et laudibus, et cum magno honore perducta sunt Romam in ecclesiam, quam S. Pammachius construxerat in honorem Christi et SS. martyrum Joannis et Pauli, et honorifice ibi in concha porphyretica condita sunt intra corpus ipsius basilicæ, ubi fiunt magna mirabilia

mirabilia usque in præsentem diem : ibi enim cæci illuminantur, claudi recipiunt gressum, surdis auditus restituitur, et alia multa mirabilia ibi fiunt quotidie.

39 *Deinde sequitur in eodem Ms. miraculum, horum martyrum intercessione patratum, quod narratur hoc modo :* Postquam vero recondita sunt ibi Sanctorum corpora, quodam tempore quidam homo plenus dæmonio erat Romæ, qui omnia bona sua dans per medicos, putabat aliam infirmitatem se habere. Tandem coactus atque compulsus egestate, quia jam nihil habebat, quod tribueret, quia trium annorum spatium jam possederat eum dæmon, parentes ejus consiliati sunt, ut eum perducerent ad venerabilia Sanctorum corpora, [si] forsitan Dominus faceret ibi suam in eo misericordiam. Apprehenderunt eum, cœperuntque perducere ad jam dictam ecclesiam. At ille, ut mos est dæmoniacis, cœpit vociferare dicens : Quo me vultis perducere? Anne ad Speratum me ducitis? O Sperate quid me incendis? Ad hæc omnes qui aderant flere cœperunt, perducentes eum ad ecclesiam sanctorum Joannis et Pauli ; qui dum appropinquaret portæ ipsius ecclesiæ, cœpit eum dæmon fortiter vexare : sed illis persistentibus in fletu et oratione, tandem projecerunt eum ante concham, in qua recondita sunt corpora Sanctorum martyrum Sperati et sociorum ; et tertia hora diei a dæmonio liberatus est. Hæc et multa alia signa præstantur quotidie per intercessiones multorum Sanctorum requiescentium ; ad laudem Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, qui vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per infinita secula seculorum. Amen. *Hujus inventionis ac miraculi fides sit penes anonymum auctorem, qui nullam utriusque epocham annotat.*

40 *Belfortianum Ms., num.* 16 *citatum, Actis Martyrum Scillitanorum subnectit aliam eorumdem translationem, quæ narratur hoc modo :* Horum sanctorum Martyrum corpora tempestate bellorum allata sunt Ambianum ex quodam loco circa urbem, et reposita in monasterio sancti Martini ad Gemellos ; ubi in quodam sacello diu in capsa lignea manserunt. Nunc autem ab annis octo honorifice in ecclesia præfati monasterii duabus capsis deauratis reconduntur. Ceterum longo jam abhinc tempore voluit reverendus Dominus episcopus Ambianensis, qui tunc præerat, ut super præfatis SS. Martyribus, eorumque pretiosis reliquiis ad notitiam et documentum plebis Ambianicæ exacta inquisitio fieret. In qua cum venerabilis Pater hujus nostri monasterii Cælestinorum Ambianensis evocatus adesset, ipsa expleta petiit, ut nostro cœnobio concederentur aliquæ ipsorum reliquiæ ; quas, annuente reverendo episcopo, obtinuit. Ita audivi ex narratione cujusdam venerabilis patris, fide et eruditione conspicui ; quod et vobis denuntio ego Frater Carolus Regius dictæ Congregationis ultimus hoc anno MDXCIII. *Certe Martyres nostros jam pridem Ambiani honoratos fuisse patet tum ex iis, quæ num.* 16 *attuli, tum ex Breviario diœcesis Ambianensis, quod anno* 1550 *typis excusum præscribit in Rubricis hanc communem* Sperati martyris sociorumque ejus *commemorationem sub his Antiphonis.* Gaudent in cælis *et* Fulgebunt. *Oratio autem recitatur de communi :* Deus qui nos concedis *etc.*

41 *Ambiani in monasterio S. Martini ad Gemellos multas horum Martyrum reliquias fuisse oportet, cum ejusdem monasterii abbas anno* 1431 *non exiguam earum partem RR. PP. Cartusianis Abbavillanis communicaverit, sicuti patet ex diplomate, quod in Historia Ecclesiastica Abbavillana, anno* 1646 *Parisiis Gallice edita, lib.* I, *cap.* LIV *ita refertur :* Noverint universi fidei Catholicæ cultores, quod nos Radulphus permissione divina humilis abbas monasterii sancti Martini de Gemellis in Ambianis, totusque ejusdem loci conventus, dedimus et concessimus, ac per præsentes damus et concedimus religiosis viris fratribus domus S. Honorati prope Abbatis Villam, Ordinis Cartusiensis, ad decorationem eorum ecclesiæ, sacras, quæ sequuntur, reliquias : videlicet de sacris corporibus sanctorum martyrum Sperati et sociorum ejus, ibidem colendas et venerandas, ulterius spontanee confidentes et recognoscentes, quod prout ex relatione nonnullorum religiosorum ejusdem loci conventus legitime nobis constitit, quod Joannes et Guilielmus antecessores nostri, bonum et utilitatem ejus domus peroptantes, alias reliquias prædictorum sanctorum Martyrum temporibus retroactis, ejusdem conventus interveniente consensu pariter et assensu, dederunt, ac libere causa decorationis ecclesiæ antedictæ concesserunt. Et verum est quod tam nos, quam prædecessores nostri tam modo quam alias dedimus et concessimus supradictis Fratribus supradictorum Martyrum duo capita, et parva pars * ex omnibus aliis capitibus cum aliis pluribus ossibus et reliquiis ipsorum Sanctorum. In cujus rei testimonium sigilla nostra huic præsenti litteræ duximus apponenda, anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimo primo, secunda die mensis Martii. *Hæ litteræ munitæ sunt sigillo abbatis et abbatiæ S. Martini ad Gemellos in cera viridi.*

* *lege* parvam partem

42 *Benedictini Compendienses juxta domesticas tabulas, ut supra diximus, asserunt, sacra martyrum Scillitanorum ossa simul cum reliquiis SS. Cypriani et Cornelii Lugduno ad se translata fuisse, atque ea, teste Ruinartio, etiamnum in regia basilica asservant. Cælestini vero Meduntenses contendunt, sese in capsa argentea multas eorumdem Martyrum reliquias, ac separatim caput S. Sperati dimidiæ statuæ inclusum possidere, uti refert Tillemontius tom.* III *Memor. eccles. pag.* 135. *Alii scriptores Galli testantur, hos Martyres in Bellovacensi aliisque Galliæ diœcesibus coli Officio saltem simplici. An autem id fiat ob quasdam eorum reliquias, nec ipsi exprimunt, nec ego certo affirmare ausim. Parisiis tamen in collegio Montis Acuti dicitur exstare quædam* S. Sperati *aut sociorum lipsanotheca, quæ forte occasionem dedit recitando de his sanctis Martyribus Officio : saltem in Breviario Parisiensi anni* 1680 *fit Officium* S. Sperati et sociorum martyrum *ritu simplici, in quo præter Antiphonas proprias ad Magnificat et Benedictus leguntur duæ lectiones ex Actis desumptæ, quæ eorum synopsin continent. Jam vidimus variis locis martyrum Scillitanorum corpora honorari ; sed cum quotidiana experientia nos doceat, sæpius in hac materia totum pro parte nominari, mirum non est, si duodecim Martyrum ossa pluribus locis inveniantur. Quare unumquemque*

et alibi in Gallia honorantur.

AUCTORE G. C.

unumquemque in reliquiarum suarum possessione relinquo, et duplicia Acta, quæ supra promisi, hic subnecto.

ACTA PROCONSULARIA

Ex Annalibus Ecclesiasticis Card. Baronii ad annum Christi 202.

Saturninus Proconsul Sanctis venium promittens,
* *al.* præstante *et* præsente
* *al.* Claudiano

Existente * Claudio * consule, quarto decimo *a* Kalendas Augustas Carthagine metropoli, statuto forensi conventu, præceperunt Magistratus adstare sibi Speratum, Narzalem, Cittinum, Donatam, Secundam et Vestinam. Et adstantibus eis Saturninus proconsul dixit : Potestis veniam a dominis nostris imperatoribus Severo et Antono *b* promereri, si bono animo conversi fueritis ad deos nostros. Speratus dixit : Nos minime B aliquando malum fecimus; neque iniquitatem sequentes, in peccatis egimus operationem, nec aliquando cuiquam maledíximus; sed male suscepti a vobis, gratias egimus semper. Quamobrem Dominum verum et regem adoramus. Saturninus proconsul dixit : Et nos electi sumus, et mitissima est elegantia nostra, et juramus per genium *c* domini nostri Imperatoris et pro salute illius intercedimus, quod et vos facere debuistis.

primo S. Speratum
* *al* incipiente

2 Speratus dixit : Si tranquillas adhibeas mihi aures tuas, dicam mysterium mansuetudinis. Saturninus proconsul dixit : Dicente * te de mysterio, non inferam mala. Tantum jura per genium regis nostri. Speratus dixit : Ego imperatoris mundi genium nescio; sed cælesti Deo meo servio, quem nullus hominum vidit, nec videre potest. Ego enim nec furatus sum aliquando, sed quæcumque emam, tributum do, quoniam cognosco eum dominum meum : sed adoro Dominum meum regem regum, et omnium gentium Dominum. Saturninus proconsul dixit : De cetero a tumultu garrulitatum C quiescite, et accedentes sacrificate diis. Speratus respondit : Illa est mala concitatio, quæ facit homicidium et falsam accusationem adversus aliquem.

deinde alios a Christiana religione frustra abducere conatur;

3 Saturninus proconsul ad alios conversus dixit : Nolite furoris hujus insipientia participes fieri, sed timete potius regem nostrum, obedientes præceptis ejus. Cittinus dixit : Nos non habemus alium, quem timeamus, nisi Dominum Deum nostrum, qui est in cælis. Saturninus proconsul dixit : Detrudantur in carcerem, ponantur in ligno in diem crastinum. Sequenti die Saturninus proconsul sedens pro tribunali, eos præsentari jubet. Qui cum adstitissent, dicit ad feminas : Honorate regem nostrum, et sacrificate diis. Tunc Donata dixit : Honorem quidem Cæsari tamquam Cæsari : Deo, autem nostro honorem et orationem offerimus. Stans Vestina dixit : Et ego Christiana sum. Secunda similiter dixit : Et ego credo in Deo meo, et volo in ipso esse; diis autem tuis non servimus, neque adoramus. Saturninus proconsul, auditis his, præcepit eas servari *.

* *al.* separari.

seu p[illegible] certamen [illegible] spe in [illegible] constantes.

4 Advocatis viris, dicit Sperato : Perseveras, ut Christianus sis? Speratus dixit : Etiam persevero, et omnes audite, quia Christianus sum. Audientes autem, qui cum illo retenti fuerant, consenserunt confessioni illius, dicentes : Sumus et nos pariter Christiani. Saturninus proconsul dixit : Nec liberationem *d*, nec remissionem vultis? Speratus respondit : In certamine justo nulla est remissio. Fac quod vis : Nos enim pro Christo gaudentes morimur. Saturninus proconsul dixit : Qui sunt libri, quos adoratis legentes? Speratus respondit : Quatuor Evangelia Domini nostri Jesu Christi, et Epistolas sancti Pauli Apostoli, et omnem divinitus inspiratam Scripturam. Saturninus proconsul dixit : Spatium trium * dierum tribuo vobis, ut resipiscatis. Speratus dixit : Christianus sum, et omnes qui mecum sunt, et a fide Domini nostri Jesu Christi non discedimus? Fac quod vis.

* *al* triginta

eos capite truncari jubet.

5 Proconsul videns etiam ipsorum mentis stabilitatem, et fidei firmitatem, dedit in eos sententiam per exceptorem *e*, dicens sic : Speratum, Narzalem, Cittinum, Veturium, E Felicem, Acyllinum, Lætantium, Januariam, Generosam, Vestinam, Donatam et Secundam, Christianos se esse confitentes, et Imperatori honorem et dignitatem dare recusantes, capite truncari præcipio. Hæc cum essent ex tabella recitata, Speratus, et qui cum eo erant omnes dixerunt : Deo gratias conferimus, qui dignatur nos hodie martyres accipere in cælis pro confessione sua. His dictis, ducti sunt; et flexis genibus unanimiter, cum iterum gratias Christo agerent, truncata sunt singulorum capita. Consummati sunt Christi martyres mense Julio, die septimo decimo, et intercedunt pro nobis ad Dominum Jesum Christum, cui honor et gloria cum Patre et Spiritu sancto, in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *De die hac disseruimus in Commentario prævio num.* 28.

b *Legendum* Antonino, *quod nomen tulit Caracalla, Severi filius, qui a patre ad imperium assumptus fuit.* F

c *Teste Tertulliano, Christiani non jurabant per genium Imperatoris, quod in libro Apologetico adversus Gentes cap.* XXXII *significat his verbis :* Sed et juramus, sicut non per genios Cæsarum, ita per salutem eorum, quæ est augustior omnibus geniis. Nescitis genios dæmonas dici, et inde diminutiva voce dæmonia?.... Ceterum dæmonas id est genios adjurare consuevimus, ut illos de hominibus exigamus; non dejerare, ut illis honorem divinitatis conferamus.

d *Puto pro* liberatione *legi debere* deliberationem : *nam in codice Toletano Saturninus petit :* Forsitan ad deliberandum spatium vultis accipere?

e *Exceptores erant notarii, qui acta judiciorum describebant, et judicis sententiam excipiebant, ut ex plurimis martyrum Actis liquet.*

ACTA

ACTA ALIA SINCERA

Eruta ex Ms. codice pergameno in bibliotheca ecclesiæ Toletanæ, et collata cum Ms. Colbertino.

In diebus illis adductos *a* in secretario certaminis * ab apparitorum officio Speratum, Narzalum, Citinum, Donatam, Secundam, et Vestigiam, Saturninus proconsul ad omnes generaliter dixit : Potestis indulgentiam a dominis nostris imperatoribus promereri, si ad bonam mentem redeatis, et deorum nostrorum ceremonias observetis. Sanctus Speratus dixit : Numquam male egisse conscii sumus; iniquitati sensum * non præbuimus : nulli umquam [nos] maledixisse recolimus : sed male tractati ac lacessiti semper [Deo] gratias egimus; siquidem pro eis oravimus, quos injuste patiebamur infestos. Pro qua re et imperatorem nostrum attendimus, a quo nobis [hæc] vivendi norma concessa est. Saturninus proconsul dixit : Et nos religiosi sumus et simplex est nostra religio, et juramus per ingenium * dominorum nostrorum, pro salute eorum supplicamus; quod et vos facere quoque debeatis *b*.

2 Sanctus Speratus dixit : Si tranquillas præbueris aures tuas, dicam mysterium Christianæ simplicitatis : Saturninus proconsul dixit : Incipienti tibi dicere malum de sacrificiis nostris, aures non præbebo; sed potius jurate per ingenium * *c* dominorum nostrorum imperatorum, ut istius mundi lætitia perfruamini nobiscum. Sanctus Speratus respondit : Ego imperium hujus seculi non cognosco; sed magis illi fide, spe [et caritate] deservio Deo, quem nemo hominum vidit, nec videre potest. Facinus, quod legibus publicis et divinis comperitur esse damnabile, non feci. Si quid autem in publico egero de [eo] exactoribus publicis vectigalia reddo *d*. Imperatorem omnium gentium [Deum et] Dominum nostrum Jesum Christum agnosco. Querelas nulli intuli : sustinere non debeo.

3 Saturninus proconsul ad ceteros ora convertit, et socios Sperati sic orsus * est dicens : Desinite hujuscemodi persuasionis cultores esse : quia Speratus illectus * est. Quoniam si vos habuerit ejus professio socios, nihilominus habebit et pœna. Sanctus Speratus dixit : Mala est persuasio falsum testimonium dicere; sic mala utique probatur concessio *, si contra divinis legibus agitur et publicis *e*, quibus vitæ humanæ ordo disponitur : Persuasio vero divinæ culturæ sectanda est potius, quam deserenda. Saturninus proconsul dixit : In præteritis jam ego admonui, ut hujus dementiæ non annuatis esse participes.

4 Sanctus Citinus dixit : Non te a nobis aliud oportet audire, o proconsul, nisi ea, quæ socius noster Speratus confessus est. Scito enim quod non habemus alium, quem timeamus, nisi unum Deum et Dominum nostrum, qui est in cælo. Sancta similiter Donata adjecit : Honorem Cæsari quasi Cæsari reddimus; timorem autem et cultum Christo Domino præstamus. Vestigia vero venerabilis secuta est dicens : Hoc semper meditabitur cor meum et labia mea pronuntiabunt; Quia Christiana sum. Sancta vero Secunda similiter ait : Quod sunt Christiani, ipsum esse volo; a meorum sociorum professione nullo obstante recedo *f*.

EX MSS

5 Saturninus proconsul dixit Sperato Sancto : Perseveras, ut video, esse Christianus. Sanctus Speratus dixit : Hanc perseverantiam Christianam non meis viribus, sed divino munere me habere confido : Proinde si vis fixam cordis mei scire sententiam; Quia Christianus sum, quidquid mihi ex suppliciis inferre volueris, libenter pro nomine Domini mei Christi sustineam *. In hac ergo confessione et ceteri martyres consenserunt. Saturninus proconsul dixit : Forsitan ad deliberandum spatium vultis accipere? Sanctus Speratus dixit : In rem tam bonam, quæ erit secunda deliberatio? Tunc enim deliberavimus nos culturam Christi non deserere, quando baptismi gratia renovati, et diabolo renuntiavimus, et Christi vestigia secuti sumus.

S Speratus spatium deliberandi,

* *lege* sustinebo

6 Saturninus proconsul dixit : quæ sunt, dicite mihi, res doctrinarum in causa et religione vestra? Sanctus Speratus dixit : Libri Euangeliorum, et epistolæ Pauli viri sanctissimi Apostoli. Saturninus proconsul dixit : Accipite moram triginta dierum, ut retractetis hujus sectæ confessionem. Forsitan ad deorum sacras ceremonias revertemini. Sanctus Speratus dixit : Nos triginta dierum spatium non petimus : Nam ipsi erimus post triginta dies, qui et hodie sumus; nec in triginta dierum mora poterit professio nostra in aliquo permutari. Sed potius optarem, te hoc spatium deliberandi accipere, ut de tam turpi cultura * idolorum, Christianæ religionis amator existeres. Ceterum si hoc non es dignus accipere, suspende moram : nam quales hodie nos cernis, tales nos post hanc induciam futuros esse non dubites.

a proconsule oblatum respuit :

* *an non potius* cultore?

7 Cernens proconsul Saturninus Sanctorum perseverantiam, decretum ex tabula recitavit : Speratum, Narzalum, Citinum, Donatam, Secundam, Vestigiam, et omnes, qui Christiano ritu vivere se confessi sunt, et quotquot oblatam sibi facultatem redeundi ad deorum culturam obstinanter * non receperunt, gladio animadverti placet. Sanctus Speratus dixit : Gratias Deo agimus. Narzalus dixit : Hodie martyres in cælo sumus : Deo gratias. Saturninus proconsul per præconem Sanctos jubet adduci, id est Speratum, Narzalum, Citinum, Venerium, Felicem, Aquilinum, Literatium, Januariam, Generosam, Donatam, Vestigiam atque Secundam : et sic venientes ad locum martyrii, gladio beatas Deo animas tradiderunt. Dominus vero Jesus Christus suscepit Martyres suos in pace; cui est honor, et gloria cum Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

quare cum sociis statim gladio occiditur.

* *al.* obstinate

ANNOTATA.

a *Vitiosa est constructio, cujusmodi plures hic occurrunt; quod semel monuisse sufficiat, dummodo sensus intelligatur.*

b *In Ms. Toletano hæc postrema proconsulis Saturnini responsio transcriptoris incuria bis repetebatur,*

IN MSS.

batur, de quo visum est lectorem monere, quia nos eam semel omisimus.

c *Ita etiam legit Ms. Augiense, a Mabillonio et Ruinartio editum. Arbitror tamen potius legendum esse* genium *ob ea, quæ in Annotatis ad Acta præcedentia ex Tertulliano diximus.*

d *Hic sensus, in Ms. Toletano perturbatus, ex codice Colbertino sic fuit restituendus.* D

e *Vitiosa iterum syntaxis, quæ etiam in codice Colbertino invenitur.*

f Nullo obstante *idem hic valere opinor, quod* ob nullum obstaculum; *nisi forte cum Ruinartio malis suspicari, quod legendum sit* nullo instante *vel* momento.

DE S. ATHENOGENE MARTYRE

SEBASTE IN ARMENIA.

J. B. S.

COMMENTARIUS CRITICUS.

§ I. Unde et quo die S. Athenogenes in Fastis sacris Latinis primum innotescere cœperit.

B

FORTE SUB DIOCLETIAN. *Ex solis S. Basilii verbis,*

Inclytum aliquem Sanctum, Athenogenem *nomine, insigni eruditione et martyrii gloria celebrem fuisse, nemo certius docere nos potest, quam e Græcis Patribus magnus Cæsareæ in Cappadocia episcopus S. Basilius, cujus de* S. Athenogene *insigne exstat testimonium a Baronio in Martyrologio Romano relatum ad diem* XVIII *Januarii, atque uberius paulo in notis, ejusdem diei textui subjunctis. Ex præfato Martyrologio ipsum in Acta nostra transtulit operis totius primus conditor Bollandus ad dictum diem, nihil habens, quod Baronii verbis superadderet, cum certum sit, nullum alicujus nominis* S. Athenogenem *Latinis Fastis, Martyrologiis aut scriptoribus aliis umquam notum fuisse, præterquam ex solo jam dicto S. Basilii loco, unde Baronius eum primus accepit et in Martyrologium retulit, hac formula :* Ibidem *(in Ponto)* S. Athenogenis antiqui theologi, qui per ignem consummaturus martyrium, hymnum lætus cecinit, quem et discipulis scriptum reliquit. *Porro S. Basilii verba, ex libro ejus de Spiritu sancto ad Amphilochium cap.* XXIX, *hæc sunt :* Quod si quis, *inquit,* novit Athenogenis hymnum, quem tamquam aliud aliquod valedictionis munus, C discipulis suis reliquit, festinans jam ad consummationem, quæ fit per ignem, is novit et Martyrum sententiam de Spiritu sancto. *Ubi vides Sanctum laudari, non ut personam mere privatam, sed ut virum in aliqua dignitate positum, utpote cujus auctoritatem adducit Basilius tamquam ferme irrefragabilem.*

a Baronio acceptus est S. Athenogenes,

2 *Recte an perperam ex citato S. Basilii textu* S. Athenogenem, *Martyrologiis omnibus eatenus plane incognitum, Romano addendum censuerit Baronius, hic operosius dirimendum non suscipio; id nostrum est, res implexas, ubicumque in Vitis Sanctorum, Martyrologiis et historia ecclesiastica recurrunt, quod possumus conatu et diligentia exponere, quod in Eminentissimo Annalium Ecclesiasticorum parente aliquando desiderari, nemo mirabitur, qui immensam operis ejus molem, a nemine ante ipsum pertentatam, attentius consideraverit. Neque vero ex codicibus Hieronymianis, sibi prorsus incognitis,* Athenogenis *nomen mutuari ei liberum fuit; quos tametsi novisset, obscurum aliquem Martyrem, majori cohorti* XXIV *Julii iis insertum, cum* Athenogene *S. Basilii* XVIII *Januarii confundere haud potuisset. Audiatur ejus ad Martyrologium Romanum, dicto jam* XVIII *Januarii notatio, his verbis concepta :* De quo exstat, *inquit,* egregium S. Basilii elogium in libro de Spiritu sancto ad Amphilochium cap. 29, qui eum et in testimonium citat de divinitate Spiritus sancti. Fuit et alius ejusdem nominis Sebastenus episcopus, de quo suo loco inferius. *Quæ deinceps conjicit de Athenagora cum* S. Athenogene *confundendo, nec ipse asserere audet, nec Bollandus admittenda censuit. Baronii annuntiationem excutiamus.* E

XVIII Januar. *ab ipso signatus.*

3 *Ex ea imprimis patentissime liquet, non habuisse ipsum Martyrologum ullum Latinum, quem sibi præluxisse ostenderet ; ne quidem Græcum Menologium a Cardinale Sirleto versum, quo alias nimis quam liberaliter usus est, utiturque etiam die præcedenti,* XVI *Julii, dum* S. Athenogenem *Sebastenum, tamquam a priori distinctum, in eodem Romano disertissime signat, et novis notationibus illustrare conatur. At neque is* S. Athenogenes *pro* XVI *Julii Latinis usquam notus fuit præterquam apud Galesinium, Baronii nonnumquam præmonstratorem, atque in augendis Martyrologiis primam eo tempore palmam promeritum, sive Sanctos ex famoso suo, toties convulso codice, sive aliunde accerseret. Ita ille hoc die legit:* F Sebastæ, S. Athenogenis episcopi et martyris. Hic Diocletiano Imperatore, ob fidei cultum a Philomarco præside comprehensus, multiplici tormentorum genere affectus, demum securi percussus, ad martyrii palmam pervenit. *Sic vero in notationibus candide fatetur :* De quo Metaphrastes scribit ; nos vero, quod in Martyrologium retulimus, a Græcis hausimus, qui ei socios martyres adjungunt discipulos ejusdem decem.

arrepta occasione a Martyribus Ponticis

4 *Audivimus Galesinium, præter quem de* S. Athenogene, *eodem die* XVI *Julii, solus Molanus, in posterioribus editionibus, ex Græco Horologio auctis, meminit, ast nec ipsi nec aliorum ullus, quod equidem sciam, sanctum* Athenogenem *die* XVIII *Januarii collocarunt, excepto solo Baronio ; cujus rei causam si inquiramus, nempe cur tali die Sanctum istum annuntiaverit ; nulla alia, saltem verosimilis, occurret, nisi quod existimaverit, Basilium de Sancto aliquo, ad Pontum spectante locutum, unde oblata de Ponticis Sanctis Moseo et Ammonio ad præfatum diem*

XVIII

A xviii *Januarii occasione*, S. Athenogenem *Basilianum ibi potius quam alibi consignandum putaverit, quamquam de cetero S. Basilius* Athenogenis *sui, nec patriam, nec ætatem nec dignitatem, nec martyrii palæstram vel remotissime indicet. Satis apposita est Castellani observatio in suo Bimestri primo Martyrologii Romani cum notis edito, ad* xviii *Januarii pag.* 332, *ubi præmissa Dertonensium facta, ut ipse ibidem vult, electione diei* xix *Januarii, ut accepta occasione Ammonii Pontici synonymum aliquem sanctum suum Episcopum collocarent, subdit*, provinciam Ponticam, in qua Moseus et Ammonius passi fuerant, ansam præbuisse Baronio, ut ipsis subjiceret S. Athenogenem, qui ibidem etiam passus fuerit. Notatio ad ipsum spectans invenietur natali ejus die xvii Julii.

[illegible] S. Basilius de patria [illegible]

5 *Promissam eam notam, ceterasque ad sequentes Martyrologii Romani menses, morte præventus, edere non potuit Castellanus, neque quid ea de re distinctius senserit, aliunde colligere nos potuimus, cum ad ejus manuscripta accessus nobis non pateat : id satis certum est, ipsum non nisi unicum* sanctum Athenogenem *agnovisse, eumque, uti breviter in Martyrologio suo universali insinuavit, non præcedenti* xvi, *sed hac* xvii *recolendum, quidquid Menologium a Cardinale Sirleto versum, et Græci aliqui alii aliter senserint. Pro utriusque identitate stat etiam Tillemontius nota* xiii *in Persecutionem Marci Aurelii tomo* II, *pag.* 632, *ubi dubia sua sic exponit, ut mentem satis aperte exprimat, hoc fere modo :* Signatur, *inquit*, xvi Julii sanctus aliquis Athenogenes Corepiscopus, apud Sebasten cum nonnullis aliis sub Diocletiano capite plexus : exstantque eorum Martyrum Acta, Metaphrasti adscripta, quæ nullam veritatis speciem præ se ferunt. Baronius asserit, non esse istum S. Athenogenem a S. Basilio memoratum; quod quidem recte ait, si verum est, quod Sebastenus iste, non flammis consumptus, sed decollatus fuerit. At cum tota ea decollatio fundetur in auctoritatibus momenti perexigui; credibilius est, non esse nisi unum eumdemque Sanctum, quam ut admittamus, Martyrem tam inclytum, a S. Basilio laudatum, universæ Ecclesiæ mansisse omnino incognitum.

B (margin letter) C (margin letter)

[illegible] duo fuerint Sancti [illegible]

6 *Præter Tillemontium et Castellanum, qui rem satis obiter tangunt, neminem reperi qui eam controversiam vel a longe examinandam susceperit, cum tamen disquisitionem aliquam mereri videatur, eo saltem conducentem, ut perpensis rationum auctoritatumque momentis, paulo clarius patescat, an gemini* Athenogenes *admittendi sint, an potius in unum unicum confundendi; dum argumenta non occurrunt, quæ satis suadeant, in Ponto unum, alterum Sebaste in Armenia, si Actis credimus, Corepiscopum, cum decem sociis discipulis admittendum esse. Atque huc spectabunt potissimum tres articuli seu propositiones, quas in dubium revocari solide posse, non existimo. Et primo quidem indubitatum videtur, S. Basilium in brevi* sancti Athenogenis *elogio, nec per umbram indicare, cujas is fuerit, qua in dignitate constitutus, ubi, quo tempore vixerit, aut sub quo tyranno passus sit. Non minus item patet, nec Baronium quidquam ad ea spectans, scire potuisse, ut proinde incertissimum sit, an Pontum umquam viderit, aut in eo martyrium fecerit* S. Athenogenes. *Ut articulum tertium suscipio, omnibus qui Græcas tabulas ecclesiasticas vel a limine* *salutarunt, evidens esse, quod* Athenogenes *aliquis, ut patria Ponticus, in eorum notitiam numquam pervenerit.*

Auctore J. B. S.

an potius unicus, hic disquiritur.

7 *Primam propositionem admittere cogitur Baronius ipse, dum tomo* II *Annalium ad annum* 196, *num.* 7, *sic habet :* Porro licet Athenogenis martyrii natalis dies in tabulis ecclesiasticis certus adscriptus habeatur, nempe Januarii decima octava die, tamen quo tempore martyrium subierit, incompertum habetur. *Quæ, qualis, et unde orta sit ea natalis diei* S. Athenogenis *certitudo, jam satis ostendimus; rectius dixisset Baronius, omnia de Sancto incomperta esse præter ea sola quæ de eo S. Basilium prædicasse diximus, ex quibus id unice habetur, quod doctrina Catholica et martyrio illustris fuerit. Æque certa est propositio altera, cum præter S. Basilium nullus uspiam citetur qui de* S. Athenogene *usquam meminerit. Tertiam, pœnam libri, ut aiunt, subire oportet, statimque patebit ad oculum, Græca omnia Synaxaria, Menæa, Menologia, et quidquid apud ipsos sacri est, non alium novisse* Athenogenem, *præter eum qui ex Metaphrastica oratione deformatus est, a qua id saltem haberi videtur, quod hoc die martyrii coronam acceperit, fortasse in ipsa urbe Sebastena, vel, si ita vis, in Pedachthone, inde non procul, de quo tantopere laborandum non video, modo ex tam incerta circumstantia Metaphrastica, Sanctus ipse geminandus non sit. Jam Græcos audiamus.* E

§ II. Apud Græcos solum signatus est S. Athenogenes Sebastenus hoc vel præcedenti die.

Sanctus iste Athenogenes,

Sequitur *modo ut dispiciamus, utrum ex sacris omnibus Græcorum tabulis sufficiens inferatur distinctio, ut duo potius censeantur sancti* Athenogenes, *quam solus et unicus. A Baronio incipimus, sic ex Menologio Sirleti* xvi *Julii Sanctum annuntiante :* Sebaste in Armenia, sanctorum martyrum Athenogenis episcopi, et decem discipulorum ejus, sub Diocletiano Imperatore. *Tum vero ita in subjecta notatione observat :* Agunt de iisdem hac die Græci in Menologio; Metaphrastes autem descripsit horum Acta, refertque die sequenti, dissentitque a ceteris, dum ait, eum in pace absque gladio quievisse in Domino : cum tamen post multa tormenta, una cum ceteris capite truncatus in dicto Menologio conscribatur. *Quod de Metaphrastis dissensione hic memorat Baronius, vereor equidem ne memoria lapsus sit, aut textum non integre, saltem minus attente legerit : ait quidem Legenda apud Lipomanum, Surium atque in nostro exemplari Græco* in multa pace quievisse; *ast etiam disertissime ubique affirmat* gladio *fuisse* percussum. *En verba ipsa Græca, Latinæ versioni ad amussim respondentia ;* ἐκρούσθη τῷ ξίφει, καὶ οὕτως ἀπέδωκεν τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἐν πολλῇ εἰρήνῃ : gladio percussus est, et sic, spiritum reddidit in multa pace. *Sed hæc obiter indicasse sit satis.* F

in Monologio Basiliano,

9 *Ad quæstionem, quam præ manibus habemus, magis spectant sequentia annotationis Boronianæ verba :* Diversus plane hic ab illo Athenogene, quem constat, S. Basilii auctoritate, per ignem martyrium consummasse; de quo superius

AUCTORE J. B. S.

perius actum est. *Nimirum diversitas martyrii palmaris fuerit ratio, cur Sanctos binos synonymos Baronius asserendos putaverit, quæ an rem satis evincat, tum patebit clarius, dum Græcorum Acta et elogia fidelissime proposuerimus. Habe primum totius passionis breve compendium ex Basilii Menologio, cujus mensem Julium Græce excusum habes ad calcem tomi primi dicti mensis, ut sæpe alibi monuimus. Sic ibi legitur:* Athenogenes sanctus Christi martyr, origine erat Sebastenus, imperante Diocletiano. Cum autem a præside una cum decem discipulis suis comprehensus esset, et multa tormenta cum ipsis perpessus propter dilectionem erga Christum, tandem gladio vivendi finem accepit. *In his et sequentibus verbatim fere consonant Menæa impressa, in eo tamen Actis conformiora, quod præsidis Philomarchi nomen exprimant, ut satis pateat, ex eadem prorsus scaturigine omnia profluxisse; at cetera Basiliani elogii verba prosequamur, quibus tota Actorum medulla continetur. Sic plane habent:*

aliisque Græcis tabulis hoc vel præcedente die relatus,

10 Dicitur autem, priusquam comprehenderetur, in monasterium digressus, discipulos non invenisse, prius quippe jam capti B erant: cervæ vero, quam in monasterio nutrierat, sibi occurrenti bene precatus, oravisse, ut ne a venatoribus vel ipsa vel hinnuli caperentur; sed ut quotannis, in memoriam ejus, tam ipsa quam propago ex ipsa nascitura, adducerent unum hinnulum; quod et factum conspicitur: nam post lectionem sanctorum Euangeliorum cerva in ecclesiam ingredi visa, ac hinnulum suum offerre Sancto, et rursum egredi: quam hi, qui ibidem congregantur, mactantes, lautum agunt diem ad gloriam sancti Martyris et honorem. *Utrum hæc omnia ex Metaphrastis, vel cujuscumque alterius paraphrastis fide, satis prudenter et tuto admitti possint, pluribus non disputo; id verum est, ut jam dicebam, præcipuam Actorum S. Athenogenis medullam hisce comprehendi, quibus diutius immorari operæ pretium non existimo: nunc alias græcas tabulas, Menæa manuscripta, Kalendaria et Ephemerides percurrere licet, quamvis inde nihilo plus substantiæ educi posse, perspectum habeam. Præcipua ordine enumeremus, sive hoc die de Sancto agant, sive* C *die præcedenti.*

ubique idem indicatur,

11 *De Menæis excusis et Menologio vulgato, satis dictum est. Agunt de* S. Athenogene *manuscripta nostra pleraque omnia, Typicum editum sancti Sabæ, Supplementum ad Menæa Græca ex Synaxario Sirmondi, atque Ms. Chiffletii, et Menæa Bibliothecæ Ambrosianæ, cum citato superius Horologio Græco et Maximo Cytherorum episcopo. Adde Kalendarium Syriacum seu Chaldaicum Romæ impressum* 1624, *et pro Majoribus nostris Romæ versum, item Slavo-Russicum, atque Ephemerides Græco-Moscas ante tomum I Maii, ubi in figurato notari dicitur solis initialibus litteris: in metrico ita expressus:*

Ὀξὺ Ἀθηνογένην ξίφος ἔταμεν ἐξ δεκάτῃ τε.

Ensis Athenogenem decima sextaque peremit. *Uti hic, sic in ceteris omnibus sola ferme passio seu capitis detruncatio expresse enuntiatur, ut minime dubites, quin ex præfatis Actis, sive ea Metaphrastes, sive quis antiquior adornaverit, recepta ista apud Græcos annuntiatio processerit, non majori proinde auctoritate nixa, quam scaturigo ipsa unde promanasse ostenditur.*

12 *Porro in ea tota Metaphrastica narratione, utut pleraque displiceant, id certe tolerari posse videtur,* S. Athenogenem, *forte Sebastenum origine, ibidem verosimiliter episcopum, vel, ut Acta, corepiscopum fuisse; discipulos, si ita vis, ut erat vir doctissimus non minus quam sanctissimus, habuisse, et cum iis martyrium gloriose subiisse; quorum omnium nihil est quod S. Basilii dictis repugnet; ut proinde eo usque nihil prorsus impediat, quo minus unus idemque esse possit* Athenogenes *Basilianus cum Metaphrastico, etiamsi stupenda illa omnia, dicam an inepta, miracula quis admittenda contenderet, quæ quanti æstimanda sint sequenti paragrapho perpendemus; quo nos ducit Actorum seu passionis examen, ex quo quid verosimilius concludi possit, facilius intelligetur, relicta cuique aliter sentiendi plenissima libertate: neque enim a Sanctis synonymis adoptandis, tametsi plures forent, ullo modo nos abhorrere, ex toto opere perspicuum est; id hoc paragrapho probandum suscepimus, solum* S. Athenogenem, *episcopum et martyrem Sebastenum, in vulgatis Græcorum ecclesiasticis tabulis signatum reperiri; de quo quærimus, utrum a Basiliano eum distinguere necesse sit.*

Sebastenus episcopus seu corepiscopus

E

§ III. Ex actis Metaphrasticis, nullius vel perexiguæ fidei, non probatur geminus fuisse.

Identitatem non evertunt,

S*uperest igitur præcipua, quæ opponi hic possit, et peremptoria quodammodo difficultas, quod jam laudatus in tabulis græcis* S. Athenogenes, *Sebastenus episcopus seu corepiscopus, disertissime ubique dicatur capite plexus, seu* gladio percussus, *uti diserte legi diximus apud Aloysium tomo* VI, *apud Surium* XVII *Julii, atque etiam in ea quam nos curavimus Actorum Græcorum interpretatione, quam tanti non facimus, ut dignam judicemus quæ hic locum occupet, satis est, controversam periocham in qua quæstionis nodus vertitur, superiori paragrapho ex græco reddidisse. Atqui hæc gladii percussio ferme ex diametro pugnat cum iis quæ de suo* Athenogene *narrat magnus Basilius loco supra citato de Spiritu sancto ad Amphilochium cap.* XXIX, *cujus hæc etiam græca verba* F *exhibeo* ὁρμῶν ἤδη πρὸς τὴν διὰ πυρὸς τελείωσιν; *consequens igitur est, quod inferebatur superius, ut diversus sit* S. Athenogenes, *quem S. Basilius tantopere celebrat, quemque ad diem* XVIII *Januarii a Baronio signatum diximus, ab eo quem proxime Græcos omnes tanto consensu colere ostendimus vel hoc* XVII *Julii vel die præcedenti.*

Acta græca hic neglecta,

14 *Ad hujus argumenti solutionem faciet Actorum qualiumcumque brevis analysis, ex qua apertius liqueat, omnia ad stuporem et prodigia, credulis hominibus mirabilia, quibus Græci abundant, fabricata esse. Vertimus nos ea latine, ut jam dici cœptum est, ex codice Vaticano signato num.* 819, *quæ etiam exstant in Biblioth. Taurinensi, contulimusque cum ea interpretatione quæ apud Lipomanum exstat et apud Surium, sicque convenire deprehendimus, ut verbis fortasse aut phrasi tantillum differant, in re ipsa omnino conveniant. Ea vero cum jam typis non semel data sint, ægre ferri haud poterit, quod hic a nobis negligantur. Exordium Actis illis non magis quam quibuslibet aliis proprium sic habet:* Imperante Diocletiano magnus furor in Christianos grassabatur

AUCTORE J. B. S.

A sabatur, adeo ut venirent in periculum quicumque pietati studebant. Turbabatur itaque universus orbis terribili Imperatoris insania. Plurimi autem alter alterum tradebant in mortem, pater filium, frater fratrem, amicus amicum, propter metum persecutoris. Porro civitatem Sebastenam ingressus est præses quidam, nomine Philimarchus, qui jussit tibicines ante se canere, et agitari cymbala, atque idolorum sacerdotes, coronas ferentes, peragere sacrificia. *Tum vero pro tribunali sedens per præconem dixit etc.*

quæ non magnæ fidei esse.

15 *Diceres, ea tempestate præsides omnes non ad provinciarum aut urbium administrationem, sed ad meram Christianorum lanienam a Diocletiano deputatos fuisse. Certum martyrii tempus ex tota illa compositione nec per umbram eruitur. Si vero* S. Athenogenis *certamen ad persecutionis Diocletianæ extremos annos pertinet, alium Armeniæ præsidem signant martyria paulo certiora apud Baronium ad annum* 311, *num.* 20 *et aliis, ut si eo reducenda sit Sancti nostri passio, Philimarchus ille præses vel Philomarchus, aut fictitius aut aliunde accersitus dici merito possit.* B *Nec magis placet intrusus paulo post* Cornicularius, *nomine Nicolaus, qui ut* S. Athenogenis *accusator in scenam prodit. De Corniculariis agit Baronius in nota* II *ad* XXI *Augusti, locum eis tribuens, qui Nicolao isti non magnopere convenire videtur.* Pedachthonis *autem monasterium, seu locus quem aliqui archiepiscopis proprium fuisse volunt, an apud Sebasten vere exstiterit, hic disquirere, operæ prætium non est. Sociorum captivitas, absente magistro, hujus lamenta, occursus cervæ quæ ipsum deosculata sit. hujus mira benedictio, ultroneus Sancti ad præsidem accessus, secutaque inter hunc et Martyres colloquia, ea ratione nec concepta nec disposita sunt, ut pretii quidquam aut æstimationis toti isti historiæ adjungant.*

e adductis hic,

16 *Sequuntur tormenta variis modis inflicta, usque ad cædem sociorum omnium, qua peracta, subjiciuntur nonnulla, quæ attentiori observatione digna censui.* Sanctus Martyr rogavit præsidem dicens, precor te, præses, jube me deduci ad monasterium et ibi consummari. Jussit autem præses sic. Tum Sanctus alacri animo ductus C cantavit; Deus ultionum libere fecit. Ut autem appropinquavit monasterio, occurrit ei cerva, et deosculata est pedes ejus. Dixit ad eam Sanctus, privata es fratribus, ecce privaris etiam eo, qui te enutrivit. Deus universorum seculorum non permittat ut quis dominetur tui, neque semen tuum capiant venatores, sed semen tuum ferat sobolem in memoriam nostram, et consummetur in laudem Dei. Cerva autem flens procidit ad pedes ejus: sed eam obsignans sanctus Martyr, dixit: vade in pace. *Quam hæc apte et ad faciendam fidem ordinata sint, nemo non videt: audi porro quæ de eadem cerva inferius memorantur, his plane similia quæ ex elogio Menologii Basiliani retulimus:* Cerva autem adest in commemoratione Sanctorum martyrum, adducens donum Deo hinnulum, et lecto Euangelio, appropinquat altari, spectantibus omnibus, et positis genibus suis orat, et relicto pullo revertitur in pace ad locum suum. Hinnulus porro consumitur in gloriam Dei et in honorem Sanctorum martyrum.

paucis speciminibus;

17 *Eamdem venam sapit Sancti oratio his verbis ad Deum fusa:* Da, Dominè Deus, ut qui memoriam nostram peraget, indesinentem benedictionem consequatur. Omnibus etiam te per nos invocantibus, da gratiam, Domine, ut sive in errore inventi fuerint, sive in magna necessitate, vel in meticuloso judicio, vel in malis insomniis, et invocabunt nomen tuum Sanctum, Domine, in nomine servi tui, exhibe illis misericordiam tuam, Domine, et imple postulata ipsorum. Sic orante Sancto, facta est vox cælestis ad ipsum dicens; Gaude mi athletes Athenogenes, electe mi; hodie mecum eris in paradiso cum discipulis tuis. De gratia vero, quam a me postulasti, ecce dedi tibi petitiones tuas: quicumque rogaverit me in nomine tuo, et in E quacumque domo memoria tui facta fuerit, liberabuntur ab omni afflictione et necessitate, et omnia peccata oblivioni tradentur. Vos electi mei eritis, præsidium omnium viduarum, et orphanorum alimentum; peregrinorum perfugium, pauperum dispensatio, infirmorum medici, malorum spirituum persecutores. Facta autem ad eum hac Domini voce, gladio percussus est, et sic spiritum Deo reddidit in multa pace . . . Peragitur vero eorum memoria juxta ritum Romanum XVII Julii. *Hæc Legendæ verba, ut a me reddita latine sunt.*

abunde colligitur.

18 *Ex iis autem Actorum speciminibus bene expensis, satis, opinor, evincitur, Legendam istam totam, drama esse artificiose exornatum, pluribusque suppositionis notis sic depictum, ut ad historiam repudiandam, nihil prorsus deesse videatur; quibus recte perpensis, nemo prudens, cordatus nemo in dubium revocare ausit, quin sola S. Basilii auctoritas pluris facienda sit, quam Actorum et elogiorum farrago incondite et fabulose digesta. Unde id postremum asserere non vereor, verum* S. Athenogenem *per ignem martyrium consummasse, sive socios habuerit, sive secus; sive ipsi eodem sive alio mortis genere consumpti fuerint: an in ipsa urbe Sebastena, an inde non procul, definiendum non suscipio; certe unicum dumtaxat fuisse, ex jam allegatis satis patere existimo. Atque hæc de ipso dicta sufficiant. Quod vero ad citatum supra annum* 311 *memorat Baronius de* S. Athenogenis *reliquiarum translatione, ex Actis non parum suspectis S. Gregorii Armeni, nihil obest propositæ a nobis opinioni, undecumque delatæ fuerint; de qua re agi poterit dum prædicta sancti istius Gregorii Legenda ad diem* XXX *Septembris ex professo examinabitur.* F

DE

A D

DE S. GENEROSO MARTYRE

TIBURE IN LATIO.

J. B. S.

Ex Martyrologio Romano.

XVII JUL. *Tibure colitur,*

Martyr *inclyta* S. Generosa *inter Scillitanos Africæ pugiles hoc die merito celebratissima est, tum veterum tum recentiorum Martyrologiorum unanimi consensu laudata ; at Sanctum hunc* Generosum, *apud solos Tiburtinos illustrem, nusquam alibi licuit reperire, ut fatendum omnino sit, a solo Baronio Fastis Romanis inscriptum fuisse : non primæ editioni quam anno* 1586 *vulgavit Plantinus, sed posterioribus anno* 1608, *et grandiori, cui Annotationes adjunctæ sunt, anno* 1613 *recusis, ex iis quæ ipse ante annum* 1607, *quo vivere desiit, imprimi curaverat.* B *Id se observasse, haud obscure innuit Castellanus, dum Sancti istius annuntiationem, in ipso Romani textu, uncis hujusmodi inclusit* [Tibure, sancti Generosi martyris.] *Frustra conatus sum antiquiores tabulas invenire in quibus* S. Generosi *nomen consignaretur ; neque vero alias adhibuit aut allegavit laudatus Baronius, præter eas quas Tiburtini suggesserant, ita paucis in suis Notationibus observans :* De eo tabulæ ac vetera monumenta ecclesiæ Tiburtinæ quæ accepimus. Hujus venerandum corpus asservari sub majori altari ecclesiæ S. Laurentii ex iisdem didicimus.

solo nomine cognitus.

2 *Baronium secutus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad hunc diem verbis paulo pluribus, sed tantumdem significantibus de* S. Generoso *meminit :* Generosus, Tibure in Sabinis martyrio coronatus, ibi habetur in honore, licet cujas fuerit, quove tempore passus sit, incompertum habeatur. Corpus illius in æde S. Laurentii (quæ cathedralis est) sub ara maxima, una cum corpore S. Severini monachi et confessoris pie asservatur : cujus natalis hac die ab ecclesia Tiburtina recolitur. *Nihil magis explicat annotatio :* Ejus meminit præter Baronium . . . Fulvius Cardulus presbyter ex Societate Jesu in suis notis et digressionibus in Passionem SS. martyrum Getulii et Sociorum. E *Nimirum paucula Carduli verba (ex pag.* 121) *cum Baronianis connectit Ferrarius, de suo adjiciens* Tibure coronatum *esse, quem forte ex Romanis cryptis verosimilius accersivisset. De ipsa Tiburtina notissima urbe (vulgo* Tivoli) *non est quod hic agam ; longe illustriorem eam reddidere gloriosi fratres Martyres cum Symphorosa matre, quorum certamen die sequenti illustratur. De celebri ea olim civitate, seu gentili seu Christiana, fuse et eleganter descripta, citari potuit noster Cardulus, potius quam de rebus ad* S. Generosum *spectantibus, longa oblivione, dicamus ignorantia, hactenus sepultis.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

MAMMA, EMASIA, NAZARIO, MAXIMO, PAULO, TITIANA, NESIA, SIRIANA, EUTATO ; ET FORTE JUSTINO ET NONNO.

C F

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

XVII JUL.

Gloriosissimos Scillinatos Martyres, de quibus proxime actum est, non nisi collo quodammodo obtorto ex Hieronymianis apographis educi cum Florentinio observavimus, quos nihilominus asseruimus, Actis genuinis magis fisi quam corruptis codicibus, e quibus tamen duodena nomina colligi possunt : at certe tam confusa et contorta sunt omnia, ut quid amanuenses de reliquis voluerint, ferme divinandum sit. In re tam ancipiti nihil mihi superesse visum est, quam ut ceteros omnes, dispersos quodammodo Martyres in unam classem componerem ex vetustiori codice Epternacensi, aliis paulo minus infecto, nempe qui confusionis non nihil tollat scribendo* Emasiæ *(codex Blumianus* Inansiæ) *pro* in Asia ; *et pro* Persyrianæ *codicis Lucensis, substituat cum Blumiano* Sirianæ *seu* Syrianæ. Mammas *seu* Mamas *(sive virum indicet sive corrupte feminam) ab aliis in eo codice non separatur, quod mihi æque ac Florentinio præplacet. Addidi reliquis* Justinum *et* Nonnum *qui in codice Corbeiensi* Marcello *Mediolanensi perperam consociati videntur, et quidem* Justinus *aliis iterum ibidem immixtus, de quo tamen alii codices neque de* Nonno *meminere.* Meneolampum *et* Zosimum *ejusdem codicis prætereundos censuimus. Detur nobis hic venia in exemplarium omnium depravatissimis lectionibus.*

A D

DE S. MARCELLO MARTYRE

MEDIOLANI IN INSUBRIA.

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

[illegible]

In jam dictis Hieronymianorum turbatis hoc die testibus nulla annuntiatio minus corrupta occurrit, quam hæc codicum fere omnium : In Mediolano, natalis S. Marcelli. *Minus corrupta, inquam, nam integram dicere non ausim ; est enim ita aliis Sanctis præsertim Sebastanis commixta, ut quasi studio interposita videatur. Et quidem in codice Lucensi, E ternacensi et nonnullis minoribus solus* Marcellus *signatur, cui Corbeiensis* Justinum *et* Nonnum *socios nescio unde acciverit, a nobis hic recissos, quod plane suspicemur, perperam adjectos esse, aut saltem Mediolanenses dici non posse. Quid? Quod nec omnino inverisimile putemus, indicari hic* Marcellinam, *de qua etiam hoc die agitur, S. Ambrosii sororem, mutato, ut non semel in hoc laterculo fit, personæ genere, decurtataque appellatione; quamvis id certo asserere non audeamus.*

B B

DE S. HYACINTHO MARTYRE

AMASTRIDE IN PAPHLAGONIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. C.

Sancti Martyris cultus, elogia, et Acta.

[illegible]

Amastris inclyta olim Paphlagoniæ civitas, de cujus origine, situ et episcopatu fuse actum est XXI *Februarii in Commentario prævio ad Vitam S. Georgii episcopi Amastreni, primam lucis usuram et gloriosam martyrii palmam sancto* Hyacintho *dedit, sacrosque civis sui cineres postmodum religiose venerata est, uti in ipsis Actis huic Commentario subjungendis legimus. Ex sacris Græcorum monumentis patet, quam celebris quondam fuerit hujus Martyris cultus : nam Menologium a Genebrardo editum, Horologium, Epitome Menologii, Typicum S. Sabæ, Menæum Chiffletianum, aliaque Græcorum Synaxaria die* XVIII *Julii annuam illius memoriam celebrant. Unde mirum est, Martyrem adeo illu-* C *strem a Menæis impressis et Maximo Cytherorum episcopo prætermitti. Transiit tamen ejus commemoratio in Menologium Slavo-Russicum, quod a prænobili Barone Sparwenfeldio latine versum eodem die sic eum annuntiat :* S. Martyris Hyacinthi Amastridensis, qui post multa tormenta et dentium effractiones moritur in carcere. *Aliud vero Synaxarium Ruthenorum, a Georgio David Societatis nostræ missionario Moscuæ anno* 1688 *Latine versum, hac eadem die sic habet :* Sancti martyris Hyacinthi in Volmastria. *Puto legendum* in Amastride; *nisi forte hæc urbs ita Russice appelletur, quod ignoro.*

[illegible]

2 *Synaxarium, jussu Basilii Imperatoris collectum, prolixiori* S. Hyacinthum *ornat elogio, quod post nostrum tomum I Julii Græce editum sic Latine reddo :* Hyacinthus Christi martyr piis ortus parentibus, filius fuit Theocliti et Neonillæ sub Heraclio episcopo Amastridis. Qui quidem nomen ab angelo accepit, ac triennis Christi invocatione puerum mortuum excitavit. Crescente vero per ætatem virtute, usque ad senectutem pervenit, cum interim fecisset multa mira opera ; videns idololatras arborem superstitiose colentes (erat autem ulmus inanis et quasi exhausta) excidit eam. Comprehensus igitur ad principem et Amastrenæ urbis magistratum ductus fuit, illique vehementer verberato evulsi sunt dentes : etiam ligatus funibus extra urbem tractus, acutisque arundinibus punctus est. Postea in carcerem conjectus spiritum Deo tradidit. Reliquiæ illius collocatæ sunt in ipsa urbe, scatentes perpetuo medelis. *Brevi hoc elogio quædam continentur, quæ in prolixioribus Actis non leguntur. In iis enim nomina parentum non exprimuntur. Nulla etiam fit mentio de Heraclio Amastreno episcopo, uti nec de miraculo, quod* S. Hyacinthus *triennis patrasse hic dicitur. Præterea arbor, quæ in hoc elogio vocatur* ulmus F inanis et quasi exhausta, *in Actis nostris num.* 4 *nuncupatur lotus pulcra aspectu et grata frondium compositione luxurians.*

3 *Huic elogio ferme consonant Excerpta nostra Mss. ex Menæis Bibliothecæ Ambrosianæ, quæ matrem S. Martyris* Theonilam, *et episcopum Amastrenum vocant* Heraclitum; *principem vero Amastridis* Canstricium. *In fine autem adduntur sequentia :* Λέγεται παράδοξον καθ' ἕκαστον χρόνον ἐν τῇ μνήμῃ αὐτοῦ συμβαίνειν αὐτῷ· Ὑπὸ γῆν γὰρ ὄντος τοῦ τάφου, ἐν ᾧ τὸ τίμιον αὐτοῦ ἀπόκειται λείψανον, ὑμνοδίας παρὰ τῶν συνελθόντων καὶ δεήσεως γινομένης, ἀναδίδοται χοῦς, ὅνπερ ὁ ἐπίσκοπος ἔν τινι σκεύει δεχόμενος ἱερῷ τοῖς συνελθοῦσιν διανέμει εἰς ψυχῶν καὶ σωμάτων θεραπείαν καὶ ἴασιν. *Id est :* Dicitur singulis annis in illius commemoratione mira res per ipsum evenire : nam infra terram existente tumulo, in quo venerandæ illius jacent reliquiæ, dum ab iis, qui convenerunt, hymni et preces canuntur, egeritur pulvis, quem episcopus in sacro quodam vase suscipiens distribuit advenis ad animarum ac corporum medelam ac sanationem.

aliisque Mss. Græcorum Menologiis,

Ejusdem

AUCTORE G. C.

Ejusdem miraculi meminerunt Acta nostra num. 20. Posteriori huic elogio seu Vitæ compendio simile admodum est supplementum Ms. ad Menæa excusa, ex Synaxario Sirmondi et Ms. Chiffletii collectum, in quo episcopus Amastridis appellatur Heraclides, *et præfectus ejusdem urbis* Canstridius. *Præter alias quasdam levioris momenti discrepantias isti elogio præmittuntur hi duo versiculi :*

Ὡς ὀσφράδιον ὑακίνθινον, Λόγε,
δέξαι τὸν Ὑάκινθον αὐτῷ καλάμῳ.
Ut gratum odorem floris hyacinthi, tuum
Sic, Christe, in ipsa arundine Hyacinthum accipe.

Satis manifesta hic est allusio ad nomen Sancti et florem hyacinthum. Dum autem de calamo vel arundine fit mentio, arbitror significari scapum seu caulem floris hyacinthini, et poëtam Græcum voluisse alludere ad supplicium acutarum arundinum, quibus idololatræ S. Martyrem pupugerunt.

et Martyrologio Romano ostenditur.

4 *Quamvis in præcedentibus Græcorum Fastis hic S. Martyr die* XVIII *Julii referatur, tamen in Menologio, quod ex Bibliotheca et interpretatione* E *Cardinalis Sirleti vulgavit Canisius tom. II Antiquæ lectionis, sic legitur* XVII *Julii :* Eodem die S. Martyris Hyacinthi apud Amastridem. Hic ad Castrisium præsidem et Amastridis urbis magistratus cum ductus esset Christianam fidem professus verberatur vehementer, evulsisque dentibus per mediam urbem funibus trahitur, et acutis calamis vulneratur; postea conjectus in carcerem, Deo ipsi Spiritum commendavit. *Ex hoc Menologio haud dubie transiit in Martyrologium Romanum, quod hac die sic habet :* Amastride in Paphlagonia sancti Hyacinthi martyris, qui sub Bastritio præside multa passus, quievit in carcere. D *Ad hæc Martyrologii Romani verba notat Baronius, quod de eo agant* etiam Græci hac die in Menologio, ubi et ejus passio describitur. *Id autem intelligendum videtur de Menologio Sirletiano, cum superius citata Græcorum monumenta, et Additiones Usuardinæ secunda ac tertia viæ a Molano editæ illum die* XVIII *Julii consignent. Nihilominus nos Romanum Martyrologium secuti, hac die eum collocavimus. Nunc de ipsius Actis pauca præfabimur.*

De actorum scriptore, et martyrii tempore dubitatur.

5. *Nicetas cognomento Paphlago, qui post medium sæculi noni vixit, in laudem* S. Hyacinthi *martyris Amastreni orationem panegyricam composuit, in qua quidem gesta fortissimi athletæ rhetorica facundia exornat, sed nullam vitæ aut Passionis epocham indicat. Posset ea utcumque colligi ex elogiis supra relatis, si de episcopi vel præfecti Amastreni, illic memorati, ætate constaret. Sed cum eam hactenus frustra quasiverim, nihil certi statuere possum, nisi quis me felicior illam alicunde eruerit. Castellanus quidem in suo Martyrologio Universali Martyrem nostrum hac die annuntians notat in margine sæculum* IV. *Sed cum* E *nullum suæ assertionis argumentum afferat, et in hujusmodi epochis figendis non raro hallucinetur, ei sine testibus pronuntianti fidere non ausim. Quare martyrii tempus cogor indeterminatum relinquere, donec quis, ut dixi, illud ex antiquis monumentis probatum ostenderit. Nihil jam superesse video, nisi ut orationem panegyricam, a Niceta Paphlagone Græce conscriptam, et a F. Francisco Combefisio Dominicano ex Ms. codice Cardinalis Mazarini una cum interpretatione Latine Parisiis anno* 1666 *editam, hic denuo prælo subjiciamus.*

LAUDATIO

AUCTORE NICETA PAPHLAGONE.

Ex editione Combefisii.

C F

Caput I. *Prologus, Sancti patria, adhortatio ad suos populares, ut idololatriam deserant.*

Orator ad lapidem hyacinthum alludens.

Sane decebat, cum multi iique pretiosi lapides in Dei habitaculum in Spiritu coædificentur, atque in eo celebri gloria habeantur (talibus enim intelligens vivensque Dei civitas ipsa perfecta construitur atque conflatur) sacrum pariter divinumque Hyacinthum una assumi; tantum scilicet spiritalibus sanctitatis gratiis lætisque fulgoribus, cunctorum fere Sanctorum palam splendores vincentem, illisque præmicantem, quantum et gratius omnibus nomen obtinuit. Omni enim virtutum genere ab infantia Vir summe admirandus, provectus, cunctisque divinis Spiritus gratiis confertus, alta senectute claro illustrique Deo martyrio reddito, quam maxime splendido præconio donatur.

de Sancti nomine et festo præfatur.

2 Itaque nos etiam dignum laude Dei famulum laudibus prosequamur : Virum scilicet Deo dignum, digne prorsus beatificandum Hyacinthum; spiritalem pretiosumque Dei lapidem;

Ἔπρεπεν ἄρα, πολλῶν καὶ τιμίων λίθων εἰς κατοικητήριον τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ πνεύματι συνοικοδομουμένων, καὶ ἐν αὐτῷ δοξαζομένων· καὶ γὰρ τοῖς τοιούτοις ἡ νοερὰ τοῦ Χριστοῦ πόλις καὶ ζῶσα καταρτίζεται καὶ συγκροτεῖται, καὶ τὸν ἱερόν τε καὶ θεῖον Ὑάκινθον συμπαρειλῆφθαι· τοσοῦτον ταῖς νοηταῖς τῆς ἁγιότητος χάρισι καὶ ἀγλαΐαις τῶν ὅλων σχεδὸν ἁγίων σαφῶς ὑπεραστράπτοντα, ὅσῳ καὶ χαριεστέρας ἁπάντων τετύχηκε προσηγορίας· παντοίαις γὰρ νηπιόθεν ὁ θαυμασιώτατος ἀναγόμενος ἀρεταῖς. πᾶσι δὲ θείοις τοῦ Πνεύματος συγκροτούμενος χαρίσμασιν· ἐν πολιᾷ δὲ βαθείᾳ λαμπρὸν καὶ περιφανὲς τὸ μαρτύριον ἀποδοὺς τῷ Θεῷ, λαμπρᾶς ὅ τι μάλιστα καὶ τῆς ἀναῤῥήσεως καταξιοῦται.

2 Τοιγαροῦν ἐπαινέσωμεν καὶ ἡμεῖς τὸν ἀξιεπαίνετον τοῦ Θεοῦ παῖδα τὸν ἀξιόθεον, τὸν ἀξιομακάριστον Ὑάκινθον; τὸν νοητὸν, καὶ τίμιον τοῦ Θεοῦ λίθον, τὸν ἔμψυχον, τὸν ζῶντα, τὸν νοερὸν, τὸν

A τὸν οὐρανίῳ τοῦ Πνεύματος φρονήματι οἷα λαμπρῷ καὶ οὐρανοβαφεῖ χρώματι κατακόρως οὕτω χρωννύμενον καὶ κλεϊζόμενον, ὡς μέρος καὶ αὐτον του στεφάνου τῆς δόξης του τῷ Παμβασιλεῖ πλακέντος ἀναδείκνυσθαι. Τοῦτον σήμερον κατα τὴν ἐτήσιον αὐτοῦ καὶ ἱερὰν μνημοσύνην, εἰς ὕμνησιν ταῖς ἐκκλησίαις προτιθέμενον τοῖς τῶν λόγων ἄνθεσι, κατα δύναμιν καὶ ἡμεῖς ἀναδησώμεθα· καὶ τῶν μαρτυρικῶν ἀγώνων γνησίως αὐτον μακαρίσαντες, καὶ τῶν τῆς μάρτυρίας ἐπάθλων διὰ ταῦτα κοινονήσαντες, αὐτῷ τε χρέως χαριέστατον ἀποδώσομεν, καῖ τῇ τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίᾳ τὴν ὀφουλομένην προσοίσομεν οἰκοδομήν.

3 Ἐκείνῳ πατρὶς μὲν, ἡ ἄνω Σιὼν, ἡ λαμπρά πάντων ἁγίων νοερά τε μητρόπολισ καὶ πιστή· πατὴρ δὲ ἀληθὴς, ὁ Θεός· μήτηρ δέ, ἡ χάρις τοῦ Πνεύματος· ἡ τοσοῦτον δὶ ὕδατος ἀναγενώμενον ἄνωθεν ἐνδῦσα, καὶ τὴν ἐν αὐτῷ φυσικὴν εἰς υπερφυῆ μορφὴν μεταποιοῦσα καὶ εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας Θεοῦ, καὶ εἰς μέτρον ηλικίας τοῦ πληρώματος προάγουσα Χριστοῦ, δοκιμώτατον ἐπὶ τέλει Μάρτυρα τοῦτον, καὶ ἀξιολογώτατον Κυρίῳ περιστησιν ἀθλητήν. Ἀλλ' οὐδ' ἡ κάτω πατρὶς ἄσημος· οὐδ' ἀνώνυμοι
B καὶ ἀγεννεῖς τῷ Ὑακίνθῳ τοκεῖς. Ἀμάστρα δὲ τοῦτον ἐγφύσασα καὶ τιθηνήσασα, καὶ ὑπὸ γονεῦσιν ἐπισήμοις τε τοῦτον ἀναθρεψαμένη καὶ πιστοῖς, ἔλαθε τὸν αὐτῆς προβαλλομένη πολιοῦχον καὶ πολιστήν.

4 Ἀμάστρα, ὁ τῆς Παφλαγονίας μᾶλλον δὲ τῆς οἰκουμένης ὀλίγου δεῖν, ὀφθαλμός, εἰς ἣν οἵτε τὸ βόρειον του Εὐξείνου μέρος περιοικοῦντες Σκύθαι, καὶ οἱ πρὸς νότον δὲ κείμενοι, ὥσπερ εἴς τι κοινὸν συντρέχοντες ἐμπόριον, τὰ παρ' ἑαυτῶν τε συνεισφέρουσι, καὶ τῶν παρ' αὐτῆς ἀντιλαμβάνουσι πόλις, ἑώας τε πάσης λήξεως καὶ ἑσπερίου μεταξὺ κειμένη· οὐδενὶ μὲν τῶν ἀπὸ γης ἢ θαλάσσης ἀγωγίμων σπανίζεται· πᾶσι δὲ τοῖς ἐπιτηδείοις δαψιλῶς εὐθηνουμένη, οἰκοδομήμασί τε λαμπροῖς καὶ τείχεσι καρτεροῖς· ναὶ δὴ καὶ λιμέσι καλοῖς, καὶ οἰκήτορσιν ἄνωθεν περιφανεστάτοις κεχρημένη, ἑνὶ τούτῳ, τῇ εἰς τὸν Θεὸν εὐσεβείᾳ, μικρῷ πάντων ἀνθρώπων ἡλαττοῦτο. Καὶ σκοπεῖτε τὸ τῆς ἐκείνων ἀγνωσίας ἢ δουσιδαιμονίας βάθος· οὐ γὰρ ἐν ἀνθρώπων, ἢ ζώων τινῶν ὁμοιώματι τὴν τοῦ ἀφθάρτου Θεοῦ δοξαν ἐναλλάξαντες, ὥσπερ Ἑλλήνων καὶ Αἰγυπτίων οἱ πλείους, τὸ σέβας τοῖς δαίμοσιν ἀφοσιοῦντο,
C δένδρῳ δέ τινι τῶν παρ' αὐτοις, λωτῷ μέν καλουμένῳ, ὡραίῳ δὲ τὴν θεαν, ὡς εἰκὸς, καὶ εὐθαλῆ τὴν κατασκευὴν προχόντες, καὶ τὸν ἀνόητον νοῦν ἀμέτρως καταθελχθέντες, καὶ ἡττηθένθες τῆς αὐτοῦ καλλονῆς, τουτο Θεὸν νενομήκασιν· ἱερεῦσί τε καὶ θυσίαις ἐξιλάσκεσθαι ᾤοντο δεῖν.

5 Οὕτως αὐτῶν ἡ ἀναισθησία κατευμεγεθοῦσα, τῷ ἀναισθήτῳ κατεδουλοῦτο ξύλῳ· ἔργον καὶ τοῦτο τῆς ἀπ' ἀρχῆς ἀνθρωποκτόνου χειρός· ὅς ἐπειδὴ τῆς μιᾶς ἀληθείας καὶ μόνης συμπαρακινηθῆναι παρεσκεύαζεν, μυρίαις λοιπὸν ἀπάταις, καὶ δεισιδαιμονίαις πολυτροπωτάταις ἐλυμαίνετο. Ἡ μὲν ὄυν εἰρημένη πόλις ἔκ τινος θεοβλαβείας πατροπαραδότου, καὶ ἀτόπου προλήψεως ξυλολατροῦσα, τῆς ἀληθινῆς οὕτω διημάρτανε θεογνωσίας· οὐκ ἔμελλε δὲ ἄρα ὑπὸ τῆς τοῦ Χριστοῦ προνοίας παράμελητήσεασθαι, οὐδ' εἰς τέλος αὐτῷ παροραθήσεσθαι· τὸ τίμιον δὲ τοῦτο, καὶ θεόφυτον εὐκαίρως ἐξανίοχει φυτόν· φυτὸν ζωῆς ἁγίας, καὶ ψυχῆς τελείας καὶ ἀληθείας Θεοῦ πλῆρες, κατα τοῦ τῆς πλάνης ἀνίστησι φυτοῦ.

animatum, viventem, intelligentem, cælesti Spiritus sensu, velut claro cælestique colore sature adeo imbutum ac collustratum, ut et ipse coronæ gloriæ, summi omnium regis plexæ capiti, pars eniteat. Hunc hodie, annua ejus sacraque memoria, in laudis argumentum ecclesiis propositum, sermonum floribus, quoad per facultatem licuerit, nos quoque coronemus; quodque martyrii sincere agones desudarit, beatum prædicantes, martyriique inde præmiis communicantes, cum illi lepidissimum reddemus debitum, tum Dei Ecclesiæ debitam nihilominus ædificationem, grato munere offeremus. AUCTORE NICETA PAPHLAGONE.

3 Illi patria quidem superna Sion, clara Sanctorum omnium mentiumque metropolis ac fidelis; verus autem pater, Deus: mater vero, gratia Spiritus; quæ sic per aquam denuo (seu mavis, superne) regeneratum subierit infuderitque naturalem in eo formam in eximiam, ac, quam pro naturæ rationibus nobiliorem demutans ad Deique veritatis agnitionem ac mensuram staturæ plenitudinis Christi provehens, ut probatissimum tandem Martyrem, ac spectatissimum Domino Athletam reddiderit. At ne terrena quidem patria ignobilis; nec obscuri exque plebis fæce Hyacintho parentes extitere: quin Amastris eum sustulit et educavit, clarisque ac nobilibus fidelibusque parentibus alens, nesciens pene patronum suum auctoremque ac principem protulit. *Patria S. Hyacinthi fuit Amastris,* E

4 Amastris nimirum, Paphlagoniæ (quin potius orbis fere totius) ocellus; ad quam circumvicini Scythæ tum qui Borealem maris Euxini plagam habitant tum qui ad Austrum positi sunt, velut ad commune concurrentes emporium, tum suas ipsi inferunt merces, tum ab ea recipiunt: Urbs scilicet media fere Orientis omnis ditionis Occidentisque constituta; nullius terra aut mari commeatus penuria laborans, cunctisque opportunis affluenter abundans; splendidisque ædificiis, civibusque olim illustrissimis usa, uno hoc (pietate scilicet in Deum ac religione) mortalibus propemodum omnibus inferior erat. Nam, quæso, illorum ignorantiæ seu superstitionis altitudinem, quanta foret, attendite: Non enim in hominum aliquorumve animalium similitudinem incorruptibilis Dei gloriam commutaverant; qua ratione Græcorum plures ac Ægyptiorum, dæmonibus cultum adhibebant: sed cuidam arbori, apud eos lotus *a* nuncupatæ, pulchræ aspectu, ut par est, grataque frondium compositione eluxurianti animum attendentes, supraque modum insipienti illecti animo, atque ejus victi pulchritudine, Deum ipsam vocitantes, sacerdotibus ministris hostiarumque religione placandam decreverant. *opulenta Paphlagoniæ civitas.* F *a*

5 Sic nimirum tamque immane auctus stupor sensusque omnis absentia, omnis sensus luce carenti arbori ipsos addicebat. Id vero etiam illius manus opus, qui a principio homicida est. Is nempe quod a veritate, quæ una solaque est, pariter secedere ac moveri præstiterat, innumeris deinceps erroribus diversissimique generis superstitionibus noxam inferebat. Quam itaque dicebam, civitas, dira quadam adverso Numine stoliditate, majorum traditione accepta, absurdaque inolito vulgi errore opinione, cultum arbori adhibens, a vera Dei cognitione ac fide eum in modum aberrabat. Non tamen futurum erat ut eam Christi providentia negligeret, vel in finem contemneret. Quin nobilem hanc Deoque satam opportune producit stirpem. Nempe stirpem vitæ sanctæ, perfectique animi ac Dei veritatis plenam, adversus erroris stirpem exsuscitat. *quæ insano errore arborem pro Deo colebat.*

6 Sancti

AUCTORE NICETA PAPHLAGONE.

Omissis aliis, quæ S. Hyacinthus ante senium gessit, *b*

6 Sancti igitur Hyacinthi ipsam primo quasi germine editionem, ei scilicet ab infantia omnipotentis Spiritus afflatum comitem ac operationem, mirabiliumque operum exhibitionem *b* (novit enim Sapientia ex ipsa vulva qui illius necessarii sint sanctificare; ac quos suis agiles muniis fore præscivit ac industrios, liberoque animi nutu ac voluntate virtutem electuros, mox ac prima formatione in rerum naturam subierint, eorum certis quibusdam indiciis quandoque futuram gloriam designare ac claritatem) hæc, velut quæ non humanæ voluntatis, sed Dei liquido opera existant, illis referenda relinquemus *c*, quibus animo constitutum, ut ejus rerum texant historiam: Quod vero non solum divinæ gratiæ, sed et victricis palam Athletæ animi voluntatis fructus est, illiusque dignum fidei opus, hoc mihi visum ut laudibus celebrem, admirandisque sacri Martyris fortis animi gestis factisque Martyrum amantes animos mentesque laute excipiam. Quod enim prima alteraque ætate, ac deinceps omni pietate ac justitiæ operibus peracta, Vir beatus ad seniles jam annos evaserat; quanto ille longa ætate B omnem Dei fidem virtutemque præstabat, tanto magis scelestissimi cives, eorum more qui olim increduli fuerant, ejus, quam dicebam, arboris cultu mœchabantur. Atque hi quidem illi, ut Deo sacrificantes, hostias offerebant; ipse vero pietatis zelo succensus, quotidieque, ut sic loquar, homines conveniens, officii monebat et adhortabatur.

c

6 Τὴν μὲν οὖν ἐξ ἀρχῆς Ὑακίνθου τοῦ ἁγίου D βλάστην, ἤτοι τὴν νηπιόθεν αὐτῷ παρεπομένην τοῦ πανσθενοῦς Πνεύματος ἐνέργειαν, καὶ τῶν θαυμασίων τὴν ἐπίδειξιν· οἶδεν γὰρ ἡ Σοφία ἀπὸ μήτρας αὐτῆς ἁγιάζειν τοὺς οἰκείους καὶ οὓς προέγνω δεξιοὺς αὐτῇ χρηματίζοντας, καὶ γνώμης ἑκουσιότητι τὸ βέλτιον αἱρετίσοντας, τούτοις ἅμα τῇ πρώτῃ συνεισιέναι πλάσει, καὶ τεκμηρίοις τισιν ἔστιν ὅτε τὴν μέλλουσαν παρασημαίνειν δόξαν· ταῦτα μὲν, ὡς οὐκ ἀνθρωπίνης προαιρέσεως, Θεοῦ δὲ καθαρῶς ἔργα καθεστῶτα, τοῖς ἱστορεῖν ἐθέλουσι παρήσομεν· ὃ δὲ, οὐκέτι μόνης τῆς χάριτος, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀθλοφορικῆς ὁμολογουμένως προθέσεως καρπὸς, καὶ ἔργον τῆς ἐκείνου πίστεως ἄξιον, τοῦτό μοι δοκοῦν, ἐπαινετέον εἶναι, καὶ ταῖς θαυμασίαις τοῦ ἱεροῦ Μάρτυρος ἀνδραγαθίαις, τὰς φιλομάρτυρας διανοίας καὶ ψυχὰς ἑστιᾷν. Ἐπεὶ γὰρ τὴν πρώτην τε καὶ δευτέραν ἡλικίαν, καὶ καθεξῆς ὁ Μακάριος ἐν εὐσεβείᾳ τε πάσῃ καὶ ἔργοις τετελεκὼς δικαιοσύνης, εἰς πρεσβυτικὴν ἤδη μεθηλικίωσιν κατήντησεν, ὅσῳ μὲν αὐτός τῷ μακρῷ χρόνῳ πρὸς πᾶσαν Θεοῦ πίστιν κατωρθοῦτο καὶ ἀρετὴν, τοσούτῳ μᾶλλον οἱ παρανομώτατοι τῆς πόλεως κατὰ τοὺς πάλαι ἀπειθεῖς, E τῷ εἰρημένῳ ἐμοιχῶντο ξύλῳ· καὶ αὐτοὶ μὲν ὡς Θεῷ, τούτῳ τὰς λατρείας ἐκτόπως θυσιάζοντες ἀνέφερον· αὐτὸς δὲ, τῷ ζήλῳ τῆς εὐσεβείας πυρπολούμενος, καὶ καθ' ἑκάστην, ὡς εἰπεῖν, αὐτοῖς προσιὼν, παρηγγύα καὶ παρήγγελλεν.

refertur illius oratio,

7 Viri cives, aiebat, quotquot estis, quibus sanæ aliquid rationis inest. Rogo vos, recto judicio ac consulto animo, his, quæ a vobis geruntur, mentem attendite. Scitote quæso ac intelligite, quem colatis, cuive, ut Deo, venerationem adhibeatis. Etenim arbor hæc, ut et reliquum stirpium genus atque arborum, præstantioris quidem naturæ est quam corpora inanima, ea scilicet ratione quod nutriendi facultate atque augendi prædita est: deterior vero cunctis animantibus, quod omnis sensu omnisque gradiendi motus expers est. Uti sane etiam, brutæ quæque animantes, qua sensus motuque præditæ sunt, stirpibus plantisque probatæ nobiliores, ipsæ, quod ratione deficiuntur, homine natura existunt inferiores. Non enim ejusdem C generis est quidquid in rebus creatum est, eodemque ac pari ordine, creatrice Sapientia cuncta constituta sunt, sed concinnissima omnia serie aliaque aliis cohærentia, ab eo quod præstantius est, ad id quod deterius est; atque ab eo quod simile ac deiforme, ad id quod procul a Deo ac dissimile, producta illi creatio est; ne immediate extremis operibus, sed pluribus mediis interjectis, convenientem providentiam curamque adhibere intelligatur; hisque adeo qui ab inferioribus ad ipsam per contemplationem velint assurgere, quasi gradus quosdam substernere, ascensionesque in Deum dirigere.

7 Ἄνδρες πολῖται, λέγων, ὅσοις ἔμφρων ἐνέστακται λογισμός. δέομαι ὑμῶν ὀρθῇ κρίσει καὶ διανοίᾳ λελογισμένῃ κεχρημένοι, τοῖς ὑφ' ὑμῶν πραττομένοις ἐπιστήσατε τὸν νοῦν· γνῶτε δὴ καὶ σύνετε τίνι λατρεύετε· καὶ τίνι τὸ σέβας, ὡς Θεῷ, προσαναφέρετε· τὸ ξύλον γὰρ τοῦτο, καθὰ καὶ τὰ λοιπὰ δένδρα πάντα, τῶν μὲν ἀψύχων σωμάτων καλλίονός ἐστι φύσεως, καθ' ὃ θρεπτικῆς ὅλως καὶ αὐξητικῆς δυνάμεως εὐμοιρεῖ· χεῖρον δὲ ζώων πάντων, ὅτι πάσης αἰσθήσεως καὶ πάσης μεταβατικῆς κινήσεως ἀμοιρεῖ ὥσπερ δὴ καὶ τῶν ἀλόγων ἕκαστα ζώων, τῷ μὲν αἰσθήσεως, ἢ κινήσεως μετέχειν, τῶν φυτῶν τελειότερα δεικνύμενα· τῷ ἄμοιρα δὲ λόγου καθεστάναι, τοῦ ἀνθρώπου κατὰ φύσιν χρηματίζει χείρω· καὶ γὰρ οὐχ' ὁμοειδὴς ἡ κτίσις, οὐδ' ὁμοταγῶς τὰ πάντα τῇ F δημιουργῷ σοφίᾳ διατέτακται· ἀλλ' ἐν παναρμονίῳ τὰ πάντα συστοιχίᾳ καὶ ἀκολουθίᾳ, ἀπὸ τοῦ βελτίονος ἐπὶ τὸ ἧσσον, καὶ ἀπὸ τοῦ ὁμοίου καὶ θεοειδοῦς, ἐπὶ τὸ πόῤῥω Θεοῦ καὶ ἀνόμοιον πράγει τὴν δημιουργίαν· ὡς ἂν μὴ ἀμέσως τοῖς τῶν ἔργων ἐσχάτοις, διὰ πολλῶν δὲ τῶν ἐν μέσῳ θεωρηθῇ, τὰς πρέπουσας προνοίας ἐπιβάλλουσα· τοῖς κάτωθεν δὲ πρὸς αὐτοῦ ἀνιέναι τὴν σοφίαν διὰ θεωρίας βουλομένοις, διά τινας ἀναβαθμοὺς προϋποβάλλουσα, καὶ τούτοις τὰς πρὸς Θεὸν ἀναβάσεις κατευθύνουσα.

in qua cives Amastrenos variis argumentis *d*

8 Quamobrem ante omnem creaturam, in aspectum cadentem, increato universorum auctore, divinæ mentes *d* in rerum naturam productæ sunt: mentes scilicet incorporeæ, deiformes, luciformes, ut sic liceat loqui, virtutis partibus cum intemporaliter producente similitudinem nactæ ac necessitudinem secunda a mente origine, ratio conditur ac procreatur, ipsa hominis essentiæ comes fabricata: quæ quidem ejus qui formavit imaginem quamdam ac similitudinem ipsa reti-

8 Διὰ τοῦτο πρῶτοι μὲν ἁπάσης τῆς ὁρατῆς κτίσεως ὑπὸ τῆς ἀκτίστου τῶν ὅλων αἰτίας, οἱ θεῖοι νόες εἰς τὸ εἶναι καταβέβληνται· νόες ἀσώματοι, θεοειδεῖς, φωτοειδεῖς, ἐν ἀρετῇ πρὸς τὸν ἀχρόνως αὐτοὺς ὑφιστῶντα τὴν ὁμοιότητα κεκτημένοι καὶ οἰκείωσιν· μετὰ τὸν νοῦν δημιουργεῖται λόγος, τῇ τοῦ ἀνθρώπου συγκατασκευαζόμενος οὐσίᾳ· σώζων μὲν καὶ αὐτὸς εἰκόνα τινὰ καὶ ὁμοίωσιν τοῦ πλάσαντος, ἧττον δὲ, ἢ κατά τὴν τῶν νόων ἰδέαν, διὰ τὴν

A τὴν τοῦ χείρονος μετοχήν · ματὰ τὸν λόγον δὲ, αἴσθησις, ἣ τῶν ἀλογων ζώων τὸ ἰδιαίτατον, ὥσπερ ἐστὶ τῶν λογικῶν ὁ λόγος· ματὰ τὴν αἴσθησιν δὲ, ἡ ἁπλῆ ἡ φυτικὴ τέτακται ζωὴ, πάσης ὑφειμένη τῆς κτίσεως · μόνης δὲ τῆς ἀψύχου πάντῃ καὶ ὑλικῆς, ὃν εἰπόντες προέφθημεν τρόπον, καθυπερτεροῦσα.

9 Εἰ οὖν οὔτ' αἴσθησιν, οὔτε λόγον, οὔτε δὲ νοῦν, τὰ τῶν ποιημάτων κάλλιστα, τιμητέον ὡς θεούς · ποιήματα γὰρ, καὶ πάντα πρὸς δόξαν ἰδίαν ὁ τῶν πάντων παραγωγεὺς κατεσκευάσατο, πῶς τὰ μακρῷ τὴν φύσιν ἐκείνων ἀτιμότερα νομισθείησαν θεοί; πῶς δὲ τὸν λωτὸν τουτονὶ, γῆς ὄντα καρπὸν, καὶ ἐφ' ἑνὸς μὲν ἐῤῥιζωμένον τόπου, ἀνέμοις δὲ πᾶσι δονούμενον, πυρί τε καὶ σιδήρῳ κατὰ φύσιν ὑποκείμενον · πῶς τοῦτον Θεὸν, ὦ ἄδρες, οὐ φρίσσετε καλεῖν, θυσίαις τε καὶ σπονδαῖς τὴν ἀναίσθητον φύσιν οὐκ αἰχυνέσθε τιμᾷν; εἰ γὰρ Θεὸς τοῦτο, καὶ πᾶν ἄρα ἄλσος Θεὸς ἂν εἴη · πάντα γάρ ἐστι φύσεως μιᾶς · ξύλα γάρ · εἰ δὲ τὰ ξύλα θεοὶ, πῶς ταῦτα ταῖς ἀξίναις ἐκκόπτοντες, καὶ τῷ πυρὶ τροφὴν
B ὑποβάλλοντες, οὐ κινδυνεύετε θεομαχεῖν; πολλῆς τοῦτο γέμει ἀλογίας, ὑπερβαλλούσης ἀναισθησίας βραχεῖ καὶ ὑποσάθρῳ ξύλῳ, καὶ ἀνοήτῳ πάντα προσανέχειν τε καὶ λατρεύειν ὡς Θεῷ · εἰ γὰρ οἱ τὸν οὐρανὸν αὐτὸν, καὶ τὸν ἥλιον, σελήνην τε καὶ ἀστέρων τινὰς θεοποιήσαντες, τά τε λοιπὰ στοιχεῖα, καὶ αὐτὸ σεβαζόμενοι τὸ πῦρ, ἔνδικον ἀπειλήφασι τὴν ὀργὴν, ὅτι οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν ἢ ηὐχαρίστησαν τὸν τῶν ἁπάντων παραγωγέα τε καὶ συνοχέα, ἀλλὰ, τοῖς αὐτῶν λογισμοῖς ματαιωθέντες, ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τον κτίσαντα · πολλῷ μᾶλλον ὑμεῖς, οἱ τὸν τῆς κτίσεως ὅλης φυτουργὸν ἀφέντες, καὶ τῷ χαμαιζήλῳ τουτῳ φυτῷ τὸ φοβερὸν ὄνομα τοῦ Θεοῦ καταψευδόμενοι, δικαίαν ἐφ' ἑαυτοὺς ἕλκετε τοῦ καταφρονουμένου τὴν ἀπειλήν.

10 Εἴ τι οὖν ἐμοὶ πείθεσθε, ὦ ἄνδρες πολῖται, εἴ τι μέλει τῆς οἰκείας σωτηρίας ὑμῖν, τὸ μὲν δένδρον τοῦτο ἐκκόψατε, καὶ εἰς πῦρ βάλλετε, ὅτι μηδ' εἰς ἄλλό τι μὲν χρησιμένει ὑμιν· αὐτοὶ δὲ πᾶσαν τῶν ὁρωμένων τὴν κτίσιν ταῖς διανοίαις ὑπερβαίνοντες, πᾶσαν ἡμῶν ἕνεκεν γεγενημένην εἰδότες, καὶ
C χεῖρω του ἀνθρώπου κατὰ φύσιν οὖσαν, ἀλλὰ καὶ τὴν ὑπὲρ ἡμᾶς ποίησιν τῶν νοερῶν καὶ ἁγίων ἀφέντες ουσιῶν· μᾶλλον δὲ δι αὐτῶν χειραγωγούμενοι πρὸς τὴν γνῶσιν τοῦ ὄντως ὄντος κα ευθυνώμεθα Θεοῦ · ὃς μόνος ὢν ἀεὶ, καὶ ἀεὶ τὸν μονογενῆ Λόγον ἐκ τῆς ἰδιας οὐσίας ἀπαυγάζων, ὥσπερ ὁ ἥλιος τὸ φῶς, καὶ ἀεὶ Πνεῦμα ἅγιον σύμφυτον, τοῦ οἰκείου στόματος ἀμερίστως προϊέμενος. Οὗτος τῷ Λόγῳ μὲν αὐτοῦ ἐστερέωσεν τοὺς οὐρανοὺς, τῷ Πνεύματι δὲ, πᾶσαν τὴν δύναμιν τῶν ὑπ' αὐτοῦ κτιζομένων καταρτίζεται. Οὗτος τὸν ἄνθρωπον πρῶτον κατ' εἰκόνα ἰδίαν ποιήσας καὶ ὁμοίωσιν, καὶ ἐν τῷ παραδείσῳ τεθεικὼς, καὶ ἐντολὴν δεδωκὼς, ἐπειδὴ τῇ παραβάσει τῆς ἐντολῆς φθορὰν κατακέκριται καὶ θάνατον, οὐκ εἰσ τέλος αὐτὸν ὑπερεῖδεν ἀπολλύμενον, ἀλλὰ λόγῳ καὶ νόμῳ καὶ προφήταις προπαιδαγωγήσας, ὕστερον καὶ αὐτὸν ἔδωκεν τὸν Υἱὸν ὑπὲρ ἡμῶν, ἐξ ἀπειρογάμου κόρης γεννώμενον, ἀνθρωπιζόμενον, βαπτιζόμενον, πειραζόμενον, σταυρούμενον, θαπτόμενον, τριήμερον ἀνιστάμενον, πρὸς οὐρανοὺς ἀναλαμβανομενον · καὶ αὖθις ἐκεῖθεν ἥξειν προσδεχόμενον, καὶ σύμπαν τὸ πλάσμα

AUCTORE NICETA PAPHLAGONE.

neat; longe tamen quam pro mentium ratione inferiorem, ob ejus commercium quod deterius est. Post rationem autem, sensus, brutarum animantium peculiarissimum munus atque dos, uti ratio, eorum, qui illa præditi sunt. A sensu sequitur vita simplex, nempe vegetabilis, infimo omnis creaturæ gradu; sic nimirum ut soli prorsus inanimæ terrenæque, ad eum quem superius dicebamus modum, præcellat.

a superstitiosa arboris veneratione revocare,

9 Cum igitur nec sensum nec rationem, ut neque mentem, creatorum pulcherrima, ut deos colere liceat: quippe creaturas, ac quæ omnia universorum productor in suam gloriam fabricatus sit, quinam fiat, ut quæ his longe natura ignobiliora sunt, dii existimentur? Quomodo autem lotum hanc, terræ scilicet germen, atque uno quidem radicatam loco, omni vero ventorum flatui expositam, ignique ac ferro natura obnoxiam, quomodo, inquam, eam Deum vocare, o viri, non perhorrescitis; nec vos pudet victimis ac libamentis omni destitutam sensu naturam venerari? Hæc enim si Deus est, erit profecto et saltus omnis Deus: cuncta enim unius naturæ sunt; arbores scilicet ac ligna. Quod si arbores dii sunt, quomodo securibus excidentes ignique pabulum subjicien- E
tes, non impietatis, et ut Dei adversarii audiatis, aleam subitis? Res stultitiæ plena; profusi stuporis, exiguæ fragilique arbori ac prorsus inutili attendere animum, et ut Deo cultum illi adhibere. Si enim qui cælum ipsum, solemque et lunam ac stellarum quasdam seu siderum deitate donarunt; reliquaque elementa ac ignem ipsum venerantes, justam iram receperunt, quod non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ejus cultu impensi qui omnia produxit conservatque; sed evanescentes in cogitationibus suis, coluerunt creaturam magis quam Creatorem; longe vos potiori ratione, dum eo omisso, qui creaturæ omnis sator est, humili huic stirpi tremendum Dei nomen falso adscribitis, justam in vosmetipsos, ejus, qui a vobis contemnitur, indignationem trahitis.

et ad veri Dei cultum inducere,

10 Si quid igitur mihi creditis, viri cives, si qua vobis cura salutis est, arborem hanc succidite et in ignem mittite, quod nulla alia ejus vobis utilitas sit *e*; ipsique rerum omnium oculis subjectarum creatura mentium cogitatu superata, quam omnem nostri causa non lateat editam, naturaque deteriorem quam pro hominis F
præstantia; sed et superiorum nobis mentium, sanctarumque substantiarum omissa factura, seu potius iis quasi manu ducentibus, ad ejus, qui vere Deus est, notitiam dirigamur: qui nempe semper ipse est, semperque unigenitum Verbum velut sol lucem, ex substantia sua ac splendorem edit; semperque consitum (ut ita loquar) ac cognatum Spiritum sanctum, ex suo ore indivise profert. Hic Verbo suo firmavit cælos, vimque omnem rerum abs se conditarum Spiritu perficit atque absolvit. Hic primum hominem, ad imaginem suam et similitudinem conditum, atque in paradiso positum, cum mandati transgressione corruptioni mortique addictus esset, perditumque non prorsus despexit; sed ratione legeque ac Prophetis primum erudiens, ipsum quoque demum pro nobis Filium dedit, puella innupta natum, factum hominem, aquis intinctum, tentatum, cruci affixum, sepultum, tertia suscitatum die, atque in cælos assumptum: quique inde rursus venturus expectetur, ac quidquid formatum est (humanum scilicet genus omne) suo tribunali adhibiturus: unicuique

AUCTORE NICETA PAPH. LAGONE.

unicuique denique pro eo ac gesserit, redditurus. Hunc vos, amici, ut Deum agnoscatis, admoneo. Huic ut cultum adhibeatis, eumque spiritalibus hostiis placare studeatis, qui in Patre et Filio et Spiritu sancto intelligitur ac adoratur; solum justum ac viventem Deum, adhortor: qui nimirum æterna supplicia ignemque illis præparavit, qui, eo spreto, creaturam deificant: qui denique regnum cælorum, vitamque æternam ac gloriam, credentibus in ipsum pollicitus est, qui ex aqua et Spiritu renati sint.

frustra conabatur.

11 Talibus Hyacinthus hortamentis; talibus frequens jugiterque admonitionibus, si qui adirent, increpando, arguendo, obsecrando (nullis scilicet non rationibus modisque satagendo, ut ab insulsa dementissimaque superstitione eos liberaret) nihil tamen amplius proficiebat. Inconsultus enim audaxque ac temerarius populus, pravæ deditus consuetudini, pessimæque mancipatus occupatæ opinioni, vixdum expugnari poterat, sensuque omni melioris frugis arripiendæ carebat. Hincque adeo alii, quo stupore perciti erant, aures aggravantes, ac dorsum insanum dantes *f*, uti Scripturæ verbis expressum est,
B velut temere delirantem, eum non sustinebant: alii vero etiam furiis amarulentisque æmulationibus efferati, injuriarum vim innumeram probrorumque illi rependebant; ac modo quidem naso suspendebant *g*, modo autem exprobrabant; quandoque vero etiam minaciter impetuque ruentes, dentibus in eum frendebant. Quid igitur Dei homo? Non satis arbitratur ut sua dumtaxat dispiciat, quomodo recte se habeant, res vere aliorum se male habentes despiciat: neque ut silentio pro eis lugeat, atque ad Dominum gemitus trahat, libereque pro veritate agere ac loqui pertimescat: nec ut sermone dumtaxat ac doctrinis, non vero etiam opere insipientium conetur impietatem infringere ac inhibere, optimæ atque perfectæ mentis opus esse reputat.

παραστήσειν ἑαυτῷ, καὶ ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ D
τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ. Τοῦτον ὑμᾶς, ὦ φίλοι, Θεὸν εἰδέναι παρεγγυῶ· τοῦτον σέβεσθαι, τοῦτον θυσίαις πνευματικαῖς ἱλεοῦσθαι παραινῶ, τὸν ἐν Πατρὶ καὶ Υἱῷ, καὶ ἁγίῳ Πνεύματι θεορούμενον καὶ προσκυνούμενον· τὸν μόνον δίκαιον καὶ ζῶντα Θεόν· ὃς, ἀέναον κόλασιν καὶ πῦρ ἡτοίμασεν ἄσβεστον, τοῖς αὐτὸν μὲν ἀθετοῦσι τὴν κτίσιν δὲ θεοποιοῦσιν· ὃς οὐρανῶν βασιλείαν, ζωήν τε καὶ δόξαν αἰώνιον τοῖς πιστεύουσιν ἐπ' αὐτὸν, δι ὕδατός τε καὶ πνεύματος ἀναγεννωμένοις, ἀπηγγείλατο.

11 Τοιαύταις ὁ θεῖος Ὑάκινθος παραγγελίαις, τοιαύταις ἀεὶ παραινέσεσιν, οὐκ ἀνιεὶ τοὺς ἐγγίζοντας αὐτῷ νουθετῶν, ἐλέγχων, παρακαλῶν, πᾶσι λόγοις καὶ τρόποις τῆς ἐκ τόπου δεισιδαιμονίας αὐτοὺς ταύτης ἀπαλλάττειν προθυμούμενος. ἤνυεν δὲ πλέον οὐδὲν· δῆμος γὰρ ἀλόγιστος καὶ θρασὺς, συνηθείαις κακαῖς καὶ πονηροτάταις προλήψεσι δεδουλωμένος· δυσαγώνιστός τε ἔτι, καὶ τῆς ἐπὶ τὸ βέλτιον ἀνεπαίσθητος ἐπιστροφῆς· ὅθεν οἱ μὲν ἀναισθησίᾳ τὰ ὦτα βαρύνοντεσ, καὶ νῶτον διδόντες παραφρονοῦντα, κατὰ τὴν Γραφὴν, ὡς εἰκῆ ληροῦντος οὐκ ἠνείχοντο· οἱ δὲ καὶ μανίαις καὶ ζήλοις πικροῖς οἰστρηλατούμενοι, ὕβρεσι E
τε τοῦτον μυρίαις ἠμείβοντο καὶ ἀτιμίαις· καὶ ποτε μὲν χλευάζοντες, ποτὲ δὲ ὀνειδίζοντες· ἔστι δ' ὅτε καὶ ἀπειλοῦντες αὐτῷ καὶ συνεπιτιθέμενοι, ἔβρυχον τοὺς ὀδόντας ἐπ' αὐτόν. Τί οὖν ὁ ἄνθρωπος τοῦ Θεοῦ; οὐκ ἄυταρκες οἴεται τὸ καθ' ἑαυτὸν μόνον διορᾶν, ὅπως ἂν ἔχοι καλῶς, τῶν ἄλλων δὲ κακῶς ἐχόντων ὑπερορᾶν· οὐδὲ θρηνεῖν μὲν ὑπὲρ αὐτῶν ἡσυχῇ, καὶ ποτνιᾶσθαι πρὸς τὸν Κύριον, παῤῥησιάζεσθαι δὲ ὑπὲρ ἀληθείας ὑποστέλλεσθαι. Οὐδὲ λόγῳ μὲν καὶ διδασκαλίαις μόνον, ἔργῳ δὲ μὴ ἀνακόπτειν τῶν ἀφρονευομένων πειρᾶσθαι τὴν δυσσέβειαν, ἀρίστης εἶναι καὶ τελείας ἔργον ἡγεῖται διανοίας

ANNOTATA.

a *In Commentario prævio num.* 2 *dixi hanc arborem alibi ulmum appellari. Est autem lotus arbor Afris familiaris, quæ profert fructus adeo gratos, ut advenis incutiat patriæ oblivionem. Hinc natum proverbium* λωτοῦ ἔφαγες *id est* lotum gustasti. *Hinc* lotophagi *vocantur quidam Africæ populi, qui ejus fructu vesci dicuntur. De illa meminit Homerus, Ovidius, Plinius aliique.*

C b *Forte hic Nicetas vult alludere ad miraculum, quod* S. Hyacinthus *in pueritia patravit, uti* F *in illius elogio antea vidimus.*

c *Hinc patet, Nicetam Paphlagonem tantum voluisse martyrium* S. Hyacinthi *laudibus extollere, sive quod de gestis ejus ante martyrium pauca nosset, sive quod hæc celebrassent alii scriptores, quorum notitia ad nos non pervenit.*

d *Puto hic per* divinas mentes *intelligi cælestes spiritus, quos vulgo angelos nominamus.*

e *Debuit hæc lotus fuisse fructibus destituta, cum non nisi ad comburendum utilis dicatur. Idem clarius exprimitur num.* 16.

f *Indicare hic voluit Nicetas Zachariam cap.* VII ℣ 11, *ubi versio vulgatæ habet* scapulam recedentem; *quod Combefisius vertit* dorsum insanum, *contendens, quod verbum Græcum* παραφρονεῖν *proprie significet* insanire.

g Χλευάζειν *est* irridere, *quod Combefisius vertit* naso suspendere, *id proprie est* vafre ac subdole irridere, *quod Græci simplici verbo dicunt* μυκτηρίζειν. *Phrasis hæc satis communis est apud veteres, uti inter alios patet ex Horatio in sermonibus, ubi ait:* naso suspendis adunco. *Plura de hac expressione videri possunt apud Paulum Manutium in Adagiis.*

CAPUT

AUCTORE NICETA PAPHLAGONE.

A

CAPUT II. *Sancti Martyris zelus in excidenda arbore, libera facti confessio, cruciatus, mors, tumulus, et auctoris epilogus.*

Ἀλλὰ τοῖς λόγοις, ὡς εἴρηται, πρότερον ἐγχειρούμενος, ἐπεὶ μὴ οἷός τ' ἦν ἐν τούτοις τῆς πλάνης ἐκείνης ἐπιοχεῖν, ἑπομένως λοιπὸν τὴν ἐπι τῶν ἔργων δύναμιν ἐκδείκνυται, καὶ τὰς τῆς διανοίας ὀσφῦς ἀναζωσάμενος, καὶ τὴν ἀπὸ του Ἰησοῦ Χριστοῦ τῇ προσευχῇ δύναμιν ἐπισπασάμενος, εἶτα πέλεκυν ὀξὺν λαβὼν τῇ χειρὶ, καὶ θερινῆς μεσημβρίας πάντας διαλαθὼν, πρόῤῥιζον ἐκκόπτει τὸ τῆς πλάνης φυτὸν· Ὢ ψυχῆς ἀνδρείας ἀνδρείῳ χρωμένης σώματι. Ὢ θερμότητος πίστεως, τὸ μὲν τῆς ἀσεβείας ξύλον κεραυνοῦ τρόπον ἐμπιμπρώσης, ὥσπερ δὲ καιούσης καὶ κατεσθιούσης τοὺς ἀσεβεῖς. Ὢ τόλμης ψυχῆς καρτερᾶς καὶ σταθερᾶς, καὶ διανοίας συνετῆς πλέον ἢ κατὰ ἀνθρώπινον νοῦν, περὶ τὴν αὐτὴν πρᾶξιν καὶ μίαν πλείω καθορθούσης καὶ ὁμοῦ τότε τῆς ἀπάτης ὄργανον ἐξαναιρούσης, καὶ τοὺς ἀνιάτως τούτῳ προσπάοχοντας καταιοχυνούσης· πολλοὺς δὲ
B
διορθούσης, οἷς μὴ κατὰ βάθος τὰ τῆς πλανήσεως ἐντέτηκε· πρὸς τὴν ἀλήθειαν δὲ ποδηγούσης, καὶ τὸν οἰκεῖον δοξαζούσης Θεόν· ναὶ μὴν δια ταῦτα, καὶ λαμπροτάτῳ καταγλαϊζομένης μαρτυρίῳ.

13 Ἐπεὶ γὰρ ἧκον οἱ ἱερεῖς τὴν νενομισμένην τῷ δένδρῳ θυσίαν ἀποδώσοντες, ἐκκοπὲν δὲ τοῦτο, καὶ κατὰ γῆς ἀτίμως εἶδον καταῤῥαγὲν, πρῶτον μὲν ἀπηνεοῦντο, θάμβει πολλῷ, κατὰ τὸ εἰκὸς, περιεχόμενοι· οἶδεν γὰρ τὸ παρὰ προσδοκίαν συμπίπτον ἐκπλήσσειν τὴν ψυχὴν, καὶ ἀγαθὸν μὲν ὀφθὲν, ἱλαρότητος καὶ εὐθυμίας ἀναπιμπλάν· κακὸν δὲ, σκυθρωπότητος, καὶ δυσθυμίας· καὶ εἰ μὲν ἐξ ἀνευθύνου τοῦτο συμβέβηκεν αἰτίας, δεινὴν κατὰ τὸ εἰκὸς ἐνσκήπτειν τῇ ψυχῇ τὴν ὀδύνην, ἄχρις ἂν ἐπινοίαις τισὶ παρηγορηθῇ· περιφανοῦς δὲ του αἰτίου, καὶ ὑπευθύνου καθεστῶτος, εἰς ὀργὴν ἐξαπίνης τὰ τῆς λύπης μετεσκεύασται, οὐ πρότερον ἀνιεῖσαν τοὺς ὀργιζομένους, πρὶν ἢ τῷ λελυπηκότι τὴν τῆς ἀντιλυπήσεως ἀγίαν ἀντεπάγωσι ποινήν.

C

14 Τοῦτο κᾀκεῖνοι παθόντες, πρῶτον μὲν τὸν αἴτιον αὐτοῖς ταύτης ἀνεσκοποῦντο τῆς συμφορᾶς· ἔπειτα τῶν Ἰακίνθου κατὰ μικρὸν εἰς ἀνάμνησιν ἥκοντες νουθεσιῶν· καὶ κατανενοηκότες ὡς οὐδενὸς ἂν εἴη ἄλλου τὸ ἔργον, ἢ τοῦ καὶ τῶν θυσιῶν τὴν μετάληψιν ὡς ἐναγῆ μυσαττομένου, καὶ τοῖς θυσιάζουσιν ἐπιτιμῶντος ἢ προσωχθηκότος, ὁρμῶσι μὲν ὁμόσε κατ' αὐτοῦ πάντες· συῶν δὲ τοόπον τοὺς ὀδόντας θήγοντες, καὶ πᾶν μέλος του σώματος αὐτῶν, καὶ πᾶν τὸ παρατυχὸν ἑκάστῳ ὅπλον κατὰ του Ἁγίου ποιούμενοι. Ὢ πῶς ἂν καιρίως τὴν φονικὴν ἐκείνην ἐπίθεσιν ἐξηγησαίμην· τῇ γλώττῃ μὲν τοῦτον ἱερόσυλον, μιαιφόνον, ἄθεον, μᾶλλον δὲ, θεοκτόνον ἐλοιδοροῦντο· τῷ στόματι δὲ κατέπτυον· καὶ τοῖς ποσὶ μὲν λὰξ· ταῖς χερσὶ δὲ πὺξ ἐναλλόμενοι, εἷλκον τῶν τριχῶν· ἐσπάρασσον κατὰ γῆς, τοῖς ξύλοις παίοντες, τοῖς λίθοις βάλλοντες, καὶ οὕτω παντοδαπῶς αὐτὸν αἰκιστάμενοι, τῷ τῆς πόλεως ἡγεμόνι παρεστήσαντο.

15 Εἱστήκει δὲ ὁ Μάρτυς, ὅλον νοερῶς ἐνδεδυμένος Χριστὸν, ὅλην πρὸς αὐτὸν ἀνατείνων του νοῦ τὴν ῥοπήν· ἐξ ἐναντίας δὲ τούτου ἄνδρες

Hyacinthus iam arborem excidit,

Sed cum prius, uti dicebam, verbis incubuisset, nec illorum vi ac usu, ab errore illo inhibere posset; consequenter jam, quæ in operibus posita est, virtutem ostendit: succinctusque lumbos mentis, atque a Jesu Christo precum instantia corrogata virtute, tum manu, acuta securi prehensa, clam omnibus, æstivo sole ac meridie, erroris stirpem radicitus exscindit. O fortem animum, robusto corpore usum! O fervorem fidei, fulminis instar, impietatis succendentem arborem, ac velut igne impios comburentem ac absorbentem! O constantis firmique animi audaciam, mentemque quam pro humana ratione solertiorem, una eademque actione tanta præstantem; ac tum simul erroris organum tollentem, eosque, qui immedicabiliter illi affecti erant, confundentem, nec E
non plures, quibus error non sic alte inoleverat, emendantem, ad veritatem, ducem, Deoque suo gloriam rependentem: quin et horum demum præmio, clarissimi etiam martyrii laurea decorantem.

quo facto commotus populus;

13 Ubi igitur sacerdotes, constitutum arbori sacrificium reddituri, advenissent, excisamque ac humi propudiose illisam conspexissent; primum quidem attoniti hærebant, longe maximo stupore, ut par est, perciti. Sic enim comparatum, ut quod præter omnem expectationem accidit, animum stupore afficiat atque percellat: ac siquidem illud bonum extiterit, hilaritatis impleat ac jucundissime habeat; sin vero malum, mœstitia animique dolore repleat. Ac si quidem eo auctore evenerit, qui nulli ipse noxæ obnoxius sit, dirum merito cruciatum animo infert, donec quibusdam eum rationibus deliniri contigerit. Detecto autem auctore, eoque noxæ obnoxio, quiquid doloris erat animique cruciatus derepente in iram furoremque transit, non prius liberos sinens quos incesserit, quin illi, qui injuriam fecit, quanta pro facinoris merito videatur, vindictam pœnamque rependerint. F

in eum tamquam facinoris auctorem furiose irruit;

14 Hoc et illis cum ita evenisset, primum quidem quis tantæ eis cladis auctor extitisset, animis exquirebant. Tum paulatim animo recolentes quanta Hyacinthus hortatus esset ac increpasset, secumque cogitantes, nullius plane alterius id opus esse, quam ejus, qui et hostiarum perceptionem ut sceleratam abominaretur, et in eos, qui offerrent, etiam atque etiam inveheretur, verbisque deterreret; uno omnes in eum irruunt impetu; suumque more dentes acuunt, ac quodvis tandem corporis membrum; quidquid denique cuivis occurreret, arma adversus Sanctum arripiunt. O quomodo opportune sanguinariam illam impressionem narraverim! lingua sacrilegum, cruentum, impium (quin potius, deicidam) maledicto jactabant: ore despuebant: calcibus, pugnis insilientes, crinibus trahebant: humi distrahebant, cædentes lignis ac lapidibus: sicque injuriarum omni genere atque verberum exsatiati, civitatis præsidi *a* cum adhibuerunt.

a

captumque præsidi sistit et accusat.

15 Stabat itaque Sanctus, totum mente Christum indutus, omni in eum intenta mentis acie. Ex adverso vero stantes viri sanguinum ac dolosi, fortiter

AUCTORE NICETA PAPHLAGONE.

fortiter accusabant. Nobis, aiebant, præses, una ob oculos gratia, una bona faustaque expectatio, Deus ipse conspicuus ac spectabilis erat; alta, pulchra, venusta lateque expansa frondium coma: nempe foliis umbraculum præbens variisque leporibus civitatem nostram recreans oblectansque. Is, quamquam arbori per omnia similis existimabatur, admirabili tamen decore et gratiis cunctis stirpibus eminebat; sed et vis quædam efficax ac vivens illi assidens, quisquis ad eum accederet, præclaris beneficiis ac muneribus magnifice donabat. Hunc momento dementatus hic senex evulsit: civitatis gaudium excidit, provinciæ nostræ gloriationem securi amputavit. Idcirco etiam tuo ipsum tribunali stitimus, ut impietatis læsique numinis condigna ultione pœnis subjiciatur.

coram quo Sanctus factum libere confessus,

16 Facta vero Hyacintho pro seipso satisfaciendi licentia, Ego sane, respondit, optime præses, excidisse me arborem confiteor, nec possim umquam veritatem negare. Nullo tamen malo animo, aio me rem hanc præstitisse, sed qui erroris exuperantiam videre non sustinerem; homines scilicet ratione ornatos, eo omisso, qui formavit, cælique ac terræ conditor existit, rerum ipso auctore in rerum natura exstantium infimam, deitate B donatam, divinis auxisse honoribus, ac illi servisse. Quid enim amabo, ea humilius arbore, quæ hodie e terra surgens, multis longe arboribus ignobilior sit ac deterior, ut quæ infructifera, aut malorum ferax fructuum, paulo post in ignem mittatur? Hanc itaque coli ac adorari videns, ac quam ægre humanam eam amentiam ferens, humanioreque affectu æmulatus, quod verbis non licuit, ut a frustranea eos spe avocarem, opere jam fidem facio ac suadeo, nullam rei inesse vim, ut vel maleficii aliquid irroget, aut beneficii præstet, quæ ipsa omni sensus vi prorsus destituatur; sublatoque exitiosi erroris prætextu, præire omnibus ad pietatem, videor, ut universorum agnito Deo, ejusque unigenito Filio, Domino nostro Jesu Christo, cum adorent, ipsique soli serviant in Spiritu sancto *b*.

b

dire cæditur, et extra urbem raptatur.

17 Hæc præses verba ubi inaudiit, primum humi distentum, virgis agrestibus cædi imperat. Cumque diu multumque illius carnes dilacerarentur, ossaque contunderentur, ac terra cruore madesceret, nec ille ullam mitteret vocem, sed silentio in Dominum Jesum excederet, tacitisque C precibus ac votis illi supplicans, placide verberum dehonestamenta sufferret; populus clamabat: Voca, præses, carnificem; voca qui dentes evulsurus sit. Quemadmodum iste Deum nostrum succidit, sic illius excidantur dentes, ferrea forcipe radicitus effodiantur. Eaque demum ferali sententia in eo exercita atque expleta, ne sic quidem perciti populi furoris quidquam remiserunt. Rursus vero vinctum, arborisque in modum concisæ, discerpendum humique raptandum, occinebant: urbe denique extractum, acutis suffigendum arundinibus, ac lapidibus obruendum. Postremo, ubi omnis ille cruentus impetus consiliumque in eo finem acceperat; sic dire verberibus affectum ac dehonestatum, atque ad montis usque supercilium extractum, unoque a vertice ad imos pedes vulnere detritum ac deformatum, factumque emortuum, appetente jam vespere, devorandum bestiis reliquerunt.

Deinde Divina consolatione recreatus,

18 Quid igitur Dominus? Suine famuli neglexit curam? Aut ejus more, qui sibi ipse vitam adimat, dimisit mori? Vel occulta ac mente tenus solum apparitione donavit? minime gentium. Porro jam nox erat, ac terram sol subierat, cum

αἱμάτων καὶ δολιότητος ἱστάμενοι, εὐτόνως D κατηγόρουν· Ἡμῖν, λέγοντες, ὦ ἡγεμὸν, μία μὲν χάρις ἐν ὀφθαλμοῖς, μία δὲ προσδοκία ἀγαθὴ ὁ περίβλεπτος ὑπῆρχε Θεός· ὁ ὑψίκομος, ὁ εὔκομος, ὁ πανώραιος καὶ εὐθαλής· ὁ τοῖς φύλλοις περισκέπων, καὶ αγλαΐαις ποικίλαις τὴν ἡμετέραν πόλιν ψυχαγωγῶν καὶ ἀνακτώμενος· ὃς εἰ καὶ δένδρῳ παρεμφερὴς νενόμισται, ἀλλὰ πάντων ταῖς θαυμασταῖς ὡραιότησιν ὑπεξῄρηται φυτῶν· ἀλλὰ καὶ δύναμις ἐνεργὸς καὶ ζῶσα τούτῳ παρεδρεύουσα, οὐκ ἔστιν ὅν τινα τῶν αὐτῷ προσιόντων, οὐ λαμπραῖς ἐφιλοτιμεῖτο εὐεργεσίαις· ἄφνω δὲ τοῦτον οὗτος ὁ ἀπονενοημένος ἐξέτιλε γέρων· τῆς πόλεως ἀπέκειρε τὴν χαρμονὴν, τῆς χώρας ἡμῶν ἐξέτεμε τῇ ἀξίνῃ τὸ γαυρίαμα· διὸ καὶ τῷ σῷ βήματι τοῦτον περεστήσαμεν, τῆς θεομαχίας ἀξίας ἐκτιννύντα δίκας.

16 Ἐνδοθέντος δὲ τῷ Ὑακίνθῳ τὰ κατ' αὐτὸν ἀπολογεῖσθαι, Ἐγὼ μὲν, εἶπεν, ὑπολαβὼν, ὦ κράτιστε ἡγεμὸν, τὸ δένδρον ἐκκεκοφέναι τοῦτο συνομολογῶ· καὶ οὔ πως ἂν δυναίμην τὸ ἀληθὲς ἀρνεῖσθαι· οὐ κακονοίᾳ δὲ τοῦτο πεπραχέναι· ἀλλ' ἐπειδὴ τὸ ὑπερβάλλον τῆς πλάνης οὐκ ἔστεγον ὁρᾷν, ὅτι ἄνθρωποι τετιμημένοι λόγῳ, τὸν ἴδιον πλάστην, καὶ τοῦ οὐρανοῦ καὶ γῆς ἀφέντες τὸν ποιητὴν, τὸ τῶν αὐτοῦ B κτισμάτων ἐλαχιστότερον θεοποιοῦντες λελατρεύκασι. Τί γὰρ του ἀπὸ γῆς ἀναδιδομένου σήμερον ξύλου, καὶ πολλῶν ξύλων ἀτιμοτέρου καὶ φαυλοτέρου, ὡς ἀκάρπου, ἢ κακοκάρπου, καὶ μετ' ὀλίγον εἰς πῦρ βαλλομένου, ταπεινότερον; Τοῦτο γοῦν ὁρῶν προσκυνούμενον, καὶ πλεῖστα τῆς ἀνθρωπίνης ἀγνοίας κατεγνωκώς, καὶ φιλανθρώπως ἐζηλωκὼς, ἐπεὶ μὴ οἷός τε γέγονα λόγοις τῆς σαθρᾶς ἐλπίδος ἀποστῆσαι, ἔργῳ τούτους πείθω λοιπὸν, ὡς οὐδεμία τῷ ἀναισθήτῳ δύνναμις, οὔτε πρὸς κακοποιΐαν, οὔτε πρὸς εὐεργεσίαν οὐδενός, καὶ τῆς ὀλεθρίας πλάνης τὴν πρόφασιν περιελόμηνος, ὁδοποιεῖν μοι πάντας δοκῶ πρὸς θεοσέβειαν, ὥστε τὸν τῶν ὅλων ἐπιγνόντας Θεὸν, καὶ τὸν μονογενῆ αὐτοῦ Υἱὸν, τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, αὐτῷ προσκυνεῖν, αὐτῷ μόνῳ λατρεύειν ἐν Πνεύματι ἁγίῳ.

17 Ἐποὶ τούτων ἀκοῦσαι τὸν ἡγεμόνα τῶν ῥημάτων, πρῶτον μὲν κατὰ γῆς αὐτὸν ἐκταθέντα, ξύλοις ἀγρίοις μαστιγοῦσθαι διετάξατο. Ἐπὶ πολὺ δὲ τὰς σάρκας ξαινομένου, καὶ τὰ ὀστᾶ θλωμένου, καὶ τῷ αἵματι βάπτοντος τὴν γῆν· οὐδεμίαν δὲ φωνὴν ἀφιέντος· ἡσυχῇ δὲ πρὸς F τὸν Κύριον ἐξεστῶτος Ἰησοῦν, καὶ ἀνεκλαλήτοις αὐτῷ προσευχαῖς ἐντυγχάνοντος· καὶ εὐμαρῶς τὰς αἰκίας ὑποφέροντος, ὁ δῆμος ἐπεφώνει· Κάλει τὸν δήμιον, ὦ ἡγεμὸν, κάλει τὸν τοὺς ὀδόντας ἐκριζώσοντα· ὥσπερ οὗτος ἐξέκοψε τὸν ἡμέτερον Θεὸν, οὕτως αὐτοῦ οἱ ὀδόντες ἐκκοπτέσθωσαν, σιδηρᾷ λαβίδι ῥιζόθεν ὀρυττέσθωσαν· καὶ ταύτης ἐπ' αὐτῷ πέρας τῆς ἀποφάσεως λαβούσης, οὐδ' οὕτως οἱ ἐμβρόντητοι δῆμοι τῆς μανίας καθυφίεσαν· αὖθις δὲ τοῦτον δεσμούμενον, τρόπον δένδρου κοπέντος, σπαράσσεσθαί τε καὶ σύρεσθαι κατὰ τῆς γῆς ἐβόων· ἐξελκόμενόν τε τῆς πόλεως, ἐκκεντᾶσθαι καλάμοις ὀξέσι, καὶ λίθοις καταλεύεσθαι. Ἐπεὶ δὲ πᾶσα τέλος ἐπ' αὐτῷ ἡ μιαιφόνος εἴληφεν ὁρμὴ καὶ βουλὴ, τὸν μὴν οὕτως ἀνηλεῶς καταικίσαντες, καὶ ἄχρις ὀφρύος τοῦ ὄρους ἐξελκύσαντες, ἀπὸ κεφαλῆς δὲ μέχρι ποδῶν ἓν τραῦμα τοῦτον ἐποδείξαντες καὶ θανατώσαντες, ἑσπέρας ἤδη φθασάσης, θηρσὶ τὸ σῶμα κατέλιπον βοράν.

18 Τί οὖν ὁ Κύριος; ἆράγε τοῦ οἰκείου θεράποντος ἠμέλησεν; ἢ βιαθανατοῦντος τρόπον ἀφῆκεν ἀποθανεῖν; ἢ κρυφαίας καὶ νοερᾶς μόνον ἐπιφανείας ἀξιοῖ; οὐδαμῶς· νὺξ δὲ ἤδη, καὶ ἥλιος ὑπὸ γῆν, καὶ ὁ ἀληθινὸς ἥλιος, τῷ του φωτὸς ἐπανέτελλεν

AUCTORE NICETA PAPHLAGONE.

A ἐπανέτελλεν υἱῷ · καὶ πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου περὶ αὐτὸν, καὶ δόξα Κυρίου, εὐαγγελικῶς εἰπεῖν, περιέλαμψεν αὐτόν. Ὁ δὲ, καθάπερ ἐξ ὕπνου βαθέος ἀνενεγκὼν, καὶ τῆς περὶ αὐτὸν αἰσθηθεὶς θεοφανείας, καὶ πάσης μὲν ἀλγηδόνος σώματος εὐθὺς ἀνεθεὶς, πάσης δὲ κατανύξεως, καὶ ἀνεκλαλήτου χαρᾶς πληρωθεὶς, ἵσταται μὲν ἐπὶ πόδας, οὕτω κούφως καὶ εὐσθενῶς, ὡς μηδ' ἥν τινα πεῖραν ἀνιαρῶν εἰληφώς.

19 Εὐθὺς δὲ κάμψας ὁ Μακάριος τὸ γόνυ πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ τὰς ὁσίας χεῖρας ἐπάρας εἰς τὸν οὐρανὸν, ἐν ἀγαλλιάσει καρδίας καὶ γλυκεροῖς δάκρυσιν, ἐξωμολογεῖτο τῷ Κυρίῳ · εὐχαριστῶν μὲν ἰσχυρῶς ὑπὲρ τῆς σταθερότητος, ἧς ἄχρι τῆς ὥρας ἐκείνης ἐνεδείξατο · δεόμενος δὲ ἐπὶ ταύτῃ τελειωθῆναι τῇ ὁμολογίᾳ · καὶ τὴν ψυχὴν μὲν, τῆς ἀποκειμένης τοῖς μάρτυσιν ἀναπαύσεως μετασχεῖν · τὸ πολυπαθὲς δὲ σωμάτιον, σεμνὸν τόπον εἰς κατάπαυσιν λαχεῖν · φυλακτήριον δὲ τοῦτο τῇ αὐτοῦ πόλει προσηύξατο δι' αἰῶνος χρηματίσαι · νόσων τε παντοδαπῶν ἰατήριον, καὶ πάντων ἀλεξητήριον κακῶν. Προσηύξατο τοῖς εἰς τὸν Θεὸν ἀσεβοῦσιν, τὴν διὰ πίστεως σωτηρίαν, καὶ
B τοῖς ἁμαρτάνουσι, τὴν διὰ μετανοίας ἐπιστροφὴν, τοῖς ἄρχουσι δικαιοσύνην · εὐπείθειαν τοῖς ἀρχομένοις, τοῖς πλουσίοις τρόπον ἐλεήμονα, τοῖς πένησιν ὑπομονὴν καὶ καρτερίαν, χαίρουσιν εὐχαριστίαν, λυπουμένοις παραμυθίαν, πλέουσιν εὔπλοιαν, ὁδοιποροῦσιν εὐοδίαν, τοῖς ἐν πολέμῳ τρόπαια νίκης, τοῖς εἰρηνεύουσι συντονίαν πρὸς πᾶσαν εὐσέβειαν καὶ δικαιοπραγίαν. Πᾶσιν ἐπεύχεται χριστομιμήτῳ χρηστότητι τὰ χρηστὰ καὶ λυσιτελῆ, ὡς τέλειος Χριστοῦ μαθητὴς · ὡς φιλόπατρις, τῇ πατρίδι τὴν ἀπὸ κινδύνου παντὸς, καὶ πάσης πολεμίων ἐπαναστάσεως ἀπολύτρωσιν · μάλιστα δὲ τοῖς γνησίως αὐτοῦ μνημονεύειν μέλλουσι, καὶ τῇ τῶν λειψάνων θήκῃ πελάζουσιν οἰκοδομαῖς τε χαρίζεσθαι · ὕμνοις τε καὶ θυσίαις δεξιοῦσθαι. τούτῳ προσιοῦσι, πᾶσαν δεξιὰν χάριν καὶ σωτήριον ἐπεύχεται δωρεάν.

20 Οὕτω προσευξάμενος ὁ θεῖος Ἀνὴρ, καὶ ἐπὶ πολὺ τοῖς παρεστῶσι τῶν ἱερῶν ἀγγέλων ἱερῶς συνηδόμενος, καὶ νοερῶς κατατερπόμενος εἶτα τριττῇ σφραγῖδι τὸ θεοειδὲς πρόσωπον σημειωσάμενος (ὢ τῆς
C τότε τὸν τόπον ἐκεῖνον πληρωσάσης μυστικῆς θυμηδίας καὶ δοξολογίας) τὴν ἁγίαν αὐτοῖς ὁ Ἅγιος παρατίθεται ψυχήν. Ταύτην μὲν οὖν εὐθὺς ὁ παράδεισος εἶχε τοῦ Θεοῦ, τῷ Βασιλεῖ τῆς δόξης ἀναφθέγκτῳ χαρᾷ προσιοῦσαν, καὶ πανευαγῶς αὐτῷ προσκυνοῦσαν, καὶ τῷ τῆς ἀφθαρσίας στεφάνῳ τῇ δεσποτικῇ καταστεφομένην δεξιᾷ · ταύτην αἱ νοεραὶ πᾶσαι τῶν οὐρανῶν Δυνάμεις ἐπῄνεσαν · καὶ ὡς νικηφόρον, ἢ Χριστοφόρον ἑαυταῖς προσῳκειώσαντο · ταύτην Ἀπόστολοι μὲν, ὡς ἀποστολικώτατα βιώσασαν, ἀσμεναίτατα * δεξιούμενοι περιεπτύξαντο · Μαρτύρων δὲ χοροὶ ἱεροὶ, ὡς οἰκεῖον αὐτῶν μέλος, καὶ τὸ τιμιώτατον ἀποδεχόμενοι τῶν μελῶν · καὶ τῷ πνεύματι συναρμολογοῦντες ἑαυτοῖς καὶ συμβιβάζοντες, τῆς αὐτῆς αὐτοῖς δόξης καὶ μακαριότητος μέτοχον δι' αἰῶνος ἐκληρώσαντο · οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ Προφητῶν καὶ ἁγίων θίασοι πάντων, ὡς τῆς ἴσης αὐτοῖς ἁγιότητος ὑπερβαλλόντως μετέχουσαν ὁρῶντες, τὴν αὐτῆς ἀνάλυσιν καὶ ἐνδημίαν πρὸς τὸν Χριστὸν, λαμπρὰν ὅτι μάλιστα καὶ θεοπρεπεστάτην συνεκρότησαν ἑορτήν.

* ἀσμενέστατα.

21 Τοῦτον μὲν οὖν τὸν τρόπον ἡ τρισολβία ψυχὴ, τὰς τοῦ οὐρανίου Πατρὸς κατακληροῦται μονάς·

ecce verus sol lucis filio oritur; ac circa eum multitudo cælestis militiæ, ac Domini claritas, ut Euangelicis vocibus utar, circumfulsit eum. Tum ille, quasi ex alto emergens somno, divinamque circa se sentiens apparitionem, atque mox omni solutus dolore, omnique compunctione, ac inenarrabili gaudio repletus, rectus in pedes stetit, tanta remissione, tanto robore, ac si ne ullum quidem tormentorum periculum fecisset.

gratias agit, et pro omnibus orat.

19 Statim vero Vir beatus, flexo ad Deum genu, ac puras in cælum manus levans, animi exultatione dulcibusque lacrymis, Domino confitebatur; etiam atque etiam gratias agens, ejus constantiæ nomine, cujus ad eam usque horam specimen exhibuisset; rogans ut in ea confessione agonem consummaret; animusque repositam Martyribus requiem consequeretur, nec corpusculum, ærumnis multis ac laboribus tormentisque consumptum, honesto ad quiescendum loco destituetur: ac vero custodiam ac præsidium in ævum civitati fore precatus est, omnis generis morborum præsentem medicinam, omniumque procul malorum averruncationem. Impietate in Deum laborantibus, salutem, quæ per fidem est, votis deprecatur: peccatoribus, ut pœnitentia convertantur: magistratibus, ut justitiam teneant; E
subditis, ut obedientiam; divitibus, ut propensos in eleemosynam mores habeant; pauperibus, ut patientiam servent ac sustinentiam; gaudentibus, ut gratias agant; his, qui in ærumna sunt, ut levamen ac consolationem obtineant, navigantibus, ut felici navigatione utantur; iter habentibus, ut iter fauste conficiant: his qui in bello versentur, victoriæ tropæa: qui denique in pace agant, ut omnem strenue pietatem ac justitiæ opera colant. Christi æmula bonitate, cunctis bona ac utilia adprecatur, ut perfectus Christi discipulus. Ut patriæ amans, patriæ, ut ab omni tuta periculo sit, omnique hostium grassatione liberetur; iis præsertim, qui illius sincere memores fuerint, ac reliquiarum loculo accesserint; ædificiis præstiterint; canticis oblationibusque acceperint. Qui se adeant, faustam omnem gratiam comprecatur ac salutare munus c. c

S. Martyr placide moriens in cælum recipitur.

20 In hunc modum precatus Vir divinus, diuque sacro adstante angelorum choro sacre delectatus menteque recreatus, tumque tertio deiformem consignans vultum (o quæ tunc temporis F
locum impleverat mystica jucunditas divinarumque laudum cantica!) sanctum eis Sanctus tradit animum. Hunc vero statim Dei paradisus habuit, Regi gloriæ, nulla verborum vi explicabili gaudio, accedentem, eique religiosissimo habitu cultum adhibentem, atque incorruptionis coronam dominica dextera suscipientem. Hanc cælestium potestatum mentes omnes laudaverunt, ac velut victoriæ tropæa, aut Christum ferentem, suis domesticam cœtibus asciverunt. Hanc et Apostoli, quæ apostolicis præclarissime muneribus vitam egerit, placidissime accipientes complexi sunt. Sacri Martyrum chori, velut proprium ipsorum membrum recipientes membrorumque nobilissimum, ac sibi ipsis spiritu concinnantes ac committentes, ejusdem sociam gloriæ ac beatitudinis in ævum nacti sunt. Neque id modo, sed et prophetarum Sanctorumque omnium chori velut paris illis sanctitatis gratiis eximie auctam conspicientes, ejus ad Christum solutionem ac emigrationem, claram maxime divinissimamque festivitatem ac tripudium celebrarunt.

et tumulus ejus multis miraculis,

21 In hunc itaque modum ter beata anima, cælestis Patris mansiones sedesque consequitur: at

AUCTORE NICETA PAPHLAGONE.

at neque sacrum illud ac triumphale tabernaculum, vel sic in terram cadens spretum est, vel pari Martyribus reliquis honore decoratum: sed sicut majoribus prodigiis uberioribusque sanitatum gratiis Christi munere honestatum est, sic et humanis honoribus ac obsequiis, cunctis fere victoria inclytorum Martyrum corporibus majori gloria illustrius habitum. Ac tum quidem illic loci prope civitatem aggesto tumulo pretiosus thesaurus fidelium manibus honorifice conditus est: ac quamquam inaccessus, nullique eo ex tempore conspectus est: per ejus tamen mirabilium operum benefica munera haud fieri poterat, ut lateret. Quin jugibus contentisque supplicationibus intus Dominum Martyr triumphalis placans, forisque in sepulcri memoria sanitatum munere permovens, hisque olim suam civitatem ab infidelitate ad rectam sinceramque fidem traducere, hactenusque Vir admirandus non cessat. Aiunt enim (cui rei et ipse visus præstat fidem) vertente anni tempestate, qua ejus celebris memoria agitur, sacratæ plebis circa sacrum tumulum obsecratione, derepente insolito quodam sonitu, flatusque stridore ex imis sursum pulverem
d B erumpere *d* seu exsufflari tanta vehementia, ut et tumulo circumpositas accensas faces spiratione exstinguat; ipsumque tumuli os, urnæque in modum operientem fabricam, sacro pulvere pretiosoque cinere confestim adimpleat.

ἀλλ' οὐδὲ τὸ ἱερὸν ἐκεῖνο καὶ ἀθλοφορικὸν σκῆνος, D ἢ οὕτως εἰς γῆν πεσὸν παρεώραται, ἢ κατὰ τοὺς λοιποὺς Μάρτυρας τετίμηται· ὥσπερ δὲ τέρασι μείζοσι, καὶ ἀφθονωτέροις ἰάμασιν ὑπὸ του Χριστοῦ πεφιλοτίμηται, οὕτω καὶ ταῖς ἐξ ἀνθρώπων τιμαῖς, ἁπάντων ὀλίγου δεῖν τῶν ἀθλοφορικῶν σωμάτων τὸ ἐπιδοξότατον ἠνέγκατο. Τότε μὲν γὰρ αὐτοῦ που πλησίον τῆς πόλεως γῆς βάθεσιν ὑπὸ τῶν εὐσεβούντων ὁ πολύτιμος ἐντίμως καταχωσθεὶς θησαυρὸς, οὔμενουν ἀφικτὸς ἤ τινι γέγονεν ἐξ ἐκείνου θεωρητὸς, οὐ μὴν ταῖς ἀγατουργίαις τῶν αὐτοῦ θαυματοποιῶν οἷός τε γίνεται λαθεῖν· ἀλλ' ἐκτενεστάταις μὲν ἱκεσίαις τὸν Κύριον ἔνδον ὁ ἀθλοφόρος ἱλεούμενος, ἔξω δὲ τοῖς ἐπὶ του τάφου τελουμένοις ἰάσεσι δυσωπῶν, καὶ τοιούτοις πάλαι τὴν αὐτοῦ πόλιν ἐξ ἀπιστίας εἰς ὀρθότομον πίστιν καὶ ἀνυπόκριτον μετάγων, οὐδὲ μέχρι του νῦν ὁ θαυμάσιος διαλείπει. Λέγεται γὰρ, ὃ καὶ ὁρώμενον πιστεύεται, ὅτι ἑκάστης του ἐνιαυτοῦ περιτροπῆς τὴν του Ἁγίου μνήμην ἐπαγούσης, δέησις μὲν περὶ τὸν ἱερὸν τάφον, ὑπὸ του ἱερου παντὸς ἀναπέμπεται λαοῦ· ἄφνω δὲ χοῦς ἐν ἤχῳ τινὶ ξένῳ, καὶ ῥοιζήματι πνεύματος ἐκ του βαθους κάτωθεν ἀναδίδοται ἢ ἀναῤῥιπίζεται, οὕτως σφοδρῶς ἐκφυσώμενος, ὡς καὶ τοὺς περὶ τὸν τάφον καιομένους B λαμπτῆρας, τῇ ἐπιπνοίᾳ κατασβέννυσθαι· αὐτὸ δὲ τὸ του τάφου στόμα, καὶ τὴν καλύπτουσαν λαρνακοειδῶς οἰκοδομίαν, ἀνάμεστα του ἱεροῦ χοὸς, καὶ τῆς τιμίας ταύτης κονίας εὐθέως ἀποδείκνυσθαι.

prodigiisque claruit. e

22 Dignum vero et istud commentario consignare; ante nimirum non multos hos annos *e*, annuo pulvere erumpente ac ebulliente, dextræ quoque admirandi Martyris majorem digitum una ascendisse, ita integrum sanumque, ac si vivente recens dextera amputatus esset. Sic vero ascendisse arbitror, ut sancti eo loco corpusculi depositionis certiorem faceret fidem, et ad templi fabricam fideles animaret. O sanctum pulverem in Sancti pulvere imbutum sanctitate; qui universo populo distribuaris, parique cum sancto corpore virtute polleas! O pulvis, natura quidem terrenus, at cælestis virtute atque potentia! Pulvis nimirum, mannæ, quod olim e cælo pluebat, gratia venerabilior, sanctimonia religiosior, virtute potentior efficaciorque. Nam illud quidem ad alenda corpora ac conservanda cælo pluebat; hic vero, non solum ad corpora (a frigoris maxime æstusque tabe) curanda, verum etiam ad abundantem
C animis firmitatem præstandam ac illustrationem.

22 Ἄξιον καὶ τοῦτο τῇ ἱστορίᾳ παραδοῦναι, ὡς οὐ πρὸ πολλῶν τούτων ἐτῶν, τῆς ἐτησίου κονίας ἀναβραττομένης, καὶ τὸν μέγαν τῆς χειρὸς δάκτυλον του θαυμαστοῦ Μάρτυρος κάτωθεν συναναβῆναι, οὕτως ἄρτιον καὶ ὁλόκληρον, ὡς ἄρτι τῆς αυτου ζώσης ἀφαιρεθέντα δεξιᾶς· ἀνέβη δὲ, πίστιν τε οἶμαι τελειοτέραν παρεχόμενος, τῆς ενταυθοῖ του Ἁγίου καταθέσεως, καὶ πρὸς τὴν του ναοῦ διεγείρων τοὺς πιστοὺς κατασκευην. Ὢ χοῦς ἅγιος, ἐν τῷ τοῦ Ἁγίου ἁγιαζόμενος χοΐ, καὶ παντι τῷ λαῷ διαδιδόμενος, καὶ τῷ ἁγίῳ ἴσα σωματι δυναμούμενος. ὢ χοῦς, τὴν φύσιν μὲν χοϊκὸς, οὐράνιος δὲ τὴν δύναμιν· χοῦς, του ἐξ οὐρανοῦ πρώην ὑομένου μάννα, τὴν χάριν αἰδεσιμώτερος, τὸν ἁγιασμὸν σεβασμιώτερος, τὴν δύναμιν δραστικώτερος· τὸ μὲν γὰρ εἰς σωμάτων ὕετο θρέψιν τε καὶ συντήρησιν· ὁ δὲ, οὐκ εἰς σωμάτων θεραπείαν μόνον, ψύχους τε μάλιστα καὶ καύσωντος μαρασμοῦ, ἀλλὰ καὶ εἰς διαρκῆ ψυχῶν στηριγμὸν καὶ φωτισμόν. F

Oratoris epilo-

23 At, o Martyrum omnium decus inclytum, fidelium gloriatio, contritioque infidelium! O venerandæ patriæ bona stirps: immo vero stirps sancta, suo munere pravam patriam in bonitatem vertens, impuramque castam reddens ac sanctam; inhonoramque honorans. Stirps pretiosa, cælestisque Patris tui vere plantatione digna, quasi palma, jugi virtutum flore vernans, ac quasi cedrus secus aquas, infinitis sanitatum fructibus exuberans! O lapis pretiose vereque summo angulari digne lapide. Lapis, cui nomen cum Hyacintho commune *f*; illo, inquam, Hyacintho, qui undecim pretiosis lapidibus, utrimque ordine digestis, annexus, summi Pontificis rationale judicii una componit. Lapis sancte, qui juxta Isaiam super terram volvaris, Amastridis murus vallumque; sive potius turris coronaque, omnes hostium capiendis urbibus machinas, arietes, catapultas, balistas aliaque propellens! Paphlagonum alta sublimitas eximiusque decor, imperii corona, sacerdotii laus ac gloriatio, nostrorum, quæso, etiam suscipere digneris sermonum

23 Ἀλλ' ὢ πάντων Μαρτύρων ὡραΐσμα, πιστῶν δὲ ἀγαλλίαμα, ἀπίστων δὲ συντριμμα· ὢ πατρίδος σεμνῆς ἀγαθὸν φυτόν· μᾶλλον δὲ φυτὸν ἅγιον, τὴν πονηρὰν ἀγαθύναν δὶ ἑαυτοῦ πατρίδα, καὶ τὴν ἄναγνον ἀγνίσαν, καὶ τὴν ἄτιμον τιμῆσαν· φυτὸν τίμιον, καὶ τῆς τοῦ Πατρός σου τοῦ ἐν τοῖς οὐρανοῖς φυτείας ἀληθῶς ἄξιον, ὡς φοῖνιξ ταῖς ἀειθαλέσιν ἀνθῶν ἀρεταῖς, καὶ ὡσεὶ κέδρος παρ᾽ ὕδατα τοῖς ἀπείροις τῶν ἰαμάτων πληθυνόμενος καρπῶν· Ὢ λίθε τίμιε, καὶ τοῦ ἀκρογωνιαίου τῷ ὄντι ἐπάξιε· λιθε, τῷ Ὑακίνθῳ ὁμώνυμε· ἐκείνῳ, τῷ τοῖς ἕνδεκα συστοίχοις τιμίοις συνηρτημένῳ λίθοις, καὶ τὸ λογεῖον τῆς κρίσεως του Ἀρχιερέως συγκατασκευαζομένῳ του μεγάλου· λιθε ἅγιε κυλιόμενε ἐπὶ τῆς γῆς κατὰ τὸν Ἡσαΐαν, τῆς Ἀμάστρας τὸ περιτείχισμα καὶ περίφραγμα· μᾶλλον δὲ, πύργωμα καὶ στεφάνωμα, πάσας ἑλεπόλεις καὶ μηχανὰς ἀποκρουόμενον ἐχθρῶν· τῶν Παφλαγόνων τὸ ὕψωμα καὶ καλλώπισμα, τῆς βασιλείας ὁ στέφανος, της ἱερωσύνης ὁ ἔπαινος καὶ τὸ καύχημα, δεχοιο καὶ τὴν τῶν ἡμετέρων ἀπαρχὴν λόγων· καὶ

A καὶ εἰ μηδὲν τῆς σῆς ἄξιον μεγαλοπρεπείας ἐπιφαίνουσαν, ἀλλὰ φίληνγέ σοι πάντως οὖσαν, τῷ ἐκ γειτόνων εἶναι καρπὸν, καὶ τοῖς μὲν ἄλλοις πᾶσιν, ἃ πρός του Παμβασιλέως πρότερον ἐπηύξω, μὴ διαλίπῃς αὐτὸς ἐνεργῶν· δυνάσαι γὰρ ἐκεῖθεν λαβών· τοῖς γείτοσι δὲ καὶ πολίταις, ὡς μὲν ἀνηρτημένοις τῆς πίστεως καὶ ἀγάπης τῆς σῆς, πλείω τῶν ἀγαθοδώρων Θεοῦ ἀγαθῶν τὸν περιουσιασμὸν ἐπιχορήγησον, εἰς δόξαν Πατρὸς καὶ Υἱοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

primitias; ac vel si nihil tua dignum magnificentia exhibeant, prorsus tamen tibi charissimas, quod e vicino fructus existant. Ac reliquis quidem, quæ illis prius a summo omnium Rege precatus es, præstare ipse ne cessaveris; quippe cui facultas non desit, quam inde acceperis: vicinis autem atque civibus, uti magis tibi fide ac charitate consertis, majorem bonorum Dei munerum copiam subministra, in Patris et Filii et Spiritus sancti gloriam, in secula seculorum. Amen. AUCTORE NICETA PAPHLAGONE.

ANNOTATA.

a *Præsidis nomen exprimitur in Menologio Sirleti, Romano Martyrologio, ac Mss. nostris Græcis; sed ubique cum aliquo discrimine ut notavi in Commentario prævio.*

b *Hæc expressio in quibusdam Græcis suspecta est; imo ob eam Basilius in suspicionem vocatus fuit. Hic tamen loquendi modus viris probe Catholicis usitatus est, quo significare volunt Spiritum sanctum, ut amorem ac nexum Patris et Filii.*

c *Diximus alias non placere nobis illam Martyrum viventium curam, qua de corpore et reliquiis suis sunt solliciti, quidquid hic in Notis suis id explicare nitatur combefisius. Atque hinc suspicor, hunc esse Græcum Nicetæ rhetoris ornatum.*

d *Idem fere miraculum narratur de sepulcro S. Raymundi de Pennaforti, uti dictum est ad diem* VII *Januarii in ejus Actis cap.* VIII.

e *Hinc patet, cultum ejus Amastride adhuc floruisse sæculo nono.*

B f *Satis clara hic est allusio, sicut etiam fuit in exordio, ad S. Martyris nomen, et pretiosum lapidem hyacinthum. De allusione ad flosculum ejusdem nominis diximus in Commentario prævio num.* 3. B

DE S. MARCELLINA VIRGINE

VIDE APP. TOM VII JULII NOT 10

MEDIOLANI IN INSUBRIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. C.

§ I. Sanctæ cultus et elogia.

ANN. CCCXCVIII AUT CCCXCIX. Probatur cultus ex Martyrologiis

Romanum Martyrologium, *quo hodiedum utimur, annuam* S. Marcellinæ *festivitatem die* XVII *Julii annuntiat his verbis:* Mediolani sanctæ Marcellinæ virginis, sororis beati Ambrosii episcopi, quæ Romæ in Basilica S. Petri a Liberio Papa velum consecrationis accepit; cujus etiam sanctitatem idem beatus Ambrosius scriptis suis testatam facit. C *Maurolycus, Felicius, Galesinius, Canisius noster, aliique recentiores hagiologi eamdem sanctam Virginem Martyrologiis suis hac die inseruerunt. Sed, his omissis, antiquiora ejus cultus testimonia profero. Præter Florarium nostrum Ms., circa medium sæculi* XV *exaratum, sanctitatem hujus Virginis testantur Auctaria Usuardina, quorum verba videri possunt in Usuardo, a paucis annis illustrato. Vetustissimum vero, quod hactenus reperi, cultus illius testimonium exstat in Antiphonario ante quingentos annos scripto* de universis festivitatibus anni circuli Mediolanensis ecclesiæ, *de quo codice curiosus lector consulere potest Mabillonium in suo Museo Italico tom.* I, *pag.* 107 *et sequentibus.*

Propria lectionibus

2 *Officia ecclesiastica Mediolanensis ecclesiæ eumdem cultum confirmant: nam Breviarium, anno* 1539 *Venetiis impressum, de* S. Marcellina *habet tres sequentes lectiones proprias:* Lectio i. Hæc etenim germana fuit sanctissimi antistitis et confessoris Ambrosii, honestis ac clarissimis, religiosis quoque parentibus Romæ exorta. Denique venerandi conjuges primum sui conjugii florem, scilicet beatam Marcellinam Christo Domino sacras primitias devoverunt. Post hanc exortus est beatus Ambrosius, ac deinde Satyrus. Educata igitur sacris studiis a matre puella, urgente * ætate, virginitatis professionem ardenter cœpit postulare. Lectio ii. Quæ tandem die Natalis Domini a Liberio Papa cum veste religionis virginalem suscepit benedictionem, multis in ecclesia virginibus congregatis. Tunc sanctus Pontifex conscendens pulpitum, multa F de sponso Christo, cui adhæserat, de fide ac virginitatis munditia, utendis, cavendis et faciendis tractavit, et tandem oblatam pii patris manibus ac matris virginem solenniter benedixit. Lectio iii. Cum autem germanus ejus Ambrosius et frater Satyrus divino nutu Mediolani, unus episcopus et alter Levita, Christo Domino militarent, defunctis parentibus, relicta patrimonii totius hereditate, Mediolanum carissimis se contulit fratribus; ibique sub eorum regimine contenta simplici vestitu ac victu vilissimo, vigiliis et orationibus seu lectionibus, non parum Arianæ perfidiæ solicita degebat: sed, urgente temporis lubrico, frater Satyrus primum e seculo migravit ad Christum. Deinde duplicatus mœror: sanctus confessor Ambrosius post innumera virtutum signa, seculo valefaciens, transiit ad Dominum. Ad ultimum dilectos fratres et illa subsecuta est, cujus virgineum corpus venerabilis antistes Simplicianus juxta fratris tumulum reposuit XVI Kalendas Augusti.

* al. vergente

3 *Breviarium*

AUCTORE G. C.

duplicis Breviarii,

3 *Breviarium Mediolanense anni* 1635, *prætermissis quibusdam circumstantiis, tres præcedentes lectiones in unam contraxit et mutavit hoc modo :* Marcellina virgo Romana, nobili genere nata, beati Ambrosii episcopi et Satyri germana soror, a primis annis parentum cura pie educata, et ad divinam virtutem erudita, nubili jam ætate cælesti sponso despondetur : nam divini amoris ardore virgo flagrans summa parentum voluntate die natali Christi, maximo virginum concursu a Liberio Pontifice solenniter in religionem dicatur, voto virginitatis nuncupato. Cujus virginalis vitæ ratione suscepta cum ipsa per se ad sancte agendum inflaminata, tum beati Ambrosii fratris libris, quos de virginibus scripsit, excitata, mirificos in via Domini progressus habuit. Fuit ea divinarum litterarum studiis dedita, in vigiliis, jejuniis et orationibus frequens, tenui victu contenta, humili vestitu induta, rerum divinarum appetens, humanarumque despicientia insignis, cujus etiam sanctitatem Ambrosius sanctus testatam facit. Orbata autem primum Satyro, B deinde Ambrosio fratribus, tota et precationibus et omni pietatis officio cum ad patriam cælestem aspiraret, tandem Dei benignitate meritis cumulata quievit in Domino, a beato Simpliciano sepulta ad monumentum beati Ambrosii fratris. *Dum in utroque Breviario* religionis *vocem legis, noli suspicari,* S. Marcellinam *professam esse institutum vitæ religiosæ, tribus votis adstrictæ, qualem jam passim per hanc vocem intelligimus: nam hæc vox ex Latinorum more hic nil nisi pietatem significat, et ex Actis aliisque circumstantiis satis apparet,* S. Marcellinam *tantummodo castitatis votum emisisse.*

ac Missali Mediolanensi.

4 *Missale Mediolanense, quod vulgo dicitur Ambrosianum, anno* 1522 *typis excusum,* S. Marcellinæ *festum celebrat ritu virginibus communi; sed proprias recitat sequentes orationes.* SUPER POPULUM. Intercessio, quæsumus Domine, beatissimæ virginis Marcellinæ tuam pro nobis placare non desinat majestatem, et quæ tibi placuit acceptabilis suæ mentis et corporis integritate, nostram tibi devotam jugiter efficiat servitutem. Per *etc.* SUPER C SYNDONEM. Interveniat pro nobis, quæsumus Domine, beatissima virgo Marcellina, quæ pro tui nominis amore virginitatis laudandæ propositum intemerato semper corpore et corde servavit. Per *etc.* SUPER OBLATA. Debitum tibi, Domine, nostræ reddimus servitutis obsequium, suppliciter deprecantes, ut beatæ virginis Marcellinæ suffragantibus meritis plebis tuæ dona sanctifices, quia pro ejus honorabili inter sanctas virgines confessione laudis tibi hostias immolamus. Per *etc.* PRÆFATIO. Æterne Deus gloriosæ virginis Marcellinæ præferenda merita recolentes, quam tanto munere sublimare dignatus es, ut non solum integritatis donum illibata mente servaret, verum etiam euangelica præfulgens lampade, bonorum operum incrementis excresceret, et virtute fidei virgo prudentissima præpolleret : quæ etiam terrenæ generositatis insignia Christi filii tui servitute nobilitans, cælesti facta est thalamo multiplici decore condigna ; in tantum, ut beatorum comitatu germanorum, velut duarum alarum fulta remigio, ad cælestem gloriam læta conscenderet, cum eisdem immarcescibilem perpetuæ vitæ coronam acciperet. Per D eumdem *etc.* POSTCOMMUNIO. Cælestium sacramentorum refecti libamine, et præsentis festivitatis gaudio saginati, supplices te, Domine, deprecamur, ut cujus congratulamur tripudio, ejus semper protegamur auxilio. Per *etc. Ex his patet, satis certum ac celebrem esse hujus sanctæ Virginis cultum. Nunc quædam illius elogia ex ipso S. Ambrosio excerpamus.*

S. Ambros. S. [illegible] sororis suæ laudibus

5 *Sanctus Ambrosius tomo* IV *editionis Coloniensis, qua hic utor, lib.* III *de Virginibus pag.* 225 *sororis suæ Marcellinæ professionem indicat his verbis :* Quoniam, quæ habuimus, superioribus duobus libris digessimus, tempus est, soror sancta, ea, quæ mecum conferre soles, beatæ memoriæ Liberii præcepta revolvere, ut quo vir sanctior, eo sermo accedat gratior. Namque is, cum in Salvatoris natali ad Apostolum Petrum virginitatis professionem, vestis quoque mutatione signares (quo enim melius die, quam quo virgo posteritatem acquisivit) atque adstantibus etiam puellis Dei compluribus, quæ certarent invicem de tua societate : Bonas, inquit, filia E nuptias desiderasti. *Deinde a sancto Doctore copiosius et elegantius referuntur ea, quæ in Actis nostris a num.* 6 *leguntur. Tunc pagina sequente, sermoni Liberii Papæ finem imponens, sororis suæ virtutes indicat, et nimium ejus fervorem ita temperare nititur :* Hæc tecum sanctæ memoriæ Liberius : quæ apud alios majora verbis, apud te minora exemplis, ita omnem disciplinam non solum virtute adæquasti, sed etiam æmulatione vicisti. Namque jejunium in præceptis habemus, sed singulorum dierum ; tu autem multiplicatis noctibus ac diebus innumera tempora sine cibo transigis, et si quando rogaris, ut cibum sumas, paulisper deponas codicem, respondes illico : Non in pane solo vivit homo, sed omni verbo Dei. Ipse epularum usus, cibus obvius, ut edendi fastidio jejunium desideretur. Potus e fonte, fletus in prece, somnus in codice. Hæc junioribus convenere annis, donec mens ævi matura canesceret. Ast ubi domiti trophæum corporis virgo sustulerit, moderandum labori, ut magistra sub pari servetur ætate. *Deni-* F *que variis similitudinibus ei moderationem jejuniorum suadet.*

varia memorat.

6 *Idem Sanctus innuit, sororem suam pro Ecclesia valde sollicitam fuisse, et interdum mala ipsi imminentia præsensisse, dum ad eam tom* V, *lib.* II, *epist.* XIV *ita scribit :* Quoniam omnibus fere epistolis solicite quæris de Ecclesia, accipe quid agatur. Postridie quam accepi litteras tuas, quibus significaveras, quod te exagitarent somnia tua, moles inquietudinum gravium cœpit moveri. *Quanti sanctus Ambrosius Marcellinam faceret, patet ex libri* VII *epistola* LV, *quam sic incipit :* Quoniam nihil eorum, quæ hic te absente geruntur, sanctitatem tuam celare soleo, scias etiam, dilectissima soror, sanctos martyres a nobis repertos. *Quanto autem dolore affecta fuerit* Marcellina *ob mortem Satyri, sanctus Doctor tomo* IV *libro de obitu fratris circa finem pag.* 151 *exprimit his verbis :* De Sancta vero sorore quid fiet, quæ licet divino metu pietatem temperet, rursus tamen ipsum pietatis dolorem studio religionis accendit : strata humi et totum

A tum gremio sui complexa tumulum, laborioso fessa incessu, tristis affectu, dies noctesque mœrore integrat. Nam licet fletum plerumque sermone suspendat, in oratione renovat; et quamvis Scripturarum memoria consolationes serentibus præcurrat, flendi tamen desiderium precandi assiduitate compensat, lacrymarum ubertatem tunc præcipue, quando nemo interrumpere possit, instaurans. *Atque hæc sunt præcipua, quæ habet S. Ambrosius de Sororis suæ virtutibus, quamvis alibi de ea sæpe meminerit. Jam de Sanctæ nostræ chronotaxi pauca dicamus.*

§ II. Sanctæ virginis epocha, locus mortis, epitaphium, sepulcrum, et Acta.

[illegible] S. Marcellina, circa [illegible] nata [illegible]

Joannes *Petrus Puricellus in Dissertatione Nazariana cap.* XLVI, *num.* 2 *conjectat,* S. Marcellinam *natam esse anno Christi* 328. *Hæc conjectura mihi non displiceret, si nativitatem S. Am-* B *brosii usque ad annum* 340 *differret, uti eam differendam censet Tillemontius tom.* X *Memor. Eccles. pag.* 729. *Ea controversia postmodum accuratius discuti poterit in Vita S. Ambrosii, ad diem* VII *Decembris illustranda. Interim ex Actis Ambrosianis a Paulino presbytero scriptis constat,* S. Marcellinam *jam grandiusculam fuisse, dum S. Ambrosius adhuc in cunis jaceret. Præterea* S. Marcellina *virginitatis professionem non emisit ante finem anni* 352, *cum eodem tantum anno Liberius electus fuerit Romanus Pontifex. Denique* S. Marcellina, *teste eodem Paulino,* virginitatem jam fuerat professa, *quando Ambrosius adolescentulus videbat matrem et Sororem aliasque virgines sacerdotis manum exosculantes, et* ipse ludens offerebat dexteram, dicens et sibi id ab eis *(alii malunt legere* ab ea) fieri oportere; siquidem episcopum se futurum esse memorabat. *Hæc autem ludicra manus oblatio potius Ambrosio decem aut duodecim annorum puero, ut recte advertit Tillemontius loco supra citato, quam novemdecim aut viginti annorum adolescenti convenire videtur.*

[illegible] an. 398 vel [illegible] [illegible]usse.

8 *Ex dictis colligi potest, quod* Marcellina C *facile decem annis Ambrosio senior fuerit. Quo posito, dicemus, eam anno Christi* 330 *natam esse, et anno* 352 *sub Liberio Papa castitatis votum emisisse, cum jam vigenti duos ætatis annos haberet. Quo autem anno obierit, determinare non possumus. Acta quidem nostra asserunt, eam sub Simpliciano episcopo Mediolanensi et S. Ambrosii successore mortuam esse; sed cum, teste Puricello in Dissertatione Nazariana cap.* LVI, *num.* 1, *quidam auctores Simpliciano duos, aliqui tres, alii quatuor, alii denos, alii duodenos episcopatus annos adscribant, hæc mortis epocha rursus certa non est. Longe tamen probabilius est, Simplicianum anno* 397 *S. Ambrosio suffectum tantummodo tribus annis et aliquot mensibus ecclesiæ Mediolanensi præfuisse, nec ultra annum quadringentesimum vixisse, ut ostendit eminentissimus Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis tom.* V *ad annum Christi* 400 *num.* 3, *et pluribus ex eo probat Puricellus in Dissertatione jam laudata cap.* LIX, *num.* 8. *Potest etiam de hac epocha videri sententia Henschenii nostri ante tomum* I *Aprilis pag.* 38 *in Dissertatione singulari de morte S. Ambrosii, et Papebrochii Exegesis de episcopis Mediolanensibus tomo* VII *Maii præfixa pag.* 41. *Hinc itaque conjicimus,* S. Marcellinam *prope septuagenariam verosimilius anno* 398 *aut* 399 *ex hac vita migrasse.* AUCTORE G. C.

9 *Quæstio est inter Baronium et scriptores Mediolanenses, utrum* S. Marcellina *Romæ, an Mediolani obierit. Baronius in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi* 383 *num.* 17 *post exhibitum* S. Marcellinæ *epitaphium innuit, eam Romæ obiisse, sed sacrum ejus corpus Mediolanum translatum fuisse. Contra insurgunt Mediolanenses, contenduntque, eam non tantum Mediolani sepultam, sed etiam mortuam esse. Certe, si Actis nostris credimus, Mediolani mortua et sepulta est. Argumenta contra Baronium vide apud Puricellum in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ a pag.*29, *ubi suam opinionem ex ipsis S. Ambrosii verbis stabilire nititur, asseritque (attamen sine teste)* S. Marcellinam *post Satyri fratris sui obitum, cui Mediolani interfuit, numquam Romam repetiisse. Petrus Paulus Bosca in Martyrologio Mediolanensis ecclesiæ pag.* 196 *eamdem sententiam ex antiquo* S. Marcellinæ *epitaphio probare conatur; ex quo tamen locus mortis non satis clare eruitur, cum Baronius proxime citatus illud ipsum proferat, et* E *satis commode de Romano obitu explicet. Attamen judico, omnibus utrimque expensis, quod Mediolanenses historici habeant potiores pro sua sententia rationes.* probabilius Mediolani, quam Romæ.

10 *Nunc ipsum* S. Marcellinæ *damus epitaphium, quod quidem a Simpliciano compositum dicitur, sed non satis solide probatur. Id autem ex Ms. codice Basilicæ S. Petri desumptum, et cum Gruteri editione collatum ita habet:* Sanctæ virginis epitaphium,

Marcellina, tuos cum vita resolveret artus,
Sprevisti patriis corpus sociare sepulchris;
Cum pia fraterni speras consortia somni,
Sanctorumque cupis cara requiescere terra.
Nil longinqua domus casto decerpsit amori;
Affectus nec morte perit: nam munere læti * — * *Grut.* lethi
Rursus tacta * soror fraternæ redderis aulæ *. — * *Grut.* victa *al.* juncta
Quamvis magna pio suspiret Roma dolore,
Tertia quod sacris * patitur jam damna sepulchris *? — * *Grut.* umbræ — * *Grut.* sacri
Hæc tamen angustæ * sedem quis dixerit aulæ, — * *Grut.* angustam
Corporis hæc domus est: nam te pia Virgo supernum
Accipit imperium, placideque ad munera vitæ * F — * *Grut.* placidæ post munera mortis.
Æternæ Christus pretium tibi destinat aulæ,
Præmia dans castis intactæ matris honore *. — * *Grut.* honorem
Te Juli medius transcendit fervide cursus,
Et te, Virgo, tuus transvexit ad æthera sponsus.

11 *De hodierno* S. Marcellinæ *sepulcro Puricellus Dissertationis Nazarianæ cap.* LVI, *num.* 16 *ita scribit:* Marcellinæ tumulus visitur adhuc in Ambrosianæ basilicæ subterranea confessione (vulgo scurolo) collocatus juxta sancti Ambrosii sepulcrum, altari primario subjectum, decemque circiter passus sive cubitos ab eo distat. *At carmina jam relata non amplius ibidem exstare, fatetur idem auctor circa finem ejusdem numeri his verbis:* Quod igitur Simplicianus epitaphium insuper tumulo Marcellinæ apposuit, hoc ipsum profecto in eadem illa exposuit æde: sed inde postea sublatum fuit; atque tunc fortasse, quando, effossa subtus humo, confessionem hodiernam et scurolum substruxerunt. *Mabillonius etiam in suo Itinere Italico pag.* 15 *de præsenti ejusdem sepulcri statu ita obiter meminit:* Interim ecclesiam lustramus, vota nostra Deo facturi ad tumulum et sepulcrum

AUCTORE G. C.

tumulum sancti Ambrosii, cujus corpus in crypta subterranea sub altari majori latere creditur. Ibidem sepulta est ejus soror Marcellina virgo in tumulo prominente, cujus vetus epitaphium a Grutero est relatum : nam id, quod nunc gypseo sepulcro appositum legitur, recentius est. *Suspicor, Mabillonium hic in fine loqui de inscriptione, quam laudatus Puricellus capite et numero proxime citato sic profert :* In eo igitur tumulo mortales Marcellinæ exuvias conquiescere creditum est : ac ne ipsi quidem tumulo nunc desunt litterarum testimonia. In posteriori enim ejus parte ad veterem illum parietem obversa, sic est incisum superillitæ calci : HIC JACET SANCTA MARCELLINA, SOROR SANCTI AMBROSII, et rursus in tumuli dorso sic est atramento inscriptum : VIRGO MARCELLINA, DIVI AMBROSII SOROR, ET A DIVO SIMPLICIANO HIC SEPULTA.

Vita seu potius concio de gestis examinatur,

12 *Superest, ut de Actis, huic Commentario subnectendis, quædam præmoneamus. Vita* S. Marcellinæ, *quam ex Mombritio dabimus, vere panegyricus sermo est, in anniversaria sanctæ Virginis* B *festivitate Mediolani habitus, ut legenti manifestum fit. Quis vero sit concionis auctor, vel quo sæculo eam dixerit, plane ignoramus. Tantummodo scimus, Mombritium tempore Sixti IV Romani Pontificis Acta Sanctorum edidisse ex antiquo Passionario in pergameno Ms., quod in Archivio Lateranensi conservabatur, uti nos docet Dominicus Macrus in suo Hierolexico pag.* 83 *ad vocem* Birrus. *Hilarion monachus Benedictinus in Supplemento ad Vitas Sanctorum a Jacobo de Voragine scriptas eamdem concionem, omisso exordio, in compendium redegit, ac Mediolani anno* 1494 *typis vulgavit. Silvanus Razzius abbas Camaldulensis inter Vitas feminarum sanctitate illustrium tom.* IV, *fol.* 52 *verso eadem Acta stylo suo exornata Italice edidit. Ceterum concionator, ex quo hi omnes sua hauserunt, vix quidquam peculiare habet, præter elogia superius ex S. Ambrosio relata, quibus duos palpabiles immiscuit errores, quos jam detegemus.*

in qua unus,

13 *Præter innumera sive amanuensis sive typothetæ menda, quæ in Mombritianam horum Actorum editionem irrepserunt, in eadem duplex error circa narrationis substantiam occurrit. Primus* C *legitur num.* 2, *ubi concionator asserit, S. Ambrosium solummodo natum esse postquam* S. Marcellina *publicam virginitatis professionem sub Liberio Papa ediderat. At supra diximus id fieri non potuisse ante annum* 352, *quo Liberius die* XXII *Maii Julio Pontifici successit. Si igitur S. Ambrosius tantum post annum* 352 *natus sit, et juxta omnes scriptores anno* 397 *vel* 398 *obierit, sequitur, eum solummodo* 45 *vel* 46 *vitæ annos explevisse. Interim S. Ambrosius lib.* IV, *epist.* XXXII *ad Severum episcopum de se ipse ita diserte scribit :* Cum annum tertium et quinquagesimum jam perduxerim in corpore situs, in quo tam graves jam dudum sustinemus gemitus, quomodo non in tabernaculis Æthiopum tendimus, et habitamus cum tabernaculis Cedar? *Ex his puto satis manifeste de errore convinci concionatorem, quem tamen Hilarion et Razzius errantem secuti sunt.*

alterque crassus error corrigitur.

14 *Alter error sese offert in eadem concione num.* 12, *ubi dicitur Satyrus post Ambrosium natus fuisse. At hæc hallucinatio iterum satis refellitur ex ipso S. Ambrosio, qui in libro de obitu Satyri fratris, virtutes ejus laudans hæc ad propositum nostrum de illo habet tomo* IV *editionis* D *Coloniensis pag.* 150 : Quis igitur non miretur virum inter fratres duos, alteram virginem, alterum sacerdotem, ætate medium, magnanimitate non imparem, ita inter duo maxima munera præstitisse, ut alterius castitatem, alterius sanctitatem referret, non professionis vinculo, sed virtutis officio? *Videsne Satyrum inter Marcellinam virginem et Ambrosium episcopum vocari* ætate medium? *Nihilominus huic errori dudum adhæserunt Mediolanenses in Lectionibus propriis num.* 2 *exscriptis. His præviis observationibus præmunitus lector nunc ipsam habeat sanctæ Virginis Vitam seu potius panegyricam annuæ festivitatis concionem, a Mombritio editam, quam hinc inde a mendis typographicis purgare coacti fuimus.*

ACTA

Ex Bonino Mombritio tom. II *fol.* 95 *verso.*

E

PROLOGUS.

Auctor tenuitatem suam excusans,

Ædificationi fraternæ quamquam non impudenter *, sed tamen non usquequaque improbabiliter ad gloriam Dei nostri et laudem sacratissimæ Marcellinæ suggerit animus nonnulla retexere; cui numquam præberetur assensus, nisi vester circa eamdem Dei Virginem indefessus compulisset summæ devotionis affectus. Qua de causa vos convenisse decet, non ut meæ frontis refellatis inscitiam, sed ut vestrum sacrosanctis meritis obsequium solicite repræsentetis. Haurite nunc, si libet, ex plumbea fistula destillantis guttam liquoris, et nolite mirari, si aridus et inutilis truncus botrum ferat non suum; quamvis ille, qui jussit aridam Aaron frondescere virgam, nostros quoque, si velit, faciet revirescere truncos : nec dubitandum, quin, qui beatæ Marcellinæ perpetuæ virginitatis largitus est palmam, nobis virtutum ipsius præconia partim dicere cupientibus, F loquendi tribuat officinam.

* *forte prudenter*

Jephtæ exemplo,

2 Scriptum in veteri legimus historia, Jephte quondam gentis Israëliticæ ducem, postquam unicæ natæ votivum Deo sanguinem litaverat, ad celebrandum competenter funus virgineum lugubres undique virginum phalangas concitasse, ut hoc pacto et patrii amoris gravissimum temperaret mœrorem, et dilectæ supra modum filiæ ineluctabiles posteris linquere posset exsequias; et ex eo morem fuisse loci illius virginibus anniversario Jephte filiam plangere luctu, imo excellentis memoriæ virgini septem threnici cantus dies per singula ad succedentium annorum dedicare curricula. Ut ergo ex veteribus nova cudamus; si priscæ observantiæ virgo, patriis quodammodo votis obnoxia, patrioque lachrymabiliter jugulata mucrone, apud collactaneas et compatriotas tantum honoris obtinuit, ut ejus non solum recens, sed et vetustum diuturna post tempora bustum annuis frequentaretur exsequiis, septenisque excubiis honoraretur; cur non multo amplius

a

A a nobis, quibus vetera transierunt, et ecce facta sunt per Domini adventum omnia nova, beatissimæ virginis Christi festivitas decenti honore colatur, et condigna memoria veneretur?

...ad an- ...in S. Mar- ...festum ...randum ...citur.

3 Quid prodest, o cives, sanctis martyribus seu venerandis virginibus scilicet externæ regionis solennia votorum debita solvere; nostros, aut, qui in promptu habentur, ut puta patres patriæ, et hujus nostræ ecclesiæ propagatores derogando contemnere, et nequaquam debitis obsequiis venerari? Informent nos igitur præmissa Israeliticarum exempla virginum, et quas ille devotis obsequiis, licet inanibus præmiis, famosæ exsequias virgini annua festivitate lugubriter deferebat, vos, Christi sponsæ, ac Deo dicatæ virgini Marcellinæ, cujus in semet recurrens anni orbita festivæ migrationis diem revexit hodiernum, hilariter atque puriter exhibere, ut ejus sedulis adjuti intercessionibus, proferendis meritis sublimati, Christo Domino laudes dulcibus modulis intonetis: quamvis ei dispar sit nostræ et illarum causa B solennitatis, est tamen assimilis forma virginei affectus et pietatis.

Caput I. *S. Marcellinæ natales, pia educatio, et publica post Liberii Papæ exhortationem virginitatis professio.*

...Marcellina ...parentibus ...etc.

Marcellinam igitur gloriosissimam Christi virginem pontificis egregii, patroni atque institutoris ecclesiarum Ambrosii fuisse germanam totus pene recolit orbis: cujus beatæ stirpis origo quam clara etiam apud augustales apices, adeo multis est cognita, ut ad rei gestæ consonantiam superflua nostro putetur relatu: Ambrosius siquidem eorum pater illustris Romani sanguinis prosapia oriundus extitit, qui non inferiore C primum subsellio in senatu Romano potitus, tutor reipublicæ ac defensor utillimus Cæsaris est judicio præelectus. Dehinc, provehentibus eum summæ facundiæ atque industriæ meritis, Galliarum præsidatui senatusconsulto præficitur; cujus probitas morum ac disciplina in procreata ex eo sobole conjici valet. At vero præclarissimam ipsorum matrem, nihilominus et ipsam generosa stirpe nobilem, sed longe virtutum generositate nobiliorem, plenamque religionis et fidei fuisse liquet, cujus institutis beata virgo Marcellina, castis moribus informata, Christum, Dei filium, et concupivit ut sponsum, et dilexit ut dominum.

...hæc virginitatem profiteri ...derat, quæ ...Papa.

5 Denique hanc in primo flore conjugii parentum jucundæ facies sibi prodisse filiam intuentes, datori bonorum omnium, primitiarum more consecrandam devoverunt. Sic matris sanctissimæ cura pervigili nutrita, sicque incrementis adulta puellaribus, mundior et purior auro obrizo absque cunctis humanæ vitæ illecebris adolevit. Quid multa? Priusquam viriles aspectus virgo pulcherrima contigisset, nec amare sciens nisi Christum, cœpit parentes de professione virginitatis accelerando suppliciter implorare. Anxiabatur plurimum tenerum pectus, et crebra suspiria incessabiliter quatiebat. Tandem obtinuit, ut die natalis Domini venturo, sponsi cælestis arrham susciperet. Et quam decenter [eo] die Christi annulum virgo suscipere gestiebat, quo Virgo intemeratæ virginitatis princeps novellum sui uteri fructum æterna posteritate acquisivit. Prædicatur in populo sacrandæ virginis pudor intemeratus; fit concursus innumerabilium ad ecclesiam puellarum invicem de ejus societate certantium. Præsidebat tunc Romanæ ecclesiæ cathedræ beatæ memoriæ Liberius, cui in ecclesia principis Apostolorum Petri, dominici natalis solennia celebranti, nuntiantur clarissimorum vota parentum, et Christum solum amantis Virginis indefessus ardor aperitur. Annuit piis precibus pastor eximius, et devotos utrorumque affectus censuit adimplendos.

EX MOMBRITIO.

coram magna populi multitudine in fide

6 Prius itaque quam Missarum celebritas finiretur, conscendens pulpitum, admonitionis verbum tam Virgini quam plebi astanti prudenter adorsus est: Bonas inquiens, o E filia, nuptias desiderasti. Videas quantus ad natalem tui Sponsi populus convenerit: et nemo ex hoc numero impastus recedet. Hic enim, qui rogatus ad nuptias aquam in vinum convertit, in te quoque sincerum sacramentum conferet virginitatis, quæ prius eras vilibus obnoxia naturæ materialis elementis. Hic est, qui quinque panibus et duobus piscibus quatuor millia populi in deserto pavit: plures potuit, si plures jam, qui tunc pascerentur, fuissent. Denique ad tuas nuptias plures vocavit. Sed jam non panis ex hordeo, sed corpus ministratur e cælo. Hodie quidem secundum hominem homo natus ex Virgine, sed ante omnia generatus ex Patre: qui matrem corpore, virtute referat Patrem; unigenitus in cælo, Deus ex Deo; partus ex Virgine, justitia de Patre, virtus de potente, lumen ex lumine; non impar generanti, non potestate discretus, non verbi extensione aut prolatione confusus, aut cum Patre mixtus, sed ut a Patre generationis jure distinctus sit. Ipse est fraternus tuus, sine quo nec cælestia, nec F marina, nec terrena consistunt. Verbum Patris bonum, quod erat, inquit, in principio: (Habes ejus æternitatem.) Et erat, inquit, apud Patrem: (Habes indiscretam a Patre inseparabilemque virtutem.) Et Deus erat Verbum: (Habes ejus divinitatem.) De compendio enim tibi fides est haurienda.

ac amore Dei instructa,

7 Hunc, filia, dilige, quia bonus: nemo bonus, nisi unus Deus. Si enim non dubitatur, quia Deus Filius. Deus autem bonus: utique non dubitatur, quia Deus bonus Filius. Hunc, inquam, dilige. Ipse est, quem Pater ante luciferum genuit, et æternum ex utero generavit, ut Filium; ex corde eructavit, ut Verbum. Ipse est in quo complacuit Pater. Ipse est Patris brachium, quia creator est omnium; Patris sapientia, quia ex Dei ore processit; Patris virtus, quia divinitatis in eo corporaliter habitat plenitudo, quem Pater ita diligit, ut in sinu portet, ad dexteram locet, ut sapientiam dicat, ut virtutem noverit. Si igitur virtus Dei Christus, numquid aliquando sine virtute

EX MOMBRITIO. tute Deus? Numquid aliquando sine Filio Pater: Si semper utique Pater, utique semper et Filius. Perfecti ergo Patris perfectus est Filius: nam qui virtuti derogat, derogat ei, cujus est virtus. Inæqualitatem non recipit perfecta divinitas. Dilige igitur, quem Pater diligit; honorifica, quem honorificat Pater: qui enim non honorificat Filium, non honorificat Patrem, et qui negat Filium, nec Patrem habet. Hæc quantum ad fidem.

et ad temperantiam,

8 Sed interdum etiam, cum fides tuta, juventus suspecta est. Modico itaque vino utere, ne infirmitatem corporis augeas, non ut voluptatem excites: incendunt enim pariter duo, vinum et adolescentia. Infrænent etiam teneram ætatem jejunia, et parsimonia cibi retinaculis quibusdam indomitas cohibeat cupiditates; ratio revocet, mitiget spes, restringat metus: nam qui moderari nescit cupiditatibus; sicut equis raptus indomitis volvitur, obteritur, laniatur, affligitur. Escis quoque omnibus, quæ gignunt membris calorem, parce utendum puto. Carnes etiam aquilas volantes deponunt: in
B vobis quoque ales interior illa, de qua legimus, Renovabitur sicut aquila juventus tua, sublime tenens virgineo præpes volatu superfluæ carnis nesciat appetentiam. Conviviorum devitandæ celebritates, fugiendæ salutationes; ipsas visitationes in junioribus parciores esse volo, si forte deferendum sit parentibus aut æqualibus: teritur enim officiis pudor, audacia emicat, risus obrepit, modestia solvitur, dum affectatur urbanitas. Interroganti non respondere infantia, respondere fabula est.

atque virginalem modestiam excitata,

9 Deesse igitur sermonem virgini, quam superesse malo: nam si mulieres etiam de rebus divinis in ecclesia jubentur tacere, domi viros suos interrogare; de virginibus quid cautum putamus, in quibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem? An vero mediocre pudoris exemplum est, quod Rebecca, cum veniret ad nuptias, et sponsum vidisset, velamen accepit, ne prius videretur, quam jungeretur? Et utique pulchra virgo non decori timuit, sed pudori. Quid Rachel quemadmodum extorto
C osculo flevit et gemuit: nec flere desisset, nisi proximum cognovisset. Ita et pudoris servavit officium, et pietatis non omisit affectum. Quod si viro dicitur: Virginem ne consideres, ne quando scandalizet te; quid dicendum est sacratæ virgini? Quæ si amet, animo peccat; si amatur, et facto. Maxima est virtus tacendi præsertim in ecclesia. Nulla te divinarum sententia fugiet lectionum, si aurem admoveas, vocem premas, nullum ex ore verbum, quod revocare velis, proferas. Sed parcior loquendi fiducia sit: copiosum quippe in multiloquio peccatum. Homicidæ dictum est: Peccasti, quiesce. Sed virgini dicendum est: Quiesce, ne pecces *a*. *a*

desiderii sui fit compos.

10 Hæc et alia innumera præfatus Papa Liberius claro dogmate, astantibus virginibus, omnique fidelis populi cœtu, venerandæ virginis auribus inculcavit. Tum vero pii patris oblatam manibus, sanctissimæ matris mixtis cum fletu precibus irrigatam solenniter benedixit, et vestis sacræ mavorte *b* *b* quodammodo subarrhatam, Christi Jesu, quem totis visceribus concupiverat, immaculatam sponsam effecit. Perfusa autem pontificali D benedictione talem se regi regum Christo in servanda mentis et corporis castimonia studuit exhibere, ut absque dubio illi nunc credatur sociata in cælis, cui se intemeratam vigilanter reservavit in terris. Beati plane parentes, qui tale Deo suæ prolis primitivum dedicavere munus, per quod gemina posteritas duplicata est, non amissa; verumtamen hæc multo beatior, quam terreno in corpore positam cælestis rex pura dilectione concupivit. Illa quondam, de qua præfati sumus, Jephte principis filia, victrici patris dextera jugulanda, septem prius mensibus virginitatem flevisse describitur; sed hæc nostra virgo multo præstantior, quo suorum vota parentum gratuito perfecit bonæ voluntatis holocausto. Sed his, quæ ex latere surgunt, omissis, ad proposita recurramus.

ANNOTATA

a *Hæc Liberii Papæ exhortatio prolixior et elegantior est apud S. Ambrosium lib.* III *de Virginitate, ex quo hic aliqua correxi.* E

b *Est velum, quo obnubebantur sponsæ, de quo etiam meminit S. Hieronymus ad Eustochium scribens. Plura de hoc vestis genere videri possunt apud Macrum in Hierolexico ad vocem* Maphorium.

CAPUT II. *Duo S. Marcellinæ fratres, variæ ejus virtutes, dolor ex fratrum morte, et pius illius obitus.*

Sancta Marcellina fuit soror S. Ambrosii.

Ambrosius præterea hujus sanctæ virginis genitor, de quo prædiximus, vir in cunctis et apud Cæsarem et apud Christum nobilissimus, et fidei nitore perspicuus, sui voti, quod pollicitus fuerat, compos effectus, immensa exultatione jucundabatur, fidens sine dubio, se non absque ingenti præmio dimittendum a Christo, qui tam devoto mentis obsequio sibi unicam spopondisset. F Mox denique potioribus a Cæsare cumulatus honoribus, et Galliarum strenue præsidatum obtinuit, et a Christo pro nuper oblato fœnore amplificatum suæ posteritatis emolumentum recepit *a*. *a* Siquidem in Gallicanis degenti regionibus natus est illi alter Ambrosius, cognomine et forma corporis patrem æquiparans; sed honesta dignitate morum atque insigni præconio meritorum cunctam pene superaturus Romanæ stirpis originem. De quo admirabili viro qui nosse voluerit, Cosmogiaphorum *b* Græcorum, vel Latinorum percurrat Annales, seu etiam Paulini *b* venerabilis episcopi *c*, quem de ejus Vita conscripsit, libellum. Illic inveniet, qualiter a *c* cunabulis, cælestibus designatus auspiciis adoleverit, qualiterque adultus ad summam philosophiæ arcem pertinxerit *; cujus causa ad consilium tribuendum primo electus, deinceps consulares infulas sit adeptus; a quibus ad pontificale culmen Mediolanensis ecclesiæ divina providentia accitus, maximis illud virtutis apostolicæ fulgoribus irradiaverit.

* *lege pertigerit.*

A rit. Nos ea omittimus, quia ad alia festinamus.

12 Additus est Ambrosio alter quoque filius, Satyrus nomine *d*, vir post modicum apud seculum et apud Deum magnificus, qui præcipua tam in humanis, quam in divinis negotiis dirimendis et exsequendis solertia clarissimus in toto orbe Romano et jugi memoria dignus multorum sapientum judicio habitus est. Ejus quoque vitam et mentis devotionem libri de obitu ipsius a fratre digesti mire produnt, fidelissime confitentur. His ergo duobus germanis fratribus post utriusque parentis obitum virgo Christi Marcellina, quasi duarum fulta remigiis alarum terrena omnia præpeti penna prætervolans, aditum quotidie cælestis patriæ suspirabat; horum et adjuta præsidiis, et admonitionibus instituta, nihil erat jam quod in ea vivens mundus inveniret; sed secundum Apostolum crucifixa mundo, et mundus illi, nihil præter simplicem habitum et viles cibos de universa paternæ possessionis hereditate requirebat: continuatis jejuniis vigiliisque creberrimis numquam ab intenta oratione aut B Scripturarum divinarum meditatione cessabat; et præcipue, quam sibi præsul eximius fraterque Ambrosius affectu dulcissimo propria manu conscribens direxerat, lectione utebatur, Arianæ perfidiæ non parum solicita.

13 Viro autem Dei Ambrosio moris fuisse narratur, ut si forte absente illa novi aliquid aut scribere illum aut agere contigisset, mox eidem propriæ manus indiciis, quo indubitata fide susciperet, conscripta dirigeret; sicque obtentum, ut dum istius cura spiritualium jugiter sacrosanctæ virginis subministrarentur insignia ferculorum, alterius quoque vigilantia corporalium necessitudinum procurarentur obsequia, Deo dicata mens, quasi in speculari lapide divinæ contemplationi semper intenta, semetipsam circumspecte ac provide intuendo irreprehensibilem maculatamque * cælestis sponsi conspectui repræsentaret. Interea cum piæ recordationis almificum præsulem Ambrosium suscepti episcopatus causa in præfata urbe Mediolano compulisset, fratremque dilectum, luce ipsa C cariorem, secum amoris glutino detentum cohabitare fecisset, virgo Domini Marcellina carissimis diutius avelli non passa germanis, domo patria rebusque relictis, sese Mediolanum contulit, satius rata peregrinam cum illis ducere vitam, quam duobus privata luminibus Romanas opes miserabilis possidere. In illis totam post Christum vitæ suæ inesse fiduciam, totam spem, totamque claritatem lacrymis oculos suffusa confitebatur.

* lege immaculatamque

14 Nihilominus et a fratribus, ut sui Domini sponsa nimio diligebatur affectu, sedulo venerabatur obsequio, eratque illis jam non quasi soror, sed ut major natu domina materque spiritualis, ita eos diligens ut filios carissimos, ita ab ipsis dilecta, amplexata, venerata, ut mater. O felicia tempora, quibus ex uno utero tanta sanctitas virginitatis pietasque prodierunt! Coruscabat in tribus quasi cælo stellis micantibus cunctarumque nitor virtutum, ut si forte aliqua in uno deesset, ab altero suppleretur. O tempora et o mores! Humilitatem si perpenderes, nihil humilius, nihilque mitius usquam his tribus inveniri posse jurares. Rursum si mentis eorum rigorem in adversis quibuscumque ferendis seu etiam pravorum moribus corrigendis inspiceres, ferro duriores bestiisque ferociores esse putares. At si pietatis viscera circa delinquentes et confitentes, sive aliquas variarum tribulationum necessitudines angustiasque patientes in eis forte requireres, videres eos ita cum lugentibus lugere, quasi aut ipsi pariter ejusmodi labe macularentur, aut paribus angoribus atque necessitatibus constringerentur. Sæpissime, quidquid ex prædiis habere poterant, captivorum redemptioni largiti sunt, frequenter exulantibus impartiti. Quid dicam? Deficit enim me tempus tantarum virtutum cumulum metiri volentem.

EX MONUMENTIS.

15 Sed quia talibus dignus non erat mundus, paulatim e corpore subtracti ad cæli palatium advocantur: ac primum admirabilis Satyrus cum immenso dolore, non solum fratris ac sororis, sed totius fere provinciæ migravit ad Superos; de cujus obitu duos frater Ambrosius ad doloris solamen libellos fletibus irrigans, luctuosis questibus adimplevit, in quibus et beatæ Marcellinæ pius erga fratrem mirifice his verbis proditur affectus: E O Sancta soror, quæ fratris solatio destituta, de suo pudore solicita, duobus nuper beata germanis, nunc ex duobus fratribus neque alterum sequi potest, neque alterum derelinquere; cui tumulus hospitium tuus, et corporis tui sepulcrum est domus. Atque utinam vel hoc tutum diversorium, cibus in fletibus, potus in lacrymis. Constat autem hunc ex illo venerandæ virgini morem fuisse, ut continue supra tumulum fratris genu nixa Dominatori omnium sanctam ejus animam precibus assiduis commendaret. Persæpe etiam diem sine cibo, noctemque insomnem transigens, loco sepulcri vix ad momentum poterat avelli.

et propter obitum Satyri,

16 Non post multos vero annos Christi præsul egregius summusque confessor Ambrosius post innumera virtutum miracula, post superatas armis sapientiæ Arianorum insidias, post solidatas fidei Catholicæ fundamento occidentales ecclesias, transiit ad Dominum, perpetua laborum suorum præmia recepturus. Tunc deinde duplicatus mœror, renovata tristitia, nihilque aliud præterquam mori F anxiæ nimium sorori placebat. Quid faceret? Quo se verteret? Nunc ad illum, nunc ad hunc provoluta tumulum hæsitabat: se solam sine comite, solam sine gubernatore relictam conversa ad Christum ineluctabiliter querebatur. Hic, inquiens, moriar Christe; hic extremum anhela spiritum ponam: suscipe, quæso, hanc anum, cui sola tuæ pietatis reservasti solatia. Suscipe duobus orbatam luminibus, et fratrum clementer beatis adjunge spiritibus. Hæc autem beatissima Virgo, non quia fratres amiserat, sed quia sine illa transierant, flebiliter ingemiscebat.

et Ambrosii magno dolore afflicta,

17 Ultimum itaque vitæ suæ tempus venerandis tumulis dedicavit, ante quos excubans, et die noctuque sacratas persolvens excubias, spiritum cælo reddidit, Christo copulata per ævum. Obiit autem præcellentissima virgo Marcellina sextodecimo Kalendas Augustas, cum aurora noctis metas excederet, coram positis clericis, populique majoribus urbis hujuscemodi Mediolanensis:

pie moritur. ac ibidem sepelitur.

EX MOMBRITIO.

Mediolanensis : corpus vero ejus a venerabili antistite Simpliciano reconditum, et fratris tumulo sororis tumulus est appositus, quo in loco piis eorum interventibus solita Dominus Jesus beneficia suis rependit fidelibus, ut facile pateat cunctis, quod eorum spiritus simul lætantur in cælis, quorum sublimis virtus paribus radiis refulget in terris, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA. D

a *Hunc parachronismum correximus in Commentario prævio num.* 13.

b *Puto, hunc esse errorem typothetæ, atque pro* cosmogiaphorum *legendum esse* cosmographorum, *qui hic pro historicis ponuntur.*

c *Paulinus Vitæ Ambrosianæ auctor, teste Isidoro, fuit presbyter ; sed ab aliquibus confusus est cum Paulino episcopo Nolano, ut ostendit Possevinus noster in Apparatu sacro tom.* II, *pag.* 218. *Videtur concionator hic eumdem errorem secutus esse.*

d *De hoc concionatoris errore etiam egimus in Commentario prævio num.* 14.

DE S. ALEXIO CONFESSORE

ROMÆ, VEL, UT ALIA ACTA FERUNT, EDESSÆ IN SYRIA.

B E

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS AD ACTA LATINA.

§ I. S. Alexii nomen ; patria ; parentes ; ætas ac mors ; idemne an diversus a S. Joanne Calybita ?

SUB INITIUM SÆCULI V. *Nominis etymon,*

Duplici modo scribitur nomen hujus Sancti; communius quidem vocari soliti Alexius ; at Alexis *etiam vocati in codice quodam nostro Ms. antiquissimo, signato* P *Ms.* III, *ac Valcellensi, et alibi. Nomen illud posteriori modo exaratum jam tum ab auctoribus aurei sæculi usitatum fuisse argumento est, quod illud Virgilius adhibuit : nam ejus ecloga secunda inscribitur* Alexis, *quod nomen per ejusdem eclogæ decursum pluries repetit. Etymon illius Græcum est ; non inepte derivandum a verbo* ἀλεξέω, arceo, auxilior, opitulor. *Unde* Alexius *dici potest, qui sibi contraria arcet, vel qui opem alteri aut remedium affert. Carolus Ruæus noster in Virgilio a se edito, et interpretatione ac notis illustrato ad usum Serenissimi Delphini Franciæ, hinc etiam fere deducit nominis dicti etymon, dicens* Alexin *appellatum, quia voluptas erat ac solatium domini, seu quia puer a se arcebat Corydonem etc. Alias nomenclationes adducit noster item Joannes Ludovicus de la Cerda. Legenda aurea typis edita, inter plura commenta etymologica, quibus scatet, hic valde ineptit:* Alexius, *inquit,* dictus est ab a, quod est valde, et lexis, quod est sermo : unde Alexius, qui valde in verbo Dei robustus : vel Alexius, qui ab exius, vel ab ambio, ambis ; et exios, quod est circulus : et inde Alexius quasi ambiens circulum a creatore incipientem, et in creatore desinentem. *Quam nomenclationem commemorasse, refutasse est ; ut superfluum sit singula ipsius membra castigare. Ad utiliora pergamus, Sancti patriam spectantia.* C

ac Sancti patria.

2 *Romæ cum accenset canon seu canticum sacrum in honorem ejus sæculo* IX *concinnatum a S. Josepho, infra laudando ; qui canon antiquissimum ac præcipuum monumentum est, ad quod tota Sancti historia, prout vulgo circumfertur, exigenda sit, uti pluribus dicetur inferius suo loco. Accedunt Vitæ tum manuscriptæ, tum typis excusæ, ac receptissima Romanorum traditio, communisque hominum sensus ac persuasio. Tillemontius tomo* X *Monument. eccl. pag.* 666 *nihil hic ausus decidere, considerata incertitudine historiæ Alexianæ ; esse asserit, a quibus credatur, potius vixisse Romæ novæ seu Constantinopoli, citatque Ephemerides nostras, tomo primo Maii præfixas. Audacior est more suo nuperus Legendarius Gallus tomo* II, *col.* 269, *ubi refert ex magna convenientia, quæ reperitur inter* S. Alexium *ac S. Joannem Calybitam, varios eruditos judicasse, fieri posse, ut hic non sit nisi unus idemque Sanctus sub duplici latens nomine ; et allegat dictas Ephemerides pag.* 18. *Deinde adfert consonantiam Vitæ Sancti utriusque, quasi primum Alexianæ Vitæ exemplar non fuerit nisi apographum Vitæ Sancti alterius, nulla fere re in ea mutata præter nomina personarum et locorum : inter indicia fraudis, ibidem relicta, illud mansisse, quo refertur Sanctus noster post mortem agnitus e suo chirographo coram* patriarcha et imperatore ; *quod alio spectare non possit quam ad CPolim. Addit nonnullos in ea esse sententia, quod aliqua pars reliquiarum S. Joannis Calybitæ CPoli Romam a monachis Græcis delata sit sub nomine* Alexii, *collocataque in monasterio S. Bonifacii, a Græcis pariter ac Latinis ascetis eodem tempore inhabitato, atque exhinc ecclesiam istius monasterii SS. Bonifacii et* Alexii *nomine appellatam fuisse. Ita ille. Jam vero cum vita Sancti Romæ acta, morsque Romæ obita, ac Roma, ejusdem patria simul historice connexa sint, nemo miretur, si dum de hac sermonem instituimus, simul etiam de istis eadem occasione hic mentionem faciamus.* F

Romæ Sanctum vivere cœpisse.

3 *Norunt eruditi, Papebrochium in prætensa Exhibitione errorum, ab accusatore suo perperam ipsi imputatorum, insimulatum fuisse : quod opinaretur* S. Alexium *non Romæ sed CPoli vitam clausisse. Purgat se parte* I *Responsionum a pag.* 248, *asserens,*

A *asserens, se in Ephemeridibus Græco-Moscis, quoniam per tempus non liceret istam controversiam funditus examinare, nihil præpropere judicasse, aut opinatum fuisse; at suspendisse judicium, professumque esse, quod istic obiter dicta eruditis viris voluerit consideranda proponere, priusquam aliquid de iis statueret, plenam rei decisionem remittens ad hunc diem. Itaque nihil tunc, quando Ephemerides scripsit, absolute se opinatum declarat, neque tunc quidem, quando ad objectas accusationes respondebat, opinari se quidquam contra Romanorum traditionem. Causas dubitandi, quas ex situ novæ Romæ ac veteris, nominibus parentum Euphemiani et Aglaidis, et ipsiusmet* Alexii, *quæ mere Græca sunt, habuit; quibus adjungi potest, quod cultus Sancti prius videretur institutus CPoli, quam Romæ, proponit ibidem a pag.* 249; *præbente dubitandi occasionem Vita, serius, ideoque obscurius, nec sine defectibus scripta. Prædictus accusator ansam præbuit Papebrochio controversiam istam tum temporis diligentius examinandi, quamquam etiamnum tunc præmature: qui subacto post longam annorum fere quadraginta in rebus ad res Sanctorum pertinentibus* B *judicio dubia tandem sibi antiqua solvit pag.* 250 *sequentibus verbis, e supra laudato canone depromptis:* Considero, *inquit,* ipsum illum canonem iterum ac diligentius relegens, non solum simpliciter istic nominari Romam (quam si novam intellexisset auctor, verosimiliter alicubi nominasset, ut solet, τὴν Βασιλίδα, civitatem Regiam) sed etiam noto odes IX Strophe V sic cani:

[margin: …batur]

4 « Convenerunt ad sepulturam tuam Pa» triarcharum ὁ πρὸκριτος, et Christi aman» tissimus Imperator, Principesque, juvenes, » ac seniores cum choris monachorum » ubi Πατριαρχῶν ὁ πρόκριτος, Patriarcharum præcipuus, sive eximius inter Patriarchas, nemo aptius intelligi potest, quam Patriarcha seu Pontifex Romanus; esto idem epitheton convenire etiam possit Joanni Chrysostomo tamquam eximio vel præcipuo inter Constantinopolitanos Patriarchas. Sed hunc cur non distinctius indicasset Josephus, Odarum istarum auctor, per epitheton magis ipsi proprium, si de eo intelligi voluisset? Fuit enim ipsemet magnæ CPolitanæ ecclesiæ sceuo- C phylax, sive sacrorum vasorum custos anno DCCCXLVIII institutus, in eaque dignitate vixit usque ad annum DCCCLXXXIII; intra quod tempus reflorescente sub orthodoxa Imperatrice Theodora Sanctorum cultu, canon sive hymnus iste compositus fuit, ac fortassis tum primum CPoli receptus S. Alexii cultus, una cum qualicumque Vita Roma allata.

[margin: … Josepho …graph… …]

5 *Quoniam vero per Romam, simpliciter a laudato, vel alio (vide num. 33) Josepho, in hoc canone expressam, Romam veterem, non novam seu CPolim intelligi debere contendimus, juvat paululum altius ista repetere, a quibus præsentis controversiæ status magna ex parte pendet: aliter quippe locuturus fuisset iste auctor, adhibitis phrasibus per id tempus usitatis, si per* Romam, *non antiquam, sed novam seu CPolim intellexisset. Expendamus alios ipsius locos. In canone ad festum depositionis stolæ seu vestis Deiparæ in Blachernis (locus est CPoli) de qua Menæa Græca ad diem* II *hujus, et nos isto die in Prætermissis; ab eodem, qui supra, Josepho, sive ab alio ejusdem nominis, aliquantum antiquiore, sed eodem tamen sæculo vivente, concinnato; in canone, inquam, isto acrostichis ponitur, in qua datur nomen CPoli* τῇ πασῶν Βασιλίδι τῶν πόλεων, reginæ omnium urbium. *Et in fine, ubi litteris acrostichis nominis proprii Josephi auctoris veluti sigillo canon signatur, eadem expressio recurrit. Ita de CPoli loquebatur Josephus; ita loquebantur alii Græci, ut cuilibet in historiis vel mediocriter versato notissimum est. De CPoli jussu Constantini* Nova Roma et secunda Roma *appellata, dictum ex Socrate et Sozomeno ad Vitam S. Joannis Calybitæ die* XV *Januarii, pag.* 1029. *Per Romam itaque simpliciter sine alio epitheto distinctivo a S. Josepho superius expressam, intelligenda est Roma vetus, non Nova seu CPolis: et habemus testimonium, sæculo saltem nono scriptum pro Romanis,* Alexii *natales sibi vendicantibus; quibus confirmatur communis de patria* S. Alexii *traditio; quam recentiorum quorumdam observationes criticæ non evertunt.*

[margin: AUCTORE J. P.]

6 *Atque ex his conficitur* S. Alexium *Romæ vivere cœpisse. Indidem etiam probatur, quod Romæ vivere desierit. S. Josephus in laudato canone ode* VI *Sanctum* patriæ redditum *canit; ode* VII ad portas parentum sedisse; *ode* VIII antea parentibus *incognitum peregrinationis tempore,* illis *se postea* manifestasse, *et* omni Romæ manifestasse Dominum E absconditum thesaurum, in mendici habitu jacentem. *Quæ omnia Sanctum virum Romæ natum, Romæ mortuum satis declarant. Nihil itaque sive apud Græcos, sive apud Latinos auctores satis explorati afferri in medium posse arbitror, quod certo cogat* Alexium *Romanis eripere vel in suis natalibus vel in sua morte. Utrumque nos stabilivimus ex omnium antiquissimo auctore; proferant adversarii vel unum unicum alicujus notæ et antiquitatis, e quo assertum nostrum evertant. Quamdiu pugnant solis conjecturis, argutiunculis, et dubitatiunculis, nihil promovent; prævalitura semper possessione, auctoritate antiqui scriptoris roborata, donec aliquid afferatur majoris ponderis pro opposita sententia. Scio equidem hanc meam sententiam, ex solo auctore, qui floruit quadringentis annis post Sanctum, de quo scribit, comprobatam, aliis omnibus anterioribus silentibus, suis difficultatibus non carere: sed prævaleat auctoritas Josephi, prævaleat possessio, donec certioribus documentis evertatur. Hæc de Sancti natalibus; nunc de parentibus ejus dicamus.*

[margin: e quo etiam asseritur Romæ mortuus.]

F

7 *Josephus Hymnographus vel alius homonymus eorum nomina non exprimit; sive ea non invenerit in historia aut Vita, ex qua suum canonem concinnavit; sive, si ibidem illa invenerit, certe haud probarit. Unde suspecta forte videri possint nomina Euphemiani et Aglaidis, quæ leguntur in Vitis Græcis ac Latinis, tamquam eo intrusa ab auctore sæculi* X *aut* XI, *qui Sancti gesta dramatice adornarit; quæ Breviarium Romanum etiam non exprimit. Matthæus Vecchiazzani parte* I *historiæ Foropopiliensis Italice edita, pag.* 59 *de* S. Alexio *obiter agens, affirmat Euphemianum fuisse e familia antiqua* Sabelliorum, *Romæ notissima, addens ei titulum* baronis potentissimi Aventini; *sic aucupatus gratiam Illustrissimi et Excellentissimi D. Bernardini Savelli, cui suum librum dedicat. Divitem ac potentem extitisse Sancti patrem, eruitur ex sæpe dicto canone. Nonne auxesim sapiunt* tria millia pueri, qui zonis cingebantur aureis, et sericis induebantur vestimentis? *quos habuisse narratur in Vita Latina soluta num.* 3, *et in metrica sub initium. Sed hæc excogitata opinor ad apparatum scenicum, qui magnificentia commendatur. Additio ad codicem Usuardinum Hagenoyensem, ipsius etiam Sancti sponsæ*

[margin: Quædam proponuntur de Sancti parentibus,]

AUCTORE J. P.

sponsæ nomen nobis obtrudit, dicens Eufemianum dedisse Allexio Marinam sponsam. *Die autem* XIX *hujus laudato Euphemiano titulum Sancti attribuit, tum demum admittendum, quando is ex melioribus documentis probari poterit.*

ac de tempore, quo vixit et obiit:

8 *Si plusculum auctoritatis haberet auctor, qui* S. Alexii *Vitam conscripsit, de tempore, quo is vixit et obiit, certius constaret. Acta Latina tam prosaica quam metrica tradunt ipsum vixisse sub Innocentio PP. I, qui sedere cœpit anno* CDII, *desiit* CDXVII. *Eadem epocha ab omnibus communiter adoptatur, quæ et indicatur in Breviario Romano moderno. Canon Josephi nec nomen Pontificis Romani, nec Imperatoris exprimit, sub quibus vir Sanctus vixit, et ea quæ habet, adeo destituta sunt omnibus notis characteristicis individui temporis, ut nullum alicubi determinatæ epochæ vestigium offendas. Menæa magna Græcorum excusa in elogio Sancti tacent de Romano Pontifice, sed Honorium Imperatorem exprimunt. Constantius Felicius in suo Kalendario male combinat tempora, quando eum ponit sub Innocentio I et Honorio Imperatore anno* CCCXCVII. *Turpius exerrat Petrus de Natalibus, episcopus Equilinus,* B *connectens pontificatum Innocentii PP. cum Imperatoribus Honorio et Arcadio, annoque Domini* CCCLXXXVIII, *quo circiter Beatum quievisse memorat; Mombritio etiam erronee ipsos connectente cum anno circiter* CCCXCVIII. *Tillemontius loco supra citato, teneri ait,* Alexium *se occuluisse Romæ tempore laudati Papæ, anno, ut ipsi apparet,* CCCCIX *aut* CCCCVIII; *at mox de more judicium suspendit. Legendarius neotericus Gallus signat sæculum* IV *aut* V. *Mendose Breviarium Romanum, anno, sicut ei adscribitur,* MDXXII *impressum, pag.* 372 *dicit Sanctum obiisse* anno vicesimo Innocentii I; *cum sederit iste Pontifex annis dumtaxat quindecim circiter. Noster Paulus de Barry in Vita Gallica, de qua infra, natum ponit tempore Innocentii PP. et Honorii Imperatoris; et sic mors ejus ad medium sæculum quintum vel ulterius esset removenda; quod communi scriptorum opinioni repugnat.*

de quibus non satis liquet.

9 *Si Sanctus obierit sub Innocentio I et Honorio Imperatore, floruisse asserendus est versus finem sæculi* IV; *quod autem vere tunc obierit, quidquid communiter id tradatur, neutiquam tamen e monumentis Græcis aut Latinis satis solide* C *probatur. Hoc unum negari non potest, obiisse non modo Sanctum ante tempora memorati Josephi; sed, si funeri ejus vere adfuerit imperator Romanus, non supervixisse ultra sæculum* V, *imperio isti fatale, in comperto est. Erit fortasse, qui objiciant: Sanctus adeo in omnibus singularis et mirabilis, summis et imis tota urbe Romana post obitum notissimus, sæculum scriptoribus, quo obiisse putatur, florentissimum, nullus, quod sciatur, ante nonum sæculum de ipso qui agat repertus apex; non cohærent. Intelligo: at respondeo; ex eo quod Vita ante illud tempus nulla sciatur fuisse scripta, non mox sequitur scriptam omnino nullam fuisse: potuit enim intercidisse. Josephus certe quando suum canonem condidit, vel ex historia aliqua scripta vel ex auditu et traditione historica scriptionis suæ materiam accepit. Plura non hujus sed alterius loci sunt, quando de isto canone ac Vitis ex instituto seorsim tractabimus.*

S. Joannes Calybita ab Alexio diversus.

10 *Superest nunc discutiendum punctum, supra obiter tactum; utrum videlicet S. Joannes Calybita, de quo actum* XV *Januarii, sit idem an diversus a Sancto, quem hic damus. Tillemontius rotunde asserit tomo citato in notis pag.* 834, D *præsumi posse*, eumdem esse *(Alexium)* cum Joanne Calybita CPolitano; de quo eadem fere historia narratur: et qui potuit unum et aliud nomen habere; aut assumpsisse nomen Joannis, quando se abscondebat. *At præsumptio ista falsa est, quia falso nixa supposito: nam tantum abest ut pleraque historiæ Sancti utriusque puncta* fere *sint* eadem, *ut nonnulla toto potius videantur cœlo diversa: nam CPolim illustravit Joannes; alio die colitur apud Græcos et Latinos; aliud nomen habet; duplex autem habuisse nomen, eadem facilitate negatur, qua a Tillemontio id adstruitur. Magis urget, quod S. Joannes fuerit monachus Acœmetus in Bithynia; quod duos habuerit fratres; quod e monasterio egressus, commutatis cum paupere vestibus; domumque regressus tribus annis apud parentes habitarit incognitus; atque exhibito, quem ante discessum ab ipsis acceperat, Evangeliorum libro, ante mortem agnitus, et inter eorum manus mortuus fuerit; quod mater eum jam vita functum veste pretiosa induens, paralysi percussa, sed antiqua ipsi reddita lacerna, sanata fuerit: ut nihil dicam de templo ipsi exstructo a parentibus. Atque ex his satis* E *fundamenti nobis præberi existimamus, ut cum Papebrochio loco citato pag.* 249 *utrumque hunc Sanctum distinguamus. Et vero næ ille ineptus sit; qui duos mox Sanctos in unum confundat, quia vitæ instituto similes? Sic perperam aliquis confundat S. Symeonem Salum, de quo die prima hujus, cum S. Theodoro Salo* XXV *Februarii, pag.* 508; *ac S. Thoma Salo* XXIV *Maii, pag.* 433, *qui eodem sæculo* VI *vixit, quo laudatus Symeon; ut pluribus exemplis supersedeam.*

§ II. Sancti cultus apud Græcos ac Latinos; elogia; reliquiæ.

S. Alexius alio die colitur apud Græcos quam apud Latinos.

G*ræci solenni ritu* S. Alexium *colunt die* XVII *Martii, quo ipsum sic annuntiat Typicum S. Sabæ:* Sancti patris nostri Alexii, hominis Dei. *Titulum hunc* hominis Dei, *adeo sibi proprium fecit Sanctus, ut Græci omnes hagiologi passim in eo ipsi attribuendo conspirent, tamquam* F *idiotismo singulari, quo ab aliis distinguatur. Ansam isti cognomento forte iis dederit canon S. Josephi, infra producendus. In Vita num.* 4, *et rursum num.* 7 *sic divinitus traditur designatus: et in homilia S. Adalberti, de qua infra,* quasi quodam privilegio homo Dei nominatus *dicitur; ita* speciali vocabulo a Domino meritus nuncupari. *Photius tamen cod.* LIV *scitur eumdem titulum tribuisse S. Prospero, fortissimo Pelagianorum antagonistæ. Signant præterea ipsum dicto die Synaxarium ex Menologio jussu Basilii Imperatoris Porphyrogeniti sæculo* X *collectum, Menæa item magna typis edita, quæ ipsi accinunt sequentes versiculos:*

Ἄνθρωπος ἐν γῇ του Θεοῦ κληθεὶς μόνος,
Ἕξεις τι καινὸν κἂν πόλῳ πάτερ μόνος.
Ἑβδομάτῃ δεκάτῃ, Ἀλέξιε πότμον ἀνέθλης.

Solus gerebas nomen hic hominis Dei,
Novum geres nunc solus in cælo, pater.
Septima post decimam, mortem tibi præbet, Alexi.

Adde Maximum Cytherorum episcopum, Horologium utrumque anni MDCI *et* MDCVII, *Kalendarium Græcorum a Genebrardo Latine vulgatum; Horologium item Romæ excusum anno* MDCLXXVII

AUCTORE J. P.

A MDCLXXVII *ad usum Basilianorum Italo-Græcorum; ut prætercam Mss. Menæa Græca bibliothecæ Ambrosianæ Mediolani signata O 148, Martyrologium Arabico-Ægyptium, a Gratia Simonio Maronita ex Arabico versum, ac Menæum Chiffletii. Slavo-Russicum Menologium ista habet :* Beatissimi Alexii, divini hominis, Romani. Vixit anno CCCC sub Arcadio et Honorio. *Quid causæ sit, cur isto die apud Græcos celebretur, nos fugit ; nisi forte tum fuerit dies translationis ejus aut alterius solennitatis ; aut iste dies fuerit natalis ad meliorem vitam, et dies* XVII *Julii, quo colunt eum Latini, translationis aut alterius cujusdam festivitatis.*

12 *In antiquissimis Martyrologiis Latinis nihil de* S. Alexio *invenio. Ut prætercam Bedam a Floro auctum, Adonem, Usuardum ; miror nihil de ipso haberi in Romano antiquo seu parvo; nihil in Kalendario Romano, a Joanne Frontone edito, uti nec in illo, quod vulgavit Edmundus Martene Benedictinus Gallus in Thesauro novo anecdotorum, tomo* V *a col.* 63, *quod nos non putamus esse adeo antiquum, quam ille asserit, ut alia fortassis occasione ac tempore probabitur.* B *Quærentibus autem, quid causæ sit, cur tam sero nomen Sancti inscriptum fuerit Missalibus, Kalendariis ac Martyrologiis, respondet quidem, non tamen plene satisfacit Papebrochius parte* I *Respp. pag.* 251, *dicens id factum, quia cultus Sancti eatenus substiterit in sola una ecclesia SS. Bonifacii et* Alexii, *communi utriusque Sancti nomine nuncupata sæculis* X *et* XI, *uti patebit ex iis, quæ dicentur de S. Adalberto, episcopo Pragensi, ac miraculis Romæ in eodem loco patratis. Fac enim cultum* S. Alexii *tantummodo substitisse in ista una unica ecclesia, manet etiamnum difficultas, quid fuerit, quod idem Sanctus adeo Romæ mirabilis ac singularis, patria Romanus, Romanis adeo honorificus, Romæque mortuus ac sepultus, nullam Romæ publicam venerationem habuerit, et in nullis sacris tabulis consignata reperiatur ipsius memoria etiam post plura sæcula ab obitu ejus elapsa, et ab ipso quidem Romano parvo Martyrologio, sæculo octavo conscripto, ac tot alioquin Sanctorum exterorum ac minus celebrium memoriis infarto, prorsus prælerita. Interea silentium Martyrologiorum classicorum hoc nobis fecit reliquum, ut, deficientibus genuinis fontibus, rivulos* C *consectemur ; additiones codicibus Usuardinis Mss. adjectas intelligo, de quorum ætate disseritur in præfatione Usuardi non ita pridem illustrati articulo* IV, § III *et* IV. *Antiquioris notæ codices ista habent : Tornacensis sic textum hodiernum incipit :* S. Alexis confessoris. *Aquicinctinus :* Transitus S. Alexii confessoris. *Victorinus et Reginæ Sueciæ cum Aquicinctino conveniunt. Additiones ad codices Usuardinos mediæ notæ habes inter auctaria hoc die ; quas non transcribo. Porro in Beda Plantiniano etiam notatur* S. Alexii confessoris. *Plantinianum voco, quia habetur jam passim supposititius, prout indicatum est in laudata præfatione Usuardina articulo* II, *pag.* XIII.

13 *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ turpissime hallucinatur, dum* Alexium *confundit cum* Aletio ; *loquens de utroque tamquam de una eademque persona, et asserens Ruffinam, Paulæ filiam ipsi in matrimonio elocatam fuisse. Vide notationes Baronii, et tomum* IV *Annalium ad annum* 382 *num.* 44. *Eodem errore lapsus est Philippus Rossi in descriptione Romæ modernæ, Italice edita* MDCXCVII, *pag.* 164. *In Florario nostro Ms., medio circiter sæculo* XV *exarato, notatur die* XXVI *Februarii* Alexis conf., *hodiernus, ut putare nos diximus in Prætermissis ad istum diem pag.* 626. *Die autem* XVII *Junii signatur ibidem* translatio S. Alexii C. *In Prætermissis vero ad* XV *ejusdem mensis observavimus, eum indicari cum elogio in Ms. Adone Reginæ Sueciæ, et in alio Ms. sub nomine Usuardi. In Kalendario Missalis Mozarabici, jussi Francisci Ximenez archiepiscopi Toletani, anno* MD *Toleti excusi, signatur* S. Alexi conf. *die* XVI *Julii, et habet Missam de communi ; eo forte remissus ob SS. Justam et Ruffinam Virgines et Martyres, quæ solenniter tum ibi, tum in Breviario Mozarabico* MDII *jussu laudati Ximenii edito, coluntur hac die. Martyrologii Romani annuntiatio ita sonat :* Romæ S. Alexii confessoris, filii Euphemiani senatoris, qui prima nocte nuptiarum, sponsa intacta, e domo sua abscedens, ac post longam peregrinationem ad Urbem rediens, decem et septem annos tamquam egenus, in domo paterna receptus hospitio, nova mundum arte deludens, incognitus mansit. Sed post obitum, et voce per Urbis ecclesias audita, et scripto suo agnitus, Innocentio I E Pontifice Maximo ad ecclesiam S. Bonifacii summo honore delatus est, ubi multis miraculis claruit. *Quæ continent compendium historiæ* S. Alexii, *et in substantia consonant elogiis, quæ jam subnectimus.*

Elogium ex Synaxario Basiliano.

14 *Synaxarium Basilianum Sanctum laudat die* XVII *Martii ; cujus textus Græcus typis editus ad calcem tomi primi mensis ejusdem, tradit ista :* Hic erat Romanus, Euphemiani patricii filius, qui in matrimonio ipsum elocavit. Nuptiis vero absolutis, quo tempore consuescere debebat sponsæ, dato ipsi in pignus annulo, exivit domo, atque ad urbem Edessam digressus, annis octo et decem in ecclesia permansit. E virtute autem sua cognitus, clam se subduxit, ac denuo Romam se contulit, et proprias ad ædes pervenit ; ignotusque perstitit in vestibulo, videns patrem et matrem, et a servis suis illusus ; tametsi parentes et casta ipsius conjux assidue ipsius causa dolerent ac flerent. Cum vero mors ejus appropinquasset, petita charta, omnia, quæ ad se attinebant, scripsit ; quam et in manu post mortem retinuit ; eamque Hono- F rius imperator accepit et prælegit, omnibus audientibus. Tunc rerum ipsius series innotuit : atque in Sanctum ejus corpus in templo S. Apostoli Petri sepultum fuit. *De sepultura et aliis hic narratis postea agetur. Eadem fere paullo prolixius narrant Menæa magna excusa, quæ otiosum esset hic producere.*

Sacræ exuviæ in Italia.

15 *Nunc de reliquiis* S. Alexii *Variæ commemorantur a Pancirolio in indice reliquiarum, qui habetur ad finem libri, qui inscribitur Thesauri urbis Romanæ. Carolus Bartholomæus Piazza in Sanctuario Romano pag.* 224 *testatur in S. Pauli extra muros esse unum brachium Sancti, aliud in S. Nicolai in Carcere ; costam unam ad S. Praxedis in Montibus, et alias ejusdem reliquias in S. Cæciliæ trans Tiberim ; videlicet, sicut refert in suo Hemerologio pag.* 50 *dentem et os ; additque in Sancti Ignatii templo Societatis nostræ exponi dentem et partem maxillæ. Vide paragraphum tertium, ubi de corpore Romæ asservato. Apud Antonium Masini in Bononia perlustrata tertiæ editionis pag.* 381, *ubi de ecclesia* S. Alexii, *quæ et S. Ludovici, notatur dens Sancti ;*

AUCTORE J. P.

Sancti; apud Carolum de Lestis in parte II *sive supplemento ad Neapolim sacram pag.* 315. *ubi de sacris lipsanis ecclesiæ S. Georgii Majoris, crus; apud Antonium Casale, abbatem Cælestinum in historia basilicæ S. Stephani Bononiæ pag.* 454 *memorantur indeterminate* sancti Alexii *reliquiæ. In schediasmate Ms., quod habemus, inter reliquias Sanctorum urbis Bergomensis in S. Mariæ Majoris sacello numeratur os* sancti Alexii. *In libello de Rebus Venetis a Nicolao Doglione anno* 1675 *edito, pag.* 345 *notatur in ecclesia S. Catharinæ esse brachium* S. Alexii; *quod eo adductum sit ex Lemno insula maris Ægæi, alias Stalimene dicta: sed alterius id* Alexii *fuerit. Huc pertinet gradus, sub quo latuisse fertur* S. Alexius, *quando in domo paterna degebat incognitus, pia Romanorum religione venerabilis: de quo recentiores, non vero antiqui. Descriptionis urbis Romanæ modernæ auctor supra citatus pag.* 164 *agens de ecclesia* S. Alexii, *esse tradit ibidem antiquissimum sacellum Dominorum Sabelliorum, Aventinorum Ducum, cum gradu seu scala Sancti, atque hac inscriptione:* Sub gradu isto in paterna domo B. Alexius, Romanorum B nobilissimus, non ut filius, sed tamquam pauper advena receptus, asperam egenamque vitam duxit annis, XVII; ibique purissimam animam creatori suo feliciter reddidit anno CCCCXIV, Innocentio I PP., et Honorio et Theodosio II Imperantibus. *Adduntur* quotidie indulgentiæ centum annorum, et totidem quadragenæ digne visitantibus, et omni die festo ac in Quadragesima duplic.

Hispania,

16 *Dum mense Februario anno* MDCCXXII *bibliothecæ regiæ Scorialensis S. Laurentii in Hispania codicibus Mss. excutiendis navaremus operam, exhibitus fuit syllabus Sacrarum exuviarum, quæ ibidem loci magno in numero nec minore cum veneratione asservantur, tempore Philippi II, Hispaniarum Regis, magnificentissimi in paucis ac vere regii monasterii hujus fundatoris, ac studiosissimi sacrorum hujusmodi cimeliorum indagatoris, illuc delatæ. Liber est majoris formæ, elegantissime scriptus, et in varias distributus traditarum reliquiarum classes* (entregas *Hispani nominant*) *easque potissimum continens, quæ sub laudato Rege istius monasterii ascetis factæ sunt, adscriptis* C *minutissimis adjunctis, quæ reliquiarum quantitatem ac qualitatem, hierothecarum formam et ornatum, traditionis tempus etc. spectant. Quæ ibi in rem nostram sunt sub classe traditionis primæ fol.* 45, *ex Hispanico sic reddo:* Os brachii S. Alexii, latitudinem habens unius quartæ partis, positum.. in reliquiario ex argento inaurato: *quod fol.* 42 *scribitur* misisse suæ Majestati Maximilianus imperator, hujus nominis II, per illustrem virum D. Diestristan *(Dietrichstein; de cujus clarissimo stemmate agit Jacobus Wilhelmus Imhovius in Notitia sacri Romani Germanici imperii procerum lib.* V, *cap.* V) majorem-domus majorem serenissimorum Principum Rudolphi et Ernesti, filiorum suorum. Traditæ fuerunt Priori Fr. Hernando de Ciudad Real, et hujusce conventus deputatis manu Ferdinandi de Vierviesca, monilium suæ Majestatis præfecti, VIII Aprilis MDLXXII.

Gallia ac Belgio.

17 *Apud Theatinos Parisiis ostendi lipsana sub nomine* S. Alexii, *uti etiam in ecclesia SS. Innocentium, auctor est Legendarius Gallus pluries memoratus. De reliquiis in Belgio consuli potest Arnoldus Raissius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 45, *et* 453. *Variæ præterea variis in locis Coloniæ Agrippinæ enumerantur apud Gelenium de* D *Magnitudine istius urbis pag.* 263, 264, 266, 310, 412, 442 *et* 543. *Ibidem pag.* 509, *ubi de thesauro sacro ecclesiæ Societatis Jesu, referuntur* digitalis, et aliæ duæ minores particulæ. *Et rursus in thesauro sacro Alexianorum pag.* 536 *ponitur* pars capitis S. Alexii conf.; *quam etiam notavit Erhardus Winheim in Sacrario Agrippinæ pag.* 516. *Inter sacra pignora Sanctorum triginta quinque, e sacello regio Ulyssiponensi in Galliam ab Antonio exrege avectas, et anno* MDXCIV *filio ejus Emmanueli traditas, atque ab hoc* MDCXXX *Prælato abbatiæ S. Salvatoris Antverpiæ datas, de quibus plura die* II *Aprilis, a pag.* 72, *recensetur* pars spinæ dorsi, et minor pars costæ S. Alexii confessoris. *Inspici de istis lipsanis etiam potest supplementum dicti tomi pag.* 899.

Lovanii, Trajecti ad Mosam ac Trudonopoli.

18 *Sequentes præterea sacrarum exuviarum in Belgio apud Alexianos sub* S. Alexii *nomine asservatarum notitiæ a paucis diebus ad me transmissæ sunt. Alexiani Lovanienses eas acceperunt a D. Jacobo Simon, cameræ pupillorum Bruxellis graphiario; qui easdem acceperat a dominabus Begginasii Alostani, appositis in originali exem-* E *plari ipsarum nominibus* M. I. V. Meersche, Catharina de Schuutere. *Easdem approbavit Illustrissimus Humbertus Guilielmus a Precipiano, archiepiscopus Mechliniensis, die* XXVI *Augusti* MDCCV: *constantque particula ex ossibus* S. Alexii, *quæ adæquet propemodum supremum communis digiti auricularis articulum. Porro authentici instrumenti copiam servant, et parati sunt exhibere Alexiani Lovanienses, qui testimonium de traditione istius sacri pignoris huc missum subnotant manu propria* P. Neefs, pater Alexianorum et provincialis, Augustinus de Bleeckere, Alexander Geeraers. *Reliquias ex ossibus, petente P. Fratre Thoma a Spoleto, et P. Didaco Duwainge, Ordinis strictioris observantiæ S. Francisci, etiam possident Alexiani Trajectenses ad Mosam, datas ab Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Fabritio, tit. SS. Joannis et Pauli S. R. E. presbytero Cardinale Paulutio, de mandato S. D. N. Clementis PP. XI, die* VIII *Decembris anno* MDCCXI. *Originales traditionis litteras servant, et exhibere parati sunt dicti Alexiani Trajectenses ad Mosam, testimonio, ea super re* F *huc misso, subscripti* H. Kerckhoofs, pater cellitarum, Joannes Raets, Andreas Gillissen. *Alexiani Trudonopolitani dono acceperunt ab Illustrissimo D. Lamberto le Drou episcopo Porphyriensi frustulum de ossibus sæpe memorati Sancti, datum Romæ* XXIX *Februarii* MDCCVIII. *Instrumentum authenticum servant, et exhibere parati sunt* Cornelius Meermans, pater Alexianorum, Dominicus Compeers, Ernestus vander Smissen, *testimonio de traditione huc misso, ut supra, subsignati.*

§ III. Ecclesia

AUCTORE J. P.

A

§ III. Ecclesia ac monasterium SS. Bonifacii et Alexii Romæ; antiquus corporum ac modernus status; ædes sacræ alibi in honorem S. Alexii exstructæ; confraternitas Avenione.

[illegible] conge-runtur.

Benedictus PP. VII, Bonifacio VII Romanæ Cathedræ invasori, ac cum multis asportatis thesauris perfido Cpolim transfugæ, anno CMLXXIV, suffectus, initio sui Pontificatus Sergio Damasceno metropolitæ, a Saracenis pulso, Romæque excepto, hanc ecclesiam colendam tradidit, quam Sergius in monasterium convertit sub regula S. Benedicti; ibique annis quatuor exactis, sancto fine quievit, sicut videre est apud Baronium ad annum CMLXXII, num. 1. Res gesta probatur ex ejus epitaphio, illic relato. Petrus Damianus in epistola IX ad Nicolaum PP. II versus finem ista habet B ad nostram rem: Sergius . . Romam peregrinus advenit, reperiensque BB. Bonifacii et Alexii basilicam sacerdotalibus pene officiis destitutam, Benedictum . . adiit; atque ut se monasterialem ibi permitteret regulam instituere, precibus impetravit. Jacet porro laudatum monasterium in colle Adventino; cujus situm describit Floravantes Martinellus pag. 10, addens, celeberrimam ibi esse divi Alexii memoriam. Si Joanni Severano credimus in Monumentis septem ecclesiarum Romæ, a pag. 368; isto quondam loco fuit templum Herculis Victoriosi, et paulo ante erat dictum templum Junonis reginæ, et armilustrium; de quo postremo loco noster Alexander Donatus Romæ veteris ac recentis lib. III, pag. 252. Idem Severanus pag. 369 agit de ecclesiæ istius ædificatione ab Aglae quondam peracta (Aglaidem nominat Baronius ad annum CCCV, num. 13) Bonifacio e quodam cœmeterio Viæ Latinæ huc translato. Ita ille; asserens præterea isti ecclesiæ inditum fuisse nomen S. Alexii non eo dumtaxat, quod possideat sacrum ejus corpus, sed etiam quod fuerit ibi vicina domus ejus, C in monasterium, quod hodiedum visitur, mutata: de qua re quid probationis exspectes præter popularem opinionem? Pag. 370 ex Baronio et Petro Damiano locum commendat a singulari religione, qua Otto III imperator eum prosecutus est; et a nobis tractanda inter miracula. Præcitatus Floravantes Martinellus in Roma sacra a pag. 27 puteum ibidem celebrem et in religione habitum, et obsoletæ venerationi restitutum a Cardinale a Balneo titulari recenset; addita causa religiosi potus inter fideles, quæ petitur ex historia, infra inter miracula enarranda num. 7 et 8.

[illegible] adjecti- nam et mona- [illegible] SS. Bo- [illegible] et Alexii [illegible]

20 Laudatæ ecclesiæ annexum esse titulum Cardinalitium nomine S. Alexii nuncupatum, discimus ex Caroli Bartholomæi Piazza Hemerologio Romano ad XVII Julii, pag. 50, quiescente Sancti corpore in ara principe, cum indulgentiis plenariis; Urbisque moderatoribus venerationis ergo religiose offerentibus (Romano more) calicem cum patena ex argento scutorum triginta, et quatuor faces. De eadem hac ecclesia actum jam pridem ad XIV Maii, pag. 280, num. 4, occasione S. Bonifacii, ibidem quiescentis; neque tum simul excidit monasterium, utriusque Sancti nomine nuncupatum; et a S. Adalberto, Pragensium episcopo per annos quinque exeunte sæculo X inhabitatum; de cujus ad illud reditu tractat Baronius ad annum CMXC, num. 4: Erat etenim plane in Urbe locus ille Sanctorum colonia, ubi qui his temporibus floruere sanctitate celebres habitarunt. Ut omittam abbates octo sanctitate insignes, Græcos quatuor ac totidem Latinos, in eodem loco, partim a monachis Basilianis, partim a Benedictinis, suo singulis instituto viventibus, inhabitato; de quibus idem auctor ex scriptore synchrono, et rerum, quæ ibi gerebantur, inspectore. Die mox apud nos citato, num. 5 habes inter viginti abbatias privilegiatas Romanas ab Onuphrio Panvinio de VII Urbis ecclesiis pag. 142 enumeratas, quartam hanc esse S. Alexii, ubi est corpus ejus, et S. Bonifacii martyris. Quod ibi dictum apud nos, videntur postea Benedictini soli locum obtinuisse usque ad seculi XV initium, (fatente Pancirolio pag. 646 se non invenire quoadusque illi ibidem permanserint, nisi fuerit circa annum MCD) correctione indiget: nam Joannes le Paige in Bibliotheca Præmonstratensi lib. III, pag. 656 producit diploma Gregorii IX PP., quo monasterium S. Alexii de Urbe, ecclesiæ Præmonstratensi contulit et tradidit; ubi inter alia E habentur ista: Attendentes ergo non modicum lapsum monasterii S. Alexii de Urbe Sedis Apostolicæ specialis, positi in loco, qui Mons Aventinus vocatur, et cupientes illud in spiritualibus et temporalibus, sicut indiget, in melius reformari . . . monasterium ipsum cum omnibus ecclesiis, possessionibus, juribus et pertinentiis suis . . . vobis (Abbatem et conventum Præmonstratensem alloquitur) vestrisque successoribus . . . duximus concedendum . . . Datum Laterani VIII Kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno quarto (Christi 1230). Laudatus auctor illud recenset inter monasteria circariæ Romanæ seu Tusciæ et Calabriæ lib. I, pag. 343. Quomodo postliminio a summis Pontificibus illum suis monachis Ordinis S. Hieronymi secundum regulam S. Augustini viventibus impetraverit Lupus Olmetus, istic vita functus anno MCCCCXXXIII, reperies ad eumdem diem XIV Maii, pag. 280, num. 5; ubi etiam citantur auctores de hoc Ordine illuc introducto; qui locum nunc incolit. Videri etiam potest Augustinus Lubin in Notitia abbatiarum Italiæ, pag. 328; et Mabillonius Annal. Benedict. tomo IV variis locis. F

nec non ad corporum antiquum ac præsentem statum.

21 Nunc antiquum et modernum corporum SS. Bonifacii et Alexii statum inspiciamus. Meminit de eorum inventione Raynaldus in indice primi sui Tomi, signans annum MCCXVII, num. 17; sed textum pervolvens, nihil in eo invenire potui. Petrus Benedetti noster alibi pluribus laudandus notam sequentem ad nos nuperrime direxit, affirmans in codice domus nostræ professorum Romæ, Acta S. Alexii continente, ista scribi: Idem postea corpus S. Alexii confessoris ab Honorio III, sui pontificatus anno primo (sedere cœpit anno Christi MCCXVI) simul cum corpore . . S. Bonifacii sub ara maxima ejusdem templi S. Bonifacii . . collocatum est. Postremo Clementis VIII Pont. Max. jussu Illustrissimus ac Reverendissimus Octavius Paravicinus, Cardinalis S. Alexii, sub eodem altari magnificentius exstructo, solenni ritu posuit anno a Christo nato MDXCV, die XVI mensis Julii. Apud Aringum tomo II Romæ subterraneæ pag. 18, num. 7 non invenio expressum annum; Pancirolius Regione 9, ecclesia octava, pag. 647 signat annum MDCIII. Pergit ecgraphum Benedetti: Atque

AUCTORE J. P.

Atque inde data ei potestate ab eodem S. P. N. Clemente nonnihil reliquiarum eximendi, particulas quoque nonnullas collegio Romano S. J. donavit : hoc est ex osse S. Bonifacii martyris, ex S. Alexio vero dentem atque os, eodem anno MDXCV, die X Septembris : ut apparet ex instrumento donationis ejusdem Illustrissimi Cardinalis, quod asservatur in eodem collegio. *Ad hunc annum reducenda censeo, quæ de dicta inventione ex laudato Panciroliо habentur in commentario prævio ad Vitam S. Bonifacii martyris die* XIV *Maii, pag.* 280 : *plurima enim jam memorata adjuncta hanc epocham alteri præferendam suadent. Henschenius in obsequium Operis nostri una cum Papebrochio Romam profectus anno* MDCLX, *fatetur loco supra citato ea se corpora veneratum esse anno* MDCLXI, *die* XXVI *Julii : et quod statum eorum modernum attinet, ex ipso pariter discere licet quod sint* marmoreis in arcis sub altari decenter recondita ; demptis capitibus, quæ argenteis *(inquit)* inclusa hermis conspeximus in singulari ad latus templi sinistrum sacello) super altari, inter alia reliquiaria pulchre ordi- B nata, per crystallinas, quibus claudebatur fenestras.

S. Meinwercus sollicitus condere monasterium in honorem S. Alexii, capellam ipsi exstruit et consecrat Paderbornæ :

22 *Publica S. Alexii veneratio intra unius ecclesiæ Romanæ limites non stetit, sed ad alias plures ædes sacras in ipsius honorem conditas manavit. Quas inter antiquitate et religione locum sibi potissimum vendicat ea, quam S. Meinwercus, episcopus Paderbornensis sæculo* XI *apud suos construxit ; qui, sicut refert ipsius Vita tomo* I *Junii, pag.* 538, S. Alexem magna devotione coluit. *Ibidem vero pag.* 520, *num.* 25, *quando Romæ cum. S. Henrico imperatore anno* MXIV *degebat, de ipso narratur hoc factum :* cum autem Episcopus *(Meinwercus)* inibi *(Romæ)* cum Rege *(Henrico)* aliquamdiu moratus, de lue gravissimæ mortalitatis, quæ immanissime exercitum depopulabatur, mœstus esset ; accessit ad eum quidam Romanorum, consilians ei, ut pro suorum incolumitate aliquam se venerationem in terra sua facturum S. Alexi voveret. Qui illico sublatis ad cælum manibus et oculis, se monasterium honori et amori ejus congruum facturum, si quis precibus suorum incolumitatem a Deo obtineret, sinceriter C vovit : et se ejus meritis a Deo exauditum suorum omnium jumentorum et hominum incolumitatis receptione et conservatione veraciter probavit. *Voti fidem solvit S. Meinwercus : quod sic narratur pag.* 537, *num.* 76 : Recordatus autem Episcopus voti sui, quod Romæ sancto voverat Alexi, monasterium cum congregatione in honore ejus, in loco, qui Sulithe dicitur, ædificare disposuit : sed timens humanæ mutabilitatis incertitudinem, interim ei perspicui operis capellam in introitu urbis *(Paderbornensis)* juxta novum monasterium construi fecit ; eamque XIII Kal. Februarii consecrans, provisioni ejusdem monasterii deputavit : et in commemoratione B. Alexis tali jure misericordiæ dotavit et insignivit, ut quicumque forensi lege convictus, et sententiæ damnationis addictus, capellam contigisset, addictæ pœnæ obnoxius non esset.

quæ sæculo XI *combusta, ac postea reparata, occasionem dedit miraculo, quod hic narratur.*

23 *Capella eadem incendio absumpta anno* MLVIII *una cum B. Paterno, juxta illam recluso ; ut videsis die* X *Aprilis, pag.* 896. *Broweri nostri tempore, sicut testatur ipse in scholiis ad Vitam S. Meinwerci in libro,* Sidera illustrium et Sanctorum virorum *etc. inscripto, a se editam, pag.* 107 *sacellum hoc excidisse putatum fuit.* D *Ast anno* MDCLXX *novi structuram cœpit Henricus VI Abdinhoffensis abbas, quam anno* MDCLXXIII, *die* XVII *Julii Celcissimus princeps Ferdinandus Furstenbergius Paderbornensis episcopus, summus Operis nostri ac bonarum artium æstimator, solenni ritu dedicavit et consecravit, oblata ad altare ejusdem Sancti insigni pictura, splendide adornata, ac renovato asyli privilegio, sicut traditur in libello singulari, de hac solennitate conscripto, ac Paderbornæ edito, sub titulo* Monumentum S. Alexio confessori sacrum ; *quem laudatus Henricus tamquam vicarius generalis in spiritualibus approbavit. In laudato libello paragrapho* III, ex libro quodam Ms. ante ducentos et amplius annos, *ut præmittitur,* in bibliotheca Abdinghoffensi sub littera A, num. 679, *narratur sequens historia, quæ occasione prædicti sacelli non abs re hic subjungetur, nonnullis brevitatis causa rescissis :* In cœnobio, quod de Ordine Cluniacensi intra muros Paderbornensis civitatis constructum, nomini sanctorum Apostolorum Petri et Pauli intitulatum est, fuit priscis temporibus . . monachus . . Amo *dictus.* Hic cum esset sacerdotali E honore præditus, officium sanctum moribus sanctis adornare curabat, et divina mysteria devotione, qua spiritualem ministrum decebat, celebrabat. Ut autem tanto devotius, quanto secretius incontaminatum sacrificium in ara contriti cordis offerre posset ; capellam quamdam in honorem S. Alexii consecratam, et ab oratorio, ejusdem loci cœmeterio tantum interjacente, remotam ; causa dicendæ Missæ frequentare solebat, unde et ipsum cœmeterium reciprocato itinere assidue terere necesse habebat. Ad sacram vero ædem vadens, ac inde rediens, manum devotæ orationis absque identitatis tædio porrigebat fidelibus defunctis . . Factum est autem . . dum celebratis sacris mysteriis rediret, et pignus sanctæ orationis, his, quibus eum debitorem pietas effecerat, impigre, sicut solebat, persolveret, completaque oratione in conclusione adjungeret, Requiescant in pace, audivit manifeste multitudinis turbam respondentem sibi et dicentem, Amen, Amen. Quod ubi audivit, totus contremuit, et has voces esse F animarum, pro quibus orabat, reputans, tam contiguas eas sibi visibiliter esse miratus expavit, bonæque consuetudinis usum, quem eatenus devote servaverat, tanto deinceps ferventiori vigilantia prosecutus est, quanto devotionis suæ obsequium acceptabile Deo, fideliumque animabus gratum et fructuosum existere, tam inusitati miraculi novitate lætus agnovit ; *et post paucula, correcto apud quosdam auctores,* Vamaneo *pro* Amo *scribentes, errore, notatur* occurrere in Mortilogio *(an Necrologio ?)* Abdinghoffensi dies obitus illius octavo Idus Julii, incertum quo anno.

Alia Sancti sacella.

24 *Sancti cultus alibi in Germania per loca sacra amplificatus, majus cum tempore incrementum cœpit ; prout constat ex Opere de rebus Moguntiacis, in duos tomos distributo, et accurante Georgio Christiano Joannis Francofurti ad Mœnum anno* MDCCXXII *edito. Tomo* I, *libro* I, *sectione* IV, *pag.* 83 *agitur de templis Moguntinis posterioribus, atque inter hospitalia ibidem recensita, tertio loco ponitur illud, quod est* S. Alexii ; *nomine ipsi indito a sacello adstructo ; quod tum ejusdem Sancti*

A *Sancti tum aliorum Sanctorum honori consecratum fuit anno* MCCCL, *teste tabula, ibidem olim juxta altare affixa cum hac inscriptione :* Anno Domini MCCCL, Dominica, qua cantatur Misericordias Domini, consecrata fuit hæc capella S. Alexii conf. *Et adduntur* XL dies indulgentiarum. *Exordia et auctor istius hospitalis latent; ab Eminentissimo Electore Joanne Philippo anno* MDCLXV *instauratum esse, indicat scutum archiepiscopale portæ sacelli suprapositum. In descriptione urbis Venetæ, a Francisco Sansovino anno* MDLXXXI *libris* XIV *Italice primum edita, pag.* 11 *mentio fit antiquæ ecclesiæ SS.* Alexii *et Liberalis; deinde, mutato titulo S. Marinæ dictæ, occasione corporis ejusdem Sanctæ anno* MCCXXX *illuc translati. Adde sacellum ipsius nomini dedicatum apud PP. Theatinos Parisiis, teste Legendario Gallo supra memorato. Longum esset alias alibi in honorem Sancti conditas ædes sacras investigare; quibus supersedentes, ad erectam sub ipsius titulo Avenione in Galliæ confraternitatem progrediamur.*

Confraternitas Avenione.

25 *Paulus de Barry noster Vitæ Gallicæ* S. Alexii *a se in lucem datæ Avenione anno* MDCLXI B *subnectit varia incitamenta ad promovendum Sancti cultum; et refert sodalitium in ejus honorem institutum fuisse in sacello ipsi sacro, quod visitur in ecclesia Jesu, per quam haud dubie indicare voluit Avenionensem Societatis nostræ notatam inter plures alias in historia Avenionensi Italice duobus tomis edita a Sebastiano Fantoni Castrucci, tomo* I, *pag.* 62; *ubi, indicata obiter istius ecclesiæ elegantia, consecratam eam dicit die* IX *Maii anno* MDCLV, *et dedicatam* sanctissimo nomini Jesu. *Ut ad propositum redeamus, hoc sodalitium ditatum testatur Barrius indulgentiis plenariis die, quo in illud quis adoptatur, nec non festo* S. Alexii *die* XVII *Julii, ac in hora mortis; eas autem, quæ non sint plenariæ, plures esse affirmat. Ad hæc pag.* 105 *addit sodales sub titulo Purificationis beatissimæ Virginis numero centum, quo die se curarunt inscribi isti sodalitio, sacra exhomologesi expiatos ac divino epulo refectos, cor ipsi argenteum obtulisse, expresso in schedula cujusque nomine, dictoque cordi incluso in testificationem sui erga Sanctum venerationis ac fiduciæ. Lubet hisce corollarii loco adjungere ex laudato Barrio pag.* 107, *quod S. Franciscus Salesius similia* C *pietatis sensa inspirare voluerit monialibus Ordinis Visitationis sanctissimæ Virginis a se fundatis, decernens ut in ejus festo accederent ad sacram synaxim; indeque accidisse, quod in pluribus istarum religiosarum monasteriis erigatur oratorium eadem Sancti festa luce, et supplicationes ab iisdem instituantur, ut ipsum sibi reddant propitium, singulari quadam selecta virtute, in qua sese per octiduum, quod post illam excurrit, exerceant.*

§ IV. Festum Sancti apud Latinos; Officium ecclesiasticum; Orationes propriæ; Ordo Alexianorum seu Cellitarum; notio prævia canonis Græci in Sancti honorem concinnati.

A*n et quamdiu ante sæculum Christi* XII *festum* S. Alexii *solenne ecclesiasticum apud Latinos fuerit institutum, fateor hactenus invenisse me nihil, unde aliquid hic definiam. Certe Bartholomæus Gavantus in hujusmodi rebus apprime versatus, et non indiligens talium scrutator, in Commentariis ad rubricas Breviarii Romani pag.* 155 *ingenue fatetur* Alexii institutum fuisse festum circa annum MCC *ex* Chronico Germanico; et haberi asserit in Breviario Vaticano vol. 4751; simplex in Breviario Ms. *(quorum ætatem non determinat)* et MDL, ut hodie; *id est suo tempore, puta sæculo proxime elapso aliquantulum adulto, quo ipse florebat. At vero lapsu temporis religiosi etiam fortasse Ordines primum in Italia, deinde alibi hoc festum apud suos peculiari ritu in Horis canonicis celebrari voluerint sæculo* XIII *currente, aut* XIV *ineunte. Enimvero id sancitum fuisse in Ordine Prædicatorum sub initium sæculi* XIV, *habemus ex Thesauro novo Anecdotorum superius num.* 12 *citato, tomo* IV, *col.* 1898; *ubi inter acta selecta Capitulorum generalium laudati Ordinis refertur a Capitulo Generali anno Domini* MCCCV *Januæ celebrato statutum fuisse, ut* fiat festum trium lectionum de S. Alexio XVI Kalendas Augusti, et magister curet de Officio providere.

AUCTORE J. P. Nulla festi apud Latinos institutio, ante sæculum XII memoria; quod postea Dominicani adoptarunt.

E

27 *Officium hoc olim a Romanis coli consuetum ritu semiduplici de præcepto; istoque deinde ritu abrogato, extensum fuisse ad universalem Ecclesiam, ut celebraretur ritu semiduplici ad libitum, constat ex rescripto D. Petri Pauli Bona, qui procuratori generali Societatis nostræ, quærenti vi cujus decreti festum* S. Alexii *non esset amplius Romæ celebrandum de præcepto, anno* MDCLXXVIII *sic respondit, uti constat ex instrumento, Romæ in tabulario dicti procuratoris generalis reperto; quod transcriptum huc misit P. Josephus de Reulx historicus Societatis nostræ tum temporis, prout colligitur ex ipsius litteris Roma datis* XXIII *Julii* MDCXCV; *et quod ex Italico redditum ita sonat :* Cum supplicatum esset Alexandro PP. VII felicis memoriæ ex parte cleri Romani, ut, cum tunc temporis Officium S. Alexii esset de præcepto pro eodem clero, et in tota Ecclesia simplex; sua Sanctitas dignaretur extendere supradictum ritum semiduplicem de præcepto ad totam Ecclesiam universalem; placuit Sanctitati suæ declarare, quod Officium S. Alexii esset imposterum et Romæ F et in tota Ecclesia universali semiduplex ad libitum : sicut mihi constat et registris sacræ Congregationis Rituum, quæ videre volui; et sic vi decreti, occurrente Officio dicti Sancti in diem impeditum, non potest isto anno transferri. *Hæc si vidisset novus Legendarius Gallus, non adeo confidenter ista pronuntiasset :* Erat Officii simplicis in Breviario Romano ante pontificatum Urbani VIII; sed hic Papa permisit illud celebrari Officio semiduplici, non tamen de præcepto.

Officium ecclesiasticum propagatum,

28 *Sic itaque jam sæpe dictum Officium nova cum tempore incrementa propagationis accepit, donec tandem anno* MDCXCVII *omnibus clericis tam regularibus quam sæcularibus per universam Ecclesiam extensis celebrandum præscriberetur sub ritu semiduplici de præcepto; prout liquet ex decreto istius anni, super hac re a sacra Rituum Congregatione lato; quod hic transcribo :* Urbis et orbis. Sacrorum Rituum Congregatio ad pias Eminentissimi et Reverendissimi Domini Cardinalis Pamphilii instantias posse concedi censuit, ut Officium S. Alexii hactenus in Ecclesia universali vel sub ritu semiduplici

atque ad universalem tandem Ecclesiam extensum:

AUCTORE J. P.

semiduplici de præcepto, vel semiduplici ad libitum, die XVII Julii ejusdem festo ex concessionibus Apostolicis recitatum, imposterum ab utroque clero tum seculari tum regulari utriusque sexus sub ritu semiduplicis de præcepto recitetur, si Sanctissimo Domino Nostro videbitur. Die XXXI Augusti MDCXCVII. Facta igitur deinde per me secretarium de prædictis S. D. N. relatione, Sanctitas sua benigne annuit, die IV mensis Septembris ejusdem anni MDCXCVII.

Commisso alicubi errore in Missalibus ac Breviariis.

29 *Ignoratio decreti superioris, anno* MDCLXXVIII *lati, manifestum errorem induxit in Missalia, et Breviaria; de quo Reulxius in supra dictis litteris scribit ista:* Dominus Moretus causa fuit domestici dissidii sane magni die Sabbati et Dominica ob festum S. Alexii, quod in Missalibus ac Breviariis ponit hic esse de præcepto: ex adverso directorium nostrum dicebat die Dominica solam esse faciendam ejus commemorationem, et annis præteritis distincte dixerat, ubique esse ad libitum. Unde die Lunæ aliqui dixerunt Missam de S. Alexio, alii de S. Symphorosa. Non minus B inter se divisi erant die Dominica seculares sacerdotes.... sed die Lunæ scitum, in S. Petri aliisque basilicis factum de S. Symphorosa, die Dominica vero solam factam S. Alexii commemorationem. Quærentibus cur fieret commemoratio, cum festa ad libitum incidentia in diem impeditum, omittantur; respondebatur esse decretum non vetus... hoc esse privilegium festorum ad libitum quæ ante fuerunt simplicia, ut eo casu suam commemorationem non amittant. *Atque hæc licuit nobis congerere de Officio ecclesiastico Sancti, ejusque ritu: quibus lubet subjungere orationes proprias, loco, tempore atque argumento diversas.*

Proferuntur orationes quædam Sancti propriæ.

30 *Breviarium Spirense Ms. anni* MCDLXXVIII *sic habet:* Sancti confessoris tui Alexii, Domine, tribue nos supplicationibus foveri, ut cujus depositionem annuo celebramus obsequio, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per *etc. Membranaceum Breviarium Ms. monasterii S. Gregorii, diœcesis Basileensis anni* MD *aliam habet orationem:* Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et intercessione B. Alexii confessoris tui perpetuam nobis miseri- C cordiam benignus impende. Per. *In Osnabrugensi, excuso* MDXVI *alia rursum occurrit:* Deus sanctæ humilitatis et devotæ paupertatis amator, cui B. Alexius in sua paupertate complacuit voluntaria; ejus interventu fac nos, quæsumus, humiles et devotos, ut mentibus devotis, et piis actibus tibi placere mereamur. *Adde Breviarium Romanum, quod manu adscribitur typis editum anno* MDXXII, *orationem continens iterum longe diversam:* Deus, qui B. Alexio confessori tuo tribuisti, ut et nova mundum arte deluderet, et de hoste humani generis mirabiliter triumpharet; concede propitius, ut ejus semper muniamur auxiliis, cujus salutiferis erudimur exemplis. Per. *Hanc orationem illic subsequuntur sex lectiones propriæ, vulgarem Sancti historiam complexæ. Præiverat liber continens Ecclesiæ orationes seu collectas, Argentinæ excusus a Joanne Knoblouch anno* MDXVIII; *in quo, fol. 24 verso ponitur oratio cum ultima hac conveniens. Secreta vero oratio sic habet:* Quæsumus, omnipotens Deus, ut intercedente beato Alexio, confessore tuo, munera nostra suscipias, et nos idoneos fieri ad hæc percipienda concedas. Per. *Complenda sive ultima collecta additur his verbis:* Cælestibus epulis D recreati, quæsumus omnipotens Deus, ut intercedente beato Alexio, confessore tuo, salutare mysterium, quod te largiente percepimus, te custodiente servemus. Per. *Unde patet, Sanctum non semper et ubique habuisse orationem de communi confessoris non pontificis, qualem nunc habet.*

Dantur varia occasione S. Alexii.

31 *De fratribus laicis Alexianis seu Cellitis, quos Flandri* Cellebroeders, *Leodienses* Nollards *nominant, agit omnium novissime Historia Ordinum monasticorum, religiosorum ac militarium, Gallice octo tomis edita Parisiis anno* MDCCXIV, *et sequentibus. Operis istius auctorem signate in titulo tomorum non expressum, lego alibi fuisse Hippolytum Helyot, tertii Ordinis S. Francisci in Gallia, vulgo dicti* Picpus, *editis primis quatuor tomis anno* MDCCXIV *et* MDCCXV, *e viris ereptum Parisiis anno* MDCCXVI, *die* V *Januarii, anno ætatis quinquagesimo sexto, exactis in statu religioso annis viginti sex. Porro laudatus auctor incipit agere de Alexianis tomo* III, *part.* III, *cap.* LIV, *pag.* 401; *e quo potissimum pauca hic contraham, pauca præterea aliunde additurus. Fun-* E *dator eorum ignoratur. Stephanus Binet noster in Vitarum præcipuorum fundatorum compendio, iconibus elegantibus illustrato, atque idiomate Gallico Antverpiæ edito anno* MDCXXXIV, *pag.* 231, *suggerit Tobiam quemdam; at nullum auctorem adfert. Porro Alexiani vocati sunt, quod* S. Alexium *in protectorem ac patronum sibi adsciverint; minime vero gentium quod* Alexium *Romanum fundatorem habuerint, sicut perperam fabulatur Morerius in suo magno Dictionario, verbo* Cellites; *de cujus appellationis etymo disputat laudatus Helyotus. Nicolaus Crusenius in Monastico Augustiniano pag.* 146 *exordia ipsorum refert ad annum* MCCCIX, *sub initio sæcularem vitam profitentium, ac simul viventium, nulloque voto constrictorum. Miræus autem in Historia originum Ordinis S. Augustini, Gallice excusa, pag.* 52, *refert eos in castitate vixisse, idque cum approbatione Gregorii XI, Bonifacii IX, Eugenii IV, aliorumque Pontificum, adoptata deinde regula S. Augustini cum professione trium votorum substantialium status religiosi; idque approbasse anno* MCDLXXII *Sixtum IV ad instantiam Caroli Audacis, Burgundiæ et Brabantiæ ducis; primum eorum capitulum ha-* F *bitum fuisse Leodii anno* MCDLXIX. *At vero Sixtus IV sedere cœpit anno* MCDLXXI, *et Carolus Audax Philippo Bono, patri suo, Brugis defuncto* MCDLXVII, *successit, prout notat Miræus ipse in Chronico Belgico pag.* 383; *quæ quo pacto cohæreant cum epocha fundationis ejusque adjunctis modo ab ipso fixis, non video: nisi velis Carolum Audacem quo tempore etiamnum erat Comes Carolesiensis, illam gratiam obtinuisse a Pio II, anno* MCDLXII.

quæ ad fratres Alexianos spectant.

32 *Laudatus Crusenius asserit, Henricum Sudermannum regulæ S. Augustini illos adjungi, eorumque institutum confirmari ab Apostolica Sede procurasse. Philippus Bonannius noster in Catalogo Ordinum religiosorum parte* I, *num.* 58 *affirmat Pium II decrevisse anno primo sui pontificatus, ut religiosorum vota nuncuparent constitutione data anno* MCDLIX, *die* III *Januarii; et idcirco duodecim ex iis Antverpiæ vota emisisse coram P. Priore conventus Mechliniensis anno* MCDLXI, *ut notari dicit in libello Flandrico anno* MDCXXXVII *impresso, in quo sit constitutio Sixti IV, anni* MCDLXXII, *qua illis præscribitur*

regula

A *regula S. Augustini nec non privilegia concedun-* *tur, a Julio II et Urbano VIII confirmata. Sin-* *gulare est, quod lego apud Antonium Sanderum* *de Alexianis Gandavensibus, lib.* III *Flandriæ illu-* *stratæ, pag.* 141 : Olim ex fratribus commu- nis vitæ fuerunt ; at anno MCDLIX, Novem- bris XIV, regulam S. Francisci molliorem videlicet assumpsere ; et factum Pius Pontifex probavit. *Prætereo quæ addit de primo lapide eorum sacelli posito anno* MCDLXXX. *Ibidem inve- nies ex archivis episcopatus Tornacensis,* quod ad annum MCDLXI Vicarii generales Guilielmi episcopi Tornacensis, V Septembris dant sta- tuta et regulam fratribus et sororibus de Cella dictis in Villis Gandensi, Brugensi et Alde- nardensi. *Porro de isto Ordine per Germaniam superiorem atque inferiorem extenso, functionibus ipsi propriis vi instituti, superioribus, quibus ejusdem religiosi subsunt, vestitu, et, ne longior sim, de pluribus aliis ad illum spectantibus con- suli potest laudatus Helyotus ; qui de Gandensibus pag.* 104 ; *de Leodiensibus pag.* 405 ; *Gelenius vero superius citatus de Alexianis plura collegit a pag.* 534 ; *de Coloniensibus vero singulatim* B *pag.* 535. *Ad hæc Historia generalis Belgii inferius citanda, tom.* I, *pag.* 185, *Alexianos Antverpiæ stabilitos ponit anno* MCDLX. *Sed jam hæc plus satis. Præmittenda jam est notio canonis sacri- supra memorati, priusquam illum proferamus paragrapho sequenti.*

Præmittitur notio Canonis Græci, in honorem Sancti compositi.

33 *Claruisse in Oriente Josephos duos, ambos sanctos, monachos ac poëtas ambos ac coævos, nihil attinet hic repetere ; quorum alter fuerit Thessalonicensium Episcopus, S. Theodori Studitæ germanus frater, de quo nuper egimus tomo* III *Julii pag.* 710 ; *alter cognomento Hymnographus dicitur ; quem dedimus jam pridem tomo* I *Aprilis a pag.* 266. *Uterque rursum occurrit tomo* III *Martii pag.* 731, *occasione S. Hilarionis junioris, monasterii Peleceles abbatis ; in cujus laudem concinnatus canon seu cantio sacra per odas novem deducta juxta leges acrostichorum carminum ; de quorum œconomia, a Græcis hymnographis observari consueta, plenius ibidem lector instrui poterit ; uti etiam ex Dissertatione onomastica ad Acoluthiam Officii Græci, tomo secundo Junii præfixa, pag.* 19 ; *ne, quæ ibidem satis explicata sunt, denuo* C *hic repetamus. Aliæ acrostichides Menæis magnis excusis insertæ nomina adjungunt auctorum, qui eas panxere ; aliæ non item. Et Josephus hoc quidem solenne habet, ut odes ultimæ strophas componat acrostichis signis litterarum nominis sui* ΙΩΣΗΦ ; *qua nota non secus ac sigillo quodam internosci quant ac secerni canones, qui istum auctorem habent, ab iis, qui ab aliis conditi sunt. Ceterum utri Josepho confectio istorum canonum attribui debeat, controvertitur ; nec mihi satis promptum est rem definire : nec multum refert pluribus illam discutere : sive enim cantiones hujusmodi omnes et singulæ unius ejusdemque auctoris opus sint, sive partim unius partim alterius ; sive Thessalonicensium præsulis, qui claruit sub initium sæculi* IX ; *sive alterius, cognomento Hymnographi, qui floruit versus ejusdem sæculi finem, parum refert ad præsens institutum. Videri interim de iis possunt Pietas Mariana Græcorum nostri Wangnereckii in prolegomenis num.* 22, *pag.* 70 ; *Lambecius in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi lib.* V, *pag.* 274, *ubi in* CCCX *codice Ms. theologico Græco membranaceo pervetusto et optimæ, ut ait, notæ in Octavo, contineri testatur Josephi Melodi canones seu cantica quadraginta octo, quorum unum quodque peculiarem suam habet acrostichidem, nomine Josephi, quo etiam quælibet ode nona notetur, insignitam. Oudinus in Commentariis de scriptis et scriptoribus ecclesiasticis non ita pridem editis, tomo* II, *col.* 26, *prædictos Canones credi affirmat esse Josephi junioris. Adi præterea locos Operis nostri supra citatos.*

AUCTORE J. P.

34 *Canon itaque laudatus auctorem habet sæculi noni ; adeo ut de solenni tunc apud Græcos* S. Alexii *cultu satis constet, vel ipso* Alexii *nomine pluries ibidem repetito. Unde virgam censoriam meretur nuperus Legendista Gallus, inepte et audacter deblaterans, sæculo Christi nono vel de ipso fortasse nomine* S. Alexii *nondum auditum fuisse sermonem. At vero quandoquidem iste canon antiquissimum esse censeo monumentum omnium eorum, quæ vel Græce vel Latine de Sancto etiamnum exstant : ad cujus normam, ut iterum dicam, tota historia Alexiana vulgaris exigi debeat ; operæ pretium me facturum putavi, si hunc e Græco producerem : substitutis loco Græcarum litterarum acrostichiarum, quibus constat, Latinis ; prout fieri videbis paragrapho proximo. Interea de terminis per decursum occurrentibus consuli potest dicta Acoluthia Officii Græci : ubi nominatim de voce* Canon *agitur num.* 19. E

et mox dandi.

§ V. Canon in Sancti honorem conditus sæculo IX, e Græco versus ; historia Alexiana vulgaris.

Canon iste.

Qui canonem *sæpe laudatum præcedit in Græco titulus, Latine sic sonat :* Ad matutinum canon, cujus acrostichis .

Σὲ τὸν Θεοῦ ἄνθρωπον αἰνέσω, Μάκαρ.

Hominem Dei, o Beate, te metro canam.

Ode I, *tomus* II *sicut* Ἐν βυθῷ κατέστρωσε ποτέ.

H abuisti arctissimam viam, decurristi irreprehensibilem et sanctam vitam a juventute, o Vir sapiens : ideo mentis meæ dilata angustias ; ut te, o Beate, celebret, qui latitudinem paradisi inhabitas.

O Beate, extra carnem et mundum versatus, ex toto te ipsum Deo obtulisti : divitias cælestes ac stabiles præ fluxis æstimans ; et adeptus es civitatem Sion, quæ durat in secula. F

M aterni uteri, o vir Beatissime, sterilitatem dissolvisti, in lucem editus instar Samuelis ; ast in ventre cordis castissimo concepto timore, spiritum salutis divinarumque virtutum per fidem peperisti. *Mariale.*

I nitii expers Filius te utique, o Virgo, causam habuit, cur nobis similis factus sit ; qui solam te puram, o immaculata, supra omnem creaturam reperit : unde te cum omnibus generationibus celebramus, ac beatam prædicamus. *Hinc transitur ad oden* III ; *nam secunda aliunde desumitur : de qua re videsis laudatam Acoluthiam pag.* 50 *in fine.*

Ode III *sicut* Ἐξήνθησεν ἡ ἔρημος.

N on recusasti, instigatus amore castitatis, cum thalamo terreno cælestem commutare, et cum sponsæ deliciis dulcissimam angelorum conditionem.

E patria exul factus, hujusce vitæ turbas et opum superbiam reliquisti, pater Alexi, paupertatem Christi imitans.

M axima Vir sapientia prædite, ærumnis ac continentia quæsivisti, unde bonum cognitionis

AUCTORE J. P.

cognitionis lumen proventurum esset, quod præstaret cordi tuo a perturbationibus esse immune. *Mariale.*

ex præcipuis

Deipara immaculata; ille, qui in cælo ab angelis comprehendi non potest, in terra ex te genitus conspicitur, perfectus homo, mundum restaurans perditum. *Pluribus, quæ hic sequuntur, præteritis, pergamus ad oden* IV, *et simul inchoatam acrostichidis seriem in solis odis characteristice expressam prosequamur.*

Ode IV *sicut* Ἐλήλυθας ἐκ παρ.

Exantlasti adinstar Lazari inopiam, ad mendicitatem redactus : divinus etenim amor cor tuum pupugit, flagrans desiderio bonorum cælestium.

In hebdomade, o Alexi, semel cibo pastus, vitam colere voluisti, curis rebusque vacuam, præ desiderio dilectionis, quæ permanet, Beatissime, et non præterfluit.

Operam dans ut tuum cor efficeres templum Dei, elegisti, Vir gloriose, in domo Dei Matris semper residere, et cælestia contemplari decora. *Mariale.*

Beata Virgo meum nunc cor, quod esurit
B ac gemit, exsatura omnigena cognitione ac divina compunctione, tibi supplico, quæ lactis datorem lactasti.

Ode V *sicut* Μεσίτης Θεοῦ.

Excoluisti spicam, fructum vere ferentem centuplum, agricolæ immortali conservatam, sacris lacrymarum tuarum fluentis animam semper irrigans.

Apparuisti in terra, o Pater, vitam carnis expertem imitans, excellenti tua continentia admirabilis, et orationis perseverantia, per quam luminis divitias acquisivisti.

Irradidisti orationis flammis, Vir sapiens, nævos peccati; in precando vigil omnes voluptates sopivisti : post obitum vero ad lumen emigrasti, quod vespere caret. *Mariale.*

Erat is, o casta Virgo, qui lucem inhabitat, sancti uteri tui habitator, perditum ignorantiæ tenebris mundum restaurans; cui tu supplica, ut omnes, qui te celebrant, illuminet.

Ode VI *sicut* Ἐν ἀβύσσῳ πλαισμάτων.

C Te latentem, qui verum factus es utique Dei templum, Virgo nuptias non experta, Christique tabernaculum, manifestat, et gloriosum reddit, latere volentem.

Exceptæ, vir Beate, a Deo preces tuæ veluti thymiama : unde in vita tua fidelium consilia direxisti per gratiam spiritus.

Meritum te sancta conversatione laudes, Christus, Vir gloriose, iterum reddit patriæ, tametsi nolles ac temporalem honorem fugeres. *Mariale.*

Expers maculæ Domina, creator universorum præter naturæ leges in te novi aliquid designans, ineffabiliter ex te nascitur. Participem me faciat per immensam suam misericordiam deitatis suæ. *Sequitur contacion, brevissime Sancti virtutes complexum, sed nihil docens notatu dignum : tum repetitur ipsius annuntiatio cum synopsi Vitæ, aliaque de terræ motu, et Sanctis a nostro diversis. Post quæ continuatur canonis nostri*

Ode VII *sicut* Ἀντίθεον πρόσταγμα.

historiæ Alexianæ factis

Tu nulli prorsus cognitus, vir Sancte, perseverasti ad portas tuorum parentum sedens, servorum insultationes suscipiens, graviter ab eis illusus, et penuria magna laborans. D

Repressisti fastum carnis tuæ, quando conspicis tuos parentes, nec ab illis es cognitus. Naturæ occultasti repugnantiam, vir Sancte, et tuorum despectum, innumeris te famulis afflictantibus.

O miraculum! quomodo mendicans mansisti semper in divitiis immensæ abjectionis, Alexi! quomodo passus es te illudi et injuriis affici a tuis famulis, vir sapientissime, vitæ tuæ institutum ignorantibus. *Mariale.*

Carens sorde, o Virgo, magni mysterii ministra facta es : Deo etenim corpus dedisti, qui a magnis nos redemit malis, laudibus te efferentes, Virgo casta, benedicta, Deo gratiosissima.

Ode VIII *sicut* Κάμινος ποτέ.

Antea incognitus parentibus fuisti tempore tuæ peregrinationis; revelasti ipsis arcanum, in gloriam Dei nostri, o gloriose, te manifestans, qui te magna gloria dignatus fuit.

Notum fecit magna voce omni Romæ Dominus absconditum thesaurum, ter Beate,
in mendici habitu jacentem; donisque sanitatum ditantem omnes illos, qui in fide ad te accedunt. E

Annuente Deo convenerunt principes populorum, Imperatores ac sacerdotes, ut tibi, Beate, justa persolverent; et viderunt magnum spectaculum, miraculis, quæ patrasti, Vir sancte, divina spiritus virtute, perculsi. *Mariale.*

Misericors Deus, o Virgo culpæ nescia, carnem assumpsit ex tuo utero absque corruptione, nos antiqua transgressione corruptos restaurans; destruxitque corruptionis peccata, o inculpatissima.

Ode IX *sicut* Ἀνάρχου γεννήτορος.

Intueri meruisti Dei gloriam, Vir sancte : constat.
et ille tandem te, Beate, gloriosum reddidit : nam qui lucem non aspexerant, viderunt; et loqui se clamabant, qui prius fuerant muti, celebratissime Alexi.

Occumbere tu spectaris ac deferri ad tumulum, solis instar, Pater, mirabiliter fulgores evibrans sanitatum, passionumque fugans tenebras; urens dæmones ac pios fideles F
illuminans.

Soluturus tibi justa venit Patriarcharum eximius, et Imperator Christi longe amantissimus, principes, senes ac juvenes; nec non monachorum chori, Dei nutu, o Beate, corporis tui tactu consecrasti.

Evectus es sursum, impetu virtutum raptus : ubi recreasti Beatorum ordines, Apostolorum, Martyrum, Patriarcharum, et omnium justorum. Quibuscum memor esto nostri, qui te colimus, Alexi. *Mariale.*

Pleni gaudio dirigimus ad te vocem Gabrielis, dicentes : Ave terra, a manu agricolæ intacta : ave maledictionis expultrix : ave fons aquæ viventis, Beatorum gloria, Deipara semper virgo. *Atque hic finis est canonis, immane quantum discrepantis a vulgari S. Alexii historia; et modo longe tolerabiliori, sive res ipsas, quæ narrantur, sive earum adjuncta, sive personas ac loca spectes, eam contexentis, prout ad oculum patebit ex iis, quæ subjiciemus paulo post.*

36 *Mitto quærere unde vulgaris historiæ auctor suam narrationem acceperit, et an ab alio aliquo sic*

AUCTORE J. P.

sic concinnatam legerit alicubi, aut ex aliorum relatione didicerit; seu potius rerum substantiam simpliciore ac sinceriore ordine digestam, quali id fieri in laudato mox canone observavimus, a se visam vel auditam ita ex suo cerebro amplificarit; hoc certum est, nihil ipsum neglexisse, quo per protasin, epitasin, catastrophen, ac mirabiles eventus legentium animos in admirationem raptos mirifice flecteret ac commoveret; pium potius drama, scenice adornatum visus exhibere, quam veram historiam. At malim aliorum expromens judicia loqui alieno ore, quam meo. Ne auctores criticos nuperos proferam, quibus Acta Sancti valde displicent, omnium instar sit Cardinalis Baronius, qui in Notationibus ad Martyrologium Romanum monet, in nonnullis ea *esse* corrigenda. *Ita ille moderate satis ac modeste: quem mirari satis haud possum,* nonnulla *ista non correxisse, et neque ex toto, neque ex parte inseruisse suis Annalibus; cum tamen ad annum Christi* 31, *num.* 61 *ea citet in margine pro famosa imagine Edessena Galesinius in Notationibus merito carpit,* quod in Vita legitur de imagine a Christo Domino missa ab Abagarum, *tamquam* in apocryphis censendum. *Ferrarius in Sanctis Italiæ ad hunc diem ista notat:* Extat Vita S. Alexii vulgato sermone conscripta, et typis excusa, in qua plura apocrypha et inverisimilia continentur. *Aliam censuram invenies ad calcem Martyrologii Usuardini, a Molano vulgati, editione prima anni* 1568. B

[illegible] ad circun[illegible] pii motus accommodata

37 *Porro ista non obstant, quo minus Vita mirificos in simplicium præsertim atque indoctorum animis fructus proferat, quos fortasse scriptor unice intendit. Exemplo sit quod refertur in Historia Societatis nostræ parte* IV, *lib.* I *a num.* 41; *ubi habemus Jacobum Cerrutum, religiosissimum ejusdem Societatis sacerdotem, ex lectione istius Vitæ primam hausisse lucem, ut animum adjiceret ad istud institutum; tantique fecisse suam vocationem, ut miris in suorum oblatione votorum usus progressibus, tandem eo numerum perduxerit, ut illa quotidie ter millies renovaret. Miros quoque ex ista lectione motus sensit B. Mauritius Hungarus Ordinis Prædicatorum. Res gesta narratur ad diem* XX *Martii, pag.* 253, *num.* 3: Precabatur eum *(fratrem quemdam ex eodem Ordine)* ut de Vitis Patrum vel Fratrum aliquid ædificatorium sibi recitaret. Qui devotionem sane pueri cernens, Vitam S. Alexii confessoris recitavit, quam numquam audierat. Et dum sic per ordinem frater ille eam recitaret, et ipse devote animadverteret, cœpit ipse puer Mauritius in tantum lacrymari, quod nullo modo se a lacrymis continere poterat. Unde ex illa hora concepit in corde religionis ingressum; sicut postmodum ipse ore proprio confessus est. C

[illegible] in aliquibus [illegible]

38 *Sed nos qualem qualem Sancti Vitam ad trutinam revocemus. De nominibus parentum jam cœpimus dicere num.* 7: *quamquam, sicut recte observat Papebrochius in Responsionibus supra citatis, non magis mirum fuerit, in senatu Romano tunc fuisse familias aliquas Græcas, quam quod CPoli fuerint Latinæ, ab ipso urbis conditore Constantino cum parte senatus a Roma veteri ad novam traductæ. In eadem Vita num.* 3, *circa fugam Sancti et conscensam navim, offerunt se aliquæ difficultates, quas expensas vide in laudatis Responsionibus num.* 70. *De imagine Edessena Servatoris non manu facta, obiter dictum; agi inter prætermissos de ea poterit die* XVI *Augusti, quo a Græcis colitur. Num.* 7 *res male combinat auctor, asserens* Imperatores Arcadium et Honorium, *Sancti morte cælitus annuntiata,* qui eodem tempore regebant Romanum imperium, una cum Pontifice Innocentio cœpisse ire in domum Euphemiani, et diligenter exquirere de Homine Dei: *nam Innocentius I creatus Pontifex anno, ut diximus,* 402, *tempore utriusque istius Imperatoris, Honorium quidem præsentem habere potuit annis Christi* 403 *et* 404; *Arcadium autem vidit numquam; qui videlicet jam tum ab anno* 395 *Orientis imperio potitus, numquam in Occidentem, quem fratri Honorio reliquit, postmodum rediisse scitur.* Animadvertit hoc is, qui in monasterio Cryptæ Ferratæ prope Romam, Vitam illam aliasque plures ex Latino Græcas fecit: nam temporibus quidem utriusque Imperatoris rem actam dixit; de unico tamen Imperatore, qui vocem audierit, humerosque sacro feretro supposuerit, tantum loquitur: neque cum nominare voluit; *sicut recte observat Papebrochius num.* 67.

atque ad relatum

39 *Omnium turpissime hic inepit noster biographus Græcus, (quem cur hic non edamus, rationem afferimus infra) adeo rerum ac temporum imperitus, ut ad funus Sancti deducat* Pontificem Romanum *mere commentitium, et ex suo vel ex ejusdem certe ingenii fabulatoris cerebro confictum: sed illum de hoc mox conveniam. Quanto melius S. Josephus canonis superioris conditor, quando ode nona inter alias personas, quas ad funus Sancti memorat convenisse, ponit simpliciter* Imperatores; *quo nomine commode intelligi possunt Honorius Imperator et Maria, Stiliconis ac Serenæ filia, quam anno Christi* 398 *uxorem duxit; nisi malis solum Honorium designari, numero plurali pro singulari expressum. Certe ode* IX *non nisi unicus narratur* Imperator *justa ipsi persoluturus venisse. Scopulum hunc, in quem occasione duorum Imperatorum, qui ad Sancti funus convenerint, impingitur, viderit haud dubie et vitare voluerit hac die Felicius, referens ipsum in morte agnitum sub Innocentio I, et Honorio Imperatore, suppresso nomine Arcadii; uti etiam fecit Ferrarius. Juvat interea nunc anacephalæosin contexere ex punctis historicis, in superiore isto canone contentis; cujus subsidio intelligi queat quousque historia* S. Alexii, *prout passim manibus teritur, tolerari possit, recisis phaleris scenicis, quibus ex magna parte constat.* E F

S. Josephi canonem exiguntur.

40 *Natus fuit ex sterili matre, uti colligitur ex ode prima; sprevit thalamos nuptiales ac sponsam deseruit, exsul e patria profugus, ac pauperiem angustam tulit, ode* III. *Resedit in æde Deiparæ sacra, ode* IV. *Quæ ipsum latere volentem manifestavit, ode* VI; *deinde ad patriam rediit, ibidem. Latuit in domo parentum incognitus, et a famulis misere vexatus, ode* VII. *Parentibus se manifestavit, ode* VIII; *ubi et res gesta Romæ adscribitur. De Sancti miraculis agitur ode* IX, *sicut etiam de Imperatore ac Pontifice, non expressis eorum nominibus. Ceterum de tribus millibus puerorum seu famulorum, patri ejus servientium; de egressu a suis ad eosque regressu cum adjunctis adeo mirabilibus in Vita vulgari recensitis; de variis apparitionibus Edessæ; de voce pluries repetita et audita Romæ; de annis septemdecim extra patriam, totidemque apud suos in paterna domo exactis; de epistola ejusque adjunctis iterum plane mirabilibus nihil memorat. Neque inde tamen certo concludi potest, omnia ista falsa esse: fieri quippe potuit, ut historiam sic tantum narrare voluerit, quædam diserte ac sigillatim exprimens, quædam intelligenda relinquens; quemadmodum*

AUCTORE J. P.

alias notavimus contigisse circa miracula S. Hilarionis abbatis, in canone ad laudem ipsius condito a S. Josepho (eodem an diverso?) generalibus fere dumtaxat terminis relata, uti habes tomo III *Martii pag.* 733.

§ VI. Vitarum notitia; Græca præterita; quænam hic dentur.

Vitarum Mss.

Vitarum manuscriptarum ingens se offert numerus. Unam habemus ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris, quæ notatur etiam exstare in monasterio Aquicinctino; alia etiam indicatur haberi in Ms Pragensi, initio ac fine carens; ut nihil dicam de codice nostro Vallicensi seu Moretiano majoris formæ, cujus exordium notatur fere verbatim convenire cum Ultrajectino. Accedit Ms. Bertinianum, cum Sanmaximiniano Trevirensi ac Boni fontis collatum, Vitam Sancti etiam continens, quæ eadem exstare observatur in Ms. Montis Oliveti. In promptu sunt duo alii codices manu exa- B *rati, quos asservamus, idem argumentum tractantes; quorum unus sæculo, quantum præferre videntur characteres, undecimo circiter aut duodecimo potuit esse scriptus; Vitamque inchoat his verbis:* Temporibus Domni Honorii et Archadii, erat vir Dei, nomine Eufimianus bene confidens: *quacum plerumque ad verbum perfectissime concordat ea, quam exhibet laudatus codex Vallicensis. Alter e duobus dictis codicibus anno Christi* 1648 *datus fuit Henschenio nostro ab Hieronymo de Gaule, Geldriæ cancellario; de quo Historia generalis Belgii, Bruxellis tomis quatuor Gallice recusa anno* 1720, *tomo* I, *pagina* 333. *Ceterum codex ille tam probæ est notæ tantæque antiquitatis, ut memoratus Henschenius in Commentario prævio ad Acta S. Erasmi episcopi et martyris, die* II *Junii, pag.* 211 *dicat,* a nongentis forsan aut saltem octingentis annis exaratum: *nam tametsi ibi codicem istum nominatim non exprimat, puto tamen inter alios plurimos manuscriptos, in quibus prædicti Sancti Acta contineri affirmat, hunc Gaulianum designare voluisse; ut qui vetustissimis litteris sit exaratus, et S. Erasmi, episcopi et martyris Acta contineat.* C *Vita porro ista ad verbum fere consonat cum ea, quæ Romæ edita est typis Francisci Corbelletti anno* 1636.

ac typis excusarum series enumeratur.

41 *Notatur hæc desumpta* ex veteri Ms. venerabilis monasterii SS. Bonifacii et Alexii de Urbe, monachorum S. Hieronymi, Congregationis Lombardiæ, *estque a Priore ac monachis Francisco Cardinali Barberino, S. R. E. Vicecancellario dedicata;* quam dramatico carmine, harmonico concentu, splendidissimo apparatu in hominum memoriam revocasse *dicitur. Videsis indicem Bibliothecæ Barberinæ, Romæ typis editum anno* 1681. *Vitam porro istam anno* 1649, *die* XIII *Septembris ad Bollandum miserat R. A. P. Alexander Gottiffredi, anno* 1652, *die* XXI *Januarii, in Congregatione* IX *Generali electus Societatis Jesu Præpositus Generalis* X, *et eodem anno,* XII *Martii præmature e vivis ereptus. Vitæ textus est satis brevis, nulloque vel auctoris vel ætatis notatur indicio; de cujus ætate tamen Papebrochius in Respp. satis liberaliter statuit ista:* S. Alexii Vita vel nulla antiquitus scripta fuit, vel periit: unde solum illa reperitur, quam ex traditione scripserunt monachi, sacri corporis custodes Romæ, D seculo fortassis octavo vel nono; sicut eam habemus ex Ms. eorum, impressam Romæ anno MDCXXXVI. *Nihil opus est monere, eidem subjungi Vitam elegiaco carmine conscriptam, invenustam et pluribus locis vitiosam, quam laudatus Gottifredus die* XIX *Martii* 1650 *ad nos direxit. Obviæ passim sunt Vitæ apud Petrum de Natalibus, Mombritium, Vincentium, Bellovacensem in Speculo lib.* XVIII, *cap.* XLIII *et sequentibus, Lipomanum ac Surium. Hoc universim de omnibus tum manu scriptis tum typo editis, quas ego quidem vidi (vidi autem plurimas) pronuntiari potest, ubique in substantia eamdem referri historiam; quæ unum eumdemque sapiat fontem, scriptoris ingenium, ordinem rerum, partiumque symmetriam. Idem statue de Vita metrica Ms., de qua nunc pauca subjicio, secundo post Latinam loco danda.*

43 *Eam itaque hic edimus, non quia novas notitias de* S. Alexio *suggerit, sed quia hactenus, quod sciamus, vulgata non sit. Tomo* I *Februarii pag.* 482, *num.* 8 *actum de codice quodam nostro membranaceo Ms. anonymo; quem tamen ibidem tunc censuimus attribuendum esse Marbodo* E *(alias Marbodæo vel Merboldo) qui ex archidiacono Andegavensi episcopus Redonensis in Armoricis anno Christi* 1096, *in concilio Turonensi, tunc mense Martio ad tertiam Quadragesimæ hebdomadem habito, ab Urbano II Pontifice creatus fuit, a Sixto Senensi lib.* IV *Bibliothecæ sanctæ laudatus. Plures Sanctorum Vitas ab illustri ejus calamo profectas tum promisimus nos daturos; ubi etiam poemata de Vita* S. Alexii *et de pœnitentia S. Theophili conjecimus esse ejusdem auctoris; quod postremum ob sententiarum gravitatem et verborum pondera luce publica dignum judicavimus, etiam in concursu Vitæ ejusdem Sancti, solo stylo soluto a metrica diversæ. Poema vero de* S. Alexio *promisimus edere hac die. Quando itaque duas hic Vitas vulgamus, argumento convenientes, ac solo stylo diversas, habemus Majorum nostrorum exemplum, quod sequamur, et promissum, quod nunc persolvimus. Interea plura de Marbodo diximus die* XIII *Februarii, pag.* 676, *num.* 3 *in Commentario ad Vitam S. Licinii, episcopi Andegavensis; quam ab ipso scriptam fuisse, quando gerebat munus archidiaconi Andegavensis, habemus ex Vita secunda num.* 24: *quo tempore poema,* F *de quo hic agimus, atque alia potuit concinnasse. Enimvero tomo* III *Aprilis pag.* 316, *num.* 4 *occurrit laudatus auctor occasione S. Roberti, abbatis Casæ Dei in Gallia, cujus ipse Vitam a Geraldo primum scriptam, exornavit, dum etiamnum esset diaconus prædicti loci, adeoque ante annum* 1096.

Observationes in Vitam metricam,

versibus Leoninis conscriptam.

42 *Opuscula vero ipsius edita atque inedita typis vulgavit anno* 1708 *Antonius Beaugendre, monachus Benedictinus Congregationis S. Mauri; apud quem non reperio Vitam metricam* S. Alexii; *sive putaverit eam esse alterius auctoris, sive, quod potius crediderim, eam non invenerit, tametsi, sicut asserit in sua præmonitione,* qua potuit diligentia ad perquirenda quaquaversus sive edita sive inedita Marbodi opera, se accinxerit: *de quibus omnium novissime agit Oudinus tomo* II *a col.* 944, *varios alios citans. Porro sæpe dictum poema constat versibus* ὁμοιοτελεύτοις, *seu Leoninis, ut vocant, ita dictis, uti vult Cangius in Glossario Latino tomo* II *a col.* 521, *quod inventi fuerint a Leone quodam poeta, qui circa tempora Ludovici VII vel Philippi Augusti, Galliæ regum,*

A requm, floruerit sæculo XI. Atque hæc dicta sunto de Vita metrica; superest, ut nonnulla subjiciamus de Græca hic a nobis prætcrita.

45 Leo Allatius in Diatriba de Symeonum scriptis pag. 125 refert initium Vitæ Græcæ (cujus nos ecgraphum habemus, sed luce publica indignum censemus) Metaphrastico calamo eamdem attribuens. Et vero si illa, sicut in exordio, ita etiam in decursu, nostræ omnino consonet; ex idiotismis utrobique relucentibus, non abs re quilibet judicaverit, vel istius auctoris vel simillimi certe ingenii historiastri fœtum esse, adeo scenam res tota spirat. Nostrum Vitæ exemplar transcriptum fuit ex codice Ms. Bibliothecæ Vindobonensis theologico Græco num. 88, infra 153: quam Lambecius in Commentariis ad laudatam Bibliothecam lib. IV, pag. 138, ubi de codice 153 meminit, Metaphrasti etiam attribuit. Quod autem dicit: Valde ab his Græcis Actis discrepat Latina illa narratio, quam tamquam ex Symeonis Metaphrastæ Actis Sanctorum desumptam Laurentius Surius.. die XVII Julii inseruit, admitti potest; si hoc intelligi velit de sola differentia accidentali, secus si de substantiali. B Addit præterea ex eodem codice nomen illius, qui scripsit, et locum, in quo scriptus est, ex testimonio, ut ait, authentico, sed anno non expresso. Ceterum prænotatur isto titulo Vita: βίος του ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀλεξίου του ἀνθρώπου του Θεοῦ. Vita S. Patris nostri Alexii, hominis Dei. Auctor vero vel ab ipso exordio oratorem agit, in decursu dialogistam, passim actorem sacrum: utinam melioris notæ historicum! Sed ferme idem biographis omnibus Alexianis hoc vitium est.

...am in Latinum versa ac prælo ...ata ... hic ...ta.

46 Jam Latinum feceram ac prælo paraveram ejusdem contextum; at postea, re mature expensa, censui conducibilius esse, eamdem cramben non recoquere cum incremento Operis nostri neutiquam necessario, ac tædio lectoris; cujus ne hilum quidem interest, bis eadem audire in substantia, et phaleris dramaticis dumtaxat diversa. Ne pluribus, quæ merito in illa displicent, enumerandis tempus consumam, eo ineptiarum abit auctor, ut dum nullus quidem Pontifex Romanus, qui Sancti Romanis cælitus manifestati tempore, Petri cathedram occuparet, ipsi satis appo ite in promptu esset, imaginarium substituerit; ne nomine quidem C tenus alicubi notum: ait enim: του ἀρχιεπισκόπου Μαρκιανοῦ τὸν ἐκκλησιαστικὸν θρόνον τῶν Ῥωμαίων διέποντος: Archiepiscopo Marciano ecclesiasticum Urbis Romanorum solium moderante, vocem cælitus auditam: Venite ad me omnes etc. Inter Vitas Sanctorum, ex Metaphraste, sicut indicat titulus ipsis præfixus, selectas, et in vulgarem Græcorum linguam traductas ab Agapio monacho, et typis excusas, datur ea, quæ est S. Alexii a pag. 279, sed ejusdem, si non deterioris furfuris, ac præcedens. Exordium ejus nec cum Allatiano atque adeo nec cum proxime producto consentit. Laborat etiam crassissimo ignorantiæ vitio, quod mortem Sancti innectat temporibus Honorii Imperatoris, et Mariani (voluit scribere Marciani) archiepiscopi, sicut quidam scribunt; alii vero Innocentii. Hæc videlicet eorum sors est, qui aliena mere transcribunt, ut obvia quæque adoptantes turpissime impingant in eosdem errores, et quæ in aliorum cerebro nata sunt commenta, pro veris ac realibus venditare non reformident, cæci cæcorum ducum sequaces.

47 Atque hæc quidem sunt, quæ corradi potuere ad illustranda S. Alexii Acta Latina; non satis undequaque ab omnibus probata, nec magni adeo ac memorabilis Sancti meritis satis accommodata, neque satis certa in omnibus fide subnixa; verum tacentibus de ipso auctoribus synchronis, aliisque qui proximis eum sæculis sunt subsecuti, quid miri? si posteri adeo in rebus ipsius exornandis liberales, parum in aliquibus, si non præcipuis totius historiæ gestis fidei inveniant apud emunctæ naris criticos, qui antiquioribus ac certioribus documentis stabilita videre vellent, quæ in ea tam speciose circumferuntur. Ego rigidioris aliorum criseos arbitrum me non interpono, Acta Sancti pro eo ac debui, tutatus, quoadusque ex S. Josephi canone supra laudato tutari ea licuit: pro aliis vel adjectitiis, vel saltem in eo non repertis vadem me aut sponsorem ponere non ausim. Porro supersunt analecta quædam, quæ dabuntur post Vitam metricam supra laudatam; tum subsequetur Vita ex Arabico in Latinum conversa, hactenus inedita; et, quoniam ab Actis vulgaribus prorsus in pluribus differt, novo Commentario elucidata. Typis subjicienda visa est e Latinis exemplaribus ea potissimum, quæ in Gauliano codice reperitur, tum ob brevitatem argumenti, tum ob laudati codicis antiquitatem, in hæc verba totam historiæ seriem, cum aliis tamen hic exemplaribus collatam, E recensens. Uncis [ ] hic inclusa aliunde supplevimus.

AUCTORE J. P.

VITA

Auctore anonymo conscripta.

Ex codice nostro membranaceo Ms. antiquissimo Hieronymi de Gaule, Geldriæ Cancellarii, cum aliis collata.

S. Alexius a parentibus eleemosynis et precibus divinitus impetratur:

Fuit Romæ vir magnus, et nobilis Euphemianus nomine, dives valde, et primus in palatio Imperatoris *a*. Erantque ei tria millia pueri, qui zonis cingebantur aureis, et sericis induebantur vestimentis. Hic namque erat justus et misericors, eleemosynas multas pauperibus erogans. Tres per singulos dies mensæ parabantur in domo ejus, orphanis, viduis, peregrinis et iter agentibus. F Ipse vero ad horam nonam comedebat cum viris religiosis. Mulier autem ejus Aglaes *b* nomine, religiosa, et timens Deum: et non erat illis filius, eo quod esset sterilis. Unde mœrentes erant, et tristes, quod tantarum substantiarum, ac familiarum nullum haberent heredem. Et ideo immensas cotidie largiebantur eleemosynas, orationibus quoque atque obsecrationibus insistentes Dominum deprecabantur, ut daret eis filium, qui succederet eis.

postea doctrinis instituitur, ac sponsæ traditur:

2 Quorum Deus secundum bonitatem suam, contritionem aspiciens, recordatus operum ipsorum, exaudivit eos, et concessit eis filium *c*. Qui nimis lætantes, gratias egerunt Deo, atque statuerunt, ut deinceps castum, et sanctum reliquum vitæ suæ tempus ducerent, ut Deus gauderet de illis, et de filio, quem dederat eis, et ut ultra ad invicem non accederent, sed in castitate perseverarent. Puer autem ut ad ætatem disciplinæ congruam pervenit, tradiderunt eum ecclesiasticorum Sacramentorum, ac liberalium disciplinarum magistris

EX ANTIQUIS MSS

magistris, et ita Deo largiente edoctus est, ut in omnibus philosophiæ, et maxime spiritualibus floreret studiis. Cum autem ad tempus adolescentiæ accessisset, et eum nuptialibus infulis aptum judicassent, elegerunt ei puellam ex genere imperiali, et ornaverunt thalamum, et impositæ sunt eis singulæ coronæ *d* in templo S. Bonifacii martyris per manus honoratissimorum sacerdotum, et sic cum gaudio, et lætitia lætum duxerunt diem. Vespere autem facto dixit Euphemianus filio suo : Intra, fili, in cubiculum, et visita sponsam tuam. Ut autem intravit, cœpit nobilissimus juvenis, et in Christo sapientissimus instruere sponsam suam, et plura ei sacramenta * dissere- (* *al.* mysteria) re; deinde tradidit ei annulum suum aureum, et rendam *e*, id est caput baltei, quo cingebatur, involuta in prandeo *f*, et purpureo sudario, dixitque ei : Suscipe hæc, et conserva usque dum Domino placuerit : et Dominus sit inter nos.

quam mox deserit, Edessam petens : ubi vivit pauperrime, ac latet,

3 Post hæc accepit de substantia sua, et discessit ad mare *g* : accedensque ad mare, ascendensque *h* navem, Deo prosperante pervenit Laodiciam, et inde iter arripiens abiit

B Edessam Syriæ *i* civitatem, ubi sine humano opere imago Domini nostri Jesu Christi in sindone habebatur; quo perveniens, omnia, quæ secum tulerat, pauperibus erogavit, et induens se vestimenta vilissima, cœpit sedere cum ceteris pauperibus ad atrium sanctæ Dei Genitricis Mariæ. Sancta quoque Dei mysteria singulis diebus Dominicis accipiebat, et de eleemosynis, quæ ei dabantur, quantum sibi sufficeret, reservabat, cetera vero pauperibus erogabat. Post ejus discessionem facta est Romæ inquisitio magna, et non invenientes eum, misit pater ipsius pueros suos *k*, ut per universas mundi partes inquirerent eum. Quorum aliqui, dum venissent Edessam, viderunt eum inter ceteros pauperes sedentem : et dantes [ei] eleemosynam, discesserunt, quia non cognoverunt eum. Ipse autem homo Dei cognoscens eos glorificabat Deum, dicens : Gratias tibi ago Domine, qui me vocasti, et fecisti, ut propter nomen tuum acciperem eleemosynam de servis meis; quæso, ut perficere digneris in

C me opus, quod cœpisti. Reversi autem pueri nunciaverunt, non invenisse eum.

cum summo suorum luctu : sed cœlesti voce manifestatus,

4 Mater quoque ejus a die, qua discessit suus filius, sternens saccum in pavimento cubiculi sui, sedensque super illud ejulans, et lamentans dicebat : Vivit Dominus, quia ita manebo, donec cognoscam, quid actum sit de filio meo. Sponsa vero ejus dixit ad socrum suam : Non egrediar de domo tua, sed similabo me turturi, quæ omnino alteri non copulatur, dum ejus socius captus fuerit; sic et ego faciam, quousque sciam, quid factum sit de dulcissimo conjuge meo. Ille namque homo Dei in eodem, quo dictum est atrio permansit in sancta conversatione, et vitæ austeritate per decem et septem annos incognitus. [Postea vero volens Deus revelare causam ipsius] imago, quæ in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ ibidem erat, paramonario ecclesiæ dixit : Fac introire hominem Dei, quia dignus est regno cælorum, et spiritus Dei requiescit super eum; nam et oratio ejus sicut incensum in conspectu Dei ascendit : exiensque paramonarius, quæsivit eum, et non cognovit : et reversus intro, cœpit precari omnipotentis Dei clementiam, ut ostenderet eum illi. Iterum ipsa imago ait : D Ille qui sedet foris in ostio, ipse est.

invenitur a paramonario ecclesiæ : unde fugiens tempestate Romam fertur.

5 Tunc paramonarius festinus egressus cognovit eum, et procidens ad pedes ejus rogavit eum, ut in ecclesiam intraret; quod factum dum cunctis innotesceret, et isdem homo Dei ab hominibus venerari cœpisset, humanam fugiens gloriam, occulte exiit de civitate Edessa, et venit Laodiciam, ibique navem ascendens volebat in Tharsum Ciliciæ ire, ut in templo S. Pauli, quod ibidem est, maneret incognitus. Deo itaque dispensante rapta est navis vento, et ducta est ad Romanum portum. Ut autem ipse homo Dei se illuc venire perspexit, dixit in corde suo : Vivit Dominus, quia alicui onerosus non ero, neque alibi ibo, nisi in domum patris mei, quia cognitus illic non ero : et exiens venit, et obviavit patri suo redeunti a palatio, circumdato obsequentium multitudine; et cœpit clamare, dicens : Serve Dei respice in me, et fac mecum misericordiam; quia pauper sum, et peregrinus, et jube me suscipi E in domo tua, ut Deus benedicat annos tuos, et ei, quem habes in peregre, misereatur.

Incognitus degit in paterna domo inter plurimas injurias.

6 Pater vero ejus hæc audiens, rememoratus est de filio suo, et compunctus jussit eum venire ad se, et ait pueris suis : Quis ex vobis curam geret istius hominis? Vivit Dominus; quia liberum eum faciam, et de domo mea accipiet hereditatem. Et deputato ei ministro, jussit eum recipi, et facere ei grabatum in atrio domus suæ, ut intrans, et exiens videret eum, præcipiens ut de mensa ejus pasceretur. Susceptus autem perseverabat in austeritate vitæ suæ, orationibus continuis, jejuniisque et vigiliis indefessus. Pueri quoque cœperunt deridere eum, et aquam, qua discos lavabant, super caput ejus fundebant, et multas injurias inferebant; quæ omnia homo Dei propter amorem Domini libenter sustinebat; sciebat enim quod antiquus humani generis inimicus has ei parabat insidias : sicque fecit in domo patris sui incognitus alios decem, et septem annos. Cum autem completum sibi tempus vitæ suæ F cognovisset, postulavit a deputato sibi ministro tomum chartæ, et calamarem, et scripsit per ordinem omnem vitam suam; qualiter respuerit nuptias, et qualiter conversatus fuerit in peregrinatione, qualiterque contra voluntatem suam redierit Romam, et in domo patris sui opprobria multa sustinuerit.

Cœlesti monitu indicatur.

7 Quo peracto, volens Deus manifestare certamen, atque victoriam ejus, Dominica die post Missarum solemnia completa, vox cælitus insonuit in sanctuario dicens : Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego vos reficiam. Qua voce audita, nimio timore territi ceciderunt omnes in facies suas, clamantes; Kyrie eleison. Iterum secundo vox facta est dicens : Quærite hominem Dei, ut oret pro Roma; illucescente enim die parasceve Deo spiritum reddidit. Et tunc egressi quæsierunt eum, et non invenientes congregati sunt die parasceve omnes *l* ad ecclesiam, implorantes Dei clementiam, ut ostenderet eis, ubi esset homo Dei. Tunc facta est vox ad eos dicens : In domo Euphemiani quærite. Conversique ad Euphemianum dixerunt : In

A In domo tua talem gratiam habebas, et non ostendisti nobis. Ille quoque dicebat : Vivit Dominus, nescio. Et statim vocavit priorem domus suæ, et dixit ei : Scis in domo mea aliquem, talem gratiam habentem. Ille autem se nescire respondit. Tunc Imperatores Arcadius *m*, et Honorius, qui eodem tempore regebant Romanum imperium, una cum Pontifice Innocentio cœperunt ire in domum Euphemiani, et diligenter exquirere de homine Dei.

m

...a patre ...tur jam ...rtuus.

8 Euphemianus autem præivit cum pueris suis, ut sedes ordinaret, et cum lampadibus, incenso quoque, et thuribulis obviam Imperatoribus, et Pontifici exiret. Et cum illuc pervenissent, factum est silentium magnum. Minister autem hominis Dei accessit ad dominum suum, dixitque ei : Vide, domine, ne forte sit ille, quem assignasti mihi; magna enim, et laudabilia vidi eum operantem; per omnem enim Dominicam sancta Dei munera accipiebat, jejuniisque semetipsum cruciabat ; et injurias multas atque molestias, a servis tuis illatas, libenter suscipiebat, atque sustinebat. B Ephemianus autem hæc audiens, festinus cucurrit ad eum; et invenit eum jam defunctum, et accedens discooperuit faciem ejus, et vidit vultum ipsius velut lampadem lucentem, vel sicut vultum angeli Dei : habebatque in manu brevem scripturam, et voluit eam ab eo accipere, et non valuit. Quo stupefactus, atque timore percussus, cito reversus ad Imperatores dixit : Quem quærebamus, invenimus; et narravit eis quæ ei recitata fuerant de eo a ministro, et qualiter defunctum eum invenisset,. tomumque in manu habentem, et eum nequivisset ab eo accipere.

...et ab Imperatoribus et Pontifice Romano lamentante ...atre.

9 Tunc imperatores, et Pontifex cum Euphemiano perrexerunt ad locum, ubi jacebat, steteruntque ante grabatum, et dixerunt : Quamvis peccatores simus, gubernacula tamen regni gerimus; iste autem Pontifex, pater universalis est; da nobis chartam, ut sciamus quæ in ea scripta sunt. Et accedens Pontifex, accepit chartam de manu ejus, et dedit chartulario sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nomine Ethio *n*, ut legeret eam; C et facto silentio magno lecta est coram omnibus. Euphemianus autem pater ejus, ut audivit verba chartæ, factus exanimis cecidit in terram, et surgens scidit vestimenta sua, cœpitque canos capitis sui evellere, barbam trahere, atque semetipsum discerpere : et corruens super ipsum corpus clamabat : Heu me Domine [Deus] meus, quare mihi sic fecisti, et quare ita contristasti animam meam, et per tot annos suspiria, et gemitus incussisti mihi? Ego enim sperabam aliquando audire vocem tuam, et de te agnitum * habere, ubicumque esses, et nunc video te custodem senectutis meæ in grabato jacentem, et mihi non loquentem. Heu me! qualem consolationem in corde meo ponam?

n

...Bertinian. ...nnuncium

...atre ...ione...

10 Mater vero ejus hæc audiens, quasi leæna rumpens rete, ita scissis vestibus exiens, coma dissoluta ad cælum oculos levabat, et cum præ nimia multitudine ad sanctum corpus adire non posset, clamabat : Date mihi viri Dei aditum, ut videam consolationem animæ meæ, ut videam filium meum, qui suxit ubera mea. Et cum pervenisset ad corpus, incumbens super illud, clamabat : Heu me! fili, lumen oculorum meorum, quare sic nobis fecisti? Videbas patrem tuum, et me miserabiliter lachrymantes, et non ostendebas teipsum nobis; servi tui te injuriabant, et sustinebas. Et iterum atque iterum prosternebat se super corpus, et nunc brachia super illud expandebat, nunc manibus vultum angelicum contrectabat, osculansque clamabat : Plorate mecum omnes, qui adestis; quia decem et septem annos eum in domo mea habui, et non cognovi, quod unicus filius meus esset, sed servi ejus injuriabant, alapis percutiebant eum, et sputa in faciem ejus jactabant. Heu me! Quis dabit oculis meis fontem lachrymarum? ut plangam die, ac nocte dolorem animæ meæ. Sponsa quoque ejus induta veste Adriatica *o*, cucurrit plorans, et dicens : Heu me! quia hodie desolata sum, et apparui vidua. Jam non habeo in quem aspiciam, nec in quem oculos levem. Nunc ruptum est speculum meum, et periit spes mea; amodo cœpit dolor, qui finem non habet. Populus autem videns hæc, lachrymabiliter flebat. E

EX ANTIQU... MSS.

o

Sepultura miraculis illustrata

11 Tunc Pontifex cum Imperatoribus posuerunt corpus in ornato feretro, et duxerunt in mediam civitatem, et nunciatum est populo, inventum esse hominem Dei, quem civitas tota quærebat, et omnes currebant obviam corpori sancto. Si quis autem infirmus illud sacratissimum corpus tangebat, protinus curabatur. Cæci visum recipiebant, dæmonia ejiciebantur, et omnes infirmi, quacumque infirmitate detenti, tacto corpore sancto curabantur. Imperatores autem tanta mirabilia videntes, cœperunt per se cum Pontifice, lectum portare, quatenus et ipsi sanctificarentur ab eodem corpore sancto. Et jusserunt copiam auri, argentique in plateis spargere, ut turbæ occuparentur amore pecuniæ, et sinerent eum perduci ad ecclesiam; sed plebs amore pecuniæ seposito, magis ac magis ad tactum sanctissimi corporis irruebant : et sic cum magno labore ad templum sancti Bonifacii martyris perduxerunt, et illic per septem dies in Dei laudibus persistentes operati sunt monumentum de auro, et gemmis pretiosis, in quo sacratissimum F illud corpus cum magna veneratione collocaverunt die XIV mensis Julii *p*. De ipso quoque monumento ita suavissimus odor fragravit, acsi esset omnibus aromatibus plenum. Tunc populi jocundantes, maximas Domino gratias agebant, qui tale populo suo conferre dignatus est subsidium, per quod omnis quicumque sincera mentis intentione deprecatus fuerit, petitionis effectum sine dubio consequatur. Per Dominum nostrum.

p

ANNOTATA.

a *De historiæ Alexianæ defectibus, satis actum in Commentario prævio; quod semel hic præmonuisse sufficeret.* Euphemianus, *id est, bono omine, nomine, favore aut gloria præditus, ab* εὐφημέω.

b *Al.* Aglais; *(a Græco* ἀγλαὸς, splendidus, clarus, inclytus *etc.)* *ecgraphum Ultrajectinum* Agles ; *Bertinianum* Haclaes; *Legenda aurea excusa* Agalaes. *Vocata fuit* Aglais *filia Megaclis. Vide Lexica historico-poetica.*

c *Vita*

Antiqui Mss.

c *Vita ex codice SS. Bonifacii et* Alexii *Romæ edita addit :* Et vocaverunt nomen ejus Alexium.

d *Sponsis tum temporis in more positum fuisse coronari, ex hoc loco patet ; et confirmatur ex Gregorio Nazianzeno, epistola* CLXXI *sub finem. Plura Rosweydus in Onomastico ad Vitas Patrum pag.* 1022.

e *Vita metrica a nobis excusa ita etiam scribit ; codex autem noster Ms. cum Vallicensi male* sendam *habet. An* renda *dicta, quia renes cingit? Videri possunt de hac voce Spelmanni et Cangii Glossaria in* ringa *al.* renda ; *qui ultimus monet* τὸ ῥένδα *id est zona etc. in Lexico Græco Ms. regio, quod citat, forte legendum* ῥένγα, *At lectio nostra satis stabilitur ex nostris hisce antiquissimis codicibus.*

f *Scribi solet* brandeum, *estque hic velum, cui aliquid involvitur. Alias significationes dabit Cangius.*

g *Codex noster Ms., iterum mendose habet hic,* descendit autem capolim, *forte voluit* Neapolim *dicere.*

h *Rursum proxime prægressus codex cum Vallicensi vitiose :* abiit in civitatem, quæ vocatur magnia Laodicensis Syriæ. *Puto legendum* magna, *ut sit epitheton urbis Laodicenæ. Nullam certe* Magniam *urbem ibi reperio.*

B

i *Codex noster Ms. cum Vallicensi* Mesopotamiam *legit, et recte ; etenim tam hæc quam nostra topographica denominatio conciliari potest per variam nunc atque olim provinciarum divisionem. Sic in Concilio Calchedonensi apud Labbeum tomo* IV, *col.* 79 Edessæ civitatis primæ Syriæ *mentio fit.*

k *Melius hic, quam alibi ;* Misit pater ejus tria milia de pueris suis.

l *Al.* Vespere.. die Jovis abierunt omnes, ut ostenderent se homini Dei.

m *Hoc correximus in Commentario prævio.*

n *Al.* Hec ; *Vallicensis* Heo ; *Bertinian.* Æthio, *al.* Aethio.

o *Quid sibi velit hoc epitheton, in Vita e codice monasterii SS. Bonifacii et* Alexii ; *nec non ecgrapho Bertiniano ac Legenda aurea excusa, non, equidem capio. Puto substituendum ex codice nostro Ms. et Vallicensi* attrita.

p *Bertinian.* corpus collocaverunt XVII die mensis Julii XIV. *Ms. codex cum Vallicensi Sancti depositionem signant die* XVII *dicti mensis. At si* illucescente die parasceve *obiit, prout dicitur num.* 7 *hic, quomodo fuit sepultus* XVII *Julii? Etenim res ista tota narrari videtur peracta intra septem dies post mortem.*

C

VITA METRICA

Ex codice nostro Ms. membranaceo vetustissimo anonymo, signato ✠ Ms. 33.

Auctore, ut creditur, Marbodo, primum archidiacono Andegavensi, deinde episcopo Redonensi in Armorica.

S. Alexius parentum virtute, ...

Præstans magnatis, summæ vir nobilitatis,
Stemmate Romanus effulserat Eufemianus,
Magnus magnarum possessor divitiarum,
Regibus æqualis, aulæ dux imperialis.
Ter pueris mille ditatus claruit ille,
Quos commendabat probitas, quos condecorabat
Deliciis festis aurum vel serica vestis.
Maximus ipse Dei cultor, spes pauperiei,
Cui fuit almorum cordi custodia morum.
Totus clementi studio dum servit egenti,
Ut res poscebat, sua large distribuebat.
Hujus et impensis, positis trina vice mensis,
Turba peregrina, vel inops, viduæ, vice trina,
Cotidie refici veniebant, sicut amici ;
Ipse tamen nonam pransurus sustinet horam :
Cujus digna thoris Aglahes sociatur honoris,
Laude viri similis, de sanguine stirpis herilis :
Quippe perornata virtutum dote beata,
Vixit sectatrix ac religionis amatrix.
Nec fuit his natus ; sterili pro sorte negatus.
Auribus hinc Christi suspiria pectore tristi,
Viventes plorant, et sanctis actibus orant,
Ut misereretur Deus his, heresque daretur,
Copia tantarum cui cedat divitiarum.

E

ac pr... petratus pe... educatus, ... sæ jungitur, quam clam deserit.

2 Nec despexit eos justorum gloria Theos *,
Dum caram sobolem, post fletus nubila solem,
Dum pignus donat quod gratia summa coronat.
A patre filius extat Alexius ergo vocatus.
Sic quoque nominis ac honor ominis est sociatus.
Hunc quia cælitus, est cui deditus, auctor amavit,
Atque Paraclitus hanc sibi spem ipse sacravit,
Inde paternorum quos vicerat assecla morum,
Indolis egregiæ puer ut... philosophiæ,
In studiis crevit, virtutibus ac adolevit,
Tempore nubendi jam conjugioque fruendi,
E regum cella regali stirpe puella,
Ipsi deligitur, sponsalibus ac redimitur.
Ergo coronantur festivaque cuncta parantur.
Postquam completa fuerant convivia læta,
Castis ardescens animi flammis adolescens,
Ingrediens, apto secreti tempore capto,
Sacra dedit monita sponsæ pro celibe vita.
Virginitatis et integritatis amare pudorem,
Sic probitatis, uti pietatis, habere nitorem.
Tale sacerdotum sanxit benedictio votum :
Hinc sponsæ rendam zonæ propriæ dat habendam,
Unde sibi memorem fidei conservet amorem,
Et rex cælestis, rogat, ut sit ad omnia testis.

* *Græce* Θεὸς, Deus

F

Proficiscitur Edessam quam virtutibus il-strat.

3 Post hæc discedit, Domino se [se] ut sua credit :
Sic mare transivit Laodicenamque petivit
Urbem, perlatus ventis, nec ibi remoratus,
Navigat Edissam Syriæ, mox intrat et ipsam ;
Qua venerabatur, qua conspicienda dabatur,
Haut opus artificis, sacra forma Dei Genitricis *a*,
Infulgens pura sindone. Salute futura,
Hic sua vendebat, et in usus distribuebat,
Largus egenorum ; sic factus et unus eorum,
Limina cotidie residebat ad ipsa Mariæ,
A populo victum tenuem capiens et amictum.
Indeque donabat miseris sibi quod superabat.
Sicque crucem bajulando ducem Jesum comitatur :
Esuries, sitis et macies quod testificatur :
Assidua prece continua sub spe meditatur :
Despicit infera, suspicit altera gaudia cælis.
Cui requies placet, et facies formosa Rachelis *b*.
Quaque die primæ feriæ *c*, quæ sancta vocatur,
Altaris de more sacris dapibus recreatur.
Interea mille studiis disquiritur ille,
Romæ nec scitur quanam sit, nec reperitur.

4 Missi

4 Missi longinquis hunc ergo locisque propinquis.
Frustra scrutantur, regiones sic peragrantur.
Ex his venerunt Edissam; quem cupierunt,
Cernunt inventum, nec turbas inter egentum,
Hunc agnoverunt, sed opem dantes abierunt.
Quos tamen agnorat, et motus Alexius orat :
Laudat mens mea te, præcelse Deus, pietate
Qui me dignaris; qui dignum velle probaris,
Quo sum mutatus, quo pauperibus sociatus :
Munere servorum juvor indigus (ecce) meorum;
Perfice clementer mihi cepta ferenda libenter.
At qui dispersi fuerant quærendo, reversi;
Nil factum questi, referunt sua munera mesti.
Tristior ergo pater gemit et tristissima mater :
Quæ saccum sternens incedit : gaudia spernens,
Sic, inquit, faciam; dum nati conscia fiam.
At concussa mali nova sponsa modo speciali,
Crines evellit, solatia quæque repellit.
Dum socrui præbet pia quæ solamina debet,
Luctum conpescit, a luctu parcere nescit :
Utraque multiplicat; quid pre * levamine dicat,
Utraque majorem si concitat inde dolorem.
B Flet genitrix natum, flet sponsa thorum viduatum,
Promissamque fidem fore firmam jurat eidem,
Turturis in morem, quum primum servat amorem;
Quo si privatur, nulli rursus sociatur.
...ius Edessæ 5 At vir præfatus ad limina sueta beatus,
Prestat * devotus in laudibus et prece totus,
Annos ter ternos peragens sic atque quaternos.
Dum vox missa datur, quæ sic ab imagine fatur :
Jam deposcatur vir Sanctus, ut ingrediatur,
dignus cælorum regno, numeroque piorum.
Aures sacristæ perquam sonus impulit iste :
Exit festinus, homo nec movet hoc peregrinus,
Vitaque momenti nullius creditur ejus.
Tunc Deus oratur, ut certius hoc referatur.
Vox iterum monitis docet ex adito repetitis,
De quo dicatur, quo sit, vel quid mereatur.
Tali jam teste designatum manifeste,
Omnes exorant, Justum venerantur, honorant :
Sed timet ille, foris circumflans aura favoris
Ne male surripiat, minor et sua gratiæ fiat;
C Omnia cernenti placeant sed ut Omnipotenti,
Fugit ab Edissa : cui de cælis ope missa,
Vadit spe tacita : Laodicia sic repetita
Urbs offertur ei, nec erat locus hic requiei.
6 Hinc navim scandit, ad Tharsum velaque pandit,
Qua Pauli sedes fuerat, nunc nominis ædes.
Versarique bono sub eo cupit ille patrono :
Ventus at exortus ad Romani loca portus
Invitum jactat : ibi secum plura retractat,
Quo divertendum, vel quid potius sit agendum;
Ne mala propositæ subeat dispendia vitæ.
Moxque revelatur ab eo, qui cor moderatur,
Ut secreta tegat, patris et sub limine degat.
Limina ut alterius commansio non gravet ejus.
Hoc igitur pulcro fors ordine detulit ultro.
Vidit et agnovit patrem, neque gloria movit.
Vidit, servorum turba stipante suorum,
Aula regali redeuntem, voceque tali
Ignarum natus compellans, est ita fatus :
Vir pie, pro Domino miserere mihi peregrino,
Multus ut annorum sit sospes et ordo tuorum :
Destituant nec te bona quæque coæva senectæ.
Non onerosus ero : non magna domus loca quæro.
Si pascar modicis, reputo convivia, micis.
Sic alienatum tibi, quem jam tempore natum
Longo flevisti, foveat miseratio Christi.
7 Audit ut hæc justus senior, velut igne perustus, *a patre benigne haberi jussus, sed a famulis deluditur.*
(Quippe recordatur nati) simul hunc miseratus,
Hæc ait ad servos : Veniat mihi gratia per vos;
Experiar gratum cujuslibet hunc famulatum.
Qui volet esse pius in cura pauperis hujus,
Merces addetur, quia libertate fruetur,
Heres multarum de nostro divitiarum.
Dixit : et hoc munus de servis suscipit unus.
Huic inculcat herus, Domini velut assecla verus,
Ne contristetur homo pauper, et unde cibetur :
Quo sit ponendus : se prætereunte videndus :
Susceptus siquidem cunctis ignotus ibidem,
Mansit Sanctus egens, in recti tramite degens :
Cælis intendit, nihili terrena rependit :
Castigando regit carnem, mentique subegit :
Jejunat, psallit, vigilat; sic tempora fallit :
Nec quærit laudem, recipit pro laudeque fraudem :
Nam quæ gesta vident famuli, velut impia rident : E
Clamant delirum, quod debebat fore mirum :
Cujus loturam discorum non bene puram,
Infundunt capiti, sunt opprobrioque periti.
8 Sed Vir mansuetus hæc sustinet omnia lætus, *Post annos 17 jam moriturus scripto proprio et cælesti voce indicatur, ac quæritur :*
Dæmonis arte feri quia noverat ista moveri.
Sic annos senos ibi transigit atque novenos *d*.
Quos dum complesset, miserendi tempus et esset.
Ut responderetur meritis, et scire daretur,
Quis foret, aut operum quæ virtus, ordoque rerum.
Membranam nactus, præscriptos exarat actus,
Ut patriam sprevit, ut mendicare suevit,
Ut res florentes dimiserit atque parentes,
Ut sponsæ tædas, Deus et mundo bona quæ das,
Pro spe majorum, quæ dantur in æthre bonorum.
Post sacra Missarum tunc et prima feriarum,
Sancti Sanctorum vox ex aditis populorum,
Aures tangebat, quæ grande tonans aïebat :
Quique laborantes, onus et mundi tolerantes,
Ad me jam refici merito veniatis amici. F
Talia vox fatur, vocemque stupor comitatur.
Tum plebs miratur, hirieleysonque precatur :
Quod dum clamatur, vox hæc dicens iteratur :
Sanctus quæratur, cujus prece Roma fruatur.
Sed cum quæratur, nec talis repperiatur,
Plebs coadunatur templo, supplexque precatur,
Certa revelari, queat ut Sanctum venerari.
9 Sermonis plani tunc vox, Domus Eufemiani, *ac tandem invenitur, summo cum patris.*
Inquit, servetur, ubi talis repperietur.
Qui percunctatus, et se nescire profatus;
Inde requiruntur famuli : nescire locuntur *. loquuntur
Post hæc, qua Christus obiit feria crucifixus,
Ille polo fixus animo, viciis crucifixus,
Cui vere vivit, Crucifixi servus obivit.
Reges Archadius, proles *e* et Honorius ejus,
Fastus despiciunt, quesitores quoque fiunt.
Tunc procedebat, quem Sancti cura manebat,
Narrans gesta Viri, quid in his perpendere miri
Posset, ab altari soleat quia participari :
Sepeque derisus, patiens sit ad omnia visus.
Dum festinarent omnes, ut dicta probarent;
Cernunt defunctum, jam cælis utpote junctum.
Atque

EX MSS.

Atque thomum carte, digitis quem strinxerat arte,
Quem temptaverunt divellere, nec potuerunt.
Remittunt mentes, hæc mira cuncti * stupentes;

* leg. hæc cuncti mira stupentes.

Præsul Romanus, duo Reges, Eufemianus
Adstant, mirantur : quo detur carta precantur.
Carta datur; legitur : ex ordine res aperitur.
Diriguit mox et stupuit pater Eufemianus,
Stratus humi, clamans : Heu mi! de vertice canus
Eripitur crinis, jacitur vestis lacerata.
Quippe dolor, nullusque color : mens examinata,
Mestitiæ dat signa piæ, pro more parentis.
Quod potuit super ipsa ruit tunc membra jacentis.
Ecce jacens, ait, atque tacens, mi nate, videris,
Qui baculus, valor ac oculus patribus modo seris
Debueras fore, sed fueras mihi causa gemendi.
Sustinui; sed non merui spem te potiendi.
Ut doleam semperque fleam fit abunde; necesse
Quod dignus non sum pignus solum superesse,
B Cum natum videam fatum præcedere patris.
Nec dubitem cito me comitem si luctibus atris.

matris, ac sponsæ mœrore

10 Hæc et plura satis dum verba refert pietatis,
Mater ut audivit, huc scissis vestibus ivit;
Sed quo gestivit, pre turbis ire nequivit,
Vos aditum sinite, clamat, causam mihi vitæ,
Natum, quem peperi præstantes, quæso, videri.
Tunc amplexatum ruit hæc super examinatum,
Heu! dicens, fili dulcissime, cur in anili,
Sic agor ætate? Sic mater muneror a te?
Quamdiu quæsivi, te non cognoscere quivi.
Suprema sorte modo talem contueor te?
O quem dilexi super omnia, dulcis Alexi;
O cui porrexi lac mammis, dulcis Alexi,
O quem provexi florens in robur Alexi :
Omnia despexi propter te, dulcis Alexi :
In te direxi solum spem, dulcis Alexi :
Mox circumspexi, nec eras compertus Alexi :
Funere complexi nati modo solor Alexi :
Est si solari, funus nati speculari.

ac lamentis.

11 Vos o præsentes mecum rogo plangite flentes,
C Sortem tam flendam, mihi matri tamque gemendam.
An non est flendum? quod tantis afficiendum
Sese præbebat adversis, et reticebat,
Palmis servorum percussus sæpe suorum.
His tamen affectus, velut escis sæpe refectus,
Adversis plausit, propriisque laboribus auxit.
Vidit et hic patrem, vidit me plangere matrem :
Sed sprevit patrem, sprevit me plangere matrem,
Annis tot præsens, dum signo non aliquo se,
Nobis prodebat, nec sciri gesta volebat.
Congruus his igitur, rogo, quis meror reperitur?
Talia multa querens super hunc se sternit, et herens,
Magna facit, cuncta turba populi sibi juncta;
Ac heu mi! replicat, vel agat, vel tristia dicat.
More pari plangit conjunx, quam par dolor angit,
Lugubris, ac testes animi circumdata vestes,
Inculcat ve ve, mihi que solatia, queve
Esse potest mihi spes? Conjunx mecum velut hospes,
Annis tot vixit, nec quis foret hic mihi dixit.
Instabam frustra votis per sex quoque lustra, D
Votis privata, penitus modo sum viduata :
Quem jam spectabo, quo lumina mesta levabo?
Iste meum siquidem speculum fuit, ac amor idem.
Tu Deus attende sortis speciem miserende,
Fine caret namque, morem que modumque viamque.
Iste dolor nescit, qui deficiendo recrescit.

Corpus [illegible] gis honoratum et magnifice tumulatum

12 Sic lacrymans fatur; qui plebs quoque collacrimatur,
Corpus in ornatum feretrum mox ergo locatum.
Quod, ceu debebant, Præsul Regesq; ferebant;
In medio turbe cum plausu ponitur urbe,
Et subito gesta rumor facit hæc manifesta.
Curritur omnibus a cupientibus ista videre.
Terra fragoribus, ethera laudibus insonuere :
Ecce recentia signa, ferentia dona salutis.
Ora tacentia ner reloquentia sunt sua mutis.
Crura labantia pristina munia promeruere,
Egraque millia fata minantia convaluere.
Surdicie, cæca facie quicumque gravantur,
Audibili vel visibili sensu relevantur :
Quisque cupit tantum corpus contingere sanctum, E
Præsul, et Augusti feretro famulantur onusti.
Circumvallatur turmis : via namque negatur.
Ergo videtur eis thesauri multa plateis
Copia spargatur, ut vel via sic tribuatur.
Pro specie cara dum plebs raptatur avara.
Questus postpositus tamen est, Sanctusque potitus
Templo vix tandem per turbam fertur eamdem,
Laudibus hic ternos explendo diesque quaternos,
Dum statuant pulchrum pretiosa metalla sepulchrum.

ANNOTATA.

a *Quid hic de imagine Dei Genitricis non manu facta? De imagine Christi id circumferri, colligitur ex Commentario prævio.*

b *Nota est Rachel ex cap.* XXIX *Genes.; cujus inductione videtur hic alludi ad sacram formam Dei Genitricis, de qua paulo ante.*

c *Designatur hic dies Dominica, uti et num.* 8. *In illud Levitici cap.* XXIII, ℣ 2; Hæ sunt feriæ F Domini, quas vocabitis sanctas, *notant Interpretes, ex institutione S. Silvestri Pontificis omnes dies vocari* ferias. *Baronius autem tomo* I *Annal.* V *ad annum* 58, *num.* 87 *hanc nomenclaturam observat non a S. Silvestro primum excogitatam, sed antiquioribus ecclesiasticis scriptoribus eam attribuit; et singillatim de die Dominica, quæ ab ipsis temporibus Apostolorum dicta sit* prima feria, *agit ibid. num.* 88.

d *Annis* 17 *vixisse in paterna domo Sanctus vulgo fertur. Supra anni tantum* 13 *ei dantur Edessæ.*

e *Ambos istos Imperatores fuisse germanos fratres, Theodosii senioris filios, notissimum est; de quibus in Commentario prævio.*

ANALECTA.

V*enio nunc ad analecta. Habemus ecgraphum, ex tomo, ut signatur,* CIX *Ms. bibliothecæ Casinensis, in litteris, ut adscribitur, Longobardicis, cum hoc titulo :* In natale S. Alexii confessoris

Præter [illegible] de S[illegible] stro.

A fessoris. Lectio S. Euangelii secundum Matthæum : In illo tempore dixit Symon Petrus ad Jesum : Domine, ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te; quid ergo erit nobis? et reliqua. Homilia venerabilis Adelberti episcopi. *Acta ipsius illustrata sunt tom.* III *Aprilis, a pag.* 174. *Floruit exeunte sæculo* x; *obiit anno* 997, *prout ibidem tunc diximus. Pagina vero* 178 *homilia hæc differtur in præsentem diem una cum variis* S. Alexii *miraculis; quæ ex promisso nunc excudetur magis propter antiquitatem, quam propter meritum, cum nihil novi de Sancto nos doceat, rescissis iis, quæ in principio scribit auctor de præmio illorum, qui Christum sequuntur in voluntaria paupertate, quæque ad asceticos potius quam historicos spectant. Meminit de ea Baronius ad annum* 1001, *num.* 19, *additque ipsam in ecclesia SS. Bonifacii et Alexii Romæ dictam, quod repetit anno* 1004, *num.* 8. *Et vero dictam fuisse isto loco, colligitur ex verbis, quibus affatur auctor in fine auditores suos.*

2 *Post homiliam sequuntur in laudato codice miracula, de quibus partim etiam Baronius dicto anno* 1001 *et* 1004, ab auctore, *ut ait*, ejus temporis
B *conscripta. Miraculum secundum narrat tamquam auritus testis : tertio adfuit : ex altero, quod refertur num.* 9, *colligitur non scripsisse ante annum* 1004; *sicut argumento est lucs Romana, quam recenset, et Joannes PP.; quibus ex Baronio addi potest epitaphium nobilissimi ac ditissimi Joannis Canaparii, dicti monasterii monachi. Videri etiam de his potest Severanus parte* I, *a pag.* 371, *num.* 13. *Ex characterismo, qui relucet num.* 16, Benedicti episcopi Portuensis, *eruitur, auctorem non scripsisse ante annum circiter* 1012, *quo ipse subscripsisse diplomati Benedicti VIII notatur apud Ughellum tomo* I *Italiæ sacræ, col.* 108; *cujus tamen pontificatus exordium alii differunt ad annum proxime sequentem. Ceterum apographum nostrum, quoad potuit, cum editione Baronii collatum est ac correctum. Idem factum de miraculo, quod narratur de manto (vox ista dilucidari potest ex dictis de manto S. Henrici imperatoris tomo* III *Julii, pag.* 782, *num.* 71) *ab Ottone III imperatore* S. Alexio *oblato etc.; cujus narrationis fragmenta etiam habemus, desumpta e Ms. monasterii SS. Bonifacii* et Alexii, *Romæ; quæ fideliter a se transcripta huc*
C *misit Roma* XXV *Novembris* 1650 *Henricus Lindanus noster, quondam pœnitentiarius Pontificius Belga (quantum colligo ex ejus litteris) apud S. Petrum; qui notatur in apographo Necrologii provinciæ nostræ Societatis Flandrobelgicæ obiisse Hafniæ* II *Maii anno* 1659. *Unde præterea descripsit illa, quæ inde nos daturi sumus a num.* 14; *ubi notatur oculatus testis, idem, ut conjicio, qui supra; officio aliquo fortasse perfunctus in curia Romana; cum num.* 16 *dicat, se* impeditum servitio summi Pontificis.

HOMILIA

S. Adalberti, episcopi Pragensis ac Martyris,

Ex tomo CIX. Ms. bibliothecæ Casinensis.

H*ujus homiliæ partem rescindimus, ac partem damus, prout jamjam monuimus. De* S. Ale-*xio sequuntur ista :* Hujus rei et in nobis, fratres carissimi, sæpe exemplum sumpsimus, cum alicubi pro rerum necessitate digredientes : cuncta nobis monasteriorum habitacula quasi propria patere cognovimus. Cunctos in nostrum obsequium sincerissima devotione pronos aspeximus, et maxime in beatæ memoriæ Patre nostro Alexio, cujus hodie venerandam assumptionis diem debita solennitate recolimus, totum lectionis hujus tenorem videmus perfectissime esse completum. Derelictis enim omnibus secutus est Christum, quando spretis omnibus, patre videlicet et matre, necnon sponsa cum carnali amore atque servis et ancillis, universaque substantia, marinis fluctibus nimio cum labore superatis, Edessam Syriæ tandem pervenit ad urbem; ubi perfectam vivendi normam longo usu didicit, et despecto mundo, injuriis, opprobriisque, fame, et siti, frigore, atque nuditate mortificato corpore, Christum totis desideriis sequebatur.

2 Sciebat enim ipsum in Euangelio dixisse : Nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, et secutus me fuerit, non potest
E meus esse discipulus. Cumque hæc Dominica præcepta diuturno tempore ibidem exequeretur, divina voce manifestatur hominibus : ac ne vanæ gloriæ, incurreret culpam, inde abscedere disposuit; ac sic dum Tharsum causa occultandi proficisceretur; Deo volente, vi ad patriam reversus est. Cumque a patre pro paupere susceptus esset, ut audistis, in domo propria, ut peregrinus, manebat. O quanta constantia, quantaque ejus fuit patientia! Quis enim narrare poterit quantas tentationes, quantosve fluctus in sui sacratissimi pectoris arcano pertulerit, dum patrem pro se tanto mœrore affici conspiceret, sciret etiam matrem nocte dieque in fletu et gemitu perdurare? Videbat insuper servos proprios deliciis abundare, vestibusque pretiosis indutos incedere, et se ab omnibus contemptui haberi : tolerabat adhæc opprobria, irrisionesque eorum, et quasi jam mortuus seculo, solo tantum spiritu Christo vivebat.

3 Nam quomodo ipse adhuc fragili circumdatus corpore hæc tot incommoda sufferre valeret, nisi divino amore ejus cor intus ac-
F censum arderet? Sed ista omnia divina agebantur prudentia, ut ei accresceret gloria, et nos exemplo patientiæ illius ad eadem sectanda instrueret. Nosse etenim convenit fraternitatem vestram, quantam gloriam per patientiam apud Deum promeruisset, ut divina voce Homo Dei sit appellatus, et ejus oratio pro scelere totius Romani populi accepta esse diceretur. Magni etenim meriti est, fratres mei, hominem Dei divina voce appellari, quoniam cum prophetæ filii hominis, et non Homines Dei, ab eodem Domino sunt appellati; iste quasi quodam privilegio Homo Dei est nominatus. Sicut ipse singulari præ ceteris dimicavit certamine, ita speciali vocabulo a Domino meruit nuncupari.

4 Cum enim carnales nuptias amore divino inflammatus contempsit, Dominico meruit thalamo copulari, atque inter illa Innocentum agmina, agnum sequentia, connumerari, qui cantant canticum novum ante sedem Dei et Agni. Hi sunt enim qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt, et

ex MSS.

...antur vita ... ejus miracu-...

in agnomen ...

pro Deo tot ... ta, Homo Dei nominari meruit.

vocabulo singulari ob singularia merita nominatus.

EX MSS. et sequuntur Agnum quocumque ierit. Merito Homo Dei, id est templum Dei, hospes Christi, habitaculum Spiritus sancti effectus est. Jure dictus est pro Roma orando exaudiri, qui in Roma singularem studuit ducere vitam: et bene ei congruit sermo Dominicus, qui dicit: Qui dimiserit uxorem aut filios propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit.

a centuplo evangelico. 5 Quod enim pro Christo dimisit, hoc centuplum accepit: quia nimirum centuplo majus ei fuit meritum castitatis inter continentes propter fructum Spiritus, quam inter lascivientes quondam propter desiderium carnis: filios etiam, quos carnaliter tunc habere despexit, nunc centuplum accipere meruit spiritales. Centenarius quippe numerus, ut sæpe dictum est; perfectionem figurate denunciat. Nos namque licet nec servi appellari digni, filii tamen ejus sumus; quia nos in
a hanc suam domum *a* sub monastica professione pius apud Deum intercessor congregavit. Nos sumus ejus filii, quos diversis carnaliter editos parentibus in unam sanctæ professio-
B nis familiam spiritaliter non cessat coadunare. Nos sumus filii ejus, si iter virtutum ejus imitando tenemus; si non a patientia, quam in se ostendit, torpendo deflectimus.

Auditores hortatur auctor ad Sanctum imitandum. 6 Unde necesse est, fratres charissimi, ut tamquam boni filii, et tanto parente digni, exempla illius sanctissimæ vitæ sequi curemus. Non nos a vestigiis tanti Patris sequendis, ulla animæ vel carnis illecebra revocet, quatinus et ipsi, qui carnales effectus substantiamque reliquimus terrenam; qui uxores ducere, ac filios carnaliter procreare angelicæ conversationis amore fastidivimus, a Rege cælesti virtutum spiritalium merito, et in præsenti centuplum accipere de societate Sanctorum, et in seculo venturo vitam possidere mereamur æternam. Quod ut obtinere possimus, toto mentis affectu ejus patrocinia im-
b ploremus, cujus natalitia celebramus *b*. Dat nobis fiduciam hæc implorandi, qui eum pro Roma orantem se exaudire promisit. Ipse enim qui nos ammonuit orationem ejus quærere, per ejus merita nos exaudire dignetur. Qui trinus in personis, et unus in sub-
C stantia vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Hinc colligi videtur, homiliam istam dictam a S. Adalberto Romæ in monasterio aut templo SS Bonifacii et* Alexii.

b *Ex his verbis, ac superioribus num.* 1, cujus hodie venerandam assumptionnis diem debita solennitate recolimus, *liquet, dictam esse hanc homiliam festo* S. Alexii, *eodem, ut suspicor, die, quo hodiedum colitur apud Latinos* XVII *Julii.*

b

MIRACULA

AB AUCTORE ANONYMO SÆCULI XI CONSCRIPTA,

Ex eodem codice Casinensi, collata ex parte cum Baronio ad an. MI et MIV, et Ms. monasterii Hieronymianorum SS. Bonifacii et Alexii Romæ.

Cum ea, quæ contextum miraculorum illustrare possunt, allata sint paulo ante, lectorem eo remittimus, ipsumque illorum contextum subnectimus. Muliercula quædam, Ceræ veteris *a* habitatrix, habens filium, tanta infirmitate depressum, ut circum habitantium medicorum nulla ratione posset curari, Romam flebilis petiit, putans invenire aliquem in hac doctissima Urbe, cujus sagaci opere mederetur. Quæ non paucos tentans medicorum, optatæ salutis nullum potuit invenire collatorem. Cumque jam nimium fatigata nesciret quid ageret, dictum est sibi a sua hospite: Cur non, soror, filium tuum ducis ad oratorium S. Alexii, cujus festus dies colitur *b*? Multos infirmos sanitati datos ejus intercessione vidi et audivi. Et quia, ubi hoc requiram, inquit, ignoro. Et illa: Mittam tecum, quæ eo te ducat. Mox femina nimis credula facta, mercata est oleum suo paupere denario. Audierat forte, Non apparebis in conspectu Dei vacuus. Quod ante altare Venerabilis noctu incendit, filiumque suum juxta jacere fecit. *Puerulus quidam incurabilis,* a E b

2 Quo pernoctantes, nullum signum sanitatis æger meruit; sicque expleta Missa, desperata cum filio rediit. In subsecuta denique nocte ambo *c* visi sunt puero dicentes: Filiole, esto sanus, et citius recurre domum nostram, ibique Deo gratias age, quas vales. Qui excitans matrem, ait: Mater surge: eamus ad ecclesiam Sanctorum, ubi heri fuimus: quia eorum verbo sanus factus sum: hic namque fuerunt et adhuc prope sunt. Cumque mater verum fore *d* cerneret, quod dicebat puerulus, ait cum lacrymis: Surge, eamus, fili: pro certo enim scio, quia ideo te heri non curaverunt, ut non futuri frangantur, si mox, ut petierint, petita beneficia non consequuntur. Quo simul advenientes, egerunt gratias Deo et Sanctis ejus; vovensque filium, læta recessit per totam Urbem diffamans et prædicans in nomine Domini, quod sibi accidit. Amen. *ope S. Alexii sibi apparentis sanatur* c F d

3 Quodam præterea Leone *e*, quem multi vestrum mecum scierunt *f*, referente didici, quod narro. Convicaneus sibi fuerat quidam Georgius de Antia *g* dictus, satis erga monasterium horum devotus; qui persæpe illi exponere *h* erat solitus, quod sibimetipsi evenerat. Quodam tempore negotiationis studio suo navigio profunda sulcabat maria: ubi dum vagaretur, contrario vento agente, piratæ ex improviso supervenientes *Mercator a piratis captus* e f g h

A tes *i*, illum ceperunt cum sociis. Quos cunctis bonis privantes, ut competebat, partiti sunt, et ne libera vita fruerentur, loris inhumaniter sunt adstricti, ad Hispaniamque translati, provinciam olim Romanorum jugo domitam, nunc coalitis *k* nepotibus recalcitrantem. Hic autem quanto major est scitus, tanto est arctiori custodiæ datus : quanto locupletior cognitus, tanto illi solicitior custos est positus. Tunc vero primum expertus est divitias lædere possessorem, et potienti obesse honores. Qua custodia ultra modum maceratus, fame sitique cruciatus, nesciebat, quid ageret, quidve consilii caperet. Longe aberat cara uxor, consiliorum omnium intima; longe aberant nati, vicini et propinqui. Solus vitalis spiritus inerat misero : cujus impulsu horum Sanctorum recordatus est, cujusque forent potentiæ, expertum habens, taliter cœpit :

SS. Bonifacium et Alexium invocans, liberatur

4 Domini mei Bonifaci, et Alexi, vobis me semper commisi : adjuvate me. Cui statim tales apparuerunt, quales in ecclesia pictos illos viderat; dicentes : Ecce adsumus; B vade lætus. Et excutientes vincula, publice de carcere illum traxerunt. Qui ignotum iter carpens, sine errore citissime Romam venit; et ut haberemus, unde in commune magis lætari potuissemus, non est ab aliquo interrogatus, unde veniret. Ingrediensque Urbem, non antea domum, vel filios, quam Sanctum petit cœnobium; quomodo visibiliter sese Sancti liberassent, cum lachrymis et inevitabili singultu referens, ad laudem et gloriam [Domini Jesu Christi *l*] Dei viventis et regnantis cum Patre et Spiritu sancto per omnia secula seculorum. Amen.

Servus Bonifacii monachus, captus et pie tractatus. m

5 Neque prætereundum puto, quod, licet per extremum *m*, mihi modernis temporibus claruit. Fratres quidam Teutonici bene religiosi, horum Beatissimorum famam audientes, præfatum locum pura caritate vincti petere, ibique vitam finire decreverunt. Quorum votum piissimus Conditor prænoscens effectui mancipavit. Namque venire permisit, sed in longum eorum vivere non protraxit, ut cito cum eis essent in cælis; quos in terris per juga montium, per vallium concava C indeficienti desiderio quæsierunt. Hi vero servientem quemdam, Vizolum * nomine, secum duxerunt : quem abeuntes in monasterio reliquerunt : ubi non multum morans proprios carosque absque abbatis revisit licentia. At priusquam ad eos perveniret, in manus divitis, cujus olim propinquum impia manu jugulaverat, incidit : qui capiens eum, arctæ dedit custodiæ; compedibus manicisque vinciri jussit ferreis, ut post triduum cum judicis eum puniret legali sententia. Reus autem ipse toto hoc triduo sanctos Bonifacium et Alexium invocat propitios.

** Hieron. Wizolum*

Iterum a Sanctis : et ab eadem miserabiliter liberatur.

6 Ea vero nocte, in cujus mane erat sententiam suscipiendus *, vidit prope se duos albatos viros consistere, quos cum requireret, qui essent; aiunt : Nos sumus, quos invocas propitios. Sed dic, age, qua fronte? qui de monasterio nostro fugiendo exire voluisti. Quibus ille : Minime peccare miser parabam. Et Sancti : Peccabas certe, et ad injuriam nostram pertineret, si hoc inultum transiret : sed quia ultione suscepta vis a nobis juvari, exi securus vinculis *n*, et sis nostri, quoad vixeris, incola monasterii. Quorum promissionibus erectus in spem, ut esset certus *o*, a se ipso excussit vincula, et post eos per subapertam portam exiens, postpositis parentibus, monasterium adiit, numquam ad eos reversurus.

** Hieron. mortem hic ... ro suscepturus*

AUCTORE ANONYMO SÆC. XI o

in eorum monasterium, quod antea deseruerat, reversus, ubi exemplariter vixit :

7 Hic igitur quantum peccasse se recognovit, tantum libentius atque devotius serviebat : qui sæpius se fugacem appellans, studiosissime equos fovebat : propriis humeris ad coquinam ad fratrum utilitatem ferebat aquam : per quem etiam evenit, quod narro. In festa [luce] horum Sanctorum causa caritatis residentibus episcopis, abbatibus, judicibus, et de Romano clero aliquibus, de quibus unus fueram ego, ad mensam abbatis, dignum visum est, ut vinum frigida temperaretur aqua : hinc quia calidum, inde quia præ naturali fortitudine impotabile videbatur.

illustri ad ipsorum invocationem honoratus miraculo.

** Hieron Uizolo*

8 Ex consuetudine quidem astanti Vizulo * præcipitur, ut de puteo ecclesiæ, quia frigidior erat; aquam citissime ferret : qui obediens, concitus laguenam *p* implevit, et suis humeris per scalam, quæ ad dormitorium ducit, portabat. In cujus summitate E diabolus, invidens caritati residentium, et fratris obedientiæ, laguenam de humero projecit, et per gradus usque ad terram coëgit. Mira fides! Nam eo clamante, S. Bonifaci et Alexi adjuvate me, ruens laguena ictus accipiens, quot erat gradibus scala subnixa, non est in aliquo læsa, et ut majus audiens obstupescat, aliquid aquæ non est effusum. Quam iterum suscipiens, ad nos *q* detulit, et prodente pallore eventum rei seriatim nobis exposuit; quo audito, non vino mixtam, sed puram omnes bibimus, glorificantes Dominum : qui semper est mirabilis in Sanctis suis. Amen. *Sequebatur hic in apographo nostro historia de Francone quodam Maringo, patrocinantibus SS. Bonifacio et* Alexio *ad meliora converso, ac felici morte perfuncto in monasterio istorum Sanctorum Romæ. Verum quandoquidem illa, nonnullis hinc inde rescissis, in Commentario prævio ad Acta S. Bonifacii, die* XIV *Maii, pag.* 280, *num.* 4 *producta fuit post Baronium tomo* XI *Annalium ad annum* 1004, *num.* 8, *qui eamdem plenius refert; eo lectorem remittimus. Non tamen eadem historia est pars homiliæ, sicut eodem* F *num.* 4 *innuitur, sed, ut ibid. Baronius*, reperitur.. post *istam* homiliam. *Pergit nostrum apographum.*

Chlamydem ab Ottone III Imp. S. Alexio oblatam, sed ab abbate Adalberto alienatam. r

9 Divæ memoriæ tertius Otto *r* Romanorum imperator Augustus locum hunc toto mentis diligebat affectu, cui dona multa largitus est, non dubitans se recepturum recompensationem a justissimo judice Deo, suffragantibus meritis Sanctorum Christi martyris Bonifacii, et confessoris Alexii. Inter quæ mantum *s*, quo tegebatur coronatus, in quo omnis Apocalypsis *t* erat auro insignita, eis supplex obtulit, et altari sancti Alexii decentissime coaptavit, perpetuo inibi mansurum optans. Cujus votum flocci pendens Adalbertus abbas, de quo multa dicere dignum modo non arbitror, ut erat impudens, vestem ipsam non causa utilitatis monasterii, sed, nequitia sua cogente, aliquibus dedit in pignore * : apud quos mansit; quousque, scelere suo petente, vita privari meruit. Quæ denique vestis deinde venta est *u* ad manus cujusdam primicerii judicum nobilissimi et prudentissimi : qui seculari prudentia potius fervens,

** Baronius in pignus*

AUCTORE ANONYMO SÆC. XI.

fervens, non eam agnitam reddit Sanctis *x*, sed quasi proprium thesaurum servandam in arca retrusit *.

x * *Baron.* servandum in capsam retrusit.

ulciscitur Deus gravi morbo improperio judice:

10 Cujus clarissimi Confessoris nuditatis et expoliationis Deus miseratus, sicut postea rei probavit eventus, nequissimo ministro flagellandi eum potestatem tribuit : qui sciens pœnitentiam Regis pro uxore Abrahæ per flagella rerum designatam, non a possessis rebus, sed ab ipso possessore cœpit flagellum, malens illum ex improviso extinguere, quam *y* flagellatum ad pœnitentiam reverti. Namque obviavit sibi * juxta propriam domum et inter catervas comitantium equitum, de equo aspere * deposuit, ac elisum paralytica infirmitate attrivit. Fit exsanguis, fit pene exanimis : currit anxia uxor, currunt fratres, et tota flebilis domus mirantur, et deflent miserum cadaver : fit strepitus concurrentium, fit luctus maximus. Tandem manibus eorum introducitur domum, non ut [ei] mederetur *, sed ut defuncto debitis potiretur. Mox pietas Dei affuit immensa, volens sibi *, cur evenit, clarius ostendere, et vitam sibi * servavit, ac oscitare coëgit *z*? Fiunt alta silentia, imponitur modus gemitibus; quæruntur medici; nec inveniuntur; qui proficere valeant. Expectabatur itaque sola medela Dei per aliquot dies.

y * *Baron.* ipsi.
* *Baron* aspero.
* *Baron* mederentur.
B
* *Baron.* ei
* *Baron* ei, ut pluries infra ipsi.
z

11 Cum ecce intempestæ noctis silentio, ut firmius haberetur *aa*, non uxori, non filiis, non propinquis, sed sibi paralytico, sibi muto, sibi omnem cibum fastidienti visi sunt sancti Bonifacius et Alexius (sicut idem retulit) torve in se * aspicientes, ac agitantes capita et dicentes : Putabasne te sanum nostra veste uti, nobis exspoliatis? Quos cum requireret tremula voce, qui essent, vel unde : aiunt, Ego Bonifacius sum; iste vero est homo Dei Alexius, quem tu exspoliatum habes. Et conversus, sustentans pallium auro gemmisque insigne, quo tegebatur, ostendit humerum S. Alexii, confitentis verecundiam rubore, nudum; quem cum vidisset vitro puriorem, lacte candidiorem, cœpit plus ex ipsa visione quam languore deficere : iterumque audiri *bb* : E loco isto valens non surges, priusquam veste mea, pro qua percussus es, induar.

quo non sanandus declaratur ab apparentibus sibi SS Bonifacio et Alexio.
aa * *Baron* in eum.
bb
C
nisi illa restituatur;

12 Qui mihi voce lætus evigilans, balbutiendo conjugem, qui hactenus nec os aperire poterat, appellat suam. Cara conjux, compatrem meum Leonem, et spiritalem patrem meum Benedictum *cc*, episcopum Portuensem, ad me venire citissime facito; erat enim [Benedictus] *dd* in divinis et humanis rebus disertissimus. Quibus accersitis, quæ audierat, seriatim exposuit. Tunc Episcopus, pia lætitia perfusus, talia cum lacrymis cœpit : Gloria tibi Christe, gloria tibi Domine, qui irasceris, ut placeris; flagellas, ut indulgeas; percutis, ut sanes. Gloria tibi, bone Jesu, qui loquentem me audire facis : quem mortuum pene dimisi. Procurator animarum et corporum, tua medicamina non curant criticos dies *ee*, non petunt Indica pigmenta. Et conversus ad ægrotum, lacrymis madefactum, dixit : Fili redde vestem, ut reddaris sanitati; credens quia infectum non remanebit, quod amici Dei tibi interminati sunt.

cc
dd
ee

13 Cui ægrotus : Pater, jam vellem, ut supra corpus Domini mei Alexii [vestis] jaceret. Nam et ipsum tempus, quo fiat, maximum * mihi videtur. Statimque allata est vestis, quam tollentes venerunt ad monasterium gallicinio ejusdem noctis, et supra venerabile corpus S. Alexii eam posuerunt, sicque revertentes, quem jacentem reliquerant, sedentem et glorificantem Deum viva voce invenerunt *ff*. *Hæc e dicto codice Casinensi; reliqua ex Ms. monasterii Hieronymianorum Romæ, sicut præmonuimus; fragmentis, de quibus facta est mentio, subdita; eodem, ut putamus, auctore.*

quo relata super sacrum ... restitutus,
* *Baron* longius.
ff

14 Quoniam * vero his, qui sese tota fiducia petunt, celeriter subveniant, vel quam misericorditer de se præsumentes exaudiant, miraculo, non ab aliquo relato, sed a me ipso referam viso. Eidem monasterio quidam quartus præfuit Abbas Adhelelmus *gg* nomine, bonæ qualitatis, atque piæ hilaritatis, ut cognoscebam, homo, qui post Dominum omnem fiduciam ponens in his duobus luminaribus hujus almæ civitatis, Bonifacio et Alexio, ita ut, si quis aliquid caritatis, benedictionis, alicujusve juvaminis peteret, non nisi cum eorum auxilio facere promittebat. Si quis ei forte prætendebat insidias, horum meritis nihili pendere se confidenter dicebat : hos petebat in prosperis, hos et in adversis, his supplicabat in lætis; hos et in tristibus rogabat eventibus : hic enim vi febrium correptus, nec non Caniculæ æstu defectus, cum pene totis viribus, totisque officiis corporis, etiam linguæ perdidit ministerium; lethargum quoque patiens, suæ mentis per decem dies amisit et proprium. Palletur vultus, rigescunt brachia, et certatim omnes actus mortis dant indicia. Judicares corpus exanime, nisi quid palpitaret in pectore. Fratres faciebant exequias, et alii præparabant mausoleum.

Adhelelmus abbas monasterii SS Bonifacii et Alexii,
* Quam
gg
E

15 Inerat tandem eis [tam de] amittendo pastore tristitia, quam de prolixa exspectatione illius obitus miserabile tædium. Post quos itaque dies, sicut sæpius referebat, ab eisdem Sanctis clementer excitatus, et menti redditus est. Qua recepta, languida voce, et vix valente, optata prodere; me accersiri rogat. Cujus nuntium cum a longe perspexissem anxium, mœrore afficior, eum putans mortuum, quem viventem, et me ad se ire rogantem nuntiabat. Cucurri denique gaudens, ad lectum ejus usque expeditus veniens, lacrymas fudi præ gaudio : erat enim ille mihi benevolus, et pro amore Dominorum suorum ego sibimet valde obediens. Cui volenti mihi suam passionem retexere, cœpi suggerere, ut aliquid cibi ad suam recreationem sumeret, quoniam defectio intercidebat sibi anhelitum. Qui reddidit talia supplex : Scias me, beatissime, omnia fastidire cibaria, nec desiderare ad mei refectionem aliquid præter unum, fasianum scilicet, quem si habere potuisses, esset mihi salutiferum antidotum, et recuperandæ salutis spes firmissima.

desperatissima infirmitate laborans,
F
fasianum,

16 Cujus verba inania credens, quod absque multo labore nec reperiri possit, aio : Putasne tua mente loqueris? Et cujus? inquit. Mea denique. Cui cum resistere vellem, quia impeditus servitio summi Pontificis; quo inveniri poterant, longius ire nequiveram;

A quiveram; quo ire poteram, non inveniebatur, cœpit me urgere talibus; Cur non præsumens Dominorum meorum potentia per te ipsum concitus pergis, et quem cupio confidenter quæris? Numquid non potens est Deus meritis ipsorum etiam in domo tua dare, quod opto? Cur non cum Jacob sub festinatione certas pro recompensatione benedictionis petitum patri offerre? Sed cum Esau, tarde venationem agente, spatiaris? Sicque me increpatum, me ulcere * studuit, inquiens jocando: Vade fili, vade cito, quoniam in hoc labore venationis Domini mei aderunt tibi comites.

* urgere

17 Hac jussione suscepta, non ut pro fasiano irem, sed solummodo ut non eum ad iracundiam provocarem, cessi. Cumque hora nona transacta domum redissem, cœpi circumstantibus referre, quod ille dixerat, et petierat. Tunc unus illorum dixit: Scimus, Domine, quia fasianum nulla ratione tam cito habere poteris. Accipe consilium meum, et eamus perdicem venantes; hanc si nobis Dominus dederit, aqua coctam sibi offeramus, B fasianum mentientes, quam debilis ipse minime discernit. Cujus consilio accepto, per viam Appiam descendi; et veniens, ubi Dominus apparuit, quo nullus nostræ ætatis fasianum viderat, cœperunt mei cum canibus quærere, et quærentes perdicum turmas levaverunt. Postquam accipitrem dimiserunt, qui, ut erat adhuc indoctus, et indomitus, non post eas abiit, sed reversus in altissimo pariete sedit. Cumque appellaretur more venantium, redire distulit. Iterum atque iterum appellatus, nec oculos declinavit. Descendimus, sedimus, per duas ferme horas expectavimus.

...ut jussum.

18 Iterum appellatus est, nec reversus est. Qui, ut postea probavimus, erat sedens et expectans. Et ecce fasianus unus e longinquo, tanto veniebat volatu arreptus, ut ipso deficeret, etiamsi accipiter abesset, et quasi diceret: Descende post me. Sub ipsius pectore transcurrit, ad quamdam veprium densitatem tendens. Cujus volatu, immo Sanctorum impulsu accipiter impiger factus, descendit, et, cujus similem numquam viderat, C in ipsa veprium densitate cepit. Quod nos videntes cucurrimus, utrumque cepimus: et osculantes terram, per unam horam Deo gratias egimus; et esse, ut dixi, per omnia probavimus. Si habueritis fidem, ut granum sinapis, dicetis monti, Transfer te, et transfertur

[margin: Immobiliter ... revertum] [margin: arripit, et ... descit]

19 Fasianum igitur illum petenti patri lætantes portavimus, et per ordinem cuncta narravimus: qui accipiens eum, ovans magis de indulto sibi beneficio Dei, et Dominorum suorum, quam de illius avis comestione, recreatus est. Et fuit illi ad miraculum, quoad vixit: nobis autem, posterisque nostris ad laudem omnipotentis Dei, et gloriam horum Sanctorum per infinita secula seculorum Amen.

[margin: Deficientibus piscibus.]

20 Huic itaque simile, quod eidem patri accidit; et tam a se, quam ab aliis mihi relatum est, alterum prædicabo miraculum. Quo tempore curiosus ipse cellam sui monasterii, sitam in insula, quæ Astura *hh* dicitur, solicite visitabat rector; juxta quam veniens, parvo lintre vectus, transnatat humidus medium amnis: nam in duo divisus insulam totam amplectitur, et quasi quadam Parisiaca * amœnitate refertam, delectabilem reddit. Ubi cum descendisset, oratorium sanctæ Dei Genitricis ingressus, flexis poplitibus solicitam fudit orationem. Qua expleta, totus placidus erigitur pater, et filios ibidem degentes paterna benedictione festive accumulat. Unde egressus, ante fores ecclesiæ prope ripam fluminis una cum eis consedit; quibus multa salubria ministravit monita, multaque priorum exemplis pigmentata præbuit dogmata.

[margin: AUCTORE ANONYMO SÆC. XI] [margin: * an. paradisiaca?]

21 Inter quæ unus illorum, qui ceteris præerat, talem prorupit in vocem: In adventu vestro ultra quam dici possit congaudemus, optime pater, sed hoc mœrore nos conficit, quod ad refectionem vestri, piscium habemus nullum, advenire vos nescientes; propter hoc minime laboravimus, neque etiam tempus hoc dabat. Cui subridens pater, talia dixit: Filioli, adhuc et vos modicæ fidei estis? Numquid non absque vestro labore Christus meritis Dominorum meorum Bonifacii et Alexii piscibus nos reficere poterit? Magna pro eo sustinuerunt, sed majora promerentur: committebat enim se semper, et ubique, ut dixisse me memini, suis specialibus Dominis, et potentia eorum confisus, adjiciens inquit: Non prius petam sacram mensam, quam de innumerabili piscium Domini multitudine ipsi amici ejus nobis conferant. E

[margin: dictus abbas ope sanctorum Bonifacii et Alexii fretus, illos afferendos prænuntiat.]

22 Quibus non recte intellectis, putantes secum pisces detulisse, ad alia cellæ utilia vertuntur fratres, et consilium hujus prudentis regulariter quæritant pastoris. Quo accepto, ad sextam Horam canendam ire deliberant, mensamque communi consultu præparare accelerant. Cum extemplo in medio fluminis piscis visus est exiliens; et quasi hamo piscaretur, ad pedes abbatis immissus. *Exempla Hæmorrhoissæ, Centurionis, mulieris Chananææ ad excitandam fidem breviter his inserta prætermittimus: et cum auctore pergimus.*

[margin: ad cujus pedes unus mirabiliter defertur e fluvio:]

23 Quid egerit Abbas currente stilo prosequar. Piscem manibus accipiens in ecclesiam ivit; ante altare se prostravit, ac diutius orans multas merito lacrymas fudit; exurgensque pro gratiarum actione Deo sacrificium obtulit: quo peracto, ad mensam nimis rogatus venit, in qua cum delatus piscis esset, qui naturaliter duobus, ut multum tribus erat sufficiens, contra naturam ad clarificandum merita Sanctorum, et sinceræ fidei, duodecim dedit plenissimam refectionem. F *Addi his posset miraculum aliud, quo S. Francisca Romana a diuturno atque incurabili morbo* S. Alexii *sibi apparentis ope sanata fuit: id quod paucis perstringitur in Actis ipsius die* IX *Martii* * 92. *num.* 2. *In Vita autem ex Italico Latine reddita res gesta innectitur anno Christi* 1398, *et paulo fusius exponitur a pag.* * 175, *num.* 6 *et* 7: *quam Severanus quoque inseruit breviter Monumentis sacris parte* I, *pag.* 374, *et Odoricus Raynaldus eam memorat ad dictum annum* 1398, *num.* 41.

[margin: qui præter naturalem suam capacitatem pluribus sufficit ad refectionem.]

ANNOTATA.

a *Oppidum Tusciæ vetustissimum est, de quo Strabo lib.* V, *aliique Geographi.*

b *Ecgraphum Hieronymianorum*, hodie colitur.

c *Puta SS. Bonifacius et* Alexius.

d Fere *pro* esse *apud antiquos non infrequens.*

e *Ecgraphum*

AUCTORE ANONYMO SEC. XI

e *Ecgraphum Hieron.* Leone Calvo.

f *Hieron.* cognoverunt.

g *Hieron.* Cantia.

h *Auctor ergo rebus, quas scribit, synchronus vel suppar.*

i *Hieron.* supervenerunt.

k *Hieron.* algentibus; *utrumque obscurius. Quid sibi auctor velit, divinare non lubet.*

l *Uncis hisce inclusa, non sunt in ecgrapho Hieronymianorum.*

m *Ex Hieron. ecgrapho pone* externum.

n *Hieron.* exi securus vinculorum.

o *Hieron.* ut essent cerea, *id est, tamquam si essent e cera confecta.*

p *Apud Cangium* laguna, laguenna, languena, *vulgo* lagena.

q *Indicat auctor, se auritum, et quasi oculatum testem referre, quæ narrat.*

r *Obiit Otto III anno* 1002 *Paternæ seu Paterni, castro Campaniæ; adisis tomum* III *Julii, pag.* 732; et *Baronium ad istum annum, num.* 2.

s *Pro hac voce, lectorem remisimus ad Acta S. Henrici imperatoris.*

t *Baronius legit* opere Phrygio erat *etc.*

B u *Hic et in fragmento Hieronymian. barbare; Baronius habet* venit.

x *Baronius,* eam agnitam non reddidit Sanctis : *fragmentum Hieron.* non eam agnitam reddidit sanctis. D

y *Baronius,* quam post flagellatum.

z *Baron.* cœpit.

aa *Baron.* ut infirmus liberaretur.

bb *Baron.* iterum audivit.

cc *De ætate ejus actum superius.*

dd *Uncis inclusum nomen repetit Baronius; non fragmentum Hieronym.*

ee *Sunt judicatorii, ut ita loquar, seu decretorii dies morbi : de quorum differentia videri possunt Joannis Gorræi Definitiones medicæ pag.* 249.

ff *Hic finis narrationis præsentis apud Baronium; qui monet, Benedictum Cardinalem Portuensem, ex episcopatu Portuensi translatum postea fuisse ad cathedram Petri, prout habes ad annum* 1001, *num.* 20.

gg Adilelmus *abbas* monasterii S. Bonifacii *notatur præsens adfuisse una cum aliis abbatibus, quando actum fuit Romæ de placitis quibusdam in favorem Farfensium sub Henrico Imperatore et Benedicto PP. anno* 1014; *ut videsis Mabillonium Annal. Ord. Benedic. tomo* IV, *pag.* 240; *instrumentum producitur ibid. in appendice a pag.* 704.

hh *Locus est ac fluvius, isto nomine dictus in Latio seu Campania Romana, adjacens mari Mediterraneo.* E

DE S. ALEXIO CONFESSORE

EDESSÆ IN SYRIA.

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS AD ACTA ARABICA.

§ I. Eorum occasio, notitia, auctor, ætas.

CIRCA AN. CDXII VEL CDXXXV.

Vitam Arabicam Latine reddidit, et huc misit noster Petrus Benedetti;

Idem *hic, qui supra, atque unicus* S. Alexius *datur, non alius aut duplex; novum tamen atque alium diceres; adeo nova sunt ac diversa, quæ de ipso narrantur in hisce Actis. Ne itaque cuiquam mirum usit, quod duplex eidem Sancto præter morem aptetur commentarius. Id cur fiat, obiter nunc jam supra attigi, pluribus hic* C *rem deducturus. Dum enim in documentis Alexianis colligendis totus essem, intellexi Vitam* S. Alexii *Arabicam Romæ exstare. Itaque desiderio ejusdem flagrare cœpi; si fortasse in tanta tamque male cohærente aliarum concordia, novæ ac melioris lucis aliquid inde hauriri posset. Hac spe nixus nihil putavi habendum mihi antiquius, quam ut de hac re certior fierem. Itaque nostrum patrem Petrum Benedetti, natione Maronitam, nostris in domo Professorum Romana in spiritu dirigendis præfectum, litteris compellare placuit, et rogare, ut annisu V. C. Josephi Simonii Assemani, pluribus laudandi, quo familiarissime ille utebatur, copia nobis ejusdem Vitæ fieret; siquidem hoc juxta propositas a me tum temporis conditiones operæ pretium esse judicaret. Neque exspectationem fefellit prædictus Pater : etenim die* I *Julii hujus currentis anni* 1724 *meis, die* XX *Aprilis ejusdem anni datis respondens,* Rescribo, *inquit,* mittendo Acta S. Alexii ex autographo Syriaco in Arabicum *(ab alio interprete)* et ex Arabico in Latinum sermonem a me conversa ex codice Vaticano, num. 55, exarato a quodam Abrahamo, monacho apud pagum Sadèd agri Damasceni anno Græcorum MDCCCLVI, Christi MDXLV. *Nec tantum versionem misit Benedettus, sed ipsum quoque textum Arabicum; aliorum de versionis fide judicium non reformidans.*

2 *Porro panegyris est seu homilia, uti liquet e numero* 1 *et* 2, *in laudem Sancti, ex rebus ejus gestis adornata cum hoc titulo :* Acta sancti Viri Dei, qui et MAR-RISCIA, filii Euphemiani ex urbe Roma. *Porro de scriptura ita monet Benedettus :* Literæ, quibus hæc Acta scripta reperiuntur in Vaticano codice, Syriacæ sunt, lingua vero Arabica : nec enim plerumque Syri, cum Arabica scribunt, aliis litteris utuntur, quam propriis. *Ceterum Vitæ argumentum magna quidem ex parte, eodem, saltem quantum ad rei substantiam attinet, tenore procedit cum historia vulgari; verum, ut leviora quædam, in quibus ab aliis differt, prætercam; en tibi punctum prorsus singulare; dum Sanctus scribitur num.* 14 in urbe *(Edessa)* jejuniis, et orationi . . . intentus ad mortem usque permansisse; *ac postea narratur per annos octo ac decem Edessæ commoratus, Edessæque mortuus ac sepultus fuisse. Hoc si verum est, quæ et quanta Actorum, prout ea superius a nobis producta sunt, pars concidat, satis patet; reditu ad suos Romam, et ibidem, post illum gestis in paterna domo, sus deque versis.*

cujus datur notitia

F

solvitur objectio posita ex eo.

3 *Jam vero ne difficultatem cuiquam moveat, quod Sanctus in ista Vita nominetur* MAR-RISCIA, *vel* RISCIA, *aut suspicionem injiciat, alterius ibidem sub isto vocabulo latentis Sancti, non*

AUCTORE J. P.

A non autem S. Alexii *res gestas exponi; juverit audire Benedettum in superioribus litteris:* Nec scrupulum.. faciat, quod in his Actis non Alexius, sed Riscia appelletur: sic enim S. Artemium, quia præfectus Ægypti fuit, Syri Mar-Scialitha nominant; et scribunt in suo Kalendario sub die 2 Augusti, Sancti Præfecti Ægypti. Et Kalendario consonant Officia Syriaca edita et manuscripta. Sic itidem Græci servam, quæ ob castitatem ab hero interfecta fuit Nicomediæ,. S. Dulam: *(Græce* δούλη *est ancilla, de qua ad diem* xxv *Martii, pag.* 554*; ubi habes dubium nostrum de supposito isto nomine ob ignorationem nominis proprii)* sic demum Latini S. Adauctum natis vulgatisque ex casuali eventu nominibus appellarunt; *(de quo agendum erit* xxx *Augusti.)*

...sanctus ... illa

4 Porro S. Alexium Syri Risciam nominarunt; quia proprium ipsius nomen fortasse rescire minime potuerunt: nec enim in Actis a mansionario *(de quo infra)* scriptis, nec in Arabica eorumdem versione; sed nec in hymno quodam Arabico, qui ubique hodie B in Syria a pueris et feminis cantatur, uspiam legitur. Inventum ab Edessenis nomen suspicor; qui cum a mansionario, S. Alexii arcanorum conscio, audissent hunc esse patritium Romanum, nobilissimi senatoris filium, Risciam, hoc est principem appellare cœperunt, et sub hoc vulgato nomine fastis deinde suis Syrorum ecclesiæ inseruerunt; *prout observari addit ab Assemano in notis ad Chronicon Edessenum, mox citandis; ubi Sanctus alio præterea nomine designatur, quod ex nostræ, ut affirmat Benedettus, historiæ titulo hausit. Ad hæc etiam Benedettus*, ubi occurrit Mar, Syriacum vocabulum S. Risciæ appositum hic et alibi, sciendum *monet*, titulum esse communem, Dominus meus, quem usus deinceps proprium virorum Sanctorum aut in sacra aliqua dignitate constitutorum fecit. *Videsis Assemanum tomo* I, *et aliis variis locis.*

... nomine

5 *Huc faciunt ea, quæ in dictis litteris præmiserat Benedettus, et quibus superiora confirmantur:* Cultum porro S. Alexii sub nomine Risciæ antiquissimum et Syris solennem fuisse, testantur eorum vetustissima Kalendaria sub C die iii Novembris: et quamvis a Genebrardo edita, nec S. Alexii, nec S. Risciæ nomen habeant, habent tamen alia edita et manuscripta. Et vero ea Genebrardi Kalendaria manca et imperfecta esse, aliunde mihi certum est. Sed nec de ea re dubitare nos sinit non modo Syrorum sed et Armenorum perpetua et usque ad hæc tempora continuata traditio. Quocirca mihi his diebus P. Andreas Scandar, archipresbyter Maronita, narrabat, se annis proxime elapsis cum Edessæ moraretur, observasse, ab Armenis, dominis ecclesiæ, in cujus porticu S. Alexius vixit, cameram quamdam, in ejusdem ecclesiæ vestibulo sitam, quotidie post Vesperas incenso thure honorari ob memoriam S. Alexii, seu, ut ipsi nominant, Alexiani, quem ibidem versatum fuisse, et orare solitum affirmabant.

...tellatur.

6 *Andreas Scandar ob laboriosam juxta ac periculosam jussu Clementis XI, gloriosæ memoriæ, profectionem in Orientem, conquisitosque et avectos in Urbem Syriacæ, Arabicæ, Græcæ et Hebraicæ eruditionis thesauros meritis laudibus celebratur apud Assemanum tomo* II, *pag.* 485 *Operis statim laudandi, ubi primo in confirmationem nominis* S. Alexii, *in* Risciam *commutati, annotaverimus ex schediasmate Benedetti, quod die* xi *Augusti labentis anni* 1724 *accepi,* in Kalendario Syriaco Missalis Maronitarum.., Romæ nuper excuso, S. Alexii memoriam indicato die iii Novembris his verbis enunciari.. *quæ sic sonant Latine:* Domini Risciæ, filiæ Euphemiani. *Quibus addit, in codice Vaticano Armenorum Kalendarium,* Alexianum *pro* Alexio *habere.*

Ejusdem auctor.

7 *De Vitæ auctore ita nos instituunt memoratæ Benedetti litteræ:* Quonam autem tempore vixerit et scripserit auctor hujus historiæ, *ex ejusdem lectione discendum monet:* Rabulas enim, *inquit*, in Actis nominatus, ecclesiæ Edessenæ præesse cœpit seculo v incunte, hoc est anno cdvii vel cdviii *(imo potius paulo serius, ut patebit ex dicendis.)* Præfuit autem annos xxiii: *(pro quo citat Assemanum tomo* I, *pag.* 401 *et* 424.) Accedit præterea evidens pro nostri auctoris antiquitate argumentum ex antiquitate codicis Scetensis, prædicta Acta continentis, qui, ut laudatus Assemanus, testis oculatus et præsens affirmat, exaratus fuit anno Christi dlxxxiv, altero nimirum E S. Alexii seculo: unde etiam colligo, Rabulam in Actis memoratum, non alium esse posse, quam Rabulam cognomento Magnum, Catholicæ fidei adversus Nestorianam perfidiam maximum propugnatorem: nullum quippe alium hujus nominis episcopum ante codicis prædicti epocham Chronicon Edessenum exhibet. *Et vero* Magni *cognomentum diserte ei apponitur infra in prædictis Actis num.* 20 *et* 27, *adeout collectio ista proeo hic non fuerit necessaria.*

quando vixerit.

8 *Opus autem, ad quod tum hic tum alibi supra pluries nos remittit Benedettus, inscribitur Bibliotheca Orientalis Clementino Vaticana, anno Christi* 1719 *typis sacræ Congregationis de Propaganda Fide Romæ excusa, in qua Mss. codices linguarum omnino duodecim Orientalium, in libri fronte enumeratarum, jussu et munificentia Clementis XI, Pont. Max. ex Oriente avectos, et Bibliothecæ Vaticanæ addictos recensuit, digessit, et genuina scripta a spuriis secrevit, addita singulorum auctorum vita, Josephus Simonius Assemanus, Syrus Maronita, sacræ theologiæ doctor, atque in eadem Bibliotheca Vaticana linguarum Syriacæ et Arabicæ scriptor. Ex hujus præclarissimi ac labo-* F *riosissimi operis quatuor tomis, quos auctor edendos promittit in sua præfatione, prodierunt hactenus tomi duo priores, quos habemus; in eorumque primo, cap.* xiv, *pag.* 197 *tradit laudatum Rabulam præfuisse cathedræ Edessenæ ab anno Christi* 412 *usque ad annum Christi* 435,*proferens chronicon Edessenum, cujus auctorem, nomine quidem et ætate non satis notum, sicut habes cap.* xxx, *pag.* 387, *videri vixisse circa annum* 550, *deducit ex eo, quod historiam suam ad annum* 540 *produxerit; eamque ex archivo ecclesiæ Edessenæ descripsisse, ostendi asserit ex initio, ex progressu, et ex fine ejusdem; ac breviter deinde id probat.*

ex epocha Rabulæ Ep. Edesseni.

9 *Chronicon itaque illud apud ipsum pag.* 401, *num.* 51 *habet ista:* Anno septingentesimo vigesimo tertio *(Christi* 412*)*, Rabulas Edessenum episcopatum accepit. *Et pag.* 403, *num.* 59: Anno dccxlvi *(Christi* 435*)* die viii Augusti migravit ex hoc seculo. *Signatur hic æra Græcorum, quæ et Seleucidarum ac Syromacedonum est, vulgarem Christi annis* 311 *antevertens. Eamdem epocham tradi affirmat laudatus Assemanus a Dionysio patriarcha in Chronico: de quo ipse tractat tomo* II,

cap. xvi,

AUCTORE I. P.

cap. XVI, *a pag.* 98; *et nos inter Patriarchas Antiochenos ante hunc tomum.* Rabbulum *ipsum nominat monachus Acœmetus, Vitæ S. Alexandri Acœmetorum fundatoris scriptor, cap.* II, *apud Bollandum ad diem* XV *Januarii; ubi per ejusdem Vitæ decursum plura reperies, quæ ad istum Præsulem spectant, ac inter alia annos triginta in episcopatu decursos. Vitam illam in multis incusat, neque, uti apparet, immerito Tillemontius Monum. eccl. tomo* XII, *a pag.* 490; *non secus ac Sancti titulum a Bollando ipsi tributum: quem in Commentario prævio* § III, *pag.* 1020 *videri sibi ait post annum* 435 *fuisse etiamnum aliquamdiu in vivis.*

in eadem Vita signati.

10 *Tillemontius vero pag.* 494 *mortem ejus illigat anno Christi* 436, *vel paulo post. Et tomo* XIV, *articulo* 140, *pag.* 667, *occasione S. Cyrilli Alexandrini de Rabula agens, vitam ejus componit cum anno Christi* 437, *ex Breviario Liberati Diaconi, Parisiis edito anno* MDCLXXV, *et apud Labbeum tomo* V *Conciliorum a col.* 740. *Exceptum ex epistola Rabulæ ad S. Cyrillum, archiepiscopum Alexandrinum, ibidem legitur col.* 469; *hujusque ad illum rescriptum col.* 468. *De canonibus in Edessena synodo a Rabula sancitis, et a*
B *Gregorio Barhebræo in Opere, quod inscribitur Liber directionum, laudatis, videri potest Assemanus pag.* 199; *ubi etiam antecessores ejus in episcopatu quosdam enumerat usque ad annum* 412; *quo sedere ipsum cœpisse, et non nisi annos viginti tres sedem continuasse usque ad annum* 435, *nixus supra adductis chronicis repetit; quem si sequendum censeas, jam Acta supra citata corrigenda erunt, et Pagius in Critica historico-chronologica Baroniana ad annum* 435, *num.* 34 *ea secutus. Sed tantillum temporis discrimen nos hic morari non debet. Sufficiat illud indicasse. Vixit porro auctor Vitæ Syriacæ* S. Alexii *sub Rabula, sicut modo diximus; vixit sub Rabula Sanctus ipse, ut jamjam dicetur, et sub eodem mortuus est.*

ostenditur.

11 *Quo autem de laudato Syro auctore, et tempore mortis Sancti, quod ab ipso exprimitur, statuas, plurimum conducit nota Assemani, loco citato Chronici Edesseni subjecta: ad quam nos supra remittebat Benedettus. Sic ergo ea habet:* Sub Rabula claruit S. Alexius Romanus, quem Syri.. MAR-RISCIA, et.. GABRA D' HALLAHA, hoc est sanctum Principem, Virumque Dei appellant; ut in titulo Vitæ
C ejusdem notatum legi in vetustissimo codice Scetensis Syrorum monasterii, scripto a Thoma diacono Edesseno in monasterio Gubæ Baraiæ, die XXIX Julii, anno Græcorum DCCCXCV, Christi DLXXXIV, quem nullo pretio extrahere licuit. Auctor illius Vitæ anonymus ecclesiæ Edessenæ æditiuus dicitur tam in laudato codice, quam in Arabico Vaticano LV, pag. 53; ubi et alia ejusdem S. Alexii Vita ex Latinis exemplaribus descripta legitur, in qua Sanctus vir non Edessæ, ut perperam in priori Vita Arabica, e Syriaco conversa, sed Romæ, ut revera accidit, ad cælum migrasse narratur.

pro opportunitate.

12 *Hæc breviter illustranda sunt. De nomine* S. Alexii *apud Syros sat diximus. De Scetensi S. Mariæ Syrorum monasterio agit idem auctor in præfatione sua num.* 7 *et* 11; *nosque de Scetensibus plura daturi sumus die* XIX *hujus ad Vitam S. Arsenii. Jam vero trium Vitarum hic fit mentio; nimirum Syriacæ Arabicæ e Syriaco conversæ, ac Latinæ. Syriacæ titulum, ac totum ejusdem contextum, cujus singula adeo accurate adjuncta recenset, oculis ipse suis legerat Vir clarissimus, tum temporis videlicet, quando ad* D
conquirendos Bibliothecæ Vaticanæ linguarum Orientalium codices, jussu Clementis XI in Ægyptum, profectus est anno MDCCXV. *Vide infra responsa Romana ad dubia a me proposita. Porro* Guba, *sicut dicit tomo* II *in notis a pag.* 74, *ad vocem* Guba Baraia *in textu ibi occurrentem*, castrum est in Mesopotamia ad Euphratis ripam situm; ubi patriarchæ Jacobitarum sedem habuere circa annum Christi DCC, *ut liquet ex bina inscriptione, quam profert.*

13 *Sed illum codicem* nullo pretio extrahere licuit *curioso isti indagatori: qui sine ullo dubio fuerit inter illos, de quibus ista dicit in præfatione, eodem num.* 11: Repertos (*in monasterio S. Mariæ Syrorum*) codices (*fere ducentos*) recensui; selectos circiter centum petii; sed nullis precibus præter paucos quosdam, quos tamen ipse selegissem præstantissimos, (*quos enumerat*) persoluto pretio a monachis obtinere licuit. *Ad illud vero, quod supra notabat;* auctor illius Vitæ anonymus ecclesiæ Edessenæ æditiuus dicitur tam in laudato codice, quam in Arabico Vaticano *supra signato; nec non illud, quod subjungit* de priori Vita E
Arabica, e Syriaco conversa, *adde cognomentum* Mar-Riscia *idem utrobique notatum, mihi certo persuadent unum idemque esse Syriacum exemplar, supra a Benedetto assignatum; quodque e Syriaco in Arabicum ab alio versum, ipse latinitate donavit, et nuperrime ad nos misit. Ita ego quidem ratiocinabar: et ratiocinium illud postea comprobarunt responsa Romana ad dubia mea, paragrapho proximo exponenda. De* Vita autem ex Latinis exemplaribus descripta, *uti modo Assemanus, satis in priore commentario dictum: ex cujus fonte Vita Arabica turpissime corrupta est, sicut jam monstratum imus.*

alia quæ notantur

§ II. Vita Arabica corrupta, ex textu Syriaco castigata.

Vita Arabica historia ab auctore narrata.

S*cribit Vitæ Syriacæ auctor, teste Assemano, Sanctum Edessæ mortem obiisse: sed ecce commento ad aniles nænias relegando eumdem mox Edessæ redivivum, deinde Romam reducem, et post plura ibidem gesta, quæ leguntur in Vita vulgari,* F
secunda morte illic perfunctum ac denique sepultum nobis exhibet Arabicus ejusdem interpres, vel alius quidam insulsus ac male feriatus interpolator. Audiantur mirabilis hujus metamorphoseos ineptiæ: Ceterum quæ de magno sancto Viri Dei hactenus retulimus, ea ex venerabilis Pirmunaræ testimonio accepimus: qui S. Risciæ familiaris fuit, atque ab eodem sanctissimo Viro totius anteactæ vitæ seriem intellexit, ejusdemque historiam conscripsit. Quæ quidem ea dumtaxat complectitur, quæ primam sancti Viri mortem, quæ Edessæ contigit, antecessere, et subsecuta sunt. Cetera, quæ sequuntur, ex ejusdem Sancti servi Dei historia Romæ conscripta subtexemus. *Hic versioni suæ finem imponit Benedettus, ita monens:* Pergit horum Arabicorum Actorum compilator cetera exscribere, quæ apud Metaphrasten legerat, eaque ut cum mansionarii Edesseni verissima narratione conciliet, fingit S. Alexium Edessæ mortuum atque sepultum revixisse, et omnia illa, quæ in dictis Metaphrastæ Actis referuntur egisse: Laodiceam nempe venisse; inde Tarsum navigantem, reflantibus ventis

A ventis in Romanum portum deportatum fuisse : unde Romam et domum paternam petiisse, atque ibi iterum mortuum atque sepultum.. Supervacaneum autem judicavi ea interpretari, cum et conficta esse credam, et, collatione facta, exactissime editis consonare deprehenderim.

... historia ... turpiter ...

15 *De figmenti adeo inepti origine conjectare liceat. Viderit utique Acta Syriaca circa mortem Sancti et sepulturam, pugnare cum Græcis, aut Latinis e Græco versis : utque vel ea se difficultate extricaret, vel Edessenis æque ac Romanis gratum faceret, ita illis attribuendo ejusdem mortem, ut his etiam eamdem non adimeret ; ecce, quod dicitur, deus in machina, utrobique mortuum ac sepultum repræsentat : id quod nulli hactenus vel somniare in mentem venit. Itaque non satis gnarus, ut Acta ab Actis pro merito distingueret, utraque adoptarit, magnam partem inter se convenientia, non sine manifesta temeritate, et patentissimo veritatis dispendio extra sinceritatis metas vagatus. Ut ut est, næ ille de orbe litterario pessime meritus fuit adeo male concepta et consuta depravatione. Benedettus huic fabulæ occasionem dedisse putat, factam corporis ex urbe* B *Edessena ad Romanam translationem :* quæ tamen, *inquit,* attenta Rabulæ epocha, quam in hac materia unicam veritatis facem habemus, sub Innocentio I (ut edita Acta præferunt) mihi non videtur contingere potuisse. *Sed ex utriusque epocha superius fixa liquet, aliquot annis ambos simul vixisse, adeoque hic non pugnare tempora, quo minus tunc ista translatio contigerit ; de qua utinam alicunde nobis constaret! Absit tamen idcirco vel tantillum illi detractum velimus : quamprorsus supponimus contigisse. Sed redeamus ad nostrum interpretem.*

... ad primum fontem referenda.

16 Is quidem videtur minus doctus et gravis, *sicut recte observat Benedettus in suis litteris ; addens,* id parum referre : cum fides historiæ non interpretis, sed auctoris Syri testimonio innitatur : qui cum mansionarius ecclesiæ Edessenæ, et S. Alexii perfamiliaris fuerit, ejus dictum celerorum quorumcumque auctoritati præferendum esse, certum *statuit. Et in schediasmate alio, ad objectionem hinc missam, videlicet quod narratio ista esset fœtus* C *alicujus recentioris auctoris, respondet, se de hoc non dubitare : esse enim hoc manifestum tum ex iis, quæ ex Metaphraste describit, tum ex stylo ipso et dialecto Arabici sermonis, quo utitur. Totam itaque auctoritatem istius scripti refundit in testimonium auctoris Syri, adversus quem nullam reperire se dicit exceptionem, quin fuerit testis præsens. Quod autem Arabicum illud encomium ex Syriacis Actis depromptum sit, præter ipsius encomiastis testimonium, errores ab eo admissos in versione, satis convincere arguit, cum Syriacam versionem plane sapiant. Quibus si addas nostri, inquit, Assemani, oculati testis, scripti Syriaci adhuc exstantis assertionem, non apparet, qua ratione quave fronte nostri encomiastis auctoritas elidi rejicive queat, saltem quoad ea, quæ ad obitum* S. Alexii *pertinent. Ita Benedettus.*

... a quædam,

17 *Atque hæc satis diserta et clara in favorem Edessenorum : nondum tamen illis acquievi ; sed dubia sequentia die* VII *Septembris hujus currentis anni 1724 ad eum direxi, apud Assemanum suum discutienda : qui* XIII *mensis Octobris proxime sequentis rescribens, Assemanum suum ita iis respondere significavit. Quærebam 1, an Vitæ Syriacæ, cujus titulum se legisse affirmat Assemanus tomo* I, *pag.* 401, *totum ejusdem contextum non legisset ? Ad 1 respondet*, Non modo titulum, sed etiam contextum Vitæ Syriacæ S. Alexii se legisse in codice Syriaco cœnobii Nitriensis *(supra scribebat* Scetensis.) *Ad 2, An Vita Arabica, de qua ibidem agit, versa sit ex illa ipsa Syriaca, cujus ipse titulum legit, et cujus codicem extrahere nullo pretio ipsi licuit ? Respondet :* Vita Arabica, quæ ex codice Vaticano descripta est, non respondet Syriacæ prædictæ nisi quoad substantiam historiæ S. Alexii usque ad mortem ejusdem in urbe Edessa. Cetera, quæ subduntur de ejusdem sancti Viri resurrectione, adventuque in Urbem, in Syriaco minime legit, neque exstabant.

AUCTORE J. P.

a nobis proposita.

18 *Ad 3, ubi agebam de parte clausulæ, quæ Vitæ ad nos missæ adjungebatur, quamque habes in initio præsentis paragraphi, incipiendo a* Ceterum etc. *usque ad* historiam conscripsit *inclusive, respondet :* Ea clausula ab Arabe paraphraste adjecta fuit. In Syriaco non exstat, sed tantum in titulo dicitur expresse, eam historiam a paramonario ecclesiæ Edessenæ descriptam fuisse. *Ad 4 : Quid auctori Syro cum voce Græca paramonarius ? e qua Arabs interpres suum vertit* E pirmunara, *quod neutiquam intellexit. (Videsis annotata ad caput* III *Vitæ littera* a.) *Respondet :* Vocabulum paramonarius, et, ut Syri exprimunt, pirmunara, etsi Græcum est, a Syris tamen ab exordio Ecclesiæ usurpatum est, non secus atque vocabula episcopus, archidiaconus etc. Edessa urbs erat Græcis frequentissima etiam sub Abagaris regibus, quorum nummi Græcas habent inscriptiones. *Consuli possunt quæ de istis toparchis seu regibus collegit Tillemontius tomo* VIII, *pag.* 279, *et nota Assemani tomo* I, *pag.* 261.

et ab Assemano soluta.

19 *Ad 5, An nulla fieret mentio in Syriaco exemplari de corpore* S. Risciæ, *in sepulcro non reperto a Rabula Magno, episcopo Edesseno ? respondet :* In Vita Syriaca nihil aliud legitur, quam quod *(Sanctus)* vita functus in urbe Edessa, in cœmeterio pauperum sepultus fuit : subditurque, S. Alexii Vitam ab ipsomet narrante, paramonarium, a Deipara præmonitum, didicisse, et Rabulæ urbis episcopo communicasse. De corpore vero in sepulcro minime reperto, aut de ejusdem in Urbem translatione jam defuncti, vel adventu viventis, F ne verbum quidem. *Tum Benedettus concludit suam epistolam his verbis :* Hæc mihi Assemanus ; eadem . . ego Reverentiæ vestræ summa fide redhibeo Romæ e domo Profess. XIII Octobris MDCCXXIV.

Punctum hic maxime controversum non decidit.

20 *Prolatis jam et utrimque discussis* S. Alexii *Actis, reliquum erat, ut de morte maxime hic controversa, et ex auctore Syriaco jamjam proposita et stabilita sententiam ferremus : sed visum est rei adeo gravis et odiosæ decisionem eruditorum judicio relinquere. Habent utraque Acta, Latina, et Arabica, e Syriaco fonte hausta, et Latine reddita, atque adeo recentiora et antiqua, edita atque inedita ; videant, quæ quibus præferenda sint ad præsentis controversiæ decisionem. Rem totam cum argumentis in utramque partem protulimus : a dirimenda lite abstinemus : statuat æquus rerum arbiter id, quod omnibus expensis magis ad veritatem accedere videbitur. Postremum est, ut horter quanta possum contentione curiosos omnes antiquorum monumentorum ruderatores, ut eo saltem titulo pretiosissimum atque æstimatissimum primigeniæ Vitæ Syriacæ thesaurum, quia a Latinis hactenus* non

AUCTORE J. P.

non visum, ac jam orbi litterario detectum, e tenebris tandem eruant, et in publicam lucem proferant; ad cujus fidem quidquid in sequenti Vita Arabica interpolatum est, quidquid depravatum, quidquid corruptum, tamquam ad puros atque illimes primævi fontis latices reduci debet: quos lutosis historiæ vulgaris sordibus auctos infectosque postea increvisse, atque ad nos manasse putamus.

VITA ARABICA

Ex Syriaca auctoris primigenii ac synchroni narratione, aliunde interpolata, et ex Ms. Arabico Vaticano LV, pag. 53 Latine reddita a Petro Benedetti S. J.

PROLOGUS.

B

Auctor præmisso brevi prologo,

Fratres Benedicti, Deus excelsus dextra sua forti ab insidiis diaboli atque impiorum hominum nequitia vos custodiat, dignosque efficiat in ecclesia sua commorari, et, quæ placita sunt ei, secundum voluntatem ejus facere, unaque cum illis, qui ipsi obsequuntur, et cum omnibus Sanctis suis conjungat. Nunc vero dignos præstet benedictionibus hujus nobilissimi Sancti, cujus ad ecclesiam hodierna die magnum ejus festum celebraturi *a*, ejusque gesta audituri convenistis, atque a Domino, qui illum elegit, ipsius gratiam exoraturi. Illius, oro, benedictio atque oratio nobiscum atque vobiscum universis maneat semper. Amen.

Sancti virtutes summatim perstringit.

2 Fratres, verba nunc facturi sumus de hoc Viro admirabili, generis nobilitate, probitate morum, virginitate et abstinentia clarissimo: quippe qui religionem atque pietatem excolere aggressus, omnes seculi delicias, voluptatesque rejecit, et angelorum mores æmulatus est; contemptaque mundi fluxa noxiaque felicitate atque opulentia, C paupertatem, humilitatem, et inopem atque solitariam vitam; persecutiones insuper et injurias amavit; his moribus ingenitum naturæ fastum compescens. Enimvero mansuetudine et humilitate adeo excelluit, ut Apostolis æquari meruerit. His jejunia ceterasque vitæ asperitates adjunxit, ratus præsentis vitæ illecebras et splendidas nuptias corporis animique sui integritati atque pulchritudini esse posthabendas. Virginitatem itaque et cælibem vitam cum adamasset, genus, et patriam suam deseruit, propriam ascetarum vivendi normam secuturus. Nomen quippe suum in supernæ Hierusalem tabulis describendum curabat, et patris nostri Abrahæ, Isaac, et Jacob sortem assequi satagebat. At enimvero quisnam Viri hujus gesta, et laudes dicendo æquare valeat? Equidem reor nulla hominum facundia ejus patientiam, et certamina pro dignitate exponi posse, adeo omnem dicendi copiam ejus virtutum magnitudo, et gloria superat. Nos vero ex multis pauca seligenda rati, primum de ejus genere, patriaque dicemus.

D

CAPUT I. *Sancti natales; educatio; nuptiæ.*

Precibus a D. impetratus, ex matre sterili natus, *b*

Patriam quidem seniorem Romam habuit, et parentes opibus, nobilitate, gestisque honoribus spectatissimos. Pater Euphemianus, mater Aglamades *b* fuit. Ambo conjuges cum Deo nihil præferendum esse scirent, ejusdem præcepta perfecte observare, ejusque voluntati studiose obsequi satagebant, cum egentibus, peregrinis, et piis viris post nonam diei horam prandere soliti. At enim cum Aglamades sterilitatis vitio laboraret, etsi amplissimas haberent opes, his tamen par erat dolor, et perpetuus luctus, dum heredem quærunt. Si pater cunctorum credentium Abraham, ajebant, hac de causa in tantum angebatur, ut Deum illis verbis oraret: Domine Deus quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis: (Gen. 15, 2) quid illis dicendum, cogitandumve, qui tantas sibi opes affluere intuerentur? E Deum itaque orare non cessabant, et lacrymis, gemitibus, obsecrationibus, votisque solicitare, ut ipsis filium concedere dignaretur, perpetuæ lætitiæ argumentum futurum. Ob illorum ergo plurimas in pauperes, et peregrinos eleemosynas, et in egentes, aliasque miserabiles personas charitatem et misericordiam, hunc Sanctum filium a Deo impetrarunt; quem idcirco Virum benignissimi et liberalissimi Dei *c* appellarunt.

c *præfert a teneris insignem indolem*

4 Erat autem puer Deo et hominibus cujusvis conditionis statusve acceptissimus; parentibus quippe suis, devexa jam in senectutem ætate, præter omnem spem obtigerat. Divino itaque beneficio eam prolem adeptos se fuisse cogitantes, commutato repente in gaudium luctu, Deo rerum omnium conditori maximas, quas poterant, gratias agere non desinebant. Eximiam porro indolem Puer ab ipsis vitæ crepundiis ostendit. Quamobrem, ubi per ætatem licuit, præceptoribus erudiendus in litteris, et moribus traditur. Euntem ad palæstram servorum turba sequebatur sellam gestantium: at F Puer eo prætereuntis seculi honore minime movebatur, sed litteris et sapientiæ gnaviter et assidue incumbens, humilitatis, modestiæque imprimis satagebat. Quare æqualibus et familiaribus ob singularem comitatem, animique demissionem in paucis charus erat.

Cum adolevisset, et a sæculi rebus abhorreret, mater conabatur ejus animum mutare:

5 Jamque adolescentiæ fines attigerat, litterisque affatim instructus videbatur; cum de seculi paternæque domus fuga apud se deliberare cœpit. At parentes, qui vas istud Deo sepositum esse minime intelligebant, spem suam elusam querebantur, et consilia perpetuandæ in eo stirpis concidisse ajebant, cum Adolescentis mores et ingenium cum hujus perituri seculi studiis minime convenire; imo contra ab iisdem quam maxime aversum spectarent. Servis itaque mandaverant, ut Juvenem ad theatra, spectaculaque protraherent, et ludis, jocis, aliisque oblectamentis ad molliora consilia allicere, atque paulatim deducere studerent: sed ille in suscepto proposito constantissimus perstabat, nec modo servorum artibus minime cessit, verum etiam

A etiam illorum levitatem, licentiamque arguere et acriter objurgare non dubitavit.

6 Cum ergo id minime succederet, mater animum filii frangere ancillarum et pedissequarum lenociniis conata est: quas proinde eleganter ornatas in ejus conclave immittebat, rata earum blanditiis rigidum Adolescentis ingenium mollitum iri. Nihilominus Juvenis, arrepti propositi tenax, nullis blanditiis, nullisve illecebris captus est; sed procaces puellas modeste quidem, sed nec minus fortiter repulit, testatus solitudinem quovis oblectamento sibi esse chariorem. Rogabat autem mater ancillas, num Juvenis ipsarum alloquiis blanditiisque delinitus animum tantisper remittere soleret. Cui illæ: Neque nos quidem, respondebant, affatus est umquam; tacentem vero nos alloqui neutiquam audemus; tantam nimirum in vultu moribusque præfert majestatem et modestiam. His artibus diu virtus Adolescentis pertentata est; nec tamen ab eo vocem vel minimam importunæ feminæ extorquere potuerunt.

B

Ætate jam maturus nuptiis destinatur,

7 Ætate jam matura, parentes de ejusdem nuptiis inter se deliberare cœperunt: quocirca pater uxori de conjugio filii verba faciens; Placetne tibi, ait, uxorem dare huic filio nostro? Felix enim faustumque spero sane id nobis futurum, atque maximam ante obitum nostrum lætitiam allaturum. Quæ conjugis dicta matrem incredibili gaudio affecere, immissamque marito hanc divinitus mentem interpretata, Deo gratias agere, ejusque providentiam prædicare perrexit: simulque virum compellans; Ego vero, inquit, Deum etiam atque etiam oro, ut, quod ipse constituisti, in rem deducat, et, quod sperare te dicis, largiatur, atque de hoc filio tuo gaudeas, quodque hactenus quæsivisti, feliciter assequaris: propterea que tuam augeas in pauperes et egentes liberalitatem.

quæri jussa undecumque sponsa,

8 Tum vero pater viros quosdam prudentes ad se accersivit, eosque ad ducendam filio sponsam, suo genere dignam, familiæque placituram missurus; Ite, inquit, et quotquot sors vobis obtulerit, loca lustrate, meoque nato quærite mulierem probam, prudentem, nobilitate generis formaque præstantissimam. Videtis enim me hunc unum habere filium, in quem proinde domus meæ spes omnis incumbit. Quamobrem nuptias eidem ocius procurandas esse constitui; mihi vero matrique jucundissimam voluptatem.

C

et reperta CPoli.

9 His cum monitis dimissi abiere viri; remque ex voto domini confecerunt et puellam Constantinopoli *d* repertam, Romam advexere. Quod Euphemianum, tum ejus conjugem, omnesque ejus familiares et consanguineos incredibili voluptate complevit. Celebrantur itaque nuptiæ omnium Romanorum patritiorum interventu, affectantibus universis coronam una cum sponso induere, et in sodalium censum venire. Coronatus *e* est ergo Juvenis in ecclesia sancti Petri *f*, applaudente, ac in tripudium effusa urbe universa. Pater vero magnificum populo apparavit convivium, sexcentas mensas exstruxit præter ea, quæ in advenas et egentes distribuit, confluente ad ejus ædes cum promiscuo vulgo Romanæ nobilitatis flore.

ANNOTATA.

EX MSS.

a *Dicta itaque hæc panegyris Edessæ, vel in aliqua* S. Alexii *ecclesia, et die ipsi sacro.*

b *Aliquantulum discrepat hoc nomen a Vitis Latinis, sed eodem redit.*

c Homo Dei *cognomen apud Græcos Sancto proprium, ut diximus.*

d *Tantus hic apparatus videtur sapere interpretis interpolationem: quam alibi in decursu non notabimus, quia non habemus primigenium Syriacum exemplar.*

e *De hac re actum in annotatis ad Vitam Latinam solutam.*

f *In Vita Latina hoc tribuitur templo S. Bonifacii martyris.*

CAPUT II. *Sponsam Sanctus clam deserit, Seleuciam primo, deinde Edessam delatus; ubi virtutibus excellit: quæritur, at non invenitur.*

E

Sanctus prima nuptiarum nocte sponsam deserens,

Jamque primus nuptiarum dies effluxerat, sponsaque auro gemmisque nitens solenni cum pompa domum intraverat: cum Euphemianus: Ingredere, inquit, fili, thalamum, et conjugem invisito tuam *a*. Paruit Adolescens, simulque cubiculum ingressus, sponsam videt omni mundo *b* muliebri ornatissimam. Ea nihilominus specie minime commotus, sublatis illico in cælum oculis; Agnosce, ait, mi anime, caducam formam, et inanem hanc pompam post diem in cineres abituram. Tum repente assurgens, annulum et pallium exuit, et utrumque uxori tradens, simul parentes eidem commendans subjecit: Tibi, conjux, adsit, oro, Deus, teque adjuvet et protegat, assumptaque auri crumena, celeri gradu inde se proripuit *c*, quasi negotium aliquod instanter acturus, moxque rediturus.

in sodalem incidit: qui eum, in vicinum portum ire meditantem,

11 Exeunti commodum occurrit ex ejus sodalibus quidam. Hunc ad secretum congressum seorsim accitum his verbis alloquitur: Vicinum portum cogito; quare, rogo te, consenso equo mecum illuc adequitare ne graveris: nec enim ibi longa nobis futura est mora; sed ubi animi relaxandi causa tantisper ibidem assederimus, inde quantocius revertemur. Putabat sodalis, hæc ab illo ex joco dici; neque latentem sub his dictis Juvenis virtutem et propositum statim subodorari pronum fuit. Cum vero rursus eadem serio affirmantem audiret: Hoc plane, inquit, minime decet, ut, cum urbem universam domi tuæ habeas, tuisque mensis assidentem, et in tuis nuptiis exultantem, nos importuno isto discessu convivium, ludos, festumque hunc diem perturbemus.

F

nequidquam conatur ab incepto revocare.

12 Quisnam, oro te, talia cogitantibus assentiatur, aut factum approbet; imo quis non reprehendat, et vituperet? Cogita, ne gaudium in luctum, et communem lætitiam in mœrorem convertas, spemque, votumque omnium, ad hanc celebritatem confluentium,

EX MSS.

tium, tibique obsequi, atque inservire cupientium fallas. His et hujusmodi verbis instabat, suadebatque Juveni sodalis, ne sponsam, parentes, et convivas desereret. Ille contra, ut in vestigio equum conscenderet, seque certo abiturum sequeretur, obtestabatur. Hic vero, quoniam amicum, id etiam atque etiam deposcentem offendere pigebat, tandem assensus est; et ambo, nemine eorum ex Urbe discessum animadvertente, citatis equis portum petiere.

Hic itaque Sanctus, reditum prætexens, fugam adornat,

13 Ubi eo ventum est; Juvenis sodali equum tradens: Tu vero, inquit, hic me tantisper præstolator; dum interim ad horam in vicino littore exspatiari libet: brevi post ad te reversus, ambo simul Urbem repetemus. Ille mentem Juvenis minime assecutus, dicenti annuit, subjecitque: Oro te, frater, ne diutius istic immoreris (vides enim in occasum vergere jam diem) ne forte domum redire, prohibentibus tenebris, nequeuntes, domesticos omnes, et populum universum, de nostra salute solicitum, anxiumque habeamus. Tum vero beatus Adolescens ab amici oculis sese subripiens, B et secretum quemdam locum nactus, flexis genibus, obortisque ex intima cordis compunctione lacrymis, sic Deum oravit:

fususque ad Deum precibus mare conscendit, ac Seleuciam defertur, deinde Edessam pervenit:

14 Deus largitor bonorum, et cognitor mentium, aperi mihi, quæso, januam misericordiæ tuæ, Deus virtutum; et concede mihi in hac hora, quod postulo, neve spem meam et exspectationem meam confundas. Orantem subitus rumor occupat, navem, portum modo invectam, in anchoris stare. Quare datam cælitus sibi eam occasionem interpretatus, e vestigio illuc advolat, ubi a nautis inter ceteros vectores intra navim receptus, aspirantibus secundis ventis Seleuciam, divina ita disponente providentia, pervenit. Ibidem vero aliquantisper commoratus, Edessam, ubi Domini nostri Jesu Christi imago asservatur, proficiscitur; qua in urbe jejuniis, et orationi, ceterisque orthodoxæ religionis officiis intentus, ad mortem usque permansit.

quam variis virtutibus

15 Hinc porro beati Viri in urbe Edessæ piam conversationem exponendam suscipimus. Ibi namque auro, et vestibus pretiosis ad C egentium sublevandam inopiam distractis, inter pauperes et egenos ad fores ecclesiæ sedem fixit, piorum illuc confluentium eleemosynis se sustentans. Interdum noctu templum ingressus, ibi ante martyrum sepulchra ad clarum usque diem vigilias protrahebat, nullum a quopiam cibum acceptans, usque ad solis occasum; jejunium quippe ad eam horam quotidie producebat: modico victu contentus, quod ex corrogata stipe superabat, egentibus dispensabat. Incidit aliquando, ut post acceptam stipem superveniret aliquis ex circumsidente pauperum turba, cui ille, quod acceperat, sine cunctatione redhibebat; ut qui de corporis, animæque profectu et salute assidue cogitaret. Varie interea a multis tentatus, propositum tamen suum inter urbis mendicabula agendi minime mutavit.

illustrat, hominibus incognitus.

16 Cumque, incumbente nocte, ceteri de more cubitum irent; ille aut ad eorumdem pedes prostratus, aut parieti columnæve incumbens, parumper somnum capiebat, quietis somnique parcissimus. Diem cum nocte, stans coram Domino, oratione jungebat, D turbam ad ecclesiam mane advenientem solitus antevertere. Hunc vitæ cursum ad mortem usque constantissime tenuit; nemoque extitit, qui actus intimaque animi sensa perspexerit. Nec ipse genus patriamque suam, aut nomen cuiquam aliquando aperuit, nec eadem quiquam aliunde deprehendit. Nunc vero ad beati Viri sodalem, orationem convertamus, cui, ut supra memoravimus, ille se confestim rediturum, et una cum ipso ad parentes sponsamque reversionem facturum spoponderat.

Pater de fuga filii certior redditus,

17 Cum ergo illum repente disparuisse cogitaret, atque post multam horam vix jam rediturum speraret, portum universum pervagatus, tandem comperit, conscensa navi, in alias terras abiisse. Trepidus itaque in Urbem revolat, parentibus factæ secessionis exitum renunciat, ut, si qua forte pateret via, illico immissa cursorum manu abeuntem revocarent. Vix dici potest, quantum improvisus is casus parentes, et omnes domesticos perculerit. Repente gaudium in luctum, lætitia in mœrorem, convivii jucunditas in funeris E mœstitiam transiere; susque deque omnia permista atque perturbata sunt.

ubique quæritari [illegible] ipsum jubet,

18 In ea tamen rerum perturbatione intrepidus pater extemplo selectam servorum manum convocat (trecentos fuisse ferunt) et ducentorum singulis denariorum numerata summa, sic eos est allocutus: Ite, et omnes, quas ambit cælum, terras perlustrate, amissumque natum requirite. Nemora, montes, campos, maria, portus, avia, pervia loca scrutamini; singuli abite, sodalem nemo repetat suum, quoad compertum fuerit, quo loco res filii sint, quemve ille tulerit suæ fugæ exitum. Sed et vicos quoque et angiportus atque compita, et quasvis terrarum latebras explorari volo: utque votis meis vestrisque annuat Deus, ex attributa pecunia egentes et destitutos, inopesque locorum, quo vos venire contigerit, juvare memineritis.

sed minime reperitur, neque demum servis patris; quibus stipe ab eis donatus, noscit, non noscitur.

19 His dictis, expediti servi, divisis manipulis, varias capessivere vias. Accidit porro ut ex eo numero quidam ad orientis oras maritimas provecti, terras quoque Mediterraneas peterent, et Edessam intrarent; (qua in urbe suum fixisse domicilium S. Risciam F supra narravimus) qui servos suos præsentes conspicatus, recta ad eos progressus, manum egentium more porrexit, stipem petiit, eaque accepta, cælum suspiciens, Gratias, ait, habeo tibi conditor meus, qui per servos patris mei meas mihi opes attulisti. Et ipse quidem suos patrisque servos agnovit, sed ab illis contra haudquaquam agnitus fuit. Quocirca ex eo cursorum numero quidam episcopum consulere decrevit: impetratoque aditu, suscepti itineris causam eidem ex ordine retexuit; seque quidem vehementer angi aiebat, quod unicum heri sui filium minime reperisset; sed multo molestius sibi accidere quod parentes is casus in immensum luctum conjecisset, et modo in summa anxietate, et angustia teneret.

qui tandem in [illegible] quæstione confusi, ad [illegible] redeunt.

20 Hæsit ad hæc pater episcopus Rabulas Magnus, sancti Juvenis factum secum ipse recogitans, et stupens; nihil vero ea de re sibi hactenus compertum fuisse respondit. Quamobrem

A Quamobrem cum ab episcopo nihil rescire potuissent, urbem pervagabantur, ipsoque Servo Dei spectante et audiente, frequenter ad ecclesiam, ubi ille considere solebat, ventitantes, obvios quosque de ipso rogitabant. Sed nec fuit, qui rogantibus satisfaceret, nec ipsi aliquando herum agnoscere præsentem potuerunt: neque enim in mentem venire poterat, eum esse domini sui filium, quem stipem ab ipsis corrogare videbant; omnis quippe pristinæ formæ atque venustatis flos defluxerat, et si quod etiam maneret veteris dignitatis indicium, id omne pannosus et sordidus habitus contexerat. Ut ut res se habuerit; id certum est, eum a servis suis minime agnitum fuisse, nec ullam rei suspicionem sancti Viri præsentiam illis fecisse. Ergo commissa sibi provincia se functos arbitrati, ut qui omnia late loca perlustrassent, omnemque, ut aiunt, lapidem, movissent, re infecta demum ad herum reversi, suscepti laboris inanem exitum renunciarunt.

ANNOTATA.

B

a *Consonat Vita Latina:* Intra, fili, in cubiculum, et visita sponsam tuam.

b *Id est* apparatu muliebri, *qui Græce dicitur* κόσμος γυναικεῖος.

c *Longus hic narrationis ambitus, Latinis brevior.*

Caput III. *Lugetur a suis; ædituo ecclesiæ Edessenæ cælitus indicatur; cui semet ipse totum manifestat. Mors, sepultura.*

Interea dum absens a suis lugetur

Hic pater, mente in cælum assurgens, Deo gratias egit, et benedixit et ait: Pergam lugere filium meum, et unigenitum meum, donec de ejus salute certior fiam, nec lacrymis et gemitibus parcam, dum videam natum, et dilectum meum. Non comedam

C neque bibam, nisi in medio pauperum, ægrotorum, esurientium, et calamitosorum hominum; quoad veniat unigenitus, et per eum gaudium meum compleatur in lætitia et jucunditate. Similiter mater, cubiculum ingressa, obseratis foribus, fenestra ad lucem modicam accipiendam relicta, cilicium induit, et in cinere sedens orabat: Vivit, aiebat, Dominus, et Deus meus, quod non mutabo vestem meam, quoad veniat filius meus, et in eo lætetur cor meum. Conjux pariter: Vivit, inquit, misericors Deus, quod non egrediar neque discedam ex hoc loco, neque aliam sedem quæram, nisi ad fores socrus meæ, et domini mei, donec redeat ad me maritus, et Dominus meus, quemque speraveram fore protectionem meam in hoc seculo meo, et in novissimis meis.

et parcissimum vitam pergit [illegible] cælitus indicatur ædituo ecclesiæ.

22 Interea Vir Dei, qui alio nomine dicitur Mar-Riscia, in vestibulo ecclesiæ S. Mariæ Dei Genitricis considebat; quo in loco annos decem et octo perstitit, somni cibique, ut supra aiebam, juxta parcissimus, sicci panis uncia ad quotidianum victum contentus; cui lentes et fabas aqua maceratas pro opsonio adjiciebat. In potu eumdem modum tenuit, simplici aqua sitim sedare solitus. Hanc S. Riscia conversationem, et vitæ normam ad finem usque persecutus est. Si quid præterea a piorum caritate accipere contigisset, id mendicis viciniæ erogabat. Accidit, ut post hæc ecclesiæ æedituo dormienti ignota vox incerto sono hæc verba referret: Surge, et protinus Virum Dei in ecclesiam cum honore intromittito: quoniam oratio ejus ascendit in cælum, sicut incensum purum, et sicut thymiama suavissimum, atque ab omnipotente Deo exaudita est; et Spiritus sanctus in illo requievit, et factus est vas electum. Æedituus autem iste Pirmunara *a* dicebatur: qui mox expergefactus, oraculum illud recogitare instituit, atque apud se quæritare, quemnam in tanta turba pauperum, ecclesiæ fores circumsidentium, vox illa designasset. Sed dubium omne sustulit sequenti nocte immissa vox, indicans designati Viri speciem, habitum, et prærogativam: atque iterato præcipiens, ut hominem quam primum conveniret, et in templum introduceret.

EX MSS

E *qui arcana ejus omnia expiscatus,*

23 Ut ergo illuxit dies, æedituus vestibulum ecclesiæ secreto circumspiciens, Dei Servum ex datis indiciis agnovit; cumque orantem reperisset, restitit tantisper: dein interpellans; Hospes, ait, edissere, oro, quæ tibi patria, quæve res aut negotia te hic distineant. Cum vero Vir Dei taceret, nec sciscitanti respondere velle videretur, æedituus comiter blandeque instare, rogare, ut sibi aliquid reponere ne gravaretur. Tum vero Vir sanctus; Cur me interrogas? ait. Interroga istos, quos præsentes habes: ipsi dicent et indicabunt tibi, unde sim, et quod unus sum ego ex illis. At enimvero æedituus his verbis minime acquiescere poterat: sed audita per somnium recolens, animo totus æstuabat, cupiens oraculi sensum quovis operæ pretio rescire. Quamobrem ad Servum Dei conversus, horrendo sacramento obligavit sese, numquam ab incepto desiturum, sed continuo institurum, quoad precum improbitate victus quæstionem illam solveret.

et interposito juramento silentii, rem demum omnem intelligit, non sine fructu;

24 Ita demum Servi Dei expugnata constantia est, Deique nomen reveritus atque terribilibus obsecrationibus, quibus ab æedituo adjuratus fuerat, perterrefactus, continuo vitæ suæ institutum, nemini hactenus notum, ceteraque animi sui arcana eidem patefecit, etiam atque

F etiam obtestatus, ut secretum istud silentio se perpetuo tecturum promitteret, promissique fidem jurejurando firmaret. Ex eo congressu mirum in modum erga Dei Servum affectus æedituus, continuo ut in ecclesiam secum intraret, orabat: recusantem nihilominus cogere noluit, sed in cellam inde suam confestim secedens, apud se rem ipsam expendere et admirari non cessabat. Si iste, aiebat, opes, parentes et conjugem odio habuit, atque paupertatem, et humilitatem adamavit, sibique egestatem, et abstinentiam elegit; cur ego salutem animæ meæ negligere non verear, nec contra omni ope contendam, ut in supremo die retributionis et vindictæ inter justos locum inveniam? Exinde æedituus toto corde ad procurandum animæ suæ negotium conversus, in tantum profecit, ut externa hominis species internæ conversationis gratiam testaretur.

25 Longo

EX MSS.

Sanctum morbo laborantem, et in xenodochium sua cura deductum, crebro invisit.

25 Longo post tempore, morbo tentari cœpit humilis S. Riscia. Quo tandem prostratus, spatium quoddam columnis interjectum nactus, ibidem decubuit. Quare superveniens æditüus, illum de more invisurus, minime reperit: requisitum, ac tandem repertum, ad suum cubiculum ut veniret, rogabat. Oro te, aiebat, quoniam in hanc ægritudinem incidisti, ut in domunculam meam divertas, inde, postquam revalueris, ad constitutam tibi sedem pro libito rediturus. Illius tamen precibus Vir sanctus minime acquievit, nec adduci potuit, ut fixum sibi in ecclesiæ vestibulo locum desereret. Institit nihilominus æditüus, et, Ad xenodochium, ait, te deduci, rogo, permitte; illic ego te frequenter revisam, rerumque tuarum satagam. Ita demum annuit, ut in nosocomium asportari se sineret; interim æditüum jurejurando obligasse contentus, ut pauperem ipsum esse meminisset; proinde illum nulla in re ceteris pauperibus anteferendum putaret. Hac industria ad xenodochium Vir Dei deportatus est, ubi ab æditüo summa cum charitate frequentissime visitabatur.

B

Mors; sepultura in cœmeterio peregrinorum:

26 Postremi hi dies fuere beati Viri: quibus Dominus, qui voluntatem timentium se facit, constituit S. Risciæ piam, immaculatam, et humilem conversationem coronare, et in tuto ejusdem virtutem collocare. Instante itaque sancti Viri ex hoc fragili seculo migratione, accidit, ut æditüus, incertum qua causa impeditus, ad ægrum, ut solebat, minime veniret. Cum ergo adstantes xenodochii curatores Dei Servum extremum jam spiritum egisse conspexissent, cadaver, feretro impositum, ad cœmeterium peregrinorum deportari curarunt, terræque mandari. Supervenienti postea æditüo, atque de ægroti sui exitu solicite inquirenti; illum supremam jam efflasse animam, responderunt, et in cœmeterio conditum fuisse. Hæc audiens æditüus atque recogitans hominis sibi charissimi inopinatum obitum, atque indignam tali Viro sepulturam, incredibili dolore percitus, lacrymis, singultibus, et lamentis domum complevit.

C

ut inde in decentiorem locum transferri possit rogatur ep. Edessenus;

b

27 Inde episcopum Rabulam Magnum *b* confestim adiens, ejus pedibus accidit; et vehementi affectu concitatus clamabat: Miserere mei, Domine, et exaudi preces meas, tristemque, precor, solare. Continuo antistes, divino lumine afflatus, quasi rem ipsam præsentisceret, hominem benigne affari, et mœstum relevare orsus; Quæ tui doloris causa? Effare fili, aiebat; quæve calamitas, et infortunium has tibi ciunt lacrymas? His verbis tantisper erectus æditüus antistiti servi Dei Risciæ acta narrare perrexit: postremo rogavit, ut immaculatum, et venerabile beati Viri corpus e cœmeterio in decentiorem locum transferre juberet. Exarsit enimvero divino igne episcopus, cum talia narrantem æditüum audisset, adeo ut, erumpentibus ex intimo animi sensu lacrymis, largissime fleverit. Nec mora, sancti Viri tumulum ipsemet adire, et factum explorare constituit. Neque dum ad locum venerat, cum ex funeris cura sandapilas regredientes offendit. Rogati, ubinam pauperis modo defuncti corpus deposuissent; responderunt, illud in cœmeterio peregrinorum se condidisse: ibidemque certo inventum iri. D

qui ad ejus in quo primum conditus fuerat, sepulchrum digressus, corpus non invenit:

28 Quibus episcopus; Vos vero, ait, nunc ad sepulcrum istius peregrini nos ducite. Ubi ad locum pervenere, præcepit antistes quibusdam ex comitatu; ut effosso tumulo beati Viri cadaver extraherent, quod cum illi fecissent, præter pannos *c*, quibus Servi Dei corpus involutum fuerat, eosque seorsim positos, nihil apparuit. Quare episcopus, et quotquot aderant, vehementer rei novitate obstupefacti, tandem, ubi ex ea velut mentis alienatione rediit; Oremus, exclamat antistes, et a Deo imploremus opem. Flebat autem episcopus Rabulas, et aiebat: Absit, Domine, ut cujusvis negotii cura distractus hospitalitatem imposterum negligam erga peregrinos et electos tuos: non enim ignorabat, complures S. Risciæ similes viros humilitatem adamasse, atque ut homines lateant magnopere optasse. Et sane ejusmodi casu cautior effectus beatus antistes, cœpit præcipua charitate et ingenti cura hospites et egentes complecti, eorumque inopiæ sublevandæ causa nihil prætermittere. Quod itidem erga monasteria et ecclesias mirifice præstare perrexit, tum erga viduas et orphanos, aliosque inopes et destitutos.

c

E

mirifice exinde in hospites et pauperes benefieus.

29 Neque vero ea episcopi cura intra ecclesiæ Edessenæ fines continebatur; sed ad finitima quoque loca sese explicabat. Atque sic incepit, et incepta perfecit pater Rabulas, episcopus venerabilis, et in omni virtutum genere præstantissimus. Oratio ejus, et benedictiones ejus nos vosque universos complectantur. Amen *d*.

d

ANNOTATA.

F

a *Græce dicitur* παραμονάριος, *id est*, æditüus *seu* custos ecclesiæ. *Itaque non est nomen proprium, sed appellativum; de quo in Comm. prævio. Sic erravit Grimlaicus in voce* magistrianus, *sive, ut ipse scribit,* magistratus, *sicut dicetur die* XIX *hujus in annot. ad cap.* III *Vitæ S. Arsenii.*

b *Plura de eo Commentarius.*

c *Notat hic noster Benedettus, hæc videri ab interprete Arabe Actis Syriacis adjecta, ad tuendam nimirum suam de* S. Alexii *resurrectione hypothesin; quam suo loco castigavimus.*

d *Sequebatur hic clausula, prælo non digna, sicut colligitur ex Commentario ad hæc Acta.*

DE

A D

DE S. ENNODIO EPISC. ET CONF.

TICINI SEU PAPIÆ IN ITALIA.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

J. B. S.

§I. Sancti nomen, genus, patria et gesta ante episcopatum.

Anno DXXI. ...ustria gesta ... populo ...us scriptori...

Veteris Ticini seu hodiernæ Papiæ encomia in Actis hisce nostris pridem et sæpius memorata sunt; decus ejus non infimum fuit S. Ennodius episcopus, illustri genere, eruditione et præclaris gestis inter sæculi sexti celebriores præsules merito numerandus : cujus vitæ seriem cum nullus scriptor hactenus ordine prosecutus sit, hic, more nostro, brevi sylloge ea colligere compellimur quæ de ipso a variis, sed variis maxime diversisque modis tradita sunt; ab B iis minime accurate, quibus inclyti sui antistitis gesta notiora esse oportebat. Raro plane casu accidisse videtur, ut e nostris duo viri doctissimi Andreas Schottus in Belgio, Jacobus Sirmondus in Gallia eodem prope tempore S. Ennodii scripta recensuerint ediderintque, ille Tornaci anno 1610, hic Parisiis 1611, præfixo ab utroque brevi Vitæ compendio, quod ad cetera examinanda nobis hic opportune prælucebit. Præcesserant Jacobus Gualla, mortuus anno 1505, cujus historia, Sanctuarium Papiæ dicta, ibidem primum prodiit 1587, Bernardus Saccus libris decem de Italicarum rerum varietate et elegantia, eodem ipso anno Ticini vulgatis, et historia Antonii Mariæ Speltæ 1597 excusa; quos scriptores innominatos hic præterire religio fuit, tametsi eorum opera refutanda magis quam probanda fuerint, ut patebit hanc nostram dissertationem cum ipsorum elogiis conferenti.

...ui multa perperam commenti sunt;

2 En tibi specimen, ex quo de Jacobi Guallæ exacta eruditione conjicias, dum Sanctum perperam Ænodium appellavit, decimum, scilicet, Ticinensem episcopum, qui anno salutis supra ducentos octuagesimo doctor et orator insignis habitus sit, totis ferme ducentis annis an- C tequam nasceretur. Non magis feliciter Sancti nomen expressit Bernardus Saccus per Ænnodium Juvenalem, quo miram sane sed gentilem Italicam observationem adducit, quæ exteros omnes non nisi ad risum provocare nata sit, dum pag. 154, dubites an satis serio, sic ait : Familia autem Juvenalis ipsa fuit, a qua fuit ædificatus pagus non longe a Carthusio monasterio Papiensi celeberrimo, Juventianus appellatus. Quæ quidem nobilis familia centum ferme abhinc annis desiit esse in humanis, Juventiano pago, vulgo Giovenzano, in diversos distracto. Audi sequentia : An autem Juvenalis familia, a Latio, Sabinisque et finitimis oriunda, conjuncta nostris Ticinensibus agnatione fuerit, divinare potius quam scire possem : agnovi enim Romæ Latinum Juvenalem virum præstantem. Quam multa ex falso supposito inania consectaria, quæ nec nobilitatem S. Ennodii neque sanctitatem magnopere commendent : longe humilius ipse de se loquitur, quamquam aliunde satis constet, illustrem imprimis fuisse ejus familiam, quod mox clarius edisseremus.

3 Ad nomen ut redeatur, sic de eo paulo melius pronuntiavit laudatus Schottus in Sancti Vitæ compendio a se concinnato. Ennodium, inquit, legitime nomino, ex fide codicum atque scriptorum veterum, non Euodium, ut Bapt. Platina et Lazius, neque Ænnodium Juvenalem. Quod de Euodio hic notat Schottus, ex Martyrologiis infra clarius patebit; neque Innodius ob styli duritiem appellandus est, ut voluit Barthus lib. XXXIII, cap. XVII ex Arnulfo Lexoviensi, de quo videnda Sirmondi ad V. C. Nicolaum Fabrum epistola, ubi depravatum prius inquinatumque S. Ennodii opus describens, Arnulfum E Lexoviensem excusat, quod mendosum, mutilum ac modis omnibus vitiatum exemplar nactus, satis causæ habuerit, cur illum propter obscuritatem diceret, Innodium sibi verius, quam Ennodium videri : nimirum quod molli ac leni melioris ævi scriptorum facundiæ assuetus, scabrum hoc, ut aiunt et salebrosum dicendi genus, quod postremis Latinæ linguæ seculis emersit, penitus exhorruerit. Ut missa cetera faciamus, satis sit dicere, rectissime nominibus suis insignitum videri Sanctum, dum a Sirmondo vocatur Magnus Felix Ennodius; quod sane mirum est Schotto non innotuisse.

etiam in assignando Sancti nomine;

4 Ad genus et patriam spectant quæ non minus accurate subjungit Sirmondus; Gallum se prosapia Gallisque parentibus procreatum, non semel testatus est. An vero in Gallia, hoc est Arelate, unde ille origo, et quam dulcem sedem vocat; an, quod potius reor, in Liguria Mediolani natus sit, incertum reliquit : certe Ticinensem se, aut origine, aut nascendi casu fuisse, nusquam vel eminus indicasse novimus. Pergit Sirmondus : Et quamquam loco humilem F se ipse dicere soleat, liquet tamen, illum præcipuas ævi sui familias, vel sanguinis nexu vel affinitate complexum esse : cum inter propinquos affinesque suos numeret Faustum, Boetium, Avienum exconsules, Cæsarium Arelatensem, et Aurelianum episcopos; Senarium, Florianum, Olybrium, Eugenetem, et alios genere atque honoribus clarissimos. Hæc de genere satis : patriam haud obscure innuit Sanctus ipse epistola II ad Florum, in Sirmondi editione, quam sequimur, pag. 4 his verbis : Tecum decertet de mediis curiæ finibus eductus, circa GALLUM PROSAPIA conticesce; quod jocose iterum indicat pag. 621, ut prorsus non capiam, qui tam diserte Schottus pronuntiare potuerit, patriam parentemque Ennodium minime prodidisse : idcirco fortasse quod hunc infans admodum amiserit, ac ne viderit quidem. Hoc facile admiserim; cetera ita concilianda censeo, ut Gallus origine fuerit, in Italia natus educatusque, verosimiliter ex Itala matre Camilla, de qua Schotti epitome : paulo graviores sunt difficultates quæ Sancti ætatem circumstant.

sed ex ejus scriptis, a Schotto et Sirmondo editis, repetenda

5 Et

AUCTORE J. B. S.

Figitur ejus nativitas an. 473.

5 *Et eam quidem partem hic explicandam susciperem, nisi melius tota series ad sequentem paragraphum reduceretur, cujus fundamentum obiter jaciendum est. Prævie igitur observo, unicum characterem, ex quo ferme reliqua pendeant, a sancto ipso* Ennodio *nobis assignatum in Eucharistico de vita sua apud Sirmondum pag.* 434, *his verbis :* Tempore quo Italiam optatissimus Theodorici regis resuscitavit ingressus, cum omnia ab inimicis ejus inexplicabili clade vastarentur, et quod superesset gladiis, fames necaret : cum excelsa montium, castrorumque arces penuria perrumperet ; et in culminibus locatos, armis sævior egestas obsideret : ego annorum ferme sedecim, amitæ, quæ me aluerat, ea tempestate solatio privatus sum. Remansi solus inops re, et consilio destitutus, cui sola remedium tribuere possit adversitas. *Porro Theodorici ingressum in Italiam cum Baronio collocant historici passim anno* 489, *ut ad natalem Sancti retrocedendo, innectendus is sit anno* 473 : *cum autem annis dumtaxat undequinquaginta vixerit, felicem ejus exitum, non anno* 516, *ut passim Itali ex male* B *lecto epitaphio exerrant, sed ad* 521 *reducendum esse, proxime ostendemus ; hic primum ex dicto Eucharistico aliisque locis colligenda sunt, quæ ad vitam ante episcopatum exactam pertinere videbuntur.*

Juvenilia stadia sua enarrat,

6 *Scribit ipse lib.* V, *cap.* XIV, *pag.* 148, *sese a Servilione artibus liberalibus institutum fuisse, quibus nimium intendisse, juvat ex confessione ejus intelligere pag.* 429 : Nam elevatus, *inquit*, insanis successibus, poetarum me gregi, ignarus venerandæ professionis, indideram. Delectabant carmina quadratis fabricata porticulis, et ordinata pedum varietate solidata. Angelorum choris me fluxum aut tenerum poema miscebat : et si evenisset, ut essem clarorum versuum servata lege formator, sub pedibus meis subjectum quidquid cæli tegitur axe cernebam. Ineptum diu volutavit vita mortalis, et certa miseriarum cæcitas de falsa dicendi felicitate perextulit. . . . . Sic dum me concinnationis superfluæ in rhetoricis et poeticis campis lepos agitaret, a vera sapientia, mentitam secutus, abscesseram, nihil aliud cupiens, nisi auris vanæ laudationes aucu- C pari. Erat orandi fastidium, dum perorandi tenebar cupiditate mercari. *Audi emendationis propositum pag.* 433. Promisi etiam, si clarioris studii me per gratiam suam donaret affectum *, de manu linguæ meæ confessio ista procederet, de muneribus ipsius ingenioli mei eidem adipem litarem, ut numquam styli cura de secularium rerum ventosa executione lassaretur. *Id vovisse* S. Ennodium *dum gravi morbo correptus, S. Victoris patrocinio periculum evasit, satis certum est; at quo circiter anno id acciderit, nemo hactenus exploravit.*

* affectu

quæ postea factus clericus correxit.

7 *Suscepto clericatu litteris, saltem profanis, nuntium omnino remisisse equidem existimo, atque ad id tempus revocandum reor quod scribit lib.* IX, *ep.* I, Ipsa studiorum liberalium nomina jam detestor ; *de quibus audire hic lubet Sirmondi, in Sancti operibus versatissimi, judicium.* Hoc in gradu *(diaconatus)* magnam vitæ partem duxit ; ac licet rhetorum poetarumque studia, quibus a prima ætate deditus fuerat, et jam inde cum clero nomen dedit, negligere cœpisset, ac postea etiam in letali morbo, ex quo B. Victoris ope recreatus est, D destinato animi proposito refugere ; ea tamen ingenii fama floruit et doctrinæ, ut non solum in pretio essent, quæ sua sponte scriberet, sed amicorum quoque, quos impensissime coluit, rogatu, in dictandis aliorum nomine orationibus, epistolis, epitaphiis, ac diversarum rerum epigrammatis, assiduam operam dare cogeretur. Quo in genere multa ad gloriam Ennodio illustria fuerunt, sed nihil illustrius apologetico et panegyrico quorum altero Theodoricum publice laudavit, altero Symmachi Papæ, synodique Romanæ causam tanta cum approbatione defendit, ut a synodo universa honorificentissimo elogio decretoque ornatus sit *Episcopum fuisse credimus, dum Vitas SS. Epiphanii episcopi et Antonii Lirinensis monachi accurate descripsit.*

8 *Quid prætcrea ante initum matrimonium, quid ejus tempore gesserit, nec sigillatim commemoravit ipse, nec aliunde eruere promptum est.* Filium sustulisse, quodam loco significare videtur, *inquit Sirmondus ; ast id certum esse, nusquam asseruit : erunt qui id indicatum velint tertio epitaphii ejus, infra referendi, versiculo,* clarus prole quidem : *at num mascula fuerit* E *ista proles, necdum inde colligitur. Clero Ticinensi adscriptum, postquam* illa, quæ *cum eo* matrimonii habuit parilitatem, religiosæ *cum eodem* habitudinis decora partita est, *et mox diaconatu a S. Epiphanio insignitum, satis constat; verum ad clerum Romanum transiisse anno ætatis suæ* 24, *nescio unde eduxerit nuperus Legendista Gallicus, cum ejus rei nullus, quod sciam, hactenus meminerit. Oculis laborasse, morbisque aliis oppressum, opitulante sospitatore suo, vim omnem feliciter superasse, testatur ipse loco non uno ; sed hæc et id genus alia nemo est qui certis temporibus queat innectere. Ingenua ejus confessio nonnulla docuit in laudato Eucharistico, quæ omnibus obvia sunt, ut proinde satis sit, specimen alterum delibare ex pag.* 435, *ubi post enarrata Dei opt. max. in se collata beneficia, idque præsertim quo, per opulentum matrimonium, ex ærumnis supra memoratis feliciter emerserat, ingratitudinem suam, novaque et majora divinæ misericordiæ argumenta expendit, quæ hic propriis ejus verbis exponenda censuimus. Ita loquitur :* F

dimissa uxore, ordinatus diaconus.

9 Tunc primum ex mendico in regem mutatus, afflictorum orditus sum mala deridere, et quasi debita mihi fuisset prosperitas, sic illorum negligere auctorem. Non tamen perduellis animus, et duræ cervicis continuo a te tumor elisus est. Produxisti ultionis tempora, ne forte compungerer, et hoc tantum, quis esset præstitor, sanatus sentirem. Sed quia homo non corrigit ex injusto, nec facile ad candidum post maculas sedetur *, steti in sententia mea illa, qua caderem, vici patientiam tuam continuatione peccati. Et quia, cum sis clementissimus, non semper justitiam reponis, nudatus præsidio tuo, vocem illam, quæ directa est ad aures primi parentis, accepi, Adam ubi es ? In confusione mea, quantos amiserim clementiæ tuæ thesauros, et qua nudatus sim dote, numeravi : rerum a te collatarum æstimatio tunc concessa est, cum mihi periret. Redii ad me atque ad ærumnas meas, et propter gaudia producta lacrymavi. Statim quidem alio itinere sed non impare subvenisti : ordinasti ut per officium levitarum coactus sanarer, et impacti

Altera Sancti ingenua confessio,

* An non reddetur?

A impacti honoris sarcina quod premebat a me pondus amoverit. Sed postquam venerandæ me pressura dignitatis absolvit, habui de titulo genium, non de actionis nitore conscientiam.

10 *Scabrosiora hic nonnulla et explicata occurrere quæ paucioribus verbis clarius exponerentur, haudquaquam diffitemur, at vividum et elegans sancti Viri ingenium, melioribus flammis incensum ejus animum, sanctiorisque vitæ propositum, ipsiusmet stylo adumbrare maluimus, quam in ejus oratione quidquam immutare. Hæc quo circiter tempore acciderint, patebit utcumque ex paragrapho sequenti : quæ autem omnimodam conversionem subsecuta sint usque ad annum* 503, *quo verosimillime Symmachi Papæ adversus Laurentianos accusatores causam tuendam suscepit, necdum satis liquet : exstat pro synodo apologeticus inter ejus opera a pag.* 317, *totam vero rei gestæ historiam ; quæ ad nostram hanc disquisitionem non attinet, deduxit Baronius ad dictum annum* 503, *a num.* 2 *usque ad* 12. *Ad idem ferme tempus aut paulo posterius spectat ejusdem sancti* Ennodii *apologeticus alter Theodorico dictus,* B *qui habetur a pag.* 291, *non immerito ab Eminentissimo Annalista ibidem laudatus. Nec multo post datam existimo epistolam consolatoriam, cum SS. Nazarii et Romani reliquiis ad exsules Africanos episcopos, videndam etiam in Annalibus ad annum* 504, *num.* 42. *Quæ quidem omnia ante episcopatum gesta, indubitatum videtur, quemadmodum et litteras plerasque omnes scriptas, Sirmondus recte existimat.*

§ II. Ætas, episcopatus et legationes.

Recte *observavit Pagius ad annum* 515, *primam mentionem* S. Ennodii *episcopi fieri occasione legationis ejus orientalis ad Imperatorem Anastasium : ipse porro successit S. Maximo Ticinensi episcopo, subscripto synodo Romanæ, quæ aliis* Absolutionis, *aliis* Palmaris *dicitur, anno* 501 *congregatæ, quo ferme tempore Sanctus, tum adhuc diaconus, insignem illam apologiam composuit, de qua jam* C *meminimus. Falluntur Schottus, Labbeus et alii, præsertim scriptores Ticinenses, qui S. Epiphanio successisse volunt anno* 490. *Etsi enim daremus, quod tamen falsum est, eo anno obiisse S. Epiphanium, simile vero nequaquam reddi potest, adolescentem natum primum anno* 473, *adeoque tunc annum dumtaxat ætatis decimum septimum ingressum, ad dignitatem episcopalem fuisse evectum. Longe melius obitum S. Epiphanii ex aliis retulit noster Bollandus in Actis* XXI *Januarii ad annum* 496, *quo etiamsi minus absurdum esset, successorem ei dare* S. Ennodium, *vel ea tamen suppositio aperte refellitur ex jam allegata Romana synodo, cui cum interfuerit subscripseritque Maximus, ut Ticinensis episcopus, satis certo evincitur, non S. Epiphanio sed S. Maximo primum succedere potuisse* S. Ennodium.

12 *Quo ordine, quo tempore, quo determinate anno id contigerit, nullo modo examinarunt scriptores Papienses Gualla, Saccus et Spelta, apud quos turbata multa, ut pridem et sæpius Majores nostri in hoc opere conquesi sunt : ...ibi hic non libet singula refellere. Magis placent Ughellus et post ipsum de Gasparis, qui* Ennodium *statuunt episcopum ordine* XXIV *atque anno* 511 *suffectum S. Maximo II, cujus brevia elogia ex ipso* S. Ennodio *descripsit Bollandus ad* VIII *Januarii, obitum ejus consignans anno* 510. *Utra opinio præferenda sit, non facile dixeris ; nobis satis est, demonstrasse, nec S. Epiphanio successisse* Ennodium, *nec anno* 490 *dignitatem episcopalem consequi potuisse, ex quo initii episcopatus errore supposito, alium passim obtrudunt, quod totis viginti sex annis sedem Papiensem tenuerit, obieritque anno* 516, *quæ tertia hallucinatio est, ceteris haud inferior : nimirum eo adducunt scriptores isti Papienses Sancti ipsius epitaphium, ex quo ipso manifestissimi erroris convincuntur, dum consulatum* Valerii V. C. *inepte connectunt cum anno* 516, *eo usque progressi ut annum istum epitaphio subscribere non dubitarint, de qua re iterum inferius ; nunc Sancti ætatem, ut nuperrime polliciti sumus, aliquousque ordinemus.*

AUCTORE J. B. S.

13 *Natum ipsum jam ostendimus anno* 473, *ex qua epocha calculi reliqui disponendi sunt. Quo anno uxorem duxerit, incertum hactenus, atque adeo ex probabilioribus conjecturis colligendum. Demus, a morte bonæ amitæ angustiis pressum, feliciorem sortem, quanto potuit citius prehendisse, non est verosimile,* poposcisse in matrimonium cujusdam nobilissimæ . . . . . parvulam filiolam *ante annum ætatis octavum decimum, ac proinde non ante annum* 491 *aut* 492; *in qua etiam hypothesi non longi temporis conjugium fuisse, ne-* E *cesse est. Etenim diaconatus ordine initiatum supponimus a S. Epiphanio ; quin et ipsi jam tum constanter adhæsisse videtur, dum jussu regis Gothorum Theodorici legatione Burgundica ad Gundebadum pro captivorum Italorum redemptione fungeretur, unde consequi oportet, non nisi paucissimos annos in matrimonio transegisse. Clero autem aggregatum et sacro charactere insignitum ab ipso sancto Epiphanio, haud obscure insinuat ipse in ultima Epiphanianæ Vitæ clausula, dum Sanctum a se laudatum, ita invocat :* Tu mihi anima apud Redemptorem nostrum præpotens tribue, ut cura vacuus, et pectore liber, munda tibi, sicut debentur præconia mundus exsolvam. De cetero habentem in te post Dominum fiduciam non relinquas, et quem religionis titulo insignisti, religiosorum in divinam repromissionem redde participem. F

Breve fuisse oportet conjugium.

14 *Per* vitam religiosam *indicari istic susceptum sacrum Ordinem, seu saltem clericatum, clarius patet ex citato Eucharistico, ubi pag.* 436 *editionis, quam sequimur, conversionem suam explicans, sic loquitur :* Hoc amplius suffragator meus *(S. Victor)* emeruit, quam poposci, ut illa quæ mecum matrimonii habuit parilitatem, religiosæ mecum habitudinis decora partiretur, et fieret præclari dux femina tituli ; *nimirum, religiosum habitum induit conjux eodem tempore, quo sacratioribus vinculis sese ipse adstrinxit. Porro S. Epiphanii obitum anno* 496 *innectendum, pridem censuit Bollandus ad* XXI *Januarii, eumque secutus Pagius aliique, nisi malis ad Januarium usque sequentis anni* 497 *producere. Si igitur a S. Epiphanio sacræ militiæ adscriptus est* S. Ennodius, *differri id non potest ultra annum* 496. *Quid quod magis etiam maturandum sit, si vere Episcopo suo comes fuit in legatione Burgundica, id quod ex pag.* 407 *nonnulli educunt, ubi scribit :* Nam testis hujus rei ego sum, per cujus manus pictacia ad clausuras jussio sacerdotis elicuit ; *cum enim triumphus iste caritatis S. Epiphanii certo incidat in annum* 494, *manifestius demonstrabitur, non toto triennio,*

cum a S. Epiphanio circa an. 494 *videatur ordinatus.*

triennio, prensatis tam avide fluxis illis et perituris bonis S. Ennodium *frui potuisse. Jam ad episcopatum regredimur.*

Ad episcopatum evectus circa an. 510,

15 *Fuerit igitur* S. Ennodius *ob præclara sua in Apostolicam Sedem merita, a Symmacho PP., quem in epistolis suis sæpe laudat, ad cathedram Ticinensem evectus, defuncto S. Maximo subrogatus anno, ut jam notavimus,* 510 *vel* 511, *a quo tempore rebus ecclesiæ suæ ordinandis intentus, commisso gregi instituendo totum se sedulo applicaverit, donec Symmacho, non diu post, nempe anno* 514 *ad Superos evocato, novam operam Hormisdæ Pontifici, alterius successori, quem adhuc in minoribus constitutum, lib.* V, *ep.* XIII *amice compellat, præstare coactus fuerit, ob eximiam sanctitatis et doctrinæ famam electus ad difficillimam legationem obeundam, qua vafrum et subdolum imperatorem Anastasium ad Ecclesiæ gremium unitatemque compelleret, de qua re fuse et erudite Baronius, ad dictum superius, qua legatio suscepta est, annum* 515 *a num.* 14, *paulo infra disertius observans, sic circumspecte et caute cum veteratore agendum fuisse,* ne majestas Apostolicæ Sedis ab ipso eluderetur, dum non ad fidem
B Catholicam stabiliendam, sed ad regnum conservandum, Vitalianumque avertendum, ejus abuti videretur auctoritate. Fuerunt autem, *subdit,* ad arduum opus delecti legati quatuor præstantissimi viri, inter quos primum locum tenuit Ennodius, ex diacono jam episcopus Ticinensis *etc.*

legationes ad Anastasium obit 515 *et* 517 :

16 *Habes istic Hormisdæ Papæ ad Anastasium epistolam cum provida commonitione ad legatos proficiscentes data; habes conditiones, quibus admittendus sit Princeps versipellis ad communionem Ecclesiæ Catholicæ, modo respiscat; habes præscripta ab Hormisda Orientalibus capitula; verbo rem totam, uti solertissime a Papa dispositam, sic diligentissime et accuratissime a Baronio in Annalibus deductam, cujus legationis haud satis felicem exitum, variasque Anastasii artes prosequitur, ab initio sequentis anni* 516, *regressum legatorum in Urbem, novaque Anastasii consilia et machinationes commemorans. Non destitit tamen ab incepto Hormisdas, sed, repetita legatione, versutissimum hominem hæreticum ad saniora consilia reducere modis omnibus tentans, eamdem rursus provinciam* S. Ennodio *committendam censuit, ut iterum*
C *habes apud eumdem Baronium ad annum, quo altera ista legatio suscepta est,* 517, *ubi de Sancto legato suo ita ad Anastasium scribit Pontifex num.* 10 : Ad hæc nostris lacrymis, nostris precibus alleganda, Ennodium atque Peregrinum fratres et coepiscopos nostros vice nostra, pro exhibenda etiam honorifica salutatione direximus. Ideo maxime designato viro, fasce secundæ legationis imposito, ut qui nobis spei bonæ detulit initium, nunc, adjutore Deo, plenum reportet effectum. Acquiescite, precamur, fidelibus monitis, cujus vos delectatum dudum legimus institutis. Data III Nonas Aprilis, Agapito V. C. Consule.

quæ in secunda passus fuerit, describuntur.

17 *Reliqua totius hujus secundæ legationis gesta non minus exacte complexus est Eminentissimus Annalista, jam dicto anno* 517 *usque ad num.* 50. *Porro expeditionis catastrophen ex Anastasio Bibliothecario subjicit, quam nos hic ex fonte describimus, non ad annum* 515, *ut male Petrus Diaconus, ambas legationes confundens, sed ad hunc* 517 *referendam; sic habet Bibliothecarius :* Direxit quoque Ennodium episcopum Ticinensem et Fortunatum episcopum Catenensem, et Venantium presbyterum urbis Romæ, et D
Vitalem diaconum Sedis Apostolicæ, et Hilarum notarium Sedis suprascriptæ : euntesque ad Anastasium Augustum nihil egerunt. Idem secundo misit Ennodium ipsum et Peregrinum episcopum Mezenensem portantes epistolas confortatorias fidei, et contestationes secretas numero XIX, et textum libelli, in quo libello noluit consentire Augustus Anastasius, quia et ipse in hæresim Eutychianam communicaverat. Voluit itaque eosdem legatos per remunerationem corrumpere. Legati vero Sedis Apostolicæ, contempto Anastasio Augusto, nullatenus consenserunt accipere pecunias, nisi satisfactionem Sedis Apostolicæ operaretur. Tunc Imperator repletus furia ejecit eos per posterulam, et imposuit eos in navim periculosam, cum militibus et magistrianis et prælectianis, nomine Heliodorum et Demetrium; qui hoc dedit eis in mandatis Imperator Anastasius, ut nullam civitatem ingrederentur. Legati vero Sedis Apostolicæ secretius suprascriptas epistolas fidei XIX, per manus monachorum orthodoxorum, exposuerunt per omnes civitates, E *et pericula omnia eluctati, elusis omnibus tyranni machinationibus, feliciter ad propria redierunt.*

§ III. Obitus, cultus, scripta et elogia.

Non diu legationi superstes moritur an. 521,

R*educem ex altera ista legatione, post tot labores et ærumnas,* S. Ennodium *recreavit secuta paulo post utriusque Ecclesiæ Orientalis et Occidentalis concordia, sublato cælesti fulmine veteratore Anastasio, cujus successor Justinus, vir egregie Catholicus, Hormisdæ Papæ omnia concessit quæ ad fidei integritatem pacemque stabiliendam jam toties frustra impetrare conatus fuerat. Ceterum non diu hisce superstitem fuisse Sanctum, probat dictum superius epitaphium ipsi positum, quod a se in ipso loco lectum et descriptum testatur Sirmondus, ex qua tabula mirum est scriptores Ticinenses, supra a me laudatos, aliosque educere potuisse, quod* S. Ennodius *obierit anno* 516, F *dum apertissimus character appositus,* VALERIO V. C. Cos. *non alium annum designare potuit quam* 521, *a Sirmondo optime restitutum : post quem tamen Ferrarius, populares suos secutus, litteris majusculis hæc verba exprimere non dubitavit :* DEPOSITUS SUB D. XVI KAL. AUGUSTAS, VALERIO V. CONS. ANNO DXVI A PARTU VIRGINEO. *Hos igitur missos facimus, æque ac eos omnes, qui ex præfixo perperam* S. Ennodii *in episcopatu principio anno* 490, *ei consequenter regiminis annos omnino* XXVI *adscribere veriti non sunt, cum solis decem vel undecim, ex statuto a nobis calculo, isti ecclesiæ præesse potuerit, nempe a* 510, *ad jam dictum* 521, *quem ita demonstrat epitaphium ipsum quod hic ex Sirmondo subjicio :*

ut ex ipso epitaphio, male ante intellecto, evincitur.

19 Ennodius vates lucis rediturus in ortum,
Hoc posuit tumulo corporis exuvias.
Clarus prole quidem, generosior ipse propinquis,
Quos functos laudis jussit habere diem.
Reddidit hos cælo vivacibus ille figuris,
Cum fecit famæ vivere conloquiis.
Quid mirum si morte caret post fata superstes,
Qui consanguineos restituit superis?

Quantis

A Quantis iste foret mundi celebratus in oris,
Nec silet occidui cardinis oceanus.
Schismate conjunxit dudum discordia legi,
Atque fidem Petri reddidit ecclesiis.
Pollens eloquio, doctrinæ nobilis arte,
Restituit Christo innumeros populos.
Largus vel sapiens, dispensatorque benignus,
Divitias credens quas dedit esse suas.
Templa Deo faciens, hymnis decoravit et auro,
Et paries functi dogmata nunc loquitur.
Depositus sub D. XVI Kal. Augustas,
Valerio V. C. Consule.

[…]tra scripto […]um Papien[…] […]um confusio[…] […]s

20 *Ex disputatis hactenus liquido plane solvuntur dubia omnia a Ferrario in longiori solito annotatione proposita, quæ hic paulo brevius perstrinxisse suffecerit. Primum est,* quo Pontifice et quo Imperatore Ennodius ad episcopatum assumptus fuerit. Quidam, *inquit,* illum Hormisda Papa creatum episcopum volunt, alii multo ante, Zenone imperante. *Utrumque falsum esse, jam manifeste ostendimus. Non multum absimile est dubium alterum circa diuturnitatem episcopatus* S. Ennodii, *quod etiam pari evidentia dissolutum est.* B *Rursus (verba sunt ipsius Ferrarii)* major excitatur difficultas inter scriptores Vitæ S. Ennodii, *nempe recentiores omnes Ticinenses,* et Baronium in Annalibus, quoad annum quo obiit. *Ast et eam difficultatem duobus proximis numeris explanatissimam dedimus.* Demum, *inquit,* Baronius sensit Ennodium Maximo episcopo suffectum fuisse, quod et Ennodius in Vita S. Epiphanii habet. Gualla vero, Breventanus, et Spelta, non Maximo, sed Epiphanio immediate successisse. *Verum et istorum errores abunde deteximus, ut recte subjungat Ferrarius :* In quibus omnibus Baronio deferendum censeo, antiquis et certis Ecclesiæ monumentis uso; *ad quæ Papienses etiam accedere necesse est.*

Sanctorum ho[…] […]us pridem habitus est.

21 *De vero* S. Ennodii *in Ecclesia cultu testes appellat Baronius in notis ad Martyrologium Romanum tabulas Ticinenses, quibus haud dubie antiquiora sunt Joannis VIII sæculo nono, et B. Gregorii VII sæculo* XI *testimonia, quorum ille ad Bercarium abbatem scribens Ennodium diserte* beatum *appellat, his apud Sirmondum verbis :* Absit a piis mentibus quid de Romani culminis C Pontifice sinistrum sentire, cum BEATO Ennodio confessore, Ticinensis urbis antistite scribente doceamur, quia Deus omnipotens aut claros ad tanta fastigia erigit, aut certe quos erigit, illustrat. *Gregorius vero* Sancti *titulum tribuit :* Quod Romanus Pontifex, si canonice fuerit ordinatus, meritis beati Petri indubitanter efficitur Sanctus, testante SANCTO Ennodio Papiensi episcopo, et multis sanctis Patribus faventibus, sicut in decretis beati Papæ Symmachi continetur. *Sic paucis Vitæ* S Ennodii *epitomen concludit laudatus Sirmondus :* Reversus ad ecclesiam suam, paucis post annis superstes, ævo adhuc integer, annorumque non amplius XLVIII excessit e vita, ea sanctitatis opinione, ut inter sanctos Christi confessores anniversariis honoribus colatur XVI Kalend. Augusti, quo die receptus est in cælum anno Domini DXXI; diem enim et consulem notat epitaphium *etc.*

[…]metum recen[…] […]us solum Martyrologiis […]ignatur.

22 *In antiquis generalioribus Martyrologiis nulla de* S. Ennodio *reperitur memoria, quod multis illustribus Sanctis non semel evenisse, in hoc opere observatum est. Inter auctaria Usuardina signatum ipsum ostendimus a Greveno, satis obscure;* Euodii episcopi et confessoris, *quo modo etiam a Canisio notatus est; melius a Molano* Enodii, *et in posterioribus editionibus paulo distinctius;* Ticini S. Enodii episcopi et confessoris : *quibus recentiores adjunge, saltem Galesinium (nam a Maurolyco et Felicio præteritus est) nomen etiam male efformantem. Sic habet :* Papiæ, sancti Euodii episcopi, qui doctrinæ præstantia, et divino ingenio vir, ab Hormisda Pontifice Constantinopolim legatus mittitur : de populi autem Papiensis salute solicitus, divites in officio pietatis continuit; pauperes et consilio, et consolando, et re adjuvit; aberrantes in viam revocavit, omnes denique ad sancte agendi studium accendit, virtutum suarum admirabilium exemplis, quibus clarus evolavit in cælum. *Omnium instar sit auctoritas Martyrologii Romani sic ipsum hoc die annuntiantis :* Papiæ, S. Ennodii, episcopi et confessoris. *Ex quibus omnibus satis patet,* Ennodii *sanctitatem ab Ecclesia pridem agnitam et honoratam fuisse.*

Inter præclara Sancti scripta,

23 *De Sancti scriptis quid sentiendum sit, satis docuit Sirmondus in præfixa editioni suæ ad* E *V. C. Nicolaum Fabrum epistola, ad quam lectores remittere præstat quam ad nuperum bibliographum Gal[…]am, non paucis suis stigmatibus notissimum, cujus audax crisis eo temeritatis usque prorupit ut orthodoxam* S. Ennodii *de gratia et libero arbitrio sententiam ad Faustum et Massilienses ablegare non erubuerit. Hanc saltem periocham a Sancto desumere licuit ex lib.* II, *epist.* XIX *ad Constantium; unde doceantur hodierni novatores quid de eorum dogmatibus olim senserit sanctissimus juxta ac doctissimus Ticinensis episcopus. Audiatur ipse :* Ergo, ut scriptione testamini, inventus est homo, qui servos Christi, quemadmodum ipse promisit esse faciendum, sub hac occasione cribraret, asserens, de arbitrii libertate homini in una tantum parte, quæ deterior est, eligendi datam esse licentiam? O schismaticam propositionem, quæ juxta Apocalypsim scriptas habet in fronte blasphemias! Quæ est ista libertas, si valet, edisserat, ubi hoc datur solum velle, quod puniat : aut quare electionem nominet, ubi unam tantum partem asserit fuisse concessam. Quod si veritate subsisteret, locum divina F judicia non haberent. Quid enim boni a nobis Deus noster recte quæreret, qui appetentiam ejus de voluntate subtraxerat?

Locum meretur ejus sententia de gratia et libero arbitrio :

24 Sed juxta Apostolum, Numquid iniquus Deus? Absit. Inter homines a recti discordat affectu, qui a subjectis exigit, quod in potestate non tribuit. Hoc de Deo qua conscientia sentiatur, advertite. Ubi est illud Apostoli clamantis, et pro arbitrii libertate testantis, Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio? Quid est, nisi dicere, Novi dextrum iter eligere, sed nisi ingredientem juverit gratia superna, lassabor? Nemo dubitat, nemo condemnat, quod auctore gratiæ præstante, et ipse æquitatis hominibus callis aperitur. Dux enim bonorum et præcessor est gratia, quando cælitus multiplici ad requiem invitamur hortatu, quando dicitur; Venite filii audite me; Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum : Ubi ego sum, ibi erit et minister meus. Sed nisi talibus monitis et voluntas nostra, quæ libera est, et labor præstet obsequium, ad periculum et gehennam, non

AUCTORE J. B. S.

non imperio aliquo, sed sponte devolvimur. Itaque aut præmium devotio, aut pœnam contemptus operatur : alioquin non erit justa retributio, quæ aut per supplicia refertur necessitate peccantibus, aut bonam mercedem offert operi, ad quod trahuntur inviti. Ergo debemus gratiæ quod vocamur; debemus gratiæ, quod occultis itineribus, nisi resistamus, sapor nobis vitalis infunditur : nostræ tamen electionis est, quod beneficia demonstrata sectamur : *et quæ ibi sequuntur, quæque in fonte videri possunt; uti et alia Sancti scripta, ut Parænesis didascalica, Præceptum de episcoporum cellulanis, aliaque a pag.* 437.

Ticinensium vero laudationibus.

25 *Ad* S. Ennodii *elogia quod attinet, scriptorum Papiensium, superius relatorum, ac in multis passim hallucinantium, non satis digestæ laudes huc accersendæ non sunt, neque ea a nobis examinanda quæ ipsi de obtentis per eumdem Sanctum a Romana Sede singularibus privilegiis speciosius ostentant, de quibus ita paucis Gasparius :* Romam reversus Ennodius, ab eodem Hormisda summa lætitia fuit exceptus, et mox gratitudinis ergo, et tantorum viri meritorum testificatione, pallii crucisque usu, et B quamplurimis aliis archiepiscopalibus privilegiis cohonestatus, dimissus est. Qui lætus ad suam sedem revertens, amplissimis et perpetuis honoribus decoratam, episcopali munere studiosissime perfunctus est *Cetera videat curiosus lector fusissime apud Saccum deducta a pag.* 231, *sub titulo,* de Papiensis ecclesiæ dignitate, nulli metropolitano suppositæ, *quæ fori nostri non est hic pluribus discutere. Illustriora paulo et solidiora sunt, atque ad* S. Ennodium D *propius spectant elogia, quæ jam supra attigimus, quæque ex Synodo* v *Romana et Nicolao PP. I suggessit Sirmondus, toti huic Commentario coronidem impositura.*

longe præferendum est S. Symmachi PP. elogium.

26 *Sic loquitur laudata pridem synodus Symmachi Papæ.* Libellus qui synodali auctoritate, contra eos, qui adversus quartam synodum, quæ habita est Romæ palmaris, mutire præsumpserunt, ab Ennodio conscriptus est, coram omnibus deferatur, et in præsentia omnium legatur atque roboretur. Quo recitato, et ab omnibus consona voce roborato, sancta synodus dixit; Hæc futuris temporibus conserventur, atque ab omnibus teneantur, et in omnibus serventur. Hic libellus integerrime synodaliter ab omnibus teneatur, atque inter quartæ et quintæ synodorum decreta habeatur, quia synodali auctoritate conscriptus est, et roboratus. Ad quæ ter beatissimus Papa respondit; juxta vestrum omnium fiat voluntatem. *Sic autem Michaeli Augusto scribit Nicolaus PP. I.* Sicut magnus Christi confessor Ennodius Ticinensis episcopus, qui ab Hormisda Apostolicæ memoriæ Constanti- E nopolim missus, innumeras miserias a Græcorum vesania, pro fide Christi, et statu Ecclesiæ non semel pertulit, ex Propheta de his omnibus meminit, Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? Aut exaltabitur serra contra eum qui secat in ea? *Plura aut præstantiora apud Miræum et alios bibliographos non reperimus, neque alia suppetunt, quæ his superaddantur.*

DE S. THEODOSIO EPISCOPO

AUTISSIODORI IN GALLIA.

J. B. S.

SYLLOGE HISTORICA.

De cultu, ætate, gestis, sepultura et inventione.

SÆC. VI.

Inter alios Autissiodorenses illustres episcopos.

C

Quam illustris est, jam usque a primis Christi sæculis, Autissiodorensis ecclesia, plurimis suis episcopis Sanctorum honores cultumque promeritis, tam frequens fuit patronorum ejus tutelarium in Actis hisce nostris memoria, eritque porro in operis decursu; sic tamen ut paucorum Acta illustrata fuerint aut illustranda supersint, verseturque adeo potissima nostra disquisitio, non in gestis describendis aut discutiendis, sed in colligendis pauculis notitiis, quæ ad antiquam constantemque venerationem, tum vero ad eorum ætatem stabiliendam pertinent. Et de illa quidem tam aperta plerumque in ipsis veteribus Martyrologiis exstant testimonia, ut quod de S. Censurio, ad x *Junii, pridem indicavit Henschenius, id ferme de ceteris tuto pronuntiare liceat; cum quemadmodum iste, sic multi alii in Hieronymianis exemplaribus reperiantur, ab antiquario quidem Gallo, sed vel in ipso vetustissimo Antverpiensi seu Epternacensi adjecta, ut sæculo nono antiquiora ferme esse oporteat id genus additamenta. At vero ætatem definire, non ita pervium est, uti etiam ante me jam dicto loco observavit laudatus Henschenius. Utramque partem, pro subjecta materia, breviter expediemus.*

2 *Ut a memoratis jam Hieronymianis exordiar;* F

locum habet in Martyrologio Hieronymiano.

apographa Lucensia Florentinii, Corbeiensia et Reg. Sueciæ, seu S. Columbæ Senonensis, diserte habent : Antisiodoro, depositio beati Theodosii episcopi, *qualem annuntiationem ex simili aliquo codice certissime descripsit Notkerus. In Epternacensi est,* Antisiodoro, Theodori episcopi; *pejus in minori Augustano* Theodoræ. *Richenoviense et Labbeanum legunt* Theodosii, *seu* Theodosii; *ast ubique eumdem ipsum* Theodosium *intelligi, evidenter probat adjecta positio* Antisiodoro, *quæ etiam in codice S. Cyriaci aliisque exprimitur. Ab Usuardo prætermissum non miror, quandoquidem in perpetuo antesignano ab eo inventus non sit, Adoni enim adjectitia est annuntiatio;* Item Antisiodoro, S. Theodosii episcopi et confessoris, *adeoque et longior illa in codd. Morinensi et Leodiensi S. Laurentii; quorum nihilominus describi meretur textus hujusmodi :* Antisiodoro, depositio Theodosii episcopi, qui cum rexisset ecclesiam suam annos VIII et dies XXIX, tandem in pace quievit, et sepultus est in ecclesia S. Germani episcopi. *Atque hoc brevi complexo continentur præcipua quæ de ejus gestis tradita accepimus, quæque ad explicandam sacri corporis inventionem nos infra deducent.*

3 *Inter Usuardina auctaria antiquissimum est, quod*

...usque recen... ...ctus.

quod refert codex Rosweydinus his verbis : Item depositio S. Theodosii episcopi et confessoris, *omissa positione quæ in Centulensi neglecta non est. Grevenus compendio utitur;* Theodosii episcopi et confessoris. *Maurolycum aut recentiores alios non enumero ; at locum merentur Galesinius et Saussayus, quorum primus ita scribit :* Antisiodori, sancti Theodosii episcopi et confessoris, qui Bonifacio secundo Romano Pontifice, sancte factorum splendore prælucens, Aurelianensi primo concilio interfuit *: non præsedit, ut hic Galesinium asseruisse male pronuntiat Kalendarium Gallicum Sanctorum Autissiodorensium inter Chiffletii collectanea inventum. Paulo elegantius est Saussayi elogium ;* Autissiodori, sancti Theodosii episcopi et confessoris. Hic mirabili virtutum panoplia ornatus, sancti Viri * in locum subrogatus, pedum hujus ecclesiæ incomparabili qua pietate, qua vigilantia gessit ; Aurelianensique concilio primo sic intercessit, et sancitis ibi legibus de sacrosancta politia, auctoritatem plurimam sua præsentia addiderit ; ac demum post episcopatus exactos annos octo cum totidem mensibus et viginti diebus, magnis locupletatus piorum laborum meritis, ad cælestis quietis perrexit fruitionem.

** ...loco Ursi.*

B

...ratione... ...definiri ... possunt.

4 *Ex solis Martyrologiorum textibus jam relatis ultro observas, satis certa non esse aut episcopatus initium, aut durationem aut finem, quod magis etiam perspicies ex historia episcoporum Autissiodorensium a Labbeo edita tomo* I *Bibliothecæ Mss. pag.* 418, *cap.* XII, *quod totum describo :* Theodosius sedit annos VIII, dies XXIII ; VI Kalendarum Augustarum diem excepit ultimum, peracto vitæ suæ tempore LXX et V annis ; proque suæ merito sanctitatis nobilem in ecclesia B. Germani sortitus est sepulturam ; fuit autem temporibus Bonifacii et Mercurii, qui et Jaannes vocatus est, usque ad Agapitum, imperante Justiniano Augusto, Lampadio consule. Invenimus et hunc sanctum Virum interfuisse concilio episcoporum, quod actum est ex jussu gloriosissimi Clodovei magni Francorum regis, apud Aurelianensem Galliæ civitatem. Fuit civitas sine Episcopo anno uno. *Nota sunt Bonifacii, Joannis et Agapiti tempora, cum quibus Theodosii aut decessorum Censurii et Ursi ætates componere, adynaton pridem ostendit Henschenius, ut quot verba tot fere sphalmata sint ; quæ ne hic denuo discutienda et refellenda legas, Henschenii dicta adoptamus : viderint Autissiodorenses qua potissimum ratione tot repugnantiæ conciliari possint : ut Hericum monachum, infra citandum hic non adjungamus, qui* S. Theodosio *regiminis* annos *etiam* octo *quidem tribuit,* sed dies XXV.

C

...que ex expl... ...it qui, et ... ... Viola

5 *Silvam hanc exscindendo explanandoque bene mereri poterat, qui de sanctis episcopis et abbatibus Autissiodorensibus tractatum concinnavit domnus Georgius Viole Ordinis S. Benedicti, quem manuscriptum a Castellano nobiscum communicatum, jam alibi non semel monuimus. Verum is intacta relinquens, quæ ex laudata historia descripserat, alia de suo non magis tolerabilia subjecit. Audi ejus verba ex Gallico Latine reddita :* S. Theodosius subscripsit concilio primo Aurelianensi loco penultimo, unde colligitur, recentius ad sacras infulas evectum, tametsi septuagenarius esset aut paulo minor ; at enim primum in subscriptione locum occupavit inter episcopos, qui cum ipso ei concilio interfuerunt, in donatione quam rex Clodoveus, dominii regii de Longreto apud Comum, fecit ecclesiæ S. Hilarii Pictaviensis, ea nimirum causa, quod fundus ille in diœcesi Autissiodorensi situs esset. *Quis non hic thesaurum aliquem refossum et recenter revelatum existimet, dum hæc tam rotunde a Viola venditari intelligit, quasi in ipso Aurelianensi concilio donationis diploma conceptum a Clodoveo cum triginta duobus Episcopis subscriptum sit.*

AUCTORE J. B. S.

6 *Historiæ suæ episcoporum Autissiodorensium subjungit Viola abbates S. Germani ibidem, ac deinde totius diœceseos cœnobia, inter quæ suo ordine pag. mihi* 356 *ponitur monasterium* S. Laurentii de abbatia, *quod ipsissimum* Langretense, *seu* Longumretense *esse ait, et de cujus variis vicissitudinibus longam narrationem texit, ex qua huc solum spectat Clodoveanæ donationis diploma cujus principium refert, hoc modo :* Ego Clodoveus Francorum rex do curtem meam de Longareto fratribus S. Hilarii de Pictavia, cum omnibus suis juribus et pertinentiis, quam promitto garantisiare cum mea spada. *Hujusmodi capiti quale corpus aptandum sit, fallor si manu palpari nequeat : diplomatis supposititii potiorem partem vide apud Cointium in Francorum Annalibus ecclesiasticis ad annum* 511, *num.* 51, *ubi parachronismos ceterasque, quibus scatet, ineptias ita expendit et refellit, ut eas refutandi provinciam nobis omnino præripuerit ; talique specimine abunde ostenderit, quid de citata Violæ tractatione statuendum sit. Verosimiliora exhibent laudata historia, a Labbeo edita, Hericus de miraculis S. Germani, et authenticum postremæ inventionis instrumentum, ex quibus de sepultura et hodierno cultu reliqua subjicio.*

aliis magis dubiis rem potius involvens.

E

7 *Addit demum Viola*, S. Theodosium *ob eminentem sanctitatem meritum fuisse ut sepeliretur ad sancti Germani, cujus vix vestigia hodie supersunt : epitaphium infra dabimus. De antiquiori translatione meminit Hericus, etiam ab Henschenio relatus, lib.* II, *cap.* XV, *cujus hæc sunt verba :* Postquam longe superius comprehensum opus visum est et ecclesiastico decori congruum, et Sanctorum componendis pignoribus condignum, exercitata sapientum sententia, optimum factu judicatum est, ut supra memoratæ Martyrum reliquiæ, necnon et corpora beatorum pontificum Autissiodorensium, olim in ipsa ecclesia tumulata, transferrentur in cryptas, et circa corpus beatissimi Germani præcipua officii diligentia conderentur, divina mente, probo consilio, ut quos eadem cæli regia continet, ejusdem quoque in terris habitaculi capacitas sociaret. Factum ita est, et dextro quidem latere, id est a plaga australi, ossa beati Urbani Papæ cum capite Innocentii martyris, eodem loculo composita sunt. Hinc corpus venerabilis Alaudii, successoris quondam ejus, ac trium deinde sanctorum pontificum Ursi, Romanique et Theodosii a parte pedum, id est plaga orientali, secus aram pretiosi confessoris et præsulis Aunarii, membra sacratissima requiescunt.

Translatio ab Herico describitur,

F

8 *Utrum in ipso eo loco sacrum corpus a sæculo* IX *constanter permanserit, mox licebit colligere ; furentium iconomachorum, qui anno* 1570 *Autissiodori grassati sunt, sacrilegas manus effugisse, docet processus verbalis, seu diploma Dominici Seguierii Autissiodorensis, post Meldensis episcopi, de visitatione, anno* 1634 *die* II *Novembris*

et rursus a prædicto Viola.

AUCTORE J. B. S.

bris a se facta, in hunc modum testantis : Inde ad capellam S. Germani, sitam in cryptis ejusdem ecclesiæ sub altari majori, ut supra comitati, secessimus, ibique ad partem australem ejusdem sacelli, juxta antiquam inscriptionem quæ sic habet : *(verba Gallica Latine verto)* Hic jacet corpus Domini sancti Theodosii, qui fuit episcopus hujus civitatis et obiit XVII Julii ††; extractis aliquot pavimenti partibus, inventum est sepulcrum, concava in modum fornicis superficie, quo discooperto, corpus fere omnino in cineres redactum, magnitudinis quatuor circiter pedum et sesqui, cum parte sandaliorum nondum corrupta vidimus, et eodem tempore aliqui ex circumstantibus sepulcrum ipsum odorem suavissimum planeque divinissimum exhalasse protestati sunt. Observato et postea clauso eodem sarcophago, accessimus ad sepulcrum S. Germani *etc.*

9 *Prædictum diploma seu testimonium visitationis Sanctorum Autissiodorensium, variis vicibus repetitæ, datum est Meldis anno* 1642 *die* XXIX *mensis Aprilis, dum jam sedem mutasset Seguierius, ipsumque refertur in Ms. Autissiodorensi, a Viola collecto, ad diem* II *Novembris a pag.* 265 *ad* 297, *in quo vides adjuncta eadem sepulturæ Theodosianæ prope S. Germani corpus explicari, quæ ex Herico jam dedimus, ut de reliquiarum identitate dubitandum non videatur. Perseverasse hactenus Sancti cultum, constat ex Breviariis excusis et ex Ms. Kalendario Ludovici Natalis d'Amy, ad Majores nostros transmisso, ac disertius ex Brevi seu Directorio ad Horas recitandas pro anno* 1720 *excuso atque a R. A. D. Joanne le Boeuf, Canonico et succentore ejusdem Autissiodorensis ecclesiæ, non ita pridem nobiscum communicato, in quo eatenus sub ritu simplici celebratus* S. Theodosius, *ad semiduplicem, pro annis exinde secuturis, evehitur. Ceterum ex Breviariorum lectionibus subsidii ad historiam nihil haberi posse, jam olim in Censurio notavit Henschenius, quandoquidem non nisi Communia de Pontifice confessore præscribantur. Plura non suppetunt, quæ de* S. Theodosio *commemorari possint.*

Officium est e communi conf. Pont.

DE S. MARINA VIRGINE

SUB MONACHI HABITU MARINUS DICTA.

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. S. Marinæ cultus apud Græcos et Latinos.

FORTE SÆCULUM VIII. *Inter stupenda muliebris sexus et [illegible] prodigia.*

Deum in Sanctis suis mirabilem prædicandum esse, utut diebus singulis Acta nostra apertissime demonstrent, nihil sane stupendas ejus adorandasque idcirco vias clarius revelat, quam insolita in fragiliori sexu virtutum prodigia, quibus teneræ virgines vel ipsis dæmonis artibus carnisque illecebris insultare visæ sunt, eousque progressæ, ut viros post se relinquentes, ardua maxime monastica exercitamenta incredibili constantia toleraverint, tam enormes subinde calumnias passæ, ut quosvis etiam Sanctos magnitudine animi superasse videantur. Illas intelligo, seu virgines seu feminas alias, quæ sexum simulantes monachum indutæ, ea nobis heroicorum actuum exempla reliquerunt, quæ certe in admirationem omnes rapiant ; tam periculosa porro, ut ad imitationem ea proponere non conveniat. Innumeras novimus quæ virginitatis lauream cum martyrii palma conjunxerunt ; ast hæ inusitata prementes vestigia, eo durioribus cruciatibus sese affligi voluere, quo atrociora sunt tormenta quæ animis, quam quæ corporibus inferuntur. Nonnullarum elenchum texuit noster Raderus in Viridario, ex quo Bollandus pleraque desumpsit ad v *Januarii in Commentario ad Acta S. Apollinaris Syncleticæ (Dorotheus nuncupatæ) aliquas ibi enumerans quæ sexum, si ita loqui licet, mentitæ inter monachos constantissime egerunt, ad mortem usque probra et vituperia perpessæ, quibus promptum fuerat se expedire, nisi naturam vicisset ea gratia, qua selectas sibi animas ineffabilis providentia cumulavit. Specimen egregium dabit* Maria *seu* Marina, *inter viros* Marinus *dicta, de cujus cultu hic primum tractandum suscipimus.*

2 *Nomen* Marini *et* Marinæ *non adeo infrequens esse in vetustis Ecclesiæ Martyrologiis, satis docent apographa Hieronymiana apud Florentinium, ac paulo expressius Acta nostra, in quorum solius primi semestris indice tomo* VII *Junii plures recurrunt, tum synonymi tum synonymæ, ast ii præcipue qui inter varias Martyrum classes recensiti, nuda ferme nomina exhibent. In Fastis Græcis binæ occurrunt,* Marinæ *paulo illustriores, hæc nempe virgo* Marinus *dicta, de qua hoc die agere instituimus, et celeberrima altera Virgo martyr Antiochena, Ædesii filia, sub Olybrio præside passa, quæ nescio qua metamorphosi in* Margaritam *a Latinis transformata, si non eadem cum prædicta Antiochena* Marina *est, certe aptatam sibi habet eamdem portentosam narrationem : quod vero præterea mirere, non eo quo* Marina *a Græcis die, nempe hac* XVII *Julii colitur* Margarita, *sed* XIII *et* XX *ejusdem mensis, ut in Prætermissis pridem notatum est. At de* Marina *illa, sive* Margarita *plura suo loco discutienda erunt ; huc a majoribus nostris remissa est hodierna* Marina *ex* VIII *et* XII *Februarii, atque ex* XVIII *Junii, quod hoc signata sit a Baronio in Martyrologio Romano* Venetiis translatio *alicujus* Marinæ, *de cujus nominis confusione et distinctione sequenti paragrapho erit disceptandum.*

Merito venit Marina, de cujus nomine quæritur.

3 *Præter Acta, in Vitis Patrum relata, dubia omnia sunt quæ hanc Sanctam circumstant, nam quis verus ejus natalis seu obitus dies fuerit, ubi terrarum degerit, quo sæculo vixerit, hactenus satis incertum est. Inter Prætermissos* VIII *Februarii ponitur* MARINA *seu* MARIA, MARINUS *dicta, cum sancto* EUGENIO *monacho parente suo ;*

Vita et dies quo colenda sit.

AUCTORE J. B. S.

A *ex Molano, et Ferrario : atque in Vita apud Surium eo die dicitur obiisse, vel saltem deposita fuisse, auctoritate, opinor, Metaphrastis, a quo, ut Surius loqui solet, accepta dicitur, nempe ex Aloysii Lipomani tom.* V, *fol.* 526, *ubi more suo, floridus scriptor nonnulla modice ampliavit quæ Actis a Rosweydo inter Vitas Patrum, ut diximus, editis, non ex omni parte concordant, cum tamen de cetero rem prorsus eamdem enarrent, ut postquam hæc edita fuerant, facile Actis istis aliis* XII *Februarii referendis supersedere potuerit laudatus Surius. Fatendum tamen est, non* VIII *sed* XII *Februarii celebrari* Marinam *in Menæis, quorum narratio tota ei simillima est, quæ in Menologio Basiliano habetur apud Ughellum tomo* VI *Italiæ sacræ col.* 1217 ; *ita medullam refert totius vulgatissimæ Legendæ, ut frustra sit, plures hic textus seu Græcos seu Latinos congerere. Habe igitur verba citati Menologii, cujus elogio hic titulus præfigitur :*

Apud Græcos aliqua ponitur XII Febr.

4 Eodem die commemoratio S. Mariæ, quæ mutato nomine Marinam se dixit. *Tum sequitur Actorum compendium,* Maria studio salutis latebram quærens, posita muliebri B stola, sumpto virili habitu, Marinum se nominavit, unaque cum patre Eugenio monasticam amplexa vitam, capillum totondit. Quare celato diligenter sexu, suam monachis et patri operam tribuebat. Verum cum aliquando in diversorio versaretur, accusatur, stuprum filiæ stabularii intulisse. Tulit illa æquissimo animo calumniam, quam nullo negotio diluere potuisset. Quamobrem monasterio ejecta, ac foribus misere assidens, filium quem non genuerat, utcumque poterat, annos tres patienter aluit. Deinde in monasterium una cum filio admissa, non multo post ex hac vita discessit, illatique falso criminis causa, non sexu solum, sed et clamosa filiæ stabularii a dæmone correptæ declaratione, a milite se vitiatam esse, defensa, omnium præ admiratione in stuporem mentes rapuit. *Totius rei summam hic habes, in Menæis eodem sensu explicatam, quibus frustra alia addideris undecumque ea accipiantur. Atque hæc de cultu aliquo apud Græcos satis dicta sint, jam Fastos nostros expendamus, ex quibus certum aut fixum cultus diem non facile erues, ut ante* C *me notavit Rosweydus, quemadmodum infra intelliges.*

Qui hæc nostra sit.

5 *Apud antiquos seu classicos Martyrologos hodiernam* Marinam *hoc die frustra quæsiveris, nam quod Baronius contendit,* Marinam *ab Usuardo* XVIII *Junii positam, virginem nempe et Martyrem Alexandrinam, eamdem esse quæ Venetias translata sit, admitti non posse, suo loco demonstrabitur. Ex auctariis itaque Usuardinis aliisque recentioribus profluunt quæ de hac* Marina *et aliis, ferme pro arbitrio, consignata sunt. Quæ* XXVIII *Januarii posita est, socios habet, ut cum nostra confundi nequeat ; non magis quam altera apud Grevenum* X *Martii, apud alios cum Agapa, seu Agapita conjuncta ejusdem mensis die* XI. *Propius accedere potest* Marina virgo *relata in Usuardo Bruxellensi* V *Aprilis, cujus mensis* VI Idus *obiisse dicitur in Vita Papiæ edita an.* 1523, *cujus tam exigua est auctoritas, ut non facile assensum impetret. Ad* XVIII *Junii sensim nos ducit Florarium Ms. ea die sic scribens :* Alexandriæ, passio S. Marinæ virginis, cujus gesta habentur circa finem quinti libri de Vitis sanctorum Patrum : *existimavit nimirum Florarii istius auctor, sicut et alii ipsum prægressi aut secuti, nulli* Marinæ *commodius aptari posse prædictam historiam, quam isti quæ nota esset apud Usuardum ; ut puta in Florentinis codd. in quibus ita habetur :* Item in Alexandria, sanctæ Marinæ virginis, quæ in puerili ætate clam se tondere fecit, et monasticam vitam expetiit, Marinus sibi nomen imponens ; post retrusionem multis annis, in omni sanctitate quievit in Domino.

dubium faciunt Martyrologia.

6 *Eodem die* XVIII *Junii ipsam illam confusionem adoptat editio Lubeco-Colonien.* Alexandriæ, beatæ Marinæ virginis, cujus pater cum quoddam monasterium in eremo existens intrasset, mutavit habitum filiæ ejus, ita ut non femina sed masculus videretur, rogavitque abbatem et fratres, ut filium suum unicum reciperent, qui ejus precibus annuentes, in monasterium est receptus, et frater Marinus ab omnibus appellatus. Quantæ autem devotionis, humilitatis, et patientiæ ac sanctitatis ejus vita exstiterit, quanta mala innocenter a fratribus pertulerit, et quantis miraculis post mortem coruscaverit, libro Vitas Patrum luculenter innotescit. *Et hæc quidem* E *omnia in hisce codicibus Alexandriæ tribuuntur : sic tamen ut horum auctores Acta ipsa consuluisse non videantur, utpote qui de primaria vitæ circumstantia, nempe de stupri accusatione, secutaque durissima pœnitentia, nec verbo meminerint. Equilino Episcopo debetur exactior rei narratio, ex quo demum Grevenus annuntiationem suam, paulo melius conceptam accepit hoc die* XVII *Julii.* Item secundum Catalogum Sanctorum hic, sanctæ Marinæ virginis. Quæ, mutato habitu, monasterium virorum ingressa, de crimine fornicationis falso accusata, patientissime tulit, pœnitentiamque egit acsi rea criminis fuisset ; cujus sacrum corpus, anno Domini MCXIII Venetias translatum, debito cum honore servatur.

in quibus magna confusio.

7 *Ex his manifeste patent quæ hoc paragrapho explicanda susceperam ; coli nimirum apud Græcos et Latinos* Marinam *virginem, ast ita ut de vero ejus natali die seu vera festivitate non constet ; imo neque translationis dies servatus sit. Etenim historia translationis Venetias factæ, diserte asserit die* I *Septembris sacrum corpus allatum fuisse, ut recte notavit Saussayus in Supplemento* F *pag.* 1163 : *cur vero istius rei celebritas agatur* XVII *Julii, erit inferius dicendi locus. Interim apud Gallos festiva remansit dies* XVIII *Junii, teste Castellano, mox referendo, quidquid ipsam hoc die signaverit Saussayus his verbis :* Eadem die, beatæ Marinæ virginis, cujus pignoribus dudum decorata Augusta Parisiorum Lutetia antiquam habet sub ejus patrocinio (cui episcopalis familia addicta est) ecclesiam parœcialem. *Alium denique diem reperit laudatus Castellanus cui Sanctam adscriberet, nempe* IV *Decembris, ubi eam memorat :* Eodem die, sanctæ Marinæ, quæ sexum simulaverat, cultæ XVIII Junii Parisiis in ecclesia sui nominis. *Hactenus de S. Marinæ cultu in genere, uti loquimur, nunc nodus restat difficillime solubilis, quæ demum ea* Marina *sit, cui is cultus defertur, cuique convenienter aptanda sit mirabilis illa stupendaque inter Vitas Patrum historia.*

§ II. Plures

AUCTORE J. B. S.

§ II. Plures Virgines sub nomine Marinæ distinguendæ.

Multa erudite disquirit Rosweydus.

Heribertus Rosweydus, *ex cujus Patrum Vitis* Marinæ *alicujus Acta inferius subjiciemus, notationem suam, quantumvis eruditam et accuratam, ita adornavit, ut facile ostenderet, viam non patere qua ex tot tricis ambagibusque feliciter emergeret, tametsi tres dumtaxat* Marinas *ibi agnoverit. Ipsum primo loquentem audiamus :* Tres Marinas in tabulis ecclesiasticis invenio, Alexandrinam, Antiochenam, Hispanam, sed valde inter se confusas, ut difficile statuere sit, an duæ tantum, an tres fuerint. Videamus de singulis, et eas inter se comparemus, collatis auctoribus. Marinæ nostræ quæ Alexandrina est, memoria certo die consecrata invenitur in Menæis XII Februarii, ubi Maria primo, deinde mutato habitu Marinus dicitur. Nulla ejus in Menologio mentio, sed alterius Marinæ virginis et B martyris XVII Julii, quæ Latinis Margareta dicitur. *De Hispana, quam Gallæciensem volunt fuisse, cujusque monumenta eam antiquitatem non sapiunt, quæ ad indubitatam historiam requiruntur, hic nulla nobis controversia, utpote de qua seorsim agitur die sequenti; in Oriente tota vertitur ambigua quæstio, in qua orbis parte verosimillime nata, educata et instituta videtur ea, qua de disputamus, parthenomonachus, seu monachoparthenia.*

non recte statuens hodiernam Alexandrinam esse :

9 Marinam *suam unde Alexandrinam fecerit Rosweydus, fateor me necdum satis perspicere, nisi putarit et ipse cum Baronio virginem hanc cum ea martyre confundendam, quam certum est ad* XVIII *Junii ab Usuardo consignatam, ut ibi in observationibus explicuimus. Aliam prorsus esse* Marinam *nostram, nec martyrii laureola donandam, persuasissimum habeo : Alexandriæ porro aut in Ægypto vixisse, aut monachum egisse, supposuere potius quam probarint laudati Baronius et Rosweydus, ille hoc potissimum argumento, quod eamdem cum Usuardina esse contendat; quod si verum est, jam non una sed plures* Marinæ *orientales admittendæ erunt, quibus eadem prorsus* C *Legenda aptabitur. Id priusquam demonstrare aggredior, recensenda sunt sequentia Rosweydi verba :* Apud Latinos vereor ut certi quid statui possit : nam valde variant tam vetusta quam recentiora Martyrologia quoad diem, quoad locum, quoad martyrii lauream, ut hæc nostra Marina, quæ virgo tantum fuit, videatur cum alia aliqua, quæ et virgo et martyr fuit, ex nominis affinitate confusa. Cujus varietatis et confusionis occasionem inde ortam existimo, quod S. Margareta, virgo et martyr Antiochena, a Græcis Marina dicta sit. Inde Beda, Rabanus et Notkerus, qui Marinam martyrem habent XVIII Junii, apud Antiochiam sub Olybrio præfecto, eamdem eodem loco Margaretæ nomine habent XIII Julii, et quidem Rabanus et Notkerus ibi eumdem quoque præfectum Olybrium exprimunt, Romanum autem Martyrologium Margaretam habet XX Julii.

et quæ aut qualis sit, non satis liquet.

10 *Rectissime observat Rosweydus Rabani, Notkeri et Bedæ suppostitii, seu potius interpolati Adonis confusionem in Latina Martyrologia intrusam, in quibus ante Rabanum nec* Marina *nec* Margareta *Antiochena, umquam nota fuit, neque scio unde hæc ab ipso accersita fuerit, prioris* D *Acti eidem applicatis : neque* Marina *alia præter solam Usuardinam in Romano Martyrologio signata esset, nisi Baronius Hispanam die sequenti, et hoc die alterius istius translationem, ut ipse putavit, inseruisset. Quæ subdit Rosweydus de vitiato per Molanum Usuardo, aliisque mutationibus ab eo inductis, alibi examinanda erunt, resque tota, dum de sancta Margarita agetur* XX *hujus mensis ad incudem revocanda.* Nondum igitur, *inquit iterum Rosweydus :* Marinæ nostræ festum diem, excussis quatuor vetustis Martyrologii scriptoribus, certum apud Latinos habemus, imo ne quidem ejus memoriam, *quod toto paragrapho præcedenti paulo fusius docuimus, Usuardina auctaria adducentes, quorum ea sola rem propius attigisse videntur, quibus præluxit Equilini Sanctorum Catalogus, ut frustra vetustos Martyrologii scriptores excusserit Rosweydus in quibus Andromorpha nostra consignata esset. Nam ad* Marinas *quod attinet, sive in Hieronymianis alibi relatas, eas a nostra diversissimas esse, pro comperto habemus.* E

Notata a Baronio translatio rem non explicat.

11 *Restat igitur, quod dicebam, solam hodiernæ* Marinæ *translationem Baronio acceptam referri, sicque hodie Venetiis Sanctam celebrari, quamquam ipse aliam prorsus viam iniverit, ita in notis ad* XVIII *Junii scribens, ut dubium non sit, quin hodiernam cum Alexandrina Usuardi confuderit. Sic diserte notat :* De ea et Ado hac die, qui martyrem eam dicit, cui tamen vetusta manuscripta contradicunt. Hæc etenim illa est, quæ virili habitu monasticam exercuit disciplinam, Marinusque nomine dicta est, cujus res præclare gestæ narrantur in Vitis Patrum parte 1, cap. 144. Petrus in Catalogo lib. 6, cap. 108, ex quibus et alii accepere. *Hactenus verba Baronii, quibus subscribere vetat, quod supra dixi, nec verum Adonem, nec ullum omnino classicum Martyrologum de* Marina *illa Andromorpha umquam cogitasse : Rabanum porro ejusque sequaces lusisse in nomine* Marinæ *Antiochenæ, unde recentiorum confusiones exortas novimus, ut in Prætermissis hoc die etiam notavimus, cetera ad* XX *Julii addituri. Hæremus itaque, ut iterum dicam, in sola* S. Marinæ *translatione, hoc die a Baronio signata, cum ea incertitudine, ut quæ aut cujus fuerit ista* Marina, *ubi vitam monasticam et quo tempore egerit, satis certo explorari hactenus nequeat. Atque hic obscuram silvam ingredimur e qua non facile erit feliciter eluctari.* F

Alia miscent Maurolycus et Galesinius :

12 *Crescunt ambages et amfractus ex recentioribus Martyrologis, quos inter Maurolycus ita scribit hoc die :* In Achaia, sanctæ Marinæ virginis, quæ sub virili habitu monachum repræsentans, cum infamiam, a se alienam, filium accusatricis feminæ, quasi a se compressæ, diligenter nutriens, et vix tandem reconciliata, omne servitium, sibi ab abbate impositum, patientissime sustinuisset, post obitum cognita, unicum et inauditum inter monachos conversationis reliquit exemplum; cujus corpus anno salutis MCCXIII Venetias transvectum est. *Paria sunt quæ tradit Felicius, eumdem translationis annum perperam notans, addensque* diem I Septembris sub Jacobo Theopolo. *Ne vero unicum exemplum putes feminæ monachum indutæ, Theodoram Alexandrinam subjungit, haud dubie ex Equilino acceptam. Aliter plane loquitur Galesinius, sic* Marinam *annuntians :*

A *nuntians:* In Achaia, S. Marinæ virginis, quæ divinis virtutibus decorata, et clara miraculis abiit ad Dominum. *Achaiam a prioribus mutuatus est, verum in notis longe deflectit.* De qua, *inquit*, Græci in Horologio et in Menologio. Sunt qui putent, hanc alio nomine Margaritam appellari, cujus dies natalis agitur XIII Kalendas Augusti. *Nova hæc confusio proprio Galesinio: qui enim somniavit umquam*, Marinam *istam seu* Margaritam *in Achaia passam fuisse?*

[illegible] *Sicula* [illegible]

13 *His si addideris quæ noster Octavius Cajetanus in Martyrologio Siculo hoc die scribit:* In oppido Scanio, S. Marinæ virginis, *ejusdem historiam inter Vitas Sanctorum Siculorum fuse describens tomo* II, *a pag.* 109; *si hæc, inquam, tot aliis* Marinis *superius descriptis addideris, nihil ad intricatissimam confusionem magnopere desiderabitur. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ* Marinæ *locum dedit in præmisso indice;* Marina virgo ex Achaia Venetiis XVII Julii. Corpus in propria ecclesia, *sic tamen ut inter istius dici Sanctos de ea non meminerit. In Catalogo generali primum annuntiat;* Antiochiæ Pisidiæ, sanctæ Marinæ virginis et martyris; B *in annotatis varia miscens, ex quibus quid velit, non continuo perspicias. Ultimo loco refertur Cajetani annuntiatio de* Marina *Sicula, ad quam fatetur, se ipsam ex Martyrologio Siculo totidem verbis accepisse*, licet *inquit*, Sicula non fuerit. Ea enim videtur quæ in Achaia, in cœnobio virorum sub virili habitu vixit, et de qua hoc die Martyrologium Romanum, ejus translationem Venetiis referens. *De* Marina *ista, ut vult Ferrarius, prætense Sicula, totaque ejus historia, quid censendum putemus, in hujus tractationis appendice paulo apertius declarabimus. Sensim adhuc accrescit oratio.*

[illegible] *scuntur*

14 *Ex dicendis sequenti paragrapho patebit, certiora, quæ Venetiis supersint, monumenta tradere,* Marinam *illam suam Venetias translatam esse ex Romania, seu ex suburbio Constantinopolitano, ad quod facillime ex Bithynia pervenire potuerit, qua in regione ea accidisse, quæ in mirabili Vita fusius describuntur, cum aliqua saltem verosimilitudine dici posse existimamus. Ast observandum, recentiorem ibi modo opinionem invalescere, quod* C Marina *sua ex monte Libano apportata sit, ubi nempe ipsa vivens famosum sanctæ Mariæ de Canobim cœnobium incoluerit. Ita traditum invenio in novissimo manuscripto Theodori alicujus Domadeni Belgæ, ex quo alia paulo inferius subjicientur, de quibus, tamquam oculato testi, fides haberi potest. Quæ autem de adventu* S. Marinæ *ex Canobim memorat, haud dubie acceperit ex Quaresmio, brevi conveniendo. Ceterum recenset Domadenus* Marinas *antiquas, de quibus solis hic agitur, numero quinque; Antiochenam nimirum, Alexandrinam, Hispanam, Romanam, et Syro-Phœniciam; quibus si Bithynicam adjunxeris, Achaicam deinde et Siculam, octonarius numerus adæquate complebitur. Verum de Antiochena et Hispana jam satis dictum est. Romanam equidem non novi, præter eam quæ in majori classe ponitur in Actis ad* II *Junii; ut solæ quinque supersint, de quibus quæritur utra Venetias translata fuerit.*

[illegible] *my*[illegible] *andromorpha* [illegible] *choreus.*

15 *Id primum a Baronio et Rosweydo dari postulamus, non in Ægypto monachi vitam professam fuisse* S. Marinam *andromorpham, ne synonimarum numerus augeatur, atque adeo et difficultates, quibus se expedire prorsus fiat impossibile. In Actis certe a Rosweydo editis nec minimum occurrit vestigium, unde in patriæ, aut ætatis notitiam ullo modo deveniatur. Vita Eugenii et* Mariæ *seu* Marinæ, *ut a Surio ex Metaphraste seu Lipomano edita est ad* VIII *Februarii*, Bithyniam *diserte exprimit, id quod Equilinus inde accepisse videtur. Neque displicet ea regio, quod Constantinopoli vicinior sit, unde sacrum corpus Venetias delatum esse, tradunt monumenta Veneta, ex quibus ad Baronium certo pervenit ea, quam hic versamus, translationis memoria, de qua pluribus paragrapho sequenti. Tillemontius dum tomo* XVI *Comment. ecclesiasticorum* Marinam *nostram cum Theodora connectit, haud multum abhorrere videtur ab ea Ægypto tribuenda, quamvis et ibi dubiis et scrupulis, maxime in definienda ejus ætate merito laboret. Mirandum prorsus, biographum, quisquis is fuerit, tam studiose reticuisse adjuncta omnia e quibus certior saltem aliqua de patria aut ætate notitia haberi potuisset. Ut verbo dicam, si Alexandrina aut Ægyptia aliqua* Marina *umquam exstitit, non ea dici potest, quæ Venetiis colitur, si vera est translationis ejus historia; cui certe opponi nequeunt recentiores illi qui ex Achaia Sanctam translatam aiunt;* E *nullo fundamento id asserentes; ut jam taceam, eos in pluribus aliis aberrare. Nec difficilius erit Sicula nos expedire, ad Syrophœniciam modo accedimus.*

contra quam recentius traditum sit.

16 *Itinerarium Syriæ ac montis Libani a biennio Parisiis, auctore D. de la Roque vulgatum, describit celebre inibi cœnobium, Canobim dictum, ubi usque hodie locus ostenditur, in quo innocens Virgo alterius peccatum austera pœnitentia eluisse dicitur. At præstat Quaresmii, scriptoris paulo vetustioris verbis rem hic proponere, ut apud ipsum exstat tomo* II, *lib.* VII, *cap.* IV, *pag.* 890. Extra monasterium ante januam est cella vel sacellum, ubi Patriarchæ sepeliuntur. Et esse fertur locus ubi sancta illa pœnitens et virgo Marina in habitu monachi, a filia bubulci infamata, quod ex ea ex stupro filium genuisset, pœnitentiam egit; et post felicem ejus transitum, calumnia impudicæ mulieris, et castæ eximia virtus detecta est, atque ipsa honorifice tumulata. Ejus res gestas, mirandam ejus humilitatem, in tolerandis persecutionibus et laboribus constantiam et patientiam habes in Vitis Patrum lib. I. Illius corpus Venetias F translatum fuit, ut dicitur in Romano Martyrologio XVII Julii, et ab aliis scriptoribus. Villa ubi filia illa bubulci, ab alio corrupta, detraxit honori S. Marinæ, Torza nominatur, semper miserabilis et egena; crediturque id esse ob scelus in sanctam virginem Marinam perpetratum: distat a Canobim sex circiter milliaribus.

in monte Libano vixisse.

17 *Narratam hic a Quaresmio historiam equidem non admiserim, nec capio qua confidentia ausit asserere, Sanctæ hujus* Marinæ *corpus Venetias translatum fuisse, cujus rei nec vestigium reperire potuit in Canobinensi cœnobio. Adde quod perperam citetur Romanum Martyrologium, ubi Baronius Alexandrinam* Marinam *Venetias translatam contendit. Filia bubulci non magis recte adducitur, ut Quaresmium hic tantillum dormitasse oporteat. Forte magis apposite refertur locus* Torza, *siquidem mari vicinus sit. Ast alia auctoritate opus est, ut suaderi possit,* Marinam, *quæ Venetiis colitur, ex monte Libano eo adductam fuisse. Quod si quis talem afferre posset, summam a nobis iniret gratiam, magnisque nos molestiis* eximeret

AUCTORE J. B. S.

eximeret. Forte alia ibi pœnitens latuerit, quæ cum Reparata seu Margarita (Pelagius dicta) confundi possit; de qua re ad calcem Actorum nostrorum ex Ms. aliqua, atque ex Equilino subjungemus. Sepositis hoc pacto Marinis *quatuor, Alexandrina, Achaica, Syrophœnicia et Sicula (de qua pluribus alibi semitam nobis aperire conamur, qua ex implexis tricis emergamus, dum sola superest* Marina *Bithynica, qua in regione monachorum plura olim fuisse cœnobia satis constat; unde Sancta Constantinopolim aut ad ejus civitatis suburbium, tum vero Venetias sæculo* XIII *facile translata fuerit, ut jam disquisitum imus.*

§ III. S. Marinæ patria, ætas, institutum, translatio et cultus Venetiis.

Bithynica fuisse videtur, floruisseque sæculo VIII,

S*anctæ patriam ceteraque adjuncta tam studiose a primo Vitæ scriptore silentio involuta diximus, ut vix conjecturæ locus detur. Metaphrasti amplificatori in eo fides haberi potest, quod verisimiliter non ultra sesquiseculum* Marina *ætate posterior, patriam ejus non ignoraverit, ut proinde credere ipsi vere possimus, Sanctam nostram origine fuisse Bithynicam;* In illo tempore erat vir quidam in Bithynia, nomine Eugenius. *Obscurior quæstio est de tempore quo vixerit, id quod nec ex Vita Metaphrastica colligi certo posse, candide fatemur. Ex ultimis prioris Vitæ verbis rimam sibi aliquam reperisse nonnulli existimant, per quam conjiciant, Sanctæ ætatem sæculo* VIII *illigandam, ut non desint, qui rotunde signent annum* 740. *Verba Actorum sunt:* Audientes autem qui erant in ipso emporio, et vicina monasteria, mirabilia quæ facta fuerant, accipientes cruces et cereos, cum hymnis et canticis et psalmis, benedicentes Deum venerunt in eodem monasterio, et oratorium ingressi, ubi corpus requiescebat, benedixerunt Deum: ubi usque modo Christus orationibus sanctæ Virginis multa facit mirabilia, ad laudem nominis sui. *Ex tam expressis Anonymi formulis deducere se posse arbitrantur, ipsum non toto sæculo post* S. Marinæ *obitum vixisse, acsi ea narraret, quæ ab iis, qui mirabilibus istis interfuerant, omnia accepisset; ut proinde ad finem sæculi octavi, aut noni principium tempora ejus revocent.*

quod ex Actis utcumque educitur.

19 *Id equidem ex hujusmodi conjectura pro certo non ausim asserere, at ne nihil in tenebris hisce dicamus, supponere saltem tantisper nec inverisimiliter liceat, scriptorem istum primum, incerti nominis, sæculo octavo exeunte juniorem non esse, ut eorum quæ scripsit, non dubiam notitiam habuerit, quod recitatis jam verbis insinuare videtur. Ipsum secutus postmodum Metaphrastes ad sæculum decimum spectat, isque vetustiorem Vitam interpolasse creditur, quemadmodum in Surio exstat ad* VIII *Februarii, ubi* S. Marina *cum parente item Sancto, nomine Eugenio, conjungitur. Ætatem itaque* Marinæ *hoc ferme pacto colligunt, ut si Anonymus sua composuerit quinquaginta aut paulo amplius post ejus obitum annis, Metaphrastes autem, qui certissime sæculo* X *vixit, ea amplificaverit, censeri possit, sæculo* VIII *Sanctam floruisse. Ita conjicere et supponere liceat, donec certius aliquid alicunde eruatur; nam quæ pro alia Sanctæ patria aut ætate recenter scripta legimus, ad divinationem potius quam ad verisimilitudinem accedunt. Quod hic objicere quis posset, sub iconomachis Imperatoribus multa passos esse monachos, non ita urgere videtur, quin plura in solitudinibus cœnobia ab ea persecutione immunia fuerint, Copronymo monachis Constantinopoli, aut in aliis civitatibus degentibus potissimum infesto. Hæc ita accipi cupimus, ut si certiora in medium adducantur, ea ultro et libentissime amplexuri simus.*

Quam regulam professa fuerit, nescitur.

20 *Sub monachi habitu latuisse sanctam Virginem, id vero, siquid in Vita certum est, ut indubitatum admitti oportet: sub qua regula aut institutione, Basiliana ea fuerit an alia, quærere prorsus fugio: nam citati superius Domadeni auctoritatem in hac parte ut nullam prorsus habeo, qui rotunde ausus est definire,* S. Marinam *habitu sancti Antonii, quem describit, ornatam fuisse, in monasterio S. Mariæ de Canobim, hoc est de Conventu, quod nempe* Canobim *Chaldaice* Conventum *significet. Claustrum porro ingressam anno ætatis quarto decimo, atque ante trigesimum quintum obiisse, et quidem sæculo sexto: quæ omnia pro arbitrio excogitata dixeris, æque ac illa quæ pro* Marina *sibi vendicanda, a nonnullis scriptoribus Carmelitanis, signanter a Manuele Ferreira Lusitano in libro de Sanctis Ordinis, Ulyssipone edito anno* 1645 *tradita sunt, de quibus hoc tempore disceptare non lubet, neque vero operæ pretium est: ceteris omnibus paulo prudentior Philippus a Visitatione, quem Visitantinum passim nominamus, in Kalendario Ordinis Carmelitani, ad nos olim, ad delectum faciendum misso, a signanda hoc die* S. Marina *melius abstinuit, quod hic verbo indicasse sufficiat.*

Ex suburbio Byzantino ablata,

21 *Securius aliquanto disserere licet de translatione Venetias facta, quam primus, ni fallor, Vitæ a se contractæ subjunxit Equilinus Episcopus lib.* VI, *cap.* CVIII, *at non sine manifesto errore chronologico; dum annum signat* 1113, *eum pessime connectens cum Jacobo Theupolo seu Theopolo Venetiarum duce, quem constat sæculo primum tertio decimo eam dignitatem consecutum. Ita narrat Equilinus:* Anno autem Domini MCXIII tempore Jacobi Teopoli ducis Venetorum, quidam Jacobus de Bora, parœcialis ecclesiæ, sanctæ Marinæ dictæ, Venetiis, devotus sanctæ Virginis, corpus ipsius de partibus Romaniæ sublatum, per navem Venetias direxit, et in ecclesia sua collocandum ordinavit: cujus meritis nautæ a maris tempestate liberati sunt. Sicque corpus sanctæ Virginis, Venetias delatum, in eadem ecclesia sepultum est Kalendis Septembris. *Hactenus Petrus de Natalibus, rei gestæ substantiam sic complexus, ut diligentiam suam desiderari passus sit in circumstantiis accuratius explicandis, quas potius involvere visus est, quemadmodum singula consideranti manifeste patebit.*

Venetias translata dicitur anno 1230.

22 *Ultro et lubens admitto,* ex partibus Romaniæ *acceptum sacrum corpus, at distinctius expressum oportuit, ex suburbio Byzantino, idque a dicto* Jacobo *(alias Joanne)* Bora *seu* Buora. *Admitto depositum fuisse idem corpus in ecclesia, non quæ tum* Marinæ *dicebatur (utpote SS. Alexio et Liberali dicata) sed quæ a Sancta postmodum denominationem obtinuit, peculiari veneratione a tota republica Veneta deinde culta, ea potissimum ratione quam mox subjiciam. Porro non anno illo* 1113, *qui in Baronium transiit, translationem, si sub Jacobo Theopolo seu Tepulo facta est, accidisse, ex Justiniani Veneta historia pag.* 36, *et Petro Marcello, de Principibus Venetiarum,*

A *tiarum, constat, ubi præfatus Theopolus in ducem primum electus dicitur anno 1228. Rem clarius explicat Cangius Constantinopolis Christianæ lib.* IV, *pag.* 150 *his verbis :* S. Marinæ etiam corpus, haud procul ab urbe asservatum, indeque Venetias translatum anno MCCXXX, scribit Andreas Dandulus in Chronico Ms., Extra urbem Constantinopolitanam Joannes de Bora, de quodam monasterio, pretio et precibus inductis custodibus, corpus B. Marinæ virginis, quæ in cœnobio monachorum accusata de adulterio pœnitentiam egit, abstulit, et in ecclesia S. Liberalis, nunc vocata ejus nomine, collocavit.

[illegible] temptum [illegible] die S. Marinæ di-[illegible]tur.

23 *Atque hoc præcipuum et expressissimum, pene dixerim unicum testimonium pro* sanctæ Marinæ *translatione ex vicinia Constantinopolis Venetias facta, quod inter scriptores, qui de hac urbe agunt, reperire potuerim, quodque aliena fide referre cogor, ex prædicto Andreæ Danduli Ms. Chronico, a multis eruditissimis viris sæpius laudato, at necdum, quod sciam, typis excuso. Ex Sansovino aliisque id parce et sicce habetur, quod ecclesia, quæ hodie* S. Marinæ *est, olim dicata fuerit sanctis* B *Alexio et Liberali : corpus autem* S. Marinæ *adductum esse Venetias Constantinopoli per Joannem Buora, qui illud a monachis Græcis acceperat. Hæc, inquam, sicce et parce, quæ luculentiorem explicatioremque narrationem mereri videbantur. Ceterum satis solida auctoritate nititur Danduli Chronicon, cum non toto sæculo ipsa translatione posterius sit ; nullum vero aliud documentum pro quacumque alia* Marina *noverimus, quod cum eo comparari possit. Circa ipsum ejusdem Sanctæ corpus, atque eam quæ ipsi a multo tempore hodieque Venetiis exhibetur, solennem venerationem, aliaque eo spectantia, lucis aliquid affundet citatum jam non semel Domadeni manuscriptum, quod inter schedas nostras inventum diximus. Verba ejus referam tametsi non satis ad limam exacta ac frigidis ad* Marinæ *nomen allusionibus interspersa.*

[illegible] Venetis hoc [illegible], [illegible] Palatium,

24 Dies obitus S. Marinæ apud Græcos prid. Idus Februarii, hoc est XII istius mensis, apud Latinos VIII die Februarii (ut sub die obitus observare licet) celebratur. Translationis annuus Venetiis solennitatis dies constitutus est XVII mensis Julii, quod eo die corpus processione et aliis solenniis cæremoniisque adhibitis, in ecclesiam tunc sancti Liberalis ep. mart. illatum fuerit, quamvis Kalend. Septembris anni præcedentis nempe MCCXXXIII (ut creditur, et alibi probavi) ex partibus Romaniæ Venetias translatum fuerit, sed more privato ; sed incondito ritu tantisper substiterit. Hunc etiam diem Card. Baronius in Martyrologio Romano XVII Julii posuit, eodemque die expressit : Venetiis, translatio S. Marinæ virginis. Ab illo tempore.... hæc S. Marinæ devotio singulis annis viguit, continuata, inclaruit vero et solenniori festivitate celebrata fuit a reducto ex Cameracensium confœderatorum principum potestate Patavio ; quod XVII die Julii, ipsa nempe translationis S. Marinæ luce contigit. Hinc serenissima respublica, in memoriam hujus famosæ reductionis, tantique divinitus, non sine intercessione Virginis, recepti beneficii gratiarum actionem, in perpetuum statuit, eo die S. Marinæ ecclesiam visitare et præsentia condecorare.

25 Quod etiam serenissimus princeps, toto stipante senatu, adjunctis clericorum et religiosorum precibus, ac scholarum votis, omniumque processionibus per annos singulos observarunt et etiamnum observant. Recipiuntur ad ecclesiæ limina benedictione aquæ lustralis, ab ipso plebano porrectæ, sacro intersunt, et singulari privilegio S. Marinæ manus, argenteæ inauratæ thecæ inclusa, serenissimo Duci, pontificio, regum principumque legatis, si adsint, deosculanda et veneranda exhibetur. Confluit eo die ad ædem tota Venetiarum civitas, quod non mirandum, quia Marina est, adeoque Marina Marinam salutare cupit : confluunt Græci, Armeni, Syri, aliique Asiatici populi ; nec hoc stupendum, quia Virgo transmarina est : Marina vel transmarina, semper omnibus Marina manet, semper omnibus benefica. *Frigida hæc esse diximus : neque magis sapiunt, quæ contra relatam receptamque Venetiis historiam, subinde miscet de Marina Syrophœnicia, ejusque habitu Antoniano, de martyrio quod Sanctæ perperam tribuunt Græcanici aliquot versiculi, non magnæ frugis, thecæ reliquiariæ supradictæ adscripti, aliisque id genus non majoris momenti, quæ prætereunda censuimus ; ut de præsenti sacri corporis statu paulo saniora ex ipso adjungamus.* E

AUCTORE J. B. S. singulari solennitate celebrata.

26 Statum igitur, *inquit,* quo sacrum corpus hodie subsistit, et in quo conspicitur, explicare desideravi, partim ut magnalia Dei enarrarem, partim ut S. Marinæ singularem prærogativam annuntiarem. Ut huic desiderio meo facerem satis, aliisque vera edicere possem, petii, sacrum corpus propius intueri, et exactius examinare. Obtenta gratia, cum veneratione accessi, et sindone involutum vidi, ea nimirum, ut creditur, qua huc allatum fuit. Inde, explicata sindone, ipsum caput consideravi, quod carne spoliatum est ; a collo vero reliqua corporis membra, carne et pelle vestita, admirando prodigio conspiciuntur. Ad cervicem caro, ad latus versus jugulum caro, cartilagines ac nervi per partes ossibus adhærent. Ab humeris scapulæ et interscapilium, usque ad dorsum inferius, non nisi carnem pelle tectam exhibent. Ipse thorax et pectus illæsa sunt ; hinc credendum est, quod viscera et intestina omnia adhuc contineant. Brachia cooperta carne apparent, dexteri tamen pars F a cubitu usque ad manum turgida et quasi inflata videtur. Dextera manus brachio juncta manet, carne, pelle et unguibus insignis : sinistra a corpore separata est ; separationis violentæ indicia in supereminentibus nervis et tendinibus, carni hinc inde coagulatis admirantur. Coxendices ac femora tanta carne repleta sunt, ut humida juxta ac rotunda videantur. Inde genua ac poplites, tibiæ ac suræ, ipsa quoque suffrago et planta pedum cum talis et calcaneis, cum digitis et hallluce, a corruptione illæsa sunt. Hinc pellis colorem fulvum imitatur, et tenaciter carni adhæret : sed quod omnem admirationem superat, in pluribus locis sese mollem et tractabilem præbet.

Hodiernus sacri corporis status ;

27 Hic status corporis prærogativam exhibet eximiæ castitatis. Nunc ad manus a corpore separatæ explicationem pergo : est ea, ut supra dixi, sinistra, et, ut reliquum corpus, carne et pelle tecta, non tamen distenta per longum, sed pollice dempto (qui separatim ostenditur) ac quatuor digitis a secundo articulo

atque item ma[illegible] altare in quo requie[illegible].

AUCTORE J. B. S.

articulo reflexis, thecæ argenteæ inauratæ inclusa, *de qua superius dictum est. Nil restat, nisi ut altare ipsum quod* S. Marinæ *dedicatum est, et in quo sacrum ejus corpus requiescit, ex ipso etiam Domadeno paucis describamus.* Machina, *inquit,* magna est ex Istrio, Pario, Porphyretico, Lacedemonio viridi ac Tiberiaco marmore versicolore erecta, ac speciosis coruscorum et muscosorum lapidum segmentis conspicua, cujus medium occupat S. Marinæ statua major (infantulo ad latus adstante) ex alabastro efformata. Ad utrumque latus aliæ duæ statuæ sanctarum Mariæ Magdalenæ et Catharinæ virginis et martyris ex alabastro; ejusdem magnitudinis cum priori, inferiori tamen loco positæ admirantur, ac earum sculptor Laurentius Breguo laudatur. *Ex descripto sacri corporis hodierno statu, plane colligere est, nullas istius* S. Marinæ *reliquias toto reliquo orbe Catholico reperibiles esse; cum vero plures exstare dicantur, cujus ex sint, quærendum superest.*

B

§ IV. Reliquiæ sub S. Marinæ nomine alibi honoratæ, et Acta.

Marinam aliquam, et quidem hanc ipsam,

H*æc disquisitio primum ac potissimum versatur circa sanctæ alicujus* Marinæ *corpus, quod nescio unde aut a quo tempore Papiam seu Ticinum pervenerit; ubi antiqua traditione sumitur pro corpore ipsiusmet* Marinæ, *quam hic recolimus, cuique tota eadem historia tribuitur, brevius apud Jacobum Guallam in Papiensi Sanctuario, sed multo fusius in* Compendio seu Legendario sanctorum diversorum *Papiensium,* præcipue illorum quorum corpora in ecclesia monasterii S. Felicis requiescunt. Quod reverenda præsul ejusdem monasterii ob devotionem ac ad utilitatem fidelium, a codicibus jam caducis ex nimia vetustate, jussit extrahi, et imprimi fecit, expensis ipsius monasterii Ordinis sancti Benedicti de observantia, ut devoti ac Sanctorum zelatores pro nostris omnibusque excessibus exorent Deum Patrem, cui est honor in secula seculorum. Amen. Impressum Papiæ per magistrum Bernardinum de Baraldis anno a partu virgineo MDXXIII, die vero XV Aprilis. *Libri titulus est:* Ut Christi milites sua elucide præfulgent gesta, hoc diversorum Sanctorum compendium est impressum, ad laudem æterni Dei et immaculatæ Virginis, sancti Felicis, ac divi Georgii atque aliorum qui inferius patent. *Sequuntur legendæ Sanctorum duorum et viginti, quorum agmen ducit S. Syrus inclytus Papiensium patronus.*

C

apud se depositam existimant Papienses:

29 *De ipsa Vita, ut in hoc opusculo edita est, loquemur paulo post; hic præcipue observandum, quod jam dicebam, Papienses seu Ticinenses in ea opinione persistere, quod sacrum* S. Marinæ *corpus apud se depositum sit, ut ex his terminis colligi datur:* Si scire cupis lector Sanctorum corpora quæ requiescunt in suprascripto monasterio, signata sunt per alphabetum. *In prima autem libelli pagina ad* Legendam S. Marinæ *signatur littera* A, *ut minime dubium sit quin dictum S. Felicis monasterium, sacrum ejus dem Sanctæ corpus se possidere existimet. Gualla vero de ipsa agens lib.* V, *cap.* XVII *idem manifestissime ostendit, utpote qui in Sanctuarii sui titulo testetur sese agere* de Sanctorum tum Papiæ episcoporum, tum aliorum, quorum corpora ibi quiescunt. *En spinosam controversiam de numero earum, a quibus dirimendis quantum abhorream, pridem et aperte professus sum. Eamdem unam Sanctam duobus locis depositam non esse, sole meridiano clarius patescit; quo ex loco et quo sæculo sacras exuvias obtinuerint Papienses, ipsorum est demonstrare; at cujuscumque eæ fuerint (quid enim vetat synonymam aliquam eo translatam fuisse?) id verosimillimum est, eam dici non posse, de qua hic agimus. Asserit Legenda Papiensis, suam, quam etiam martyrem, labori opinor acceptione, appellat, obiisse* VI *Idus Aprilis.* D

nec dissimilem offerunt Picentini.

30 *Quid quod et aliam* S. Marinam *nobis offerant Picentini, cujus corpus et ipsi se possidere arbitrantur, de origine, ætate, vita aut gestis penitus ignari: ita ad nos Laureto non ita pridem scriptum est:* In Marchia Anconitana et agro civitatis Tolentinæ est abbatia, titulo S. Mariæ de Flastris, Ordinis olim Cisterciensis, nunc PP. Societatis Jesu. In hac abbatia est templum S. Mariæ Clarævallis, de Flastra dictum, et in templo est sacellum divæ Marinæ dicatum, cujus corpus hic servari vetustissima hominum memoria creditur, sed qua parte, quove loco sit, penitus ignoratur. *Ara istic* S. Marinæ *erecta, ac præterea immemorabilis de sacri corporis existentia traditio id saltem videtur evincere, notabiles aliquas Sanctæ reliquias ibi aliquando venerationi expositas, de quibus hodie nihil supersit. Unde allatæ fuerint, quis satis divinaverit? Certe Spoleto acceptas, credibile non est, tum quia corpus beatæ istius* Marinæ, *anno primum* 1548 *translatum, integrum et incorruptum adhuc fuit, atque etiam nunc est; tum quia ipsa Ordinem canonicorum Lateranensium professa, ad Cistercienses, qui abbatiam S. Mariæ de Flastris tunc possidebant, et* S. Marinæ *sacellum ibi ædificarunt, nihil attinebat. Vide quæ de beata ista* Marina *Spoletana dicta sunt in Actis nostris ad* XVIII *Junii.* E

Reliquiæ S. Marinæ Parisiis honorari cœperunt.

31 *Ut ex Italia egrediamur, primum occurrit solennis cultus qui* S. Marinæ *exhibetur in ipsa totius Galliæ metropoli, ubi et templum ei dicatum ferunt jam ante annum* 1228, *quemadmodum docet Breulius in Antiquitatibus suis Parisiensibus a pag.* 88. *Hinc credibile est, sua accepisse Saussayum qui supra tam rotunde testatus est sacris* S. Marinæ pignoribus dudum decoratam *fuisse* Augustam Parisiorum Lutetiam; *ejusdem nimirum Sanctæ, quæ sub virili habitu criminis diuturnas pœnas tacita volensque subiit; ut ejus reliquias eo transiisse oporteat, priusquam corpus Constantinopoli Venetias deportatum fuerit, atque adeo* Marinam *aliam ibi invenire necesse sit, de qua tantumdem certo definire poteris atque de Papiensi et Flastrensi, quibus fortasse et alia accedet in ecclesia collegiata Excoveriensi diœcesis Rothomagensis. Sed Parisiensi nos primum expediamus. Vitæ compendium præmittit Breulius, ejus ortum et vitam monasticam in Thracia collocans; ut vix dubites, quin scriptor iste* Marinam *suam confuderit cum ea quam Venetiis coli, nostramque esse supponimus. Nonnullas explicat ecclesiæ istius Parisiensis prærogativas quæ huc minime pertinent: id nobis certum videtur, Parisienses* S. Marinæ, *siquæ exstiterunt, reliquias, Venetiis afferri non potuisse.* F

32 Ut

... us aut ... acceptæ

32 *Ut jam mittam, corpus integrum Venetiis hodiedum superesse, res plane ex ipso Breulio conficitur, qui templum exstitisse et* S. Marinæ *dicatum fuisse demonstrat ante annum* 1228, *quo corpus Sanctæ Venetias necdum pervenerat. En instrumentum quod ab ipso refertur pag.* 90 : Guillelmus Dei gratia Parisiensis episcopus etc. Noverit universitas vestra, quod cum controversia esset inter venerabiles viros decanum et capitulum Parisiensis ecclesiæ, ex una parte, et Anselmum presbyterum sanctæ Marinæ ex altera, super duodecim denariis annui reddilus, quos petebat nomine ecclesiæ suæ, pro domo sita juxta ecclesiam suam, quæ fuit defuncti Maspini; tandem amicabilis compositio inter dictos decanum et capitulum et dictum presbyterum intercessit, in hunc modum. Quod ipse pro se et ecclesia sua, de assensu et voluntate nostra, quitavit præfatis decano et capitulo penitus dictam querellam; et illi pro bono pacis, assignaverunt ei et successoribus suis 12 denarios singulis annis persolvendos de camera sua infra octavas beati Joannis Baptistæ. In cujus rei te-

B stimonium etc. Actum anno Domini MCCXXVIII. *Ex non dubia instrumenti hujus fide* S. Marinam *sæculo* XIII *Parisiis celebrem agnoscimus, ast ei recte aptata Acta nostra, asserere non audemus.*

Item quæritur ... ...s.

33 *Ecquis vero nobis edisseret quæ sit ea* Marina *cujus notitiam Papebrochio primum suggessit R. P. Josephus Ignatius a S. Antonio Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, epistola data* XX *Junii* 1673 *cum instrumentis variis spectantibus ad ejusdem aut synonymæ Sanctæ reliquias quæ asservantur in sacello domus leprosorum dictæ de le Valle in suburbio Tornacensi, qua Insulas itur; ex quorum compendio patebit, sacra, nescio cujus* S. Marinæ, *notabilia lipsana exstare in ecclesia collegiata d'Escouvier, forte d'Escouy, diœcesis Rothomagensis, unde Tornacenses istæ obtentæ sint. Ita præfatur laudatus P. Josephus Ignatius :* In capella domus leprosorum, dictæ del Valle, in suburbio urbis Tornacensis, qua Insulas itur, fundatæ a Reverendissimo D. Gerardo ep. Tornacensi, anno Domini MCLIII, pars insignis reliquiarum S. Marinæ virginis asservatur, Marinæ nempe illius, ut pie credunt, quæ

C sub Marini monachi nomine, stupri accusata, criminis non commissi innocens virgo pœnitentiam egit. Data est illa sacra reliquia dictæ leprosorum capellæ a R. D. Potier eccl. metropol. Parisiensis presbytero, in gratiam sororis, quæ ibidem leprosis deserviebat, et alterius sororis suæ ibidem defunctæ. Dictus autem D. Potier dictam reliquiarum particulam accepit ex eccl collegiata D. N. Descouvier, in archiepiscopatu Rothomagensi, ut ex infrascriptis instrumentis (ex authenticis a me infra scripto descriptis) patet.

... Rothomagensi ...issis.

34 *Primum instrumentum est R. D. A. de Hincourt promotoris generalis, uti se appellat, archiepiscopi Rothomagensis, quo narrat, de mandato Illustrissimi sui archiepiscopi sese perrexisse ad ecclesiam collegiatam S. Mariæ Descouvier, ibique aperiri jussisse thecam in qua servantur reliquiæ corporis sanctæ* Marinæ *virginis, atque inde extraxisse partem ossis, duobus digitis longam et latam, quam Rothomagum ad eumdem archiepiscopum suum detulerit, jussus deinde eamdem ipsam partem dirigere ad R. D. Potier canonicum ecclesiæ S. Mariæ Parisiensis, ut traderetur ecclesiæ* S. Marinæ *ibidem, id quod se præstitisse testatur* VI *Aprilis* 1653, *quamquam ex ejus epistola constet, rem aliquamdiu dilatam, donec tandem Parisios destinata fuerit* I *Decembris ejusdem anni* 1653. *Sequitur deinde testimonium ipsius Rothomagensis Archiepiscopi Francisci, de prædictis reliquiis, eodem die* VI *Aprilis* 1653 *datum, atque ab ipso subscriptum. Tum epistola illa præfati D. de Hincourt qua easdem reliquias transmittit ad dictum D. canonicum Potier. Demum approbatio Illustrissimi episcopi Tornacensis, quam totam hic subjicio.*

atque ab Episcopo approbatis.

35 Franciscus Villani a Gandavo, Dei et Apostolicæ Sedis gratia episcopus Tornacensis, omnibus has visuris notum facimus et attestamur, quod nos oblatas nobis per D. ac M. N. Potier, ecclesiæ Metropolitanæ Parisiensis magnum Vicarium presbyterum, SANCTÆ MARINÆ VIRGINIS reliquias, et testimonia authentica illustrissimi ac reverendissimi domini archiepiscopi Rothomagensis; nec non promotoris generalis et canonici in eodem archiepiscopatu Rothomagensi his juncta, de eisdem fidem facientia, diligenter inspeximus et examinavimus : et quia nobis E sufficienter constitit de veritate earumdem; hinc est quod nos has reliquias supradictas, sigilli nostri appensione ex filo serico rubei coloris dependentis, muniri mandaverimus, ac pro veris reliquiis recognoverimus, et approbaverimus, pro ut per præsentes recognoscimus et approbamus, concedentes et decernentes quatinus publice in capella de le Valle, dictæ diœcesis populo venerandæ et debito afficiendæ honore proponi possint. In quorum fidem his subscripsimus ac sigilli nostri impressione fecimus communiri. Datum Tornaci in palatio nostro episcopali anno Domini MDCLXV. Franciscus episcopus Tornacensis.

Quid de iis omnibus censeri possit?

36 *Atque hic sistendum erit, ubi verbo indicavero, Rayssium in Hierogazophylacio Belgico, agentem de thesauro sacro Aquicinctino, notare pag.* 58, *exhiberi istic* caput gloriosæ Marinæ virginis : *Gelenium vero in suis admirandis sacris Coloniensibus, inter plures reginas, S. Ursulæ socias, etiam* Marinam *aliquam reperisse, quæ fuerit* regina de Mauritania, *cujus sacer vertex, cum aliarum septem capitibus reconditus sit in* F *ecclesia Corporis Christi Canonicorum regularium. Ast hæc* Marina *eas secum adfert distinctionis notas, ut de ea pluribus disputandum non sit. De ceteris quid sentiam, si me roges; quamquam synonymas* Marinas *plures exstare potuisse haud equidem diffitear, ne tamen absque solida et gravi causa multiplicentur, haud verebor tantisper suspicari,* Marinas *Papiensem atque Flastrensem ad Venetæ imitationem nomen accepisse, corpora vero seu reliquias facile Roma advectas, quemadmodum et aliæ istæ Rothomagenses, seu potius Escovérienses acceptæ fuerint, unde suas obtinuerit* S. Marinæ *Parisiensis ecclesia, cognita, opinor, ex celebrioris nominis fama, quam Crucesignati ex Oriente attulerint. De capite Aquicincti deposito idem sentiendum existimabo, donec certiora monumenta proferantur. De* Marina Sicula *conjecturam quoque quam potero verosimilem infra subjiciam. Superest Legenda, de qua paucula notasse sufficiat.*

Acta dantur sicut a Rosweydo edita sunt.

37 *Exstat ipsa inter Vitas Patrum a nostro Rosweydo vulgatas a pag.* 393, *quam ex ipso habet posthuma Surii editio anni* 1618, *quamque Ma-*

jores

AUCTORE J. B. S.

jores nostri cum tam variis exemplaribus Mss. contulerunt, ut si lectiones variantes hic velim colligere, vix periodum unam inventurus sim, in qua plures non occurrant, ex vero tales, quæ nec rei substantiam mutent, nec aliunde observari mereantur. Neque tantam mutationem induxit Metaphrastes, ut de cetero non conveniat vetustior anonymi scriptio cum ejus phrasi paulo longiori. Magis displicet Papiensis editio, de qua supra egimus, quod ceteris minus accurata, pandochium verterit in nomen proprium Pandotii et Pandocis, cujus filiam corrupisse Marina *accusata est, similiaque alia misceat, commiseratione potius quam crisi digna. Ne igitur in hisce atque id genus multis, apud Jacobum Januensem aliosque conferendis, inutilem ponamus operam, satius visum est, ipsam Rosweydi sinceram editionem hic describere, satis de se miram, ut aliis adminiculis, dicam an ambagibus involvenda intricandaque non sit.*

B

ACTA

Auctore incerto.

Ex Vitis Patrum a Rosweydo editis pag. 393.

Pater solicitus de salute filiæ Marinæ.

Erat quidam secularis habens unicam filiam parvulam. Ipse converti cupiens, commendavit eam cuidam parenti suo, et abiit ad monasterium, quod longe erat de civitate milliaria triginta duo. Et ingressus perficiebat omne opus quod erat monasterii, ita ut abbas ejus amplius eum quam ceteros, qui in monasterio erant, diligeret, eo quod fidelis esset et obediens. Contigit autem post aliquod tempus, ut recordaretur charitatis filiæ suæ, et cœpit contristari atque affligi intra se. Et cum per multos dies hoc faceret, vidit eum abbas ejus tribulantem, et dixit ei : Quid habes frater, quod sic tristis ambulas? Dic mihi, et Deus qui consolatur omnes, dabit tibi auxilium.

C

ut in monasterium virorum recipiatur, habitum ejus mutat, et Marinum vocat.

2 Tunc ille procidens cum lacrymis ad pedes ejus, dixit : Habeo unum filium in civitate quem reliqui parvulum, et recordatus, affligor propter eum. Et noluit indicare ei quod puella esset. Abbas vero ejus ignorans quod esset, et nolens eum amittere, quia necessarius erat monasterio, dicit ei : Si diligis eum, vade, et adduc eum huc, et sit tecum. Et abiens adduxit eam, dicebaturque Marina. Et mutavit ei nomen, et vocavit eam Marinum. Et dedit eam ad discendas litteras intra monasterium, et erat cum ea : nullusque agnovit de fratribus quod puella esset, sed vocabant eam omnes Marinum. Et dum esset annorum quatuordecim, cœpit eam docere pater suus viam Domini, et dicebat ei ; Vide, filia, ut nullus cognoscat mysterium tuum usque in finem tuum, et solicita sis ab insidiis diaboli, ne seducaris ab eo, et istud sanctum monasterium videatur per nos solvi, ut in conspectu Christi cum sanctis angelis ejus coronam, et non cum impiis æternam damnationem accipiamus. Et alia multa docebat eam per singulos dies de regno Dei.

Pater Marini moritur

3 Dum autem facta esset annorum decem et septem, defunctus est pater ejus. Remansit vero hæc sola in cella patris sui, et ipsa observavit se in omnibus doctrinis patris sui, et erat obediens omnibus in monasterio, ita ut ab abbate suo, et ab omnibus diligeretur. Habebat autem monasterium par boum et carrum, quia vicinum habebat mare, ubi erat emporium ad millia tria ; et ibant monachi, et afferebant quæ necessaria erant monasterio. Una vero die dicit abbas ejus : Frater Marine, quare et tu non vadis cum fratribus et adjuvas eos? Quæ respondit : Jussisti pater. Erat autem in ipso emporio pandochium *a*. Cœpit ergo frater Marinus frequenter pergere cum carro, et si faciebat tarde ad revertendum, manebat in ipso pandochio cum ceteris monachis.

Marinus fornicationis accusatur.

4 Contigit autem per insidias inimici, ut pandox ille haberet filiam virginem. Ad quam ingressus miles aliquis, concubuit cum ea, et concepit puella de illo milite. Et dum cognitum fuisset a parentibus ejus, cœperunt affligere puellam, dicentes : Dic nobis de quo concepisti? Respondit eis : De illo monacho, qui dicitur frater Marinus, qui hic frequenter cum carro mansit, ipse me oppressit, et concepi. Statim autem perrexerunt parentes ejus ad monasterium, et dicunt abbati : Ecce, domine abba, quid fecit monachus tuus Marinus? Quo modo decepit filiam nostram. Dicit eis abbas : Sinite, videamus si manifesta sunt quæ dicitis. Et veniente eo, dicit ei abbas ejus : Frater Marine, tu hoc scelus operatus es in filia eorum? Stans diutius cogitavit intra se, ingemiscens dixit : Peccavi pater, pœnitentiam ago huic peccato, ora pro me.

E

Peccatum quod non admisit, agnoscit quasi a se admissum. Ejicitur ex monasterio, et ad portam pœnitet.

5 Ad iracundiam autem commotus abbas, jussit eam contundi et affligi. Et ait : In veritate dico, quia tu qui hoc malum operatus es, non manebis in hoc monasterio. Et jactavit eam foras. Ipsa vero numquam ulli confessa est mysterium suum, sed abiens jactavit se ante fores monasterii, et jacebat super terram in pœnitentia, affligens se tamquam ipsa peccasset, et ab ingredientibus fratribus postulabat, ut vel una buccella panis ei daretur. Hoc faciens per tres annos, non recessit de monasterio. Pandochis vero filia peperit filium masculum, et ablactavit, et adduxit eum mater puellæ secum, et jactavit eum ibi ante monasterium, et dicit ei : Ecce frater Marine, quomodo nosti nutrica filium tuum. Et reliquit eum ibi, et abiit. Sancta virgo suscipiens, tamquam proprium filium, de ipsa buccella panis, quam accipiebat ab introeuntibus in monasterium, nutricabat filium alienum. Factum est hoc per alios duos annos.

Admittitur rursus in monasterio. Vilissima obit ministeria.

6 Postmodum autem videntes fratres, misericordia compuncti, ingressi ad abbatem rogare cœperunt ut eum reciperet in monasterium, dicentes : Abba, indulge et suscipe fratrem Marinum. Ecce quinque anni sunt, quod in pœnitentia ante januam monasterii jacet, et non recessit umquam hinc. Suscipe eum in pœnitentiam, sicut Dominus noster Jesus Christus præcepit. Vix autem coegerunt eum, et jussit eum ingredi, et vocavit eum ad se, et ait : Pater tuus fuit vir sanctus, quod tu nosti, et parvulum introduxit

EX VITIS PATRUM

A duxit te in hoc sanctum monasterium, et non est operatus quidquam mali, quod tu cogitasti, et fecisti: nec aliquis in hoc sancto monasterio. Nunc autem ingressus es cum filio tuo, quem de adulterio habes, unde oportet te pœnitere. Grave enim peccatum fecisti. Et hoc tibi jubeo, ut omnes munditias monasterii tu solus quotidie facias, et aquam ad necessaria purganda portes, et calcearium *b* omnibus per singulos dies tu perficias omnibusque servias: in hoc enim habebis meam gratiam. Sancta vero libenti animo suscipiens, omne opus quod ei jussum fuerat, perficiebat.

Moritur Marinus, et sexus cognoscitur. Affligit se abbas quod Marinam afflixisset.

7 Contigit autem eam intra paucos dies dormire in Domino. Euntes vero fratres, nuntiaverunt abbati dicentes: Frater Marinus defunctus est. Dicit eis abbas: Videte, fratres, quale peccatum fuit, ut nec meruerit pœnitentiam. Sed tamen ite lavate eum, et sepelite longe a monasterio: et euntes dum lavant eum, cognoverunt eum quia femina esset. Et cœperunt omnes emittere voces et tundentes se clamabant, quia talis B conversatio et patientia sancta inventa est in ea, cujus mysterium nullus agnovit, et sic ab eis afflicta fuisset. Et venientes cum lacrymis dicunt abbati: Abba, veni et vide fratrem Marinum. Dicit eis: Quid est hoc? Fratres dicunt iterum: Veni et vide mirabilia Dei, et vide quid de te agas. Ille territus perrexit, et venit ad corpus. Et levans pallium, unde coopertum erat, vidit quia mulier esset: et mox cecidit, et caput suum percutiebat in terram, et vociferabatur dicens: Conjuro te per Jesum Christum Dominum, ne me condemnes ante conspectum Dei eo quod afflixerim te, quia ignorans feci. Tu, domina, non dixisti mysterium tuum, et ego non cognovi in veritate sanctam conversationem tuam. Et jussit sanctum corpus ejus intra monasterium in oratorio reponi.

Puella a dæmone arrepta, apud corpus Marinæ liberatur. Miraculis sanctitas ejus comprobatur.

8 Eadem vero die puella illa arrepta a dæmonio, venit ad monasterium, et confitebatur crimen quod admiserat, et de quo conceepisset. Et in septima die repausationis ejus in Domino, ibi intra oratorium liberata est a dæmonio. Audientes autem qui erant in C ipso emporio, et vicina monasteria, mirabilia quæ facta fuerant, accipientes cruces et cereos, cum hymnis et canticis et psalmis, benedicentes Deum, venerunt in eodem monasterio, et oratorium ingressi, ubi corpus ejus requiescebat, benedixerunt Deum. Ubi usque modo Christus orationibus sanctæ Virginis multa facit mirabilia, ad laudem nominis sui. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Observat Rosweydus in editione Coloniensi legi* Pandocium, id est taberna. *In veteri autem, simili fortasse Papiensi, haberi,* homo manens, nomine Pandox. *Rectum est.* Pandochium πανδοχεῖον taberna: *sic* Pandox *tabernarius.*

b *Sic legi ait Rosweydus in editione Coloniensi; alibi* calcarium: *idque intelligi putat de ministerio aliorum calceos purgandi. In Ms. est, inquit,* Caldarium *vel* Caliclarium. *An igitur intelligendum ministerium caldam præparandi? Vel fratrum caliculos eluendi?*

APPENDIX I.

De Reparata seu Margarita, Pelagius dicta.

Hæc sponsum fugiens, monachum induta, parem calumniam passa est, ut de identitate ferme dubites.

B*inas hic appendices subtexo ob argumenti similitudinem, de duabus Virginibus, simulato etiam sexu, monachalem habitum indutis, de quarum cultu cum certi nihil habeam, non putavi aptiorem eis locum concedi posse, quam si* S. Marinæ *nostræ subjungerentur. Prioris Vitam tradit Petrus in Catalogo lib.* IX, *cap.* XXXVII *sub nomine* Margaritæ, *diverso tantillum stylo ab alia quam ex codice* XXII *Reginæ Sueciæ describi curavit Henschenius, ubi in principio* Reparata *dicitur, ast sub finem testatur ipsa se* Margaritam *in sæculo appellatam fuisse. Quis historiæ auctor, quæ ipsa, qualis, cujas fuerit, ubi et quando floruerit, ex Ms. nostro educi nequit: apud Equilinum indicatur Ægyptus, verum cetera æque obscura sunt.* E *Describitur* virgo pulcra, dives et nobilis, *quæ* adolescenti nobili in conjugium *tradita, dum* cuncta simul nobilitas ante thalamum jam paratum festa nuptiarum gaudia celebrarent, *ipsa,* Deo inspirante, consideravit damnum virginitatis, et media nocte, tonsis crinibus, in habitu virili clam fugit . . . . ad quoddam monasterium, et Pelagium se appellans . . . tam modeste et tam sancte se habuit, quod defuncto sanctimonialium provisore, licet invitus, monasterio virginum prælatus est. *Cum vero ostiaria in adulterium lapsa esset,* solus Pelagius, utpote præpositus et familiaris earum, sine judicio et examinatione, ab omnibus condemnatus et expulsus est.

2 Reclusus *autem* in quodam rupis spelæo, deputatum *habuit* severissimum monachorum, panem hordeaceum et aquam tenuissime ministrantem. *Quamdiu gravissima ista pœnitentia tenuerit, non exprimitur, sed eam patientissime tulit,* se per exempla Sanctorum confortans. Elapso *autem* tempore, finem suum adesse cognoscens, abbati et monachis per litteras F *omnia revelavit; et post mortem ad sanctimoniales relatus Pelagius,* a feminis femina et virgo intacta cognoscitur, et cunctis pœnitentiam agentibus, in monasterio virginum honorifice sepelitur. *Hæc omnia si debita fide nitantur, et non ab aliquo ex* S. Marinæ *Vita mutuata, et in aliam formam transposita sunt, alterum stupendi roboris in Virgine exemplum porrigunt, Mariniano haud multum inferius; ast ego* Reparatam *istam seu* Margaritam, Pelagium *dictum, nec in Fastis Græcis, nec in Latinis usquam inter Sanctos signatam invenio, ut ferme suspicari cogar, quod verbo alicubi notavit Papebrochius, eam cum* S. Marina *confundendam, nisi quis malit eam transcribere cœnobio Canobim montis Libani, ubi usque hodie locus ostendi dicitur, ubi duram pœnitentiam egerit. Doceat nos qui alia monumenta invenerit, ex quibus constet, Sanctis vere adscribendam: quæ et a Siculis postulamus, ut eorum* Marina Scaniensis, *tamquam ab aliis diversa, in eadem classe recenseatur.*

APPENDIX

AUCTOR J. B. S.

APPENDIX ALTERA.

De Marina Scaniensi in Sicilia.

Marina Sicula non magis placet :

H*æc ultima* Marina *est, quam quidem noverim, sed de cujus cultu æque atque de Reparatæ seu Margaritæ dubitare cogor, quod omnibus ecclesiasticis tabulis, tum antiquis tum recentioribus incognita fuerit, antequam Siculo Martyrologio eam ad hunc diem inseruit noster Octavius Cajetanus supra laudatus, Vitam bene longam producens, quam* Græce scriptam se habuisse memorat ex Mss. membranis monasterii S. Salvatoris prope Messanam, ex Ordine S. Basilii. *Non placet fons unde Acta prodiere, ex quo legere memini, Acta Sanctorum non satis sincera emanasse; certe ea quæ Cajetanus refert, ex aliis facile decerpta fuerint, notavitque jam pridem Ferrarius,* Marinam *illam qualemcumque, aut cum ea, quam supra illustravimus, confun-* B *dendam, aut nullam esse. Proprium Marinæ isti apud Siculos (siquidem ibi vere colatur) natalem non esse, satis probat mutuata e Romano Martyrologio hodierna festivitas, cum obitus diem plane ignoraverit quisquis Vitam istam seu potius panegyricam orationem concinnavit.* Marinæ *istius ætas sæculo* XI *innexa, totque adeo sæculis, usque ad Cajetanum incognita, non magnum adfert auctoritatis momentum: utut fatear ipsum de Sanctis Siculis immortaliter meritum, necdum inducor ut Sanctos novos ex ejus solius fide admittam.*

neque rem magnopere commendat

2 *Græcam orationem satis ornate in epitomen contraxit noster Franciscus Carrera, in Pantheo Siculo Genuæ edito* 1679, *de sermonis nitore magis quam de firmanda Actorum fide solicitus, ut ex ejus verbis facile est colligere. Sic habet hoc die :* Charitum penicillo depictum hæc puella vultum sortita, pudicitiæ ac sanctitatis reddidit simulacrum. Nam honestissima stirpe sata pieque enutrita, consentaneos Christi sponsæ ritus ac mores induit; eoque exarsit in divinum conjugem amoris incendio, ut Hierosolymitanæ peregrinationis obeundæ laborem, delicias suas, a puerita suspiraverit. Quo C potuit pio dolo mortales nuptias effugit. Somnio nuptialibus tedis inauspicato, parentem D primo suum, simulata deinde insania perterrefecit, ne filiæ connubium animo agitaret. Ultro admissa Marinæ fatuitas in ejusdem commendationem cessit; eamque laudavit distortum os cujusdam puellæ, ob inflictam a malo genio alapam, cum a Marina incolumitatem accepit. E detonsis interea crinibus textura cælesti sponso laqueos, in quodam secessu delituit. Nec irrita precum venatio fuit. Quæ virtutum omnium monilia petiit, impetravit. Nobilem hunc animi ornatum vis medica, divinitus parta, detexit, qua e corporibus alienis morbos statim omnes arceret: sed ut inanis gloriæ saluberrimum ipsa sibi faceret amuletum, in Palæstinam navigavit, viri ornatum ac Marini nomen induta.

encomii ejus elegantia.

3 In pelagus a nautis, vim auri ingentem penes illam esse ratis, projecta fuisset, ni primo aggressum nautam facinus invasisset tartareus carnifex, quem protinus Diva ad orcum relegavit. Syriæ Tripolim ubi perventum, a sanctissimo episcopo, rerum omnium, quæ Marinæ contingere debuerant, cælico- E lis monentibus præsago, comiter accipitur, ac valere tandem jussa, Christi tumulum ac Jordanem invisit. Triennium deinde in cœnobio quodam, demissis quibuscumque addicta ministeriis vixit. Post reditum in patriam, ad idem asceterium advolavit, ibique quinquennium morata, iterum ad natale solum, divinitus mente monita se recepit. Hic tot peregrinationibus pie peractis fessa, cælum ipsum suspiriis fatigavit, ut in nuptiarum cælestium amplexu quiesceret. At nec in cælo quietem habere visa; ad patriam tertio remigravit, sibique sacellum ibidem construi jussit. Quin tumulo adfuit suo, morbis iterum cladem illatura. Salutarem iis medelam lilii sui succo, si nescis, elaboravit. *Ego in hisce, ut semel dicam, primum præcipuumque desidero : de vero stabilique cultu* Marinæ *isti exhibito, prius me doceant Siculi, quam ipsam inter Sanctos collocari postulent. Satis fecisse hic videor, quod de ipsa hoc loco meminerim. Si ejus rei argumenta suppeditentur, cum de certo ejus obitus die non constet, poterunt Acta quolibet alio illustrari.* F

DE SANCTO FREDEGANDO ABBATE

TURNINI PROPE ANTVERPIAM.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Locus habitationis Sancti et cultus.

FORTE SÆC. VIII.

S. Fredegandus colitur Turnini,

T*urninum, quod ante Normannorum irruptionem munitum et non ignobile oppidum fuisse creditur, nunc pagus vernacule dictus* Deuren *vel* Deurne, *mediam circiter leucam Belgicam Antverpia distans annua festivitate etiamnum hodie* S. Fredegandum *tamquam apostolum suum et patronum solenniter veneratur : nam apud hujus loci incolas, variosque scriptores Belgas constans traditio est,* S. Fredegandum *Turnini religiosam vitam duxisse in monasterio Quercolodorensi, cujus quidem meminit Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib.* XX, *num.* 72 *ad annum Christi* 726, *sed locum hoc tempore ignotum esse existimat. Quidquid sit, ex codice Donationum piarum apud Miræum cap.* VI *constat, quod anno* 725 *vel* 726 *Rohingus et conjux ejus Bebelina tradiderint S. Willibrordo episcopo* ecclesiam, quæ constructa est infra castrum Antwerpis super fluvium Schalde, quam Dominus Amandus Pontifex in honore SS. Petri et Pauli apostolorum principum vel ceterorum Sanctorum construxit, et

A et dederint pro ipsa ecclesia . . . venerabili viro Firmino abbati de monasterio Quorcolodora locellum . . . . nuncupatum Tumme in concambio. *Miræus in Notationibus ad hoc diploma suspicatur, per locum* Tumme *intelligendum esse* Turne *aut* Deurne; *quod non est adeo absonum, cum idem Rohingus S. Willibrordo concesserit etiam alias terras Turnino vicinas, ut videre licet in eodem codice cap.* VII *et* VIII. *Saltem ex eo patet, ecclesiam SS. Petri et Pauli, nunc dictam S. Walburgis, in burgo seu castro Antverpiensi a S. Amando constructam, olim pertinuisse ad monachos Quercolodorenses, et Rohingum facta commutatione eam S. Willibrordo acquisivisse.*

ubi dicitur fuisse abbas Monasterii Quercolodorensis,

2 *Henschenius noster in erudito suo Commentario prævio ad Vitam S. Amandi die* VI *Februarii num.* 24 *de eodem donatione agit, et numero sequenti quædam ad rem nostram facientia discutit, quæ ob illius mensis raritatem huc transcribere placuit :* Quod supra, *inquit,* in donatione Rohingi Querquelodora appellatur Firmini abbatis monasterium, Durini fuisse videtur sive Turnini, qui pagus est vulgo Deurne, Antverpia una leuca distans. Et vero suspicari B licet, illud ipsum monasterium a S. Amando constructum ad firmamentum recens plantatæ istic fidei ac propagationem. Quercolodoram autem seu Kerckelodoram dictum quasi Kercke-loo-dor, ab aqua (quæ dor aut dur vel deur veteri Belgica lingua dicebatur) fluente juxta silvam seu loo, apud quam silvam templum erat Kercke, κυριακόν. Aqua autem illa est Scenda amnis, qui Durninum pagum alluit. Qui huic monasterio primus creditur præfuisse S. Fredegandus, Durinensium hactenus patronus, colitur XVII Julii, cui forsan memoratus supra Firminus successit. Magna huic Quercolodoræ conjuntio fuit, et quædam bonorum communicatio cum altero monasterio, a S. Amando ad Sabim fluvium, ut dicemus infra, exstructo : quo translatum est corpus S. Fredegandi, cum Nordmanni omnia circa Antverpiam vastarent. *Deinde num.* 62, *eamdem reliquiarum translationem memorat, de qua nobis postea disputandum erit.*

quod a Normannis destructum est,

3 *Joannes Baptista Gramayus in Antiquitatibus Antverpiensibus lib.* IV, *cap.* IV *de eodem loco* C *hæc habet :* Inter vicos terræ Ryensis antiquitatis merito primas tenet Turninum a turribus (ne quis Turnum aut Troianum aliquem somniet) dictum. Urbs olim et quidem ante Antwerpiam Fredegandi episcopi prædicatione, miraculis tumuloque ornata, cujus corpus, ingruente Normannorum tyrannide, in Monasterium ad Sabim translatum, ibidem requiescit in Canonicarum nobilium collegio. Urbs autem, tradente codice Vitæ et translationis S. Gummari, ob iniquitatem habitantium merita vindictam Dei, absente Apostoli sui corpore, viribus destituta, Normannis per Scindam flumen in Bratuspantium irruentibus, in prædam cessit funditus eversa. Ab hac clade respirantibus vicinis, Turninum etiam revixit castro instructum, et abbatia Benedictina, a Ducibus Lotharingiæ fundata, sed anno MLXIII Eynhamum translata. *Observo hic a Gramayo nonnulla venditari, quæ non usque adeo certa sunt. Imprimis mera conjectura est, Turninum a turribus nomen accepisse. Deinde nullo antiquorum scriptorum testimonio fultus* S. Fredegandum *appellat episcopum. Præterea Brabantiam erronee post alios nominat* Bratuspantium, *uti ex Hadriano Valesio aliisque ostensum est in Corollario ad Acta S. Rumoldi cap.* I. *Denique ignoramus, quale fuerit illud castrum, quod Gramayus post Normannicam vastationem ædificatum esse narrat, cum jam nullum illius supersit vestigium, nullumque in toto pago appareat ædificium, quod structura sua tantam antiquitatem indicet.*

AUCTORE G. C.

monachis alio migrantibus,

4 *Miræus in Notationibus diplomatis supra citati ad nomen* Tumme *observat sequentia.* Forte Turne vel Deurne, olim Turninum Latine, vicus prope Antverpiam ad Scheinam rivulum, ubi olim cœnobium fuit, in quo S. Fredegandus aliquando monachum egit. Ejus sacra ossa Audomaropoli anno MDXC Antverpiam allata, in cathedrali templo ibidem adservantur. Normannis porro in Belgicam irruentibus, monachi Turnino relicto, Einhamum prope Aldenardum migrasse putantur, ubi etiamnum Benedictina est abbatia. *Baro le Roy in Notitia Marchionatus S. R. I. lib.* II, *cap.* I *merito negat, monachos tunc temporis Turnino Einhamum migrasse.* Huic opinioni, *inquit,* quoad translationem dicti cœnobii obstat E temporum ratio : nam irruptio Normannorum contigit anno octingentesimo trigesimo quinto, vel secundum Sigiberti chronicon biennio serius; Benedictinorum vero cœnobium Eynhamense constructum esse constat a Balduino Insulano Flandriæ Comite anno MLXIII. Ergo ducentis viginti octo annis post destructionem Turnini. *An autem post monasterium Quercolodorense a Normannis destructum, nova abbatia Benedictina a Ducibus Lotharingiæ ibidem fundata fuerit, ac postea Einhamum transierit, ut asserit Gramayus, certo affirmare non ausim, cum id solidis testimoniis hactenus confirmatum non invenerim. Certum tamen est, quod monachi Einhamenses aliquando jura et prædia in Turnino vicinisque pagis possederint, quæ anno* 1308 *Antverpiensibus Ordinis Præmonstratensis canonicis transcripserunt, uti patet ex diplomate, quod eruditissimus Baro le Roy in opere jam citato lib.* II, *cap.* I *circa finem exhibet.*

cum reliquiæ Sancti prius translatæ fuissent.

5 *Atque hæc quidem de Turnino et S. Fredegando ejusdem loci incola scribunt recentiores. Antiquissimus autem, qui de utroque expressis verbis meminit, est quidam Frater Theobaldus, qui* F *post sæculum* XI *aut forte* XII *Vitam, translationem, et quædam miracula S. Gummari tum prosa tum carmine videtur conscripsisse. Is itaque in Actis Mss. cap.* XVI *hæc habet :* Quodam tempore cum excrevissent peccata hominum et superno judicio correptionis flagella meruissent a Deo, educta est a sedibus suis gens Northmannica, gens ferocissima, quæ navigio in Rhenensem provinciam adducta circumquaque omnia depopulati sunt. Hantwerpiam incenderunt, Walchram vastarunt; adeo alii dispersi, ut nullus esset locus, ubi cessaret luctus. Per fluvium igitur, qui dicitur Schinda, ad villam Turninum devenerunt, ubi erat monasterium sancti Fredegandi confessoris. Sed Deus propter iniquitatem inhabitantium exosus locum, reliquias ipsius jussit alio transportari, ut nullum esset obstaculum contra desolationem. Quibus sublatis, velut muro et turribus civitatis destructis, irruit gens inimica, et incendio pereunt cuncta ædificia, ipsumque monasterium consumpsit, homines partim trucidavit, partim captivos abduxit;

AUCTORE G. C.

abduxit; neque domus superfuit, neque habitator evasit, nihil nisi solitudo remansit. *Eadem quantum ad substantiam in Vita metr ca leguntur. Ex hactenus dictis satis liquet, quantopere in assignando Turnini situ aberraverit Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum, dum hoc die de* S. Fredegando *agens in notis suis hunc pagum in comitatu Namurcensi collocat, putatque nunc* Moustier *appellari. Manifesta est hujus erroris origo. Confudit nempe Ferrarius utrumque locum, quia ignorabat, reliquias* S. Fredegandi *Turnino translatas fuisse in monasterium jam vulgo dictum* Moustier, *quod ad Sabim fluvium a S. Amando erectum Namurco duobus milliaribus distat. At hæc de sanctitatis palæstra fortasse plus quam satis. Nunc Sancti nostri cultum stabiliamus.*

Memoria ejus exstat in Florario nostro Ms., Auctariis Usuardinis,

6 *Quamvis dubitandum non sit, quin* S. Fredegandus *jam a multis sæculis publicam apud Belgas venerationem habuerit, tamen apud Martyrologos prima illius memoria occurrit in Florario nostro Ms., quod medio sæculo* XV *scriptum annuam ejus commemorationem hac die ita celebrat:* Apud Turninum villam Brabantiæ, natale beati B Fredegandi confessoris, cujus ossa cum illic in monasterio suo aliquamdiu requievissent, et tandem jussu divino aliunde translata fuissent, locus ille, qui prius invisibilis * et pene inaccessibilis erat, mox ab hostibus depopulatus et desolatus [est]. *Usuardus a Greveno auctus ponit eodem die hæc pauca verba :* Fredegandi episcopi et confessoris. *Molanus autem in Additionibus Usuardinis, anno* 1568 *Lovanii editis, eum sic memorat :* Ipso die S. Fredegandi confessoris. *Deinde minori charactere hæc adduntur ;* qui cum sancto Furseo venit ex Hibernia, et quiescit in monasterio Dominarum super Sambriam fluvium, non longe a Namurco. *Sed in editione anni* 1573 *et* 1583, *postremis hisce omissis, tantum legitur :* In monasterio Argenton, ipso die sancti Fredegandi confessoris. *Non satis intelligo, quid sibi velit illud monasterium Argentonense, quod in ditione Namurcensi situm jam incolunt moniales Ordinis Cisterciensis: antiqua enim traditio est,* S. Fredegandum *Turnini obiisse, et sacra ejus ossa ad aliud comitatus Namurcensis monasterium, supra memoratum, translata fuisse. Si forte per* C *hoc significetur, aliquam reliquiarum partem in Argentonensi cœnobio conservari, non dissentio : nam ob hanc causam, sed magis dilucide explicatam, Saussayus eumdem Sanctum Audomaropoli memorat in suo Martyrologio Gallicano his verbis :* Audomaropoli, veneratio reliquiarum sancti Fredegandi confessoris, unius ex sociis S. Foillani, apostolicæ prædicationis gloria illustris.

* forte invincibilis

aliisque Martyrologiis.

7 *Hisce posterioribus Molani editionibus consentiunt, ac* S. Fredegandum *in cœnobio Argentonensi annuntiant Wionus, Menardus aliique hagiologi Benedictini, excepto Dorganio, qui in Kalendario Sanctorum Ordinis sui illum sic simpliciter refert :* S. Fredegandi confessoris. *Bucelinus more suo eum prolixo exornat elogio, cujus hic initium transcribo :* In monasterio Argentonensi, sancti Fredegandi monachi et confessoris. Fredegandus sive Fredegaudus monachus Hibernus sanctorum Foillani, Fursei et Ultani peregrinationis et apostolici laboris socius, verbo et exemplo finitimis Antverpiæ populis mirifice præluxit, et constructo Turnini cœnobio, illic vitæ dies reliquos sancto fine conclusit. *Tunc de destructione Turnini sequuntur ea, quæ ex aliis auctoribus supra* D *dedimus. Molanus tamen in Natalibus Sanctorum Belgii cum prima sua Usuardi editione fere convenit, et de monasterio Argentonensi nullum verbum faciens, alia cultus loca diserte exprimit hoc modo :* Turnini, natalis sancti Fredegandi presbyteri et confessoris, cujus corpus requiescit in ecclesia collegiata Monasteriensi. Est autem de illis beatis prædicatoribus, qui ex Hibernia in Galliam venerunt cum sancto Foillano et aliis apostolicis viris. Locus vero, in quo eum quiescere jam memoratum est, est monasterium super Sambriam a beato Amando in honorem S. Petri constructum, duobus milliaribus a Namurco; ubi antiquitus fuisse congregationem monastice viventem ipsum nomen indicat; sed nunc vocantur Dominæ et Canonicæ. Est etiam celebris sancti Viri memoria in Deurne apud Antverpiam : ibi enim quievit, cum is locus civitas esset, ferturque muris cincta fuisse, cum iis adhuc Antverpia careret. *Tunc ruinas a Normannis Turnino illatas narrat ex Actis S. Gummari, quorum verba ad rem nostram spectantia superius exhibuimus. Alios Martyrologos Molanum secutos hic enumerare supervacaneum arbitror.* E

In Breviario Leodiensi et Namurcensi fit de illo commemoratio.

8 *Jam plus quam a duobus sæculis* S. Fredegandi *memoriam in Officiis ecclesiasticis celebratam fuisse, plane liquet ex Missali Leodiensi, quod anno* 1509 *Parisiis impressum facit hac die commemorationem* Fredegaudi *(ita etiam, teste Molano, incisum est nomen ipsius feretro Monasteriensi)* et Alexii confessorum, *et præscribit hanc collectam utrique Sancto communem :* Deus qui nos sanctorum tuorum Fredegaudi et Alexii confessionibus gloriosis circumdas et protegis, da nobis et eorum imitatione proficere et intercessione gaudere. Per Dominum nostrum etc. *In Officiis propriis ecclesiæ Leodiensis anno* 1623 *excusis, die* XVII *Julii recitantur Horæ canonicæ de S. Alexio* cum commemoratione S. Fredegandi presbyteri in Laudibus tantum. *Est autem commemoratio* communis confessoris non pontificis. *Ex his satis patet, quod Leodienses non crediderint,* S. Fredegandum *fuisse episcopum, quamvis Grevenus et Gramayus eum hoc titulo condecorarint. Neque illius episcopatum agnoverunt Officia propria diœcesis Namurcensis, anno* F 1619 *impressa, quæ hac die in Rubricis ita præscribunt :* Sanctorum Alexii et Fredegandi confessorum. Omnia dicuntur de communi confessorum non pontificum, præter ea, quæ hic habentur propria. *Tunc sequitur eadem collecta, quam ex Missali Leodiensi jam dedi. Deinde subjungitur tertia Lectio propria, quæ fere verbis jam num.* 5 *relatis et mox iterum referendis vastationem Turnini describit.* Sanctus Fredegandus *Antverpiæ in ecclesia B. Mariæ habuit olim sacellum nomini tuo consecratum (jam communiter S. Ursulæ vocatur) ut patet ex Brevi Pontificis ibidem conservato, quo conceduntur indulgentiæ plenariæ ad viginti annos valituræ* universis Christi fidelibus.... qui.... capellam S. Fredegandi die natali ejusdem Sancti, XVII Julii.... singulis annis devote visitaverint. *Sed dubito, an festum illius Sancti umquam ibi Officio ecclesiastico celebratum fuerit, cum Breviarium anno* 1496 *impressum ad usum istius ecclesiæ nullam de eo faciat mentionem. Nescio, utrum forte sæculo sequenti, quo ab Antverpiensibus inter patronos contra pestem electus fuit, in Breviario*

aliquis

A *aliquis cultus peculiaris accesserit. Saltem hodie in propriis istius diœceseos Officiis nulla de illo fit commemoratio.*

et Turnini solemniter celebratur ejus Officium

9 *Turnini ritu duplici celebratur illius Officium, et in secundo Nocturno recitantur Lectiones sequentes :* Lectio iv. Cum propalata Sanctorum via, sol justitiæ benigniores radios etiam in insulas, quæ procul sunt, immittere dignatus est, educere cœpit varias nubes ab extremis terræ, viros scilicet magnos meritis, sublimes vita, et quorum tota conversatio in cælis erat : qui apostolico spiritu pleni ut nubes volarunt, et cælestis doctrinæ rorem fœcundando agro dominico instillarunt. Lectio v. Inter alios autem apostolicos viros et legis Christi præcones, quos magno numero in Galliam et hasce terras submisit Hibernia una cum sanctis Foillano, Ultano et aliis, etiam in Antverpiensem agrum excurrit sanctus Fredegandus, cujus etiamnum celebris memoria et virtutum fragrantia perseverat in Turnino juxta Antverpiam. Hæc fuit palæstra laborum ejus, in qua Vir sanctus cum mundo, carne, et diabolo stre- B nue certavit : donec ibidem bravium capesceret retributionis æternæ, et tamquam fidelis servus et prudens intraret in gaudium Domini sui. Lectio vi. Cum autem Normanni per fluvium, qui Scinda dicitur, ad villam Turninum devenissent, ubi monasterium erat sancti Fredegandi confessoris, et Deus propter iniquitatem inhabitantium, locum exosum haberet, jussit sacras Sancti reliquias alio transportari, ut nullum esset obstaculum contra desolationem : quibus demum sublatis, velut muro et turribus civitatis destructis, irruit gens inimica, et incendio perdidit omnia ædificia, ipsumque monasterium consumpsit ; homines partim trucidavit, partim captivos abduxit. Tantum in reliquiis Sanctorum positum est, quæ sunt fontes salutis et scaturigines miraculorum.

§ II. De sancti reliquiis et patrocinio contra pestem.

C

Reliquiæ S. Fredegandi Audomaropoli Antverpiam delatæ.

Ex *dictis paragrapho præcedente videntur ossa* S. Fredegandi *primum Turnino ad ecclesiam S. Petri in Hannonia translata esse. Sed eam translationem dubiam reddere possent, tum Belgica tum Latina translationis Acta, quæ asserunt, sacras ejus reliquias ante Normannorum irruptionem ad cœnobium S. Bertini in Artesia primo transvectas fuisse. Hinc Malbrancus noster in suo opere de Morinis lib.* vi, *cap.* vi *ad annum Christi* 845 *et* 846 *narrans, quomodo ob Normannorum metum varia Sanctorum corpora ad munitionem Sitiuensem delata fuerint, de Sancto nostro ita scribit :* Etiam Andoverpi S. Fredegando, quem nobilem Scotia dederat confessorem, suo prospexerunt : quos omnes benevole admodum juxta et honorifice excepit Adalardus Sitiuensium antistes cum Folquino episcopo sibi congratulatus, quo pacto Deus excogitatam unius Divi jacturam, Sanctorum multorum accessione remuneretur. *Accedit, quod Bertinenses monachi ad canonicos Antverpienses miserint quasdam reliquias, de quibus Aubertus Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis ad diem* xvii *Julii ita scribit :* Ceterum pars reliquiarum S. Fredegandi Audomaropoli ex Bertiniano monasterio Antverpiam circa annum mdxc allata, adservatur ibidem in basilicæ cathedralis sacello S. Ursulæ ac sodalibus dicato. *Quid autem factum sit de his ossibus Audomaropoli Antverpiam transmissis candide hic edicendum est, ut videant heterodoxi, nos in honorandis Sanctorum lipsanis non cæco modo procedere, quod tamen sæpe catholicis impie et falso exprobrant.*

AUCTORE G. C.

publicæ venerationi exponi vetantur,

11 *Anno* 1593 *(non* 1590 *ut Aubertus Miræus ait, multo minus* 1580 *uti Willotus noster infra citandus scribit) monachi Bertiniani per quemdam D. Costerum miserunt Reverendo admodum Domino Decano et capitulo Antverpiensi cathedralis ecclesiæ lipsanothecam, in qua putabant contineri ossa* S. Fredegandi, *sicuti constat ex Regesto Ms. ejusdem ecclesiæ, ubi ad annum Christi* 1593 *fol.* 256 *leguntur sequentia :* Exhibuit idem Dominus Costerus testimoniales per notarium publicum, per quas Religiosi sancti Bertini testantur, quo pacto illud corpus, quod attulit, inventum fuerit in sancto Bertino tempore Domini Gerardi d'Hamericourt *(is Audomarensem cathedram obtinuit anno* 1562) E primi episcopi Odomarensium existentis abbatis in sancto Bertino. *Sed cum illæ litteræ testimoniales non satis certo probarent, inventas hasce Audomaropoli reliquias, esse* S. Fredegandi, *Illustrissimus ac Reverendissimus D. Joannes Miræus, quartus Antverpiensium episcopus, non diu post in visitatione ecclesiæ cathedralis scriptum quoddam reliquit, quo prohibet, ne dictæ reliquiæ venerationi publicæ exponantur, donec de earum veritate plane constet. Illud autem Reverendissimi Miræi instrumentum in ipsa lipsanotheca inventum est anno* 1715, *quando parochus Turnini a RR. admodum ac prænobilibus DD. Decano et capitulo dictæ ecclesiæ Cathedralis quasdam* S. Fredegandi *reliquias expetierat, quæ ob eam incertitudinem illi prudenter denegatæ fuerunt.*

et saltem videntur dubiæ.

12 *Nolo, ut ex dictis quispiam concludat, has reliquias esse falsas ; sed ad summum inde inferri potest, eas esse forsan alterius Sancti aut saltem dubias, quia scheda, quæ simul cum prædicto corpore in Bertiniano monasterio inventa est, ita vetustate erat attrita, ut distincte legi non potuerit, sicuti indicatur in ipsis litteris testimonialibus Gallice scriptis, quæ jam citato ecclesiæ* F *Antverpiensis Regesto insertæ sunt. Præterea Arnoldus Rayssius, diligens Belgicarum reliquiarum indagator, in suo Hierogazophylacio Belgii pag.* 97 *et* 101 *enumerans sacra pignora, quæ in Bertiniano monasterio conservantur, ibidem non meminit de* S. Fredegando. *Scio quidem, quod idem auctor Aubertum Miræum secutus ita scribat pag.* 301 : Sanctæ Mariæ Cathedralis ecclesia Antverpiæ partem reliquiarum corporis S. Fredegandi presbyteri Hiberni, quam ex Bertiniano cœnobio anno mdxc obtinuerunt, adservat in sacello sanctæ Ursulæ et sociis ejus dicato. *Sed hæc ex eodem fonte nempe litteris testimonialibus prodeunt, atque adeo eadem fide nituntur.*

Cum ejusdem Sancti corpus dicatur exstare in cœnobio S. Petri in Hannonia,

13 *Rayssius in eodem opusculo pag.* 369 *reliquias* S. Fredegandi *primum Turnino in Hannoniam translatas fuisse significat his verbis ;* Monasterienses nobiles canonissæ ad Sabim fluvium partem magnam corporis Christi presbyteri et confessoris Fredegandi possident, quæ Turnino ad hoc sancti Petri templum divina ordinatione, ante Normannorum vastationem advecta

AUCTORE G. C.

advecta est. *Hæc opinio Rayssii aliorumque mihi verosimiliter apparet : nam observo, jam ab anno* 1509 *in Missali Leodiensi commemorationem de* S. Fredegando *factam fuisse, quæ probabiliter instituta est ob illius reliquias quiescentes in diœcesi Leodiensi, cui tunc suberat Manasteriense S. Petri cœnobium, antequam episcopatus Namurcensis erigeretur. Aliunde adverto, quod putatum* S. Fredegandi *corpus tantummodo* inventum fuerit in sancto Bertino tempore Domini Gerardi d'Hamericourt primi episcopi Odomarensium, *id est post annum Christi* 1562. *Itaque Monasterienses in Hannonia, quæ priores sunt tempore, etiam potiores videntur jure.*

et in monasterio S. Bertini in Artesia,

14 *Non nego tamen, Bertinianos aliquas hujus Sancti reliquias olim habuisse, aut forsan etiamnum habere, cum varia Acta Belgica, quamvis recentiora, id asserant : potuit enim corpus* S. Fredegandi *ante primam Normannicam Brabantiæ vastationem Turnino ad Monasterienses translatum, postea inde, ob novum eorumdem barbarorum metum, Audomaropolim transferri, quemadmodum Malbrancus noster supra citatus testatur, circa annum* 846 *varia Sanctorum corpora undique ad* B *munitionem Sitiuensem allata esse. Quod autem putat idem Malbrancus, tunc primum* S. Fredegandi *reliquias Turnino aut Antverpia eo advectas fuisse, mihi admodum est improbabile, quandoquidem decennio ante Turninum aliaque Brabantiæ oppida a Normannis devastata fuerant, uti probatur in Vita S. Liberti die* XIV *hujus mensis. Quid si inter primam anno* 835 *vel* 836 *et secundam anni* 882 *Normannorum irruptionem in Brabantiam corpus* S. Fredegandi *ex Monasteriensi cœnobio Audomaropolim delatum fuerit, et postea aliorum exemplo Monasteriensibus redditum, retentis quibusdam pro fideli custodia sacris ossibus? At hæc mera conjectura est, quam ut talem accipi volumus.*

explicatur, quomodo sacra ossa ad hæc,

15 *Potuit etiam posterioribus sæculis, ob assiduos bellorum tumultus aliasque causas mihi ignotas, idem corpus in monasterio Bertiniano tamquam tutiore loco collocari. Sic intelligo, sacra ejusdem Sancti ossa sæculo* XVI *ob hæreticorum militum timorem fuisse abscondita; de qua re in Mss. Collectaneis Ægidii Monæi ad sanctos Namurcenses spectantibus legi sequentia cap.* XVI : Festum S. Fredegandi, vulgo saint Frego, celebra- C tur XVI Kalendas Augusti, cujus sacra pignora superiori seculo, bello contra Francum in silvis primum abscondita, deinde propter Auriaci metum terræ in quodam sacello recondita, sed inventa irreverenter admodum et hostiliter dispersa fuere. Nunc tandem in unum collecta, capite dumtaxat excepto, de quo nihil certi cognoscere potui, asservari dicuntur in feretro, quod Monasterii, Gallice Moustier, visitur, et in festis Pentecostalibus solenni supplicatione circumfertur per parœciam; intra Octavam autem celebri vicinorum devotione frequentatur. *Hæc solummodo ad exemplum adduxi, ut ostenderem, quomodo sæculis præcedentibus eædem reliquiæ ob similem causam Audomaropolim deferri potuerint. Satis etiam probabile est, aliquam corporis partem Bertinianis dono datam fuisse, uti volunt alii, qui utroque loco hujus Sancti reliquias collocant.*

aliaque loca pervenire potuerint.

16 *Turnini ineunte sæculo* XVI *reliquias* S. Fredegandi *exstitisse, colligo ex ejus miraculis, in quorum prologo legitur, quod tunc temporis decreta fuerit supplicatio annua,* in qua venerabile Sacramentum altaris una cum reliquiis et statua S. Fredegandi circumferretur. *Præ-* D *terea in quodam miraculo dicitur* S. Fredegandus *imperasse mulieri surdæ*, ut iret Turninum ac ibidem suas reliquias visitaret, si a surditate liberari vellet. *Has autem reliquias ab hæreticis circa medium ejusdem sæculi in Belgio furentibus, et sacra omnia profanantibus dissipatas aut ablatas fuisse conjicio, quia hodiedum Turnini nullæ exstant, uti modernus illius loci parochus, a me de hac re interrogatus, testatur. Si quæ ejusdem sancti reliquiæ eo tempore fuerint Antverpiæ in sacello* S. Fredegandi, *haud dubie in famosa templorum Antverpiensium iconomachia, anno* 1566 *a sacrilegis Calvinistis peracta, perierunt. Sed ut controversis Monasteriensium et Bertinianorum reliquiis finem imponamus, audiatur de hac re Balduinus Willotus noster, qui in Martyrologio Belgico Gallice conscripto ita loquitur ad hunc diem :* Monasterii, quod antea fuit cœnobium, deinde collegium canonissarum secularium, non procul Namurco, honoratur corpus S. Fredegandi Hiberni, ejusdem loci patroni, quod jussu divino huc translatum est Turnino, quod fuit oppidum circa Antverpiam, antequam ob sua peccata a Normannis destrueretur. E Attamen pars quædam postmodum delata est ad monasterium S. Bertini, et inde anno MDLXXX *(hunc errorem chronologicum supra correximus)* ad sacellum S. Ursulæ Antverpiæ. *Hoc modo controversia inter Monasterienses et Bertinianos mihi videtur posse componi. Quod si neutri parti hæc compositio placeat, litem ipsi inter se dirimant. Nos interim de Sancti nostri patrocinio contra pestem hic pauca addamus.*

17 *Ex miraculis infra dandis patebit,* S. Fredegandum *initio sæculi* XVI *singularem fuisse patronum contra pestiferam luem et ardentes febres. Etiam civitas Antverpiensis epidemico morbo afflicta circa annum* 1512, *intercessione* S. Fredegandi *magnum sensit levamen, uti commemorat Augustinus Wichmannus in Apotheca spiritualium pharmacorum cap.* XLII, *et brevius in suo Diario ecclesiastico de Sanctis contra pestem Tutelaribus ad diem* XVII *Julii ita scribens :* Turnini in Brabantia, S. Fredegandi presbyteri et confessoris, qui suis meritis pestilentiam ab Antverpia propulsavit. *De ejusdem patrocinio contra pestem fit mentio in supra laudato rhythmo Flandrico, qui* F *a ducentis annis compositus pependit Turnini in sacello* S. Fredegandi, *et refertur in Belgica Sanctorum Legenda, quam Henricus Adriani, pastor nosocomii S. Elisabethæ anno* 1602 *Antverpiæ edidit. Papebrochius noster in Mss. Annalibus Antverpiensibus ad annum Christi* 1512 *quatuor hujus rhythmi versiculos ad propositum nostrum spectantes ita Latine reddidit :*

S. Fredegandus Antverpiæ fuit patronus contra pestem.

Intercessor es contra pestilentiam,
Ut clare patuit apud Antverpiam;
Ubi anno post mille quingentos duodeno,
Te rogantes servasti a tali veneno.

§ III. Sancti Acta, patria, vitæ professio et epocha.

Præter longiorem Legendam Belgice conscriptam.

A*ntiquissima, quam hactenus reperire potui,* S. Fredegandi *memoria exstat in Vita S. Gummari, cujus fragmentum huc pertinens paragrapho primo exhibui. Frustra vetustiora et certa hujus Sancti confessoris Acta quæsivi. Invenio quidem*

dem ea in quodam Ms. musei nostri codice, a ducentis ad summum annis Flandrice exarato ; sed in eo auctor anonymus plus quam quadraginta paginas implet verbosis communium virtutum laudibus, quæ unicuique sancto monacho et abbati aptari possunt. Ceterum, ut rotunde dicam quod sentio, hæc Legenda Belgica tot fabulis ineptiisque scatet, ut me tempus inutiliter impensurum ac lectori tædium allaturum existimarem, si eam ex lingua nostra vernacula in Latinam operose converterem : nam de antiquitate castri Antverpiensis, a Julio Cæsare exstructi ac privilegiis ornati, multa fabulatur ; imo litteras horum privilegiorum testes adhuc perseverare somniat. Multa etiam interserit de impia Mahometis secta et Ariana hæresi, quibus comminiscitur infectos fuisse Turnini ac castri Antverpiensis incolas, quos ex illis erroribus ad veram fidem perductos esse asserit a S. Fredegando, *cujus nomen ex etymologia Hebraica imperite interpretatur. Non lubet alias nugas, quas scriptor ille ad nauseam effutit, hic proponere. Postea tamen narrat quædam miracula, quæ sua ætate per* S. Fredegandi *intercessionem contigerunt. Quia vero de iis fidem facere potest auctor synchronus, licet in antiquis rebus referendis fabulosus, ea ex Belgico idiomate in Latinum conversa postmodum dabo.*

et Belgicum Vitæ compendium ac rhythmum,

19 *Neque circa* S. Fredegandi *gesta majorem fidem meretur Belgicum quoddam Actorum compendium, quod a prænobili D. Andrea Valckenisse, urbis Antverpiensis secretario, nobis communicatum est : nam in eo auctor anonymus de gigantibus, in Belgio tunc habitantibus, aniles narrat fabulas, et diversissima tempora ac gesta imperite confundit, uti dum martyrium S. Ursulæ cum excidio Turnini connectit, et utrumque ab iisdem infidelibus, quos ipse Hunnos vocat, perpetratum esse asserit. Habeo præterea rhythmum Flandricum a duobus sæculis concinnatum, qui barbaro istius ævi metro res a* S. Fredegando *gestas brevius verosimiliusque explicat. Extat iste, ut supra num.* 17 *monui, in Belgica sanctorum Legenda, ab Henrico Adriani Antverpiæ edita. Ne quid curiosus lector in obscuris incertisque hujus Sancti Actis desideret, præcipua rhythmi capita paucis attingam. Imprimis ait auctor,* S. Fredegandum, *Turnini prope Antverpiam natum, variis a pueritia eluxisse virtutibus, ac solitariam vitam duxisse. Deinde narrat, eum ibidem monasterii abbatem effectum, multos regionis Ryensis incolas, ac inter alios S. Gummarum, qui circa annum septingentesimum militabat sub Pippino, ad christianam fidem convertisse. Demum asserit, corpus* S. Fredegandi *translatum esse Audomaropolim ad abbatiam Bertinensem, descriptaque Normannorum vastatione, extollit ejus miracula ac præcipue patrocinium contra morbum epidemicum, de quo superius num.* 17 *egi.*

inveni ejusdem Sancti Acta breviter Latine exarata.

20 *Denique post multam indagationem cura et diligentia R. adm. ac prænobilis D. Petri Gros canonici cathedralis ecclesiæ Antverpiensis obtinui Latinam* S. Fredegandi *Legendam, quæ habetur in Actis Capituli dictæ cathedralis ecclesiæ ad annum* 1593 *tom.* I, *pag.* 257. *Ea quidem brevis est, sed apparet recentior. Auctor illius anonymus vix cohærentia scribit et diversa tempora confundit, sicut postea videbimus, quando Sancti nostri epocha examinabitur. Acta illa simul cum ossibus, a num.* 11 *memoratis, Audomaropoli Antverpiam missa sunt, ut patet ex notitia, quam Actuarius capituli Antverpiensis Actis illis in Regestum relatis pag.* 257 *præfixit hoc modo :* Exhibuit etiam Dominus Costerus quamdam vetustam papyrum manuscriptam laceram, quam se accepisse dicebat quondam ex Antverpia missam ad suum monasterium, quo tempore asserebant ab Antverpiensibus similiter ab eis fuisse requisitas reliquias, cujus copia sequitur. *Hic subduntur ipsa Acta, quæ nos post hunc commentarium dabimus, et notis illustrare conabimur. Nunc præcipua eorum capita prius discutiamus.*

AUCTORE G. C.

S. Fredegandus a quibusdam dicitur Belga, ab aliis Hibernus,

21 *Prima quæstio institui potest de* S. Fredegandi *patria. Jacobus Desmaius Canonicus Peronensis in Vita S. Fursei anno* 1607 *Gallice edita, Joannes Colganus in Appendice ad Vitam S. Fursei cap.* VI, *Molanus, Miræus aliique præcedenti paragrapho citati eum Hiberniæ adscribunt, dicuntque, eum cum Foillano et Ultano, seu, ut alii volunt, cum Furseo ex Hibernia in Galliam venisse. Sed hæc ejus peregrinatio sive cum Furseo, sive cum Foillano et Ultano mihi dubia redditur, cum solummodo recentiores absque allegato veterum scriptorum testimonio* S. Fredegandum *Hibernis illis apostolis socium adjungant. Saltem in antiquioribus Actis S. Fursei* XVI *Januarii, et S. Ultani* I *Maii illustratis, nulla de eo fit mentio. Ceterum Hibernicam* S. Fredegandi *originem maxime incertam faciunt tria Actorum exemplaria jam a nobis descripta, quæ omnia diserte asserunt, eum Turnini prope Antverpiam natum esse. Fateor equidem hæc Acta apud me non esse magnæ auctoritatis, attamen antiquiora videntur quam ii scriptores, qui eum Hibernum esse volunt. Itaque pro Belgicis ejus natalibus stabimus, donec ex vetustioribus monumentis certa illius patria eruatur.*

videturque secutus regulam S. Benedicti,

22 *Altera quæstio est, quale vitæ institutum* S. Fredegandus *secutus fuerit. Usuardus a Greveno auctus, Canisius in suo Martyrologio Germanico, Gramayus supra citatus eum vocant episcopum. Sed hunc titulum nullo veterum testimonio fulciri jam diximus. Hagiographi Benedictini hunc Sanctum passim Ordini suo adscribunt, quibus Acta nostra suffragantur. Unde miror, Mabillonium in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti de illo non meminisse. Nihilominus facile credam,* S. Fredegandum *ad Ordinem Benedictinum pertinere, si hagiographi illi mihi concedant, cum nec cum Furseo nec cum Foillano et Ultano ex Hibernia in Galliam venisse : nam si quis cum Desmaio, Colgano, Bucelino, aliisque illum inter Fursei aut Foillani socios et discipulos numerandum esse contendat, jure dubitabo, an* S. Fredegandus *juxta regulam S. Benedicti vixerit, cum circa hanc rem de ipso Furseo, Foillano, Ultano aliisque monachis Hibernis non levis sit controversia.*

si non fuerit natione Hibernus.

23 *Teste Colgano in Actis Sanctorum Hiberniæ tomo* I *in Appendice ad Vitam S. Fursei cap.* V, *Joannes Manriquez in suo libro de Origine Fratrum Eremitarum cap.* XV *censet, Patricium ejusque discipulos atque alios Hiberniæ Sanctos plerosque fuisse Ordinis Eremitarum S. Augustini. Contra vero Gabriel Pennottus lib.* II, *cap.* XXXIV *et* XXXV *contendit, eosdem fuisse Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, additque nullum aliud institutum in Hibernia fuisse usque ad tempora sancti Malachiæ et sancti Bernardi. Colganus autem ibidem asserit, in ipsa Hibernia olim extitisse octo et plures regularum conditores et patriarchas, sub quorum regulis vixerunt religiosi et monachi Hiberniæ per plura sæcula, donec paulatim monachis hisce a pristino instituti sui rigore deflectentibus, regula tum Benedictinorum tum Canonicorum Regularium sensim sit introducta. Putat quidem*

Colganus,

AUCTORE G. C.

Colganus, Furseum aliosque Hiberniæ monachos, dum in Galliam veniebant, institutum Benedicti amplexos esse; sed huic opinioni contradicit Carolus Cointius, ut videri potest in Annalibus Francorum tom. III ad annum Christi 650 num. 5. Jam de tempore, quo Sanctus noster vixit, conjecturas faciamus, quandoquidem certam chronotaxin statuere non possumus.

Actis Belgicis,

24 Ad detegendam S. Fredegandi epocham aliquid lucis afferrent Acta nostra, si inter se convenirent, et tantæ essent auctoritatis, ut iis tuto fidere liceret. Sed Belgica cum Latinis pugnant. Prolixior quippe Legenda Flandrica post narratam S. Willibrordi prædicationem apud castri Antverpiensis incolas, quæ ante initium sæculi VIII collocanda non est, dicit, S. Fredegandum eo tempore Turnini natum esse. Rhythmus vero Flandricus indicat, eum tunc temporis satis provectæ ætatis fuisse, cum post relatos apostolicos ejus labores, monasticam vitam, et abbatiale munus asserat, S. Gummarum anno septingentesimo aut circiter sub Pippino militantem a S. Fredegando conversum fuisse. Ex chronologica anni septingentesimi nota satis liquet, hic alium Pippinum intelligi non posse, nisi Herstallum, qui anno 714 obiit. Nihilominus Henricus Adriani, qui rhythmum hunc in sua Legenda Belgica edidit, ad hunc locum in margine notat annum septingentesimum quinquagesimum sextum, supponens hanc conversionem contigisse sub Pippino Brevi sive Rege, Caroli Martelli filio, qui mortuus est anno 768. Neque rhythmi editor illam notam chronologicam omnino temere posuit, cum in Vita S. Gummari a Theobaldo, nescio quo, conscripta legatur, eum vixisse in aula Pippini Regis. Sed novum non est, plures Pippinos a scriptoribus confundi, ut quibusdam exemplis demonstrat Willibrordus Boschaertius in Diatriba de primis veteris Frisiæ apostolis, dissertatione XXXVII.

et Latinis,

25 Acta nostra Latina circa S. Fredegandi epocham cum rhythmo Flandrico conveniunt, et saltem indeterminatam illius ætatem sic indicant: Circa annum Domini septingentesimum, tempore sancti Willibrordi confessoris, parvum cœnobium ibidem a novo exstructum et erectum fuerat, quod S. Fredegandus ex Dei instinctu ingressus est. Quando dein de S. Gummaro meminerunt, sub Pippino Herstallo eum militasse manifeste affirmant his verbis: Eo namque tempore pariformiter sanctus Gommarus floruit militans sub Pippino Duce Francorum Orientalium, videlicet inferiorum a Rheno ad usque Schaldam, qui etiam fuit Marchio dicti Regni sancti, quod est Thurninum cum ceteris villis circumvicinis, qui quidem Pipinus multas victorias obtinuit, et Frizones superando, mediante prædicatione sancti Willibrordi, ad fidem perduxit catholicam. Ad diem XI Octobris in Vita S. Gummari exactius inquiri poterit, utrum cum anonymo nostro Sanctus ille sub Pippino Herstallo, an potius cum Theobaldo Actorum scriptore sub Pippino Rege sit collocandus. Interim non placet mihi hic narrata ejus conversio ad fidem Catholicam opera S. Fredegandi, cum S. Gummarus in Actis propriis, a dicto Theobaldo compositis, dicatur a pueritia sancte vixisse.

inter se variantibus,

26 Præterea in iisdem Actis Latinis ocurrit alia difficultas, eo quod in eorum fine Anonymus auctor asserat, S. Fredegandum sæpissime conversatum fuisse cum S. Rumoldo; qui tamen juxta communem Mechliniensium traditionem et probabiliorem chronologorum computum anno 775 martyrio affectus est. Non video quomodo quis facile hunc Actorum finem cum eorumdem initio possit conciliare, nisi varia paradoxa velit admittere, ut utramque epocham conferenti patebit. Sed simplicioribus nostris Belgis inusitatum non est inter Sanctos totis sæculis diversos colloquia fingere. Multo minus hæc frequens cum S. Rumoldo conversatio inveniri potest in sententia eorum, qui S. Fredegandum cum S. Furseo vel Foillano et Ultano ex Hibernia in Galliam venisse volunt. Necesse enim est, ut Colganus, Cointius, aliique, qui S. Fredegandum sociis S. Fursei accensent, eum multo seniorem faciant, cum juxta illos S. Furseus anno 648 in Galliam profectus sit. Unde Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi 674 num. 13 de S. Fredegando tamquam S. Fursei discipulo ita scribit: Præter Ultanum multi supererant e S. Fursei discipulis. Placet hic obiter conglobatimque gesta nonnullorum exscribere, quæ per annos digeri non possunt. . . . . . Fredegandus seu Fredegaudus presbyter Antverpienses erudivit, quievitque Turnini prope Antverpiam, donec Nortmanni regionem illam pervaserunt vastaruntque. Vocatur in Martyrologio Benedictino Fregandus decimo sexto Kalendas Augusti, quo die commendatur a Molano in Natalibus Sanctorum Belgii. Cum hæc Gallica Sancti nostri peregrinatio recentioribus tantummodo testimoniis probetur, parum interest illius chronotaxin pluribus discutere.

non potest statui certa S. Fredegandi epocha:

27 Quocumque me vertam ad stabiliendam S. Fredegandi epocham, nihil invenio, quo firmiter pedem figam: Actis enim inter se pugnantibus tuto credere non possum, et aliunde desunt solida antiquitatis monumenta, ex quibus certa illius ætas colligatur. Solum ex diplomate Rohingi constat, quod anno Christi 725 vel 726 Firminus fuerit abbas Quercolodorensis. Sed jam ignoro, an S. Fredegandus ante vel post Firminum idem monasterium rexerit. Si prolixioribus Actis Belgicis credam, post Firmini tempora eum abbatem fuisse oportet, utpote qui in iis Actis traditur tantum natus fuisse eo tempore, quo S. Willibrordus in Brabantia fidem Christianam propagabat, quod verosimillime ante initium sæculi VIII non contigit. Itaque in hoc systemate S. Fredegandus forte diu post Firminum factus est abbas, et facile cum SS. Gummaro et Rumoldo conversari potuit, etiamsi uterque sub Pippino Rege floruisse supponatur. At etiam alteram chronologiam hypotheticam, et saltem communiori traditione nixam, proponamus.

unde duplex systema chronologicum proponitur.

28 Henschenius noster, num. 2 hujus Commentarii laudatus, suspicatur, monasterium Quercolodorense a S. Amando fuisse exstructum, primumque abbatem illi præfuisse S. Fredegandum, cui forsan successerit Firminus. In hac chronotaxi potuit ipse Amandus, qui anno 684 obiit, S. Fredegandum quadragenarium aut, si vis, quinquagenarium huic monasterio præficere, quod forte usque ad initium sæculi octavi gubernaverit, quando illi mortuo potuit subrogari Firminus. Fateor hæc omnia non satis cohærere cum Actis nostris Latinis, quæ narrant, circa annum Domini septingentesimum tempore sancti Willibrordi confessoris parvum cœnobium ibidem a novo exstructum et erectum fuisse, quod sanctus Fredegandus ex Dei instinctu ingressus est, præeminens præ aliis omnibus in sanctitate et vitæ strenuitate, ob quas [eum] in abbatem

A abbatem elegisse legitur. *Si quis malit pro his Actis, aliunde suspectis, stare, contendatque* S. Fredegandum *a S. Willibrordo huic monasterio præfectum esse, non magnopere repugnabo : nam sicut in hisce systematibus nil video paradoxi, ita etiam nil invenio certi. Quare eruditus lector eligat chronotaxin, quæ magis placuerit. Nos hic interim ex Regesto capituli cathedralis ecclesiæ Antverpiensis damus ejus qualiacumque Acta, quibus subjungimus quædam miracula, quæ ex idiomate nostro Belgico Latina fecimus.*

« Cujus festum per totam diœcesim Leodiensem principale, non tamen celebre ipso » die Alexii, decima septima die Julii, recolitur. Cujus corpus nobiscum in conventu cum omni honore pariter et reverentia tempore exequiarum positum fuerat, et » exaltatum ibidem pluribus annis, post cujus decessum in dicta libertate oratorium » seu ecclesia exstructa, fuerat consecrata » quoque in honore sancti Fredegandi, qui » fuit de Ordine sancti Benedicti, militans » laudabiliter sub eo, et ad Deum feliciter » ac ovanter transcendit *o* ». EX MSS.

ACTA

Auctore anonymo.

Ex Regesto cathedralis ecclesiæ Antverpiensis tom. I *ad annum* MDXCIII *fol.* 257.

B *S. Fredegandus Turnini pie transacta pueritia.* ** lege quod*

Ante et post nativitatem Domini Thurninum situm super ripam fluminis, qui * dicitur Schinda *a*, circiter Antverpiam multis annis fuit quædam libertas *b*, et scribitur nunc per D, et vocatur nostro *c* idiomate Deurne, qui tunc temporis erat portus maris classibus et navibus per terram paludinosam, nunc aggeribus circumseptam, illic applicantibus, quo pro præsenti uberius floret Antverpia, quæ tunc nondum fuerat, sed dumtaxat castrum antiquum. In hac siquidem libertate genitus fuit sanctus Fredegandus seu alio nomine Fredegadus, qui ab ineunte ætate repletus Dei gratia incepit eximiis moribus pollere, ætate et sapientia crescere, et tam Deo, quam hominibus placere.

Ibidem monasterium ingreditur et fit abbas.

2 Existens multum strenuus in vita, et mitissimus in populo, mandatis Christi deditus, et cælesti doctrina opulentus ipsos euangelicæ doctrinæ thesauros suis ac aliis circumquaque in Rylandia *d*, quæ dicitur Regnum sanctum *e*, largiter euangelizavit. Tunc C etenim circa annum Domini septingentesimum *f* tempore sancti Willibrordi confessoris parvum cœnobium ibidem a novo exstructum et erectum fuerat, quod sanctus Fredegandus ex Dei instinctu ingressus est, præeminens præ aliis omnibus in sanctitate et vitæ strenuitate, ob quas in abbatem elegisse * legitur. Eo namque tempore pariformiter sanctus Gommarus *g* floruit militans sub Pippino *h* Duce Francorum orientalium, videlicet inferiorum a Rheno ad usque Schaldam, qui etiam fuit Marchio *i* dicti Regni sancti, quod est Thurninum cum ceteris villis circumvicinis; qui quidem Pippinus multas victorias obtinuit, et Frizones *k* superando, mediante prædicatione sancti Willibrordi ad fidem perduxit catholicam.

** lege electus fuisse*

Tandem mortuus, tamquam sanctus colitur.

3 Audiens vero sanctus Fredegandus Gommarum forte virum catholicum, ipsum illico accersivit, et fidem docuit *l*, et sic sæpissime conversatus est cum sanctis Gommaro et Rumoldo *m*, et quia senior ipsis existens, primus inter ipsos debitum exsolvit naturæ, et primus in Ecclesia Dei canonizatus *n*.

ANNOTATA.

a *Nunc parvus fluvius et vix lintrium capax, qui Turninum alluit. Oportet eum multo latiorem fuisse, si Normanni majoribus navigiis per eum transierint. At forte tunc temporis per Schaldis æstuaria Turninum venerunt.*

b Libertas *hic sumitur pro loco, intra quem incolæ libertate ac privilegiis quibusdam gaudent. Eadem hujus vocis significatio reperitur in Chronico Trudonensi aliisque scriptis, ut videre licet* E *apud Cangium. Latine autem dicitur* municipium.

c *Hinc colligo anonymum Actorum scriptorem fuisse Belgam.*

d *Rylandia est tractus terræ, cujus caput est Antverpia. Alibi vocatur* pagus Renensis. *De ejus etymologia varia incerta videri possunt apud Gramayum in Antiquitatibus Antverpiæ lib.* IV, *cap.* III.

e *Suspicor hic ita appellari, eo quod sit marchionatus sacri Romani imperii.*

f *De hac epocha fusius disputatum est in Commentario prævio.*

g *Quo tempore floruerit S. Gummarus accuratius discuti poterit ad diem* XI *Octobris, quando ejus Acta illustranda erunt.*

h *Designatur hic Pippinus cognomento Herstallus, ut ex circumstantiis satis patet.*

i *Incerta admodum est Marchionum illorum origo, uti testatur Baro le Roy in Notitia Marchionatus S. R. I. lib.* I, *cap.* IV *et sequentibus, ubi tamen chronologicum eorum catalogum utcumque texere conatur.*

k *Frisii, qui a Sigeberto vocantur* Frisiones, *apud Plinium et Tacitum sunt populi Germaniæ prope oram Oceani inter ostia Rheni et Amasis fluviorum habitantes. Hi a Pippino Herstallo subacti fidem Christianam susceperunt, prædicatione S. Willibrordi et sociorum, de qua re scribit venerabilis Beda lib.* V *Hist. cap.* XI. *Historia hæc fusius examinari poterit ad Vitam S. Willibrordi die* VII *Novembris.* F

l *Indicavi jam in Commentario prævio, mihi non placere hanc Actorum nostrorum expressionem, cum in Actis propriis dicatur* sanctus Gummarus . . . . sanctis pollens exordiis, sanctioribusque postmodum insistens studiis, sanctissimo fine cursum vitæ *consummasse.*

m *Jam dixi in Commentario prævio, non cohærere æqualem horum duorum Sanctorum ætatem; siquidem S. Gummarus, ut Acta asserunt, sub Pippino Herstallo militaverit.*

n *Canonizatio hæc fictitia est, si solennis intelligitur : nam in Actis S. Udalrici episcopi Augustani die* IV *Julii elucidatis* § III *ostensum est, solennem hujus Sancti canonizationem fuisse omnium primam, quæ facta est anno* 993.

o *Quæ his signis » distinxi, in Ms. Antverpiensi lineis subducta erant; unde suspicio mihi est,* hæc

Ex Ms.

hæc postmodum ab alio quodam hic addita fuisse, et forte desumpta ex monumentis recentioribus.

MIRACULA

Ex Ms. Belgico auctoris anonymi collecta et Latine reddita.

S. Fredegandus eligitur Turnini patronus contra pestem, a

Cum post translationem S. Fredegandi et destructionem Turnini plus quam quingenti *a* anni elapsi essent, et venerandi Confessoris memoria ex hominum cordibus fuisset deleta, placuit divinæ bonitati merita dilecti sui Servi mundo manifestare, ut ab omnibus hominibus honoraretur : nam tempore Maximiliani Imperatoris *b* circa festum S. Joannis Baptistæ in æstate Turnini exorta est pestis adeo vehemens et insanabilis, ut plurimi statim morerentur. Cum vero incolæ nullum huic malo invenirent remedium, hortatu parochi ad S. Fredegandi patrocinium confugerunt, B et novam Sancti statuam, quam sculpi jusserant, in templo collocarunt. At ecce mox morbus epidemicus serpere desiit, omnesque eo correpti brevi convaluerunt. Quare in hujus beneficii memoriam et gratiarum actionem, obtenta venia ab illustrissimo D. Jacobo de Croy Cameracensi episcopo *c*, solennem supplicationem quotannis prima die Maii habendam instituerunt, in qua Venerabile Sacramentum altaris una cum reliquiis et statua S. Fredegandi circumferretur. Quando fama hujus miraculi per vicinos pagos et urbes spargebatur, multi ægroti undique Turninum confluxerunt ad implorandam S. Fredegandi opem, quam etiam experti sunt, relictis ibidem suæ sanationis signis, videlicet virgis albis, quas peste infecti gestare solent. Magna illarum copia in sacello S. Fredegandi appensa hactenus cernitur. Ne quis autem de iis miraculis dubitare audeat, nos pauca ex multis colligimus, quæ etiamnum quotidie fiunt *d* in templo Turnini, ubi multi a variis morbis ac C præsertim malignis febribus curantur.

cujus intercessione quidam vir a lue liberatur, e

2 Vir quidam, nomine Guilielmus, habitans Turnini habebat filium pestifera lue correptum. Quare cum uxore et filio in proximum pagum Wyneghem *e* confugit. At paulo post, adolescente mortuo, pater eodem morbo laborare cœpit. Sed mox jussit sese una cum uxore Turninum revehi, ac duci ad altare S. Fredegandi. Cum vero illic pias preces fudisset, subito sanitatem obtinuit, ac laudans Deum et S. Fredegandum domum reversus est.

et ancilla ab eodem morbo convaluit; sed votum suum negligens, morte punitur. f

Trajecti ad Rhenum in Hollandia *f* tota quædam familia morbo epidemico interierat, excepta ancilla, quæ etiam periculose ægrotabat. Huic quædam femina Antverpiensis narravit, quanta miracula patraret S. Fredegandus Turnini prope Antverpiam, suasitque, ut ad hujus Sancti honorem eo peregrinationem voveret. Mox ancilla, edito voto, convaluit. Sed cum postea voti immemor a prædicta femina moneretur, ut illud executioni mandaret, cœpit eam irridere et stulta quædam proferre verba, quæ non diu inulta fuerunt : nam in eumdem morbum relapsa D tertio die obiit. Postmodum bona illa femina Antverpiensis venit Terninum et ejus loco votum implevit, ac coram sacerdote ecclesiæ aliisque multis personis hæc omnia ita contigisse, jurejurando affirmavit.

Duo conjuges peste infecti prodigiose sanantur.

3 In suburbio Antverpiensi, quod vulgo dicitur Berchum, Joannes Verlippen et Anna ejus uxor malignis febribus afflicti aeris captandi causa exierant. Cumque in via morbus ingravesceret, ad hospitium quoddam divertunt, in quo hospita advertens, eos hoc morbo laborare, narravit miracula, quæ quotidie Turnini intercessione S. Fredegandi fiebant, eosque hortata est, ut sese ad hujus Sancti ecclesiam conferrent. Tunc Joannes plenus fiducia respondit, sese eo iturum, etiamsi humi repere deberet. Ambo igitur non sine magna molestia Turninum perveniunt, et sese prosternunt ante altare S. Fredegandi. Precibus intenti videbantur sibi videre clarissimum lumen, quod descendebat supra Sancti confessoris statuam, quæ etiam copiosas aquæ guttas sudabat. Cumque se absoluta oratione erigerent, videbant sa- E cerdotem Missam celebrantem, et in templo magnam populi multitudinem, quam antea præ doloris et morbi magnitudine non observaverant. Ambo ante finem Missæ senserunt se ab omni febri immunes. Populus hoc prodigium audiens Deum et S. Fredegandum glorificavit; Joannes vero venit Antverpiam, et publice narravit, quid sibi contigisset.

Mulier surda. g h

4 In dominio, quod vocatur Wesemale *g*, Elisabetha Blivens diu fuerat adeo surda, ut nihil omnino audiret. Hæc, intellectis S. Fredegandi miraculis, misit quemdam dicti dominii scholasticum *h* cum oblatione Turninum confidens, se meritis S. Fredegandi sanandam, uti etiam contigit. Antequam enim clericus reversus esset, perfecte audiebat. Quapropter ipsamet postea ad agendas Sancto gratias Turninum adiit, et beneficium sibi præstitum ibidem declaravit. F

Et anus eodem malo afflicta per S. Fredegandi auditum recuperant. i k

Etiam in pago Brosbeke *i* anus multo tempore surda prodigiose auditum recuperavit : nocte enim quadam in somno apparuit ipsi S. Fredegandus, jussitque, ut iret Turninum ac ibidem suas reliquias *k* visitaret, si a surditate liberari vellet. Mulier expergefacta venit mane cum oblatione Turninum, et fusis ante altare S. Fredegandi precibus, sanata est. Itaque læta domum rediens vicinis suis narravit, quid sibi accidisset.

Puer claudus et paralyticus restituitur.

5 Puer decennis adeo erat claudus et paralyticus, ut a nativitate numquam pedibus consistere potuerit. Eo tempore, quo S. Fredegandus se Turnini variis miraculis celebrem reddebat, dixit parentibus suis, sese non nisi ope S. Fredegandi ab hac infirmitate liberandum esse. Cum autem parentes id ex puero jam sæpius audivissent, tulerunt eum Turninum et posuerunt ante altare S. Fredegandi offerentes illum Deo et sancto Confessori. Finita oratione statim puer surrexit, et perfecte sanatus sine ullo adminiculo cum parentibus domum redivit. Unde omnis populus laudavit Deum et S. Fredegandum, qui tam mirabilia operabatur.

Femina Antverpiensis.

6 Cum Antverpiæ honesta femina, quæ vocabatur Mathildis Rosen, ardente febri correpta esset, vovit peregrinationem ad S. Fredegandum.

A S. Fredegandum. Magna cum fiducia Turninum veniens et S. Fredegandum visitans prorsus convaluit, ac sana domum reversa est.

...e ejusdem ...ris incola. Georgius Ghils habitans Antverpiæ circa templum sanctæ Walburgis cum maligna febri conflictabatur. Auditis prodigiis S. Fredegandi, ut primo potuit, Turninum se contulit, et fusa ante illius aram oratione, sanus Antverpiam reversus est.

...emque alia mulier ardenti... febri ...sanatur. In pago Liloe *l* mulier, nomine Theodorica, contagioso morbo vexata emisit votum visitandi S Fredegandum Turnini. Cumque eo venisset, ac sancti Confessoris opem implorasset, plane sanata est, et læta domum repetiit.

ANNOTATA.

a *Melius dixisset, plus quam sexcentos annos post translationem* S. Fredegandi *elapsos fuisse : nam inter Nortmannorum irruptionem et Maximiliani imperium plus quam sex sæcula effluxerant.*

b *Maximilianus I ab anno* 1493 *usque ad* 1519 *Imperium gubernavit.*

c *Is Cameracensis archiepiscopatus possessionem adeptus est anno* 1504 *et obiit* 1516. EX MSS.

d *Hinc patet, miraculorum collectorem ea narrare, quæ suo tempore fiebant.*

e *Est pagus Brabantiæ, qui una ferme Turnino, et sesqui leuca Belgica Antverpia distat.*

f *Antiqua Belgii civitas, quæ etiam Ultrajectum vocatur. Fuit patria Adriani VI summi Pontificis.*

g *Pagus Brabantiæ inter Lovanium et Arschotum situs.*

h *Vox* Scholasticus *apud scriptores medii ævi varias habet significationes ; sed ex sequentibus apparet, ea voce hic clericum significari.*

i *Exiguus Brabantiæ pagus non procul Turnino dissitus.*

k *Hinc colligo, reliquias quasdam* S. Fredegandi *Turnini olim extitisse, ut fusius dixi in Commentario prævio.*

l *Jam est oppidum a Batavis munitum, vulgo dictum* Lillo, *quod fluvio Scaldi adjacet, et tribus circiter leucis Antverpia distat.*

B E

DE S. KENELMO PUERO MARTYRE

IN WINCHELCUMBENSI MONASTERIO IN ANGLIA.

Sancti cultus et Acta.

G. C.

Anno DCCCXIX. ...tus S. Kenel... in monaste... Winchelcumbensi. Celebre Angliæ monasterium, in agro Glocestrensi situm, quod vulgo Winchelcumbe *appellatur, olim* S. Kenelmum *martyrem ac die solenniter colebat, et catholico ritu sacra ossa, ibidem honorifice reposita, venerabatur. Guilielmus Malmesburiensis libro* I *de Gestis Regum Anglorum pag.* 33 *agens de magnifica templi Winchelcumbensis dedicatione, aliisque rebus a Kenulpho, Merciorum rege et Martyris nostri patre, pie ac præclare gestis hæc in fine addit :* Filius ejus Kenelmus puer admodum a sorore sua Quen- C drida innocue cæsus, nomen et decus martyrii adeptus, ibidem *(nempe in ecclesia Winchelcumbensi)* pausat. *Deinde lib.* II *ejusdem operis pag.* 88 *celebrem Sancti pueri cultum indicat his verbis :* Corpusculum Sancti celebriter colitur; nec ullus fere locus in Anglia majori ad festum adventantium veneratur frequentia : exigit hoc et antiquæ sanctitatis persuasio, et miraculorum crebra exhibitio. *Ipse Camdenus heterodoxus antiquam hujus Martyris venerationem, quantumvis hæresi suæ contrariam, plane occultare non potuit, dum in sua Britannia apud me pag.* 257 *ita scribit :* Winchelcombe hic etiam oppidum satis frequens, ubi Kenulphus Mercius monasterium erexit, et quo consecravit die, Edbricthum Cantii regem, quem captivum tenuerat, gratis ad suos dimisit. Vix credas, in quanta celebritate hoc monasterium jam pridem fuerat ob reliquias regis Kenelmi, pueri septennis, quem soror, ut hæreditatem interverteret, clanculum e medio sustulit, et in martyrum catalogum Majores retulerunt. *Si quis diploma fundationis, aliaque ad cœnobium Winchelcumbense spectantia videre cupit, consulat Monasticon Anglicanum tomo* I *a pag.* 187.

probatur ex Martyrologiis, 2 *Auctaria Usuardina varia hoc die Sanctum nostrum memorant, uti videri potest in Usuardo non ita pridem illustrato. Hinc forte transiit in varia recentiorum Martyrologia. Canisius noster, Grevenum de more secutus, in Martyrologio suo Germanico eum vocat* Kenelinum. *Ferrarius autem in Catalogo Generali eodem die sic eum annuntiat :* In Anglia, S. Kenelmi pueri regis Merciorum et martyris. *Eumdem Martyrem hac die celebrant duo Martyrologia Anglice conscripta,* F *quorum unum, anno* 1608 *impressum, complectitur integrum Actorum compendium ; alterum vero, quod anno* 1640 *editum est, omissa prodigiosa sororis Quendredæ punitione, brevius elogium continet. Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* X, *cap.* XIX *post Acta breviora, quæ ex Guilielmo (is est, ut fallor, Malmesburiensis) desumpsit, in fine hæc addit :* Passus est autem sanctus Martyr tertio Nonas Novembris. *Varii Martyrologi in assignanda festivitatis die Petrum Equilinum imitati sunt. Quapropter Ferrarius annuntiationem, quam antea die* XVII *Julii posuerat, paucis mutatis, tertio Nonas Novembris ita repetit :* In Anglia, S Chenelmi pueri et martyris. *Maurolycus et Felicius die* III *Novembris eadem ad verbum fere habent.*

et lectionibus propriis. 3 *Breviarium, quod anno* 1499 *Lovanii impressum est* ad usum ecclesiæ Sarum, *id est Sarisburiensis in Anglia, festivitatem* S. Kenelmi *die* XVII *Julii celebrat Officio Ecclesiastico, cujus tres lectiones proprias hic exscribo.* Lectio I. Gloriosissimus Kenelphus rex Merciorum anno Domini octogesimo nono *, imperii vero sui

** lege octingentesimo decimo nono*

AUCTORE G. C.

sui vicesimo quarto migrans ad Dominum, paterno affectu heredem filium reliquit Kenelmum. Erant Kenelmo regiæ germanæ Quendreda (quæ postea fraternum sanguinem hausit) et Burgenilda, quæ fratrem sororia affectione dilexit. Quendreda autem sævo livore, et regnandi stimulata ambitione, cum nullo modo fratrem suum veneno posset exstinguere, nutritium suum, nomine Askerbertum, ingentibus præmiis et spe consortis imperii in fraternum armat jugulum. LECTIO II. Qui nephandissimus proditor Kenelmum in silvam venandi gratia adducit. Ubi vero cum puer septennis, somno prægravante, securus soporaretur, a crudelissimo carnifice fossa paratur, in qua parvulus obruatur. Beatus igitur Kenelmus expergiscens, et consilium divinitus intelligens : Frustra, inquit, hanc mihi molitus es speluncam : non enim [hic], ut putasti; sed in remotiori loco, ubi Dominus providit, occumbam.

ac oratione ecclesiæ Sarisburiensis.

4 LECTIO III. Unde certum dabit tibi signum hæc virga (nam virgam manu gestabat, et terræ affixerat) si modo plantata B frondeat. Hæc eo pronuntiante, statim radicata virga cœpit frondescere; unde adhuc ingens fraxinus ostenditur, qui in memoriam beati Kenelmi celebris habetur. Asseritur, quod jam decollandus beatus Kenelmus sacrum hymnum, TE DEUM LAUDAMUS, TE DOMINUM CONFITEMUR incepit, atque in illo versu : TE MARTYRUM CANDIDATUS LAUDAT EXERCITUS jugulatus occubuit. Ille autem ipsius percussor cæsum innocentem terra obruit. Itaque ad auctoritatem Apostolicam et archipræsulis excipitur sacrum corpus Kenelmi cum superna laude, quatenus transferretur ad beatum genitorem suum Winchelcumbe, ubi idem Deo amabilis rex requiescit in templo. *Breviarium Sarisburiense an.* 1557 *Parisiis editum, mendis quibusdam correctis, eadem narrat. In utraque editione legitur sequens oratio :* Omnipotens et misericors Deus, qui nobis præclaram hujus diei lætitiam pro beati Kenelmi martyris tui solennitate tribuisti, intende serenus vota fidelis populi, et concede, ut cujus hodie festa percolimus, C ejus semper meritis et precibus sublevemur. Per Dominum *etc. Reliqua recitantur de communi unius martyris.*

Ejusdem Martyris sanctitas confirmatur ab Ingulpho.

5 *Jam temporis ordine proferemus aliquot vetustiores Angliæ scriptores, qui ejusdem Martyris sanctitatem confirmant, quamvis in narrandis Actorum ac miraculorum circumstantiis subinde inter se differant, ut per decursum apparebit. Ingulphus abbas Croylandensis, qui exeunte sæculo* XI *claruit, in sua historia, inter alios scriptores Anglos anno* 1601 *Francofurti edita, pag.* 855 *hæc habet :* Anno Christi Domini DCCC decimo nono, iste inclytus rex Merciorum Kenulphus, exactis in regno XXVI *(plerique tantum 24 regni annos ipsi tribuunt)* annis, post multa bona opera, quæ in vita sua tam sancte quam strenue gesserat, hujus temporalis vitæ cum omnium dolore finem fecit, et Winchelcumbæ monasterio nigrorum monachorum, quod a fundamentis construxerat, corpus traditur sepulturæ, sed felix anima cælestia regna petivit. Filium suum sanctum Kenelmum puerum septennem regni reliquit hæredem, qui dolo germanæ suæ Quendredæ (tanta ambitione ad regni sceptrum mulier sceleratissima aspirabat) paucis mensibus D a patris obitu devolutis, in quadam sylva, qua spatiatum advesperascente die ductus erat, ab Asceberto nutritore suo puer innocentissimus crudelissime martyrizatus est, et divino demum miraculo, radio lucis immensæ tota nocte super corpus Martyris rutilante, repertus est, et ad Wincheltumbam juxta patris sui mausoleum celebri traditur sepulturæ.

Florentio Wigorniensi.

6 *Huic scriptori ferme coætaneus est Florentius Wigorniensis, qui in Chronico ad annum* 819 *de Sancto nostro scribit sequentia :* Rex Merciorum S. Kenulphus post multa bona, quæ in sua vita gessit, opera ad beatitudinem, quæ in cælis est, transivit perennem, filiumque suum Kenelmum septennem regni reliquit hæredem. Sed paucis mensibus evolutis, germanæ suæ Quendritæ insidiis, cujus sævam conscientiam dira cupido regnandi armaret, ausu crudelitatis ab Asceberto nutritore suo cruentissimo in vasta sylvaque nemorosa sub arbore spinosa occulte traditur jugulo : verum qui solo teste cælo est jugulatus, cælo teste per columnam lucis postmodum est re- E velatus. Absciditur caput Kenelmi natalis et innocentiæ candore lacteum; unde lactea columba aureis pennis evolat in cælum; post cujus felix martyrium Ceolulfus regnum suscepit Merciorum.

Guilielmo Malmesburiensi.

7 *Florentio ætate proximus est Guilielmus Malmesburiensis, qui lib.* IV *de Gestis Pontificum Anglorum agens de dedicatione ecclesiæ Winchelcumbensis, ita ad propositum nostrum loquitur pag.* 284 : Ibi requiescit pater Kenulfus cum filio Kenelmo, quem genitor septennem Quendridæ sorori reliquerat alendum. Sed illa falso cupiditati suæ regnum pollicita, fraterculum tollendum e medio satelliti, qui alumnus erat, commendavit. Is insontem quasi venatum ducens, inter fruticeta obtruncatum occuluit. Et mirum dictu, quod fraus tam celate in Anglia commissa, Romæ divinitus innotuit : siquidem membrana super altare sancti Petri, columba superne ferente, delapsa, necis et sepulturæ loci per ordinem index fuit : quæ, quod elementis Anglicis erat conscripta, a Romanis et aliarum gen- F tium hominibus, qui aderant, frustra legi tentata; sed salubriter et in tempore astitit Anglus, et Latialiter linguæ involucrum evolvens, effecit, ut Apostolici epistola regibus Anglis compatriotam Martyrem indicaret. Quocirca frequenti cœtu pueruli corpus levatum vehebatur Wincelcumbam. Ita clericorum vocali cantu, et laïcorum alacri plausu parricida femina commota e fenestra cœnaculi, in quo stabat, caput extulit, et forte psalmum cantabat DEUS LAUDEM MEAM : quem a fine, nescio quo præstigio retrogradum ducens, nitebatur lætitiam cantantium infirmare. Tum vero vi divina lumina veneficæ, cavis orbibus evulsa, cruore versum polluerunt HOC OPUS EORUM, QUI DETRAHEBANT MIHI APUD DOMINUM, ET QUI LOQUUNTUR MALA ADVERSUS ANIMAM MEAM. Cruoris signa exstant hodie, immanitatem mulierculæ, et Dei ultionem spirantia.

aliisque scriptoribus Anglis, inter quos suorum error corrigitur.

8 *Henricus archidiaconus Huntigdonensis, qui circa medium sæculi* XII *floruit, in veteri membrana Ms. de Sanctis Angliæ, in museo nostro servata, de eodem Martyre hæc habet :* Kenelmi vero martyrium

martyrium clandestinum leges apud Winchelcumbe. Hic fuit filius regis Merciorum Kenulfi, qui cum XXIIII annos regnasset, anno gratiæ DCCC et XIX decessit. Martyrium vero Kenelmi filii ejus revelatum est cælitus Romæ Silvestro juniori Papæ. *Non liquet, quem Silvestrum Papam hic designare velit, cum Romanus Pontifex istius nominis primus multis sæculis antea vixerit; secundus vero tantum sæculo* XI *obierit. Quare suspicor, crassum adeo errorem ab ignaro quodam amanuensi commissum esse. Neque levis est error Joannis Bromptoni, qui in chronico, sub finem sæculi* XII *exarato, narrat, cædem* S. Kenelmi *schedula, per columbam delata, Romæ detectam fuisse,* cum Leo Papa minor Missarum solemnia celebraret. *Non ignoro, quid hic sibi velit* Papa minor, *uti nec cur Silvester supra vocetur* junior Papa: *id non satis intelligo, quomodo recentis cædis revelatio fieri potuerit tempore Leonis III, qui anno Christi* 816 *obiit, cum tamen juxta chronologos Anglos* S. Kenelmus *tantum anno* 819 *occisus sit. Opinor itaque, Leonem III perperam substitutum fuisse pro Paschali I, qui ab anno* 817 *usque ad* 824 *Ecclesiam gubernavit.*

R[illegible] cædis S. Kenelmi Ro[mæ] [illegible].

9 *Audiamus jam, quomodo citatus Joannes Bromptonus, inter decem Anglicanæ historiæ scriptores anno* 1652 *Londini editus, col.* 777 *hanc Romanam cædis revelationem exponat.* Verum, *inquit,* quia nihil opertum, quod non reveletur, præfulgida lucerna, quæ obfuscabatur in Anglia, clarius in arce emicuit mundi Roma: nam cum Leo Papa minor Missarum solennia innumerabili populo astante celebraret, ecce columba candidissima desuper omnibus palam apparuit, quæ niveam membranam blando rostro super altare beati Petri deposuit aureis litteris hoc modo Anglice scriptam:

In clent / in coudale / Kenelm kingis
Gern / lith undir thorn hed byreved.

Sacer autem Apostolicus novam schedulam, ignotis verbis et litteris editam, cum tremore respiciens, populum et clericos diversarum nationum tunc in curia existentes ad se vocavit, quatenus indicarent, si quis inter eos aliquid hujus epistolaris relationis cognovisset. Unde ab Anglicis litteratis, qui inter alios convocatos ibi aderant, sacra epistola recitatur, cujus interpretatio Latine est ista:

In Clento vaccæ valle Kenelmus regius
Natus, jacet sub spina capite truncatus.

[illegible]

10 *Matthæus Westmonasteriensis in Floribus Historiarum ad annum Christi* 821, *prudenter prætermisso Romani Pontificis nomine, eamdem detectæ cædis historiam contexuit. Sed apud ipsum verba Anglica differunt a præcedentibus, quæ tamen uterque scriptor in schedula Romam allata ad verbum contineri testatur. In substantia tamen plane conveniunt: nam apud Westmonasteriensem verborum sensum recte ita reddidit quidam poeta his duobus versibus Leoninis:*

In Clenc sub spina, jacet in convalle bovina,
Vertice privatus Kenelmus rege creatus.

Vix scio, quid de hac prodigiosa cædis revelatione censendum sit. Mirum sane est, apud Labbeum in prolixa Paschalis I Vita, ubi alia de sanctorum corporum inventione narrantur, nullam fieri de hac re mentionem. Mirum quoque est, prodigium adeo publicum ab aliis Historiæ ecclesiasticæ scriptoribus non fuisse litteris traditum. Ut ut est, optandum foret, ut scriptores synchroni aut suppares illud miraculum memoriæ prodidissent. *Certe Ingulphus et Florentius Wigorniensis, superius citati, de sacri corporis revelatione Romæ facta altum silent; sed asserunt, corpus* S. Kenelmi, *lumine super sepulcrum ejus rutilante, in Anglia detectum fuisse. Hujus itaque narrationis fides sit penes primum ejus assertorem Guilielmum Malmesburiensem, qui facile trecentis annis post* S. Kenelmi *martyrium libros suos conscripsit.*

Miraculum punitæ Quindredæ sororis S. Kenelmi.

11 *Facilius credidero ea, quæ de mirabili Quindredæ punitione narrantur; quid historici Angli testantur, manifesta divinæ ultionis vestigia adhuc suo tempore extitisse. Præter ea, quæ circa hanc rem ex Guilielmo Malmesburiensi superius dedi, Matthæus Westmonasteriensis loco proxime citato sic loquitur:* Ambo ejus *(scilicet Quindredæ)* oculi a sedibus suis evulsi continuo super ipsam, quam legebat, paginam corruerunt. Adhuc autem Psalterium illud argento fabrefactum, et lapsorum luminum cruore madefactum, hujus correptionis præbet indicium. *Joannes Bromptonus, quem circa finem sæculi* XII *floruisse diximus, idem divinæ vindictæ indicium suo tempore perseverasse affirmat his verbis:* Manifesta divina ultione pupillæ amborum oculorum ejus super ipsum Psalterium (quod in memoriam rei gestæ in dicta ecclesia monasterii **Wijnchecumbe** usque hodie servatur) a capite evolabant. *His similia sunt, quæ dicuntur in Actis* S. Kenelmi *num.* 10.

confirmatur

12 *Giraldus a patria vulgo dictus Cambrensis, Joanni Bromptono coætaneus in Itinerario Cambriæ lib.* I, *cap.* II *narrat quoddam miraculum, quod hic totum exscribere volui, quia ad institutum nostrum spectat, et præcedentium auctorum testimonia confirmat. Sic igitur scribit:* De Psalterio quoque Quindredæ sororis sancti Kenelmi, cujus instinctu interfectus erat, virtus magna nostris diebus emicuit. Cum subcelerarius vigilia sancti Kenelmi sero apud Winchelcumbe adventantibus mulierum turbis de vicinia et notitia monachorum ad festum, ut solent, cum quadam illarum inter septa monasterii fornicationem incurrit: Qui die crastino ad processionem Psalterium prædictum inter reliquias Sanctorum ferre præsumens, completa processionis solennitate, reversus in chorum idem manibus suis firmiter adhærens deponere non prævaluit. Qui stupefactus plurimum et confusus, tandem delictum hesternum ad mentem revocans, confessione facta et pœnitentia injuncta, fratrum orationibus adjutus, et propria compunctione contritus, a vinculo divinitus dato demum absolvi meruit et laxari. Liber autem ille ideo in veneratione magna ibi tenetur, quia cum corpus Kenelmi deferretur, et clamarent turbæ: Martyr Dei est, est vere, martyr Dei est; Respondit Quindreda fratricidii rea et conscia: Adeo vere martyr Dei est, sicut verum est, quod oculi mei super Psalterium istud eruti jaceant: ea enim hora Psalterium forte legebat. Et statim oculi ejus ambo a capite divinitus avulsi in librum apertum, ubi et vestigia sanguinis adhuc apparent, ceciderunt. *Quamvis hic punitio Quindredæ diverso paululum modo referatur, tamen facit ad id, quod probare intendo. Jam de Vita huic commentario subjungenda pauca præfabimur.*

[illegible] tur.

13 *Imprimis incertum est, a quo auctore et quo tempore Acta* S. Kenelmi *conscripta sint. At saltem colligo, ea post annum Christi millesimum scripta fuisse, eo quod in illis num.* 11 *narretur quoddam*

AUCTORE G. C.

quoddam miraculum factum tempore regis Canuti, qui tantum anno 1017 *Anglis imperare cœpit. Aliunde ecgraphum nostrum Ms. ferme ad verbum convenit cum Legenda Sanctorum Angliæ, a Joanne Capgravio compilata, quæ non videtur valde antiqua. Attamen, omnibus expensis, conjicio, Acta illa sæculo* XII *exarata, aut saltem postmodum ex vetustioribus partim desumpta esse, quia in substantia vix differunt ab iis, quæ Joannes Bromptonus circa finem sæculi* XII *chronico suo inseruit. Nostra quidem hinc inde verbosiora sunt, et pluribus miraculis aucta, sed hanc discrepantiam facile in Annotatis observabimus. Jam Ms. nostrum, quod a Canonicis Regularibus Rubeæ Vallis prope Bruxellas accepimus, cum Legenda Capgravii collatum hic typis mandamus.*

ACTA ET MIRACULA

Ex Ms. Canonicorum Regularium Rubeæ Vallis prope Bruxellas, collato cum Legenda Joannis Capgravii.

B

Dum Quendreda fratri mortem parat, a

Rex Merciorum Kenulfus, anno Domini octingentesimo decimo nono, regni sui vicesimo quarto *a* mundum relinquens, Kenelmum heredem reliquit, cui erant duæ sorores Quendreda, et Burgenilda. Hunc enim Kenelmum ætate parvulum, sed animo ac pietate magnificum in regem elegerat amor populi sui: sed Quendreda sævo livore, et regnandi ambitione stimulata insidiabatur illi. Quem cum veneno extinguere non posset, ejus nutricium et procuratorem, nomine Ascherbercum, ingentibus præmiis, et spe consortis imperii in fraternum jugulum armare non timuit. Tali modo invicem consiliati paraverunt sagittas suas, ut sagittarent in obscuro rectum corde. C

S. Kenelmus habet visionem,

* *al.* Wiwennæ

2 Ea tempestate vidit Kenelmus per somnium visionem, quam nutrici suæ Wlibennæ * referens dixit: Visum est mihi, o mater charissima, quod ante cubiculum meum arbor altissima usque ad sidera stabat; me vero videbam stare in ejus arduo vertice, unde late cuncta poteram aspicere. Erat autem pulcherrima et late diffusis ramis speciosa, ab imo ad summum omnibus floribus refertissima. Videbam quoque innumeris luminaribus totam ardere: mihi vero tres partes hujus terræ prona curvari devotione. Cumque de tanta specula mirarer visionem, quidam meorum subter irruentes succiderunt arborem, et illa ingenti ruina cecidit. Ego vero protinus efficiebar avicula candida, et libero volatu æthera penetravi.

quam nutrix de instanti ejus cæde interpretatur.

3 Vix elocutus fuerat visionem, cum nutrix pectus tundens talem erupit in vocem: Heu me, inquit, fili dulcissime, heu lactatio mea, et nutrimentum meum suave! Ergone insidiæ tuorum, ergone maligna consilia sororis et nutricii tui prævalebunt adversum te? Heu, quam timeo, arborem illam succisam indolis tuæ præsignare jacturam! Verumtamen in avicula, qua penetrabis æthera, intelligitur ascensuræ tuæ animæ gloria *b*. D

Sanctus puer, necis suæ præscius, b

4 Ascherbertus tandem, habita occasione sceleris maturandi, Kenelmum abducit in silvam gratia venandi, quasi oblectandum amore studii paterni. Cumque silvæ approximarent, tenellus septem annorum puer somno prægravatus equo delabitur, ibique recubans securus malorum totus soporatur. Tunc crudelissimus nutricius foveam parat, in quam eum citius obruat. Puer tandem expergiscens prophetica fertur voce dixisse: Frustra hanc mihi molitus es speluncam: non enim hic, ut cogitas, sed remotiori loco, ubi Deus providit, occumbam. Unde tibi certum dabit hæc virga signum, si modo plantata frondeat. Et virgam, quam manu gessit, terræ infixit. Hæc eo dicente, statim radicata virga cœpit frondescere, et usque hodie ingens ibi fraxinus ostensa in memoria beati Kenelmi celebris habetur.

a nutritore suo occulte occiditur.

2 Tunc sævissimus artifex longius puerum abducit, in vallem profundam in ipsa silva, Clento vocatam. Cumque tyrannus, filius iniquitatis, diversa loca secreta curiosus quæreret, sic cum videbatur increpare Martyr voce dominica: Quod facis, fac citius. Ibi igitur sub arbore spi: a caput Kenelmi septennis abscinditur, quod ipse protinus extensis palmulis excepisse memoratur *c*. Asseritur etiam quod jam decollandus. Te Deum laudamus, te Dominum confitemur inceperit: atque in illo versu, te Martyrum candidatus laudat exercitus, jugulatus occubuerit, decimo sexto Kalendas Augusti. E c

sed Deus variis signis tum in Anglia,

6 Illico autem impius persecutor cæsum innocentem terra obruit, et ad domum festinus rediit. Denique, qui cælo teste martyrium pertulit, cælo teste revelatus et declaratus fuit. Nam fulgida lucis columna de cælo super locum effusa, sæpius ostensa est. Quem enim ab humana notitia abscondere nitebatur inhumanitas beluina, illum hominibus prodebat pecualis diligentia. Candida namque bos cujusdam viduæ, pascuis relictis publicis, ab alto monte ad infimum sepulti monumentum decurrit, inseparabilis ibi adhæsit, mira oblectatione divinitus attracta et illecta, ut nullius inde instantia avelli posset. Quoties vero ad domum reducta extitit, totum armentum duplo lactis copia superabat, tam salubri circa sanctam glebam pascebatur herba et gratia *; miroque modo quod vesperi detonsum erat, mane abundantius inveniebat. Hinc autem locus idem Vaccæ Vallis appellari consuevit. F

* *al.* grata

tum Romæ

7 Empto Quendreda per fratricidium regno potita, tali edicto omnes terruit, ut si quis Kenelmum requireret vel indicaret, vel etiam de eo verbis tractaret, sine dilatione capitis plexus pœna patiens lueret *d*. Verum præfulgida lucerna, quæ obfuscabatur in Anglia, clarius emicuit in arce mundi Roma. Nam cum Leo Papa junior *e*, Missarum solennia celebraret, ecce columba super nivem candida palam apparuit, niveam membranam aureis litteris Anglice inscriptam rostro ferens super altare beati Petri deposuit, et abscessit. Papa vero cum timore * respiciens d e

* *al.* tremore

A respiciens novam scedulam ignotis verbis ac litteris editam populis diversarum nationum demonstravit, inter quos erant Anglici sacram epistolam legentes talem interpretationem continentem : In Clento Vaccæ Valle jacet Kenelmus regius natus sub spina capite truncatus.

..s.t m ejus manifestat.

8 Tunc Papa, postposito feminearum minarum terrore, mittit cum Anglis fidelibus legatos Cardinales cum litteris et potestate Apostolica ad Archiepiscopum Dorberniæ *f* Wilfridum *g* ceterosque Pontifices Anglorum, quatenus de indigno latibulo in ecclesiam martyrem transferrent Kenelmum. Cum autem corpus ejus de terra esset elevatum, fons vivus inde emersit, qui in rivum effluens multis inde gustantibus salutem impendit. Corpore enim de silva delato, maxima turba cæcorum, surdorum, claudorum, et variis morbis detentorum curata est.

et reliquiarum translationem miraculo.

9 Altercantibus autem pro corpore Gloverniensibus, et Wigorniensibus, complacuit tandem parti utrique, ut populus, qui in crepusculo sequentis diei prior evigilasset, sanctum B Kenelmum, quasi divinitus sibi datum, auferret. Glovernienses itaque vigilantiores cum sacra gleba jam quindecim milliaribus evaserant, antequam alii a somno excitati, et rubore ac ira succensi tota celeritate post eos sequerentur. Quos ubi eminus fugientes prospexerunt, invocato sancti Kenelmi suffragio, per angustam semitam evadentes inter fruteta se protegebant. Cumque non procul a monasterio Winchecumbensi labore sitique gravissima cum corpore sancto fessi sederent, opem sancti Kenelmi humili devotione implorabant. Nec mora, fons vivus et usque in hodiernum diem jugiter manans, sub quadam petra erumpens, sitim potantium ex eo restinxit *h*.

ac impiæ sororis punitione clarior redditur.

10 Stabat tunc Quenreda in solario quodam, et multitudinem respiciens cum triumpho fraternæ gloriæ venientem, ira et indignatione cœpit tabescere. Accepto autem Psalterio, quodam præstigio, non cantare pro illo studuit; sed incantare contra illum centesimum octavum psalmum, quatenus a fine ad caput, ab ultimo versu ad primum C pervertendo eum fraternæ felicitati efficeret perniciosum. Verumtamen in ipsam redundavit, Deo volente, maledictum suum. Cum enim a fine ascendendo hunc versum volveret ore venefico, HOC OPUS QUI DETRAHUNT MIHI APUD DOMINUM, continuo sibi utrique oculi suis sedibus exstirpati, super ipsam, quam legebat, paginam ceciderunt. Adhuc autem ipsum Psalterium, argento paratum hujus correptionis cruore maculatum, præbet indicium. Ipsa vero infelix post paululum interiit *i*. Quam ferunt nec in ecclesia nec in campo sepultam posse teneri ; sed quemdam, infantem lucidissimum apparentem cuidam jussisse in quodam profundo loco eam projici.

Invasor quidam agri multatur.
** al. judicatur- que*

11 Tempore regis Canuti quidam Danus partem juris sancti Kenelmi auferre tentavit judicavitque * ut dives ille cum viginti quatuor super corpus sancti Kenelmi jus suum sacramento probaret. Cumque hoc facere se ingereret, subito Dei virtute repulsus retrogradus abscessit et quasi vasto ictu obrutus supinus concidit : sicque terra Sancto adjudicata, adversarius domum deductus, qui terram alienam inique auferre tentavit, omnia possessa cum seculo jure amisit. EX MSS

et matronæ S. Kenelmi festum contemnens puniuntur.

12 Matrona quædam festum sancti Kenelmi observare contempsit, et in prandio sedens, indigna quædam verba in Sanctum intorsit, nec quidquam operis intermitti imperavit : pro Kenelmo, inquit, nescio quo, fructum diei non perdemus. Vix verbum emisit, et ecce utrique oculi excussi in terram ceciderunt, et boves ad vehicula juncti ligna et juga excutientes ita dispersi sunt, ut deinceps inveniri non possent.

Cæcus et mutus,

13 Cæcus quidam a nativitate sepulcrum Sancti visitans, contemplatur puerum speciosissimum sibi assistere, duo sidera præfulgida manu gestantem, et ea oculorum sedibus sibi imprimentem. Nec mora, ad se reversus, reseratis oculis, vidit clare; mirabatur ignotas rerum species, mundi amplitudinem, lucis nitorem, et cetera, quæ in mundo sunt. Quidam a nativitate mutus, vidit sanctum Kenelmum cum cereo flagrante sibi advenire, atque ita ardentem in os sibi patulum impingere, sicque exsiliens loquebatur recte, et qui prius tantum poterat audire, E jam valebat proferre.

alii ægroti ad sepulcrum ejus sanantur.

14 Alium quoque mutum curavit, linguamque habilem ad loquendum reddidit. Quemdam ferro accinctum liberavit ; contractum gressibus restituit ; cæcum illuminavit ; contractum talos natibus habentem impressos, manusque retortas, ut digiti retrorsum inhærerent brachiis proficiscentem, et ut ad sanctum Kenelmum redeat admonitum membra gressui apta reddidit. Videbat enim puerum speciosissimum de altari descendere, aureaque virga, quam manu gestabat, ipsum tangere, et ut surgeret, imperare. Quo facto altare iterum conscendit, et scrinium suum subito intravit *k*.

ANNOTATA.

a *Indulphus abbas notat annum regni* XXVI, *sed cum plerisque videtur tenendus annus* XXIV, *ut ostendit Alfordus noster in Annalibus ecclesiæ Anglicanæ ad annum Christi* 819 *num.* 5.

b *Tota hæc* S. Kenelmi *visio, et nutricis interpretatio non legitur in Joanne Bromptono.* F

c *Hæc prodigiosa proprii capitis inter manus susceptio etiam in Bromptono non invenitur. Unde suspicor eam ornatus gratia hic additam fuisse.*

d *Hoc edictum Quindredæ non videtur satis verosimile, quia cædem occultare cupiebat.*

e *Hunc parachronismum, qui cum initio Actorum non cohæret, observavimus in Commentario prævio num.* 8.

f *Cantuaria olim dicta fuit* Durovernum *et* Darvernum ; *Bedæ vero et aliis* Dorobernia. *Jam vulgo ab Anglis vocatur* Canterbury.

g *Is præsul Cantuariensis satis notus est in Historia Anglicana, ut videri potest in Annalibus Alfordi, Anglia sacra, aliisque scriptoribus Anglis passim obviis.*

h *De hac altercatione Gloverniensium id est Glocestriensium, et Wigorniensium etiam non meminit Bromptonus, uti nec de miraculo cum seculo.*

i *Quindredæ interitum brevi secutum confirmat Bromptonus, aliique scriptores Angli. Nihilominus Alfordus noster in Annalibus ad annum Christi* 819 *num.* 18 *putat, quod Quindredæ adhuc post quatuor annos fuerit superstes, et monasterium ingressa*

A *ingressa pœnitentiam egerit. Ratio, qua assertionem suam probare nititur, videri potest loco citato.*

k *Omnia hæc miracula a num.* 11 *usque ad finem tantum reperiuntur in sola Legenda Capgravii. Unde pronum est judicare, ea postmodum a* D *quopiam Actis* S. Kenelmi *superaddita fuisse.*

DE S. LEONE PP. IV CONFESSORE

ROMÆ.

J. B. S.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Vetustus Sancti cultus, elogia et translatio.

ANNO DCCCLV. *Inter Leones PP. Sanctus ordine quartus.*

De *sanctis Romanis Pontificibus sub* Leonis *nomine, jam in hoc opere et in observationibus ad Usuardi Martyrologium non semel dictum est; et de primo quidem seu* Leone *magno disputanda fuere nonnulla, ad tollendam* B *confusionem quæ in Martyrologia irrepserat, quemadmodum* XI *Aprilis et* XXVIII *Junii explicatum est, iis etiam abunde expositis quæ ad S. Leonem II pertinebant. Proximi sub eodem nomine Pontificis S. Leonis III gesta illustrata sunt* XII *Junii; neque S. Leonis IX merita ad* XIX *Aprilis prætcrita; ut inter synonymos Sanctos Pontifices solus supersit* S. Leo IV, *in auctariis Usuardinis die præcedenti celebratus, dum inter Prætermissos notavi, ejus Acta hoc die quo ad Superos evolavit, cum Martyrologio Romano aliisque illustranda. Atque id modo facere aggredior, ea primum relaturus quæ ad cultum ejus stabiliendum spectant, tum vero alia discussurus circa electionem et consecrationem, demum quæ de gestis ejus ex variis scriptoribus colliguntur. Cum vero gesta pleraque digesserit aut saltem annotata reliquerit Anastasius Bibliothecarius, sanctissimi Pontificis coætaneus, non videntur majori fide tradi potuisse, ut solæ observationes desiderari videantur, quibus obscura nonnulla, quoad fieri poterit, elucidentur. Hic primum de ejus cultu ex Martyrologiis aliisque monumentis, tum* C *de inventione et translatione paucis disserendum.*

non solum in auctariis Usuardinis,

2 *Vetustissima, quæ in Usuardinis reperiatur, sancti hujus* Leonis IV *memoria, ea certo est quam dedimus ex codicibus Florentinis, in quibus die præcedenti notavimus, male legi,* Romæ S. Leonis Papæ V, *ubi dubium videri nequit, quin indicetur* Leo IV, *cum de altero Leone V, paucorum dierum Pontifice, obscuro sæculo* X, *nulla sanctitatis aut cultus indicia usquam appareant. Expressior est editionis Lubeco-Colon. annuntiatio his verbis :* Romæ, natale beati Leonis IV Papæ et confessoris; qui sedit annos octo, menses tres, dies sex. Hic orationibus et vigiliis jugiter intentus, sepultus est in ecclesia S. Petri. *Parum ab his differunt quæ habet Grevenus :* Leonis Papæ IV et confessoris, qui sedit annis octo : vir valde sanctus, vigiliis et orationibus multum intentus, utpote qui ab infantia inter monachos sanctos fuit enutritus. *Iisdem vestigiis insistit Canisius, sed cum paulo longiori elogio, ex laudati jam Bibliothecarii historia desumpto, quod hic totum ex Germanico vertere nil opus est, cum ex ipso fonte purius hæc omnia derivari possint et porro infra suo loco multo copiosius derivanda sint.*

3 *Ad quam ætatem spectent editiones istæ Colonienses auctioris Usuardi, uti et Canisiana, probe mihi notum est, nota item edito Florentina anni* 1486, *qua quot annis antiquiores sint dicti codices Florentini, candide fassus sum, perspectum mihi non esse, neque eodem sæculo* XV *antiquiores videri, ut habes in Præfatione Usuardina num.* E 354. *Ast inde repeti nequaquam velim primum aut vetustissimum de* Leonis PP. IV *sanctitate testimonium, cum tribus omnino sæculis antiquior sit Petrus ille Manlius, de basilica Vaticana scribens, quem tomo* VII *Junii edidimus, utpote qui certissime vixerit sæculo* XII. *Ita vero ibi diserte memorat iste num.* 107 : Ante altare S. Mauritii juxta aditum qui vadit ad S. Martinum post S. Petrum, est oratorium sancti Leonis Papæ IV, in quo (sicut sæpe a nostris majoribus accepimus, videlicet a Domino presbytero Cencio Priore, et Domino Petro Christiano) sanctæ recordationis Dominus Paschalis Papa II corpus beati Leonis Papæ I et II et III et IV recondidit, sicut etiam multi nostrorum viderunt. *Locum adeat, qui plura videre cupit a Janningo nostro ibidem observata, mihi hic satis est, et eo et anterioribus sæculis* Leoni IV *tamquam beato et sancto, ecclesiasticos honores delatos fuisse, tametsi peculiari Officio cultus non sit.*

sed pluribus ante sæculis celebratus est.

4 *Sæculum decimum quintum superat etiam Petri de Natalibus Sanctorum Catalogus, in quo ipse satis longo elogio* S. Leonem IV *exornat,* F *sic tamen ut nonnulla perperam misceat et confundat, quæ hic discutere operæ pretium non censeo, ut proinde satis sit pauca ex ipso delibasse. Sic incipit :* Leo Papa, hujus nominis quartus, natione Romanus ex patre Rodulpho, Sergio Pontifici in episcopatu Romano successit, et sedit annos octo, menses tres, dies sex .... Quo Sergio mortuo et necdum sepulto, omnes Romani, tam clerus quam populus, una voce Leonem in summum Pontificem elegerunt. Qui mox factus Pontifex basilicas Apostolorum Petri et Pauli, et alias ecclesias, quas paulo ante Saraceni devastaverant, honorifice restauravit. *Hactenus recte : verum quod ait, Carolum Ludovici filium a S. Leone imperatorem coronatum; quod de criminibus accusatus in synodo se purgaverit, huc non satis apposite translata sunt. Sic paulo inferius vere ait :* Hic Pontifex Catholicus multæ patientiæ multæque humilitatis, divinarum Scripturarum exstitit ferventissimus perscrutator, vigiliis et orationibus semper intentus. *ast ei non quadrant sequentia :* Qui dum Normannos

Laudat ipsum Petrus in Catalogo,

A nos a Romanorum finibus deturbare satagit, cum multis captus *etc. de S. Leone IX intelligenda esse, historiæ peritis satis manifestum existimo.*

... prolixiori ratione.

5 *Inter Martyrologos recentiores primus occurrit Galesinius ad diem* XVI *Julii, sic Sanctum prolixa narratione exornans :* Romæ item, Sancti Leonis quarti Pontificis, civis Romani, e * patre Rudolpho natus, vir in omni vita religionis, pietatis, morum castitatis, eleemosynarum liberalitatis, doctrinæque ecclesiasticæ laude florens, S. E. R. presbyter Cardinalis, Sergio II mortuo, in ejus locum Pontifex renuntiatur. Cujus sanctitate in omnes partes pervulgata, adductus rex Angliæ Adelolphus, una cum filio, Romam venit; regnumque suum tributarium Ecclesiæ Romanæ constituit, singulis familiis nummo aureo in singulos annos obligatis. Pontificatum invitus suscepit; at gessit summa cum testificatione cælestium virtutum suarum. Ecclesiasticam disciplinam pene collapsam restituit; concilium in Laterano habuit, in quo antiqua Pontificum decreta de conformando rei Christianæ flatu renovavit; pauperes, pupillos et B viduas omni charitatis officio mirifice sustentavit; clero congiarium dedit; beatorum Petri et Pauli basilicas novis ornamentis cohonestavit; Vaticanum multis præstantissimis donariis cumulavit; Lateranensi crucem Caroli magni nobilem, ex purissimo auro gemmisque pretiosis refectam, restituit.

... qui

Galesinius in Martyrologio.

5 Sanctorum Martyrum cœmiteria instauravit, xenodochia et monasteria resarcivit, ecclesias exornavit, atque censu auxit; sacras reliquias invenit; easque pie et honorifice recondidit; Vaticanum contra Saracenorum impressiones, muris lapideis munivit, eosdem per milites, quos divinis precationibus ad prælium instruxerat, clade incredibili affecit; ignem Romæ accensum oratione mirabiliter restinxit, a basilisci serpentis tetra peste Urbem divinitus liberavit; de beatis Apostolis orationes, quibus Ecclesia utitur, pie conscripsit; festi Assumptionis sanctissimæ Mariæ Virginis octavam celebrari decrevit. His atque aliis multis religiose actis, in quibus mirabiliter ejus sanctimonia splendescit, et pontificatu octo annis præ- C clare gesto, meritis cumulatus abiit in cælum. *Atque hisce Galesinius totam* S. Leonis IV *vitam non ineleganter in epitomen contraxit, ut infra ex Actis Anastasianis clarius patebit : Baronius, duce opinor prædicto Galesinio, Sanctum quidem, at brevissime, signavit in hodierno Romano :* Romæ, depositio sancti Leonis Papæ quarti.

Non probatur fuisse monachus.

7 *Addi his possunt Monastici, qui, Wione præeunte,* S. Leonem IV *Ordini suo certatim asserunt; quasi monachi omnes fuerint, qui apud monachos liberalibus disciplinis instituti sunt, uti de* S. Leone *tradidit laudatus Anastasius sic de eo scribens :* Hic primum a parentibus ob studia litterarum in monasterium beati Martini confessoris Christi, quod foris muros hujus civitatis Romanæ, iuxta ecclesiam beati Petri Apostoli situm est, quousque sacras Litteras plenius disceret, sponte concessit : ubi non solum litteras didicit, verum etiam in studio sanctæ conversationis, non quasi puer, sicut tunc erat, sed velut perfectus monachus mansit. Cujus etiam piæ conversationis exemplo, sub eodem monachico degentes ritu, omnipotenti Deo plus devote serviebant, eratque cum illis quasi unus ex illis; *nempe non minus in Christianarum virtutum exercitatione quam in perdiscendis bonis litteris assiduus, ut sub alio etiam habitu vix a monachis distingueretur; sic tamen ut monachum induisse, nusquam asserat Anastasius : unde symmystis suis prudentior Mabillonius, de Sancto nostro inter Benedictinos collocando nec cogitasse videtur. Wionem nihilominus et ceteros audiamus.*

AUCTORE J. B. S.

licet ipsum monastici sibi vindicent :

8 *Sic loquitur antesignanus :* Romæ, depositio sancti Leonis Papæ quarti, multæ patientiæ ac magnæ humilitatis, nec non divinarum Scripturarum perscrutatoris diligentissimi, et vigiliis et orationibus semper intenti. *Porro in observationibus notat,* de eodem fusius egisse *se* in Romanis Pontificibus monachis, et in explicatione primi rami, *quem frustra sit hic referre, cum ad eum Sanctus non magnopere pertineat. Dorganius, solito uberior ita habet :* S. Leonis Papæ IV, magnæ humilitatis, et patientiæ viri, sanctitate, doctrina, consilio, prudentia et charitate insignis; qui ignem accensum in Urbe precibus exstinxit, Saracenos miris cladibus . . . . affecit, et mores ecclesiasticos paulatim labentes emendavit. E *Menardus utriusque annuntiationem in pauciora contraxit; at Bucelinus longiori sua oratione nonnulla invenit quæ ab aliis tradita non memini; quemadmodum et apud Ferrarium aliqua leguntur; verum neque hunc describere opus est, neque Constantinum Ghinium aut recentiores alios, cum ex jam dictis sanctissimi Pontificis cultum satis probatum existimem. Non tam clare locutus est Saussayus, dum in Supplemento Martyrologii sui Gallicani pag.* 1147 *anecdotum, a me diu sed frustra alibi quæsitum, obtrusit, quod hic examinandum subjicio :*

neque magis subsistere videtur

9 *Scribit istic in hæc verba :* Ipso die, depositio S. Leonis Papæ IV, cujus corpus Roma in Gallias una cum corporibus SS. Arresti et Theodori ac aliorum martyrum ad ecclesiam monasterii S. Petri Condomensis translatum, ibidem asservari tradit Julius PP. III in suis litteris ad prædictum monasterium scriptis. *Vaga prorsus et ambigua relatio, in qua nec tempus quo prætensa corporis* S. Leonis IV *translatio facta sit, nec Sancti alii satis uspiam noti exprimuntur, qui tamen Roma Condomum deportati sint. Equidem* Arrestum *non legi hactenus, ne quidem* Arestum, *nisi in classibus grandioribus Hieronymianis,* III *Aprilis* in Scythia, III *Septembris forte Appameæ cum Antonino, ubi et* Aristæus episcopus *appellatur; demum* XVIII *Decembris cum multis aliis* in Africa, *ut quo pacto Romam advenerit prædictus* Arrestus *seu* Arestus *divinari prorsus nequeat.* Theodoros *duodecim in iisdem Hieronymianis numerari fateor, at ex iis nullum qui Romæ adscribatur, ut proinde si Romanus est, unum esse oporteat eorum, qui inter septem et viginti synonymos in Martyrologio Romano commemorantur.* F

translatio ejus in Gallias a Saussayo asserta.

10 *Ceterum de* Theodori *nomine non usque adeo laborandum est; quæro unde nobis translationem corporis* S. Leonis PP. IV *accersiverit Saussayus?* Id tradit, *inquit,* Julius PP. III in suis litteris ad prædictum monasterium scriptis. *Vellem saltem eminus insinuasset, apud quem scriptorem litteræ hujusmodi reperiantur. Ast apodicticorum suorum immemor fuit Saussayus, ego vero fontes omnes, unde id hauriri posse putavi, irrito conatu consului. Subiit cogitare, litteras istas dari potuisse, occasione secularizationis (utor voce* stylo

AUCTORE J. B. S.

stylo ecclesiastico recepta) monachorum Condomensium, quibus ea retulerit Pontifex, quæ a monachis in libello supplice, uti passim fit, repræsentata fuerant. Verum et hæc non cohærent; nam prædicta secularizatio facta asseritur anno 1549, quando Julius necdum ad pontificatum erat assumptus, ut proinde ejus tempore nulli Condomi monachi exstiterint ad quos litteræ id genus dirigerentur. Multa hic igitur, more suo, sine teste et vade confudit Saussayus, quæ ab ipsis Condomensibus explicari cupimus, et cum iis conciliari quæ de Sanctorum quatuor synonymorum repertis sub Gregorio XIII sacris corporibus, jam pridem tradidit Papebrochius in S. Leone III ad XII Junii, Commentarii sui § I, num. 2; et ante ipsum Henschenius, in historia elevationis et translationis S. Leonis I ad XI Aprilis tomo II, pag. 21 et 22, ubi refutata invenies, quæ laudatus Saussayus citavit pro translatione S. Leonis I in Galliam ad Petracoricos facta; quæ quam obscura sint, facile observas. Neque sane omnino plana aut pervia sunt quæ de S. Leonis electione et consecratione sequenti paragrapho explananda supersunt.

B

§ II. Electio et consecratio.

Sergii II PP. obitus ab Anastasio non satis expressus,

Difficultatibus hic complanandis ansam præbuisse videtur Anastasius, sic variorum Pontificum, atque hujus imprimis gesta describens, ut tricis non paucis obnoxia sint; sive eas ipse, sive amanuensis invexerint, ut opus istud nævis suis immune necdum prodierit: id vero maxime desiderari passus est Anastasius, quod tempora distinctius annotare neglexerit, in iis etiam Pontificibus, quibus synchronum et coætaneum fuisse omnino constat. Exemplo sit hodiernus S. Leo, cujus nec initia nec finem curavit exprimere, contentus indicasse, quod sederit annos octo, menses tres, dies quinque, et quod obdormiverit in Domino XVI Kal. Augusti; quæ si recte computentur, figendum est pontificatus ejus initium XII Aprilis anni, ut inter chronologos omnes pro indubitato admittitur, 847. Atque de anno quidem certa suppono omnia, negotium facessit dies obitus decessoris Sergii II, quem distincte signare prætermisit Anastasius, ut plane ostendunt editiones C Moguntina anni 1602 et Parisiensis anni 1649, in quibus expressus non reperitur, quidquid Baronius in Annalibus ad prædictum annum 847 num. 6, hæc verba sub Anastasii nomine recitet: Sepultus est (Sergius II) in basilica B. Petri Apostoli die duodecima mensis Aprilis. Fateamur necesse est, Anastasii codices in multis adeo interpolatos et luxatos esse, ut ex iis opposita non numquam educantur.

dubium fecit diem electionis et consecrationis S. Leonis IV,

12 Baronium passim secuti sunt scriptores prope omnes, uti et Severinus Binius, ad S. Leonis IV Vitam sic observans: Pridie Idus Aprilis anno Domini DCCCXLVII in locum Sergii II successit Leo Papa, ejus nominis IV, et quidem eodem die quo Sergius obierat. Labbeus in Chronologia historica eidem opinioni adhæret, nisi quod ipse alterum nescio quem Anastasii codicem viderit, sic enim habet: Sergius Papa obiit pridie Idus Aprilis (Annales Bertiniani habent VI Kal. Februarii.) Huic eodem die suffectus est Leo IV ad annos VIII, menses tres, dies sex: atque exspectato Imperatoris consensu, mense demum Junio consecratur. Hanc postremam partem, de dilata D consecratione, eaque facta mense Junio, testatur Labbeus, in Cenotaphio Papissæ Joannæ everso, se reperisse apud Anastasium, ast, nisi ego vehementer fallor, eo saltem loco corruptum. Verba Labbei sunt; ex Anastasio, qui addit, mense Junio consecratum. Aliter sentiunt recentiores; sed vertant ipsi cum Pagio aliisque, flectant et torqueant Anastasium, quomodocumque voluerint, hæc, quæ apud ipsum expressissime leguntur haud facile everterint; electum fuisse communi consilio Leonem tunc cum necdum is, qui obierat, Pontifex ad sepulturam debitam fuerat deportatus: tum vero eumdem sine permissu Principis præsulem consecratum esse, ut proinde ex Anastasio non videatur educi posse, exspectatum fuisse Imperatoris consensum, neque adeo dilatam in mensem Junium consecrationem.

quod magis etiam implicuit Annalista Bertinianus.

13 Eruditos chronologos exercuit horum omnium recta compositio, præsertim cum Anastasiani codices adducantur in quibus legitur, post Sergium II vacasse pontificatum mensibus duobus et diebus quindecim, quos Papebrochius et post ipsum ambo Pagii numerant a die obitus Sergii notato in Annalibus Bertinianis, nempe a VI Kal. Februarii, seu XXVII Januarii ad XI Aprilis, quo E pacto recte se omnia conciliasse existimant. Candide equidem fatebor, ipsis omnino subscribendum esse, si ut verus et genuinus admittatur jam dictus Annalium Bertinianorum locus ad annum 847; Sergius Romanus Pontifex VI Kalend. Februarii defungitur, et Leo in ejus locum eligitur; additurque ex Anastasii variantibus, ex Platina, et Pagianis nonnullis Catalogis duorum mensium et dierum XV post Sergium vacatio. Verumtamen qui pressius Anastasii verbis inhæserit, negabit omnino, inter Sergium II et Leonem IV ullam vacationem intercessisse. Audi ipsum: Romani quoque, ut diximus, novi electione Pontificis congaudentes, cœperunt iterum non mediocriter contristari, eo quod sine imperiali non audebant auctoritate futurum consecrare Pontificem, periculumque Romanæ urbis maxime metuebant, ne iterum, ut olim, aliis ab hostibus fuisse obsessa. Hoc timore, et futuro casu perterriti, EUM SINE PERMISSU PRINCIPIS PRÆSULEM CONSECRARUNT.

At recte expensis Anastasii verbis,

14 Præmiserat autem Anastasius, ecclesias beatissimorum Principum Petri et Pauli, sub F finem vitæ Sergii II, a Saracenis funditus deprædatas fuisse; atque ea calamitate sive miseria omnem Romanorum vigorem clanguisse et contritum esse hoc facto: unde universa concio Romanorum ex duobus casibus vel periculis, videlicet de repentina morte Pontificis, et devastatione, quæ facta fuerat in ecclesiis sanctis, cunctorumque finibus Romanorum, fatebatur se nullatenus evadere mortis periculum posse. Cumque pari devotione, communique consilio universi Romani proceres de futuro cogitarent Pontifice, ut quis esset, qui tam sanctum et inviolabilem locum, cum omnipotentis Dei timore regere vel gubernare potuisset; confestim fama beatissimi Præsulis simul et meritum ab omnibus patefacta est, totamque per urbem diffusa: necdum enim is, qui obierat, Pontifex ad sepulturam debitam fuerat deportatus; et ecce omnes a novissimo usque ad primum, una voce, una simul concordia, Leonem venerabilem presbyterum sibi futurum Pontificem flagitarunt: et quod nullum super se

A se alium habere vellent Præsulem, nisi hunc, de quo crebro dictum est, multis conjurationibus ac vocibus fatebantur.

...stis operti: colligitur,

15 *Tanta Romanorum consternatio, tamque præcipites ad subitam novi Pontificis electionem motus nihil minus indicant, quam vacationem duorum mensium et dierum quindecim, ubicumque demum signata ea fuisse dicatur. Pergit Anastasius :* Quorum incunctanter omnium credimus corda ad hunc expetendum, non aliud nisi amor divinus, et divinæ virtutis inflammavit et univit clementia. Tunc omnes, ut superius annotatum est, pergentes cum gaudio, multæque aviditatis lætitia ad ecclesiam, in qua degebat, quatuor Coronatorum, eum coactum invitumque exinde abstrahentes, cum hymnis laudibusque præcipuis, ad Lateranense patriarchium perduxerunt ; qui morem conservantes antiquum, omnes osculati sunt pedes. Quanta autem in ejus pontificali electione concordia, vel unanimitas fuerit, nullus breviter enarrare hominum potest. *Certe perquam graphice describit Anastasius miram tum cleri tum populi festinationem in re tota promptissime exequenda, ut pateat Romanos, ingenti* B *terrore perculsos, usque adeo electionem ursisse, ut nec unico die Pontifice carere voluerint, cujus auspiciis minitantes etiam tum Saraceni a Romanis finibus arcerentur.*

...eadem die Leo...rem ...rdinatum ...quo Sergius obierat.

16 *Si recte combinamus omnia, necdum ex Italia omnino recessisse videntur qui terrestri exercitu Romam spoliaverant, in regno Neapolitano etiam tum superstites, utpote qui eodem tempore, teste Annalista Bertiniano ,* Beneventum invaserant, et usque ad Romana confinia populabantur, *ut verisimile prorsus non sit, tot pressos angustiis Romanos interpontificium passuros fuisse, novo direptionis imminente periculo; quo iterum spectant clarissima ista Anastasii verba :* Hoc timore et futuro casu perterriti, eum sine permissu Principis, *non solum* Præsulem *elegerunt, sed, ne quid ad dignitatis integritatem deesset, etiam* con secrarunt, *adeoque ipsamet die* XII *Aprilis, qua Sergius obierat : quæ tam rigide accipi nolim, ut non patiar postridie fortasse electionis consecratum fuisse. Quisquis Anastasii verba paulo accuratius mecum expenderit; aut nihil ipsum dixisse fatebitur, aut vocationem omnem disertissime exclusisse;* C *qua exclusa, subsistere omnino nequeunt ea quæ Papebrochius et ambo Pagii de prætensa ea vacatione disputarunt, hoc solo ducti argumento, quod laudatus Annalista Bertinianus, uti jam diximus, Sergii II obitum* VI Kal. Februarii *consignarit.*

...idque XII Aprilis, ut ex pontificatus tempore constat.

17 *Haud equidem dissimulaverim, satis expressam esse Annalistæ istius sententiam, eoque urgentiorem, quod Anastasius eum characterem chronologicum de Sergii II obitu notare neglexerit : verum enim vero ita rem omnem circumscripsit Bibliothecarius Romanus, ut quocumque die obiisse Sergium statuas, ab ipso obitu numeranda veniant* S. Leonis IV *electi et consecrati tempora, quæ si a* XXVII *Januarii fluere incipiant, jam non* annis octo , mensibus tribus et quinque diebus sederit, *sed annis octo et mensibus fere sex integris : id quod ex ipsius narratione evidenter deduci videtur, quodque potissimum movisse me fateor, ut a Magistri mei placitis in ea parte recederem. Addere liceat, quod nihil minus quam peremptoria sit jam sæpius dicti Annalistæ auctoritas, cui soli innituntur oppositæ nobis sententiæ vindices. Etenim si definito ab illo* S. Leonis *ingressui adhærendum est, cetera omnia ad obitum usque consequenter ordinanda sunt, et cum Anastasio aliisque concilianda : qua in re Annalista iste manifeste hallucinationis convincetur, sive ea auctori ipsi sive amanuensibus descriptoribus tribuenda sit.*

AUCTORE J. B. S.

18 *De die obitus sanctissimi Pontificis non video dubitari posse, Anastasio disertissime exprimente* XVI *Kal. Augusti, seu hanc diem* XVII *Julii : atqui in signando obitus die erravit Annalista, quidni igitur et in electionis et consecrationis determinatione. Audi ipsum apud juniorem Pagium :* Mense Augusto Leo Apostolicæ Sedis antistes defunctus est, eique Benedictus succedit. *Itaque ad mensem Augusti vitam protraxisset* S. Leo, *quod solus ipse pronuntiat; vacationem post Leonis obitum adducens, quæ etiam adversarius nostris omnino excludenda est, si consequenter loqui voluerint. Hic nimirum, si usquam, usuvenit tritum sæpius Baronii argumentum, in concursu exterorum scriptorum cum Romanis, de suis rebus agentibus, potiores videri populares ipsos et indigenas, idque tum maxime, cum res tractant, quarum ipsi pars fuere atque oculatissimi testes, quemadmodum per id tempus Anastasium fuisse, apud omnes in comperto est. Contendere tamen nôn lubet, si cui Papebrochio et Pagiis* E *adhærendum potius videatur, haud multum refragabor ; satis mihi fuit, utriusque partis argumenta, qua potui claritate exponere, cetera etiam paucis soluturus, si quæ urgentiora videbuntur.*

contra quam ferant Annales Bertiniani.

19 *Quæ de hoc sanctissimo Pontifice sub ipsum elogii sui principium tradit Ciaconius, miror si quisquam satis intelligat. Verba ejus fideliter referam, sic memorat :* Leo IV, Rodulphi filius, Romanus, ex canonico regulari monachus monasterii sanctorum Silvestri et Martini in montibus, Congregationis primæ Benedictinæ, S. R. E. presbyter Cardinalis titulo SS. quatuor Coronatorum, a Sergio II Papa factus Lothario et Ludovico juniore Augustis, sedit annos octo, menses VI, dies VI, creatus ipso die obitus Papæ Sergii pridie Idus Aprilis, consecratus VI Kal. Junii, die Dominico. *Hæc cum recta chronologia concordare, haud equidem tentavero, quod nec ipse facere potuit, dum sub finem ita scripsit,* vita defunctus anno pontificatus sui VIII, mensibus III dies VI. *Sed de his longe rectius citati jam scriptores, quidquid in die consecrationis nobiscum non conveniant,* F *saltem in vacatione ab ipsis interposita ; qua missos in Franciam legatos volunt, ad obtinendam a Lothario electionis confirmationem, ne in eadem incommoda inciderent, quæ post Sergii inaugurationem evenisse, præsenti memoria recordabantur. Non crediderim ego, hæc taciturum fuisse Anastasium, qui debitum qualemcumque Lothario honorem violari non putavit, quod in casu tam ancipiti prompte sibi Romani prospexerint.*

Ciaconii verba non facile intelliguntur.

§ III. Nonnulla S. Leonis gesta, de quibus vix obiter meminit Anastasius.

V*itas Romanorum Pontificum, prout sub Anastasii nomine veniunt : non satis historicas esse, seu non gestorum ordinatas series, sed magis dona et munera per summos Pontifices variis ecclesiis oblata complecti, in confesso esse existimo, idque adeo quidem ut de auctore plurima ultro citroque acriter pridem disputata fuerint : neque desint qui opus totum Anastasio suppositum contendant,*

Tametsi [illegible]

AUCTORE J. B. S.

tendant; de qua re sequenti paragrapho ad rem nostram necessaria delibabimus. Hic non de vero auctore, sed de opere ipso nobis sermo, in quo fatendum est plurima desiderari, tum ad aliorum Pontificum Vitas, tum ad hanc ipsius S. Leonis, quam aliter sane ac multo ordinatius digerere potuit ac debuit Anastasius, omnium quæ a Sancto gesta sunt oculatissimus testis, ac sæculi sui vir eruditissimus, si prædictam Vitam vere scripsisse censeatur. At quisquis ejus aut auctor aut collector fuerit, etsi in omnibus excusare ipsum nolim, non tam multa peccavit, quam plures critici ipsi improperent; et quæ ab eo prætermissa queruntur, pluris de causis præterita, utpote ad ejus institutum non spectantia, ex iis intelligitur, quæ ab aliis commemorata, hoc paragrapho breviter discutienda suscipimus.

non adeo vituperandus quod Sedis vacationem sileat:

21 Illa imprimis ab Anastasio satis explicata non sunt, quæ ad prætensa Imperatorum circa electionem summi Pontificis jura pertinent; unde interpontificii rationem collegerunt, qui dilatam supra pugnabant post Sergii II obitum nostri S. Leonis consecrationem. Eam controversiam tangit in Breviario Franciscus Pagius ad Sergium num. 3, B ac rursus de Leone num. 1 et 2; at multa fusius Antonius item Pagius ad annum 847, adversus Baronium nonnulla disputans, quæ facilius dissolverentur, si tota quæstio ad justos suos limites contracta esset; nimirum quid gratiæ in hac parte concessum fuerit Carolo Magno aut Ludovico Pio, et quousque id se extenderit. Probe novimus quid sibi Imperatores, tum Græci tum Latini, identidem arrogaverint, quid vero Romani Pontifices coacti toleraverint potius, quam ut ea tamquam legitima admitterent. Non est hujus loci controversiam istam expendere aut dirimere, videatur Baronius ad dictum annum 847 num. 9 et sequentibus, locisque aliis ab ipso Antonio Pagio recitatis; fallor equidem, si Eminentissimi Annalistæ aliorumque argumentis, non magis quam Pagii populariumque oppositionibus acquiescendum sit. Sane, hæc nondum me invenisse fateor, quæ Ecclesiæ Romanæ justissimas prærogativas merito lædere, nedum labefactare possint. Hæc obiter C dicta sunto, alibi forte de integro discutienda.

magis mirum quod non meminit coronationem Ludovici II,

22 Non minus mirum videri debet quod ex Annalista Bertiniano traditur, Ludovicum II, Lotharii filium, non solum a Sergio II coronatum fuisse regem Longobardorum, id quod accurate memoravit Anastasius, verum etiam imperii coronam suscepisse a Leone IV, de qua re nec per umbram Anastasius loquitur. Agit de hac re laudatus Baronius ad annum 844, silentium Anastasii aliorumque adducens contra hanc alteram coronationem; at eo tandem inclinans, quod prædicta coronatio facta sit anno 848, Leonis IV secundo; adducens diplomata, ex quibus eruit annum 855 fuisse Ludovici imperii septimum. Rem eamdem fusius versat Pagius, ex aliis diplomatibus Ludovici istius annos signantibus, contendens, dictam secundam coronationem factam anno 850, quo plane faciunt citati jam Annales Bertiniani apud Du Chesne eo ipso anno 850 his verbis: Lotharius filium suum Ludovicum Romam mittit: qui a Leone Papa honorifice susceptus, et in Imperatorem unctus est. Ita modo passim fertur, estque receptissima opinio a Labbeo etiam adoptata Chronologiæ suæ historicæ tomo secundo, ubi tamen in compendio expresse signavit annum 849.

si et tam certo Romæ facta sit.

23 Ex his pateret, supinæ negligentiæ arguendum Anastasium, qui rem adeo notabilem, in ipso Urbis theatro se spectante gestam, narrare prætermisisset, ubi tamen primum Ludovici adventum in Sergio II, et alium sub sancto Leone, D anno ejus ultimo, ob exigui momenti causam tam sollicite descripsit. Arguendus, inquam, esset Anastasius, si res tota satis liquida, ac porro satis convenientia essent in notando coronationis istius anno, atque in distribuenda tota imperii serie testimonia; quæ mihi certe nonnihil involuta apparent, fortasse in ipsis Annalibus Bertinianis, in quibus signari diversum ab aliis annum manifestum est, quemadmodum et paragrapho præcedenti S. Leonis initia non satis recte collocata ostendimus. Ast hic mihi contra communiorem sententiam operosius colluctari non lubet, cum alia S. Leonis gesta tacitus præterierit Anastasius, nihil adeo insolitum, si et hanc coronationem silentio involutam fateamur, ab eo qui sancti Pontificis magnificentiam, et in donis innumeris munificam largitatem, potius quam singulas ejus res gestas accuratius recensendas, studiose suscepisse videtur.

Non potuit non omittere Pallium quotidianum Hincmari.

24 Neque id equidem tantopere mirarer, si de re non ageretur in ipsa Urbe gesta; nam pleraque alia, ab Anastasio prætermissa, nec Romana sunt nec Romæ peracta, sed vel in Francia, vel in Ger- E mania, vel in aliis orbis Catholici partibus, quorum nullam habuit rationem Vitarum scriptor. Certe nec vidit nec scripsit quod de Hincmaro diu traditum et creditum est; nempe Remensem illum Archiepiscopum, ut meminerat Flodoardus, pro suæ sanctitatis ac sapientiæ reverentia, per interventionem Lotharii imperatoris, Pallium ad quotidianum suscepisse usum a quarto Leone Papa, a quo jam aliud perceperat, in designatis sibi solennitatibus debite fruendum. Quem quotidianum Pallii usum nulli umquam archiepiscopo se concessisse, vel deinceps concessurum esse idem Papa in epistola tunc ad eum directa testatur. Hæc tam speciose quam falso, auctore Flodoardo, tradita, per multa sæcula admissa sunt, donec Cardinalis Bona concessionem illam commentitiam esse demonstravit, uti pluribus deducit Franciscus Pagius in Breviario num. 10; ut hic certe carpendus non sit Anastasius, quod fictitiam historiam Vitæ S. Leonis non inseruerit. Ceterum facile æquivocationis aliquid latere posse in verbis Flodoardi, fallor si ex Dissertatione historica posthuma D. Theodorici Ruinart non colligatur: ipsum vide de Pallio archiepiscopali F fusius disputantem.

Poterat de Alfredo meminisse,

25 Notavit item post alios laudatus Pagius pag. 68, Alfredum seu Ælfredum occidentalium regem, Ethelwolfi filium, Leonis IV tempore Romam advenisse anno 853, Asseri verba proferens, quibus et in regem unctum et in filium adoptionis a sancto Pontifice acceptum confirmat. Quæ licet vera sint, non satis apposite describuntur, dum Alfredus ferme ut vir depingitur, qui tum adhuc puer admodum seu infans erat, natus primum anno 849, quemadmodum ad eum annum fusius et dilucidius explicat noster Alfordus in Annalibus ecclesiæ Anglicanæ, cetera omnia eo spectantia diligenter prosecutus ad annum primo citatum 853 num. 4. Post reditum vero Alfredi eamdem peregrinationem instituisse Ethelwolfum parentem, Romamque cum eodemmet filio pervenisse, vivo adhuc Leone, pluribus demonstrare incipit Alfordus anno proxime sequenti 854; decimam a rege concessam describens, donaque ab ipso Leoni oblata, quæ ex Anastasio educit anno 855, ubi recte ait, latere Ethelwolfum sub regis Lazarum nomine, quod in corrupto Anastasii exemplo legit Baronius,

Baronius, quem longe melius regem Saxonum *appellat utraque Anastasii editio in Benedicto III sub finem. Porro cetera etiam Ethelwolfi aliorumque regum Anglorum præclara in Ecclesiam merita ab Alfordo prædicata invenies, confutataque Magdeburgensium Centuriatorum commenta : satis hic nobis est eum fontem assignare, quem non pigebit consuluisse.*

Externa alia Gallicæ aut Germanicæ non attigit

26 *Ad Franciam denuo pertinent quæ de celebri synodo Suessionensi, in Ebonis clericorumque ab eo ordinatorum causa, apud Baronium, utrumque Pagium et alios vulgatissima sunt, quæque frustra quis miretur ab Anastasio non fuisse commemorata, ut qui vix extra urbis Romanæ septa, certe ultra status ecclesiastici terminos historiam suam extenderit. Rursus quæ eidem sancto Pontifici cum Nomenoio Britanno difficultates intervenerint, eadem ratione ab Anastasio omissæ sunt, a me hic pluribus non exponendæ, uti nec varia alia gesta in Baronii Annalibus notissima. Non pigebit tamen paucis adjungere quod ex Mabillonio adfert Pagius junior, nempe præter Pallium ad S. Anscharium Hamburgensem, cujus Acta III Februarii diligentissime illustravit Henschenius, a Gregorio IV missum, concessisse* S. Leonem ornari caput ejus mitra et portari ante ipsum crucem, *quod argumento esse volunt, cuivis episcopo, citra privilegium, non licuisse mitra, quam alii cidarim, alii laminam vocant, caput ornare, quæ adductis exemplis magis illustrat Breviarii auctor, de mitræ recepto in Ecclesia usu ejusque antiquitate alia subjungens, quæ apud ipsum et alios videri possunt : nos jam cetera quæ ad* S. Leonis *Vitam, ejusque scriptorem pertinent prosequemur.*

§ IV. Vita S. Leonis an vere ab Anastasio scripta ; fabula Papissæ ; et innumera dona ecclesiis collata.

Vitæ stylus minus commendandus est Anastasius.

S. *Leonis Vitam nec presse, nec eleganter, nec satis ordinate aut honorifice scriptam, a multis pridem et proxime a nobis observatum est, neque potest non observari ab eo qui ipsam nonnullasque consimiles in Anastasio paulo attentius legerit. Præterquam quod largitiones et dona magis, ut dicebamus, quam gestorum seriem ordine describat, ac nescio quam adulatoriam rationem affectet numquam appellandi Pontificem quin novis eum ornet encomiis seu prædicatis, adeo ut paucis numeris cum triginta ferme diversis titulis exornet :* beatissimi, insignis et præclari Antistitis, pii, solertissimi et beatissimi Pontificis, prudentissimi et almifici Præsulis, a Deo protecti, venerabilis, magnifici, præcipui, a Deo amabilis, præclarissimi, sanctissimi et coangelici, magnanimi, mitissimi atque acuti in omnibus, piis moribus sacrisque perornati *etc. Hujusmodi formulæ identidem recantatæ et ad singulos numeros repetitæ stylum redolent, ut mitissime dicam, nonnihil hyperbolicum et studiose contortum, atque a recto scribendi genere abhorrentem ; quamquam de cetero phrases illæ tantopere vituperari non debeant, quoties de supremo Ecclesiæ capite loquendum est, ut si præterea nihil obsit, istius temporis Pontificum historia Anastasio abroganda non sit.*

28 *Ceterum ut sincere et candide rem edisseram, dissimulandum non est, alia etiam mihi displicere quæ Anastasium non satis sapiunt, verumtamen non eo usque ut auctorem suppositiitum, fictum aut nullum existimem, quod nescio quo fronte cudant, recudant et inculcent errantes fratres nostri, eo ferme solo intuitu, ut super operis ejus ruinas stultissimam Papissæ feminæ fabellam, sexcenties exsufflatam, restaurent, eamque ad fatigatas jam pridem aures oggannire non desinant ; qua in re ad battologiam usque desudavit nuperus bibliographus apostata, per integra novem capita tom.* II *a col.* 250 *ad* 306, *quæ fallor an quis absque minori, quam quod mihi attulere, tædio possit decurrere. Cramben a Spanheimio recoctam, equidem iis facile digerendam relinquam qui exsuccis hujusmodi siliquis delectantur, gaudentque turbati celebri inficeta deliria relegere ; nimirum, inter alia, Societatis nostræ homines non solum posse, sed religionis voto debere mentiri, ferme dicerent pejerare* in gratiam Romanæ Ecclesiæ et ad majorem Dei gloriam. *Insigne enimvero epiphonema ! quod necdum noverat bonus ille, dum ab annis ferme quadraginta primum suum de librorum peritia specimen ederet, primatique suo Tellerio de eversis Calvinisticis fanis epinicion caneret : unde cum veste et fide eam quoque humanitatem exuisse videtur, quam præfationis pagella penultima tam accurate visus est commendare. Usque adeo verum est, bonorum præceptorum plenos, ab iismet primos sæpe deflectere.*

Auct.? J. B. S. neque ex ipso recte eruitur stulta Joannæ Papissæ fabula,

sexcenties jam convulsa et obtrita.

29 *Ad Anastasium seu potius ad ipsum de Vitis Pontificum opus quod attinet, frustra id hactenus vellicarunt, aut porro arietare pergent insulsissimæ Papissæ Anglo-germanicæ amasii, rectius cum aliis dicamus* παπισσομανοῦντες, *quos præjudicata opinione excæcatos esse oportet, si post convulsas obtritasque toties pueriles suas nænias, vanissimo idolo ſhura adolere non cessent ; postquam scurrilis phantasmatis cenotaphium ita evertit Labbeus, ita Majores nostri et plurimi alii viri eruditissimi vel cineres ipsos dispersere, ut in fumum abiisse scommata et dicteria omnia moderatiores acatholici diffiteri hodie non possint, ut jam Blondelli Calvinistæ anacrisim hic taceam, qua vel umbra monstri istius penitus dispulsa est. Sit autem Anastasius prædicti operis auctor, sit alius, sint plures, tantumdem evicerint magni blaterones, si non alia quam corrupta ejus, Mariani ac Martini Poloni exemplaria pergant oggerere. Et vero plures fuisse Vitarum Romanorum Pontificum scriptores, satis declaravit Ciampinus, Examinis sui variis sectionibus, ad quas et ad totum reliquum ejus opusculum eos remittimus, quibus plura nosse lubet de famosa circa sæpedictum librum controversia, a nobis hic solum obiter tacta, non omissuris ea quæ in Vita Leonis IV Anastasio tribui posse non videntur.*

An S. Leonis Vitam scripserit, prout jam castigata,

30 *Laudati Ciampini parallela sect.* IV *et* V *ad manum sunt, neque diffiteor, rectissime ipsum plurima conjectasse in ordine ad stylum dispositionemque consimilem in iis potius enarrandis, quæ ad incredibilem prope munificentiam spectant, quam ad aliquam sanctissimi Pontificis gestorum historiam, quorum partem non modicam præteritam fuisse, jam satis ostensum est. Facile itaque concesserim, Anastasium pleraque notasse, quæ ut oculatus testis in chartam conjicere potuit, utpote bibliothecarius et forte ipsiusmet* S. Leonis *secretarius ; at non pari facilitate inducor ut credam, non accessisse manum aliam quæ Anastasii commentarios defloraverit et suo modo digesserit. Suadet id mihi quidem modus scribendi Anastasio viro doctissimo*

AUCTORE J. B. S.

ctissimo non satis dignus, suadent item modi loquendi, qui plane insinuant, posteriorem illum non nisi collectorem fuisse eorum quæ ab Anastasio scripta repererat, ut patet ex Vitæ hic a nobis recusæ num. 61 ; *ubi ita legitur :* Verum ne post hæc, quæ superius veraci testimonio ceterisque schematibus dilucidata atque conscripta sunt, silentio, quod minime convenit, cetera transeamus, libet alia beatissimi Papæ opera, potenti Jesu Christi opitulante clementia facta, quamvis plurima, tamen luce clarius indicare. *Non videtur ita scripturus Anastasius, qui omnibus* S. Leonis *gestis præsens interfuit.*

sunt quæ dubium reddere videantur :

31 *Id ipsum magis etiam suadet modus loquendi quo rem diu ante actam insinuat num.* 79, *hisce verbis :* Idem vero præclarus et almificus Præsul, superna protectus dextra, usque in Dei servitio sincero perseverans animo, post multas bonas actiones, beati Silvestri et Martini ecclesiam ; quam Domnus Sergius prædecessor ejus noviter ab imis ædificaverat, multis quidem pulchrisque decoravit ac depinxit coloribus, cujus etiam pulchritudo magnam usque hodie humanis oculis admirationem præstat. *Fallor vehementer si hæc ita scribere potuit ipse Anastasius,* S. Leonis *æqualis, et rerum omnium gestarum oculatissimus testis. Scio quid reponi possit, nimirum sub finem vitæ, quam forlasse ad octogesimum usque istius sæculi annum protraxerit, scribere potuisse Anastasium, sic ut ibi de re totis viginti et amplius annis ante peracta meminerit. At vel sic fatearis necesse est, non tanti fuisse colores istos, ut post tantillum tempus, ecclesiæ istius* pulchritudo humanis oculis *tantam* admirationem præstaret. *Ita equidem censeo, non ægre laturus, si data solutio aliis arrideat, salvarique eo pacto possit Anastasii auctoritas, cui et hic locus vindicetur. Fidem liberavi, ea candide observando adducendoque, quæ mihi in* S. Leonis *Vita displicere fassus sum.*

ex ipsius tamen scriptis compositam credimus.

32 *Utcumque tamen ea habeant, id certum est, non alia* S. Leonis *Acta superesse, præter sæpe dictam Vitam ab Anastasio, vel sub ejus nomine nobis relictam, eo certe titulo æstimandam, quod Romæ tum præsens oculis ipse suis singula perspexerit, gestorum omnium testis, quæ si non omnino ordinasse aut digessisse, saltem certo annotasse censendus est. Quisquis vero ultimam quodammodo manum adjecerit, id desiderari passus est, quod inordinate multa transposuerit, huc illuc sæpius et ad eadem templa recurrens ; lectori gratius facturus, si semel ecclesias circumiens, quid singulis factum datumque, ordine commemorasset. Quæ Papebrochium movisse existimo, ut longam ejus de S. Leone III narrationem, in varias partes sectam referret, ut ipse ad* XII *Junii supra citatum non obscure insinuat* § IX *num.* 74. Prolixissimum suum tractatum, *inquit,* implevit recensendis..... operibus præclaris, nec non enumerandis donariis, identidem per ecclesias erogatis, quæ cuncta longum esset tædiosumque transcribere. *Subdit autem se* præstantiora aliqua *dumtaxat* seligere, unde fiat de reliquis conjectura. *Non abs re, fateor, ut ad sequendam eamdem rationem me tantum non impulerit. Verum cum alia non pauca minoris, quam hæc sint, momenti in Actis nostris locum occupent, non putavi vel hasce tædiosiores Anastasii narrationes nobis prætereundas, quamquam minutias singulas illustrare aut operosius explicare animus non sit ; sufficiat nota capiti secundo subjecta, ut ad reliquorum intelligentiam curiosiores lectores abunde præparentur.*

Prodigiosa S. Leonis liberalitas,

33 *Liceat demum oculos attentius conjicere in prodigiosam illam* S. Leonis *in tam diversas, atque ab Urbe etiam remotas ecclesias expressam ab Anastasio liberalitatem, ubi nihilominus aliqua præteriisse videtur quæ Maphæus Vegius recenset in tractatu de basilica S. Petri Vaticana, tomo nostro* VII *Junii pag.* 71, *unde solum num.* 61 *hic describo :* Nunc ad Leonis IV liberalitatem, unde necessario digressi sumus, revertamur ; non contentus is tam insignibus sacrorum ornamentis, communi etiam canonicorum utilitati et commodo, quo melius ferventiusque divinis intenderent Officiis, consultum provisumque quam maxime iri studuit. Nam Bucenia castrum, quod proprii erat patrimonii, illis donavit, pari modo et ecclesiam Salvatoris, quæ sita est in Terrione, quam et ad sepulturam peregrinorum omnium Ultramontanorum erexerat, nec non et ecclesiam S. Justini, sitam in monte Saccorum, quam et ad peregrinos omnes Latinos sepeliendos extruxerat ; ecclesiam quoque S. Peregrini quæ non longe distat a porta Viridaria, ac ecclesiam B. Mariæ in Palazolo, et S. Georgii martyris, quæ post S. Petrum posita erat : atque hæc omnia cum fructibus ac ceteris omnibus, quæ ad eam pertinent ; cum et multa, omnia tamen eis contulerit : sed hæc tantum ex omnibus, quæ certiora apparuerunt, referenda dignius existimavi.

criticorum de auri eo tempore raritate, scrupulos evellit.

34 *Plura in eo tractatu videri possunt, quorum tamen pleraque retulit Anastasius. Porro de ædificatis, fundatis, restauratis, innumerisque donis ditatis ecclesiis, ea me apud Anastasium legere fateor, quæ non nisi ægre assensum extorquent, ut inter cetera verum* S. Leonis *miraculum dici possit, tam immensum pondus auri argentique ab eo Romæ, solo octennii spatio, colligi potuisse, etiam proxime post immanem illam rapacissimorum Saracenorum illatam Urbi stragem et vastitatem, quam idem Anastasius non uno loco commemoravit. Nolui equidem tam immensarum expensarum calculos subducere, ne res incredibiles asseruisse videretur. S. Leonis III munerum summam inivit Papebrochius, qua haud minorem a nostro* S. Leone *munifice profusam, non obscure pateret, si auri argentique libræ clarius exprimerentur. Habent hic quod mirentur, ut alibi etiam diximus, et quo ideas suas tantisper corrigant, qui tantam auri atque argenti, præ nostris hisce sæculis raritatem, per ea tempora inducunt, dum unum* S Leonem *et ea tempestate, et brevi pontificatus sui tempore, ea contulisse observant, quæ hoc nostro sæculo quis comparare vix in animum auderet inducere. Jam Anastasium loquentem audiamus.*

VITA

A

VITA

Ex Anastasio Bibliothecario.

EDITIONIS FABROTTI.

CAPUT I. *Sancti Leonis, doctrina et virtute eximii, ad sacerdotium atque inde ad summum pontificatum exaltatio.*

Eximiis ornatus virtutibus, * *alias* Radulpho.

Leo IV natione Romanus, ex patre Rodoaldo *, sedit annos octo, menses tres, dies quinque. Hic adeo Catholicus, atque Apostolicus vir multæ patientiæ, multæque humilitatis extitit, largus, pius, innocens sive benignus, amator justitiæ, et plebis ferventissimus gubernator, divinarum quoque B scripturarum indeficiens perscrutator, vigiliis et orationibus semper intentus : in cujus etiam beatissimo pectore, juxta illud, quod in sancto Euangelio legitur, et serpentis astutia, et simplicitas inhabitabat columbæ. Erat enim totius sanctitatis decore repletus : amator enim religiosorum hominum, Deoque in omnibus assidue famulantium, nutritor pauperum, et contemptor sui.

et in monasterio prope institutus,

2 Hic primum a parentibus ob studia litterarum in monasterium beati Martini confessoris Christi, quod foris muros hujus civitatis Romanæ juxta ecclesiam beati Petri Apostoli situm est, quousque sacras litteras plenitus disceret, sponte concessit : ubi non solum litteras didicit, verum etiam in studio sanctæ conversationis, non quasi puer, sicut tunc erat, sed velut perfectus monachus mansit; cujus etiam piæ conversationis exemplo alii sub eodem monachico degentes ritu omnipotenti Domino plus devote serviebant, eratque cum illis quasi unus ex illis *a*.

a Gregorio IV clero adscribitur,

3 Et quoniam civitas supra montem posita abscondi non potest, sic neque hujus rumor C Sanctissimi viri diu occultus existere potuit. Fama illius, sive sanctitatis opinio huc illuc luce clarius divulgata est, atque multorum relatione fidelium ad aures pontificalis quondam beatissimi Patris, et Papæ Gregorii *b* mox festino relatu occurrit, cui cum tantæ fuisset castitatis, dignæque conversationis magisterium enarratum, illico eum ex monasterio, quo pie degebat, exire jubens, ad sanctæ matris ecclesiæ gremium perduxit : atque ut in suo semper servitio familiariter permaneret, in Lateranensi patriarchio esse præcepit.

b a Sergio II sacerdotio initiatur;

4 Subdiaconum quoque eum ob suæ famam vitæ laudabilis fecit : qui tamen quamvis locum mutaret, vel ordinem, tamen vitam moresque suos plusquam prius in summi Creatoris nostri servitio regulariter constrinxit, bonisque multiplicavit operibus. Defuncto autem hujus sacratissimæ sedis Papa Gregorio, tunc Sergius archipresbyter sanctæ Ecclesiæ Præsul effectus, hunc de quo superius nonnulla retulimus, Leonem videlicet beatissimum Papam, presbyterum consecravit, eique titulum sanctorum quatuor Coronatorum largitus est.

EX EDITIONE FABROTTI.

eidemque. Romanis rebus afflictissimis.

5 In quo dum bonis polleret moribus, ibique indigentibus necessaria ministraret, peregrinos, ac pauperes, minusque habentes non solum verbo, immo etiam corporalibus alimoniis refoveret, is qui tunc præerat Sergius Romanæ Sedis Antistes ex præsenti vita subtractus est, sub cujus etiam tempore ecclesiæ beatissimorum principum Petri et Pauli a Saracenis funditus deprædatæ sunt. Quia igitur calamitate sive miseria omnis Romanorum vigor elanguit, atque contritus est hoc facto, universa concio Romanorum ex duobus casibus, vel periculis, videlicet de repentina morte Pontificis, et devastatione, quæ facta fuerat in ecclesiis sanctis, cunctorumque finibus Romanorum, fatebatur se nullatenus evadere mortis periculum posse.

vel ipso obitus di succedere cogitur,

6 Cumque pari devotione, communique consilio universi Romani proceres de futuro cogitarent Pontifice, ut quis esset, qui tam sanctum et inviolabilem locum cum omnipotentis Dei timore regere, vel gubernare potuisset, E confestim fama beatissimi Præsulis, simul et meritum, ab omnibus patefacta est, totamque per Urbem diffusa : necdum enim is, qui obierat, pontifex ad sepulturam debitam fuerat deportatus, et ecce omnes a novissimo usque ad primum una voce, una simulque concordia Leonem venerabilem presbyterum sibi futurum Pontificem flagitarunt; et quod nullum super se alium habere vellent Præsulem, nisi hunc, de quo crebro dictum est, multis conjurationibus, ac vocibus fatebantur. Quorum incunctanter omnium credimus corda ad hunc expetendum non aliud nisi amor divinus, et divinæ virtutis inflammavit et univit clementia.

ac sine mora ex sua ecclesia raptus,

7 Tunc omnes, ut superius adnotatum est, pergentes cum gaudio multæ aviditatis lætitia ad ecclesiam, in qua degebat, beatorum quatuor Coronatorum, eum coactum, invitumque exinde abstrahentes, cum hymnis laudibusque præcipuis ad Lateranense patriarchium perduxerunt : qui morem conservantes antiquum omnes osculati sunt pedes. F Quanta autem in ejus pontificali electione concordia, vel unanimitas fuerit, nullus breviter enarrare hominum potest. Quid autem electionis suæ tempore, Apostolorum suffragiis suisque sanctis intervenientibus precibus, de Saracenis illis, qui tam nefarium scelus commiserunt, divina virtus peregerit, hoc inconveniens, aut reprehensibile non est, sive ob futurorum, sive timorem, sive memoriam præsentibus litteris adnotare.

Saracenis prius tempestate attritis, consecratur.

8 Omnes enim cum vellent iniquitatis, ac deprædationis scelere perpetrato, ad Africanam, qua venerant regionem revertere, vasto maris pelago vi ventorum, procellarumque, sicut certa relatione cognovimus, Deo permittente, demersi sunt, antiquumque illud Ægyptiorum miraculum ecce noviter Apostolorum meruit oratio obtinere. Romani quoque, ut diximus, novi electione Pontificis congaudentes, cœperunt iterum non mediocriter contristari, eo quod sine imperiali non audebant auctoritate futurum consecrare Pontificem, periculumque Romanæ urbis maxime metuebant, ne iterum ut olim,

EX EDITIONE FABROTTI

olim, aliis ab hostibus fuisset obsessa. Hoc timore, et futuro casu perterriti eum sine permissu Principis Præsulem consecraverunt *c*, fidem quoque illius sive honorem post Deum per omnia, et in omnibus conservantes.

ANNOTATA.

a *Recte dicitur* quasi unus ex illis; *ast* monachum *fuisse, inde sibi temere persuaserunt scriptores aliqui, ut in Commentario prævio ostendimus.*

b *Nempe* Gregorii IV, *cui successit Sergius II, et huic* S. Leo IV.

c *De hac consecratione aliisque eo spectantibus in Commentario abunde disputatum. In describenda Saracenorum illata acceptaque clade claritatem desiderari passus est Anastasius.*

B

Caput II. *Summa ejus in ecclesias liberalitas; terræ motus; sanctio observanda circa Presbyterium; et multorum instauratio.*

Dona ecclesiis oblata, a primum S. Petri;

Jam quia humanus existimare non sufficit arbiter, nec hoc referre prævalet, quantæ bonitatis, ac pietatis hic beatissimus extitit Pontifex, redeamus ad ea quæ fretus Dei amore, Sanctorum ecclesiis obtulit, et a primo Pontificatus sui exordio enarremus. Hic vero insignis, et præclarus Antistes, superno amore exardescens, obtulit in basilica beati Petri Apostoli coronam ex argento purissimo unam pensantem libras viginti et quatuor. Gabathas *a* interrasiles duas pens. libras duas. Vela septem, duo quidem de fundato, et alia duo de stauraci, et tria de spanisco. Obtulit vero ibidem ad splendorem, et gloriam ipsius venerandæ basilicæ cortinam Alexandrinam miræ pulchritudinis unam, habentem historiam pavonum portantium desuper homines, et aliam historiam Aquilarum, rotarumque et avium cum arboribus. Ipse vero egregius, et prudentissimus Papa obtulit in basilica sanctorum quatuor Coronatorum, in qua sacerdotii sui solertissime functus est officium, canistra de argento purissimo tria pens. libras....

item quatuor Coronatorum;

10 Aquamanile similiter de argento mundissimo par unum, canthara cum thymiamaterio, id est pensan. libras... vela de fundato, quæ ad nitorem ipsius in arcu videntur ecclesiæ pendere duodecim. Item vela serica alba triginta et quatuor. Fecit vero in eadem basilica ad splendorem sacri altaris vestem holosericam habentem periclysin de chrysoclavo, et aliam vestem albam cum rosis habentem rotas septem, et in medio tabulam de chrysoclavo cum effigie hominis gerentis in capite gemmas prasicas quinque: item vestem albam de chrysoclavo cum rotis sex. Fecit autem in jam dicta basilica ad honorem et gloriam sacri altaris vela habentia cruces, et gammadias de chrysoclavo, et gemmis, ac bullis aureis XXXIII: velum acupictile habens hominis effigiem sedentis super pavonem unum. Item vela habentia historiam sanctæ Dei Genitricis. Tria item vela alia fundata quatuordecim, et alia cum veste de blattin duo. D

tum ecclesiæ S. Mariæ.

11 Ipse quidem eximius, et beatissimus Papa fecit in basilica sanctæ Dei Genitricis, quæ ponitur in vico, qui nuncupatur Sardorum, vestem de fundato habentem historiam sanctæ Dei Genitricis de chrysoclavo cum prophetis. Ipse vero a Deo amabilis et prudentissimus Papa sedilia in ingressu marmoribus patriarchii construxit, quæ nullus Pontificum ut perficeret arbitratus est. Nam et solarium, quod beatæ memoriæ Leo tertius Papa construxerat, cum præ nimia vetustate fractis trabibus in ruinis cerneretur, eversum, noviter pulchrius in meliorem speciem restauravit.

Post terræ motum presbyterii decori consulit

12 Hic quidem insignis, et pius Antistes in basilica beati Pauli Apostoli, superno fretus amore, vespertinas publice a cuncto clero et schola constituit die natalis ejus psalli laudes. Hujus beati tempore Præsulis terræ motus in urbe Romana per indictionem E factus est decimam *, ita ut omnia elementa * 847 concussa viderentur ab omnibus. Ipse jam sæpe fatus, et solertissimus Pontifex, secundum antiquam consuetudinem, canonica auctoritate decrevit, atque constituit, ut dum sacra Missarum solennia in ecclesia celebrantur, nullus ex laicis in presbyterio *b* stare, vel sedere, aut ingredi præsumat, nisi tantum sacra plebs, quæ in administratione sacri officii constituta videtur. Ipse quidem beatissimus Pontifex post cædem, et deprædationem sævæ gentis Agarenorum, quam in sanctorum Apostolorum ecclesiis peregerunt, ad restaurationem ipsarum quotidie animum prætendebat, quatenus omnia, quæ ab impiis manibus ablata fuerant repararet, sperans æternæ futuræ retributionis mercedem.

multa denuo conferens basilicæ S. Petri, c

13 Quam ob rem obtulit in basilica beati Petri Apostoli buttonem *c* de argento purissimo cum gabathis argenteis pendentibus in catenulis septem. Fecit autem ad illuminationem ipsius basilicæ rete ahenum cum canistris argenteis decem et septem. Nam et F farum * miræ magnitudinis ad splendorem, et gloriam sæpius memoratæ ecclesiæ reparavit; in qua etiam obtulit coronam de argento mundissimo pensan. libras.... Vela de fundato, quæ in ambitu sacri altaris pulchriora pendent viginti quinque. Item vela Leonum habentia historias quæ ante vestibulum sacræ confessionis cernuntur pendere decem: et alia vela de fundato, quæ inter columnas ipsius venerandæ basilicæ dextra, lævaque coruscant quadraginta et sex. Item vela de fundato, quæ in arcu ad ornatum, et decorationem presbyterii pendent triginta et tria. Verumtamen et alia vela de fundato, quæ in diversis ejusdem basilicæ locis ipse almificus Papa constituit pendere decem octo, et alia item vela, quæ ante januas sacræ basilicæ pendent quatuor.

* *alias pharum*

Quatuor Coronatorum.

14 Hic vero insignis et prudentissimus Præsul, superno fretus amore, fecit in basilica sanctorum quatuor martyrum Coronatorum vestem de chrysoclavo habentem historiam resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, atque effigies prædictorum martyrum, et ipsius almifici

A almifici præsulis. Hujus enim præfati almifici Præsulis animus tantum divino fulgebat amore, ut ea, quæ pridem ex beati Petri Apostoli ecclesia ab impiis manibus innumerabilia fuerant bona ablata, suo præcipuo tempore libente voluit pectore omnia noviter restaurare. Idcirco ad decus, et honorem ipsius prædictæ ecclesiæ fecit coronas ex argento purissimo miro compositas opere duas pendentes in catenulis argenteis cum gemmis, et bullis deauratis pensan. una libras centum, triginta et duas, et alia centum et triginta et septem: et aliam simili modo habentem quadraginta. Et quia divino semper erat munere perornatus, dignamque de omnibus curam et solicitudinem habere studebat feliciter, fecit in oratorio sancti Andreæ Apostoli ad sanctum Petrum vela majora de fundato duo, et alia minora quinque ornata in circuitu de blattin.

et S. Anastasii; ... sacri palatii usus resti... — 15 Ipse vero a Deo protectus venerabilis et præclarus Pontifex fecit in monasterio sancti Anastasii, pro æterna animæ suæ redemptione, vestem sericam de fundato unam B habentem historiam Aquilarum: similiter et vela de fundato duo compta in circuitu de blattin: simili modo fecit in monasterio sanctæ Praxedis vestem de fundato unam. Hic quoque prædictus Præsul a die, qua, divina fretus potentia, sacram Apostoli Petri Sedem omni benignitate conscendit, mox de priscis vel antiquis sacri palatii usibus, atque ordinibus, qui sub prædecessorum suorum Pontificum tempora erupti, atque diversa consuetudine fuerant deleti, ideo ad suæ memoriam sanctitatis universos reducere, vel in meliorem statum, quam nuper fuerant, omnia libenti animo ordinare avide conatus est.

... restau... — 16 Nam et accubitum *d*, quod dominus Leo bonæ memoriæ tertius Papa a fundamentis construxerat, et omnia ornamenta, quæ ibi paraverat præ nimia vetustate, et oblivione antecessorum Pontificum deleta sunt, et in die natalis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem tam Dominus Gregorius, quam et Dominus Sergius sanctæ recordationis ibidem minime epulabantur, isque vero C beatissimus, et summus Præsul Leo quartus cum gaudio, et nimia delectatione omnia ornamenta, sive alimenta, quæ inde delata fuerant, noviter reparavit, et ad filium pristinum magnifice revocavit.

... pretiosis... Caroli ... — 17 Nec non et crucem ex auro purissimo gemmis ornatam, quam Carolus *e* piæ memoriæ imperator Francorum, et Romanorum in basilica Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quæ Constantiniana nuncupatur, temporibus Domini Leonis sanctæ recordationis tertii Papæ obtulerat, quæ mos erat, ut in lætaniis ante sacratissimum Pontificem ipsa præcederet, et sic permansit usque ad tempus sanctæ recordationis Domini Paschalis Papæ, unde diabolica suggestione, atque instigatione a malis extorta est, et a latronibus nocte furtim ablata, et nullus deinceps prædecessorum Pontificum tam Domnus Paschalis, quam Domnus Eugenius, sive Domnus Valentinus, sive Domnus Gregorius, nec non et Domnus Sergius recordatus fuerit, ut eam restauraret, et ad usum sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ repararet: sed isdem præfatus, et magnificus Præsul fecit ex auro purissimo, et miræ magnitudinis margaritis, et gemmis hyacinthinis, et prasinis utiliter ornavit, et ad usum pristinum sanctæ Dei Genitricis Romanæ Ecclesiæ mirifice decoravit.

ANNOTATA.

a *Audis hic* gabathas interasiles, vela de fundato, de stauraci, de Spanisco, cortinam Alexandrinam, canistra: *mox vero* aquamanile, canthara cum thymiamaterio, *tum* vela serica alba, vestem holosericam habentem periclysim de chrysoclavo, *et aliam* vestem albam cum rosis, habentem rosas septem, gemmas prasicas, *seu coloris viridis etc., quibus accedunt similia sexcenta alia verba, sæpe peregrina et ferme græcobarbara, per plures Pontificum Vitas dispersa, quæ nec Anastasius ipse, nec ejus editores Albinus in sua Moguntina anno* 1602, *nec Fabrottus in Parisiensi* 1649 *impressione explicare curarunt, tametsi postremus glossarium spoponderit, longe utilius futurum, quam innumeræ ignotorum codicum lectiones variantes, non tam necessariæ, neque tam prompte et toties a lectori-* E *bus consulendæ. Eorum defectum ex parte jam suppleverat Onuphrius Panvinius in Interpretatione vocum obscurarum ecclesiasticarum; sed uberius id præstitere fratres Dominicus et Carolus Magrii seu Macrii in Hierolexico seu dictionario sacro, ad voces istas omnes exponendas plane opportuno, ut ei labori supersederi a nobis possit, ne observationes nostræ totum Vitæ hujus textum longe superent. Breviores sunt Altaserræ notationes, operi ipsi, si recudatur, omnino adjiciendæ.*

Quibus prædicta ad manum non sunt, Cangium, aut alios adire poterunt; aut ut viciniora assignem, præcipua quæque non indiligenter prosecutus est Janningus noster, singula ferme dona seu munera sacra, sive in locis, ut puta presbyterio, ciboriis *et* oraculis (*quæ nunc chorum, tabernacula et sacella dixeris*) *sive in* velis de blattin et chrysoclavo, vestibus gemmadiis *etc., sive demum in luminaribus, ad classes suas reducens explicansque in tractatu de Basilica Vaticana tomo* VII *Junii, tribus longis paragraphis* 7, 8 *et* 9, *a pag.* 124 *ad* 131; *ne actum hic agere velle videamur. Ut de sola postrema classe* F *dicam, habes istic* pharos et lychnuchos *omnis generis*: luminatoria, retia, canistra, coronata, turrita, phara canthara, cum lucernis et cerapto, lectoria, columnas, arcus, cerostatas *cum* lucernis bimixis, delphinos, cantharos, gabathas anaglyphas, liliatas, columellatas, fundatas, interrasiles, anecleas, electrinas, saxiscas, canistra henneaforia *et* hexaforia; *quæ hic in specimen exhibita sufficere existimo, ut pro ceteris facile sit conjecturam facere, eaque in citatis jam auctoribus curiosius examinare.*

b *De* presbyterio *fusius agunt citati scriptores cum Altaserra; tu videsis Janningum a pag.* 126 *ad* 128, *et pag.* 132.

c *Alias* butronem, *de quo notat Altaserra, esse* cupam, *Magrius* scyphum *seu* vas concavum, *cujus et figuram repræsentat, vocatque* buttonem. *Pro sequentibus rursus ad Janningum recurre.*

d *De triclinio Leonis III in Actis non uno loco sermo fuit. Videantur citata ejus monumenta* XII *Jun.*

e *Et hoc et plura alia pretiosissima dona a Carolo Magno oblata, habes in Vita Leonis III pag.* 184 *editionis Moguntinæ, in Parisiensi pag.* 126.

CAPUT

EX EDITIONE FABROTTI.

CAPUT III. *Basiliscus fugatus; repressum incendium; dona alia variis ecclesiis oblata; et restituta monasteria; octava Assumptionis.*

Infestum populo bas. lucum,

Hic vero præcipuus et insignis Præsul divinarum Scripturarum in scientia, et eruditione probatissimus extitit prædicator, qui fama tantæ beatitudinis, atque sanctitatis claruit, ut in conspectu universi istius in Christo fundatæ Ecclesiæ populi miracula operaretur. In primo quidem pontificatus sui anno juxta basilicam beatæ Luciæ martyris, quæ in Orfea * sita est, in quibusdam tetris, abditisque cavernis diri generis serpens, qui basiliscus *a* Græce. Latine regulus dicitur, ortus est, qui flatu suo, ac B visione omnes qui ad easdem properabant cavernas, celeriter necabat, mortisque tradebat periculo: ita ut omnes stupor, ac timor invaderet, serpentis virtutes mirantes, et cladem. Ipse vero beatissimus, et præclarus Pontifex hanc populi necem, audiensque perniciem, ad orationes se convertit, cum jejuniis Dominum deprecari non cessans, ut ab hujusmodi omnes interitu liberaret. Dum hæc agerentur, præclarus et celeberrimus dies advenit, in quo beatæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ Assumptio celebratur.

* *alias* Orphea: *Platinæ* Orthea.

a

precibus suis fugat;

19 Tunc præfatus et universalis Papa, a patriarchio cum hymnis, et canticis spiritalibus sancta præcedente icona, ad basilicam sancti Hadriani martyris, sicut mos est, propriis pedibus cum omni clero perrexit. De qua regressus cum omni fidelium cœtu ad basilicam beatæ Genitricis Dei, et Domini nostri Jesu Christi, quæ ad Præsepe dicitur, cum Dei laudibus, magna comitante caterva populi properabat. Qui cum pervenisset ad locum, in quo ipse sævissimus basiliscus C tetris, ut jam superius diximus, jacebat cavernis, omnem clerum et populum stare præcepit, atque juxta easdem cavernas properans, super foramen ipsius ubi pestiferi flatus egrediebatur serpentis, intrepidus stetit et oculos ad cælum pariter tetendit, et palmas, Christumque, qui est super omnia Deus, profusis lacrymis deprecatus est, ut ab eodem loco diri serpentis genus sua potentia effugaret, et, data super populum oratione, Dei laudes ad basilicam, quam superius memoravimus, profectus est exhibere. Ab eodem vero die ipse pestifer basiliscus ita effugatus, atque ab ipsis projectus est antris, ut ultra in illis locis nulla læsionis ejus macula appareret.

atque sic incendium etiam restinguit.

20 Et aliud miraculum ipse almificus Papa perfecit, quod enarrare breviter inchoemus. In ipso, quod superius memoravimus, pontificii sui exordio Saxonum vicum validus ignis invasit, qui flammarum virtute cuncta comburere cœpit validius, ubi populorum multa congregata sunt agmina, quæ hujus incendii flammas volebant extinguere: sed ventorum flatibus altius extendebatur ignis D in aere, cuncta comburens, atque comminuens, ita ut propius beati Petri Principis Apostolorum basilicæ proveniret, Saxonum, Longobardorum domos, ac porticum concremans atque diripiens. Quo audito ipse beatissimus Pontifex anxius illuc celeri cursu profectus est, et obvius ante ignis impetum se præparavit, ac Dominum deprecari cœpit, ut ipsius incendii flammas extingueret, et crucis propriis faciens signaculum digitis, amplius ignis extendere flammas non potuit, sed beati virtutem ferre non valens Pontificis, extinctus flammas redegit in cinerem.

Dona ejusdem in ecclesia S. Petri,

21 Ipse vero a Deo amabilis et prudentissimus Papa fecit in basilica beati Petri Apostoli vela de fundato in circuitu compta de blattin, numero quadraginta quinque. Fecit autem isdem egregius Pontifex in monasterio sancti Martini, quod beati Petri basilicæ cohæret, ad laudem, et gloriam ipsius beati Martini oraculi miræ pulchritudinis vestem perfecit, habentem historiam superius memorati Sancti jacentis in lectulo, cum effigie Salvatoris nostri Jesu Christi Domini nostri. E Simul effigiem sanctæ martyris Agathæ habentis ad pedes effigiem ipsius almi Pontificis, habentem gemmas hyacinthinas decem et septem. Idem in eodem oratorio fecit vela quatuor; et unum quidem habens rotas de Chrysoclavo tres. Fecit idem in basilica sanctorum quatuor Fratrum, vestem de fundato unam habentem historiam ipsorum sanctorum Martyrum, et effigiem ipsius almi Præsulis habentem gemmas duodecim, similiter et vela de fundato quatuor.

SS. Coronatorum,

S. Petri,

22 Hic vero venerabilis et præclarus Pontifex fecit in basilica beati Petri Apostoli, nutritoris sui, canistrum interrasile de argento purissimo pen. lib. . . . . Ubi supra obtulit coronas de argento mundissimo pen. libras . . . . . . Hic vero præclarissimus Papa, superno fretus amore, obtulit beato Petro Apostolo, ad splendorem et gloriam ipsius sanctissimæ basilicæ lucernam bimixyn de argento purissimo pensantem libras quadraginta quinque. Isdem beatissimus Præsul fecit in ecclesia beati Silvestri confessoris, atque F pontificis, quæ ponitur in monte Soracte, vestem de fundato unam habentem angulos quatuor, duos quidem Tyrios, et duos fundatos. Fecit etiam sanctissimus, et beatissimus Præsul in ecclesia beati Petri Principis Apostolorum vela quæ pendent in arcu presbyterii ex auro texta, habentia historiam beati Petri Apostoli, numero decem et octo. Nec non in oratorio beati Leonis confessoris atque Pontificis, quod est situm infra prædictam ecclesiam, vestem de fundato unam habentem historiam Aquilarum.

S. Silvestri:

iterum S. Petri,

23 Obtulit quoque, ubi supra, coronam de argento unam pensantem lib. . . . . Tum etiam fecit ibi vela de fundato ornata ex utraque parte de blattin numero viginti. Obtulit etiam beato Petro Apostolo calices de argento, qui sedent super circuitu altaris numero sexdecim pensantes libras . . . . Verum etiam et calicem pendentilem cum catenulis, et delphinis *b* pensan. libras. . . . . . Idem sanctissimus, et coangelicus præfatus Præsul, post deprædationem Saracenorum istius ecclesiæ, fecit super corpus beati Petri

b

A Petri Apostoli imagines argenteas, totasque numero tres; et unam quidem in medio habentem effigiem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi cum gemmis in capite per crucem ornatam hyacinthinis, et prasinis. Item aliam quamdam positam ad dextram partem Salvatoris et habentem vultum beati Petri Apostoli, et beatæ Petronillæ.

... multa con... f..., et restituit monasteria.

24 Aliam quamdam positam ad partem lævam depictam, vultum habentem beati Andreæ Apostoli, simul et vultum prædicti summi Præsulis pensant. libras centum et quatuor. Fecit ubi supra phara ærea, quæ sedent super vestibulum sacri altaris numero duodecim. Sæpe vero hic beatissimus Papa omnia Sanctorum, quæ destructa fuerant loca reædificare magnopere cupiebat. Nam monasterium Corsarum, quod juxta basilicam beati Sixti martyris atque Pontificis situm est, quod quorumdam malorum hominum fuerat operibus desolatum, et ad secularem habitationem perductum, pro salute, ac futura retributione animæ suæ, perfectius restauravit. In quo etiam ancillarum Dei congregationem B munivit, ad persolvendum Dei omnipotentis quotidie laudes, muneribus auxit, divitiis perornavit, et omnia sacris præceptis, quæ exinde ablata fuerant, restaurans, suis sanctis digitis plenius ea confirmavit.

Prædicat populo, octavam Assumptionis celebrari jubet.

25 Is sæpius memoratus et beatissimus Papa prædicationis suæ alloquio multos ad cognitionem veritatis perduxit, et salutiferas omnibus operationes quotidie demonstravit. Nam octavam Assumptionis beatæ Dei Genitricis diem, quæ minime Romæ antea celebatur, vigiliis sacris, matutinisque cum omni clero pernoctans laudibus, in basilica ejusdem semper Virginis Dominæ nostræ, quæ foris muros juxta basilicam beati Laurentii martyris sita est, celebrari præcepit: in quam etiam magna populi multitudo convenerat, novæ festivitatis cupiens celebrare solennitatem. Hoc ipse magnanimus cum videret Antistes, omnes qui aderant huic celebritati, plures argenteos erogavit c.

ANNOTATA.

C

a *Vide Baronium ad annum* 847 *num.* 21.

b *Satis patet hic vasa indicari, quæ luminaribus annumeranda, non calices sacros quibus in sacrosancto Missæ sacrificio utimur.*

c *De* B. Leonis *in Romanos largitionibus, quæ infra* rogæ *vocantur, vide Altaserram pag.* 147.

Caput IV. *Novi ecclesiarum ornatus; constructio monasterii; et reparatio murorum, portarum ac turrium Urbis.*

Dona ecclesiæ S. Mariæ.

Fecit vero isdem Beatissimus in ejusdem Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ ecclesia vestem de fundato unam, nec non fecit ibidem vela numero quadraginta quinque. Et infra in ipsius ecclesiæ oratorium, quod vocitatur, beatæ Barbaræ, obtulit vestem de fundato unam. Ipse a Deo præcipuus Antistes et in oratorio sanctæ Eugeniæ fecit vestem de fundato unam. Et hic solertissimus, Deo opitulante, sanctissimusque et in omnibus præclarus atque præcipuus Pontifex magno animo, et pura voluntate donavit in ecclesia beati Protomartyris Stephani, quæ ponitur foris muros juxta ecclesiam beati Laurentii martyris, vestem de fundato unam. Et infra hujus mœnia ecclesiæ in oratorio beati Leonis martyris fecit vestem de fundato unam. Et ipse mitissimus Pontifex, atque acutus in omnibus bonis obtulit in ecclesia beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ, quæ ponitur infra prædictum monasterium, quod vocatur Corsarum, fecit vestem de fundato unam. Ubi supra obtulit in oratorio sancti Cæsarii vestem de fundato unam. Fecit isdem beniguissimus crucem auream noviter, et ipsa crux, ut mos antiquitus est, subdiaconi manibus ferebatur, ante equum prædecessorum Pontificum, quam Deo juvante in auro et argento ac gemmis melius renovavit.

EX EDITIONE FABROTTI.

S. Stephani.

E

S. Nymphæ.

27 Obtulit vero in ecclesia beatæ Nymphæ martyris, quæ esse videtur in civitate Portuensi, vestem de fundato unam. Similiter fecit in ecclesia beatorum martyrum Cosmæ et Damiani, quæ in Silva candida esse videtur, vestem de fundato unam: nec non, ubi supra obtulit vela de fundato tria ornata in circuitu de blattin. Hic vero beatissimus Papa sacratissimorum Martyrum sepulchra devota mente ardentique assidue pectore visitabat. Quos vigiliis, sacrisque orationibus cuncto pro orthodoxæ fidei populo exorabat. Die autem quadam cum ad sepulchrum beati Laurentii martyris pervenisset, et solito more orationem expleret, diligentius inquirere cœpit, ac dicere: Quanti quotidianas hic monachi Deo omnipotenti referant laudes? Tunc omnes, qui aderant beato Pontifici, protulerunt, quod a quibusdam Pontificibus duo monasteria ibidem fuissent constructa, sed pro magna paupertatis inopia, in desolationes reducta sint. Mox autem ipse almificus Pontifex, superno nutu compunctus, monasterium, quod nunc sancti F vocatur Stephani, et Cassiani restaurans, muneribus ac divitiis locum plenissime perornavit. In quo etiam sanctæ conversationis plures Græcos genere instituit monachos, qui Deo omnipotenti, eidemque martyri die noctuque laudes persolverent.

SS. Cosmæ et Damiani.

Monasterium construit.

Basilicam S. Petri magnifice exornat;

28 Ipse quidem a Deo protectus et venerabilis Præsul intra basilicam beati Petri Apostoli oraculum miræ pulchritudinis summique decoris construxit, quod pulchris marmoribus circumdans splendide compsit, absidamque ejus ex musivo, aureo superinducto colore, glorifice decoravit; in quo etiam venerabile corpus beati Leonis confessoris, atque Pontificis a recondens, sacrum desuper construxit altare, et cyborium cum cruce exaurata, ad laudem et gloriam Christi nominis hoc fretus amore perfecit, ut sibi dignum in æthere conquireret locum. Patratis itaque omnibus, atque perfectis operibus, quorum jam sigillatim superius nomina scripta, vel numerata sunt, confestim isdem Pastor et Pater egregius, quamvis universarum a

EX EDITIONE FABROTTI.

rum proficuam ecclesiarum Dei curam, dignamque solicitudinem gereret, et ad omne opus bonum præ omnibus intentus existeret, ex intimo cordis sui longa trahens suspiria, cum quotidie beatissimi Apostolorum Principis Petri sacratissimum altare cerneret violatum, et ad tantam inhonestatem a Saracenis perfidis Deoque contrariis, et vilitatem perductum, etiam et quod dolentes mœrentesque dicimus, ipse undique Christianum populum ad jam fati Principis sacratissima, orationis causa vel gratia, limina destinari cerneret, et ob hoc vota sua, ut olim, perficere non pleniter satagebat, ideo omnipotentis Domini fretus auxilio, atque consilio, et virtute munitus, aureis simulque argenteis tabulis, non tantum confessionem sacram, verum etiam frontem sæpe dicti altaris satis decenter et honorifice perornavit, ut præsens per omnia opus ibidem dedicatum luce clarius manifestat.

præsertim ejus altare,

29 Quamobrem venerandi altaris frontem præcipuam tabulis auro optimo noviter dedicavit, una cum gemmis quam plurimis B valde optimis ac pretiosis totam circumdedit, et in meliorem, ut prius statum, decoremque perduxit: in quibus scilicet aureis, ut dictum est, tabulis non solum Redemptoris nostri forma depicta præfulget, verum et ejus Resurrectio veneranda, atque indicium sacræ ac salutiferæ Crucis. Petri quoque, Paulique pariter vultus, atque Andreæ in prænominatis tabulis similiter splendent, atque coruscant, inter quos sanctissimi quarti Leonis Præsulis, necnon et specialis filii sui Domini Imperatoris Lotharii, propter futuram memoriam, sive mercedem, personæ Deo caræ, per cuncta secula venerandæ, depictæ sunt. Fecit denique tabulam de smalto *b*, opus ducentas sexdecim auri obrizi pensan. libras. Confessionem vero crebro dicti altaris tabulis ex argento paratis purissimo simili modo, tota animi devotione, ad antiquum decus, et statum perduxit. In quibus Salvatorem in throno sedentem conspicimus, pretiosas in capite gemmas habentem, et a dextris illius Cherubin, a læva quoque ejus vultus Apostolorum, ceterorumque depictos: C immo et rugas sacræ confessionis ex argento constructas vultus habentes beatissimi Petri et Pauli pensan. omnia libras ducentas et octo.

et S. Leonis oratorium.

30 Ipse vero a Deo amabilis, et prudentissimus Pontifex fecit in basilica beati Petri Apostoli vela ex auro texta pendentia in arcubus compte in circuitu de blattin numero undecim. Nec non et in oratorio sancti Leonis Pontificis, intra ecclesiam beati Petri Apostoli, fecit vestem sericam albam sigillatam cum gammadiis et periclysi de blattin unam, et vela similiter alba majora duo, minora octo, et in monasterio sancti Cæsarii, quod *(Item S. Cæsarii,)* ponitur in palatio, fecit vestem de fundato unam, et vela octo. Ipse vero a Deo protectus, et venerabilis Pontifex, propter retributionem et mercedem animæ suæ, fecit in cimiterio beatæ Agathæ martyris, quod *(S. Agathæ,)* ponitur foris portam beati Pancratii martyris, vestem de fundato unam et vela octo. Quisnam dicere valeat, vel narrare sufficere possit, quanta ipse a Deo protectus, et solertissimus Papa sanctis locis devota obtulit mente dona? Nam in oratorio, quod Pauli D dicitur Papæ, miræ pulchritudinis obtulit vestem aquilarum habentem historiam cum cruce *(S. Pauli,)* de chrysoclavo et gammadiis unam.

31 Fecit autem in oratorio sanctorum Processi et Martiniani splendoris non modici vestem cum rotis et hominibus, et historiam *(Processi et Martiniani,)* cum cruce, similiter de chrysoclavo et gammadiam unam. Aliam vero vestem fulgidæ visionis in basilica sanctæ Petronillæ perfecit *(S. Petronillæ,)* habentem rotam, aquilamque cum cruce de chrysoclavo et gammadiis unam. Obtulit vero in oratorio sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Dominæ nostræ Mariæ, quod in Mediana consistit, vestem similiter cum rotis, *(S. Mariæ,)* aquilisque et cruce de chrysoclavo cum gammadiis unam. Fecit quidem in oratorio sancti Hadriani vestem cum rotis, hominumque *(S. Adriani,)* effigiebus cum cruce similiter de chrysoclavo et gammadiis unam. Ipse vero sæpius memoratus et beatissimus Papa obtulit in basilica sancti Sebastiani martyris, quæ in Frascata *c* consistit vestem pretiosissimæ claritatis *(S. Sebastiani,)* c cum cruce de chrysoclavo et gammadiis unam. Qui summus et præcipuus Præsul E fecit in basilica beati Petri Apostoli cortinam holosericam cum historiis multis claritatis immensæ ad decorem et gloriam ipsius *(S. Petri.)* sacratissimæ basilicæ unam.

32 Cum vero hæc et quæ scripta sunt Leo vir beatissimus quartusque Præsul, Domino *(Muros ac portas Urbis,)* solaciante, amoris ac desiderii gratia, per diversa piorum loca Sanctorum perfectius contulisset, tunc de Romanæ urbis statu, ac restauratione murorum, qui longo jam senio atque vetustate nimia fracti dirutique funditus videbantur, cœpit cum Jesu Christi Domini tractare consultu, ne si diu sub hac negligentia, sive oblivione consisterent, aut Domino permittente facilius ab hostibus aut capi, aut forsan expugnari potuissent; ideo ne hoc in futurum malum fieret, omnes prænominatæ muros civitatis Romanæ, duodecima instante Indictione *d* renovare, atque d ad priorem cultum decusque tota mentis alacritate curavit. Et non solum muros, quos diximus, celeri fieri agilitate præcepit, sed et portas, quibus omnis sæpe clauditur civitas, novo cultu lignisque prævalidis, ob ini- F micorum metum, sive terrorem, reædificari festinantius jussit. Quæ denique omnia, ut cito fierent, et ad effectum decoremque essent perducta, præfatus Vir apostolicus indifferenter non solum equo residens, verumtamen sane pedibus propriis per muros, vel portas cum suis fidelibus discurrebat, quatenus in restauratione eorum mora nulla, aut dilatio fuisset exorta.

dirutasque turres restituit.

33 Quapropter, ut ante jam dictum est, inter curas maximam de Romana urbe curam, ac solicitudinem venerandus Pontifex gerens, undique ad meliorem, novumque cultum cuncta noviter deduxit, et quindecim ab ipso solo turres, quas funditus dirutas per circuitum urbis reperit, novis fabricis restaurari præcepit. Quarum denique duas juxta Portuensem portam ita prudenter ac sapienter venerabilis Præsul ad ipsam oram Tyberis, id est juxta litus fluminis ædificari disposuit, ut nullus prius hominum vel cogitare, vel considerare valebat. Et quia per hunc locum non solum naves, verum etiam homines ante

A ante facile ingrediebantur, nunc autem vix umquam per eum parvæ naviculæ introire valebant, et hoc propter futurum testimonium, Saracenorum periculum, et salutem Romanæ urbis factum est. Ipsas igitur turres non solum lapidibus, sed etiam ferreis muniri curavit catenis, quatenus si necessitas fuerit, per eumdem locum nulla valeat navis transire. Quod noviter opus constructum, et Romanæ urbis defensionem præstat, et videntibus non modicum, sed grande miraculum, quia cum magna sapientia, subtili prudentia et honestate patratum est.

ANNOTATA

a *Tametsi* S. Leo *hic non distinguatur, satis patet, sermonem esse de Leone I seu Magno, ut clarius disces ex citato tractatu de basilica S. Petri pag.* 40 *et seqq. ubi de quatuor sanctis Papæ Leonibus plura commemorantur, hic non repetenda.*

b *De smalto seu pictura encaustica, lege iterum Altaserram et adductos supra lexicographos, atque ad ingentem illam auri molem obstupesce.*

B c *Antiquum Tusculum, locus notissimus, ita sæculo* IX *appellatus, unde corrigendi qui multo serius nomen inditum putant, ut me olim Romæ et audire et legere memini.*

d *Adeoque vix tertio pontificatus anno, ut largitate sua perpetua miracula patrare videatur sanctissimus Pontifex.*

CAPUT V. *Illatio sacrorum corporum in Urbem; restauratio ecclesiæ SS. Coronatorum; dona monasteriis; adventus Neapolitanorum, et classis Saracenicæ dispersio.*

Corpora Sanctorum Urbi intulit:

Ipse quoque a Deo protectus, et beatissimus Papa multa corpora Sanctorum, quæ diu inculte jacebant, summo studio, summoque C cordis affectu ad honorem omnipotentis Dei infra hujus almæ urbis mœnia mirifice congregavit. Nam et corpora sanctorum martyrum quatuor Coronatorum solerti cura inquirens reperit: pro quorum desiderabili amore basilicam, quæ sanctorum fuerat nomini consecrata, quam ipse dum ad Pontificii deductus est apicem, prudentissimo moderamine rexit, quæ per olitana curricula temporum quassata vetustatis defectu, et pœne ruinis confracta diu antiquitus videbatur, et convulsa, supernæ virtutis annuente clementia, in splendidiorem pulchrioremque statum a fundamentis construxit, et ad laudem omnipotentis Dei, eorum sacratissima corpora cum Claudio, Nicostrato, Symproniano, atque Castorio, et Simplicio, nec non Severo, Severiano, Carpophoro, et Victorino, quatuor fratribus *a*. Item Marius, Audifax, et Abacum, cum Felicissimo, et Agapito, Hyppolito cum suis familiis numero decem et octo. Aquilino, Aquila et Prisca, Narcisso et Marcellino, Felice, Simetrioque, Candido, atque Paulina, Anastasio, et Felice, Apollione, et Benedicto, Venantio, atque Felice, Diogene, et Siberæli, Festo, et Marcello, atque Superantio, Pudentiana, et Benedicto, Felice, et Venantio, necnon capite sancti Proti, sanctæque Cæciliæ, sancti Alexandri, sanctique Sixti, et sancti Sebastiani, atque sacratissimæ Virginis Praxedis pariter sub sacro altari recondens collocavit, et alia multa, quorum nomina Deo sunt cognita.

EX BULLARIO

35 Super quod etiam ad gloriam Creatoris miro opere, miræque pulchritudinis cyborium ex argento purissimo, aureo superinductum colore, cum gemmis prasinis, et hyacinthinis pensantes libras trecentas tresdecim et semis. Ubi supra obtulit in eadem ecclesia vel rubea, qui pendent in circuitu altaris numero quatuor. Idem quoque sanctissimus Præsul fecit in oratorio prædictæ beatæ Barbaræ, quod constructum est infra ecclesiam sanctorum quatuor Coronatorum, coronam de argento pensan. libras duodecim. Nec non in eodem oratorio obtulit gabathas de argento decem pensantes libras . . . . . . Verum etiam in supra scripto oratorio fecit vestes de fundato tres, habentes in medio E cruces cum gammadiis, et vela duodecim. Prædictus etiam venerabilis Pontifex fecit in basilica beati Stephani Pontificis, via Latina milliario tertio, vestem de fundato unam cum cruce in medio et vela sex. Ubi obtulit patenam, et calicem sanctum modicum de argento pensant. libr. unam, et semis. Obtulit etiam beatissimus Præsul in ecclesia beati Principis Apostolorum thuribulum de argento exaurato Apostolatum legente nomen Domni Leonis quarti Papæ pensan. libras quatuor.

et in ecclesia SS. 4 Coronatorum, a se exstructa collocavit.

36 Ubi etiam in oratorio beati Gregorii confessoris atque Pontificis fecit vestem de fundato cum gammadiis, et crucem ex argento texto unam. Similiter ibi ipse in oratorio beati Pastoris martyris vestem pari modo fecit unam. Nec non et in oratorio beatæ Dei Genitricis, quæ ponitur ad ambonem eodem modo fecit vestem unam. Et in oratorio sanctæ, et superexaltatæ crucis fecit vestem simili modo unam. Nec non et in oratorio, quod ponitur ad fontem, fecit similiter vestem unam, et vela de quadrapulo *b*. Ipse F vero venerabilis, et præclarus Pontifex fecit in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum super altare majore vestem de fundato cum cruce in medio, et gammadias, et in gyro listam de fundato unam. Ubi supra in oratorio sanctæ Barbaræ similiter fecit vestem de fundato unam. Et in oratorio sancti Sixti eodem fecit vestem unam, et in oratorio sancti Nicolai similiter fecit vestem cum aquila una. Nec non et in ecclesia eadem fecit cortinam lineam cum cruce in medio, et in gyro listam de fundato miræ magnitudinis. Piis moribus, his sacrisque perornatus operibus Papa obtulit in sæpius memorata, quam fretus amore fundaverat, aula, patenam ex argento purissimo aureo superinductam colore, cum crucis trophæo, Salvatorisque effigie, sanctæque Dei Genitricis, et sanctorum Apostolorum pulchro scemate decoratam pensan. libras septem.

Dona plurima,

37 Similiter calicem sanctum auroque perfusum Euangelistarum habentem iconam, et crucem pensan. libras quatuor. Nec non ex argento

variis ecclesiis et monasteriis distribuit.

EX EDITIONE FABROTI.. argento purissimo cantharum exauratum, in quo signaculum in circuitu depressum cernitur crucis cum Prophetarum effigiebus, beatissimique Stephani primi Martyris icona. Verumtamen et thuribulum ex argento mundissimo Apostolicum unum, gabathas ad nitorem ipsius venerandæ basilicæ exauratas quatuor pensan. pondus duarum semis librarum. His omnibus ita gestis, confessionem cum sacro altari argenteis tabulis pensantem libras nonaginta et tres decoravit, sanctorumque effigiebus perornavit. Super quod etiam obtulit regnum de argento purissimo pretiosissimis gemmis habens in medio crucem, quod
c usque nunc *c* super eodem pendere altari conspicitur. Ubi etiam obtulit vela de fundato quadraginta et tria. Ipse vero sæpius memoratus, et præclarus Antistes, superno inflammatus amore, obtulit in monasterio sancti Silvestri, sanctique Benedicti, et sanctæ
d Scholasticæ, quod nuncupatur sub Lacu *d*, vestes de fundato tres, et vela similiter de fundato septem. Fecit etiam idem beatissimus præses, post deprædationem Saracenorum, in
B ecclesia beati Petri Apostoli Crucifixum miræ magnitudinis constructum cum gemmis hyacinthinis de argento purissimo exauratum pensan. libras septuaginta et alias gemmas albas septem; majorem unam.

Minitantes denuo Saraceni, 38 Ea item, quæ inter cetera per sanctissimi Præsulis assiduas preces ac lacrymas, a Domino exauditas, duodecima insistente In-
e dictione *e* mirabiliter acta, vel gesta sunt, non inutiliter agemus, si ob æternam memoriam huic operi clarius inserere studeamus: ut quantæ sanctitatis in hac ærumnosa vita Vir iste extiterit, præsentes, atque futuri facilius agnoscant. Denique post nefandam, et lugubrem, omnique plenam miseria Saracenorum deprædationem, quam in primo ecclesiarum omnium capite, sancta scilicet Romana Ecclesia, hortatu diabolico peregerunt, voluerunt iterum ipsi satanæ filii similia in Romanos fines, et ecclesiam beatissimi Apostoli Petri, ut olim damna inferre, et deinde victores ad loca, quibus egressi fuerunt, destinare; sed cura ac studio summi præfulgente, atque vigilante Pastoris, hæc minime
C perficere potuerunt. Tamen ut fideles in Domino amplius fideliores jure existant, et illius signa, ac veneranda miracula ex veteribus noviter emanasse non dubitent; a principio retinendum est, quid de eis divina eodem tempore misericordia mirabiliter egit, quantisque miseriis, atque calamitatibus gens illa pestifera merito protrita dilapsa est.

ope Neapolitanorum, 39 Quamobrem pristinum reminiscentes lucrum, vel prædam, quam fecerant, multiplicata iterum perversorum hominum manu multisque cum navibus ad urbem expugnandam Romanam, duodecima Indictione vigente, venire crudeliter decreverunt. Multisque etiam diebus in loco qui Tozarum dicitur, juxta insulam Sardiniæ demorati sunt. A qua digressi Romanum portum, Deo illos non adjuvante, inire conati sunt. Quorum iniquus, ac nefandus adventus Romanos non mediocriter terruit. Sed quia Ecclesiam suam Deus omnipotens semper inviolatam custodivit, et deinceps custodire non desinit, excitavit tunc inter ceteros omnium Neapolitanorum, Amalphitanorum, Cajetanorumque corda, ut una cum Romanis contra eos insurgere, ac D
dimicare fortiter debuissent. Mox etenim a locis propriis egressi ante Saracenos inutiles, ipsi cum suis navibus conjunxerunt *, suumque repentinum adventum beatissimo Leoni ** id est pervenerunt.* Quarto Pontifici notum fecerunt. Et quod se ob nullam rem venisse aliam sunt professi, nisi ut de paganis, Domino auxiliante, victores existerent. Tunc demum venerabilis Papa aliquantos ex eis prius ad se Romam venire præcepit, volens specialiter scire ab eis, si eorum pacificus esset adventus, vel non, sicuti et factum est.

40 Inter quos tunc filius Sergii magistri militum, qui erat ordinatus super exercitum, *auxilia ferentium,* nomine Cæsarius, advenit, quos benigne in palatio Lateranensi suscipiens, causam pro qua venerunt, inquisivit. Illi autem ob aliud non venisse testati sunt, nisi ob hoc, quod superius legitur exaratum. Quorum pius Apostolicus credulus verbis, cum magno armatorum procinctu, mox ad civitatem Ostiam properavit, omnesque Neapolitanos grandi, atque eximia devotione suscepit. Qui ut summum Præsulem conspexerunt, pedes ejus, E
humo prostrati venerabiles sunt osculati, gratiasque omnipotenti altithrono retulerunt, qui ad se confortandos talem dirigere decrevit Antistitem. Qui ut meliores de Belial filiis victores existerent, summopere deprecati sunt, ut de suis sacris manibus corpus Dominicum percipere meruissent. Quibus ore suo Missam in ecclesia beatæ Aureæ decantavit, atque universi ex illius, ut dictum est, manibus communionem sumpserunt.

41 Et antequam hæc fierent, usque ad *et ferventibus S. Pontificis precibus,* præfatam ecclesiam cum hymnis, ac litaniis, canticisque præcipuis, simul cum ipsis Neapolitanis, Christo auxiliante, profectus est: in qua etiam flexis genibus Altissimum deprecatus est, quatenus orationibus suis ipse Christianorum hostes in manus resistentium tradere dignaretur. Super quos etiam multis cum lacrymis hanc orationem obtulit dicens: Deus cujus dextra beatum Petrum Apostolum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, et coapostolum ejus Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit, exaudi nos propitius, et concede, ut amborum meritis F
horum fidelium vestrorum brachia contra inimicos sanctæ Ecclesiæ tuæ dimicantia, omnipotenti dextera tua corroborentur, et convalescant, ut de recepto triumpho nomen sanctum tuum in cunctis gentibus appareat gloriosum. Per Dominum etc.

42 Die vero altera, postquam a jam dicta *dispergunlur.* civitate venerabilis reversus est Præsul, ipsi sceleratorum socii, sive participes juxta litus maris Ostiensis multis cum navibus apparuerunt. Contra quos Neapolitani impetum facientes, dimicare fortiter voluerunt, etiam aliquantos vulneraverunt ex illis, et deinde triumphum accepissent, si unum non citius impedimentum accidisset. Nam dum ad invicem attentius dimicarent, subito tam validus, ac supereminens excitatus est ventus, qualem quis his temporibus meminisse non valeat, qui utrasque naves confestim divisit. Tum Saracenorum naves primo veniebant, usque ad oram maris, deinde vento flante, marique elevato procellis dispergebantur, et iterum post aliquantulum, confractis viribus, revertebantur.

A revertebantur. Deus enim omnipotens, pro certo credimus, hunc ex thesauro suo produxerat ventum, qui eos ad nocendum foris minime permisit exire.

...erunt aut capiuntur

43 Super his novis mysticisque miraculis, quæ nostris licet non meritis divina ostendere ac demonstrare nostris dignata est temporibus semper glorificanda, et conlaudanda est veri Dei nostri clementia, qui eos ad locum, quem desiderabant permisit aspicere, et tamen ne capere potuissent, virtutis suæ potentia longius expulit, multosque postea non tantum per intercessiones et merita beatissimorum Petri ac Pauli Principum, maris profunditas, verum etiam fames et gladius indesinenter extinxit. Ex quibus per quasdam insulas nostras famis laborantes penuria, plurimi a nostris hominibus interfecti sunt. Ceteros autem causa veritatis, ac testimonii, vivos comprehendentes Romam duxerunt. Quorum Romani proceres ne multiplicatus numerus videretur, multos prope portum nostrum Romanum in ligno suspendi jusserunt. Aliquantos etiam nos ferro constrictos B vivere jussimus, per hanc solummodo causam, ut et spem nostram, quam in Deum habemus, et illius ineffabilem pietatem, nec non et propriam tyrannidem luce clarius scire valuissent. Et post hæc, ne otiose, aut sine angustia apud nos viverent, aliquando ad murum, quem circa Ecclesiam beatissimi Apostoli Petri habebamus inceptum, aliquando per diversa artificum opera, quidquid necessarium videbatur, per eos omnia jubebamus deferri.

ANNOTATA.

a *Vide de his Martyrologium Romanum* VIII *Novembris, ubi confusionem hic factam observabis; neque ceteri satis distincti sunt; ast hæc majoris molitminis quam ut hic paucis explicari possint. De multis actum est, de reliquis agetur suis locis.*

b *Vult dicere* quadruplo *texta, quæ vox quomodo intelligenda sit, explicat Magrius ad* stauracinus; *ad* gammadia *figuram proponit, quo res clarius percipiatur:* listam *accipio pro taniola,* C *quæ per casulæ seu alterius vestis oram circumducitur. Vide iterum Magrium. Non lubet lexicon componere.*

c Usque nunc, *nisi longum tempus indicet, nihil significat: vide Commentarium num.* 31.

d *De specu Sublacensi agit Altaserra, tu vide S. Benedicti Vitam cap.* I, *ad* XXI *Martii.*

e *Nempe anno* 849.

Caput VI. *Perpetua munifici Pontificis in varias ecclesias donariorum distributio.*

...rma oblata in ...lesia S. Petri, S. Andreæ et S. Mariæ;

Pro his igitur beneficiis, ut jam enarratum est, beatus Pontifex obtulit in basilica beati Petri Principis Apostolorum, post deprædationem gentis Agarenorum, arcus de argento mundissimo numero tredecim. Ex quibus duo, quos posuit a parte dextra, seu sinistra in presbyterio miræ magnitudinis pensantem libras

Ex editione Fabrotti.

. . . . . Isdem quoque beatissimus Præsul fecit in ecclesia beati Petri Principis Apostolorum vestem unam auro textam habentem historiam, qualiter beatus Petrus prædicavit ad sanctam Romanam Ecclesiam cum gemmis albis, id est margaritis septem, et cum gemmis prasinis undecim, nec non et gemmis hyacinthinis viginti et septem. Fecit et in ecclesia beati Andreæ Apostoli cyborium super altare ex marmore, nec non et calicem de argento cum coronis pendentibus in eodem cyborio numero duodecim pens. . . . libras. Fecit etiam ibi ipsum campanile, et posuit campanam cum malleo æreo, et cruce exaurata. Necnon et in ecclesia beati Petri Apostoli obtulit thuribulum ex auro purissimo ex diversis gemmis ornatum. Et in ecclesia beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ, quæ ponitur ad sanctum Laurentium foris murum, fecit vestem unam habentem historiam resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, et imaginem almifici prædicti Præsulis. Fecit etiam in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum canistra de argento undecim pensan. libras viginti quatuor. Obtulit et in ecclesia beati Petri Apostoli crucem ex auro purissimo ex diversis gemmis hyacinthinis, albis et smaragdis miræ magnitudinis ornatam, quæ stat parte dextra juxta altare majus. In qua etiam noviter renovavit virgam, et deargentavit eam, in qua prædicta crux continetur pen. lib. argenti undecim et semis legente de nomine Domini Leonis quarti Papæ. E

item S. Stephani et SS. Coronatorum.

45 Obtulit et in ecclesia beati Stephani Protomartyris vestem ex auro texto cum gemmis hyacinthinis quatuor. Isdem prædictus almificus, et summus Præsul, nimio amore ductus, et bonis moribus affectus fecit in ecclesia beati Christi martyris Laurentii, sita foris murum civitatis Romanæ, vestem de serico mundo cum aquilis habentem tabulas auro textas tres ex utraque parte, habentes martyrium prædicti Martyris depictum, et imaginem prædicti Præsulis. Necnon fecit in ecclesia sanctorum martyrum quatuor Coronatorum imagines de argento exauratas tres, unam quidem habentem vultum Salvatoris, et alias duas habentes vultus sanctorum Claudii et Nicostrati pensan. libras quinquaginta et duas et semis. F Et in eadem ecclesia obtulit coronam de argento unam pens. libras viginti quinque. Et in pergula ejusdem ecclesiæ, quæ est ante altare majus, suspendit lilium de argento habens mala de crystallo, et ranunculum. Fecit etiam, ubi supra, canistra de argento septem pensan. libras duodecim. Fecit ipse mitissimus in æde propria, quam ipse a fundamentis fieri disposuit, et ex jure parentum suorum ipsi accessisse videbatur, monasterium ancillarum Dei in honorem sanctorum Simitri *a*, et Cæsarii, ubi et dona largitus est, patenam, et calicem sanctum de argento exauratum habentes diversas gemmas pens. libras. . . . . Ubi supra obtulit thymiamateria cum canthara una pendentia libras. . . . .

ac monasterio ancillarum Dei

46 Nec non et ipse vero almificus Pontifex obtulit in supra scripto monasterio canistra de argento mundissimo tria, et gabathas saxiscas pensan. in unum libras duodecim et semis. Ibidem fecit, propter retributionem et mercedem animæ suæ, vestes de fundato tres habentes

EX EDITIONE FABROTTI

habentes unam tabulam acupictilem interclusam. Fecit autem ibidem regnum ex auro mundissimo cum gemmis prasinis, et hyacinthinis, quod pendet super altare pens. libras. ..... Ipse vero a Deo protectus, et venerabilis Pontifex superno amore exardescens obtulit in basilica sanctæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ Dominæ nostræ, quæ ponitur foris muros istius civitatis Romanæ, juxta beatum Laurentium, vestem de fundato unam habentem in medio tabulam exauratam cum effigie Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, et ipsius almifici Pontificis. Et in ecclesia beati Laurentii martyris, quæ ponitur foris muros, obtulit thuribulum argenteum cum cooperculo suo exauratum, habens catenulas et bullas per gyrum pen. lib. sex. At vero in ecclesia beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ trans Tyberim absidam, quæ præ nimia vetustate ruitura eminebat, prænominatus Præsul restauravit. Et in ecclesia beati Petri Principis Apostolorum, propter honorem ac vigorem ipsius ecclesiæ fecit butronem ex B argento purissimo, qui pendet in presbyterio ante altare majus pensan. libras centum quadraginta et novem. Simul etiam fecit in ecclesia beati Sebastiani martyris, quæ ponitur in Frascata, canistrum de argento mundissimo pen. libras duas, legente nomen almifici Præsulis, et beati Sebastiani.

S. Mariæ et S. Sebastiani.

Iterum ad S. Petri.

47 His denique decentius consummatis, atque peractis, post flebilem et iniquam Saracenorum deprædationem, Catholicus et per omnia laudabilis Præsul, ad decorem et laudem ecclesiæ Apostolorum Principis Apostoli Petri, fecit miræ magnitudinis ac pulchritudinis super illius venerandum altare cyborium et columnas, ac lilia exaurata ex argento purissimo pens. libras mille sexcentas et sex. Nam et super cyborium obtulit coronas quatuor et calices sexdecim ex auro mundissimo pens. libras..... Et de argento, ut supra, ad honorem et gloriam ipsius, cyborium fecit, calicesque et coronas numero quadraginta sex pensan. libras viginti duas, et uncias septem. Nec non et super columnas ipsius cyborii propter amplam pulchritudinem C ex argento purissimo fecit cophinos numero quatuor pens. libras quadraginta et duas. Fecit etiam ibidem ante altaris circuitum vela alba holoserica sigillata numero quatuordecim, listas habentia de fundato. Obtulit inibi et alia vela linea numero quatuordecim listam habentia per circuitum de serico albo sigillato. Ubi supra fecit arcus duos ex argento purissimo pensan. libras quinquaginta.

S. Silvestri.

48 Fecit in oratorio sancti Silvestri infra palatium Lateranense vestem de fundato unam, habentem in medio tabulam de chrysoclavo modicam, et vela de fundato quatuor. Fecit et in ecclesia Hierusalem vestem de fundato unam, et vela similiter de fundato quatuor. Fecit etiam et in diaconia sanctæ Mariæ Virginis, quæ ponitur in cyro *b* regnum ex argento intrinsecus, bullis aureis circumdatum. Verum etiam et in ecclesia sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ, quæ ponitur in Frescata, vestem de fundato unam habentem in medio tabulam modicam exauratam interclusam, et vela de fundato quatuor. Nec non et in ecclesia sanctæ Genitricis Dei Mariæ, quæ ponitur D in Morenico Narrano, fecit vestem de fundato unam et vela similiter de fundato quatuor. Pari modo obtulit in ecclesia B. Petri Apostoli, quæ ponitur in Maruli, fecit vestem de fundato unam habentem in medio tabulam exauratam modicam interclusam, et vela de fundato quatuor. Ipse vero a Deo protectus, et venerabilis Pontifex obtulit in basilica beatæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ Dominæ nostræ, quæ ponitur ad sanctum Laurentium foris muros, fecit cortinam lineam unam habentem in gyro listam de fundato, et in medio crucis similiter de fundato. Et in ecclesia sanctorum Cosmæ et Damiani, quæ in Silva candida esse videtur, obtulit vestem rubeam unam habentem in gyro listam de argento, et crucem in medio, et vela cum aquilis quatuor.

b S. Mariæ in Frescata.

S. Mariæ ad S. Laurentium.

S. Petri.

49 Obtulit etiam in ecclesia beati Petri Principis Apostolorum coronam ex argento cum historiis a foris circumdatam, et exauratam pensan. libras septem. Ipse quoque a Deo protectus, et beatissimus Papa, superno fretus amore, obtulit in basilica beati Petri E Apostoli ante Confessionem sacri altaris a dextris, seu a sinistris, ad decorem ipsius basilicæ, angelos sex ex argento mundissimo pensantes libras sexaginta quatuor. Et super illud cyborium fecit oleas quæ pendent in circuitu altaris habentes tabulas quatuor exauratas, nec non et gammadias numero quatuor. Ubi supra fecit arcus quatuor, qui stant in presbyterio, ex argento mundissimo pen. libras centum. Ipse vero beatissimus Pontifex obtulit in monasterio sanctorum Cosmæ et Damiani, quod ponitur in loco qui vocatur Sublacus, milliario ab urbe Roma plus minus quadragesimo, vestem de fundato unam, et vela de fundato similiter tria. Fecit etiam isdem prædictus Præsul in ecclesia beati Christi martyris Gervasii et Protasii, quæ ponitur infra civitatem, quæ vocatur Fundana, vestem de fundato habentem in medio crucem ex auro texto unam, et velum de fundato unum.

SS. Cosmæ et Damiani.

SS. Gervasii et Protasii.

S. Cæsarii in Terracina.

50 Obtulit etiam isdem prædictus Præsul in ecclesia beati Christi martyris Cæsarii, F quæ ponitur intra civitatem, quæ vocatur Terracina, vestem de fundato unam habentem in medio crucem cum gammadiis, et periclysin de blattin legente de nomine Domini Leonis quarti Papæ, et vela similiter de fundato numero quinque. Nec non obtulit in basilica beati Petri Apostoli arcus ex argento mundissimo, numero quatuor pen. libras octuaginta et quatuor. Fecit autem in basilica beatæ Rufinæ martyris in Silva Candida vestem de fundato habentem in medio crucem de periclysi, et in circuitu de blattin, legente de nomine Domni Leonis quarti Papæ. Fecit etiam isdem beatissimus Præsul in ecclesia beati Clementis martyris atque Pontificis gabathas de argento purissimo numero sex, tres quidem filo pares signo Christi, et duas etiam similitudines palmarum, et unam interrasilem, quæ est saxisca pen. simul libras quatuor. Isdem beatissimus, et præclarus Pontifex fecit in basilica beati Petri Apostoli nutritoris sui arcus cum columnis, et liliis de argento purissimo tres pen. insimul libras centum, et duas.

S. Petri.

S. Rufinæ.

S. Clementis.

51 Ipse

51 Ipse quidem venerabilis Pontifex fecit in basilica sancti Cæsarii, quæ ponitur in Terracina, vestem de quadrapulo ornatam in circuitu de blattin, habente in medio crucem de chrysoclavo, legente de nomine Domni Leonis quarti Papæ. Nec non et in basilica beati Petri Apostoli fecit arcus de argento purissimo cum columnis, et liliis numero tres pen. libras sexaginta. Fecit et in ecclesia Dei Genitricis Mariæ, quæ ponitur in civitate Portuensi, vestem de spanisco unam ornatam in circuitu de fundato, et in medio crucem de argento. Similiter vela de spanisco ornata in circuitu de fundato numero tria. Sed et tabulas de argento exauratas, in gradu ante Confessionem beati Petri Apostoli numero quatuor, et agnos duos, qui pen. libras insimul quadraginta et quatuor. Obtulit ubi supra coronas porphyreticas miræ magnitudinis ornatas ex auro purissimo cum delphinis duodecim, legente de nomine ipsius almifici Præsulis pen. auri libras tres et semis. Nec non et arcus de argento purissimo numero decem, qui pen.
B simul in unum libras centum et octuaginta et unam. Et vela linea, quæ pendent in arcubus ubi supra ornata in circuitu de fundato numero quadraginta octo.

ANNOTATA.

a *Alias* Simmetrii *vel* Symmetrii, *de quo actum est* XXV *Maii:* Cæsarius, *is forte est qui colitur* XX *Aprilis, vel alius Romæ notissimus.*

b *Quis hic locus intelligatur, fateor me non perspicere; non magis quam quid infra sit* Morenicum Narranum, *quod Altaserra explicare conatur; an satis recte, nescio. Tanti hæc non sunt, ut iis diutius immoremur.*

CAPUT VII. *Civitatis Leoninæ, Lothario Imp. juvante, constructio et dona iterum varia in Romanos collata.*

C Dicere nunc post universa, quæ retro scripta sunt, libet æternæque memoriæ præsentibus litteris enodare, quæ vel quanta permaximus et venerabilis Præsul, solerti pioque studio, pro defensione universæ matris Ecclesiæ, zelo scilicet compunctus divino, infra paucorum spatia temporum, perhoneste ac nobiliter dedicavit. Quamobrem dum universa Romanorum nobilitas, pro illa quam jam dudum deprædationem nefandi, ac malevoli Saraceni intulerant, in nimia lamentatione consisteret, ne deinceps (nisi ecclesia beati Petri Apostoli muris undique munita citius foret) pejora valuissent committere, iisdem amabilis Pontifex magnam pro Romanis omnibus cœpit habere angustiam: et quo modo vel ordine ab eorum cordibus tantum potuisset rancorem, sive timorem auferre anxius cogitare. Cumque in his diuturnis crebro laboribus desudaret, Deo revelante, hujusmodi protinus consilium sumpsit, ut hoc ipsum suo dilecto, ac speciali filio Domno Lothario luce clarius indicaret Augusto, qualenus per illius, Domino annuente, adjutorium atque consilium, civitatem illam, quam prædecessor ejus Leo Papa tertius erga ecclesiam prænominati Apostoli ædificare cœperat, et cujus multis jam in locis fundamenta posuerat (licet post suum transitum a quibusdam ablata fuissent hominibus, ita ut nec aditus appareret, ubi prius inchoationem præfatus habuerat murus) si vita comes adesset, desideratum opus Christo solaciante *a*, ad effectum posset perducere. Hoc denique piissimus, ac serenissimus Cæsar agnoscens, magna est illico lætitia, et exultatione repletus, rogansque jam fatum summopere Præsulem, patremque per omnia spiritalem, ut quantocius tanti operis fabricam, sedulo labore perficeret. Ad quam ipse cum suis fratribus non modicas argenti libras direxit, ut sicut dictum est, tam proficuum opus indeliberatum *b* minime remaneret.

Ex editione Fabrotti

53 Ex quo nuncio præoptato, Præsul præcipuus ultra modum hilaris est effectus. Cœpit autem ex tunc de prædicto negotio valde esse solicitus, convocansque cunctos sanctæ Dei fideles Ecclesiæ petens ab. eis ore suo consilium, qualiter tanta murorum cito va- E luisset fabrica consummari. Tunc omnibus ita visum est, ut de singulis civitatibus, *c* massisque universis publicis, ac monasteriis per vices suas generaliter adveuire fecisset, sicut et factum est. Quamobrem secundo præsulatus illius anno, præfata civitas ædificandi sumpsit exordium. Et in sexto consecrationis suæ utpote magnis, ac mirabilibus omnis est fabricis civitas undique consummata. Cumque per multos labores, atque certamina beatissimi Præsulis totum, ut desiderabat, murorum opus completum deliberatumque fuisset, cœpit omnipotenti Deo multimodas, sive innumeras gratias agere, qui suas quotidianas preces pro nova ædificatione murorum exaudire, et adimplere dignatus est.

quam incredibili diligentia

54 Nam quantam, qualemque curam, vel studium, simulque solicitudinem pius ac laudabilis Pastor, quousque construeretur, diebus singulis ac noctibus habuit, nullius hominis lingua breviter enarrare potest, et quia nihil aliud post debita sacrorum mandatorum officia agebat, præter id quod superius exaratum est, revera non frigus, neque flatus F ventorum, vel pluviæ, aut aeris grandis vel modica conturbatio pigrum in eundo de die in diem quolibet modo facere potuit. Sed modo hic, modo illic per diversas murorum fabricas vigil ac solicitus discurrebat, ut suum bonum propositum ac desiderium, per Apostolorum pia Petri, Paulique suffragia, Redemptor noster omnipotens præpropere adimplere decrevisset, atque modo omnes conspicimus. Tunc demum consummatis simulque perfectis, ut crebro retulimus, novæ civitatis universis operibus, Papa beatissimus et per omnia et in omnibus semper laudabilis, ut prædicta civitas, quæ a proprio conditoris sui nomine Leoniana *d* vocabatur, ut perpetualiter firma ac roborata consisteret, jussit cum magna animi devotione cordisque lætitia, ut omnes cum eo episcopi pariter ac sacerdotes incolæ Urbis, et universi ordines clericorum sanctæ Catholicæ et Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, post letanias, et psalterium decantatum, cum hymnis et canticis spiritalibus per totum murorum ambitum nudis pedibus, cinerem

perficit, et nudis pedibus cum clero circumit.

EX EDITIONE LABBOTTI.

cinerem portantes in capite, circuirent: et inter cetera ab Episcopis Cardinalibus aquam sanctificari benedictam præcepit, ut inter orationum officia, aquam ipsam transeuntes per murum sanctificationis gratia jactare omnimodis studuissent, qui, ut ab eo jussum fuerat, humiliter peregerunt.

varias preces,

55 Ipse autem venerabilis Pontifex ore suo tres super eumdem murum orationes, multis cum lacrymis, ac suspiriis, dedit, rogans ac petens, ut sæpe dicta civitas, et Christi conservaretur in ævum auxilio, et Sanctorum omnium, angelorumque præsidio ab universo inimicorum secura, et imperterrita perduraret incursu. Primam denique orationem fecit super portam quæ respicit ad sanctum Peregrinum, cujus finis et principium tale est. ✠✠✠. Deus, qui Apostolo tuo Petro, collatis clavibus regni cælestis, ligandi atque solvendi Pontificium tradidisti, concede, ut intercessionis ejus auxilio, a peccatorum nostrorum nexibus liberemur, et hanc civitatem, quam noviter, te adjuvante, fundavimus, fac ab ira tua in perpetuum manere securam,
B et de hostibus, quorum causa constructa est, novos, ac multiplices habere triumphos.

a se idcirco compositas, e

56 Secundam quoque iisdem pius Papa dedit orationem super posterulam *e*, ubi mirum in modum castellum præeminet, quæ vocitatur sancti Angeli: cujus orationis talis est textus. Deus, qui ab ipso mundi hujus exordio, hanc sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam ab hostibus custodire, et conservare dignatus es, iniquitatis nostræ chirographum propitiatus emunda et civitatem hanc, quam tuo sancto nomini per Apostolorum tuorum Petri et Pauli suffragia noviter dedicavimus, ab omnibus inimicorum insidiis securam semper, atque imperterritam manere permitte. Per Dom.

devotissime recitans.

57 Tertiam vero orationem cecinit super posterulam aliam, quæ respicit ad scholam Saxonum, quæ ex eorum vocabulo Saxonum posterula appellatur, et ipsa oratio tertia hunc specialiter continet modum. Præsta quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut ad te toto corde clamantes, intercedente beato Petro Apostolo tuo, tuæ pietatis indul-
C gentiam consequamur, et pro civitate hac, quam ego famulus tuus Leo quartus episcopus, te auxiliante, novo opere dedicavi, meoque ex nomine Leonina vocatur, jubeas ut semper illæsa maneat ac secura, apud clementiam majestatis tuæ jugiter exoramus. Per Dominum. In qua scilicet civitate juxta promissum sui desiderii, quod Deo voverat, magnam sive Romanis, sive diversis nationibus, in summæ
f solennitatis die rogam *f* distribuit.

Papa Romanos multis donis cumulat,

58 Deinde cum ceteris, ut præfatum est, sacerdotibus, et omnibus Romanorum proceribus ad ecclesiam beati Petri Apostoli cum orationibus, divinisque laudibus tendens Missam pro salute populi, et civitatis incolumitate, ac stabilitate perpetua, honorifice decantavit. Is itaque sacris peractis officiis cunctos nobiles Romæ multiplicibus donis, non tantum in auro, argentove, sed et sericis palliis honoravit, atque ditavit. Fuitque die illo magna cunctis lætitia, videlicet die septimo et vigesimo mensis Junii, pridie ante beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli vigilias, et per totam Romanam urbem infinita gaudia et exultationes innumeræ celebratæ sunt. Inde magis dignum est, atque D conveniens, ut pro tanto Præsule, tantoque Pastore cunctipotentem Dominum toto corde puroque animo jugiter imploremus, per quem tam admirabile, perhonestumque opus, Christi solatiante potentia, celeri exercitatione expletum, ob salutem Christianorum omnium consummatumque cognoscimus, in nostris orationibus, quatenus et hic diutissime vigeat, et illic cum Sanctis omnibus, pro suis innumeris certaminibus ac laboribus, perpetualiter æterna mereatur præmia possidere.

59 Ipse vero beatissimus Papa fecit in ecclesia Sancti Sinzigii *g*, quæ ponitur in civitate Blerana, vestem de fundato unam habentem in medio tabulas do chrysoclavo cum effigie Salvatoris, habente in capite gemmas prasinas tres, et sancti Sinzigii, et beatissimi Præsulis, et vela de fundato quatuor, et in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum fecit cerostata ex argento purissimo duo pen. libras quinque et uncias sex, et gabathas de argento numero quatuor pensan. libras.... Fecit in ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ ponitur ad beatum Laurentium foris muros, vela de fundato numero viginti septem. Item fecit prædictus Præsul in ecclesia beati Clementis martyris, atque Pontificis regnum, quod pendet super altare majus ex auro purissimo sculptile sine gemmis, habens in medio crucem de auro cum gemmis fixis in eadem cruce, vitreas quinque, et quæ pendent item vitreas numero quatuor pensan. libras quinquaginta.

atque ecclesias ditat, g — E — *S. Mariæ,*

60 Obtulit et in ecclesia beati Hippolyti martyris, quæ ponitur in insula Portuensi, quæ nuncupatur Arsis, vestem de fundato habentem gammadias ex argento textas unam, vela de fundato numero quatuor. Nec non et in ecclesia beatæ Dei Genitricis Mariæ Dominæ nostræ, quæ ponitur infra civitatem, quæ vocatur Anagnia, obtulit vestem, et vela de fundato quatuor. Verum ne post hæc, quæ superius veraci testimonio, certisque schematibus dilucidata, atque conscripta sunt, silentio, quod minime convenit, cetera transeamus, libet alia beatissimi Papæ opera potenti Jesu Christi opitulante F clementia facta, quamvis plurima, tamen luce clarius indicare. Nam cum in bonis, Deoque dignis operibus mens simul et animus summi Antistitis indeficiens desudaret, cœpit de civitate Portuensi permaximum habere certamen, ut quo modo, vel ordine tam suis quamque etiam futuris temporibus, ab hostibus ac satanæ filiis secura, et libera manere potuisset.

et S. Hippolyti.

ANNOTATA.

a Solatiari *seu* solaciari, *quod etiam superius recurrit, accipe pro* solatio levare.

b *Melius intelligitur quam explicari possit: voluit dicere id quod in sola deliberatione hæret et non perficitur.*

c *An non* mansis *seu* mansionibus, *quod est vicis, mapalibus vel communitatibus?*

d *Videri possunt quæ de Leonina civitate notavit Altaserra.*

e *Id est* posticam; *de qua vide iterum Altaserram, qui de castro S. Angeli, et posterulis aliis.*

f Roga

A f Roga *quasi primitivum* erogare, *de quo superius diximus.*

g Sisinii, *opinor, qui cum Saturnino colitur* XXIX *Novembris ; nisi* Sinesius *sit, aut alius sub hoc nomine deformatus.*

CAPUT VIII. *Urbis Portuensis munitio ; Corsorum ibi receptio ; dona alia in ecclesias et earum restauratio.*

Urbem Portuensem munire cœpit.

Cumque diu hoc tacitus in corde suo Pontificali haberet consilium, tunc Pater omnipotens, et excelsus, qui semper in justis piisque cogitationibus fideles suos adjuvare non desinit, Corsorum animos excitavit, qui timore Saracenorum perterriti, a propriis finibus exules existebant, et huc sive illuc sine solo proprio vagantes incedebant, ut ad Sedem Romanam causa refugii, ac sa- B lutis venire quantocius debuissent, sicuti et factum est. Venientes vero illi ad sacratissima Apostolorum Principis limina ter beatissimo Domino nostro Leoni quarto Papæ illico præsentati sunt. Qui cum ab eis suisque proceribus prudenter satis sciscitatus fuisset, qualis tunc eis imminebat necessitas, pro qua venerant, ipsi autem necessitates suas, calamitates, atque angustias per ordinem quasi uno ore coram præfato exposuissent, se habitaturos cunctis diebus in suo, successorumque Pontificum obsequio, ac servitio declararunt. Hoc sane benevolus Præsul agnoscens, in magnam est statim exultationem, ac lætitiam elevatus, gratias Deo referens, qui tales illi transmisit homines, qui in prænominata civitate in perpetuum habitare potuissent.

Corsos ad se profugos suscipit,

62 Auditis itaque eorum multis promissionibus, Papa præcipuus una cum suis optimatibus eis clara voce respondit : Si quod verbis nobis dixistis, opere curaveritis perficere, satis loca habemus optima, in quibus habi- C tare valebitis, si tantum nobis nostrisque Pontificibus successoribus boni fideles fueritis. Nam civitatem, quam vobis daturi erimus, valde firmata est, atque munita, quam nos Redemptoris nostri protegente auxilio, novis portis, ac fabricis in locis pernecessariis ad cultum pristinum revocavimus, in qua si, ut diximus, manere cupitis, vineas vobis, ac terras, prataque concedemus, ut nullam possitis habere inopiam. Damus etiam vobis quousque ex labore vestro habeatis, vos, et mulieres vestræ, ac filii unde vivere plenissime valeatis. Boves etiam, et caballos, et animalia cetera, sicut prædiximus, si cuncta bono animo feceritis.

Vineas in eadem urbe.

63 Tunc Corsorum populi, talia audientes promissa, lætiores effecti sunt, missosque pio Pontifici protinus quæsiverunt, qui civitatem et loca specialiter demonstrarent, et ita factum est. Placuerunt siquidem omnia, et spoponderunt æquanimiter omnes, quod si noster Papa et Dominus universa, quæ circuivimus, fuerit dignatus conferre, cum omni familia, et supellectili nostra in servitium sancti Petri, ut suum successorumque, cum omni aviditate properabimus. Lustrata denique civitate, et possessionibus universis, ad venerabilem Pontificem cum iisdem missis reversi sunt. Venientes igitur, ut præmissum est, illique læta, ac prospera nunciantes, et quod Corsorum gens vivere se ac mori in eisdem locis omnino fuissent professi, vocatis omnibus, ut ipsi similiter secundum missorum assertiones unanimes testarentur, Pontificale eis, quod secundo promiserat (ob serenissimorum Lotharii, et Ludovici majorum Imperatorum, suamque simul mercedem, perpetuamque memoriam) præceptum emisit, hoc scilicet tenore, et placito anteposito, ut tamdiu firmum maneret, ac stabile, quo usque sanctæ Sedis Præsulibus, populoque Romano in cunctis obedientes, ac fideles existerent.

Ex editione Fabroti

sed certis conditionibus collocat.

64 Etsi, quod absit, omnem præcepti seriem irrefragabiliter non custodirent, sancitum est in eodem, ut vacuum, et inane consisteret. Loca vero, quæ eis data sunt, et a missis Pontificalibus consignata, tam ex proprio jure ecclesiastico, quamque venerabilium monasteriorum, immo et singulorum E hominum, qui finitimi existebant, in concesso eis pontificali privilegio specialiter adscripta leguntur. Ecce enim quanta crebro dicti Præsulis erat ac præfulgebat misericordia, qui non tantum pro defensione Urbis suos Romanos proceres diligebat, sed undecumque valebat colligere homines ad eorum auxilium et solatium invitabat, plus defensionem diligens patriæ et plebis securitatem commissæ, quam lucra temporalia, et caduca pro quibus multos jam recolimus, vitam pariter et possessiones quibus delectabantur, jugiter amisisse. Post hæc denique omnia, quæ superius brevi stylo contexta sunt, alia non dissimilia Præsul sanctus, ac venerabilis satis ovans peregit opuscula.

Reparat alias urbes.

65 Nam Hortanæ, et Amerinæ valde antiquarum civitatum, quarum muri, ac portæ præ nimia vetustate temporum, usque ad solum ceciderant, et funditus destitutæ manebant, quas modo fures, modo latrones ingredi patentibus aditis nullo resistente custode facilius ingrediebantur, ipse adeo so- F lertissimus Præsul tantam civitatum a prædictarum urbium cognoscens incuriam, eas, quas prætitulavimus civitates hortatu suo ac studio muris novis, portisque, prioribus minime dissimilibus, ad pristinum locum, statumque gratia corroboratus divina reduxit : in quibus modo civitatibus exaratis cives et ab inimicorum insidiis melius securi inhabitant, et fures, ac latrones, ut dictum est, clausis muris, ac portis, nullum damnum, [aut] furtum tam noctibus, quamque diebus de cetero valebunt inferre. a

Dona in ecclesia SS. Coronatorum.

66 His autem, ut prædictum est, diligenter expletis, fecit in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum regnum ex auro purissimo unum pendens super altare majus cum catenulis similiter aureis sculptilem habens in medio crucem auream, habentem gemmas quatuordecim, ex quibus quinque in eadem cruce fixas, et alias, quæ ibidem pendent novem. Sex quidem albas, et hyacinthinas tres pen. simul libram unam et semis uncias. Nec non et in basilica sanctæ Dei Genitricis Mariæ Dominæ nostræ, quæ ponitur

S. Mariæ.

EX EDITIONE FABROTTI.

nitur in vico Sardonum, obtulit calicem, et patenam de argento exauratam par unum legente de nomine Domni Leonis quarti Papæ pensant simul in unam libras quatuor et uncias quinque. Ipse insignis, Præsulque præcipuus cum innumera summi decoris opera in basilica beati Petri cæli clavigeri perfecisset, portas quas destruxerat Saracena progenies, argentoque nudarat, erexit, multisque argenteis tabulis lucifluis *b*, salutiferisque historiis sculptis decoravit, et in meliorem speciem, quam pridem fuerant, reparavit, ut omnes, qui in eamdem basilicam ingredi volunt, laudes Deo omnipotenti, sanctoque suo præsulatui referant, et exposcant, ut multa annorum suæ vitæ curricula extendantur, qui tanti fulgoris opere, tantoque pulchritudinis pondere aulam Dei argento pen. libras septuaginta ornavit.

S. Petri. — *b*

Ecclesias multas exstruxit. *c*

67 Qui summus Deo amabilis Papa in exordio sui pontificii *c* cum porticus partis levæ beati præ nimia vetustate Petri basilicæ cecidisset, celeri studio præclarius renovavit. Nam et ipsius præcipue sarta tecta ecclesiæ B magnis trabibus procacique artificio luciflue renovavit. Qui etiam porticum, quæ sancti Andreæ cohæret ecclesiæ, cum cerneretur casura, in melius noviter restauravit. Sed et cameram, quæ ante portas argenteas jam dictæ aulæ esse conspicitur, infinito fretus amore, renovans decoravit. Et multas piæ operationis in eadem specie ecclesias fecit, quas si scripturæ tradere voluerimus, lingua narrare non sufficiet, et nec scribentium valebunt articuli sustinere. Cum ergo per diversas Dei ecclesias multa perficeret insignia opera, ipse beatissimus Pontifex porticum, quæ ante basilicam sanctæ Dei Genitricis consistit, quæ juxta basilicam sancti Laurentii sita est foris muros, clarius ac firmius renovavit.

Dona alia

68 In ecclesia autem sanctæ Dei Genitricis, quæ ponitur in vico Sardonum milliario ab urbe Roma trigesimo, quatuor Catholicos libr. obtulit, unum Euangeliorum, alium Regnorum, Psalmorum, atque Sermonum. In ecclesia beati Martini confessoris atque Pontificis, foris portam beati Petri C Apostoli, fecit calicem de argento unum cum catenulis pen. libras quatuor, et uncias duas. Et in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum fecit thymiamateria duo ex argento mundissimo pen. libras duas, et unciam unam. Simili modo et in ecclesia beatæ Petronillæ fecit vestes de fundato tres et vela duodecim, quatuor quidem de fundato, et tres de spanisco et linea quinque. Nam et in ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quam ipse beatissimus Pontifex a fundamentis supra scholam Saxonum noviter construxit, obtulit vestes de fundato tres, et vela similiter de fundato quatuor.

in ecclesia S. Martini, — *SS. Coronatorum,* — *S. Mariæ,*

S. Petri.

69 Idem beatissimus Pontifex fecit in basilica beati Petri Apostoli cereos deargentatos, qui stant in presbyterio numero viginti et septem pensan. insimul libras quadraginta. Nam et trabes in ingressu et in medio presbyterii investivit ex argento purissimo pensan. libras sexaginta et septem, et uncias tres. Cum autem superno zelo patriæ incensus, speciosis Christi per ordinem ornaret metallis ac ornamentis ecclesias, post fecit alia multa in aula beati Petri Apostoli Principis, D coronam ex argento purissimo unam cum catenulis argenteis quatuor habentem delphinos quadraginta et duos pen. simul libras viginti et tres. Hic quoque Pontifex, Christi semper auxilio fretus, ac divinitus inspiratus, fecit in circuitu altaris beati Petri Apostoli vela serica de prasino quatuor, habentia tabulas de chrysoclavo cum effigie Salvatoris et Apostolorum Petri et Pauli, et sui ipsius almifici Præsulis et in medio cruces, et gammadias de chrysoclavo cum orbiculis, in quibus sunt imagines Apostolorum miræ pulchritudinis decoratas, quæ in diebus festis ad decorem ibidem suspenduntur.

70 Pari modo fecit, ubi supra, alia vela alba holoserica rosata cum cancellis decorata mirifice, Paschæ obumbrantia sacra. Nec non et aliam coronam minorem ibidem obtulit cum catenulis quatuor, et delphinos decem, habentem lilium, et uncinum pen. lib. duas. Hujus namque beatissimi Præsulis animus semper Deo devotus existens pretiosis Jesu Christi ecclesias ornamentis ingenti, ob æternæ vitæ salutem, decorare studebat amore, E et quod nullus prædecessorum ejus Pontificum facere arbitratus est, hic sancto procul dubio Spiritu fervens atque compulsus, coronas ex auro mundissimo inclytis Christi videlicet, et Sanctorum vultibus refulgentes fieri in Apostolorum Principis Petri ecclesia juxta altare, sub quo ejus sacratissimum corpus requiescit, dextera, lævaque pendentes fieri duas cum catenulis, aureis bullis, gemmisque prasinis decoratas decrevit, habentes insimul delphinos sexaginta pen. libras viginti.

quæ enumerantur.

71 Fecit et Crucifixum argenteum miro opere depictum in eadem ecclesia, qui in leva introitus parte inter columnas magnas positus, ingenti splendet decore, habentem lib. sexaginta et duas et dimidiam. Ipse quoque beatissimus Pontifex fecit in oratorio beati Andreæ Apostoli, quod sancti Petri cohæret ecclesiæ, vestem sericam unam habentem historiam aquilarum, et in medio tabulam cum chrysoclavo, in qua depictæ Christi, et Discipulorum ejus dextra levaque imagines fulgent, et ipsius almifici Præsulis ac similem post totius operis perfectionem, et ornamentis decoris in ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum vestem fecit de eodem serico cum tabula de chrysoclavo habentem historiam, seu miraculum, quod Dominus Christus de quinque panum, et piscium alimentis duorum, quinque millia hominum abundanter satians est operatus. F

Ad S. Andreæ et SS. Coronatorum.

ANNOTATA.

a *Malim legere* civium; *quid enim sunt* civitates urbium?

b *Quid sint* tabulæ lucifluæ, *et lucifluum opus ex sensu ferme intelligitur.*

c *Satis patet accipi* pontificium, *pro pontificatu, de quo Altaserra pluribus hic.*

CAPUT

A

Caput IX. *Synodus Romana in qua depositus Anastasius Cardinalis; dona rursus multiplicia in diversas ecclesias.*

Synodum convocat 67 Epp.

Inter hæc vero, quæ superius scripta sunt, cœpit crebro nominatus sanctissimus Præsul de singulis ecclesiarum rectoribus, videlicet episcopis, presbyteris, diaconibus, atque omni Christianorum militia curam, sollicitudinemque habere præcipuam. Volens itaque, sicuti et factum est, ex priscis auctoritatibus novam, Christo juvante, normam præponere, qualiter unusquisque eorum vitam castam, et sobriam duceret, et Deo, cui semper irreprehensibiliter famulatum debemus impendere, in omnibus complaceret, tunc demum, sancti ei Spiritus gratia revelante, una cum B consilio serenissimorum Lotharii, ac Ludovici Imperatorum, anno imperii eorum quinto et trigesimo, atque Pontificatus jam dicti Præsulis septimo, mense Decembris die octava, Indictione secunda sanctam ac venerandam in Ecclesia beati Petri Apostoli synodum congregavit. In qua tam ipse Catholicus et Apostolicus vir, quamque et alii cum ea sexaginta et septem episcopi resederunt : ex quibus quatuor episcopi ab imperatoribus destinati, Joseph Eporegensis, Nottingus Brixiensis, Petrus Spoletinus, et alius Petrus Aretinus. Inter quos etiam Paulus diaconus sanctæ Ravennati ecclesiæ residens, vicem tenens Joannis archiepiscopi sui absque presbyteris, et diaconibus, et clero sanctæ matris Ecclesiæ.

In qua deponitur Cardin. Anastasius.

73 Et tunc coram omnibus quadraginta et duo capitula, quæ profecto ad salutem, et lucrum omnium Christianorum hominum pertinere noscuntur, per diacones sanctæ, et universalis Ecclesiæ Sedis legi præcepit. Quæ etiam capitula, ut in futurum ab omnibus illibata serventur, post cetera de- C creta Pontificum in sanctis canonibus jussit adscribi. Quatenus omnes episcopi hujus auctoritatis exemplum ante oculos habeant, et suos possint melius instruere, et erudire subjectos. In hac denique post cetera synodo Anastasius presbyter Cardinalis tituli beati Marcelli ab omnibus canonice est depositus, eo quod parochiam suam per annos quinque contra canonum instituta deseruit, et in aliena usque hodie demoratur. Qui cum neque ad duo pro eo congregata concilia venire vellet, neque per Apostolicas epistolas, neque per tres vocatus episcopos, Nicolaum videlicet, Petronacium, et Joannem, ideo merito, uno consensu, secundum quod de talibus sacris continetur canonibus, eum sancta synodus deposuit, et sacerdotali honore privavit anno, mense, die, et Indictione superius adnotata.

Dona in ecclesia S. Petri.

74 Post præcipuam vero hujus concilii definitionem beatissimus ejusdem Præsulis animus, cælestis semper amoris igne accensus ad restauranda ecclesiarum Dei cunctorum ornamenta vasorum, studium rursus cœpit ingens habere. Nam et in ecclesia beati Petri regni cælorum clavigeri, fecit lucernam ex argento purissimo unam bimixam pen. lib. sexdecim. Nec non et in monasterio sancti Martini, quod ipsius Apostolorum Principis ecclesiæ cohæret, fecit aliam lucernam ex argento fusilem, ac bimixam pens. libras viginti et septem et dimidiam. Similiter et in monasterio sanctorum Joannis et Pauli fecit aliam lucernam argenteam similiter supra dictis pens. libras viginti et duas, et dimidiam : quæ Dominicis vel festis diebus juxta lectorium consistentibus ad legendum sacras lectiones magno luminis splendore lucescat. Isdem vero sanctissimus Papa fecit rugulas de argento fusiles cum cancellis in ingressu presbyterii, et ante Confessionem beati Petri Apostoli amatoris sui, quæ pulchro lucentes decore hominum præbent mentibus admirationem : quarum duæ pen. libras sexcentum quadraginta et duas.

EX EDITIONE FABROTTI — *SS. Joannis et Pauli,*

S. Vincentii,

75 Aliæ vero duæ libras quingentas et octuaginta, et in ecclesia sancti Vincentii, quæ ponitur in Frascata, obtulit vestem de fundato unam. Sed quia, ut sæpe diximus, hujus serenissimi Præsulis animus maxime beatissimi E Præsulis Apostoli Petri Apostolorum Principis repletus amore, ipsius summæ ecclesiæ, cujus, divina dispensante potentia, thronum regebat, multa desiderabat semper ornamenta perficere : fecit super ejus sanctum altare vestem de chrysoclavo habentem historiam in medio Salvatoris inter angelicos vultus fulgentis, Petroque Apostolo claves regni cælorum tradentis, et in dextra levaque gloriosam Petri et Pauli passionem fulgentem : inter quos ipse Præsul civitatem, quam fieri jusserat, Petro interveniente offert depictam, et crucem auro, gemmisque nitentem, et in circuitu altaris et desuper habentem pannos desuper sericos pretiosa aquilarum historia textos, quorum duo aurati cernuntur. Obtulit autem, ubi supra, vela quatuor cum chrysoclavo, in quibus ipse Præsul depictus imagini Salvatoris inter angelicos vultus fulgentis, civitatem, quam funditus paraverat, offert.

S. Petri,

S. Pauli,

76 Igitur quia jam pleniter ea, quæ beati Petri ecclesiæ prædictus Pontifex obtulit ornamenta, breviter licet, descripsimus ; F nunc ea, quæ in ecclesia beatissimi Pauli Apostoli Doctoris Gentium, post impiam Agarenorum devastationem est operatus, ob æternam memoriam summatim innotescere studemus. Fecit autem super ejus sacratissimum corpus cyborium miræ pulchritudinis ingenti argenti pondere cum columnis argenteis comptum pen. libras noningentas quadraginta et sex. Sed cum benigna ipsius Pontificis mens, ante et post generalia omnium ecclesiarum diversa ornamenta, quæ ingenti desiderio præbebat, beato Petro semper aliquid optimum, et pretiosius offerre curabat : obtulit ei tres oleas masoricas *a* admirabilis pulchritudinis serico textas, coloreque depictas, quæ videlicet festis diebus in circuitu altaris majoris dependerent. Fecit autem et in ecclesia sancti Marciani, quæ sita est in Domucella, quæ vocatur Balnearola, *b* vestem de fundato unam, et vela spanisca duo. Simili modo et in ecclesia beati Laurentii martyris Christi, atque Levitæ obtulit vela de fundato, quæ pendent in arcubus infra columnellas

S. Marciani, — *S. Laurentii,*

EX EDITIONE FABROTTI

S. Clementis. columnellas majores numero viginti quatuor. Fecit etiam in ecclesia beati Clementis martyris atque Pontificis aquæmanile de argento par unum habens in se scalptam similitudinem capitis hominis cum vite, et alia historia pensan. libras tres. Item obtulit ipse quidem beatissimus et almificus Præsul in ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ in Æmilia, quæ via Aurelia nuncupatur, vestem de fundato unam. *S. Stephani,* Similiter et in ecclesia sancti Stephani, ubi supra, obtulit aliam vestem de fundato unam. Idem vero præclarus et almificus Præsul, supernâ protectus dextera, usque *S. Silvestri.* in Dei semper servitio sincero perseverans animo, post multas bonas actiones, beati Silvestri et Martini ecclesiam, quam Domnus Sergius prædecessor ejus noviter ab imis ædificaverat, multis quidem pulchrisque decoravit ac depinxit coloribus. Cujus etiam pulchritudo magnam usque hodie humanis oculis admirationem præstat. Nam et ejusdem venerabile, sacrumque altare ex argento investivit, ac decoravit purissimo pensan. libras centum et sexdecim.

B

ANNOTATA.

a *Lege potius* majoricas *pro* majores, *ut sint pallia serica majora, intexta majoribus oleis, et coloris oleæ, id est viridia. Plura vide in Altaserra et citatis supra lexicis.*

b Domucellam *et* Balnearolam *explicat notator idem, locaque ubi sita fuerint, commonstrat.*

CAPUT X. *Eversæ Centumcellæ alibi restitutæ, et donis cumulatæ, ubi et aliæ ecclesiæ: compositio falsæ apud Imp. accusationis ; ac pius S. Leonis obitus.*

C

Centumcellense castrum restituere meditans, Quamobrem post pulchra ac laudabilia diversarum ecclesiarum Dei opuscula, quæ Præsul magnificus tota animi devotione peregit, ne Christianus populus amplius in Centumcellensi castro ab hostibus deperiret, sicuti sæpius fieri solebat : nam per quadraginta annos muris diruta, et habitatore proprio destituta manebat, moreque bestiarum, relictis sedibus propriis, ob timorem Saracenorum, ut usque jam factum fuerat, per opaca silvarum montesque incognitos sua domicilia populus, qui relictus ab eis fuerat, dedicavit, in quibus etiam præ timore inimicorum, diebus ac noctibus nec soporem oculis, nec ullam juxta humanam consuetudinem quietem vel modicam habere poterat. Cumque tam pius et laudabilis Præsul de illorum gravamine, atque intolerabili nimium angustia ultra modum et plusquam credi potest, quotidie condoleret, multis cum lacrymis, infinitisque orationibus, Dominum rerum omnium conditorem deprecabatur assidue, ut ei dono gratiæ suæ dignaretur ostendere, quo in loco pro salute, et liberatione D crebro dicti Christiani populi Centumcellensis civitas mutari potuisset.

78 Ad quam ipse profectus, loca quæ ei *precibus a Deo locum commodum quærit* adfinitate erant conjuncta diligenti cura, ac studio pervidit, atque conspexit. Sed, ubi locus videbatur idoneus ad urbem ædificandam, aquæ gestabant penuriam, quæ hominibus semper satis est necessaria. Peragratis igitur omnibus, ut prædiximus, locis, pervenit tandem, divina favente misericordia, ad locum optimum valdeque munitum, super quo suus maxime est animus dilatatus, quia et aquarum copiam ad populum confortandum, et ceteras utilitates humanas, aquimolasque molentes pleniter subministrabant. Tamen quo modo vel ordine hoc divina ostenderit clementia, dignum est, ut ad memoriam et laudem venerandi Pontificis, omnis populus credat veraciter, et cognoscat, quod divino consilio, et consultu opus diu exquisitum effectum est.

79 Nocte denique quadam, dum lectulo *qui per visionem ei revelatur,* proprio juxta morem præclarus jaceret Antistes, et de divinis, ut solet, opusculis co- E gitaret, ad prævisum, et ordinatum jam locum, qui duodecimo a Centumcellensi urbe milliario distat, in somnis perductus est, et singula loca cuidam Petro magistro militum, quasi per corporalem præsentiam in ipsa revelatione per ordinem demonstravit, ubi ecclesias, et ubi portas ex Pontificali adjutorio fundare et construere debuisset. Et quia præ loci angustia non ibidem, nisi duæ portæ construendæ erant, in ipsa arcana revelatione digitis propriis adnotavit. Mane autem facto, pro somnio, quod viderat, magna cœpit habere certamina, et prænominatum Petrum ad suam illico jussit venire præsentiam, cui quidquid in somnis viderat, retulit, multosque ei in argento mancosos *a* præ a buit, ut conducto populo, Centumcellensis urbis, cum eis urbem festinantius perficere debuisset. Ac Deo quidem auspice ita nunc omnia ædificata nitescunt, sicut in somnio Papa laudabilis manu propria designavit, cui ex nomine proprio Leopolim nomen imposuit. Ad quam, postquam ædificari cœperat, F ad videndum, et considerandum fabricam cum suorum fidelium multitudine amanter accessit.

80 Visis denique portis, et ecclesiis, in *ubi Leopolim condit et consecrat.* ipsis specialiter loci sicut monstraverat, et suum, Christo protegente, desiderium adimpletum, omnipotenti Domino gratias retulit infinitas, qui ei talem ostendere locum dignatus est, in quo et populus salvus existeret, et ad abundantiam inibi ministraret etiam lapides, et arenam quatenus sine labore operariorum noviter constructa fabrica augmentum percipere potuisset. Gavisus ex his omnibus urbem Leopolim sæpe dictus Pontifex Lætaniis, et orationibus pedibus propriis circuivit, tribusque orationibus in modum Trinitatis perpetualiter consecravit. Missarum, ut sollicitus erat, officium rite persolvens, et aquam benedictam per muros jactari præcipiens. Et non modicam manibus propriis præ amoris magnitudine universo populo rogam distribuit. Commendansque omnipotenti Domino populum, et civitatem divinitus demonstratam, ne umquam ab hostibus capiatur,

A tur, vel invadatur. His omnibus perpetratis, ad Sedem suam cum ingenti lætitia, et alacritate, Christo auxiliante dieque superaddito decimo quinto, omnis murorum ambitus completus, atque perfectus est, anno præsulatus sui octavo, Indictione secunda.

... a ibidem ... sæ S. Petri ...

80 Sed et in ecclesiis, quas ibidem fecit, multa dona obtulit. In ecclesia videlicet sancti Petri gabathas ex argento fusiles majores, minoresque septem pens. pariter libras sexdecim, et unciam unam. Cantharam exauratam unam, baucas *b* exauratas tres. Fibulatoria *c* majora et minora quinque. Crucem ex argento deauratam unam cum gemma una. Item aliam crucem de auro unam habentem in medio Monocossim *d*. Et aliam crucem ex argento numeratim habentem gemmas quadraginta. Thuribulum aureum exauratum unum; dextram saxiscam unam, coronas aureas duodecim. Gabatham unam, et struthiocamelorum ova duo. Atque fecit in eadem ecclesia jam dictæ civitatis vestes sericas duas; ex quibus una habet in medio tabulam de chrysoclavo et alia habet in me- B dio crucem, et orbiculos quatuor cum gammadiis, et vela de fundato decem et octo. Crucifixum ex argento purissimo pen. lib. septem.

... S. Leonis.

81 Nec non et in ecclesia sancti Leonis, ubi supra, obtulit patenam exauratam unam, calicem de argento unum, vestes duas, unam quidem de fundato, ornatam in circuitu de olovero *e* habentem in medio rotam de chrysoclavo, et gammadias, et alias de spanisco. Similiter et codices Catholicos numero septem. Historiarum, Salomonem, Antiphonarium, Psalterium, et Sacramentorum, Gestorum et Sermones, sed et Euangelium cum tabulis argenteis, atque sacratissimum Dei altare, quod supra sanctissimum beati Petri Apostoli corpus consistit, argenteis deauratis, quæ in dextra, et leva ipsius Apostolorum Principis; habet miracula, perornavit laminis *, quæ ingenti splendore nunc ut cæli astra coruscant, pens. vero simul libras octuaginta quatuor, et uncias quinque.

** forte, laminis.*

... ornamenta ... S. Petri ... ata.

82 Atque post tam immensæ operationis insignia, factaque divina, Dei æterni cle- C mentia inspirante, quæ per diversa loca ob salutem Christianorum, ipse sanctissimus Papa est operatus, Ecclesiam, quæ Domini voce supra firmam Petram fundata consistit, et de beati Petri Apostolorum Principis nomine sancto gloriosa coruscat pretiosissimo omnium metallorum ornatu, præ nimio Patris cælestis amore quotidie ornare procurans, ibidem quoque lectorium argenteum inclyta operatione celatum, et super quatuor pedes consistens perfecit. In cujus videlicet summitate leonis caput præfulget pens. libras triginta unam et uncias undecim. Nec non et cerostata quatuor, quæ a longo tempore summorum Pontificum in medio presbyterii festis erigebantur diebus. Atque hæc sagaci arbitrio de argento purissimo investivit, atque, ut in perpetuum ibidem erecta essent, constituit, quod nullus prædecessorum ejus facere cogitavit, habentia simul libras quinquaginta et quinque. Ubi supra, fecit et cerostata de argento majora, par unum pen. libras quadraginta octo et uncias decem, in quibus sedent lucernæ bimixæ de argento purissimo lucentes juxta altare manus, pens. libras simul quadraginta et novem. Nec non et alia cerostata deargentata septem pens. libras viginti quinque, et uncias tres.

Ex editione Fabrotti.

S. Martini monasterium restauratt.

83 Pari modo, et alia septem tetra fecit cerostata ferrea desuper de argento pen. libras unam et viginti, et uncias tres. Atque super ipsum altare fecit vestem auro textam, candidis per totam margaritis fulgentem, et in dextra, levaque tabulas gemmatas habentem cum aureis per circuitum orbiculis, quibus insigne ipsius Præsulis est nomen descriptum. Jam et monasterium sancti Martini, quod longo senio erat casurum, miris domorum ædificiis restauravit, et ad honorem meliorem, quam prius fuerat, funditus decoravit. In quo et vestem albam rosatam cum rosis obtulit, et Salvatorem cum Apostolis, et virginem legentem nomen Domni Leonis quarti. Item vela quinque alba rosata, et unum quidem habens gammadias tredecim, et amygdala de argento exaurata tria. In ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum fecit vestem de fundato unam. E

Ecclesiis benefacere numquam desinens.

84 Præterea idem summus et orthodoxus Pontifex divina inspiratione pulsatus, fecit in basilica beati Petri Apostolorum Principis calices ex argento purissimo, qui pendent super arcum principalem, nec non et infra columnas majores dextra, levaque numero octuaginta tres, habentes insimul libras quadringentas quadraginta et unam. Id ipsum vero ante sacri altaris vestibulum miræ pulchritudinis fecit trabem, quam, post diræ gentis nefandam deprædationem, ex argento decoravit purissimo, in qua sacræ ac Dei venerabiles sedent imagines, quæ pensan. libras sexaginta. Obtulit quoque in ecclesia beati Petri Apostoli, quæ ponitur in civitate Leopoli, thuribulum de argento exaurato unum. Pari modo in ecclesia sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quæ sita est in vico Sardorum, gabathas cum canistro, de argento exauratas pen. lib..... Similiter et in venerabili monasterio Hierusalem, quod juxta ecclesiam beati Petri Apostoli ponitur, fecit vestem de fundato cum orbiculis, in circuitu ornatam, cum lista de chrysoclavo cum F velis ex imizino *f* duobus, et de fundato tribus. Ipse vero a Deo protectus, venerabilis, et præclarus Pontifex fecit propitiatorium sacri altaris beati Petri Apostolorum Principis, ubi sacratissimum corpus ejus quiescit, spanoclistum *g* habens quidem argenti libras septuaginta et duas, auri vero octuaginta.

Falsa apud Imp. accusatio.

85 Hujus vero temporibus quidam Daniel Magister militum, iniquitatis ac stultitiæ mole cæcatus, ad serenissima Domni Ludovici Imperatoris vestigia properavit, eique multa falsa et inutilia verba, quæ credi nullo modo possunt, super Gratianum eminentissimum magistrum militum, et Romani palatii egregium superistam, ac consiliarium dicere non dubitavit. Nam instanter eum accusabat ob falsitatis invidiam, dicens Imperatori: Gratianus Romanæ urbis superista *h*, quem erga vos fidelem esse creditis, mihi soli in domo sua, nimium super Francos murmurans, dixit secrete. Quia Franci nihil nobis boni faciunt, neque adjutorium præbent, sed magis quæ nostra sunt, violenter tollunt. Quare non

EX EDITIONE I. VAROTTI.

non advocamus Græcos, et cum eis fœdus pacis componentes, Francorum regem, et gentem de nostro regno et dominatione expellimus?

manifeste retegitur.

86 Quo audito, mox prædictus Imperator, immenso furore accensus sine litteris etiam ad Romanorum directis Pontificem, et senatum Romam venire velociter procuravit. Quem tamen venientem Domnus Leo Papa honorifice, sicut mos est, super gradus majores beati Petri Apostoli residens suscepit, et mellifluis prædicationis verbis placare cœpit. Quadam vero die ipse Imperator cum sanctissimo Leone Pontifice, omnibus Romanis proceribus, pariter et optimis Francis in domo, quam beatæ memoriæ Leo tertius Papa juxta ecclesiam beati Petri Apostoli fecerat, sedentibus, de prædicta accusatione placitum habuit *i*. Tunc Daniel iniqua fronte armatus, falsaque cogitatione imbutus dixit coram omnibus: Iste Gratianus habuit mecum consilium, hanc Romanam terram de vestra tollere potestate, et Græcis tradere illam.

et re tota composita.

87 Cui statim, non solum Gratianus, verum etiam omnes Romani coram Imperatore dixerunt: Mentiris, nullo modo est verum, quod dicis. Cognoscens autem Imperator, et omnis Romanorum Francorumque nobilitas, prædictum Danielem tale crimen per falsitatem, et invidiam contra Gratianum dixisse, illico clementissimus Imperator nolens contra instituta veterum Augustorum peragere Romanorum, eos secundum Romanam legem instituit judicare. Quo judicio ipse Daniel, multorum verbis reprehensus, ore proprio manifestavit se falsum super eum dixisse. Ideo jam dicto Gratiano ante omnes est traditus, ut quidquid de eo facere vellet, potestatem haberet. Sed cum jam traditum Danielem Imperator a Gratiano multa, et humili supplicatione petivisset, Gratianus assensit, quem ille statim, plenaria sibi reddita gratia, libenter suscepit, et sic de mortis est periculo liberatus.

moritur sanctissimus Pontifex.

88 His vero peractis Imperator, abiit, et sanctissimus Domnus Leo quartus Papa non post multos dies obdormivit in Domino XVI Kalend. Augusti, sepultus vero est in ecclesia beati Petri Apostoli. Fecit autem ordinationes duas, unam in mense Decembrio, et aliam per mens. Martium, presbyteros decem et novem, diaconos octo, episcopos per diversa loca numero sexaginta et tres.

ANNOTATA.

a *Non video per* mancosos *hic aliud intelligi posse præter monetæ speciem, aut certum argenti pondus.*

b Bauca *armillæ genus, quod hic pluribus explicare non vacat; vide iterum Altaserram et alios.*

c *Intellige annulos, seu ea quibus alia connectuntur, ut explicat Magrius.*

d Monocossim *explicatam non invenio; est haud dubie* Monokokka *de qua vide Cangium, certe unio est, neque hic aliud indicari potest.*

e Olouero, *seu* Olobero *pro purpura accipitur a Magrio, apud quem vide ejus etymologiam.*

f *Sericum est quod Itali* Ormesino *appellant.*

g *Mendose, inquit Magrius*, *pro* panaclystus *cujus vocis etymon an recte explicet et applicet, hic examinare non lubet.*

h Sphœrista *legi vult Magrius, quem hic etiam vide.*

i *Hæc jejunius exposita videntur quam ut ea causa Romam Imperator proficisceretur. Fallor, ni magis placeat narratio Platinæ ita scribentis:* Lothario *(opinor Ludovico)* postremo egregie satisfecit; qui delatione quorumdam impulsus Romam venerat, quod intellexerat, Leonem transferendi imperium Constantinopolim consilia iniisse. De delatoribus, in mendacio deprehensis, ut par erat, supplicium sumitur, atque amicitia inter utrumque integratur.

DE S. ZOERARDO SEU ANDREA CONFESSORE ET S. BENEDICTO MART.

IN POLONIA ET HUNGARIA.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Hodiernus horum Sanctorum cultus in Polonia et Hungaria ex Officiis Polonicis et litteris Hungaricis.

CIRCA ANNUM MXX.

S. Zoerardus seu Andreas,

Hungari *hos duos eremitas, utpote sanctos regionis suæ incolas, die* XVII *Julii venerantur; Poloni autem eosdem præcedenti die, tamquam suos populares, Officio ecclesiastico colunt. Polonicus cultus patet ex propriis istius regni Officiis, quæ anno* 1637 *et* 1643 *Antverpiæ impressa duabus Lectionibus utriusque Acta complectuntur. De S. Zoerardo seu Andrea leguntur sequentia:* Sanctus Andreas Suirardus, quem alii Zoerardum nominant, ex Poloniæ provincia ortus, Christiana religione tum primum in Polonia et Hungaria florente, vitam monasticam in cœnobio, Zobor dicto, apud Nitriam civitatem sub Philippo abbate professus est. In ea videlicet Slavorum et Hungarorum regione, quæ Moraviæ Danubioque confinis, Sarmatia Pannoniæ olim dicta fuit, mira illius viri abstinentia, carnisque mortificatio prædicatur, ut præter triduanam frequentem inediam, Quadragesimam quoque solis quadraginta nucibus contentus transigeret: nihilominus tamen interdiu operaretur; noctu vero vix quidquam quietis caperet. Sedente enim juxta spineam sepem somnus erat, lumbis

lumbis catena occulta ærea præcinctis.

...s Benedictus,

2 *Deinde de S. Benedicto hæc subnectuntur :* Andreæ in hujusmodi exercitiis defuncto, Benedictus ejus discipulus, gentis itidem Polonæ, successit : magistrique mores et vitam imitatus, triennio supervixit. A latronibus denique spe inveniendæ pecuniæ trucidatus, et in flumen proximum, Vagum nomine, projectus est : ubi corpus ejus demersum, anno toto sub aquis detulit : tandem aquilæ, locum quotidie observantis, indicio inventum est integrum et incorruptum, in temploque sancti Emmerami corpori magistri sui appositum. *De utroque autem hæc communis recitatur collecta :* Deus, qui nos concedis sanctorum martyrum tuorum Andreæ et Benedicti natalitia colere : da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum. *Miror, utrumque Sanctum in hac oratione ornari titulo martyris, cum solus Benedictus martyrium, et quidem late dictum, subierit; Andreas vero, ut ex ipsis Actis constat, naturali morte extinctus sit. Sed forte Poloni austeram ejus vivendi rationem pro quadam martyrii specie acceperunt.*

...olantur in Polonia.

3 *Non satis compertum mihi est, quo præterea honore hi Sancti in Polonia afficiantur. Ex miraculo tamen, quod Martinus Baronius Jaroslaviensis clericus, et Petrus Hyacinthus Pruszec in Propugnaculo spirituali Polonice edito cap.* II, *aliique scriptores Poloni litteris mandarunt, colligo, annuam S. Andreæ sive Zoerardi festivitatem ibidem celebrari in templo exstructo super cellam, in qua Sanctus per aliquot annos vixisse creditur, antequam in Hungariam proficisceretur. Inter ceteros Stephanus Damalevicius Regularium Calissiensium Præpositus in Vita S. Bogumili cap.* XXXII *hoc prodigium ita narrat :* Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo nono, die decima sexta Julii, qua festum Sancti celebrari solet, temporibus Sigismundi Augusti regis Poloniæ, frequens aderat populus, ut divinis officiis vacaret, ac se precibus Viri sancti commendaret, in ecclesia, quæ super cellam ipsius ædificata est, in qua Vir sanctus, antequam iret in Ungariam, annos aliquot commoratus est. Ibi populum catholicum orantem ausu temerario publicæ securitatis violatores, et ecclesiasticæ immunitatis sacrilegi eversores magna vi adoriuntur, et exturbare de templo conantur. Populus interim opem sancti Viri magna contentione vocis, et fervore spiritus implorat : Sancte Andrea Zoerarde, serve Dei, defende ecclesiam ab impiis Luteranis, fidei catholicæ hostibus. Protinus Sanctus vocatus apparuit manifeste et baculo ignoto, quem gerebat, hæreticos propulsans e cœmeterio exegit; multos ex iis divina ultio flammis absumpsit, multos excæcavit, multos vita privavit; nonnulli mirabili coerciti pœna, sanctæ Matri Ecclesiæ Catholicæ manus dederunt. Extat in hodiernum usque diem facti memoria, lapis in cœmeterio templi, quod octo milliaribus Polonicis Cracovia distat, magnus, niger, filiceus, quadrangulus, ut mensa planus, tribus cubitis longus, uno latus, in quo plantæ pedum sancti Andreæ consistentis impressæ inpræsentiarum cernuntur. *Atque hæc sunt, quæ de Polonorum erga hos Sanctos veneratione invenire potui.*

4 *Distinctius agere licebit de Hungarico eorumdem Sanctorum cultu, quem ipsi Hungari in litteris ad Majores nostros datis clare accurateque explicarunt. Has autem notitias potissimum accepitas referimus R. P. Ladislao Vid, Collegii ac tirocinii nostri Trenchiniensis Rectori, qui plurima ad hos Sanctos eremitas spectantia diligenter indagavit, et ad Henschenium nostrum transmisit. Inter alia accuratus ille vir, anno 1660 Nitriæ existens, circa hodiernum illorum Sanctorum cultum notavit sequentia, quæ ipsiusmet verbis hic fideliter refero :* Ecclesiæ cathedralis, *inquit,* seu capitularis Nitriensis patroni hoc tempore sunt, sancti Andreas et Benedictus, de quibus veluti patronis fiunt commemorationes. De sancto Emeramo non habetur memoria in divinis, licet olim in ejus honorem capella dicatur fuisse erecta in eodem loco, in quo hodie basilica sanctorum Andreæ et Benedicti extat.

Auctori G. C. R. P. Ladislaus Vid accurate ad nos perscripsit ea,

quæ spectant ad publicam venerationem

5 *Deinde solennem horum Sanctorum festivitatem, aliaque publicæ venerationis indicia ita pergit describere :* Die XVII Julii celebratur per totam Hungariam sub semiduplici festum SS. Andreæ et Benedicti, ceditque ipsis S. Alexius : Nitriæ vero ritu solennissimo, tamquam patroni loci, cum Octava coluntur. Habentur etiam nundinæ eadem die in civitate Nitriensi. Olim etiam processo ad devotionem populi excitandam instituebatur ad verticem prædlti montis Zobor, ibique excitato altari sub dio Missæ fiebant et conciones hac die. His vero annis Illustrissimus ac Reverendissimus Georgius Szelepcheni, archiepiscopus Colocensis et Bachiensis et administrator ecclesiæ Nitriensis, in ejusdem montis Zobor vertice in honorem S. Andreæ et Benedicti templum octoangulare cupula exornandum curat ædificari. Basilicam SS. Andreæ et Benedicti, quæ est in arce Nitriensi, episcopali residentia et usibus Capituli attributa, Illustrissimus ac Reverendissimus Joannes Telegdinus archiepiscopus Colocensis et Bachiensis, nec non administrator ecclesiæ Nitriensis ita renovavit, ut quasi fundator illius dici possit : nam muros majori ex parte a fundamentis erexit, turrim magni operis et elegantiæ prorsus de novo extulit; organum singularis artificii sumptuose curavit; altare summum peraugustum, cathedram atque duplex stallum in ipsa ecclesia pro dignitate episcopi erexit, marmore pavimentum stravit.

horum Sanctorum

6 *Præterea post enumerata alia ejusdem archiepiscopi ædificia, quæ ad Sanctos nostros non pertinent, sic prosequitur :* In tribus hujus cathedralis ecclesiæ altaribus Sanctorum Andreæ et Benedicti imagines opere polito sculptæ visuntur : Andreas quidem cum rosario in catena seu cilicio ferreo, atque non nucibus et corona, e quatuor partibus capillis dependentibus, quasi inter spinas positus; Benedictus vero cum securi; ambo habitu eremitico, uti abbates Palæstini, exprimuntur in his aris, et (nescio quid sit causæ) S. Benedictus a dextris; S. Andreas vero a sinistris ponitur. Porro hic Nitriæ major fit memoria S. Andreæ Zoorardi; imo populus solius Zoorardi nomen circumfert, sicuti Trinchinii in Skalka solius Benedicti. *Conjicio ego, S. Benedictum, quamvis juniorem et S. Andreæ Zoerardi discipulum, a dextris collocari, eo quod præter Sanctæ vitæ merita laureolam martyrii adeptus fuerit.*

in Hungaria,

7 *Denique R. P. Ladislaus Vid observationes suas ita concludit :* Visuntur rudera magni olim monasterii

AUCTORE G. C.

monasterii et templi S. Hyppoliti martyris a S. Stephano rege Benedictinis constructi extra Nitriam in valle sub ipso monte Zobor prima, qua mons respicit septemtrionem. Non procul a monasterio est spelunca, infra illam fons deliciosus sanctorum Andreæ et Benedicti memoria celebris ; alter item fons paulo infra monasterium, S Stephani regis dictus, magna frequentia visitur et bibitur, plurimis ægrotis suam sanitatem beneficio illius aquæ restitutam fatentibus ; quod etiam signa popularia circa fontem affixa testantur. Spelunca hæc Nitriensis non est illa, in qua S. Benedictus ab ethnicis latronibus occisus scribitur : illa enim est in Skalka, ubi abbatia extat. *Ut autem hæc omnia pleniorem apud omnes fidem obtineant, laudatus P. Vid narrationem suam a duobus viris in ecclesiastica dignitate constitutis subnotari, eorumque sigillis muniri curavit. Primus ita subscribit :* Hæc ita se habere testor ego Joannes Szaszy abbas S. M. V. assumptæ Trium Fontium de Beel, lector canonicus et Vicarius ecclesiæ cathedralis Nitriensis. *Alter vero sic :* Idem contestor ego Stephanus Podragzai abbas S. Michaelis archangeli de Batha, ac cathedralis ecclesiæ Nitriensis custos et canonicus. B

et una transmisit ecgraphum indulgentiarum,

8 *Addo his indulgentias pro ecclesia S. Benedicti de Skalka anno* 1560 *a purpuratis S. R. E. patribus concessas, quas idem Ladislaus noster ex autographo describi curavit. Tenor autem talis est :* Rodulphus Portuensis, Franciscus Tusculanus, Fredericus Prænestinus, Joannes Albanensis episcopi. Joannes tituli S. Vitalis, Jacobus tituli S. Mariæ in via. Joannes tituli S. Priscæ, Joannes tituli S. Pancratii. Clemens tituli S. Mariæ in Ara cæli, Jacobus tituli S. Mariæ in Cosma et Damiano, presbyteri. Guido Ascanius Sanctæ Mariæ in via lata, et Vitellotius S. Mariæ in Porticu, diaconi ; miseratione divina sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales universis Christi fidelibus, præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Quanto frequentius fidelium mentes ad opera charitatis inducimus, tanto salubrius animarum suarum saluti consulimus. Cupientes igitur, ut ecclesia monasterii S. Benedicti de Rupibus, C alias de Skalka, martyris, Ordinis S. Benedicti, Nitriensis diœcesis, congruis frequentetur honoribus, et a Christi fidelibus jugiter veneretur, ac in suis structuris ac ædificiis debite reparetur, conservetur et manuteneatur, nec non libris, calicibus, crucibus, luminaribus, ornamentis ecclesiasticis, ac rebus aliis, divino cultui inibi necessariis decenter muniatur ; utque Christi fideles ipsi eo libentius devotionis causa confluant ad eamdem, et ad conservationem, reparationem, manutentionem hujusmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cælestis gratiæ uberius noverint se refertos :

quas S. R. E. Cardinales in tuitu S. Benedicti Martyris concesserunt,

9 Nos Cardinales præfati, videlicet quilibet nostrum per se, supplicationibus dilecti nobis in Christo Stephani Radetii abbatis seu commendarii dicti monasterii, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, qui dictam ecclesiam monasterii in singulis, videlicet suorum Benedicti et Andreæ Zoerardi martyrum, qui eodem die celebrantur, ac S. Stephani proto-martyris et Paschatis Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, nec non S. Georgii et Pentecostes festivitatibus ac diebus, a primis Vesperis usque ad secundas inclusive devote visitaverint annuatim et ad præmissa manus porrexerint adjutrices, pro singulis festivitatibus et diebus præfatis, quibus id fecerint, centum dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum fidem litteras nostras hujusmodi fieri, nostrorumque sigillorum fecimus appressione communiri. Datum Romæ in ædibus nostris anno a Nativitate Domini MDLX ; die vero XXIX mensis Augusti ; Pontificatus sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri Pii divina providentia Papæ IV anno primo. D

§ II. Antiquus eorumdem Sanctorum cultus ex Martyrologiis et aliis monumentis. E

Ex variis Martyrologiis,

Quamvis ex dictis de legitimo horum Sanctorum cultu satis constet, tamen more nostro enumerabimus aliquot Martyrologos, qui de iisdem meminerunt. Grevenus in Usuardo aucto sic eos memorat : In Hungaria in ecclesia Nitriensi, sanctorum Andreæ et Benedicti martyrum. *Ferrarius etiam utrumque martyrem nominat, dum in Generali Sanctorum Catalogo ad diem quintam Maii ita scribit :* Apud Nitriam in Hungaria, SS. Andreæ et Benedicti eremitarum et martyrum. *Sed quodnam S. Andreæ martyrium intellexerit, in notis ibidem satis innuit his verbis :* Andreas, catena ferrea super nudo corpore constrictus, longum duxit martyrium. *Idem die* XVI *Julii hos Sanctos in eodem Catalogo ita perturbate ponit :* Nitriæ in Hungaria, SS. Benedicti eremitæ, et Andreæ discipuli martyris. *Vix intelligo, quid hic Ferrarius confusa ista annuntiatione sibi velit, et cur Andream Benedicti discipulum perperam appellet. In notis autem hic addit, quod hac die colantur Olomucii. Inspexi Officia propria diœcesis Olomucensis, anno* 1630 *et* 1679 *impressa ; sed nullum reperi hujus cultus vestigium. Molanus in additionibus Usuardinis, anno* 1568 *editis, die prima Maii festum eorum ita celebrat :* Eodem die sanctorum eremitarum Zoerardi et Benedicti martyris, quorum Vitam descripsit Maurus episcopus Quinquecclesiastensis. *Notat autem in margine Acta illorum Mss. exstare apud Regulares Rubeæ Vallis. In editione vero Usuardina anni* 1573 *et* 1583 *paulo distinctius ea explicat hoc modo :* In Hungaria, sanctorum eremitarum Zoerardi confessoris et Benedicti martyris, quorum historiam descripsit Maurus episcopus Quinque-ecclesiensis. *Eadem fere ad hanc diem habet Canisius noster in suo Martyrologio Germanico.* F

eorumdem Sanctorum cultus ostenditur,

11 *Hagiologi Benedictini eosdem Sanctos, tamquam suos sodales, ubique Martyrologiis et Menologiis suis ad primam diem Maii inseruerunt. Arnoldus Wion in Ligno Vitæ lib.* III, *pag.* 152 *illos ita commemorat :* In Hungaria, sanctorum eremitarum et monachorum Zoerardi confessoris,

A soris, et Benedicti martyris, a latronibus occisorum. *Dorganius in Kalendario Benedictino sic Wionem imitatus est:* Sanctorum Benedicti martyris, et Zoerardi confessoris, a latronibus occisorum. *Hugo Menardus in suo Martyrologio Benedictino recte utriusque præcedentis errorem corrigit, et lib* 1 *Observationum pag.* 224 *ita notat:* In Martyrologio corrupte legebatur occisorum; reposui occisi: nam solus Benedictus martyr fuit, a latronibus occisus, ut videre est apud Surium in ejus Vita. *Deinde quædam addit ex Martino Cromero de horum Sanctorum habitatione et ætate, quæ paragrapho sequenti examinabimus. Bucelinus in Menologio Benedictino Kalendis Maii prolixius de iisdem texuit elogium, quod hic omitto, cum sit compendium Actorum, quæ post hunc Commentarium prævium integra dabimus. Constantius Felicius in Kalendario Historico Italice conscripto utrumque Sanctum Kalendis Maii hoc brevi ornat elogio*; Zoerardus confessor, et Benedictus martyr. Zoerardus Polonus in Pannonia factus est monachus et vocatus Andreas. Fuit vir magnæ abstinentiæ, et moritur magnis cum miraculis. Bene- B dictus ejus discipulus et imitator occisus est a latronibus.

...mer Castel- ...s, tetegitur.

12 *Prætermitto hic alios recentiores, qui de his sanctis Eremitis meminerunt. Non possum tamen, quin verbo attingam inauditum illud, quod novissime Castellanus suo Martyrologio Universali inseruit. Postquam die* XVI *Julii* S. Zoerardum *Nitriæ in Hungaria collocavit, in supplemento Sanctorum, qui certum cultus diem non habent, pag.* 909 *ita de* S. Benedicto *nostro scribit:* S. Benedictus Vagæus, eremita in Hungaria, occisus a latronibus, cujus corpus honoratur apud S. Emmerammum Ratisbonæ. *Haud dubie illum cognominat* Vagæum, *eo quod in fluvium Vagum projectus fuerit. Sed nescio, quid sibi velit per istum cultum Ratisbonensem, de quo apud alios scriptores nullum extat verbum. Sepultum quidem est* S. Benedicti *corpus in ecclesia S. Emmerammi, ibidemque colitur, ut supra diximus; at hoc S. Emmerammi templum in Hungaria olim constructum fuit. Forte Castellanus, sciens S. Emmerammum fuisse episcopum Ratisbonensem, ibidemque sub illius nomine monasterium conditum esse, putaverit, in Vita* S. Benedicti C *de Ratisbonensi S. Emmerammi ecclesia agi, et sic duo templa longe a se invicem dissita confuderit. Hæc suspicio nostra est, quam melius edocti libenter deponemus.*

...S. Bene- ...martyris ...probatur ex ... Belæ ...is.

13 *Testimonia, quæ hactenus ex Martyrologis pro horum Sanctorum cultu adduximus, duorum sæculorum antiquitatem non excedunt. Quare ex vetustioribus monumentis eumdem cultum stabilire pergimus, et sequentia diplomata, ex quibus Benedicti martyris sanctitas probatur, hic inserimus.* Bela Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Gallatiæ, Cumaniæque rex, omnibus Christi fidelibus, præsentem paginam inspecturis, salutem in omnium Salvatore. Ad universorum tam modernorum, quam posterorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod cum nos ad locum, qui Szkalka dicitur in comitatu de Trinchin, ubi sanctus Benedictus martyr eremiticam vitam Deo gessit, divertissemus, cernentes fratres loci illius in Dei servitio permanentes nimiam pati penuriam ac indigentiam, pro animi affectu misericordia moti, volentes eorum paupertati subvenire, ut divinæ contemplationi desudantes, temporalibus beneficiis sustententur, mediam partem cujusdam terræ, nomine Geztec, ad castrum de Trinchin pertinentis, quæ certis metis fuerat divisa, et in parte castrensibus de Trinchin, de villa Bork, et in parte hospitibus ejusdem castri de villa Geztec assignata, illam partem, quæ dictis hospitibus fuit assignata, contulimus sæpe dictis fratribus de Szkalka libere et perpetuo possidendam, sub eisdem metis, cum quibus erat divisa, et hospitibus antedictis assignata. Ut igitur hujus nostræ collationis beneficium temporum progressu perpetuum firmitatis robur obtineat, præsentem paginam duplicis sigilli nostri munimine jussimus roborari. Datum anno gratiæ millesimo ducentesimo tricesimo octavo; nono Kalendas Julii; regni autem nostri anno tertio.

AUCTORE G. C.

et Jacobi episcopi Nitriensis.

14 *Antiquus ejusdem* S. Benedicti *cultus demonstratur ex episcopi Nitriensis diplomate, cujus hic est tenor:* Jacobus Dei gratia Nitriensis episcopus, omnibus, ad quos hæ præsentes pervenerint, orationes in Domino. Notum facio vestræ dilectioni, quod ad honorem Dei E omnipotentis, et beati Benedicti martyris, in spelunca, quæ vulgo Szkalka dicitur, ubi etiam sanguis ejusdem Martyris usque in hodiernum diem perfusus in pariete speluncæ esse dignoscitur, ecclesiam ad titulum beati Benedicti et omnium Sanctorum ædificatam, habito consilio et consensu fratrum nostrorum abbatiam secundum regulam beati Benedicti constituimus, et ad sustentationem fratrum in eadem ecclesia Domino servientium, terram Wygezd olim ad Mogos pertinentem, quam idem dudum donavit ecclesiæ Nitriensi cum septem bobus, duobus servis, nomine Martino et Zambocz, duas vineas cum duobus vinitoribus, filiis vinitoris, Mikou et Joachim, quadraginta oves cum totidem porcis, centum capetias *(sunt apud Hungaros quindenæ, et interdum acervuli manipulorum frumentariorum)* videlicet quinquagesimam decimarum nostrarum cum mansu, quem in villa Skala tenuit Wikozlaus nunc monachus, cum esset parochialis sacerdos, eidem contulimus in perpetuum possidendos . . . . . . Ut autem hæc a nobis facta F donatio ita imposterum permaneret, ... eam chartis fecimus annotari, et sigilli nostri ac capituli Nitriensis munimine roborari. Anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo vigesimo quarto.

ad quod postremum aliqua notantur.

15 *Supervacaneum censeo hic afferre alia posteriorum temporum diplomata, quæ priora jam exhibita confirmant, et, ut genuina, agnoscunt. Hæc omnia simul juncta servantur Viennæ in domo nostra professa, uti anno* 1660 *testatus est R. P. Joannes Bertholdus Societatis nostræ per Austriam Provincialis, qui authenticorum diplomatum copiam, ad nos transmissam, sigillo suo munivit, et manu propria subscripsit. Addo tamen aliqua, quæ ad clariorem diplomatis proxime præcedentis intelligentiam observavit jam sæpe laudatus P. Vid, ita in epistola sua scribens:* Non exstat amplius indicium ullum in speluncæ pariete sanguinis effusi S. Benedicti martyris, uti apparuisse olim refertur ab episcopo Jacobo circa annum MCCXXIV in litteris fundationalibus abbatiæ. *Circa statum vero hodiernum eorum, quæ in præcedenti diplomate memorantur,*

AUCTORE G. C.

memorantur, annotavit sequentia: Hic porro in memoriam consummati ejus martyrii supra petra, Vago imminente, tempellum ædificatum est, quod in vetustis litteris abbatiæ in honorem S. Benedicti factum fuisse scribitur; hac tamen ætate colitur ut ædes B. Virgini dicata, in cujus proinde solennitatibus magna populi etiam ex Moravia affluentis devotione frequentatur. Hujus quoque tempelli cura et possessio, sicut et abbatia S. Benedicti, est nunc penes Societatem. *Quomodo hæc abbatia pro fundatione collegii seu novitiatus Trinchiniensis ad Societatem Jesu transierit, patet ex litteris Ferdinandi III Imperatoris, quæ conservantur in domo nostra Professa Viennæ in Austria, quarumque ecgraphum, R. P. Provincialis supradicti sigillo munitum, hic prætermitto, quia ad propositum nostrum parum conferunt, cum antiquiora de* S. Benedicti *cultu jam protulerimus testimonia.*

Antiquus S. Zoerardi seu Andreæ cultus probatur.

16 *Quod ad* S. Zoerardum *attinet, ex libro Decretorum Hungariæ regum colligitur, illius Sancti sepulcrum, jam ab ineunte sæculo* XIV *magnifice exornatum fuisse: nam tom.* II *Decretorum pag.* 45
B *narratur, quod Matthæus Trinchiniensis, Carolo I regi Hungariæ rebellis, misera morte interierit, postquam* Nitriensem ecclesiam, sepulcrum divi Zoerardi, ex puro argento optime factum, spoliavit, et depeculatus est. *Possem præterea utriusque Sancti cultum ex pervetusto Nitriensis ecclesiæ Breviario confirmare, sed iis supersedeo, tum quod Lectiones eas ex Actis verbotenus desumptas esse videam, tum quod illud Breviarium, quamvis* pervetustum *appelletur, ad diplomatum supra datorum ætatem pertingere non existimem. Atque hæc de horum Sanctorum cultu dicta sufficiant. Jam quædam obscuriora Actorum puncta discutiamus.*

§ III. Sanctorum patria; habitatio in Polonia, et vitæ professio in Hungaria.

Sancti nostri dicuntur fuisse natione Poloni,

A*cta nostra num.* 1 *testantur,* S. Zoërardum de terra Poloniensium *venisse in Hungariam;*
C *ex quo non improbabilis fit conjectura, eum natione Polonum fuisse, præsertim si veteri huic testimonio addas constantem Polonorum traditionem, qua ambos hos Sanctos, tamquam suos populares, agnoscunt et venerantur. At nescio, unde quidam recentiores historici adeo distinctam de* S. Zoërardi *patria et parentibus notitiam hauserint: nam post Martinum Baronium, clericum Jaroslaviensem, Stephanus Damalevicius, supra num.* 3 *citatus, in Vita S. Bogumili anno* 1661 *Romæ edita cap.* XXXII, *pag.* 168 *sic de hac re scribit:* Andreas Zeorardus in partibus minoris Poloniæ, in oppido Opatoviec prope Vistulam fluvium christianis et piis parentibus natus, patre Marco, matre Agnete; qui sancta educatione parentum in præceptis et lege Domini recte institutus, monasticam vitam duxit in cœnobio Zobor dicto. *Non nego equidem, hæc forsitan vera esse; sed scire aveo, an ex antiquis et fide dignis monumentis ea sint eruta. Nescio etiam, ubi Antonius Bonfinius invenerit ea, quæ lib.* I *Rerum Hungaricarum Decade* II *pag.* 174 *de his Sanctis memoriæ prodidit; nempe, quod tempore S. Stephani regis inter alios in Hungariam venerint* ex ea Dalmatiæ parte, quam Polianam dicunt, eremitæ duo: D
quorum alter Andreas, Benedictus alter dictus est. Andreas vitæ sanctitate miracula edidit. Benedictus cum pro Christo sanguinem effuderit, inter Divos martyres adnumeratur.

et eremiticam vitam duxisse in Polonia, antequam in Hungariam pergerent,

18 *Poloni præterea asserunt, hos Sanctos in Polonia eremiticam vitam duxisse, antequam in Hungariam discederent; de quo vitæ genere in Actis nostris et scriptoribus Hungaris altum est silentium. Antiquissimus historicus, apud quem hanc Polonicam habitationem reperi, est Joannes Dlugossus, alias Longinus, qui lib.* II *Historiæ Polonicæ ad annum Christi* 998 *col.* 124 *hæc habet:* Duo viri ea tempestate insignes vita et exemplo ac conversatione floruerunt; Swyrardus, qui ad fluvium Dunajec prope oppidum Czechow in Cracoviensi diœcesi eremita sub rupe, quam in hanc diem cernimus, habitabat, et in qua per annos plures Christo militaverat, et Benedictus, anachoriticam vitam ambo ducentes, e Polonia egressi intraverunt Pannonias, et in cœnobio S. Benedicti ad radicem Montis Ferrei sub abbate Austerico militantes, Swyrardus, qui et Zorardus, confessoris decus asperitate vitæ pro- E
meruit, Benedictus sanguine fuso laureola martyrii coronatus.

in qua postrema Dlugossus eos in alio monasterio ac sub alio abbate collocat, quam Acta nostra.

19 *Adverto, Dlugossum præterea hic circa nomen abbatis et monasterii, quando* S. Zoërardus *in Hungaria vixit, discrepare a Lectionibus Polonicis, et Actis nostris, quæ num.* 1 *diserte asserunt, quod* S. Zoerardus *habitum acceperit a* Philippo abbate, cujus monasterium, Zobor nominatum, in Nitriensi territorio ad honorem S. Hyppolyti martyris situm erat. *De Austrico vel Astrico, qui post adeptum archiepiscopatum Strigoniensem Anastasius appellatus est, hæc habet Chartuitius episcopus, et subæqualis illius temporis scriptor in Vita S. Stephani Cracoviæ anno* 1511 *impressa:* Abbates et monachi, nil proprium habere cupientes, sub tam religiosi principis moderamine regulariter vivere deliberaverunt: inter quos vitæ regularis pater Astricus cum suis discipulis advenit..... Venerunt et alii duo de terra Poloniensi, eremiticam vitam causa contemplationis eligentes; quorum unus, Andreas nomine, per confessionis meritum angelicis choris est F
associatus, testibus miraculorum signis per ipsum a Domino factis; alter Benedictus, pro Christo sanguine fuso, misericorditer laureatus. Astricus abbas, cum suis honorifice susceptus, ad radicem Montis-ferrei cœnobium sub titulo sancti patris Benedicti construxit. *Forte Dlugossus, hæc ita mixtim narrari videns, putaverit,* SS. Andream *seu* Zoerardum *et* Benedictum *discipulis Astrici annumerandos esse. Sed præterquam quod Astricus ex Bohemia, ubi Breunoviensi cœnobio præerat, in Hungariam venerit, magis credimus coævo Actorum scriptori, qui* S. Zoerardum *sub Philippo abbate in monasterio Zobor, ad S. Hippolyti honorem ædificato, collocat.*

Volunt quidam, eos in Polonia monachos fuisse, quod expenditur.

20 *Non defuere etiam, qui affirmarent,* S. Zoerardum *in Polonia regulam monasticam amplexum esse, priusquam in Hungariam proficisceretur. De hac re Martinus Baronius Jaroslaviensis in Vitis sanctorum Polonorum, anno* 1610 *Cracoviæ editis, part.* I, *pag.* 24 *ita scribit:* Andreas Zoerardus . . . . christiana religione tum primum in Polonia, postea in Ungaria efflorescente, vitam monasticam duxit in cœnobio

A bio Zobor dicto in honorem sancti Hippolyti martyris. . . . excitato, in quo habitu accepto a Philippo abbate, quem ante a sancto Barnaba in Polonia susceperat, solenni voto regulæ sancti Romualdi sese obligavit, et Andreas nominatus eremiticam vitam agere statuit. *Non satis intelligo, quid sibi velit duplex ille monachatus. Fortasse Baronius hunc collegit ex Martino Cromero, episcopo Warmiensi, qui libro* III *Rerum Polonicarum pag. mihi* 51 *de duobus Sanctis nostris tradit sequentia* : Fuerunt etiam hoc tempore in solitudine apud Donaiecium fluvium, qui e finibus Ungariæ profluens Vistulæ apud Opatovecium oppidum miscetur, duo monachi sanctimonia vitæ celebres : quorum Benedictus ab Ungaris, quod Christum profiteretur, cæsus, Suirardus post vitam durissime exactam in monasterio Montis-Ferrei in Ungaria, quo ambo commigrarant, sua morte absumptus est. *Sed, quamvis hi duo Sancti a Cromero vocentur* monachi, *dum in solitudine Polonica degebant, non sequitur, eos alicui regulæ tunc adstrictos fuisse, cum hoc nomen sæpe tribuatur solitariæ vitæ sectatoribus, uti ostendit Papebrochius in Responsionibus ad art.* XV, § VI, *num.* 123. *Facile autem fieri potuit, ut antea ambo hi Sancti in Polonia eremitæ fuerint, ac postmodum in Hungaria statum monasticum stricte dictum, utpote perfectiorem professi, idem solitariæ vitæ genus cum licentia abbatis sui repetierint.* B

[Quæritur inter Benedictinos, Camaldulenses et Paulitas eremitas.] 21 *Quæstio jam est, cujusnam Ordinis institutum amplexi fuerint : nam Benedictini, Camaldulenses, et Paulitæ, seu monachi qui se a Paulo Thebæo institutos putant, hos duos eremitas sibi certatim vendicant. Paulinus Klodauski ex Ordine S. Pauli anno* 1635 *libellum conscripsit, in quo nititur Ordinis sui originem a S. Paulo Thebæo eremita deducere atque ostendere, quomodo hæc religio per Poloniam, Hungariam aliasque regiones Europæ propagata fuerit. Inter alia contendens hoc religiosum eremitarum institutum a S. Gerardo Veneto in Hungariam invectum esse, de Sanctis nostris* § XI *ita loquitur :* Duo insignes viri, videlicet Andreas Zoerardus et Benedictus ex Polonia in regnum Hungariæ transeuntes, memorato S. Gerardo accesserunt; quorum primus ex cœnobita monasterii Zobor eremita Paulinus in Nitriensi territorio factus, confessionis merito angelicis choris adjunctus pie existimatur : alter autem discipulus ipsius pro Christo sanguinem fudisse fertur prope fluvium Wag dictum, si credimus Mauro episcopo Quinqueecclesiensi. *Quid ni credamus episcopo coævo, quem varii Martyrologi ad diem* IV *Decembris titulo* beati *vel* sancti *decorarunt? At ubinam Maurus dicit, istos duos Eremitas, cum S. Gerardo in Hungariam venisse, aut ex Ordine S. Pauli fuisse? Sed de hac re mox pluribus.* C

[Et Camaldulensibus.] 22 *Varii scriptores eosdem Sanctos eremitas Ordine Camaldulensi tribuunt, ut videre est apud Thomam Minium in Catalogo Sanctorum, Florentiæ edito, Guidonem Grandum in Dissertationibus Camaldulensibus, anno* 1707 *Lucæ impressis; dissert.* II, *cap.* V, *num.* 4, *et apud Martinum Baronium supra num.* 20 *citatum. De eadem vitæ professione Stephanus Damalevicius jam aliquoties laudatus in Vita S. Bogumili cap.* XXXII *hæc memorat :* Andreas Zeorardus. . . . monasticam vitam duxit in cœnobio Zobor dicto, in honorem S. Hippolyti martyris (apud Nitriam civitatem, in ea videlicet Sclavorum et Ungarorum ditione, quæ Moraviæ Danubioque confinis, Sarmatia Pannoniæ olim dicta fuit) excitato; in quo sub Philippi abbatis obedientia, qui sancto Mauro episcopo Quinque-ecclesiensi (Camaldulensis uterque instituti fuit) successerat, in summa vitæ austeritate vixit. *Quod ad Maurum attinet, is in monasterio S. Martini vixit, ut ipse in Actis, huic Commentario subjungendis, num.* 1 *testatur : monasterium autem S. Martini videtur ad Benedictinos pertinuisse, cum S. Stephanus Hungariæ rex in diplomate, quod Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sæc.* VI, *part.* I, *pag.* 73 *profert, tale*m *isti cœnobio concedat libertatem*, qualem detinet monasterium sancti Benedicti in monte Casino. [AUCTORE G. C.]

[ac Benedictinos, quem Ordinem Sancti hi in Hungaria amplexi fuerint.] 23 *Ceterum Benedictini scriptores tum in Martyrologiis tum in Annalibus hos duos Eremitas sanctis suis annumerant, et monasterium Zoborense suum appellant, donec illud Camaldulenses ex Congregatione Montis Coronæ circa finem præteriti sæculi occuparunt, uti Guido Grandus monachus Camaldulensis in litteris, anno* 1696 *ad Papebrochium datis, indicat hoc modo :* Anno MDCLXXXIX eremitæ nostri Montis Coronæ in cœnobio Zobor in Hungaria eremum excitantes, locum horum Sanctorum *(nempe Andreæ et Benedicti; de quibus interrogatus responderat)* habitatione celebrem instaurarunt, opitulante D. Blasio Zachi, episcopo Nitriensi. *Porro ut ostendat, hos duos Sanctos ad Ordidem suum pertinere, in iisdem litteris asserit, se in monasterii sui bibliotheca vidisse Officia patronorum provinciæ Poloniæ, anno* 1603 *Cracoviæ edita, in quibus leguntur duæ Lectiones propriæ :* ex quibus, *inquit*, magna ex parte desumptæ et concinnatæ postea fuerunt quatuor Lectiones secundi Nocturni Breviarii nostri Camaldulensis, sæpius cum licentia sacræ Congregationis reimpressi, in quo ad diem XVI Julii eorumdem solennitatem celebrandam sub ritu duplici secundæ classis præscribi videbis, uti ad hanc diem observamus, et Missalia quoque nostra præcipiunt, de communi tamen confessorum non pontificum. E

[Nos opinamur, eos verosimiliter fuisse Benedictinos.] 24 *Puto, me paucioribus displiciturum, si cum nostro Martino Czeles in Ungaricæ sanctitatis Indiciis, anno* 1692 *Tyrnaviæ impressis, de tota hac controversia ita pronuntiarem :* Andream sanctis suis et Benedictini, et Camaldulenses, et Pauli primi Religiosi vendicant : nolim judicem agere. *Verum, cum talis responsio non satisfaciat curiosis lectoribus, qui nostrum in similibus rebus judicium quasi jure quodam suo exigunt, statui rotunde edicere, quid de hac lite sentiam, ne veritatem, quantumvis odiosam, præ offensionis metu occultasse videar. Sed nolo opinioni meæ plus ponderis inesse, quam rationes pro ea allegandæ evincant. Judico itaque probabilius esse, quod ambo hi Sancti fuerint ex Ordine S. Benedicti; quia Benedictini ex scriptoribus synchronis et subæqualibus ostendere possunt, sese tempore S. Stephani regis monasteria habuisse in Hungaria; quod aliis religiosis, hos Sanctos Ordini suo vendicantibus, probatu difficile foret. Adde huic diploma anni* 1224 *supra num.* 14 *allatum, in quo Jacobus Nitriensis episcopus testatur, quod ad honorem* S. Benedicti *martyris Benedictinis, in Skalka habitantibus, quasdam eleemosynas dederit. Ex dictis possunt ipsi Benedictini argumenta ulterius eruere, quibus demonstrent, hos sanctos Eremitas Ordinis sui alumnos fuisse. Interim eorum competitoribus difficultates nonnullas proponere liceat.* F

25 *Non multis opus esse arbitror, ut hi . . .*

Paulinus

AUCTORE G. C. et monachis Paulinis,

Paulinus Klodauski supra laudatus, aliique religiosi S. Pauli avocentur ab ea opinione, qua sibi persuadent, SS. Andream et Benedictum *Ordini suo adscribendos esse : nisi enim omnes cujuscumque generis eremitas suis annumerare velint, nullo jure hos Sanctos sæculo* X *viventes sibi vendicare possunt, cum Ordo sub nomine S. Pauli Thebæi tantum sæculo* XIII *in Hungaria florere cœperit, ut dictum est ad diem* X *Januarii in translatione S. Pauli, Vitæ ejus subjuncta, et fusius videre licet tom.* III, *cap.* XLII *operis Gallici, quod anonymus quidam de Ordinibus Religiosis ac militaribus non ita pridem Parisiis edidit. Nec me movet vetustus codex Ms., quem Melchior Inchoferus noster in Annalibus Ecclesiasticis regni Hungariæ ad annum Christi* 1009 *citat, in quo sancti nostri Eremitæ dicuntur fuisse Ordinis S. Pauli: nam utcumque codex ille* vetustus *appelletur, certe ipsius Ordinis, sæculo* XIII *instituti, vetustatem non superat. Quare pergat religiosa hæc congregatio, anachoreticam vivendi rationem professa, sanctos hos Eremitas colere ac imitari, sed eos Ordinis sui alumnos nec fuisse, nec esse potuisse fa-* B *teatur.*

ac Camaldulensibus.

26 *Sententia Camaldulensium, qua* SS. Andream et Benedictum *tamquam suos venerantur, majorem veri speciem præ se fert, cum ex monumentis fidedignis constet, quosdam S. Romualdi, Camaldulensium fundatoris, discipulos circa ea tempora in Hungaria vicinisque regionibus fuisse : attamen eorum opinioni opponi possunt sequentia. Sanctus Petrus Damiani quindecim annis post S. Romualdi obitum scripsit ejus Vitam, quam Bollandus noster ad diem* VII *Februarii notis illustravit. In ea recensentur præcipui S. Romualdi discipuli, atque inter alios Benedictus (is plane diversus est a nostro ejusdem nominis martyre) et Joannes, qui in Polonia a latronibus occisi martyrium subiisse perhibentur : in ea etiam enumerantur monasteria variis locis a sancto Ordinis illius Institutore erecta. Sed ubique tum de Sanctis nostris, tum de monasteriis tunc temporis in Hungaria ædificatis altum est silentium. An, obsecro, is auctor tempori illi proximus* Andream *pœnitentiæ rigore memorabilem, et* Benedictum *martyrii palma illustrem omisisset, si uterque fuisset S. Romualdi discipulus? Mihi sane non fit verosimile, præsertim cum alios ejusdem discipulos virtute claros nomi-* C *natim memoret. Istud argumentum, quantumvis negativum, vi sua non caret, ut attente consideranti patebit.*

argumenta quædam opponimus.

27 *Adde alteram argumentationem positivam, et sic ratiocinare : In eadem Vita cap.* XIII *narratur, quod S. Romualdus cum viginti quatuor discipulis in Hungariam discesserit, quodque vir sanctus propter morbum redire coactus, Fratribus ibidem remanere volentibus prædixerit, neminem ex illis martyrii laurea coronandum esse. Quod verum fuisse docuit eventus : nam etsi multa illic perpessi fuerint*, ad martyrium tamen, *inquit Petrus Damiani*, sicut vir sanctus prædixerat, non pertingunt. *Ex eo legitime videtur posse concludi, quod Benedictus noster, qui circa idem tempus in Hungaria martyrii palmam obtinuit, non fuerit S. Romualdi discipulus. Porro hic Benedictus martyr in Actis synchronis dicitur fuisse* S. Andreæ *discipulus; atqui probabile admodum est, quod idem cum magistro institutum secutus fuerit; cum igitur, teste Mauro coævo,* S. Andreas *habitum acceperit ab abbate Philippo in cœnobio Zaborensi, Camaldulensibus incumbit probare, illud monasterium tunc temporis ad Ordinem suum pertinuisse. Id autem eos difficulter probaturos reor, cum quindecim fratres, a* S. Romualdo *in Hungaria relicti, ad disseminandam Christianam fidem more apostolicorum virorum undequaque eam regionem percurrisse potius, quam in monasteriis vixisse videantur. Ut verbo finiam, Camaldulenses monachi ex antiquis monumentis ostendant, hos duos sanctos Eremitas Ordini suo aggregatos fuisse, et victas dabimus manus, iisque de victoria gratulabimur.* D

§ IV. Tempus, quo hi Sancti in Hungariam venerunt.

Rejicitur opinio Inchoferi, qui putat eos sub Geisa I in Hungariam venisse

28 *Circa horum Sanctorum chronotaxim ex Actis constat, quod tempore Stephani regis in Hungariam venerint. Quare amplecti nequeo sententiam nostri Melchioris Inchoferi, qui in Annalibus ecclesiasticis regni Hungariæ ad annum Christi* 1009 *post Acta ex Mauro episcopo Quinque-ecclesiensi data sic ratiocinatur pag.* 295 *:* Hactenus de rebus gestis Andreæ et Benedicti Maurus Quinqueecclesiensis, qui tempore E Stephani regis vixit. Idem ipse est, cui Emericus puer regius septem oscula, ut infra dicemus, ob puritatis meritum fixit, et eumdem Stephanus de virtute periclitatum et laudatum, ad episcopatum Quinqueecclesiensem promovit. Is porro cum se dicat vidisse Andream, quo tempore puer scholasticus esset, hoc est litteris operam daret ; deinde vero monasticam in monasterio beati Martini Montis sancti professus sit, nec tam repente eo, quo diximus, modo dignitatem episcopalem ascenderit, consequens est, Andream tempore Geysæ patris divi Stephani in Hungariam venisse. *Consequens illud nequaquam admitto, quia directe contradicit Actis a coævo scriptis, quæ diserte asserunt, quod* tempore .... christianissimi Stephani regis .... multi ex terris aliis canonici et monachi ad ipsum, quasi ad patrem *confluxerint, quodque inter eos quidam,* Zoerardus *nomine, postea* Andreas *dictus, ex Polonia in Hungariam advenerit. Præterea Inchoferus hoc loco videtur oblitus eorum, quæ in iisdem Annalibus ad annum Christi* 1000 *de horum Sanctorum adventu ita expresse dixerat :* Hoc eodem anno F millesimo venere ex Polonia in Hungariam fratres eremitæ Andreas et Benedictus, doctrinæ et exemplo novellæ plantæ profuturi, et a rege, salutis suorum cupientissimo, liberaliter sunt excepti.

Alii diversas epochas

29 *Verum cum in Actis non occurrat alia characteristica temporis nota, et S. Stephanus ab anno* 997 *usque ad annum* 1038 *Hungaros rexerit, determinare certo non possum, quo anno hi Sancti Hungariam petierint, vel quo anno ex hac vita migraverint. Tantummodo ex iisdem Actis tuto affirmare licet, quod* S. Benedictus *tribus annis post* S. Andreæ *obitum a latronibus jugulatus fuerit. Cum igitur tota hæc chronologia vaga sit et incerta, auctores in varias abierunt sententias, ita ut horum Sanctorum epocham pro libitu suo consignasse videantur : nam Wionus et Bucelinus anno* 990, *Menardus* 999, *Surius* 1000 *eos collocant. Joannes Dlugossus lib.* II *Historiæ Polonicæ pag.* 124 *de iisdem Sanctis ad annum Christi* 998 *meminit; Cromerus vero lib.* III *de Rebus Polonicis pag.* 51 *eosdem anno sequenti memorat. Si auctores illi, ut sæpe solent, per annos*

A *annos jam dictos velint designare tempus, quo hi Sancti obierint, haud dubie falluntur : cum enim sub Stephano rege (tantum anno* 1001 *Stephanus regis titulum obtinuit) in Hungariam penetraverint, nec nisi post transactum aliquod in monasterio tempus, in eremum secesserint, vita eorum ulterius protrahenda est. Adde quod* S. Benedictus *magistro suo* Andreæ *triennio supervixerit.*

...s assignant.

30 *Carolus Stengelius in Imaginibus Ordinis S. Benedicti pag.* 60, *post breve horum Sanctorum elogium ait :* Claruerunt circa annum Christi MXX. *Georgius Garnefelt Carthusianus Coloniensis lib.* II *de Vitis Eremitarum num.* 24, *ad Vitam* S. Zoerardi *in compendium redactam, notat in margine* 1020. *In annotationibus ad easdem Vitas pag.* 207 *et alibi eumdem annum repetit ; sed nullibi distinguit, utrum eo anno vixerit, an obierit. Hæc epocha, quantumvis incerta, mihi non displicet, sive eremiticam* S. Zoerardi *vitam, sive felicem ex hac transitum denotet, modo mors illius post hanc epocham non nimis diu differatur : potuit etiam* Zoerardus *circa annum* 1010 *cum socio in Hungariam venisse, atque in ea usque ad annum* 1021 *aut* 1022 *vixisse. Neque verosi-* B *mile est, quod vitam diutius protraxerit in tam rigida corporis sui afflictatione, qualis in Actis ejus describitur. Ad hoc accedit, quod tunc temporis probabiliter non paucos vitæ annos numeraret, cum* S. Benedictum *discipulum haberet, et juxta scriptores Polonos ante in Polonia per plures annos anachoreticam vitam duxisset. Cum vero Acta circa adventum nil certi determinens, elegi pro eo annum* 1010, *quia S. Stephanus ab inchoato regno usque ad hoc tempus facile potuit ædificare monasteria et templa, quæ in Actis referuntur. Quamvis autem hæc epocha suis difficultatibus non careat, tamen mihi aptior visa est ad explicanda varia Actorum consectaria, prout infra videbimus.*

...cta ablatis S. Martini fundationem Monasterii Zobor nimis sero collocat.

31 *Andreas Placidus Maggor archiabbas S. Martini mihi videtur nimis sero horum Sanctorum adventum collocasse : nam monastica eorum vita in monasterio Zobor ultra annum* 1031 *differenda est, si verum est illud, quod archiabbas iste ad Bollandum nostrum perscribi jussit his verbis :* Insigne olim monasterium Zobor ad oppidum Nitriense fundatur anno millesimo tricesimo primo C a sancto rege Stephano in honorem S. Hippolyti martyris, in quo hi sancti Andreas et Benedictus sub primo abbate Philippo vitam monasticam professi fuere. *Explicari hæc facile possent, si archiabbas ille, omissis triginta annis, monasterium Zobor anno millesimo primo fundatum diceret. At quis hujus cœnobii fundationem anno* 1031 *factam conciliet cum scriptoribus Hungaris et Polonis, qui communiter tradunt,* S. Andream *sub primordiis regnantis Stephani vitam monasticam in Hungaria amplexum esse? Quin imo id ipsa Acta quodammodo innuere videntur, dum initio narrant,* S. Andream *in Hungariam venisse, et in monasterio Zobor habitum suscepisse* tempore illo, quo sub christianissimi Stephani regis nutu nomen et religio Deitatis in Pannonia rudis adhuc pullulabat. *Anno autem* 1031 *non admodum rudis pullulabat religio in Hungaria, cum tunc ibidem plurima templa ac monasteria exstructa essent, variique episcopatus erecti fuissent, uti manifestum est ex Vita S. Stephani regis per Carthuitium episcopum supparem scripta.*

32 *Porro si* S. Andreas *in Hungariam veniens in cœnobio Zobor, quod tantum anno* 1031 *fundatum dicitur, habitum monasticum a Philippo abbate acceperit, quis hanc epocham componet cum testimonio ipsius Mauri, qui initio Actorum affirmat, sanctum Virum a se puero scholastico visum esse? Maurus enim juxta Vitam S. Emerici et historicos Hungaros ad cathedram Quinque-ecclesiensem evectus est a rege Stephano, qui anno* 1034, *aut ut alii volunt, ad summum anno* 1038 *ad superos evolavit. Quapropter non temere suspicor, archiabbatem S. Martini aut in faciendo computu deceptum fuisse, aut amanuensem ejus in exprimendis numeris errasse, quemadmodum ipsemet in eadem epistola erravit, sic manu propria distincte subscribens :* Hanc historiam *(loquitur de lectionibus SS. Andreæ et Benedicti)* de verbo ad verbum esse descriptam ex antiquissimo Breviario monastico impresso Venetiis anno Christi MCCCXXVI, testor ego Andreas Placidus Maggor archiabbas S. Martini. *Certe illo anno, quem notat, necdum ars typographica erat inventa ; adeoque conjicio, quod annum* 1326 *pro anno* 1526 *scripserit.*

AUCTORE G. C. — et consequenter Sanctorum nostrorum adventum nimis differt.

33 *Ex dictis colligi potest, quod* S. Zoerardi *adventum in Hungariam anno* 1010 *collocemus. Verum fortasse quispiam difficultatem, superius* E *ab Inchofero nostro motam, augebit, atque ita contra systema nostrum argumentabitur : In Vita S. Emerici, ab antiquo auctore scripta, aliisque historiis Hungaricis narratur, quod S. Emericus puer regius cum Stephano patre suo cœnobium S. Martini, in monte Pannoniæ situm, adierit, et Mauro ibidem monacho ob eximiam castimoniam septem oscula fixerit, quodque Stephanus, cognita singulari ejusdem Mauri virtute, eum paulo post ad Quinque-ecclesiensem episcopatum promoverit. Inchoferus autem in Annalibus Ecclesiasticis Hungariæ scribit, S. Emericum octennem fuisse, quando Maurum septies osculatus est, adeoque putat hanc monasterii Martiniani visitationem anno Christi* 1015 *factam esse. Si igitur* S. Zoerardus *anno* 1010 *tantummodo in Hungariam pervenerit, et Maurus paulo post annum* 1015 *ab eodem Stephano ad cathedram Quinqueecclesiensem evectus fuerit, quomodo idem Maurus initio Actorum vere asseverare potest, quod existens puer scholasticus* S. Zoerardum *seu* Andream *viderit, cum in ea hypothesi inter Mauri pueritiam et episcopatum vix sex aut septem anni intercedant? Accedit ad diffi-* F *cultatem præterea, quod Maurus in ipsis Actis num.* 4 *indicet, se abbatem fuisse. Quomodo, inquiet aliquis, hæc omnia cohærent? Jam huic objectioni respondere, et singulos ejus nodos dissolvere conabimur.*

Objectio cuidam.

34 *Imprimis admitto illa, quæ in Vita S. Emerici de septem osculis Mauro datis, et de promotione illius ad episcopatum Quinqueecclesiensem referuntur ; sed nego, quod illa eo tempore contigerint, quo ea inchoferus noster consignat. Id autem eodem jure nego, quo ipse asserit : nullum enim in Annalibus suis pro hac epocha profert veterum scriptorum testimonium. Forte Inchoferus putavit, S. Emericum octennem id fecisse, quia in Actis aliisque historiis eam rem narrantibus Emericus* puer *appellatur. Sed advertendum est, quod olim* infantes *et* pueri *promiscue vocarentur magnatum filii, qui feudorum paternorum possessionem adire non poterant, donec ad legitimam pervenissent ætatem, id est annum vigesimum primum attigissent, uti docet Cangius in Glossario mediæ et infimæ Latinitatis ad voces* infantes *et* heres. *Potuit itaque tunc S. Emericus appellari* puer, *etsi sedecim aut plures ætatis annos numeraret.*

respondetur.

AUCTORE G. C.

numeraret, et consequenter potest illa Martiniani monasterii visitatio anno 1024 *aut* 1025 *innecti. Hoc facto explicabitur, quomodo Maurus puer scholasticus,* S. Andream *anno* 1010 *viderit, et post hanc Emerici osculationem episcopatui missurus fuerit.*

aliisque difficultatibus,

35 *At, inquies, in Vita S. Emerici, anno* 1511 *Cracoviæ edita, sic legitur :* Tunc vero beatus Stephanus filii sui verba rata esse cognovit, et rei ordine narrato, Maurum *(is autem* frater, *non* abbas *appellatur)* laudibus extulit, et ut locus pontificalis per eum decoraretur, paulo post eum in episcopatum Quinque-ecclesiensem sublimavit. *Si Maurus eo tempore abbatiale officium non administrarit, et paulo post ad episcopalem dignitatem assumptus fuerit, quandonam potuit fuisse abbas? Attamen in Actis num.* 4, *sese abbatem constitutum fuisse indicat his verbis :* Sed quæ sequuntur, Philippus abbas mihi abbati constituto enarrare consuevit. *Ingenue fateor, hanc difficultatem adeo esse intricatam, ut vix sperem, eam a me omnino posse enodari. Sed idem nodus, præter alias difficultates, dissolvendus est Inchofero aliisque scriptoribus,* B *qui admittere debent ea, quæ jam dicturus sum, aut iis meliora proferre.*

quæ chronotaxi nostræ

36 *Arbitror itaque particulam* paulo post, *in Vita S. Emerici expressam, in latiore significatione accipiendam esse, ita ut significet, quod Stephanus paucis annis post hanc visitationem Maurum Quinqueecclesiensi diœcesi præfici curaverit. Certe promotio ad episcopatum sæpius aliquot annorum moram patitur. Si igitur intrà hanc Stephani visitationem et Mauri episcopatum concedatur quinque aut sex annorum spatium, invenietur tempus, quo Maurus potuerit, data occasione, abbas eligi, præsertim postquam sanctus Rex virtutem illius publicis laudibus extulerat. Non ignoro, Bonfinium Decade* II *Rerum Ungaricarum lib.* I, *pag.* 177 *scribere, quod rex Stephanus Maurum* paucis post mensibus *Quinque-ecclesiensi episcopatui præfecerit. Sed cum antiqui scriptores tale temporis spatium non exprimant, eodem jure particulam* paulo post *ita explicabo, ut id* paucis post annis *factum esse significet.*

opponi possent,

37 *Quod attinet ad Mauri pueritiam, in qua sese fuisse testatur, dum* S. Zoerardum *seu* Andream *vidit; advertendum, quod per pueros Scho-* C *lasticos olim designarentur illi, qui in cœnobiis ad vitam monasticam disponebantur, et studiis humanioribus, aut etiam theologicis operam dabant, quos monachi vulgo pueros nuncupabant, ut adductis exemplis probat Cangius in Glossario jam citato ad voces* scholæ monasticæ *et* infantes monasterii. *Maurus itaque, recepto more, se vocat puerum scholasticum, quando vidit* S. Andream, *etsi tunc forte quindecim aut sedecim annos natus esset. At alius circa eumdem Maurum superest scrupulus, quem mihi movet Mabillonius ex Vita S. Gerardi Hungarorum apostoli, in qua sic legitur :* Pervenit interim in Pannoniæ partes, cujus habenas tunc christianissimus rex Stephanus moderabatur . . . . . Cernens vero servus Christi, se solum illic derelictum, ut populi strepitus evitaret, ejus regionis eremum, quam Beel vocant, petiit, atque illic septennio jejuniis et precibus vacans, excepto Mauro monacho, solus habitavit. *Mabillonius hic ad nomen Mauri notat, hunc eumdem esse cum nostro; et in Annalibus Benedictinis ad annum Christi* 1026 *(Inchoferus noster adventum S. Gerardi in Hungariam usque ad annum* 1030 *differt) tom.* IV *lib.* LV, *num.* 102, D *pag.* 326 *ita diserte pronuntiat :* Turbarum pertæsus vir Dei cum Mauro monacho, qui postmodum Quinqueecclesiensis episcopus fuit, in solitudinem discessit, quam Beel vocant, et in ea septem annos exegit.

38 *Non levis mihi suspicio est, hic ob homonymiam duos Mauros a Mabillonio confundi, quemadmodum ob eamdem causam duo monasteria longe diversa in unum conflavit: sic enim Breunoviense S. Martini monasterium, in Bohemia situm, confudit cum eo, quod rex Stephanus ad S. Martini honorem in sacro Pannoniæ seu Hungariæ monte construxerat, uti expresse tradunt antiqui scriptores in Actis S. Stephani et S. Emerici. Unde Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Christi* 1008 *lib.* LIII, *num.* 8 *ita perperam scribit :* Andreas...... eremiticam itidem vitam excoluit, uno comitatus socio, cui nomen Benedicto, a quo Maurus episcopus, tunc Breunoviensis monachus, ejus vitæ rationem didicit, retulitque. *Si Maurus tunc Breunoviensis in Bohemia monachus fuerit, quomodo* Benedictus Zoerardi *socius, in Hungaria habitans,* sæpe *venit ad Mauri monasterium, uti* E *ipsemet in Actis num.* 1 *testatur? Ne his diutius hæream, omnes Actorum circumstantiæ clamant, monasterium S. Martini, in quo Maurus degebat, in Hungaria situm fuisse. Quid si Maurus ille, sancti Gerardi socius, fuerit monachus Breunoviensis? Quid si plures fuerint ejusdem nominis monachi? Neque hoc postremum profecto adeo mirum est, cum vix dubitem, quin multi, Ordinem Benedictinum ingressi, nomen Mauri assumpserint ob venerationem S. Mauri, qui fuit inclytus* S. Benedicti *discipulus. Utut est, temporum locorumque distantia et historici Hungari sufficiens fundamentum præbent judicandi, hos duos Mauros inter se differre. Forte idem scrupulus alio modo auferri posset : si nempe mihi hic luberet accurate examinare tempus, quo S. Gerardus in Hungariam venit; de qua epocha scriptores non conveniunt. Sed, ea controversia usque ad diem* XXIV *Septembris ipsi sacram relicta, hypotheticam chronotaxim nostram figemus, cum certam et absolutam ex antiquis monumentis eruere nequeamus.* F

explicatis,

systema nostrum proponitur.

39 *Iis, quæ hoc paragrapho diximus, ita positis, potuit* S. Andreas *anno Christi* 1010 *vel* 1011 *in Hungaria fuisse, et a Mauro quindecim annorum puero videri. Potuit etiam Maurus circa annum* 1025 *ab Emerico septem oscula accipere, ac post quinquennium episcopali infula ornari : atque ita Maurus triginta quinque annos habuit, priusquam Quinqueecclesiensem cathedram ascenderet. Quod si in hac ætate episcopatum inceperit, facile potuit eumdem administrare usque ad annum* 1070, *quo anno ipsi Antonium successorem assignat Catalogus episcoporum Quinqueecclesiensium, qui Tripartito operi Decretorum et Constitutionum regni Ungariæ tom.* II, *pag.* 615 *inseritur. Quid, obsecro, in tota hac re paradoxi est? An prodigiosum est, si Maurus ad* 75 *annorum senectutem pervenerit? Quid impedit, quo minus intra quinquennium a visitatione S. Emerici Maurus aliquo tempore abbatis officium gesserit? Hæc tamen omnia sic facta non spondeo, sed fieri potuisse contendo, ut Actis nostris sua maneat auctoritas, et Vitæ S. Emerici ab antiquo auctore scriptæ non temere contradicatur. Hæc de incerta Sanctorum nostrorum chronotaxi satis superque dicta sunto.*

§ V. Sanctorum

A

§ V. Sanctorum eremus, reliquiæ, miracula et Acta.

Noster Ladislaus Vid describit locum.

Jam *sæpe laudatus P. Ladislaus Vid locum, quem sancti Eremitæ nostri in Hungaria incoluerunt, describit his verbis :* Solitudo, ubi hi duo sancti commorati sunt, est a civitate regia liberaque Ungariæ Trinchinio distans uno fere parvo milliari Germanico, quæ dicitur Skalka, quod vulgari lingua Slavonica idem est ac rupella. Hic abbatia Ordinis S. Benedicti fundata est anno MCCXXIV a loci ordinario episcopo quarto Nitriensi Jacobo. Skalka porro locus est ad Vagum fluvium amœnus supra monticulum, duas inter silvas, respiciens ab oriente fluvium Vagum, et planitiem peramœnam a septemtrione ab utraque parte fluminis exultam, vicis ac oppidis refertam, quæ aspectabilem per plura milliaria Vago defluente vallem efficit. *De loco autem, ubi* S. Benedictus, S. Andreæ *discipulus, martyrium subiit, hæc habet :* Spelunca, unde S. Benedictus ab ethnicis latronibus extractus et B lethaliter sauciatus est, a Vago distat, prout de facto fluit, quasi mille passus ; a loco vero seu a petra, ex qua in Vagum præcipitatus, et postmodum ubi ab aquila anni spatio observatus esse traditur, distat paulo amplius. *Tunc subjungit, quod illic ad* S. Benedicti *honorem et peracti martyrii memoriam ædificatum fuerit sacellum, prout dixi* § I.

in quo hi sancti Eremitæ habitarunt,

41 *Denique de amborum habitatione addit has peculiares circumstantias :* Extat spelunca, quam religiose de facto colimus, quam hi duo Sancti incoluisse creduntur. Sita illa est in vasta petra, latus monasterii (hodie Residentiæ) meridionale, et templum occidentale contingens. Visuntur ibi in saxo vestigia clara, ubi, quantum per continuam traditionem accepimus, dura super petra jacuisse perhibentur. Apparet item petra modice ab assiduis genuflexionibus excavata : præterea appressa utriusque manus digitorum in saxo signa, ad quod se sustentabant, dum expansis in crucem manibus stantes in spelunca diutius orationi vacabant. Ex hac manuum extensarum signata dimensione colligitur, eos fuisse C homines staturæ plus quam mediocris. *Hactenus R. P. Ladislaus Vid, rector Collegii nostri Trinchiniensis. Vix scio, quid velit R. D. Andreas Placidus Maggor archi-abbas S. Martini, qui in litteris supra memoratis de alia spelunca sic loquitur :* Vidi ego oculis meis integram ecclesiam S. Hippolyti, tecto tamen ac fornice carentem cum magna parte monasterii jam ruinati, consideravique locum vitæ cœnobiticæ aptissimum accommodatissimumque, ac specum, in quo divus Andreas delituit, veneratus sum anno MDCXXXIII. *Puto, quod significare velit, se in monasterio S. Hippolyti jam destructo, veneratum esse* S. Andreæ *cellam, in qua habitavit, dum adhuc in cœnobio Zobor degeret.*

et ibi fertur perseverare prodigiosa vinea,

42 *Memorabile est (si modo verum sit) prodigium, quod Martinus Baronius in Vitis sanctorum Polonorum parte* I, *pag.* 10 *in nostrorum Eremitarum habitatione perseverare narrat in hunc modum :* Extat etiam ad hoc usque nostrum tempus in Nitria *(per Nitriam suppono hic intelligi comitatum aut diœcesim Nitriensem)* ubi manserunt isti sancti patres Andreas et Benedictus, una parva vinea muro circumcincta, quæ Sanctorum manibus propriis fuit plantata in usum divini officii ecclesiæ, ex qua per totum annum suppetebat, et non deficiebat vinum, de qua usque ad hodiernam diem in eadem copia abundat, et non deficit per misericordiam Dei, et amorem in Sanctos suos gloriosos. Quod si quis ex vinea ea indigne vel furtive uvas comederit, aut vini aliquem fructum gustaverit, in pestiferam febrim incidit, nec pristinæ sanitati restituitur, donec pro ablatis pœnitentiam egerit. Nunc et vinea ab hæreticis devastata [est], a nulloque homine plantatur : attamen divina clementia, ut et antea, uberrimos fructus (ut aliæ vineæ, quæ coluntur) producit. Infirmis vero febricitantibus vinum præfatum cum devotione porrectum, sanitatem conferre, multorum fide dignorum testimonio comprobatur.

AUCTORE C. C.

de qua tamen non meminerunt Hungari.

43 *Hujus narrationis fides sit penes auctorem, qui in exornandis sanctorum Polonorum gestis nimium liberalis videtur. Quapropter Stephanus Damalevicius Regularium Calissiensium Præpositus in Vita S. Rogumili cap.* XXXIII *idem miraculum ex Martino Baronio desumptum nonnihil* E *mitigavit, atque omissis quibusdam circumstantiis, sic brevius verosimiliusque proposuit :* Extat in Nitria, ubi Viri sancti manserunt, parva vinea manibus eorum plantata, in usum divini sacrificii, quæ toto anno suppeditare solebat vinum : ex ea si quis uvas abstulisset, incidebat in febrim, nec ante pristinæ, quam peregisset pœnitentiam, sanitati restituebatur. Infirmis et febricitantibus, ex ea propinato cum devotione vino, conferri salutem et vires, multorum fide dignorum testimonio comprobatur. *Quidquid sit de duplici hac narratione, quæ nullius antiqui scriptoris testimonio fulcitur, summopere miror, Hungaros, qui plurima ad hos Sanctos spectantia Henschenio nostro accurate per litteras indicarunt, hujus tam insignis miraculi non meminisse. Quare etiam ex hoc capite apud me non parum vacillat fides Martini Baronii, qui forte ex populari fama aut traditione rem adeo prodigiosam litteris mandavit.*

Apud eorum reliquias,

44 *Post toties devastatam a Turcis Tartarisque Hungariam, et nostro etiam ævo intestinis bellis eversam, difficile est assignare, quo hodie loco Sanctorum nostrorum reliquiæ requiescant. Quare* F *hic contenti erimus ea notitia, quam de illis circa medium sæculi præcedentis accepimus. Archiabbas S. Martini paulo ante memoratus de hac re ita scribit :* Horum Sanctorum reliquiæ ex ecclesia S. Hippolyti martyris ad arcem Nitriensem translatæ, ac in ecclesia S. Emerami martyris in loco ac tumulo eminentiori impositæ jacuerunt [usque ad annum millesimum sexcentesimum tricesimum octavum, quo optimæ memoriæ Joannes Thelegdinus archiepiscopus Colocensis, administrator episcopatus Nitriensis, fabricata pulcro opere capella, easdem magna cum solennitate in medio altaris recondidit.] *Verum R. P. Ladislaus Vid, qui Nitriæ existens plura de his Sanctis curios indagavit, ad hanc archi-abbatis assertionem in margine notavit sequentia :* Post diligentem inquisitionem hæc deleta *(deleverat ea, quæ ego hic uncis inclusi)* non comperi. Extant tamen reliquiæ S. Andreæ modicæ, quas vidi, et veneratus sum. *Martinus Baronius in opere mox citato pag.* 29 *divinat,* S. Andream *anno* 1009 *die* XVI *Julii sepultum esse in Monte-Ferreo. Acta*

nostra

AUCTORE G. C.

plurima dicuntur fieri miracula

nostra num. 4 *antiquam utriusque Sancti sepulturam satis manifeste indicant.*

45 *Facile crediderim, ad horum Sanctorum reliquias, ubicumque fuerint, multa facta esse miracula, cum in ipsis Actis legamus duo fide et admiratione digna prodigia,* S. Andreæ *intercessione patrata; sed non satisfacit magnificus ille ac generalis loquendi modus, quo Martinus Baronius, pagina proxime citata, in extollendis* S. Andreæ *miraculis utitur :* Sane si ea, *inquit,* quæ per memetipsum didici, hujus Viri miracula, aut quæ fidelium narratione cognovi, et quæ adhuc quotidie apud sacrum corpus ejus declarantur, scripto aut sermone explicare vellem, calamus et verba non sufficerent : siquidem per ejus invocationem et merita sunt mortui resuscitati, cæci illuminati, permultique alii languentes homines miris modis sunt pristinæ sanitati restituti. *Si tanta fuerit miraculorum copia, dolendum sane est, quod saltem præcipua, authenticis testimoniis confirmata, singillatim posteritati non reliquerit. Paulo ante indicavi, quid de prodigiosa vinea, ab eodem auctore superius descripta, sentiam. Miraculum anno* 1569 *intercessione* S. Andreæ *in Polonia patratum num.* 3 B *hujus Commentarii prævii alia occasione retuli. Sed vellem, hæc recentiora tot tantisque testimoniis corroborari, ut hæretici, etiam inviti, de eorum veritate convincerentur : nam eo ævo vivimus, in quo homines non nisi evidentibus veritatis argumentis acquiescunt. Jam de Actorum scriptore, de quo superius multa diximus, pauca supersunt addenda.*

Post varios scriptores ex Ms. Corsendoncano edimus horum Sanctorum Acta,

46 *Legendarius Polonus (videtur esse Joannes Dlugossus) anno* 1511 *Cracoviæ typis editus, fol.* 107 *verso, Surius ad diem* I *Maii, Inchoferus noster in Annalibus regni Hungariæ ad annum Christi* 1009, *Gononus in Vitis Patrum Occidentis lib.* III, *pag.* 159, *Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sæculo* VI, *parte* I, *pag.* 76, *aliique res a Sanctis nostris gestas libris suis inseruerunt. Petrus Skarga noster, et Petrus Hyacinthus Pruszec eorumdem Vitam Polonice vulgarunt. Sed omnes, ut video, ex eodem fonte, nempe Mauro Quinqueecclesiensi episcopo sua hauserunt. Habemus in Belgio duplex eorumdem Actorum manuscriptum exemplar : unum, quod servatur apud Canonicos Regulares Rubeæ vallis prope Bru-* C *xellas, sicut Molanus in Additionibus Usuardinis die* I *Maii ad marginem notavit; alterum vero extat apud Canonicos Regulares cœnobii Corsendoncani, e quo nos illud excerpsimus ex codice, qui inscribitur :* Secunda pars diversarum Legendarum. *Hæc autem, tum manuscripta tum impressa, inter se conveniunt, ita ut facile appareat, omnia ex Mauro, primo Actorum scriptore, fideliter desumpta esse; præterquam quod hinc inde Surius more suo stylum nonnihil mutaverit, quem plerique alii in editionibus suis secuti sunt. Legenda tamen Polonica, anno* 1511 *Cracoviæ typis edita, ferme verbotenus cum Ms. nostro consonat.*

sub nomine Mauri episcopi Quinqueecclesiensis, qui eorum auctor fuisse asseritur.

47 *Dixi hactenus confidenter, Maurum Quinqueecclesiensem episcopum horum Actorum scriptorem esse, quamvis Mabillonius huic Vitæ subtimide præfixerit talem titulum :* Vitæ SS. Zoerardi seu Andreæ confessoris, et Benedicti martyris, eremitarum. Auctore (ut ferunt) Mauro Quinqueecclesiensi episcopo. *Certe horum Actorum scriptor seipsum Maurum nominat, et sese, cum hæc scriberet, episcopum fuisse clare exprimit. Præterea sese in S. Martini cœnobio antea monachum fuisse, non obscure indicat; quæ omnia mirifice congruunt iis, quæ de Mauro Quin-* D *queecclesiensi episcopo tradit Hungarica historia. Hinc Possevinus noster in Apparatu sacro tom.* II, *pag.* 95 *de eo ita scribit :* Maurus monachus monasterii S. Martini in monte Pannoniæ, præpositus ecclesiæ Quinqueecclesiensis prope annum MIII *(hanc epocham non probo)* quem a sanctitate atque a castitate commendant, Arnoldus Wion episcopum fuisse asserit. Scripsit Vitam SS. Zoerardi et Benedicti monachorum. *Vossius lib.* II *de scriptoribus Latinis cap.* XLII, *et novissime David Czuittingerus in specimine Hungariæ Litteratæ pag.* 252 *de eodem Mauro tamquam episcopo Quinqueecclesiensi, et certo hujus scripti auctore distinctius meminerunt. Quare sub ejus nomine Acta illa ex Ms. Corsendoncano, cum editionibus quibusdam collato, hic typis mandamus, et varias alicujus momenti lectiones ad marginem annotamus.*

ACTA

Auctore Mauro episcopo Quinqueecclesiensi. E

Ex Ms. Corsendoncano Canonicorum Regularium, quod cum Legenda Cracoviensi anni 1511, et editione Gononi, Mabillonii, aliorumque collatum est.

S. Zoerardus accepto monastico habitu in Hungaria, dictus Andreas.

Tempore illo, quod sub christianissimi Stephani *a* regis nutu, nomen et religio Deitatis in Pannonia *b* rudis adhuc pullulabat, audita fama boni rectoris, multi ex terris aliis canonici et monachi ad ipsum, quasi ad patrem confluebant, non quidem alicujus causa necessitatis coacti, sed ut novum sanctæ conversationis gaudium ex eorum conventu adimpleretur. Inter quos quidam, sancti Spiritus instinctu tactus, ex F rusticitate, quasi rosa ex spinis ortus, nomine Zoerardus, hanc in patriam de terra Poloniensium * advenit, et a Philippo abbate, cujus monasterium, Zobor *c* nominatum, in Nitriensi *d* territorio ad honorem S. Hippolyti *e* martyris situm erat, habitu accepto, et Andreas nominatus, eremiticam vitam agere statuit : ibique * quanta contritione cordis, et corporis maceratione se ipsum affligeret, ex relatione sui discipuli B. Benedicti secum conversantis, quæ audivi, paucis litteris commendare decrevi. Ego quidem Maurus, nunc Deo miserante episcopus, tunc autem puer scholasticus *f*, virum bonum vidi; sed quæ ejus esset conversatio, non visu, sed auditu percepi. Ad nostrum ergo monasterium, ad honorem beati pontificis Martini *g* consecratum, cum jam dictus monachus Benedictus sæpe venisset, mihi hæc, quæ sequuntur, de ejus vita venerabili narravit.

* al. Polonorum

* al. ibi vero

in eremum secedit, et corpus suum jejuniis.

2 Postquam idem Beatus * vir Andreas eremi solitudinem subintravit, magna corporis defatigatione, spiritualis autem vitæ corroboratione, jejunium semper observavit : tribus

* al. venerabilis

A tribus diebus ab omni re, quæ mandi potest, abstinuit pro dilectione gratiæ ipsius, qui propter homines homo factus, quadraginta diebus jejunavit. Cum autem Quadragesimale tempus adveniret, exemplo vitæ regularis, sub qua Zozimas * abbas *h* degebat, ubi quadraginta quinque dactylis quisque Quadragesimam deduxit, ipse a patre Philippo, a quo habitum * perceperat, quadraginta nuces accepit, et eo existens victu contentus, diem sanctæ Resurrectionis cum gaudio exspectavit. Iisdem vero et aliis diebus, licet esus ad corpus refocillandum non solum non sufficeret, verum etiam spiritum ipsum ad defectum perduceret, ipse tamen, excepto tempore orationis, numquam a labore cessavit : sed, accepta securi, quemdam laboraturus silvæ locum solitarium subintravit; ubi cum præ nimio labore et jejunii districtione, corpore et spiritu deficiente, quadam die præmortuus jaceret, quidam juvenis pulcherrimus adspectu et visionis angelicæ advenit, et superpositum vehiculo ad cellam suam adduxit. At exstasi, in qua B erat, delapsa *, postquam ad se reversus, quid erga eum Dei misericordia ageret, agnovisset, supradicto discipulo suo Benedicto, qui mihi hæc narravit, professus est eadem, constringens eum cum juramento, ne ante diem obitus sui nota * cuiquam faceret.

* al. Zozimus
h
* al. habitum religionis
* al. decedente
* al. notum

mireque cruciatibus affligit

3 Post laborem autem diurnum, corpori quietem nocturnam talem adhibuit, quæ magis tormenti et afflictionis, quam requiei nomen habere potuit : planatum equidem truncum et quercinum sepe circumdedit, et per ipsam sepem arundines acutas ex omni parte infixit; ipse vero in trunco sedens tali sessorio artuum usus est reiteratione, ut si forte corpus sopore gravatum se in partem flecteret, arundinum acie sauciatum graviter evigilaret. Insuper et ex ligno coronam factam capiti suo circumponebat, ad quam quatuor in partibus quatuor lapides suspendebat, ut si caput sopitum quocumque inclinaret, lapide percuteretur. O beati viri Andreæ merces, quam beatæ et æternæ vitæ corona centies ornata, quæ in cælo recompensat, quod in terra graviter emptum fuerat! o inauditum genus C confessionis, quod pretiosius facit regnum promissionis! Non cibus, non requies auferre potuit dulcedine vana vitam æternitatis; et nequam spiritus aditum invenire nequivit deceptionis.

B. Benedictus ejus discipulus a latronibus jugulatur

4 Hæc, quæ inserta sunt, discipulo suo jam dicto Benedicto referente cognovi; qui et ipse, Patre suo defuncto, locum eumdem desertum inhabitare decrevit. Cum per tres annos exemplo Magistri districte vitam ageret, latrones supervenientes, et multam apud ipsum pecuniam esse sperantes, ductum ad ripam fluminis Wag *i* jugulaverunt, et in ipsam aquam demerserunt. Diu vero corpore ipsius quæsito et non invento, per integrum annum visa est aquila in ripa fluminis Wag, quasi quædam observatura, sedere, per quam de corpore certi effecti, quemdam in aquas intromergi fecerunt, et sic integrum, quasi nuper obiisset, invenerunt. Positus autem est ibidem Benedictus in basilica beati Emmerammi *k* martyris, in eadem sepultura, qua pausabant ossa sancti patris Andreæ venerabilis, qui mihi de eodem beato Eremita omnia, quæ scripsi jam, retulit : sed quæ sequuntur, Philippus abbas mihi abbati constituto enarrare consuevit.

k

Ex Mss.

5 Cum igitur tempus resolutionis sui corporis immineret, indicans eis hoc, qui aderant, ne ab ullo vestimentorum suorum exueretur operimento, præcepit, donec abbas Philippus, post quem miserat accersitum, adveniret : qui pater adveniens, ubi corpus venerabile jam mortui jacebat, lavandum exuit, catenam æream viscera jam attingentem invenit. O mira res et inaudita! Catena carnes intus putrefaciens cute foris est obducta. Sed nesciri posset hoc genus martyrii, nisi ad umbilicum ligati nodus appareret metalli. Soluta vero catena dum ex corpore trahitur, sonus costarum elisarum graviter auditur. Cujus catenæ partem mediam ab abbate eodem impetratam, et usque nunc custoditam, petitioni Ducis christianissimi Geisæ *l*, cum desiderio mihi pro ea instanti, negare nequivi. Sepulto quoque Viri beati corpore, quæ per revelationem abbatis Philippi cognita, digna videbantur esse memoria, notavi.

S. Andrea mortuo, apparet dura illius vivendi ratio.

l

6 Tempore quodam latrones, quorum collegia maxima ex parte solitudinem inhabitant, in silva congressi sunt. Quibus confligentibus, unum eorum multum sauciarant. Conflictu dirempto, cum hunc vulneratum socii nequaquam in silva dimittere voluissent, consilio inito, ad cellam superius dicti viri Andreæ, cujus fama omnes circumquaque attigit, eum deferre statuerunt. Sed cum adhuc locus longe hinc abesset, latro in via defunctus est. Corpore vero ejus ad cellam deportato, et in eadem posito, media jam nocte cum ossa commendare vellent humo, subito spiritu reverso, jam mortuus resurgere cœpit. Illis autem, qui aderant, valde perterritis, et præ pavore fugientibus, resuscitatus ille revocabat eos dicens : Nolite, fratres, formidare, neque fugere : sanctus enim Zoerardus me a morte suscitavit ad vitam. Illis quippe præ gaudio plorantibus, et ut discederet cum eis rogantibus, dixit, se numquam ab ea cella discessurum, sed ibi in perpetuum Deo et sancto Zoerardo serviturum. Fecit itaque quod promisit, et usque ad obitum suum ibi permansit.

E

Ejus intercessione latro mortuus resuscitatur.

F

7 Aliud quoque ejus miraculum nequaquam reticere volui, quod eodem modo, abbate Philippo narrante, cognovi. In civitate Nitria *m* quidam reus damnatus suspensus est; qui post solutus Dei misericordia, ad abbatem venit Philippum, et qualiter per merita beati viri Andreæ liberatus esset, indicavit : dixit enim, quod cum damnatus esset, semper nomen ipsius implorasset; et cum sublevaretur in patibulum, statim manibus suis beatus vir Andreas eum sustentaverit. At illi cum, cum omnes mortuum putantes, domum reverterentur, ipse eum manu sua solutum abire permisit. O qualis meriti Vir ante Deum, qui visibilis apparens, homines solvat, cum invisibilis inter angelorum choros locum possideat!

et alius in patibulo suspensus a morte liberatur.

m

ANNOTATA.

a *Is est S. Stephanus, qui post Geyzæ patris sui abdicationem vel, ut alii volunt, mortem (alterutra*

(alterutra anno 997 contigisse traditur) Hungaros gubernavit, et post piissimum quadraginta annorum regimen ex hac mortali vita ad æternam migravit.

b *Hungaria etiam vocatur Pannonia; quod nomen aliqui toti regioni inditum putant a monte Pannonio, qui postmodum ob S. Martini venerationem celebris evasit, et in quo S. Martini monasterium conditum fuit. Alii alias Pannoniæ etymologias excogitarunt.*

c *Hæc abbatia Zoborensis, quæ non procul ab urbe Nitriensi distabat, postea temporum eventu, desideratis monachis, episcopatui Nitriensi cessit, ut indicat Inchoferus in Annalibus ecclesiasticis regni Hungariæ ad annum Christi* 1010, *pag.* 296.

d *Nitriense territorium situm est in Hungaria inter Trenchiniensem Comitatum ad occasum, Turocensem ad septemtrionem, Bistriciensem ad ortum, et Barsensem ad meridiem.*

e *Tot sunt hujus nominis martyres, ut non facile quis dicturus sit, in cujus S. Hippolyti honorem hoc monasterium constructum fuerit.*

f *Quid per puerum scholasticum intelligi possit, diximus in Commentario prævio.*

B g *Mabillonius in assignando hujus monasterii situ hallucinatus est, ut ostendi in Commentario prævio.*

h *Mabillonius in notis ad hanc Vitam asserit, hunc abbatem Zozimam esse eum, qui Mariam Ægyptiacam in eremo pœnitentem invenit. Sed id non usque adeo certum est : nam in ejus Vita, quam S. Mariæ Ægyptiacæ Actis insertam dedimus tom.* I *Aprilis pag.* 77, *non fit mentio de quadraginta quinque dactylis, quibus monachi Quadragesimam transigere debebant; contra loco citato Vitæ auctor de hujus cœnobii monachis in solitudine Quadragesimam transacturis narrat sequentia :* Unusquisque vero de annona sibi prospiciebat, ut volebat et poterat : et hic quidem ad corporis necessitatem modicum panem, iste ficus, dactylos alius, alter legumena aquis macerata efferebat. *Quare cum is abbas ab Inchofero nostro vocetur* Zozimus, *et varii fuerint hujus nominis monachi, ut videre licet apud Bultellum in Historia monastica Orientis, forte hic Maurus de alio Zozimo vel Zozima intelligendus est.* D

i *Vagus fluvius Hungariæ, vulgo* Wagg *dictus, oritur ex monte Carpatho in confiniis Poloniæ, et præterfluens quædam oppida Hungariæ superioris in Danubium se exonerat.*

k *Fatetur Inchoferus in Annalibus ecclesiasticis Hungariæ ad annum* 1010 *pag.* 295, *se non invenire, a quo constructa sit basilica S. Emmerammi, in qua ambo hi Sancti sepulti sunt. Deinde tamen pagina sequenti suspicatur, eam a Gysela conjuge S. Stephani fundatam esse.*

l *Iste est Geysa, aliis Geycza II, qui hic Dux appellatur; quem titulum diu gessit, antequam anno* 1074, *vel ut alii scribunt* 1077 *regiam* E *Hungariæ coronam obtineret, ut legere est apud Bonfinium Decade* II *Rerum Ungaricarum lib.* III. *Ex hac donatione tamen patet, hæc Acta a Mauro jam sene scripta fuisse.*

m *Nitria episcopalis urbs in Hungaria, et Comitatus homonymi caput, habet castrum in colle ad parvum fluvium, qui etiam Nitria vocatur. Distat decem milliaribus Germanicis Posonio in ortum, totidem vero Strigonio in septemtrionem, et quinque Neoselio versus montes.*

DE B. BENIGNO ABBATE

ORDINIS VALLUMBROSANI IN TUSCIA.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Beati titulus, Benigno passim datus, examinatur.

C

ANNO MCCXXXVI.

Benignus passim vocatur beatus vel sanctus.

Vallis Umbrosa celeberrimum Tusciæ monasterium, de quo fuse egi die XII hujus mensis in Commentario prævio ad Vitam S. Joannis Gualberti, hodie recolit annuam memoriam Benigni *sui quondam abbatis, cui Martyrologia Benedictina constanter* beati *titulum tribuunt. Arnoldus Wionus in Ligno Vitæ part.* II, *lib.* III *ad diem* XVII *Julii sic scribit :* In monasterio Vallis Umbrosæ, depositio beati Benigni abbatis, doctrina et sanctitate admirabilis. *Eadem fere verba habent Dorganius et Menardus. Bucelinus autem in suo Menologio Benedictino jam citatis Wioni verbis hæc attexuit :* Fuit is Florentinus patria, Ordinis illius et congregationis nostræ sanctissimæ Generalis decimus quintus, cujus sanctitatem insigni miraculorum gloria discipulis et omnibus fidelibus. Numen declaravit. Excelluit præter summam perfectionem eruditione minime vulgari, relicto alia inter præclari ingenii monumenta tractatu insigni de claustro animæ et corporis. Translatus est ad Superum sedes anno Christi MCCXXXVI. *Eudoxius Locatellus in Vita S. Joannis Gualberti Italice scripta lib.* II, *cap.* XXVII *eumdem mortis annum signat, additque,* B. Benignum F *sepultum fuisse apud alios Vallumbrosani cœnobii Beatos. Alii scriptores Vallumbrosani ipsum etiam* beati *titulo ornant, ut in decursu videbimus.*

qui titulus asseritur ex testibus Mss.

2 *Joannes Aurelius Casarus diligentissimus ac sincerissimus Sanctorum Vallumbrosanorum indagator, jam sæpe alibi a nobis laudatus, in epistola ad Papebrochium nostrum data optime probat,* Benignum *non immerito ab his auctoribus* beatum *appellari, cum ab immemorabili tempore* beati, *imo et* sancti *nomen ipsi datum fuerit : nam imprimis testatur, se vidisse ac legisse præfixam quibusdam hujus* Benigni *Constitutionibus anno* 1310 *transcriptis hanc epigraphen :* Item capitulum sancti Benigni. *Præterea ait, reperiri quamdam tabellam antiquissimam, in qua notantur reliquiæ, quæ habentur in ecclesia sacræ eremi Cellarum Vallis Umbrosæ, in cujus medio leguntur sequentia :* Hæc ecclesia reædificata fuit a sancto Benigno XV Generale. *Denique asserit, se habere catalogum abbatum Generalium Vallis Umbrosæ exaratum propria manu alterius Benigni eremitæ Cellarum, qui floruit anno* 1374, *in quo nemo* sancti *vel* beati *nomine decoratur, nisi* sanctus

A ctus Joannes, sanctus Bernardus, sanctus Atto, sanctus Benignus. *His adde quod in veteribus Actis ex bibliotheca Medicea descriptis ubique* sanctus *nominetur.*

[illegible] reli- [illegible] con- [illegible]ratione.

3 *Neque parum hunc* beati *vel* sancti *titulum confirmat religiosa reliquiarum ejus veneratio, de qua laudatus Casarus in prædicta epistola sic scribit :* Dum hujus sacri archisterii Vallis Umbrosæ sacristiæ præfectus, quamvis indignus, existerem, non solum totam sacram supellectilem perquam curiose inspicere curavi, sed et Sanctorum reliquias, quæ in hoc sacrario summo honore conduntur (fusis prius precibus, et luminaribus accensis, ne temerario ausu viderer tangere Christos Domini) solus introspicere volui. Vidi omnia, sed inter reliqua vasculum vitreum Sanctorum cineribus plenum, in eoque cartulam pecudineam, in qua involuti erant perpauci pili coloris rufi, et inscriptio intus : DE PILIS DE BARBA DE BEATO BENIGNO. Pristino loco intacta omnia reliqui, et gratiis Deo et Cælitibus peractis, discessi. *Eudoxius Locatellus in Vita S. Joannis Gualberti lib.* II, *cap.* XXVII *de* B *aliis ejusdem Beati reliquiis hæc narrat :* Cum involverentur sacra ossa quibusdam linteis, ut dignius conservarentur, inventa fuit lingua istius beati Benigni integra sine ulla corruptione, quæ reposita fuit in sacrario ejusdem monasterii inter alias sacras reliquias.

[illegible] pictura, qua ve-[illegible]am B. Benigni [illegible] repræ-[illegible].

4 *Non parum etiam ad hunc sanctitatis titulum confirmandum facit antiqua pictura, in qua supra caput* Benigni *splendens circulus pingitur eo modo, quo Sanctorum imagines solent exprimi. Ex hoc autem signo colligit Casarus, eum jam ab anno* 1300 *cultum habuisse. Effigiem illam a D. Merlino Florentino sculptore et pictore delineatam, et a Joanne Aurelio Casaro ad nos transmissam in æs incidi curavi, et hic spectandam exhibeo.*

C



[illegible] ex [illegible] et barba.

5 *Casarus in eadem epistola jam superius memorata narrat, quomodo hanc picturam invenerit, et rationibus satis probabilibus evincere conatur, eam esse veram* S. Benigni *effigiem. Ipsum audiamus :* Dum essem, *inquit,* post altare majus in loco, quem nos Etrusco nomine dicimus il coretto, forte oculos elevavi in antiquissimam iconem, Dominicam resurrectionem exprimentem, quæ olim ipsum altare majus constituebat, nunc tota est temporum injuria corrosa et dilacerata ; cujus in coronide inferiori duas ab utraque parte ejusdem antiquitatis imagines consideravi, quæ vix agnoscebantur. Aquam accepi piæ curiositatis gratia, eam, quæ in parte aspicientis sinistra est, lavi et vidi, et statim hæc protuli verba : Hæc est imago beati Benigni, barbam habet rufam, ejusmodi coloris sunt pili in sacristia existentes, et barbam et coronam monachalem defert, sicut ipse in suis constitutionibus deferendam indicit. *Paulo post subdit constitutionis verba, quibus* B. Benignus *ex mente Capituli Generalis, anno Domini* 1231 *celebrati, de corona et barba monachali hæc statuit :* Præcipimus insuper, ut abbates et monachi coronas habeant spatiosas, et quia quorumdam capita sunt majora, quorumdam similiter sunt minora, mandamus, ut secundum modum capitum sit quantitas seu spatium coronarum ; ita tamen quod tonsura capitum tangat aurium summitates, et inferius ne descendat. Conversi autem in rotundum similiter sint attonsi, et barbas Franciscas deferant universi. *Per barbas* Franciscas *puto hic* E *intelligi Francicas, quas nempe Franci tunc temporis eo modo alebant.*

Auctori C. C.

ac vestium colore probare nititur.

6 *Præterea Casarus, sicut antea ex rufa barba, sic ex cinericea veste opinionem suam confirmare nititur. Verum cum hi colores non possint distingui in hac lamina, quemadmodum in ipsa pictura ad vivum exprimuntur, audiendus est ipse de effigie a se inventa sic disserens :* Color vestium supradictæ imaginis S. Benigni est grysius, conformis constitutionibus ejusdem Sancti, editis anno Domini MCCXVI. *Tunc statim subjungit hæc ipsa constitutionis verba :* Verum quia quidam monachi et conversi vestes varias et contra ordinem portant, præcipimus firmiter, ut nullus de Congregatione vestem induatur de beretino et de panno nigro, aut de panno vario colore tincto, aut induat vestem aliter, quam sit ordo, incisam et factam, aut pannum lana linoque contextum, aut portet scapulare album in die ; sed secundum antiquam consuetudinem venerabilis Patris nostri Johannis, pannum de lana mixta factum, scilicet griscium induant monachi et conversi, ut quicumque fuerint de F schola tanti Patris ab aliis facillime dignoscantur. Quod si quis forte hujus nostri decreti exstiterint contemptores, si abbas fuerit, ad satisfaciendum veniat Vallimbrosam ; si vero monachus vel conversus, similiter et ipse veniat Vallimbrosam, ibidem moraturus per annum. *Accedit eo, quod effigies hæc satis ostendat, S. Benignum pulchra fuisse facie, uti Acta testantur, in quorum initio hæc leguntur :* Intuentes siquidem parentes ejus cum aspectu formæ angelicum *etc. Atque hæc dicta sufficiant ad* Benigno *vindicandum* beati *vel* sancti *titulum. Nunc de ejus patria, scriptis et Actis pauca dicamus.*

§ II. Benigni patria, scripta, elogia et Acta.

Ejus patria, scripta.

In *assignanda* S. Benigni *patria occurrit exiguum quoddam inter scriptores discrimen. Locatellus lib.* II, *cap.* XXVII *Vitam ejus Italice sic scribere*

EX EDIT. SIMII.

mana effigie, non hominem. Aliquo tempore Vir Dei cum fratribus omni perfectione degens, ex speciali gratia, ut possit vitam eremiticam agere in eremo non longe a monasterio obtinuit, ubi tanta sanctitate vixit, quod testificantibus antiquis loci monachis, nullus ei similis umquam ibi fuit.

Post alia officia eligitur abbas generalis.

4 At Martinus *d*, in locum Tertii jam defuncti ad generalatum assumptus, considerans domini Benigni non modo sanctitatem, sed in agendis experientiam, consilii maturitatem, animique firmitatem, dotes bene proportionatas ad gubernandum, dulciter de cella extraxit, et visitationem, tam in capitibus quam in membris totius Ordinis, ei plenarie delegavit, et postmodum abbatem sancti Salvii *e* eligi fecit et confirmavit. In quo vivens officio tempore non parvo ipsum cœnobium in spiritualibus et temporalibus dilatavit. Interea bonæ memoriæ abbas Martinus vita præsenti eripitur, et discrepante nemine abbatum Ordinis, ad quos eligere pertinebat, B. Benignus assumitur, qui gravi dolore tactus intrinsecus, devictus tamen deprecatio- B nibus eligentium et omnium monachorum astantium generalis, officium sumpsit, et nulla mutatione sanctæ vitæ facta, idem quod prius in omnibus et per omnia perduravit.

quo munere sponte deposito, in eremo sancte moritur.

5 Processu temporis Vir sanctus intuens se confectum senio, coadunatis abbatibus Ordinis, eorum in manibus officium resignavit. Humilitate intima de officio ipso, si negligenter peregisset, et de omni gravedine, quam alicui præter intentionem intulisset, flexis genibus veniam postulavit, et confestim de digno pastore cum aliis provisione facta, de illius obedientia, ut eremita esset de cetero, postulavit, et ad sacram eremum remeavit, et ex tunc, ut nihil terrenum sibi diceretur a quoquam, omnibus nuntiavit; et quod est affatu mirabile, cum esset centenarius *f*, a jejuniis, abstinentiis, vigiliis, orationibus, assiduo silentio, lecti duritie, et a recitatione quotidiana totius Psalterii numquam se dispensavit. Tandem obitum suum imminere prænoscens, fratres ad cellam sacræ eremi evocavit, eis, ad quid vocaverit, enarravit, sermone dulcissimo ad obser- C vantiam sacræ religionis confirmavit, sacramentis Eucharistiæ et Unctionis extremæ multa cum devotione susceptis, se signo crucis munivit, oculos in cælum erexit, manibus clausis devotione ineffabili se Deo commendavit, donec inter manus fratrum astantium et pio fletu psallentium lætissima facie exspiravit, et sancta ejus anima cælica penetravit.

ANNOTATA.

a *In sequenti Ms. legitur* Montevalchi; *at in mappis geographicis invenio locum dictum* Montevarchi *qui non procul ab Arno fluvio jacet inter Florentiam et Aretium. An autem hic sit idem locus, qui in Actis nostris exprimitur, certius nos docebunt illius regionis incolæ.*

b *Suspicor hunc esse locum vulgo* Figline, *situm ad fluvium Arnum, medio fere itinere inter Florentiam et* Montevarchi, *de quo nota præcedenti.*

c *Is fuit* XIII *abbas generalis, et, testibus Locatello et Simio, post undecim annorum gubernationem ex hac vita migravit* XXVI *Junii anno* 1190.

d *Hic* XIV *Ordinis Vallumbrosani generalis* D *obiit anno Domini* 1206, *uti testantur Locatellus et Simius supra citati.*

e *Hoc monasterium non procul Florentia ædificavit S. Joannes Gualbertus, ut dixi in ejus Vita, ad diem* XII *Julii.*

f *Si anno* 1236 *centenarius aut centenario major obierit, oportet eum ferme quinquagenarium fuisse, quando in Ordinem Vallumbrosanum admissus est ab abbate Tertio, qui circa annum* 1180 *generalem istius congregationis administrationem suscepit, ut supra diximus.*

ACTA AUCTIORA

Ex Ms. Florentino bibliothecæ Mediceæ plut. XX.

B. Benignus clericus effectus pie vivit,

Benignus provincia Tusciæ comitatus Florentini castro Montevalchi * nobili multum prosapia duxit originem. Hic annis completis infantiæ, a progenitoribus litterarum studiis traditur, quibus brevi tempore fœcundatur, præcavens sibi ab ipsis vitiis, quibus E illud hominum genus implicari solet; nec immerito; elegit enim mox sibi, ut aliquid discretivum habuit, Christiferam præcipuam in directricem, gubernatricem, dominam et matronam, ut suis fultus auxiliis, propriis non confisus meritis pergeret vitiorum nequiter * per abrupta. Intuentes siquidem parentes ejus eum aspectu formæ angelicum, morum gravitate compositum, sermone facundum, virtutibus ornatum, mente mundum, clericalis status avidum, quod clericus fieret acceptaverunt, et in castello Fighini * quamdam ecclesiam sibi dari fecerunt. Sumpto igitur sacerdotali diademate, cœpit abstinentia graviore, jejunio, vigiliis, orationibus, asperrimo cilicio strictus, duritie corpus affligere, largis supra posse sibi commissæ sponsæ eleemosynis insistere, non cogitare de crastino instructus euangelicis documentis.

* *al.* Montevarchi

* *leqe* graviter

* *al.* Figlini

sed dæmonis invidia in luxuriæ desiderium inductus,

2 Cujus sanctitati humani generis invidens inimicus quamdam juvenculam in eum movit. Opportunitate captata sibi suum desiderium exprimit, secundo et tertio replicare F non desinit, et in tantum eum commovit, quod statuta die suis assentiri sceleribus non negavit; tametsi Deifera, cui se obtulerat, impedire facinus ejus, antequam progrederetur in actum, nullatenus prætermisit: nam ad se confusus rediit amarissime flens, Matrem gratiæ sponsam suam pro misericordia petit, Romam fugit, Quadragesimam ibi fecit; confessus pro magno scelere pœnitentiario istud facinus fuit, et ex tunc repatrians, mundum relinquere ac in Vallumbrosanum monasterium, sanctitate famosum, ingredi omni affectione mora deposita procuravit. Quem venerabilis pater abbas, vocatus Tertius, post multa ipsius percepta precamina et gravia per illum ad hoc facta itinera, gratiose recepit, habitum sibi novitiorum dedit, et ejus benignitate inspecta, quod esset de cetero ipsius nomen Benignus conventui publicavit.

mox, acta pœnitentia, Vallumbrosanum institutum amplectitur.

3 Habitu sanctæ religionis recepto, Vir Dei ut litteratus bonus regulam, sub qua militare Deo volebat, cœpit inspicere, etsi grave jugum paupertatis, gravius castitatis, gravissimum

A mum abnegatio propriæ voluntatis in ea conspiceretur, in quam, ut dictum est, spem suam posuerat, plenius confidens se supra sese erexit et statuto tempore, prout ibi est moris, propositum profiteri [et] secundum S. P. Benedicti regulam vivere non neglexit Perfectionis monasticæ baptismate baptizatus Vir sanctus cœpit omni humilitate vestimentorum tam inferiorum quam superiorum vilitate, abstinentia, vigiliis, patientia, orationis largitate, paupertate, mentis puritate prævia, summa caritate sic proficere, quod angelum se putabant humana effigie recepisse non hominem, ut eos renovaret perfectionis tramite pro supernis. Aliquo tempore Vir Dei cum fratribus omni perfectione degens ex speciali gratia ut posset vitam eremiticam in eremo monasterii [ducere] obtinuit ; [in] qua tanta perfectione vixit, quod, testificantibus antiquis loci monachis, ibi nullus ei similis umquam fuit.

et ob virtutem ... S. Sal-

4 Domnus Tertius abbas viam universæ carnis ingreditur et domnus Martinus omni sanctitate ornatus ad ipsum officium sumitur, B et de bono in melius ipsum sanctum monasterium renovatur. Hic autem considerans prælibati domni Benigni sanctitatem, in agendis probitatem, consilii maturitatem, animi firmitatem, ad religionis observantiam virilitatem, ipsum renitentem dulciter de cella extraxit et visitationem tam in capitibus quam in membris totius ordinis sibi plenarie delegavit et, ne tanti hominis suus ordo privaretur solatio, in abbatem S. Salvii eligi fecit et modis omnibus pie nolentem gaudio permaximo confirmavit : [in] quo vivens officio tempore non parvo ipsum cœnobium miro modo in spiritualibus et temporalibus dilatavit et insuper vitam, quam tenebat in eremo, conservavit : Erat siquidem Viro sancto consuetudinis semper [cum] solennitatibus diebus sabbati [in] honore Christiferæ celebrare : aliis diebus, si non celebraret, integraliter celebranti assistere, et sic devote, acsi videret, præsente gloriosa Dei Genitrice semperque Virgine Maria, Christum Judæorum manibus, ut egerunt nequiter, attrectari, C oculis monstrantibus inundatione lacrymarum mirabili genas et pectus inæstimabiliter balneare *a*. Qua completa et etiam quoties a secreta oratione surgebat, tanta faciei claritate per longum spatium apparebat, quod eum conspicientes judicabant eo fuisse tempore coram Jesu et cæli civibus jam coronatum in supernis.

cedendo factus ... generalis,

5 Interea bonæ memoriæ abbas Martinus vita præsenti eripitur ; discrepante nemine abbatum Ordinis, ad quos eligere pertinet, domnus Benignus jam dictus assumitur, qui gravi dolore tactus intrinsecus, devictus precatibus eligentium et omnium monachorum adstantium, officium sumpsit, et nulla mutatione sanctæ vitæ facta, idem quod prius in omnibus et per omnia perduravit. Volante Sancti fama, Marianus *b* Rex Sardiniæ ob devotionem, quam ad ipsum habuit, audiens quod in sancta ibi eremo nullum oratorium esset, sibi pecuniam multam ad hoc fiendum misit, et honore B. Joannis Baptistæ *c* sui devoti ecclesiam concito fabricari instituit ; quod processu temporis episcopus * Purgensis *d*, Andreas nomine, devotione maxima Sanctum visitans, ad ipsius instantiam, S. Joannis sub titulo consecravit.

EX MS.

varia ordini beneficia confert ;

6 Cum D. Ugolinus episcopus Ostiensis, tunc in Tuscia Apostolicæ sedis Legatus, qui successit [in] Apostolatu Honorio, dictus Gregorius IX *e*, eum devotione avida visitasset et in suo cœnobio vile oratorium inspexisset, ei quod non bene competeret exposuit, opem spopondit. Fides tanti viri spem dedit, et ex tunc aliud facere cogitavit. Recedente legato, abbates Ordinis evocavit, factum proposuit, et quomodo fieret penitus procuravit. Spem suam, ceteris deficientibus in pollicitis, in Christiferam in hoc, ut in aliis, totam ponens opus incepit et, ut compleret, quæ suo inceperat honori, multis et crebris orationibus eam deprecari non desinit. Quo in tempore venerabilis domnus Raymundus Castrensis *f* in Sardinia episcopus, prædicti cœnobii monachus et Domnus Joannes *g* tunc Florentinæ ecclesiæ pastor, illuc perrexerunt et sanctitate ipsius commoti sumptibus suorum redditunm ad completionem prædictum ædificium perduxerunt. Eodem tempore summus Pontifex Gregorius IX propter devotionem quam habuit ad eum quando erat episcopus Ostiensis, * donavit ei monasterium S. Donati de Tuderto ; et doctor sacræ paginæ Ardingus *h* episcopus Florentinus monasterium S. Pancratii civitatis Florentiæ : quæ omnia recepit et quodlibet collegium sub abbate constituit et omni sanctitate nutrire feliciter procuravit. E

senioque gravis se munere illo abdicat.

7 Cœpit Vir Dei clarere miraculis : nam cum in segetes totius anni ad victum coadunatas quidam perditionis filius ignem immisisset et extingui nullo humano præsidio potuisset, illuc Vir sanctus accessit, orationi se dedit versus ignem, ea præmissa, cuculli partem accepit et velut ipsum vellet accendere, ventum fecit ; et mox ignis, consumptis paleis, extinctus in minimo grano frumenti nullam nigredinem dereliquit. Quodam die dum ad visitandum quemdam monachum suum iret de equo casu cecidit, perpetuo claudicavit, et ex hoc baculo pergens nil fiendum super ipsum Ordinem prætermisit. Processu temporis Vir sanctus se confectum intuens senio F coadunatis abbatibus sui Ordinis, eorum manibus lacrymoso clamore dire flentium officio resignavit, humilitate infima de officio peracto negligenter et de omni gravedine, quam intulisset alicui sui ordinis præter suam intentionem, veniam flexis genibus postulavit, et confestim de digno pastore cum aliis provisione facta de sui obedientia, ut eremita esset, de cetero postulavit, et ad sanctam eremum evolavit, et ex tunc, ut nihil terrenum sibi diceretur a quoquam, omnibus nuntiavit ; et quod est effatu mirabile, cum esset centenarius, in jejunio, abstinentia, vigiliis, oratione, silentio, lecti duritie ac omni die totum psalterium dicere secum, quoad vixit, nullo casu positus dispensavit.

Postea mult... prolis.

8 Quidam puer de S. Hilario claudus utroque pede ex matris utero ad ipsum deductus fuit : super ipsius pedes signo crucis facto incolumis suis pedibus repatriavit. Quidam puer de Querrata mutus ab utero ad eum deductus, continuo facto signo crucis super eo, optime curatus laudans Deum magnis vocibus ad domum redire curavit. Quædam mulier cæca duobus annis in castro Pe-

laj :

EX MSS. lagi persistens deduci ad Virum Dei se fecit; cujus benedictione recepta, omni sanitate percepta, ad propria remeavit. Quædam Bonaventura, podagra XVIII annis crudeliter fatigata, ad ejus præsentiam portari se fecit, et confestim, ejus benedictione recepta, suis pedibus perfecte sana discessit. Mulier quædam de castro S. Miniatis cum duobus annis linguæ officio privata existeret, ad matris suæ instantiam mente concepit, se facto filio (quia vicina erat partui) eum visitaturam, si liberari eam contingeret, et confestim sanitatem secundum suum votum recepit, et facto filio, quod devoverat, adimplevit.

qui diversis morbis laborabant, 9 Cum juvenis quidam ejusdem castri cæcus natus fuisset et gratiam, quam prædictæ dominæ Sanctus contulerat, agnovisset, ad Vallumbrosam secum perrexit et benedictione a Sancto recepta luminis beneficio perfecte susceptо, incolumis ad propria remeavit. Quidam juvenis civitatis Florentiæ cum quinque annis cæcus fuisset, ad eum reverenter accessit et, sua benedictione recepta, sanissimus redire Florentiam non tardavit. Quidam nomine Benincasa B gravi apostemate prægravatus, nullum cibum retinere valens, ad ipsum deductus, ejus benedictione suscepta cum non liberaretur, ad se rediit, confessus ei sua scelera fuit, a quo absolutus, confestim Deum laudans sanissimus suis pedibus domum rediens valedixit. Quidam mutus a nativitate, et quidam monoculus de Pancano diversis temporibus accesserunt et, signo crucis facto super eis, statim ad propria sani et hilares redierunt.

vel infirmitatibus vexabantur, 10 Cum quædam monocula civitatis Florentinæ ad ipsum ivisset, et non curata redisset, et a quadam sua convicina, quod posse non haberet, hoc sibi evenisse audiret, et ipsa suis peccatis accidisse assereret, coram accedentibus ad rumorem talis contentionis continuo sanata fuit. Quædam tota gula plena gavinis *i* turpiter, ad eum perrexit, et confestim liberata secessit. Duo, unus Lucanus cæcus, et alter Florentinus totus in brachio plenus fistulis, ad eum accesserunt, et concito sani ad propria redierunt. Quidam habens manum omnino siccam ad eum perrexit, et mox sanatus recessit. Duo pueri forte XII annorum C dæmoniaci ad eum deducti fuerunt, qui, eo inspecto, clamare valide inceperunt: O Benigne abbatelle, cur nos exire compellis? qui cito orationi se dedit, et facto super eis signo crucis, ipsos de ipsorum corporibus numquam redituros penitus effugavit.

sanitatem pro depoſeres titut, 11 Cum quidam uxorem suam dæmoniacam labore maximo ducere vellet, appropinquantibus monasterio per spatium unius milliaris, dæmon clamare cœpit: Me ad fratrem Malignum, ut creditis, non ducetis; et his dictis exivit: illa liberata ipsum adiit et sua benedictione curata perpetuo a tali læsione permansit. Cum quædam diu sterilis ad Virum Dei cum suo viro, ut sibi filium impetraret, accederet, eorum preces audivit, orationi se dedit. Intra annum filium habuit, quem ad Dei servitium totum enutrivit. Cum quidam gravi detentus infirmitate anno integro in lecto fuisset, et uxor sua paralytica sibi servire non posset, ad Virum Dei se portari fecerunt, D et confestim incolumes Florentiam, unde erant, gaudiosissime suis pedibus redierunt. Quidam Senenses, transitum fluvii Arni nescientes, tracti ab aquis necabantur: ad se revertentes B. Benignum, quem non visu sed fama noverant, pie advocare cœperunt, et mora omni deposita, ex alio latere fluminis, ut optabant, incolumes positi fuerunt.

12 Vir sanctus obitum suum imminere præ- *ac tandem pie moritur.* noscens, fratres ad Cellam sacræ eremi evocavit; eis ad quod vocaverat enarravit; sermone dulcissimo ad observantiam religionis sanctæ ipsos confortavit, et pacis osculum sibi dari a singulis facie humillima postulavit. Sacramentis Eucharistiæ et Unctionis extremæ multa devotione susceptis, se signo crucis munivit, oculos in cælum manibus clausis erexit, devotione ineffabili se Deo recommendans facie lætissima, inter manus fratrum adstantium pio fletu psallentium, illa sancta anima transivit ex hoc mundo ad Patrem.

ANNOTATA. E

a *Est metaphora hyperbolica pro* humectare.

b *De hoc Mariano, ni fallor, agit Raynaldus in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 1220 *num.* 25, *ubi ipsi tribuit nomen* reguli Turritani *in Sardinia. Dein anno* 1237 *num.* 17 *profert diploma, in quo agnoscitur dominium Ecclesiæ Romanæ in Sardiniam, atque in ejus fine sic scribitur :* Actum in palatio regis Turritani etc.

c *Notat Papebrochius; in codice a se descripto hic supra, alia manu additum esse* et S. Andreæ; *uti etiam et hæc verba mox sequentia,* S. Joannis sub titulo consecravit.

d *Haud dubie is est Andreas episcopus Pragensis, qui ad defendendam libertatem ecclesiasticam e Bohemia in Italiam fugerat, uti diximus in Vita B. Ceslai Odrovansii die* XV *Julii.*

e *Gregorius IX, ut communiter tradunt chronologi ecclesiastici, Honorio successit anno* 1227 *et mortuus est* 1241.

f *Non novi nisi duos Castrenses episcopatus in Italia; unum in regione Hydruntina, alterum in* F *Etruria, ut videri potest in Italia sacra apud Ughellum. Forte hujus Legendæ auctor indicare voluit, Raymundum patria Castrensem esse, et in Sardinia fuisse episcopum.*

g *Joannes ille Florentinam cathedram adiit circa annum* 1205, *eamque tenuit usque ad annum* 1230.

h *Is Ardinghus in sede Florentina successit anno* 1230 *Joanni jam memorato. Sed donatio monasterii S. Pancratii, quæ hic refertur, apud Locatellum et Simium facta dicitur Generali Valentino,* B. Benigni *successori, et quidem* 1 *Decembris anno* 1239 *Forte hæc ab aliquo confusa sunt; quod hic discutiendum relinquo monachis Vallumbrosanis, curiosis rerum suarum indagatoribus.*

i *Puto per* gavinas *hic intelligi tumores similes tonsillis, seu, ut vulgo dicimus, glandibus gutturis, quas Itali vernacule vocant* gavine, *quamvis eadem voce etiam partem corporis sub axillis exprimant.*

DECIMA

A D

DECIMA OCTAVA DIES JULII.

SANCTI QUI XV KAL. AUGUSTI COLUNTUR.

Symphorosa et septem filii, S. Crescens, S. Julianus, S. Nemesius, S. Primitivus, S. Justinus, S. Stacteus, S. Eugenius.	Martyres Tibure in Latio.
S. Guddene martyr Carthagine.	
S. Secunda, S. Donata, S. Bassus, S. Maximus, S. Paulus, Item S. Marinus, S. Justus.	Martyres Dorostori in Mysia.
S. Aquilinus, S. Speratus, S. Civinus, S. Felix, S. Crestinus, S. Lutatus, S. Nazarius, S. Vetusa, S. Generosa, S. Januarius, Item S. Januarius, S. Titianus, S. Nessa.	Martyres in Africa.
S. Falteus vel Falveus episcopus, et forte S. Jucundus	Martyres.

S. Maternus episcopus, Mediolani in Insubria.

S. Æmilianus martyr, Dorostori in Mysia.

S. Marina V. M., in Gallæcia Hispaniæ.

S. Rofilus seu Ruphillus episcopus, Foro Livii in Italia.

S. Philastrius episcopus, Brixiæ in Italia.

S. Elius seu Ælius conf. Justinopoli in Istria.

S. Arnulphus martyr, in Silva Aquilina, Parisios inter et Carnutum in Gallia.

S. Scariberga, S. Arnulphi uxor et virgo, ibidem.

S. Gonerius presb. anachoreta, in Britannia Armorica.

S. Thenna seu Thenew matrona, in Scotia.

S. Arnulphus episcopus, Metis in Belgica I.

S. Arnoldus confessor, in pago Arnswiler, ditionis Juliacensis, in Germania.

S. Fredericus episcopus martyr, Ultrajecti in Belgio.

S. Bruno episcopus, Signiæ in Latio.

B. Robertus Salentinus, S. Petri Cælestini discipulus, prope Sulmonem in Aprutio.

B. Simon de Lipnica, Ordinis Minorum, Cracoviæ in Polonia.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

S. Martini et septuaginta militum sociorum martyrum *meminit hoc die Galesinius, eumque secutus est Ferrarius, Surium citantes, qui incerto die, hoc mense coronatos, tandem huic diei, nescio qua auctoritate, affixit. Verum de iis jam pridem actum est, et porro agetur in Supplemento ad* XXI Februarii.

S. Veterini episcopi *notat hoc die, inter omnes quos noverim, Martyrologos, solus Maurolycus; neque nomen ipsum mihi aliunde notum erat, præterquam ex codice Usuardino Reginæ Sueciæ signato num.* 130, *ubi simplicius et verius legitur;*

A *tur ;* Ipso die, S. Veterini confessoris ; *sed unde de Sancti patria, ætate, aut cultus loco non magis edocebar. Clariorem paulo notitiam debeo Cl. Castellano in Martyrologio universali primum, sed longe distinctius in Bimestri primo Martyrologii Romani eruditis notis illustrati, utrobique ipsum referente* XXIII *Februarii, recteque observante, Sanctum istum Majoribus nostris plane incognitum fuisse. Relatus fortasse hoc die fuerit, ob factam reliquiarum translationem ex cœnobio Trenorchiensi (Tournus) ad Corbiniacense in pago Nivernensi, ut ex laudato Castellano pluribus explicabitur in Operis nostri Supplemento ad dictum diem* XIII Februarii.

S. Matthiæ Apostoli translatio, *Treverim facta, hoc die describitur in Florario nostro Ms. Vide quæ de ipso dicta sunt* XXIV Februarii.

S. Thomæ Aquinatis canonizatio *notatur a Balinghem, videantur ejus Acta ad* VII Martii.

S. Benedicti octava *legitur in nonnullis auctariis Usuardinis, quæ de ejus translatione intelligenda est, ut vide superius ad diem* XI *hujus mensis. Hoc indicasse satis sit, de S. Benedicto actum ad diem ejus natalem* XXI Martii.

B Eleutherii episcopi, Pontiani Papæ, Innocentii confessoris translationem *Trotam in Apulia factam reperit Henschenius, at recte notavit, rem illam examinatam esse ad diem quo S. Eleutherius colitur* XVIII Aprilis.

Sanctus pater Stephanus patriarcha CPolitanus ex Amasæa translatus *refertur in Menæis vel Synaxariis Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ ; de quo et alia Synaxaria meminisse, monuimus jam pridem ad diem* XVII *Maii, pag.* 37, *num.* 5 *; quo de ipso actum occasione alterius ei synonymi ac patriarchæ item CPolitani. Superest itaque ut adeat lector eumdem diem* XVII Maii.

S. Anastasonem feminam conjugatam *appellat hoc die Castellanus, nescio unde acceptam ; eam collocans* in insula S. Mauræ in Epiro : *omnia loquuntur ipsissimam Sanctam de qua paucis egimus ad diem* XVIII Maii.

S. Theodosiæ monialis ac martyris CPolitanæ sub Leone Iconomacho *martyrium hodie refertur cum elogio in Sgnaxario Basiliano ; cujus itidem elogium contexit Otto Frisingensis in Chronico lib.* V, *cap.* XVIII. *Heri in Prætermissis hanc prorsus* C *eamdem esse diximus cum* S. Theodota, *isto die in Romano Martyrologio signata, remittentes ad diem, quo de* S. Theodosia *actum est* XXIX Maii.

S. Adiliæ virginis *apud* Orpe *translationem notat Florarium Ms., quæ quo tempore et a quo facta sit, nusquam traditur. Vide pauca quæ de Sancta ista dici potuerunt* XXX Junii.

S. Pambo *hodie notatur in Supplemento nostro Ms. ad Menæa Græca excusa ex Synaxario Sirmondi ac Ms. Chiffletii. In Ephemeridibus Græco-Moscis vocatur* Nitriensis, *uti et a Castellano iñ Additionibus sui Martyrologii universalis ; qui adjungit ipsi titulum* celebris solitarii. *Cum itaque non videatur hic intelligi posse alius Pambo, quam abbas et confessor Nitriensis. e Vitis Patrum notissimus ; lectorem remittimus ad diem, quo datur* I Julii.

SS. Flavianum et Eliam, *illum Patriarcham Antiochenum, istius nominis secundum, hunc Hierosolymitanum huic diei tamquam natali innectit Castellanus in Martyrologio universali, nos cum Romano de iis egimus* IV Julii.

SS. Virginum aliarumque mulierum martyrum, quæ sub Hunnerico rege Ariano, D cæde, inedia, aliisque tormentis cruciatæ, simul cum S. Eugenio Carthaginensi episcopo martyrii gloriam adeptæ sunt *natalem huc referre placuit Arturo in suo Gynæceo : at de his aliud dici non potest, præter ea quæ habentur in Actis S. Eugenii illustratis* XII Julii.

Ansuerus *martyr Raceburgensis cum sociis refertur hoc die a Greveno ; et alibi seorsim duo ex sociis* SS. Folquinus *et* Joannes ; *ast horum et sancti ductoris gesta superius illustrata sunt, ad diem quo ab aliis signatus est S. Ansuerus* XV Julii.

S. Hyacinthum martyrem *Amastridensem signavit hodie Molanus, haud dubie ex Horologio Græcorum ; nos cum aliis de eo egimus die præcedenti* XVII Julii.

Pancratii diaconi et martyris, Calari in Sardinia *memoriam primo refert, inter Martyrologos omnes, solus Ferrarius in Catalogo generali, citans nescio quod Kalendarium ecclesiæ Calaritanæ : aitque traditionem ibi esse, quod fuerit* unus ex D. Petri discipulis, patria Calaritanus. *Kalendarium istud recentius esse oportet,* E *absque antiquiori teste non tam facile allegandum. Quantum operæ posuerint Bonfant et Squirrus in eruendis popularibus Sanctis, videre est in appendice ad Commentarium de S. Lucifero die* XX *Maii, ubi res illa ita exposita est, ut sola Ferrarii auctoritate Sanctum Calaritanum admittere, tutum omnino non putemus. S. Petri discipulatus accipi potuerit a S. Pancratio Tauromeniensi in Sicilia, de quo ad diem* III *Aprilis ; reliquiæ fortasse à synonymo Romano* XII *Maii : probent Calaritani sufficientem ab utroque distinctionem, cum soli isti duo in Fastis hactenus noti sint.*

S. Severinum *aliquem hoc die profert codex Victorinus inter Auctaria Usuardina, sed de quo pro hoc die nullum aliud Martyrologium meminerit ; nec satis conjici potest, quem inter plures sanctos* Severinos confessores *proprie designet.*

Pontini, Filantii, Helianæ virginis, Mariæ virginis *lego in Auctariis Bedæ,* in Ponto Amantiæ civitate ; *at facile patet hæc alicunde transposita esse, quæ alibi locum suum inve-* F *nient.*

Eugenii PP. II et martyris *primo loco memoriam hoc die agit Grevenus, ut* qui a laicis Romanis excæcatus et occisus, sepultus est apud sanctum Petrum. *Hunc secutus est Canisius, elogium ejus ex Anastasio non nihil amplificans, ex quo doceri poterat, de excæcatione aut martyrio nihil prorsus subesse, ut plane non capiam, unde Grevenus hujusmodi annuntiationem accersiverit. Nota sunt Eugenii Papæ II gesta parcius ab Anastasio et aliis, paulo fusius a Francisco Pagio deducta, ex quibus hallucinatum Grevenum plane manifestum, neque aliunde de cultu sacro illi umquam exhibitio, vel leve vestigium producitur.*

Beatissimi patris multipassibilis Joannis Salvornici, id est clausoris, Petschiurici *nomen insertum reperitur in Menologio Slavo-Russico verbatim e Slavonica lingua in Latinam converso a Barone de Sparwenfeldt anno* 1688, *cum variis codicibus tam Mss., quam vario tempore editis collato ;* qui, *sicut additur,* in magna continentia vixit annis 35 in spelunca S. Antonii ; postea vero sibi ipse fossam effodit,

A fodit, intravit in eam, suisque propriis manibus implevit fossam terra, seseque usque ad humeros sepelivit, et in ea moritur post aliquid temporis. *Sed auctoritas sola unius Menologii prædicti nobis non sufficit, ut illi locum demus in Actis nostris: cum de publico ac legitimo cultu nobis non constet; neque facile videatur constare posse, nulla addita ipsi nota temporis vitæ aut mortis. Quamobrem cum incompertum nobis sit an et quando coli cœperit; deinde an ab unitis cum Ecclesia Romana, an a non unitis cum ea Russis publica veneratione primo honoratus fuerit; denique quo pacto erga eam ipse se gesserit; nihil ipsi ultra concedimus præter simplicem memoriam, quam his damus.*

S. Martyris Anuleni *memoriam notat Kalendarium Ruthenorum, editum apud Posssevinum in Apparatu sacro tomo* II, *a pag.* 364. *Quis, qualis et cujus hic sit, fallor, si vel divinando quis assequatur. Die quidem* XXV *Maii suus apud nos datus est locus inter Martyres Romanos* S. Anolino *Commentariensi; ac de S. Anolino martyre Romano agunt Ferrarius in Cata-* B *logo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, die* XXIV *Maii post Maurolycum et Galesinum, ac Petrum de Natalibus in Catalogo lib.* V, *cap.* XXXVIII; *sed quis ex qualiquali nominis affinitate, nisi levis sit conjectator, hunc Martyrem cum eo, de quo hic quærimus, confundere ausit? Nec plura de ipso in promptu habemus: neque quidquam de ipso invenio in Synaxario Ruthenorum peculiari diœcesis Kioviensis, Latine reddito a Georgio David nostro missionario, Moscuæ residente anno* 1688.

S. Marcellus in grabbato ignito extensus *martyrium consummasse scribitur in Synaxario Ms. chartaceo Chiffletii, additis duobus versibus. Mss. Menæa Mediolanensia bibliothecæ Ambrosianæ signata O, num.* 148, *adjungunt ipsi socios* Dasium *et* Myronem; *atque ex iis, quæ adscripsit Henschenius, colligo, eorum etiam meminisse codicem Taurinensem β, et in Synaxario Sirmondi nomen* Myronis *scribi* Ἰμάρονος. *Duo isti postremi Martyres in dicto Chiffletii Synaxario ponuntur simul, at sejuncti a primo; et hono-* C *rantur duobus versibus; ac gladio interempti dicuntur; ubi et pro* Myron *est* Maron.

Sancti megalomartyris Athanasii in Clysmate maris Rubri martyrium *habemus ex pervetusto, uti adscribitur, codice Petri Seguierii, Cancellarii Franciæ. Res quidem brevis est; at præter prologum, epistolam Maximiani Imperatoris, adde dialogismos varios ac preces, nihil fere continet; narrans præterea, Sanctum dicto Imperatori gratiosissimum fuisse; unanimes sibi ac fratres in fide habuisse SS. Sergium et Bacchum, quibus etiam martyrium suum prænuntiaverit; atque Alexandriam digressum, convenisse S. Petrum martyrem, ejusdem urbis patriarcham; denique hac die* XVIII *Julii, juxta Ægyptios vero mense Epiphi* XXIV *(qui concurrit cum eadem die* XVIII; *cum dies septima mensis Epiphi incidat in Kalendas Julii) in Clysmate ad mare Rubrum, imperante Maximiano, capite truncatum. Martyrium istud jam e Græco versum præloque paratum supprimere visum est: cum nusquam hactenus vel minimum apud Martyrologos ullos aut alibi laudati Athanasii vestigium reperire nobis licuerit, quo de cultu ejus sacro constaret: ad quem probandum neutiquam sufficere putamus solam Græculi anonymi* D *cujusdam auctoritatem, aliis omnibus de eodem tacentibus monumentis, quantum scimus: quod mireris contingere in megalomartyre, uti vocatur. Si alicunde sufficiens notitia subministrata fuerit, poterunt forte ejus Acta dari in Supplemento generali. Interim an huc pertineat synonymus sequens, incertum est.*

Athanasii memoria *inscribitur Martyrologio Arabico-Ægyptio a Gratia Simonio Maronita verso. Varii id nominis Sancti occurrunt in Actis nostris; quo hic referendus, non divino: cum characterismis omnibus individuantibus destituatur.*

Isaach episcopi Lingonensis *alia est Ferrarii annuntiatio, ante quem nullum reperio Martyrologum qui* Isaaci *istius, ut Sancti, meminerit. Laudat ipsum quidem et insigni elogio ornat Saussayus in Supplemento pag.* 1147; *attamen minori charactere, eique solum tribuit titulum* beatæ memoriæ. *Quod vero ait,* depositionem ejus celebrari; *id de anniversario intelliges, donec clara cultus ecclesiastici documenta appareant.*

Arnoldi episcopi et confessoris Ambianis *hoc* E *die meminit solum Florarium Ms., cujus auctoritati tantum non tribuimus, ut* Arnoldus *aut* Arnulphus, *ordine apud Sammarthanos* XLVII, *Sanctis accenseatur, donec aliunde de ejus cultu constiterit.*

SS. Petrum et Phaelium martyres Romæ *nobis hoc die annuntiat Galesinius; in notationibus nihil adferens præter* codicem *suum* Ms., *plerumque infelicem, atque hoc etiam die verosimillime corruptum; ubi* Petrus *facile ex classe Tiburtinorum abstractus fuerit,* Phælius *ex* Faltei *vel* Falvei *Hieronymianorum efformatus. Sufficiat dixisse, Sanctos istos alibi ignotos esse, nec ex sola Galesinii fide admittendos, non magis quam sequentes, quos rotundo quindecim millium numero laudavit.*

Antiochiæ, sanctorum quindecim millium Martyrum; qui ex funestis Diocletiani imperatoris edictis, persecutionis flamma contra Christianos vehementer accensa, pro Dei immortalis religione, magno animi ardore atque alacritate præclaram concertationem sustinendo, maxima martyrii celebritate coronantur. *Citatur hic denuo in nota-* F *tionibus* codex *iste* Ms., *toties confutatus, additurque egregia confirmatio,* ex tab. ecclesiæ Cordubensis. *Secutus est quidem Galesinium Ferrarius: at recte interrogat:* Quid tabulis ecclesiæ Cordubensis, in quibus nihil tale legimus, cum Antiochia? *Fateamur, Galesinium hic dormitasse. Parem Martyrum classem habes in Actis nostris* XXII *Aprilis ex Perside, neque alias refugimus, modo sufficienti auctoritate nitantur, qualem in Galesinio non agnoscimus. Quid de iis Græci memorent, habes in Prætermissis die præcedenti.*

Arnoldum monachum in Hemmerode *hoc die referri diximus in Kalendario Cisterciensi inter Prætermissos diei præcedentis, ubi de eo satis actum est.*

Martyres plurimi in Calatrava *Hispaniæ memorati sunt in Prætermissis ad diem* XVIII *Februarii ex Chrysostomo Henriquez, quem postmodum secutus est Chalemotus; et ad diem* XXVIII *ejusdem mensis ex Kalendario Cisterciensi Divione excuso; inde vero remissi ad hunc diem quo interempti dicuntur. Si cultu umquam gavisi*

gavisi fuissent aut hodie gauderent, a Tamayo præteriti non essent. De eo igitur plenius doceri cupimus.

Godefridi Bullionii *virtutes breviter prosecuti sumus inter omissos* XV *hujus, ibidemque monuimus, hoc ipsum die obiisse : ast honores ecclesiasticos ipsi legitime delatos, utut eos meritum nonnulli velint, nobis hactenus compertum non est. Videatur insigne elogium quod ipsi concinnavit noster Fisen in Floribus ecclesiæ Leodiensis.*

Bertha de Marbais *prima celebris Markettensis, non procul Insulis Flandrorum, parthenonis illustris abbatissa, anno* 1247 *vita functa, refertur ab Arnoldo Raissio, in Auctario ad Natales Sanctorum Belgii hoc die, ut Brugis in Flandria deposita, cum elegio ex nostri Buzelini Galloflandria lib.* I, *cap.* XIII, *addens adscriptam esse Sanctarum, Beatarum ac venerabilium Namurcensis diœcesis feminarum catalogo anno* 1619; *quod non asserit Buzelinus, contentus eam annumerare venerabilibus. Chrysostomus Henriquez* Beatam *prædicat, non Brugis, sed in ipso Markettensi cœnobio eam annuntians; de quo hic plura non lubet disquirere. Venerabilem esse, cum Buzelino facile et ultro admittimus, donec de ejus cultu verosimilia saltem documenta proferantur. Interim adisis elogium ejus apud Fisen in Floribus ecclesiæ Leodiensis.*

Theodoricus, *ex Comite de Wida factus Heisterbacensis monachus, memoratur etiam ab Henriquez et Chalemoto cum titulo* Beati, *quem ex solius Cæsarii auctoritate ei tribuere, integrum non puto.*

Robertum de Valle Cælestinum in Lotharingia *nescio unde nobis suggesserit hoc die annotatis suis Ferrarius, tamquam diversum a B. Roberto Salentino seu de Sale, qui hoc die loco suo refertur. Inde forte Supplemento suo Martyrologii Gallicani pag.* 1147 *hæc inseruerit Saussayus* : Hoc ipso die in Lotharingia piæ vitæ tramitem absolvit beatæ memoriæ Robertus de Valle, monachus Benedictinus ex Cælestinorum Patrum sodalitio. *Quæro an et quis sit iste Robertus, quando vixerit, et ubi colatur ?*

Joannis Baptistæ della Vega *ut insignis servi Dei in conventu Cordubensi memoria agitur a Marchesio in sacro Diario Dominicano hac die, ex Actis capituli generalis Romæ habiti anno* 1650 : *forte plura accedent unde Sanctorum honores ei postmodum decerni poterunt.*

Criphonis episcopi *apud montem Libanum*
Joannis de Aora *Tetzcuci in India occidentali*
Francisci de Fraxineto *Palentiæ*
Petri a Conymbria *apud Villam-silos*
Joannis de Alcazari *Oropessæ in territorio Abulensi*
Antonii a S. Maria *Segobiæ*
Hippolytæ a Malignano *virginis apud Mortarium Insubriæ*

Meminit Arturus in suo Martyrologio Franciscano et postremæ etiam in Gynæceo.

S. Sisinnius martyr Alexandrinus *signatur hoc die in contracto Hieronymiano Rhinoviensi, uti et in Richenoviensi, sed ex mera dierum transpositione, quam sæpius in hisce codicibus recurrere, in præfatione ad eorum editionem tomo* VII *Junii monuimus. Spectat Sanctus ad diem sequentem* XIX Julii.

S. Ansegisum abbatem Luxoviensem, *in Sequanis, hoc die memorat Ferrarius, pro se adducens* Kalendarium, *ut ait*, Burgundicum et monumenta cœnobii Luxoviensis. *Saussayum consulo; hic, ut fallor, Ferrarii imitatorem, qui verbis fere iisdem et æque confusis* Ansegisum *Supplemento suo inseruit pag.* 1147, *Sammarthani inter Luxovienses abbates ordine* XXVIII *numerant, voluntque obiisse* XVI *Kalendas Augusti ex tabulis Luxoviensibus, cum tamen in ejusdem loci Martyrologio, a nobis sæpe citato, nec verbum de* Ansegiso *occurrat : in ordine vero abbatum Fontanellensium S. Wandregisili Sanctum rectius signant* XIII *Kal. Augusti. De eodem utrobique agitur, cujus res gestæ cum Mabillonio illustrabuntur dicto die, nimirum* XX Julii

Sanctorum martyrum Pauli, Theæ et Valentæ (*Græce* Οὐαλέντης) *alias* Valentinæ, *Menæa excusa cum Maximo Cythereo certamen celebrant; quod* XV, XVI *ac* XVII *hujus, uti et hoc die remittimus ad* XXV Julii.

SS. Ursum et Leuberium *seu* Leobarium *cur hoc die annuntiet Ferrarius in Catalogo generali, et ex ipso Saussayus, non satis intelligo; fatetur ipse spectare ad diem quo de illis agemus* XXVIII Julii.

Inani eremitæ et confessoris *meminit hoc die Dempsterus in Menologio suo Scotico, eumque* Wruini *annuntiat, unde* Vurvini *formaverit Ferrarius, plura de ejus situ non satis apposite disputans; Sanctum vero appellans* Ivanum *et* Jeanum. *De tali Sancto nil memorat Camerarius, ut mirum sit, scriptores istos tam diversos Sanctos producere, tamquam varia de iis prædicare. Dempsterus* Inano *suo hoc addit elogium, quod* Picticum excidium prædixerit, cujusque hortatu Kennethus rex bellum illud animose susceperit. *Hisce non satis fidere ausus recurri ad Breviarium Aberdonense, ubi memoriam ejus reperi his verbis :* S. Inani confessoris apud Irvine in Scotia sub rege Kennedo I, anno DCCCXXXIX. *Ast is ibi colitur die, quo res examinari poterit,* XVIII Augusti.

Theodoricus Metensis episcopus *non semel in Actis nostris memorandus fuit ; ac primo quidem ubi de reliquiis S. Vincentii actum est tomo* II *Januarii pag.* 399, *occasione reliquiarum dicti Sancti, ab eo ex Italia ad sedem suam relatarum. De eodem sermo est ad* III *Februarii inter omissos, ubi ex Meurissio traditur, quotanni* VII *Septembris anniversarium pro eo Officium fieri in monasterio S. Vincentii, ab eo condito et ornato. Recurrit denuo ad* I *Aprilis ex Martyrologio Anglicano Witfordi, unde ad hunc diem remittitur ; quod a variis hoc die referatur. Ego inter Usuardinos solum Molanum invenio, qui ejus meminerit his verbis :* Eodem die, natalis beati Theodorici Metensis episcopi, consobrini Ottonis primi, *cui suffragatur Saussayus, composito eleganti elogio. Florarium Ms., Canisius et Ferrarius tantumdem evincunt, donec de cultu certius constet, quem nusquam agnoscunt qui cum Meurissio agunt de Episcopis Metensibus, neque eum agnovit Castellanus. Cum autem* Theodoricus *iste ad diem anniversarium jam citatum, potius quam ad hunc spectet ; si de ecclesiastica veneratione ei exhibita, sufficienter edoceamur, locus ei proprius dabitur* VII Septembris.

S. Materni episcopi translationem *apud Treviros notavit hoc die Ferrarius in Catalogo generali ;* ex Breviario ecclesiæ Curiensis, *inquit*, quæ eum plane celebrat. *Id equidem non*

A non negaverim, verum et de hac translatione et de ceteris ad sanctum Maternum spectantibus agetur ejus natali die XIV Septembris.

Callistrati sociorum (τῶν Καλλιστράτου) nomen in apographis nostris Græcis invenio transcriptum ex Menæis Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ : qui fortasse pertinebunt ad XXVI Septembris, quo de S. Callistrato martyre una cum aliis quadraginta novem militibus martyribus agit Martyrologium Romanum. De iis itaque agi poterit dicta die XXVI Septembris.

S. Bruni archiepiscopi Coloniensis memoriam hoc die agunt Additiones Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, in quibus male digesta sæpe occurrunt. Voluit appellare S. Brunonem Ottonis magni Imperatoris fratrem, cujus festiva dies agitur XI Octobris.

S. Aquilini episcopi meminerunt Grevenus, Belinus et recentiores alii cum Ferrario, æque obscure omnes, nusquam expressa positione, seu episcopatus aut cultus loco. De Ebroicensi agitur, qui in Romano signatus est, die quo Acta ejus illustrabuntur XIX Octobris.

S. Othilia sive Odilia virgo et martyr Huii in Belgio e sodalibus S. Ursulæ pridem ex Ferrario, Galesinio et Saussayo notata est in Prætermissis XXIX Januarii, ubi observavit Bollandus, coli istic apud Cruciferos ejus translationem hoc die, quo eam memorant Editio Lubeco Col., Grevenus, Molanus et alii; exstantque in Museo nostro scripta varia eo spectantia, quæ ferme eadem habuit Ursulanarum illustrator Crombachius. Rem paulo distinctius enarrat Fisenus in Floribus ecclesiæ Leodiensis, ubi socias addit Idam et Imenam, de quibus nihil alibi legi. Quod autem jam dicto die XXX Januarii indicavit Bollandus, et nos hic repetimus, de S. Ursulæ sodalibus nos universim acturos. XXI Octobris.

B

S. Arduini confessoris in Anglia memoria primum mihi innotuit in Ceperano Campaniæ, ex Additionibus Mss. Cartusiæ Bruxellensis, absque ulteriori notitia, quam paucis suggessit Wilsonus in Martyrologio Anglicano, non ad hunc diem, sed ad XXV Octobris, quo eum sic annuntiat Ferrarius in Catalogo generali : Ceperani in Anglia, S. Arduini presbyteri. Ceperanum novimus et olim vidimus ad Lirim fluvium, Frusinonem inter et Aquinum, ubi sepulcrum marmoreum ei erectum est, coliturque, ut jam diximus, die quo pauca de ipso referentur XXV Octobris.

C

S. Clarum martyrem signant hoc die nonnulla Usuardi auctaria, item Wion, Canisius et alii cum Dempstero; estque ad hunc diem a Majoribus nostris remissus ex XVIII Februarii; fortasse quod non adverterint, eumdem ipsum esse oportere qui ab Usuardo et ipso Romano relatus est IV Novembris, in pago Vilcasino, alias in Normannia, ut notavit Molanus hic. Ego certe post ea quæ ad Usuardum dicto die observavi, quem alium Clarum velint recentiores isti, necdum intelligo. Jam monui, de pluribus synonymis satis fuse actum esse in nostro opere I Junii : cum vero peculiarem Clarum non inveniam, qui ad hunc diem proprie spectet, reliquam de aliis, etiam forte synonymis controversiam eo dirimendam remitto, quo de celebriori isto agetur ad IV Novembris.

SS. Mamiliani, Nymphæ, Eustatii, Proculi Goboldei translationem verbose juxta ac pompose descriptam invenio ab Augustino aliquo Delphino, in opusculo ad Majores nostros olim misso, sub hoc titulo, ex Italico Latine verso : Purpura Rosæ Panormitanæ revirescens e sanguine SS. Martyrum Mamiliani etc., quorum coronæ novæ positæ sunt in capite regni anno MDCLXVI, quando Dominica infra octavam inventionis corporis S. Rosaliæ, solenniter receptæ fuere sacræ reliquiæ datæ ab Alexandro PP. VII Panormo eorum patriæ. Nimirum insinuare voluit, sacra lipsana Martyrum Siculorum ex Urbe eo die accepta, qui fuerit XVIII Julii dies. Res hæc non uni obnoxia est difficultati; verum quæ eo spectant, remittimus ad diem quo S. Mamilianus colitur XV Septembris; vel potius ad Acta S. Nymphæ, unde reliquorum notitia habita est, quæ exstant apud Cajetanum tomo I, pag. 141, discutienda ad diem XII Novembris. D

S. Nicasii episcopi Remensis et martyris translatio superaddita est Greveno a Carthusianis Bruxellensibus, ex Florario, opinor, aut aliquo fortasse Kalendario. Notissima est ejus festivitas XIV Decembris.

Eadburgam virginem hoc die nobis proferunt recentiora aliqua Martyrologia, quibus subscribere, licitum non putamus. Veram S. Eadburgam, regiam virginem, utpote Eduardi regis filiam, Edmundi sororem, sanctimonialem Wintoniensem in Usuardino Anglico sæculi XII, quod Rosweydinum dicimus, invenere Majores nostri ad XV Junii, eoque die de ipsa egerunt; Mabillonius autem gesta ejus paucis complexus est sæculo V Benedict. pag. 640; atque ea sola istius nominis virgo, de cujus recepto cultu certiores fuere, acturi de alia Tanetensi XIII Novembris. Primam geminasse visus est auctor Florarii Ms. ad dictam XV Junii sic scribens : Apud Numentanam (intellige Wentanam seu Wintoniensem) civitatem, S. Eadburgæ virginis : hoc autem die repetens : Eodem die, S. Eadburgæ virginis, sororis S. Ethmundi regis et martyris, de stirpe Karolidarum. Satis patet, imperitum scriptorem Edmundos turpiter confudisse, eamdemque ipsam sanctam Virginem bis annuntiasse, unde fortasse in Martyrologia Coloniensia, in Maurolyci aliorumque profluxit simplicior, sed duplex etiam commemoratio, utroque die jam dicto : Eodem die, S. Eadburgæ virginis. Rem, opinor, subodoratus Arnoldus Wion phrasim mutandam censuit in suo Monastico anni 1595; relictoque proprio die XV Junii S. Eadburgæ Wintoniensi, quam Sarisberiæ male collocavit, aliam hoc die substituit his verbis : In Anglia, vico Edburton, sanctæ Eadburgæ virginis, Redualdi Anglorum Orientalium regis filiæ, quæ, permittente patre, mundo valedicens, suscepto velo in Ailesburii, una cum sorore Editha sanctitate ad miracula usque claruit. Fallit porro Wion, dum in notatione ait, Maurolycum de eadem agere hoc die; fallitur autem dum asserit, floruisse anno Domini DCX. En lapidem offensionis in quem certatim incurrere monastici reliqui Dorganius, Menardus, Bucelinus; atque item Mathevius in Trophæis, juncta sorore Editha, solos Maurolycum et Wionem citans : tum denique Anglici Martyrologii auctor Wilsonus in utraque editione. Virginis istius ætatem rectius fixit, virtutesque ejus et merita recensuit noster Alfordus, Annalium suorum tomo II ad annos 716, 719, 724, 725, obitum

E

F

tum ejus innectens anno 759, *in sanctitatis testem producto Anglicano Martyrologio. Verum quod bona ejus, aliorumque omnium venia dictum sit, necdum mihi liquet, Eadburgæ isti cultum umquam legitime fuisse delatum, ut rectissime notarit Castellanus in Martyrologio universali pag.* 912 *solo* venerabilis *titulo donandam. Adde vero, non hoc die, ut demonstrat Alfordus, sed* XXVII *Decembris vita excessisse, ut accuratiori totius rei discussioni tempus supersit. Si itaque certiora veri cultus argumenta subinde eruantur, poterit de ipsa agi proprio jam dicto natali* XXVII Decembris.

S. Justinum et socios martyres apud Amiternum *absque ulteriori notitia signat hoc die Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, remittens ipsemet ad* XXXI *Decembris; ubi ipsum* apud Forconium *collocat. Vidit hæc omnia Castellanus, ast in Sanctorum indice insinuat se Sanctum omisisse : an quod suspectum habuerit, nescio : proprius rei examinandæ locus erit ad dictum diem* XXXI Decembris

DE SANCTIS MARTYRIBUS

SYMPHOROSA CUM SEPTEM FILIIS, CRESCENTE, JULIANO, NEMESIO, PRIMITIVO, JUSTINO, STACTEO ET EUGENIO.

TIBURE IN LATIO.

J. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Occasio, locus ac tempus martyrii; S. Symphorosæ conjux; eadem a S. Felicitate distincta.

FORTE CIRCA ANNUM CXXV.

Martyrii occasio fuit ædificatio palatii,

Inter *plures illustres victimas, Christianæ fidei causa sub Adriano sive (ut malunt alii legere cum emendationibus et notis ad Vitam istius Imperatoris ab Ælio Spartiano scriptam) Hadriano passas, potissimum emicuit* S. Symphorosa, *S. Getulii martyris uxor, ejusdem fratris S. Amantii item martyris affinis, ac fœcunda Septem Martyrum filiorum parens, et ipsa martyr. Martyrii occasionem præbuit vicinia celeberrimi illius palatii, quod prædictus imperator extrui jussit in* villa Tiburtina. *quam, ut tradit Ælius Spartianus in fine Vitæ ejus,* mire exædificavit, ita ut in ea et provinciarum et locorum celeberrima nomina inscriberet, *quæ idem auctor recenset. Etenim cum hanc regiam domum, sibi ad delicias destinatum ritu nefario ac cæremoniis gentilium lustrari curasset, frustra de diis propitiandis cogitari intelligit ex idolis, uti referunt Acta, nisi Sancta prius sacrificet. Itaque sacrificare, vel, si id recuset, sacrificari jubetur ipsamet. Atque hoc postremum, omnibus aliis nequidquam adhibitis, executioni mandari voluit Adrianus; quem superstitiosum maxime rituum ac deorum cultorem extitisse, ex ejus gestis probatur : nam, teste Spartiano versus finem Vitæ ejus,* sacra Romana diligentissime curavit.. Pontificis maximi officium peregit. *Simili de causa ad martyrium adacta S. Felicitas cum septem etiam filiis, de quibus die* X *hujus. Persecutionem imperatorum, qui se præcesserant, ex hujusmodi origine exortam esse, asserit Constantinus, auctore Eusebio in ejus Vita lib.* II, *cap.* L; *enuntiante, prout jactabatur, Apolline, justos in terris viventes impedimento sibi esse, quo minus vera ederet oracula.*

quod Adrianus dedicari jussit ritu gentilium.

2 *Istiusmodi fere responsum Apollo dedit Juliano apostatæ, pro gloria corporis S. Babylæ Antiocheni, ut vide ad diem* XXIV *Januarii pag.* 579 *ex Sozomeno. Porro circa id, quod textus editæ hic a nobis* S. Symphorosæ *passionis, dicit* Adrianum fabricasse palatium, et id dedicare voluisse ritu.. nefario, *quæri posset cum Tillemontio Monument. eccl. tomo* II, *pag.* 243, *an ritibus istiusmodi dedicarentur palatia? At noster Fulvius Cardulus in Notis ad Acta Martyrum nostrorum, Romæ edita anno* 1588, *pag.* 138, *expositis antea vocibus* dedicare *et* consecrare, *recte observat, non modo templa, aras, ac simulacra, sed alia quoque, ut obeliscos, bibliothecam (quippe ni ergo etiam palatia, vel aliquam saltem eorum partem?) ab gentibus dedicata fuisse. Responderi etiam posset, forte adjunctum palatio illi fanum aut templum stetisse, hicque per synecdochen poni totum pro parte. Ut ut est, celeberrimum certe ab Adriano in Romanæ urbis ac Veneris honorem Romæ exstrui jussum, annoque* 130 *verosimiliter dedicatum fuisse, habes apud laudatum Tillemontium Histor. Impp. tomo* II. *art.* 10, *pag.* 242.

Varia notantur circa locum palæstræ.

3 *Martyrii palæstra* S. Symphorosæ *ac Filiis ejus obtigit Tibur (vulgo Tivoli) urbs Latii in Italia episcopalis, ad Anienem fluvium in colle sita; Joannis IX PP. patria; quam fuse illustrat Cardulus in Notis a pag.* 62. *Hanc sibi potissimum charam habuit imperator Adrianus, prout liquet, tum quod eam insigni adeo fabrica aliisque exornatam voluerit, tum quod exercitæ in suos sub postremos vitæ suæ annos crudelitatis quasi statuerit spectatricem. Plura Tillemontius pag.* 254 *et* 255. *Porro* exstat adhuc Tibure cisterna sicca, *sicut vult Baronius in Notationibus ad hunc diem,* ubi illis temporibus S. Symphorosa cum Filiis aliquando delituit, *sive hoc fecerit, ut incommodis hujusce loci perferendis præluderet suo martyrio; sive ne sese mox ingereret certamini. donec antea ad illud se præparasset, auxilio divino et virtute cœlesti roboranda. Passam ad* fanum Herculis, *et* Filios *ejus* circa Herculis templum *excarnificatos fuisse tradunt Acta; sic legente utrobique Cardulo et Mss. nostris Trevirensibus. Qua notione* fani *ac* templi *eumdem denotari locum. collige*

A *collige ex his verbis :* Altera vero die veniens Adrianus imperator ad fanum Herculis, jussit corpora eorum simul auferri. *Porro Tiburtinos in Herculis cultu ferventiores, id nominis suæ potissimum civitati proprium fecisse, habemus ex Strabone lib.* v, *ubi ita ait :* Tibur Herculeum est. *Plura Cardulus pag.* 81, *probans a pag.* 84, *dictum cultum cum ipsa fere urbe natum : pag. autem* 85 *agit de templo ejusque conditore : cujus templi porticuum columnas in anteriorem partem vult receptas primarii templi S. Laurentii martyris, ac Tiburtinorum patroni.*

nomen ... inditum.

4 *Cur ad fanum Herculus potius, quam alibi, sancti Martyres interempti sint, hanc licet causam suspicam : vel quia iste locus frequentior ac celebrior erat, vel quia impii homines obsequium se præstare diis suis existimabant, si Christianos Herculei numinis ac nominis contemptores, in ipsiusmet Herculis quasi præsentia ac conspectu e medio tollerent et immolarent. Unde sive in Martyrum contemptum, sive in rei gestæ memoriam,* imposuerunt pontifices *(gentiles)* nomen loco illi ad septem Biothanatos *(a Græco* βία vis, violentia, *et* θάνατος, mors) *id est non naturali sed violenta morte defunctos ; minime vero, uti est apud*
B *Isidorum, Parisiis anno* 1601 *editum lib.* x *Etym.*, bis mortuos : *ubi pro* bis, *forte legendum* VI *cum nostro de la Cerda mox citando. Persuasum erat, sicut notat hic Cardulus, antiquis ethnicis hujusmodi mortuorum animas sedibus ac cœtu Beatorum excludi. Et paulo post addit, hanc vocem ut contumeliosam atque infamem quondam fidei hostes Christianis objectare solitos. Forte etiam pontifices prædicti hac denominatione Græca gratiam Adriani aucupari voluerint, qui* imbutus impensius Græcis studiis *fuit*, ingenio ejus sic ad ea declinante, ut a nonnullis Græculis diceretur, *sicut testatur Spartianus in initio ejus Vitæ. Vox eadem legitur apud Lampridium in Vita Heliogabali sub finem ; apud Tertullianum vero lib. de anima cap.* LVII, *scribitur* biæothanatos, *vel mendose ; vel si sic scribere voluit, tum pro substantivo* βία *sumitur adjectivum* βίαιος. *Sic Græce dicitur* βιαιομαχεῖν : *id est,* vi aut robore corporis pugnare. *Porro ex textu Tertulliani colligi videtur, vocem* biæothanatus *apud magos potissimum in usu fuisse. Cassianus collat.* XI *de Discretione*
C *cap.* v *per* biothanaton *intelligit eum, qui mortem sibi conscivit, qui* αὐτοθάνατος *a Græcis dici solet. Videri potest nostri Joannis Ludovici de la Cerda Tertullianus illustratus tomo* II, *pag.* 428.

5 *Epochæ martyrii figendæ lucem quidem præbet Adrianus imperator, sub quo illud consummatum fuit ; sed quo determinate anno id contigerit, difficile dictu est. An tum, quando a prima in Orientem profectione Romam redit versus annum* 125, *quo tempore creditur persecutio (quam videsis apud Tillemontium Mon. eccl. tom.* II, *pag.* 224) *ab ipso excitata violentius desæviisse, ac desiisse anno sequenti. Theodoricus Ruinartius in admonitione prævia ad Acta horum Martyrum impressionis Werstemanæ pag.* 23, *adoptat annum circiter* 120, *observans ex Dione Cassio, Adrianum tunc plures cædes fecisse. Nec video, quid obstet, quo minus martyrium illud differas usque ad annum* 122, *quo Romæ versari etiamnum Imperator poterat ante primam in Orientem profectionem : cum videatur continuata fuisse persecutio, quamquam cum aliqua interruptione : nam, ut tradunt Acta,* post Sanctorum mortem quievit persecutio anno uno et mensibus sex : *quidquid Cardulus pag.* 173 *intelligi non velit, statim a nece horum Martyrum hostilem sævitiem et furorem quievisse, sed anno dumtaxat* 135, *imperii Adriani* 18 ; *de qua re etiam agit in Notis ad Passionem SS. Getulii et sociorum Martyrum pag.* 13. *Ruinartius aliqua tradit, inserta codici uni Colbertino, et Alteri ex Sorbona, de morte Adriani, quæ ibidem referatur evenisse paulo post illorum necem. Verum ea haud dubie additio suspecta ipsi fuerit, cum ejusdem verba non transcribat, nedum approbet, alium calculum multo anteriorem allegans, ut vidimus.*

AUCTORE J. P.

agonem consummarint, incertum :

6 *Nec certius quidquam elicias ex Actis SS. Getulii et sociorum MM., valde antiquis quidem, sed non proconsularibus, uti diximus* x *die Junii, pag.* 264, *num.* 1, *fixo ipsorum martyrio circa annum* 124 : *nam tametsi isti Martyres cursum suum consummarunt ante* S. Symphorosam, *ejusque Filios, prout diserte affirmant eorum Acta cum Adone ; et S. Cerealis, S. Getulio in palma socius, baptizatus fuerit a S. Sixto hujus nominis I, qui sedit ab anno* 117 *ad* 127, *manet tamen æque indeterminata epocha quam quærimus. Baronius S. Getulii et sociorum mortem innectit anno* 138, *atque adeo mors nostrorum Martyrum differenda foret ad eumdem istum annum ;* E
quo vitam clausit Adrianus mense Julio, et quo laudatus Baronius eos inseruit Annalibus suis. Verum, ut diximus jam pridem ad Acta SS. Getulii et sociorum, anno isto, quem signat Baronius, non Sixtus sed Higinus erat Pontifex, secundum ea, quæ habes ad veteres Catalogos Romanorum Pontificum, tomo primo Aprilis profixos, et in synopsi chronologica, ex annis istorum catalogorum annos Baronianos emendante, quæ ibidem datur pag. 37. *Obiit itaque S. Sixtus non anno* 142, *uti Baronio placuit, sed anno, ut dicebam* 127 ; *quod etiam probatam reperies ad diem* VI *dicti mensis pag.* 533, *ubi de ipso agitur, uti et de pontificatus ejus exordio, anno* 117, *non* 132, *ut Baronius signat. Itaque cum S. Getulius, ut dicunt ejus Acta, et coligimus ex Adone, martyrio coronatus sit sub S. Sixto ; et* S. Symphorosa *cum suis ipsum in martyrio fuerit subsecuta, sicut itidem constat ex eorum Actis ; cumque interea nos lateat temporis utrimque intercapedo ; consequens est, hinc nullo pacto statui posse, quo determinate anno martyrii lauream consecuta sit. Hoc unum constat ex Adone ad* x *Junii, eam* non longe post *(maritum)* cum septem suis F
Filiis martyrizasse.

certiora proferuntur de martyrii die Matris ac Filiorum diverso.

7 *Alia nunc se offert controversia de die, quo Sancta, et quo ejusdem Filii martyrium consummarint. Docent Acta, non eodem omnes simul individuo tempore interremptos ; non sublata e medio* Matre, alia die . . jussit Adrianus imperator simul omnes septem filios ejus sibi præsentari. *Ita legunt Acta, quæ damus cum ecgraphis Trevirensibus S. Martini et S. Maximini, et editis apud Cardulum : cui tamen qualemqualem videtur movere scrupulum, quod in præfatiuncula, quam pro genuina Actorum parte haud dubie habuit, quia una cum ipsis continuata serie eam impressit legatur* B. Symphorosa . . cum septem filiis suis UNA FERME die ab Hadriano interfecta . . *Adverbiam* ferme *etiam habet Surius, non Monbritius. Lectionem suum ita explanat laudatus Cardulus pag.* 60 : Recte dictum : prostridie enim ejus diei, quo B. Symphorosa necata est, ejus Filii occisi memorantur paulo inferius, ubi narrata matris morte ac sepultura, statim sequitur, Alia vero die etc. In aliquibus codicibus legitur ; una die : quæ quidem

AUCTORE J. P.

quidem lectio recipi potest, si nihilominus illud adverbium FERME pro appositio habeatur. Sic enim alioqui fere loqui solemus, etiam cum non longum spatium supra unum diem significare volumus. *Quibus superaddit distinctionem diei naturalis ac civilis, quem satis fuse deducit. Sed ista præfatiunculæ expressio non tanti debebat esse apud ipsum momenti (tanti certe non erit apud nos) ut vel tantillum se torqueret, ubi textus Actorum, ut modo diximus, inter mortem* S. Symphorosæ *et inter mortem filiorum* aliam diem *interponit.*

Maritus Sanctæ

8 *Maritum* S. Symphorosæ *ad dictum diem* x *Junii perperam confusum fuisse notavimus cum S. Zotico, ex Actis imperitissime consutis, auctis et immutatis; quæ nihilominus fundamentum præbuerint Baronio duo ista nomina eidem Sancto attribuendi, sequente eum Tillemontio tomo* II, *pag.* 242. *Cardulus in Notis ad S. Getulii passionem, quam prælo vulgavit, pag.* 15 *observat* in codice antiquissimo Casinensi scriptum esse ZOTICUS : in altero item Vaticano Longobardicis characteribus exarato, qui hanc historiam a S. R. E. notariis, ut creditur, scriptam continet, ita semper legitur, ZOTICUS, QUI et GETULIUS.
B *In confirmationem adducitur plumbea lamina, in templo S. Michaelis Archangelis ad forum piscarium anno* 1562; *Pio IV PP. reperta cum reliquiis* S. Symphorosæ *et Filiorum, et epitaphio, alibi occasione reliquiarum producendo inscripta : cui subjungit aliam inscriptionem, Tibure repertam :* Hic requiescit Zoticus martyr : *quam loco supra citato remisimus ad diem* XII *Januarii exactius examinandam; quo, ut tum diximus, inscriptus est Martyrologio Romano* S. Zoticus martyr Tibure; *Baronio lectorem remittente ad diem* x *Junii, quod et nos ejus exemplum secuti tunc fecimus. Die autem* x *Februarii referuntur* SS. Zoticus, Irenæus, Hyacinthus et Amantius martyres Romæ.

an Getulius tantum, an etiam Zoticus appellandus?

9 *At Zoticus, qui celebratur* XII *Januarii, solus ponitur absque sociis ac Tibure martyr, noster cum sociis Romæ. Zoticus diei* x *Februarii, signatur Romæ cum tribus, ut vidimus, sociis; quos inter unus et solus Amantius nomine convenit cum uno e sociis S. Getulii*; *non expresso loco martyrii. Numquid ergo Getulius noster satis utrobique ab his distinctus? Verum an et qualis inter priores illos facta sit confusio, discuti poterit*
C *ad istos dies, quando Januarius ac Februarius secundis curis recudentur. Laudatus Cardulus pag.* 17 *Getulii et Zotici nostrum Martyrem nomen habuisse dicit, a variis quidem Zoticis eum secernens, sed eumdem tamen esse affirmans cum eo, qui pridie Idus Januarii Martyrologio Romano inscribitur. Ruinartius in Ms. Colbertino, ad quod Passionem* S. Symphorosæ *contulit, legi affirmat :* Vir meus Zoticus cum fratre suo Amantio, tribuno tuo, cum essent ambo *etc. Et paulo post, ex cod. Colbertino pro* Getulio *monet scribi* Zoticum. *Sed nos genuinam lectionem putamus eam, quæ legit* Getulius, *cum Romano parvo, Adone, Usuardo, editis apud Ruinartium, et ad varia exemplaria collatis, nec non utroque Ms. nostro Trevirensi. Neqde moror codicem Vaticanum, tantopere superius a Cardulo laudatum; quamdiu de ejus puritate non constat : quem suspicor vel eumdem esse, vel ejusdem saltem farinæ cum eo, quem secutus fuit Baronius. Porro mariti corpus a Sancta conjuge collectum ac honorifice sepultum fuisse, legitur in sæpe dictis Actis* x *Junii, num.* 8. *Ado, relato S. Getulii et Sociorum martyrio, tradit eorum* corpora collegisse S. Symphorosam, uxorem B. Getulii Martyris. *De quo hæc plus* D *quam satis.*

S. Symphorosa non est eadem cum S. Felicitate

10 *Die* x *hujus pag.* 7 *proposito verbis Cardinalis Baronii dubio, num. S. Felicitas martyr, septem etiam filiorum fœcunda parens, ob similitudinem quæ inter illam et* S. Symphorosam *intercedit, non esse eadem cum illa ; respondimus laudati Cardinalis verbis, nomine et re utramque Martyrem distingui ; re (ut quæ ibi dicuntur de nomine hic iterum non repetamus) quia patria assignatur utriusque diversa, diversus imperator sub quo passæ; diversa passionis palæstra; diversa utriusque matris filiorum nomina ; diversa martyrorum genera quibus hæc addas licet.* S. Symphorosa *una die Filios suos præcessit in martyrio ; S. Felicitas suos subsecuta est; hæc vidualem virginitatem Deo voverat; illa vidua item, at nullo memoratur hujusmodi voto obstricta ; hujus conjugis ne vel minima quidem in Actis fit mentio ; istius vero conjugis et martyris nomen diserte exprimitur; quem aliunde scimus ab ipsa sepultum ; hujus filii sub variis judicibus passi ; in filiis* S. Symphorosæ *nihil simile factum. Felicitas ejusque filii conditi Via Salaria, ac diversis quidem locis; illa cum suis Via Tiburtina. Jure itaque* E *merito Romanum parvum distinguit utrumque martyrum manipulum, sic loquens die* x *Julii de filiis S. Felicitatis* : Romæ septem Fratrum. *De Filiis vero* S. Symphorosæ *die* XXVII *Junii tradit ista :* Apud Tiburtinem Italiæ, Symphorosæ cum septem Filiis. *Atque hæc utriusque Martyrum classis distinctionem satis superque evincunt.*

§ II. Controversia de septem Filiis S. Symphorosæ de novo hic proposita et discussa.

Nomina Filiorum S. Symphorosæ creant difficultatem.

Septem *Filii* S. Symphorosæ *bis eodem modo exprimuntur in Passione, quam edimus;* Crescens, Julianus, Nemesius, Primitivus, Justinus, Stracteus et Eugenius. *Eodem ordine et scriptura illos referunt Beda a Floro auctis die* XXI *Junii; Ado et Usuardus die* XXVII *ejusdem mensis ac Martyrologium Romanum hac die* XVIII *Julii, posito ubique* Stacteo *pro* Stra- F cteo. *Observa interim, nomina apud dictum Bedam sibi non constare : nam in annuntiatione scribitur* Julianus, *qui postea, ubi singulorum tormenta commemorantur, vocatur* Lucianus, *errore haud dubie amanuensium aut typothecarum. Die* XXVII *Jdnii pag.* 252, *dedit Henschenius Martyres Cordubenses,* Crescentem, Julianum, Nemesium, Fratriam, Primitivum, Justinum, Stathæum *cum reliquis, qui huc non faciunt. Ubi vides inter septem prima nomina referri sex nomina prima hodierna, et eodem quidem ordine. Nomen* Fratria *nullam cum his connexionem habet, ex Epternacensi, sicut ibidem indicatur, acceptum, et in aliis tribus apographis desideratum.* Eugenium *vero omissum aliunde supple. Richenoviense sic habet :* In Corduba, Crescentis, Juliani, Nemesi, Primitivi, EUGENII; *ubi desiderantur* Justinus *et* Stacteus. *Barberinianum Ms. ita legit :* In Hispaniis, Crescentis, Juliani, EUGENII, Novatiani.

quia alia et sunt illa classe in variis Martyrologiis.

12 *Lucense autem a Florentinio editum his verbis exprimitur :* Septem Germanorum. In Hispania, Cescentis, Miliani, Nemesi, Primitivi,

A militi, Justini, Stathæi, Eugeni. *Septem hos Germanos citata pag.* 252 *ex quatuor antiquis Martyrologii Hieronymiani apographis conjunximus cum sanctis Martyribus Romanis* Felice et Spinella, *addita observatione, an per illos, septem Filii* S. Symphorosæ, *an alii potius intelligendi sint. Verum cum* septem *isti* Germani, *ex apographis Hieronymianis accepti, sine nomine notentur, vix puto quidquam de hac re statui posse nisi per meram conjecturam. Aliud est de septem Germanis nostris, implexam tricarum materiem præbentibus, quia iisdem nominibus signantur, et diversis diebus, diversis locis, diversæ Martyrum classi adscribuntur, ut modo vidimus.*

... nomina alia prorsus nomina

13 *Crescit difficultas ex eo, quod antiquissima apographa Martyrologii Hieronymiani aliis prorsus nominibus, locoque ac die diverso illos commemorent; palæstra quippe ponitur Roma; dies* XVIII *Julii, nomina prout hic sequuntur. Vetus Martyrologium Christinæ Sueciæ reginæ, inter Hieronymiana contracta ferme præcipuum, habet ista :* XV Kalendas Augusti, Romæ Semperosæ matris septem Germanorum, id est Petri, Marcelliani, Januarii, Dionysii, Sempronii, Clemen-B tis, Germani. *Varias lectiones dedimus loco paulo ante apud nos assignato. Hieronymianum Epternacense, diu ante Adonem et Usuardum exaratum, quod inter apographa nostra censetur vetustissimum, hæc maxime confirmat, quando sic annuntiat :* Romæ Semphorensiæ martyris, Septem Germanorum Petri, Marcelliani, Januarii, Dionysii, Sempronii, Clementis, Germani. Et Herenæi. *Notkerus, Adonis transscriptor, videtur* XXVII *Junii, ipsius fere verba conservasse; ad diem vero hodiernum* XVIII *Julii more satis recepto, ut alias monuimus, exempla Hieronymiana secutus; dum ista refert :* XV Kalendas Augusti. Romæ Via Tiburtina milliario octavo, natalis S. Symphorosæ martyris, matrisque septem Germanorum; quæ cum ipsis est posita. Nomina vero Germanorum hæc sunt : Petri, Marcellini, Januarii, Dionisii, Semproni, Clementis, Hirenæ.

... cum Notkero

14 *Hæc ille, omisso nomine* Germani; *alioquin octo Martyres pro septem exhibiturus.* Hirenæam *jam pridem putavimus excludendam a Septem germanis; cum* Magno *martyrii palmam eodem die consecutam. Et sic excluditur no-*C *men* Hirenæ *in antiquo Ms. reginæ Sueciæ supra laudato, et alio etiam Ms. antiquo Carmelitarum Coloniæ, in quo traduntur sequentia :* Romæ natale sanctorum Septem fratrum, Petri, Marcelliani, Januarii, Dionisii, Symphroni, Clementis, Germani martyrum, et matris eorum Symphorosæ. *Mss. Richenoviense et Rhinoviense, quæ edidimus cum aliis tomo* VII *Junii, quæque ex majoribus contracta diximus, habent :* Romæ Symperosi, Petri, Marcelliani, Januarii. *Corbeiense parvum seu contractum ponit eos absque nomine :* Romæ Via Tiburtina, milliario nono, natalis sanctorum Symphorosæ matris septem germanorum. *Adjungit Corbeiense majus apud Dacherium tomo* IV : Quorum nomina hæc sunt : Petrus, Marcellianus, Januarius, Dionysius, Simphronius, Clemens, Germanus.

... latem ...

15 *Habes hic, ne plura consecter, septem* S. Symphorosæ *Filios, partim nominatos partim innominatos; partim iisdem partim diversis, plerumque septem, aliquando paucioribus nominibus expressos; alibi eodem, alibi diverso die, nec in eadem semper Martyrum classe recensitos. Mani-*

festa quidem mox hic se prodit confusio; verum illam corrigere, sinceram lectionem a corrupta, genuinam a spuria discriminare, singulaque nomina a textu non suo ad verum ac legitimum reducere, hoc opus hic labor est. Labyrinthum hunc alii jam pridem ante me ingressi, sed nullo satis operæ pretio : cum nemo inventus sit hactenus, quod sciam, qui hisce implexis amfractibus expedire se satis cum laude potuerit, huc usque nondum soluta, imo fortasse numquam solvenda, ne dicam solubili difficultate. Hanc Cardulus vel non vidit, vel videre noluit; notasse contentus, diversos dies, quibus Sancti a Martyrologis referuntur. AUCTORE J. P.

16 *Florentinius in notis ad diem* XXVII *Junii difficultatem solvere conatur his verbis :* Videntur (*nomina Filiorum* S. Symphorosæ) ex his Martyribus conflata, quæ hoc die (XXVII *Junii*) Hispaniæ tribuuntur, nempe Crescentis, Juliani, Nemesii, Primitivi, Justini, Stactei, et Eugenii. *Tum observato errore Baronii, qui existimat hac die* XVIII *Julii ab Usuardo referri* S. Symphorosam *cum septem Filiis; de quo et nos acturi sumus, ita prosequitur :* Dubitari quapropter posset, in vetusto E aliquo codice mendum irrepsisse, et Hispaniarum Martyrum nomina, mutilato passionis loco, septem Germanis accommodata fuisse; et ita, nisi mihi maxima esset Martyrologii Romani auctoritas, suaderent præter codices nostros, vetustissimum Antverpiense et Corbeiense Mss. *Deinde postquam recte a septem Fratribus secrevisset septem Dormientes, hac die ab Adone signatos, tandem sic concludit :* Quamobrem in eam facile sententiam veni, ut septem hic Symphorosæ Filii cum Beda (*Plantiniano*) Usuardo, Adone et Notkero recolantur : quoniam eorum revera dies natalis esset, ut affirmat Ado, sed iterum eorum peragi memoriam XV Kal. Augusti ex aliqua solenni translatione; cujus ex vetusta inscriptione meminit ad illam diem Eminentissimus Baronius; et Aringhus lib. 4 Romæ subterraneæ, cap. 17; *et nos infra.*

animadvertit, at non solvit Florentinius,

17 *Nec nihil neque omnia dicit Florentinius : nam* 1, *manet incompertus erroris fons : cum id, quod dicit de mendo, qui in vetusto aliquo codice irrepserit, non possit quidquam juvare nisi in illis* F *exemplaribus, in quibus eodem modo septem Filiorum nomina efferuntur, nimirum in Adone, Usuardo, Notkero et aliis, quin et in ipsis Actis Martyrum Cordubensium, nominibus, mutilato passionis loco, septem Fratrum classi accommodatis.* 2. *Tum quæritur, quid sit dicendum ad apographa Hieronymiana, quæ diversa omnino nomina omnibus ac singulis accommodant.* 3. *Relinquitur in medio, quo Martyrologio sit standum circa genuinam et sinceram nominum formationem.* 4. *Non tam diversitas dierum doctissimo Viro molestiam facessere debebat, quam diversitas nominum; pro illa adoptat duos dies diversos; pro hac, in qua totus tricarum nodus consistit, ne vel verbum quidem profert, quo plane satisfaciat. Jam vero hac die* XVIII *Julii, ubi se offerebat locus proprius de ista mirabili diversitate disserendi, nihilo fere plus præstat : nam eam animadvertit quidem; variasque profert conjecturas circa nomina* Germani, Herenei *et* Magni; *sed quantum præter ista solvendum relinquat, satis patet; eo tandem confugere compulsus, ut bina singulis Fratribus nomina fuisse, quamvis non affirmet, suspicari tamen videatur utcumque, di-*

sicut hic ostenditur,

 cens :

AUCTORE J. P.

cens : Nec utique assererem omnes signatos Fratres binomios fuisse, sicut S. Getulius martyr, S. Symphorosæ maritus, qui et Zotius (*Zoticus*) dicebatur (*de quo expressimus nostrum judicium*) neque id sine alicujus vetustioris libri auctoritate affirmarem.

nec Henschenius;

18 *Henschenius supra laudatus duplicem ponit sub distinctis titulis Martyrum classem ; alteram* SS. Felicis et Spinellæ, ac septem germanorum ; *alteram vero* sanctorum Martyrum Cordubensium ; *plurimum dubitasse se scribens pag.* 253, *num a priore classe demeret illud* Septem Germanorum, *ac poneret novum titulum ex Adone, Usuardo et aliis, in hunc modum :* Tiburtina civitate septem Germanorum, Crescentis, Juliani, Nemesii, Primitivi, Justini, Stactei, Eugenii, *reliquis Cordubæ in Hispania tributis. Verum absterritum se fatetur antiquis monumentis, quæ habentur pro* XVIII *Julii, de quibus supra. Denique ex hac apographi Lucensis et Blumiani clausula, Martyribus nostris adscripta,* quorum gesta habentur, *optat, ea reperiri posse, ut ex collatione genuinorum ac primævorum Actorum cum iis, quæ modo exstant,* B *videatur, an conveniant inter se, et nomina dumtaxat alia fuerint substituta; quod fatetur, se definire non posse. Addit deficientium in veris Actis nominum indicium forsan esse, quod in Usuardo, in Alsatia aucto, non repetantur nomina; sed dicatur* primus in gutture transfixus, alius in pectore punctus, tertius in corde fixus *etc. Hæc habuit, quæ diceret, Henschenius, usu ac tempore in tricis Martyrologicis apprime versatus ; ulteriore decisione ad hunc diem remissa, si meliora documenta fuerint proposita.*

nec Ruinartius aut Tillemontius,

19 *Ruinartius de hac controversia nullus meminit. Breviter eam proponit Tillemontius Monum. eccl. tomo* II *in notis, pag.* 596. *Deinde nodi hujusce triplicis tricas solvere exorsus, recte affirmat, neutiquam verosimile esse, quod imposita eis fuerint nomina, in Actis expressa, aliaque in Martyrologio eisdem aptata sint : ad hæc, etiamsi ipsorum Acta forent falsa ; cur eorum auctor nomina illis accommodasset Martyrum Hispanorum? Id quod fictionem ejus reddebat detectu faciliorem. Si ignorabat vera Martyrum nomina, supposuisset potius adinventa. Vix etiam credibile est, illorum nomina ignorasse, quæ legere poterat in Hie-* C *ronymianis, quæque haud dubie vel scripto, vel traditione ac fama apud Tiburtinos conservabantur. Nam quamquam supponamus, inquit, Acta ista ab Eusebio et Africano conscripta non fuisse ; habenda tamen sunt nihilominus tamquam valde antiqua, cum Beda illa sequatur tam circa nomina Martyrum, quam plura rerum adjuncta.*

cujus postrema decisio nobis non probatur, multo minus alterius recentioris.

20 *Ita ratiocinatur Tillemontius et recte. Tum rem decidit, istam antilogiam refundendo in confusionem vitio amanuensium factam in Martyrologio Hieronymiano : quod in eo pronum sit, et satis commune. Id vero locum habere in Actis, non æque facile censet præsumi posse, stante pro eorum auctoritate Beda, Adone, Usuardo, ceterisque omnibus, qui de eisdem meminerunt, si Notkerum excipias. Quid? Quod Hieronymiana aliunde hic tricis non careant : nam tametsi plures non numerent* S. Symphorosæ *Filios quam septem, recensent tamen octo aut novem personas, Florentinio mirum in modum idcirco se torquente. Tillemontium audisti ; cui adjungas licet Illustrissimum Franciscum Mariam de Aste, archiepiscopum Hydruntinum, qui in suis Disceptationibus ad Martyrologium Romanum, anno* 1716 *Beneventi editis, totus est hac die in recensendis difficultatibus,* D *quarum nodum vix satis apte scindit, nedum solvit, dum ita concludit :* Ne septem Symphorosæ Filiis ullum præjudicium afferatur, et ut exstet Romanum Martyrologium sine ulla hæsitatione, interjecto sapientiorum judicio, demptis Symphorosæ Filiorum nominibus, ut [in] Martyrologio Reginæ Sueciæ Ms. proferatur » Romæ S. Symphorosæ . . . cum septem Filiis suis. *Sed hoc est difficultatem vitare, non solvere.*

Proponitur nostra circa eam controversiam sententia.

21 *Nunc liceat mihi tot aliorum conatibus symbolam conferre, et quid sentiam exponere. Quo minus assentiar Tillemontio, prohibet sequens causa. Hieronymiana apographa ex multiplici transcriptione multis locis mendosa esse, mutatis, luxatis, corruptis, transpositis, et loco suo avulsis, et in non suum intrusis nominibus, res testatissima habetur : ast circa integras Martyrum classes, id umquam vitii contraxisse ; quasi longa nominum series alibi extracta, alibi intrusa fuerit, neutiquam hactenus induci possum ut credam ; et durum mihi videtur id admittere, quamdiu depravatio tam crassa per specimina saltem aliquot non probatur : qualia proferuntur pro additamentis,* E *postea ab aliis adjectis, ac innumeris mendis, quibus scatet. De qua re consuli potest præfatio nostra generalis in principio Operis cap.* IV, § IV, *et alia ad Usuardum pag.* 7; *ubi nihil hujusmodi lego de avulsis, transpositis, aut alio intrusis integris Martyrum classibus ; neque ab alio id hactenus castigari aut observari scio. Hoc itaque ibidem esse factum, in nostro casu non præsumitur ; adeoque quia apographa Hieronymiana reliquis Martyrologiis ætate anteponuntur, a Martyrologis referri solita ut minus ad sæculum sextum, legendam cum eis nostrorum Martyrum classem probabilius judico : qui hoc posito prorsus a Cordubensibus distinguuntur ; non vero in sententia Tillemontii ; qui hanc difficultatem supra attingit, sed insolutam relinquit. Nec mirum videri debeat, Tillemontium hic ab Hieronymianis recedere ; nam, sicut observat Honoratus a S. Maria, Carmelita Discalceatus, in suo opere De usu ac regulis critices, non ita pridem Gallice edito, tomo* I, *part.* II, *art.* 22, *pag.* 173, *illud Martyrologium infinitis locis citat, ut opiniones suas confirmet ; at ubi reperit in eo aliquid, sibi quod incommodet,* F *non desinit illud rejicere tamquam opus mendis plenum et exiguæ auctoritatis. Tanta quoque dierum differentia, quibus aliter in Hieronymianis, aliter in Adone annuntiantur, fallor si non aliquid amplius sapiat, quam mendum amanuensium. Jam vero Acta, a quibus recedimus, sunt quidem antiqua, sed incertæ tamen ætatis, nec omnino sincera : nec ipse Tillemontius ea tamquam* originalia *admittit in notis pag.* 595. *Illa, vel eorum compendium, quantum conjicimus, præluxerint Bedæ a Floro aucto, in nominibus quæ signat ; exinde ea de more adoptarit Ado ; in notatione diei secutus Romanum parvum, quod Fratres ponit innominatos die* XXVII *Junii, ideoque coactus aliunde nomina mutuare. Unde ad Usuardum aliosque transierint. Quæ apponebat Tillemontius de nominibus ad septem Fratres ultra numerum adjunctis, facile solvi possunt ; si cum Henschenio alio ab aliis separes. Nomina autem in titulo hujus commentarii posuimus eodem ordine et modo, quibus ea leguntur in Martyrologio ac Breviario Romano ; nisi quod in Breviario pro* Crescente *scribatur* Crescentius. *Lectioni quippe sacris Ecclesiæ fastis insertæ plus deferimus,* quam

AUCTORE J. P.

A quam ut eam mutemus ob particularem nostram opinionem, quam, salvo semper meliori judicio, tamquam nobis probabiliorem proposuimus.

§ III. Acta; dies cultus ac mortis; sepultura.

Actis nostrorum Martyrum inter selecta et sincera locum dedit Ruinartius. Laudat ea Tillemontius a brevitate ac simplicitate : quæ et commendat in notis pag. 595. *Non tamen primigenia phrasi ad nos pervenisse ; sed in summa etiam brevitate interpolationem passa, et jam indicavimus, et suadetur ex sequentibus. Displicet enim inductio ista , quæ in principio eis præfigitur :* S. Eusebius historiographus memorat, Africanum pene omnium de Urbe regia, atque de tota Italia Christi Martyrum gesta conscripsisse : nam Symphorosam dixit apud Tirbutinam urbem cum septem Filiis suis una die ab Adriano principe, hoc ordine interfectam. *Apud Mombritium, Surium, Cardulum et in utroque manuscri-* B *pto Trevirensi illa fere habentur : quæ nos Ruinartii exemplo prætermittemus. An titulus* Sancti, *qui alibi apponitur Eusebio, et alibi omittitur, vere ipsi conveniat, hic non inquirimus : rem discutit Florentinius in Exercitationibus præviis a pag.* 71.

23 *Antiquissimis sane Martyrologiis nomen ipsius inscribi, ostensum est in observationibus ad Usuardum illustratum, die* XXI *Junii : ubi plura, quæ huc spectant. Ceterum in Eusebio haberi id, quod hic asseritur, rotunde negat Tillemontius : neque ego in eo usquam illud reperi ; ubi tamen Histor. eccl. lib.* VI, *cap.* XXXI *scripta Africani singulatim enumerat. Credere cum Cardulo, hoc ab ipso traditum in Commentariis, quos de Martyribus edidit, mera est conjectura : cum antiquitas hoc nobis opus inviderit. Addi præterea his potest, quod prædicta verba neutiquam determinent, an ab Eusebio, an ab Africano immediate ista Acta extracta sint : quidquid Baronius in notationibus ad hunc diem velit* scripta (ut præfert, *ait,* titulus) ab Africano; *qui floruit sæculo* III *aliquantulum adulto. Videsis de eo Cardulum in notis pagg.* 57 *et* 58.

24 *Ado, Petrus de Natalibus, Surius ac Cardulus, quos sequitur Ruinartius, longiuscula alia* C *digressione carent, quam habet Mombritius paulo aliter quam contineatur in utroque Trevirensi Ms. ; e quo illam produco :* Post septem vero dies, in die octava martyrii eorum, filiam Adriani imperatoris arripuit diabolus, et veniens ad locum, ubi obruti erant Sancti, clamabat per os ejus diabolus, dicens : Domini mei, septem germani, Martyres Christi, incenditis me miseram. Ipsum autem patrem ejus Adrianum imperatorem invasit timor, ut ossa ejus carperentur. Et dum vidissent eum magi et arioli ipsius sic concuti, fecerunt eum sub terram in palatio Tiburtino morari languentem, ibique persistere, dicentes ei : Si lucem videris diei, aut solis splendorem respexeris, mox * morieris : sed cum prope annum ibi moratus fuisset, desiderio luminis cælestis ductus, exiit foras : et statim eum dæmon arripuit, et tamdiu vexavit, quousque spiritum ejus abstulisset. Factus est autem timor Christi.

25 *Nec vero recentissimi cujusdam interpolatoris additamentum illa dixeris : nam Rabanus compendium eorum narrat ; quæ non in Beda vel Floro invenit, unde sua solet describere, et unde ea, quæ habet hic, fere verbatim descripsit, sed in corruptis, ut puto, Actis : quæ imperiti alicujus fabulatoris inscitia accreverint, neutiquam gnari, quam male cohærerent cum suo commento morbus, annus ac locus mortis Adriani imperatoris : ut qui anno* 135 *languere incipiens, contracta hydrope, ægra traxit membra, lenteque moriens tandem* 138 *Baiis in Campania diem clausit supremum. Conjugis quidem ipsius Sabinæ, nullius vero ex ea susceptæ prolis mentionem reperio apud Spartianum : qua alibi legitur caruisse. Notat etiam Ruinartius, in uno codice Colbertino et alio ex Sorbona, nonnulla inserta fuisse ejusdem vel similis, ut puto, furfuris, de morte Adriani : quæ paullo post horum Martyrum necem contigisse ibi referatur. Unde liquet, non undequaque sincera esse illa Acta, quæ hodiedum circumferuntur. Idem evincit lacinia apud Cardulum, in aliquibus, ut testatur, exemplaribus addita, et recte in utroque Ms. Trevirensi et in editione Ruinartii non apposita. Sic habet :* Olim requieverunt *(corpora sanctorum Martyrum)* via Tiburtina . . nunc autem auxiliante Domino requiescunt in urbe Roma, in basilica beati archangeli Michaëlis.

E nec sibi in omnibus constare

26 *Enimvero recte et candide Florentinius in notis pag.* 670 *de sæpe dictis Actis agens,* Equidem, *inquit,* vetustatem illam, quam promittunt, sapere non videntur ; cum in iisdem memoria agatur translationis factæ sub Stephano PP., qui vix primus esse potuit temporibus persecutionis *(anno circiter* 260 *e vivis ereptus ;)* sed secundus vel tertius ad octavum fere seculum. *Ad hæc, quod Acta antiquitus in omnibus sibi non constiterint, vel quod postea alterata fuerint, illud argumento est, quod Beda aut Florus, eorum textum mutuare consuetus, aliter recenseat martyrium* Justini *et* Stactei, *quam Acta ipsa illud referant : nam quod in illis dicitur Adrianum jussisse,* Justinum aversum per dorsum perforari gladio ; *legit Beda :* Justinum per membra distensum scindi per singulos corporis nodos atque juncturas. *De* Stacteo *autem legunt Acta,* in latere vulnerari. *Pro quo scribit Beda,* lanceis innumerabilibus, donec moreretur, in terram configi. *Bedæ aut Floro consonat Ado : Usuardus hic Adonem non sequitur, sive quod diversitatem istam videret, sive quod paucis omnia expedire vellet, sic breviter dicens :* Filii autem *(S. Symphorosæ)* stipitibus ad trochleas extensi, diverso mortis exitu martyrium compleverunt. F *Acta edidit Ruinartius ex impressis in Mombritio, Surio et Cardulo, cum duobus Mss. codicibus Colbertinis, et uno ex Sorbona collatis ; quæ nos ex ipso damus, adhibitis etiam duobus Mss. Trevirensibus S. Maximini, et S. Martini. Historiam Gallice compilavit Tillemontius ac Legendista neotericus Gallus.*

27 *Ex annuntiationibus paragraphi præcedentis constat, sanctos hosce Martyres diversis diebus cultos fuisse : nimirum, ut Rabanus post Bedam, die* XXI *Julii ; ut Hieronymiana cum Notkero ac Martyrologio Romano, hac die* XVIII *Julii ; ut Romanum parvum, Ado, et Usuardus, quos sequitur Beda supposititius, die* XXVII *Junii. Laudatus Usuardus non habet eos hoc die, uti recte observat Florentinius pag.* 627, *contra Baronium in notationibus ; quamquam tunc referantur in additionibus Usuardo adjectis, sicut videre est in auctariis ; nec habentur apud ipsum die* XXI *Junii, sicut male asserit Ruinartius in sua admonitione prævia ad Martyrum Acta ; voluerit fortasse notare dum*

AUCTORE J. P.

diem XXI *Julii, quo* S. Symphorosa *in quibusdam additionibus Usuardinis pluries recurrit. Corrigi hic meretur Molani corrector Tillemontius, qui in notis pag.* 596 *sic habet :* Usuardus ponit S. Symphorosam et Filios eju· XVIII Julii in editione MDLXXXIII (*quæ est tertia Molani*) et Molanus non monet, se mutasse diem festi eorum, prout certe facere debuisset. *Sed Molanus, qui in prima editione cum Usuardo puro dederat Martyres nostros die* XXVII *Junii, monet in epistola ad lectorem, secundæ editioni anni* 1573 *præfixa, fol.* 5 *verso, num.* 8, *uti et in dicta* III *editione, se* natales quorumdam Sanctorum transposuisse juxta Concilii Tridentini Breviarium ; *et non tantum monet, sed etiam facti rationem reddit, id quod fugit Tillemontium. Ado disertissime diem mortis determinat, dicens :* Natale vero sanctorum Martyrum est v Kal. Julii : *unde Florentinius, hunc diem morti ac cultui eorum tribuit, sed rursum peragi censet eorum memoriam* XV *Kal. Augusti ex aliqua solenni translatione, ut jam diximus. Sed quid vetat, quo minus die* XVIII *Julii agonem consummarint? celebrata verosimiliter mox post mortem eorum* B *solennitate eo ipso die, quo corona martyrii donati sunt ; ac* XXVII *Junii erecta fortasse supra ipsorum sepulcrum postmodum fuerit ecclesia, aut alia quædam solennitas in eorum honorem instituta : clare enim apographa Hieronymiana signant* XV Kal. Augusti. *Pro quo numero forte legerit Beda in Actis, quorum partem aliquam transcribit,* XII Kal. Augusti, *sicut notat Tillemontius pag.* 596. *In passione S. Getulii a Cardulo edita dicitur Sancta cum filiis obiisse* XXVII *die mensis Junii ; sed in ea, quam nos edidimus, hoc non habetur : ut forte additamentum sit. Itaque nos standum verosimilius putamus apographis Hieronymianis, quamdiu in positione diei vitiosa non probantur, conformiter ad Acta nostra ac Martyrologium Romanum : quo die etiam illos signat Wandelbertus, hoc distichon metricum canens :*

Quindecimam genitrix septena prole dicavit
Symphorosa pio pariter cum germine cæsa.

An vero Mater an Filii potius isto die martyrio coronati sint, quis definiat? Scimus ex Actis non eodem passos : recte tamen eodem omnes simul junguntur in Fastis sacris. Gavantus in Commentariis ad Rubricas Breviarii tomo II, *sect.* VII, C *cap.* IX *hæc de cultu eorum notat :* In Appendice Gregor. Romæ tantum ait Radulph. propos. 22. Simplex in Ms., et MDL ut hodie.

Locus sepulturæ S. Symphorosæ determinatus traditur in Actis.

28 *Sed nunc Martyrum sepultura nos vocat. Et* S. Symphorosæ *quidem satis clare determinatur in Actis :* Cujus corpus colligens frater ejus Eugenius, principalis curiæ Tiburtinæ, in suburbana ejusdem civitatis sepelivit. *Ad quæ Cardulus sic notat :* Qua in parte agri Tiburtini hoc S. Symphorosæ prædium fuerit, ignoratur. Tiburi certe proximum ac vicinum fuisse, ipsum suburbani vocabulum docet : nam fundus, hortus, ager, rus, prædium, villa suburbana dicuntur, quæ sub urbe seu extra urbem sunt. Tibure quidem in templo S. Vincentii martyris exigua crypta monstratur, quæ priscis seculis extra urbem in hujus fortasse Sanctæ matronæ suburbano fuisse existimatur ; postea pomœrio prolato, mœnibusque ampliatis, intra superiorem urbis ambitum inclusa. In ea crypta B. Symphorosam cum Filiis aliquamdiu per ea tempora delituisse, cum Romanorum principum in Christianos furor et impietas desæviret, nullius quidem certi auctoris testimonium, sed tamen constans ac vetus apud Tiburtinos opinio et fama confirmant. Ceterum Sanctæ martyris corpus sepulcro Filiorum postea illatum fuisse necesse est, ubi ejus nomine ecclesiam constat ædificatam. D

quam Filiorum ejus.

29 *Locus sepulturæ septem Fratrum obscurior est :* Nam, *uti habent Acta,* quievit persecutio annum unum et mensibus sex : in quo spatio omnium Martyrum honorata sunt sancta corpora, et constructis tumulis condita cum omni diligentia . . Eorum corpora requiescunt Via Tiburtina milliario ab urbe octavo. *Sic etiam legit Cardulus, addens pro* octavo alias nono. *Mombritius cum Ms. Trevirensi S. Martini scribit* milliario nono, *omisso* ab urbe. *Hieronymiana apographa, ut vidimus, legunt,* Via Tiburtina miliario : *Corbeiense cum Adone ac Petro de Natalibus addunt* nono ; *et, teste Florentinio pag.* 669, NONUM *retinent fere omnes. Verum nil attinet in hujusmodi minutiis morari ; quæ parum faciunt ad rem, et quorum genuina lectio sperari non possit.* Ab urbe, *quod mox legisti, si vere ita scribi debeat, sine dubio, sicut recte observat Tillemontius in notis, intelligendum de Roma, nomine Urbis antonomastice appellata, non vero de Tibure. Et illo sensu apographa Hieronymiana Martyres annuntiant* Romæ Via Tiburtina. *Romanum parvum, Florus, Ado cum Martyrologio Romano moderno Tiburi eos attribuunt, tum quia ibidem passi; tum quia utrimque æquali fere spatio sepulcrum eorum distabat : nam Roma Tibur numerantur milliaria sedecim sive, ut dicit Ferrarius in Topographia Martyrologii Romani* XVI *M. P.* E *a quo locus sepulcri forte paulo minus aberat, si vere sepulti fuerint* milliario nono ab Urbe.

30 *Aringhus Romæ subterraneæ lib.* IV, *cap.* XVII, *pag.* 132, *num.* 2 *meminit* in ipsorum honorem ecclesiæ quondam erectæ, cujus adhuc vestigia in Maffeiorum prædio extare *asserit, loco nuncupato* Ad septem Fratres, *qui corrupte vulgo dicitur* a sette fratte : *ubi conjicit extitisse locum sepulturæ Martyrum ac palæstræ ; Christianis ibi templa erigere consuetis, ubi passi erant Martyres aut depositi. Similia ante Aringhum scripserat Cardulus in notis pag.* 171, *probans hunc locum in agro Tiburtino olim jacuisse ex eo, quod Romanus angustis admodum finibus olim circumscriberetur. Quo referendam arbitror* F nobilem ac pervetustam S. Symphorosæ memoriam, *quæ, uti tradit Baronius in notationibus,* Via Tiburtina habetur : *ubi per τὸ* habetur, *videtur innuere, eam etiamnum suo tempore exstitisse ; Aringhus autem suo non nisi* vestigia *superfuisse tradit. Certe Sanctorum exuvias non eodem semper, quo primum fuerant depositæ, loco quiescere perrexisse, constabit ex dicendis paragrapho proxime sequente.*

§ IV. Translatio, inventio ac reclusio corporum; reliquiæ Tibur advectæ ad templum sub Symphorosæ nomine dedicatum; alibi aliæ honoratæ.

I*n quibusdam Actorum exemplaribus adjecta fuere hæc verba, quæ leguntur apud Surium et*

translatio cor-

et Baronium in notationibus, et Sanctorum corporum e primævo sepulturæ loco translationem docent : Horum reliquiæ Romam translatæ, nostris temporibus inventæ sunt in diaconia S. Angeli in foro piscario, ac una cum eis plumbi lamina his verbis descripta : « Hic » requiescunt corpora sanctorum martyrum » Symphorosæ, viri sui Zotici, et filiorum ejus, » a Stephano PP. translatæ ». *Ibidem etiam celebrari festum* S. Symphorosæ, *et Filiorum, eorumque corpora illic asservari, dictum est jam pridem ex Carolo Bartholomæo Piazza, ad diem* x *Junii, pag.* 264. *Octavius Pancirolius in Thesauris absconditis urbis Romæ, Regione* x, *ecclesia* I, *asserit prædictam ecclesiam a Pontifice Stephano juniore, (qui secundum Baronium fuit istius nominis III, sed qui passim ab aliis rectius vocatur II, sicut diximus ad eumdem diem) anno* 752 *creato, restauratam ac ditatam fuisse sacris reliquiis ; et hunc in finem elevasse corpora ab ea ecclesia, quæ iisdem primitus fuerat destinata Via Tiburtina,* sub nominibus SS. Getulii, Symphorosæ, et septem Filiorum. *Cardulus pag.* 173 *ista erudite confirmat, ac pluribus*
B *deducit, quæ hic referre supersedeo. Cur vero hanc ædem potius quam aliam sacris hisce pignoribus ditare voluerit laudatus Pontifex, hanc conjecturam affert ; quod idem Stephanus, cum Cardinalis esset, huic S. Michaelis archangeli diaconiæ fortasse præfuerit. Aliam præterea rationem assignat :* Si, *inquit*, marmor in ea quondam æde positum fidem facit, in quo legitur inscriptio, quæ docet, temporibus Domini Stephani junioris PP. illam fuisse vel dedicatam, vel a Theodoto olim duce, tunc primicerio Sedis Apostolicæ, et ab hujus Benedicto diacono, a solo exstructa pro remissione omnium peccatorum, et animæ suæ salute.

ossa in- … reclusa

32 *De earumdem vero sacrarum reliquiarum inventione ac reclusione, ita scribit laudatus pluries Cardulus a pag.* 175 *:* Ceterum hæc sacra ossa sub ara maxima ejus ecclesiæ condita Pio IV Pont. Max., cum illud altare, quod extra hemicyclum seu tribunal, sive, ut ecclesiastici scriptores loquuntur, absidem hactenus fuerat, ad medium hemicycli parie-
C tem transferretur, detecta sunt, atque in loculum sive arcam fenestratam, vitroque translucidam, ut populo ad pium cultum et venerationem statis diebus exponerentur, transposita. Cum vero per eam pietatis speciem, visendique facultatem, multis Pontificis concessu aliquid ex sanctis reliquiis auferendi præberetur occasio, et in dies illæ minuerentur, idcirco anno salutis MDLXXXVII ad VI Kal. Octobr. Marianus Perbenedictus Camers, episcopus Marturanensis, et almæ Urbis gubernator, qui ejus ædis olim canonicus fuerat, sub eodem altari primario sancta ossa prisco more, numquam deinceps visenda reposuit, marmoreo sepulcro, quod suis fecit impensis, inclusa, et hoc epitaphio atque inscriptione signata : SS. MARTT. SYMPHOROSÆ, EJUSQUE VIRO, ET SEPTEM FILIIS, Mar. Perbenedictus, episc. Marturan. Almæ Urbis Gub. ædis hujus olim canonic. Fecit MDLXXXVII.

33 *Reliquiæ tamen nonnullæ Tibur solenni pompa prius translatæ fuerant ad templum Societatis Jesu, sub eorumdem Sanctorum nomine consecratum, prout testatur Cardulus a pag.* 176 : Ex eo loculo tunc octo fragmenta sacrorum ossium accepta sunt, et antea anno MDLXXXIV sexto Kal. Decembr., pontificatus Gregorii XIII tertio decimo desumptæ fuerant ejusdem Pontificis liberalitate hæ paucæ reliquiæ : de capillis ac velo capitis S. Symphorosæ ; crus integrum, et capitis frusta duo, et frustum costæ eorumdem S. Symphorosæ ejusque viri, et Filiorum : quæ reliquiæ ea sunt conditione concessæ, ut Tibur ad novum templum Societatis Jesu ornandum deferrentur : nam Tibure in tanto sacrarum ædium numero, quantum egregia veterum Tiburtinorum pietas et religio excitavit, nulla B. Symphorosæ, seu Filiorum nomine constructa visebatur : quod cives videlicet ea contenti forent, quam Via Tiburtina, ubi sancta corpora quiescebant, septimo ab Tibure milliario positam, religiose colerent ac frequentarent.

AUCTORE J. P.

34 Sacris inde reliquiis Romam translatis, atque ecclesia temporum perturbationibus collapsa, Tiburtes sive dolore animi ob amissum tam pretiosum thesaurum consternati, sive rei vel publicæ vel privatæ angustiis impediti, neque veterem instaurare, neque novam in urbe, cum maxime cuperent, condere potuerunt. Sed eorum piis optatis ac votis divina bonitas nunc demum respondit, cum templum Christiana munificentia Matthæi Contarelli (cujus egregiis virtutibus, et singularibus in Societatem Jesu promeritis nulla par esse potest oratio) S. R. E. in tit. S. Stephani in Cœlio monte presbyteri Cardinalis, ad usum Collegii Societatis Jesu, optimo et commodissimo urbis loco ædificatum S. Symphorosæ nomine sibi voluit dedicari. Quocirca eorum venerandæ reliquiæ, quas diximus, lignea effigie inaurata inclusæ sunt : capilli quidem et velum in cavo capite, ossa vero in pectore vitreis, pellucentia. In altera item effigie cranium S. Getulii eodem modo continetur. *Et post paucula, quæ addit de aliorum Sanctorum reliquiis, ita pergit, solennem pompæ apparatum describens :*

in novum templum Societatis Jesu, S. Symphorosæ sacrum: E

35 Hæc omnia XVI Kal. Augusti, hoc est, pridie natalis S. Symphorosæ ac Filiorum ; magna cum pompa, et celebri Tiburtis cleri populique concursu Tibur dilatæ sunt.. ; et ingenti animorum lætitia, maximo plausu, piæ voluptatis sensu singulari, apparatu denique tanto exceptæ sunt, quantum tenues civium opes, et temporis angustiæ patiebantur. Deportatæ sunt humeris sacerdotum Societatis Jesu per vices oneri subeuntium. Obvium extra portam inferiorem usque ad B. Deiparæ Virginis ædem, villæ Mæcenatianæ subjectam (in ea enim ecclesia, quam Societas Jesu 45 jam adhuc annis possidet, substiterunt sacræ reliquiæ) supplex processit cum episcopo clerus, et omnium ordinum sacræ familiæ, laicorumque cum suis vexillis collegia et sodalitates. Tota urbe parietes, qua pompa ducebatur, aut peristromate, aut arborum erant ramis prætexti : fonticuli passim per canaliculos derivati : arcus seu fornices honoris causa variis locis ad tempus exstructi, atque apto carmine inscripti, et pictura ornati.

quo summa cum pompa, F

36 *Versiculos arcui primo ad episcopium sub imagine Sanctorum, alteri ad primarium templum S. Laurentii in foro Ulmi, tertio ad S. Valerii ædem,*

ac plausu delatæ sunt.

AUCTORE J. P.

ædem, quarto ad ecclesiam S. Dominici, quinto ad forum trivii, ac denique supra januam novi templi Societatis Jesu inscriptos, uti et hymnos Latinos in ipsa supplicatione decantatos exhibet Cardulus una cum epigrammatibus Latinis quindecim metro elegiaco illigatis. Nec tacet frequentissimum concursum populi ad templum, lucraturi, quod Sixtus V PP. indulserat, jubilæum, continuato postmodum alacritatis ac studii erga Sanctos indigetes ac patronos fervore et incremento. Nec fructu caruit singularis Tiburtinorum erga Sanctos veneratio : Testis est, *inquit Cardulus,* præter ceteros vitæ integritate, prudentia, et morum gravitate insignis sacrorum Antistes *(nomen non exprimit)* qui pro fratris sui filio parvulo ægroto, atque in vitæ discrimen adducto, hos Sanctos martyres cum nuper eo in templo supplex oraret, voti compos illico factus, incolumitatem puero impetravit.

Enumerantur loca alia reliquiis honorata.

37 *Reliquum est, ut iis quæ de Sanctorum nostrorum sacris lipsanis allata sunt, atteratur sequens coronis :* Eorumdem vero Martyrum corpora, *inquit Aringhus loco supra citato,* et Zotici ad hæc usque tempora Tiburtini cives se pretiosi instar thesauri possidere gloriantur. *Quo sensu id intelligi debeat, patet ex dictis ; et ipse recte addit,* id de aliqua dumtaxat sacrarum reliquiarum particula subintelligendum esse. *Ad hæc, ut Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ testatur, feruntur aliquot eorum reliquiæ asservari Ticini in æde parochiali S. Eusebii. Masinius in Bononia perlustrata pag.* 412 *dicit* S. Symphorosæ mart. *reliquias conservari in S. Petri. Raissius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 41 *reliquiis S. Amati Duaci accenset* de SS. Nemesio, et Symphorosa matre ejus. *Cardulus pag.* 170 *agens de corde* S. Nemesii *percusso vel transfixo, tradit,* id . . ita transfixum hodieque *(anno* 1588, *quo historiam Martyrum nostrorum edidit)* post annos MCCCCLXV servari et cerni. *Oppidani S. Angeli in Pontano Firmanæ diœcesis in Italia vendicant sibi corpus S. Juliani (nostri, ut volunt, non alterius.) In epistola anno* 1701 *a nostro Josepho de Albertis de Sanctis oppidi prædicti, patriæ suæ, ab ipso huc directa, ac pluribus authenticis testimoniis modernis juridice firmata, lego :* In ecclesia S. Augustini conservatur et publicæ venerationi exponitur corpus S. Juliani martyris, filii S. Symphorosæ martyris, secundi ex septem, quos terræ prius, et postea cælo peperit. *Utinam antiquioribus testimoniis nobis constaret de adjunctis, quibus illud corpus affirmatur hujus determinate* Juliani *esse. Atque hæc quidem hactenus de* S. Symphorosa *ac septem Filiis Martyribus ; quos Bartholomæus Piazza in Hemerologio sacro Romæ Christianæ et gentilis Italice edito pag.* 55 *somniat fuisse e nobilissima familia Romana* de Cercali.

PASSIO

Ab auctore Anonymo conscripta,

Ex editis et collatis apud Theodoricum Ruinart inter Acta sincera et selecta, a pag. 23 editionis Wetstenianæ, cum aliis Mss. collata.

Cum fabricasset Hadrianus palatium, et id dedicare vellet ritu illo nefario, cœpissetque sacrificiis idolorum ac dæmonum, qui in idolis habitant, flagitare responsa : responderunt et dixerunt : Symphorosa vidua cum septem Filiis suis laniat nos quotidie, invocando Deum suum. Ista itaque si cum Filiis suis sacrificaverit, promittimus nos omnia præstare, quæ petitis. Tunc Hadrianus jussit eam teneri cum Filiis, et blandis eos sermonibus hortabatur, ut ad sacrificandum idolis consentirent.

2 Cui beata Symphorosa dixit : Vir meus Getulius cum fratre suo Amatio *a*, tribuni tui cum essent, pro Christi nomine passi sunt diversa supplicia, ne idolis consentirent ad immolandum, et quasi boni athletæ dæmones tuos moriendo vicerunt. Elegerunt enim magis decollari, quam vinci ; passi mortem, quæ pro nomine Christi suscepta, inter homines quidem ignominiam eis peperit temporalem, inter angelos vero decus et gloriam sempiternam ; inter quos nunc gradientes, et tropæa passionum suarum dantes *b*, cum æterno Rege vita æterna fruuntur in cælis.

3 Hadrianus imperator dixit ad S. Symphorosam : Aut cum Filiis tuis sacrifica diis omnipotentibus, aut te ipsam cum Filiis tuis sacrificari faciam. Beata Symphorosa respondit *c* : Et unde mihi tantum boni, ut ego merear cum Filiis meis offerri hostia Deo ? Hadrianus imperator dixit : Ego te diis meis sacrificari faciam. Beata Symphorosa respondit : Dii tui me in sacrificum accipere non possunt ; sed si pro nomine Christi, Dei mei, incensa fuero, illos dæmones tuos magis exuro. Hadrianus imperator dixit : Elige tibi unum ex duobus ; aut sacrifica diis meis ; aut malo interitu finieris.

4 Beata Symphorosa respondit : Tu existimas, quod possit animus meus aliquo terrore *d* mutari ? Cum ego desiderem cum viro meo Getulio, quem pro nomine Christi interfecisti, requiescere. Tunc Hadrianus imperator jussit eam duci ad fanum Herculis, et ibi primo alapis *e* cædi, et post hæc capillis suspendi. Sed cum nulla ratione nulloque timore posset eam a bono proposito *f* revocare ; jussit eam alligato ad collum ingenti saxo in flumen *g* præcipitari : cujus corpus colligens frater ejus Eugenius, principalis *h* curiæ Tiburtinæ, in suburbana *i* ejusdem civitatis sepelivit.

EX EDIT. RUIN.

5 Alia vero jussit Hadrianus imperator simul omnes septem Filios ejus sibi præsentari: quos cum ad sacrificandum idolis provocaret, et nullo pacto eos videret suis minis atque terroribus consentire; jussit circa Herculis templum septem stipites figi, et ibi eos ad trochleas *k* extendi: et primum Crescentem *l* præcepit in gutture transfigi: secundum Julianum in pectore pungi *m*; tertium Nemesium in corde percuti *n*, quartum Primitivum in umbilico vulnerari *o*; quintum Justinum aversum per dorsum perforari gladio *p*; sextum Stracteum *q* in latere vulnerari *r*; septimum vero Eugenium a summo usque deorsum findi *s*.

6 Altera vero die veniens Hadrianus imperator ad fanum Herculis, jussit corpora eorum simul auferri, et projici in foveam altam, et imposuerunt pontifices nomen loco illi, Ad septem Biothanatos *t*. Post hæc quievit persecutio anno uno, et mensibus sex *u*. In quo spatio omnium Martyrum honorata sunt sancta corpora, et constructis tumulis condita cum omni diligentia: quorum nomina
B descripta sunt in libro vitæ. Natalis vero sanctorum Martyrum Christi beatæ Symphorosæ, et septem Filiorum ejus, Crescentis, Juliani, Nemesii, Primitivi *x*, Justini, Stractei et Eugenii celebratur sub die XV Kalendas Augusti. Eorum corpora requiescunt in Via Tiburtina milliario ab urbe octavo *, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Al.* Amantius.

b *Cod. Colbertinus apud Ruinartium* tropæa passionum suarum laudantes.

c *Responsio hæc et sequens interrogatio non est in Colbert. et Mombr.*

d *Surius male* tenore. *Mombritius cum utroque manuscripto Trevirensi* quod possis animum meum aliquo terrore mutare.

e *Beda a Floro auctus, Ado, Usuardus cum Martyrologio Romano* palmis: *utrumque Ms Trevirense non recte* lapidibus. *Cardulus pag.* 165
C *notat, colaphis, alapa ac palmis cædi non semper esse synonyma.*

f *Deest* a bono proposito *in utroque Ms. Trev.*

g *Anienem intellige, vulgo, Teverone, qui Tibur alluit.*

h Principales *sunt decuriarum primi, a quibus distributionum omnium forma procedit, uti observat Cardulus, plura congerens pag.* 168.

i *Surius, Cardulus et utrumque Ms. Trev.* suburbano.

k *De hoc instrumento, ac de etymo vocis Cardulus a pag.* 169, *et Gallonius de Cruciatibus Martyrum cap.* II.

l Crescens *Bedæ, Adoni, Usuardo: at in Breviario Romano* Crescentius, *ut diximus. Petrus de Natalibus scribit* Crescentium *et* Crescentem. *Monet Cardulus in his duobus nominibus sæpe variare auctores.*

m *Brev. Rom.* Juliano pectus confoditur. *Ado brevius:* Crescentem in gutture transfigi; Julianum in pectore; Nemesium in corde; Primitivum in umbilico.

n *Brev. Rom.* Nemesio cor transverberatur.

o *Brev. Rom.* Primitivo trajicitur umbilicus.

p *Ita etiam Cardulus, et utrumque Ms. Trev.* E
Ado autem: Justinum per membra distentum scindi per singulos corporis nodos, atque juncturas. *Consonat Beda. Brevissime Brev. Rom.* Justinus membratim secatur.

q *Beda, Ado, Usuardus, Brev. Rom., Petrus de Natal., Mss. Trevirensia, Cardulus legunt* Stacteum. *Codex Colbert. apud Ruinart.* Extracteum; *Surius* Starteum.

r *Ado:* lanceis innumerabilibus (*de Natal.* lanceis multis) *Cardulus* in latere vulnerari, *omisso* gladio. *Brev. Rom.* Stacteus telis configitur.

s *Consonat Cardulus. Beda vero cum Adone:* Eugenium findi (*de Natal.* scindi) a pectore usque ad inferiores partes. *Brev. Rom.* Eugenius a pectore in duas partes dividitur.

t *De loco hoc, ejusque etymo Comm. præv.*

u *An* post hæc *sumi debeat cum magna latitudine temporis, vide Commentarium. In utroque Trev.* hic est digressio post septem vero dies, *de qua in Comm. prævio num.* 24.

x Primitivus *hic mendose omissus apud Surium, et in prima editione Ruinartii.* F

DE S. GUDDENE MARTYRE

CARTHAGINE IN AFRICA.

J. B. S.

Ex Martyrologiis.

Illustris hujus Martyris, quæ et Gundene, Gudene *et* Gugdene *appellatur, Acta olim aliqua exstitisse, ex quibus Ado elogium suum decerpserit, plane verosimile existimavimus in nostris ad Usuardi Martyrologium Observationibus hoc die; ubi ea ferme omnia exposita sunt, quæ de ipsa ejusque cultu referri possunt, ut frustra sit Martyrologiorum seriem hic recensere. Abesse omnino ab Hieronymianis in confesso est; neque* Gaudentium *in S. Augustini sermone 294 Guddenti aut Gudenti substituendum nunc magis censemus; credimusque adeo de nostra* S. Guddene *istic egisse Hipponensem Episcopum. Consulum nomina apud Adonem male efformata* Plutiano et Zeta, *notavit pridem Rosweydus; apposite corrigens,* Plautiano et Geta, *quorum consulatus incidit in annum Christi, non* 205, *ut Baronio visum est, sed* 203, *ut est apud Chronologos, Ecclesiam persequente Severo. Breve Actorum fragmentum, quod in Adone superest,* Virginis *titulum addit, de quo quod statuam non habeo, sic legit Viennensis Martyrologus:* Apud Carthaginem, natalis S. Guddenes virginis, quæ Plutiano et Zeta consulibus, jussu Rufini proconsulis, quater diversis temporibus equulei extensione vexata, et ungularum horrenda

AUCTORE J. B. S.

horrenda laceratione cruciata, carceris etiam squalore diutissime afflicta, novissime gladio cæsa est

in Hispaniam trahitur a fabulatoribus.

2 *Atque hæc tam sincera, recta et vera sunt, ut neminem unum scriptorem sensatum invenire sit, qui de Sanctæ hujus martyrii palæstra dubitaverit, antequam orbi natum esset pseudodextrum Chronicon, ex quo ejusque commentatore Bivario somnia sua potissimum deprompsit Tamayus, Carthaginenses Africanos ad Hispanicam suam Spartariam, obtorto quantumvis collo pertrahere solitus, quemadmodum toties dicendum fuit. En ejus hoc die annuntiationem :* Carthagine Spartaria, S. Gudenis virginis et martyris, quæ ob Christi sponsi fidem, a Ruffino præside comprehensa, et quater in equulei machina dilaniata et extensa, ungulis ferreis lacerata, postmodumque carcerali custodia diutissime afflicta, tamdiu secessit, quousque mucrone jugulata, ad gloriam repromissionis Martyr invicta pervenit. *Quid per* secessum *velit Tamayus, non quæram diutius : ceterum testes huc varios, dextrina fuligine plurimum respersos, congerit, quos more suo ridet clarissimus Nicolaus*
B *Antonius in citatis alias manuscriptis, unde huc spectantia Matriti descripsit socius noster Cuperus, digna sane quæ eruditorum oculis exponantur. Laudatis primum Martyrologiis de* S. Guddene *agentibus, sic populares suos nimium credulos aggreditur.*

quos egregie refutat

3 Hispanis, *inquit,* dumtaxat persuasum fuit quibusdam, ut Dextro credentes mercem alienam usurparent. Sed Dexter cum nihil sit, videamus an alio aliquo fundamento nitantur. Acta hujus sanctæ martyris, olim exstantia, anno quo fuere consules Geta et Plautianus. . . . sub Rufino proconsule mactatam referebant; unde Martyrologi profecerunt. Atqui (Bivarius ait) Q. Rufinum Galerium his diebus citeriori Hispaniæ, cujus Carthago nova urbs est, præfuisse, Ambrosius Morales, tametsi alio intentus, scribit lib. 9 historiæ cap. 35. Juvisset quidem certo modo desperatam causam hæc Rufini præsidis mentio per hæc tempora in citeriori Hispania seu Tarraconensi : sed Bivarii imputatio toto cælo distat ab eo quod in capite isto Moralis patet cunctis legendum;
C ut vel hinc discas nemini, quantumvis docto, et probo viro acquiescere, quandoquidem oculis ipse tuis rem possis credere. D
Morales in referendis Hadriani imperatoris rebus cap. illo 35 inscriptiones quasdam repræsentavit, quæ in Hispania exstant. In his quædam est Q. Cecilii Rufini, Sagunto oriundi, cui, quod legatione gratuita apud Hadrianum functus esset, provincia Hispania citerior titulum hunc sub statua forsan dedicavit; ecce illum

Q. Cecilio Galeriæ Rufino, Q. Cecilii Valeriani filio Saguntino, ob legationem qua gratuita apud Maximum principem Adrianum Aug. Romæ funct. est P. H. C.

Nicolaus [illegible]

4 Nil ultra doctus ille vir, quam vulgari lingua inscriptionem reddere. Quid hæc autem cum Hispaniæ citerioris præside? Nisi nescierit Bivarius (quod vix credo) legatio Romæ obita provinciæ nomine, quodnam munus esset. Quid insuper Hadriani ævum cum Severi ætate? Inter quos principes quinquaginta et plures anni intercesserunt. Deinde ut, Bivario jam dimisso, rem ipsam discutiamus, lectum mihi nusquam de provincia Hispania citeriore per proconsulem E
administrata. Bæticæ proconsulis mentio in antiquis lapidibus non infrequens, uti et Tarraconensis, sive citerioris Hispaniæ, quod nunc quærimus, præsidis. Notitia utriusque imperii in promptu est, et quæ ad eum publicum imperii librum Guido notavit Pancirola, quem non transcribo. E contrario Carthaginis seu verius Africæ propriæ, cujus Carthago fuit princeps urbs, proconsulare imperium quis ignorat? Potuit quidem Rufinus, sub quo Gudenes passa, cum Rufiniano idem esse, seu C. Cæsonio Macro Rufiniano, quem ex quodam lapide scimus provinciæ Africæ fuisse proconsulem, eumdemque imp. Alexandri Severi, qui Septimio, sub quo Gudenes passa, post duodecim annos successit, comitem. Hic etiam fuit consul cum Acilio Faustino anno CCXII, quo superstes erat Septimius Severus, ut mirum non sit, proconsulatum Africæ ante annos septem gessisse. Sed hæc ex conjectura tantum, ne non liceat nobis aliquando argutari, qui tam frivolas, nec semel vero F
contrarias adversariorum conjecturas passim sustinemus. *Hæc Antonius, ut suos sapere doceat.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS DOROSTORENSIBUS
SECUNDA, DONATA, BASSO, MAXIMO, PAULO, ITEM MARINO ET JUSTO.

J. B. S.

Ex Hieronymianis.

XVIII JUL.

Non semel a nobis alibi observatum est, Dorostorum, inferioris Mysiæ seu Mœsiæ olim urbem episcopalem, nunc Bulgariæ pagum, de quo latius infra, plurimorum Martyrum feracem fuisse, quod et hoc die notant Hieronymiana exemplaria omnia, vetustissimo Epternacensi eorumdem manipulum in prima laterculi sui acie collocante. In omnibus codicibus sex ferme numero sunt duce Æmiliano, *de quo pridem in Observationibus ad Usuardum locuti sumus, quique seorsim, ut ceteris in sacris Fastis notior, suo loco celebratur. Hic reliquos referimus ordine quo eos expressit jam dictum Epternacense, cum quo in nominibus conveniunt codices alii, eo solo interveniente discrimine, quod Corbeiensis socios duos superaddat* Marinum et Justum, *quos prætereundos non censuimus.* Bossi *pro* Bassi *vix observari meretur. In codicibus contractis pauciora de more nomina, vel nulla sunt. Rhinoviense*

de

A *de ipsis tacet, Richenoviense quatuor numerat, codex Reginæ Sueciæ item quatuor cum duobus anonymis; ast ex iis, utpote studiose contractis aut mutilatis, nihil magnopere lucis sperandum.* D

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRICANIS

AQUILINO, SPERATO, CIVINO, FELICE, CRESTINO, LUTATO, NAZARIO, VETUSA, GENEROSA, JANUARIO; ITEM JANUARIO, TITIANO ET NESSA.

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

XVIII JUL.

Tredecim hic Africanos athletas numero cum vetustissimo Epternacensi, quamquam in Lucensibus, omisso Felice, *solum undecim, in Corbeiensi duodecim computentur, nominibus hinc inde varie inflexis.* Calvinum *pro* Civino *legit Epternacense;* Crescentiani *pro* Crestini *Corbeiense, ubi et* Lactati *pro* Lutati. Januariæ *est in Lucensibus, sed cetera* Januarii *legunt, quem geminat Epternacense, interposita particula* item, *quæ et in Corbeiensi exprimitur, tametsi nomen non repetatur. Sitne postremum nomen* Hesia, Hessa *an* Nessa *incertum est. Recte hic observat Florentinius, in hodierna hac Africana serie, nonnullorum martyrum nomina cum his convenire, quæ præcedenti die celebrantur, sive Scillitani sint, sive Carthaginenses, atque adeo* de repetita eorumdem veneratione suspicionem movere. *Id etiam notatum oportuit in codicum Lucensium laterculo diei præteritæ, ubi* in Asia *iidem ferme referuntur, quos nos proxime Dorostoro vindicavimus. Jam sæpe fassi sumus et porro fatebimur, amanuensium imperitia laterculos nonnumquam commixtos, aut inepte distinctos et transpositos fuisse. Ceterum in ea incertitudine, malumus repetitione quam omissione peccare.*

B E

DE S. FALTEO VEL FALVEO EPISCOPO ET FORTE JOCUNDO MARTYRIBUS.

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

XVIII JUL.

Quem hic annuntiamus Falteum, Falveum, Falbeum *seu* Falbæum *episcopum, is in vetustissimo Epternacensi præteritus est; verum in aliis omnibus etiam nonnullis minoribus seu contractis tam constanter signatur, ut prætermitti non potuerit. In Lucensibus et Corbeiensi sic Africanis martyribus subjungitur, acsi ad eorum classem spectaret; at vero in codicibus minoribus Richenoviensi, Augustano et Labbeano tam diserte apponitur particula* alibi, *ut dubium non videatur quin alio referendus sit. Quo? Equidem non divinarim, nec qua potissimum ratione exprimendum sit nomen, quod in Richenoviensi est* Fabei, *in aliis diversimode scribitur, ut jam notavimus. Ex Corbeiensi codice socium adjunximus* Jocundum, *addito utrique titulo* martyris, *quem ipsis convenire, ante nos censuit Florentinius.*

C F

DE S. MATERNO EPISCOPO

MEDIOLANI IN INSUBRIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. C.

Sancti cultus, chronotaxis, Acta, et gloria posthuma.

[illegible] IV. [illegible] cultus [illegible]

Mediolanum notissima Insubriæ urbs, et fœcunda Sanctorum altrix, de qua jam sæpius nobis agendum fuit, hac die S. Materni, *sui olim antistitis, festivitatem celebrat. Præterquam quod ab immemorabili tempore cultus ejus viguerit, sanctitatem istius præsulis testatur Missale Mediolanense juxta institutionem S. Ambrosii anno* 1522 *impressum, in quo leguntur sequentes orationes.* Super populum. Misericordiam tuam Domine nobis, quæsumus, interveniente beato confessore tuo Materno atque pontifice, clementer impende, et nobis peccatoribus ipsius propitiare suffragiis. Per *etc.* Super sindonem. Beati confessoris tui Materni atque pontificis fac nos Domine miranda præconia confiteri, ut ejus adjuti præsidiis, majestati tuæ jugiter mereamur esse devoti. Per *etc.* Super oblata. Adsit nobis, Domine quæsumus, sancta precatio beati pontificis tui Materni, quæ nos a terrenis affectibus incessanter expediat, et cælestia desiderare perficiat. Per Dominum *etc.*

AUCTORE G. C.

etc. PRÆFATIO. Æterne Deus, suppliciter exorantes, ut dum beati Materni confessoris tui merita veneramur, auxilium nobis tuæ propitiationis acquisisse gloriemur: nec desperamus de veniæ largitate, quam per eos, qui tibi placuerunt, suppliciter exposcimus. Per Christum *etc.* POSTCOMMUNIO. Beati confessoris tui Materni, quæsumus Domine, a malis omnibus gloriosa nos semper merita tueantur, in cujus solennitate percepimus tua sancta lætantes. Per *etc.*

Breviario antiquo.

2 *Breviarium Mediolanensis ecclesiæ, anno* 1539 *typis excusum, præter varias de* S. Materno *orationes, habet tres proprias Lectiones, quibus præcipua sancti Præsulis gesta sic breviter comprehendit.* LECTIO I. Hic cessante Decii persecutione, cum Gallus imperator aliquanto mitius erga Christianos ageret, ad modicum respirans ecclesia in Philippea basilica ex primicerio lectorum divino nutu per clerum et populum eligitur et consecratur: non enim tunc aderat de sacerdotibus huic honori congruus, multoque minus de clericis. LECTIO II. Fuit autem Vir iste Dei servus adeo mitissi- B mus, ut ipsi etiam persecutionis auctores eum venerarentur. Hic suis temporibus Maliodorum summæ sanctitatis levitam Tretonensi ecclesiæ consecravit episcopum, quæ diu vacaverat. LECTIO III. Fuit autem temporibus Galli, Valeriani, Galieni, Claudii, Aureliani, Probi, Cari, Diocletiani et Maximiani. Sed cum duodecim annis Mediolanensem rexisset ecclesiam, imperante Maximiano in sanctis operibus quievit in pace confessor; sepultus ad sanctum Naborem. *Non video, quomodo hæ Lectiones satis inter se cohæreant: si enim tempore Galli imperatoris* S. Maternus *ex primicerio factus sit episcopus Mediolanensis, ut Lectione prima innuitur, atque juxta Lectionem tertiam obierit* imperante Maximiano, *quomodo tantum duodecim episcopatus anni numerantur, cum inter Galli et Maximiani imperium facile triginta anni effluxerint. Sed de episcopatus epocha ac duratione mox pluribus agemus.*

et recentiori Mediolanensi,

3 *Alterum ejusdem ecclesiæ Breviarium anno* 1635 *Mediolani editum pro tribus lectionibus unam exhibet, gestorum narratione mutata hoc modo:* Maternus Mediolani episcopus, Maxi- C miano imperatore, pro fide Christi proque ecclesia sibi commissa aliquando catenis vinctus, interdum in carcerem detrusus, sæpe verberibus acerbissime cæsus, firmo animi robore cælestique constantia in perferendis cruciatibus communitus, tum in populi sibi concrediti perturbatione, ab impiis tyrannis excitata, magnis laborum contentionibus ad eum confirmandum perfunctus est magna cum significatione divinæ pietatis suæ: qua incensus beatos martyres Carpophorum et Fidelem ad urbem Novocomum misit, ubi pro gloria Christi dimicarent. Sanctum præterea Victorem, qui Mediolani strenue martyrium obierat, manibus suis sepelivit. Meliodorum Dertonæ episcopum consecravit. Denique ipse præclaris ac multis fidei confessionibus nobilitatus, ecclesia Mediolanensi duodecim annis sancte administrata, quievit in Domino; cujus corpus pie reconditum est in basilica sancti Naboris. *De sepultura S. Victoris martyris per* Maternum *curata, fit mentio in Actis ejusdem martyris ab Henschenio nostro illustratis tomo* II *Maii pag.* 290. *Ceterum adverte, hac posteriori lectione quædam narrari, quæ in tribus lectionibus antiquioribus et in prolixioribus* S. Materni *Actis non exprimuntur.* D

4 *Hagiologi passim in suis Martyrologiis cultum hujus Sancti episcopi confirmant. Hac die illum celebrant Auctaria Usuardina Greveni et Molani, qui posterior ita legit:* Mediolano, sancti Materni episcopi et confessoris. *Eadem verba habet Beda Plantinianus. Bellinus, omissa urbe Mediolanensi (eam etiam prætermisit Grevenus) illum sic annuntiat:* Ipso die, sancti Materni episcopi et confessoris. *Galesinius pluribus verbis eumdem suo Martyrologio ita inseruit:* Mediolani, sancti Materni episcopi et confessoris. Hic, Maximiano imperatore, pro fide Christi, proque ecclesia sibi commissa aliquando catenis vinctus, interdum in carcerem detrusus, sæpe verberibus acerbissime cæsus, firmo animi robore, cælestique constantia in perferendis cruciatibus communitus, tum in populi sibi concrediti perturbatione, ab impiis tyrannis excitata, magnis laborum contentionibus ad eum confirmandum perfunctus est. Beatus *(fortasse voluit dicere* beatos) autem martyres Carpophorum et E Fidelem, Novocomum misit, ubi pro gloria Christi dimicarent: sanctum præterea Victorem Mediolani manibus suis sepelivit. Ipse denique præclaris ac multis fidei confessionibus illustris obdormivit in Domino. *Ferrarius et Canisius noster scribunt similia, quæ vel ex Actis vel ex propriis lectionibus desumpta sunt. Quare, prætermissis horum aliorumque recentiorum elogiis, tantum subjungo hodiernam Martyrologii Romani annuntiationem, quæ his verbis continetur:* Mediolani, sancti Materni episcopi, qui sub Maximiano imperatore pro fide Christi, et pro ecclesia sibi commissa in carcerem detrusus, et sæpe verberibus cæsus, tandem multis confessionibus clarus obdormivit in Domino. *Atque hæc ad cultum probandum mihi sufficere videntur. Nunc ad alia discutienda progrediamur.*

et ex Martyrologiis.

5 *Antiquior Actorum scriptor de* S. Materni *parentibus, patria, consanguineis, rebusque ante episcopatum gestis nullam facit mentionem. Unde miror, quod Placidus Puccinellus in Zodiaco Mediolanensis ecclesiæ parte* II, *pag.* 131 *ejus pueritiam vivis adeo coloribus depingat, et virtutes in* F *tenera illius ætate elucentes tot phrasibus Italicis exornet. Sed, ni fallor, hæc rhetorica narrationis ornamenta ex Puccinelli pia meditatione prodierunt, qui, ne daret Vitam acephalam, narravit ea, quæ a Sancto puero fieri potuerunt, quamvis ignoraret, an revera facta fuissent. Franciscus Besozzus, Joannes de Deis, Carolus a Basilica S. Petri Novariensis episcopus, aliique scriptores Itali asserunt,* S. Maternum *Mediolani natum fuisse. Etsi hæc assertio non sit improbabilis, quia ante susceptam episcopalem dignitatem fuit primicerius Mediolanensis ecclesiæ, tamen illam ex vetustis monumentis probari cuperem. Non desunt etiam, qui nobis sine ullo veterum auctorum testimonio,* S. Materni *fratrem assignant. Præter Sammarthanos in catalogo archiepiscoporum Remensium tomo* I *Galliæ Christianæ pag.* 476, *id facit Georgius Colvenerius in eorumdem archiepiscoporum catalogo, quem Historiæ Remensis ecclesiæ, a Flodoardo scriptæ, et a se notis elucidatæ, subjunxit. Ibi autem ita loquitur:* Sanctus Maternianus Materni IX archiepiscopi Mediolanensis frater uterinus, jam senex ordinatur archiepiscopus

Nil constat de Sancti patria et consanguineis.

A archiepiscopus a S. Julio Papa anno CCCLI. Sedit annos IX. Obiit VII Julii CCCLIX. *Hanc germanitatem, toti antiquitati ignotam, jure rejecit Papebrochius in Commentario prævio ad Vitam S. Materniani tom. I Aprilis pag.* 758. *Eadem abunde refutabitur ex iis, quæ jam de Sancti nostri epocha dicemus.*

…controversia …episcopatus …nis or-…

6 *Circa tempus et ordinem, quo* S. Maternus *Mediolanensem cathedram ascenderit, maxime discrepant auctores, ut videre licet in Exegesi Papebrochiana de episcopis Mediolanensibus, quæ tomo* VII *Maii præfigitur. Carolus episcopus Novariensis, proxime citatus, in Historia ecclesiæ Mediolanensis pag.* 44 *causam hujus diversæ chronotaxeos indicat his verbis :* A Mona ad Dionysium vel potius ad Ambrosium video satis perturbatam apud nostros historiæ rationem : alii enim episcopos silentio prætereunt, alii adjiciunt falsos; neque in eorum ordine constituendo conveniunt. *Deinde* S. Maternum, *cujus Acta ibidem elucidare nititur, inter Monam et Eustorgium collocat. An autem S. Eustorgius fuerit immediatus* S. Materni *successor, discuti poterit* XVIII *Septembris, quo die S. Eustorgius,* B *istius nominis primus, solenni veneratione colitur. Nobis saltem contra quosdam historiographos Mediolanenses probabilius videtur, quod* S. Maternus *Miroclem in episcopatu præcesserit, uti fuse et solide probat Josephus Ripamontius Decade* I *Historiarum Mediolanensis ecclesiæ lib.* II *a pag.* 91, *ac Papebrochius noster in Exegesi præliminari mox citata pag.* LIX. *Huic sententiæ nostræ suffragantur Acta post hunc Commentarium prævium danda, quæ num.* 3 *clare significant,* Maternum *fuisse immediatum Monæ successorem.*

…ratione

7 *Neque minor est opinionum varietas circa Materniani episcopatus durationem : aliqui enim auctores* LII, *alii* XXII, *alii denique tantum* XII *gubernationis annos ipsi tribuunt. Ripamontius in opere jam laudato lib.* II, *pag.* 120 *de hac diversa episcopalis regiminis chronotaxi ita loquitur :* Quamdiu autem ille (*nempe* S. Maternus) vixit in suo munere, haud equidem ausim exacto affirmare numero, propter variam in hoc genere memoriam, et quia veteres magno ad id conatu nihil tamen extricavere : numerant illi quidem annos, et C definiunt auctoritate sua; sed facile poterunt confutari ratione temporum et rerum argumentis, si cuipiam vacet. *Non satis liquet, quinam sint illi, quos Ripamontius hic appellat* veteres; *sed sive intelligat veteres episcoporum catalogos, qui tantum* XII *spiritualis regiminis annos* S. Materno *adscribunt, sive designare velit veteres rerum Mediolanensium scriptores, quorum in hac re auctoritatem atque ætatem ignoramus; saltem Acta, quæ Papebrochius noster sæculo* VI *scripta fuisse opinatur,* S. Maternum *in episcopali sede collocant, quando* fervor adhuc succensæ per Decium persecutionis necdum fuerat exstinctus. *Unde miror, ipsum, postquam in Exegesi pagina proxime citata illi* LII *annos assignasset, pagina sequenti tantum* XXII *ipsi tribuere; cum nusquam in Actis legatur, quod sedes tamdiu vacaverit. Itaque expenso toto Actorum contextu, videtur Mediolanensem cathedram adiisse tempore Galli imperatoris, puta anno* 252, *eamdemque tenuisse usque ad gravissimam persecutionem, quam Diocletianus et Maximianus anno* 303 *contra Christianos moverunt. Ex his facile fieri potest computus* LII *annorum, quibus* S. Maternus *Mediolanensem ecclesiam rexerit. Quod autem ad antiquum Mediolanensium episcoporum catalogum attinet, in quo ei* XII *episcopatus anni assignantur; quid si imperitus amanuensis vel ipse auctor per unius litteræ mutationem* XII *pro* LII *scripserit? Quidquid sit, nos Acta nostra sequimur, donec quis solidiora et antiquiora contra opinionem nostram argumenta attulerit.*

AUCTORE G. C.

ac mortis tempore probabiliorem sententiam proponimus,

8 *Non convenit etiam inter scriptores, quo anno sanctus Præsul obierit. Papebrochius noster in Exegesi jam memorata mortem illius anno* 303 *consignat; Ughellus vero tomo* IV *Italiæ sacræ col.* 59 *eamdem usque ad annum* 307 *differt. Alii alios mortis annos pro suo arbitrio determinarunt, ut videre est apud Puccinellum in Zodiaco Mediolanensis ecclesiæ parte* II, *pag.* 139. *Tametsi non omnino constet, quisnam ex his annis sit eligendus, tamen nobis* S. Maternus *probabilius mortuus fuisse videtur ante annum* 305, *quo Maximianus se imperio abdicavit, cum in fine Actorum ejus hæc legamus :* Depositus est idem Christi confessor sub Maximiano imperatore. *Sed cum Maximianus postea imperium vi resumpserit, hæc epocha plane certa non est. At saltem manifeste errarunt, qui* S. Materni *obitum distulerunt ultra annum* 313, *quo habitum est Romæ concilium,* E *cui* Merocles a Mediolano, *successor* S. Materni *interfuit, ut legere est apud Labbeum nostrum tomo* I *Conciliorum col.* 1403. *Quidam asserunt, nescio quo fundamento, quod Sanctus noster ante mortem in exilium pulsus fuerit; de qua re sic scribit Ripamontius lib* II, *pag.* 119 : Non desunt, qui in exilio mortuum scribant, cum Cæsar eum ablegasset, atque adeo stulto fastu ac barbarica licentia, rem non sui juris ausus, pastoralem ei dignitatem abrogasset. Id magis quia non abhorret a vero, quam quod apud certissimos auctores repererim, esse addendum putavi.

ex qua conjectura Baronii corruitur.

9 *Ex iis, quæ de* S. Materni *chronotaxi hactenus diximus, corruit conjectura Baronii, qui in Annalibus ecclesiasticis anno Christi* 337 *num.* 74 *suspicatur,* S. Maternum *Mediolanensem episcopum eumdem esse cum Julio Firmico Materno, qui plus quam triginta annis post Sancti nostri mortem composuit librum* de mysteriis et erroribus profanarum religionum ad Constantinum *(seu potius Constantium)* et Constantem Augustos. *Unde Labbeus noster in opere de Scriptoribus ecclesiasticis tomo* I, *pag.* 661 *ita scribit :* Refellenda quoque est eorum sententia, F qui ex Baronii ad annum CCCXXXVII, quem pro more sequitur Binius, conjectura censuerunt, eumdem fuisse seniorem, quem vocant, Julium, profanæ superstitionis aureolo suo XXX capitum libello debellatorem, cum Julio episcopo Mediolanensi, quem interfuisse volunt concilio Romano sub Julio I Papa, et in Romano Martyrologio ad diem XVIII Julii Maternus appellatur, sanctitatis et eruditionis laude clarus. *Pagius in Critica historico-chronologica ad annum Christi* 337 *num.* 10, *de synodo, quam Baronius pro sua suspicione allegat, ita loquitur :* Synodus Romana sub Julio Papa aliud non est quam farrago quædam ab Isidoro Mercatore collecta ex Tripartita aliisque, et in formam concilii redacta; certe nulla ejus in libello synodico mentio. *De eadem synodo plura vide apud Tillemontium tomo* VII *Comment. ecclesiast. in notis ad Julium Papam nota* 1, *pagg.* 772 *et* 703, *ubi etiam Baronii conjecturam refellit. Jam de Actorum nostrorum auctoritate quædam supersunt dicenda.*

10 *Mombritius*

AUCTORE G. C.

S. Materni Acta.

10 *Mombritius tomo* II *de Vitis Sanctorum pag.* 144 *exhibet Acta* S. Materni *mutila, atque adeo perturbata, ut nemo distortam narrationis connexionem intelligere, aut ullam rerum gestarum seriem distinguere valeat. Idcirco Henschenius noster, dum Sanctorum causa Mediolani versabatur, Acta istius sancti Præsulis integra et bene digesta ex antiquo bibliothecæ Ambrosianæ codice descripsit. Codex ille Papebrochio itineris socio primum tantopere placuit, ut sub studiorum suorum primordiis putaverit, eum scriptum fuisse ab auctore, qui* S. Materni *temporibus proximus vixisset. Verum in Exegesi de episcopis Mediolanensibus pag.* 59 *more suo candide errorem suum fatetur, atque mentem mutavit, lectis his verbis, quæ in Vita hic a nobis edenda, sic habentur num.* 9 : Nunc ad reliqua ejus gesta vertatur articulus, quæ adeo sunt multis ignota, ut longi temporis alluvione omnium pene memoriæ abolita putentur. *Ex hac* longi temporis alluvione *vel potius* oblivione *satis patet, Actorum scriptorem* S. Materno *supparem non fuisse. Deinde tamen existimat Papebrochius, quod nobis certe non suasit, ea sæculo* VI *scripta fuisse. Ceterum* B *Actorum prologum, qui in Ms. Ambrosiano non invenitur, ex editione Mombritiana excerpemus, ac deinde ipsa Acta notis quibusdam illustrata dabimus, postquam de posthuma Sancti nostri gloria paululum præfati fuerimus.*

et gloria posthuma.

11 *Placidus Puccinellus in opere Italico, jam aliquoties citato, parte* II, *pag.* 140 *dicit, infinita esse hujus sancti Pastoris miracula, quæ duxit prætermittenda, ne lectorem tædio afficeret. Utinam ad Sancti Præsulis honorem nos hoc tædio, seu potius gaudio, affecisset! Etiamsi non dubitem, quin per* S. Materni *intercessionem plurima patrata fuerint miracula, tamen opinor, Puccinellum hac rhetorica præteritione usum esse, quia individuam horum notitiam non habebat; quod etiam satis colligitur ex Ripamontio, qui libro* II, *pag.* 120 *de iisdem in genere ita loquitur :* Mansit vero diu, neque hodie penitus deleta est ex hominum mentibus illa de Materno fides, quasi vinctis et captivis pie ac religiose vocatus adsit; et dicuntur multi mortales præsenti ejus ope liberati, cum eam e vinculis implorassent. *Postea idem Puccinellus profert duplex monumentum, quod in dominio Novocomensi ad Sancti memoriam antiquitus constructum* C *fuit. Primum est castellum quoddam a Longobardis ædificatum, quod* S. Materni *nomine appellatum fuit, et cujus ecclesia etiamnum perseverat et administratur. Alterum est monasterium, ejusdem Sancti nomine insignitum, in quo moniales Ordinis S. Benedicti per aliquot sæcula* S. Maternum *singulari veneratione coluerunt. Deinde narrat, quomodo PP. Franciscani, dum Mediolani fundamenta triclinii sui ponerent, corpus* S. Materni *in lignea capsa invenerint, illudque quotannis venerari soleant. Denique narrationem suam concludit celeberrimo Jubilæo, quod Callistus III anno* 1457 *occasione belli Turcici fidelibus concessit; in quo asserit, plus quam centum millia peregrinorum Mediolanum confluxisse, ut* S. Materni *auxilium contra Turcas implorarent. Atque hæc sunt præcipua, de quibus lectorem in hoc commentario præmonendum esse censui.*

D

ACTA

Ex Ms. bibliothecæ Ambrosianæ collato cum editione Mombritii tom. II *fol.* 144.

PROLOGUS.

In illis diebus, succiso radicitus per divinam securim inutili frutice Decii *a*, qui ferina rabie ac viperino livore turgidus innumeras brevi tempore inenarrabilium pœnarum clades Christi cultoribus evomuerat; adeo ut exstinctis maxime pastoribus ecclesiarum dumtaxat præsulibus et magistris, dispersis quoque, secundum quod consequens fuerat, gregibus universis, heriles caulas se evacuasse ac destituisse putans *, immensas pio defensori Christo Domino laudes fidelium ubique per orbem populus ore licet gemebundo profudit : et cum non modo quamlibet Europæ Hesperiæque *b* partem, sed totas mundi plagas sævæ persecutionis turbo depopulari ad horam visus est, multis, ut fertur, diebus clericalis ordo et sacerdotalis cathedræ successio cessavit : verum, dempto malitiæ hujus incentore, cum Gallus Romani imperii dignitatem suscepisset (quamvis et ipse insanus, attamen paulo minus erga Christianos agens) cœpere mox credentium animi consurgere et recreari quodammodo, qui paulo ante per latebras occultati visi fuerant titubasse. Invisunt, si qui supererant, derelicta ovilia pastores, et dispersas metu luporum oviculas ad suas quique caulas reducunt *c*.

Describitur status Ecclesiæ mortuo Decio. *a*

* lege putaret. E

b

c

ANNOTATA.

a *Eusebius lib.* VII *Hist. eccles. cap.* 1 *ait, Decium cum liberis in bello interfectum esse. Non convenit inter historicos, ubi et a quibus occisus fuerit. Lactantius in opusculo de Mortibus Persecutorum num.* 4 *Decii cædem ita describit :* Profectus adversum Carpos, qui tum Daciam Mœsiamque occupaverant, statimque circumventus a barbaris, et cum magna exercitus parte deletus, nec sepultura quidem potuit honorari, sed exutus ac nudus, ut hostem Dei oportebat, pabulum feris ac volucribus jacuit. *Id autem juxta exactiores chronologos contigit anno Christi* 251. F

b Hesperia *apud Græcos tantum regionem occidentalem sonat. Communiter ab illis hoc nomine appellantur Italia et Hispania, quæ respectu Græciæ occidentales sunt. Sed cum Hispania plerumque* Hesperia ultima *vocetur, suspicor, hic Italiam intelligi. At quid hic* Europa *et* Hesperia?

c *Non satis certum est, an is prologus hisce Actis sit proprius, cum in eo nulla de* Materno *fiat mentio, et Mombritius multa perturbato ordine ediderit, ut de his Actis monui in Commentario prævio num.* 10. *Ut ut est, illum ex Mombritii fide hic præmisi.*

CAPUT

CAPUT I. *S. Materni electio ad episcopatum, veneratio apud ipsos ethnicos, zelus et sollicitudo pro grege suo.*

In diebus illis Mediolanensis ecclesiæ clerus simul et populus, quotquot lanistarum manus evaserant, ad Philippem *a* recollecti basilicam conveniunt, expurgantes idololatriarum spurcitias, quæ injectæ fuerant, et ad cælorum Dominum suppliciter exclamant, ut suæ misereatur de cetero hereditati, ejusque perditionem non ultra dissimulet. Præterea pastoris, jam dudum cum Christo sociati, diutina absentia viduatam plebem graviter suspirantes, quid facto opus esset, invicem sciscitantur. Sacerdotum quidem nemo erat hujuscemodi honoris dignus, vel potius oneris capax latorem capacem dicens *b*; quanto minus clericorum quorumvis inferioris gradus? Quem ergo eligendum, quem sibi præponendum, cui suas preces suaque vota committenda censerent, diligenti trutina perpensantes, diem inpasti noctesque pervigiles comitantur *c*. Tandem uni ex consacerdotibus, quem longæva senectus et meritorum gratia insignibat, per extasin sanctus nunciat Spiritus, quem ex omnium collegio superni censura judicis ad sacerdotale pondus æquanimiter subvehendum, quemve in procinctu temporis aptum viribus, fortem animo et corpore designanter elegerat.

3 Erat enim per id tempus in ordine præfatæ ecclesiæ vir quidam reverendissimus doctor et primicerius lectorum, virtutem nominis dulcibus exprimens moribus, cognomento Maternus; qui omnibus clericis ita carus erat, ut pro pietate multimoda et benignissima caritate, quas inconvulse suomet insertas pectori bene prodigus aliis sibimet reservabat, universi illum nimio amore diligerent, et ipse maternum circa omnes affectum impenderet, sic eos fovens, monens et corrigens, ut filios; sic ab eis amatus, amplexatus semper et exspectatus, ut mater. Hunc ergo apprehensum senex ille, canitie ac meritis venerandus, pertrahit ad medium, et cunctis circumstantibus voce, qua potuit, exclamavit: Quem exspectatis? Adest ecce pastor, quem cupitis. Mihi credite, iste cælesti præelectus examine, et præsenti gregi præesse, et lupis valet circumlatrantibus prævalere, divino fretus, ut credo, juvamine. Nolite, inquam, metuere, nec pastorem proprium ex alienis ovilibus amplius operiri. En habetis Maternum sanctissimum, dignum in cunctis depositi patroni virtutum gradibus vicarium: nam sicut Helias Heliseum relinquens duplici virtute ditavit, ita et celebrandæ memoriæ præsul eximius Monas *d* Maternum corpore non fide deserens, geminum præbuit hereditariæ virtutis augmentum.

4 Itaque his atque aliis optimi senis, qui aderant, animati sermonibus, annuunt divinæ revelationi, ac virum Domini Maternum, ut pastoris obsequium non contemnendum ducat, supplices precantur. Ille, quia erat piissimus, et ad postulata proclivior, utrum preci cedere, an obniti congrueret, diu vixque deliberans flevit non lacrymans, et attonitis in medio constitit auribus. At vero clerus simul et plebs insistunt precibus; iterum atque iterum, ut sibi non obsistat, flebiliter ingeminant. Quis valeret denegare, quod tantopere fidelis caterva, Deo inspirante, petebat? Cessit ergo clementer, intelligens divinæ prædestinationis examen, suorumque confratrum necessariam non renuit functionem. Quoniam autem fervor adhuc succensæ per Decium persecutionis necdum fuerat exstinctus; sed succedentibus sibi invicem ministris diabolicis, ac suæ vesaniæ fomitem suggerentibus, atrocior subinde per mundi climata, supra quam fari potest, adversum Christianos vtros æstus incitabatur *e*; hujus, de quo loquimur, pastoris vigilantissimi hæc cura solicitudoque fuit, ut positos in ergastulis milites Christi patientiæ armis indueret, certandi audacia imbueret, ac triumphandi fiducia recrearet; eorum, si qui forte oppetissent, aut gladiali sententia detruncati, aut acrioribus tormentis examinati, condigne corpora sepulturæ mandaret, jugibus excubiis pernoctanter inviseret, minimæ quoque ex ipsis particulæ, velut pretiosissimæ cælestis thesauri margaritæ, ne disperirent aliquo modo, solicitus satageret, inventasque condignius illico thecis reponeret.

ei me ad episcopalem dignitatem evehunt,

5 His atque hujuscemodi Vir sanctus virtutum studiis intentus maximam apud Deum et apud homines prærogativam sanctitatis obtinuit: eatenus, ut ab ipsis crudelitatis principibus, pro sui magnitudine ac serenæ mentis hilaritate paternæ, ut ita dicam, addictus, veneratione meritoque cumulatus honore, pater patriæ vocaretur: et nisi eos insensatæ mentis atque infandæ servitutis redargueret, nullam ipse vel ipsius pedissequi perferre ultra sinerentur calumniam, ad cujus rei judicium certus ipsius discipulatui christicolarum delegatus fuerat numerus, quatenus eo christianæ fidei regula imbuto, secumque libere, quo vellet loco, versanti, ceteros imperialibus permitteret cultibus lusibusque theatralibus occupari. Denique haud dubium erat, plurimos regalis aulæ ministros christianæ doctrinæ cultoribus affectando blandiri: quandoquidem nonnulli, quorum mens partim divina fuerat adacta cuspide, partim venatorum spiritualium clamoribus excitata, jam tunc non modice venerentur militari chlamyde circumdari, pileo redimiri, trabea decorari, vixdum Cæsarem vel consulem comitari, raro amphitheatrum ingredi, raro concursibus publicisque lusibus permisceri soliti.

quem ob vitæ sanctitatem ipsi ethnici venerantur,

6 Mirum valde! transmutatos subito ex diuturna radice multorum videres affectus, et qua de causa id acciderit, minime pervideres. Sed illi divinorum conscii secretorum sub veteri habitu ad tempus occultari, novum indui hominem malebant, notantes sedulo in secreto mentis cubiculo non pendula Apollinis miracula, sed Christi potius exempla atque

ac imitantur.

EX MS.

que præcepta salubria. Aliqui vero ex eis agones Martyrum solicite contemplati ad posteritatis memoriam cartis tradere et christianis bibliothecis fideliter inserere, prout videre contingit, non tardabant, quatenus his relictis succedentium militum animi recreati, simile robur mente conciperent, et momentanea certantium dispendia non curarent. Ergo, ut prius dicere debui, quædam tunc ex insperato divina pietate procurata christique Jesu arte perquisita sese Mediolanensium plebi medicina profuderat; cum et antistiti Materno christiana libertate cum suis donato, quocumque vellet, procedere liceret. Et quamquam præfixus abbreviatus ac imminutus esse deberet edicto pendente christianorum terminus, non minus tamen dilatabatur, multiplicabaturque quotidie, ipsis ad fidem convolantibus lanistis et carnificibus, dispensante scilicet justo judice Christo, per quem omne, quod vesani principes suis cultoribus proponebant ad pœnam, altiori consilio vertebatur ad gloriam.

B

S. Præsul, Valeriano ecclesiam persequente,

7 Sed, ut proposita prosequar, Gallus *f* cæsar, cum non pleno biennio imperium tenuisset, rebus humanis vitaque privatus Valeriano principatum reliquit. Hic primo imperii sui tempore humanus multum Dei famulis ac benignissimus exstitit, adeo ut venerationi apud ipsum habiti essent, ut suæ domus familiam Christi efficeret ecclesiam; credo equidem prædecessorum suorum subitaneam veritus exstirpationem, quam sola christiani nominis vexatione illatam, nemo est qui dubitaverit. Interea ubi processu temporis magi cujusdam pessimo sese subdidit magisterio, depravatus mente, et a solido præcipitatus, christianorum pædagogos persequi et exterminari præcepit, tamquam magicarum, quibus se dederat, proditores artium: et cum per dies singulos Cæsaris male fascinati furor excrescens alios spiculatorum gladiis jugularet, alios suppliciis et diversis cruciatuum generibus affligeret, nonnullos squalore carcerum et catenarum ponderibus enecaret, et insuper, ne quis ad eos prorsus accederet, simili pœna interminaretur; concessit tamen omnipotentis Dei provida majestas confessorem suum, sanctum Maternum episcopum inter tot bella quietum, velut quem ad futura certamina reservare disponens, tranquillitatem sibi non sine ingenti præjudicio commoneret esse collatam.

C

suos ad fortitudinem hortatur.

8 Quam rem Vir Domini sagaci perpendens animo, instanter tam sibi quam commissæ plebi justitiæ arma fabricabat, exhibendo se suosque ministros in multa patientia, in vigiliis et in jejuniis multis, et apostolicam tubam jugiter intonando: Ecce nunc, inquiens, tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis; ac deinceps, Soliciti, aiebat, estote, fratres et filii mei, et oculis mentis simul, ut corporis, vigilate, ne vos inopinata temporis quies inertes reddens ac desides, superventuræ iræ turbinem æquanimiter sufferre non patiatur. Nolite, quæso, cedere; nolite vel ad momentum armis nudari spiritualibus; nondum hostis interiit; nondum furiarum incentiva exstincta sunt: habet adhuc aliquid quod superaddat doli totius fraudisque magister, qui si nos torpentes atque imparatos invenerit, miserabiliter trucidabit; sin vero stantes super custodias nostras ac loricatos perspexerit, ubi nequidquam ex adverso telorum imbrem intorserit, victus atque confusus aufugiet illico; omnesque deinceps versutiæ illius habebuntur pro nihilo. D
Ergo, dum vacat, adversum omnes ejus insidias, christianas acies præparemus, et contra unumquodque diaboli telum par missile fabricemus: illecebras subministrans vincendus est per continentiam; injurias et tormenta infligens vincendus est per patientiam. O quam felices erunt, qui vicerint!

et variorum miserias lugens.

9 His et aliis multis, quæ compendio inexpediunt, adhortationibus et præceptis magnificus antistes suorum quidem jugiter mentes auditorum communiens, cunctos pene de martyrii gloria fecit esse ferventes. Illud præcipue in cunctis beati Viri meritis ut laudabile fuit; ita etiam nec occultum: quia inter prædicandum aut cujuspiam * boni operis agendum quadam mentis compassione tactus intrinsecus, frequentibus lacrymarum fontibus ora pectusque rigabat: et quamvis cura gregis sibi commendati non parum angeretur, numquam tamen interni affectum E
luminis ab assidua oratione claudebat. Mirantibus discipulis, et quam ob causam ita fleret sciscitantibus, quodam tempore fertur respondisse: Non ego, filii, rerum damna fragilium, sed humanarum animarum miserias lugeo; dum illos sub gravi servitutis vinculo subjugatos video, quos ad summam libertatis gloriam a conditore omnium ex nihilo factos scio. En, homo, qui ad laudandum Deum fuerat creatus, dæmonum obsequiis miser se plaudit mancipatum; nec recogitat insanus, quia illis ponit libamina, qui secum in inferno arsuri erunt per secula: qua de re multum doleo; ut aliquando resipiscant per mediatorem Christum orare non cesso. Quin etiam pro his, qui christianæ professionis calumnia carcerum horroribus, catenarum ponderibus, eculeis, flagris, metallis, exiliis, adustionibus, obtruncationibus, variisque tormentorum generibus affligi contigit, summo conamine non desino interpellare, ut universis pro sua causa dimicantibus ille cælestis medicus rorem superfundat misericordiæ, tribuens eis indefessam mentis constantiam, invictam patientiam, certamque superandi fiduciam; quatenus non illis prævaleat hostis invidia persequentis, sed vincat potius fortis dextera coronantis. F

** lege quidpiam*

pro grege sollicitus est

9 Me quoque me tanto pastoris officio valde immeritum ante omnia et post omnia lugeo, magnipendens pastorum principis tremendam de creditis ovibus discussionem, ne aliqua fraude circumstrepentium luporum amittam eos, quos mihi occulta sui dispensatione judicii mundi totius arbiter educandos in fide ac sanctitate commisit; pro quibus etiam atque etiam ingemisco frequenter et defleo, clamans humiliter cum eodem Christo Jesu et dicens: Pater sancte, serva eos in veritate tua, quos dedisti mihi. Nunc nunc, o dilectissimi, nunc illud nobis propheticum occurrat oraculum: Cibabis nos, Domine Deus, pane lacrymarum, et potum dabis nobis lacrymas in mensura: Confido, inquam, quoniam in mensura, quia non patietur nos tentari supra id quod possumus ferre: neque in perpetuum indignabitur nobis, sed propitiabitur servis

A servis suis, dans solitum misericordiæ suæ temperamentum, ut possimus sustinere. Hæc de sancti Viri dictis annotavi, ut facile possit agnosci, quantæ sanctitatis, quantæque mansuetudinis habuerit plenitudinem. Nunc ad reliqua ejus gesta vertatur articulus, quæ adeo sunt multis ignota, ut longi temporis alluvione omnium pene memoriæ abolita putentur *g*.

ANNOTATA.

a *Puccinellus part.* II, *pag.* 132 *basilicam, quæ hic dicitur* Philippea *vocat* Faustinianam. *Forte utroque nomine appellata fuit, quia in Philippi ædibus a Fausto ejus filio ædificata erat. De hac re consuli possunt Tristanus Calchus lib.* I, *pag.* 17, *Ripamontius lib.* I, *pag.* 51, *aliique rerum Mediolanensium scriptores.*

b *Hæ tres voces hic perperam intrusæ sunt. Eas hic reliqui, quia nescio, ad quem sensum pertineant.*

c *Præterquam quod sensus hic sit obscurus, populi consultatio de eligendo episcopo aliter a* B *Puccinello narratur pag.* 132.

d *Ex his colligi potest,* S. Maternum *successisse Monæ, qui juxta quosdam obierat anno* 246.

e *Hinc conjicio,* S. Maternum *non diu post mortem Decii electum fuisse.*

f *Gallus, anno* 251 *factus imperator, post octodecim imperii menses a militibus suis occiditur; cui succedit Emilianus, a senatu receptus. Sed Valerianus a legionibus in Gallia proclamatus imperator, occiso post tres menses Emiliano, succedit.*

g *In Commentario prævio num.* 10 *dixi, ex his verbis sequi, quod Actorum scriptor diu post Materni tempora vixerit.*

CAPUT II. *Ejus cura episcopalis, constantia in persecutionibus, fidelium confirmatio, et pia mors.*

Igitur ea tempestate, ut præfatus sum, diversis toto Romano imperio Valeriani C primatibus Christi graviter ecclesiam agitantibus et more rabidorum canum imbecilles viros ac simplices calcaneo tenus trahentibus et morsu pestifero maculantibus, præsul eximius Maternus, divino vallatus munimine cum sibi subjectis ovibus permansit illæsus. Nec mora, impii Cæsaris dolor conversus est in caput ejus et iniquitas ejus in verticem ipsius digna satis ultione descendit: nam qui multis sævo ritu liberis orbari fecerat patres, ipse a barbaris captus et luminibus orbatus, regno simul vitaque cassus oppetiit *a*. Post quem filius ipsius Gallienus *b* rerum summam obtinens, patris excidio territus, lenius ac mitius erga Christianos viros agere decrevit. Datis confestim decretis inhibuit supplicia, persecutionesque exstinxit, permittens singulos melioribus, prout cordi est, ceremoniis uti; qui postquam vitæ metam contigit, Claudio regni apicem reliquit: post quem Aurelianus, ac deinde Probus, deinceps Cajus *, et post modicum Diocletianus et Maximianus rerum domini exstiterunt *c*.

EX MS.

12 Ita factum est, ut ab anno primo Gallieni usque ad decimum Diocletiani anni circiter triginta, licet subobscura ac tepente pace, ecclesiarum Christi persecutio cessaret; subobscura autem pace dixerim, salvo eo, quod semper bonis profani, fidelibus perfidi, piis impii, more solito invident, et quantum ad ipsos, cessante sententia, malitia non cesset. Per idem tempus gloriosissimus antistes Dei Maternus omni studio invigilans suas, ut prædixi, oves, pascuis necessariis adhibitis, elegantissime saginabat, peragransque cunctas Metropolitanæ sedi subditas juxta et procul extentas Italorum parœcias ecclesiasticis officiis imbuebat: sane propriis jam dudum pastoribus destitutas præelectis tum demum ex clero earumdem ecclesiarum magistris, morum dignitate ac fidei vigore refertis, recreabat, ut pia mater, et sua quodammodo diligentia animabat. *S. Maternus visitat suam diœcesim,*

13 Quo in tempore Dertonensis *d* quoque urbis jam olim viduatam pastoris proprii decessu ecclesiam idem vir præferendus sua visitatione illustrasse memoratur. Denique, ut non solius famæ vulgaris opinione ordiar, sed rei E gestæ texta sub ordine competenti succincte depingam; transvecto per passionis gloriam ad cælestem præsulatum sanctissimæ memoriæ Marciano *e*, qui primis fidei suæ temporibus ante paululum quam episcopali plebis ejusdem curæ delegaretur, B. Calimeri *f* Mediolanensis antistitis magisterio informatus, et ipsius in prædicatione aliquamdiu comes fidelissimus fuisse noscitur, plurimis annorum curriculis præfatæ Terdonæ populus sine benedictione sacerdotali mansit, solis contentus presbyterorum aut diaconorum officiis: quibus etiam persecutionis turbine sublatis, raro apud id locorum, mysteriorum posses invenire dispensatores cælestium. *et Derthonensi urbi diu præsule orbatæ* d

14 Qua de causa cives immodice perturbati deprecatoriis scriptis Metropolitanæ sedis pontificem supplicant, cui auctore Deo, insignis præconiis meritorum iisdem diebus vir Domini præsidebat Maternus: quassatam ac pene lapsam Dei domum, hoc est plebem fidelium nuntiant, et nisi subveniens occurrat, illico decidendam; calamitates semet F ingentes consolatoris destitutam suffragiis querebatur ferre non posse: quia dum amittit, quibus fulciri poterat, non est locus ultra in viribus, quo graves ac repentinas ventorum concussiones perferat. Unde oportet architectus adveniat, et sibi commissæ fabricæ, ut ipse melius invenit, succurrat. Talibus sanctus antistes plebis afflictæ precibus inflexus, confestim iter arripuit, et die eodem prædictum Terdonæ castrum ingressus est. *populi rogatu*

15 Quibus agnitis cives hinc indeque concurrunt: nonnulli ad ipsum Heridani *g* vadum obviantes, atque pastorem populi reverentissime supplicantes, hæc lacrymosis oculis aiunt: Salve, o spes Italiæ, Liguriæ *h* decus, et splendor Æmiliæ *i*, diu desideratus ab Alpibus Cotiis *k*; ut imber serotinus, tandem præstolatus advenis: et quid dulcius æstuantibus ac squalentibus terræ glebis, quam pluviæ plenitudo cælestis? Ingredere, ingredere, probabilis animarum medice, et variis afflictos incommodis quibusvis recrea clementer antidotis. At ubi morbidas oves congruæ incolumitati reddideris, pastori quoque *Meliodorum episcopum præficit.*

EX MS.

quoque necessario, erudito ac provido tui vice commenda, ut ultra jam tua solicitudine per multarum ovium caulas particulatim diffusas greges redivivi, sed non in prospectu positi, non decidant, et iterum dicant gentes : Ubi est Deus eorum ? Ingressus ergo Vir almificus, velut sol radians, in virtute sua cunctas ex urbe idololatriæ tenebras depulit, et Christi, quod semper spirabat, fidei lumen intulit : quin imo dispersum ac pene annullatum cleri ordinem reformavit, et una cum consensu plebis præelectum ex diaconio
l Maliodorum *l* summæ sanctitatis levitam, episcopali ministerio decoravit, plebique poscenti pastorem tribuit. His, quæ e latere consurgebant, beati Viri gestis prælibando notatis, nunc jam ad gloriosi certaminis ejus terminum sequentis formulæ volumus excursum.

Diocletianus et Maximianus, quorum posterior urbem Mediolanensem exornat.

16 Diocletianus et Maximianus Romani imperii dignitate ac ditione potiti; alter Orientis, alter Occidentis Romani sibimet orbis partes dederunt. Itaque Diocletianus ad Orientem tendens Maximiano, quem colle-
B gam in regno secumque Augustum fecerat, occiduas mundi plagas ad regendum commisit : sibi in Nicomediensi urbe imperialem sedem statuens, illi Romanæ arcis sceptra imposuit, et Mediolani, velut hinc
m indeque concurrentium partium medioximo *m* augustale palatium collocavit : quam Maximianus urbem præ omnibus, qui ante ipsum Romani regni principes extiterunt, fovit, auxit atque dilexit, adeo ut ad majorem etiam amplitudinem non parvum muri ambitum addiderit, diversis quoque eam schematibus ornando, antiquæ Romæ cognatam effecerit; et quod multo est insignius, roseo innumerabilium martyrum cruore perfusam usque adeo inter affines urbes decoram reddidit, ut multo amplius per divinam gratiam Sanctorum, qui in ea passi sunt, præsidiis, quam Maximianicis nunc usque constet munita propugnaculis. Pergam itaque ipsius quæ fuerit cum sodali, primo imperii sui anno circa christianos viros mansuetudo, quantaque post modicum vexatio quamvis extrinsecus annotare; sicque vero, ut ex his,
C quanta in viro admirabili Materno fuerit inconcussæ constantia mentis, quam efficax temporum accessus juxta sententiam prædicentis, me quoque tacente, facillime possit intelligi.

initio imperii christianam religionem permittunt.

17 Igitur suscepto utrique augustalis apicis diademate, mites sese ac blandos cunctorum ostentui dedere. conjuges, filias *n*, et
n totius pene domus familiam Christianæ fidei sacramentis imbui nequaquam aspernati sunt. Jamque etiam hi, qui erant a secretis, a caliculis, a cubiculo regis, Christi lavacro abluti sunt chlamyde terreni imperii Jesu Christi milites sacramentis cælestibus conjurati latebant : quorum obtentu plurimi ecclesiarum antistites imperiale susceperant edictum, licite, quos vellent, suo magisterio informandi, distributo tam Romanæ quam Mediolanensis ecclesiæ aliisque nonnullis metropolitanæ sedis præsulibus præfixo, ut supra dixi, fidelium numero. Verum longe aliter superni satoris industria sacro Euangelii semini providente, quanto magis præfinita maceria dominicam invidi partem cingere nitebantur, tanto amplius divaricatis D
vagabundam olevisse compagibus cæli ac terræ totius completa superficie confusi nimium atque stupentes attendere non valebant.

sed, crescente christianorum numero, primum milites,

18 Hac de causa primo omnium inter militares viros persecutionis scintilla coalescens immensum toto orbe suscitavit incendium : nam facta discussione, si qui essent ex militibus Christiani, ut aut immolarent, aut militiam pariter vitamque deponerent, plurimi militiam pro fide Christi, aliqui etiam animas posuerunt. Hinc flamma sumens exordium cunctos pene Christiani nominis cultores uno conflagravit incendio. Impossibile dictu, quot ex militari ordine viros nobiles et industrios, honore ac seculi dignitate sublimes, vorax brevi ira flamma consumpserit. Denique procedente tempore, æstu invidiæ suscitatæ de die in dies ingravescente, innumerabiles per singulas quasque urbes et provincias martyres efficiebantur quotidie. Accidit etiam cum dies solennis Paschæ immineret, ut edicta principum cunctis palam relegerentur populis, omnes per orbem destrui fundo tenus ecclesias, infames fieri christianorum nobi- E
les, in vincula conjici universos eorum antistites, suppliciisque gravibus ad immolandum diis cogi præcipientia.

deinde sacerdotes.

19 Tum vero ingens spectaculum sacerdotes ubique Domini huic mundo et angelis et hominibus effecti sunt. Cerneres Christi præsules et ministros, reorum more, catenarum nexibus alligatos, horrendis recludi carceribus, et adulterorum ac parricidarum custodiæ mancipari; simul etiam cum ipsis viros illustres matronasque nobiles edictis principalibus urgeri, aut negare christiauitatem, aut Romanam linquere libertatem; nolentes inverecunde et inhoneste ad publicum trahi, palam cunctis denudari, et latronum legibus virgis plumbatis ac fustibus cædi. Ubique luctum, ubique mœrorem, ubique fœdum ac miserabile spectaculum; sacras orationis domos, et ecclesias Dei viventis ab ipsis subversas ac dirutas fundamentis; proh nefas! divinæ Scripturæ libros in medio platearum igni crematos; in urbibus subitum a Dei laudibus silentium, in carceribus ju- F
ges ac suaves Christi famulorum modulationes, per plateas ex clero nullum. Non est hujus operis tantæ illius enormitatem metiri persecutionis.

aliosque f... o

20 Igitur cum hæc apud Nicomediam, *o* Orientis urbem, flamma crudelitatis, per Diocletianum succensa [per] innumeras juxta longeque positas provincias, [ebulisset, quam] quasi cruentus leo et ferox auctor ipse crudelitatis piorum [exitio] semper inhians ad dissipandum potius sibi, quam ad regendum prælegerat haud segnior apud Occidentis partes coherede et participe regni simul atque militiæ paribus succenso furiis adversum Dei ecclesiam : quin imo dispar ei in nullo, nec ferina rabies, nec furor effrenatæ mentis fuit. Totas Italiæ urbes, universaque Occidentis loca perlustrantes, si quem forte Christi cultorem reperit, aut gladio jugulari, aut ignibus cremari, aut flagris discerpi, aut ungulis rimari, vel quibuscumque tormentis exanimari præcipiens ab incepto non destitit, quoadusque præcessisse collegam in cunctis facinorum generibus visus est : namque ubi in Mediolanensium

A Mediolanensem mœnia, edictis præcedentibus, intravit; mox præconis voce in tota clamatum est urbe : Imperator cæsar Herculeus Maximianus Augustus semper invictus, triumphator maximus advenit : ecce concurrite cives, deos reportate patrios, concurrite cives et veneramini. Vos vos procul ab urbe profani, vobis dicitur, recedite Christiani.

...persequun-...t

21 Cumque die altero tribunal ex alto in hippodromo circi imperiali fastu præparatum diademate irradians conscendisset, adstantibus populis latialiter concionatus est : Oportet, inquiens, o generosi cives, paternorum sequi statuta morum, et his mentes informare pervigiles, ne forte luxuriando per alia simul nostra dignitate pariter ac libertate degeneremus. Unde ad sacrosanctam deorum culturam revocantes memoriam omnipotentibus numinibus gratanter litate sacrificiorum libamina. Porro exsufflato profanæ superstitionis ritu, et eis, qui hujusmodi affectant, explosis, in nullo participari velitis; quin potius illos ad nostram pertrahi facite, audaciam pompantes *p*, ut digni sunt, et ad

p

B aliorum exemplum turpiter denudatos per plateas cædentes. Fit clamor ingens pagani populi, Cæsari maximo semper vincenti aurea secula feliciter advehenti æternum decus diutius precantur : impleturque illico illud Domini prædicentis : Tradet, inquit, frater fratrem in mortem et pater filium, et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient : non enim aliquos consanguinitatis affectus, non amicissimorum intuitus a proditionis scelere valuit inhibere. Prodidere matres unicas filias, quascumque christianæ fidei annulo subarrhatas noverant : nec minus et patres natos christianissimos ad amphitheatrum pertrahendos, ut profanos, amentes atque epilepticos domibus expulere. Econtra nonnulli genitores proprios turpiter infamantes tortoribus martyrum puniendos tradidere.

...S. Mater-...ad paten-...edit, et ...moritur.

22 Sed, ut cœpta prosequar, inter hæc discrimina vir Domini Maternus de suorum gemens concussione filiorum, ut turris fortissima immobilis persistebat; nunc hos nunc illos frementis adversarii ictus inconcusso mentis fundamine sufferens et sibi commissos

C bellantium ordines impenetrabili muro securissimos efficiens. Quoties inter alios vinctus catenis, quoties principi nequissimo præsentatus cum reliquis? Interdum etiam carceris ergastulo includi jussus, flagris atrocibus quantoties affectus, non valet hujus pagina compendii perfacile comprehendi. Inter quæ Christi semper clypeo protectus et galea, hostiles impetus miles egregius contra stabat. Hæc itaque et hujusmodi plura gerens, quæ proferre per nos atque exprimere, ut dignum est, non potest sermo pauperculus; melius vobis ea vester dicet affectus summæ alacritatis. Instantiæ fuit cultor et custos animarum, cupiditates resecans, iras comprimens, malitias exstirpans. His magis Vir iste temporibus necessarius fuit, quibus tanta iniquitas, sumptis quotidie, deficiente justitia, viribus, convalescit. Et quidem ille in hac peregrinatione solo corpore constitutus, cogitatione et aviditate in illa æterna patria conversatus est, et quasi bonus ratiocinator velut ad centuplum manum porrigens semper de sinistra transmisit de dexteram, et in cælo reposuit sudores suos : nam etsi hic opera ejus videntur, illuc operum merita transierunt. Illius, in quantum possumus, vestigiis insistamus, qui per illam nimis arctam viam ad cæli ampla festinans, quam consequeremur, ostendit. Depositus est idem Christi confessor sub Maximiano imperatore *q* quintodecimo Kalendas Augustas, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

EX MS.

q

ANNOTATA.

a *Lactantius in libello de Mortibus persecutorum num.* 5 *divinam contra Valerianum vindictam graphice depingit. Captus fuit a Persis juxta Tillemontium anno* 260.

b *Gallienus, qui anno* 267 *circa urbem Mediolanensem occisus fuit, a Lactantio non numeratur inter ecclesiæ persecutores.*

c *In hac imperatorum enumeratione omittuntur Tacitus, et Carinus cum Numeriano, quia forte exiguo tempore regnarunt.*

d Dertona *vel* Terdona *vulgo* Tortona *urbs episcopalis sita est in Ducatu Mediolanensi ad Iriam fluvium. Mediolanenses eam a Frederico Ænobarbo eversam restaurarunt, sed ad pristinam magnitudinem non reduxerunt.*

E

e *De hoc sancto martyre et episcopo Derthonensi actum est ad diem* VI *Martii tomo* I *ejusdem mensis pag.* 421.

f *De hoc sancto episcopo egit Papebrochius in Exegesi de episcopis Mediolanensibus pag.* LVIII. *Sed non video, quomodo ætas Calimeri Mediolanensis cum Marciano Derthonensi conciliari possit, nisi Calimeri epocha ad diem ultimam hujus mensis ipsi sacram diligentius investigetur.*

g *Eridanus vel Padus vulgo dictus* il Po, *est notissimus Italiæ fluvius, qui inter Mediolanum et Derthonam fluit.*

h *Liguria aliquando in latiori significatione accipitur, ita ut complectatur Insubriam. Unde Mediolanum, quod erat caput Insubrium, a quibusdam veteribus geographis in Liguria collocatur.*

i *Æmilia regio Italiæ nomen habet a via ab Æmilio consule strata, quæ præter alias inflexiones a Pisis per Hetruriam Derthonam usque protenditur.*

k *Alpes Cottiæ vel Cottianæ a Tacito aliisque veteribus nominantur, et Delphinatum a Pedemontio separant. Satis obscurum est, quousque montes illi antiquitus nomen suum retinuerint.*

F

l *Ab Ughello tomo* IV *Italiæ sacræ col.* 852 *vocatur* Meliodorus, *diciturque ecclesiam Derthonensem administrasse circa annum* 315.

m *Hanc vocem nusquam reperi; sed ex sensu satis colligitur, quod auctor per eam meditullium significare voluerit.*

n *Lis est inter eruditos, an Diocletiani uxor et filia christianam religionem amplexæ fuerint. De hac quæstione videri potest dissertatio Nicolai le Nourry monachi Benedictini, qui post Lactantii libellum de mortibus persecutorum a se Parisiis editum cap.* IX, *art.* I *hanc controversiam examinat. Actorum nostrorum assertioni favere videntur hæc verba Lactantii num.* 15 : Furebat ergo imperator jam non in domesticos tantum, sed in omnes, et primam omnium filiam Valeriam, conjugemque Priscam sacrificio pollui coegit.

o *De hujus persecutionis initio loquitur Eusebius lib.* VIII *Hist. Eccles. cap.* II. *Ceterum hic aliquot lineas*

lineas luxatas utcumque restituere coactus sum.

p Pompare *aliquando idem est, quod* superbire, *aut* ostentare; *interdum vero significat ad pompam et ludibrium traducere, ut in Historia Miscella in Leone Isauro :* Nudum super asinum verso vultu sedentem pompavit. *Videtur hoc verbum hic in posteriore significatione accipiendum, quamvis in priori etiam explicari possit.* D

q *Ex hac chronologica nota tempus mortis* S. Materni, *quantum fieri potuit, determinare conatus sum.*

DE S. ÆMILIANO MARTYRE

DOROSTORI IN MYSIA SIVE BULGARIA.

P. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Locus martyrii; cultus; ecclesia in Rhabdo, et miracula.

ANNO CCCLXII. *Dorostori,*

Dorostorus urbs olim Mysiæ inferioris prope Danubium sita, variis passim nominibus apud antiquos celebris fuit : nam quæ Ammiano lib. XXVII, *cap.* IV, *Hieronymo in* B *Chronico aliisque Dorostorus dicitur, ab aliis nuncupata est Dorostolon, Durostolon, Dorostena, Drista, Rhodostolon, etc. ut apud Geographos videre est. Episcopi sedes olim fuit; at, Ferrario teste in Lexico Geographico, nunc pagus Bulgariæ ; imo urbs ampla, Dobrugiæ caput, in Bulgaria regione, et in qua commoratur Turcarum præfectus, inquit Baudrantius, qui eam asserit esse Silistriam ; sed huic sententiæ non congruunt mappæ pleræque Geographicæ, quæ Dorostorum a Silistria sive Silistra plurimum distinguunt. Porro Dorostorus, quamquam, ut jam dixi, proprie ad Mysiam seu Mœsiam inferiorem pertinuerit, non numquam tamen invenitur attributa Thraciæ : nimirum ibi Thracia latius accipitur, prout est diœcesis, continetque provincias sex Europam, Thraciam, Hæmimontem, Rhodopen, Mysiam inferiorem sive secundam ac Scythiam ; uti eam etiam accipit describitque Ammianus Marcellinus loco ante citato.*

passus S. Æmilianus, Latinis olim.

2 *Fuit hæc civitas fœcunda Martyrum parens, uti non semel in Actis Sanctorum videre est ; atque hoc ipso die plures in superos retulit, quos notant Martyrologia vetustissima Hieronymiana* C *apud Florentinium, et quorum primus (nam de aliis jam dictum est supra) est* Æmilianus *noster ; cujus proinde cultus etiam apud Latinos perantiquus est. Eumdem Usuardina referunt hoc eodem die his verbis :* Civitate Dorostoro, sancti Emiliani ; *nec de sociis ejus Martyribus Usuardus meminit ; ut merito dubites, an ejus memoriam ex Hieronymianis, an potius aliunde in Martyrologium suum transtulerit. Usuardum secuta sunt alia recentiora, atque imprimis Romanum, quod sic habet :* Dorostori in Mysia, sancti Æmiliani martyris, qui tempore Juliani Apostatæ sub Capitolino præside in fornacem injectus, martyrii palmam accepit. *Nec solis Martyrologis Sanctus noster, verum etiam Patribus Latinis notus fuit, ut videre est apud S. Hieronymum in Chronico ad annum 2 Juliani Imp. et S. Prosperum in Chronico integro apud Labbeum Novæ Bibliothecæ Mss libb. tom. 1, pag. 43. Vide etiam quæ de eo scripsisse putant S. Ambrosium Baronius ad annum Christi 362 num. 80, et Tillemontius in Persecut. Juliani art.* XII. *Verba debuntur inferius num. 12.*

Græcisque fastu celebratus fuit.

3 *Apud Græcos Sancti hujus Martyris memoria multo est solennior ; quod patet ex Officio Odisque in eo acrostichis a Josepho concinnatis atque elogio historico, quæ ad hunc diem* XVIII *Julii leguntur in Menæis excusis ; unde transcripta sunt ;* E *quæ eodem die referuntur in Anthologio Græcorum et apud Maximum Cythereum. Elogium istud hic darem ; sed cum aliud aliquanto præstantius in Synaxario Basilii Imperatoris ad calcem tomi primi hujus mensis Græce tantum ediderimus, satis habebo istud numero proximo Latine versum exhibere, unaque annotare quæ in eo discrepant a Menæis. Versiculi porro, quos* Æmiliano *accinunt Menæa, sic sonant :*

Αἰμιλιανὸς εἰς πυράν βεβλημένος,
Χριστοῷ παραστάς τέρπεται σύν ἀγγέλοις.
Ὀγδοάτῃ δεκάτῃ φλογὶ Αἰμιλιανὸς ἐβλήθη.

Latine :

Æmilianus traditus flammis, modo
Præsente Christo fruitur inter angelos.
Octavo decimo subit ignes Æmilianus.

Eumdem diem et Typicum S. Sabæ, et Menologium Sirleti apud Canisium et Menologium Cryptæ Ferratæ Romæ editum anno 1677, et Slavo-Russicum, uti et Ephemerides Græco-Moschæ tom. 1 Maii datæ, et Martyrologium, quod habemus, Ms. Arabico-Ægyptiacum, aliaque quæ viderim omnia S. Æmiliani memoriæ consignarunt ; sed eminet inter cetera Synaxarium, de quo modo dicebam, F *Basilii Imperatoris, cujus textum Græcum Latine sic reddo :*

Compendium Actorum ejus ex Synaxario Basilii Imp.

4 Mense eodem *(Julio)* die XVIII. Certamen sancti Martyris Æmiliani Martyr Christi Æmilianus oriundus ex civitate Dorostolo in Mysia Thraciæ fuit sub Juliano apostata. Cumque ethnici cujusdam servus esset, ipse tamen Christianus, arrepta opportunitate, cepit malleum, ingressusque in templum idolorum, omnes statuas demolitus est, ac dispersit sacrificia. Idololatræ vero, rei hujus auctorem ignorantes, comprehenderunt agricolam quemdam, quem verberare cœperunt, atque ad præsidem pertrahere. Tunc Sanctus id videns, semetipsum tradidit, dicens : Ego sum, qui hoc feci. Ductus ergo ad præsidem, incusavit dementiam ejus, ut qui in idolis vanis fiduciam reposuisset. Cum vero illum hac ratione ad iram commovisset, graviter virgis cæsus est ; cumque etiam tum in Christi confessione persisteret, injectus est in ignem, atque in medio illius benedicens et glorificans Deum, emisit sanctam animam. *Hæc*

A *Hæc Synaxarium Basilianum, a quibus in eo differunt Menæa impressa* I. *Quod pro* Dorostolo *scribant* Rhodostolon, *addantque nomen præsidis, seu potius vicarii Capitolini* (Καπετολίου βικαρίου) *sub quo passus est* S. Æmilianus. 2. *Quod eum idola contrivisse dicant tempore noctis* (ἡσυχίας.) 3. *Quod non unum agricolam primo captum, sed* alios *in plurali asserant.* 4. *Quod cæsum narrent* Æmilianum βουνεύροις, *id est, nervis bubulis.* 5. *Denique, quod in caminum ignis injectus, in eoque perseverans incombustus spiritum Deo tradiderit ; de qua re dicam inferius.*

5 *Notandum vero est, quod ad hujus nostri Martyris memoriam hoc die notat Supplementum, quod hic est Ms. ad Menæa excusa ac Synaxariis Sirmondi et Ms. Chiffletii :* Ἡ δὲ τούτου σύναξις τελεῖται ἐν τῷ μαρτυρείῳ αὐτοῦ τῷ ὄντι ἐν τῇ ῥάβδῳ. Festivitas vero ejus agitur in ecclesia ipsi sacra, quæ est in Rhabdo. *De hac ecclesia hæc habet Codinus, de Originibus CP. in editione Parisina* 1655 *pag.* 51 : Porta S. Æmiliani nomen accepit a proximo templo S. Æmiliani, quod prius parvum erat oratorium. Cum autem sub Constantino magno virga
B (ῥαῦδος *sive* ῥάβδος ; *unde loco nomen)* Moysis in urbem afferretur, pedes eam in hoc loco excepit Imperator, et magnam condidit ecclesiam S. Deiparæ, ubi eam deposuit. Atque templum S. Æmiliani ampliavit. *Eadem fere scribit Anonymus apud Bandurum tom.* I *Imperii Orientalis pag.* 49.

6 *Ex his colligit Tillemontius (timide tamen ac dubitanter, ut solet)* Rhabdum, *sive ecclesiam de qua hic sermo est, non esse* S. Æmiliani *nostri, sed alterius cujuspiam antiquioris ; quando noster Constantino magno multo posterius vixit. Verum nihil video, quod collectionem Tillemontianam magnopere confirmet : cum dici possit, vel hallucinari recentiores illos Græcos, dum instaurationem ecclesiæ jam dictæ Constantino Magno attribuunt : (Et certe auctoritatem eorum in hisce rebus ipse Tillemontius plurimum elevat in Vita Constantini Magni art.* LXVI ; *et ecclesia illa non visitur in regione* VII, *ad quam spectare debuisset in mappa CPolim exhibente, ut fuit sub Honorio et Arcadio, apud Bandurum in vestibulo tomi* II *Imp. Orientalis) vel si vere ecclesiam illam Constantinus ampliorem fecerit, eam ab Auctoribus citatis*
C *appellari ecclesiam* S. Æmiliani *per prolepsim ; cum tempore Constantini tantum Rhabdus vel alio quovis nomine vocaretur ; ac postea solummodo* S. Æmiliani *appellationem acceperit, sive quod ad eam reliquiæ sancti Martyris post Juliani apostatæ tempora delatæ fuerint, sive aliam ob causam.*

7 *Et certe cujus tandem sancti* Æmiliani *templum hoc fuerit, si nostri non fuit? Nam illum quidem, quisquis est, et martyrem fuisse necesse est, et apud Græcos, et maxime CPoli, celeberrimum ; martyrem, inquam : nam hoc præter vocem* μαρτυρείου *supra, asserunt Constantinus Porphyrogenitus in Basilio Macedone, ac Cedrenus in Historiarum Compendio editionis Parisinæ* 1647 *pag.* 588; *verba prioris sunt* § LXXX : Sancti vero martyris Æmiliani in Rhabdo ecclesiam, haud procul ab ædibus sanctæ Dei Parentis, vetustate fatiscentem videns *(Basilius Imperator)* utrimque turrito opere fastigiando, novam reparavit. *Celeberrimum eum inter Græcos fuisse quis dubitet, ac singulari cultu saltem CPoli honorari solitum, cui ecclesia, opere Imperatorio magnifica, intra ipsam Constantinopolim dedicata fuerit, quæ vicinæ etiam portæ civitatis nomen accommodaverit? Atqui præter* Æmilianum *hunc nostrum, unicum tantummodo* S. Æmilianum *martyrem in fastis Græcanicis reperimus die* XI *Decembris ; sed qui non solus, uti noster, verum cum aliis tribus sociis MM. conjunctim colatur ; et eum quidem tam obscurum, ut nec in Menologio Chiffletii, nec in ullis nostris Mss. compareat ; utque in ipsis Menæis, ad usum præcipue ecclesiæ CPolitanæ excusis, brevissima tantum ejus inter alios socios fiat commemoratio, ne nomine quidem in versiculis expresso, nedum tempore aut loco sive cultus, sive martyrii. Dubium ergo esse non potest, quin ad solum* S. Æmilianum *nostrum ecclesiæ memorata pertineat, ut habet Supplementum num.* 5 *citatum. Qua autem urbis regione sita fuerit, vide apud Bandurum in mappa geographica secunda inter præfixas tomo* II *Imperii Orientalis.*

AUCTORE P. B.

et reliquiæ miraculis celebres.

8 *Invocatur autem Sanctus noster, non solum ut martyr, verum etiam ut frequens miraculorum patrator : Sic enim ipsum compellat Menologium Cryptæ Ferratæ ad hunc diem :* Κρατυνθεὶς ὑπερτάτως παρὰ τοῦ Κυρίου, εὐκλεῶς ἐτροπώσω τοὺς τυραννοῦντας ; καὶ τῶν θαυμάτων τὴν χάριν δεξάμενος, τοῖς ἐν ἀνάγκαις ἀῤῥήτως προϊστὰς, Αἰμιλιανὲ πανόλβιε · διὸ ὑπὲρ ἡμῶν δυσώπει τὸν E
Κύριον. Mirifice roboratus a Domino, gloriose devicisti tyrannos ; et miraculorum gratiam consecutus, iis qui sunt necessitatibus, ineffabiliter præsides, beatissime Æmiliane : Ora igitur pro nobis Dominum. *Menæa excusa eum appellant* Martyrem, qui totum modo orbem miraculis collustrat. *Ibidem Josephus in Odis acrostichis virtutem ei tribuit reprimendi indomitos concupiscentiæ motus, pellendi morbos incurabiles, ac malos dæmones ; ac paulo inferius, Ode* VI : Μύρων ἀναβλύζει, *inquit,* τὸ ῥεῖθρον ἡ τῶν λειψάνων θεία θήκη σου, πανόλβιε γενναῖε Μάρτυς, καὶ καταργεῖ τὰ δυσώδη πάντοτε τῶν ἀνθρώπων ἀῤῥωστήματα. Unguentorum fluento scaturit sacra reliquiarum tuarum theca, beatissime ac generose Martyr, et fœtidas hominum ægritudines semper expurgat. *Hactenus de cultu ac veneratione* S. Æmiliani ; *nunc ad Acta progredior.*

§ II. Acta martyrii ejus Græca, eorumque levis auctoritas.

F

Acta nostra fabulosum Juliani edictum adstruunt ;

Acta, quæ hic damus Græca, descripta sunt ex pervetusto codice Vaticano Ms. num. 866 : *nec melioris notæ, quam sunt pleraque fere Græcorum alia ; imo aliquanto etiam deterioris ; ut propemodum omittenda putaverim. Repit Auctor battologus ; tam audax ad fingenda miracula, quam ab historia ac recte putanda temporum ratione alienus. Ut ab initio exordiar ; quam inepta sunt, quæ narrantur num.* 1 *de edictis, quibus per urbes omnes imperio suo subditas mandaverit Julianus, ut in Christianos locorum præfecti diligenter inquirerent, inventosque tormentis variis e medio tollerent ? Tantum abest, ut edicta talia tyrannus ille condiderit ; ut omnem potius industriam eo semper intenderit, ne quemquam ob fidei Christianæ professionem afficere supplicio videretur. Invidebat nimirum Christianis martyrii gloriam ; ideoque cum illos perderet, alias semper, quam fidei solius causas, obtendere satagebat ; puta quod idolorum templa aut aras evertissent ; quod seditiones concitasse dicerentur ; et plures ejusmodi. Adisis Baronium maxime ad annum Christi* 362, *Tillemonium in Persecutione Juliani, aliosque passim ;*

AUCTOR. P. B.

passim ; imo ipsum Julianum tum alibi, tum epistola LII *ad Bostrenos data* Kalendis Augusti, *adeoque ipso illo anno, quo pauculos ante dies* Æmilianus *noster occubuerat ; ubi iterato prohibet ethnicis magistratibus, ne quam vim inferant Christianis ; quippe quos misericordia potius quam odio dignos pronuntiat, nisi quid aliud sceleris admiserint.*

nec recte martyrium locant anno 363, die III Septemb.

10 *In chronologiam quoque eodem numero impingit auctor noster, cum Acta* S. Æmiliani *refert ad quartum Juliani consulatum, sive annum Christi 363 a die* XVI *Julii, ut habet num.* 5, *usque ad diem* III *Septembris, uti narrat num.* 11. *Quamquam enim sævire etiam anno illo potuerit in Martyrem nostrum Capitolinus; minime tamen credi potest id ausus esse post intellectum Juliani interitum, ac Joviani, cujus insignem in religione Christiana pietatem, odiumque idololatriæ ignorare non poterat, in imperio successionem ; intellexisse vero ea debuit in Thraciis ante Septembrem, cum ante mensem Julium accidissent. Sed neque omnino in annum illum verisimile est incidisse martyrium* S. Æmiliani ; *primum quidem, quia secundum omnes auctores, passus est sub Juliano ;* B *deinde vero juxta omnes Martyrologos etiam vetustissimos ecclesiæ tam Latinæ quam Græcæ natalis ejus, id est, dies martyrii, est* XVIII *Julii ; cum Julianus imperare ac vivere desierit anno Christi 363 a die* XXVI *Junii. Itaque missis non tantum auctore nostro, sed etiam Hieronymi, Theophanis, et Alexandrino Chronicis eumdem cum illo annum consignantibus, adhærendum hic videtur esse S. Prospero, qui in Chronico integro tum edito, tum Ms. nostro vetustissimo sic scribit :* Mamertino et Nevitta *(Coss. id est, anno Christi 362)* Æmilianus ob ararum subversionem Dorostori a Vicario incenditur ; *quæ sunt ipsissima verba Chronici Hieronymiani, in quo annum male notatum S. Prosper emendat.*

Capitolinus non fuit præfectus : sed Vicarius Thraciæ,

11 *Numero secundo statui videtur Capitolinus Dorostoli tantummodo præfectus ; cum num.* 9 *dicatur ejus urbis præfectus esse pater* S. Æmiliani, *qui certo Capitolinus non fuit. Sed nimirum non uni civitati Dorostoro, neque uni provinciæ Mysiæ, sed* toti Thraciæ *præerat Capitolinus, ut ait Theodoretus lib.* III, *cap.* III, *ubi cum in Thracia Dorostolum collocet, quæ proprie urbs est inferioris Mysiæ, manifeste ostendit, Thraciam laxius accipi, prout num.* 1 *ex-* C *plicatum est : fuit ergo Capitolinus non Dorostori præfectus, sed* Vicarius Thraciæ ; *et hoc titulo eum appellant S. Hieronymus, S. Prosper, Chronicum Alexandrinum et Menæa excusa. De Vicario autem Thraciæ et ejus insignibus consule, si lubet, Notitiam dignitatum Imperii Romani cum Commentario Panciroli lib.* I, *cap.* CXXXII. *Porro idea Capitolini, quam hic exhibet auctor noster, satis congruit cum iis quæ de eodem, nisi multum fallor, pronuntiat S. Ambrosius supra num.* 2 *citatus : ubi Theodosium arguens, quod vindictam in episcopum et Christianos meditaretur, qui synagogam incenderant, hæc habet inter alia :*

post a invisus omnibus et miser.

12 Quot se offerre habent tali optioni ; cum meminerint tempore Juliani illum, qui aram dejecit et turbavit sacrificium, damnatum a judice, fecisse martyrium ? Itaque numquam alias ille judex, qui audivit eum, nisi persecutor habitus est : nemo illum congressu, nemo illum umquam osculo dignum putavit. Qui nisi jam esset defunctus, timerem, Imperator, ne in eum tu vindicares : quamquam vindictam cælestem non evaserit, suo superstes heredi. *Credit Baronius, ut ante* D *monui, et quidem valde probabiliter, ut addit Tillemontius idem sentiens, non alium hic ab Ambrosio designari Martyrem, quam* Æmilianum *hunc nostrum : restat ergo, ut per Judicem ejus non alium describat quam Capitolinum. Qui proinde mortuo, ut opinor, Juliano, coactus fuerit ante mortem bonis suis heredi cedere, ac miseram deinceps vitam in egestate invisus omnibus degere. Scio ad alium Martyrem quem per se ipse judicare voluit Julianus imperator, hæc traduci a Theodorico Ruinartio, in Actis Martyrum Sinceris pag.* 581 *editionis secundæ ; sed ex verbis citatis aperte constat, alium hic judicem notari, quam ipsum Julianum ; adeoque et alium Martyrem, quam eum, quem intelligi putat Ruinartius. Cur autem de Æmiliano et Capitolino hæc dicta putem ab Ambrosio, id facit maxime, quod Sancti nostri ob eversas impias aras tempore Juliani sub Capitolino Vicario martyrium per ea tempora notum ac celebre sciatur fuisse apud Latinos, ut patet ex Hieronymi et Prosperi Chronicis ; id quod de alio nullo, quod sciam, dici potest.*

Qualis fuerit S. Æmiliani conditio.

13 *Nescio etiam (ut minutiora præteream) satisne sit credibile, quod asserunt Acta nostra num.* 9, *ubi* S. Æmilianus, *jam flagris toto* E *corpore conscissus, tum primum interrogatur, servusne sit, an liber ? Respondetque, filium se esse Sabbatiani, ipsius urbis Dorostorensis Præfecti. Hoc certe nusquam alibi scriptum invenio. Servum illum fuisse ethnici cujusdam affirmant, cum Synaxario Basiliano supra num.* 4, *Menæa excusa : contra Theophanes eum facit ,* ἀπὸ στρατιωτῶν, ex ordine militari ; *nisi forte vitiata sit interpunctio, et pro* ἀπὸ *legendum sit* ὑπὸ, *uti legitur in Chronico Alexandrino tam in veteri, quam in recentiori editione, in quo nihil de* S. Æmiliani *conditione dicitur. Tillemontius tamen in Persecutione Juliani apostatæ art.* XII, *corrigi mavult ex Theophane Chronicum Alexandrinum, quam ex hoc illum : forte quod cacophonum vederi possit geminum illud* ὑπὸ *in Chronico Alexandrino, cum dicitur ,* Αἰμιλιανὸς , ὑπὸ στρατιωτῶν πυρὶ παραδοθεὶς ὑπὸ Καπετολίνου Οὐικαρίου , Æmilianus , a militibus in ignem conjectus sub Capitolino Vicario. *Ut ut est ; miles fuerit an servus, haud satis liquet. Ego utrumvis fuisse credam potius, quam ignotum Vicario ac lictoribus in ipsa Dorostoro Dorostoreni præfecti filium, eumque talem, ut pro servo accipi a Vicario potuerit.* F

An in igne illæsus perseverit.

14 *Jam de prodigiis in hoc martyrio relatis quid dicam ? Magnum illud quidem, quod astruitur num.* 10, *ubi* S. Æmilianus *in mediis flammis mansisse dicitur incombustus. Idem illud narrant, fateor, Menæa magna in suo elogio, et qui ea secuti sunt. Synaxarium Basilianum supra hoc unum dicit, quod in medio igne Deum benedixerit et glorificaverit ; quod fieri tantisper potuit in ipsa injectione sive lapsu in ignem ; unde non sequitur, illæsum permansisse Martyrem. In Menologio Sirletiano apud Canisium de hac re verbum nullum : nedum apud veteres, qui de hoc martyre meminerunt ; S. Prosperi eademque S. Hieronymi in Chronico verba dedi num.* 10, *quibus Sanctus noster rotunde dicitur* incensus. *Theodoretus historia eccl. lib.* III, *cap.* III, Dorostoli præterea, *inquit,* quæ urbs est Thraciæ nobilis, Æmilianus invictus athleta a Capitolino præside totius Thraciæ in rogum conjectus est ; *nec aliud quidquam addit ; uti neque Chronicum Alexandrinum num. præcedenti ; neque Theophanes ad annum Divinæ Incarn. secundum Alexandrinos* 355 ; *neque Nicephorus Callistus ; tametsi sæculi decimi*

A *decimi quarti scriptor : nam hist. eccl. lib.* x, *cap.* IX *hæc tantum asserit :* Dorostoli autem Thraciæ, Æmilianum invictum athletam Capitolinus, Thraciæ præfectus vivum combussit. *Statue hinc, Lector, quam recentes sint hujus prodigii assertores.*

...ns Actorum ...ula fabu- ...sa.

15 *At illud, quod eodem numero de ministris, erumpente e fornace flamma consumptis, Acta commemorant, quis uno Auctore hoc nostro teste, facile credat? Mihi quidem ea videntur ex historia Danielis cap.* III *huc temere translata. Denique, quæ referuntur num.* 11, *cum solum hunc iterum auctorem habeant, quantam fidem mereantur, non opus est dicere. Certe non talem supra Capitolinum depinxerat, ut uxorem Christianam tolerasse videri possit, nedum eidem usque adeo in sua religione obsecutus esse, ut illi Martyris a se damnati corpus sepeliendum concederet. De integritate vero sancti corporis, quam hic repetit ; uti et de tempore martyrii, supra satis dixi. Ceterum quod ad historiæ S.* Æmiliani *substantiam pertinet, non omittunt Acta nostra : Eamdem enim martyrii causam ; idem ignis supplicium, sub eodem Imperatore, eodemque Thraciæ vicario jam ex antiquitate probata dedimus. Reliqua vero, quæ non attigimus, tanti sunto, quanti cuique visa fuerint : quando non minus difficile est refellere singula, quam confirmare, deficientibus in utramque partem vetustioribus monumentis. Acta nunc ipsa, qualiacumque subjicio, fideliter quidem a me versa, sed stylo ad exemplar Græcum attemperato.*

AUCTORE P. B.

MARTYRIUM S. ÆMILIANI

AUCTORE ANONYMO

B *Ex codice Ms. pervetusto Vaticano num.* 866. E

Βασιλεύοντος του ἀσεϐεστάτου Ἰουλιανοῦ, πονηρὸς διωγμὸς, καὶ μεστὸς θυμοῦ πνεῦμα καὶ παγιδος κατὰ τῶν του Χριστοῦ στρατιωτῶν διεγείρετο· ὁ προλεχθεὶς οὖν Ἰουλιανὸς προστάγματα εἰς πᾶσαν πόλιν προανεϐάλλετο, κελεύων, ἵνα πάντες κατὰ πᾶσαν πόλιν καὶ χώραν ματὰ μεγάλου φόϐου φυλάξουσιν, ὅπως, ἐάν τις Χριστιανὸς εὑρεθῇ, ἑκατέροις βασάνοις καταξανθεὶς, ἀπολεῖται· Τούτῳ τῷ ἀσεϐεστάτῳ προστάγματι, τετάρτῳ τῆς ὑπατίας αὐτοῦ χρόνῳ, τοῦτον τὸν νόμον φυλαχθῆναι ἐπηγγείλατο· τούτοις τοῖς ἀπατηλοῖς προστάγμασιν ἀνατολὴν καὶ δύσιν τῷ αὐτῷ τυραννικῷ θυμῷ κατὰ τῶν του Χριστοῦ δούλων ἐστρατεύετο.

2 Καὶ γὰρ Καπετουλῖνόν τινα ὀνόματι, φθορέαν ὄντα, τὸν νοῦν φαῦλον, ἔτι ἐπιτυμητὴν χύσεως αἱμάτων, καὶ πο ον ἔχοντα ἐν εἰδώλοις, τόπον πραιφεκτουρίας αὐτοῦ ἐξέθετο εἰς πόλιν Δωρόστολον, ἥτίς ἐστιν Μεσία χώρα· ἀπεστάλη οὖν ὁ προλεχθεὶς Καπετουλῖνος εἰν τὴν προνομασθεῖζαν πόλιν· εἰσελθὼν οὖν εἰς τὸν ναὸν, καὶ πᾶσι τοῖς θεοῖς αὐτοῦ προσενέγκας θυσίας, ὑπέστρεψε εἰς τὸ C ἴδιον πραιτώριον. Τῇ δὲ ἑξῆς ἡμέρᾳ καθίσας ἐπὶ του βήματος αὐτοῦ κατὰ τὸ ἔθος, ἀπὸ τῆς τάξεως ἀπειλὰς κατὰ τῶν Χριστιανῶν ἐκίνει, λέγων οὕτως. Εἴ ἐστι Χριστιανὸς ἐν ταύτῃ τὴ πόλει, ἀποστρεφόμενος τὰς θυσίας τῶν θεῶν, τῇ ἐμῇ παῤῥησίᾳ διαλεχθήτω· ἡ τάξις εἶπεν· Μὰ τὴν ἐξουσίαν ἡμῶν· πάντες οἱ ἐν ταύτῃ τῇ πόλει διάγοντες, τοὺς ἡμετέρους θεοὺς προσκυνοῦσιν, καὶ ἀδιαλείπτως, μετὰ πάσης τιμῆς, θυσίας αὐτοῖς προσφέρουσιν. Ταῦτα ἀκούσας ὁ Καπετουλῖνος, καὶ μεγάλης χαρᾶς ἐμπλησθεὶς, ἐκέλευσεν πάντας τοὺς μεγιστᾶνας αὐτοῦ εἰς συμπόσιον κρατῆσαι, λέγων πρὸς αὐτούς· Πάνυ θεωρῶ ὑμᾶς σπουδαίους περὶ τοὺς θεοὺς, καὶ ἄξιον ἐστιν, ἵνα ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ εὐφρανθῶμεν.

3 Ἀριστώντων δὲ αὐτῶν ἅμα του Καπετουλίνου, περιϐλεψάμενος ὁ μακάριος Αἰμηλιανὸς, καὶ ἰδὼν καιρὸν εὔθετον, δὶ ἧς τὸ βραϐεῖον τῆς ἄνω ζωῆς διέλθῃ διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν Χριστιανὸν, οὐ μόνον ἐνώπιον θεοῦ καὶ ἀγγέλων, ἀλλὰ καὶ ἀνθρώποις γνωστὸν, ἵνα διὰ τοῦτο πᾶσι φανερὸν γένηται, ἔχων καὶ τὸν τίμιον σταυρὸν διαπαντὸς ἐνδεδυμένον τὸν θώρακα τῆς πίστεως, ὡς ἀληθῶς τοῦ Χριστοῦ γενναῖος στρατιώτης, τούτοις τοῖς ὅπλοις περιεζωσμένος, εἰς τὸν

Imperante impiissimo Juliano, fœda persecutio ac furoris plena spiritum etiam insidiarum adversus Christi milites suscitavit. Præfatus itaque Julianus ad omnem civitatem præmittebat edicta, jubens ; ut universi cum ingenti timore per urbes singulas et loca invigilarent, ut, si Christianus quispiam inveniretur, iteratis cruciatibus laceratus periret *a*. Per edictum hoc impiissimum quarto consolatus sui anno legem hanc servari mandavit. Fallacibus hisce decretis Orientem atque Occidentem eadem, qua furebat ipse tyrannus, in Christi servos armabat insania.

Edicta Juliani apostatæ.

a

2 Etenim Capitolino cuidam nomine, homini stupri pleno, mente improbo, avidoque fundendi sanguinis, atque idolis addictissimo locum præfecturæ *b* suæ assignavit in civitate Dorostolo, quæ est Mysia provincia. Missus ergo est, quem jam dixi, Capitolinus, ad urbem modo memoratam ; cum autem templum ingressus diis suis omnibus obtulisset sacrificia, ad prætorium suum reversus est. Postridie vero pro tribunali suo de more sedens, minas Christianis ab administris justitiæ *c* intentabat his verbis : Si quis est in hac urbe Christianus, qui sacrificia deorum aversetur, is ea, quam ipsi concedo, libertate mecum arguat. Judicis ministri dixerunt : Per potestatem nobis factam! Quicumque in hac civitate degunt, deos nostros venerantur, eisque indesinenter cum omni honore victimas offerunt. His auditis, Capitolinus ingenti plenus gaudio, optimates suos omnes ad convivium adhiberi jussit, dicens eis : Deorum vos admodum studiosos esse perspicio ; et æquum est, ut hunc diem hilares exigamus.

et minas Capitolini Vicarii Thraciæ parvi pendens,

b

F

c

3 Epulantibus illis atque una Capitolino, circumspiciens beatus Æmilianus, vidensque occasionem esse opportunam, ad supernæ vitæ præmium pertingendi ; quia Christianus erat non solum in conspectu Dei et Angelorum, sed etiam notus hominibus : ut per hoc palam id omnibus fieret, pretiosa cruce, fidei thorace, semper indutus, tamquam Christi miles vere generosus, his [inquam]

idolorum aras subvertit

AUCTORE ANONYMO.

quam] armis accinctus, in idolorum fanum ingressus est, et ferreum arripiens malleum suis ipse manibus quotquot istic reperta sunt idola contrivit, ac evertit altaria, et candelabra confregit; quin et libamina eorum omnia calicesque profudit: ac nemine observante, recessit.

Dumque in facinoris auctorem inquiritur:

4 Hoc facinus ubi deprehendit Capitolini minister, summa cum anxietate renuntiaturus quidquid in templo factum erat accurrit, sic eum alloquens: Per magnificentiam tuam! Si capite plectere me volueris, potestatem habes ob id quod contigit. Pudet referre tibi: dum ad obsequium magnificentiæ vestræ attenti fuimus, delubrum ingressus quispiam, deos omnes comminuit, dispersit hostias, et grandia candelabra confregit; imo vero etiam subvertit aras, et quo evaserit, equidem nescio. Hæc audiens Capitolinus turbatus est, eique, qui nuntium hunc ferebat, gravi incensus ira, E vestigio, inquit, illum perquirite, et cum inveneritis, adducite mihi, ut eum, quisquis B est, disperdam.

ut alium liberet, se ultro prodit S. Æmilianus;

5 Tum egressi ministri, in agricolam quemdam e monte descendentem incidere, quem apprehendentes ceciderunt flagris raptaruntque ad prætorium Capitolini. Eum ut conspexit beatus Æmilianus, ait intra se: Si rem patratam celavero, salus mea naufragium faciet: quandoquidem appropinquavit, qui me per mortem ad immortale regnum suum invitavit. Atque hæc secum perpendens, semet ipse in medium protulit, correptisque lictorum flagellis, dicere cœpit: Parcite isti, obsecro, parcite: nihil enim hic peccavit; at ego sum, qui ea, quæ dicitis, feci. Comprehensum vero ipsum milites, hoc est, Valerianus et Maxentius, in decima regione Claudii die sexta, hora tertia, decima sexta Julii mensis, contumeliose perduxerunt ad Capitolini prætorium; qui in loco publico tribunal occupans, adduci illum jussit in medium.

et ad Vicarium adductus,

6 Capitolinus præfectus dixit: Quodnam ob factum reus deprehenditur homo hic? Ministri tribunalis dixerunt: Dignitatem vestram, ac Dominorum nostrorum Augustorum serenitatem imploramus nos milites eorum, C qui sacrificiis Deos immortalibus colimus: inventus est [enim] hic Æmilianus, cum templum intrasset, non modo altaria, sed etiam impositas illis hostias dispersisse: [quod] ideo significamus, ut deorum injurias vindicetis, atque hunc contaminatum durissimis cruciatibus tollatis e medio. Tum percitus ira Capitolinus, Serius, inquit, nos admonuerunt ministri, et plurimo jam tempore Christianismi habenæ laxatæ sunt, ut etiam ad deorum usque contumeliam processerit: Quapropter divinissimo fisco auri libram unam pendent.

ac factum libere confessus,

7 Tum vero Martyri imprimis dixit: Quod tibi nomen est? Respondit fortissimus Christi Athleta: Si commune nomen requiris, Æmilianus appellor: at si nomen perfectum exigis, Christianum esse me scito. Capitolinus præfectus dixit: Dic, homo infelix; quis te seduxit, ut atroces adeo diis immortalibus inferres injurias? Sanctus Æmilianus reposuit: Deus et animus meus incitavit me; ut illos vere inanimatos conculcarem, ut palam omnibus fieret, lapides eos esse sine anima, surdos ac mutilos, in quibus nulla sit vocis loquela. Noveris itaque, in-

ναὸν τῶν εἰδώλων εἰσελθὼν, καὶ ἐπάρας σφῦ- D ραν σιδηρὰν, ταῖς ἰδίαις χερσὶν πάντα τὰ ἐν αὐτόθι εὑρεθέντα εἴδωλα συνέτριψεν, καὶ τὰ θυσιαστήρια κατέστρεψεν, καὶ τὰς λυχνίας συνέθλασεν, ἀλλὰ καὶ πάσας τὰς σπονδὰς, καὶ τὰ ποτήρια αὐτῶν ἔχυσεν· καὶ μηδενὸς γινώσκοντος, ἀνεχώρησεν.

4 Τοῦτο δὲ γενόμενον ἰδὼν ὁ ὑπηρέτης τοῦ Καπετουλίνου, ἔδραμην μετὰ ἀκροτάτου φόβου ἀπαγγέλλων ἅπαντα τὰ κατὰ τὸν ναὸν γεγονότα, λέγων πρὸς αὐτόν· Μὰ τὴν μεγαλειότητά σου· ἐὰν τὴν κεφαλήν μου ἀποτέμνης, ἐξουσίαν ἔχεις ἐπὶ τὸ γεγονός. αἰσχρόν ἐστιν ἀναφέρειν σοι· ἐν τῷ εἶναι ἡμᾶς ἐνορθωτήτους εἰς τὸν ὑπηρεσίαν τῆς ὑμετέρας μεγαλειότητος, εἰσελθών τις εἰς τὸν ναὸν, πάντας τοὺς θεοὺς συνέτριψεν, τὰς θυσίας διεσκόρπισεν, καὶ τὰς μεγάλας λυχνίας συνέθλασεν, οὐ μὲν ἀλλὰ καὶ τὰ θυσιαστήρια ἐξέστρεψεν, καὶ τὸ ποῦ ἐπορεύθη, οὐ γινώσκω. Ταῦτα ἀκούσας ὁ Καπετουλῖνος ἐταράχθη, καὶ μετὰ μεγάλου θυμοῦ ἔφη πρὸς τὸν ταῦτα ἀναγγέλλοντα, ἐν τάχει τοῦτον ζητήσατε, καὶ εὑρόντες ἀγάγετέ μοι, ἵνα αὐτὸν ἀπολέσω, ὅστις ἂν εἴη.

5 Τότε ἐξελθόντες οἱ ὑπηρέται, εὗρόν τινα E γεωργὸν, ἐρχόμενον ἐκ του ὄρους, ὅντινα συλλαβόντες ἔδηραν, καὶ εἰς τὸ πραιτώριον του Καπετουλίνου παρέστησαν, ὅντινα θεασάμενος ὁ μακάριος Αἰμηλιανὸς, εἶπεν ἐν ἑαυτῷ· Ἐὰν κρύψω τὸ γεγονὸς, γενήσεται ἡ σωτηρία μου ναυάγιον· ἐπειδὴ ἤγγικεν ὁ καλέσας με διὰ θανάτου εἰς τὴν ἀθάνατον αὐτοῦ βασιλείαν· καὶ ταῦτα διαλογισάγενος, προσήνεγκεν ἑαυτὸν εἰς τὸ μέσον, καὶ κρατήσας τὰ φράγελλα τῶν ὑπηρετῶν, ἤρξατο λέγειν· φείσασθε αὐτοῦ, αἰτοῦμαι, φείσασθε, ὅτι οὗτος οὐδὲν ἥμαρτεν, ἀλλ' ἐγώ εἰμι, ὡς λέγετε, πράξας· κρατήσαντες δὲ αὐτὸν οἱ στρατιῶται, τοῦτ' ἔστιν, βαλεριανὸς καὶ μαξέντιος, ἐν δεκάτῃ χώρᾳ τοῦ Κλαυδίου, ἡμέρας, ὥρᾳ τρίτῃ, ἓξ καὶ δεκάτῃ τοῦ ἰουλίου μηνὸς, μεθ' ὕβρεων εἰς τὸ πραιτώριον τοῦ Καπετουλίνου ἤνεγκαν, ὅστις ἐν δημοσίῳ τόπῳ καθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος, ἐκέλευσεν εἰς τὸ μέσον αὐτὸν ἀγαγεῖν.

6 Καπετουλῖνος πραίφεκτος εἶπεν· Τίνος ἕνεκεν πράγματος ἔνοχος εὑρίσκεται ὁ ἄνθρωπος οὗτος; ἡ τάξις εἶπεν. Αἰτούμεθα τὴν λαμπρότητα ὑμῶν καὶ τὴν γαληνότητα τῶν δεσποτῶν ἡμῶν τῶν αὐγούστων, ὁ στρατὸς αὐτῶν θεοῖς F ἀθανατοθυσίας προσφέρων, εὑρέθη οὗτος ὁ Αἰμηλιανὸς εἰσελθὼν εἰς τὸν ναὸν, οὐ μόνον τὰ θυσιαστήρια, ἀλλὰ καὶ τὰς ἐπιτεθείσας ἐπ' αὐτοῖς θυσίας διεσκόρπισεν· διὸ διδάσκομεν, ἵνα τὰς τῶν θεῶν ὕβρεις ἐκδικήσητε, καὶ τοῦτον τὸν μεμιασμένον σκληροτάτοις βασάνοις ἀπολέσητε. Τότε ὁ Καπετουλῖνος θυμοῦ πλησθεὶς, ἔφη· Βραδέως ἡμᾶς ἐδίδαξεν ἡ τάξις, καὶ διὰ πλείστων καιρῶν του Χριστιανισμοῦ χαλινοὶ ἐχαυνώθησαν ἵνα καὶ εἰς τὴν ὕβριν τῶν θεῶν προσεγγίσῃ, διὰ τοῦτο τῷ θειοτάτῳ δημοσίῳ Χρυσιου λίτραν μίαν ἀποδώσει·

7 Τότε τοίνυν λέγει ἐν πρώτοις τῷ μάρτυρι: Τί σοι τὸ ὄνομα; Ὁ ἰσχυρώτατος του Χριστοῦ ἀθλητὴς εἶπεν· Εἰ τὸ κοινὸν ὄνομα ἐπιζητεῖς, Αἰμηλιανὸς λέγομαι· εἰ δὲ τὸ τέλειον ὄνομα ζητεῖς, Χριστιανόν με εἶναι νόμιζε. Καπετουλῖνος πραίφεκτος εἶπεν· Εἰπὲ, ἄνθρωπε ἄτυχε, τίς σε ἐπλάνησεν, ἵνα τοῖς ἀθανάτοις Θεοῖς τοσαύτας προσενέγκῃς ὕβρεις; Ὁ ἅγιος Αἰμηλιανὸς ἔφη· Ὁ θεὸς, καὶ ἡ ψυχή μου προσεκαλέζατό με, ἵνα τούτους τοὺς ὄντας ἀψύχους καταπατήσω, ἵνα φανῇ πᾶσιν, ὅτι λιθοι εἰσὶν ἄνευ ψυχῆς, κωφοὶ, καὶ βωβοὶ, ἐν οἷς οὐκ ἔστιν οὐδεμία φθέγξεως λαλιά· γνώρισον

A γνώρισον οὖν ὅτι ὕβριν οὐκ ἐποίησα. Ὁ θεὸς δὲ πάντα ἐποίησεν · οἱ οὖν θεοί σου, οἱ μηδὲν ποιήσαντες, ἀπολέσθωσαν · Καπετουλῖνος πραίφεκτος εἶπεν, Σὺ εἶ, ὁ τὰ θυσιαστήρια ἐξέστρεψας; Ὁ ἅγιος Αἰμηλιανὸς εἶπεν · Ἀξίως ἡ θεία γραφὴ λέγει : Ὅμοιοι αὐτῶν γένοιντο οἱ ποιοῦντες αὐτὰ, καὶ πάντες οἱ πεποιθότες ἐπ' αὐτοῖς.

8 Τότε ὀργισθεὶς Καπετουλῖνος πραίφεκτος εἶπεν· Ἐκδύσαντες αὐτὸν, τανύσατε, ἵνα γνῷ, ὅτι πραιφέκτῳ παρίσταται μετὰ δὲ τὸ ἀποδυθῆναι αὐτὸν, λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ πραίφεκτος· Εἰπέ μοι οὖν, τίς σὲ ἠπάτησεν, τοιοῦτο βδέλυγμα προσενέγκαι τοῖς θεοῖς; Τότε ὁ μακάριος Αἰμηλιανὸς μετὰ μεγάλης παῤῥησίας ἀπεκρίθη πρὸς αὐτόν · Ἰδοὺ, προεῖπον. καὶ πάλιν λέγω σοι, ὅτι ὁ θεὸς καὶ ἡ ψυχή μου προσεκάλεσαν με, ἵνα ἀκαθάρτους θυσίας ἐξολοθρεύσω. Καπετουλῖνος πραίφεκτος εἶπεν τοῖς ὑπηρέταις · Ἁρπάσαντες αὐτὸν, ἰσχυρὰς πληγὰς ἐπίθετε, ὅπως γνωσηται, ὅτι ἡ ἄκαιρος αὐτοῦ γνώμη οὐδὲν αὐτὸν ὠφελεῖς οὐδὲ ἐκ τῶν ἐμῶν χειρῶν λυτρώσηται αὐτόν· ἐν τῷ οὖν ἰσχυρωτέρως τύπτεσθαι αὐτὸν, λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ πραιφεκτος · Εἰπὲ σὺ, ἄτυχε, τίς σὲ ἐπλάνησεν τοῦτο ἐπιτηδεῦσαι; Ὁ μακαριώτατος Αἰμηλιανὸς
B ἔφη αὐτῷ · Εἶπον σοι, ὅτι οὐδεὶς, εἰ μὴ ὁ θεος καὶ ἡ ψυχή μου, ἐποίησέν με, ἵνα τὰ ἀπάθαρτα εἴδωλα συντρίψω, καὶ τὰς βδελυκτὰς ὑμῶν θυσίας καταπατήσας ἀποῤῥίψω. Καπετουλῖνος πραιφεκτος εἶπεν· Βλέπετε, ὑπερηφάνως ἡμῖν λαλεῖ · μεταστρέψαντες αὐτὸν, εἰς τὸ στῆθος δήρατε, ἵνα γνῷ, ὅτι πάντες οἱ τοῖς νόμοις τῶν αὐτοκρατόρων ἀνυπήκοοι τοιούτοις κολαστηρίοις ὑπόκεινται.

9 Ἐν τῷ οὖν τύπτεσθαι αὐτὸν νεύροις ὠμωτάτοις ἐπὶ ἱκανὰς ὥρας, ὁ πραιφεκτος εἶπεν · Φείσασθε αὐτοῦ, καὶ ἐπαύσαντο οἱ τύπτοντες. Τότε λέγει πρὸς αὐτὸν ὁ πραίφεκτος · Δοῦλος εἶ, ἢ ἐλεύθερος; Ὁ ἅγιος Αἰμηλιανὸς εἶπεν · Δοῦλος μέν εἰμι Χριστοῦ, υἱὸς δὲ ὑπάρχω Σαββατιανοῦ του πραιφέκτου ταύτης τῆς πόλεας. Καπετουλῖνος πραίφεκτος εἶπεν· Οὐδέν ἐστιν, ὃ νομίζεις κληρονομῆσαι, ὦ Αἰμηλιανέ · πόσῳ μᾶλλον τοῦτο, ἐν ᾧ ἡ σωτηρία τῶν ἀνθρώπων προσεγγίζει, ὅτι κατὰ τοὺς νόμους ἀποτολμήσας, τοῖς θεοῖς ὕβρεις προσήνεγκας. Τί οὖν τὸ μέγεθος του σώματός σου βοηθήσει σοι; ὅτι κατεφρόνησας ταῖς βασάνοις ἀντιπαλαῖσαι, ἵνα πᾶσιν σεαυτον χειρότερον ἐνδείξῃς· διὰ τοῦτο, ἵνα μὴ τοῦτο καὶ οἱ ἄλλοι μελετήσωσιν, καὶ διὰ σοῦ ἐν τῷ σῷ ὀνόματι πλανηθῶσιν,
C σὺ μονος ἐν τῇ φλογὶ τῆς καμίνου ἐμβληθήσῃ · ὁ δὲ σὸς πατὴρ λίτραν μίαν ἀργυρίου ἀποδώσει τῷ δημοσίῳ, δὶ οὗτινος, ἀμελείας τοιοῦτος εὑρέθης.

10 Τότε οὖν οἱ ὑπηρέται κρατήσαντες τὸν μακάριον ἀθλητὴν τοῦ Χριστοῦ Αἰμηλιανὸν, ἔξω τῆς πόλεως ἐξήγαγον ἐγγὺς του χείλους του Δανουβίου ποταμοῦ, ὅπου ἦσαν ἑτοιμάσαντες τὴν πυρκαίαν, ὅστις αὐτοῦ διὰ τῆς καρτερίας στέφανος γέγονεν. Τότε ὁ ἰσχυρώτατος ἀθλητὴς του Χριστοῦ Αιμηλιανὸς ταῖς ὑπηρέταις εἶπεν· Ὑποστέξατέ μοι βραχὺ, ἕως ἂν ἱκετεύσω τὸν θεόν μου. Καὶ εὐξαμένου, καὶ πληρώσαντος τὴν εὐχὴν, συλλαβόντες αὐτὸν οἱ ὑπηρέται, ἐνέβαλον εἰς τὸ πῦρ, νομίζοντες αὐτὸν παραχρῆμα γενέσθαι τέφραν. Τὸ δὲ πῦρ γνωρίσαν τὸν του Χριστοῦ μάρτυρα, οὐ κατέφλεξεν αὐτὸν, ἀλλὰ σῶον, καὶ ἀκήρεον διεφύλαξεν. Τοὺς δὲ ὑπηρέτας του Καπετουλίνου, τοὺς πλησίον, περιῆρεν ἡ φλὸξ, καὶ κατέκαυσεν· ἰδὼν δὲ ὁ δεδοξασμένος μάρτυς Αἰμηλιανὸς, ὅτι τὸ πῦρ οὐχ ἥψατο αὐτὸν, ἀλλὰ σῶος διέμεινεν ὁ Ἅγιος, ἐδόξασεν τὸν θεὸν, καὶ στραφεὶς κατὰ ἀνατολὰς, κατεσφράγισεν αὐτὸν, καὶ ἀτενίσας εἰς τὴν οὐρανὸν, εἶπεν· Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, δέξαι τὸ πνεῦμα μου· καὶ τοῦτο εἰπὼν, ἐκοιμήθη ἐν εἰρήνῃ.

juriam non fecisse me. Deus vero creavit omnia; pereant igitur dii tui, qui nihil creaverunt. Capitolinus præfectus dixit. Tunc es, qui aras evertisti? Sanctus Æmilianus, Merito, inquit, divina Scriptura dicit : Similes illis fiant, qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis.

AUCTORE ANONYMO.

8 Tunc iratus Capitolinus præfectus dixit : Exuentes illum extendite, ut sentiat, se coram præfecto assistere. Postquam vero nudatus esset, ait ei præfectus : Dic itaque mihi; quis te decepit, ut rem tam execrandam in deos committeres? Tum beatus Æmilianus ei libere admodum respondit : Ecce, jam dixi, atque iterum tibi dico, auctores mihi fuisse Deum atque animum meum ut sacrificia polluta disperderem. Capitolinus præfectus dixit ministris : Raptate eum, et graves illi plagas imponite; ut intelligat, nihil profuturam sibi ineptam opinionem suam, neque manibus illum meis liberaturam. Dum igitur validissime cæditur, dicit ei præfectus : Dic, miser; quis te seduxit, ut hoc attentares? Beatissimus Æmilianus ei retulit : Dixi tibi, neminem, præterquam Deum atque animum E meum, suasisse mihi, ut impura idola contererem; ac detestabiles hostías vestras calcando disjicerem. Capitolinus præfectus dixit : Ecce autem, superbe nobis loquitur. Invertite illum, et flagris pectus lacerate; ut discat, hujusmodi pœnis subigi, quicumque Imperatorum legibus obedire detrectant.

jubetur extendi et nervis cædi,

9 Interea dum nervis durissimis ad horas multas cæditur, dixit præfectus : Parcite ei : et cessarunt flagellantes. Tum sic eum præfectus alloquitur : Servus es, an liber? Sanctus Æmilianus dixit : Servus quidem sum Christi; filius vero Sabbatiani urbis hujus præfecti. Capitolinus præfectus dixit : Vanum est, quod consequi speras, Æmiliane; at multo magis vanum, quod id speras, in quo salus hominum sita est : quandoquidem legibus ausus insultare, injuria deos affecisti. Quid igitur magnitudo corporis tibi proderit? Quando audes cum tormentis certare; ut omnibus te deteriorem ostendas. Quare ne quid tale etiam alii cogitent, ac per te in tuo nomine ducantur in errorem, tu solus in flammam fornacis immitteris; F pater autem tuus libram unam argenti fisco persolvet, cujus negligentia tu talis inventus es.

damnatusque ad rogum,

10 Tunc ergo ministri arripientes beatum Christi athletam Æmilianum, extra urbem duxerunt prope ripam Danubii fluminis, ubi parabant rogum, quæ ejus per martyrium corona fuit. Tum fortissimus athleta Christi Æmilianus ministris dixit : Servate me tantisper, donec oravero Deum meum. Et facta atque completa precatione, corripientes eum lictores injecerunt in ignem, putantes illum continuo in cineres versum iri. Verum ignis agnoscens Christi Martyrem, non adussit eum, sed salvum integrumque servavit. Ministros vero Capitolini, qui prope aberant, circumquaque sustulit flamma, atque absumpsit. Cernens autem gloriosus martyr Æmilianus, sese ab igne non attingi, sed incolumem permanere Sanctum, glorificavit Deum, et ad Orientem conversus, se cruce signavit, oculisque in cælum intentis, dixit : Domine Jesu, accipe spiritum meum; quo dicto, obdormivit in pace.

in eo illæsus moritur, exustis lictoribus.

11 Uxor

AUCTORE ANONYMO. *Uxor Vicarii et justa persolvit.*

11 Uxor autem Capitolini præfecti, quæ erat Christiana, rogata a concivibus suis, postulavit a marito suo corpus sancti Æmiliani, quem ignis non violaverat, sed Deus per gratiam suam integrum conservaverat. Cum itaque visum esset tollere sacras exuvias, jussit per cives suos Christianos ac viros pios cum psalmis et hymnis justa persolvi corpori Sancti ac digne coronati martyris Æmiliani in loco qui appellatur Gedina *d*, tertio circiter milliari ab urbe, quam vocant Dorostolum ; ac pro meritis illud venerantes, pretiosissimo unguento delibutum loculo imposuere. Martyrium vero fecit sanctus Christi Æmilianus mense Septembri, die tertia, regnante Domino nostro Jesu Christo ; cum quo gloria Patri una cum sancto Spiritu, nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

D 11 ἡ δὲ γυνὴ του Καπετουλίνου του πραιφέκτου, οὖσα Χριστιανὴ, παρακληθεῖσα παρὰ τῶν συμπολιτῶν αὐτῆς, ἠτήσατο παρὰ τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς τὸ σῶμα του ἁγίου Αἰμηλιανοῦ, ὃν τὸ πῦρ οὐ κατέφλεξεν, ἀλλ' ὁ θεὸς διὰ τῆς χάριτος αὐτοῦ, σῶον διετήρησεν· ὅτε οὖν κατηξίωσεν λαβεῖν τὸ ἅγιον λείψανον, ἐκέλευσεν ἅμα τῶν ἰδίων πολιτῶν Χριστιανῶν, καὶ εὐλαβῶν ἀνδρῶν, μετὰ ψαλμῶν, καὶ ὕμνων κηδεῦσαι τὸ σῶμα του ἁγίου, καὶ ἀξίως στεφανήτου μάρτυρος Αἰμηλιανοῦ ἐν τόπῳ ἐπιλεγομένῳ Γηδινᾶ, ὡς ἀπὸ τρίτου μιλίου τῆς πόλεως καλουμένης Δωροστόλου, ἀξίως τιμήσαντες, τιμιωτάτῳ μύρῳ χρίσαντες, ἔθεντο ἐν λάρνακι· ἐμαρτύρησεν δὲ ὁ ἅγιος του Χριστοῦ Αἰμηλιανὸς μηνὶ Σεπτεμβρίῳ, τρίτῃ, Βασιλεύοντος του κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· μεθ' οὗ δόξα τῷ Πατρὶ, ἅμα τῷ ἁγίῳ Πνεύματι· νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ANNOTATA.

a *Hæc et alia hujusmodi in hisce Actis occurrentia vel receptis historiis contraria, vel ignota quam fidem mereri videantur, exposui in Commentario prævio* § II.

b Πραιφεκτουρία, πραιτώριον *et similes voces barbaræ ex ipsa, quam cum Latinis habent, similitudine facilius intelliguntur, quam ut iis explicandis immorari debeant. Ne ipsas quidem hinc inde* B *vitiosas, aut certe minus usitatas, constructiones annotare operæ pretium duxi.* E

c *Græce* τάξις, *quæ vox aliquoties recurret. Eam Latini inferioris ætatis efferebant per voces* officium *et* officiales, apparitio *vel* apparitores ; *in Actis martyrum passim eos significat, qui ad judicum nutus præsto esse debebant. Adi Cangium tum in Glossario Latino ad vocem* Officium, *tum ad vocem* τάξις *in Græco.*

d *Locum hunc frustra quæras ; qui forte vix pagus fuit. Ceterum dubium esse non potest, quin detruso ad inferos Juliano, civis hujus sui Reliquias sibi Dorostoreni vindicaverint ; cum urbs illa tamquam ejus cultui præcipue destinata in omnibus Martyrologiis consignetur. Forte etiam deinde vel omnes, vel aliquæ saltem translatæ fuerunt Constantinopolim, ut pronum est conjicere ex dictis in Commentario prævio a num.* 5.

DE S. MARINA VIRGINE ET MART.

GALLÆCIÆ IN HISPANIA.

J. B. S.

Ex Martyrologio Romano.

XVIII JUL. *Ex Villegas et Trugillo cultum accepit Baronius.*

C **S***ic ibi hoc die legitur :* Gallæciæ in Hispania, S. Marinæ virginis et martyris : *pro qua in notis adducit Baronius* Florem Sanctorum Hispaniæ et Thesaurum concionatorum tomo II die sequenti : *nempe Villegas pag.* 376 *editionis Cæsaraugustanæ anni* 1626 *(qua antiquiorem vidit Baronius) et Trugillum col.* 1266, *ubi ponitur* XIX *Julii, cum potius ad hunc diem spectare videatur, siquæ* Marina *Hispanis propria est. Hos testes habuit Baronius cultus in Gallæcia et alibi huic Sanctæ exhibiti, quæ de cetero omnibus antiquis fastis et apud omnes Martyrologos, saltem alicujus notæ, ignotissima est, quemadmodum et gesta ignorantur, patria, parentes, tempus martyrii etc. ut Villegas eam Melchisedecho assimilet, utpote qui ab Apostolo, Heb.* VII, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habuisse *dicatur ; sic* Marina *solo superstite cultu nota sit. Trugillus omnia complectitur brevi hoc elogio :* Quod certo scitur de hac gloriosa Marina Hispana, id est, quod scilicet passa sit martyrium in Galicia, prope civitatem Orensem, ubi etiam est ejus sanctissimum corpus, in quadam ecclesia de ejus nomine nuncupata, in loco appellato Aquæ sanctæ, ubi ostenduntur quædam monumenta adhuc, sive indicia martyrii hujus gloriosæ Sanctæ ; videlicet clibanus quidam, in quem conjecta fuit, et fons F etiam quidam ostenditur, in quo dicunt miracula quædam facta fuisse hujus gloriosæ Sanctæ intercessione. Per universas autem regiones illas magna devotione celebratur hæc gloriosa Sancta Cordubæ porro et Hispali sumptuosissima reperiuntur templa in honorem hujus sanctæ virginis et martyris Marinæ. *Atque hæc eadem Hispanice narrant Villegas et Marietta.*

2 *Aurum contra æstimanda est horum Hispanorum candida et sincera relatio, cui id solum dubii subesse posset, num satis constet, sub* Marinæ *istius nomine non latere* Margaretam, *toto reliquo orbe Christiano notissimam. Ast illis non acquievere novelli fabulatores et Chronicorum figuli, quos nusquam quiescere passus est laudatus sæpe Nicolaus Antonius, eos hic denuo exagitans paulo longiori dissertatione, quam totam huc adducere operæ pretium non censui, cum id operose probet, quod sole meridiano clarius existimo, nugatos esse nimirum, et illos quos Villegas refutat, et pseudochronographos Dextrum, Julianum, Luitprandum, Maximum, et commentatorem Bivarium,* *celera exornarunt pseudo chronica.*

A *Bivarium, dum* S. Margaretæ, *alias* Marinæ, *Acta, quæ* xx *Julii expenduntur, insigni plagio ad suam* Marinam, *de novem uno partu emissis fictitiorum Catillii et Calsiæ filiabus unam, ineptissime transtulerunt, plurima comminiscentes iis ferme similia, quæ pridem ad* xxii *Maii de S. Quiteria, et alibi abunde confutata sunt; ut pigeat merissimas gerras hic iterum proferre in medium: sufficiat sola Tamayi annuntiatio, ut de reliquorum pretio statuatur. Audi juratum declamatorem:* Amphilochii in Gallæcia Hispaniæ, S. Margaritæ, sive, ut aliis, Marinæ virginis et martyris, quæ [dum] cum aliis octo sororibus adelphis sanctissimis virginibus, Belcagiam patriam, et C. Attilium patrem, numine disponente, desereret, Amphilochium advenit, ubi ab Olybrio præside, propter fidem Catholicam apprehensa, post devictos signo salutiferæ crucis diaboli in forma draconis aspectus, et præsidis in specie dæmonis conspectus, continuatione cæsa terribili, et per varios cruciatuum lampadum, ligaminum, verberum et facium agones exercita, ad palmas martyrii et virginitatis alacri strenuitate cucurrit. *Non inelegan[s] sane oratio, nisi enervis et elumbis esset.*

AUCTORE J. B. S.

DE S. ROFILO SIVE RUPHILLO

EPISCOPO FOROPOPILIENSI

FORO-LIVII IN ITALIA.

B

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

E G. C.

Sancti cultus, Officium et Acta examinantur.

XVIII JUL. S. Ruphillus, e destructa Foro-Popiliensi civitate, Foro-Livium defertur.

Forum Livii, vulgo Forli, *antiqua Italiæ civitas, de qua jam sæpe in Actis nostris egimus, hodiedum sacras* S. Rophili *seu* Ruphilli *episcopi Foro-popiliensis exuvias conservat, et illius festum quotannis hac die potissimum celebrat. Ferdinandus Ughellus tomo* II *Italiæ sacræ col.* 637 *docet, reliquias hujus Sancti e civitate Foro-Popiliensi eo translatas fuisse, et de utraque sepultura ita scribit:* Sacræ corporis exuviæ in ecclesia, quæ ipsius nomine superbit, reconditæ, deinde Forum Livium translatæ, ibidem in sancti Jacobi templo requiescunt. Templum abbatiaque ejus nomini consecrata celebris satis olim habita est in loco, ubi pervetustum fanum Herculis nomine dicatum fuerat, quod postea ad cultum divinum traductum est, ac divi Ruphilli nomen tulit, quod una cum civitate excisa, *(post ultimam ruinam anni* 1360 C *sedes episcopalis Bertinorium translata est)* ut diximus, obrutum est, ut nulla ejus vestigia, quam certa rudera superfuerint, quæ hactenus in publica fossa, qua parte meridiem spectat, visuntur: distinctum enim variis coloribus pavimentum opere vermiculato laboratum cernitur, atque ibi marmor hisce litteris incisum repertum est: Hæc est ecclesia S. Ruphilli confessoris et episcopi.

[illegible]

2 *Matthæus Vecchiazzanus in historia Foro-Popiliensi, anno* 1647 *Italice edita, part.* i, *lib.* ix *et sequentibus adfert varia sæculi* xii *et* xiii *diplomata, quæ de monasterio* S. Ruphilli *meminerunt. Idem scriptor part.* i, *lib.* iv, *pag.* 58 *testatur,* S. Ruphillum *olim non solum in propria sua diœcesi, sed etiam in Imolensi honoratum fuisse; additque, a Bononiensibus in illius honorem erectas fuisse ecclesias, ac novissime a senatu Florentino templum pulchro opere musivo constructum esse, in quo etiamnum hodie legitur:* S. Rophillus episcopus Pompilien. *Festum hujus Sancti solenniter olim celebratum fuisse, colligo ex Actis S. Mauri, a S. Petro Damiani conscriptis, et ad diem* xx *Januarii a Bollando illustratis, ubi cap.* iii, *num.* 13 *narrantur sequentia:* Alia quædam mulier necessitati rei familiaris plus quam deberet intenta, in festivitate S. Rophili triticum purgare non timuit; sed dum beato Confessori digni honoris reverentiam non exhibuit, dignæ animadversionis sententiam non evasit. *Deinde sequitur quomodo punita fuerit, ac tandem facti pœnitens sanitatem recuperavit, ut loco citato videri potest. Nunc ex aliis monumentis Sancti nostri cultum confirmemus.*

Fit illius memoria apud Petrum de Natalibus.

3 *Petrus de Natalibus post medium sæculi* xiv *primus inter hagiologos, quos saltem novi, res gestas* S. Ruphilli *ita commemorat, lib.* vi, *cap.* cxiv: Rophilus episcopus Popiliensis fuit, qui verbum Domini instanter prædicans, et quæ docebat exemplo operum confirmans; miraculorum gloria insignis fuit. Dum autem in F media via posita inter Popiliense et Liviense oppidum draco immanis apparuisset, qui homines et animalia devorabat, et flatu venefico plurimos morbidabat, sanctus Rophilus populo suo triduanum jejunium et orationem indixit, sanctoque Mercuriali episcopo Liviensi, ut hæc eadem cum sua plebe faceret, persuasit; et deinde ambo ipsi episcopi una cum clero et populo utriusque civitatis ad locum accedunt; orationeque præmissa, sancti præsules draconem de antro producunt: stolis quoque suis ipsum, uti agnum mansuetissimum, collo nectentes pertraxerunt, et in puteo profundissimo incluserunt: memoriale quoque supra puteum in testimonium miraculi signaverunt, quod ibi manet usque in præsens. Rophilus autem ad ecclesiam suam rediens, obitusque sui diem longe ante prædicens, xv Kalendas Augusti quievit in Christo, sepultusque est in ecclesia sua miraculis clarus. *Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ die* xviii *Julii habet simile Actorum compendium. Sed utraque hæc Vitæ synopsis videtur*

AUCTORE [illegible]

tur desumpta ex fusioribus Actis, et forte ex sermone in annua S. Ruphilli *festivitate habito, quem post hunc Commentarium prævium dabimus.*

et recentiores Martyrologos ac in Officio proprio. 4 *Interim miror, hunc Sanctum Adoni, Usuardo aliisque antiquis Martyrologis ignotum fuisse. Recentiores tamen aliqui eum celebrant, atque inter alios Franciscus Maurolycus abbas Messanensis in suo Martyrologio hac die sic habet :* Item Rofili Popiliensis episcopi, qui pestiferum oppressit draconem. *Constantius Felicius in suo Kalendario totidem fere verbis hujus Sancti festum Italice annuntiat. Non intelligo, quid sibi velit inter auctaria Usuardi codex Florentinus, qui hac die sic pronuntiat :* In Tuscia sancti Raphilli archiepiscopi Ravennensis. *Nam neque Hieronymus Rubeus, neque Ferdinandus Ughellus in Catalogo archiepiscoporum Ravennatium præsulem similis nominis recensent. Certe in Kalendario, quod ad usum diœcesis Ravennatis anno* 1660 *editum est, nulla hodie de hoc Sancto fit commemoratio. Claudius Castellanus in suo Martyrologio Universali cum ceteris asserit, eum fuisse episcopum Foro-Popiliensem, additque, eum Gallice* Rufil *vel* Roguil, *et Italice* Roghiglio *appellari.* B *Saltem in Officio Ms., quod hic habeo, legitur talis titulus vel rubrica :* Die XVIII Julii in festo S. Ruphilli episcopi et patroni Fori-Pompilii duplex. *Deinde præscribitur hæc oratio :* Omnipotens sempiterne Deus, qui beato Ruphillo confessori tuo atque pontifici inter cetera præclara miracula immanem draconem homines necantem interimendi gratiam contulisti : concede quæsumus, ut ejus meritis et precibus a mortiferis antiqui serpentis morsibus liberemur. Per Dominum nostrum *etc.*

quod tribus Lectionibus, 5 *Huic orationi subjunguntur tres Lectiones propriæ secundi Nocturni in hunc modum :* LECTIO IV. Ruphillus Atheniensis in Græcia natus, a S. Silvestro summo Pontifice episcopus ordinatus, ad prædicandum Jesu Christi Euangelium, et Catholicam fidem propagandam Forum Pompilii mittitur : qui statim ac pastorale munus suscepit, divino cultu amplificando maxime studuit. Quapropter Isidis templum cunctorum nobilissimum, expurgatis omnibus idololatriæ sordibus, in ædem B. Mariæ Virginis Annuntiatæ nomini sacram C commutavit, in ejusque cathedralem erexit. Adeo eximia sanctitate atque innocentia floruit, ut homines a maleficio deterreret, et ad leges divinas servandas suo potissimum exemplo inflammaret. Quod ad populi eruditionem docebat, operibus explere cœpit, tanto charitatis ardore, ut se jugiter affligeret, non ad suam, sed ad subjectæ plebi implorandam veniam, bene agnoscens, quod nisi in se avulsi essent peccatorum tribuli per longam abstinentiam, sacra spiritualium donorum germina inseri, plantarique numquam valerent ; et quamvis adeo in corpus suum sæviret, ceteros tamen, maxime pauperes, paterna charitate fovebat. Populum sibi creditum tum verbo tum exemplo in viam salutis dirigere numquam destitit. Mirum est propterea, quantum in moribus reformandis et abusibus tollendis assidue verbi Dei prædicatione profecerit.

post quas S. Præsulis gesta. 6 LECTIO V. Cum media via inter Pompiliense et Liviense oppidum draco immanis apparuisset, qui homines et animalia devorabat, et flatu venefico plures morditabat, Ruphillus populo suo triduum jejunium et D orationem injunxit, sanctoque Mercuriali episcopo Liviensi, ut hæc eadem sua plebs faceret, persuasit. Deinde ambo ipsi episcopi una cum clero et populo utriusque civitatis ad locum accedunt, oratione præmissa, draconem ex antro producunt, et stolis suis collo illius alligatis, cunctis, qui aderant, mirantibus, in vicino et profundo puteo deturbarunt et incluserunt, concessoque ex hoste triumpho Ruphillus ovans cum plebe sibi commissa ad suam sedem revertitur, et cum gratiarum actione omnes in Christo gratulati sunt, quia ingentis draconis exstinxere nequitias, et populum eruerunt a plaga. Dum sedem Pompiliensem Ruphillus regebat, illud miraculosum prodiit, quod eodem tempore et Germaniam ad fidem convertebat, et pacem inter cives Pompilienses firmabat. Ariminensi conciliabulo cum Mercuriali Liviensi ac aliis episcopis contra Arianos pro Catholica fide singulari virtute Nicænum concilium propugnavit, et pro eo stetit et subscripsit.

E 7 LECTIO VI. Ad effugiendas postea Im- *complectitur.* peratoris minas, cum dicto Liviensi et Gaudentio Ariminensi præsulibus ad vicinum vicum se contulit, quod ex illo tempore a dictis Catholicis episcopis Catholica nominari cœpit. Hinc unusquisque ad proprias revertendo sedes, Ruphillus in sua stetit. Postremo cum Pompiliensem ecclesiam per annos septem supra quadraginta sanctissime administrasset, instantemque sui obitus diem prænuntiasset, jam senio confectus, peractis de more sacris, sic adstantes affatus est : Cavete, carissimi, contentiones, cavete lites, diligite pacem, sectamini charitatem, ut his decorati ornamentis ante summi judicis potentiam * securi veniatis. **forte præsentiam* Postmodum cælo lætus XV Kal. Augusti post Christum natum anno trecentesimo octogesimo secundo felicem animam meritis, atque in defendenda religione partis trophæis onustam in manibus Creatoris transfudit. Sacræ exuviæ aromatibus conditæ in propria cathedrali sepultæ fuere. Inundante postea bello in tota provincia, Forum Pompilii solo æquatur : ut propterea ejusdem Præsulis corpus esset in F tutum, et debito non defraudaretur cultu, Rubertus * dirutæ civitatis episcopus superstes **alias Robertus* illud Fori-Livii in ecclesiam S. Jacobi, hodie S. Luciæ, magna totius populi celebritate transferri curavit ; et in marmoreo tymbo egregie sculpto super aram maximam ejusdem ecclesiæ positum quiescit.

8 *Multa in his Lectionibus asserta (idem intellige de Actis huic Commentario subnectendis) ut mitissime dicam, solido antiquitatis testimonio destituuntur. Imprimis incerta sunt, quæ de* *Ætas illius incerta est.* S. Ruphilli *ætate hic tam confidenter pronuntiantur : nam S. Mercurialis Foroliviensis episcopi, cui Sanctus noster coætaneus fuisse dicitur, ætas omnino vacillat, cum de ea Baronius in Annalibus Ecclesiasticis tom.* III *ad annum Christi* 359 *num.* 46 *ita judicet :* Cum vero pro fide catholica una cum sancto Gaudentio stetisse dicantur sancti episcopi Rofilus Popiliensis, et Mercurialis episcopus Liviensis, de Mercuriali certum est, falsum esse : etenim obiisse ipsum anno Domini centesimo quinquagesimo sexto ex inscriptione ad ejus sepulcrum ante

A ante paucos annos reperta (ut diximus in notis ad Romanum Martyrologium novissime Antverpiæ editis) certum est. *Pluribus de hac re disputat Papebrochius noster in Vita S. Mercurialis, ad diem* XXX *Aprilis illustrata, ubi simul aliqua de* S. Ruphillo *discutiuntur. Sicut nonnulli scriptores ad eludendam hanc difficultatem duos tresve Mercuriales induxerunt, ita forte Julianus Portaguerra duos* Ruphillos *finxit, dum apud laudatum Matthæum Vecchiazzanum part.* I, *lib.* IV, *pag.* 57 *ita scribit*: Duo Rophilli floruerunt; tempore unus S. Petri, et hic fuit Germanus, et a divo Petro fuit episcopus creatus civitatis Velletrensis; alter Atheniensis et a Damaso (*in Lectionibus dicitur* a S. Silvestro) Pontifice fuit episcopus civitatis Pompiliensis factus: quo tempore, cum hæresis undique grassaretur, una cum Gaudentio et Mercuriali summopere [eam] confutavit. Dum sedem Pompiliensem regebat, eo tempore Germaniam ad fidem convertebat, et pacem inter duos Pompilienses firmabat; ejusdemque opera præclarissima, ne Apostolorum gesta obscurentur, forsitan extiterunt abscondita. B Serpentem in Pompiliensem viam et Liviensem magno populorum excidio, suis manibus in puteum projecit. *Hæc aliaque a recentioribus scriptoribus forte excogitata sunt, ut populares patriæ suæ traditiones tueantur. Saltem cuperem, ut hujus Sancti* opera præclarissima, *quæ tamen citatus auctor fatetur fuisse* abscondita, *vetustioribus testibus comprobarentur.*

Acta ejus ab ignoto et juniore auctore collecta.

9 *Præter alia non placet mihi historia draconis, quæ jam in Lectionibus propriis descripta est, ac porro in Actis a num.* 11 *refertur; non autem ideo displicet, quia mira est, sed quia tale prodigium desiderato antiquitatis testimonio caret. Suspicor, illam primo prodiisse ex S. Mercurialis Vita, quæ ex picturis, istius sancti Præsulis gesta repræsentantibus, desumpta fuit, ut fatetur ipse Actorum scriptor, et videri potest in Actis nostris tom.* III *Aprilis pag.* 752 *et sequentibus. Quid si idololatria aut hæresis, in illis regionibus serpens, et a Sanctis illis episcopis exstincta, ex pictoris ingenio per draconem repræsentata fuerit? Quid si Vitæ auctor hanc spiritualem victoriam de infernali dracone relatam, et in picturis expressam, sic præsertim interpretante rudi plebe, in corporalem* C *crude commutaverit? Quidquid sit de hac mea conjectura, saltem non facile mihi quis persuaserit, S. Petrum Damiani esse auctorem Vitæ seu potius concionis mox exhibendæ, etiamsi Vecchiazzanus, Ughellus aliique id existimaverint. Ratio mea est, tum quod hæc concio a reliquo Petri Damiani stylo differat, tum quod Constantinus Cajetanus in editione ejus operum hunc sermonem ei non adscribat, quamvis non pauca aliorum opuscula eidem perperam attribuat, ut jam pridem observarunt plerique, qui scriptores ecclesiasticos accuratius examinarunt.*

[illegible] fabu-[illegible] unt.

10 *His adde, quod eadem draconis historia ita diversimode narretur, ut pro cujusque libitu mutata et exornata fuisse videatur. In concione mox subjicienda num.* 14 *dicuntur SS. Mercurialis et* Ruphillus *guttur draconis stolis suis constrinxisse, eumque ambo in puteum deturbasse. At vero in Actis SS. Grati et Marcelli, quæ dedimus tomo* III *Martii pag.* 85, *dicitur draco ante adventum* S. Ruphilli, *orante S. Mercuriali cum sociis, miraculose exspirasse. Deinde subjungitur hoc episodium:* Et cum Gratus accessisset ad draconem mortuum, et ipsum alligasset cum stola, et projecisset exinde illum in quodam puteo ibidem in strata propinquo, statim facto amisit visum oculorum. *Denique post narratam hujus cæcitatis depulsionem ita concluditur:* Cum post præmissa sic gesta S. Rofillus venisset cum clero et suis ad præfixum locum, et vidisset draconem mortuum, quam plurimum condoluit de S. Mercuriali, ægre ferendo talem injuriam, et deinde reversi sunt ad loca sua. *Imo auctor Vitæ Mercurialis in Actis nostris tomo* III *Aprilis pag.* 756 *scribit,* S. Ruphillum *id tam ægre tulisse, ut S. Mercurialis ad eum placandum dederit illi duas ecclesias baptismales. Sed ut credulum ejusdem scriptoris ingenium noscas, accipe ea, quæ inter alia ex ruricolarum traditione ibidem sic addit:* Perhibent etiam, quod in natali ipsius Præsulis ipse draco se in puteo concutit. *Tædet diversis hisce ineptisque narratiunculis diutius inhærere. Quare ipsam concionem qualemcumque lectoris judicio et oculis subjicimus.*

AUCTORE G. C.

ACTA

E

AUCTORE INCERTO

Ex Ms. bibliothecæ Vaticanæ num. 6074, cum editione Vecchiazzani, et altero Ms. collata.

CAPUT I. *Concionis exordium, etymologica de nomine S. Ruphilli explicatio, et ejusdem Præsulis virtutes et admonitiones.*

Auctor concionem exorsus.

Sanctorum celebritas, maxime provincialium, valde summa cum devotione est recolenda circiter ab omnibus: non enim illis F nostra præconia æternæ gloriæ decorem condonant, sed nobis emolumentum cælestis patriæ accumulant; quisquis autem propensius accuratiusque eidem interesse festinat, hic beneficia pro exhibitis, ut postulat, obsequiis consequetur, veluti ea quæ mente gestat. Ad plausus quoque ostentationis, sive humani favoris Deus non respicit, sed ad puritatis [intentionem] aures inflectit *a*. *a* Omnium vero conditor de superna prospicit ineffabiliter arce uniuscujusque ad quid prolata sit actio, et unicuique metitur ad mentis oculos præmia mira dispensatione. Nonnulli igitur ad hanc beati Rofilli convenerunt festivitatem varia studii affectione, sed humano obtutu, qua intersint latet intentione, quæ provida liquet conditoris oculis ostensione. Horum præcipue actus Deus attendit, qui miti, contritoque corde ei hostias offerunt; atque hos respuit, qui quasi ex alto superboque supercilio favore laudis protenta dextera munera porrigunt, de quibus David: Quoniam excelsus Dominus et humilia

Ex MSS.

humilia respicit et alta a longe cognoscit. Curemus ergo, ut superba [et] alta, gratuita pietate Deus a nobis repellat, et humilia sibi, non mundo placita, sui sancti confessoris Rofilli intercessione, cujus hodie

b

festa celebramus *b*, tribuat, quatenus et præsentis vitæ malis careamus, et æternæ beatitudinis præmia consequi valeamus.

nomen S. Ruphilli ex Græca etymologia explicat.

2 Debemus itaque præclarum beati Rofilli nomen, quod græca est illi lingua impositum, ad nostri sermonis Latini transferre usum: nam Rho in Græco alphabeto

c

nonum decimum *c* obtinet locum, et in eadem græca supputatione centesimum continet

d

numerum *d*. Rofillus itaque eodem, quo prædiximus, ordine a græca etymologia in nostro derivatur sermone, quia phylis græce, amor dicitur Latine. Unde nobis videtur, ut Rofillus resolvatur in nostro sermone centesimus amator: vere enim centesimi amorem habuit fructus, sicut Veritas in Euangelio dicit: Semen cecidit in terram bonam

* *alias* ortum ferit

et obtulit * aliud centesimum, aliud sexagesimum. Centesimum amavit Rofillus Christi

B

confessor fructum, quia prædicatione assidua centesimam ovem perditam, Christi humeris reportatam, studuit per amœna virentia ad æternitatis revocare patriam: te *

* *alias* tunc

enim humeris Christus ovem gestavit, quando pro Adæ delicto incarnationis [mysterium peregit, et] eamdem cruce mortificans totius populi delictum cruce suspensus damnavit: centesima quippe ovis propago est humani generis, quam conditor alendam sacris doctoribus, scilicet Apostolis, tradidit, ut angelicus imminutus numerus ejusdem centesimæ ovis propagine reformaretur.

et refert singulares illius virtutes,

3 Per apostolicam igitur instituuntur traditionem et per præsulum dignitatem ecclesiæ, ut eorum doctrina ovis centesima amore supernæ patriæ terrena despiceret, et cælestia caperet; de quorum namque sacratissimus Christi confessor et Antistes Rofillus collegio, Pupiliensis populi institutor, ejusdem ecclesiam gubernavit sancti Spiritus dono. Denique divino nutu beatus confessor ad sacerdotii fastigium ordinatus non cessavit, ut,

C

quod verbis docebat, piis impleret operibus, recolens apostoli Pauli suavissimum eloquium: Ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar; ideoque beatus Rofillus, ne ab auditoribus videretur reprobus, cœpit, verbis quæ docebat, explere ad populi eruditionem rebus. Cujus charitatis ardor quantus sit potest agnosci, ut dum se jugiter affligeret, non suam, sed subjectæ plebis jugiter implorabat veniam. Carnem suam sedule affligebat, ut divinis præceptis subjectorum saginaret animas, illud apostoli conferens, quod dicebat: Sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo.

piusque monitiones.

4 Revera Christi confessor Rofillus corpus castigavit, dum carnis illecebras diuturna inedia domuit; quia bene noverat quod nisi evulsi peccatorum essent tribuli per longam abstinentiam, inseri plantarique nequaquam valerent sacra spiritualium donorum germina. Unde Dominus ad Hieremiam, dum ad Israëliticam eum conterendam versutiam mitteret, dicit: Ecce constitui te hodie super gentes et regna, ut evellas et destruas, et disperdas et dissipes et ædifices et plantes: prius enim dixit evellere et disperdere, et

D

postmodum ædificare et plantare. Sic sic namque confessor Christi Rofillus peccatorum tribulos evulsit, sacra spiritualium germina ædificavit, pravas a fidelium cordibus cogitationes dispersit, benignas deoque placitas conscientias plantavit: hoc enim etiam studuit sanctus Confessor ut cum vitia evulsit mentis, nascentes cordis nebulas disperserit; latentes vero doctrina spirituali in præcordiis cogitationes dissipavit, virtutes evulsis vitiis ædificavit, digna omnium conditori opera plantavit; quatenus ne clandestinus insidiator zizania insereret clypeo spirituali ecclesiam divina munivit protectione.

quibus populum sibi subditum,

5 Agebat itaque Rofillus veridicus Christi confessor, ita inter subjectos ut magis longe lateque facta cernerent, quam in ventum prolata sine fructu verba auribus perciperent. Igitur dum sacras Christi hostias offerebat, hoc populis prædicabat: Diligite inimicos vestros, benefacite iis qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii patris vestri, qui in cælis est. Si enim hæc feceritis vere filii

E

Dei eritis; si vero (quod absit) aliter feceritis; cujus filii nisi diaboli eritis? quia scriptum est: Cujus opera egit quis, ejus filius appellatur. Qui autem inimicum propter Deum non diligit, in regno Dei a gaudio paradisi extraneus erit. Quia Christus pendens in cruce in tantum inimicos dilexit, ut etiam iis, qui a pravitate voluerunt converti, beneficia pro exhibitis tribueret gratanter contumeliis. Sicut beato Paulo aliisque ex Israëlitico post conversionem populo æternitatem largitus est æthereo in regno: divina enim voce jubetur: Benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.

et inimicorum dilectionem,

6 Hoc namque Christus egit patibulo crucis infixus, dum dixit: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt. Si Christus, charissimi fratres, pro se interficientibus fecit, quid nos agere debemus cum proximis, qui nos aut verbis lacessunt, aut damna inferunt, aut si non prævalent, facere conantur. Utique ex corde puraque conscientia

F

illis debemus ignoscere, ut securi possimus dicere: Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Audite, quid veritas iterum dicat: Si non dimiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater vester cælestis dimittet vobis peccata vestra. Et alibi: Dimittite et dimittetur vobis. Itaque dilectissimi et Christo carissimi, intimo amore cordis dimittite peccantibus in vobis, ut ad tribunal æterni judicis aliis operibus bonis adhibitis securi pervenire possitis.

conscientiæ munditiam.

7 Interea dum legeretur propheta Isaias, noster Euangelista, ubi hæc continebatur lectio: Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse: discite benefacere; continuo beatus Pontifex Rofillus extenta manu indicens silentium hujuscemodi sermonem fecit ad populum: Advertite, dilectissimi fratres, quod propheta Isaias imperat facere: Lavamini, mundi estote. Nihil lavare alicui prodest, si mundus non est. Multi denique se lavant, sed munditia in eis non est ulla; non est utique, non est pura aqua

A aqua ad perfectam munditiam lavandam, quia exteriores abluit sordes, dum vitia in cordis occulto nutriunt interiores immunditias : corpus enim aqua abluitur, cor vitiis imminentibus inquinatur, idcirco ad veram munditiam solummodo non sufficit aqua, quod bene propheta intuens dicebat : Lavamini ; deinde adjecit : Mundi estote ; et vere se lavat, qui tacita aut aperta conscientia præterita peccata deplorat, cor ad mundi gaudia non elevat, vitia juvamine sancti Spiritus conculcat, atque ad lamenta pro commissis facinoribus se inclinat, ac pœnitentiæ fructum [facit,] numquam se imposterum in præteritis peccatis commaculat. Hic veraciter se lavat et mundat, qui talibus sese custodibus jugiter vigilantibus circumdat.

8 Audite fratres et reliqua prophetæ verba : Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis. Si malas dixit cogitationes auferre, ergo malum facere non oportet. Igitur pro cogitationibus si pœna datur, pro malo pro peccato * quid retribuetur. Certe, fratres, in extremo examine omnia pende- B bunt in statera justitiæ; actus, cogitationes et boni malique sermones. Quapropter, charissimi, induite amaturam Dei, ut possitis signati a vobis repellere suggestiones hostis versuti, quatenus sceleribus carnis abluti, mundi ante oculos divini arbitri inveniamini, cœtibusque Sanctorum adscribi mereamini, ut et nobis pro nostra exhortatione salutis maneat præmium, et vobis pro vestra obedientia perpetuum gaudium.

[illegible] dorum [illegible] portatur.

** [illegible] s perpe[illegible]*

ANNOTATA.

a *In Vecchiazzano et Officio Ms., infra Octavam recitari solito, iste sensus ita exprimitur :* Sed ad puri intentionem cordis tacita conscientia pietatis aures inflectit. *Alias minoris momenti variationes non annoto.*

b *Hinc satis patet, hanc esse quamdam concionem, quæ in annua* S. Ruphilli *festivitate habita fuerit.*

c *Ego tantum computo, hanc litteram in Græco alphabeto decimum septimum locum obtinere.*

C d *Hic quidem auctor aliquam linguæ Græcæ notitiam prodit; sed longe petita et contorta est* S. Ruphilli *etymologia, quam subdit.*

CAPUT II. *Aliæ S. Ruphilli virtutes, victoria de dracone, pia mors et sepultura.*

Venerabilis itaque Christi confessor Rofillus et Pontifex egregius non cessabat divinis satiare populum dapibus, illud semper recolens, quod beatus præceperat Paulus : Prædica verbum, insta opportune et importune. Non solum autem in eo doctrina verbi inerat, sed etiam mira doctrina *a* in ipso pollebat. Castitas quoque, titillationibus carnis expulsis, divinis adjutus *b* rutilabat in illo adminiculis. Benignitas ita sedule in eo radiabat, ut omnes fideles ad eum confluere gauderent, etiam qui exteri erant; mansuetudo vero, procul positis obsistentibus, in ipso florebat *c*, ut ad ipsius beatitudinem concurrere cuncti non desisterent per longa terræ spatia. Quid plura? Sic omnes virtutes dono Spiritus sancti in se cumulaverat, ut nihil adversi ei obsisteret contra præcepta divina; ita se cunctis exhibuit misericordem, ut omnes eum ut carissimum excolerent patrem.

** [illegible] zelo [illegible]*

EX MSS. c

10 Pius erat beatus et vere Pontifex Rofillus, senibus modestus, gratus juvenibus, adolescentibus benignus, infantibus omnibusque patientissimus, infirmis solatium, pauperibus gazophylacium, viduis subsidium, orphanis præsidium, captivis remedium, naufragis erat suffragium. Peccantes ita leniter, si miles videret *d*, arguebat, ut nihil oneris sentiret ab eo imposita pœnitentia; atque talem se cum peccantibus exhibebat, acsi ipse perpetrata defleret facinora; illud semper retinens quod Paulus Corinthiis dixerat : Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? Talibus, ut diximus, gemmis decoratus veridici Euangelii expectabat promissum : Venite benedicti patris mei; percipite regnum, quod E vobis paratum est ab origine mundi.

variusque virtutibus fulgens,

d

11 Humanus non valet sensus ad memoriam reducere, quæ beatus Domini confessor Rofillus mirabiliter peregit temporibus suæ sacratissimæ vitæ : dum enim antiqui serpentis ac versuti et callidi diaboli insidias cavere * admonebat, corporaliter ostendit ipsum pestiferum serpentem cunctis populis, quibus præerat, et aliis plurimis. In spatio, quod pervium est euntibus a Populiensi ad Liviense oppidum, draco insederat magnus, qui solo flatu morbidabat cunctos, quod facere a constitutione protoplasti animabus non cessavit, sic corporibus juges inferre languores, et neces non se subtraxit. Contigit autem Domini misericordia, ut quod ex invisibili dracone Christi confessor Rofillus prædixit, [hoc cunctis cernentibus manifeste exhibuit,] dum eumdem draconem corporaliter ostendit *. Nam quanta in eo virtus contra spirituales aereasque fuerit nequitias evidentissimis claruit indiciis de immani draconis ruina *e*.

draconem suo populo et vicinis noxium,

** alias amovere*

** alias offendit.*

e

12 Denique comperto fœtidi draconis morbo, Vir sanctus talibus alloquitur populum affatibus : Animum advertite, in Domino ca- F rissimi fratres, quia secundum Apostolum Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus mundi rectores tenebrarum harum. Igitur contra spirituales, et aereas pugnas oportet, dilectissimi fratres, invisibilia cælestiaque capessere arma, qualiter contra invisibilem pugnetur invisibiliter. Hinc indictum a Jona inclytum sumamus jejunium, cælesteque poscamus auxilium, ut ejus juvamine visibilis invisibilisque evadamus draconis necem. Confido in Domino, quia his adminiculis corporibus animabusque erimus salvati : ad hæc eadem peragenda nostro fratri Mercuriali mittamus monita, ut communiter Domini expostulata venia, de hoste sumamus victoriam, quatenus fidelis sentiat populus, quantum apud Deum valeat communis oratio.

indictis prius orationibus et jejunio,

13 Interea, sicut sanctus Christi Confessor prædixerat, venerabili Mercuriali præsuli Liviensis [ecclesiæ] direxit mandata talia : Quamquam non exiguo sequestremur terrarum

et S. Mercurialem ad eadem indicenda hortatus.

ex Mss.

rum spatio, fraternitatis tamen uno inexplicabilique connectimur vinculo; ita tamen, ut quam alius patitur, utrisque fiat unita compassio. Ex instanti præsenti, omnique semper negotio ad Deum propensius ab utrisque subjecto cum populo dirigatur oratio, quatenus clades exitialisque morbus communi petitione pellatur longius. Triduano pariter peracto jejunio, protecti salutis spiritualis clypeo, serpentis draconisque proteramus per auxilium Domini virus nequissimum *f*.

f *coram populo prodigiose interimit.*

14 His egregius antistes Mercurialis præcognitis, preces lamentaque mente supplici, longius ad Deum misit cum lacrymis. At Christi confessor Mercurialis, ut erat ex belli procinctu solicitus, ante confratris Rofilli adventum constantem suo projecto cum populo antetulit gressum. Jamque certaminis aderat tempus draconisque operuerat * locum, cum Rofillus advenerat sanctus; licet quia prævenerat Domini confessor Mercurialis hac re modicum Rofillus tristaretur *g*. Beati invicem multo mutuo cum honore sese osculati ad draconis scrobem, utrisque diu flentibus et necessaria populis postulantibus, accesserunt. Tunc beatissimi viri stolis suis guttur nexuerunt draconis, cunctis, qui aderant, mirantibus, de latibulo amoverunt eum pariter abstrahentes: quodam reperto puteo eum includentes super ipsum memoriale imposuerunt gaudentes, concessoque ex hoste triumpho tripudiantes ad propria cum salute plebis remeantes in Christo gratulati sunt omnes, quia hostis ingentisque draconis extinxerunt nequitias, et populum eruerunt a plaga.

* *forte aperuerat*

Sciens mortem sibi instare, populo suo valedicit,

15 Ex eo itaque tempore beatissimus pater Rofillus et antistes imminere prædicebat diem egressionis suæ, quia post patefacta, o carissimi filii [inquiebat] antiqui serpentis machinamenta oportet me ingredi universæ terræ angustissimam viam. Mementote meæ parvitatis. Exiguo usus eloquio [dicebat:] Mutuus vos constringat caritatis amor, ne vestrum aliquem hostis subrepat clandestinus dicente Domino: Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; mox adjecit: Et proximum tuum sicut te ipsum. Qui sicut se ipsum, fratres, proximum diligit, nulla et hujus mandati, opportuna curatio erit, quia quod quisque sibi impendit, proximo non negabit, si eum, ut se, diligit. Cavete contentiones, cavete lites, diligite pacem, sectamini caritatem, ut his decorati ornamentis, securi veniamus ante summi præsentiam judicis.

et sancte mortuus sepelitur et invocatur.

16 His et aliis instructi alloquiis, spiritalibus refecti cibis, qui aderant præ tanti exitu patris flentibus cunctis, se circum signans signaculo crucis, cunctos ad osculum invitavit. Postmodum vitalem cælo spiritum lætus et ovans reddidit. Cujus corpus populi pii aromatibus condientes, linteaminibus sacerdotalibus involventes, dignissimæ tradiderunt hymnidica melodia sepulturæ; ubi ad ejus laudem multa beneficia exuberant jugiter, præcipue apud fideles. Tua igitur deposcimus, Christi beatissime confessor et pontifex Rofille, suffragia, ut nostræ conditionis, ac salutis sis memor, emolumentum nobis impetrans apud reverendum judicem omnium, quatenus obtentu tuæ petitionis esse compotes valeamus æterni gaudii, ut in ultimo tremendoque examine una tecum præsentemur æterno coram arbitro sine confusione. Obiit hic beatissimus Christi Confessor decimo quinto Kal. Augusti, cum quo, præstante Domino nostro Jesu Christo, æternum capiamus regnum per infinita secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Editio Vecchiazzani et Officium Ms. hic melius ita habent:* Sed et mira sermonis pollebat facundia.

b *Ita legitur in omnibus exemplaribus; sed si scriberetur* adjuta, *sensus saltem redderetur intelligibilis. Non est operæ pretium singulos hujusmodi obscuros sensus observare.*

c *Alia exemplaria sic legunt:* Humilitas vero pro clypeo suis obsistentibus, ita in eo florebat *etc.*

d *In Vecchiazzano et Ms. Officio hic sensus ita exprimitur:* Peccantes ita leniter, acsi similes sibi viderentur, arguebat.

e *Hic in Ughello aliisque exemplaribus videtur aliquid deesse, quod Ms. nostrum melius connectit.*

f *Ms. nostrum hic saltem dat sensum perfectum, qui in aliis exemplaribus non intelligitur.*

g *De* S. Ruphilli *tristitia ob hanc causam nulla fit mentio in Ms. Officio. Attamen in aliis Mss. non tantum illa refertur, sed etiam circumstantiis quibusdam ornatur, ut vidimus in Commentario prævio num.* 10.

A D

DE S. PHILASTRIO EPISCOPO

BRIXIÆ IN ITALIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

G. C.

§ I. Antiquus Sancti cultus ex variis monumentis.

... annum CCCLXXXVII ... Gaudentio et Ramperto ...atur Sancti ...ius.

Brixia fœcunda Sanctorum civitas *(de ea fuse actum est* XV *Februarii in Commentario prævio ad Acta SS. martyrum Faustini et Jovitæ num.* 1) *jam a multis sæculis* S. Philastrium *antistitem suum tanto in honore habuit, ut cives Brixienses olim in annua illius festivitate ab omni opere servili abstinerent, sicuti testatur Rampertus ejusdem civitatis episcopus, qui translationem et miracula* S. Philastrii *circa medium sæculi* IX *conscripsit, in cujus historiæ initio antiquum illius cultum satis indicat his verbis :* B Triginta Brixienses sunt episcopi, quos meminimus, qui in altari nomini beati Philastrii dicato, et super caput ejusdem posito, preces Missarum celebrarunt, et diem transitus ejus venerantes, ab omni terreno opere Brixiensem populum abstinere jubentes, reverenter honoraverunt. *Imo S. Gaudentius, qui fuit immediatus hujus sancti Præsulis in cathedra Brixiensi successor, innuit, anniversariam ejus memoriam statim a morte solenniter celebratam fuisse, dum concionem panegyricam, in annuo illius festo habitam, ita concludit :* Pauca hæc de virtutibus hominis Dei brevissimo sermone memoravi, ne dies iste, quo ad superna migravit beatus Philastrius patronus noster, cujus hodie festa celebramus, tristi silentio inglorius præteriret. Nam cum multa meritorum ejus præconia quatuordecim jam per annos solemnitatis hujus cultum renovans, auditui vestro intulerim, plura quæ prædicari adhuc possunt, intacta C perspicio.

...m quibus... in Martyrolo...

2 *Quamvis hi duo testes ad probandam cultus antiquitatem sufficerent, tamen more nostro aliquot Martyrologiorum testimonia iis superaddam. Usuardus et genuinus Ado de eo non meminerunt; sed appendix Adonis a Rosweydo nostro post Adonem edita habet prolixum illius elogium, seu potius Vitæ compendium, quod in illa editione vel in Usuardo, a paucis annis illustrato, legi potest. Petrus de Natalibus, a quo corrupte appellatur* Filiaster, *in Catalogo Sanctorum lib.* VI, *cap.* CXV *paulo diversam ejusdem Vitæ synopsim texuit, quam hic exscribere operæ pretium non est. Maurolycus decimo quinto Kalendas Augusti sic brevius eum annuntiat :* Item Philastri fidei christianæ propugnatoris ac Brixiensis episcopi, qui contra omnes hæreses ac præsertim Arrianam scripsit, ac peregrinando militavit, de quo meminit Augustinus, et cujus Vitam scripsit Gaudentius ejus successor. *Galesinius eodem die ita habet :* Brixiæ sancti Philastrii episcopi. Is amore Dei ductus, longe lateque peregrinatus multos Christo Domino peperit : tum pro Catholica fide cæsus, fidelis fuit custos gregis dominici. *Martyrologium Romanum eadem aliis verbis sic explicat :* Brixiæ, natalis sancti Philastrii, ejusdem civitatis episcopi, qui adversus hæreticos, præsertim Arianos, a quibus multa passus est, plurimum verbis scriptisque pugnavit, demum clarus miraculis confessor in pace quievit. *Atque hæc de Martyrologiis satis.*

3 *Cultus ejusdem sancti Antistitis perseverat in Officiis ecclesiasticis, Brixiæ jam a longo tempore celebrari solitis. In Breviario autem, quod exstat apud moniales S. Catharinæ Ordinis Dominicani, recitatur sequens oratio :* Annue, quæsumus, clementissime Deus, orationibus populi tui, et E quos in celebritate beatissimi Philastrii confessoris tui atque pontificis adesse fecisti, ejus precibus æterna perfrui beatitudine concede. Per Dominum *etc. Non opus esset proprias hujus Breviarii lectiones exscribere, nisi peculiaria quædam rerum adjuncta continerent, quæ in antiquioribus Actis non leguntur. Ea igitur qualiacumque in curiosi lectoris gratiam hic subjicimus.* Lectio i. Fuit beatissimus Philaster natione Hispanus, ex nobili prosapia ortus, cujus parentes fuere fidei Christianæ fidelissimi assertores. Itaque studuerunt puerum suum Philastrum baptizatum publice in operibus fidei Christianæ doceri et primo in Grammaticalibus. Lectio ii. Operabatur autem in eo gratia divina mirifice, ut omnia, quæ audiret, caperet et retineret, ut quasi vas pretiosum, nomen Domini deferret tempore suo coram regibus et principibus terræ. Cum autem in paterna domo puer Philaster staret et oraret, angelus ei apparens dixit : Esto similis Abrahæ, ut egrediaris de patria tua, et Athenas pergens ibi te totum studiis trado. Lectio iii. Igitur Philaster monitis Angeli acquiescens, Athenas pervenit, ubi brevi F demoratus tempore ita profecit, ut ibi magistratus * in omnibus scientiis subtilissime disputaret : unde multos Ariana perfidia deceptos ibi ad fidem Christi convertit.

et proprius.

* *id est* magisterio initiatus

Breviarii.

4 Lectio iv. Inspiratus autem a Deo in Italiam venit, ut hæreticos confutaret. Romam igitur ingressus a beato Damaso Papa honorifice receptus est : cujus eminentem scientiam beatissimus Pater cognoscens, hortatus est Philastrum, ut quam a Deo acceperat sapientiam Romanos docere dignaretur. Lectio v. Itaque beatus Philaster a summo Pontifice cathedrali honore sublimatus non modico tempore in urbe Romana docuit et legit : ad quem audiendum cum tam juvenes quam senes concurrerent, eos tam in moribus, quam in scientiis in brevi perfectos faciebat : diffusa etenim erat in labiis ejus magna desuper gratia. Lectio vi. Quod intelligens præfatus Pontifex ipsum ad sacros promovit Ordines. Ordinatus itaque in sacerdotem, statim in virum alterum mutatus est,

AUCTORE G. C.

est : cœpit enim considerare altitudinem Sacramenti, et quanta ei reverentia deberetur. Quapropter ex immenso amore, quem ad Christi passionem gerebat, de licentia summi Pontificis usque in Hierusalem pervenit visitaturus loca, in quibus Dominus noster Jesus Christus nostram operatus est salutem.

lectionibus perseverat.

5 Lectio vii. Expleto itaque anno, iterum Romam regressus, a præfato summo Pontifice licentia obtenta prædicandi, totum Romanæ urbis ambitum peragravit ubique prædicando. Verum cum audiret Mediolani fidem periclitari ob Arianam perfidiam, concito gradu illuc pervenit : qui gratanter a fidelibus receptus est. Lectio viii. Fuit autem de consensu tam fidelium, quam infidelium ordinata solennis disputatio, ad quam præsentes esse debebant disputaturi de fide beatus Philaster et Auxentius hæreticus. Venit igitur disputationis tempus et hora : et stabilito communi loco, accessit coram omni multitudine beatus Philaster habitu humili, sed Spiritu sancto plenus fiduciam habens in Domino de perfecta contra Arianos victoria. Lectio ix.
B Et ecce ex altera parte venit Auxentius hæreticus tumefactus cum caterva hæreticorum et Judæorum, qui parati erant contra dicta beati Philastri disputare. Erant autem multi populi utriusque sexus stantes, ut viderent finem. Factoque silentio, Auxentius clamare cœpit : Quid vis tu Philaster, qui fidem catholicam defendere conaris? Tunc beatus Philaster plenus sapientia et Spiritu sancto, aperiens os suum, ita insolubiliter argumentatus est contra Auxentium hæreticum, et eum conclusit, ut nihil contradicere sciret. Tandem beatus Philaster post multas injurias sibi illatas et crucis passionem Brixiam veniens, et ibi ordinatus episcopus in pace quievit. *De S. Præsulis patria, angelica apparitione, studiis Atheniensibus, peregrinatione Hierosolymitana, aliisque, quæ in his Lectionibus narrantur, nulla fit mentio in concione S. Gaudentii, uti nec in antiquo carmine Sapphico, de quo jam pauca præfari oportet.*

Antiquo carmine, cujus auctor non videtur esse S. Gaudentius,

6 *Vir Clarissimus Paulus Galeardus, canonicus Brixianus, post opera S. Gaudentii, anno* 1720 *pulcherrimis typis Patavii excusa, edidit ex duplici codice Ms. Brixiensis ecclesiæ carmen ad laudem*
C S. Philastrii *olim compositum. Quidam putarunt, S. Gaudentium hujus carminis auctorem fuisse; sed laudatus Galeardus, cujus munere dicta S. Gaudentii opera ad nos pervenere, in admonitione huic carmini præfixa istud S. Gaudentio abjudicat, tum propter styli differentiam, tum ob sequens Ramperti testimonium :* Sed et rhythmicum hymnum, *inquit Rampertus in historia Translationis hic paulo post exhibenda num.* 24, quem ergo auctoritatis Gaudentium episcopum fecisse ferunt, cantare de ipso sedule consueverat. Gaudentium autem ipsum composuisse nuto, cum longe aliterque sensus primæ lineæ sit, et ipse rhythmus elementa nominis compositoris sui per capita, ut ita dixerim versuum, si quis intendat, habeat. *Notari meretur, quod Lipomanus et Surius hoc testimonium magna ex parte mutilatum ediderint, ac præsertim ea verba, quibus vulgo creditus rhythmi auctor a Ramperto in dubium revocatur, omiserint, quæ tamen in antiquiori codice Brixiensi diserte exprimi asserit Galeardus.*

7 *At si hæc omnia sint Ramperti verba, inquiet aliquis, videtur ex iis erui posse nomen auctoris, cum dicat, quod* ipse rhythmus elementa nominis compositoris sui per capita, ut ita dixerim, versuum, si quis intendat, habeat. *Hæc res majori difficultati obnoxia est, quam prima fronte appareat. Idem Galeardus loco jam citato eam difficultatem accurate discutit, ac nitide sic explicat :* Ex initialibus litteris cujuslibet quaternarii nihil aliud efficitur, nisi Filastrius Bricsiensis Præsul. Proinde si quis hunc nodum solvat, erit mihi magnus Apollo : non enim crediderim, Philastrium ipsum rhythmum hunc in suimet laudem condere potuisse. Fortasse Rampertus intellexit, auctoris nomen contineri alio carmine, quod ad calcem illius rhythmi ab ipso auctore adjectum est, habeturque in priori ac vetustiori ex duobus codicibus Mss. Brixianæ ecclesiæ.... hoc modo.

sed alius scriptor ...

Perfectus quondam fueras, Pater alme Filastri,
Ingenio, vita, sensibus, atque fide.
Perfecti nervi studui tibi ponere carmen,
Devotus humilis servulus atque tuus.
Intercede tuis meritis pro me rogitando, E
Perfecte semper per Dominumque Deum.

Si quis fortasse probare posset, rhythmi illius auctorem fuisse aliquem nomine aut appellatione Perfectum, ideoque vocem illam alternis versuum capitibus hoc carmine repetitam, non valde repugnarem.

laudes S. Philastrii celebrantur.

8 *Hæc eruditi viri conjectura mihi non displicet; sed cum ipsemet fateatur, omnia hoc loco obscura et incerta esse, sine ulteriori ratiocinio istud carmen antiquum (a quocumque demum sit compositum) cum Ms. nostro collatum subjicio.*

Fertilem cantum, habitator omnis,
Quo fluit Cleosa *, fluit atque Mella,
Circuit currens Ollium recurvum :
Concine mecum.

Istius cantus modulator adsit,
Nostra * Benaci habitans ad ora,
Liber et servus recinantque cunctis,
Vocibus odas.

Læta Plebs cuncta populi resultet,
Brixiæ quisquis genitus, et hospes,
Clerus et laici populi phalanges;
Sexus, et ætas F

Ad melos tanti Patris excitemur,
Ossibus cujus fruimur perenne,
Præsul, et quisquis fuit in hac Urbe,
Tempore prisco.

Septimus * sedis solio resedit,
Brixiensis hic bonus, et beatus,
Nobilis prudensque, Philastrius qui
Nomine dictus.

Turribus quorum genitus hic fuit,
Nullus ex nobis meminit sapit nec *;
Scimus hoc sed nos, Abraham Beatum
Esse seculum.

Rebus, et notis, patria relictis,
Ac fide sese comitante semper,
Dogma quæsivit jugiter supernum,
Sensibus imis.

Is vigil sacros relegendo libros,
Continens solus veluti fuisset,
Instruit sese sapiens amore,
Valde superno.

Vir bonus simplex, bonitate fartus,
Portionem qui propriam, suamque
Esse credebat Dominum, Deumque
Sorte perenni.

* Ms. Clesis
* Ms. noster
* Ms. Decimus
* Ms. sapit...

A Sorte divina sacer est sacerdos
Consecratus ; tum studuit deinceps,
Orbis ad metas populos docere,
Dogmate sancto.

Barbaras gentes idolis recurvas :
Atque Judæos homines iniquos,
Perfidos, contra monitis supernis
Restitit ipse.

Regis æterni amabilis * Minister,
Perfidæ sectæ monita magis sed *
Arianorum fore falsa dixit
Semper ubique,

* Ms. sanctis
* Ms. magisque

Intimo sensu veluti repugnans.
Sedulis flagris sua membra fundunt,
Cæsa currentem rosei coloris
Sæpe cruorem.

Curiosus dum jugiter moneret :
Impiis tantum licuit in ipsum,
Ut suis membris nimium referret
Stigmata Christi.

Sed tibi, Auxenti, miser, imperite,
Restitit fortis fidei vigore,
Morsibus vestris populum refellens,
Usque cruentis.

B In fide multas populi cohortes,
Urbis orbem per stabilivit ipse ;
Brixiam donec adiit, volente
Rege populorum *.

* Ms. polorum.

Et rudem, sed tunc cupidam moneri,
Insciam quamquam, tamen ad docendum
Firmiter promptam, studio sagaci,
Ingenioque.

Nam rudem plebem maculas habentem,
Exuit multas veteres : novisque,
Induens ipsam recreando Christo,
Moribus almis.

Sanctus hic vates fuit hujus ævi,
Nescius pompæ, Domini honoris
Arduus cultor, sua non requirens.
Euge fidelis.

Istius secli vacuos honores
Credidit vilis pretii fuisse,
Lege sub Christi meditatus est qui
Nocte, dieque.

Seculi magna, et pretiosa quæque
Sprevit ; ut parvum, nihilumque duxit :
Venditores sed pretii minoris
Auxerat emptor.

C Patris affectu patiens, ad iram
Et brevis, nec non * facile remittens :
Dulcis, humanus, sobrius, benignus,
Omnia cunctis.

Rectus et judex, medicusque prudens,
Spiritalem qui sapuit medelam :
Miscuit Baccho latices olivi,
Vulnera curans.

Ac Pater quamvis minimis fuisset *,
Nexior * semper, tamen ipse nexus *,
Sexus, ætatis, famulatus atque,
Nobilitatis.

* Ms. maximus

Euge mirandus, imitandus atque,
Vilis, et grati habitus fuitque :
Vilitas spurco caruitque gestu,
Gratia fastu.

Sexies terna rapuit dies quem
Julii mensis, lachrymante clero ;
Flente sed multum populi caterva,
Vocibus altis.

Unde nos semper meritis beatis,
Credimus nostri relevarierque,
Fasce peccati, veniæque locum
Posse tenere.

Luminis Patris, Genitique si sit, *
Spiritus sancti, miserendo nostrum,
Gratia perpes jugibus medelis,
Omnibus annis. Amen.

AUCTORE G. C.

* Ms. Filii

§ II. Sancti Philastrii patria, scripta, episcopatus chronotaxis, Acta, et gloria posthuma.

Incerta est Philastrii patria.

B*ernardinus Faynus in notis ad suum Martyrologium Brixianum pag.* 100 *affirmat,* S. Philastrium *natione Hispanum, et quidem patria Cordubensem fuisse. Ughellus autem tomo* IV *Italiæ sacræ col.* 729 *eum simpliciter Hispanum vocat. Tamayus aliique recentiores communiter ipsi patriam assignant Hispaniam. Caveus tamen in Historia Litteraria scriptorum Ecclesiasticorum pag.* 159 *suspicatur, eum gente forsan Italum fuisse. Sed tam hic, quam illi carent solidis ad id* E *asserendum rationibus : quomodo enim recentioribus innotuisset certa* S. Philastrii *patria, quam antiquiores ignorarunt? Quod autem ea antiquitus ignota fuerit, patet ex his verbis carminis Sapphici, quod paragrapho præcedente edidimus.*

Turribus quorum genitus hic fuit,
Nullus ex nobis meminit, sapit nec :
Scimus hoc sed nos, Abraham beatum,
esse secutum.

Hinc liquet, jam a multis sæculis nihil aliud notum fuisse, quam quod Philastrius *Abrahæ exemplo natalem terram et cognationem reliquerit. Quod si S. Gaudentius, ut facile fieri potuit, decessoris sui patriam noverit, saltem eam in hac concione panegyrica non expressit. Quare supra laudatus Paulus Galeardus, Canonicus Brixianus, in notis ad vigesimum primum S. Gaudentii sermonem pag.* 240 *sic prudenter et ingenue fatetur :* Cujas esset Philastrius, omnino nobis ignotum. *Nunc scripta ejus examinemus.*

Scripta illius, de quibus Gregorius Magnus meminit.

10 *Quidam opinantur, Acta SS. Faustini et Jovitæ nec non S. Afræ a Philastrio conscripta esse. Verum de hac re alii merito dubitant, ut videri potest in Actis nostris* XV *Februarii pag.* 806, *et* F XXIV *Maii pag.* 274. *At certe Sanctus noster composuit librum de Heresibus, de quo S. Gregorius Magnus in editione Parisiensi anni* 1586 *epistola* V *scribens ad Cyriacum episcopum Constantinopolitanum ita meminit :* Præterea cum recta a vobis fides veraciter et subtiliter sit prolata inter eos quos per sanctissimas generales synodos damnandos esse censuistis, Eudoxium quemdam vos damnasse comperimus, cujus nomen in Latina lingua, neque in synodis, neque in libris beatæ memoriæ episcoporum Epiphanii, Augustini et Philastri, quos contra hæreticos præcipue disputasse novimus, positum reperimus. *Deinde in epistola* XV, *quam ad Theodorum Diaconum ecclesiæ Constantinopolitanæ scripsit, ita loquitur :* Sed ne dilectionem vestram in mea disputatione immorer, quid de hac hæresi Philaster in libro, quem de hæresibus scripsit, dixerit, cognoscit; cujus hæc sunt verba. *Tunc subdit* Philastrii *textum, qui in Bibliotheca sanctorum Patrum, Parisiis anno* 1589 *per Margarinum Bigneum edita, tom.* IV, *col.* 40 *invenitur. Teste Galeardo,*

AUCTORE G. C.

Galeardo, Joannes Albertus Fabricius a paucis annis novam hujus Philastriani libelli editionem meditabatur ; eam hactenus non vidimus. Sane difficile foret, hunc librum a variis erroribus vindicare, et eruditis notis illustrare.

et judicium fert S. Augustinus.

11 *Sanctus Augustinus in epistola ad Quodvultdeum, quæ in novissima editione anni* 1700 *reperitur tomo* II, *col.* 622, *de hoc* S. Philastrii *opere ita judicat :* Philastrius quidam Brixiensis episcopus, quem cum sancto Ambrosio Mediolani etiam ipse vidi, scripsit hinc librum ; nec illas hæreses prætermittens, quæ in populo Judæo fuerunt ante adventum Domini., easque viginti octo commemoravit, et post adventum CXXVIII. Scripsit hinc etiam Græce episcopus Cyprius Epiphanius, in doctrina catholicæ fidei laudabiliter diffamatus : sed ipse utriusque temporis hæreses colligens, LXXX complexus est. Cum ergo ambo id vellent facere, quod a me petis, quantum tamen inter se differant de numero interim sectarum, vides : quod utique non evenisset, nisi aliud uni eorum videretur esse hæresis, et aliud alteri. Neque enim putan-
B dum est, aliquas ignorasse Epiphanium, quas noverat Philastrius, cum Epiphanium longe Philastrio doctiorem invenerimus, ita ut Philastrium potius dicere deberemus latuisse plurimas, si tamen plures esset ille complexus, et iste pauciores. Sed procul dubio in ea quæstione, ubi disceptatur, quid sit hæresis, non idem videbatur ambobus : et revera hoc omnino definire difficile est : et ideo cavendum, cum omnes in numerum redigere conamur, ne prætermittamus aliquas, quamvis hæreses sint, aut annumeremus aliquas, cum hæreses non sint. Vide ergo ne forte librum sancti Epiphanii tibi mittere debeam : ipsum enim arbitror Philastrio doctius hinc locutum. *Præterea sanctus præsul Hipponensis in suo libro de hæresibus tomo* VIII *editionis jam citatæ col.* 10 *innuit hæreses quasdam a* Philastrio *perperam distinctas fuisse.*

a recentioribus criticis hinc in de erroris arguuntur.

12 *Recentiores critic , qui de scriptoribus ecclesiasticis egerunt, tanti Doctoris auctoritate freti huic sancto Scriptori notam crassi erroris libere inurunt. Inter alios Cardinalis Bellarminus in libro de scriptoribus Ecclesiasticis pag.* 147 *de ea*
C *ita monet :* Sed illud est observandum, multa a Philastrio inter hæreses numerari, quæ vere hæreses non sunt : proinde cum prudentia legendus est. *Labbeus noster in Opere de scriptoribus Ecclesiasticis tom.* II, *pag.* 213 *de eodem sic pronuntiat :* Etsi sanctus Philastrius sanctitate et doctrina præclarus extiterit, hoc tamen ejus opus de hæresibus caute et cum judicio quibusdam in locis legendum, quod nonnulla contineat cum placitis rectæ theologiæ non satis cohærentia. *Sixtus Senensis lib.* V *Bibliothecæ sanctæ annotatione* XXVII, *aliique apud Possevinum nostrum in Apparatu sacro tom.* II, *pag.* 273 *citati observarunt singulares* Philastrii *errores, quos Ambrosius Rusconus monachus Cassinensis in suo Triumpho catholicæ veritatis anno* 1619 *Venetiis edito excusare nititur hac responsione :* Licet in aliquibus erraverit *(nempe* S. Philastrius, *de quo ibi est sermo)* hoc non fecit ex malitia et cum pertinacia, nec post datam ab ecclesia definitionem : imo semper Ecclesiæ mandatis se subjecit. Præterea licet a D. Augustino reprehendatur in proœmio sui libri de hæresi, quod scilicet nimis facilis fuerit alios notare de hæresi, hoc tri- D
buitur magno zelo, quem semper habuit erga sanctam Ecclesiam Catholicam Romanam. *Prætermitto hic sphalmata chronologica, quæ forte amanuensium aut typothetarum oscitantia in idem opusculum irrepserunt.*

13 *Alia hic de Sancto nostro occurrit quæstio ; nempe quotus fuerit ecclesiæ Brixianæ episcopus. Ughellus tom.* IV *Italiæ sacræ col.* 729, *Faynus in Cælo sanctæ Brixianæ ecclesiæ pag.* 20, *atque alii* S. Philastrium *in Brixiensi cathedra ordine decimum collocant. Huic opinioni fortasse causam præbuit alter ex duobus codicibus Mss. Brixianis, recentior scilicet, qui hoc loco corruptus est : nam ubi in versu Sapphico, antea dato, legitur,* septimus sedis solio resedit, *suppositum fuit* Decimus sedis solio resedit. *An id forte a quodam falsario factum est, ut ecclesiæ Brixianæ antiquitas altius repeteretur? Ut ut est, hæc fraus facile detegitur : in antiquiori enim codice sincera perseveravit lectio. Præterea posterioris codicis mutatio aliunde falsitatem suam manifeste prodit, cum huic corruptioni ipsa lex carminis repugnet, et* FILASTRII *nomen, quod initialibus litteris cujuslibet quaternarii exprimi supra diximus.* E
Denique historia Translationis a Ramperto conscripta, quæ in illo eodem codice, cui vitium illatum est, carmini præponitur, apud nos num. 5 *sic aperte habet :* Etenim hic SEPTIMUS episcopus Brixiensem ecclesiam Christo tunc prædicando congregans, sanctum dogma custodivit. *Hanc Brixiensium codicum notitiam refero acceptam eruditissimo Galeardo, qui præviam suam in hoc carmen admonitionem ita concludit :* Quorsum autem fraus hæc aut quo tenderet, brevibus dicam. Cœperat nempe jam tum apud nonnullos ex nostris male feriatos homines invalere recentior opinio, DECIMUM fuisse Philastrium Brixianæ urbis episcopum, qui antea SEPTIMUS habitus fuerat, cum sciolus fortasse aliquis conspicatus notam carminis hujus sententiæ suæ valde incommodam, delevit, ac recentiori atramento minioque oblivit, intactis relictis sermone Ramperti ac vetustiori codice, qui violatricem manum effugerunt.

Fuit septimus ecclesiæ Brixianæ episcopus.

et videtur obiisse circa annum 387.

14 *De* S. Philastrii *chronotaxi pauca admodum comperta habemus. Ex Labbeana conciliorum collectione tom.* II, *col.* 978 *tantummodo constat,*
F *eum anno* 381 *tamquam ecclesiæ Brixiensis episcopum synodo Aquileiensi interfuisse. Ex sermone S. Gaudentii, quem de sua ordinatione habuit, manifestum fit, illum ante S. Ambrosium obiisse. Plerique scriptores mortem* S. Philastrii *anno* 387 *consignant. Faynus tamen eam duobus annis prævertit, in suo de Cælo Brixianæ ecclesiæ pag.* 20 *ita scribens :* Philastrius Hispanus, et Arianorum vexatione celebris, in hac sede collocatus est anno CCCLIV. Brixiæ quievit in Domino anno CCCLXXXV. *Juxta hunc computum debuit* S. Philastrius *triginta annis Brixianam sedem tenuisse, cum interim Ughellus in Catalogo Brixiensium episcoporum, loco jam aliquoties citato, de illo sic scribat :* Præfuit annis octo, decessitque Kal. Augusti, sancto Ambrosio adhuc vivente, ut narrat idem Gaudentius in sermone de sua ordinatione : *Reliqua, quæ ad chronologicam illius vitæ seriem pertinent, omnino incerta sunt. Quare non moramur hic eos, qui apud Ferrarium tradunt,* S. Philastrium *interfuisse concilio Nicæno, quod anno* 325 *celebratum fuit. Similes quippe conjecturas, quæ tam facile negantur, quam asseruntur, non tanti facimus, ut iis*

refellendis

A *refellendis aut explicandis tempus et operam impendamus. Nunc de Sancti nostri Actis breviter disserendum est.*

15 *Res a* S. Philastrio *gestæ adeo præclaræ atque copiosæ fuerunt, ut ejus in episcopali sede successor Gaudentius, qui quotannis virtutes Sancti decessoris sui coram populo prædicare consueverat, sese post quatuordecim sermones, in annua illius festivitate habitos, multas ejus laudes intactas reliquisse fateatur. Ex omnibus his concionibus una solummodo superest, quam etiam duo hypercritici Galli S. Gaudentio libenter abjudicarent; sed suppetunt nobis argumenta, quibus eam sancto isti Præsuli vindicemus. Imprimis, teste Galeardo, sermo hic habetur in duobus codicibus Mss. Brixianis, præmisso hoc titulo :* Sermo beati Gaudentii episcopi de Vita et obitu beati Philastrii episcopi prædecessoris sui. *Præterea Rampertus, qui ante medium sæculi* IX *Brixiensem rexit ecclesiam, eumdem sermonem S. Gaudentio adscribit in Historia Translationis num.* 12 *his verbis :* Veluti etenim in edito sermone a præsule Gaudentio, Vitæ scilicet beatissimi Philastrii pontificis, legitur, fuisse eum omni ætati et

B conditioni et sexui stupenda benignitate communem. *Deinde num.* 23 *ejusdem concionis ita meminit :* Cujus vitæ sanctitatisque eum sapuit episcopus Gaudentius successor suus, qui per quatuordecim annos, et forsan plus, diem transitus ejus feriatum ducebat, populo siquidem de eo sermonem faciens. *Antiquis hisce testimoniis acquieverunt Baronius, Labbeus, aliique viri eruditi. Quare miror a Dupinio in Nova Bibliotheca Auctorum Ecclesiasticorum tom.* III, *pag.* 84, *et ab altero ejusdem furfuris scriptore Gallo in tabula critica Vitis sanctorum mensis Julii præmissa, pag.* 15 *hanc concionem in dubium revocari. Lipomanus et Surius concionem jam memoratam sub S. Gaudentii nomine ediderunt. Nos eamdem, juxta Mss. Brixiensia a Galeardo emendatam, dabimus, varias codicum lectiones aliaque notatu digna in margine vel annotatis observaturi.*

... triplex sacri corporis translatio re... tur.

16 *Ad posthumam* S. Philastrii *gloriam spectat triplex sacri corporis ejus translatio. Prima anno* 838 *facta est a Ramperto episcopo Brixiensi, qui eamdem una cum miraculis tunc patratis posteritati scripto reliquit. Nos illam post S. Gaudentii sermonem ex emendatiori Galeardi editione*

C *exhibebimus. Altera contigit anno* 1456 , *quam ex libro provisionum civitatis Brixianæ excerptam juxta Ms. nostrum excudemus. Tertia denique facta est anno* 1572 , *quando sacrum* S. Philastrii *corpus ad altare sanctissimæ Trinitatis translatum est. Joannes Franciscus Florentinus in Indice chronologico Antistitum Brixianorum has tres translationes sic breviter describit :* Ejus corpus anno DCCCXXXVIII, V Idus Aprilis a S. Andreæ extra Brixiam antro abstruso , ubi quingentos ferme annos latuerat, una cum ejus pedo ligneo , pluribus miraculis celebre , in cathedrale templum hyemale illud , cui postmodum superædificata est ecclesia , quæ Rotunda vulgo dicitur , translatum est. Sexcentis post annis et amplius , veritis aliis , ne inde sublatum esset, non paucis vero contra nitentibus , ne iniquitate loci et confluentium aquarum injuria detrimentum caperet, publico consilio ibidem quæsitum et inventum anno MCCCCLVI a Paganino episcopo Dulcinensi decentius repositum , et anno demum MDLXXII , V Idus Julii a specu subterranea exportatum , et in altare sanctissimæ Trinitatis reclusum est. *De tribus his translationibus singillatim agit Faynus in suo Martyrologio Brixiano ; nampe de prima ad diem* IX *Aprilis, de secunda ad* XVI *Februarii, de tertia ad* XI *Julii. Jam tantum restat, ut in edendis Philastrianæ Vitæ ac translationis monumentis fidem nostram liberemus.*

AUCTORE G. C.

ACTA

Auctore Sancto Gaudentio episcopo Brixiensi.

Ex editione V. C. Pauli Galeardi cum Mss. Brixiensibus collata.

E

S. Philastrius, patriarcharum filio comparatus.

Charissimi, nos hodie memores promissionum Christi, honorem debitum beato patri nostro Philastrio, tamquam vere viventi, deferimus : est enim Patriarcharum filius et socius in fide, et æmulator conversationis ; quorum sinceritati simillimus [fuit], et qualem Christus *a* vivere Deo pronuntiat, incredulitatem Sadducæorum valida perscriptione refellens, dum dicit, illum, qui nuncupatur Deus Abrahæ et Isaac et Jacob, non esse Deum mortuorum, sed vivorum. Omnes enim, inquit, illi vivunt. Et certe Scriptura divina mortuos eos fuisse juxta conditionem carnis, quamvis in senecta bona, prædixerat, ac sepultos *b*, sicut extantia demonstrant sepulcra. Quod igitur beato Petro licuit audenter dicere de patriarcha David, quia mortuus fuerit et sepultus, cum sciret eum prophetica fide vitam præsumpsisse post mortem, quippe dixerat : Vivet anima mea, et laudabit te, et cetera hujusmodi : liceat et nobis audenter dicere ad vos de filio Patriarchæ legitimo, summoque sacerdote Philastrio, quoniam mortuus quidem est et sepultus, et sepulcrum ejus est apud nos : sed F vita ejus in Christo est apud Deum. Itaque cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et iste cum ipso apparebit in gloria.

deserit patriam, et post varia pro fide itinera ac certamina,

2 Legitimum vero eum esse filium beatissimi Abrahæ, fidei atque operum testantur exempla. Credens enim Deo fide plenissima, exiit et ipse de terra sua, et de cognatione sua et de domo patris sui, et sequebatur verbum Dei, ab omnibus seculi impedimentis exutus : ac propterea cito assequi meruit, quod sequi studuit expeditus. Exercens namque continentiam singularem, pervigil in Scripturis sanctis, Dei sapientiam concupivit, portionem suam Christum reputans dominum : in quo sunt omnes thesauri sapientiæ cælestis absconditi. Quibus cum replevisset desiderium suum desideriorum cælestium Vir, et per impositionem manus presbyterii, dispensator fuisset divini sermonis electus, negligere gratiam Dei omnino passus non est. Sed circumiens universum pene ambitum Romani orbis, dominicum prædicavit verbum, Pauli Apostoli idoneus imitator

AUCTORE S. GAUDENTIO.

tator existens. Sancto enim spiritu plenus, non solum contra Gentiles atque Judæos, verum etiam contra hæreses omnes, et maxime contra furentem eo tempore Arianam perfidiam, tanto fidei vigore pugnavit, ut etiam verberibus subderetur, et in corpore suo stigmata Domini nostri Jesu Christi portaret. Nam et in Mediolanensi urbe idoneus olim custos dominici gregis fuit, Ariano repugnans Auxentio *c*, priusquam beatus eligeretur Ambrosius. Romæ etiam non exiguo tempore moratus, multos et publica et privata disputatione lucratus in fide est *d*. Sed neque per vicos et castella diversarum præteriens regionum, prædicare verbum Dei umquam destitit fidelis Christi discipulus.

Brixiam venit, ubi rudem populum erudit,

3 Post illos itaque circuitus animarum plurium salutares, Brixia eum rudis quondam, sed cupida doctrinæ, promeruit; scientiæ quidem spiritalis ignota, studio tamen discendi laudabilis. Excidit continuo imis ab stirpibus horrentem sylvam * diversi erroris bonus agricola, et aratro doctrinæ pronus incumbens, invertit crudam totis viribus terram, squallentemque humum sulcis assiduis in novalia fœcunda convertit, affatim semina vitalium mandatorum gremio ejus insinuans. Plantavit quoque vineam, cujus lætaretur ex fructu: quoniam vinum lætificat cor hominis. Oleas etiam pacis agrestibus indidit oleastris, et asperitati pomorum sylvestrium, germina pinguedinis ac suavitatis inseruit, ut haberet Apostolicus vir aliquem et in vobis fructum, sicut et in ceteris gentibus. Et iste quidem consummati operis nunc apud Deum fructibus gratulatur: nam dignus est operarius mercede sua, et laborantem agricolam oportet primo de fructibus sumere. Ego autem minima ejus pars, omnibus votis exopto, ut agrum, bene a patre consitum, et non satis idonea successione susceptum, quoquo modo tueri prævaleam. Zelum fidei ejus, et magnitudinem laborum paulo ante perstrinximus.

* al. silvis

et virtutum meritis plenus

4 Jam reminiscamur, charissimi, vehemens ille ardor animi quantam possederit in sanctis moribus lenitatem: illa celsitudo scientiæ quanta fuerit humilitate sublimis: illa cælestium rerum peritia quam fuerit ignara terrestrium. Erat enim humanæ gloriæ nescius, et acer divini honoris exactor: non quærens quæ sua essent, sed quæ Jesu Christi. Amicitias seculi et officia mundana contemnens, servitio Dei jugiter adhærens, inter humana colloquia jugiter occupatus: nimirum ibi cor ejus erat, ubi thesaurus. Illud etiam quale est, quod cum operosa quæque hujus seculi ac pretiosa despiceret, vilium rerum pauperrimos venditores misericordi ambitione profusus emptor augebat? Parum scilicet computans, quod professis * egentibus largiretur. Erat idem sanctus ira brevis, indulgentia facilis, patientia superans *, humanitate devincens. In corripiendo districtus, in relaxando absolutus, liber in agendo. Omni ætati et conditioni et sexui stupenda benignitate communis, ac tum humilibus quibuscumque conjunctior. Ipse quoque in illo habitu vestium tota erat vilitate mundissimus. Gratus sine industria, contemptibilis sine fuco, et plane qui, ipso nil curante, mentis ejus panderet puritatem.

* al. professus

* al. superemus

Sancte moritur, et annua ei festivitate colitur. e

5 Pauca hæc de virtutibus Hominis Dei *e* brevissimo sermone memoravi, ne dies iste quo ad superna migravit beatus Philastrius patronus noster, cujus hodie festa celebramus, tristi silentio inglorius præteriret. Nam cum multa meritorum ejus præconia, quatuordecim jam per annos solennitatis hujus cultum renovans, auditui vestro intulerim, plura quæ prædicari adhuc possunt *, intacta perspicio. Quintodecimo autem Kalendarum Augustarum exuit hominem et migravit ad eum, quem dilexit. Tam digni igitur memoriam Sacerdotis debito affectu veneremur, ut ipsius quoque suffragio bona, quæ poscimus, facilius impetremus, largiente Dei Filio sempiterno, cui est omnis honor, virtus et gloria, cum Patre et Spiritu sancto in omnia secula seculorum. Amen.

* al. oporteat

ANNOTATA.

a *Lipomanus et Surius corrupte hic legunt* æqualem Christum vivere Deo pronuntiat: *nihil enim huc pertinet æqualitas Christi ac Dei, cum non sit sermo de Arianorum, sed de Sadducæorum hæresi, qui resurrectionem negabant, ut recte observavit Galeardus. Quare vetustioris codicis Brixiensis lectionem sequimur.*

d *Editiones Lipomani et Surii hic iterum erant mendosæ, quas juxta duplex Ms. Brixiense correctas damus.*

c *Iste Auxentius, qui Mediolanensem cathedram invaserat, in historia ecclesiastica satis notus est.*

d *Hinc fortasse aliqui S. Augustinum inter eos liberaliter connumerant. Sed Galeardus eorum conjecturam, nulla ratione nixam, merito explodit.*

e *Hic in antiquiori codice Brixiensi interponuntur sequentia :* beatissimi videlicet Filastrii, egregii patroni nostri, cujus hodie facta celebrantur.

TRANSLATIO ET MIRACULA

Auctore Ramperto episc. Brixiensi

Ex editione V. C. Pauli Galeardi, quam cum Mss. Brixiensibus contulit.

CAPUT I. *Antiquus S. Philastrii cultus, corporis translatio, et duplex miraculum in ea translatione factum.*

Brixienses episcopi tum venerati sunt S. Philastrii reliquias, d

Triginta Brixienses sunt episcopi *a*, quos meminimus, qui in altari, nomini beati Philastrii dicato, et super caput ejusdem posito, preces Missarum celebraverunt, et diem transitus ejus venerantes, ab omni terreno opere Brixiensem populum abstinere jubentes, reverenter honoraverunt. Hi sunt, tertius ab eo et secundus a Gaudentio Paulus, deinde

A deinde Theophilus, et Sylvinus et Gaudiosus, Optatianus et Vigilius, et Ticianus, Paulus, Cyprianus, Herculanus, Honorius, Rusticianus, et Dominator. Itemque Paulus, Paterius, Anastasius, et Dominicus, Felix, et Deusdedit : item Gaudiosus iterum, Rusticianus, Apollinaris, Andreas, et Theodaldus, Vitalis et Benedictus, Ansoaldus, Cunipertus, Amfridus et Petrus, venerabilis memoriæ episcopi. Quorum ordine et meritis novissimus ego Rampertus indignus episcopus Brixiensis sanctæ Ecclesiæ, dum officii assiduitas, et abundantia luminaria in eo venerabili loco non essent, quo beatissimæ memoriæ Philastrii corpus jacebat, non de meis pauxillis præsumens meritis, sed in Dei servitio, tanto Patri honorabiliori famulatu servire cupiens, consultis universis sacerdotibus meis, jejuniis et orationibus intervenientibus, anno dominicæ Incarnationis octingentesimo trigesimo octavo, Indictione prima, sexto Idus Aprilis, non sine timore fodiendo, eis junctis sacerdotibus, de quorum vita credulus eram, venerandum corpus reperiens, B maximo cum timore, ut puta tam venerabilem glebam tam immeritus contingens, elevavi, collocans in feretri locello.

2 Deinde quinto Idus Aprilis, congregato Clero, stipantibus utriusque sexus immodicis catervis, maximi cum horrore timoris, summaque reverentia, idem corpus transtulimus in matrem ecclesiam hiemalem *b* nostram Brixiensem, penes altare sanctæ Dei Genitricis Mariæ, ubi præscriptorum Pontificum erat sedes. Et hoc divina providente gratia, non sine miraculo (ut instantia produnt exempla) gestum a nobis est. Ubi quarto Idus Maii, coadunata ecclesia, officiis et jejuniis cum orationibus præeuntibus, maxima cum devotione, in marmoreo recondentes antro, sepelivimus: ut ubi modo pontificum sedes aderat, ibi tanti Patris et Pontificis jaceret corpus: quo sedes honore, et populus devotione, et clerus suffragio, ejusdem meritis intervenientibus, Christo in omnibus favente potiretur: speramus enim Sanctorum meritis nos omnium foveri, et maxime C eorum, quorum amplectimur corpora, quorumque vel nativitas vel habitatio fuit cum patribus nostris. Eorum quippe vel dogmate instruimur, vel exemplo martyrii * corroboramur. Quamvis enim homines, quorum nobis vita vel passio cognita est, dum viverent in hac ærumnosa procellosi fluctuatione pelagi, præ omnibus nostrates imbuerint sanctis dogmatibus, mirificisque exemplis, eosque suis suffragantibus jugibus precibus tutati sint, supernam implorando clementiam, tamen eosdem defunctos pro nobis non minus speramus, eorum intercedentibus meritis, nostros esse sub divinæ pietatis protectione patronos.

* al. martyrum

3 Quamvis igitur certum sit, divinorum præsentia exempla miraculorum, superna radiasse providentia in nostri venerabilis Papæ translatione, eorum tamen scriptionis necessitate, nostra plebs eget. Hæc etenim passim affatimque evadens, ægri vulgi turba undique conveniens, et percepta sanitate rediens, mille prædicat vocibus. Hæc vicinorum villæ locorum, quarum infirmi varios secretosque habentes languores, inter tantam multitudinem venerabile corpus adeuntes, procurante Dei misericordia, meritis quoque ejusdem Sancti promerentibus, eorumque fide suffragante, de suis invaletudinibus convalescentes redierunt, fama nobis renunciante, eis supernum narrant miraculum, qui eorum pridie noverant infirmitates, et tot testes miraculorum Dei existunt, qui prius noverant ægros, nisi ægrotantium titubans fides officiat. Sed quia suorum testium, et nostrum generaliter debitus imminet obitus, pro futurorum hominum ignorantia, quorum fidei affectionem erga nostri Patris obsequia studiosam futuram esse speramus, atque audire ardentissimam, non solum lineæ fama generationisque narrante, sed etiam scriptura a nobis, quibus Deus hoc videre concessit, promulgata testante, saltem pauca de pluribus miraculis, quæ Christus misericorditer gessit, confluentibus catervis ad feretrum beati Philastrii confessoris, amatoris et prædicatoris sui, veraciter et compendiose scribere optimum credimus.

AUCTORE RAMPERTO

E 4 Cum igitur, ut a nobis prædictum est, plurimis utriusque sexus instructi phalangibus, prius sanctificato clero, sacrisque vestibus induto, effosso clandestino antro, quod ferme centum lustris *c* beatissimum habens occuluit corpus, attoniti super revelatione, sanctissimum carissimumque thesaurum, in sacerdotum humeros reverenter detulissemus, ad domum sanctæ ac semper Virginis Mariæ summa cum devotione pervenimus. Clero vero necdum ad ejus venerabilem aram pertingente, jam primis de populo sacras valvas aulæ tenentibus, sacerdotibus quoque, qui obsequium vehiculi circa feretrum succidui famulantes præbebant, infra templi limina septimo ferme gressu fortuito subsistentibus, eo præcipue voto, quo veniens devotus populus transiret sub feretrum postmodum nec de loco, quo steterant, vadere queuntibus, territa plebe et ingeminate, Domine miserere, clamitante, incredibilis ineffabilisque sonitus cælitus increpuit. Cujus sonitus tot testes sumus, quotquot tunc illic fuimus.

Multo populo ad sacri corporis translationem concurrente.

F 5 Quo momento fragore sonitus exterrita quædam mulier, habens aridam dexteram, et ita rigidam et deorsum defluxam, ut foret invalida contingere os aut pectus suum, illico extendens eam, signum crucis Christi fronti notavit sub nomine Trinitatis summæ, ipsi gratias agens, qui est benedictus in secula, qui est mirabilis in Sanctis suis. O quam mirabiliter gessit! introeunte Sancti sui corpore in ecclesiam, benedictus Deus. Etenim hic septimus Episcopus Brixiensem Ecclesiam Christo tunc prædicando congregans, sanctum dogma custodivit, et arescentem dexteram fidei Catholicæ Ecclesiæ, pullulante sinistra Arianæ perfidiæ ubique, quantum potuit, reformare mirifice * studuit. Nunc vero circiter septimum gressum introeuntium sacerdotum corpus ejus portantium, in ecclesia reformavit, pariterque Christianæ mulieris aridam dexteram.

mulier languidam manum habens curatur,

* al. curiose

6 Sed prius introeuntibus nobis Brixiam, et jam partem aliquam civitatis eundo tenentibus, in subvectu sumpti feretri laudibus Altitonantis aera pulsando, inter eos infirmos, qui producebantur, quatenus imitatoris Apostolorum transeunte loculo, vel umbra

et alia paralytica,

AUCTORE RAMPERTO.

bra ejus obumbraret quemquam eorum, est evecta quædam triennis languida, quam bilis tabo sic madefecerat, ut in lectuli sui jacens strato, non se posset aliquo modo in alterum vertere latus, neque cum una vectrice quomodolibet, nisi graviter transponi *. Quæ dum sensisset obumbratione feretri quamdam auram suæ saluti salubrem, cœpit vectricibus innuere, easque exposcere, consulens, uti illo eam portarent, quo sanctum deducebatur corpus, cujus consultus ad nos illatis petitionibus annuentes, præbuimus assensum.

* al. tantum poni

sanatur.

7 Deportata itaque prope feretrum, jacuit in basilica sanctæ Dei Genitricis perennis Virginis Mariæ, ubi beatissimi corporis deposueramus feretrum. Et dum quotidie sese melius habere profiteretur, Omnipotenti grates referens, eumque exorans, ut Sancti ejus intervenientibus meritis, sibi tribueret restaurationem sanitatis, die sexto convalescens erexit sese, et accepto baculo, cœpit huc et illuc templi ambitus testudinem perambulare, non egens solito comitis vectri-
B cisque suffragio. Et deinceps jugiter in melius restaurata, sospitatis suæ gliscens, sine comitis sustentatione et sine quolibet vectricis juvamine domum rediit.

Digressio auctoris.

8 O mirabilis laudabilisque medicina Dei! qui in principio cuncta simul creata materie, per sex dies in proprium uniuscujusque formæ produxit opus, sextoque die ad imaginem suam formavit hominem, cujus filiam languidam, quam potuit modo in ictu oculi salvam facere, disposuit arcano suo arbitrio, paulatim membrorum reformatione, recreando vigorem, prope corpus idonei testis sui, patris nostri Philastrii jacentem, die sexto adventus ejus, ad pristinum revocare statum salutis. Quod medici per triennium arte sua cauti facere nequierunt, hoc perfecit omnipotens Trinitas, quam intemeratam ubique prædicavit Philastrius: pro cujus fidei ardore ab Arianis flagris, corpori suo in flagellando manentia stigmata notata sunt. Quorum vulnera nunc Dei providentia conficiunt medicinam salubrem salutemque cupientibus necessariam.

C

ANNOTATA.

a *Utrumque Ms. Brixiense legit* : Triginta autem Brixienses sunt episcopi ; *ex quibus verbis Galeardus non immerito suspicatur, deesse initium hujus sermonis, cum particulam* autem *videantur aliqua præcessisse.*

b *Hæc translatio, teste Fayno in suo Martyrologio Brixiano ad diem* IX *Aprilis, facta est,* ex prima Cathedrali S. Andreæ jam solo æquata ad alteram S. Mariæ Rotundæ, in partem tamen illam hiemalem subterraneam modo penitus clausam.

c *Rampertus hic numero rotundo usus est : nam inter annum* 387 *et* 838 *non potuerunt centum lustra intercedere, cum lustrum communiter accipiatur pro spatio quinque annorum completorum, ut videre est apud Labbeum nostrum in chronologia Technica parte* II, *pag.* 547.

D

CAPUT II. *Multi variis morbis afflicti ad ejus sepulcrum prodigiose sanitatem impetrant.*

Post illam beatissimi Patris nostri glebæ repertionem delationemque, custodibus in excubando erga venerandi pignoris loculum deputatis, turba languentium immodica conveniebat, superni numinis præstolans afflationem. Dum quadam die Dominica absque arbitro quidam de subjectis custodum inter jacentia languentium corpora transiret, et juxta altare puellam parvulam jacentem cerneret, et nescius languoris ejus, ut surgeret imperaret; illico surrexit, una manu aram tenens, altera patri gaudendo innuens, vulgari voce aiebat: Atta atta *a*, da mihi fustem, ut ambulem. Viso pater miraculo, E non acquiescens precibus filiæ, sed palmis in cælum expansis, voce, qua poterat, subito, licet procaciter, tamen Omnipotenti gratias ingeminans, aiebat : Domine, tibi gratias, Domine, tibi gratias.

Puella paralytica,

a

10 Qua voce territi custodes, cucurrerunt ad eum, inquirentes causas gratiarum actionum. Qui testans respondit : Hæc puella, quam altare tenere videtis, mea est filia, septem annos a nativitate habens, quæ numquam, nisi modo, super pedes constitit suos, et insuper quærit a me fustem, ut pergat. Tum unus de circumstantibus currens, reperto baculo, dedit gaudenti puellæ, et cœpit circa aram deambulare. Quam nos eadem hora ad orandum in ecclesia convenientes, deambulantem circa aram vidimus. Et deinceps in melius proficiscens cœpit puella cum * baculi sustentatione huc et illuc insolitum gradatim suum tentare gressum, nobis cunctaque plebe misericordi Deo gratias agentibus, qui non solum anima, sed etiam corpore sanat sperantes in se.

quæ numquam pedibus incesserat, gressum subito obtinet.

* al. sine

F

11 Euge incomprehensibilis et immensus qualiter inter plura, quæ comprehendi possunt miracula, istud est mensus miraculum sua dispositione, plenus septiformi Spiritu sancto, dividens singulis prout vult! Qui dedit Philastrio spiritum scientiæ prædicandi, concessit et huic puellæ septem annos habenti, et juxta corpus prædicatoris sui jacenti, restaurationem compagum pedum atque crurium et feminum eo die, cui ipse sua resurrectione nomen indixit. Et ut detur intelligi, superna id fieri gratia, primum manum cælo extendit debitam : deinde quasi descendens, totum corpus : post hæc, pedum sanat juncturas. Et notandum quod pedes puellæ, manusque curaverit juvenculæ. Quid aliud, nisi quod ipse hoc mirabiliter egit, qui mirabiliter fecit hominem, mirabilius redemit? Qui dedit humanæ naturæ in puerilibus annis gressum, et juvenilibus exercitium operis, ipse puellæ reformavit gressum, et juvenculæ manum aridam restauravit.

a quo miraculo auctor ad S. Philastrii laudes digreditur.

12 Veluti etenim in edito sermone a Præsule

Puero claud

A sule Gaudentio, vitæ scilicet beatissimi Philastrii Pontificis, legitur, fuisse eum omni ætati et conditioni et sexui stupenda benignitate communem, immo humilibus conjunctiorem quibusque: ita nunc omnibus languentium ætatibus (meritis suis suffragantibus, Christo mediante) profuit et sexibus. Nam inter languentium jacentes cuneos deductus est a genitore suo ita colobus *b* puer, ut sine vectore suo nequiret consistere aut ambulare, et dum fide parentis et sua comitatus, juxta feretrum beatissimi Philastrii frequentans, divinæ misericordiæ præstolaretur opitulationem, cœperunt nervorum habenæ et fibrarum hiatus, feminis crurisque sui Domino restaurante, reformari, usque dum convalescens super pedes constitisset suos, et solus suum tentaret paulatim, opitulante divino suffragio, gressum insolitum, ita ut aulæ mœnia sine cujuslibet juvamine, grates opifici suo referens, peragraret.

...stituitur ince-... facultas;

13 Tum unus presbyter noster, quem custodibus præposueramus, accersito genitori suo inquit: Fili, ne mentiaris, sed confitere B nobis veritatem causæ languoris hujus pueri, tui filii, utrum a nativitate, an postea femur aruit suum? Qui Deum testans, eique grates cum lachrymis gaudendo referens, confitebatur: Hic filius meus solito humanæ naturæ more in infantia sua a Deo recepit gressum, quo usus est per aliquot annos. Sed cum quodam die propria animalia foras de domo mea truderem, cœpit, me nolente, causa mei amoris hic post me currere. Quo cursu accidit ei dolor summitatis femoris, et post paulum in poplitem et crus defluens, sic effectus est colobus, ut jam per biennium nullatenus vadere quiret, nisi modo intervenientibus meritis (quod firmiter credo) Domini sancti Philastrii, Dei misericordia nobis miserante.

...de Ramper... ...derum ad ...

14 Quam bonus Israël Deus his qui recto sunt corde! cujus congressu ejus feminis compago emarcuit, et sui prosapia claudicavit, adventu tenus Filii Dei. Sed qui per semetipsum et missos suos colobam Israëliticam plebem reformavit, quæ a recto tramite devians claudicaverat, is ad reformationem C fidei nostræ, meritis beatissimi Philastrii, colobum puerum erigens, pie sanitatem afferendo reformavit Jacob enim omni tempore vitæ suæ claudicaverat, quoniam genus ejus in præceptis legalibus secundum litteram, quæ occidit, non secundum spiritum, qui vivificat, vivendo, colobum usque ad perfectionem euangelicæ gratiæ mansit. Puer autem iste originalibus per baptisma exutus sceleribus, sub gratia doctrinæ euangelicæ degens, eo tempore, quo ad lachrymas cum parentibus pœnitentiæ commotus ibat ad frequentatam ecclesiam, circa sanctissimum feretrum venit, et fide comitante, cooperantibus meritis præfati vatis, divina medente misericordia, habetur incolumis.

15 Sed cum pluribus divinitus passim circa venerabilem redolentibus urnam miraculis, reminiscendo nonnulla recolamus, et difficillimum sit omnia nostro comprehendere stylo, saltem quoquomodo, veluti in marginibus littoris pelagi sarculo pauxilli ingenioli collatis lapillis aggerem aggregando, scropea forma rivulum, quem prata bibere optemus, educere libet, et id notare, quatenus diversa in eo facta mirabiliter æterni coruscaverint opificis. Collatum igitur inter cetera est (ut ita dixerim) notissimum nostratis adolescentis cadaver, ac inter capedinem reclinatum, carentis equidem, excepto gustu, humani corporis sensibus, soliti scilicet jacere in lecto bigis imposito, parentibus semivivo aurigæ famulatu utentibus, et animalium suffragantium in iter agendo.

AUCTORE RAMPERTO.

16 Non solum eo ardore, quo alimoniam peterent, sed magis, ut id nato meritis Sanctorum, omnipotentis gratia eveniret, quod contigit ei, qui ab introeuntibus in templum gratia orationis beatissimis Petro Apostolorum principe et Johanne, eleemosynam petiverat. Isti autem cum grabato a parentibus arbitrio opificis sui circa urnam deferto, ut operis operator curam gerat parentis lachrymosi, et longi oneris odiosi redeuntis, solers, industria miserentium custodum toto corpore destituto adhibita est in cibando, et ad ea, quæ necesse habuit, invehendo, et maxime in orando pro ipso, quin et pro omnibus ibidem sitis infirmis. Quare decreveramus consultu et consensu boni arbitrii nostrorum consacerdotum, quotidie super ipsis supernam petere medelam. Is enim corporeis sensibus ita defunctus erat, ut visu nil discernere, ore non nisi alio inferente mandere, pedum gressu neutrorum vadere quiret, manum nullam sui, cujusquamve utilitati habilem gerens, ita ut etiam quidam delirantes ei irriderent, credentes eum animæ tantum, corporis minime jam consequi posse sanitatem. E

omnium fere sensuum usu destitutus,

17 Sed ejus clementia ipsum miserante, apud quem non est impossibile quidquam, corroborando corda fidelium instruendoque titubantium, atque ut aliorum miraculorum testis efficeretur, meritis, ut credimus, intervenientibus beatissimi episcopi Philastrii, pro cujus revelationis testimonio ipsum credimus usque ad id tempus in languore defluxum, ut ejus in eodem manifestaretur gloria, cujus fidei prædicator per urbes orbis fidus permansit Philastrius, superna luce visum, et afflatu loquelam, medelaque tactum cum gressu, sic priusquam venerabilia F ossa sepelirentur, a Domino per ipsum accepit, et in ecclesia ejus habetur incolumis, ut gradiatur oculis comitantibus claustra ejus, et queat ori cibum, et fronti inferre crucis vexillum, linguaque fidem et orationem promere dominicam, et quidquid sibi necesse est pronuntiare. Cujus miraculi tot testes sumus, quot Brixiæ eodem tempore degimus, et prius languidum novimus. Qualiter autem prius languidus sese habuerit, non solum Brixienses, sed etiam a Ticino usque Venetiam *c*, omnes ostiarii religiosorum locorum, *c* et domus proximæ flamineis *d* testari, si *d* memoria retinent, possunt.

sanitatem recuperat.

18 Attente nunc meminisse juvat, et credere datur, quod is, qui dicente Domino, inter Hierusalem et Jericho semivivum repertum, indita medela, stabulario, ut curam sui haberet, commendavit, quique ob commissum protoplasti necis conditioni devinctum genus humanum, judicium deceptori, misericordiam decepto dividens, pietate gratiæ suæ eripuit, quod post discipulis curandum commisit,

Auctor ex ea curatione.

AUCTORE RAMPERTO.

commisit, a quibus origo pastoralis curæ emersit, per universam ecclesiam maria terrasque replevit. Cujus officii honorisque curam beatissimæ memoriæ Philastrius episcopus suscipiens fideliter solerterque exercuit, et domino Deo nostro fide immaculata plebem bono exercitio roboravit, modo ad loculum fidelis famulatoris jacentem toto corpore debilem, parentibusque desertum, per omnes corporeos sensus, ita moderans restauravit, ut sibi, non mundo, vivat.

Moralia documenta elicit.

19 Aperuit enim oculos ejus, ut duces gradientis fiant, non ut mundanam conspiciant vanam gloriam: patefecit aures, quo utilia intelligant, non ut detractionis susurrones audiant. Solvit vero linguam ejus, ut fidem profiteatur, et quæ deliquit, quod hominis est, confiteatur, et sibi necessaria quærat: sed ita parte altera ligatam eam reliquit, ut ad maledicendum et ad detrahendum prorumpere nequeat. Extendit autem ejus arida brachia, ad proprium corpus alendum et tutandum, sed rapinæ habilia non sint. Artuum siquidem inferiorum ita compages reformavit, ut ad sibi
B necessaria vadere queat, sed ad malum currere debilis, colobusque perseveret. O Philastri, solers stabularie, meritis tuis et gratia opificis nostri, in stabulo, ubi corpus tuum jacet, ita semivivus evasit, ut speculum humano fiat generi. Datur enim, ni fallor, intelligi, ut sensus nostros instar præfati languidi moderemur, utentes eis in necessariis utilitatibus, tam interioris quam exterioris hominis, ita moderando, ne exuberent ad quæque mala perficienda. O admirabilis humani generis opifex, qui in restauratione languidi nostri nos instruis ita corporis uti sensibus, quo valeamus intemeratos custodire sensus interioris hominis, et similes prudentium fieri virginum.

Duorum juvenum aridæ manus sanantur;

20 Omnia siquidem, quæ divina immensitas in translatione sui Confessoris peregit, comprehendere cum difficile sit, saltem unum, quod post diem sepulturæ ejus gestum est, ad memoriam charitatis fidelium reducere, sicuti possum, conabor. Nona enim die post reclinationem venerabilis glebæ in præfatæ hiemalis ecclesiæ sepultura, una eademque
C hora mirabiliter in languidorum turba, duorum adolescentum aridæ manus extensæ sunt. Quos subjecti præpositorum custodes, scientes prius manus ariditate esse defluxos, dum vidissent ad quæque vellent extendere, percunctando geminum reperientes miraculum patefecerunt. Statuentes eos coram, dixerunt vulgari locutione: Nonne videtis sideratos * nostros manus extendere, quas tam hodie, quam heri et prius contractas vidimus? Hoc non solum ipsi custodes et ceteri ibidem siti, sed etiam vicini et noti eorum, quia per longum tempus manus aridas habuerunt, testati sunt. Atque ea die quoniam crediderunt Omnipotentem hoc facere posse, non propriis præsumentes, sed beatissimi Philastrii episcopi meritis, Dei medela sese sanos effectos professi sunt. Unde præ gaudio lachrymosa ecclesia, multimodas Deo retulit grates, quoniam salvat sperantes in se.

* id est paralyticos

quod miraculum Rampertus mystice interpretatur.

21 Solerter tamen existimo nobis necessarium esse scrutari, quantum humanus, Domino largiente, capit sensus, hujus qualitatem miraculi, quia credimus pro totius Ecclesiæ instructione hoc gestum. Unde notandum D est, quod fide comitante, duobus simul aridæ manus reformatæ sunt. Per fidem, quam habuerunt in Domino promeruerunt salvari duo simul: quo docemur, confidere et sperare in Domino, et diligere proximum. Per manuum restaurationem monemur, ut cum dilectione Dei et proximi bona indesinenter exerceamus opera. Ut quid autem nona die gestum sit, videamus *e*. Hic enim numerus vi et natura secundus tetragonus est, qui per ternarium conficitur, et in ipso resolvitur. Nonne ter tres, novem faciunt? Et novenarius dividi æque non potest, nisi in tribus ter. Unde docemur Trinitatem credere in una divinitate, et ab ipsa nos esse formatos, et per ipsam juste resolvi. Ecce in secundo tetragono, in secunda nostri Episcopi sepultura docemur cum dilectione Dei et proximi bonis operibus farti, credere Patrem et Filium et Spiritum sanctum, unum esse Deum: Qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA. E

a Atta *vox Gothica est, quæ patrem significat, ut patet ex oratione Dominica, quæ Gothice sic incipit:* **Atta unsar.** *Veteres Frisones patrem appellant* haita. *Hungari* attia, *et Cantabri per* aita *hodiedum patrem significant. Potuit ea vox commercio Gothorum aliorumve populorum, qui Italiam invaserant, Brixiæ vulgaris fieri.*

b *Lipomanus vitiose legit* colophus, *quod nil significat. Forte* colobus *provenit a Græca voce* κολοβὸς, *quæ mutilum vel vitiatum designat: nisi quis malit legere* clodus *pro* claudus, *quod in antiquis Mss. satis usitatum est.*

c *Ticinum seu Papia et Venetiæ notissimæ sunt Italiæ urbes, ita ut hic fusius de iis agere non sit opus.*

d *Opinor cum Galeardo hic per* flamineas *intelligi ædes ecclesiis proximas, in quibus olim clerici habitare solebant. Sic apud Gellium lib.* x, *cap.* xv *flaminia significat domum flaminis Dialis.*

e *Hic locus de* nona die *etc. omissus in editionibus, restitutus fuit ex utroque Ms. Brixiensi. Hanc autem esse veram lectionem patet ex sequenti explicatione novenarii numeri.* F

CAPUT III. *Veterum prodigiorum obliteratio, summa erga S. Philastrium veneratio, et tria miracula ante translationem ejus patrata.*

Antiquitus etiam plura miracula S. Philastrii ante translationem patrata esse.

Ceterum ne quis æmulus objiciat, et si quis desiderabilis indagator abs quolibet nostrum stipuletur, utrum absque quoquam miraculo clanculum sopita antro membra tanti vatis fuerint, an prius quiddam omnino gesserit ibidem is, cui semper extitit fidelis angelus testando, dicere pro pluralitate cuncta quis queat, cum a diversis hostibus linearis narratio *a*, in Italiam irruentibus barbaris et Gothis et Longobardis ceterisque, obliterata fuerit? Sed ne desidia nostra

A nostra, quasi muta, priora tempora liquisse videamur, pauxilla de pluribus, partim ratiocinando, partim ut ipsi nobis retulerunt, qui colloquio quondam eorum sunt usi, qui aut in die annuali festivo ejus viderant, aut ad sepulchrum senserant Omnipotentis providentia, miraculum vel solatium, intente, mi charissime confrater, quicumque percunctator exstiteris, considera.

23 Qualem eum in Arianorum nefandæ procellæ temporibus, sanctissimæ memoriæ Ambrosius Mediolanensis episcopus esse intellexit, qui sibi eum collegam habebat? Quantique meriti vicini episcopi eumdem esse existimabant, si quartus Pergamensis * episcopus in epitaphio tertii episcopi *b*, hoc est, prædecessoris sui (ni fallor) meminisse studuit, quod Ambrosius ipsum episcopum, Philastrius consecravit diaconum? Cujus vitæ sanctitatisque eum sapuit episcopus Gaudentius, successor suus, qui per quatuordecim annos, forsan et plus, diem transitus ejus feriatum ducebat, populo siquidem de eo sermonem faciens? Item triginta post eum Brixienses episcopi, quibus putas causis meritorum miraculorumque B ejus conscii fuerint, qui imposito altari super sepulcrum ejus, divina mysteria celebrabant, annualem festum diem transitus ejus recolentes?

24 Præcessor namque noster, hoc est, venerabilis memoriæ Petrus episcopus, tantæ venerationis eum esse monstrabat, ut anhelus mœroris sui, testaretur sese tempore presbyterii sui ita fuisse febribus anctum, ut nulla potio, nullumque unguentum eripere eum a febri quiverit, cum etiam ipse peritus fuerit artis ipsius. Sed cum post aliquod tempus ad sepulchrum beatissimi Philastrii venisset, et ibidem Deum efflagitasset, ut meritis ipsius intercedentibus sibi sanitas tribueretur, sic de oratione sanum se profitebatur erexisse, ut nullus rigor accessionis eum ultra tetigerit. Sed et rhythmicum hymnum, quem ergo auctoritatis Gaudentium Episcopum fecisse ferunt, cantare de ipso sedule consueverat *c*. Gaudentium autem ipsum composuisse nuto, cum longe aliterque sensus primæ lineæ sit, et ipse rhythmus elementa nominis compositoris sui per capita, C ut ita dixerim, versuum, si quis intendat, habeat.

25 Sed et temporibus sanctæ memoriæ Ansoaldi episcopi, dum quidam custos tituli sancti Petri, qui situs est in castro majori, in suburbano fundo possessionis ipsius tituli, cognomento Baronica, depositionem beatissimi Philastrii non rite celebrans, tantumque diem inhonorans, familiam suam in area laborare coëgisset, ita ut fatigati suo sudore, flagellis triticum a paleis excuterent, dicentes, sancti Philastrii festum est, requiescere solito debemus : et ipse magis, ut operi instarent, minans terreret eos, illico correptus a spiritu, per aream vexari cœpit amens. Qui ab attonitis famulis suis captus et vinctus, et insolito more turpiter ad præfatum titulum deductus est, et tamdiu catenis est vinctus, donec sese, inhonorando tantam festivitatem, professus est deliquisse, et testis proprii delicti, et beatissimi Philastrii honoris effectus est.

26 Post aliquod autem hujus temporis spatium quidam dives Brixiensis eodem die festo depositionis beati Philastrii, in suburbanum casale *d* suum, quod vocatur Caloniola, pro fœni collectione operarios incaute misit, et jam sicco fœno, et partim plaustris, partim aggeribus aggregato, tam procellosa coruscatio subito tamque præceps adfuit, ut instar pulveris, omnis collectio diei ipsius ab oculis eorum elapsa fuerit, in tantum ut nec unus manipulus remansisset. Unde factum est, ut prædictus dives post hæc annuam festivitatem sancti Philastrii venerabiliter observaret *, et jacturam suam profitendo, testis nostri fieret Præsulis. Cui enim David cecinit, Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine : et qui justo judicio hostem humani generis reprobavit, et ut pia misericordia condolens, suam degeneratam creaturam, id est, humanum redimeret genus, formam servi assumpsit, hoc est, omnipotens æternus Deus, qui in una eademque essentia, omnipotentia, æternitate, divinitate, carente initio et fine, auctione et diminutione, variatione atque divisione, et gignens, et genitus, et procedens, hoc est, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, cujus consilio persona E geniti, humanitate perfecta est, quam misericorditer suspenso judicio cum nostratibus, sic et in omnibus, et cum omnibus in hac re mirabiliter egit.

27 O dilectissimi Brixienses, quorum unum febribus afflictum, mente humiliatum eripuit : alium scienter arroganterque peccantem, in sese corripuit : tertium, utpote popularem hominem, ignoranter forsan peccantem, in rebus suis afflixit, hoc est, in materie commissi : quoniam unus oratione obtinuit, quod fide credidit : alius vero, quia instanter vi cogens, nec Famulo Dei honorem, nec suis cessit misericordiam, turpiter publiceque intrinsecus correptus, pura tenus professione est, ut sibimet fieret emendatio, et aliis exemplum : tertius vero, qui utpote pretio operarios conduxit, et sobria voluntate famulos misit, extrinsecus damnum passus est. Nam totum illud amisit, quod in illicito tempore operari nixus est, cum materie siquidem sua. Habebat enim viridia gramina, et sine peccato sicca, ut oportet, F habere poterat : sed quia illicite siccare voluit, ipsam funditus amisit materiam, disponente vel permittente providentia Domini nostri Jesu Christi cujus amator fuit Philastrius, et cujus amorem nunc cunctos oportet quærere; qui consubstantialiter * et coæternaliter et æqualiter indivise vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto per omnia secula seculorum. Amen.

Margin notes: AUCTORE RAMPERTO. *aliusque civis Brixiensis ob violatum S. Philastrii festum pœnas dederunt: d* — * al. celebraret — *ac denique trium horum miraculorum causas explicat.* — * al. substantialiter — *quod auctor eorum illius [...]* — * an non Bergomensis? *b* — *Inde narrat quomodo Petrus Brixiensis episcopus a febri [...] fuerit.* — *et quidam custos S. Petri.*

ANNOTATA.

a *Per linearem narrationem hic intelligi potest traditio, quæ per lineas generationis a patribus ad filios ac seros nepotes pervenerit. Videtur etiam per hanc expressionem posse intelligi narratio litteris delineata et scripto consignata, præsertim cum dicat Rampertus, eam periisse, barbaris in Italiam irruentibus.*

b Ughellus tom. IV *Italiæ sacræ col.* 588 *ex hoc loco recte colligit, tertium Bergomensium episcopum non fuisse S. Romulum, a S. Petro apostolo missum, quem aliqui liberaliter inter Bergomenses præsules numerant.*

numerant. Vide, quæ de eo dicta sunt tom. II *Julii pag.* 255.

c *Lipomanus et Surius hic tantum ita legunt :* Sed et rhythmicum hymnum, quem in ejus honorem Gaudentium episcopum composuisse ferunt, cantare de ipso sedule consueverat. *Reliqua vero usque ad finem numeri deerant, quæ nos hic juxta testimonium Galeardi ex duplici codice Brixiensi restituimus.*

d Casale, *quasi a casis deductum, significat villam, seu locum suburbanum. Unde Guilielmus Tyrius lib.* XVIII, *cap.* XIX. In suburbanis, quæ vulgo casalia appellant.

ALTERA TRANSLATIO

Ex libris provisionum civitatis Brixiensis.

B *Anno 1456 a Magistratu Brixiano deputati sunt,*

Anno MCCCCLVI, XXVI Januarii in consilio speciali. Item totis viribus dispositi sunt DD. consiliarii honorare corpus S. Philastrii episcopi Brixiæ, quod, ut dicitur, jacet in capella subterranea ecclesiæ sanctæ Mariæ Rotondæ, quæ vocatur S. Philastrii, quod etiam dubitatur, quod illic sit : nam per aliquos dicitur, quod tempore dominationis magnifici Pandulfi Malatestæ asportatum fuit. Et quoniam aquæ scaturiunt in capella prædicta tempore pluviarum, et dictum venerabile corpus stat in aquis submersum, quod ab omnibus Christianis abominabile censetur, ad bussulas et ballottas *a* provisum et ordinatum est, quod D. Jacobus Saianus, doctor et advocatus civitatis, et alii cives electi sint cum reverendissimo D. episcopo Dulcinensi Vicario et suffraganeo, et cum auctoritate et beneplacito ejus excavent sub altare dictæ capellæ hoc tempore sicco, et tam profunde perfodiant, ut clare videatur, si dictum venerabile corpus adsit, vel aliqua pulchra arca : et casu quo illud comperiant, sicut juvante Domino speratur, illud elevent cum arca sua, et reducant cum C omni honore supra terram in eodem loco, ut non stet aliqualiter in aquis, nec sub terra; et demum moneant DD. Rectores et consilium de quibuscumque repertis, et de modis per eos deliberatis et executis, ut possit provideri solemnitatibus opportunis pro tanta pretiositate reperta.

qui quærerent et effoderent S. Philastrii corpus,

2 Anno eodem die VI Februarii, exposito per D. Jacobum de Saiano advocatum civitatis, quod in executione commissionis ipsi et aliis civibus factæ die XXIX mensis Januarii, supradicti fuerunt cum reverendissimo Domino episcopo Dulcinensi Vicario etc.; et Dei nomine invocato, devote et reverenter intraverunt capellam subterraneam de Dom, in qua, ut publice fertur, jacet venerabile corpus S. Philastrii episcopi Brixiæ; et cum aliquibus magistris intraverunt, et fregerunt altare magnum, quod ibidem erat, et nihil in eo invenerunt : sed ulterius procedendo fecerunt cavare sub dicto altari, et terreno perfosso, quasi per duo brachia vel circa, invenerunt arcam unam marmoream, et circum illam murum fortissimum de calce tenacissimo, quem totum fregerunt, donec dis- D cooperta fuit tota arca, in cujus coperto remanserat una fenestrella parva, per quam intuentes cum luminariis clare viderunt, quod in arca prædicta multa ossa consistebant : ex quo verum esse tenuerunt, quod in ipsa esset venerabile corpus antedictum, attento maxime, quod in dicto coperto sculptæ sunt duæ syllabæ magnæ ultimæ E et B, quæ significabant EPISCOPUS BRIXIÆ. Item in dicto coperto adest unus annulus argenteus, qui significabat dignitatem eximiam. Et ultra procedere noluerunt, donec Consilio hæc omnia reserarent.

quod inventum, et in alia capsa repositum.

3 Prædicti DD. consiliarii gratias Deo agentes laudaverunt solertiam prædicti D. advocati, et sociorum, qui tam diligenter et accurate commissa illis per consilium impleverunt cum grandi prudentia et discretione : et tandem post multa colloquia et consilia facta deliberaverunt ad bussulas et ballottas, quod lapso festo beatorum martyrum Faustini et Jovitæ, videlicet die XXVI (*forte* XVI, *ut ex circumstantiis videtur legendum*) discooperiatur undique arca prædicta evellendo co- E pertum, prudenter tamen, ne frangatur, et cum omni veneratione videatur per tactum venerabile corpus S. Philastrii : et hoc in præsentia et secundum ordines reverendissimi Domini episcopi vicarii, et DD. prælatos ecclesiæ Majoris et magnificorum DD. Potestatis et Capitanei et civium deputatorum ad prædicta, et cum solemnitatibus opportunis etc.

honorifice transfertur.

4 Anno MCCCCLVI, XX Februarii in concilio generali. Considerantes DD. consiliarii, quod arca marmorea, in qua repertum venerabile corpus S. Philastrii episcopi Brixiæ, reperta est subterranea, et modo undique discalzata seu a terreno penitus separata, stat in evidenti periculo furtivi facinoris : et providere desiderantes honori reliquiarum prædictarum, ad bussulas et ballotas ordinaverunt, quod cives egregii, alias electi, una cum reverendissimo D. episcopo Dulcinensi suffraganeo et Vicario generali in nostro episcopatu cum omni debita reverentia et solemnitate condecenti tollant omnes dictas venerabiles reliquias extra arcam prædictam, quæ F constat de pluribus petiis *b* marmoreis, illasque honorabiliter et devote reponant in sua capsetta plumbea, quam dicti cives statim honorificam faciant : et deinde reponant dictam capsettam plumbeam ornate fabricatam in capsono sito in sacristia de Dom circumsepto ferratis, in quo repositæ sunt SS. Cruces aureæ flammæ et campi : et quod post hæc, et quam citius fieri possit, fiat et fabricetur unum altare solemne in capella subterranea prædicta, in qua erant venerabiles reliquiæ seu venerabile corpus antedictum beatissimi antistitis Philastrii, et in ipso altari ponatur arca marmorea supradicta, quæ modo est sub terra, de qua terra elevetur et extrahatur, et supra terram ponatur in altari prædicto, in qua arca reponatur capsetta plumbea prædicta cum sacris reliquiis antedictis, ut ibi remaneat, sicuti ibi erat venerabile corpus antedictum dispositione divina.

ANNOTATA

A

ANNOTATA.

a Ad bussulas et ballottas *est Italicus loquendi modus, indicans id factum esse per collectionem suffragiorum : nam Italice* bussola *vel* bussolo *significat capsam ;* ballotta *autem est globulus.* D *Quare puto, hanc phrasim ortam esse a modo, quo colliguntur suffragia.*

b Petium *vel* petia. *Italice* pezzo, *et Gallice* piece, *est frustum seu fragmentum, ut videre licet apud Cangium in Glossario.*

DE S. ELIO SEU ÆLIO CONFESSORE

JUSTINOPOLI IN ISTRIA.

Ex Ferrario.

J. B. S.

XVIII JUL. Colitur ut depositus cum SS. Nazario et Alexandro.

De *Justinopolitana civitate (vulgo Capo d'Istria) fuse egit Ughellus tomo* V *Italiæ sacræ col.* 354, *ex quo succinctius in Actis nostris descripta est tom.* III *Junii pag.* 884, *ubi de S. Nazario, qui ibidem colitur cum Alexandro nostroque* S. Elio, *de quibus idem Ughellus*
B *col.* 356 *:* Hic asservantur tria Sanctorum corpora, nempe Nazarii episcopi, divi tutelaris, et sanctorum Alexandri atque Ælii, *quæ eadem verba in Actis nostris referuntur die* IV *Maii in Commentario prævio ad Acta S. Alexandri Papæ num.* 14. *Ferrarium, qui* Helium *vocat, hic pro recepto cultu appellavi præcipue, quod de eo primus ipse testetur in utroque suo Catalogo ; ex quorum primo elogium mox dabimus. In Generali sic ipsum annuntiavit :* Justinopoli in Istria, sancti Helii confessoris ; *ubi notat, Sanctum acceptum ex tabulis ecclesiæ Justinopolitanæ, ortumque ipsum ex vico* Cosabona, *voluit haud dubie cum aliis dicere* Castabona. *Acta et tempus quo vixit, ignorari fatetur, remittitque ad Nicolaum Manzolum J. C. Justinopolitanum in Istriæ descriptione, seu potius in elencho Sanctorum istius regionis, ex qua tamen æque quidquam docebimur.*

at de ejus gestis nihil superest,

2 *Quæ sint allegatæ tabulæ Justinopolitanæ, ignoro ; Manzolum præ oculis habeo, Italice testantem, exstare* Legendam, quæ cantatur in festivitate S. Helii confessoris in vico Castabona huic diœcesi subjecto. Corpus, *inquit,*
C est in ecclesia cathedrali Justinopolitana. De quo, æque ac de S. Nazario, nihil reperi, cum perierit codex istius ecclesiæ, in quo eorum Vitæ describebantur. *Porro Legenda tota meram exhortatiunculam complectitur, aptissimum quæ de quolibet Sancto et in quacumque catholica ecclesia recitari et decantari possit, ut in ea Latine vertenda aut hic describenda operam ponere, omnino supervacaneum sit.* Sermonem Ms. *vocat Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, habitum in ejus festivitate ; addens, cetera penitus desiderari :* antiquum tamen illum esse, ex eo quod urbem Justinopolitanam ad finem converterit, apparere. *Id vero mihi non facile suadebitur, si, ut alii volunt, S. Nazarii diaconus fuerat, hic vero secundus dumtaxat episcopus post Joannem, qui, teste Ughello, primum consecratus sit anno* 756. *Sed de hac re disputandi locus verosimillime recurret* XII *Octobris, dum de sancto Maximiliano agendum erit. En modo Ferrarii elogium :* E

ut satis certum non sit Ferrarii elogium.

3 Helius apud Justinopolim (quæ Histriæ urbs est primaria) vitæ sanctitate, doctrina et miraculis resplenduit. Is enim seculi hujus contemptis divitiis, se totum Jesu Christi servitio mancipavit : cumque et moribus et litteris esset excultus, plurimos prædicatione sua ad Christum perduxit, civitatemque Justinopolitanam ad veræ fidei agnitionem, tum concionibus tum miraculis, quibus doctrinam confirmabat, pertraxit. Cujus corpus cum ignotum aliquamdiu fuisset, inventum in ecclesia cathedrali honorifice reconditum est. Illius vero memoria hac die, quæ XV Kal. Augusti est, solenniter celebratur. *Addidit noster Justus Locatellus litteris Tergesti datis* IX *Decembris* 1690, sub ritu duplici, *sic tamen ut* non sit festum de præcepto. *Reliquiæ depositæ sunt* in cista laminis vitreis obserata, quæ aperitur in prædicti Sancti festo, exponiturque venerationi populi. *Scripserat prius Franciscus episc. Justinopolitanus* X F *Septembris* 1677, *Elium dici* fuisse diaconum S. Nazarii, ejusdemque diœcesanum ex castro Costabona, non longe ab urbe dissito, cujus etiamnum exstat domus, in qua mortuus est, suntque ibidem ejusdem prosapiæ agnati, Portulana dicti. *Poterat hoc taceri. Malim admittere,* festivitatem *celebrari* ad altare proprium sub choro, propter multa prodigia, præsertim in doloribus capitis. *Hoc celebrent Sancti cultores ; ast alii de Eliano genere non vane glorientur.*

DE

A D

DE S. ARNULPHO MARTYRE

FORTE EPISCOPO TURONENSI,

IN SILVA AQUILINA INTER PARISIOS ET CARNUTUM.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Cultus ex variis Martyrologiis et Breviariis.

ANTE MEDIUM SÆC. VI. *Ex Auctariis Usuardinis,*

Quam certus est hujus Sancti cultus, tam incerta ac discrepantia sunt, quæ de illius gestis narrantur, sicut per hujus commentarii decursum ultro in lectoris oculos incurret. Auctaria Usuardina de cultu ejus satis testantur : nam Pratensi Usuardi Mar- B *tyrologio sub finem hujus diei hæc alio caractere addita leguntur :* In pago Castrinse, sancti Arnulfi martyris et episcopi. *Eadem habet codex Tornacensis ; Hermiensis autem alia plane phrasi sic utitur :* Ipsa die, in silva, quæ Equilina dicitur, festivitas beati Arnulfi pontificis Turonensis et martyris, qui contemporalis et discipulus fuisse noscitur beati Remigii. *Antverpiensis Major, omisso episcopi titulo, eum tantummodo* Martyris *nomine appellat. Centulensis codicis annuntiatio diversa et fusior est hoc modo :* In Francia castro Crispeio, natale beati Arnulfi, Turonicæ sedis episcopi, quem tradunt discipulum fuisse beati Remigii Remensium pontificis, a quo scilicet remeans, ab impiis peremptus est. *Bruxellensis eum sic annuntiat :* Apud Silvam Aquilinam, sancti Arnulfi episcopi et martyris. *Codex Hagenoyensis cum Pratensi circa locum convenit.* In pago Castrensi, Sancti Arnolfi episcopi et martyris. *Aquicinctinus eumdem cum Centulensi locum cultus assignat his verbis :* Castello Crispiaco, sancti Arnulfi archiepiscopi et martyris. *Daveronensis denique pagum Castrensem cum silva Aquilina ita componit.* In pago Castrensi, qui C dicitur silva Aquilina, natalis beati Arnulphi episcopi Turonensis martyris, cum uxore sua Scariberga. *Alias ejusdem Sancti annuntiationes videre licet in Usuardo nostro, ab aliquot annis illustrato. His adde Petrum de Natalibus in Catalogo Sanctorum lib.* VI *cap.* CXIII, *ubi brevem Actorum synopsin texuit.*

aliisque Martyrologiis,

2 *Ex his haud dubie sua hauserunt recentiores Martyrologi, quamvis hinc inde in quibusdam circumstantiis discrepent. Maurolycus in suo Martyrologio hoc die ita scribit :* Apud civitatem Turonensem, sancti Arnulphi episcopi, a beato Remigio Remensi episcopo baptizati, qui sanctitate et miraculorum gratia illustris eremiticam vitam ducens beato fine quievit. *Vereor, ne Maurolycus* Arnulphum *nostrum cum Metensi ejusdem nominis episcopo hic confuderit : nam Ado a Rosweydo nostro editus* XV *Kalendas Augusti sic habet :* Apud civitatem Metensium sancti Arnulphi episcopi *(Maurolycus fere verbatim exscripsit sequentia)* qui sanctitate et miraculorum gratia illustris, eremiticam vitam deligens beato fine quievit. *At Usuardus Adonem secutus, iisdem fere verbis Arnulphum Metensem præsulem ad* XVII *Kalendas Septembris retulit. Sed nos hodie de ipso agimus. Ferrarius in Catalogo Generali* XV *Kalendas Augusti* Arnulphum *nostrum ita annuntiat :* In pago Castrensi, S Arnulphi episcopi Turonensis et martyris. *In notis vero addit :* Qui Castris apud Turones vitam agens eremiticam ab impiis E occiditur. *Quid de hac mortis palæstra censendum sit, postea discutiemus. Castellanus in suo Martyrologio universali, prudenter omittens episcopi titulum, asserit, hunc* S. Arnulphum *in tractu Aquilino, vulgo* Yveline, *inter Carnutum et Parisios occisum fuisse. Florarium nostrum Ms. eumdem Sanctum sequenti exornat elogio :* In Gallia apud sylvam Aquilinam sancti Arnulfi episcopi et martyris, qui a beato Remigio baptizatus, Clodovei, regis Francorum primi Christiani, neptem habuit uxorem, cum qua virgo permanens, peregrinationem laboriosam in habitu laicali, XXVII annis Sanctorum loca visitando, perfecit : qui tandem post multos in prædicando Christum agones martyrizatus in præfata silva, a Scariberga, conjuge quondam sua, tumulatus est anno salutis DXIII. *Hunc annum etiam postmodum examinabimus.*

et elogio Saussayi ostenditur Sancti cultus.

3 *Andreas Saussayus in suo Martyrologio Gallicano ad diem* XVIII *Julii prolixius more suo texuit elogium his verbis :* Ipso die in sylva Aquilina agri Carnotensis, natalis sancti Arnulphi episcopi Turonensis et martyris, qui F ex antiqua procerum Francicorum editus prosapia, a sancto Remigio de sacro fonte susceptus, bonisque moribus et pietate imbutus, regis Clodovæi in gratiam ab eodem sancto Præsule insinuatus, ejus jussu Scaribergam nobilem puellam duxit conjugem : quacum inito religioso fœdere de servanda integritate, angelico monitu ad Apostolorum limina devota peregrinatione, cunctis spretis honoribus ac opibus, perrexit. Ipsoque in itinere divinis favoribus coruscans, unum in Gallia, alterum Ravennæ mortuum ad vitam sua oratione revocavit. Tum Turones advenìens, ut sancti Martini sepulcrum veneraretur, cum, orbata præsule ecclesia, de eligendo episcopo a proceribus tractaretur, angelico indicio præsul designatus, hujus cathedræ invitus regimen subiit. Porro, sesquianno vix elapso, vir non tam oneris impatiens quam honoris, iterum peregrinari instituit, auditoque sancti Remigii obitu, ut ejus tumulum coleret, Remos adiit, sponsamque velo virginitatis amiciens, Christo sponso superno consecravit. Hinc excitatus Virginis propinquorum

A quorum in Dei famulum furor; qui eumdem, de sancti Remigii oratorio exeuntem, impetentes impie trucidarunt. Sicque eorum mactatus gladiis pontifex simul et hostia pietatis ac puritatis occubuit, moriensque jussit sponsæ castissimæ atque charissimæ, ut Turones ad sedem propriam corpus suum deferri procuraret. Id pia virgo cum satageret, medio in itinere sacrum cadaver divino nutu fixum hæsit eo in loco, qui sylvæ Aquilinæ agellus in tractu Carnotensi, nunc ab ejus nomine sanctus Arnulphus dicitur, ubi digne cum conditus fuisset, mox divina virtus inclaruit. Ipsa vero Scariberga cellulam sibi ibidem exstruxit, vitamque religiosam ac solitariam amplexata, in omni perfectione ad obitum usque perseverans, ad cæleste sanctissimi sponsi meruit consortium feliciter pervenire. Inde tamen postea, alternis rerum civilium vicibus, beati ipsius Præsulis ac martyris corpus sublatum, atque Crespeium, Valesiani ducatus caput, advectum fuit, originemque dedit monasterio sui nominis, ubi etiamnum religiose asservatur in diœcesi Suessionensi. *Habes hic* B *Actorum compendium, quod ab ipsis Actis subinde differt. Hæc e Martyrologiis sufficiant.*

Lectiones Turonenses anno

4 *Cultus ejusdem Sancti hodiedum perseverat in variis Galliæ diœcesibus, sicut testantur earum Breviaria, in quibus habet Officium proprium. Juvat hic quasdam ecclesiarum lectiones inter se conferre, ut confirmetur Catholici cultus antiquitas, et simul ostendatur narrationis varietas Breviarium Turonense, anno* 1612 *typis excusum, celebrat ritu duplici Officium* S. Arnulphi archiepiscopi Turonensis et martyris, *in quo leguntur tres Lectiones ex Mss. ejusdem ecclesiæ hoc modo desumptæ.* LECTIO IV. Beatum Arnulphum nobilissimi parentes, a sancto Rhemigio baptizati, precibus a Domino impetrarunt; quem ipse sanctus Rhemigius de sacro baptismate levatum fide Christiana, bonis moribus, atque liberalibus disciplinis instituit, institutum et adultum Clodovæo Francorum regi commendavit: quem in tanto pretio et honore rex habuit, ut ei neptem suam Scaribergam cum Rhemensi comitatu in sponsam tradiderit. LECTIO V. Cum autem beati conjuges exhortatione sancti Rhemigii C castitatem Deo vovissent, et in omnibus pietatis officiis versarentur, beatus Arnulphus divina virtute his verbis animum pulsante: Si vis perfectus esse, relictis omnibus, Deum nudus sequere; traditis in eleemosynas pauperum patri spirituali bonis omnibus, decem et septem annis peregrinationis causa Romam, Constantinopolim, sepulcrum Domini laico habitu visitavit, et Ravennæ liberata a fauce dæmonis anima, Rhemos patrinum et sponsam visitaturus rediit. LECTIO VI. Mortuo Rhemis suscitato, paulo post Tholosam ad sepulcrum beati Saturnini profectus, postea Turonis adveniens, cum de eligendo episcopo contentio suborta esset, voce angelica pontifex renuntiatus est. Post decem et septem dies, relicto episcopatu, undecim annis peregrinatus provinciam quamdam Hispaniæ ab infestatione serpentis liberavit, necatum hominem excitavit, regem cum uxore regnique proceribus ad fidem convertit. Tandem Rhemis cum ad episcopatum redire cogitaret, in oratorio a servis crudeliter occisus est, ejusque corpus (sicut moriens uxori mandaverat) in civitatem Turonicam allatum est.

AUCTOR. G. C.

et anno 1635 impressæ inter se differunt;

5 *Breviarium Turonense, anno* 1635 *impressum, ab hac narratione multum differt: nam ubi in priori impressione dicitur S. Arnulphus* post decem et septem dies *reliquisse episcopatum Turonensem, in posteriori id factum fuisse narratur* post sesquiannum. *Si quis cupit alterum discrepantiæ specimen, conferat cum Lectione ultima, præcedenti numero exhibita, tertiam ex impressione anni* 1635 *desumptam, quæ sic habet:* Tandem audita morte sancti Remigii, ut ejus veneraretur sepulcrum, Remos advenit, ac sponsam velo virginitatis induit. Unde irritata familia beatum Arnulphum a sancti Remigii oratorio exeuntem contrucidat: qui sponsæ moriens jussit, ut Turonum ad sedem propriam corpus suum sepeliendum deferret; quod divino nutu, medio itinere fixum stetit, et in silva Aquilina agri Carnotensis loco, qui nunc sanctus Arnulphus dicitur, honorifice humatum est cum sponsa sua Scariberga, quæ ibi sanctimonialem vitam maxima districtione laudabiliter consummavit. *Vides in hac secunda impressione inter alias historiæ* E *circumstantias locum sepulturæ omnino immutatum esse. Eumdem sepulcri locum in silva Aquilina assignant alia Breviaria, inter quæ est Parisiense anni* 1584, *cujus Lectiones cum Turonensibus secundæ editionis plane conveniunt. Aurelianense Breviarium tres Lectiones in unam contraxit, et ab Officio Parisiensi anni* 1584 *ac Turonensi secundæ impressionis vix differt, nisi quod indeterminate dicat, episcopatum Turonensem a* S. Arnulpho post aliquod tempus *relictum fuisse.*

uti etiam Officium Ms. Crispiense

6 *Crespiaci in tractu Vadensi, ubi est ecclesia* S Arnulpho *dedicata, fit proprium de eodem Sancto Officium, quod anno* 1668 *manuscriptum accepimus, ex quo hic partem aliquam transcribo. Hymnus ad Magnificat in primis Vesperis sic canitur:* Fulgor æterni splendoris servos illustret tutoris Arnulphi et Scaribergæ conjugum divina lege. Ornantur matrimonio virginali, non vitio, integro carnis corpore, nec voluptatis opere. Virgo, martyr, præsul, sponsus fuit dimicans Arnulphus; carnem domuit superstes, Christo placuit antistes. Lætetur Gallia, fœta Turonia præsulatu; urbem rexit Turonicam, vitam duxit F angelicam. Livor servorum uxoris patravit necem Pastoris; Crespeium servat ambos, unde sibi crevit honos. Jam laudatur martyrium, uxor deflet flagitium poscens benedictionem supplex per devotionem. Eos precamur supplices; nos faciant sic felices, ut possimus paradisi introire claustra Dei Trino Deo et unico *etc. Antiphona ad Magnificat:* Exultet aula cælica, lætetur mundi machina, exultet urbs Turonica, congratuletur Gallia, Arnulphi magni martyris dum recolit solemnia. *Deinde sequuntur Lectiones propriæ, quæ ex Actis excerptæ videntur. At de episcopali ejus munere habet sequentia, nescio unde eruta.* Cum esset Turonis et episcopatus vacaret, angelo revelante, episcopus factus est. Ordinatus itaque, sedulus divinis curam impendebat ovibus, ut nullam ferino dente disperderet inimicus. In divinis plane cultibus plebs Christiana crescebat, ac sub tanto pontifice credulitatis suæ augmentis gaudebat, atque proficiebat. Per singulos ferme dies vir venerabilis ecclesias et circumquaque positas frequentabat

AUCTORE G. C.

frequentabat parochias, et omnem, quæ culpa sacerdotum accideret, negligentiam eliminabat. Tandem episcopatus honorem, ut pondus fugiens, Hispaniam adiit, ubi multos ad Christi fidem convertit. *Antiphonæ ad Laudes* 1. Francorum fausto germine, divino datus munere Arnulphus venerabilis surrexit vir mirabilis. 2. Rhemensium Remigio, tunc temporis episcopo oblatus est a parentibus, cujus fuit filiolus. 3. Beatus præsul puerum suscipiens ut proprium alumnum auctor aluit secundum legem Domini. 4. Pius pater, pius puer, psallebant Christo jugiter: docebat doctor docilem discipulum et humilem. 5. Regi multum amabilis sanctus Arnulphus meruit neptem regis accipere sub conjugali fœdere. *Antiphona ad Benedictus:* Adest nobis dies gaudii, qua beatus Arnulphus susceptus est inter agmina Sanctorum: nobis ergo succurre, pie pater, apud Deum. *Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, qui hunc diem nobis honorabilem beati Arnulphi martyris tui atque pontificis solemnitate tribuisti, da Ecclesiæ tuæ in hac celebritate lætitiam, ut B cujus festa pio amore veneramur in terris, ejus intercessione sublevemur in cælis. Per Dominum *etc. In collectis præcedentium Officiorum etiam* martyr *et* pontifex *appellatur.*

et Lectiones Carnotenses:

7 *Prolixiores sunt Breviarii Carnotensis Lectiones, quas propterea hic exscribere non vacat. Attamen earum partem, quæ singularia quædam et ab aliis omissa continet, hic proferre visum est. Ea sic habet:* Verum audita morte divi Remigii (cujus fidei sponsam commiserat) statim Rhemos contendit, ut ejus sepulcrum veneraretur, ac virginitatis velo sponsam indueret. Id cum ægre ferrent Scaribergæ servi, adhuc infideles, et Arnulpho ob pietatem infensi, eum a sepulcro divi Remigii abeuntem per insidias fœde trucidarunt: qui moriens jubet corpus suum in Turonensi ecclesia recondi, in qua cælesti pabulo refici consueverat. Quod cum officiosa pietate uxor curaret, in itinere fixum et immobile stetit apud sylvam Aquilinam in agro Carnotensi, ubi honorifice sepultus Arnulphus in hunc usque diem miraculis claret. Porro ejus uxor in eodem loco C parsimonia et sanctitate mirabili reliquum vitæ peregit, et, ingravescente senio, post mortem cum viro condita est, ut quorum mens una et eadem semper in Domino fuerat, eorum quoque corpora non separaret sepultura.

ac ideo forte Breviarium Parisiense anni 1684 antiquas Lectiones omisit.

8 *Ex hactenus dictis apparet, quam varia in diversis Breviariis de* S. Arnulpho *nostro tradantur. Idcirco fortasse Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Franciscus de Harlay, archiepiscopus Parisiensis, in ecclesiæ suæ Breviario, quod anno* 1684 *typis vulgatum est, jussit duas priores Officii* Arnulphiani *Lectiones recitari de communi unius martyris, ac pro tertia legi sequens Sigeberti Gemblacensis testimonium hoc modo.* Lectio III. Arnulfus (ut refert his verbis Sigebertus in Chronico) sancti Remigii [in] baptismo filius in Gallia claret, qui post multos in prædicando Christum agones, martyrizatur in silva Parisiorum Aquilina, et a Scariberga, conjuge quondam sua, tumulatus est. *Ad id suspicandum me movet ejusdem Illustrissimi ac Reverendissimi Præsulis præmonitio, huic editioni præfixa, in qua sic loquitur:* Cum itaque in Breviarium Parisiense postremis temporibus nonnulla irrepsissent, et ea quidem regulis ab Ecclesia constitutis non bene con- D venientia, omni cura, et qua oportuit prudentia, effectum est, ut quæ forent ecclesiæ splendori aut dignitati religionis minus consona, quæ in homiliis Patrum spuria vel supposititia, quæ in Actis Sanctorum falsa aut incerta, in omnibus denium, quæ pietati minus essent consentanea, ad legem et regulam componerentur: atque adeo necesse visum est quædam omnino expungere, nonnulla pridem omissa adjicere *etc. Observa autem hoc Officium simplex celebrari* de communi martyris, *nulla habita de pontificatu mentione. Hæc pro sequenti paragrapho meminisse juvabit.*

§ II. S. Arnulphi distinctio ab altero ejusdem nominis martyre, vitæ tempus, episcopatus, martyrium et Acta.

E

S. Arnulphus, qui videtur distinctus ab altero ejusdem nominis martyre.

Nonnulli *existimant,* Arnulphum *nostrum eumdem esse cum homonymo martyre, cujus reliquiæ anno* 971 *Mosomum translatæ sunt, et cujus Acta narrantur in Chronico Mosomensi, quod Lucas Dacherius tom.* VII *Spicilegii pag.* 632 *edidit. Sed nobis tum ob locorum tum aliarum circumstantiarum discrepantiam probabilius diversi esse videntur: nam Arnulphus Mosomensis in chronico jam laudato dicitur fuisse* Lothariensis terræ accola; *noster vero traditur sub Chlodoveo rege* nobilissimis Francorum ortus parentibus, *ejusque pater, mater, ac spiritualis magister in Actis nominantur. Hæc autem omnia verosimilius ignota non fuissent auctori, qui circa medium sæculi* XI *chronicon Mosomense conscripsit, si de nostro* Arnulpho *egisset. Præterea martyr Mosomensis narratur in tractu Porciensi vel Porcuensi* a latronibus .... usque ad mortem verberibus et plagis dirissimis toto corpore dilaniatus tandem vix ad villam, quam Gruerias appellabant, *pervenisse, ac ibidem post perceptum sacræ Eucharistiæ viaticum pie obiisse. Sigebertus Gemblacensis in Chronico ad annum Christi* 513 *de* Arnulpho *nostro testatur, quod extiterit* sancti Remigii in baptismo filius, *et martyrio affectus* in silva Parisiorum Aquilina, F ... a Scariberga, conjuge quondam sua, tumulatus *fuerit. Albericus, Trium Fontium monachus, non ita pridem a Leibnitio editus, in Chronico ad annum Christi* 514 *de eodem* Arnulpho *ita scribit:* Sanctus Arnulphus, quondam Turonensis episcopus, in silva Aquilina sepultus est. Dicitur, quod primo fuit comes de Reitesta. *Denique qui utriusque Sancti Acta studiose conferre voluerit, verosimilius judicabit,* S. Arnulphum, *de quo hic agimus, distingui ab altero ejusdem nominis martyre, cujus Vitam et Translationem die* XXIV *Julii illustrare conabimur.*

verosimiliter natus est ante baptismum Clodovei.

10 *De* S. Arnulphi *familia varii auctores varia scripserunt. Sed cum hæc omnia solido antiquitatis testimonio careant, non lubet huic incertæ genealogiæ diu inhærere. Tantum obiter de nativitatis ejus tempore hic conjecturam facio. Nativitatis epocha præterpropter colligi debet ex Clodovei Francorum regis baptismate, quod circa finem sæculi* V *contigit. Acta nostra indicant, parentes* S. Arnulphi *ad fidem Christianam conversos fuisse, filiumque genuisse, antequam Clodoveus baptismum*

A *baptismum susciperet. Contra vero Breviarium Aurelianense, Parisiense anni* 1584, *et Turonense anni* 1635 S. Arnulphum *post Clodovei baptisma natum esse innuunt his verbis:* Beatus Arnulphus parentes habuit e Francorum genere nobiles, sed infideles; qui cum rege suo Clodoveo per sanctum Remigium archiepiscopum conversi et baptizati post longa sterilitatis tempora, orante sancto Remigio, Arnulphum genuerunt. *At si verum est, quod Clodoveus* S. Arnulpho *neptem suam in matrimonium collocarit, ut postea in Breviariis et Actis narratur, probabilius est,* S. Arnulphum *ante Clodovei baptisma natum esse, cum Clodoveus juxta Cointium anno* 511 *obierit, adeoque* S. Arnulphus *ante hunc annum ætatem matrimonio aptam habere debuerit. Imo id necessario sequitur in sententia Cointii, qui in Annalibus Francorum istud matrimonium anno* 503 *alligat.*

...cta, aliaque ...monumenta asserunt, S. Arnulphum fuisse ...pum Turonensem:

11 *Omnia Acta et Breviaria (excipe Parisiense anni* 1684 *supra citatum) unanimiter asserunt,* S. Arnulphum *fuisse episcopum Turonensem. De duratione tamen illius episcopatus non conveniunt. Acta nostra ex Ms. S. Foillani, et* B *a Joanne Bosco in Bibliotheca Floriacensi edita, tantum septemdecim dies ipsi tribuunt. Acta vero, quæ in Valcellensi nostro codice Ms. exstant,* annum unum, decem et septem dies *numerant. Vita metrica, quam post hunc Commentarium prævium secundo loco edemus, idem regiminis spatium ipsi adscribit. Breviarium Turonense anni* 1635, *Parisiense anni* 1584, *et Carnotense affirmant,* S. Arnulphum *cathedram Turonensem* post sesquiannum *deseruisse; Aurelianense autem dicit, quod* post aliquod tempus honorem episcopatus *reliquerit. Attamen, ut dixi, hæc omnia monumenta in eo conveniunt, quod* S. Arnulphum *constituant episcopum Turonensem. His adde Albericum Trium Fontium monachum, qui in suo Chronico ad annum* 514 *agens de* S. Arnulpho *nostro, eum diserte vocat Turonensem episcopum. Instrumentum donationis, quam Simon Comes Crespeiensis anno* 1077 *ecclesiæ* S. Arnulphi *fecit, eumdem appellat* archiepiscopum et martyrem, *non assignato cathedræ loco, ut videre est apud Lucam Dacherium pag.* 596 *in notis et observationibus ad Opera Guiberti abbatis B. Mariæ de Novigento, quæ anno* 1651 *Pari-* C *siis edidit.*

...l maxime ...rum est, quod S. Gregorius Turonensis.

12 *Fateor hæc omnia simul sumpta non leve conficere argumentum pro Turonensi* S. Arnulphi *episcopatu. At satis mirari nequeo, quod S. Gregorius Turonensis, eodem sæculo ejusdem ecclesiæ antistes, et diligens suorum decessorum supputator, eum in Catalogo Turonensium præsulum omiserit. Ruinartius in notis ad Gregorium Turonensem in Historia Francorum lib.* x, *cap.* xxxi, *col.* 534 *ita respondet :* A Gregorio omissus videtur, quod sedem dies solummodo septemdecim obtinuerit. *Sed imprimis hoc septemdecim dierum regimen incertum est, aliis plus quam annum illi assignantibus, uti superius vidimus. Deinde Gregorius videtur omnes suos antecessores voluisse enumerare, etiam eos, qui exiguo temporis spatio ecclesiam Turonensem gubernarunt : nam de Leone, quem Joannes Maanus in suo Catalogo antistitum Turonensium pag.* 34 *statuit* S. Arnulphi *successorem, Gregorius in editione Ruinartiana lib.* x, *cap.* xxxi, *num.* 13 *ita scribit :* Sedit autem menses sex, et sepultus est in basilica sancti Martini. *Memorat etiam Dinifium, qui tantum decem menses sedem episcopalem occupaverat. Præterea in hac chronotactica episcoporum enumeratione Gregorius adeo exactus videri voluit, ut non tantum rotunde annos, sed etiam menses et dies computaverit.*

AUCTORE G. C.

In Catalogo decessorum suorum de illo non meminerit.

13 *Guilielmus Marlotus in Historia Metropolis Remensis tom.* I, *lib* II, *cap.* XIII *eamdem difficultatem ita sibi objicit :* Ceterum an beatus Arnulfus revera Turonensis archiepiscopus fuerit, merito quis dubitare posset, cum Gregorius in Historia Francorum lib. 10, cap. 37 *(in editione Ruinartii est cap.* xxxi) eorum texuit indicem, qui ante se ei ecclesiæ præfuerunt. *Deinde Claudii Roberti sententiæ subscribens ita hunc nodum solvere nititur :* At Robertus in Gallia Christiana omnibus rite examinatis, et quod a Sigeberto non vocetur episcopus, electum tantum fuisse putat, quod verosimilius est. *Non omnino quidem displicet hoc effugium; sed tamen nondum omnis mihi scrupulus ablatus est : quomodo enim Gregorius, diligentissimus rerum Francicarum, ac præsertim prodigiosarum indagator, rem suo sæculo gestam, et forte a senioribus urbis Turonicæ civibus, qui tunc adhuc vivebant, visam aut certe auditam, potuit ignorare? Quomodo ille prodigiosam* S. Arnulphi *electionem, qualis in Actis refertur, jussu angelico in sua ecclesia factam prætermisit, qui similia aliarum ecclesiarum miracula sedulo solet annotare, ut patet in eadem Historia Francorum lib.* II, *cap.* XIII *ubi miram Rustici presbyteri evectionem ad episcopatum Arvernensem describit? Si Gregorius ob exiguum gubernationis tempus vel ob solam electionem episcopis Turonensibus* S. Arnulphum *annumerare noluerit, cur saltem alibi de eo obiter non meminit, quando gesta et miracula præsertim in Gallia a martyribus vel confessoribus patrata undequaque colligit? Existimo igitur, hunc* S. Arnulphum *Gregorio ignotum fuisse, qualis certe non fuisset, si etiam exiguo temporis spatio cathedram Turonensem occupasset. Si quis hos scrupulos mihi eximere potuerit, confidenter Turonensi* S. Arnulphi *episcopatui acquiescam. Interim observo, Sammarthanos hunc nodum non attigisse, eosque* S. Arnulphum *Turonensium præsulem Catalogo non inseruisse. Nunc de vitæ ac mortis chronotaxi pauca dicamus.* E

Chronotaxis Vitæ Arnulphianæ,

14 *Carolus Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad annum Christi* 503 *numero* 6 *Arnulphianæ vitæ tempora ita ordinat :* Primo F enim Arnulphus annos septemdecim sub habitu laicali peregrinatus est; deinde factus exorcista Tolosam se contulit, orationibus ad sancti Saturnini sepulcrum diu vacavit; tum Turonos profectus oneri pontificio collum invitus subjecit, dimissoque post septemdecim dies episcopatu, varias iterum provincias per annos undecim lustravit, ac tandem, audita sancti Remigii morte, Remos rediit, ut miracula cerneret, quæ Deus per gloriosa beati Pontificis merita faciebat. Hæc autem ad chronologicos calculos ita rediguntur. Arnulphus anno Christi DIII primam peregrinationem suscepit. Clero se adjunxit post annos septemdecim anno Christi DXX. Post biennium ordinatus est episcopus Turonensis anno Christi DXXII, quo Theodorus et Proculus e vivis excesserunt. Eodem quoque anno postremæ peregrinationi se commisit, et undecim annis in ea expletis, reversus est Remos anno Christi DXXXIII, cum sanctus Remigius Idibus Januariis ejusdem anni jam obiisset.

15 *Hæc*

AUCTORE G. C.

Vita ejus incerta est;

15 *Hæc quidem Vitæ metricæ, a nobis secundo loco edendæ, ac Breviariis satis conformia sunt: sed repugnant Vitæ primæ, quæ num.* 13 *significat, secundam peregrinationem a* S. Arnulpho *non fuisse susceptam ante obitum S. Remigii. Verba prioris hujus Vitæ sic sonant:* Tunc vero gaudens beatus Remigius in omnibus, advocata sponsa domna Scariberga, sibi invicem statuere divinitatis obsequia, in quibus obsequiis domino, sanctissimoque Remigio adhærentes, usque ad obitum sancti Remigii dominus Arnulfus perstitit una cum virgine sponsa. *Postea vero num.* 21 *non dicitur* S. Arnulphus *post secundam peregrinationem Remos rediisse, quia S. Remigii mortem audierat, ut passim in Breviariis et in Legenda metrica asseritur, sed* ut cerneret miracula, quæ Deus per beati Remigii patroni sui merita faciebat gloriosa. *Si igitur* Arnulphus *post mortem S. Remigii undecim annis peregrinatus sit, corruit ex parte Cointii chronotaxis, et saltem Arnulphianæ mortis epocha ad undecim annos differenda est. Nihil tamen absolute affirmo, cum utraque Legenda inter se pugnet, et vix major sit unius quam alterius* B *auctoritas. De episcopatus Turonensis epocha, quam Maanus anno* 519 *consignat, hic disputandum non censeo, cum de ipso episcopatu dubitari posse supra ostenderim. Jam de loco mortis probabiliorem opinionem eligamus.*

certior tamen videtur martyrii palæstra.

16 *Sigebertus in Chronico ad annum Christi* 513 *diserte pronuntiat,* S. Arnulphum *martyrio affectum esse,* in Silva Parisiorum Aquilina. *Anonymus Actorum scriptor eum Remis percussum esse ostendit his verbis:* Dum vero quadam nocte ad sepulcrum sancti Remigii iter capere orationis vigilantia decrevisset, sponsæ suæ servi eum in trivio (sicut mos est malignos bonis invidere) fustibus et gladiis appetierunt, et quidam cultello caput ejus percussit. *Idem confirmat Vita metrica num.* 46. *Forte Sigebertus martyrii et sepulcri locum confudit; quod quidem mihi ideo fit verosimilius, quia Marlotus in Historia Remensi lib.* II, *cap.* XIII *testatur,* S. Arnulphum *Remis vulneratum fuisse* in via, quæ Barbastrum dicitur, ubi nunc crux erecta est in hujus rei monumentum. *Idem asserit Ruinartius in notis ad Gregorium Turonensem lib.* X, *cap.* XXXI, *ubi de* S. Arnulpho *agens,* C *sic loquitur:* Crux erecta eo loco, ubi passus est, etiam nunc visitur Remis via Cæsarea. *Non arbitror, hic disceptandum esse de martyrii titulo, cum jam sæpe in opere nostro dictum sit, viros sanctos, qui a latronibus aut aliis impiis occiduntur, passim ab ejusmodi biographis vocari martyres, licet pro tuenda religione aut justitia sanguinem non fuderint. Quidquid sit de causa mortis* S. Arnulpho *illatæ, ubique in Officiis ecclesiasticis tamquam martyr colitur. Nunc de Actorum scriptoribus quædam investigemus.*

Non videtur S. Audoenus scripsisse Acta S. Arnulphi;

17 *Joannes Maanus in Catalogo episcoporum Turonensium pag.* 33 *de* S. Arnulpho *nostro agens asseveranter ita scribit:* Vitam ejus scripsit accurate S. Audoenus Rhotomagensis episcopus, cujus fragmentum extat apud Quercetanum Historiæ Francorum tom. 1 sub Chlodovæo. *His lectis, mox Quercetanum seu Duchenium loco assignato adii, et pag.* 533 *indicatum fragmentum inveni; sed nullum ibi est indicium, ex quo colligi possit, istam Vitam a S. Audoëno scriptam fuisse. Deinde evolvi auctores, qui de scriptis S. Audoëni meminerunt. Hi quidem asserunt, S. Audoënum Vitam S. Eligii litteris man-* D *dasse; at nullus, quod sciam, eum facit Arnulphianæ Vitæ auctorem. Reperi equidem sermonem, ex Ms. abbatiæ S. Audoëni Rothomagensis editum, in quo fit mentio* S. Arnulphi *et Scaribergæ ejus conjugis. An fortasse Maanus Vitam* S. Arnulphi, *quæ in monasterio S. Audoëni exarata fuerat, ab ipso S. Audoëno conscriptam putaverit, et monasterium S. Audoëni cum ipso S. Audoëno confuderit, ignoro. Libenter hujus rei veritatem, solidis argumentis comprobatam, ab aliis discemus. Non est operæ pretium, hic transcribere prædictum Vitæ Arnulphianæ fragmentum, cum ab Actis nostris in substantia non differat.*

sed ea ab Anonymo et a Letselino,

18 *Amplissimus D. Thomas Luytens, dignissimus abbas Lætiensis, de opere nostro optime meritus, inter alia monumenta nobis subministrata, cum adhuc esset ejusdem abbatiæ supprior, exscripsit e Ms. S. Foillani Acta* S. Arnulphi, *quæ plane conveniunt cum ejusdem Sancti Vita, quam Joannes a Bosco in xysto dextero Bibliothecæ Floriacensis pag.* 242 *ex Mss. edidit. Quis fuerit illius Vitæ scriptor, quove tempore floruerit, hactenus assequi non potui. Quamvis in hac Legenda quædam nobis displiceant, quæ in annotatis observabimus, tamen quia reliquis paulo simplicior an-* E *tiquiorque videtur, eam priori loco excudemus. Huic subjungemus metricam ejusdem Sancti Vitam, quam quidam, nomine Letselinus, Fratrum impulsu se composuisse testatur. Cum in epilogo hoc Letselini nomen legissem, incessit animum cupido cognoscendi hunc virum. Evolutis igitur frustra aliquot scriptorum catalogis, incidi in tomum* IV *Annalium Benedictinorum, ubi Mabillonius ad annum Christi* 1008 *num.* 9 *citat sequentia Helgaldi verba:* Castrum, Crispiacus dictum, a Waltero potenti nobiliter constructum Suessionico in territorio, abbatiam sancti Arnulfi a se factam, nobilis nobilem, et per secula reddidit illustrem: nostra enim ætate ibi abbatem quemdam, Lezcelinum nomine, constituit, boni testimonii virum, professione regularis vitæ monachum. *Ex his cœpi conjicere, hunc Letselinum forsan esse Vitæ metricæ auctorem, tum quod in hac abbatia (nunc est prioratus congregationis Cluniacensis) reliquiæ* Arnulphi *quiescerent, tum quod ejus cultus illic præcipue vigeret, ut paragrapho sequenti videbimus. Hanc nostram de scriptoris ætate ac professione conjecturam ultro aliorum judicio submittimus.* F

ac præterea a quodam nugatore scripta sunt.

19 *Habemus præterea in Ms. nostro codice Valcellensi prolixam* S. Arnulphi *Vitam, quam nugator quispiam, profana sacris miscens, composuit, et forte auxit, interpolando illam, quam primo loco edemus. Letselinus hunc interpolatorem præ manibus habuisse, et ex eo suam legendam metricam composuisse videtur; aut, si in eo fallar, saltem interpolator Letselinum præ oculis habuit: nam tam presse mutuis vestigiis insistunt, ut alterum alterius scripta legisse oporteat, uti cuilibet ea conferenti manifestum fiet. Prudentior tamen fuit Letselinus, qui, quantumlibet poeta, a profanis in re seria et sacra magis abstinuit; errores tamen non paucos admisit, quos post singula capita verbo annotabimus. Ne quis vero miretur, quod hunc interpolatorem nugatoris nomine compellarim, habeat ex eo specimen, quod verbatim transcribo. Virum* S. Arnulphi *precibus a morte suscitatum inducit cum S. Remigio loquentem, et pœnas inferni, quas viderat, ita post alias nugas serio narrantem:* Tria pariter stagni fluentis flumina vidi, quæ senex irreligiosus custodia servabat pervigili: ipse vero ratem conto subigebat,

A subigebat, et ad hæc tormenta mortuorum umbras, quas ignis exusserat, navigio ducebat. Tunc vero insanabilis dolor, incomparabilis luctus, irremediabilis pœna, et geminata angustia, nullis penitus tribulationibus comparanda. Erant ibi in foribus centauri immanes, scyllæque biformes, belua Lernæ, flammisque armata Chymera, Gorgones, Harpyiæque, centumgeminus Briareus, ac formati corporis umbræ: quæ loca cerberus triceps regebat, et, quæ alii non poterant, hic inferebat tormenta. *Satis est ineptiarum; ad Sancti reliquias, variis locis honoratas, progrediamur.*

§ III. Reliquiæ S. Arnulphi variis locis honoratæ.

... S. Ar- ... Turones ... ferendæ.

In *Vita metrica, quam secundo loco edemus, num. 53 narratur, quomodo S. Arnulphi reliquiæ ad Turonensem urbem deferendæ in silva Aquilina mirabiliter substiterint. Codex noster Valcellensis eamdem historiam refert his verbis:* Post B mortem sanctissimi Viri venerabilis matrona *(nempe Scariberga)* corpus ejus diligentissime tractavit, quod linteaminibus involvit, aromatibus condivit, et sarcophago impositum plaustro ad deducendum, quo fuerat jussa, superposuit: in qua deductionis via quicumque ægrorum Sancto fuerunt obvii, per virtutem beati Martyris a quacumque detinebantur infirmitate, meruerunt liberari: quorum quæ summa fuerit, non nostræ opis est evolvere verbis. Millia cæcorum, claudorum millia curavit, et quidquid natura indiscrete damnaverat, reparavit. Quo gloriæ triumpho comitante, virtutiferam glebam longius prosecuti sunt, donec stationem fecerunt in pago Castrensi Silvæ Aquilinæ in loco nomine Hibernio super fluvium Resbacis. In eadem autem silva Dordingus comes cervum venatibus agebat, qui fugiens juxta sarcophagum Viri Dei constitit; et insequentes canes, latratus officio privatos, virtus divina longius stare compulit. Cumque prædictus comes æstuans venisset, et virtute beati Arnulphi hoc factum veraciter comperisset, C pronus in terram adoravit, et Sancto plurima donaria devotus obtulit.

... Aquil... mirabiliter ... stiterunt.

21 Sequenti vero die cum cœptum iter vellent peragere, omnimodis impediti sunt divina voluntate: nam plaustrum rigebat, et boves pedes affigentes illud trahere non valebant. De quo loco cum corpus minime moveri posset, Dordingus comes plus devotionis erga beatum Virum habens, omnia, quæ ibi hereditario jure possidebat, sub chirographo tradidit, atque ibidem eum diligentissime ac condigno honore sepelivit; ubi florent ejus curationes, et multas sanitatum curationes per eum operatur Deus. Quo sepulto, venerabilis femina Turonos celerius abiit, et quæ acciderant, omnibus narravit: qui gavisi sunt, et super hoc laudaverunt Dominum, qui salvos facit sperantes in se in æternum. Inde regressa mausoleum, et in honore sancti Remigii pontificis super beatum Virum oratorium construxit, in quo postea ad ejus exsequias cum fratre suo Patricio episcopo per tria annorum, et eo amplius, curricula eremiticam vitam duxit. *Letselinus etiam de Patricio Scaribergæ fratre meminit. Codex Ms. Collegii nostri Claromontani, et Vita Scaribergæ, quam hac die etiam marito suo subjungemus, per hunc Patricium intelligunt celeberrimum Hibernorum apostolum. Quod si eumdem hic indicare velint biographi* S. Arnulphi, *haud dubie toto cœlo aberrant, ut in Commentario prævio ad Vitam S. Scaribergæ pluribus ostendemus.*

... G. C.

indeque sublatæ.

22 *Reliquiæ* S. Arnulphi, *ex silva Aquilina sublatæ, ad comitatum Vadensem pervenerunt, uti narrat auctor anonymus, quem post utramque Vitam e Ms. nostro dabimus. Hinc fortasse sacra ossa distributa sunt in varias Galliæ ecclesias, quas jam recensere conabimur. Imprimis venerabilis Guibertus, abbas B. Mariæ de Norigento, qui anno 1124 obiit, in Monodiis seu Vita sua lib.* III, *cap.* XIX *in hanc rem scribit sequentia:* Brachium beati Arnulfi martyris in oppido unde eram oriundus *(dicitur fuisse Belvacensis)* habebatur, quod a quodam locis illis illatum cum oppidanos reddidisset ambiguos, ad probationem ignibus est injectum; sed exinde saltu subito est ereptum. Succiduo denique tempore quidam consobrinus meus de castri primoribus, gra- E vissima est passione percussus. Cui brachium beati Martyris cum fuisset ingestum, valitudo loco se mutans ad tactum ejus, locum ferebatur in alium. Cumque vis illa diffugeret, et fugienti e vestigio sacri brachii tactus insisteret, ad ultimum post aliquot in vultu membrisque discursus in ipso juguli scapularumque confinio, tota morbi illius violentia evagans, sublata paululum in modum muris cute, pariter glomerata sine dolore delituit. Cujus rei causa quotannis omnes clericos, qui ejus festivitati intersunt, eo die, quoad vixit, lautissime pavit, ejusque posteri facere hodieque non desinunt. Quod brachium, avi mei non uxor, sed familiaris quædam ad tales femina satis solers ad seculum opimo auro lapidibusque contexit.

ad varias

23 *Deinde de ejusdem Martyris reliquiis hæc subjungit:* Gusia hujus Laudunensis pagi castellum est, in quo beati Arnulfi itidem brachium esse dicitur. Quod fures cum direpto ecclesiæ thesauro pariter diripere voluissent, jamque tenerent, de eorum sese manibus extorsit, nec uspiam ferri quivit. F Hoc ipsi fures, cum residuis quæ asportaverant deprehensi, hora ipsa, qua erant efferendi in furcas, confessi sunt. In auro, quo ipsum colitur brachium, locus est, qua nullo inclusorum artificio gemma ulla potuit cohiberi: inserta enim nec mora laxabatur; mutata cum opifice, et opifex ac opificium cassabatur. *Quo loco jam sit hoc secundum brachium docuit me Casimirus Oudinus, tunc catholicus et religiosus, postea infelix Ordinis et fidei apostata, qui ad hunc Guiberti textum, ad Majores nostros transmisit, hæc notat:* Brachium istud sancti Arnulphi habetur nunc in Abbatia nostra Buciliensi episcopatus Laudunensis. *Idem Oudinus in alia scheda, ad nos scripta, circa eamdem translationem sic distinctius loquitur:* Collegium Castri Guisiani Canonicorum, juxta Guibertum libro 1 *(voluit dicere 3)* Monodiarum cap. 19, possidebat unum brachium sancti Arnulphi martyris, unde magno cultu quotannis hujus festum celebrabant. Sed id illorum assensu traditum (ut constat ex authentico desuper confecto instrumento

AUCTORE G. C.

instrumento apud eos) Abbati et canonicis Buciliensibus circa annum MDLXXX, ubi hucusque cultu religioso servatum, et ab Edmundo Sauvage abbate loci pientissimo, nunc autem ad abbatiam Jouillariensem translato, inclusum præclaro argenteo vase, accurrentibus interdum fidelibus spectandum ostenditur: quo ex anno Officium dicti Martyris in eadem abbatia insigni cultu canitur. *Hæc ille, dum adhuc erat catholicus et religiosus.*

Galliæ [margin note, partly illegible]

24 *Teste Mirxo in Originibus Benedictinis cap.* XXVI, S. Arnulphi sacrum corpus *(intellige partem pro toto, sicut in similibus expressionibus sæpe fieri debet)* ut et sponsæ ipsius S. Scaribergæ, adservatur in... monasterio S. Arnulphi apud Crispeium: quod licet exiguum sit oppidum in ditione Suessionensi situm, est tamen caput regii ducatus Valesiani in Francia. *Mabillonius in Annalibus Benedictinis anno* 1008 *num.* 9 *fundationem hujus monasterii sic refert:* Eo tempore Walterius, cognomento Albus, Ambianorum comes et castri Crispiaci in pago Vadensi *(vulgo le Valois)* dominus, cum Adela uxore monasterium in eodem castro
B construxit in honorem sancti Arnulfi martyris, qui sancti Remigii discipulus, et Turonum archiepiscopus fuisse dicitur. *Nec minori benevolentia hanc ecclesiam prosecuti sunt Walterii seu Gualteri nepotes, ut videre est apud Dacherium in notis et observationibus ad Opera Guiberti Abbatis de Novigento pag.* 596 *et* 597, *ubi inter alia profertur sequens diploma:* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis...... Ego Simon comes Crespeiensis etc. Salutem animæ meæ, imo et patris mei venerabilis comitis Radulphi præcavens in futurum, præsentis vitæ dies nihil esse conspiciens, atque mentem pro posse in consideratione æternitatis figens, supradictum Radulphum patrem meum de Monte desiderio, jam per tres annos post sui corporis dissolutionem ibi jacentem, asportare feci, et ecclesiæ sancti Arnulphi, quæ ab eodem et ab antecessoribus in castello Crispiacensi honorifico schemate fundata, in qua etiam ex aqua et Spiritu sancto renatus fuerat, reddidi, ibique more antiquorum juxta sepulcrum matris meæ, uxoris suæ, nec non et prædecessorum no-
C strorum, cum psalmis et orationibus in spelunca duplici collocare feci, ut melius apud Deum, eumdem archiepiscopum et martyrem, videlicet beatum Arnulfum, habeamus pro animabus nostris intercessorem; eidem ecclesiæ per annulum aureum totam terram de Bonoculo, quam hactenus in dominio habebam, cum servis et omnibus appendiciis suis concedo etc. Actum Crispiacensi castello XI Kal. April. anno Incarnationis MLXXVII, Indict. XV, Epact, XXIII concurr. VI, regnante Philippo rege Francorum. *Alia ad idem monasterium pertinentia ibidem legi possunt.*

ecclesias pervenerunt. [margin note, partly illegible]

25 *Intelligo, etiam Claromontii, quod est oppidum agri Bellovacensis, in Insula Franciæ situm, notabiles* S. Arnulphi *reliquias existere, atque ibi in ecclesia collegiata Deiparæ Virginis solennem esse hujus Sancti cultum. Vix dubito, quin in diœcesi Suessionensi aliisque vicinis sacra hujus Sancti ossa honorentur, cum de iisdem Officium recitetur. An subinde hujus Martyris lipsana cum homonymorum Sanctorum reliquiis confusa non fuerint, aliis disquirendum relinquo. Certe Rothomagi, ubi etiam de* S. Arnulpho, *tamquam martyre et pontifice,* D
fit Officium in Breviariis, anno 1581 *et* 1627 *impressis, reliquiarum partem antiquitus servatam fuisse, colligo ex tomo* III *Anecdotorum Edmundi Martene, ubi col.* 1681 *ex Ms. monasterii S. Audoeni Rothomagensis editur* sermo in festivitate Sanctorum, quorum reliquiæ in præsenti ecclesia requiescunt. *Hunc sermonem Rothomagi habitum fuisse, eruo ex his verbis num.* 2 *ibidem positis:* Sanctissimus pater noster, hujus sanctæ metropolis gloriosus pontifex Audoenus, totius Galliæ et occiduæ regionis lucifer præfulgidus, laudabilis vitæ cursu peracto, hic sua membra deposuit. *Deinde num.* 3 *ad rem nostram leguntur sequentia:* Beati Calixti Papæ, et sancti Arnulfi archiepiscopi et martyris brachium nobis salutare conferant præsidium contra omnium occursus et impedimenta malorum. *Idem confirmat catalogus reliquiarum (eas hæretici anno* 1562 *impie diripuerunt, aut flammis comsumpserunt) anno* 1532 *authentice conscriptus, quem ex archivo Santaudoenæo Arturus a Monasterio in sua Neustria Pia exhibet, ubi pag.* 59 *inter cetera sic legitur:* Brachium S. Arnulphi mar- E
tyris, albo inclusum argento, exterius adornatum XXVI lapillis utcumque pretiosis. *Si fuerit hoc integrum* Arnulphi *nostri brachium, oportet illud aliunde eo allatum fuisse, cum jam superius num.* 22 *et* 23 *duo ejusdem Sancti brachia apud Guibertum abbatem invenerimus; nisi quis, more hagiographis satis usitato, ubique partem brachii pro brachio accipere malit.*

26 *Maanus denique in sua sancta et metropolitana ecclesia Turonensi pag.* 34 *post descriptam ejusdem Sancti Vitam, de illius reliquiis ita testatur:* Corpus autem in Aquilinam silvam delatum, tumulatum est a Scariberga conjuge, inquit Sigebertus, ubi stat hodieque oppidum S. Arnulphi ab eo dictum in agro Parisiensi: translatum vero Turonos aliquanto post tempore perhonorifice exceptum est a clero populoque, ac innumeris deinceps miraculis celebratum in cathedrali ecclesia, donec Calvinianis novæ factionis hæreticis ecclesias per summam impietatem deprædantibus, anno MDLXII concrematum est et ipsum cum sacris omnium reliquiis, quæ Turonis summo
hactenus fuerant in honore. *At oportet saltem* F
aliquas hujus Sancti reliquias sacrilego Calvinistarum furori subductas fuisse, cum Capitulum Turonense anno 1570 *partem coxendicis Philippo II Hispaniarum regi miserit, uti constat ex authentico testimonio, quod in Ms. Lipsanologio Escorialensis monasterii invenimus, quodque anno* 1722, *cum ibidem Sanctorum causa versaremur, transscripsimus hoc modo:* Universis et singulis Christi fidelibus ad quos præsentes litteræ pervenerint, Decanus, totumque Capitulum insignis metropolitanæ ecclesiæ Turonensis, sanctæ Sedi Apostolicæ immediate subjectæ, salutem in eo, qui est vera omnium salus. Tantus in S. C. M. Hispaniarum regis Philippi Secundi, nunc regnantis, in his Galliæ, inter ceteras Christianorum partes, finibus erga orthodoxæ fidei cultum manutenendum exsuperavit zelus, ut in extremis hujus Francorum regni negotiis pro tuitione ipsius fidei non solum propriis opibus, verum etiam regnorum suorum militibus et incolis, quoties opus fuit, non pepercerit; tantaque in eo, Catholicæ Ecclesiæ

et earum par. ex urbe Turonensi, [margin note]

A siæ rebus maxime agitatis, eluxit pietas et firmitas, ut etiam digno sui nomine Catholici regis omnium consensu fidelium illustratus sit.

in Hispaniam ca. est

27 His itaque meritis, quidquid a nobis pro fidei augmento et conservatione duxerit petendum, et neque debeamus, neque valeamus denegare: cujus piam devotionem amplectentes, et catholico favore præferentes, et ad instantiam illustrissimi Domini Francisci de Alava, militis Ordinis Calatravæ, Commendatoris commendæ S. Crucis, ejusdem S. C. M. consiliarii, et illius apud Christianissimum Francorum Regem oratoris dignissimi, Sanctorum reliquias in prædicta ecclesia nostra Turonensi ab omni ævo pie et religiose veneratas, visitare fecimus; de quibus unam ex S. Arnulphi martyris et hujus ecclesiæ Turonensis in episcopum electi, qui in Hispania prædicatione sua multos, præsertim regem tunc ibi regnantem, ad fidei Sacramenta convertit, et multis miraculis coruscavit, ossibus, panno serico purpureo digne reconditam et capsulæ inclusam, B per hebdomadarium ipsius ecclesiæ nostræ inter Missæ majoris solennia distribuere, et tædis accensis, signisque pulsantibus cum aliarum solennitatum, in talibus requisitarum, adhibitione, impartiri curavimus, ut in ecclesiis et sacris Hispaniæ locis, in quibus reddita fuerit, digne veneretur. Et ne de ipsa reliquia ambigatur, aut suspicio aliqua habeatur, certificamus et attestamur, eam esse de dictis S. Arnulphi sacris ossibus, quæ ab antiquo et omni ævo in prædicta ecclesia nostra Turonensi semper venerata fuerunt et venerantur, prout tam antiquis scriptis, quam antiquorum ejusdem ecclesiæ nostræ testimonio ea fore vera comperimus. In quorum fidem et testimonium præsentes litteras per actuarium nostrum subscribi, et chirographari, sigillique nostri munimine jussimus et fecimus roborari, capsulamque supradictam cum reliquia præfata inclusa charta papyracea involutam ac chordulis sericis rubei croceique coloris alligatam, ne reliquia ipsa sancta a quopiam, donec ad locum venerandum perducatur, C et in eo condigne reponatur, tangi posset, sigillo nostro præfato fecimus etiam communiri. Acta fuerunt hæc, prout supra in dicta ecclesia Turonensi XV Kal. Februarii anno Domini MDLXX. De mandato prædictorum dominorum Decani et capituli. Fougere. *Jam tantum superest, ut primo Acta Sancti nostri ab anonymo conscripta, deinde metricam ejusdem Vitam, a Letselino compositam, ac demum antiquam reliquiarum translationem, ab ignoto, sed synchrono, vel saltem suppari, auctore narratam, typis evulgemus.*

ET MS.

VITA

AUCTORE ANONYMO

Ex Ms. monasterii S. Foillani collato cum illo, quod Joannes a Bosco in bibliotheca Floriacensi edidit.

CAPUT I. *Sancti prosapia, et Clodovei regis Francorum conversio ad fidem, Arnulphi matrimonium, virginitas, peregrinatio et miracula.* E

Sterilitas parentes.

Aggrediamur, Fratres charissimi, divinæ vocationis sanctissimam enarrare conversationem beatissimi Arnulfi episcopi, qui, præeuntibus virtutum coruscationibus, et derelicto *a* gentilitatis errore, meruit in sanctissimorum Martyrum seu Confessorum caterva, devotissimam patientiam obtinere, et cælestis gloriæ exultationem feliciter possidere. Fuit itaque beatissimus Arnulfus nobilissimis Francorum ortus parentibus, patre gentili nomine Quiriaco, matre vero cognomine Quintiana. Qui dum gentili paganorum errore tenerentur impliciti, et idololatriæ diabolica fraude decepti deservirent, et varias * superstitiones excolerent, a beatissimo Remigio sæpius commoniti, baptismi gratiam sunt adepti, et mutatis gentilitatis nominibus, unus vocatus est Rogatianus, altera dicta Eufrosia; et merito Rogatianus est nomine dictus, quia sæpius commonitus et rogatus a sancto Remigio Francorum Apostolico, tali digne meruit censeri nomine *b*. F

* *al.* vanas

suscepto baptismate, S. Arnulphum genuerunt,

2 Mater vero appellata est Eufrosia *c* propter prudentiæ perspicuitatem, quia antequam baptizarentur, eo quod steriles ambo videbantur, et amore sobolis valde coarctarentur, traditis omnibus rebus proprietatis suæ sancto Remigio, quas in villa, Reiteste *d* nomine, habere et possidere videbantur, et arrhabone dato, quod si Deus eis donaret sobolem, beatus Remigius et pater spiritualis esset, et heres. Non longe post, divina ordinante clementia, et angelica prænuntiante loquela, filius datus est eis dominus Arnulfus, ab antiqua senatorum prosapia, tali nomine a beato Remigio insignitus: quem beatissimus vir Apostolicus Remigius de sacro fonte suscipiens, post triennium sibi præsentari jussit, et scholæ ad imbuendum tradidit. Qui ita in infantia et pueritia educatus adeo omnibus erat amabilis, totiusque facundiæ eloquens, ut cælitus putaretur esse edoctus, et per omnia virtute crederetur esse angelicæ vitæ socius.

3 Dum

a Ms. *qui Clodoveus rex Francorum.*

3 Dum vero beato Remigio spiritalis filiolus suus, domnus Arnulfus, ita eluceret, utpote Spiritu sancto plenus, Deo in omnibus gratias agens, assiduas pro filiolo, et pro conversione Clodovei *e* regis Domino preces fundere non cessabat, commonens etiam Chrotildi *f* reginæ, quæ Christianissima conjunx regi pagano juncta erat, et ex eo filium susceperat, quam Christianitatis nomine baptismatis consecratione tinctum, urgente mortis imperio ad cælos Deus evocaverat, quatenus animum regis ab idolorum cultura aliena retruderet, et secrete in quantum valeret et auderet, illi veri Filii Dei vivi culturam prædicare, et pronuntiare non cessaret.

ad fidem Christianam conversus.

4 In qua commonitione et cordis desiderio Chrotilde regina die noctuque æstuante, dum Dominus januam suæ misericordiæ pandere et aperire voluisset regi incredulo, et sæpius victori Chlodoveo; repente, dum contra Alamannos *g* bellum ingredi properaret, fugam insolitam arripuit deos deasque invocans, quos nefarie colebat : at nullatenus se adjuvare illos sensit, sed fugaces suos prospiciens prostratos, totam faciem suam ex vulnere sanguineo fluxu cruentatam etiam vidit. Proventu denique Aureliani *h* consiliarii sui accidit, ut Deum cæli, Filiumque Dei crucifixum pro salute mundi, quem Chrotildis regina prædicabat, videret animo, asserens, ut si victor existeret, omnibus modis prædictæ uxoris verba non respueret, sed fideliter baptismatis unda se a sordibus idolorum abluendum condonaret. In qua voce et fide super hostes irruit, et magna cæde eos vastans subjugavit, et sicut solitus erat, victor ad Juviniacum *i* in pago Suessionico remeavit.

neptem suam in matrimonium tradit.

5 Quo baptizato, cum omnium Francorum collegio a sanctissimo Remorum Apostolico Remigio, ita postmodum Deo charus fuit, ut ab omnibus veneraretur et excoleretur, ut decebat, sicut rex Christianissimus, et totius victoriæ efficacissimus. Regi itaque gloriosissimo Chlodoveo commendavit Beatissimus Remigius filium suum dominum Arnulfum, qui in tanta habitus est apud Re- C gem honorificentia, ut ei rex neptem suam traderet sponsam, nomine Scaribergam, cum comitatu Remensi plurimisque aliis regiæ dignitatis honoribus : eosque pariter, virum scilicet et sponsam; beato Remigio commendavit, quatenus eos secundum religionem Christianitatis, juste vivere edoceret. Quos beatus Remigius cum gaudio suscipiens, eos præmonuit decorari ex præmiis virginitatis. Cujus monita, sicut spiritales filii, suscipientes, constituerunt se animi devotione, castimoniæ sanctitate perpetuo custodire.

S. Arnulphus, sæculi cognitate, diu peregrinatur.

6 Dum hæc devotio omnibus modis eos possideret, et eorum corda ad hoc peragendum flamma Spiritus sancti accenderet, et die noctuque pervigiles, in Dei servitio assisterent, quadam nocte de perfectione animæ virtus divina, animum beati Arnulfi pulsavit, dicens : Si vis perfectus esse, relictis omnibus, Deum nudus sequere. In qua communicatione, accedens quasi mortuus ad beatum Remigium, retulit divinitatis commercium. Relictis ergo et dispositis sub eleemosyna omnibus, et commendata uxore domna Scariberga patri spiritali sanctissimo Remigio, commonitionem peregrinationis, pro Christi nomine acceleravit expetere. In qua peregrinatione, sub laicali habitu decem et septem annis procurrens, D primo Romam adiit : diuque ibi ad Apostolorum Petri et Pauli suffragia persistens, Constantinopolim perrexit, locaque sancta, ubi omnium Apostolorum doctrina effloruit, visitare studuit. Tandem vero, instinctu redemptionis nostræ ac venerabilis sanctæ crucis honore, Hierosolymam abiit ad sepulcrum Domini, ibique longo tempore, donec pro redeundo divinitus est admonitus, jejuniis et orationibus vacare procuravit.

7 Sed quia lucerna Domini sub modio erat abscondita, placuit omnipotenti Deo lucernam super candelabrum ponere, ut hominibus eluceret, ut plurimos radio claritatis illuminaret. Veniente vero lucerna Dei, adhuc in laicali habitu posito beatissimo Arnulfo ad Ravennatensium urbem, dum quadam Dominica nocte idem beatissimus Arnulfus matutinis se laudibus præsentare more solito studuisset : ecce subito vox egre- E dientis animæ, quam diabolus tulerat secum, per aera vociferare cœpit : Sancte Arnulfe, succurre, sancte Dei, adjuva; quia a diabolo ad infernalia ducor tormenta, ejusque flammifero incendor anhelitu. Ad hanc vocem substitit beatus Arnulfus, et flexis genibus in terra, prostratoque corpore diutius divinam imploravit clementiam, quo perditæ sua misericordia succurrere dignaretur animæ. Ut vero divinum sensit adesse auxilium, surgens ab oratione vehementer increpavit inimicum, ne ulterius ferre præsumeret mancipatum, dominico Christi sanguine redemptum.

et Ravennæ anima.

dæmoni eripit.

8 Mox vero fraus inimica, relicta animæ præda [patuit,] ductuque divino [anima] algido, multumque refrigerato cadaveri restituta [est] *k*. Quid plura? Reviviscit homo exultat omnis Ravennensium caterva, et congaudent omnes de beati peregrini Arnulfi præsentia, credentes se visitatos esse divinæ clementiæ potentia. Excolitur veneraturque ignotus peregrinus, non multo post pontificum societati præferendus. Dum vero pro humani favoris laude se voluisset delitescere et occultare, nocturno si- F lentio commonitus est ab angelo, ut patrinum suum sanctum videlicet Remigium, sponsamque, Remis accelerans, visitaret. Statimque a solo, quo recubabat, surgens, secunda videlicet feria, ante lucis auroram iter arripuit, et ductu angelico infra quatuor dies *l* super Sequanam ad locum, cui Cellæ *m* vocabulum est, infatigatus pervenit feria quinta, quæ instabat a Dominica, quando anima per ipsum a dæmonibus fuerat erepta.

ac in patria mortuum suscitat.

9 In adventu vero ejusdem efferebatur quidam mortuus; quem a longe prospiciens, reflexis genibus ad terram, postulavit Dominum dicens : Domine Jesu Christe benignissime, qui es salus omnium in te sperantium, et requies, via, veritas et vita, ac resurrectio omnium tibi toto corde credentium, si ductu angelico tibi placuit ex longinquo me accelerare huic loco tam cito, resuscitetur mortuus iste, qui deportatur in feretro, in domini et beatissimi patrini mei Remigii testimonio. Ad cujus vocem, statim mortuus surrexit

A surrexit. Portantes vero stupefacti, et nimio terrore concussi mirari cœperunt, quid tale esset: et glorificaverunt Deum dicentes: Benedictus Dominus Deus noster, et magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis. Ipse vero, qui resuscitatus fuerat, inter turbas accurrens, procidit ad pedes Domini Arnulfi dicens: Tu es, pater sanctissime, qui me liberasti de infernali sulphure, et de flammis gehennæ, et numquam te deseram, neque derelinquam omnibus diebus vitæ meæ. Cujus manum accipiens dominus Arnulphus, conduxit eum secum.

ANNOTATA.

a *Non intelligo, quomodo gentilitatis errorem reliquisse dicatur* S. Arnulphus, *quem parentes, jam ad fidem Christianam conversi, genuerunt, et B. Remigio baptizandum tradiderunt, ut ipse Actorum scriptor postea testatur.*

b *Puerilis enim vero est hæc nominis interpretatio.*

c *Auctor hic alludit ad verbum Græcum* εὐφρονέω
B *id est* sapio *vel* prudenter ago, *quod oritur et radice* εὖ bene *et* φρὴν mens. *Atque hinc, ni fallor, deducit nomen* Eufrosiæ *seu potius* Euphrosiæ. *Aliam tamen, mutata littera unica, nominis interpretationem habet Letselinus, ut in sequenti Vita metrica observabimus.*

d *Locus hic situs est ad flumen Aconam in finibus Remorum. Olim Comitem suum habuit, ac demum ad ducatus dignitatem ascendit, teste Adriano Valesio in Notitia Galliarum pag.* 468, *ubi plura de hoc loco videri possunt.*

e *Primus rex Francorum, qui in Gallia sedem stabilem fixit, et Christianam religionem amplexus est.*

f *De hac sancta regina egimus ad diem* III *Junii tomo* I *ejusdem mensis a pag.* 292.

g *Lis est inter historicos, quinam antiquitus proprie vocarentur Alemanni. Legi de hac re potest noster P. Daniel in Historia Gallica, Parisiis anno* 1722 *iterum impressa tom.* I, *pag.* 16, *qui ibidem asserit, hanc pugnam in ducatu Juliacensi commissam fuisse.*

h *de hoc Aureliano fit mentio in* historia Francorum per Fredegarium scholasticum epitomata
C *cap.* XVIII. *Sed spondere non ausim, omnia vera esse quæ ibi narrantur, cum viri quidam eruditi jam pridem ea inter fabulas computartnt.*

i *Puto hic indicari* Juviniacum *vulgo* Joyne *in pago Tardonensi, qui diœcesi Suessionicæ adscribitur apud Adrianum Valesium in Notitia Galliarum pag.* 544.

k *Hieronymus Rubeus in historia Ravennæ lib.* III *ad annum Domini* 503 *idem miraculum narrat; sed fallit, aut fallitur, dum de* S. Arnulpho *hæc scribit:* Turonensium fuit episcopus, ut testis Sigebertus: *quandoquidem apud Sigebertum, in Commentario prævio num.* 9 *citatum, de* S. Arnulphi *episcopatu altum est silentium.*

l *Non potest sine miraculo, et singulari angeli ductu explicari, quod* S. Arnulfus *tam brevi temporis spatio tantum viæ confecerit, ut locorum distantiam consideranti patebit.*

m *Varia sunt Galliæ loca, quæ hoc nomine appellantur. Sed cum hic locus situs dicatur ad Sequanam, notissimum Galliæ fluvium, suspicor indicari* Cellas, *vulgo* monstier la celle, *urbi Tricassinæ vicinas. De his videri possunt Adrianus Valesius in historia Rerum Francicarum tom.* III, *lib.* XXI *ad annum Christi* 656, *et Papirius Massonus in Fluminibus Galliæ pag.* 150.

Ex MS

Caput II. *Narratio pœnarum infernalium, Sancti exorcismus, secunda peregrinatio, episcopatus, profectio in Hispaniam, prædicatio fidei, miracula, et martyrium.*

Vir a morte excitatus

Crastina die, quæ fuit Veneris, sexta scilicet feria, valde mane viso beatus Remigius filiolo suo, et mortuo resuscitato, exultans in Domino, gavisus est gaudio magno. Cum autem se mutuo filiolus scilicet cum patrino oscularentur, et genæ utrorumque lachrymis perfunderentur, ad solito studia E recurrunt, diuque more solita incumbentes orationi secretæ, dum ab oratione resurgunt, beatus Remigius filiolum interrogavit, quid sibi de hoc mortuo resuscitato, quem secum adduxerat, ratio haberet. Percunctatis vero rei gestæ ordinibus et patefactis, advocato suscitato a feretro, sciscitatur diligenti examine beatus Remigius, quemadmodum illi erat, dum cerneretur mortuus. Ille vero palam elucidans suæ infelicitatis tormenta, retulit, se infernalibus obstrusum claustris, et partim pœnalibus destinatum tormentis, nisi quod tantummodo divina eum protexisset misericordia, in angelica custodia.

inferni pœnas exponit S. Remigio,

11 Visum namque sibi dixit esse, in modum tristegæ *a*, in infernali tormento, super se cathedram positam, ex qua tristega, procedebant tria incendia importabilia, quæ animas in circuitu positas, diverso laniabant cruciatu. Procedebat vero sicut ex fornace de tribus partibus, quasi sulfureus ignis. Ex una parte vero fœtore suo animas circumquaque mortificabat, ex altera parte flammeus ignis indeficiens; quo semper animæ F arderi videbantur; ex tertia fumus nigerrimus quasi abyssos penetrans diversim animas crucians, nullatenus requiescere laxabat. Sub ipsa vero tristega, ipse miserabilem sessionem judicialem acceperat. Et erat quasi tribus foliis fici coopertus, umbraculo æstuantis gehennæ. Et dum tali se penuria videretur affligi, visum ei fuit a proprio custode, qui eum illic prævidebat, per orationem Arnulfi laici revocari. Quo completo, beatus Remigius sub humilitatis silentio hæc indixit non revelari. Pro adventu autem, ut decebat, filioli charitatis causa præparatur administratio.

quibus auditis, S. Arnulphum exorcistam consecrat.

12 Convocata denique sponsa domina Scariberga, celebratoque unanimitatis juxta voluntatem Dei convivio, valedicens beatus Remigius filiolo, sponsæ, et resuscitato, perrexit in matris ecclesiæ gremio, sanctæ scilicet Mariæ, consilii causa requirendi a pastore omnium Episcopo *, de hujusmodi revelationis negotio. Qui pernoctans vigilando ipso sequenti sabbato, convocato ecclesiastici ordinis concilio, detonso filiolo, statuit eum

* *forte* episcoporum

ex MS

eum in clericali officio, immoque ipso die, sicut ordo se habebat, ad Ordines eum promovit ecclesiasticos, usque ad exorcistam. Quo ordinato, prima egressionis suæ die ab ordinatione, obviam fuere illi duo energumeni, masculus ac femina, quos, a masculo tribus ejectis dæmonibus, a fœmina duobus, per invocationem sacri Ordinis, ipsa die suscepti, sanavit.

eumque apud se retinens in variis virtutibus exercet.

13 Quo audito, beatus Remigius lætissimus retulit Deo gratias in suis mirabilibus operibus. Verecundiæ vero honoribus domnus Arnulfus implicatus, noviter ordinatus, fugam arripiens, ministerium peractum divinitus, perterruit * humiliatus. Quem consolando, beatus Remigius, ne desisteret in precibus, sed firmiter speraret in misericordiæ Dei visceribus, aliquando secum morari fecit in orationibus. Tunc vero gaudens beatus Remigius in omnibus, advocata sponsa domna Scariberga, sibi invicem statuere divinitatis obsequia; in quibus obsequiis Domino sanctissimoque Remigio adhærentes, usque ad obitum sancti Remigii *b*, dominus Arnulfus B perstitit, una cum virgine sponsa, ac urgente charitatis ardore non recusavit eleemosynam de suis rebus facere, et explere sibi a sancto patrino commendata.

** id est timuit*

S. Arnulphus iterum peregrinatur,

13 Dispositis vero omnibus, denuo perrexit ad peregrina loca, in ipso ordinationis suæ exorcismi gradu. Et progrediens Tholosam adiit, diuque ad sancti Saturnini *c* sepulcrum in orationibus vacans, præmonitus ab angelo Pictavis ad sanctum Hilarium *d* orandi gratia perrexit. Tandem vero angelico ductu Turonis usque properans venit, ubi episcopus fuit ordinatus. Erat namque tunc temporis altercatio, et dissensio in Turonica urbe, de eligendo pontifice. Sed tamen instinctu divinæ clementiæ plurimi episcoporum illuc convenerant, et triduanum jejunium celebrare debebant una cum civibus et suburbanis sanctæ religionis filiis; deposcentes Dei clementiam, ut de subrogando pontifice, voluntas Dei manifestaretur in coadunata devocatione.

et fit Turonensis episcopus:

15 Cum vero, ut præmonstratum est, tertia dies jejuniorum instaret, advenit C domnus Arnulfus adhuc exorcista, sicut a sancto Remigio fuerat ordinatus, et clanculo se imposuit ad orationis studium. Oratione vero completa, dum ecclesiæ fores egredi curaret; ecce angelus Domini astitit, eumque in ecclesiam intromisit, et foribus omnibus obseratis, perduxit eum in collegio episcoporum, eumque ex parte Dei indixit ordinandum. Qui omnimodis renuens, et numquid * se judicans, invitus trahitur, eligitur et ordinatur ab exorcista, in omnibus gradibus usque ad episcopatum.

** lege indignum*

sed, episcopatu mox relicto, in Hispaniam proficiscitur,

16 Dum vero post ordinationem, ad matutinale officium suete conveniret, et Domine labia mea aperies, ut ordo ecclesiasticus exposcit, initiaret; mox angelicam persensit vocem dicentem : Et os meum annuntiabit laudem tuam. Alia namque nocte, dum templum ingrederetur, Dei erumpens in laudem, ait : Exultabant Sancti in gloria; subsecuta est illum vox inquiens angelica : Lætabuntur in cubilibus suis. In episcopatu vero non perstitit nisi tantummodo decem et septem diebus, æstimans et valde pertimescens, detrimentum animæ esse, si se sub D tali permitteret dignitate, sicut considerabatur in episcopalis majestate honoris. Iterum vero sicut prius omnia reliquerat, episcopatum deserens, peregrinando et prædicando per undecim annos pene universitatem regnorum perlustrans, Hispaniam pervenit, ubi prædicatione sua multos convertit ad fidei sacramenta.

ubi Regi fidem Christianam prædicat,

17 Ad extremum vero advocatus est a rege Hispaniæ; qui cernens claritatem vultus ejus, et admirans pulcherrimam faciem, quam gratia irradiabat divina, interrogavit eum, quæ esset hæc nova lex et doctrina, et hæc superstitio, quam in suo prædicabat regno, et quis Deus esset, quem coli juberet? Ille vero, ut Christi athleta, persistens imperterritus, utpote Spiritu sancto repletus, prædicabat Filium Dei pro salute generis humani venisse in uterum Virginis, natum et passum, resurrexisse, cælos ascendisse, super discipulos Spiritum sanctum misisse, ubique præsentem esse, judicaturumque vivos et mortuos in mundi fine *e*. E

et miraculis patrat,

18 Quo audito, Rex volens probare, si hæc vera essent, dixit : Est serpens in parte regni mei, qui pene totam in circuitu terram comburere flamma videtur, silvas facit ardere, etiam suo flatu aquas dicitur siccare, ut relatum audivimus, habens capita quinque, quem hydrum appellant. Cujus pestem, si volueris exstirpare, aliquantulum poterimus te veracem probare : Cui fidenter beatus Arnulfus respondit, dicens : In nomine Domini mei Jesu Christi hæc paratus sum facere, si spoponderis, te verbis meis credere. Ad hæc respondit Rex : Et ego et omnes mei credituri erimus, si dictis facta compenses. Tunc beatus Arnulfus fisus in potentiæ Dei virtutibus, postulavit se deduci illas in partes, ubi belua ardens vastabat universa; sed defuit in ejus præsentia persona, quæ præsumeret ista; tamen diu multumque colloquendo, elegerunt se tres viri fortissimi, qui eum deduxerunt, usque ad quemdam montem, ultra quem serpens ille æstuabat. F

Regem et multos alios convertit.

19 Viso vero serpente, in nomine Jesu, sumens stolam de collo suo, posuit super caput serpentis, moxque serpens humiliavit se, et quasi domestica bestia, sine læsione Servum Dei secutus est : perduxitque eum sanctus Arnulfus usque ad quoddam stagnum et lacum, ubi jacebat quidam homo multo jam tempore necatus, ad cujus adventum, mirum in modum, mortuus qui jacebat est locutus. O, inquit, serve Dei, noli hunc jactare super me, sed primo roga me venire ad te, et egredi de isto, ubi jaceo, squalore. Tunc beatus Arnulfus, vocato ad se mortuo et excitato in individua Trinitate sepulto, indixit serpenti, ut nullatenus se moveret de isto stagno, et nulli umquam valeret nocere in hoc mundo. Quod audiens rex, et cernens omnis Arianorum *f* multitudo, credidit ipse rex et uxor ejus et filii, omnesque Hispanorum proceres, multique Nicolaitarum *g* sectam respuentes, juncti sunt catholicæ fidei.

Denique Remos rediens a servis uxoris suæ vulneratur.

20 Conversis vero multis regnis, quæ perlustrare valuit undecim annis, beatus Arnulfus reversus est Remis, ut cerneret miracula,

A la, quæ Deus per beati Remigii patroni sui merita faciebat gloriosa. Dum vero quadam nocte ad sepulcrum sancti Remigii iter capere orationis vigilantia decrevisset, sponsæ suæ servi eum in trivio, sicut mos est malignos bonis invidere, fustibus et gladiis appetierunt, et quidam cultello caput ejus percussit, æstimantesque eum vere mortuum, semivivum reliquerunt.

... mori-

21 Sed tandem palpitante spiritu, domina Scariberga jam dudum ei desponsata, accelerans flevit amare, et spopondit, se numquam corpus ejus relaxare diebus vitæ suæ. Cui sub tali conditione beatus Arnulfus imponens velum, perpetuæ scilicet sanctitatis et castimoniæ indicium, commonuit eam de præmio virginitatis, et de gloria sempiternæ felicitatis, contestans ei, ut corpus ejus cum aromatibus condiret, et Turonis, ubi episcopus ordinatus fuerat, procuraret cum sarcophago in uno conducere plaustro, quod et rei eventus denudavit. Convenientibus vero ad obitum ejus universis ordinibus cum episcopo, visum est beatissimum Remigium inter B ceteros adesse, et beatum acclamasse sanctum Arnulfum : Ecce domine pater accipio a te viaticum, et pergam tecum. Ad hanc vocem, multis cernentibus, quasi columba nivea ex ore suo progrediens beati Arnulfi anima sic migravit ad Dominum, quinto decimo Kalendas Augusti, plena meritis virtutum, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Hoc nomen in sacris Litteris usurpatum est. Græce dicitur* τρίστεγον *id est* triplex contignatio, *et componitur ex* τρὶς ter et στέγη tectum ; *quod oritur a* στέγω, *id est* tego.

b *Ex hoc loco colligi potest, quod* S. Arnulphus *secundam suam peregrinationem instituerit post mortem S. Remigii, ut monui in Commentario prævio.*

c *De S. Saturnino, celeberrimo martyre, Tolosæ in Gallia ab ethnicis occiso, agit Martyrologium Romanum* XXIX *Novembris.*

d *De S. Hilario Pictaviensi episcopo egimus ad* C *diem* XIII *Januarii.*

e *Hæc prædicatio iis temporibus minime quadrat, cum tunc Christiana religio in Hispania satis esset nota, quamvis reges aliique proceres forsan eo tempore Ariana hæresi infecti essent. Consuli possunt noster Joannes Mariana lib.* V *de Rebus Hispanicis cap.* VII, *Joannes de Ferreras in Historia nuper Hispanice edita sæc.* VI, *aliique scriptores Hispani.*

f *Joannes a Bosco in editis* S. Arnulphi *Actis hic ad marginem pro* Arianorum *posuit* paganorum. *At si legi velit* paganorum, *falsa est suppositio, cum sæculo* VI *incolæ Hispaniæ saltem Christum agnoverint, ut supra diximus. Si vero legendum sit* Arianorum, *lectio hæc cum præcedenti* S. Arnulphi *prædicatione non cohæret, in qua regem Hispaniæ, aliosque regni incolas, tamquam paganos, instruit.*

g *Notissima est Nicolaïtarum hæresis, quæ primo Ecclesiæ sæculo exorta est ; sed non videtur ea tamdiu viguisse, ut sæculo* VI *in Hispania exstiterit. Puto igitur (siquidem vera sunt, quæ hic narrantur) quod per* Nicolaïtas *hic intelligi debeant homines, ac præsertim clerici impudici ; quo sensu, S. Petrus Damiani lib.* I, *epist.* VI *scribit :* Præterea non expavescis, o infelix episcope, quia dum in luxuriæ voraginem corruis, Nicolaïtarum hæresim incurristi. *ex Ms.*

VITA METRICA

Auctore Letselino.

Ex Ms. Belfortiano.

PROLOGUS.

Sublimes actus, et quæ certamina gessit, *Auctor, invocata S. Spiritus ope:*
Magnificus miles, bellantia tela capessens,
Arnulphus contra mundi rabiem, duce Christo,
Fratrum compulsus, cano metri lege, rogatu.
Insulso concede mihi, quæ nescio scire,
Thesauroque tuo quiddam sentire soluto,
Spiritus alme Deus, qui secula cuncta potenti
Jure regis cum Patre Deo, Genitoque per ævum. E

CAPUT I. *S. Arnulphi parentes, nativitas et Clodovei regis conversio ad fidem. Sancti juvenis educatio, matrimonium, prima peregrinatio et miracula.*

Est pater Arnulphi Gallorum stirpe creatus, *describit genus S. Arnulphi,*
Quiriacus primum gentili nomine dictus :
Hunc tu in fonte sacro pellem mutare videres
Æthiopis, velut ac florem de vepribus ortum,
Nomine rite novo vocitari et Rogatianum.
At conjunx ejus simili ratione renata,
Egregii generis mulier, quam Roma *a* superbo *a*
Sanguine progenuit : quæ Quintiana priori
Nomine dicta fuit : melior sed origo vocavit F
Eufrasiam, quia lingua bonis fruitura loquelis
Illius Christum Dominum jam læta fatetur *b*. *b*
3 Ambos Remigius lavit baptismatis undis. *parentum sterilium conversionem, et pueri nativitatem.*
Cumque essent steriles, fundebant vota precantes.
Ante pii vultum pastoris : qua prece multa
Flecteret Altitonum, qui mox valet id dare, quod vult.
Et dum tantus amor nimiis affectibus urit,
Prædia pro voto, quæ Reiteste vocantur
Cara, viro sancto semper traduntur habenda.
Prolesque ipsa Deo ferventi corde dicatur.
Angelus hoc visu mox nuntiat esse futurum.
Denique lætificat soboles concepta parentum
Viscera : felix o nimium, dum funderet, alvus
Optatum puerum, justi quandoque tenacem !
4 O quisnam referat facunde, gloria quanta *Deinde post digressiunculam.*
Sustulerit mentes divinæ legis amantes,
Dum puer Arnulphus vitales percipit auras.
Ergo Dei nomen laudabile prædicet omnis
Spiritus, obsequii persolvens munia puri,
Qui quod vult faciens, cunctorum conditor almus
Infima non abicit, miseras non calce querelas
Reprobat,

l. x. Ms.

Reprobat, aut surdam durat crudeliter aurem.
Rex æterne patent tibi cuncta et cognita fiunt.
Ni te dante, nihil homo prævalet utilitatis
Omnibus impartis tua, fons et origo bonorum.
Præbe signa viæ, quæ me non sinat inertem
Ire per abruptum ; potius tutamine fultum,
Pandat iter fidum, sublatis undique fucis
Qui via semper ades, Jesu benedicte redemptor.
Hoc dixisse tuis, olim reminiscor alumnis.

sancti pueri educationem,

5 Inde puer tantus, genitricis ut exuit artus,
Remigii statim curæ committitur almi,
Quem manibus traxit sacro de flumine fontis.
Et vice patris eum studiose prendit alendum,
Et vocat Arnulphum. Quod nomen celsa propago
Romanæ pubis quondam sublime ferebat,
A qua descendit consanguinitate gradatim.
Interea cœpit paulatim crescere membris
Corporis ad solidum, spatio labente dierum.
At licet hoc dicant nonnulli quod trahat ad se
Pectoris inclusas carnis corruptio vires,
iste tamen Pauli vestigia rite beati
Sectatur, qui tunc sese plus posse fatetur,
Cum nimis atteritur, graviusque per aspera fertur.
B
Omnia devincens supereminet impedimenta.

** forte acrius et studio narrat.*

6 Artibus incumbens apibus * puerilibus annis
In quibus haud modicum se exercuit, ingeniosos
Exuperans omnes etiam sibi consociatos,
Tunc canos mores modicis conformat in annis,
Legibus incumbens divinis nocte dieque ;
Arboris ut lignum quod nutrit cursus aquarum,
Poma suo tribuens in tempore mitia, pulchrum,
Dum stabit folium cui semper prospera cedent :
Actibus in cunctis ita sese rite gerebat
Hic juvenis, qui nomen erat bonitatis adeptus,
Innocuis manibus, mundo quoque pectoris antro,
Qui vanis animam propriam non contulit usquam,
Propter hoc ipsi dabitur benedictio Christi,
Et Dominus Jesus plenum miserebitur illi,
c Ut Samii lævos *c*, evaserit optime ramos
Liber, et in dextris se strinxerit, ut frueretur
Majore ingenio virtutum robore fixus.

Clodoveus ad fidem Christianam conversus,

7 Francia bellipotens, quæ nescia vertere terga.
Victrici dextra refert famosa trophea,
C Proterit adversas sibi subdens undique gentes :
Ordine sat pulchro, cum rex Clodoveus et omnis
Pugnantum cuneus, comperto tramite Christi,
Magni Remigii succensi pectora verbis
Divinis optant in sacro fonte piari.
Gratia cælestis jam per sua vasa redundans,
Quæque suo loca magnifico spargebat odore,
Interius cujus moti spiramine multi
Horrent confusi vitæ monumenta prioris ;
Erroresque cadunt, et fana relicta fugantur :
Luminis adventus nam semper decutit umbras.
Hæc est excelsi dextræ mutatio Regis ;
Scilicet ut roseo vernent ornata decore
Arva, diu tribulos et sentes ferre sueta.

neptem suam S. Arnulpho in matrimonium tradit;

8 Sanctus Remigius baptizato Clodoveo,
Regi magnifico bellantum Francigenarum
Offert Arnulphum : quem Rex suscepit honeste
Et magis atq ; magis gratum sibi strinxit amore ;
Scilicet in tantum, quod neptem valde venustam
Ille suam, proprio Scaribergam nomine dictam,
Traderet Arnulpho maritali fœdere nexam.
Remigius vero monet illos deinde beatus,

Quid carnalis amor mercedis commercatur, D
Quidve pudicitiam servantibus æthere servet
Omnipotens Dominus. Quibus auditis documentis :
Votis se Domino castis commendat uterque.

sed pari consensu virginitatem vovent,

9 Crescit amor Christi post hæc fervore pudico
Cordibus amborum validissimus atque vacare
Incipiunt sacræ solerter religioni.
Pro risu lacrymas fundentes semper amaras,
Pro nihilo ducunt, mundus quæ diligit iste,
Obsequioque jugi Dominum secretius orant :
Cumque foris speciem ostendant se ferre jugalem,
Clarescit factis quidquid præcordia volvant.
Quamvis scripta canant, homo numquam dividat illud,
Quod Deus imprimis conjunxerit omnicreator :
Ipse tamen si dissolvat, quis hoc reprehendat ?
Corpora dissolvi non est quod corda ligari ;
Solus idem Christus dominus dissolvere novit.

et S. Arnulphus primo Romam,

10 Denique per visum vir nobilis iste monetur
Quod qui non spernit, quæ possidet omnia, numquam,
Discipulus Christi esse valet. Sed et istud ab alto E
Præcepit : Si vis jugiter perfectus haberi,
Omnia vende volens, et da miseratus egenis
Quæ tua sunt, mea post vestigia pergens,
Thesaurum sic exspecta super astra polorum.
Pontifici sponsam committit, et omnia linquens,
Carpit iter longum. Te primum visitat hospes,
Roma potens : quia te tollunt duo lumina mundi
In sublime, Petrus pastor benefidus ovilis,
Et Paulus pariter, doctor mirabilis orbis.

deinde Constantinopolim et Hierosolymam peregrinatur.

11 Hinc Constantinus quas condidit indupe-rator,
Arces Græcorum traxit te cura videnti.
Tum jacuisse sacrum corpus Domini Dominorum
Nostra fides testatur ubi, prostratus adoras
Æternum Regem, tibi poscens dona salutis,
Ante Deum multa rogitans prece longius usq ;
Dum te sperantem vitæ illic ponere metam
Commonet ad patriam cæli dilapsus ab axe
Maturare viam reditus bonus angelus : unde
Festinus remeat, Christo domino duce, postquam
Ter senos annos uno minus egerat exul. F

In patriam rediturus Ravennæ animam a dæmonibus liberat.

12 Ventum erat ad portum, qui fertur voce Ravenna.
Pervigil excubiis, ibi sentit corpore lapsam
Infelicem animam, quam dæmonia excruciabant.
Non tulit hoc motus, quin terruit horrida monstra,
Extorquens illis animam, quæ corporis antro
Reddita convaluit : propter quod tempore parvo
Delituit Sanctus, furtimque recessit ab illis ;
Scilicet hoc metuens ne laude feratur inani.

et alib. 1. orbe

13 Tunc redit ad patrem tetræ caligine noctis,
Ante diem pergens ; et pauco calle dierum
Expleto, venit Cellas, sub qua fluit amnis,
Sequana : ubi corpus jam cassum munere vitæ,
Funeris officio cupiebat tradere fossæ
Illius fundi populus collectus ubique.
Quod procul ut visu percepit, cordis ab imo
Commotus rogitat, genibus cum corpore flexis.
Qui potis es cælos et cuncta creata per orbem
Tradere in interitum, quæ vivunt, quæque moventur,
Et dare rursus eis vitam, nunc respice vultu
Prædulci, mea non obstent mala, sive retardent
Qui pius es nimium promptusque rogantibus, et non

Vis

A Vis peccatorem damnari, at vivificari,
Flecte mihi vultum; faciem converte benignam
Redde suis membris surgatque cadaver
Hoc hominis miseri superis per secla negandum.
14 Confestim videas feretro (mirabile visu)
Surgere defunctum, luctusque in gaudia verti.
Mentibus astantum vehemens stupor irruit: inde
Læti se pariter referunt in tecta domorum
Laudantes Dominum, quem laudant regna polorum.
Iste tamen, cui vita redit, contemnit abire:
Dissipat ille moras, et cursu præpete tendens,
Arnulphi pedibus supplex prosternitur: et sic
Flagitat: O dilecte pater, famulum me semper habeto;
Donec claudat iter comiti mors ultima vitæ,
Sim tibi conjunctus, non usquam dividar abs te.
Ergo præcepit secum perstare beatus,
Inter eosque fuit perpes concordia morum.
15 Jam manifesta fides signorum per loca multa
Tollitur in vulgus, cognoscit plurima plebis
Concio perspiciens, quanti venerabilis iste
Sit meriti apud Dominum, per quem tot signa
B refulgent.
Nimirum cæcis reparantur lumina passim,
Surdis et mutis redeunt sua munia prorsus,
Gressibus et claudi velocibus ire videntur,
Et natura suis respondet plena locellis
d Diffugiunt morbi, cedunt inimica saluti *d*.
Hanc Arnulfe tibi concessit ab ætheris axe
Signipotens virtutis opem, tua gloria, Christus.
O fortunatum qui Christi jussa secutus,
Ridebit, dum reddet ei manus omnipotentis
Gaudia completi semper mansura laboris.
Sed calamus nimio jam deficit oris hiatu:
Dormiat hic paulo, prorumpat ut altius idem.

ANNOTATA.

a *De Romana hujus mulieris stirpe non meminit præcedens Vita.*

b *Letselinus aliam hujus nominis etymologiam excogitavit: auctor enim prioris Vitæ eam a prudentia nominat* Euphrosiam; *hic autem ab* εὖ bene *et* φράζω *id est* loquor, *eamdem vocat* Euphrasiam; *quasi dicas* bene loquentem, *ut satis duplici versu explicat.*

C

c *Quid hic Samii lævi rami sibi velint, fateor me non intelligere.*

d *Hic in genere multa adduntur miracula, quorum Vita prima non meminit. Fusius adhuc eadem recenset Ms. codex noster Valcellensis.*

CAPUT II. *Reditus in civitatem Remensem; benevolentia S. Remigii erga S. Arnulphum, quem exorcistam consecrat; qua dignitate præditus statim duos energumenos liberat, et ob periculum vanæ gloriæ fugam meditatur.*

Præsul adhuc vivens Christi pascebat ovile
Remigius, curis insistens, ne lupus intrans
Innocuo fauces intingeret ora cruore. ex Ms.
Arnulfus magno statim commotus amore
Festinum sudabat iter, dulcedine tractus
Cernendi patris. Quis gaudia norit amica,
Quæ fuerint pariter dum miscent oscula chara.
Præmissis precibus tamen intima vota Tonanti?
Ecclesiæ valvas intrans prius obtulit idem
Arnulfus, vir conspicuus, deitatis amator,
Interiora petens, ubi se mactarat ad aram
Numinis excelsi: quam largos currere fletus
Aspiceres roseos per vultus, et lachrymarum
Ubertim faciem perfundi fonte coruscam;
Qualis, ubi pluviæ per cæca silentia noctis
Arva rigant, cursumque minant per concava rivi,
Ac si forte redit (dum cessat defluus humor)
Suda dies, rutilante polo, mortalia gaudent
Pectora, lætitiæ et vulgo splendescit imago:
Talis erat habitus, cum membra levaret ab imo
Pulvere commixto passim fluviis oculorum.
Factæ nam post signa crucis se visibus offert
Mirantum, summe dulcis gratusque popello,
Qui circum ingenti steterat succensus amore.
17 Ecce autem pastorque pius clerique caterva, *a S. Remigio benevole excipitur;*
Hospitis adventum tanti dum fama referret, E
Ocyus assistunt et suscipiunt reverenter:
Oscula porrectis infigunt dulcia labris
Exterius: nempe interius pia viscera flagrant,
Cordibus alterutrum complexis, seque salutant.
Tunc primas animis convivia dulcia mensas,
Admotus codex statuit, documenta ministrans
Legis divinæ, ac superans genus omne ciborum.
Corporeis post hæc indulgent: nam via valde
Longa fatigarat, vel sæpe abduxerat error *a*. a
18 Incipit Arnulfus, quæ dura et prospera duxit *interim vir a morte revocatus,*
Pergens aut rediens, humili narrare relatu.
Quis putet, ut tantum seducat gloria fallax
Ulla virum? Fugiat hæc pestis noxia cunctos
Christicolas: præsens aderat qui retulit ipse,
Quæ sibi defuncto fuerant satis horrida visa:
Accipe magne pater, (dicens) quæ vera revolvam.
Spiritus hos quondam vitalis liquerat artus,
Undique constrictus, quo tempore multa timebam.
Namque duas coram cernebam stare cohortes:
A dextris stabat niveo vestita decore, F
Aspectus cujus me solabatur amicus:
Altera pars miserum me susceptura fremebat
Sordida, deformis, cænosa, inculta, palustris,
Significans operum mihi reddere pensa meorum.
19 Heu quantus pavor hanc animam concussit, anhelos *describit pœnas infernales.*
Spirantem flatus, dum pendula vita trahebat
Tristia de summo spiramina pectore, visis
Luminibus torvis, quæ contorquebat in iram
Turba ferox, inimica boni, sed criminis ultrix.
Tandem justitiæ pendens examina, dixi:
Hei mihi! cum trutinam versent mea facta sinistram,
Deferor in prædam, larvalibus obruor umbris.
Jam loca pœnarum tristis peto, mœsta pericla.
Horrendum resonant, deformis arundo,
Cocyti palus, et Styx, atque inamabilis unda,
Ac simul omne genus erebi damnare pararunt.
Hæc tormenta videns, oculorum flumina fundo.
Talia dum facerem pavidus, venit ocyus ad me
Angelus e cælo, manibus qui extraxit ab istis,
Me referens, et restituens his concite membris,
Arnulfi precibus: veluti nunc indico præsens.

In MS. S. Remigius Arnulphum ad humilitatem excitat.

20 Teste viro, qui jam fuerat sic ore locutus,
Arnulfum tunc dulcifluis affatur adhortans
Eloquiis præsul : Fili dulcissime , primum
Mente humili semper te custodire memento ,
Ut concessa tibi maneat , nec deserat umquam
Gratia Supremi , qui sublevat inferiores ,
Ponit et erectos Tecum timor omnipotentis
Sit Domini : namque est radix et origo sophiæ.
Quæ tibi sunt concessa manu dominantis ubiq ;
Nocte dieque vide solers, ne forte recedant.
Quod faciens multum ditaberis , et potiora
Repperies gaudens , altaque in sede locatus :
Unumquemque Deus rerum vult esse potentem.
Cum cruce post illum celeres percurre viator
Nudatus calles mundi, quia transit ut umbra;
Quidque recepturi sint pro sudore fideli
Mercedis Christi cultores , quidque maligni
Supplicii : super omne cave , ne gloria facti
Istius tangat te : verum dicito supplex :
Non nobis, sed Christe tibi, tua gloria detur.

et post convivium.

21 Interea domus obsequiis concussa modestis
Certat ovans mensis apponere singula quæque.
Porro pontificis jussu Scariberga jubetur
B Adfore conviviis non ingratis pietati.
Ut rosa cum zephyris spirantibus intepet aura
Verque rubens cogit pubescere germina terræ :
Hæc ita pulchrificis renitebat splendida factis ,
Sole rubens vero , regalis et inclyta virgo,
Quæ jam virgineis flagrat compacta choreis,
Æterni Regis thalamo fruitura sereno.

ornat illum exorcistæ officio.

22 Denique corporibus recreatis , reddere pergunt ,
Grates magnifico, tribuit qui cuncta, datori.
Templa Dei Matris tunc sanctus pastor adivit
Mente petens una sibi quædam significari :
Nam secum curas animo trepidante movebat
Anxius, ut Christi juga collo imponeret hujus
Arnulfi : cui scire datur divinitus, illum,
Officio dignum fore pro certo clericatus.
A precibus surgens, mox ad se cogier urbem
Præcipit, ut tota sit jussio nota sub urbe.
Curritur ex voto, Remis glomeratur in unum
Auribus arrectis. Episcopus ore benigno :
Est, inquit, hic Arnulfus vir nobilis, atque
Ingentis meriti, dignum quem cælica virtus
Indicat ordinibus fore sacris, et clericatus
Officio fungi. Plebs laudat et annuit omnis.
C Promovet ergo virum, tonsis barba atque capillis :
Exorcista dehinc factus, sic se manifestat.

in quo constitutus mox duos dæmoniacos liberat:

23 Prosiliunt homines miseri duo progredienti ;
Alter dæmonibus quassatus membra duobus,
Et tribus alter erat. Qui talia dum paterentur ,
Incuterentque minas circum populo venienti ,
Aspiciens servus Domini venerabilis, inquit :
Num tibi non satis est mentes invadere vanas
Gentilis populi , atque illic regnare malignis
Fraudibus ? An Christi mundatas sanguine plebes
Dente cruentato moliris carpere mites ?
Evolat ut fumus, fugit et procul ille tumultus ,
Et dictum sequitur magnæ medicina salutis :
Incolumes gaudent, qui saucia pectora dudum
Rumpebant, huc atque illuc sine mente ruentes.

quam ob rem vitare cupiens plausum populi, fugam meditatur.

24 Postulat abscondi penitus nec famine ferri :
Verum non latuit, velut illud quod Deus olim
Non diffamari præceperat, et tamen illi
Curati excelsam tollunt per climata vocem.
In hunc namque modum benefecerat omnia Christus,
Reddens auditum surdis, mutisque loquelam. D
Hi vero, qui per famulum sunt cunctipotentis
Sanati, nequeunt tam grandia signa tacere.
Mirantur multi, crescit laus cuncta creantis,
Hoc signo audito, contendit quærere vulgus
Emittentem operum jubar admirabile seclis.
Jam quin ulterius lateat tam clara, lucerna
Fama volans agitat plebes atque arrigit aures :
Unde simul clamore petunt sibi propitiari.
Furtivam mox ille fugam meditatur, et exul
Vult fieri, ne tentetur deceptus amore
Laudis pomposæ. Quod noscens protinus almus
Remigius, mandat sibi præsentarier illum,
Ac revocans illum verbis demulcet amicis.

quem S. Remigius ipse dissuadet;

25 Non, inquit, tibi sit durum, charissime frater ,
Quod te simplicitas quærit populosa videre.
Arctius hinc solito precibus consuesce profundis ,
Spemque fidemque tuam Jesu committe tuendam.
Qui majora dat his quæ quisquam exposcere norit.
Magnus enim Dominus, numero nec clauditur ejus
Exuberans virtus, quæ dat quærentibus, ut vult,
Agnoscitque suos inter condensa malorum E
Agmina commixtos, et quid mercedis utrisque
Pendeat ex merito. Te quamvis signa timore
Concutiant , et solicitet ambitio nulla :
Hoc tamen advertas, quia dat hæc omnicreator,
Qui dixit : Lux vestra palam splendescat in orbe,
Ut videant homines, et toto pectore vestrum
Glorificent patrem, qui cæli possidet arces.
Sic Domino semper reddetur gloria soli ,
Illæsis nobis, labetur et aura favoris.
His dictis stabilitur mens, animique procella
Mansuescit ; tamquam videas post nubila cælum
Luce micans, dum ducit equos jucundus Apollo.

postea tamen S. Arnulphus iterum statuit patriam deserere.

25 Posthæc pungit amor, carnis qui cuncta trucidat
Incentiva bonus, vivens ut hostia fiat
Sancta, Deoque placens, pleno obsequio rationis.
Continuis ideo se noctibus atque diebus
Mortificat lætus, castigans corporis artus
Jejunos et pervigiles atque extenuatos.
Fletibus irriguis sancti memor esse Prophetæ
Dictorum cœpit, modo qui purgata fideli
Semina committunt ruri lacrymis resoluti,
Magna metent hilares venturo gaudia seclo.
Tum quali Israël luctu captivus agebat, F
Flensque sedensque super Babylonis flumina mœstus,
Organa dum salices illic suspensa tenerent,
Cantica ne Domini mulcerent dulcia mentes
Rure peregrino : isthæc crebrius ipse volutans,
Se contemplatur patriis et dulcibus arvis
Longius avulsum miseras hic ferre querelas.
27 Sollicitabat eum, cujus gerit ista figuram,
Syon pacis habens magnæque salutis asylum :
Cujus Rex Christus caput est, et conditor ipse.
Sancte pater , cujus nos hic amplectimur ossa ,
Hanc toto sitiens animo vehementer amabas ,
Atque inhians illuc currebas mente sagaci
Ad fontes, pedibus velox ut cervus , aquarum.
Jam memorata super Scariberga jubetur adesse,
Ut pariter sensus renoventur in actibus almis,
Et custodita per secula virginitate,
Divisi alterutrum cupiant compage ligari
Christi perpetua. Subeunt monitoris utrique
Imperium, ex voto quod denique complent.
Musa fatigato raucescit garrula cantu ;
Nunc indulgeri sibi postulat, ut renovato
Prorumpat calamo, cœpto redimita cothurno.

ANNOTATA

A

ANNOTATA.

a *Vita prior num.* 8 *asserit, quod* S. Arnulphus ductu angelico infra quatuor dies super Sequanam...... infatigatus *pervenerit. Contra vero Letselinus dicit, eum longitudine et errore viæ oppido fatigatum fuisse. Hinc colligo, alterutrum Vitæ scriptorem aliqua pro libitu hisce Actis inseruisse. Saltem satis patet, Letselinum quædam colloquia et sacræ Scripturæ effata pro ingenio suo iis immiscuisse.*

CAPUT III. *Secunda S. Arnulphi peregrinatio, episcopatus, iter in Hispaniam et miracula.*

B

S. Arnulphus sponsam deserens,

Postquam sanctus amor hos nexuit, atque scorsim
Divisit (nam corda ligat, si corpora findat)
Inter telluris quodam posito intervallo,
Accingunt se operi divino fortiter ambo :
Quo sponsi thalamos adeant, cui sponsa cohæret
Quæ macula rugaque caret, qui rite vocatur
Sponsus ob hoc, quia tam pulchram jungit sibi sponsam.
Jam vacat Arnulfus toto corde Altitonanti,
Pondera præsentis vitæ quem nulla tenebant :
Nocte dieque Deo servit, pro cujus amore
Omnia postponens istius prospera mundi
Exulat, atque humeros nudus crucis aptat honori
Ipsam post Jesum semper portare paratus.

secundam peregrinationem suscipit, a

29 Arripit ergo viam, cupiens vitare perosa
Arva Cedar *a*, dulcesque situs, charosque propinquos,
Remorum fines patriamque relinquit avitam,
Factus cælicolum concivis vernula Christi.
O sola Tholosæ felicia, quæ pretiosi
Busta Saturnini conservas martyris! hic te
Visitat en primum, fundens tibi plurima supplex
Thura precum : posthæc Pictaven pergit ad urbem,
Te (pater o Hilari) prece concutiens ibi multa.

C

et ad urbem Turonensem veniens,

30 Hinc (Martine) a te qui nullum calce repellis
Turonis te perquirit sibi propitiari.
Illis urbs frustrabatur pastore diebus,
Pontificesque ideo pariter glomerantur, et omnes
Non animo coeunt uno, pars tendit eorum
Huc, et pars illuc, nec dicta coæquant
Inter eos ullum consensum : donec adesse
Præcipitur plebs, cui jejunia mox triduana
Indicunt, quod divinum vultum optime placat :
Nam cum tertia lux radiat jejuna diei,
Mature populus veniens nimis extenuatus
Intrat in ecclesiam, Domino suo vota daturus :
Cum quibus ingressus Christum rogat ejus amicus
Arnulfus; sed dum munit sancta cruce frontem
Præsentes fugiens tacitusque foras graderetur,
Angelus in medio dilapsus cardine summo
Concite restituit plebi, mediæque catervæ.

[illegible]

Illum igitur cuncti poscebant omnipotentem.
31 Dumque aliquod super hoc spectarent desuper illi
Auxilium properare sibi, gererentque labantes
Pontifices animos : hos astans angelus idem
Cum sancto Arnulfo, verbis affatur honestis :
Quid vobis, inquit, longas versare querelas
Vel differre moras de præsule constituendo?
Ante Deum vestræ sonuere preces populique.
Hunc ideo per me qui conspectu fruor ejus,
Largitur vobis, quem jam nanciscitur aptum
Lucrandis animis, qui Arnulfus voce cietur :
Dictisque his abiens, cæli remeavit ad aulam.

Ex Ms.

eligitur episcopus Turonensis,

32 Tunc animos revocant, quos dudum cura tegebat
Anxia, pastores in gaudia tota, recedunt
Nubila tristitiæ : sicut quandoque videtur
In facie cæli, solito dum clarius illud
Redditur, et nubes fugiunt quibus ante latebat.
Res ita gesta palam populi sermone notatur :
Unde alacres cuncti nō hoc differre precantur.
Non valet ulterius Domini manifesta voluntas
Tardari : propter quod clamant vocibus omnes.
Acceleratur opus, benedicitur, atque sacratur
Ordinibus reliquis Arnulfus dignus et aptus,
Voce velut Domini. meus o dicentis amice.
Altius ascendens coram residentibus esto.
Tollitur a cunctis in sedem pontificatus,
Qui prius indignum se testabatur honore
Dicens, ausibus his nec fas nec jura favere :
Sed cœptis illum superant communiter omnes.

E

et gregi suo invigilans.

33 Ast ubi suscepit regimen tam grande animarum,
Torpor discutitur, non serpere tædia sinit,
Nec vano tempus carum vertigine volvit.
Immo gerens curam sibi commissi gregis atque
Pervigil incumbens studium sectatur Jacob,
Ac, se postposito, subjectum curat ovile :
Supplet ob hoc fœtura gregem, sub fomite tanti
Pastoris, qui septa ovium augmentata tuetur.
Plurima dona suis Dominus largitur alumnis,
Quorum mirificos miratur terra triumphos;
Quos humana nequit facundia dicere cunctos,
Si linguis etiam centum resonare valeret.
Et mihi si quamdam tribuat Dominus dominator
Ingenii venam, qua possim militis ejus
Arnulfi (quem nos colimus nimis hicce jacentem)
Partem operum memorare styli conamine quamdam!
Quod minus est in me (o pater) id prece perfice digna.

F

cælesti favore honoratur;

34 Nunc cœptum repetamus iter. Moris fuit ejus
Ut matutinos primus præsente caterva
Inciperet cleri : sed crebro dum fieret hoc,
Accidit in quadam signum mirabile nocte :
Ad dictum ipsius, cum cœtus forte tenerent
Ora, nec ullius vox aures icta feriret,
Angelicus chorus extemplo respondit ovanter
Particulam versus reliquam. Rursusque secunda
Cum vice secretus caneret sibi : cælicus ordo
Adfuit, et medius mox respondetur ab ipso
Versiculus quidam, per quod cognovit adesse
De cælo Christi famulis solatia semper
Hæc : Quoniam Sancti exultabunt luce perenni
Inque suo lætabuntur sine fine cubili.

at relicto post paululum episcopatu,

35 Sæpius hinc secum cœpit rimarier istud :
Huicque animum pulsant vitæ monumenta prioris
Quando quietus erat, curarum e mente remotis
Fluctibus, atque suo factori rite vacabat.
Fluctuat ergo, suamque parat dimittere sedem :
Interea ut prosit multis, ubicumque valebat,
Bis quinos septemque dies complevit et annum
His studiis, rexitque gregem per pascua pastor.
Post

Ex MS. Post clam plebe fuga delabitur, omnia linquens
Atque viam carpens lustrabat regna locosque
Quamplures : ubi perspicuo corda arida verbi
Vomere volvebat, sulcos hominumque fideles
Actibus istis sex annos et quinque peregit.

Tendit in Hispaniam. 36 Hipaniam versus post hæc deliberat ire,
Qua crudelis erat populus, gentilis *b*, et excors,
b Absque jugo Christi : monuit quem lege salutis :
Sed pars ad fidei documentum præbuit aures,
Pars tenebris immersa suis incredula mansit.
Ast ubi perversos incepit radere mores :
Vera patent odiis, linguisque trahuntur acutis :
Insurgunt stimuli, tædæ conflantur in illum
Invidiæ, miles Domini vibice feritur
Non pauca : nam turba ferox circum ruit, atque
Nisibus omnimodis molitur carpere tantum
Cæde virum, morti pro religione paratum.
Verum cui secreta patent, differre volebat
Hoc adhuc, dum quippe foret multis animabus
Utilis, aut velut aurum purgaretur in igne.

et ad regem adducitur, 37 Ad regem terræ comprensus ducitur infons
Quod fieri jussit, percepto, quod probitatis
Esset vir magnæ, fama volitante per urbem.
B Quem speculatus ait rex (nam vultus manifestat
Mentem :) Cujus, es o bone vir dic, conditionis,
Vel cujus sectæ? Respondit denique pastor :
Nobilis omnipotens Dominus meus est : ego servus
Spretis sigmentis, pronis colo vultibus ipsum.
Qui vero ille meis contrarius est Deus, inquit?
Ad hæc Arnulphus. Vos (heu) quibus esse putarim
Consimiles, quos conjurent etiam malesani,
Non sani capitis fore, sensibus evacuatis,
Colla datis, quæ mente carent et voce, figuris,
Pollice quas facitis. Da nobis (rex ait) illum
Esse Deum quem jactas : abs te discere quæro.

cui respondit 38 Christi servus habens de quo diffusius imbrem
Compluat eloquii, cui copia plena loquendi
Facundique modi tropos et schemata dictant,
Ut de thesauro nova proferat et veterana,
Ecce salit fons vivus aquas de gurgite Christi :
Ebibe, rex omnesque tui, quæ verba ministrat
Vobis Arnulphus, pater optimus eloquiorum.
C Funeste cecidit peccato protoparentis
c Humanum genus, atque suo juga dura chelydri *c*.
Imposuit collo, sub qua pressum ditione
Longinquo jacuit heu, tempore! donec ad ima
Mitteret ingenitus Genitum Pater ob pietatem,
Qua nos dilexit. Qui tandem Flamine sancto
Conceptus, natusque sacra de virginis alvo
Mariæ, verus Deus et homo verus, in isto
Est conversatus mundo, medicamina præbens
Debilibus cunctis : et cum miseros miseratus
Perficeret pietatis opus, dira est cruce passus.

fidei christianæ mysteria. 39 Sublatis spoliis, pridem quæ claustra tenebant
Impia tartareæque domus et monstra profundi.
Tertia dum radios gaudens aurora pararet :
Ecce resurrexit sol maximus, et leo fortis
Quem tribus eduxit humano germine Juda.
Ipse suis posthæc dedit insuperabile robur,
Postquam sydeream remeans penetraverat aulam
Judicii quandoque die confidimus illum
Affore, quando suo donabit quemque labore.
Hunc tibi credendum denuncio : quo sine nemo
Salvari valet, ac quivis jam desinit esse.
Sic tenet Arnulphus vir simplex oris habenas :
Reddit et intentum formosa oratio regem.

40 Tum rex : Paremus facturi quæque revolvis, *Sanctus, petente rege, adit serpentem, terris illis noxium*
Si nobis quoddam afflictis præstare valebis.
Dixit pro signo : Si serpens scilicet ingens
Intereat per te, qui nostras perdit ubique
Res; scrobe nam latitans sinuosos complicat orbes
Ingentesque globos, et lucida terga volutat,
Quinque capax capitum linguis vibrantibus ora
Per varias squamas varius color indicat illud
Pestiferum corpus tumidum grassante veneno;
Sibila lambit hians : sed cum resolutus ad auras
Egreditur, solemque videt : distendere nodos
Incipit, in longum spiris per plana solutis.
Ascendente die, paulatim bellua sese
Erigit ad radios agitans fervore venena.
Posthæc letiferos eructans gutture flatus,
Sulphure succendit bona terræ et vastat ubique
Sic homines nequeunt se, illo vivente, tueri.
Quin etiam pecus omne perit : nec vivere juvat.
Hac ratione tui cultores numinis omnes
Esse suadebis, si victus cedat hic anguis.

41 His pater Arnulphus expletis, scilicet (inquit) *ducitur.*
Posse dedit Christus credenti singula quæque. E
Imperio solo valet hic transponere montes,
Si fidei dono fervet sinapis adinstar.
Idque per ambages aut longa exordia nolo
Tendere : ductorem præbe qui dirigat illuc,
Os ubi contortus sese malus iste receptat.
Ducitur ergo Pater præeuntibus ad loca nota
Militibus tribus : hi latebras statim indice monstrant.

42 Viso angue, is se sternit humi, Dominumque precatur *eoque miraculose cohibito regem aliosque convertit.*
Arnulfus vir signipotens, frontem cruce munit.
Exurgit, fidei quem thorax fortiter armat,
In monstrum visu horrendum. Quod denique verbo
Aggreditur tali : Per nomen cunctipotentis,
Qui meus est Dominus, Christus Salvator Jesus,
Dico tibi : Jamjam tota feritate relicta
Ad me festines, humili cervice serenus.
Qui paret statim, faciens quodcumque jubetur.
At Domini famulus, collum circumdedit ejus
Insigni stola, jussitque incedere post se.
Jussus abire procul, nusquam manifestus habetur *d*. d
Quo felix signo flexus rex atque exercitus ejus F
Cervicem duram submittunt legibus almis,
Consiliumque Viri gaudent implere beati.
Desinat hic paulo calamos inflare Thalia.

ANNOTATA.

a *Puto, Letselinum hic respexisse ad illud, quod legimus Psalmo* CXIX ℣ 5. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est : habitavi cum habitantibus Cedar : multum incola fuit anima mea.

b *Hoc falsum esse ostendimus in Annotatis ad primam Vitam.*

b Chelydrus *proprie est testudo aquatica, a Græca radice* χέλυς testudo ὕδωρ *et* aqua. *At in Vitis Sanctorum passim significat diabolum, ut Cangius in Glossario ad hanc vocem exemplis probat, et ex ipso sensu hic satis liquet.*

d *Nulla hic fit mentio de mortuo resuscitato; quod miraculum in prima Vita num.* 19 *huic subjungitur.*

CAPUT

A

CAPUT IV. *Reditus in patriam post obitum S. Remigii, martyrium, corporis translatio, prodigiosa ejusdem immobilitas in silva Aquilina, sepulcrum et auctoris Epilogus.*

Postquam res sic gesta dedit nova corda modestis
Principibus : volat edictum cito regis ab ore,
Concutitur regnum, sonat Ecclesiæ salus animarum,
Regis ad imperium cadit omnis falsa deorum
Lex ritusque vetus, et quæ sibi repperit error
Gentilis scelerum contagia, jusque beatum
Erigitur, veteres nova lex exterminat umbras.
Abluitur primus rex sacri fontis in amne,
Uxor et illius, soboles hinc omnis eorum :
B Inde domum regis totam reliquasque phalan-
Arnulfus laticis benedicti lavit in undis. (ges
44 Jam pater eximius longævos vixerat annos
Remigius, certando bonum certamen in agro
Ecclesiæ, et vitæ finem properabat adire *a*.
Pro voto ergo animi carnales deserit artus.
Cælicolum turmis, jam signa potentia passim
Quod fuerit junctus declarant; denique fama
Detulit hæc usque Illyricam *b*, partesque replevit
Hispanas, ubi Vir sanctus constanter agebat
Arnulfus, quod Christus amat, quod mundus abhorret.
45 Talibus auditis alte premit omnia secum :
Quid pietas agitet rursus quod gloria tollat,
Et quid fiat ibi secum deliberat ipse.
Scilicet actutum personas eligit aptas,
Quæ rudibus præsint populis, et grata novello
Dona gregi tribuant. His autem rite patratis,
Carpit iter, callemque terit festinus ad urbem
Remorum, quo perveniens, ibi cespite tectum
Repperit almifluum, cui super structa nitebat
Ecclesiæ speciosa domus. De more retexens
C Funeris officium psalmos, et cetera quæque
Perficiens ardenti animo, quæ postulat usus
Et retinent apices *c*, Domino commendat amicum.
Dum foret his curis intentus valde, diebus
Non paucis nunc usq; labor lustrare procellas *d*.
Jam vero portus et littora tuta videntur,
Auxiliante Deo, solvamus vela quieti.
Hospitium repetens ubi se paulum recrearet
Rursus ad optati remeabat tecta sepulchri.
46 Sæpius huc rediens cum quadam nocte veniret :
Ecce mali servi sponsatæ virginis ejus,
Cujus jam dudum meminit sententia scripta,
Fustibus et gladiis armati, in calle repertum
(Proh dolor!) insontem non pauco verbere cæ-
Unus et ex illis, librata cuspide ferri, (dunt.
Intorquet validum capiti ejus viribus ictum,
Quo læsus graviter, ruit, et prope terminat illum
Exitus extremus, sed adhuc in pectore tantum
Exiguæ vitæ pendebat spiritus anceps.
Quo facto fugiunt noctemque per invia ducunt;
Utpote quos error tam cæcus præcipitabat.
47 Accessit Scariberga dolens, faciemque refusa
Ubertim lacrymis quærit, quo corporis artus — ex ms.
Post obitum ferret. Qui consecrat illico velum
Atque manu tensa capiti illud virginis almæ
Imponit, mulcetque piis affatibus illam :
Dulcis amica, nihil (dicens) me passio turbat
Quam bibo, nunc grates referens pro sanguine fuso,
Cujus amore diu mea mens exarsit, et inde
Sollicitudo mihi crescebat pectoris antro :
Nunc fruar optatis, Domino miserante, trophæis
Deque manu Domini capiam diadema trium-
Propositum vero te conservare cohortor; (phi.
Ut Salvatoris valeas amplexibus uti,
Virgoque virgineis læteris juncta catervis.
Quod quæris reliquum : Turonem defer in urbem
Zoma *e* meum : sedes mihi sit locus ille sepulcri.
48 Comperto quod res ita sit : glomerantur in unum — *e et perceptis Ecclesiæ sacramentis,*
Regni pontifices de vitæ limite fratris
Discere scrutantes gravibusque doloribus ejus
Sat pie compassi. Quos inter stare beatum
Remigium videt : ad quem sic clamore modesto,
O venerande pater (dixit) te dante, salutis
Sacramenta modo capiam, securior hincque — E
Egrediar carpturus iter, tecumque morabor.
Ergo salutatis præsentibus, exit ab hujus
Ærumnis vitæ, felicia regna habiturus
Perpetuæ, Sancti qua fulgent solis adinstar.
49 Quinta dies dum ducit equos sextilis *f* anhelos — *die xviii Julii pie moritur. f*
Post decimam flammis insani accensa leonis,
Spiritus in specie cujus petiisse columbæ
Dicitur astriferos egressus ab ore meatus,
Significans quantæ fuerit vir simplicitatis.
Ecce, beatorum consors et civis habetur
Spirituum, quorum jugiter felicibus utens
Divitiis gaudet : quarum non contigit ullis
Visus adhuc specimen, carnalis nec trahit auris,
Humanum neque cor sensu comprehendere quivit
Quas Deus huic donat, qui pure diligit illum.
50 Nos autem, venerande pater, quos vincula nectunt — *ad quem auctor dirigit orationem.*
Multorum scelerum, grave pondus et opprimit intus,
Tu releva infirmos tanto sub face gravatos.
Heu nimium afflicti tabescimus hujus in imis
Gurgitibus mundi! nam suscitat ille minacem — F
Euripum, proras solitum demergere fundo,
Qui spumas procul intentat torquendo potenter
Naufragium nostris trepidis hinc inde carinis.
Non nos mergat aquæ tempestas, nos neque tetri
Sorbeat illa rapax et dira vorago profundi,
Nec puteus nobis horrendum pandat hiatum;
Sed portum vitæ nobis exposce pusillis;
Ut Dominum digne tecum laudare queamus.
51 Restat quid fuerit de sancto corpore factum — *Corpus S. Arnulphi transfertur.*
Cujus ad astra volans sibi præmia parta recepit
Spiritus. Idcirco supra memorata frequenter
Sponsa, sibi memor injunctum complere decen-
Festinat cupiens : et digne percelebrato (ter
Funeris officio, prius illud quam studiose
Compositum, plaustro jam sublevat inde vehendum.
Dumque itiner gratum felix extenderet illuc
Quo gradiebatur cum digno pignore virgo,
(Non valet abscondi, quod vult Deus enucleari)
Concita multorum veniebat concio supplex
Debilium, morbo qui curabantur ab omni :
Quorum

Quorum summa negatur adhuc mortalibus; unde
Gaudia suscepto pergebant longa metentes
Robore, post corpus mirabile, signipotensque.

et miraculis ind catum.

52 Venerat ad quemdam, Domino ducente, locellum,
Qui situs in pago Castrensi *g* Hibernio *h* [dictus]
Resbacis *i* fluvii supereminet inclytus arvis.
Scilicet in saltu, qui nomen habens Aquiline *k*,
Innumeros nutrit per pascua congrua cervos.
Hucce canes instigati per prona fugatum
Insectantur (odor tribuit vestigia) cervum.
Sed procul amoti tantum [æthra] secare vale-
Et frustra longo latratu emittere voces: (bant,
Non tamen hunc avido tremulum contingere dente;
Quem Comes, ut feretro perspexit adesse propinquum,
Longius atque canum querulas requiescere linguas,
Dordingus *l* stupuit hærens mirabile factum,
Martyris Arnulphi quod noverat interventu
Sic gestum, Domino Jesu favente, fuisse.
Tunc prostratus humi Sancto tulit optima dona.

B

in silva Aquilina prodigiose sistitur,

53 Post vero cum dispositum pertendere gressum
Vellent, immoti stabant, neque longius ire
Aut sanctum permissi sunt portare cadaver.
Hic gradibus fixis animalia plaustra tenebant,
Nec mutare locum poterant, quia cælica virtus
Hoc ita constituit; Comitem quæ causa coegit
Inflecti, tetigitque viri præcordia magni
In tantum, ut quæcumque sui fuerant ibi [juris,]
Aut circumcirca spatio tenus undique sparsa,
Traderet hæc sancto, stabili firmata libello,
Arnulfo. Post hæc Comes, illius atque fideles
Componunt inibi patefacta cespitis alvo
Bustum, quo sanctum corpus sat religiose
Includunt, ubi signa sui quamplurima Christi
Pro meritis servi Dominus monstravit, et illic
Ægrotis velox variis medicina dabatur;
Auxiliumque sibi cito provenisse sciebant,
Martyris Arnulfi, quibus intercessio præsens.

ibidemque sepelitur.

54 Quod factum retulit quantocius inclyta virgo
Turonicæ sedis clero, populoque fideli.
Hinc regressa super construxit busta beati
C Remigii, quæ duxit ibi durissime vitam
Patricio *m* cum fratre suo, qui pontificatus
Enituit solio, felixque recessit ab isto,
Ad Dominum pergens, mundo victura per ævum;
Quam tegit hic parvus locus, illic nobilis ambit.

EPILOGUS.

Letselini Epilogus.

En quasi . . . . scriptor labiis corrodar acutis,
Materiemque labor carpendi [noster] habebit,
Si non obstiterit fratrum dilectio, quorum
Sæpius impulsum me crebra precatio traxit
Hoc ad opus . . . . cede petenti.
Et licet in satyris recte . . . . livor
Vix hærere valet stultis, habeat sed et istud *n*:
Debilis inhibitos inscitia possidet actus:
Est aliud tamen e modico parere roganti,
Atque aliud propriis confidere viribus: illud
Est sanum, velut istud contemptibile sordet.
Quisquis habens oculum purum, perspexeris istud,
Letselinus *o* eget *p*; memor illius esto dolentis. D
Nunc ad nos converto pium, pie Christe redemptor,
Aspectum, finemque operi, qui finis es omni,
Ante ad justitiam credenti impone peracto,
Ad laudemque tuam (cujus sunt omnia) claude;
Qui cum Patre Deo regnas et Flamine sancto.

ANNOTATA.

a *Hic in Ms. interseritur astrologica quædam descriptio, ut ad marginem notavit amanuensis, quam sese omisisse ait, ne lectori tædium pareret.*

b *Non video, quid hic ad rem faciat Illyricum ab Hispania tam longe dissitum; nisi forte per has regiones Orientem et Occidentem designare voluerit.*

c *Suspicor per* apices *hic intelligi libros rituales, qui apicibus seu litteris constant. Hanc conjecturam videtur sensus exigere.*

d *Hic iterum sensus adeo obscurus et confusus est, ut non intelligam, quid sibi velit auctor.*

e *Vox* σῶμα *quæ* corpus *significat, aliquando biographis infimæ latinitatis in usu est. Eamdem Letselinus, forte metri lege coactus, hic adhibuit pro corpore, ut satis patet.* B

f *Sic olim vocabatur mensis Augustus, quia erat sextus post Martium, a quo veteres annum inchoabant. Hac poetica phrasi auctor vult indicare,* S. Arnulphum xv *Kalendas Augusti obiisse.*

g *De pago Castrensi meminit Papirius Massonus in Fluminibus Galliæ pag.* 200.

h *Nomen hujus loci diu frustra quæsivi. Forte hodiedum ita mutatum est, ut amplius cognosci non possit.*

i *De hoc rivulo seu torrente videri potest Adrianus Valesius in Notitia Galliarum pag.* 471. *In mappis geographicis hodiedum vulgo vocatur* Remarde.

k *In Geographia Blaviana tom.* VII, *lib.* XXIV, *pag.*33 *silva Aquilina describitur, ibidemque de ejus nomine fuse disputatur.*

l *Aliqui suspicantur ab hoc Dordingo Comite nomen inditum esse loco, qui ab Aimoino* Dordinga, *a Gerberto epist.* XCIV *Dordingus, et nunc vulgo* Dourdan *appellatur. Vicinus est hic locus silvæ Aquilinæ ad Orgiam vel Urbiam fluviolum.*

m *Si cum Ms. Collegii nostri Claromontani hic intelligatur Patricius notissimus Hibernorum Apostolus; quid de hac re sentiam, indicavi in Commentario prævio.* F

n *Aliqua in hoc epilogo (nescio an imperitus amanuensis, aut forte corrosus codex in causa fuerit) ita vitiose scripta erant, ut nec legi nec intelligi potuerint. Quapropter puncta interponere coactus sum.*

o *Hinc collegi, Vitæ hujus scriptorem vocari Letselinum, et pro hac re dedi conjecturas meas in Commentario prævio.*

p *Forte legendum est:* Letselinus egit, *quamvis prima syllaba sit longa. Quod si quis legere malit* Letselinus eget; *puto subintelligi* precibus *aut simile quidpiam.*

TRANSLATIO

A

TRANSLATIO ET MIRACULA

Auctore Anonymo suppare.

Ex Ms. cujusdam bibliothecæ Galliæ, quæ non indicatur.

Fratribus nostris imprecantibus, ibidemque persæpe flagitantibus, rei scilicet ordinem sibi explicari, quomodo sacratissima beati Arnulphi martyris pignora allata fuerint huc, mecum anxie pro eorum desiderio, non minus quam ipsi, concutiebar, prospiciensque fore congruum, quando pro communi commodo labor exercitationis erumperet, petita differre timui. Unde relata non solum ab his, qui audierunt, verum etiam, qui se vidisse testati sunt, quæ didici *a*, tam præsentibus quam futuris pro posse cognita fiant.

B

2 Igitur quidam presbyter, nomine Constantius, Vadensis pagi *b* rure generatus, sed, cogente propria necessitate, aptum sibi locellum perscrutans, ubi posset habitandi vivendique solatia reperire, exivit hinc; crescentibus vero corporalibus curis divina providentia consuluit. Interea rebus necdum apparentibus, quas postea perduxit ad effectum felicem modo viventibus: tandem prædictus presbyter, contubernio reperto in Aquilinæ sylvæ partibus, ubi pretiosus thesaurus, videlicet corpus sacratissimi martyris Arnulphi, servabatur, petivit a canonicis loci illius, ut ibi licenter humanitatis et necessitatis suæ procuraret subsidia; quem circa se satis amabiliter applicantes, privatis suis et penetrabilibus patefactis, præsertim cum ejus famulatus blandissima familiaritate demulceret eorum præcordia, gratumque esset obsequium ejus in oculis ipsorum, fovere tamquam domesticum: ac arbitrii sui licentia deinceps usus est, sicque annuentibus universis ejusdem loci habitatoribus, interiora considerabat et exteriora.

C

3 Aliquot autem elapsis annis (omnia quidem quæcumque vult operatur Dominus, et latet intellectum humanum profundissima dispositio, nisi quando quantumcumque revelare dignabitur) idem presbyter reminiscens carnalem patriam situmque natalem, iis affectibus vehementer exagitatur: verum ne vacua manu redeuntem confusionis rubor percelleret, thesaurum meditatur ingentem, quo modo secum sublato, properataque regressione, deinceps omne pro nihilo ducat infortunium. Denique tempus opportunum quæritur, quando concepta lætum habeant exitum. Factum est autem, ut, explorato rei eventu, clam custodibus, [in] quos sopor ex more meridianus irruerat, quique eos fervore diei æstuante nimis proluebat, [ingressus sit] locum quam potuit caute, in quo decus optabile, gemma purior, non satis digno cultu servabatur, et sublato tanto fœnore, prout potuit, tractavit, et involvens nitidæ lanæ, posuit in sacco, inculcans desuper vellera ad os usque sacci.

4 Tunc hilaris citatum carpebat iter, cum subito concussis custodibus, et diligenter perlustratis arcanis, nequaquam invenerunt, quod sublatum erat: qua de re perturbati, quonam se verterent, ignorant; tandem, repertis indiciis, insecuti sunt abeuntem presbyterum, ad quem celeriter pervenientes, eversa sarcina jumenti, tactaque visaque supellectili, superficiem sacci tantummodo inspiciunt; unde quod intus latebat ignorantes recedunt. Ergo cassa laboris mercede nimium consternati [sunt]: prædictus vero Constantius, inchoatis negotiis diligenter instans, gratulatur, se præteritum evasisse periculum hoc primum, quasi aviculam illaqueatam imitans, quæ si foret, contrito laqueo, sibi reddita libera facultate redeundi uti, quam velox quam prompta festinat ad solita, nihil prioris mœstitiæ vel formidinis curans: [et sicut] quælibet ferarum elapsa, dum ulterius vestigia retorquet in aliam partem insequentium canum vociferationum, in proprium sagacior defertur habitaculum.

5 Post hæc evidentibus indiciis patuere detecta, quæ pridem latebant: nam illic, ubi jam sacra pendebant patrocinia, in villa videlicet Rocummont *c*, in nocturnis horis quasi in obsequium præparantur cælitus luminaria, quæ tectum umbrarum densitate spoliant, ac coruscantibus flammis interiora domus decorant multo præstantius: in altera vero villa, quæ Vadodium *d* nuncupatur, ex cujus vocabulo territorium comitatus appellari consuevit Vadensium, ubi parum temporis, prædicto presbytero custode, morabatur, eadem signa magnum mirantibus incutiunt stuporem: unde ut comiti Radulpho *e* innotuit, non passus est rem differri ab omnibus innotesci, et ut effectus sponsionis velociter impleretur, addidit ad incrementum et ecclesiæ. De Villa Vuatmesia (Vaumoise *f*) allata sunt sacra pignora beati corporis huc, eo scilicet tempore, quando copia redundante frugum suarum lætificabat autumnus corda mortalium: magis autem de susceptione gratuita cælestis beneficii, quod divina gratia misericorditer dignabatur pro communi commodo largiri, fiebat inæstimabilis exultatio, gaudebatque nimium conventus astans omnium, quos fama nuntia concurrere certatim præmonuit undique, utpote quibus mittebatur divinitus tam grande subsidium.

ad Comitatum Vadensem detulerit;

E

F

6 Post hæc memoratus comes in ecclesia, quæ sita erat in angulo castelli, reverenter et honorifice gloriosum corpus beati Arnulphi composuit, canonicisque constitutis, qui continuatim officia religionis exsolverent, inibi perpetuo tradidit in præbendæ solatium villam necessariis usibus bene competentem, quæ vocatur Otgerius, Gallice Oger *g*, cum ecclesiis suis et omni lege ac consuetudine, quæ prius dominatui suo cedebat. Quæ autem restant nullius levitatis vel jactantiæ flatibus quin posterorum memoriæ recitanda quisquam arbitretur exarata fuisse, vel judicet temere secretorum ignarus, quæ divinæ scientiæ placuit abscondisse sapientibus et revelasse parvulis: etenim sacramentum regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum: neque temerarios sequitur retributio mercedis proficuæ, sicut obedientiæ subditos, quod signum est humilitatis et gratiæ spiritualis effectus. Hæc autem pauca interjecta

ubi honorifice excepta

Ex MS.

interjecta sufficiant pro obice ratiocinationis. Ceterum ad reliqua tendat oratio.

varus miraculis

7 Præfatus denique Constantius cum pavidus ac tremebundus ob reverentiam loci debuisset vivere, ac incurvus sedulo castimoniæ vacare, sicut bonus gazophylax, nequaquam sese tam bene tractavit, sed, ut stolidissimum animal, oblitus omnino dignitatis humanæ, blandimentis petulantiæ cœpit illaqueari, adeo ut quadam die stimulatus libidine feminam lascive deosculans amplexibus stringere non timuerit ante sacrarium; et dum hæc tam impudenter agerentur, ostendit illico potentiæ suæ miraculum retrusum et inauditum omnipotens Deus per servum suum Arnulphum, per quod agnoscitur perniciosum fore, si Deo sacrata sordidæ manus, imo corda vitiosa, quibus nihil est mundum, tractaverint indigne, veluti quondam veteris et novi Testamenti nonnullis contigit, quos ultio divina terribiliter percussit.

fulgent;

8 Stabat namque candelabrum ex honore coram altari vacuum, quod paulatim cœpit agitari, nulla cujuslibet hominis manu contingente; quo percepto, fugæ præsidium B rapiunt; candelabrum vero subsequens prolabitur et valide ferit in parietem. Deinde scholasticis testibus, qui videntes pavore magno concussi, fuga lapsi sunt, et facti modum retulerunt, cognoscens comes rei veritatem, purgavit mox locum, expulso scilicet perverso, et in loco ejus meliore restituto. Multis denique patentibus signis, adveniunt populi ex diversis partibus præsidia sibi profutura quærentes. Quot morbidi, quot imbecilles, quot diversis passionibus inutiles facti, quot invalidi compagibus artuum versantur per atria strata, quibus omnibus auxiliante divina clementia redit optatæ quietis remedium!

inter alia puer a cane rabido vulneratus.

9 Porro tempore recenti, quibusdam adhuc in hac vita morantibus, qui viderunt mirabilia Dei, quæ per martyrem suum Arnulphum dignatus est ostendere, clarescunt et nota fiunt pluribus; videlicet quemdam juvenculum rabidi canis dente vulneratum fuisse; quem sua mater adductum dolens et flebilis perorabat signari phylacterio martyris; quod ut factum est, hunc deinceps et evasisse pe- C riculum, et certum est reliquum vitæ spatium cucurrisse sospitem. Sed et multi vexabantur eo morbo, qui vocatur incensio *h*, qui meritis beati Arnulphi restituti redierunt in sua, de collatis beneficiis gratificati.

et puella

10 Illud quoque cur sileam, quod aliam juvenculam adduxerunt parentes ejus, ita dæmonis insania perturbatam, ut contortis manibus quantum poterat (nam vinculis arcebantur) elisis quoque dentibus moliretur obviantes corripere, vel quoque opprobriis et convitiis dilacerare, ac prope vim inferre. Verum robore tenentium fortiter pressa conabatur incassum omnia. Defertur itaque ad clamorem petentium beati Martyris phylacterium: quo tacta et consignata, evellitur omnis infestatio nequam; confestim mansuefacta puella penitusque curata lætificat, quos ante mente capta contristaverat.

a. mulier energumenæ.

11 Simile huic post annos aliquot palam mirantibus miraculum actum est. Quædam namque mulier suo viro nupta legaliter, remansit fortuito sola in domo, suo marito ex more exterioribus rebus occupato, ceterisque familiæ per diversa opera distributis. Locum D igitur suum invidus humanæ quietis insidiator aspiciens, invadit vasculum, cui, prohibente obstaculo nullo, facilis patebat ingressus; at illa continuo ferebatur per omnia sui [impos,] quando superveniens vir ejus reperit ejusmodi labefactatam insania: qui contristatus admodum percurrit, sibi super hoc infortunio quali modo reperire valeat emolumenti consultum.

apud eas sanantur.

12 Conveniunt undique parentes et vicini dolentes, viso naufragio et amico pie compassi suadent ad sanctum Arnulphum iter arripere: quia illic proculdubio, quicumque petit, angustiæ suæ plenum consequitur auxilium; unde collecta fiducia festinant adducentes eam; et ubi nuntiatum nobis innotuit, mox accedentes, invenimus eam in ecclesiæ vestibulo positam; cui instabat vir ejus et plures cum eo, quibus testibus, post aliquos psalmos pro remedio decantatos (horresco referens) erupit inimicus per os mulieris in hæc verba: Ego diabolus vocor; quo dicto subsistentes attoniti nimis horrent; ejusmodi quoque sonitu atque formidine diverberati proclamant, et in- E culcant, quod ulterius non oportebat differri Proinde patrocinium succlamantibus cunctis, acceleratur sancti Martyris ad phylacterium; quo signata, et aspersa benedicto latice, divellitur ab ea quidquid inimicum intus sæviebat, et statim sibi restituta de cetero cupita fruitur sospitate.

EPILOGUS.

Epilogus auctoris.

De multis pauca panduntur, et parvulæ relationis series contexitur. Quantumlibet autem videatur obedientiæ debitum exsolvi poscentibus, non protervia spiritum circumvolvi credito. Ceterum mirabilis operatio, quando non debeat laudari merito et benedici potius contrito corde et humiliato gratias ei referre de perceptis beneficiis indicitur et imperiali auctoritate sancitur cuicumque *i*: nos quoque pro modulo scientiæ nostræ quamvis novissimi et indigni, tamen de magna misericordia ejus præsumentes hæc ad noti- F tiam futurorum expressimus, ut habeant ad dicere ad laudem ejusdem, qui mirabilis in Sanctis suis vivit et regnat cum Patre in unitate Spiritus sancti Deus. Amen.

ANNOTATA.

a *Ex his colligo, scriptorem hujus translationis tempori fuisse vicinum.*

b *Pagus Vadensis, qui nunc recentiore vocabulo* Valesia *vel* Valesium, *vernacule* le Valois *appellatur, est tractus Galliæ, in Insula Franciæ situs, et nunc ducatus titulo insignitus. Ejus caput hodie est oppidum Crespeiense.*

c *Hujus nominis locum in mappis geographicis Valesiæ non invenio.*

d *Adrianus Valesius in Notitia Galliarum pag.* 580 *de eodem, ni fallor, loco ita scribit:* Olim Valum vulgo Vé videtur pagi Vadensis, cui et nomen dedit, caput extitisse. Vadum autem nostris Vé dictum, vicus hodieque est in pago Vadensi, inter Villarem ad collum Retiæ et Crespeium.

e *Dacherius*

e *Dacherius in Notis et observationibus ad opera Guiberti abbatis pag.* 597, *refert compendium diplomatis, quo Radulfus Comes Crespeiensis anno Christi* 1053 *quædam concessit ecclesiæ* S. Arnulphi. *Ex hac donationis epocha præterpropter colligi potest translationis hujus tempus, et scriptoris anonymi ætas.*

f *Hic pagus* Vaumoise *in mappa geographica Valesiæ non longe a Crespeio collocatur inter Orientem et Meridiem.*

g *Hic pagus etiam in mappis geographicis notatur non procul Crespeio dissitus versus Occidentem.*

k *Hic morbus ab Hippocrate vocatur* φλεγμονή, *id est* inflammatio. *Ejus causas et effectum pluribus describit Joannes Gorræus in Definitionibus Medicis pag.* 493.

i *Sensus iste ita contortus est, ut vix intelligam, quid sibi velit auctor.*

DE S. SCARIBERGA SANCTI ARNULPHI MART. UXORE ET VIRGINE

IN SILVA AQUILINA INTER PARISIOS ET CARNUTUM.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Sanctæ cultus, reliquiæ et Acta.

Sancto marito virgini sanctam uxorem virginem, nomine Scaribergam, *hac die adjungimus, quamvis in plerisque Actis dicatur ad æternam gloriam migrasse* VI *et* V Nonas Octobris. *Acta enim horum Sanctorum conjugum ita sunt connexa, ut separari vix possint. Adde, quod beata uxor in quibusdam Martyrologiis circa hanc diem referatur. Florarium nostrum Ms. die* XVII *Julii* S. Scaribergam *sanctæ Theodosiæ virgini adjungit : Saussayus in elogio S. Arnulphi de eadem Sancta meminit, ac præterea tomo* II *sui Martyrologii Gallicani pag.* 1242 *illam in catalogo posuit his verbis :* B. Scariberga virgo Remensis, nobilis et devota, sponsa S. Arnulphi, postea episcopi Turonensis, et martyris, quocum virginitatis æternum fœdus pepigit; a quo etiam consecrata et velamine sacro amicta est; post cujus necem, vitam religiosam et solitariam complexa, in agello sylvæ Aquilinæ tractus Carnutensis ad obitum usque strenue in omni perfectione sanctitatis perseveravit. *Arturus in sacro Gynæceo* XVIII *Julii eam sic refert :* In Carnotensi pago, beatæ Scaribergæ virginis, beati Remigii Rhemensis episcopi neptis, quæ in assiduo contemptu, et rerum cælestium meditatione vitam mirabilem consummavit.. *Franciscus Lahierius noster in Menologio virginum eadem die affirmat, S. Remigium fuisse* S. Scaribergæ *patruum aut avunculum. Nescio, unde Arturus et Lahierius hanc* Scaribergæ *cum Remigio consanguinitatem eruerint. Quidquid sit de rei veritate, quam non facile detegendam arbitror, saltem monumenta in Actis* S. Arnulphi *citata, et Acta Mss, post hunc Commentarium danda,* Scaribergam *Chlodovei regis neptem appellant. Denique ut Martyrologis finem imponam, Castellanus in suo Martyrologio Universali eamdem Sanctam die* XI *Octobris memorat.*

2 *Etsi in antiquis Martyrologiis memoria ejus non reperiatur, tamen aliunde de cultu illius satis constat : nam Thesaurus Anecdotorum, ab Edmundo Martene nuper editus, tomo* III *col.* 1681 *habet sermonem, ex Ms. S. Audoeni erutum, in quo Sancta nostra sic invocatur num.* 4 : Beata quoque Scareberga, virgo decens et inclyta, nobis æternæ beatitudinis impetret gaudia.

Præterea videtur annua Scaribergæ *memoria olim Officio celebrata fuisse : habeo enim istius sanctæ Virginis Vitam in octo Lectiones proprias dispertitam, quam Fredericus Flouetus Rothomago ad Majores nostros transmisit, quamque post hunc Commentarium curiosi lectoris oculis et judicio subjiciam. Interim hic exhibeo versiculos, qui istis Lectionibus subnectuntur hoc modo :*

Inter castra Dei fulgentia lumina cæli
Inclytus Arnulfus martyr rutilat pretiosus;
Juncta sed et Christo Scariberga piissima virgo.
Flos velut ille rosæ fuso diadema cruore;
Hæc tenet æternum candens, ut lilia, sertum.
Ille Dei fortes lætatur adisse cohortes,
Martyribus sanctis digne conjunctus in astris;
Hæc cum virgineis gaudet sine fine choreis
Lætitiæ summo cantans nova cantica sponso.

3 *Denique ex honorifica reliquiarum conservatione satis liquet, jam immemorabili tempore cultum huic sanctæ Virgini exhibitum fuisse, cum in Actis nostris, priori loco edendis, sic legatur num.* 5 : Ejus reliquiæ devote servantur in capsa lignea deaurata in sinistro angulo majoris altaris monasterii S. Arnulphi de Crespeio Ordinis Cluniacensis diœcesis Sylvanectensis. *Arturus in sua Neustria Pia pag.* 59 *laudat catalogum reliquiarum, quæ olim in cœnobio S. Audoeni honorabantur, in quo inter alias Sanctorum exuvias recensetur* capsa corporis S. Scaribergæ. *Non scio, quomodo vel quando lipsana* S. Scaribergæ *ad monasterium* sancti Arnulphi *aut sancti Audoeni pervenerint. Saltem Breviarium Rothomagense anni* 1627 *in Lectionibus propriis S. Arnulphi sic simul de sponsæ ipsius sepultura loquitur :* In Aquilina agri Carnotensis silva honorifice conditum fuit *(scilicet S. Arnulphi corpus)* ipsius Scaribergæ cura, quæ monasticam, *id est solitariam*, vitam professa, exacto ibidem vitæ cursu, commune cum sponso sepulcrum sortita est. *Quædam Acta S. Arnulphi, et Breviaria, in Commentario prævio ad ejus Vitam allata, etiam testantur,* S. Scaribergam, *marito superstitem, in silva Aquilina vixisse, atque ibidem post aliquot annos sepultam fuisse. Dico indeterminate* post aliquot annos; *quia incertum*

et reliquiarum veneratione.

AUCTORE G. C.

certum est, quamdiu illic beata Virgo post S. Arnulphi necem vixerit. Acta enim Mss., primo loco excudenda, asserunt, quod ibidem vitam in cinere et cilicio per triennium *duxerit. Alia vero dicunt, illam,* septennio pœnitentiæ expleto *ad cœlum migrasse. Lectiones autem Carnotenses, in præcedenti Commentario citatæ, sine ulla temporis nota affirmant, eam obiisse* ingravescente senio. *Jam nihil superesse video, nisi ut de Actis illius quædam præmoneamus.*

In quibusdam Mss. Actis Patricius, Hibernorum Apostolus.

4 *Habemus tria Actorum ecgrapha; primum exstat in Vita S. Arnulphi, ex Ms. codice Collegii nostri Claromontani desumpta. Sed cum illud in præcipuis punctis cum tertio Ms. nostro conveniat, idem de eo habendum est judicium, quod mox de tertio isto Ms. feremus. Secundum, nescio ex quo codice descriptum, transmisit anno* 1668 *ad Papebrochium Ildephonsus Vrayet monachus Benedictinus, cui etiam alia Sanctorum Acta accepta referimus. In hoc secundo exemplari auctor anonymus quædam reddidit credibiliora : dum enim de Hispanica S. Arnulphi profectione loquitur, non dicit, eum Hispaniam adiisse ad exstirpandam idololatriam, quemadmodum in præcedentibus S. Ar-* B *nulphi Actis narratur, sed* ad fidem in Hispaniis collapsam restituendam. *Fratrem quidam* S. Scaribergæ *vocat* Patricium *et Morinorum episcopum; sed nullibi asserit, fuisse illum famosum Hibernorum vel Scotorum apostolum, quod alia duo Mss. perperam affirmant, ut statim videbimus. At quamvis scriptor ille fuerit tam prudens, ut intra verisimilitudinis terminos se continuerit, tamen ex stylo videtur recentior, et certe non est valde antiquus, cum in fine de Ordine Cluniacensi meminerit. Acta tamen ab illo conscripta, tamquam ceteris præstantiora, primo loco excudemus.*

perperam vocatur frater S. Scaribergæ.

5 *Tertium ecgraphum, quod anno* 1644 *noster Fredericus Flouetus Rothomago misit, in octo Lectiones distinctum est, ut supra monui. In eo præter alia mihi displicet Patricius Hiberniæ apostolus, qui dicitur germanus* S. Scaribergæ. *Quomodo enim frater* S. Scaribergæ *esse potuit iste Patricius, qui juxta Acta, ad diem* XVII *Martii a Papebrochio illustrata, octogenario major obiit anno* 460, *quando* Scariberga *verosimillime nondum nata erat? Suspicor, hujus parachronismi auctores, similitudine nominis deceptos, alterum quemdam Patricium cum celebri Hiberniæ* C *apostolo confudisse. At dices : Quis igitur est iste Patricius, Morinorum episcopus, qui hic in Actis memoratur? Ingenue fateor, me istud ignorare. Malbrancus quidem tomo* I *de Morinis lib.* II, *cap.* XIX *ita scribit :* Dabimus ad annum CCCCXXIV Patricium Hiberniæ apostolum Bononiensibus nostris per octennium insigniter delaborantem. *Deinde cap.* XXXVI *ejusdem libri ita pronuntiat :* Is est Patricius, quem etsi ut suum suspiciat et vendicet Hibernia; Morinos tamen etiam aliquot annis posse amplecti, et Mss. et episcoporum hujus diœceseos catalogi, et S. Arnulphi Suessionensis *(voluit haud dubie dicere Turonensis)* Vita abunde testantur : quæ fidem, apud me dudum ambiguam, firmarunt tandem, cum tempus idoneum, quo sedem hic figere potuit, revolventi varia illuxit. *Sed Papebrochius noster in Commentario prævio ad Vitam S. Patricii* § x *ostendit, Malbrancum fidem, apud se antea dubiam, nimis cito formasse. At hæc proprie ad propositum nostrum non pertinent, cum in ipsa Malbranci sententia Patricius iste senior sit, quam ut frater* S. Scaribergæ *esse potuerit.*

Disquiritur, quis Patricius

6 *Sammarthani in Catalogo episcoporum Bononiensium S. Antimundum constituunt anno* 531 *primum Morinorum præsulem, et simul de quodam Patricio ita meminerunt :* Sanctus Antimundus vel Aumondus missus a D. Remigio Remensi anno DXXXI ad Christi fidem iis populis promulgandam : hic cum Patricio et Rustico reperit et sustulit corpora SS. Victoris et Ursi martyrum. *Videntur hic Sammarthani crassum anachronismum deglutiisse : nam Fredegarius Scholasticus in Chronico, quod Ruinartius post opera S. Gregorii Turonensis edidit,* anno VII Theuderici, *id est Christi* 602, *de hac, ni fallor, corporum inventione ita loquitur :* Eo anno corpus sancti Victoris, qui Salodoro cum sancto Urso passus fuerat, a Beato Æconio pontifice Mauriennense invenitur. Quadam nocte in sua civitate ei revelatur per somnium, ut surgens protinus iret ad ecclesiam, quam Sedeleuba regina in Suburbano Genavensi construxerat, in medio ecclesiæ designato loco, ubi sanctum corpus adesset. Cumque Genavam festinus perrexisset, cum beatis Rustico et Patricio episcopis, triduanum jejunium facientes, lumen per noctem, E ubi illud gloriosum et splendidum corpus erat, apparuit; quod cum silentio hi tres pontifices, cum lacrymis et orationibus elevato lapide, in arca argentea invenerunt sepultum, cujus faciem rubentem quasi vivi repererunt. Ibique princeps Theudericus præsens aderat, multisque rebus hujus ecclesiæ tribuens, maximam partem facultatis Warnacharii ibidem confirmavit. Ad sepulcrum illud sanctum miræ virtutes ex ipsa die, qua repertum est, præstante Domino, integra assiduitate ostenduntur. *Qui hanc Fredegarii narrationem clarius explicatam legere cupit, adeat Cointium in Annalibus Francorum tomo* II *ad annum Christi* 602 *num.* 1.

potuerit esse S. Scaribergæ germanus.

7 *Neque subsistit opinio Sammarthanorum circa tempus episcopatus Antimundi, si vera sunt, quæ Cointius tomo* I *operis mox citati ad annum* 501 *num.* 3 *sic scribit :* Hoc anno Antimundus a Remigio metropolitano Remensi constitutus est primus Morinorum episcopus : sedit enim annos dumtaxat novemdecim, et Athalbertus ejus successor obiisse comperitur F anno Christi quingentesimo quinquagesimo secundo, cum pontificatum annis duobus ac triginta gessisset. Matthæus Despretsius archidiaconus Morinensis, ut Antimundum statim a Clodovæi regis baptismo præpositum Morinis episcopum probet, ait eum non nisi tertio post anno in decretam provinciam penetrasse, quoniam ei via præcludebatur a Chararico, Morinorum domino; additque Athalbertum similiter impeditum fere biennio, quo minus in episcopatu resideret, ad quem sublectus fuerat. Eamdem chronologiam init Jacobus Malbrancus. Neuter affert auctoritatem aut conjecturam alicujus fidei. Multo probabilius est, Chararicum, qui procul dubio Christianus obiit, aliquot annis post Clodovei conversionem ad Christianam fidem perductum fuisse, nec prius cogitatum de mittendo ad Morinos episcopo. *Ita ille. Non est hujus loci eam controversiam dirimere, cum annus utrimque signatus saltem a Sammarthanorum opinione multum differat. Neque opus est hanc rem operose investigare, cum nobis sufficiat, quod Patricius, hic a Sammarthanis memoratus, juxta Fredegarium*

A *rium junior sit, quam ut frater* S. Scaribergæ *probabiliter dici possit. Idem Cointius ad annum Christi* 502 *num.* 4 *meminit cujusdam Patricii, qui tunc Bajocensem cathedram occupabat. Etsi autem tempus patiatur, ut hic fuerit* S. Scaribergæ *frater, tamen quia solida ratio ad id probandum non suppetit, hanc consanguinitatem aliis detegendam relinquo, et jam utraque Acta ex Mss. nostris prælo subjicio.*

ACTA PRIMA

Auctore anonymo

Ex Ms. quodam, cujus ecgraphum Ildephonsus Vrayetus Benedictinus anno 1668 *transmisit.*

...riberga, ...matrimo- ...virginita- ...servat, a

B Regis Francorum Clodovæi neptem legimus Scaribergam, sancti Patricii primi Morinorum episcopi *a*, quorum metropolis Teruanna vocatur, germanam, Arnulpho comiti, Rhemorum consuli, desponsatam. Erat seculi dignitate sublimis, sed fidei ardore ac pietatis studio post baptismum degebat humilis; sponsarum privilegiis clara procedebat, sed virginitatis flore perpetuo induta cilicio radiabat. Nullam animi relaxationi, prout in curia moris est, temporis partem dabat; assidua erat [in] divinis Officiis, frequentissime ad sacram synaxim accedebat, et totam se bonis operibus tribuebat. Exterius quidem fulgebat cultu magnifico, interius autem virtutum schemate placebat Domino. Sponsus ejus, et ipse virgo, suo exemplo præibat, et suæ virginitatem fovebat uxoris, dum cum ea pari studio sacris vigiliis et eleemosynis vacaret.

et marito peregrinante,

2 Cum autem Arnulphus arripuit iter impeditissimum et periculis plenum, angelo revelante, ad terram illam sanctam, quæ vagitus Domini nostri Jesu Christi suscepit, quæ C eum concionantem audivit, quæ admirandis operibus certissima suæ divinitatis signa dantem obstupuit, quæ spectavit sublatum in crucem, et suo sanguine peccata nostra expiantem: tunc processit rarius in publicum, demissis oculis incedebat, tantumque sub ductore vitæ spiritualis, et magistro sancto Remigio brevi tempore gradum tenuit sanctitatis, ut regi Christianissimo, principibus et nobilitate primis, toti denique regno admirationi, exemplo et ornamento esset. O beatum conjugium non carnis corruptione cognitum, sed spirituali charitate per expressa utriusque vota in manibus sancti Remigii, sacrosanctum Missæ sacrificium celebrantis, Domino Deo nostro consecratum, virginali gloria et puritate vitæ angelica decoratum!

...ultimam ...

3 Tandem Arnulphus angelica commonitione reversus in Gallias et propria palatia, patratis ab eo aliquot miraculis, minoribus Ordinibus est initiatus. Cumque populus Rhemensis eum sanctum esse proclamaret, et miraculorum ejus fama latere non posset, honorem populi ad se confugientis fugiens, sibi se suaque postponere decrevit, iterumque pauper sequens Dominum in habitu clericali peregrinatus est, et singulari divinæ providentiæ bonitate et solicitudine tertius post sanctum Martinum Turonensis episcopus, angelo volente et demonstrante, consecratus est cum omnium episcoporum et totius populi maximo gaudio, qui non satis mirari poterat, post injunctum et peractum publici jejunii decursum, eos esse evidentissimis cælestibus signis et miraculis exauditos, et Arnulphum principem, regis Christianissimi nepotem, habere in præsulem; ea videlicet tempestate, qua diœcesis Turonensis ob sancti Brixii *b* persecutionem, et duorum antistitum sibi invicem succedentium, dum adhuc superstes viveret, videbatur esse neglecta, tantoque egere pastore; quamvis postea ob aliqua miracula laudem hominum fugiens, divino urgente Numine, ad fidem in Hispaniis collapsam restituendam sese impulerit, ubi ejus vita universis Christianorum provinciis conspicua Clodovæum regem, qui et ipse positis genibus ob suæ consecrationis miracula prædicta ab eodem petiverat et receperat benedictionem, habuit adjutorem, E ut subministraverit ei et aliis, quos secum necesse fuit advocare vineæ Domini cultores, necessaria ornamenta et vasa sacrata. Inter alios vero, quos ad Hispanias sanctus Arnulphus accersivit, fuit unus ex suis canonicis Turonensibus, omnium doctissimus, cui solebat confiteri, quem postea episcopum consecravit *c*.

EX MSS

b

c

bona canonicis distribuit,

4 Interim vero Scariberga in ore omnium versabatur, occasionemque inde assumebat Deo ferventius inserviendi; et sic per annos plurimos absque viro, non absque Domino, in honoribus et aula permansit usque ad mortem sancti Remigii; donec redeunte sancto Arnulpho a conversione et prædicatione Hispaniarum, uterque pari consensu et devotione comitatum et bona sua metropolitanæ ecclesiæ Rhemensi concessit, ut inde alerentur canonici et ecclesiæ ministri: et ita in realem possessionem irrevocabilem induxit, ut nihil sibi reservarit præter victum quotidianum ab ecclesiasticis sibi, quoad viveret, providendum, dimissis, quos prius habebat F frequentia nobilium et turmis famulorum, quibus omnia necessaria subministrabat: qui in odium tantæ virtutis et virginitatis, unde hæc omnia sumpserant initium, cum se ab ea dimissos vidissent (quippe quæ non valeret ipsis aliquid suppeditare) acti in rabiem et livore odiosissimo sanctum Arnulphum martyrem effecerunt. O præclarum conjugium toto orbe prædicandum!

et post sponsi necem solitarie duriterque vivens pie moritur.

5 Scariberga quidem femina fragilis erat, conditione tenera, corpore delicata, nobilitate et divitiis cumulata, honoribus ampliata, famulis constipata, et carnis curam in desideriis non explevit; sed ab omnibus his, tamquam alienis, animum abdicavit. O mulier fortis, miroque modo fortis in Domino! quæ non solum fallacia mundi blandimenta superavit, sed sexum vincens et seculum, ita Domino militavit, ut quæ semel ad solidam et immortalem gloriam recto itinere contendere ambivisset, omnia sibi, dum ad ea, quæ instituerat, perveniret, contemnenda et pro nihilo ducenda esse duxit. Denique sancto Arnulpho

EX MSS.

Arnulpho martyrii gloria coronato, et in partibus silvæ Aquilinæ mirabiliter sepulto, erexit ibidem oratorium in honorem beati Remigii, quod postea in basilicam sancti Arnulphi commutatum est ob patrata ab eo miracula; sed et oppidum sancti Arnulphi nuncupatur. Ibidem vitam solitariam in cinere et cilicio duxit per triennium, fabis et siliquis pro victu utens quotidiano, diebus dominicis et aliis solennitatibus etiam in Paschate solo pane hordeaceo et aqua contenta. Hanc summam austeræ et pœnitentis vitæ rationem cum fratre suo germano sancto Patricio observans, denique superstes virtutibus clara in cælum evolavit quinto Nonas Octobris. Ejus reliquiæ devote servantur in capsa lignea deaurata in sinistro angulo majoris altaris monasterii sancti Arnulphi de
d Crespeio *d*, Ordinis Cluniacensis, diœcesis Sylvanectensis.

ANNOTATA.

a *In Commentario prævio num.* 6 *diximus, An-*
B *timundum vel Aumondum communiter statui primum Morinorum episcopum. Quod si Antimundus anno* 501, *ut vult Cointius, constitutus sit a S. Remigio Morinorum antistes, non video quomodo Patricius* S. Scaribergæ *frater eum præcedere potuerit. Fatemur igitur, nos ignorare, quis qualisve fuerit Patricius hic memoratus.*

b *Vide de hoc Brictio Gregorium Turonensem, a Ruinartio editum, in Historia Francorum lib.* II, *num.* 1, *et lib.* X *in Catalogo episcoporum Turonensium col.* 518 *et* 529, *ubi mirabilis illa persecutio narratur, quam Ruinartius etiam notis criticis illustravit.*

c *De hoc canonico Turonensi nulla fit mentio in Actis S. Arnulphi, quæ paulo ante ex duplici Ms. dedimus.*

d *De hoc monasterio egimus in Commentario prævio ad Vitam S. Arnulphi et alibi in annotatis.*

ACTA ALIA

C
In octo Lectiones distincta

Ex Ms. quodam Rothomagensi, ex quo P. Fredericus Flouetus anno 1644 *ea descripsit.*

S. Scaribergæ virtutibus fulgens.

LECTIO I. Beata igitur Scariberga, genere nobilis, sed nobilior indole mentis, ab ipsis infantiæ rudimentis omnipotentem Dominum miro coluit famulatu devotionis: nam licet regali orta stemmate, tamen per omnia humilitate proclivis illi se subdidit toto mentis amore, qui Dominus et rex gloriæ homo fieri dignatus ex Virgine, propria mundum redemit passione. Ea enim fide prædita, spe subnixa, caritate fervida, moribus eximia, ad orationis studium prompta, ecclesiarum crebro limina frequentabat, ubi cælestis doctrinæ monita summa aviditate hauriebat. Non illa puellaribus jocis admisceri gaudebat, nec choris ludentium aut cantatricum D interesse volebat, sed ad æternorum præmia gaudiorum sitienter anhelabat.

beato Arnulpho

2 LECTIO II. Sub eodem tempore beatus Arnulphus, generositate conspicuus, morum elegantia præcipuus, in aula regis Clodovei morabatur; qui scilicet regum fortissimus a sancto Remigio, Remorum pontifice, ab idololatriæ cultu ad fidem Domini nostri Jesu Christi conversus cum omni gente Francorum baptismi gratiam est adeptus: a quo beatus Arnulphus, præfati antistitis in baptismate filius, tantam promeruit amicitiæ et familiaritatis honorificentiam, ut ei neptem suam traderet in conjugio, beatam scilicet Scaribergam.

despondetur.

3 LECTIO III. Die itaque constituta a casto juvene casta despondetur puella, pulchra quidem externis lineamentis corporalibus, sed internis pulchrior animæ virtutibus. Ambo denique carnalis copulæ contemnentes illecebram, castam elegerunt ducere vitam. Illum siquidem beatus Remigius, postquam sub laicali habitu aliquot annos in peregrinatione peregit, sicuti petierat, coma capitis E deposita, clericum consecravit, et ad ecclesiasticos promovens Ordines, exorcistæ officio decoravit. Hæc vero illibatæ virginitatis tiara coronari, et inter prudentes virgines meruit computari. Ornabatur non auro aut margaritis vel pretiosarum cultu vestium, quæ prostitutis et impudicis feminis congruunt ad multorum perniciem, sed spiritualium decore virtutum, ut decet virgines Christi, ad multorum salutem.

qui post diuturnam peregrinationem

4 LECTIO IV. Beatissimus Arnulphus exulem se et inquilinum in hoc mundo cognoscens, et cælestis habitationem patriæ sitiens, beatam Scaribergam sancto Remigio commendavit, et denuo salutiferæ peregrinationis iter arripuit. Primum itaque Tolosam beati Saturnini *a* sepulcrum expetiit, a et post Pictavis ad sanctum Hilarium properavit: inde Turonis ad beatum Martinum gressum deflexit, ubi angelico præmonente oraculo, licet coactus, vir litteris perfectus et moribus, pontificalem infulam suscepit. Et quia episcopalis ambitio virtutum fieri solet diminutio, verens per hoc detrimentum sa- F lutis, majoribus incensus studiis Hispanias ad prædicandum Dei verbum properavit, regemque illius patriæ cum omni populo miraculis coruscantibus ad Christi fidem perduxit. Inter cuncta vero quæ peragravit loca, divina comitante gratia, plurima gessit miracula; inter quæ virtutum insignia trium mortuorum resuscitavit cadavera. Sed ejus omissis insignibus gestis, quæ vitæ ejus vel passionis textus ubertim exsequitur, ad rerum exitum succincte pergamus.

in patriam redit et occiditur

5 LECTIO V. Beato igitur Remigio ab angelicis choris in cælesti gloria suscepto, beatus Arnulphus, comperto ejus obitu, in Gallias rediit, et ejus sepulcrum, miris virtutibus insignitum, frequentare cœpit. Quadam vero nocte solito more illuc orandi gratia euntem sponsæ suæ servi invenerunt, et sicut moris est malignis semper bonis invidere, dæmoniaca persuasi insania, fustibus et gladiis Virum Dei appetierunt, ac graviter vulnerarunt: quorum unus ferrum in caput ejus libravit, et solo tenus prostravit. Plagis autem

A autem impositis, abeuntes seminecem reliquerunt; palpitante autem in solo pectore spiritu, sponsa ejus, beata scilicet Scariberga, ad eum venit, et vehementissime flere cœpit. Cumque interrogaret, quid de ejus corpore ageret, ille, ut valuit, protensa manu velum consecravit, et ejus capiti imposuit, commonens eam de proposito puræ virginitatis, et gloria sempiternæ felicitatis: contestatur etiam, ut corpus exanime Turonis ad sedem propriam deferret, ibique cum omni diligentia sepeliret. Confluentibus itaque ad ejus obitum universis ordinibus cum episcopo loci illius, visus est etiam adfuisse beatus Remigius, ad quem beatus Arnulphus: Domine, inquiens, sancte pater, ecce a te accipio viaticum, et pergo tecum. Ad hanc vocem, multis cernentibus, nive candidior columba de ore ejus exiit, et cælestia penetravit.

...ariberga ...anct. corpus

6 Lectio vi. Beata vero Scariberga corpus ejus honorifice tractavit, linteaminibus involvit, aromatibus condivit, plaustroque cum sarcophago impositum ad locum, quo B jusserat, deferre cœpit: in qua deductione corporis quicumque ægrorum Sancto fuerunt obvii, per virtutem sancti Martyris, a quocumque detinebantur incommodo, meruerunt liberari. Quo gloriæ triumpho comitante virtutiferam glebam, longius prosecuti stationem fecerunt in pago Castrensi, silvæ Aquilinæ loco, nomine Ybernio, super fluvium Resbacis. In eadem vero silva Dordingus comes cervum venatibus agebat, qui fugiens, juxta sarcophagum Viri Dei constitit, et insequentes canes, latratus privatos officio, virtute divina eminus stare compulit.

...raculis illustre sepelit in ... Aquilina.

7 Lectio vii. Tanti igitur comes attonitus novitate prodigii beatam virginem Scaribergam percunctatur eventum rei: cui illa per ordinem retulit vitam et meritum beati Martyris. Ille Domino gratias egit, et Sancto plurima donaria obtulit. Sequenti die cum cœptum iter vellent agere omnimodis divina impediti voluntate, nullo modo plaustrum valuerunt movere. Tunc prædictus comes erga Sanctum Dei majori æstuans devo- C tione, cuncta, quæ tibi hereditario jure possidebat, ei sub chirographo tradidit, ibique eum decenter et honorifice sepelivit. Quo sepulto, venerabilis Virgo Turones celerius adiit, et quæ acciderant enarravit, beati Arnulphi hereditatem cum aliis rebus sancto Mauricio *b* tradidit, et cum suis ad locum, ubi tumulaverat Virum Dei, repedavit; ubi oratorium construxit, et ad fratrem suum, nomine Patricium, Taruennensem episcopum misit, ut veniret, et illud consecraret. Sed minime est repertus, qui ultra mare ad prædicandum Dei verbum fuerat jam profectus: ipse enim primus Hiberniæ genti verbum intulit salutis *c*. Conversis Scotis ad Catholicam fidem, reversus est ad propriam sedem. Denuo misit ad eum soror ejus, ut veniret, et basilicam, quam construxerat in honore sanctorum Remigii et Arnulphi, consecraret.

ex MSS.

ibidemque solitariam et austeram vitam agens sancte obit.

8 Lectio viii. Adveniente episcopo, et dedicato oratorio in honore Sanctorum, quieverunt in eodem loco Patricius scilicet, et venerabilis soror ejus annis tribus et dimidio *d* simul eremiticam vitam ducentes, et Deo vota persolventes. Post hæc dum beatus Patricius ad propriam sedem cuperet reverti, adstitit ei angelus Domini prædicens ejus obitum, et in oratorio *e*, quod dedicaverat, finem vitæ esse solvendum: qui sorori suæ angelicam visionem retulit, plenusque virtutum meritis ad Dominum migravit xiii Kalendas Aprilis. Post cujus obitum beata Scariberga in cinere et cilicio lugens ibidem permansit, et plurimo abstinentiæ genere carnem mulctavit. Diebus dominicis hordeaceo pane vescebatur, et in Pascha aliisque præclaris solennitatibus fabis et siliquis pro deliciis utebatur. Fertur etiam, quia dum E Carnotis ad venerationem beatæ Domini Genitricis et Virginis Mariæ properaret, ab ea mulier cæca illuminata est *f*. Et quidam febricitans sumens de aqua, ex qua Sancta abluerat manus, confestim sanitati est redditus. His aliisque virtutibus inclyta, septennio dicatæ pœnitentiæ apud memoriam Sanctorum expleto, adveniente obitus sui die, petiit ab omnipotente Domino, ut quicumque in Dei nomine, et sanctorum Remigii, Arnulphi atque Patricii in eumdem locum deprecaturi venirent, petitionis suæ vota impetrarent. Cognoscens ergo se exauditam apud Dei misericordiam vi Nonas Octobris cælestem migravit ad gloriam, et ornata lampade boni operis, cælestis sponsi thalamum introivit: cui est honor et gloria cum Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Peregrinationes aliasque res a S. Arnulpho gestas in Annotatis ad ejus Vitam illustrare conatus sum. Quare ad ea lectorem hic remitto.* F

b *Indicatur hic verosimiliter Mauritius martyr, de quo etiam agit Gregorius Turonensis lib.* I *de Gloria Martyrum cap.* LXXVI.

c *De hoc errore aliqua diximus in Commentario prævio num.* 5.

d *In priori Ms. dicuntur tantummodo simul vixisse* per triennium.

e *Ex hoc mortis loco magis manifeste detegitur error scriptoris, qui Patricium cum altero seniore homonymo confudit: nam celebris ille Patricius, Hibernorum apostolus, in Hibernia mortuus est, ut in ejus Actis ad diem* XVII *Martii demonstratum est.*

f *Idem miraculum in Ms. Claromontano narratur; sed dicitur factum esse* in solennitate Pentecostes, *quod hic non additur.*

A D

DE S. GONERIO PRESB. ANACHORETA

IN BRITANNIA ARMORICA.

J. B.

Ex Proprio Venetensi et Castellano.

XVIII JUL. *A Saussayo præteritum signavit Castellanus.*

Proprium Venetense appello potissimum, quod ejus auctoritate S. Gonerium *hic collocare ausus fuerim, remissum pridem a Majoribus nostris ex* IV *Aprilis ad* XVII Junii, *quod properanti calamo exciderit pro* XVIII *Julii, quo die in dicto Proprio Venetensi signatur ejus commemoratio in tribus, quæ penes nos sunt, editionibus annorum* 1630, 1652 *et* 1660. *De cetero nullis usquam Martyrologiis, aut* IV *Aprilis aut* XVIII *Julii inscriptum comperimus* S. Gonerii *nomen, ne in magno quidem Saussayi Gallicano, ut solus citandus sit recentissimus Castellanus ad* IV *Aprilis eum referens his verbis :* In Plou- B grescant, diœcesis Trecoriensis, S. Gonerii presbyteri, qui plures vitæ annos solitarius exegerat in eremitorio saltus de Breinguilly prope Rohanum. *Vix plura habet Lobinæus in nova sua Armoricæ historia, solum addens,* S. Gonerium *oriundum esse ex majori Britannia; ut facile intelligas, de solo cultu ex adductis testimoniis certiores nos reddi. Cur autem variis diebus celebretur Sancti festivitas, non aliunde repetendum puto, quam ex mero Venetensis et Trecoriensis ecclesiarum arbitrio.*

Albertus Vitam composuit,

2 *Quamvis autem Sancti gesta et ætas penitus ignorentur, nihilo tamen minus more suo Legendam ipsi ad* IV *Aprilis aptavit Albertus le Grand de monte Relaxo,* collectam *asserens* ex veteribus Legendariis Mss. ecclesiæ cathedralis Trecoriensis, ex Proprio Venetensi *(nempe in quo, ut jam diximus, sola fit commemoratio de Communi conf. non Pontificis) atque* ex vetusto *item* Legendario Ms. quod exstat in ecclesia parœciali de Plougrescant. *Frustra Legendam Latinam exspectarunt Majores nostri, frustra ego ipsam sperem hodie; ut sola proinde supersit historia Magni Alberti, cui quantum tribuere consueverimus, nihil attinet hic pluribus exponere. Eam proinde vertendam equidem non suscipiam, sufficiet pauca contrahere quæ minus inverisimilia videbuntur. Britannum origine fuisse atque in Armoricam transfretasse, ubi in agro Venetensi aptam sibi solitudinem quæsierit, condito oratorio in quo sacris operari posset, quod modo in ecclesiam conversum sit, facile admitti potest; uti etiam quod austeram vitam duxerit, solo pane et aqua contentus, omnem alium cibum pauperibus distribuens, noctem orationibus, diem opere* E *manuum suarum transigens, seque in omni virtute exercens.*

cujus summa capita recensentur.

3 *Subjungitur longa historia de Aluando regulo, homine fero, qui quod e venatione rediens a Sancto resalutatus non esset, multa ipsi minatus sit, servi autem Domini jussa ita prævenerint, ut* S. Gonerium *horrendum in modum diverberarint, ruptis duabus costis : quam crudelitatem secuta sit divina punitio; tum Aluandi ipsius ac famulorum pœnitentia, conversio ad Deum ac tandem sanatio. Ob nimiam populi concurrentis frequentiam dicitur Sanctus primam solitudinem deseruisse atque ad diœcesim Trecoriensem se recepisse, nempe in Plougrescant, ubi reliquam vitam sanctissime transegerit, ibidem mortuus et sepultus, multis miraculis tum in vita tum post obitum clarus. Sacrum caput nonnullaque ossa in sacrario cathedralis Trecoriensis asservari ait Albertus, variaque sacella per eam diœcesim Sancto erecta fuisse, præter illud in quo post obitum reconditus est.*

C F

DE S. THENNA SEU THENEW MATRONA MATRE S. KENTIGERNI

IN SCOTIA.

J. B. S.

Ex Breviario Aberdonensi et Fastis recentioribus.

CIRCA AN. DLXXX. *Ex fastis Scotiis de cultu constare videtur :*

Thomas Dempsterus Menologii Scotici compilator ita scribit hoc die : Apud Dalgarnoch, Thennæ viduæ, S. Kentigerni matris miraculosæ mulieris; *citans Breviarium Scoticum maxime Aberdonense, Kalendarium Adami Regii, Cheynæi etc. At pridem monuit Henschenius tomo* IV *Maii pag.* 184 : Fidem apud viros eruditos reperturum Dempsterum, dum similium monumentorum, quæ singulis a se commemoratis Sanctis plura adscribit, vel unum saltem aliquis in lucem protulerit. *Camerarius, priori non impar, plura habet sub alio nomine :* Sancta Thametis, aliis Thennat, Scotorum regina, et in Glottiana præsertim Scotiæ provincia celeberrima. Fuit hæc mater sancti Kentigerni. In mediis licet collocata delitiis, assidua tamen abstinentia, crebris jejuniis, diuturnisque vigiliis tenellum corpus subdere animæ non destitit. Proxima morti cum esset, dixisse fertur; Domine Jesu, regnum, quod a te accepi, tui causa deserui, (post mortem enim mariti omni se cura regni abdicavit, et se totam divinis rebus contemplandis dedit) colloca me quæso in regno tuo. *Testes adducuntur Hunterus in libro de sanctis Scotiæ, Regius in Kalendario et alii. Si hæc contuleris cum primo*

A *mo capite Vitæ* S. *Kentigerni ad* XIII *Januarii, statim intelliges, ut minimum valde dubia hic pro certis venditari.*

Lectiones ex Vita S. Kentigerni.

2 *De S. Kentigerni Vita sic loco citato censuit Henschenius :* Vitam S. Kentigerni episcopi Glascuensis edidimus ad XIII diem Januarii, ex Capgravio desumptam, sed a posteris e vulgi traditione tam stolide concinnatam, ut eam ab opere nostro vellemus abesse, aut saltem graviori censura castigatam fuisse. *Ex his nihilominus desumenda sunt quæ de* S. Thenna *referri possunt ; nam Camerarii elogium mere pro arbitrio videtur compositum. Equidem ad Prætermissos Sanctam rejecissem, tametsi et Ferrarius et Castellanus eam etiam annuntient, nisi citato sæpius Aberdonensi Breviario plusculum tribuendum censuissem, ex quo de cultu certiores reddimur ; quidquid lectiones novem ibi expressæ eumdemmet stylum sapiant, quem in Actis nostris admissum doluit Henschenius ; præterquam quod et alia comminiscantur, quæ lutosum plane fontem, ex quo promanarunt, ad oculum demonstrant. Titulus ipse id paradoxi continet, quod* S. Thennam *obiisse velit sub Eugenio II, anno* CCCCXLV ;
B
ubi verosimillimum est, S. Kentigernum filium, ultra medium sæculi VI *vitam produxisse, de quo vide Bollandi Commentarium.*

AUCTORE J. B. S.

referri non merentur.

3 *Ut ad Breviarium redeamus, novem istic omnino lectiones exstant, sed ita conceptæ, ut eas opere nostro non magis dignas censeam quam S. Kentigerni Acta, quæ inde abesse maluissent Majores nostri ; id peculiare additur ad finem lectionis ultimæ, quod cunctis diebus quibus vixit, filium suum sancte et beate vivendo secuta sit, nec longe ab eodem moram in Glasgu fecerit, ubi frequenti dicti filii sui fruebatur colloquio. Tandem plurimis traductis in vitæ sanctitate annis, in cælos transvehitur cum dicto filio suo Kentigerno ....* et in Glasguensi civitate inclyta honorifice tradita sepulturæ, *ut non videam cur* in Dalgarnoch *a Dempstero et ab iis qui ipsum secuti sunt, collocetur. Admittiut cumque potest Breviarii oratio in hunc modum concepta :* Deus qui B. Thenew B. Kentigernum, cælesti gratia præventum nasci voluisti, concede propitius, ut qui eam sinceris venerantur mentibus, ab inferni valeant liberari periculis. Per etc. *Atque hæc de* S. Thenna *seu* Thenew *satis dicta sint.*
E

DE S. ARNULPHO EPISCOPO

METIS IN BELGICA I.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

P. B.

§ I. Cultus S. Arnulphi, basilica, reliquiæ, elogia.

ANNO DCXL.

De S. Arnulpho hodie agimus ;

Metæ, *regni olim Austrasiæ caput, ipsaque adeo Austrasia Commentarios nostros tum alibi, tum præsertim tomo* I *Februarii a pag.* 206, *ubi de S. Sigeberto Austrasiorum rege, satis jam sibi sæpe ac prolixe vindicarunt, ut hic iterum describi non debeant. Ostentat etiamnum urbs hæc nobilissima priscorum suorum temporum monumenta, uti apud Meurissium, episcopum Madaurensem et Metensis ecclesiæ suffraganeum, in Præfatione ad historiam episcoporum*
C *ecclesiæ Metensis videre est ; sed nullum aut gratius Deo aut sibi gloriosius, quam sacras* Arnulphi, *præsulis olim sui, exuvias, quarum hoc die translationem, eodem teste Meurissio pag.* 117, *anniversaria celebritate recolit ; cum natalem ejus, ibidem pag.* 123, *fasti Metenses consignent die* XVI *Augusti his verbis :* Metis, natalis beati Arnulphi episcopi, qui sanctitate et miraculorum gratia illustris, eremiticam vitam deligens, beato fine quievit.

quamquam hic non est natalis ejus;

2 *Iisdem pene verbis diem ejus natalem recenset Ado ad diem* XVIII *Julii, secutus, opinor, Bedam, seu potius Florum, qui ad eumdem diem sic habet :* Natale sancti Arnulphi confessoris, *non satis clare exprimens, nostrumne an alium* Arnulphum *designatum velit, ut in Usuardo nostro observatum est. Adoni consonant eodem die Rabanus ac Notkerus ; hic succincto, ille prolixiori usus elogio ; aliique apud Martene tom.* III *Thesauri Anecdotorum. Accedit his etiam Martyrologium Romanum ; ubi hanc notationem subjungit Baronius :* De eodem hac die (XVIII *Julii*) Beda ; Usuardus autem et Ado ad XVII Kalend. Septembris, quo die ejus venerandum corpus translatum est. *Et quamquam die* XVI *Augusti nulla translationis illius in moderno Martyrologio Romano fiat mentio ; fecit illam tamen in suo Galesinius, et ante eum Florarium Sanctorum Ms. ac recentiores Canisius in Martyrologio Germanico, Wion, Menardus, Dorganius, Bucelinus, Antonius de Heredia, aliique passim, ita ab ecclesiæ Metensis instituto diversi, ut quem illa diem* S. Arnulphi *natalem celebrat, isti translationis esse velint ; natalem vero illum putent, quo apud Metenses translatio colitur.*
F

sed translationis.

3 *Pro Metensibus quidem non facit Ado, ut a Rosweydo purgatus est, qui ad* XVII *Kalend. Septembris de* S. Arnulpho *omnino non meminit. Codicem igitur interpolatum consuluerit Baronius, ubi locum illum legerit ad* XVII *Kalend. Septemb., quem Rosweydus, tamquam Adoni suppositum, in Appendicem relegat. Favet illis tamen Usuardus a nobis editus, qui cum Adonis verba de natali* S. Arnulphi, *quæ ad* XV *Kalendas Augusti repererat, transtulerit ad* XVII *Kalendas Septembris ; non temere id fecisse censendus est. Usuardum porro præcesserat Wandelbertus. Verum hanc qualemcumque controversiam priora, quæ dabimus Acta* S. Arnulphi, *num.* 27, *omnium certissime diriment : ibi enim translationem reliquiarum* S. Arnulphi *factam esse narrant ;* Post obitum beati Arnulphi anni fere jam ..cto tempore. *Atqui fere annus est a* XVI *Augusti usque ad* XVIII *Julii sequentis ; plus autem est aliquantulo quam annus a* XVIII *Julii usque ad* XVI *sequentis Augusti : ergo cum duo illi tantummodo dies vertantur in quæstione, dubium esse non potest, quin* XVI *Augusti obierit* S. Arnulphus ; *translatus vero fuerit* XVIII *Julii.*

Quid

AUCTORE P. B.

Quia tamen nihil de Sancto nostro, præterquam hoc die, notatur in Martyrologio Romano, id causæ est, cur de illo etiam nos hoc die meminerimus.

Cultus ejus antiquissimus,

4 *Liquet vero ex iis quæ modo adduximus, quam celebris ac pervulgatus apud omnes Martyrologos fuerit* S. Arnulphi *cultus et veneratio, saltem inde a sæculo nono. Sed multo altius, atque adeo ab ipsa sacri corporis prima translatione, hoc est, ab anno Christi* 641, *ejus primordia repetenda sunt; ut ex Vita nostra priori a num.* 27 *palam fiet. Exinde populi ad sepulcrum ejus suppliciter accidentis pietas ac fiducia multitudine miraculorum tam late continuo fundi cœpit; ut jam tum ecclesia Sanctorum Apostolorum in qua conditus erat, exolescente paulatim priori nomine,* sancti Arnulphi ecclesia *vulgo nuncuparetur, ut fidem faciunt instrumenta a Meurissio pag.* 110 *et sequentibus prolata. Et quoniam ecclesiæ hujus hic mentio incidit, non abs re facturus videor, si nonnulla ad eam spectantia commemoravero; cum ad rem, quam agimus, plurimum conferant.*

et ecclesia Suburbana Metis Canonicorum Regularium,

5 *Fuerat ea olim ædificata non procul ab urbe Metensi, teste Episcopo Madaurensi in historia episcoporum Metensium pag.* 24 *et seqq., a S. Patiente,* IV *ejusdem Sedis antistite, de quo et nos egimus ad diem* VIII *Januarii, nec admodum, ut ea ferebant tempora, sumptuose. Subinde immensum crevit ejus magnificentia : donec* seculo quinto ab Hunnis eversa fuit, *inquit Mabillonius in Annalibus Benedictinis ad annum Christi* 585 *num.* 33, sed paullo post restituta, monachisque concessa ; demum sancti Arnulphi corpore, istuc per Goericum successorem delato, ac nomine nobilitata est. In hac basilica multorum imperatorum, regum ac principum, insigniumque personarum monumenta exstabant ante, quam veteri monasterio destructo, seculi superioris anno quinquagesimo secundo monachi nostri in eam, quam nunc possident, Prædicatorum ecclesiam translati essent. *Hæc omnia fusius apud Meurissium loco citato curiosus Lector inveniet; præter illud, quod ait Mabillonius de concessa monachis illa basilica sæculo circiter quinto; cum juxta Madaurensem, pag.* 31, *id primum factum sit sæculo decimo: quæ res mihi quidem certa videtur; quidquid eam etiam alibi negare videatur Mabillonius.*

Ordini S. Benedicti concessa an. 941,

6 *Monasterium enim et basilica* S. Arnulphi *ad* canonicos regulæ, *id est regulares pertinuit; donec illos inde, quia dissolutioris erant vitæ nec emendari poterant, expulit Adalbero Metensis episcopus istius nominis primus, subinductis monachis S. Benedicti, idque Othone I Imp. annuente* quarto Idus Januarii, anno Incarnationis Domini nongentesimo quadragesimo primo, Indictione decima quarta, anno domini Othonis sexto; *uti habet instrumentum authenticum apud Meurisse pag.* 304; *quod et aliud sequitur, quo bona Canonicorum isdem monachis Imperator idem adjudicat* tertio Idus Junii anno Domini nongentesimo quadragesimo nono. *Item alia ipsius Adalberonis, quæ tam aperte docent numquam ante illud tempus monachos ad* S. Arnulphum *fuisse; ut satis mirari nequam ea vel a Mabillonio visa non fuisse, vel certe locis a me lectis dissimulata. Idem asserunt* Acta Abbatum quatuor Metensis S. Arnulphi monasterii, *quæ nuper edidit D. Martene Thesauri Anecdotorum tom.* III, *col.* 1199, *ubi dicitur :* Quando mutatus fuit ordo, id est Canonici Regulares in Ordinem monasticum, tunc factus est Albertus *(Arbertus)* primus abbas in ecclesia S. Arnulfi. . . . Iste non tenuit, nisi duobus annis ecclesiam pastoralem. Et post hunc suscepit officium domnus Ansteus. *Ansteum vero affirmat præfuisse* per annos XVI, *ac sepultum esse anno Domini* 960.

a multis principibus ditata,

7 *Jam quanta in veneratione ac pretio fuerit* Arnulphi *sanctitas, ex profusa multorum principum in ecclesiam hanc ejus liberalitate inde ab ipsa, ut modo dicebam, translatione manifestum est. Ejus aliquot hic specimina servato temporis ordine assignasse sufficiat. Primum est in duce Nothone sive Noddone, in cujus prædio miraculum illud, cum primum sacra hæc lipsana Metas transferrentur, patratum est, quod narratur in prima Vita* S. Arnulphi *num.* 30: Propter quod miraculum *(verba sunt excerpta e Vita Ms. S. Goerici danda die* XIX *Septembris)* idem liberalissimus dux possessionem ipsam cum omnibus appendiciis suis Deo et sancto Arnulfo tradere festinavit. *Ceterorum fere in eamdem basilicam beneficiorum chartæ authenticæ legi possunt apud laudatum jam sæpe Meurissium : et Pipini quidem Heristallii, qui fuit Sancti nostri ex Ansegisilo nepos, pag.* 109 ; *Drogonis, hujus filii, pag.* 110 : *filiorum ejus Godefridi, Arnulphi, Hugonis, ibidem usque ad pag.* 113 ; *Chilperici II regis, pag.* 145 ; *Caroli magni imp. ejusque conjugis Hildegardis, pag.* 179 *et seqq.*; *nepotum ejus ex Ludovico Pio Lotharii, Ludovici Germanici, Caroli Calvi, a pag.* 269 *usque ad* 274; *Arnulphi imp. pag.* 294. *(Est et alia ejusdem Imperatoris anterior apud Martenium tom.* I *Thesauri Anecdotorum col.* 54.*) Contulit etiam aliqua filius ejus Zuentiboldus, ut omittam alios posteriores, quorum facile princeps cum Ottone I imperatore episcopus Metensis Adalbero, de quibus pag.* 304 *et seqq. Itemque Eva comitissa, ejusque filius Udelricus archiepiscopus Rhemensis, pag.* 139. *Sed minime prætereundus est S. Leo Papa IX, qui eamdem basilicam dedicando,* millesimo quinquagesimo anno, *juxta Chronicum Senoniense lib.* II, *cap.* XVIII, *aut potius* XIX, *non mediocriter exornavit; idque* petitu venerandi abbatis Warini, *ut narratum est tom.* II *Aprilis in Vita S. Leonis pag.* 660. *Satis hæc sunt, opinor, ad antiquissimam non modo populi; sed etiam summorum principum venerationem pietatemque erga* S. Arnulphum *publicam assequendam, luculenta vestigia.*

et sepulcris exornata; maxime S. Clodulphi Ep.

8 *Neque vero suas tantummodo facultates* S. Arnulpho *nostro principes, sed et corpora tradiderunt; de quibus consule Chesnium in Historiæ Francorum Scriptoribus tom.* II, *pag.* 202, *et* 320, *et Meurissium, ubi de S. Patiente, IV Metensium episcopo, a pag.* 26. *Eminebat inter eos S. Clodulphus,* S. Arnulphi *et filius et in ecclesia Metensi post S. Goericum et Godonem successor; qui sicuti sanctissimi parentis moribus ac vitæ semper adhæserat vivus, ita nec separari vel in sepulcro mortuus voluit. Conditus enim fuit apud* S. Arnulphum, *uti narrat auctor Vitæ ejus quam dedimus ad diem* VIII *Junii, pag.* 132 ; *donec inde sæculo decimo in Layum, locum in Lotharingia Nanceio haud procul dissitum, et post Udelrici Rhemensis atque Evæ matris ejus donationem prioratu Benedictini Ordinis insignem, translatus est, ut in Commentario Vitæ ejus prævio num.* 4 *narratum invenies : quo loco hæc etiam addidit Henschenius noster :* Meurissius addit *(in Vita S. Clodulphi episcopi Metensis* XXXII, *lib.* II, *pag.* 136*)* . . . . caput ejus adservari Metis in ecclesia S. Arnulphi. *Idem dixerat Mabillonius in Actis Sanctorum*

A *Sanctorum Ordinis Benedictini sæculo* II *pag.* 1047. *Monuit interea nos V. C. D. Augustinus Calmetus, Commentariis ac dissertationibus in S. Scripturam notissimus, epistola die* IX *Martii* 1718 *ad Sollerium data, id omnino corrigendum esse:* Caput enim S. Chlodulphi cum suo corpore esse in sua apud Layum theca; et neutiquam in abbatia S. Arnulphi. *Fides esto penes Auctorem.*

... 1552, ... intra ... ...

9 *Ceterum basilica ac monasterio* S. Arnulphi *anno* 1552 *solo æquatis, vocati sunt in urbem monachi Benedictini, et cœnobium Fratrum Prædicatorum, ubi etiamnum degunt, incolere jussi. Translatæ eodem sancti Præsulis exuviæ ea pompa, quam describit Meurissius pag.* 25 *et seq., ibidemque etiam hodie coluntur, ut idem auctor affirmat pag.* 117, *loculo munitæ argenteo, cujus operculo hæc inscripta leguntur:* Anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo septimo, Indictione quinta, imperante Domino Frederico, præsente venerabili Theodorico, Metensis ecclesiæ electo, sanctissimum corpus beati Arnulphi, Metensis episcopi, a venerando abbate hujus loci Simone, secundo B Nonas Junii, hoc in vase translatum est. *Operculum ambiunt plura regum atque imperatorum capita, opere antiquo elaborata. Latus alterum hæc nomina præfert insculpta:* Priamus Rex, Marcomirus Rex, Pharamundus Rex, Clodius Rex, Meroüeus Rex, Hildericus Rex, Clodoveus Rex, Lotharius Rex primus, Lotharius Rex secundus, Dagobertus Rex, Clodoveus Rex, Theodoricus Rex, Hildembertus Rex, Dagobertus Rex, Hildericus Rex, Hildericus Rex, Pipinus Rex, Carolus Magnus Imperator. *Latus alterum his insignitur:* Ludovicus Imperator, Carolus Calvus Imperator, Ludovicus Rex, Ludovicus Rex, Carolus Imperator, Arnulphus Imperator, Odo sub Arnulpho Rex, Carolus Rex, Ludovicus Rex, Lotharius Rex, Ludovicus Rex, Hugo Capellus Rex, Robertus Rex, Henricus Rex, Philippus Rex, Ludovicus Rex, Ludovicus Rex.

10 *Sanctuarii hujus pedem aliorum regum et imperatorum capita circumdant, subjectis hinc hisce nominibus:* Sanctus Arnulphus, Anchisus Dux, Pipinus Dux, Carolus Martellus Dux, Pipinus C Rex, Carolus Magnus Imperator, Ludovicus Imperator, Lotharius Imperator, Ludovicus Imperator, Carolus Calvus Imperator, Carolus Imperator, Arnulphus Imperator, Ludovicus Imperator, Conradus Rex, Henricus Saxo Rex, Otto primus Imperator, Otto secundus Imperator, Otho tertius Imperator. *Inde vero hisce:* Henricus secundus Imperator Bajoariæ, Conradus secundus Imperator, Henricus tertius Imperator, Henricus quartus Imperator, Henricus quintus Imperator, Lotharius Saxo Imperator, Conradus tertius Rex, Fridericus Imperator. *Hinc intelligere licet, inquit ibidem Episcopus Madaurensis, illustrem* S. Arnulphi *genealogiam; sed de hac agetur paulo inferius.*

11 *Hactenus de cultu, quem in ecclesia sua Metensi ab ipso propemodum felici obitu constanter obtinuit: omitto enim ecclesias alias, quæ Sanctum nunc nostrum peculiari celebritate venerantur, quas inter haud sane postrema est Amaniensis, ab ipsa S. Oda* S. Arnulphi, *ut creditur, matre fundata in diœcesi Leodiensi; cujus rei testimonium est apud Dominicium in variis antiquitatis monumentis, quæ habentur ad calcem Ansberti Familiæ Redivivæ pag.* 19. *De sacello, quod adhuc visitur in monte, in quem ab episcopatu se recepit Sanctus noster, erit infra dicendi locus. Tota certe Gallia patrocinium ejus fuit olim longe celeberrimum, quando, ut est in Annalibus rerum Francicarum apud Du Chesne tomo* III *script. hist. Francorum pag.* 263, S. Arnulphus omnium Francorum coram Deo et hominibus patronus præcipuus habebatur. *Nec omittit eum etiam auctor anonymus Vitæ S. Deicoli abb. Lutrensis ad diem* XVIII *Januarii pag.* 201.

AUCTORE P. B.

Elogia.

12 *In Vita S. Goërici præclara hæc ei elogia tribuuntur:* Beatus Arnulphus decus orbis, lumen patriæ, stabilimentum populorum, gloria sacerdotum, lucerna in tenebris sedentium, ornamentum non suæ solum, sed etiam omnium sanctarum ecclesiarum. *Aliud accinit illi Poeta Saxonicus lib.* V *de Gestis Caroli Magni ad Arnulphum imp. apud Chesneum tom.* II, *pag.* 175.

Unum commemorem tanto de germine patrem,
Quem sanctum Christi prædicat Ecclesia;
Scilicet Arnulfum, Francorum qui fuit olim
Princeps, ac Præsul post satis egregius:
Ductus amore Dei qui spreverat omnia mundi, E
Quæ mulcent oculos, quæque trahunt animos,
Malens divinas, mundi quam tradere leges,
Esse Dei famulus, quam populi dominus.
Nunc ovat in cælis, præbens miracula terris,
Sublimis meriti signa decora sui:
Indeque nostrorum totam seriem dominorum,
Stirpem nempe suam, protegit atque fovet.
Præ cunctis igitur tibi cura nepotibus una,
Quæsumus, Arnulfus sit tuus homonymus. *etc.*

ex epist. S. Desiderii ep. Cadurcensis.

13 *Sed quanto antiquius est Desiderii episcopi Cadurcensis testimonium, tanto est ad* Arnulphi *sanctitatem commendandam illustrius. Sic igitur habet in epistola, quam prope jam ætate confectus dedit ad S. Clodulphum,* S. Arnulphi *filium, apud Du Chesne in hist. Franc. script. tom.* I, *pag.* 878: Gratulatione maxima præsentem paginam ad Dominationem vestram destinavi, per quam salute uberi fusa, precor Dominum, ut magis magisque suam in vobis tribuat largitatem pietatis, ac bonis faciat successibus abundare. Et quia scriptum legimus: Generatio rectorum benedicetur, tu, Vir excellentissime, benedictiones paternas semper memoriæ vivacitate conserva: et siqua sunt, vel quod F monuit, vel quod egit, quasi ante oculos præsentaneo retine memoratu: multa enim sunt de ejus gestis tuis auribus recolenda, quæ si gestis adjicias vitæ hujus, et intenta meditatione conserves, ille orationibus donabit utique nunc favorem, quo probabiliter probe polleas, et istinc cursu feliciter auspicato, paternis muneratus præmiis adjungaris.

§ II. S. Arnulphi majores; tempus locusque nativitatis; honores in aula regia; uxor et filii.

Variæ sententiæ de majoribus S. Arnulphi.

De *majoribus* S. Arnulphi *hæc habet ejus Vita sincerior num.* 2: Beatus igitur Arnulfus episcopus, prosapia genitus Francorum, altus satis et nobilis parentibus, atque opulentissimus in rebus seculi fuit. *In secunda Vita num.* 2 *dicitur in aula Theodeberti Regis præ*fulsisse

AUCTORE P. B.

falsisse proavorum nobilitate. *Neque catenus ulla inter auctores disceptatio est. At ubi ad proavos illos suis quosque nominibus designandos acceditur, nulla propemodum inter eos consensio; aliis nihil quidquam hic satis exploratum esse contendentibus, imo conficta esse quæcumque de illis in gratiam, ut aiunt, principum stirpis Carolovingicæ jactata dudum fuere: aliis contra originem ejus a Ferreolo primo, præfecto prætorii Galliarum repetentibus; ut proinde non a Francis, sed a Gallis et exteris genus duxerit. Rursum alii principem eum fuisse volunt Merovingicum; alii denique id omnino negant, maluntque proavos ei legere Francos illos, qui ante Meroveum regnabant.*

Quid hic tenendum censeat P. Jordanus

15 *Postremam hanc sententiam ita tuetur Adrianus Jordanus noster in libello, quem inscripsit:* La Critique de l'origine de l'auguste Maison de France, *edito Parisiis anno* 1683; *ut simul aliorum opiniones confutet: atque hanc tandem ipse usque ad* S. Arnulphum *majorum ejus seriem condit, tamquam dissertationum suarum syllogen pag.* 323:

Francus, primus Francorum rex, imperante Valeriano et sequentibus. B

Genebaudes, sub impp. Maximiano et Constantino.

Mallobaudes, sub impp. Constantio, Valentiniano, et Gratiano.

Priamus, sub Theodosio magno.

Marcomirus, tempore Valentiniani secundi.

Pharamundus, imperante Honorio.

Clodio, temporibus Valentiniani junioris et Maximi.

Sigismerus, sub Avito et seqq. impp.

Ferreolus, sub Clodoveo rege.

Ansbertus, tempore Clotharii primi.

Arnoaldus, sub Sigiberto primo et Guntramno.

S Arnulphus tempore Clotharii et Dagoberti.

In hac porro serie, quam ipse longius producit, ait eam servari rationem, ut consequentes præcedentium sine ulla interruptione sint filii. Qui totum hoc argumentum, nitide sane, et quanta fieri potuit diligentia atque eruditione elaboratum desiderat, adeat libellum citatum tota priori parte: neque enim animus est mihi diffusam adeo, atque a viris in hoc genere versatissimis agitatam toties controversiam instaurare. C

Avus S. Arnulphi Ansbertus, avia Blithildis; parentes Arnoaldus et Oda.

16 *De avo tamen ac patre* S. Arnulphi *satis recepta apud plerosque genealogos, etiam Fabro atque Adriano Valesio posteriores, sententia est; dum ex Ansberto et Blithilde, Clotharii primi filia, Arnoaldum, qui et Boggis et Butgisus, Buotgisus, seu Burtgisus dictus est; ex Arnoaldo vero et Oda natum esse* Arnulphum *ostendunt. Consule Jordanum ad nomina singula loco, qui in ejus indice assignatur; item Sammarthanos in historia domus Franciæ lib.* VI, *Labbeum in Tabulis Genealogicis, Dominicium, Bouchetium aliosque. Arnoaldus hic an ille fuerit, quem ecclesia Metensis in episcopis suis numerat vigesimum septimum, an alius quispiam, qui monasterium Glanderiense una cum Digno atque Undone fundaverit, quique cum iis, sub nomine Bodagisli, in Martyrologio S. Naboris colatur ut Sanctus* XV *Kalend. Januarias, disquirit Meurissius a pag.* 94, *ac posteriorem opinionem tuetur. De Oda, quæ, aut unde, aut quo tempore nata fuerit, nihilominus intricata res est. Suevam facit Umno in Vita* S. Arnulphi *num.* 2, *et alia instrumenta apud Bouchetium citatum pag.* 31 *et* 41, *ac Meurissium pag.* 95; *non tamen Gunzonis Sueviæ Ducis filiam, quod quidam volunt. Legi interim potest Dominicius in Ansberti Familia rediviva parte* I, *cap.* XIV; *donec de illa loco suo fusius egerimus, ubi de S. Oda Vidua,* S. Arnulphi, *ut Acta ferunt, matre scribendum erit ad diem* XXIII *Octobris.* D

17 *De loco ac tempore, quibus lucem hanc primum aspexerit* S. Arnulphus, *prima ejus Vita nil memorat; ac secunda sic habet, num.* 2: Natus est autem beatus Arnulphus Aquitanico patre, Sueva matre in castro Laycensi, in comitatu Calvomontensi Imperatoris Mauritii temporibus. *Est autem Layum in Lotharingia Nanceïo haud multum distans versus Septemtrionem, ut mappæ exhibent; fuitque olim villa Evæ comitissæ, de qua supra, et Ulrici archiepiscopi Rhemensis, ideo ab his* S. Arnulpho *delegata,* quod isdem venerandus Antistes... in eadem villa præsentis exordium suscepit vitæ; et quia filii mei, *inquit Eva,* ab ipso ducebant originem ex paterno genere. *Donationis hujus instrumentum dat Meurissius pag.* 136. *Mauritius vero imperare cœpit anno Christi* 582 *a die* XIII *Augusti, juxta Labbeum, usque ad annum* 602 *propemodum exeuntem: sub initium porro imperii ejus natum esse* Arnulphum *necesse est;* E *cum episcopatum susceperit, ut infra videbimus, anno Christi* 610. *Imo vero seniorem illum facere non dubitarem, si auctorem ullum idoneum offenderem, quem Umnoni possem opponere: (nam auctor Vitæ S. Chlodulphi nimium quantum aberrat, cum fatetur,* Arnulphum *sub Theodeberto rege episcopum esse factum; ac tum subdit in fine Vitæ:* Poterat autem *(Chlodulphus)* esse annorum triginta, dum pater ejus, dominus Arnulphus, ad pontificium sublimatus est.

Nascitur Arnulphus in moderna Lotharingia, circa annum Christi 582:

18 *Verum tantum abest, ut Umnonis testimonio quidquam repugnet, ut favere potius Vita etiam prima videatur: narrat enim num.* 3, Arnulphum, *statim ut e ludo litterario emerserat (quod vix anno ætatis* 16 *serius statuendum videtur, licet* ætatem *illam ibidem auctor anonymus* roboratam *appellet)* Gundulfo subregulo, seu etiam rectori Palatii, vel consiliario regis exercitandum in bonis actibus esse traditum. *Regem hic haud dubie Theodebertum intelligit, cum eumdem paulo post nominet: id quod etiam Umno num.* 2 *diserte asserit. Atqui Theodebertus Childeberto patri in regnum Austrasiæ primum successit anno Christi* 596; *cum jam scilicet* Arnulphus *agere poterat annum circiter ætatis* 14. *Quis autem affirmare possit, aut statim cum novo rege majorem domus creatum esse Gundulfum; aut recenti adhuc majori domus* Arnulphum *esse traditum? Nihil igitur hic est, unde Sanctum nostrum ante annum Christi* 582 *editum fuisse in lucem existimes. At ne multo serius natus putari possit, tum tempus episcopatus, tum quæ ante illum ab eo sunt gesta, convincunt.* F

ad aulam Theodeberti accedit anno ætatis circiter 16;

19 *Etenim annos ab illo plures in obsequio regis sub Gundulpho fuisse positos, antequam esse domum istic aliquid cœperit, satis innuit auctor Vitæ prioris num.* 4 *ita scribens:* Hunc *(Arnulphum)* ille *(Gundulfus)* cum accepisset, per multa deinceps experimenta probatum, jam Theodeberti regis ministerio dignum aptavit. Nam virtutem belligerandi, seu potentiam illius deinceps in armis quis enarrare queat? Præsertim cum sæpe phalanges adversarum gentium suo subegerit mucrone. Quapropter effectus est demum, Christo præsule, omnium primus, qui dudum pene cunctorum

cujus tandem domesticus evadit;

AUCT. J.L. P. B.

A ctorum ultimus videbatur: ita ut sex provinciæ, quas et tunc et nunc totidem agunt domestici, sub illius administratione solius regerentur arbitrio. Multa igitur de se experimenta dederat, ac dudum pene ultimus in aula fuerat, cum demum domesticus evasit: domesticus, inquam, non qualiscumque, ut cui villa regia sive palatium tantum unum subesset; sed talis, ut ipsi domestici alii plures cum suis quique palatiis per provincias omnino sex parere cogerentur. Quæ quidem ipsa administratio et ætatem auctoritatemque utcumque maturam, et versatam in rebus gerendis industriam per sese exigebat; quæ in S. Arnulpho tantopere eminebant, ut non videatur ei par alius inveniri potuisse, cum episcopus consecrandus esset: quandoquidem onus illud idem sustinere tunc etiam jussus est vel invitus; Sic deinceps episcopales gestans infulas, inquit auctor Vitæ anonymus num. 8, ut etiam domesticatus sollicitudinem, atque primatum palatii acsi nolens teneret. Mirum ergo, si hæc ei administratio commissa fuit ante annum ætatis circiter 24, qui ductus ab anno Christi 582 incidit in annum Christi 606, Theodeberti decimum.

B 20 Porro ex textibus numero superiori citatis colligere etiam licet, quæ fuerit S. Arnulphi nostri in aula Theodeberti conditio: nam quamtumvis diversis in palatio honoribus et ministerio primus floruit, ut est in Vita prima num. 5; majorem tamen palatii tum fuisse, mihi quidem haudquaquam fit verisimile; Valesius certe rotunde id negat Rerum Francic. lib. XVII, pag. 558; eoque etiam propendisse majores nostri videntur ad diem XXI Februarii pag. 252. Et sane si ultra domestici dignitatem elatus tunc fuisset S. Arnulphus, cur id minus de illo expressisset auctor synchronus, quam id fecerit de Gundulfo, quem Subregulum vocat, seu etiam rectorem palatii; at nequaquam domesticum? Cur domesticum solummodo S. Arnulphum appellasset; cur illi sex tantum provincias, ac non universum potius Austrasiæ regnum administrandum assignavisset? Præterea si majorem domus agebat sub Theodeberto tum ante tum post adeptum episcopatum; cur eum gradu illo movisset Clotharius, cum ipsius præcipue ac Pippini factione Austrasiam ingressus esset? Ut narrat Fredegarius § XL. Cur ei Radonem suffecisset? Cur non statim in eadem dignitate S. Arnul-
C phum in Austrasia confirmasset; ut in ea, juxta eumdem auctorem § XLII, confirmavit Warnacharium posteriorem in Burgundia? Nam sic Fredegarium intellexit eo loco Valesius supra citatus.

21 Deserendi hic ergo videntur, qui majorem palatii S. Arnulphum faciunt sive sub Theodeberto, quod facit auctor Vitæ S. Goerici, die nostra XIX Septembris, et S. Clodulphi apud Mabillonium in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sæc. II, pag. 1044 et 1045 et Meurissium pag. 114; sive sub Theoderico, ut eadem Vita S. Clodulphi juxta editionem nostram VIII Junii pag. 128 et Regino in Chronicis ad imperium Mauritii; sive sub Clothario, ut idem Regino ad imperium Heraclii, et Hariulfus monachus apud Bouchetium supra pag. 38; denique Auctores nostri omnes, inquit Meurissius pag 113. Verum de Umnone, quem inter præcipuos habet, dicam § IV, num. 54 et 55. Neque obest, quod illum auctor noster anonymus omnium primum fuisse tum dicat, aut ministerio primum, eique primatum palatii tribuat: hæc enim ipsemet satis explicat; ut ultra domesticatum et sex provinciarum administrationem, nihil intellexisse se significet: nam et domestici istiusmodi titulis ornari poterant; cum eos non numquam etiam majores domus vocitatos fuisse notet Valesius Rer. Franc. lib. XI, pag. 180. Quo quidem sensu admitti poterunt auctores modo adducti.

22 Majus in auctore nostro patrocinium inveniunt, qui S. Arnulphum sub Dagoberto, Clotharii filio, majorem domus in Austrasiæ regno constituunt: Hoc enim verba illa non obscure significant num. 17: Nam præfatus rex Clotharius tanta eum (Arnulphum) fide et amore dilexit; ut, cum prolem suam Dagobertum in principatus sui culmine sublimasset, eidem regnum ad gubernandum et filium ad erudiendum in manu tradidisset. Atque hunc locum, opinor, respexit Paulus Warnefridus, qui Vitam nostram priorem legerat, cum apud Chesneum tom. II, pag. 201 de S. Arnulpho scripsit: Ita Dei ecclesiæ præfuit, ut et palatii moderator sub honore Majordomatus existeret. Si tamen honorem hunc sub Dagoberto Sanctus noster obtinuit, non videtur cum solus; sed cum Pippino habuisse communem; imo Fredegarius, licet auctore nostro sæculo fere toto junior, Arnulphum quidem inter Dagoberti ministros primo loco appellat § LII et LVIII; soli tamen Pippino titulum E majoris domus utrobique concedit: unde id confici potest, potiores quidem in consiliis ac regni negotiis decernendis S. Arnulphi partes fuisse, quod majoris domus erat proprium; at in decretorum executione potiores, atque adeo solas fuisse Pippini; quando hæ non secus ac majoris domus titulus hominem laicum decebant magis, quam episcopum.

Videtur majorem domus egisse cum B. Pippino sub Dagoberto.

23 Disputari etiam potest, an dux aliquando ante episcopatum S. Arnulphus in Austrasia fuerit: nam cum domesticatum illi tantum tribuat auctor Vitæ anonymus supra num. 19, consequens videtur, ut dux non fuerit; cum domestici dignitas, quantacumque fuerit, dignitati tamen ducis concesserit; ut patet ex Gregorio Turonensi lib. VI, cap. XI; ubi Gundulfum, matris suæ avunculum, ait, ex domestico ducem factum. Contra vero cum duces olim in Gallia dicti sint, qui provinciis præerant, quid ni ducem fuisse putemus S. Arnulphum; quandoquidem sex provinciæ, teste Anonymo nostro, sub illius administratione solius regerentur arbitrio? Nam quod supra provincias illas villas esse dixerim regias, in totidem provinciis sitas, in eo Valesii ac sequacium ejus Mabillonii ac Pagii interpretationem dedi potius, quam ipsa, ut jacent, Anonymi verba, quæ ita Cangius accipit, ut sonant; ut ipsas nimirum provincias, non villas, significent. Vide Glossarium ejus ad vocem Domestici. In eamdem sententiam Cangio præiverat Dominicius in Ansberti Familia rediviva part. I, cap. XV; ubi exinde Ducem fuisse colligit S. Arnulphum, Fabrum arguens, qui id negaverat. Ducem illum certe etiam nuncupat Theganus apud Chesneum tom. II, pag. 275, Albericus monachus apud Bouchetium de vera Origine secundæ ac tertiæ stirpis Reg. Franc. Famil. in Probat. I, part. pag. 39, aliique, ne quid dicam de diplomatis, quæ operi suo de Stemmatis Lotharingiæ ac Barri Ducum præfixit Rosieres, de quibus erit infra dicendi occasio. Adderem hic aliquid de S. R. I Marchionatu ad Schaldim, quem S. Arnulpho hereditarium obtigisse volunt Roserius, Meurissius, aliique; nisi palpare non luberet in tenebris, quæ in illius Marchionatus primordiis plusquam cimmeriæ sunt; uti videre est apud Baronem Le Roy Notitiæ

Dux fuit ante episcopatum.

F

AUCTORE P. B.

Notitiæ Marchionatus S. R. I. lib. I, *cap.* IV *et alibi. Consulesis etiam Fabrum Considerationum historicarum lib.* 1 *a pag.* 79.

Uxorem habuit Dodam,

24 *Duxerat uxorem interea Sanctus noster, nomine Dodam, ut est apud Bouchetium citatum pag.* 39, *in Vita S. Clodulphi, et secunda* S. Arnulphi, *apud Sigebertum in Chronico ad annum Christi* 640, *aliosque passim. Celebratur ejus nobilitas etiam in priori Vita* S. Arnulphi *num.* 5; *sed ita, ut et genus ejus et patria sileantur. Hinc iterum auctorum inter sese recentiorum pugna, dum alii Saxonicam eam fuisse contendunt apud Sammarthanos hist. Famil. Franc. lib.* VI, *cap.* IV, *et Roserium Stemmat. Lothar. tom.* III, *historia capitali* XLVIII; *alii filiam esse volunt Desiderii comitis Bononiensis sive Boloniensis in moderna Picardia, ut habet noster Jacobus Malbrancq de Morinis lib.* II, *cap.* LVI, *pag.* 259 *et in scholiis ibidem pag.* 657, *et lib.* VIII, *cap.* XLVII, *pag.* 742; *item Wasseburgius apud Meurissium pag.* 108 *ac citatus modo Roserius : alii denique Suevam fuisse statuunt, quæ sententia placet Sammarthanis, quamque fragmentum illud firmat, quod infra Vitæ secundæ subnectam; quo quidem dubitem, an proferri* B *possit ad hanc controversiam componendam antiquius; quamquam ejus auctor alioqui non videtur esse permagni pretii.*

quæ plurimum laudatur.

25 *Dodæ elogium insigne est in Vita S. Clodulphi in hæc verba :* Mater vero domini et venerabilis Chlodulphi, Doda nuncupata, non minori (*quam* S. Arnulphus) nobilitate clara refulsit : sed hanc ipsam nobilitatem morum pietate et animi sanctitate gloriosissime illustravit ac decoravit. Quæ cum Viro pudicissime, prout fert mundus, vivens, non patiebatur bonorum exhibitione se imparem fore. Et dum B. Arnulphus pontificali cathedra sublimatus est, ipsa etiam, fervente in ea ignea sancti Spiritus gratia, non solum spirituali veste et velamine induta est; verum etiam apud Treverenses inclusione usque ad diem mortis sese retrusit atque religavit. *Similia lege apud Umnonem infra in Vita secunda* S. Arnulphi *num.* 5, *et in Fragmento eidem Vitæ subjecto, uti et in Chronico Sigeberti anno Christi* 640. Locum, *in quem se apud Treviros receperit*, majores non definiunt, *inquit Browerus Annal. Trevir. lib.* VII, *num.* 38. *Judocus* C *tamen Coccius noster in suo Dagoberto cap.* IX, *De Heredia in Vitis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, ad diem* XVIII *Julii, et alii, locum illum fuisse tradunt monasterium S. Mariæ; sed unde id hauserint, equidem nescio.*

quæ et in Sanctas a quibusdam reponitur

26 *Sunt vero etiam, qui eam Sanctis adscribant, ut Grevenus in sua editione Usuardi ad* VIII *Septembris, ubi sic habet :* Ipso die, sancti Clodulphi episcopi Methensis, et Dodæ matris ejus. *Eadem habet ad eumdem diem Canisius in utraque editione Martyrologii sui Germanici. Arturus in sacro Gynæceo sic eam annuntiat die* II *Januarii :* Treviris : in Mosellanica Lotharingiæ, sanctæ Dodæ, Viduæ; quæ sanctis operibus se exercens, pietate ac religione enituit. *De cultu tamen illi sive Treviris, sive alibi umquam exhibito, nihil hactenus nobis innotuit : nisi quod illi in celeberrima Œnipontana S. Crucis basilica, fusa visitur inter alias plures ex ære statua cum hac epigraphe; quam, quia expressissimis characteribus ad nos Œniponto missa est* XII *Julii* 1712, *iisdem hic verbis ac litteris adscribo :* S. DONA HERCZOGIN VON SCHBBEINA S. ARNULPHEN GEMACHEL : *id est,* S. Doda Ducissa . . . . S. Arnulphi conjux. D *Non verto istud* Schbbeina; *quia non intelligo; nisi forte corrupte positum sit pro Schwevia seu potius Suevia : at* Gemachel *facile quivis perspicit, idem omnino esse, quod modo Germani scribunt* Gemahl.

Ex ea duos tantum habuit filios, Chlodulphum et Ansigisum.

27 Ex *hac tam* egregia fœmina duorum filiorum gaudia suscepit; *ut asserit Anonymus noster num.* 5. *Horum natu major Clodulfus fuit, cujus Vitam dedimus* VIII *Junii; minor Anchisus sive Ansigisus, testibus Paulo Diacono, Umnone, aliisque apud Bouchetium ac Dominicium. Unde eos non immerito rejicit Mabillonius tunc hic in notis, tum alibi sæpius, qui, cum auctoribus istis multo inferioris et nominis sint et ætatis, tertium* S. Arnulpho *filium Walchisum assignant, de quo sermo recurret in Vita S. Wandregisili die* XXII *hujus mensis. Mabillonium sequitur Cointius in Annal. ad annum Christi* 601 *num.* 41. *Quid ergo censendum de Antonio de Heredia in Vitis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, ad diem* XVIII *Julii, qui non tantum tres ei filios tribuit, sed eos etiam* omnes *ait* fuisse Sanctos, ac mortuos esse cum cucullo S. Benedicti, monachos professos? *Quid de Roserio, qui Stemmat. Lothar. tom.* III, *hist. capitali* XLVIII, *tribus jam dictis* S. Arnulphi *filiis etiam quartum adjungit, Arnulphum, ac Mariam insuper filiam? Certe qui ejus in hac re auctoritate standum putaverit; credat illi etiam, si lubet, ibidem affirmanti S. Valdrudem Walchigisi filiam fuisse ac simul S. Beggæ, Pipini Landensis filiæ, sororem. Porro quam late nobilissimum sanguinem* S. Arnulphus *per Ansigisum in principes, reges, imperatoresque propagaverit, passim apud Genealogos videre est. Quantus vero fuerit posterorum longo ordine secutorum in eum amor ac veneratio, erui utcumque potest ex dictis supra num.* 7 *et* 8. *Singulare quoque est illud quod de Ludovico Pio imp. retulimus in Translatione S. Sebastiani M. ad diem* XX *Januarii pag.* 295, *ubi* S. Arnulphum, *a quo genus ducebat, dicitur* incomparabili amore complexus. *Carolomannus etiam, Ludovici Pii nepos, filium suum, teste Reginone ad annum Domin. Incarn.* 880, Arnulphum nominari jussit, ob recordationem reverendissimi Arnulphi Mettensis ecclesiæ episcopi. *Mitto ceteros nepotes ejus omnes, qui nihil adeo sibi vertebant honori, quam quod ab* Arnulpho *genus ducerent; quos inter non nulli* F *in Cælites relati Acta jam nunc nostra exornant.*

§ III. S. Arnulphi episcopatus; ejus abdicatio; vita solitaria; tempus mortis.

S. Arnulphus ante episcopatum non fuit monachus.

Dum hæc agerentur, *inquit Anonymus noster num.* 5, sicut jam supra diximus, diversis in palatio honoribus, et ministerio primus floruit (*S. Arnulphus;*) sed jugis illius meditatio circa monasteria, vel loca sancta invigilabat. *Meditationem illam fovebat accendebatque mirum in modum S. Romaricus, qui et ipse pertæsus aulam, ad monasticam solitudinem anhelabat. Communi ergo consilio Lerinense monasterium adire decernunt, Deo deinceps rebusque cælestibus unice vacaturi.* Sed utriusque desideriis, *inquit Anonymus num.* 6, in hac causa obfuit voluntas Altissimi : neque fas omnipotens Deus fore censuit, ut hi duo viri . . .

sub

AUCTORE P. B.

A sub unius modii articulo occultarentur.... Incipit interea urbs Metensium indigere pontifice *etc. Idem illud Lerinum cum Romarico adeundi consilium divina voluntate alio fuisse flexum narrat Umno infra num.* 10; *et auctor Vitæ S. Romarici a Mabillonio citatus in notis ad eamdem Vitam sæc.* II *pag.* 416. *Auctor vero Vitæ S. Chlodulphi ad diem* VIII *Junii pag.* 128 *ait,* S. Arnulphum, *obnitente primum rege,* derepente *ex aulico clericum atque episcopum esse factum. Hæc eo annotare hic visum; quod auctores aliqui post S. Petrum Damiani Opusc.* XIX *de Abdicat. Episcop. cap.* VII *et S. Antoninum parte* II *Chronic. · tit.* XIII, *cap.* VI, § XIII, *solitarium seu monachum illum fuisse scribant, antequam ad gubernandam Mediomatricum ecclesiam accederet; et quidem apud Lerinum, ut Wioni, Ligni Vitæ lib.* III *ad* XVIII *Julii, aliisque placet; aut certe in Vogeso, ut alii volunt apud Antonium de Heredia in opere Hispanico modo citato.*

Quo tempore sit [illegible] episcopus, disputatur.

29 *Quæritur nunc, quo tempore ad infulas Metenses vocatus sit; nam nulla hic fere est uspiam Scriptorum consensio. Arnoldus enim Wion loco assignato, Vincentius Barali in sua Chronologia Sanctorum insulæ Lerinensis pag.* 203 *et alii* B *id factum putant anno Christi* 623: *Coccius noster in Epitome Chronographica, anno Christi* 622; *Meurissius in Chronographia, historiæ episcoporum ecclesiæ Metensis præfixa, anno Christi* 624; *Baronius jam de illo, tamquam episcopo sanctitate florenti, meminit anno Christi* 614 *num.* 11; *at ejus abdicationem recessumque refert anno Christi* 631 *num.* 11; *quæ duo consistere non possunt; cum non nisi annis* 15, *diebus* 10 *episcopum* S. Arnulphus *egerit. Baronium secutus fere est aliquando Henschenius noster in Diatriba de tribus Dagobertis lib.* IV, *cap.* VI *et alibi; at postmodum aliter statuit idem Henschenius in notis ad Vitam S. Chlodulphi die* VIII *Junii pag.* 132, *ubi episcopatum* S. Arnulphi *orditur* ab anno 611, vel potius 612, *terminatque* ad annum 626. *Valesius Rer. Franc. lib.* XVIII, *pag.* 26, *difficultatem hujus rei agnoscit ingenue; censet tamen eum* non nisi post Theodorici mortem, *quæ accidit* 613, in episcopali cathedra sedere cœpisse: *Valesio adhæsit Mabillonius in notis ad Vitam* S. Arnulphi *sæc.* II, *pag.* 151, *ita ut initium sedis ejus referat ad annum Christi* 614; *finem vero ad an-* C *num* 629: *sed idem tom.* I *Annalium lib.* XI, *num.* 62 *secessum ejus illigat anno Christi* 627; *atque adeo initium episcopatus anno* 612; *quandoquidem illum fatetur præfuisse annis* 15 *ac diebus* 10. *Ego sententiam primo, quæ mihi maxime probatur, huc afferam; tum iis respondere conabor, quæ contra illam valere potissimum videbuntur.*

[illegible] ex [illegible]

30 *Silente hic Anonymo nostro, dubitare nemo potest, quin maxima esse debeat auctoritas Fredegarii, ut qui et accuratus est, et ad* S. Arnulphi *ætatem longe, quam ceteri, qui de illo Sancto meminerunt, propius accedit. Constat vero primo ex hoc auctore cap.* LIII, *episcopum adhuc fuisse* S. Arnulphum anno 42 regni Chlotharii *Christi* 625, *quando ad litem patrem inter Clotharium filiumque Dagobertum reges dirimendam electi sunt ab utroque proceres,* inter quos, *inquit Fredegarius,* et domnus Arnulphus pontifex Mettensis cum reliquis episcopis eligitur, qui benignissime, ut sua erat sanctitas, inter patrem et filium pro pacis loquebatur concordia. *Idem firmari potest ex synodo Remensi, quam anno Christi* 625 *habitam esse sub Sonnatio, docet Labbeus in Epitome Chronol., et Cointius in Annalibus: nam inter episcopos, qui ad illam convenerunt, omnium primum recenset* Arnulphum *Flodoardus hist. eccl. Rem. lib.* I, *cap.* V: ubi etiam sanctus Arnulphus Metensium præsul invenitur interfuisse. *Constat præterea ex eodem Fredegario,* S. Arnulphum *ab aula atque ecclesiæ Metensis administratione discessisse ante annum Christi* 628, *quo mortuus est Clotharius, ac Dagobertus Parisios venit: laudat enim ibi Dagobertum, quod ad illud usque tempus regnum præclarissime gubernaverit,* Post discessum beati Arnulphi, adhuc consilio Pipini, majoris domus, et Chuniberti, pontificis urbis Coloniæ, utens. *Jam ergo* Arnulphus *recesserat, jam ejus locum Chunibertus tanto tempore impleverat, ut etiam ipsius, non secus atque* Arnulphi, *consiliis integerrima, quam ad illum usque annum tenuerat Dagobertus, rerum omnium gerendarum ratio adscribenda videretur. Et vero vivente Clothario abiisse ad solitudinem* Arnulphum, *satis, opinor, ex Anonymo nostro perspicuum est a num.* 17; *et sic etiam sentit Valesius ipse supra pag.* 27. *Vix ergo id factum esse fingi potest vel post annum Christi* 627; *vel ante* 625.

et aliis, id neque accidere potuisse ante an. Christi 610, *nec post* 612.

E 31 *Cum ergo sederit Metis annis* 15, *ut est in Vita S. Chlodulphi sub finem, et Chronico episcoporum Metensium, cetera valde vitioso, apud Acherium tom.* II *editionis novæ pag.* 227; *imo annis* 15, *diebus* 10, *uti tradunt Umno infra num.* 23, *et Index episcoporum Metensium tum in Corpore Francicæ Historiæ edito Hannoviæ anno* 1613 *pag.* 178; *tum apud Dominicium ad calcem, Ansberti Familiæ redivivæ, ubi idem Index editus est auctior et correctior ex codice S. Symphoriani Metensis; cum, inquam, sederit* Arnulphus *annis* 15, *diebus* 10, *non potest ejus initium, vel statui ante annum Christi* 610, *vel post annum Christi* 612, *juxta adductum jam Fredegarium: non ante annum* 610; *cum anno* 625 *adhuc episcopus fuerit: non post* 612; *cum ante annum* 628 *secesserit. Errant igitur scriptores etiam antiqui, Fredegario tamen juniores, qui præscriptis hisce finibus evagantur; solique audiendi sunt, qui insistunt: at hi, saltem utcumque antiqui, consecratum esse dicunt* S. Arnulphum *sub Theodeberto, Theoderici fratre, Austrasiæ rege: (sic enim habet Vita S. Chlodulphi tam juxta exemplar Mabillonii in Actis Bened. sæc.* II, *pag.* 1044, *num.* 4, *quam Meu-* F *rissii hist. Epp. eccl. Met. lib.* II, *pag.* 14; *ex quibus nostrum corrigas, in quo pro Theodeberto Theodericus erat. Theodebertum etiam habet Vita S. Goërici, tum prolixior Ms., quam dabimus* XIX *Septembris, tum brevior alia, quam eodem die exhibet Surius.) Recte itaque ad Theodeberti tempora* Arnulphi *episcopi primordia a Cointio Pagioque revocantur.*

Ordinatus est an. Christi 610 *circa Septembrem; sed* [illegible] *usque ad* 625

32 *Verum, cum anno tantum Christi* 612 *post mensem Maium cæsus a fratre Theodebertus interierit, secundum Fredegarium cap.* XXXVIII; *dubium manet, an episcopatum susceperit* S. Arnulphus *anno Christi* 610 *(neque enim citius potuit, ut modo dictum est) an* 611, *an denique* 612; *primum Pagio, alterum Cointio, postremum Henschenio placuit. Favet Pagio Index episcoporum Metensium correctior ex Codice S. Symphoriani apud Dominicium: nam juxta illum* S. Arnulphus *sedit annis* 15, *diebus* 10; *cui decedenti ab episcopatu, statim suffectus est S. Goëricus, qui sedit annis* 18, *obiit vero* XIII *Kal. Octobris (sic etiam habet idem Catalogus in priori editione: in Vita tamen S. Clodulphi, imo et S. Goërici, quam dabimus* XIX *Septembris, Goëricus sedisse dicitur annis*

AUCTORE P. B.

annis 17;) Goërico successit Godo, et sedit annis 10, mensibus 2; obiit vero VII Idus Maii: Godonem secutus est S. Chlodulphus, qui præfuit annis 40, diebus 20; decessit vero VIII Idus Maii. Si hæc tempora recte notata sunt: profecto dicendum videtur, anno Christi 610 sub initium Septembris ordinatum fuisse S. Arnulphum: nam inde supputando omnia usque ad S. Chlodulphum, incides in annum Christi 655, quo consecratum fuisse Chlodulphum omnino necesse est; quandoquidem ordinatio ejus accidere debuerit in diem vigesimam ab VIII Idus Maii retro ductam, hoc est in diem XIX Aprilis; dies autem illa anno Christi 655 fuerit Dominica, qualis ad ordinationem episcopalem requirebatur, uti docet Pagius in Crit. Baron. ad an. 67, num. 20.

juxta Indicem S. Symphoriani correctum.

33 Quod ut pateat manifestius, placet hic seriem jam datam annis Christi accommodare, ordiendo ab anno Christi 610, mense Septembri, quo inauguratum fuisse oportet S. Arnulphum. Anni ergo 15, dies 10, quibus præsederit, excurrent in Septembrem anni Christi 625; inde enim Goërici, qui statim illi substitutus est teste Anonymo nostro, anni 18 pertingunt ad annum Christi B 643, diem XIX Septembris, qua decessit: (annos enim completos signari hic puto; si enim tantum inchoatos intellexisset auctor, non scripsisset 18, sed 17, addidissetque menses, imo dies, qui superfuissent, ut alibi solet.) Sequitur vacatio sedis per menses aliquot usque ad Godonem, qui præesse cœpit circa diem VIII Martii, anni nimirum sequentis, Christi 644; sedit exinde Godo annis 10, mensibus 2, id est, usque ad annum Christi 654, diem VIII Maii, qua vita defunctus est. Succedit vacatio sedis per annum integrum præter dies 20; quod colligitur ex tempore quo sedisse atque obiisse dicitur S. Chlodulphus: nam et hic juxta eumdem indicem mortuus est die VIII Maii, et tamen sedit annos XL et dies XX: non ergo eodem anno cœpit, quo decesserat Godo, sed uno saltem anno serius, sive anno Christi 655, die XIX Aprilis, signato littera D, quæ anno illo Dominicalis fuit: at eadem anno 656 diem Martis significabat, anno autem 657 diem Mercurii; non ergo aut hoc, aut illo ordinatus est Chlodulphus; quod tamen consequens esset, si S. Arnulphus vel anno 611, vel 612 episcopatum adiisset. Restat igitur, ut anno 610 ordi- C natum dicamus; quando extra tres annos illos excurrere secundum ante dicta non licet. Quod si cui auctores vitæ S. Clodulphi et S. Goërici tanto in pretio sint; ut eos Indici S. Symphoriani præferendos putet; velitque adeo. S. Goëricum tantummodo sedisse annos 18 inchoatos; is, relicto Indice Dominicii castigato, vetustiorem alium sequatur cum Pagio. Non equidem refragabor: nam et sic ad annum 610 ordinatio S. Arnulphi redigitur, ut ad episcopos jam productos apud ipsum videre est.

Inde colliguntur aliquot in hac re errores Chronologici.

34 Ex dictis facile colliguntur supposita esse diplomata illa apud Roserium, quibus S. Arnulphus, nondum episcopus, sed Dux Austriæ Mosellanicæ anno Christi 623, subscribitur; quamquam non illud solum est diplomatum istorum vitium. Idem dictum puta de instrumento fundationis Montis S. Romarici apud Meurissium pag. 97, et siqua sunt alia ejusmodi. Colligitur etiam errasse Umnonem, cum infra in Vita secunda S. Arnulphi num. 23 habet: Præsedit autem ecclesiæ Metensi B. Arnulphus quindecim annis, diebus 10 sub Apostolicis Bonifacio, Honorio, Severino, Joanne; nam ita præsedisset usque ad annum Christi 641; ordinatusque fuisset anno Christi 626; quod immane discrepat a D Fredegarii Chronico, ad cujus auctoritatem obscurus Umno ne comparari quidem potest; sicuti nec auctor codicis S. Symphoriani, saltem in prioribus episcopis usque ad tempora sibi magis vicina; quippe qui Umnone forte posterior fuit; cum episcopos Metenses enumeret usque ad sæculum decimum apud Dominicium; vel saltem usque ad adultum sæculum nonum, uti est in Corpore Francicæ Historiæ supra memorato. De loco illo Umnonis dicam iterum paulo inferius. Hic satis est observasse S. Arnulphum ad eremum abiisse, vivente adhuc Clothario; ut ipse Umno satis innuit num. 16 et 17; postquam jam annis 15, diebus 10 ecclesiæ Metensi præfuisset. Qua ratione ergo ordinatum fingere illum potuit anno Christi 626? Cum Clotharius obierit anno Christi 628.

Diluuntur ... je la Valesii petita.

35 Magis urgent, qui ipsum nobis Fredegarium objectant; ut S. Arnulphi ordinationem usque ad Clotharii monarchiam, sive annum Christi 614 differant; quod facit Valesius loco superius assignato, idque triplici argumento; et primo quidem, quia Fredegarius scribit, inquit, anno regni Chlotharii quadragesimo secundo, Da- E goberti quarto, qui post Theodeberti mortem quintus decimus erat, Arnulphum Pontificem Mettensem inter duodecimviros controversiæ regum terminandæ fuisse: ita ut, si Theodeberti jussu sacerdos sit ordinatus, saltem sedecim ei episcopatus annos attribui oporteat. Hoc argumentum nullum est, si neges annum Chlotharii 42 fuisse quintumdecimum post mortem Theodeberti; atqui de eo jam convenit inter eruditos; cum Theodeberti mortem reponant anno Christi 612; annum vero Chlotharii 42 innectant anno Christi 625. Itaque rationem hanc primam eruditi Valesii prudenter omisit Mabillonius hic in notis pag. 151, ubi Valesii Chronologiam tuetur.

36 Secundum Valesii argumentum hoc est: Idem quoque (Fredegarius) mortuo Theodorico Theodeberti fratre, Chlotharium ab Arnulpho ac Pipino invitatum, Austriam intravisse tradit, Arnulphum utique (ni fallor) more suo episcopum vocaturus; si jam tum episcopus fuisset. Hæc ratio, tametsi sit negativa tantum, ut vocant, priori tamen validior est; F neque enim negare ausim hic agi de Arnulpho nostro. Quare hanc arripuit Mabillonius loco citato; ut Antistitis sancti exordium anno monarchiæ Chlotharii secundo, Christi 614, defigeret. Verum qui ita sentit, necesse est, ut vel annos eum 15 sedisse solidos inficietur (quod neminem hactenus fecisse scio; ne ipsum quidem Mabillonium, qui in Annalibus, ubi recessum S. Arnulphi biennio prius collocat, quam statuerat in Actis, de ordinatione ejus silere maluit, quam illam ad annum Christi 614, ut in Actis fecerat, differendo, quidquam de annis 15 episcopatus decerpere:) vel a Fredegario desciscat, qui cap. LVIII apertissime docet S. Arnulphum anno saltem Christi 628 pontificatu jam defunctum fuisse. Equidem horum alterum ut faciam, non satis impellor argumento negativo. Et vero quis Idacium, quis Isidorum, quis Gregorium Turonensem negel pro episcopis habitos fuisse a Fredegario? Nulli tamen eorum episcopi titulum adjungit in Prologo suo apud Ruinartium in Appendice ad S. Gregorii ep. Turon. Historiam pag. 585 et seq. Sic neque S. Columbano abbatis appellationem adscribit cap. XXXVI: quam tamen cap. XLIV adscribit Austrasio, qui

Columbano

AUCTORE P. B.

A *Columbano sucesserat. Quid ni ergo idem istud fecisse illum in* Arnulpho *credamus?*

et Fredegario;

37 *Tertium Valesii argumentum est :* Præterea disertis verbis docet *(Fredegarius)* Dagobertum Austrasiorum regem primum Domini Arnulfi Mettensis pontificis et Pippini Majoris domus regiæ; deinde post Arnulfi mortem ejusdem Pippini, unaque Chuniberti Agrippinensis episcopi usque ad patris obitum adventumque suum Luteciam consiliis usum esse. Quare mihi videtur Arnulfus non nisi post Theodorici mortem in episcopali cathedra sedere cœpisse. *Fallitur hic vir eruditus, dum verba Fredegarii* (Post discessum beat Arnulphi) *mutat in hæc :* Post Arnulfi mortem : *ut patebit ex Vita. Deinde quæ ibi narrat Fredegarius, ad annum Dagoberti* 7, *Christi* 628 *spectant; at* Arnulphi *discessus nequaquam ibi anno illo contigisse affirmatur : ut supra diximus num.* 30. *Quin imo vera esse possent, quæ ibi dicit Fredegarius, tametsi non nisi anno uno alterove* Arnulphi *consiliis usus fuisset Dagobertus, ac deinde usque ad annum septimum Chunibertus ejus locum tenuisset. Nihil ergo nobis infensum ex hoc loco* B *extundi potest, ut* S. Arnulphum *usque ad annum Christi* 628, *imo* 629 *juxta Mabillonium in Actis, perdurasse in episcopatu putemus; atque adeo ad illum non nisi sub Chlotario pervenisse.*

...et difficultas ab ætate S. Arnulphi accersita:

38 *Superest difficultas, quæ peti posset ex ætate ejus; etenim natum eum fuisse diximus anno Christi circiter* 582; *non igitur annis octo circiter ac viginti major erat, cum episcopus crearetur anno Christi* 610; *id quod Canones ante annum trigesimum fieri prohibebant in Gallia, ut patet ex concilio Agathensi, celebrato anno Christi* 506, *can.* XVII; *et Arelatensi* IV, *quod habitum est anno Christi* 524, *can.* I; *item Aurelianensi* III, *coacto anno Christi* 538, *can.* VI. *Verum hæc obis objectio parum incommodat; quando exempla non desunt etiam plura eorum, qui ante annum ætatis trigesimum ordinati sunt; cum tamen ad conciliorum illorum tempora propius, quam* S. Arnulphus *accesserint. Talia sunt quæ alia occasione affert Jordanus noster (in libello, de quo dixi num.* 15) *a pag.* 131, *S. Gregorii Turonensis, ordinati anno ætatis* 29; *S. Remigii anno* 22 : *S. Firmini anno* 21, *S. Germani anno* 17 *etc.* C *Non erant igitur raræ tum temporis in ætate dispensationes; modo eam maturitas, doctrina, sanctitas eximia supplerent; quæ omnia aliaque ornamenta summa erant in* S. Arnulpho.

...em enim ...nonicam virtute supplevit.

39 *Ea porro quantum in ipso statim pontificatu ejus effulserint, ex utraque Vita potest intelligi; secunda tamen in commendanda* S. Arnulphi *erga pauperes et ecclesias munificentia locupletior est : quippe quibus non suas dumtaxat, sed et filiorum, certe Ansigisi, atque amicorum facultates insumpsit : nam quæ narrantur in secunda Vita num.* 8 *ac* 10, *æque ad tempus episcopatus ejus pertinent, ut adjuncta de filiorum consensu ac dissensu demonstrant, atque ea quæ leguntur ibidem num.* 18. *Quibus et illud addi potest, quod ecclesiæ Metensi a S. Bertichrammo episcopo Cenomannensi per pium legatum acquisivit, de quo vide Acta nostra tom.* I *Junii pag.* 722. *Illud vero mirandum est maxime; quod, cum non suæ tantum, sed aliis etiam ecclesiis prospiceret; regni tamen interim negotia et multa et gravissima quæque tractaverit; ut ex Fredegarii capp.* XL, LII, LIII, LVIII *manifestum est. Sed tantæ demum curarum molis impatiens, ad tranquillam jam diu solitudinem toto animo ferebatur, donec eam post annos quindecim, quibus ecclesiæ Metensi præsederat, expugnata duorum regum pertinaci benevolentia ac tanti viri apud se retinendi studio, assecutus tandem est, anno Christi* 625, *mense circiter Septembri; juxta stabilitam ante a nobis episcopatus epocham. Atque hoc* Arnulphi *exemplum non secus ac monita S. Bertulpho animum injecerunt, ut et ipse, relictis omnibus, monasticum institutum Luxovii amplecteretur; ut narratur in ejus Vita apud Mabillonium in Actis sæc.* II, *pag.* 160.

Abdicato episcopatu, fit solitarius.

40 *Iter ejus in solitudinem, patratumque in illo miraculum, locum denique in quem se recepit, enarrat Umno a num.* 19. *Theodoricus Ruinartius in notis ad Fredegarii cap.* LVIII *sic locum, ut tunc erat, cum illum inspexit anno* 1696, *et vicina describit :* S. Arnulfus, relicta sede sua, in solitudinem Vosagi secessit, ubi a S. Romarico, qui in Castro Habendensi monasterium virginum, et alterum pro monachis construxerat, susceptus, in vicino monte habitavit, ubi hodie sacellum visitur cum exigua eremitarum casa. Monasterium Habendense, quod a situ et conditoris nomine E Romarici mons (Remiremont) postea dictum est, in vallem subjectam postea translatum, ubi etiam nunc exstat cum oppido cognomine juxta Mosellam, a canonissis secularibus inhabitatum, quæ regulæ Benedictinæ jugum excusserunt. Montem vero ipsum, qui hodie Mons-sanctus dicitur, incolunt Benedicti Congr. S. Vitoni, ubi præter majorem ecclesiam hinc et inde aliquot sacella visuntur *etc. Brevius Mabillonius in Annal. ad annum Christi* 627 *num.* 62 : Arnulphus in solitudinem Habendensis monasterii secessit : ubi, exstructis inter feras cellulis, cum aliquot monachis reliquum vitæ sanctissime exegit. Distat sancti Arnulfi eremitorium, quod Horembergum vocat scriptor Vitæ S. Germani abbatis Grandivallensis, duobus fere passuum millibus a Monte-sancto, interposita profundissima valle, lapideo ponte magnæ molis utrique monti juncta, ut facilior esset ad Arnulfi cellam aditus. F

et monachi habitum induit. Moritur an. 640. juxta Sigebertum,

41 Constat præterea, *inquit Umno infra num.* 24, quod hic Vir beatus monachi habitum in eremo suscepit. *Quod confirmari ex eo videtur, quod S. Germano Grandivallensi ad se in eremum confugienti comam totonderit, atque aliquamdiu a se institutum, subinde ad monasterium S. Romarici direxerit, ut narrat Bobolenus in Vita S. Germani, quam dedimus ad diem* XXI *Februarii pag.* 264. *Deinde monachos istic vitæ socios habuit, ab iisque extremis munitus sacramentis, ac paulo post mortuus in monasterium elatus est, ut testatur Anonymus. Vixit autem post infulas depositas usque ad annum Christi* 640, *juxta Sigebertum in Chronico, atque ad mensis usque Augusti diem* XVI, *ut ante diximus; adecque annis circiter* 15. *Meurissius tamen pag.* 122, *vita functum putat anno Christi* 641; *idque evinci ex ejus Vita, quam scilicet Umno conscripsit; quippe in qua (num.* 23 *infra) obiisse dicatur sub Constantino Heraclii filio. Verum istic Umno tam multa committit vitia, ut fidem vix ullam mereatur : hæc enim sunt ejus verba :* Præsedit autem ecclesiæ Metensi B. Arnulphus quindecim annis, diebus decem, sub Apostolicis Bonifacio, Honorio, Severino, Joanne; imperantibus Heraclio, cum Heracleona matre *(puto*

(*puto legendum :* Heracleona cum matre) et Constantino ejus filio. Obiit autem XVII Kal. Septembris anno primo ipsius Constantini, filii Heraclii.

cui præferri non meretur hic Umno

42 *Hem, quot errores! Primo serius facit* Arnulphum *episcopum, ut ante ostendimus; deinde secum ipse pugnat, cum ait, cum præsedisse annis* 15, *diebus* 10, *simulque addit, id cum fecisse sub Bonifacio ac Joanne Apostolicis et Constantino imp., Heraclii filio : Bonifacius namque vivere desiit anno Christi* 625 *die* XXII *Octobris, ut probat Pagius ; Constantinus autem a morte patris imperare cœpit anno Christi* 641 : *itaque vel ab obitu Bonifacii usque ad imperium Constantini plus est quam anni* 15, *dies* 10. *Tertio, quid sibi vult* Anno primo ipsius Constantini ? *Certe Constantinus non totos* 4 *menses Heraclio patri superstes fuit. Quarto, cur Constantini imperium postponitur imperio Heracleonæ, cum hic, illo mortuo, aliquot adhuc mensibus, saltem duobus, imperaverit ? Fallor, nisi hic Umno, ut alibi sæpius, secutus sit Paulum Warnefridum de Gest. Longobard. lib.* IV, *cap.* LI, *ubi, defuncto Heraclio, imperasse ait Heracleonam cum matre sua, annis* B *duobus ; Heracleonæ autem mortuo successisse Constantinum ejus germanum per menses sex ; quæ et falsa sunt, et errorem Umnonis duobus annis augent. Denique sub Constantino Heraclii filio non potest accidisse obitus* S. Arnulphi XVII Kal. Septembris ; *cum Constantinus Heraclio tantum centum ac tribus diebus supervixerit, teste Nicephoro Patriarcha in Breviario Historico ; Heraclius vero obierit vel mense Martio, ut habet Theophanes, et quidem die* XXI, *ut Cedrenus affirmat ; vel potius die* XI *Februarii, ut ostendit Pagius ad annum Christi* 641 *num.* 2. *Mitto dicere quam exiguum tempus* S. Arnulpho *post episcopatum concedat hic Umno; quod Anonymus noster num.* 31 *asserit fuisse diuturnum : imo multorum annorum, si Grimlaïco credimus cap.* I *Regulæ Solitariorum, quæ habetur in Codice Regularum collecto a S. Benedicto Anianensi abbate (qui septuagenarius obiit anno Christi* 821, *uti ostendimus in Commentario ejus Vitæ prævio die* XII *Februarii) part.* II *a pag.* 464 *editionis Romanæ anni* 1661. *Enimvero ejusmodi Chronologo præstat, opinor, qualiscumque Sigebertus ; quem secutus est haud dubie S. Antoninus part.* II *Chronic. tit.* XIII, C *cap.* VI, § XIII, *ubi* Arnulphum *migrasse ait ad Dominum* anno Heraclii vigesimo octavo, *quem annum Sigebertus cum anno Christi* 640, *licet non recte, conjungit.*

§ IV. Acta S. Arnulphi, quæ hic damus.

Auctores de S. Arnulpho agentes.

De S. Arnulpho *plurimi, ut ex iis patet quæ huc usque per hujus Commentarii decursum attigimus, auctores tum recentiores tum veteres aliqua meminere, eaque ex uno fere de tribus hisce fontibus deprompta ; ex Vita scilicet antiquissima, quam primo loco dabimus ; et Paulo Diacono, cujus Fragmentum subjicietur ad calcem ; vel certe ex altera illa* S. Arnulphi *Vita, quæ hic primam sequetur. Itaque, ut quivis intelligat, quantum horum cuique tribuendum sit, meum hic de singulis qualecumque judicium proferam.*

Maxima auctoritas prioris Vitæ S. Arnulphi,

43 *Et prior quidem illa, quam dixi, Vita longe maximo in pretio habenda est ; quando qui eam scripsit, ita de se ipse testatur num.* 2 : Hujus itaque laudabilia facta quæ gessit, non D nulla ego a familiaribus illius narrantibus, pleraque per memetipsum, quæ scribenda sunt, cognovi. *Pleraque ergo, quæ narrat, suis ipse usurpavit oculis, plerisque interfuit. Sic num.* 22 *et* 23 *sedati incendii miraculum ita narrat, ut non modo præsentem, sed et monachum, et S. Romarici socium fuisse se prodat. Tempus quo Vitam hanc scripsit, indicat in fine his verbis :* Ecce, Reverentissime Domine Chlodulfe pontifex, habeto conscriptam, quam poposcisti vitam *etc. Unde colligitur lucubrationem hanc elaborasse, cum jam episcopus esset S. Chlodulphus, hoc est, post annum Christi* 654 *aut* 655. *Quid ergo est, quod ad summam scriptoris hujus auctoritatem ultra quis exigat ? Narrat quæ vidit homo religiosus ; nec adeo diu post obitum* S. Arnulphi ; *et scripta sua offert S. Chlodulpho* S. Arnulphi *filio ; cui in hac re imponi non facile poterat ; uti neque aliis plurimis, qui tum supererant, eaque vel viderant vel audiverant, quæ de sancto Pontifice suo referri vere possent.*

quam composuit monachus anonymus Sancto familiaris,

45 *Auctorem hunc* Anonymum *diximus : nam quod eum Emin. Baronius Jonam fuisse suspicetur, monachum Bobiensem, id negat Mabillonius hic in Observ. præviis, Jonas enim ille S. Roma-* E *rici socius non fuit ; quod tamen de se auctor noster non obscure fatetur num.* 22 *et* 23. *Sed neque fuit Paulus Langobardus ; quod alii voluere : nam Paulus ille sæculum nonum attigit ; neque adeo vel cum* S. Arnulpho, *vel cum Chlodulpho vixisse potuit. Scripsit tamen aliqua de* S. Arnulpho *Paulus : sed non alia, ut putamus, quam quæ post utramque Vitam producemus inferius ; neque quidquam amplius erui posse videtur ex libro ejus* VI *de Gest. Langobard. cap.* XVI, *ubi sic habet :* De cujus (*Arnulphi*) mirabilibus apud Mettensem ecclesiam, ubi episcopatum gessit, liber extat ejusdem miracula et vitæ abstinentiam continens. Sed et ego in libro, quem de episcopis ejusdem civitatis conscripsi, flagitante Angilramno, viro mitissimo et sanctitate præcipuo, præfatæ ecclesiæ archiepiscopo, de hoc sacratissimo viro Arnulfo quædam ejus miranda composui, quæ modo superfluum duxi replicare.

quamque ipsam damus verbis ejus,

46 Liber *ille* S. Arnulphi miracula et vitæ abstinentiam continens *ea ipsa Vita est, quam priori loco dabimus ; nam ipsissimam illam citat* F *Grimlaïcus, S. Benedicto Anianensi abbate, ipsoque opinor, Paulo Diacono antiquior, Reg. solit. cap.* LXIII : Beatus quoque Arnulphus, *inquit*, cum esset episcopus, postea solitarius factus, detractiones pravorum hominum æquanimiter toleravit. Unde in Gesta ipsius ita legitur : Quidam namque homo, nomine Noddo, *etc. quibus ita prosequitur historiam Vitæ nostræ num.* 13 *narratam, ut eadem propemodum omnia adhibeat verba. Quæ causa est, cur exemplar illud Vitæ* S. Arnulphi, *quod secutus est editor Operum venerabilis Bedæ tom.* III, *longe apographis nostris posponendum putaverim, cum illud nec ibi cum Grimlaïco, ut exemplaria nostra omnia ; nec alibi cum nostris aliorumque codicibus in vocibus phrasibusque conveniat ; tametsi in re quidem tanta consensio est ; ut non dubitem, quin auctor ille, quisquis est, genuinum exemplar ante oculos habuerit, cum Vitam illam suam politiori minerva concinnavit. Eumdem in lapidem impegit Surius, hoc tamen venia dignior, quod id lectorem suum præmoneat, his verbis :* Stylum, ubi visum set, modice expolivit Fr. Laur. Surius. *Ex Surio*

A *Surio sua desumpsere Vincentius Barali in Chronologia Sanctorum insulæ Lerinensis pag. 194, et Du Bouchet de Origine Domus Regiæ Franc. in Probat.* I *partis, cap.* VI, *aliique.*

... Mss. ... collatis.

47 *Rectius nostro judicio Mabillonius, qui misso Surii nitore, rem quidem eamdem, sed non mutatis, quas in Ms. codice Chesniano invenerat, phrasibus, committendam typis putavit. Quod et nos more nostro servamus; non unum tamen codicem Chesnianum, sed et alios non paucos secuti. Quam enim hic Vitam vulgamus, eam nobis sua manu descriptam e gemino Ms. Corneoli et Vallis Lucentis subministravit semper nobis laudatissimus noster Petrus Franciscus Chiffletius. Eamdem subinde contuli cum alio Ms., quod Majoribus nostris submisit P. Carolus Werpæus, ita in Lectiones dissectum, uti subservit Officio* S. Arnulphi *in ecclesia Amaniensi; quodque, ni fallor, illud ipsum est, quod Canonici Amanienses ab abbate* S. Arnulphi *flagitarunt anno* 1446, *ut videre licet apud Dominicium in Variis Antiquitatis Monumentis, Ansberti Familiæ Redivivæ subjectis a pag.* 19. *Contuli præterea cum apographo alio ex Ms. S. Maximini apud Treviros,* B *quod Majores nostri cum aliis ibidem collatum acceperant, nempe cum alio Ms. ejusdem cœnobii S. Maximini, cum alio item S. Mathiæ ibidem, cui initium deerat: ac tandem etiam cum Vita quæ habebatur in codice S. Maximini in 4 rubro, uti adnotavit Henschenius, addens exstare eamdem in Ms. quod fuit D. Schenckinck.*

Ipsorum discrepantibus.

48 *In quibus codices, tam diversis locis reperti, conveniunt, dubium esse non potest, quin genuinum in iis ac primum Vitæ* S. Arnulphi *exemplar, ut ab Anonymo conditum erat, expressum referant. Consonant autem fere in omnibus, si paucula excipias. Ac primo quidem nec in Amaniensi, nec in ullis Trevirensibus notatum invenio Prologum illum quem habuit codex Surianus, Chesnianus, Corneoli ac Vallis Lucentis infra num.* 1. *De uno tantummodo hæc adscripsit P. Henschenius: In Ms. codice S. Maximini in 4 rubro ante Vitam* S. Arnulphi *erat ejusdem genealogia, dein hic prologus Vitæ:* In nomine Domini, in honore S. Arnulfi episcopi Adeldrudis Deo devota scribere ordinavit. Incipit Vita S. Arnulfi episcopi. In omnipotentis C Dei nomine *etc., quæ deinde cum Prologo nostro coincidunt. Secundo miraculum annuli in Mosellam projecti ac deinde in piscis cujusdam visceribus reperti, quod habes infra num.* 7, *non fuit in codice Surii, nec in eo quem secutus est auctor Vitæ* S. Arnulphi, *quæ est inter Opera Bedæ, nec in Ms Amaniensi; est tamen in aliis passim apographis, ut in Chesniano, Corneoli, Vallis Lucentis, Cisterciensi et Autissiodorensi, teste Mabillonio hic; imo et in Trevirensibus, sed in his alio loco aliisque verbis insertum; ut manifesto constet, in primo exemplari scriptum illud non fuisse, quod etiam testabitur infra Paulus Diaconus; a quo sine dubio miraculum illud mutuati sunt, qui Vitam* S. Arnulphi *post ejus tempora descripserunt. Tertio denique non legitur in Trevirensibus Mss. nec apud Bedam aut Surium, neque in apographo Amaniensi Epilogus ille, quo auctor opus suum offert S. Chlodulpho episcopo Metensi; quem tamen habent Mss. Chesnianum, Corneoli ac Vallis Lucentis. Et vero Vitam* S. Arnulphi *scriptam esse jussu S. Chlodulphi testatur, qui hujus Acta collegit apud nos die* VIII *Junii cap.* IV, *num.* 15, *pag.* 131.

AUCTORE P. B.

Objectio contra illam facta dissolvitur.

49 *Est igitur prior hæc Vita, juxta tria ista optimæ notæ Ms., antiqua illa, quam scribi jussit S. Chlodulphus. Ubi ergo, inquis, est historia illa, qua narratur* S. Arnulphus *a Chlodulpho et Ansegiso subsidium pauperibus poposcisse, et illud quidem ab Ansegiso consecutum esse, at a Chlodulpho nequaquam? Eam certe Vitæ Patris sui inseri jussit ipse Chlodulphus, ut biographus ejus refert loco citato. Respondeo, eam in nullo prioris Vitæ exemplari reperiri, ex omnibus autem erasam fuisse, parum credibile videtur. Existimo igitur, errorem esse in auctore Vitæ S. Chlodulphi; qui sciverit quidem scriptam esse* S. Arnulphi *Vitam aliquam jussu S. Chlodulphi; sed eam vel non viderit, vel cum alia longe posterius (puta ab Umnone) conscripta confuderit, in qua historia ista describitur num.* 8. *Sicut eamdem illam cum priore confundit Meurissius, ubi agit de Pappolo,* XXVIII *Metensium episcopo pag.* 98 *et* 99. *Neque enim auctor Vitæ S. Chlodulphi tam antiquus est, quam Jordano nostro aliisque visus est, ut ostendit recte Mabillonius in Actis SS. Ord. Bened. sæc.* II, *pag.* 1043; *ut adeo facile potuerit Vitam aliam* S. Arnulphi *vidisse, nec satis ab antiqua, quam forte non habuerit, discrevisse.* E *Utut est, fuerit hæc historia in germano vetustissimoque Actorum* S. Arnulphi *exemplari, non fuerit; nemo defectum illum, aut alium quemlibet tanti fecit, ut huic Vitæ* S. Arnulphi, *prout hactenus edita fuit, auctoritatis quidquam antiquitatisque abrogandum putaverit; nedum Cantatarellus Faber; licet in sua Bibliotheca id notet Jacobus Longus; Faber enim Vitam hanc nostram priorem mirifice commendat in Discursu Historico de Matrimonio Ansberti et Blithildis cap.* XX *Quod si Vitam alteram ab Umnone, ut putamus, adornatam sugillet Faber, non immerito id facit.*

Vita altera.

50 *Sane neque Philippus Labbeus noster opus illud Umnonis Bibliotheca sua dignum censuisse visus est; non enim dubito, quin habuerit, antequam Bibliothecam Mss. prælo mandaret; quandoquidem Parisiis huc scripserit* XXIX *Martii* 1647, se Vitam *(S. Arnulphi)* expectare descriptam a quodam Umnone. *Nec alius quispiam, quod quidem ego noverim, in tanta Anecdotorum edendorum prurigine inventus adhuc est, qui typis illud integrum commiserit. Quia tamen habet aliqua, quorum Anonymus nullam facit mentionem,* F *ac præcipue quod ejus fragmenta quædam a Dominicio atque episcopo Madaurensi, tamquam pretii quantivis monumenta, citantur; operæ pretium me facturum putavi, si totum illud lectorum oculis judicioque subjicerem; ita facilius ac securius statuent, quantum Umnonis, in avulsis hinc et inde laciniis non satis sese prodentis, auctoritati sit concedendum. Totam, inquam, Vitam illam dabo; non ejus exordium bene longum, in quo disserit auctor de nobilitate* S. Arnulphi, *ut testatur qui Vitam nobis, omisso exordio, a se descriptam humanissime olim Mussiponto submisit hoc titulo:* Vita S. Arnulphi, Mediomatricorum episcopi et confessoris ex antiquo codice Ms. Cancellariæ Vicensis fideliter descripta anno MDCXLVII per P. Franc. Lafiier Societatis Jesu. *In litteris eodem anno datis monuerat, Vitam illam in dicto codice scriptam esse* antiquissimo charactere Gothico. *Nomen tamen auctoris ibi nullum reperit; cum ibidem conjectando dicat, videri sibi ejus auctorem fuisse Paulum diaconum.*

non a Paulo Diacono,

51 *Verum Paulus diaconus manifeste innuit supra num.* 45, *nihil se de* S. Arnulpho *scripsisse, præterquam*

AUCTORE P. B.

præterquam in libro suo de episcopis Metensibus; quod vero ibi composuit, inferius proferemus. Deinde Vita hæc scripta est saltem post annum Christi 816, *ut in ea num.* 9 *planum facit auctor ex iis quæ narrat de Ludovico Pio: non ergo jussu Caroli magni (ut quidam volunt) qui obierat anno* 814 *mense Januario; neque a Paulo Warnefridi, Diacono, qui juxta Mabillonium in Annalibus Benedict. ad an. Christi* 799 *num.* 86, non videtur hunc annum (799) prætergressus. *Multo minus scripta dici potest paulo post mortem* S. Arnulphi, *quod miror incidere potuisse Meurissio pag.* 98 *et* 99: *nam quod ibi asserit, cadere non potest nisi in hanc Vitam secundam, in qua sola definitur, quamquam non recte, tempus episcopatus* S. Arnulphi, *ejusque decessor assignatur* Papolus.

sed ab Umnone quodam adornata,

52 *Malim ergo auctorem ejus Umnonem quemdam statuere, cujus præfationem nec P. Lahier, nec Meurissius viderint; sed quæ habebatur in alio tamen codice monasterii Sancti Montis, Ordinis S. Benedicti, prope Montem Romarici, unde illam a P. Vignerio accepit Dominicius, et sic edidit in Ansberti Fam. rediv. parte* I, *cap.* XV:
B Exhortatione plurimorum commonitus Umno, Dei gratia præventus ac impulsus, gesta B. pontificis Arnulfi explananda suscepi; non ut aureo Babylonis poculo audientibus ficta propinarem; sed ut opera Dei, quæ in suo dignatus est operari Sancto, ad ædificationem fidelibus assignarem. Priora siquidem de ipso adscripta quibusdam videbantur minus luculenta et ingrata; tum quia stemma ejus nobilitatis, tempus, locumque ipsius nativitatis, quæ sunt authentici fundamenta operis, quasi præ excellentia cunctis nota, præteribant; tum quæ incipiebant proloqui, minus assignata relinquebant. Memorabile quoque annuli ejus insigne omnino reticebant, quod Carolus Magnus, cui fuerat tritavus, cum veritatis approbatione scribi jussit *(nempe per Paulum Diaconum in libro de episcopis Metensibus.)* Is auctor, *inquit Dominicius*, Arnulfi genus cap. I describit. *Capite autem* III, *eodem Dominicio teste, sic habet:* Natus est autem B. Arnulfus Aquitanico patre, Suevia matre in castro Lacensi, in comitatu Calvimontensi, imperatoris Mauritii temporibus, qui
C primus de genere Græcorum imperavit Romanis. *Ex hoc postremo fragmento (quando plura non suggerit Dominicius) quod de verbo ad verbum, ut aiunt, cum apographo nostro num.* 2 *convenit, manifeste colligitur, eamdem fuisse Vitam, quam habuit Dominicius, cum hac nostra; hujusque proinde auctorem fuisse Umnonem illum, quisquis is demum fuerit.*

multis referta est erroribus,

53 *Ceterum, tametsi in Prologo suo antiqua suggillet Acta, longeque ipse accuratiora spondeat; tantum abest tamen, ut id præstiterit, ut hæc ejus Vita, me judice, ad antiquam aliam ne comparanda quidem sit. Nam præter errores ejus chronologicos, quos paragrapho præcedente notavimus, quam multa sunt alia, quæ inscitiam ejus temeritatemque redarguant? Etenim, ut alia dissimulem, quis umquam in historia Francica tam rudis fuit, ut Childeberti filiis Theodeberto Neustriæ, Theoderico vero Austrasiæ regnum assignaverit? Quod facit Umno num.* 3. *Quis umquam, ut ille ibidem, Clotharium secundum Guntramni filium fuisse finxit, cum filius fuerit Chilperici Suessionum regis? Quis ante Umnonem domitos Saxones, eosque, qui regii gladii longitudinem excederent, trucidatos a Dagoberto dixit: quod in solum ejus* D
patrem Clotharium cadit, qui filio periclitanti suppetias venerat? Quid vero insulsius, quam id quod habet num. 4; *ubi* Burgundiam *nominans, addit:* Id est, Austrasiam? *Quasi vero non duo illa, ac plane diversa regna tum fuerint. Quid ibidem sibi vult Neustria* a Parisiaca urbe usque ad Gerundam fluvium protensa? *Quis vero ibi regnum Theodeberti vel somnians collocavit? Quam aliena ibidem Clotharii II effigies? Quamquam enim fuerit* Venatione ferarum nimia assiduitate utens, *ut scribit Fredegarius cap.* XLII, et postremum mulierum et puellarum suggestionibus nimium annuens; *usque adeo tamen in regni administratione iners non fuit, ut mortuo Warnachario alium in Burgundia majorem domus non suffecerit, ut per se ipse omnia gereret; idque summa procerum voluntate. Fredeg. cap.* LIV. *Fingere tamen resolutum luxus inertia regem placebat Umnoni, et eo graviorem regni administrandi molem imponere posset* Arnulpho, *quem jam ei fecerat majorem domus, idque per monarchiam universam, seu tria regna Austrasiæ, Neustriæ et Burgundiæ; in quo plurimum fallitur.* E

quorum hic aliquos

54 *Numquam enim Clotharius uni majori domus tria regna subjecit: nam ut primum Neustriæ suæ Burgundiam atque Austrasiam adjunxerat,* Warnacharius in regno Burgundiæ, *inquit Fredegarius cap.* XLII, substituitur major domus... In Auster Rado idemque hunc gradum honoris assumpsit. *Warnachario autem vita functo in Burgundia sub Clothario nemo successit. Radoni vero in Austrasia substitutus est cum* Arnulpho *Pippinus, vulgo Landensis, ut supra dixi num.* 22, *qui Clothario superstes diu fuit. Nihil ergo umquam extra Austrasiam* Arnulpho *juris fuit; neque adeo per sex illas provincias, quas hic Umno more potius Romano, quam Francico atque hisce, de quibus scribit, temporibus usitato, recenset, quæque erant latissime per tria regna diffusa. Plura in hac re male cohærentia consulto prætereo.*

notavimus

55 *Nihilo meliora sunt, quæ habet num.* 5 *de Anchisi nomine, a Troiano Anchise deducto; et martyrio, nusquam alibi agnito, Ansigisi. De principatu B. Pipini, de quo agit, num.* 9 *vide Commentarium ejus Vitæ prævium ad diem* XXI *Februarii. De S. Wandrigisilo vero quod ibidem asserit, examinabitur die* XXII *hujus mensis. Quid* F
miracula commemorem, quæ narrat num. 20 *et* 21? *Altum certe de hisce silet Meurissius, qui Vitam hanc tamen, cum scriberet, habebat in manibus; non ea utique, si probasset, omissurus. Mirum vero est, non meminisse Umnonem apparitionis gloriosæ* SS. Arnulphi *et Abbonis sive Goerici, quæ facta est diacono cuidam ipsa nocte instantis S. Romarico mortis, narraturque in hujus Vita apud Labbeum tom.* I *Novæ Bibliothecæ Mss. libb. pag.* 783. *Denique quod S. Germanum, num.* 24, *consecratum a* S. Arnulpho *abbatem, missumque ab eo ad prædicandum in Basileensem regionem fuisse narrat, id prorsus aliter habet Bobolenus, auctor coævus in Vita S. Germani apud nos tom.* III *Februarii pag.* 264 *et* 265. *Hæc eo dicta esse velim, non ut omnem Umnoni fidem adimam: sed ne deinceps majorem, quam mereatur, obtineat.*

De binis fragmentis quæ utrisque Actis subjicimus.

56 *Vitam Umnonis, teste P. Laherio, sequebatur in eodem codice (nescio an eodem auctore) fragmentum, quod subdidi. De illo quod addam nihil est, ipsum de se indicium facit, quam sit miserum. Coronidem vero Actis* S. Arnulphi *imponet notum illud et vulgo traditum* S. Arnulphi *elogium,*

A *elogium, quod composuit Paulus diaconus, qui ex ipso S. Carolo Magno imperatore ea discere potuit, quæ de* S. Arnulpho *commemorat; id quod de annulo ejus in Mosellam abjecto, ac postea in exenterati piscis intestinis reperto disertis ipse verbis testatur, num. 2. Fragmentum hoc nolui e Surio describere, quia is textum corrupit loco non uno. Desumpsi ergo ex Historiæ Franc. Scriptoribus a Chesneo editis tom.* II, *pag* 201; *quod convenit cum libello Pauli Warnefridi, Langobardi filii, diaconi Forojuliensis de Episcopis Metensis ecclesiæ, edito Hannoviæ anno* 1613 *in corpore Franc. hist. Vet. et sinceræ a pag,* 172.

VITA

AUCTORE ANONYMO SANCTI IPSIUS ÆQUALI.

B **Ex Mss. Corneoli, et Vallis Lucentis, quæ cum aliis multis tum manu exaratis, tum excusis typo exemplaribus collata sunt.**

CAPUT I. *S. Arnulphi natales; profectus in litteris ac pietate; potentia in aula; conjugium et liberi; episcopatus Metensis; austera vivendi ratio; opera misericordiæ; miracula varia; amor solitudinis.*

C *...tio aucto-...*

In omnipotentis Dei nomine, et Christi Jesu, Domini nostri, filii ejus, Vitam, vel Acti sanctissimi Arnulfi antistitis, auxiliante Spiritu sancto qui in eo requievit, stylo elicere aggrediar, præcipiente Domino de bonis: Aperi os tuum, et ego adimplebo illud. Ergo reticenda non sunt quæque in exemplum bonæ actionis divulgata proficiunt, atque suis sectatoribus procul dubio municipatum tribuunt cum Sanctis.

...phonobilis ...et prædi- ...ritas; ...e fides Au- ...

2 Beatus igitur Arnulfus episcopus, prosapia genitus Francorum, altus satis et nobilis parentibus, atque opulentissimus in rebus seculi fuit; sed nobilior deinceps, et sublimior in fide Christi permansit. Hujus itaque laudabilia facta, quæ gessit, nonnulla ego a familiaribus illius narrantibus, pleraque per memetipsum quæ scribenda sunt cognovi. Qua de re operæ pretium censeo, ut ab ipsius nativitatis die exordium loquendi sumamus. Erat igitur quidam peregrinus, contiguo illo in loco habitans, a partibus Italiæ veniens, servus Dei, nomine Stephanus. Huic cum revelata fuissent hujus nativitatis exordia, silentio paulisper interposito, tamquam cælitus sibi responsum datum præsaga voce exorsus, ait: Scitote omnes, et attendite, quoniam puer iste qui natus est, sublimissimis atque summis honoribus gestandus, magnus erit apud Deum, et homines. Quod et deinceps verax probavit eventus. *ex Mss.*

Arnulphus litteras discit;

3 Post hæc autem puer laudabilis indolis, plenus gratia Dei, ut tempus advenit, litterarum studiis imbuendus mandatur. Mox itaque traditus præceptori, inter ceteros contubernales suos sagax ingenio, et memoriæ capax, amabilis fulsit: eratque, Christo in se habitante, subditus cunctis, sed fide et caritate celsior omnibus.

instituitur a Gundulfo, et fit potens in aula Theodeberti, ac pius;

4 Cumque jam bene edoctus, ad roboratam venisset ætatem, Gundulfo *a* subregulo *b*, seu etiam rectori palatii, vel consiliario regis exercitandus in bonis actibus traditur. Hunc ille cum accepisset, per multa deinceps experimenta probatum, jam Theodeberti regis ministerio dignum aptavit. Nam virtutem belligerandi, seu potentiam illius deinceps in armis quis enarrare queat? Præsertim cum sæpe phalanges adversarum gentium suo subegerit mucrone. E Quapropter effectus est demum, Christo præsule, omnium primus, qui dudum pene cunctorum ultimus videbatur; ita ut sex provinciæ *c*, quas et tunc, et nunc totidem agunt domestici *d*, sub illius amministratione solius regerentur arbitrio. Nam sedulus in oratione, in jejuniis, in misericordia pauperum incumbebat: et sicut scriptum est, Reddebat quæ Dei sunt Deo, et quæ cæsaris cæsari restituebat.

uxorem ducit, ex qua duos filios habuit.

5 Interea igitur vix cogentibus amicis atque parentibus *e*, ab inclyta et nobilissima gente puellam, quia sic Deus voluit, duxit uxorem: nam illud eidem Dominus speciale munus, veluti duarum gemmarum splendidum decus in mundo indulsit, ut ex eadem egregia femina duorum filiorum gaudia suscepisset. Dum hæc itaque agerentur, sicut jam supra diximus, diversis in palatio honoribus, et ministerio primus floruit: sed jugis illius meditatio circa monasteria, vel loca sancta invigilabat.

F *Lerinum cogitat cum Romarico, sed aliter Deo visum:*

6 Temporibus autem illis erat in ministerio regis vir egregius, nomine Romaricus *f*, qui desiderio illius sancto, et familiari jungebatur affectui *. Cum hoc ergo consilio inito, secundum præceptum Domini (qui dixit: Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo; et veni, sequere me) relictis omnibus, Lerinum usque ad monasterium *g* peregrinando propter Christum itinerare disposuit. Sed utriusque desideriis in hac causa obfuit voluntas Altissimi: neque enim fas omnipotens Deus fore censuit, ut hi duo viri, qui demum veluti duæ lampades fulserunt in seculo, sub unius modii articulo occultarentur; dicente Domino: Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt.

* *al.* affectu.

annulum in fluvium projectum in signum remissorum peccatorum recuperat:

7 Miracula *h* autem aliqua saltem de multis quæ gessit, narrando aggrediar: sed illud primum quidem ponendum censeo, quod fertur idem egisse antequam episcopatus solium conscendisset. Hic equidem cum pro suis pœniteret excessibus, contigit, ut per Mosellæ

i x MSS

Mosellæ amnis pontem transiret: cumque subter se fluminis alta, nec visui penetrabilia cerneret, gurgitis immensitate, annulum, quem forte secum habebat, accepit, et his verbis in flumen projecit: Tunc me, inquit, solutum nexibus peccatorum putabo, quando hunc, quem projicio, annulum recepero *i*. Post aliquantos vero annos, jam sacerdotali solio ascenso, allatus est sibi a quodam piscatore piscis; quem cum gratiarum actione vir Sanctus cum accepisset, præparari sibi eumdem (quia solito a carnibus abstinebat) ad vespertinam refectionem præcepit: quem susceptum minister cum secundum morem exenterasset, eumdem annulum in extis ejusdem reperit piscis. Sed nescius facti, rem admirans, sancto Pontifici detulit: quem ille recognoscens, jam fidus gratias Deo pro suorum agens solutione peccatorum, vitam postmodum in nullis remissius duxit, sed plus etiam post hæc jejuniis, vigiliis, et orationibus se coarctavit. Annulus quippe in palatio adhuc habetur *k*. Mirari potest, et in his Deus magnifice laudari, quomodo in præ- B senti effectu Sanctus vir certificari meruit, adhuc casibus subjectus, de remissione peccatorum suorum: quod proculdubio non fieret, nisi dignissimus Deo foret.

fit episcopus Metensis. benignus in pauperes et peregrinos, in se rigidus:

8 Incipit interea urbs Metensium indigere pontifice; et vox consona populi ut sibi Arnulfus pontifex detur, instare; quia et principi acceptissimus haberetur, et sacricolis actibus pollere nosceretur. Ille autem lacrymans, et compulsus, quia Deo ita placitum fuit, urbem ad gubernandum suscepit; sic deinceps episcopales gestans infulas, ut etiam domesticatus solicitudinem, atque primatum palatii acsi nolens teneret. Mox etiam tanta, tamque profusa munificentia in eleemosynis pauperum adcrevit; ut etiam de longinquis regionibus atque civitatibus fama currente, innumera caterva pauperum ad sanctum Arnulfum pontificem refocillanda festinaret. Erat namque jugiter solicitus, atque intentus in cunctis bonis actibus, præsertim in susceptione monachorum, seu peregrinantium devotissimus invigilabat; ita ut quos hospitio recepisset, manibus propriis C pedes ablueret; illosque vestitos, atque refectos deducens, mox alios refocillandos susciperet. Porro abstinentiæ illius normam narrare quis valeat; vel maxime cum interdum post triduana, seu amplius protracta jejunia, pane hordeaceo, seu limphæ poculo victitaret? Indutus namque jugiter intrinsecus occulte cilicio, sicque exesis jam membris, vigiliis atque jejuniis geminum ingerebat cruciatum.

dæmoniacam liberat,

9 Cumque in his, atque diversis bonis actibus tamquam potentissimus auriga jugiter invigilaret, contigit, eum in contiguis partibus Vosagi, in prædio sancti Stephani *l* adfore; ibique coram eo adducta est mulier quædam, nomine Bettila *m*, a dæmonio nequiter arrepta, et discrimine vitæ suæ sæpe fortiter quatiebatur. Cumque hæc coram sancto Præsule debacchari cœpisset, is quippe pietate, ut erat semper, immensa ductus, ait: Heu miserrimum humanum genus! Ut quid tantum prævaluit inimicus, ut ubi Christus debuit habitare, illo domicilium infelix possideat? Superventura igitur nocte mulierem in vigiliis assistere præcepit: cumque Vir sanctus sese in orationem dedisset, mox D dæmonium clamans, et ejulans a muliere discessit. Illico gaudentibus omnibus, jussit illam abire incolumem, et lætam, quæ dudum fuerat ab inimico oppressa, et infirma.

item alias duo,

10 Per idem namque tempus quo triduanum jejunium universalis celebrare consuevit ecclesia, Vir sanctus extra civitatem cum crucibus atque promiscuo genere populi, orandi gratia secundum morem ex urbe processit: et, ecce, ex mediis catervis femina arrepta a dæmonio, clamare cœpit. Hanc ille cum vidisset, vexillo crucis injecto, mox ab adversario ereptam sanavit. Alio quoque tempore intra urbem, ob orationis gratiam, ad basilicam sanctæ crucis *n* accessit; ibique puellam nequiter debacchantem reperit. Quam cum vidisset, motus misericordia, archidiacono suo ait: Nunc igitur, frater, hac nocte pro ista miserrima orationis vigilias celebremus, et superveniente diluculo istuc pariter revertamur; cumque crastina die secundum condictum inibi affuissent, puellam ab hoste antiquo liberatam invenerunt: sicque factum est, ut sanctitas hujus Viri absentes E longeque positos curaret.

ethnicum leprosum baptismo sanat.

11 Temporibus quoque Dagoberti regis cum in palatio esset, eidem quidam leprosus clamare cœpit, victum, seu vestitum deposcens; at ille statim jussit eum in hospitium duci: cumque erga illum secundum morem suum solitam impenderet pietatem, sciscitari voluit (quia barbarus erat) si sacra unda baptismatis ablutus fuisset. Repente ille; Nequaquam (ait) Domine mi; nam ego infelix abjectus in populo; quis mihi gratiam baptismi tribueret? Tum isdem inquit: Ne verearis, frater: possibile est: tantummodo crede in Christum, et erit Domini voluntas, ut geminam, id est animæ et corporis tui, capias medelam. Accepto ergo a sancto Viro baptismi sacramento, repente de corpore illius lepra discessit, et factus est deinceps in utraque substantia sanus, qui prius fuerat peccator et maculosus.

mori incipientem subito restituit.

12 Postea autem cum patrias Toringorum *o* cum eodem rege invisendas intrasset, forte fuit, ut quidam procerum, nomine Od- F dilo *p*, puerum atque parentem suum, quem satis diligebat, supremis funeraret fletibus: nam et consanguinitate propinquo, et amicitia eidem insolubili jungebatur affectu. Rege autem jam quantocius ex eadem properante villa, nihil aliud angustianti consilii aderat, nisi languentis capite amputato, more gentilium *q*, cadaver ignibus comburendum traderetur. Sed credimus omnipotentis Dei tunc voluntate id actum esse, sanctum Arnulfum episcopum a mansionibus nondum egressum fuisse. Quo comperto Oddilo, ad eumdem veloci perrexit gressu, et causam infelicitatis, potius singultibus quam verbis exposuit. Vir igitur egregius cum festinatione ad languentis perrexit lectulum; ubi cum humi fuisset prostratus, diutissime oravit. Tunc demum semivivum hominem, ut illius mos erat, alloquitur: Pœnite (inquit) fili, si quid forte male gessisti, ut duplicem accipias medicinam. Ille autem venisse hominem Dei exultans, vix verbis affatur quod corde volvebat; quia extremis quatiebatur conatibus. quid plura? Calefacta affertur aqua, et

A et manibus propriis Vir sanctus faciem ægroti, pedes et manus cum ingenti abluit diligentia, atque oleo *r* corpus illius perunxit : sicque factum est, ut eadem die, tamquam nullam infirmitatem perpessus, cum ceteris villam egrediens, incolumis, lætus, et gaudens iter arriperet.

13 Alio denique tempore quod gessit miraculum silendum non est. Quidam namque homo scelestus, nomine Noddo *s*, quadam die alvo refectus vino æstuans, cum complicibus suis Viro sancto derogare ausus est ; non esse scilicet cultorem Dei, sed potius hominem voluptati deditum ; ad cujus videlicet lectum nocturnis horis, non solum rex ; verum etiam et regina, tamquam consilium flagitans properaret. Cum ergo stratum' una cum detrabente socio petisset, jubente Domino, casu accidit, ut omnia vestimenta illorum flamma circumdans vallaret ; atque illico exsilientes aquam ingentibus deposcebant vocibus : sed aqua injecta flammam divinitus missam non extinguebat ; ardebant nequiter circa nates vel genitalia locà camisiæ illorum B nec a se ardentia vestimenta exuere prævalebant. Quid plura? Qui aliud facere non poterant, exsilientes, et adinstar porcorum, luto sese vociferantes involvunt. Sed magis ac magis genitalia ipsorum ignis cremabat immissus. Tunc quippe, ut reor, impletum est super illos, quod scriptum est : Detrahentem occulte proximo suo hunc prosequebar * : sicque divina censura jubente actum fuit, ut de quibus Pontificem sanctum detraxerant, in ipsis pœnam sentirent : nam non post multum temporis, in tantis transgressionibus præfatus Noddo deprehensus est, ut scelera illius una cum vita, quia justum erat, regalis gladius amputasset : ac ne solus moreretur, filius ipsius mox eadem sententia perculsus interiit.

14 Per idem autem tempus cum jam pene omnes thesauros in usus pauperum erogasset, adhuc supererat et discus argenti, habens pondus libras septuaginta duas. Hunc Hugo quidam inter primates procerum, datis alimoniis, cùm his quæ pauperibus necessaria erant, comparavit : sed omnipotens Deus non C passus est, ut illo frueretur homo laicus, qui in honore beati Stephani protomartyris jam olim erat consecratus. Nam supradicto Hugone repentina morte prostrato, præfatus discus Clothario regi ablatus * est, qui cum a narrantibus comperisset, hoc a sancto Arnulfo ob alimoniam pauperum venumdatum fuisse, mox miro inspiramine tamquam cælitus actus, jubet eumdem velociter, superpositis centum aureis, usque Mettis deferri sancto Pontifici : sicque factum est, ut et matricularii *t*, seu ceteri pauperes Dei, sustentationem alimoniæ haberent, et res Sanctorum, quibus semel data fuerat, absque ullius rei redderetur dispendio.

15 Cumque hæc et similes quam plures virtutes per illum cœpissent crebrescere in populo, mox remotiora a fragoribus vulgi expetiit loca ; in quibus sæpe ergastulo retrusus, soli Deo orationibus sacris studiosissime vacaret ; monente altissimo, qui dixit : Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus. Nam crebro in villa Dodiniaca, qua contigua Vosagi est ; interdum Calciaco, non multum longe ab urbe *u*, cellula retrusus, cælum diebus ac noctibus precibus pulsabat.

ANNOTATA.

a *Idem ille, opinor,* Gundulfus *est, qui sub Childeberto, Theodeberti patre, e domestico dux evaserat ; uti dictum est in Comm. præv. num.* 23.

b Subreguli *appellabantur majores-domus sub prima regum Francicorum stirpe, ut pluribus exemplis ostendit Cangius in Glossario.*

c *Quid per provincias hic intelligatur, non satis liquet. Vide Comment. præv. num.* 19 *et* 23. *De regni Austrasiæ ditionibus fuse diximus in Commentario ad Vitam S. Sigeberti Austrasiæ regis die* I *Februarii.*

d *Domestici regis dicebantur, qui villis servisque fiscalibus præerant, ut vult Valesius Rer. Francic. lib.* XI, *pag.* 180. *At Cangius in Glossario ad vocem* Domestici : Domesticorum, *inquit,* quod fuerit munus et officium in palatio Francico, ambigunt doctiores. *Adisis illum hoc loco.*

e *Id est, consanguineis, ut reor : et hoc sensu ea vox iterum usurpatur infra num.* 12. E

f *Vitam S. Romarici, qui postmodum abbas fuit, habes apud Labbeum nostrum in Nova Bibliotheca Mss. libb. tom.* I, *pag.* 781 ; *et Mabillonium in Actis SS. Ord. S. Bened. sæc.* II, *pag.* 416. *Nos de illo scribemus ad* VIII *Decembris, quo de illo agit Martyrologium Romanum et Surius.*

g *De monasterio Lerinensi longe celeberrimo sæpius a nobis actum est. Vide diem* XVI *Januarii ad Vitam S. Honorati, ejus primum fundatoris atque abbatis, ac deinde episcopi Arelatensis.*

h *Toto hoc numero contenta, interpolator quidam interjecit, ut in Comm.* § IV *monui.*

i *Simile quid narratur de S. Attilano ep. Zamorrensi, de quo agemus* V *Octobr. Et factum a superstitione vindicat Browerus noster Annal. Trevir. lib.* VII, *num.* 22. *Non abludit etiam quod de S. Metrone narravimus ad diem* VIII *Maii.*

k Porro iste Arnulfi annulus, *inquit Mabillonius hic in notis,* hodie quoque in S. Stephani ecclesia apud Mettas asservatur, et quotannis Benedictinis abbatiæ S. Arnulphi monachis in ejus festo solemniter ostenditur. *Idem testatus ante illum fuerat Meurissius pag.* 114.

l *Fallor nisi pagus ille est, qui modo in mappis Geographicis appellatur* S. Etienne, *Mosellæ, adjacens prope Montem Romarici, qua inde Spinalium petitur. De Vosago sive Vogeso consule fuse tractantem Valesium in notitia Galliarum ; nos de illo breviter meminimus* XI *Julii ad Vitam S. Hildulfi.* F

m *Mss. Trevirensia habent,* Bertila.

n *Basilicam S. Crucis sive S. Eligii Metis postmodum habuere Canonici Ord. Præmonstratensis, uti docet Medaurensis episcopus in Præfat. hist. Episc. Metens.* § VI.

o *An Tungrorum in Germania secunda cis Rhenum ; an Thuringorum trans Rhenum? Nam utrique Toringi dicti sunt, utrique Austrasiorum regi parebant ; uti diximus in Comment. præv. ad Vitam S. Sigeberti die* I *Febr. Tungros hic tamen intellexit Umno num.* 13.

p *Codices Trevirenses habent,* Nodilo.

q *Morem fuisse gentilium, cremare cadavera, vulgo notum est ; quem etiam servasse Gallos ac Germanos, Cæsar Tacitusque testantur ; non paucos etiam inter Francos, maxime Septemtrionales, diu post hæc tempora idolis addictos fuisse, docet Valesius*

sius lib. XXIII. *At amputari consuevisse umquam apud eos languentibus capita, hoc vero adhuc alibi reperire non potui. Itaque suspicor hoc referendum esse ad impiam Oddilonis commiserationem; istud autem,* more gentilium, *tantummodo afficere id quod sequitur, nempe cadaveris combustionem.*

r *Cod. Trevir. habet,* Oleo sancto.

s *Historiam hanc iisdem pene verbis omnibus descripsit Grimlaïcus in Reg. Solitar. cap.* LXIII *apud S. Benedictum abb Anianensem, art.* II. *Codicis Regularum pag.* 587.

t Matricularii pauperes *illi erant, qui in ecclesiæ matriculam sive album relati erant, ut ecclesiasticis stipendiis alerentur. Vide Cangium in Gloss. verbo* Matricula.

u *Calciacum illud esse puto, quod modo appellant* Chaucy, *qui pagus est Metis orientalis, ultra Nidam, Gallicum fluvium, quinque circiter, nisi fallunt mappæ, leucis ab urbe dissitus. Villam autem Dodiniacam nullibi descriptam pressius inveni.*

CAPUT II. *Abdicatio muneris episcopalis; recessus ad eremum; restinctum incendium; vita in solitudine; sanctus obitus; sepultura; corporis translatio; miracula.*

B

Postulat successorem in episcopatu a Clothario;

Sed dum in his athleta Christi contra diabolum sanctissime et fortiter dimicaret, conscientia tactus, ne plebs sibi a Domino credita, illo remoto, æternæ vitæ pabula quiddam minus acciperet, repente cœpit intentissime a principe flagitare, ut successorem sui præsulem daret: mittensque epistolas per internuntios, se indignum hujus operis, seque peccatorem clamitabat: et ut talem eligerent *a* pontificem, qui prædicationis verbum dignus seminaret in populum. Quibus relictis *, mox Clotharius rex non modicis repletur angoribus ab omni se auxilio destitutum clamitans, si sanctus Arnulfus a frequentia palatii cessasset; cui inter cetera nihilominus talia remittit scripta dicens: C

* *al.* relectis.

Clotharius successorem dare recusat: et recessum ægre permittit.

17 Domine pater, quæ scripsistis per vestram epistolam, ut in loco nostro * alium deberemus eligere successorem, istud nostra præsumptio facere nulla ratione præsumit. Hinc iterum inter reliqua ait: Quantum de devotione vestra, quam ex ammonitione divina esse confidimus, gavisi sumus; tantum iterum dolentes tractavimus, quod non optavimus de vestro conspectu esse absentes: immo, domine et pater, si qualibet devotione compulsus, pro boni operis actu, alicubi deliberatis proficisci; petimus, ut nos sine pace vestra, vel communione, pro amore divino nullatenus relinquatis. Nam præfatus rex Clotharius tanta eum fide et amore dilexit; ut, cum prolem suam Dagobertum, in principatus sui culmine sublimasset, eidem regnum ad gubernandum, et filium ad erudiendum in manu tradidisset; quem ille acceptum ita altissima et profunda erudiit sapientia, ut in Sicambrorum *b* natione rex nullus illi similis fuisse narraretur.

* *al.* vestro.

Dagobertus vero minis absterret.

18 Sed cum insolubili desiderio ad eremum properare disponeret, voluit et suspicatus est prudens rex Dagobertus, eum minis terreri, scilicet ut ab ipsius consilio vel solatio non discederet; dicens ad eum: Dilectissimi filii tui, quia ita admissum habet, nisi nobiscum consistas, caput amputabo. Ad hæc ille respondens ait; Filii mei vita in manu Dei est: jam tu tuam vitam non possides, quando ab insontibus vitam auferre disponis. Tunc rex iratus adversus eum, dependentem ex poplite mucronem manu arripuit. Tunc sanctus Arnulfus, regis morituri parvipendens iram, constanter dixit: Quid agis, o miserrime? Mala pro bonis mihi rependere vis? Ecce me paratum: exerce arma in sanguinem meum, ut tuis libet animis; ego pro illius mandatis mori non dubito, qui mihi et vitam dedit, et pro me mortuus est. Tunc unus procerum ait: Noli impie agere contra temetipsum, o bone rex: an non vides Virum sanctum, destinatum et cupidum esse ad martyrium? Aut cur non pertimescis Christi Domini servum lacessere? Et his dictis, jubente Domino, ira ejus irretita paulisper conticuit. E

At tandem annuit, flente miserorum turba.

19 Interea adest et regina; reminiscentes culpæ suæ utrique ad pedes sancti Arnulfi corruunt, et ut illis misereatur cum lacrymis exorant, dicentes: Perge, domine, ad eremum quo vis; tantummodo placatum te habeamus, quem molestum usurpantes exaggeravimus. Tunc sanctus Vir, data illis venia, a palatio egreditur. Et, ecce, reperit pro foribus, claudorum, cæcorum, atque universorum pauperum, viduarum, et orphanorum pene innumeram multitudinem adstantem; cumque eum vidissent, omnes vociferare cœperunt, dicentes: O Sancte pastor, cur nos miseros derelinquis? Aut quis miserebitur nostri? Aut quis tribuet nobis victum et vestitum? Nam, te amoto, moriemur omnes, nuditate atque fame consumpti. Obsecramus pro Christo, ne nos derelinquas.

quam solatur Arnulphus,

20 Tunc ille lacrymans, blanda voce eosdem alloquens, dicit: Dabit vobis Deus pastorem, qui vos pascat in miseratione et misericordia; nam faciem meam non longo tempore amodo videbitis: vos autem Quærite primum regnum Dei, sicut dixit Christus, F et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Estote pacati, invicem benigni, misericordes; ut, dum ista nunc paupertate, et miseria angustiamini, in futura vita felices regnare mereamini cum Christo: siquidem et Lazarus mendicus in sinu Abrahæ transportatus est ab angelis: ita et vos quærite Dominum, et hic et in æternum vivet anima vestra. Et his dictis, statim ad orationum pergit certamina.

cui successor eligitur Goericus.

21 Post hæc autem paucis temporibus actis, Viro justo jugi intentione pulsanti, sanctus Goericus *c*, cognomento Abbo, hujus successor eligitur. Digne quippe a Domino actum est, ut sancto sanctus succederet. Quo audito vir egregius Romaricus a partibus Vosagi egressus, ad beatum pergit Arnulfum; atque ex providentia utriusque, vasti eremi aptum ei præparat locum. Sed mox eadem die, superventura nocte qua venerat, quid miraculi per hunc almificum Pontificem infra urbem gestum fuerit, silere non valeo.

22 Casu

…rnulphus … repente au… … hujus Vitæ, … incendium re… …nguit.

22 Casu contigit, ut promptuarium regis ignis vorans vexaret, atque eructans excellentissima flamma domos circumquaque affines minaciter lamberet. Repente exsurgens omnis civitas, videntes sui exitium, in ejulatu et clamore conversa est. Quo audito, nos veloci gressu ad domum Viri sancti pervenimus, et reperimus eumdem, sicut illius jugiter mos erat, psalmodiæ melos personantem: statimque apprehensa manu illius, ait Romaricus; Egredere, domine; ecce, inquit, adsunt pro foribus equi nostri, ne (quod absit) te in hac urbe ignis consumat. Ad hæc, inquit: Nequaquam, dilectissime; sed deducite me illuc, et videamus hoc impium, quod grassatur, incendium: et ponite me vicinum illius; et, si ita vult Deus, ut ardeam; ecce in manu ejus sum. Tunc nos tenentes manus ejus sanctas, ad larem pervenimus; et mox, jubente illo, in oratione prostrati, capitulo dicto, surreximus omnes. Tunc ille elevans manum, contra ingentes flammas vexillum crucis injecit: et mox miro modo tamquam cælitus percussus, nil alibi nocens, B infra parietes in semetipsum totus retorsus ignis interiit.

quo urbs tota … flagratura fuerat ut reve… …tum est

23 Nosque deinceps jam securi de periculo subacto, gratias agentes Deo, dictis Matutinis, ad lectulos nostros remeavimus. Illico autem cuidam ex fratribus talis apparuit visio. Intuens in cælum vidit tamquam in flammam ignis signaculum crucis depictum: et statim de cælo ex obliquo crucis vox facta est, dicens: Cernis hoc, inquit, signum? Hac nocte Arnulfus episcopus per ipsum totam civitatem istam ab incendio liberavit. Mirantibus nobis omnibus virtutem, quam vidimus de igne prostrato, frater ille hanc visionem narravit.

…is omnibus … pauperes di… …ut …, ere… …petit, ubi …prosis inservit

24 Post hæc autem bonus Arnulfus, relictis cunctis mundi rebus, atque bene perfecteque pauperibus erogatis, jamque fidus et securus de thesauro abscondito in cælo, non multis dilapsis diebus, pauper quidem propter Christum effectus in seculo, sed jam dives virtute Domini, veluti novus Helias, ad eremum properans et inter bestias et feras C sylvæ, parvulis mansiunculis patratis, quotidiana meditatione laudes Deo personabat. Ascitis quoque aliquantulis secum monachulis, nec non et leprosis; manibus propriis fidelissimam illis servitutem jugiter impendebat; calceamenta a pedibus detrahens, atque detergens; capita et pedes illorum crebro abluens, necnon et lectos ipsorum reciprocis diebus studiosissime compositos parabat. Nam et coquinæ officium non abhorrens Episcopus sanctus, et cocus sæpe esuriens ipse, suos contubernales pascebat. Sed et lectum stratus ejus vile quidem in oculis hominum, sed pulcherrimum in obtutibus angelorum, spretis dumtaxat mollibus et pretiosis vestibus, cilicia exornabant.

…morti proximus … metu …calorum :

25 In his igitur atque ceteris innumerabilibus bonis dum angelicam ageret vitam, d jam omnipotens Deus, suum Athletam ad destinatum volens *d* vocare bravium, ad ultimum urgetur diem. Quo comperto, adest vir religiosissimus Romaricus, cum ceteris monachis, ejus præstolans egressum. Tunc electus Dei, et sacratissimus Pontifex eum alloquens ait: Bone vir et amabilis Domino, obsecra Christum pro me: jamque adest dies, in quo judici meo præsentandus apparebo. Quid faciam? Nil boni gessi in seculo: omnibus sceleribus, et peccatis vallatus coarctor; pro quibus Dominum, ut veniam merear, obsecro, supplicato. Hæc Vir sanctus ait, quia scriptum est: Justus in primordio sermonis accusator sui est. *ex MSS.*

moritur; et a Romarico sepelitur in Castro Habendensi.

26 Interea venit hora, ut sancta illa anima manibus sanctorum angelorum ad Christum gestaretur. Fit autem illic gaudium magnum procul dubio supernarum virtutum in cælo, et ingens luctus pauperum Christi atque monachorum in seculo. Adest mox juxta morem sanctum et Euangelium sacrum, quod lector inter psallentium luctus et cantus personat voce; sicque demum vir egregius Romaricus, allatum sanctissimum corpus illius, cum dignitate et honore, quo valuit, in Castello Habendo *e* sepulturæ tradidit. *e*

Goericus sacrum corpus Metas transfert, non sine multis in via miraculis:

27 Post obitum beati Arnulfi, anni fere jam acto tempore, vir electissimus successor ejus Goëricus episcopus, consilio inito, coacervata clericorum seu etiam populorum caterva ingenti, ascitis quoque duobus episcopis secum, una pergunt ad heremum: quo E in loco excubias cum reverentia celebrantes, sancta membra ab urna lapidis auferentes, grabato imponunt: atque mox arripientes itinera, cum gaudio remeant ad urbem. Nam suavitatis odor ex his sacris membris cunctos replebat evehentes. Sed qualia deinceps in itinere per eumdem claruerunt miracula, ut valeo, demonstrabo.

nam lapsis bajulis, suspensum hæsit in aere feretrum.

28 Dum autem gestantes veniunt ad quemdam rivum, cujus riparum tellure scissa *f*, euntibus convallem atque lubricum pandebat meatum, posteriores, qui feretrum portabant, casu corruunt. Sed, ut reor, eumdem *g* statim angeli susceperunt, nam priores evehentes nullo tardantes gressu, grabato in aëre sublato, gradiuntur libere; atque surgentes qui lapsi fuerant, jam transmeato convalle, sese jungunt ad collegas. *f* *g*

nec promoveri potuit ad villam hominis incestuosi.

29 Post istud denique in illo itinere mox aliud emicuit signum. Quidam homo in pago Calvomontense *h*, nomine Cunita, incestuosus fuit. Hunc ille cum sæpius redarguens, nec ad pœnitentiæ emendationem F perducere potuisset, in hac vita impœnitentem reliquit. Forte fuit, ut in ejusdem incestuosi villa oratorium esset: quo in loco itinerantibus illis, congruum erat, ut mansio pararetur; ideo vel maxime, quia sanctum corpus oportebat excubiis in basilica honorari. Venientes autem ad terminos terræ hominis incestuosi, repente figitur gressus portantium; ita ut ulterius vectandi sacra membra facultatem non haberent. Et, ecce, angustia sacerdotibus, et universo populo, quoniam mansionem, ad quam verterentur, ignorabant, cum jam dies declinata esset ad vesperum. *h*

sed alio perducti mira celeritate deferuntur, sua pedita diminutus cerevisia … tantibus.

30 Tunc Noddo *i* dux, qui erat ex euntibus unus, ait: Videtis, quia terram incestuosi hujus ingredi despicit. Est autem procul villa mea; sed nox ante nos includet, quam illuc venire valeamus. Sed et deest mihi inibi potus vel apparatus, quo hanc multitudinem reficere possim; nisi tantummodo in imo vasculi * modicum quiddam cervisæ. Quibus auditis, universus populus iter *i*

* *al.* in uno vasculo.

EX MSS.

iter retorquens, in tanta velocitate pergunt, ut potius geruli semetipsos portari, quam portare sentirent; atque diei adhuc lucem habentes, ad destinatum pervenerunt locum. Tunc Noddo ait: Nunc igitur beatus Arnulfus pascat nos nocte ista quoniam quod deest nobis, ipso intercedente, adesse potest. Statim in tanta exuberantia accrevit modicitas potus illius, ut omnibus affatim satiatis, adhuc in crastinum superesset.

Corpus Metis solenniter reconditur in basilica SS. Apostolorum:

31 Post hæc autem cum magna prosperitate et lætitia ad urbem perveniunt. Et, ecce, mox omnis civitas cum crucibus, et cereis, atque ingenti gaudio, et ammiratione obviam currit, et Pastorem suum, quem dudum veluti fugacem amiserant, cælo jam regnantem recipiunt, atque sacrum corpus illius in basilica sanctorum Apostolorum *k* cum reverentia et grandi exultatione sepulturæ recondunt. Mox quippe sepultus, quid apud Christum in heremo mercatus fuisset suis civibus, demonstravit miraculis.

ibi mox secuta miracula. Cæca visum recipit:

32 Nam mulier quædam, nomine Julia, luminibus olim cæcata, ad sepulchrum ejus accessit: ubi cum prostrata cum fide orasset, B absque mora lumen multorum annorum temporibus desideratum recepit; atque exitus viarum, quos externa auxiliante manu calcare consueverat, propriis cernens luminibus, ad diversorium læta remeavit.

Contracta ob violatam antea diei Dominicæ religionem sanatur:

33 Aliud denique rursus miraculum non sileam, quod nuper, narrante viro religioso Arengisilo abbate, comperi. Siquidem mulier quædam, nomine Cencerella *, in suburbano Medio-matrici degens, ausa fuit Dominica die operari. Sed mox divinitus verberata, utraque manu contracta est. Tunc magnis vallata angoribus ad suprascriptum abbatem pervenit. At ille præcepit eidem, quatinus ad sepulchrum sancti Antistitis cum fide festinaret. Ubi cum venisset, ostia obserata repagulis invenit, et illico ante valvas sanctæ basilicæ semetipsam prosternens, se in orationem dedit cum lacrymis, vociferans atque deprecans sanctum Arnulfum episcopum, ut se sanaret. Statimque digiti illius, qui jam dudum fortiter palmis inhæserant, resoluto rigore, pristinam receperunt medeC lam: et remeat ad propria incolumis et læta, quæ venerat tristis et contracta.

* al. Ceucerelle

Claudus erigitur.

34 Per idem namque tempus homunculus fuit, nomine Ciaro, nequiter pedibus contractus, qui ex utroque latere auxiliantibus baculis, vix pedetentim et cum ingenti injuria callem nitebatur contingere. Hic cum crocis *l* suis ad urnam sancti Viri semetipsum sanandum in oratione prostravit. Statim resolutis nervorum contractibus, surrexit sanus et lætus, atque ad domicilium suum pedibus propriis revertitur, qui ad sanctum sepulcrum fustibus sustentatus venit, ut sanaretur.

Epilogus Auctoris.

35 Hæc nos pauca de pluribus hujus Viri virtutibus, vel operibus bonis, ut valuimus, scriptis indidimus. Ceterum si omnia bona, quæ egit, stilo prosequentes, membranis, inserere studuissemus, enorme volumen et magnum legentibus affuisset: elegimus enim de multis saltem aliqua narrare, ne audientium auribus fastidium faceremus: auxiliante Deo omnipotente, et Jesu Christo redemptore nostro, cui est potestas et gloria per immortalia secula seculorum. Amen.

Opus suum S. Clodulfo inscribentis

Ecce, Reverentissime Domine Chlodulfe pontifex, habeto conscriptam quam poposcisti vitam et gesta Genitoris tui. Juste quippe, atque perfecte censuisti, ut cujus tenes sedem, crebro relegas et Acta.

ANNOTATA.

a *Ita exemplaria nostra omnia; Mabillonius tamen legit,* eligeret, *in singulari.*

b *Sicambri, quorum primæ sedes apud extrema fluminum Vahalis, Mosæ et Rheni assignantur, confundi subinde, uti hic, cum Francis cœperunt; ut late docet Browerus in notis ad Fortunati lib.* VI, § IV.

c *De S. Goërico vide plura in Vita sequenti num.* 18.

d *Constructio hæc in Actis satis frequens est, ubi barbare nominativus ponitur pro ablativo, ut vocant, absoluto.*

e *Vide dicta in Commentario prævio num.* 40.

f *Legendum esset juxta rectam syntaxim,* tellus rescissa.

g Eumdem *pro* idem; *sed res ejusmodi vix notatu dignas censeo; cum eas quivis facile deprehendat.* E

h Pagus Calvomontensis, *alibi dicitur* Comitatus Calvomontissæ; *et videtur fuisse tractus quidem Mosellæ vicinus, in quo modo Spinalium conditum est. Adi Valesium Notit. Galliar. pag.* 118

i *Non ille scelestus, de quo supra num.* 13; *sed alius et pius, et dux, et in cod. Trevir. appellatus, non* Noddo, *ut alius,* sed Notho.

k *De qua vide Comment. præv. a num.* 4.

l *Id est fulcris subalaribus; Gallice* crosses, *seu* croces.

VITA ALTERA

AUCTORE UMNONE

Ex antiquo codice Ms. Cancellariæ Vicensis. F

CAPUT I. *Gesta S. Arnulfi usque ad susceptum episcopatum.*

Arnulphus nascitur et prædicitur magnus futurus coram Deo et hominibus.

Beatus igitur Arnulphus ex tanto nobilitatis germine, velut aurea consurgens virga, quanto nobilius a progenitoribus sumpsit exordium, tanto dignius sanctis successoribus suis produxit exemplum: dispensatio etenim divina, quæ hunc sibi ab æterno consecrarat, sicut nobili genealogia, sic etiam cælesti prophetia est glorificare dignata. Quidam Dei servus, nomine Stephanus, loco dimorabatur vicino quo puer fuerat exortus. Hic ab Italia veniens, gladios Longobardorum *a* non formidine, sed fratrum utilitate declinans, suæ aliorumque saluti vacabat. Huic itaque cum divinitus revelata fuisset infantis

A infantis merita exorti, ad oppidum venit, qui a progenitoribus seu reliquis militantibus honorifice suscipitur; ad cunabula pueri, cujus gratia devenerat, inducitur; quem ut aspexit, mox quæ de ipso sibi per spiritum fuerant præcognita, circumstantibus aperuit, voce præsaga dicens : Scitote omnes ac memoriter tenete, quoniam parvulus iste qui natus est, magnus erit multæque apud Deum sanctitatis, magnus et apud homines summorum dispensatione honorum; stirps erit regum gloriosa, gemmaque sacerdotum pretiosa. Quod vaticinium sicut magnum fuit in revelatione, ita in adolescentis indole succedenti extitit probabile.

... ejus, ... du... promotio ... Theode... regis.

2 Natus est autem beatus Arnulphus Aquitanico patre *b*, Sueva matre in castro *c* Laycensi, in comitatu Calvomontensi, imperatoris Mauritii temporibus, qui primus de genere Græcorum imperavit Romanis *d*. Cum itaque disciplinis scholaribus esset sufficienter imbutus, aulæ Theodeberti regis inducitur, consiliis palatinorum admiscetur. Hic Theodebertus Childeberti regis fuit filius, qui B utrisque Belgicis, Lugdunensium quoque quadripartitis præsidebat provinciis Sub hujus tempore Cundulphus extitit prætor, major videlicet domus et comes palatinus, qui quoniam ceteros præibat prudentia consiliorum, industria negotiorum, eidem quasi patrono atque doctori beatus adolescens Arnulphus commendatur, ut qui præfulgebat proavorum nobilitate, nequaquam inferior ipsis esset in regali administratione : quem cum isdem suscepisset, per multa probatum experimenta dispensationi regalium constituit non indignum.

... deinde in ... Clotharii ... Dagoberti.

3 Theodeberto autem, qui Neustriæ, a Theodorico fratre, qui Austrasiæ præerat *e*, perempto *f*, eodemque a Brunichilde haustu veneni perdito *g*, regna utrorumque in Clotharii potestatem, filii regis Guntranni, concesserunt. Hic Bruinchildem reginam ob multiplicem nequitiam equis alligatam indomitis discerpsit *h*; venerabilem quoque cunctis honestate simul ac admirabilem bellica fortitudine beatum Arnulphum palatii comitem constituit, cui et Dagobertum filium suum C Christiana religione informandum commendavit; quia et ejus erat consanguineus *i* fide Catholicus, et jure civili peritus; cujus doctrina eo profecit, ut eminentior omnibus Francorum regibus ab historiographis comprobetur : nam et quantum Ecclesiam coluerit, nitor auri et argenti basilicæ sancti Dionysii Parisiacensis *k*, nobis tacentibus, clamat; quantusve in præliis extiterit, Saxonum gens, ab eo perdomita. . . . . quot ad sui longitudinem gladii emensus, omnes eumdem excedentes trucidavit rebellantes *l*.

... ejus, ... obse... Clotharii ...

4 Igitur beatus Arnulphus major domus factus, qua virtute bellica qua consilii prudentia Burgundiam, id est Austrasiam, Neustriam quoque, quæ est a Parisiaca urbe usque ad Gerundam fluvium, tumultu bellorum liberaverit; dolos et insidias Brunechildis enervaverit, filios præfati Theodorici ex scorto progenitos deleverit, quis enarrare suffecerit? Hinc ut Josue Amalechitas, sic ipse perfidos devastabat : licet enim rex Clotharius disciplinarum artibus esset peritus, ac diversis actibus bonis intentus; tamen uti mos est regibus, inertia luxus resolvebatur; unde tota pene utilitas civilis providentiæ huic illustri Viro incumbebat; ita ut sex provincias solus regeret, quas tunc ejusdem totidem domestici administrant. Regebat namque duas Belgicas, in quibus sunt Treviris et Remis, cum sibi adjacentibus sexdecim urbibus : quatuor etiam Lugdunensium provincias, in quibus principales exstant urbes Lugdunum, Rotomagus, Turonis, Sennonum, cum sibi urbibus subjectis numero viginti novem *m*.

Dodam uxorem ducit, ex qua duo filii, Clodulfus et Anchisus.

5 Præter voluntatis suæ decretum, parentum ac procerum votis acquiescens, puellam nobilissimis ortam natalibus, nomine Dodam, sortitur uxorem, sibi per omnia in actibus honestatis concordem : Ex qua duorum gaudia filiorum suscepit, Clodulphum videlicet ac Anchisum. Hujus nomen est derivatum a Troiano Anchisa, qui fuit progenitor Æneæ. Hi denuo quasi duarum splendidum decus gemmarum in mundo effulserunt : Nam Clodulphus ecclesiæ pontifex fuit Metensis : Anchisus signifer *n* aulæ regalis, idemque post non infimus martyr. Nam E olim expositum quemdam inveniens infantulum nutrierat, foverat, Godinumque *o* nomen illi imposuerat, qui adultus sui susceptorem, dum venatur in silvis, impie trucidat, spe conjugii ejus ac dignitatum illectus : sed quis profectus perfidiæ ipsius? Dominum occidit : sed mox dæmone vexatus periit *p*.

meditatur vitam religiosam cum Romarico.

6 Quamvis autem beatus Arnulphus in palatio diversis floreret honoribus, opportunitatem tamen omnia pro Christo relinquendi exoptabat : quapropter viro illustri, nomine Romarico, sui arcanum pectoris aperit; quia et idem vir cælestibus inhiabat desideriis : qui Romaricus, quia sibi maritima non ignota erant loca, vitæ districtioris atque religionis percongrua, suadebat beato Arnulpho Lirinum adire cœnobium; illo enim tempore fervebat illic disciplina monachalis, et commendabatur doctrina sancti præsulis Cæsarii Arelatensis *q*. F

annulum in Mosellam projecit, ut si is ad se rediret, de venia peccatorum securus esset :

7 Interea *r* cum sibi beatus Arnulphus commissas inviseret provincias, forte Trevericam devenit ad urbem, ubi cum per pontem transitum haberet, profunditatemque Mosellæ fluminis, qui subfluebat, consideraret; quasi divino tactus instinctu, cælum suspexit, annulumque, quem digito ferebat, in illam fluctuum profunditatem projecit, dicens; Tunc certus ero, Domine Deus, tuæ propitiationis erga me, si meruero posthac hunc annulum recipere. Hunc autem annulum longo post interjecto tempore in penetralibus piscis inventum recepit.

portionem bonorum in usus pios postulat; annuente Anchiso benedicit.

8 Ipse autem in hoc devotionis proposito perseverans, petit a filiis suis, ut ea quæ in facultatibus suis mobilibus portio contingit, benigne patiantur ad usus pauperum dispartiri; sed in toto ei voluntas filiorum non obedit, ut sperabat. Enimvero prior filiorum Clodulphus hoc se implere negat : primogeniti namque in negotio tali sæpe reperiuntur difficiliores. At vero Anchisus, junior proles, patri per omnia libenter se obedire spondet, accommodans fidem admonitionibus ejusdem. Venerandus itaque genitor filio gratias agit, in omni copia rerum eum benedixit, progeniemque,

EX MSS.

niemque, de ipso nasciturum, in regalem conscendere dignitatem prædixit; quod et factum est : nimirum et Anchiso plurimæ accesserunt divitiæ, strenui quoque ac fortes viri de ipsius prodierunt germine : regibus siquidem Francorum a fortitudine solita degenerantibus, regni sublimitas transiit ad ejus dispositionem, quia cælitus erat ordinatum ad ipsius progeniem Francorum transvehi regnum.

Anchisi et Beggæ illustris posteritas

9 Hic Anchisus patris consultu filiam principis Germaniæ secundæ Pipini, Beggam nomine, duxit in matrimonium, sanctæ videlicet Gertrudis sororem, quam in virginitate sanctus Foillanus enutrivit *s*. Ex hujus Pipini sorore, Waldrada nomine, natus est Gualchisus, qui sanctum genuit Wandregisilum Christi confessorem. Ex Begga igitur genuit Anchisus Pippinum, Avi nomen habentem. Hic tantæ fuit audaciæ, ut Rheni flumen cum uno satellite transvectus, sibi quemdam adversarium, in cubiculo residentem, cum suis obtruncaverit. Saxones Fresonesque detrivit *t*. Ipse Karolum Tudertem *u* genuit, qui Saracenos sic depressit *x*, quod hactenus arma Francorum formident; qui Karolus item genuit Pippinum, statura quidem parvum, sed virtute magnum; ut singulari assultu leonem asseratur discerpsisse, velut agnum *y*. Hujus filius fuit Karolus Magnus *z*, qui præ cunctis præcedentibus Francorum regibus ampliavit regnum, Langobardos substravit, Constantinopolitanum imperatorem sine prælio suæ ditioni associavit, ipsam urbem Romuleam, gementem sub Langobardis cum tota Italia suis addidit sceptris. Ex hoc surrexit Ludoycus rex pius, qui præbendas, claustra, regulasque clericis ac monachis ordinavit *aa*.

Arnulphi pia liberalitas, Doda et Romaricus sæculo valedicunt.

10 Enimvero, ut ad incepta redeamus, vir amabilis Deo, beatus Arnulphus, recepta filii liberalitate, pauperibus, viduis, orphanis indigentibus opes proprias distribuit; ecclesiis etiam nonnullis ampla concessit prædia, palatium, quod Mettis possidebat, Virdunensi ecclesiæ largitus est hereditario jure; Coloniensi quoque ac Trevirensi non minimam suarum partem possessionum indulsit. Non minus beata conjunx ejus Doda mundi abdicans vana, elegit Treviros in reclusione cælibem ducere vitam. His itaque completis, peregrinandi consilium, quod cum venerando habuerat Romarico, versus Lirinum enitebatur adimplere; sed quia non est in hominis potestate via ejus, quod ipsi ad propriam deliberabant salutem. Dominus transtulit ad multorum utilitatem; dominus siquidem Romaricus *bb*, beati prædicatione Amati, relictis omnibus suis, et egentibus elargitis, monachus in Luxuvio est factus, et post Romaricense fundavit cœnobium : beatus autem Arnulphus divino electus est judicio in præsulatu Metensi sicut exarabitur in pagina sequenti.

ANNOTATA.

a *Langobardi e Pannonia in Italiam irruerunt anno Christi* 568, *uti docet Paulus diaconus de Gest. Langob. lib.* II, *cap.* VII. *De grassationibus eorum in ecclesias, sacerdotes ac reliquum vulgus vide illum ibidem cap.* XXXII, *et alibi.*

b *Arnoaldus*, S. Arnulphi *pater, Aquitanicus fuisse dicitur; non origine, sed habitatione; uti docet Jordanus noster in opusculo ante laudato.*

c Castrum *hoc* villa *vocatur* sita in comitatu Calvo-montissæ, *in instrumento donationis condito anno Christi* 950 *apud Meurissium, pag.* 137.

d *Hoc arripuit Umno ex Paulo Warnefrido de Gestis Langobard. lib.* III, *cap.* XV, *sicut et alia plura. Ceterum Mauritius* nomen et genus vetustius ex veteri Roma traxit; propinquiorem autem cognationem ex Arabisso patria habuit, quæ gentis Cappadocum est, *inquit Nicephorus lib.*XVIII, *cap.* VIII.

e *De his et similibus hujus auctoris erroribus vide superius notata in Commentario prævio* § IV; *quo multa congessi; ne nimis in annotatis hic longus essem.*

f *Vide Gesta Reg. Franc. apud Chesnium tom.* I, *pag.* 715, *cap.* XXXVIII.

g *Adi ibidem cap.* XXXIX. *Theodoricum tamen profluvio ventris mortuum esse, tradit Fredegarius cap.* XXXIX.

h *Consule Fredegarium cap.* XLII.

i *Aviam enim Arnulphus habuisse putatur Blitildem filiam Clotharii primi, qui Clotharii secundi avus fuit.*

k *Narrat hæc Fredegarius cap.* LXXX.

l *Lege hæc apud Aimoinum de Gest. Franc. lib.*IV, *cap.* XVIII *et alios citatos ab Henschenio nostro in Diatriba de* 3 *Dagobertis lib.* I, *cap.* V, *qui huic historiæ parum fidit. Ceterum factum hoc non Dagoberto; sed patri ejus Clothario adscribitur.*

m *Quæ hoc num. explicatione indigent, satis exposui in Commentario* § IV.

n *Imo domesticus fuit Sigeberti regis, juxta Notgerum apud Chesnium tom.* I, *pag.* 643 : *ac subinde dux, ut illum appellat Theganus apud eumdem tom.* II, *pag.* 275.

o *Parricidam hunc* Gunduinum *vocat Sigebertus in Chron. ad an. Christi* 685.

p *Vel potius a Pippino, Anschisi et S. Beggæ filio, paulo post occisus est; uti docet Valesius Rer. Franc. lib.* XXII, *pag.* 324.

q Scripsit *enim S. Cæsarius* egregia et grata valde et monachis necessaria opuscula, *teste Gennadio cap.* LXXXVI. *Nos Regulam ab eo scriptam dedimus ad diem* XII *Januarii.*

r *Quæ sequuntur usque ad num.* 10 *a Paulo Langobardo desumpta sunt e fragmento, quod huic Vitæ subjiciam; non nulla tamen exornavit Umno.*

s *Vide dicta ad Vitam S. Gertrudis* XVII *Martii* 594.

t *Hæc omnia de Pippino Heristallo desumpta etiam sunt ex Pauli Warnefridi Gestis Langob. lib.* VI, *cap.* XXXVII.

u *Vulgo* Martellum.

x *Idem narrat Fredegarii continuator apud Ruinartium cap.* CVIII.

y *Factum hoc refert Monachus Sangallensis lib.* II, *cap.* XXIII *apud du Chesne tom.* II, *pag.* 131.

z *S. Caroli Magni imp. Acta dedimus die* XXVIII *Januarii.*

aa *Adi Concilium Aquisgranense celebratum anno* 816, *tom.* VII *Conciliorum Labbe.*

bb *Vitam S. Romarici habes apud Mabillonium in Actis Sanctorum Ord. S. Benedicti sæc.* II *a pag.* 416. *Nos de illo agemus die* VIII *Decemb.*

CAPUT

A

CAPUT II. *Gesta S. Arnulphi a suscepto episcopatu usque ad obitum.*

Papolo episcopo Metensi vicesimo octavo, a primo Clemente beato pontifice, vitæ subtracto, eadem plebs Mediomatrica pastore viduata, ut sibi pontifex dignus a Deo daretur, prece continua precabatur. Divinitus itaque primoribus cleri ac populi aspiratur, ut prædictus venerandus vir eligeretur Arnulphus; qui tandem renitens, consentiente rege Clothario, in episcopum Metensem assumptus est. In eo statu etiam palatinis, quamvis nolens, consulebat dignitatibus, omnium genere virtutum pollens, et miraculis diversis effulgens. Interea gloriosus princeps Clotharius, Guntramni regis filius, pacatis B feliciter tumultibus regni, administrationem negotiorum filio Dagoberto commendans regali gaudet quiete. Qui Dagobertus familiaritatem Viri Dei valde amplexabatur, sanctitatem venerabatur, utpote ab ipso educatus et ad industriæ civilis eminentiam promotus: quapropter etiam nolentem in palatinis eum frequenter negotiis detinebat moderandis.

12 Præsul autem non quærens quæ sua sunt, etiam in domo regia pauperum inopiæ subveniebat: nam cum leprosus quidam barbarus, seu paganus, ab eo victum seu vestimentum importune desposceret, ille nescius pauperis importunitate turbari, hospitio præcepit eumdem proprio deduci, quem postea baptizans a lepra curavit.

13 Alio deinceps tempore isdem Præsul cum præfato rege Dagoberto Turingorum *a* regionem intraverat, quæ non modica provinciæ pars est Germaniæ secundæ, in qua est Colonia metropolis, ubi cum in regalibus componendis demoraretur, quidam procerum, Nodilo dictus, magno angustiabatur C mœrore propter ægritudinem cujusdam sui familiaris consanguinei adolescentis, quem B. Præsul oratione fusa sanavit.

14 Beatus itaque pontifex Arnulphus, sicut signorum virtute gloriosus, castitate præcipuus Domino approbatus, hominibus innotuit; sic et largitate munificus, apud Clotharium principem venerabilis effulsit: nam cum pene omnes thesauros suos et Ecclesiæ indigentibus erogasset, ut justitia ejus in seculum hujus seculi consecutivum maneret; forte adhuc argenteus supererat discus, sancto Stephano consecratus, librarum pondo septuaginta duarum; hunc dum quidam vir illustris Hugo comparasset, vicissimque . . . . pro eo in alimento pauperibus dedisset, eodem Hugone præsenti subtracto vitæ, isdem discus Clothario Regi est præsentatus; qui dum a narrantibus comperisset, eumdem olim a beato Arnulpho pro alimentis pauperum fuisse venumdatum, liberalitatem Sancti admiratus, Paraclitique dono compunctus, discum sancto Præsuli jussit Mettim referri, superadditis centum aureis. Impletum est hic illud Euangelicum; Date et dabitur vobis. Nam et indigentes sustentati sunt, discusque, semel sancto Protomartyri consecratus, munificentia regali est eidem restitutus. *ex Ms.*

15 Cum ergo Præsul Deo amabilis sic misericordiæ insisteret studiis, frequenter, prout opportunitas se offerebat, reclusione solitaria sese coarctabat. Iter cæleste, quod semel arripuerat, indefessus viator peragebat: nam crebro in villa, quæ dicitur Dodoniaca, in partibus Vosagi sita; non numquam in villa Calciaco, se quasi quodam recludens ergastulo, die ac nocte vacabat Deo. Unde Domini pietas, ejus intendens desiderio, dignatus est eum consolari miraculo evidenti. Forte dum in Vosago demoraretur familiarique contubernio sanctorum Agili *b*, Amati, atque Romarici frueretur, procurator ipsius piscem pretio emptum eidem præsentavit, quem Præsul vespertinæ parari cœnæ jussit. Hunc minister more solito dum exenterasset, annulum reperit aureum intra ipsius piscis intestinum: miratus quod acciderat, sancto Pontifici annulum repræsentat; Antistes olim suum fuisse agnoscit, in fluctibus se illum projecisse meminit; Deo itaque gratias agit, suorum jam fidus absolutione peccatorum: non extollitur ignava elationis securitate; sed majori accensus igne desiderii, parabat se certius imposterum sibi complacare Deum.

solitudinem frequentat: ubi annulum reperit, pridem abjectum in flumen

b

E

16 Eapropter aures gloriosi regis Clotharii legatis ac litteris pulsabat, ut se præsente successor in episcopatu substitueretur, quo * liber a dispensatione regalium, propensius ac uberius Dei populum prædicationis verbo irrigaret, frequentique provisione quasi quodam . . . . informaret; atqui rex dum id comperisset non modica perfunditur tristitia: dolebat enim se tanti Viri familiaritate privari; ejus lumine consilii subtracto, timebat tenebris perfidiæ regni securitatem offendi: soliditate namque ipsius fidei tam ipse rex quam et sua proles, quasi quodam robore fulciebantur: unde inter cetera rex eidem rescripsit: Nihilominus, domine ac pater, quia scripsistis per vestram epistolam, ut in loco vestro alium deberemus eligere successorem, istud nostra præsumptio facere nulla ratione audet. Enimvero isdem Clotharius ecclesiastica civilique admodum doctrina fuit imbutus; nam et ipsius suffragio statuta canonum ac decreta synodorum in regno ejus celebrata sunt et confirmata *c*.

successorem poscit, et missionem ab aula, ut in eremum abeat;

** forte qui*

F

c

17 Hinc iterum inter reliqua beato Præsuli mandavit: Quantum et de devotione vestra, quam ex admonitione divina esse confidimus, vos a Domino fuisse commonitos gavisi recepimus, tantum iterum dolentes tractavimus, quod non optavimus de nostro conspectu esse absentes. Imo, venerande pater, si qualibet devotione compulsi pro boni operis actu alicubi desideratis progredi, petimus, ut nos sine pace vestra vel communione pro divino amore nullatenus relinquatis. Sic amabili rescripto tentabat rex eum sibi retinere, quia ipsum fideli diligebat amore: nam et Dagobertum filium, in principatus culmine sublimatum jam pridem, ipsi cum regno commendaverat, quem ipse ut præmisimus, altissima instruxerat disciplina.

primum renuente Clothario, secundum ægre permittente:

18 Qui Dagobertus rex dum perspicit, beatum

Ex MSS. Dagoberto blanditas ac minis obluctante; ac tandem permittente.

beatum Præsulem nulla prece paterna divelli posse a concepto eremi desiderio, arbitratus est, minas blandiciis esse admiscendas: accersit igitur Episcopum, blanditur, inde cædem minatur ejus soboli, et tamen Præsulem, convenientia respondentem, ferire intendit gladio. Astabat et quidam procerum nobilissimus, nomine Audoenus *d*, qui jam sub militari habitu erat eximius cultor Christi, qui quantus fuerit sanctitate, omnibus notum est; in Rotomagensi civitate præsedit ecclesiæ. Hic tunc temporis primiscrinius notarius et assignator causarum, quæ in palatio terminabantur, erat. Hic ergo medium se injiciens, regem admonuit votis favere sancti Præsulis; quod et fecit, veniam cum regina, ejusdem uxore, ab eodem petens ad terram prostratus.

Goericus cæcitate liberatus eligitur successor Arnulphi.

19 Amabilis itaque Domini sacerdos Arnulphus, indulgentia regi data, et ab eodem licentia sumpta, regalem egreditur aulam, et ad ordinandam sedem propriam redit. Contigerat autem illis in diebus, ut vir illustris, nomine Goericus, filius Gamardi *e*, fratris B avi paterni hujus beati Arnulphi, ab Aquitania monitu angelico Mettim devenisset *f*. Hic primo suæ gentis fuerat rex *g* officio, fidelis Christo; sed ut amplius eluceret ejus meritum, privatus est, ut quondam Tobias, lumine oculorum; qui, ut diximus, angelico duce Mettim devenit, B. Arnulpho, patrueli suo, se suaque contradidit. Hunc B. Arnulphus honorabiliter susceperat, tripartito ejus thesauros disperserat, ecclesiam in honore sancti Petri Apostolorum Principis fundari ex ipsius copiis disposuerat. Dum itaque rex (Goericus) per se cum Præsule humum a fundamentis efferunt, rex lumen recepit pridem amissum; Deo autem gratias agit, clerici tonsuram suscipit, divino se famulatui de reliquo arctius mancipavit. Mettensis ergo ecclesia successorem B. Arnulphi hunc elegit, confirmat ordinat, consecrat: nihil quippe utilius populo, quam C ut sanctus succederet sancto.

Arnulphus in discessu urbem incendio liberat, et fontem e saxo elicit:

20 Cum itaque sanctus Arnulphus, cunctis ordinatis, disposuisset et civitatem et præsulatum relinquere, venit beatus Romaricus illius itineris comes pridie; quo tempore ex coquinæ officina erumpens flamma promptuarium regis vorans invaderet, et etiam fastigium palatii corriperet: quod cernens beatus Arnulphus, oratione fusa, factoque signo crucis, civitatem ab incendio liberavit. Posthæc valedicens civibus, ab eis honorifice deducitur usque ad villam Areium *h* dictam, ubi dum resedisset, ac innumera multitudo plebis æstus fervore laboraret siti, beatus Arnulphus eis compassus, oravit ad Dominum, ut, sicut quondam ex saxo, sic modo suis fontem produceret ab humo. Finita oratione, dum baculum avellit, quem humi defixerat, fons aquæ protinus erupit, qui adhuc hodie persistit, qua multitudo recreata, ejusque benedictione repetita, redierunt in sua, gemino consolati beneficio, tum recenter ab incendio liberati, tum ad præsens poculo satiati. Ecce duorum insignia miraculorum una nobis renovantur persona; Aaron sacerdotis in sedato incendii periculo, Moysi ducis in productione fontis. Unde de eo dici potest: Transivimus per ignem et aquam etc.

Saxum insidenti molliter cedit.

21 Magnis majora succedunt miracula. Forte devenerat ad Burgallionis villam *i*, ubi amœnitate prati virentis placuit itineris sui ac sociorum relevare laborem; in quo prato ingens astabat lapis, supra quem Vir Dei cum resedisset, mirum dictu, quasi molle pulvinar lapis eum suscepit, et, eo recedente, velut cera mollis effigiem ejus artuum, corporis ac manuum hactenus ostendit; et, quod amplius est reverendum, animalia deinceps, ipsius prati pasta gramine, periclitantur, exceptis quæ ipsi Sancto ac ejus hominibus mancipantur. Simile hoc miraculum illi videtur, quo Christus a Pharisæis *k* impulsus, ut de supercilio montis præcipitaretur, hactenus rupes, quæ illum scissa suscepit, quantitatem ejus manuum et artuum impressam ostendit *l*. Sed quis in nubibus æquabitur Domino? Christus propria hoc signum virtute peregit; beatus vero Arnulphus Christi dignatione.

Eremus S. Arnulphi, ubi fons erupit.

22 Tandem ad eremi locum deveniens præparatum, non est nostræ opis evolvere, quam jugi Domino assistebat meditatione. Mons autem eremi hujusmodi, in quo demoratus est Vir E sanctus, prius dicebatur Adventius, post ex habitatore vocatur mons sancti Arnulphi; in quo constat adhuc oratorium, ab ipso constructum, ante quod arbor delectabilis visu astat ab ipso, ut fertur, plantata. Ipse mons eo tenus carebat aquæ beneficio, sed oratione Viri Dei ad solatium laboris commorantium fons ad cubiti modum altus erupit, qui adhuc usque cernitur, qui quamvis sit parvus; tamen, ut fertur, omnium hominum usui abundans indeficienter perseverat.

Arnulphus sacro Viatico instructus sancte moritur.

23 Tandem febre corripitur, et ad extremum hujus vitæ terminum perurgetur: dominum itaque Romaricum suis cum commilitonibus accersit, resolutionem suam prædicit, eorumque orationibus se commendat. Sumpto ergo Sacramento, fratribus valedixit, et inter sacrosanctam lectionis Euangelii orationumque frequentiam ei assistentium felix anima carne solvitur, angelicisque associatur choris. Hinc ecclesiastico more traditur sepulturæ in Aventio monte, qui etiam dicitur F Habendum Castrum, qui est vicinus monti cognomento Rotundi Becci * *m*.

** Becci an Berti?*

Tempus episcopatus ejus et mortis.

24 Præsedit autem ecclesiæ Metensi B. Arnulphus quindecim annis, diebus decem, sub Apostolicis Bonifacio, Honorio, Severino, Joanne; imperantibus Heraclio cum Heracleona matre *n* et Constantino ejus filio; obiit autem XVII Kal. Septembris anno primo ipsius Constantini, filii Heraclii *o*.

Monachi habitum in eremo susceperat; et S. Germanum abbatem consecraverat.

25 Constat præterea quod hic vir Beatus monachi habitum in eremo suscepit; et beatum Germanum *p* in abbatem consecravit, et in Basileensem regionem ad prædicandum misit. Qui beatus Germanus congregationem religiosorum in loco, qui dicitur Grandis vallis, adunavit; sed dum incolarum vitia increparet, odium incurrit, perseverans martyrium promeruit, et in prædicta Grandis valle requiescit in Christo, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Id est, Tungrorum, juxta dicta in Comm. præv. ad Vitam S. Sigeberti regis die I Febr. pag. 208.*

b *S. Agili,*

A b *S. Agili, abbatis Resbacensis, Vitam dat Mabillonius in Actis sæc.* II *a pag.* 316; *ubi de hac re ne verbum quidem; sicuti nec in Vita S. Amati, quam habes ibidem a pag.* 129.

c *Adi* Concilium Parisiense V, Clotharii II evocatione celebratum anno Christi DCXV *apud Labbeum tom.* V *col.* 1649; *et in eo præcipue canonem* I *et* II: *quorum hic vetat ordinari episcopum in locum alterius adhuc viventis, nisi is ecclesiam suam et clerum regere non possit; ille irritat ordinationem episcopi,* qui aut potestate subrepat, aut quacumque negligentia absque electione metropolitani, cleri consensu vel civium fuerit in ecclesia intromissus.

d *De S. Audoeno ep. agendum erit die* XXIV *Augusti.*

e *Alii nepotem Gamardi ex Godino fuisse volunt; ut Bouchetius, Sammarthani lib.* VI, *cap.* I, *Choletus de Ferreolis et Ansberto lib.* I, *cap.* LXXVI. *Contra cum Umnone sentiunt, et mea quidem sententia probabilius, Meurissius pag.* 125, *Dominicius in Ansberti Fam. Rediv. part.* I, *cap.* VII, *Cointius Annal. Eccles. Franc. ad an. Christi* 611 *num.* 7 *etc. His favet epistola ipsius S. Goerici*
B *sive Abbonis ad Desiderium, in qua Godinum, sive Gedenum, ut ibi legitur, appellat* Germanum suum. *Vide Chesnium tom.* I, *pag.* 886.

f *Hæc et sequentia fusius narrantur in Vita S. Goerici, danda* XIX *Septembris.*

g *Sic etiam Vita S. Goerici, et* omnia antiquiora monumenta nostra, *inquit Meurissius loco citato: forte quod Aquitaniam Administraverit, quæ regni nomine et ante et postea insignis fuit, uti docet Valesius in notit. Gall. Verum hæc discutienda sunt alibi. Modum hunc certe loquendi explodit Ludov. Cantarellus Faber in Discursu hist. cap.* VI.

h Arrey *pagus est Selnæ fluvio, qui ad Metas in Mosellam labitur, adjacens versus Montem Romarici (Remiremont,) septimo circiter ab urbe Metensi lapide, ut ex Mappis æstimo.*

i *Locus in itinere, quod Metis ducit in Montem Romarici; sed mihi hoc nomine ignotus.*

k *Imo Nazaræis.*

l *Quinam hoc asserant, et quam res ea fidem obtineat, vide apud nostrum Cornelium a Lapide in Lucæ caput* IV, *versum* XXX.

C m *Sive Rombech, uti appellatur in instrumento fundationis Montis Romarici apud Meurissium pag.* 97; *ubi et situs ejus describitur. Alii rectius scribunt* Romberg, *ut significet* montem Romarici. *Sed cum Gallice g finale non pronuntietur; et m sibi sonet ut nd; inde Umno finxerit* Rotundum Bertum, *quasi a Gallico* Rond-Bert, *aut* Rotundum Beccum, *quasi a* Rond-Bec.

n *Puto legendum esse:* Imperantibus Heraclio, Heracleona cum matre *(Martina scilicet)* et Constantino ejus filio.

o *Locus hic etiam corruptior est apud Bouchetium in Probationibus* I *partis Orig. Fam. Reg. Franc. cap.* VI, *pag.* 51; *ubi sic habet Extractum ex Chronico Ms. Episcoporum Metensium:* Præfuit ecclesiæ Metensi XV annis, sub Apostolicis Honorio, Severino, Joanne et Theodoro: Imperatoribus Heraclio cum Heracleona matre sua et Constantino ejus filio. Obiit XVII Kal. Decemb. sub Constantino filio Heraclii. *Redit hoc saltem ad annum Christi 642, quo sedere cœpit Honorius pontifex sub finem Novembris, cum jam toto anno et amplius Heraclii filius Constantinus obiisset. At multo idem locus corruptior est in Chron. episcop. Met. apud Acherium in Spicilegio tom.* II, *edit. novæ pag.* 227: Præfuit ecclesiæ Metensi XV annis sub Apostolicis Joanne, Theodoro, Martino, et Eugenio; Imperatoribus Heraclio, Heracleone cum matre, et Constantino ejus filio. Obiit XVII Kalend. Decembris. *Eugenius enim S. Petri Cathedram ornare primum cœpit an. Christi* 652. *Vide dicta in Comm. præv.* § III.

p *De S. Germano abb. M. egimus die* XXI *Februarii. Consule Commen. supra* § IV.

EX MSS

FRAGMENTUM I.

Ex eodem codice Ms. Cancellariæ Vicensis.

Hactenus liber manuscriptus. *(Verba sunt P. Francisci Lahier, præcedenti Vitæ continuo adjecta)* Sequuntur autem hæc: Notandum est quod, ut comperi in gestis et Vita beati Clodulphi, qui filius fuit sancti Arnulphi, E
ex Doda matre Sueva geniti, ut supra narratum est, videtur historiarum non ignaris, Suevos esse cognatos Sabæis; et hoc nituntur astruere vicinitate, quod testatur Isidorus in libro etymologiarum *a*. Notandum a
insuper ex eisdem gestis quod, cum beatus Arnulphus in episcopum Metensem assumptus fuisset, filiosque suos, Anchisum scilicet et Clodulphum, honoris palatii reliquisset heredes consensu regali, conjugem vero suam, natalibus et moribus clarissimam, nomine Dodam, jam cælestibus aspirantem, sacro indutam habitu in diœcesi Treverensi in conclusione permanere permisit; cui tantus ardor religionis accessit, ut etiam ipsi B. Arnulpho, conjugi suo, post multum temporis volenti ejus visitatione et allocutione perfrui, minime assenserit, seque ipsam deturpari vultu et crine non erubuerit, ac tali effigie viri accessum a se repulerit *b*. In quo b
loco hactenus patent visui vestigia beati Viri impressa lapidi velut ceræ molli, sæpe numero ægrotantium subvenientia necessitati. F
Beatus itaque Arnulphus in bonis actibus perseverans, in eremo mortis debitum solvit. Beato etiam Goerico XXI sui præsulatus anno *c* gaudiis perennibus inserto, successit ei c
Godo, pastor utilis Dei populo, qui annis octo *d* ecclesiam procuravit, qui frater d
ejusdem Goerici a pluribus creditur fuisse *e*; e
hic etiam, peracto certamine, ad gaudium Domini sui transmigravit; cui successit in episcopatu beatus Clodulphus.

Sequuntur *(verba sunt iterum P. Lahier)* in eodem Ms. Miracula veteri idiomate Gallico, quæ apud Surium et Vincentium Baralem edita sunt.

ANNOTATA.

a *Neque in Vita S. Clodulphi, neque in libro Etymologiarum S. Isidori quidquam istiusmodi reperio.*

b *Indignum enimvero commentum! Quasi vero Vir sanctissimus, si conjugem umquam episcopus factus inviserit, repelli vel debuerit vel potuerit per vultus ejus deformitatem.*

c *S. Goericus*

ex MSS.

c *S. Goericus sedit annis tantum* 18, *juxta Catalogum S. Symphoriani; vel* 17, *ut est in Vita S. Chlodulphi et S. Goerici, quam dabimus* XIX *Septembris.*

d *Totidem Godoni annos dat Auctor Vitæ S Chlodulphi; sed Index S. Symphoriani juxta utramque editionem habet annos* 10, *menses* 2. *Henschenius noster plane aliter statuit, ubi de S. Godone die* VIII *Maii.*

e *Unde ea opinio nata sit, nescio; nam ejus fundamentum nullum reperio.*

FRAGMENTUM II.

Ex libro Pauli, Warnefridi Langobardi filii, diaconi Forojuliensis, de episcopis Metensis ecclesiæ. Apud Chesnium tom. II, *pag.* 201.

B

S. Arnulphus annulum in fluvium abjicit:

Post hos *(Pappolum et præcedentes)* ad regimen ecclesiæ *(Metensis)* beatissimus Arnulfus ascitus est, vir per omnia lumine sanctitatis et splendore generis clarus. Qui ex nobilissimo fortissimoque Francorum stemmate ortus, ita Dei Ecclesiæ præfuit, ut et palatii moderator sub honore majordomatus existeret. Hic denique et in corpore permanens simul et post vitæ exitum multa admiranda perpetravit. Quæ si quis nosse desiderat, libellum, qui de ejus specialiter Actibus conscriptus est, legat. Unum tamen ejus admirabile factum referam, quod satis miratus sum, quo ordine præterierit is, qui ejus contexuit Vitam. Hic denique, cum pœnitentiam pro aliquibus excessibus ageret, contigit, ut per Mosellæ fluminis pontem transiret. Cumque subterfluentium aquarum profundos nec visu penetrabiles gurgites cerneret, non dubiæ spei fiduciam mente gerens, extractum digito annulum in illam aquarum profunditatem projecit: Tunc, inquiens, me putabo culparum nexibus absolutum, quando istum, quem projicio, recepero annulum.

C

quem postea reperit in capto pisce.

2 Post aliquot vero annos, cum ad episcopatus ascendisset officium; ei die quadam piscator quidam piscem attulit: quem ille sibi, quia carnibus abstinebat, ad refectionem vespertinam jussit præparari. Cumque minister ejus officii more solito exenterasset, eumdem annulum intra ipsius piscis intestinum reperit. Ille factum admiratus, sed rem nesciens, beato Arnulfo detulit. Quem ille ut vidit, statim recognovit, ac Deo omnipotenti, jam de remissione delictorum fidus, gratias retulit: ac deinceps non remissius vitam duxit, sed majori se potius abstinentia coarctavit. Nec dissimiliter Pater hic venerabilis, quam olim Gedeon ille, signum a Domino poposcit. Ille etenim indicium per vellus in area positum capere voluit, utrum in bello victoriam de inimicis habere potuisset: iste annulum in profundissimum fluminis gargitem projiciens, experiri cupit, utrum de inimicis jam victoriam cepisset. Fortes quidem erant, quos ille devicerat; sed hi, quos iste superaverat, fortiores. Hæc ego non a qualibet mediocri persona didici, sed ipso totius veritatis assertore, præcelso rege Karolo *a* referente, cognovi: qui de ejusdem B. Arnulfi descendens prosapia, ei in generationis linea trinepos extabat.

D

Accipit ab altero filio quod det pauperibus, eique futura prædicit.

3 Nam venerandus iste Vir, ut ad superiora redeam, juventutis suæ tempore ex legitimi matrimonii copula duos *b* filios procreavit, id est, Anchisum, et Clodulfum *c*. Cujus Anchisi nomen ab Anchise patre Æneæ, qui a Troia in Italiam olim venerat, creditur esse deductum. Nam gens Francorum, sicut a veteribus est traditum, a Troiana prosapia trahit exordium *d*. Cum igitur hos duos, de quibus præmisimus, venerabilis Arnulfus filios haberet, quoniam erat misericors, et ad pietatis opera semper intentus, prædictis filiis suis cœpit suadere, ut ei assensum præberent, quatenus omnes suas facultates ad usus pauperum dispertiret. Tunc unus filius, id est, Clodulfus, se hoc posse facere, id est, ut portionem sibi debitam pater *e* largiretur, omnimodis denegavit. At vero minor filius, id est Anchisus, fidens de Christi pietate sibi pluriora condonari, ad omnia, quæ patervellet, se libenter obedire promittit. Agit venerandus Pater gratias filio, et prædicit ei, pluriora eumdem, quam reliquerat, habiturum. Insuper benedixit eum, ejusque cunctam progeniem nascituram imposterum. Factumque est ita. Nam et pluriores Anchiso, quam reliquerat, divitiæ accesserunt, et ita in eo paterna est constabilita benedictio: ut de ejus progenie tam strenui fortesque viri nascerentur, ut non immerito ad ejus prosapiam Francorum translatum sit regnum.

E

S. Arnulphi posteritas.

4 Et ut hoc agnoscere possis, paucis adverte, docebo. Anchisus genuit Pippinum *f*, quo nihil umquam potuit esse audacius. Pippinus genuit Carolum, viris omnino fortissimis conferendum, qui inter cetera et magna bella, quæ gessit, in præcipue Saracenos detrivit, ut usque hodie gens illa truculenta et perfida, Francorum arma formidet. Hic itaque genuit Pippinum sapientia nihilominus et fortitudine satis clarum: qui inter reliqua, quæ patravit, Wascones, jam dudum Francorum ditioni rebelles, cum Vuaifario principe felicitate mira debellavit et subdidit *g*. Hujus itaque filius, magnus rex Carolus extitit, qui Francorum regnum, sicut numquam antea fuit, dilatavit. Denique inter plura et miranda, quæ gessit, Longobardorum gentem, bis jam a patre devictam, altero eorum rege, cui Desiderius nomen erat, capto; alteroque, qui dicebatur Adelgisus, ut cum genitore regnante suo, Constantinopolim pulso, universam sine gravi prælio suæ subdidit ditioni, et, quod raro fieri assolet, clementi moderamine victoriam temperavit. Romanos præterea, ipsamque urbem Romuleam, jam pridem ejus præsentiam desiderantem, quæ aliquando mundi totius domina fuerat, et tunc a Longobardis depressa gemebat, duris angustiis eximens, suis addidit sceptris, cunctaque nihilominus Italia miti dominatione potitus est. De quo viro nescias, utrum virtutem in eo bellicam, an sapientiæ claritatem omniumque liberalium artium magis admireris peritiam.

F

5 Hic

5 Hic ex Hildegard conjuge quatuor filios et quinque filias procreavit. Habuit tamen ante legale connubium ex Himmiltrude, nobili puella, filium, nomine Pippinum. Natorum sane ejus, quos ei Hildegard peperit, ista sunt nomina : primus dictus est Carolus, scilicet patris ac proavi vocabulo nuncupatus; secundus item Pippinus, fratri atque avo æquivocus; tertius Lodowicus, qui cum Hlothario, qui biennis occubuit, uno partu est genitus. Ex quibus jam, Deo favente, minor Pippinus regnum Italiæ, Lodowicus Aquitaniæ tenent. Mortua autem Hildegard, rex excellentissimus Carolus Frastradam duxit uxorem. Quæ Hildegard apud urbem Metensem in beati Arnulfi oratorio requiescit. Pro eo denique, quod a beato Arnulfo jam fati reges originem ducerent, suorum ibi carorum defuncta corpora posuere. Nam ibi humatæ sunt duæ regis Pippini filiæ, quarum una Rothaid, altera Adelaid appellata est. Ibi quoque et junioris regis Caroli duæ nihilominus tumulatæ sunt natæ, scilicet Adelaid et Hildigard :
B quæ Hildigard materno nuncupata nomine, matrem morientem citius subsecuta est. Quarum omnium epitaphia a nobis jussu gloriosi regis Karoli composita, ut de eis liquido lectori satisfieret, subter annotare curavi. *Tum sequuntur epitaphia, quæ apud Chesnium legi possunt.* Ex Ms.

ANNOTATA.

a *Carolum Magnum imperatorem significat; cui Paulus hic carus admodum fuit.*

b *Surius hic* tres *posuit; sed* duos *tantum habet genuinus textus cum apud Chesnium, tum in Corpore Francicæ Historiæ impresso Hannoviæ an.* 1613 *pag.* 175.

c *Surius de suo medium inter hos duos* Walachisum *interjicit, non recte.*

d *Hæc traditio modo ut fabula ab omnibus explotitur, etiam Gallis.*

e *Ita Chesnius; at Surius et Corpus hist. Franc. habent* patri.

f *Nempe* Heristallium *sive* Crassum, *B. Pippini Laudensis ex S. Begga filia nepotem. Adi supra Vitam secundam num.* 9; *ubi eadem hinc desumpta reperies.*

g *Legi hæc fuse possunt apud Continuatorem Fredegarii Scholastici editum cum Operibus S. Gregorii Turonensis a Ruinartio inde a cap.* CXXIV. E
Ceterum Wascones *hic improprie pro Aquitanis positi.*

DE S. ARNOLDO CONFESSORE

IN PAGO ARNSWILER IN AGRO JULIACENSI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. G. C

Sancti cultus et Acta examinantur.

Villare seu villa *S. Arnoldi, quæ juxta Acta nostra num.* 4 *olim* Ginnezwilre *ac postea ob Sancti nomen* Arnoldswilre *vocabatur, et nunc vulgo* Arnswiler *appellatur, jacet in ducatu Juliacensi inter Juliacum et Marcodurum, prope torrentem com-*
C *muniter* Elle *nuncupatum. De hoc, ni fallor, loco meminit diploma Philippi Heinsbergici archiepiscopi Coloniensis, anno* 1168 *datum, quod apud Gelenium exstitisse, notatum reperi, et in quo refertur, quod Godefridus* sacerdos de Wilre S. Arnoldi, divinæ miserationis intuitu pro remedio animæ suæ, parentumque suorum XX journales *(id est jugera)* in parochia villæ præmemoratæ *donaverit S. Cuniberto. Sed licet hic sæculo* XII *pagum* Wilre S. Arnoldi *nomine insignitum inveniam, tamen specialem istius Sancti cultum in Martyrologiis, sæculo* XV *antiquioribus, diu frustra quæsivi. Cogor itaque recentiores adire Martyrologos et historicos, qui de publico* S. Arnoldi *cultu agentes eumdem pagum indicare volunt; at aliqui in assignando istius loci situ et nomine errarunt, ut per decursum observabimus.*

2 *In Florario nostro Ms., quod circa medium sæculi* XV *exaratum est, primo reperi Sancti nostri memoriam his verbis :* In territorio Juliacensi, villa Arnswilre, natale beati Arnoldi confessoris, citharœdi sancti Karoli Magni. *Similia habent Lubeco-Coloniensis Usuardi editio, Grevenus, Canisius noster in suo Martyrologio Germanico, aliique Martyrologi Florario Ms. posteriores. Andreas Saussayus in Martyrologio Gallicano eumdem Sanctum sic annuntiat :* In territorio Juliacensi, pago Arnsviller, depositio beati Arnoldi citharœdi Caroli Magni et confessoris, viri magnæ religionis et multæ F
erga pauperes pietatis. *Claudius Castellanus in Martyrologio Universali nullam de Carolo Magno mentionem faciens ita loquitur :* In Arnoldi villari prope Marcodurum, in terra Juliacensi, S. Arnoldus fidicen. *Ægidius Gelenius in suo opere de Coloniæ Agrippinensis magnitudine lib.* IV, *pag.* 706 *prolixior est hoc modo :* In Genetwillere, Juliacensis agri pago, qui nunc Arnoldi Willere dicitur, festum S. Arnoldi musici, qui ex Græcia instructus scientiis symphoniacis ad Caroli Magni aulam veniens, pietatis suavitate eam magis, quam artis dulcedine oblectavit, et Caroli animum ad commiserationem subditorum large inflexit, ut de fisco regio pauperibus lignari liceret.

3 *Theodorus Rhay, inter animas illustres Juliæ, Cliviæ etc.* S. Arnoldum *numerat, eumque die* XVIII *Julii exornat elogio sequenti :* In Genetwillere, Juliacensis agri ad Duram pago, qui nunc Arnoldivillarium, vulgo Tarzwiller *(alii scribunt* Darnswiler*)* dicitur, festum S. Arnoldi musici, qui ex Græcia symphoniacis artibus instructus ad Caroli Magni aulam veniens, Martyrologiis.

AUCTORE G. C.

veniens, imperatoris animum plus pietatis, quam jucunditatis harmonia ita affecit, et ad subditorum commiserationem inflexit, ut de publico pauperibus magno silvarum tractu (quem prandente Cæsare, celeri cursu obequitando, fide et exspectatione majorem descripsit) lignari liceret. Sancti hujus corpus superioribus triginta annorum Germaniæ bellis, campestri et aperto fere templo, non sine vicinorum admiratione illæsum stetit.

et quidam erroris circa loci situm.

4 *Joannes Molanus in additionibus Usuardinis de eodem Sancto ita agit :* In territorio Juliacensi, pago Arnswilre, natale beati Arnoldi citharœdi Caroli Magni et confessoris, multæ erga pauperes pietatis viri. *Nescio, cur locum cultus, quem hic recte in agro Juliacensi collocaverat, postea mutaverit : nam in Indiculo Sanctorum Belgii anno* 1583 *Antverpiæ edito, pag.* 12 *loci situm ita describit :* Locus est apud Falkenburgum inter Trajectum et Aquisgranum diœcesis Leodiensis, ut colligo ex charta dicti episcopatus, in qua Arnswilre est comprehensum. *Eumdem errorem topographicum in chronico Sanctorum Belgii cap.* x *ita repetit :* In wilre apud Falkenburgum, sanctus Arnoldus citharœdus ipsius Caroli. *At postea Molanus* ex rescripto D. Arnoldi Hisvelt, canonici Coloniæ, *ut in titulo notatur, melius instructus in Natalibus Sanctorum Belgii, seu potius Petrus Louwius, qui ex posthumis Molani schedis hoc opus edidit, errorem hunc* xviii *Julii ita corrigit :* In territorio Juliacensi, pago Arnswiler, natale sancti Arnoldi citharœdi Caroli Magni et confessoris. Hunc comperi esse diœcesis Coloniensis : non enim in Wiler apud Falkenburgum, sed in Julia obiit, et quiescit in loco, qui ab eo dicitur Arnswiler; ubi ab incolis et aliis paganis, qui ejus nemoris, quod a Carolo Magno impetravit, participes sunt, solenniter celebratur die decima octava Julii. Conveniuntque ad festum diem processionaliter cum vexillis et crucibus.

deteguntur,

5 *Idem Molanus in Indiculo Sanctorum Belgii fol.* 11 *verso Sanctum ejusque cultum sic describit :* Sanctus Arnoldus e Græciæ partibus arte lyricus ob artis gratiam in regiam Caroli Magni aulam est susceptus, habitavitque in Genezwilre, quod hodie sancti Arnoldi villa dicitur. Ab Imperatore sylvam accepit, quam adjacentibus villis distribuit : cujus anniversarius dies ab incolis loci illius decimo quinto Kalendas Augusti summa recolitur cum veneratione, offeruntque ei quatuordecim candelas coram reliquiis in argentea capsa reconditis. *Petrus Merssæus Cratepolius ex Ordine S. Francisci in Catalogo Electorum Ecclesiasticorum anno* 1580 *Coloniæ edito pag.* 45 *etiam de Sancti nostri cultu ita testatur :* Arnoldus, olim Caroli Magni citharœdus, qui fuit valde benignus ac liberalis in pauperes, pie obiit, et reliquiæ ejus ob crebra miracula in Arwilre in honore conservantur. *Cratepolius in exprimendo loci nomine hic hallucinatus est : siquidem* Arwilre *est oppidum ab Arnoldi villa seu* Arnswilre *longe dissitum : nam* Arwilre *fluvio Abrincæ, vulgo* Ahr *vel* Are *adjacet, qui prope Sinciacum in Rhenum influit, ut videre est in mappis geographicis. Pagus autem* Arnswilre *inter Juliacum et Marcodurum ad torrentem* Elle *situm est, ut num.* 1 *diximus. Crassius circa cultus locum errarunt Cartusiani Bruxellenses in Mss. additionibus ad Usuardum, ubi dicunt, corpus* S. Arnoldi *citharœdi quiescere in Flandria apud Oldenburgum : illic enim quiescit corpus S. Arnulphi episcopi Suessionensis, quem cum hoc* Arnoldo *nostro perperam confuderunt.*

ac refutantur.

6 *Quamvis ex jam dictis errores quorumdam satis refellantur, et locus venerationis abunde commonstretur, ne quis tamen scrupulus superesse possit, addamus etiam ea, quæ R. P. Jacobus Polius ex Ordine Fratrum Minorum de hac re ad Majores nostros scripsit :* Pro vindicanda veritate, *inquit,* facit evidentia rerum : tumulus, sacræ reliquiæ, Vita Ms., chorus, annua festivitas, denominatio pagi, circumpositæ sylvæ, possessio cereorum annue offerri solitorum, et quæ sequuntur. *Tunc ab eo subnectitur* syllabus jurisdictionalis curiæ decumanæ in Arnoldiwilre in Februario anni MDLXXIX renovatus; *ex quo tertiam clausulam, Germanice expressam, ita Latinam facit :* Insuper declarant jurati, quod abbatissa ad S. Ursulam Coloniæ (domina curiæ decumanæ) parœciam S. Arnoldiwilræ annue ineunte Januario in quartum mensem die noctuque illuminabit binis lampadibus, altera coram venerabili Sacramento, altera in choro sancti Arnoldi. *Atque hæc de loco fortasse plus quam satis. Nunc cultum ex Officio ecclesiastico stabilire pergamus.*

Celebratur Sancti memoria in Ms. Officio Cartusiæ Confluentinæ,

7 *Joannes Gamans, numquam sine laude memorandus in Actis nostris, de quibus optime meritus est, anno* 1638 *misit ad Bollandum Vitam* S. Arnoldi *ex Ms. Cartusiæ Confluentinæ desumptam, cui quædam antiphonæ propriæ et collecta subjunguntur in hunc modum :* 1. Exultat sancti Arnoldi spiritus in Domino, quem in cæli Christus beavit atrio, cui semper erit laus et jubilatio. O patrone, dux, et custos bone, sancte Arnolde, tuos juva famulos semper prece sedula in seculorum secula. Amen. 2. Gaude, sancte cytharista Arnolde, qui ut Psalmista demulsit regem Saulem; sic tu Carolum Cæsarem. 3. Gaude natus in Græcia, egrederis de patria, ut patriarcha Abraham, qui abiit in Chanaan. 4. Gaude, provisor pauperum, misertus adjacentium, impetrans ligna nemorum his ad fomentum ignium. Gaude, nam vitæ terminum præscivisti per annulum, hunc projectum in fluvium dum recepisti iterum. 5. Ora nunc Christum Dominum, ut tuum per suffragium, det nobis cæli bravium. *In Ms. Cartusiæ Coloniensis additur* post hoc naufragium. *Deinde ibidem sequitur* ℣ Ora pro nobis miseris, Arnolde beate : ℟ Ut simus digni cælesti flaminis igni. *In utroque autem Ms. legitur hæc oratio :* Omnipotens sempiterne Deus, cujus desiderabilis aspectus lætificat omnes Sanctos, concede propitius, ut intercedente sancto Arnoldo, confessore tuo, sic per tuam gratiam hic reficiamur in via, ut vultus tui claritati læti perfruamur in patria. Per Dominum nostrum. Amen. *Hæc tantummodo circa Sancti nostri cultum invenire potuimus ; jam de Actis pauca præmoneamus.*

et in Actis ob anonymo ac incerti temporis auctore non scriptis,

8 *Nescio cujus professionis aut ætatis fuerit anonymus Arnoldinæ Vitæ scriptor, cum neutrum uspiam indicet. Attamen satis patet, hunc auctorem diu post* S. Arnoldi *mortem Acta conscripsisse, cum ipse num.* 3 *ita ingenue fateatur :* Cujus quidem ab initio vitam et generis originem

A nem malumus silentio prætcrire, quam de incertis verisimilia fingere : tantum ea de ipso percurrimus, quæ a nostris antiquioribus ab eo gesta esse comperimus. *Cum vero non exprimat, quo tempore illi antiquiores vixerint, ne per conjecturam quidem assequi possum, quo sæculo hæc Acta compilata fuerint. Quidquid sit de incerta illorum antiquitate, non placet mihi in iis miraculum annuli in fluvium projecti, ac postea prodigiose recepti, quod id facile aliunde desumi potuerit, ludique in nominis affinitate, cum simile prodigium de Arnulfo Metensi episcopo narretur, ut videri potest in ejus Actis, hac die illustratis. Non placet etiam Græca* S. Arnoldi *patria : inveni enim inter schedas nostras aliquem, qui suspicabatur,* Rhætiam *pro* Græcia *scribendam esse, sicuti in Catalogo Petri de Natalibus lib.* VII, *cap.* XXVIII Creta *pro* Rhætia *legitur. Saltem non Græcam sed Germanicam originem sapit nomen* Arnoldi, *de guo fuse disputat noster Arnoldus a Boecop in etymologia Actis S. Huberti, a nostro item Roberto illustratis, subjuncta pag.* 520. *Ceterum opinor, historiam de gestis hujus Sancti potissimum collectam esse ex populari quadam traditione, quæ temporis lapsu* B *non parum crescere solita est, multumque mutari, ut quotidiana discimus experientia. Non rejicio tamen hic eam traditionem, quam ex certis et antiquis monumentis nec approbare nec improbare possum.*

quorum quatuor Mss. exemplaria recensentur.

9 *Habemus quatuor Mss. eorumdem Actorum exemplaria, quorum primum exstat in codice membranaceo Collegii nostri Paderbornensis, quem permutatione aliorum librorum nobis comparavimus : in eo Vitæ Arnoldinæ verbosus præfigitur prologus, qui ad rem parum facit, et unicuique Sancto facile aptari potest. Alterum est Ms. Cartusiæ Confluentinæ, in quo deest prologus et hinc inde exigua quædam facta est mutatio, ut in Annotatis observabimus. Tertium Ms. desumptum est ex Hagiologio Brabantino, quod asservatur apud canonicos Rubeæ Vallis prope Bruxellas. Hoc Ms. etiam prologo caret, et circa substantiam a præcedenti vix differt. Conjicio tamen illud recentius esse, quia sub finem Actorum interseruntur sequentia :* Incolæ parochiarum circum nemus prætactum commorantes, ejusque lignis lares foventes, annue cum processione veniunt, et quatuordecim candelas offerunt, quæ coram Sancti C reliquiis, in argentea capsa reconditis, ponuntur et accenduntur ad laudem Dei et memoriam Sancti. *Simile quid supra ex Molano protuli ; sed in aliis tribus Mss. hæc non leguntur. Quartum denique a Christophoro Mœvo Societatis nostræ verbatim descriptum est ex antiquo Officio Ms., quod in pago* S. Arnoldi *anno* 1637 *conservabatur. Ex hoc Officio, ut titulus indicat, Vitam* S. Arnoldi *desumpserunt, qui secundam Surii editionem curarunt. Sed cum ii prologum omiserint, et voces quasdam mutaverint, nos quartum hoc Ms. nostrum, quod cum primo seu codice Paderbornensi omnino convenit, integrum et genuinum dabimus, et variationes notatu dignas in margine vel in Annotatis observabimus.*

ACTA

AUCTORE ANONYMO.

Ex Officio Ms., quod in pago sancti Arnoldi conservatur, et cum tribus aliis Mss. collatum est.

Auctor dicit, pauperes spiritu præcipue a Deo eligi.

Legimus in Apostolo : Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et heredes regni, quod repromisit diligentibus se. Ubi notandum, quod dicitur pauperes in hoc mundo, ut videlicet aperte designetur, illos potius eligi a Domino, qui despecti, et vilissimi, et abjecti videntur in hoc mundo : isti enim sunt pauperes, de quibus in Euangelio veritas testatur dicens : Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est E regnum cælorum : quamvis enim Deus potentes non abjiciat, cum et ipse sit potens ; non tamen a primordio elegit principes, non senatores, non perfectos, non philosophos, non oratores, non aliquos molles in domibus regum degentes ; sed elegit piscatores, et (quantum ad sapientiam hujus mundi, quæ stultitia est apud Deum) homines idiotas, et simplices, quos novæ gratiæ voluit esse præcones et doctores, et quibus dedit nosse mysteria sapientiæ Dei, quam nemo principum hujus seculi cognovit : sed pauperes isti divitiis abundant fidei, et qui videntur egere rebus istis transitoriis atque caducis, abundant cunctis virtutibus, coruscant miraculis, bonorum operum fulgent exemplis : fide etenim ægrotos sanant, leprosos mundant, claudos curant, cæcos illuminant, mortuos suscitant, de quibus propheta ad Dominum clamat : Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Vere nimis confortatus est principatus eorum, quibus datum est jus ligandi F atque solvendi, quorum lingua clavis facta est cæli, ut nulli divitum facultas detur introeundi, qui non se cum his pauperibus Christo studuerit humiliari.

sed propter ... non esse contemnendos ceteros.

2 Hi sunt igitur pauperes terram corporibus, cælum merito possidentes, ut et illius regni heredes, cujus gaudia, cujusque præmia nec oculi viderunt, nec in cor hominibus ascenderunt, quæ præparavit Deus his, qui diligunt illum. Ut dum quilibet forte de terrena felicitate ad regnum vocatur cæleste, verbi gratia si quis de præstante regia, aut de præfectura, aut de quolibet dignitatis culmine a Domino vocatur, et illius vocem audiens qui dixit : Nisi qui reliquerit omnia quæ possidet, non potest meus esse discipulus, cuncta quæ habebat reliquerit, et secularia cuncta postposuerit, ipsiusque Domini servitio se mancipandum tradiderit. Hic talis non contemnat ceteros, non despiciat alios, qui forte de mendicitate vocati sunt aut rusticitate ; sed meminerit lectionis apostolicæ, quomodo Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide. Et sic se,

Ex MSS. se, quicumque a Christo vocantur, humilitate invicem studeant prævenire, quatenus nec pauper elevetur, electo se, quasi despecto divite, nec dives inflctur, vocato se, tamquam contempto paupere; quia ut quidam venerabilis patrum dixit: Sive servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus, et sub uno Domino æqualem servitutis militiam bajulamus, et non est apud Deum personarum acceptio. Hæc paucis sufficiat dixisse de divitis et pauperis vocatione. Ceterum nemini videatur incongruum huic nostro operi posuisse exordium, quoniam de ipso nobis est sermo, qui pauper divitiis et spiritu extitit in hoc mundo, quem signis et virtutibus Christus in præsenti glorificavit seculo, et post metam hujus vitæ cum principibus populi sui collocavit in cælo, de quo nunc oritur sermo.

S. Arnoldus natione Græcus, arte musicus,

3 A progenie in progenies fecit misericordiam Deus Dominus, qui eduxit Abraham de Ur Chaldeorum, id est de multitudine impiorum, et de ultimis finibus terræ sanctum nobis misit Arnoldum, qui quidem in hac terra nostra
B peregrinus fuit et incola; in illa vero patria cælesti concivis angelorum, et socius Sanctorum. Cujus quidem ab initio vitam, et generis originem malumus silentio præterire, quam de incertis verisimilia fingere: tantum ea de ipso percurrimus, quæ a nostris antiquioribus, ab eo gesta esse comperimus *a*.
a Gloriosi igitur Caroli regis temporibus advenit quidam in hanc provinciam e Græciæ partibus, vocabulo Arnoldus, arte lyricus, qui dum ob artis, quam exercebat, præstantiam in regiam susceptus esset aulam, velut alter David citharizando, diversoque genere musicorum suaviter modulando, regias frequenter demulcebat aures, cunctisque in spatio brevi temporis gratus extitit et amabilis. Studuit itaque vitam mutare, mores corrigere, tamquam * Deo interius, quam hominibus placere exterius: maxime autem inter cetera, quæ agebat, pauperum et orphanorum curam gerebat, et quidquid plectro suo acquirere poterat, ipsis fideliter impendebat. Ceterum qualis quantusve fuerit, ipse novit, qui hanc gratiam sibi contulit.
C Sed nos ea, quæ de ipso veris testibus narrantibus didicimus, breviter perstringamus.

* *forte* tamque

pauperibus lignorum penuria laborantibus.

4 Morabatur tunc temporis prædictus rex Carolus cum suis comitibus apud villam, vocabulo Ginnezwilre *b* (modo vero dicitur ob
b reverentiam Sancti nominis Arnoldswilre) venandi gratia; a qua non longe aberat silva,
c Burgela *c* vocata, quam circumsedebant incolæ plurimi penuria lignorum valde afflicti, qui nequaquam inde ausi erant quidquam tollere, quoniam silva ipsa ad regium fiscum pertinebat; super quos vir Domini Arnoldus pietatis visceribus motus cogitabat, quos eos juvamine posset juvare, quos sic videbat egere: cujus pietatem animi respiciens pietas Christi dedit ei, quod pio gestabat in pectore, celeri effectu implendum fore: quodam enim die rege ad prandium discumbente, cum minister aquam principi funderet in manibus, prædictus affuit Arnoldus orans regem humilissimis precibus: O Rex serenissime, peto ut audias verba petitionis meæ, et quod rogo clementi concedas largitate: atque rege respondente, causamque sciscitante: Peto, inquit, domine mi, ut tantumdem mihi partis vicinæ reddas silvæ, quantum potero ipse D
in spatio mensæ vestræ cursim comprehendere. Cui rex: Concedo, inquit, ut petis, et tantum te habiturum noveris, quantum valueris ipse, me interim convescente, itineris conficere. Mox sine dilatione (abiit,) suscepta auctoritate, causam suam cupiens impleri quam celeriter, nimio ardens desiderio subvenire quamplurimis sine alicujus dispendio.

impetrat a Carolo Magno silvam.

5 Collectis igitur jam pridem equis fortissimis cursuque rapidissimis, et circa silvam, quo deambulaturus erat, hoc modo dispositis, ut inter equum et equum adinstar stadii interesset spatium, mira usus astutia, ut nulla in iter agendo impediret mora, nec sibi invicem succedentia deessent jumenta, et uno in cursu fatigato, alterius statim insiliret tergo. Quid plura? Circuitur silva summa cum celeritate, quæ duobus milliaribus extendebatur in longitudinem, dimidioque in latitudinem; per singulos autem descensus in ipsis excelsis ilicibus gladiorum indicia relinquebat gressuum suorum, quæ *d* hodieque d
videntur ab his, qui hujus rei judices esse E
noscuntur. Circuita igitur silva gaudens et exultans pro peracta victoria lætus naviter et celeriter repedabat ad regem, quem adhuc reperit conviviis accubantem: in cujus ingressu stupefactus rex nimium mirari cœpit de tam celeri reditu Viri: ad quem vir Domini Arnoldus: Quid, inquit, domine mi rex miraris? nam me servum tuum, ut promisi, silvam percurrisse noveris. Quod si diffidis, mitte aliquem ex tuis fidissimis, qui tibi veritatem rei certis referat indiciis. Cujus verbis rex credulus, quod petebat, immo quod ipse promiserat, negare non potuit diutius, extractoque annulo, quem manu gestabat, more regio coram cunctis optimatibus suis prædictam silvam Arnoldo tradidit in jus possessionis: qui adorans regem impetravit ei a Domino vitam cælestemque remunerationem, et adjecit: Noveris, inquit, mi domine, hoc magnificum munus perpetuum tibi fore memoriale, quodque cælesti Regi offerre cupio tam pro tuæ animæ quam pro meæ remedio. F

quæ donatio regalis annuli traditione confirmatur

6 Accepta igitur regali possessione annulari traditione, distribuit præsertim adjacentibus villis, quarum nomina hic nobis placuit interponere, ne alienus et ab hoc dono extraneus audeat sibi inde quidquam vendicare; sunt igitur nomina hæc earum: Wylre, Ellen, Cirin superior, Cirin, Ligek, Embe, superior Embe, Angelsdorp, Egeldorp, Paffendorp, Glassin, Eppendorp, Sigendorp, Manheim, Kerpen *e*, Bladesheim, Golzheim, e
Burin, Mursazan, Mertzenich *f*. Nunc igitur f
admonendi sunt, qui hoc beneficium a tanto Viro percipere meruerunt, ut assiduis orationum suffragiis, eleemosynarumque beneficiis largitori omnium bonorum pro requie ipsius felicis animæ grates non desinant reddere, et ejus memoriam in divinis laudibus semper habeant continuam. Dicit enim Scriptura; Memoria cum laudibus: et Psalmista; In memoria æterna erit justus, immortalis est enim memoria hujus Sancti, quia et apud Deum nota est, qui justitiæ ejus conscius est; et apud homines, qui virtutum ejus et operum testes existunt fideles.

Digne

A Digne igitur in memoriam vertitur hominum, qui inter homines positus eleemosynarum largitatibus ceterisque misericordiæ operibus afflictis et oppressis succurrebat hominibus. Hæc ad commonitionem illorum qui hujus Beati viri præmio perfrui meruerunt, et ad incitamentum laudis ejus sufficiat dixisse. Restat nunc ut, quemadmodum residuo supervixerit ævo, brevis percurrat sermo.

...actus volens ...n Hispaniam ...a i iter. cogi- ...ur redire,

7 Igitur vir Domini Arnoldus postquam cuncta, quæ habere videbatur, juxta Domini sententiam, qui divitem, ob amorem divitiarum cælestia temnentem, si vellet perfectus esse vendendo omnia quæ possidebat in terra, thesaurum sibi reconderet cælestem, et iens sequeretur se, salubri hortabatur admonitione, in Christi pauperes erogarat, ut juxta Psalmistam in seculum seculi manentem sibi pararet justitiam, et juxta euangelicam vocem Christum sequens nudam Christi nudulus bajularet crucem, sciens se non hic habere manentem civitatem, sed futuram inquirere, et ut cum propheta Domino posset
B dicere : Incola ego sum apud te et peregrinus sicut omnes patres mei, et juxta quod sequitur : Remitte me, ut refrigerer priusquam abeam, assiduis Dominum flagitabat precibus, ne prius a corporeis resolveretur nexibus, quam sibi in vita præsenti indulgentia cunctorum tribueretur peccatorum. Divino igitur tactus timore, et succensus amore decrevit adire partes Hispaniæ, ea nimirum intentione, ut beati Jacobi Christi Apostoli, fratris quondam beati Joannis, Euangelistæ et Apostoli expeteret suffragia, cujus illic specialia quædam refulgent potrocinia. Et hæc quidem illi voluntas inerat, sed Dominus, qui futurorum est præscius, qui novit omnia antequam fiant, in cujus manu humana sunt tempora, sciens quæ ei forent ventura, et nolens famulum suum peregrinum habere sepulcrum, a cœpto eum revocavit itinere, morbo famis, quo tunc pro peccatis afficiebatur orbis, obsistente.

... annulo in flu...m pro-...

8 Videns ergo se ulterius progredi non posse, fame vehementer insistente, et intelligens, hoc Domini actum voluntate, solici-
C tus de die vocationis suæ, arreptum cœpit iter deserere, et ad propria remeare. Perveniens ergo ad quamdam aquam, Gerundam *g* dictam, orasse fertur ad Dominum, ut si præsenti decessurus esset anno, quoquo sibi declararet indicio. Sumens igitur annulum, quem apud se habebat reconditum, per quem dudum regium acceperat donum, misit in flumen, iterum orans Dominum ut, si in ipso anno suum designasset transitum, dictum recipere mereretur annulum. His dictis recedebat gaudens, a Domino eventum rei sustinens. Confestim autem ad quamdam religiosam se contulit viduam, velut Helyas quondam ad mulierem Sareptanam, non a qua pasceretur, sed quæ ab ipso pasceretur. Nemini incongruum autem videatur, quod in hac parte Beatum istum Sancto assimilavimus prophetæ, quia etsi dispar in utrisque meritum, non tamen dissimile in ambobus extitit factum : ille enim divinæ obediens jussioni externi alitur pabulo cibi; hic vero nutu, ut credimus, divino, religiosæ exceptus feminæ hospitio contentus erat parco, et simplici cibo; ille orationibus sanctis interdum et forte operando manibus suis pastricem suam sustentabat; hic autem labore proprio, et jugi obsequio, victum deserviens quotidianum semetipsum pascebat, et susceptricem suam non modico solamine juvabat. Studebat enim juxta Apostolum ne panem otiosus comederet, timens ejusdem Apostoli præceptum dicentis : Qui non operatur nec manducet, memorans illam sententiam primo parenti prolatam, In sudore vultus tui vesceris pane tuo, ideoque laborabat manibus suis, ne alicui esset gravis, aut panem alicujus comederet gratis : de his autem quæ sibi ex quotidiano victu supererant, aut quod loco mercedis accipiebat, humiliter pauper ipse pauperibus ministrabat : nil enim in terra possidebat; habens victum et vestitum his contentus erat, quoniam se alibi a Christo ditari sperabat. EX MSS.

9 His igitur et aliis bonis operibus deditus mala præterita diluebat, et futura præcavebat, et ante supplicium de supplicio cogitabat, pervigilque et solicitus horam sui transitus præstolabatur : nesciebat enim quamdiu subsisteret, et si post modicum eum factor suus tolleret. Sed misericors et miserator Dominus, qui voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, non immemor petitionis famuli sui, qua eum in opere, ut præscripsimus, oraverat innotesci sibi vocationis suæ diem, dignatus est desiderio ejus satisfacere : quadam enim die solito more advenerunt pauperes eleemosynam petentes, quibus Vir Domini dum ad manum non haberet, unde eos reficere posset, dedit eis quantitatem argenti, unde sibi comparare possent victum unius diei. Qui cum accepissent pretium, adierunt forum rerum venalium, et exinde sibi ad refectionem comparaverunt piscem non fortuito casu, ut credimus, sed divinæ, rei ignari, parentes voluntati : quem cum exenterassent, et particulatim dividerent, invenerunt in ipso annulum, quem ad servandum acceperat non ad devorandum. Super qua re vehementer stupentes, et ex inaudito casu mirantes arbitrabantur, quasi modo solito pro hamo captum piscem annulo. Læti igitur de invento thesauro decreverunt communi consilio hoc ipsum deferre datori suo, cujus beneficio abundanti se paverant cibo. Venientes igitur ad Virum Dei offerunt pretiosum munus annuli, gratias pro gratia agentes, pretium pro pretio referentes, aurum pro argento reddentes. Recognoscens igitur sæpe dictus vir Domini Arnoldus carissimum munus, gaudio gaudens non modico, grates immensas retulit omnipotenti Deo, quoniam intellexit preces suas exauditas ab ipso. Vocatis igitur pauperibus, quos ad se missos videbat divinitus, dedit eis pro mercede annuli argenti pondus, quanti pendebat ipse annulus.

eodemque prodigiose recepto, intelligit, instare sibi mortem, E F

10 Sciens igitur adesse diem migrationis suæ, acceleravit quantocius ad solum proprium remeare. Veniens igitur ad supradictam villam Gennezwylre, quæ hodie villa S. Arnoldi dicitur ex ipsius nomine, cunctis rebus suis in pauperibus erogatis, in præfata villa beato fine quievit in pace, sepultusque est in eodem loco in quodam oratorio, ubi et annulus ipsius, de quo supra memoravimus, diligenter

quam in Germaniam reversus pie obit.

ex Mss a diligenter reconditus est, quem hodieque cernere licet *h*, ubi præstantur ipsius beneficia omnibus, qui ejus exquirunt suffragia fide non ficta. Cujus dies anniversarius ab incolis loci illius decimo quinto die Kal. Aug. summa recolitur cum veneratione, non sine ipsius laude cujus majestas et imperium nec incipit nec desinit in seculum. Amen.

ANNOTATA.

a *Præcedentes lineas etiam habet Ms. Cartusiæ Coloniensis, et codex noster Paderbornensis, cui præterea præfixus est idem prologus. Sed Ms. Cartusiæ Confluentinæ et secunda Surii editio tantum incipiunt* Gloriosi *etc.*

b *In Ms. Cartusiæ Confluentinæ vocatur* Arentswyler, *in aliis vero* Gimeswilre.

c *Frustra in mappis geographicis aliisque topographis hujus silvæ nomen et situm quæsivi*

d *Dubium est, an hic relativum* quæ *de ilicibus an de indiciis intelligi debeat. Sed cum similia signa arboribus incisa spatio paucorum annorum* B *deleantur, et auctor superius dicat, sese ea scribere, quæ ab* antiquioribus *audivit, videtur potius relativum intelligendum de ilicibus, quæ suo tempore superesse poterant.* D

e *Noster Christophorus Mævus in margine Actorum ad nos transmissorum notat, incolas hujus loci jus lignandi perdidisse, eo quod aliquando silvæ præfectum occiderint.*

f *Nomina horum locorum cum adjuncta digressione auctoris in Mss. Cartusiæ Confluentinæ et Rubeæ Vallis omittuntur, in codice autem nostro Paderbornensi ita exprimuntur :* Wilre, Ellin, Cyrin superior, Cyrin, Ligch, Embe superior, Embe, Angilsdorp, Egilsdorp, Baffindorp, Glessin, Eppindorp, Sigendorp, Manhem, Kerpin, Bladeshim, Godilshim, Burin, Moirsazan, Mercennych. *In secunda Surii editione iidem pagi, mutatis hinc inde nonnihil nominibus, enumerantur, et aliqui ex iis sub simili fere nomine hodiedum in ducatu Juliacensi inveniuntur.*

g *In omnibus Mss. constanter vocatur* Gerunda. *Suspicor, indicari Gerunnam vulgo* la Gironde; *quod est æstuarium Galliæ in Aquitania, verius ostium Garumnæ fluvii.*

h *Anno* 1637 *ædituus templi in Arnswilre asseruit nostro Christophoro Mævo, hunc annulum* E *ante aliquot annos a militibus vi ablatum fuisse.*

DE S. FREDERICO EPISC. ET MART.

ULTRAJECTI IN BELGIO.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

§ I. Sancti cultus, sepulcrum, et reliquiæ.

ANNO DCCCXXXVIII. *Antiquus Sancti cultus ex Calendariis.*

Ultrajectum *antiqua Batavorum civitas, quæ etiam vocatur* Trajectum ad Rhenum, *ut distinguatur a* Trajecto ad Mosam *(Petrus de Marca in Historia Bearniæ lib.* 1, *cap.* XXV, *aliique exteri utramque hanc urbem confuderunt) plurimos habuit præsules sanctitate illustres, atque inter eos* S. Fredericum *episcopum* C *et martyrem hac die veneratur. Non dubito, quin Sanctus noster paulo post mortem coli cœperit, ut colligi poterit ex iis monumentis, quæ per decursum proferemus. Attamen inter fastos ecclesiasticos, quorum determinatam ætatem novimus, prima ejus memoria occurrit in Kalendario Ultrajectinæ ecclesiæ, quod anno* 1374 *scriptum in Museo nostro servamus. Omnia posteriorum temporum Breviaria et propria Ultrajectinæ ecclesiæ Officia de hoc sancto Antistite meminerunt. Imprimis liber, anno* 1503 *impressus, qui vocatur* Ordinarius perpetuus Trajectensis diœcesis, *quique continet quoddam directorium ad rite legendas Horas canonicas,* XV *Kalendas Augusti de eo sic præscribit :* Frederici episcopi Trajectensis et martyris. De hoc sancto Episcopo omni feria cantatur TE DEUM, et GLORIA IN EXCELSIS et ITE MISSA EST dicuntur.

orationibus hymno. 2 *Tria Breviaria Ultrajectina, ex quibus primum anno* 1508 *Leidæ, alterum eodem anno Gaudæ, ac tertium anno* 1518 *iterum Leidæ impressum est, de illo recitant sequentem collectam :* Sancti Friderici martyris tui atque pontificis, Domine, confessio recensita conferat nobis piæ devotionis argumentum, qui in tuo nomine perseverans meruit honorari. Per *etc. Propria Ultrajectinæ diœceseos Officia, anno* 1623 *et* 1640 *excusa aliam de eodem Sancto habent orationem; nempe antiquior impressio in hunc modum :* Deus, pro cujus ecclesia * gloriosus pontifex Fredericus gladiis impiorum occubuit, da nobis, quæsumus, ejus intercedentibus meritis, contra oblectamenta peccati, F mentis ratione persistere, et nulla hujus mundi adversa formidare. Per Dominum nostrum *etc. Invenio præterea in manuscriptis ejusdem diœceseos Officiis hymnum proprium, qui an, et quo tempore in ecclesia Ultrajectina usitatus fuerit, ignoro. En ipsum :*

* al honore

Hymnum canamus gratiæ
Christo, quia est rex gloriæ,
Et Martyris victoriam
Ducamus ad memoriam.
Adsunt sacra solennia,
Quibus docet Ecclesia,
Qua sit virtute præditus
Fredericus martyr inclytus.
Invictus in certamine
Athleta Christi nomine
Fidem sinceram tenuit,
Et charitate micuit.
Hic cæsaris increpuit
Crimen videns, ut sedulus
Incestas damnat nuptias,
Vere saluti noxias.
Hinc ut sumatur ultio,

Præsul

A Præsul datur supplicio,
Mortemque fert alacriter
Causæ fretus justitia.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu paraclito,
Et nunc et in perpetuum.

... propriæ ... ibus.

3 *In Breviariis jam memoratis leguntur Lectiones propriæ, quæ non nisi Actorum postea dandorum compendium complectuntur. Atque illæ quidem, quæ ineunte sæculo* XVI *impressæ sunt, res a* S. Frederico *gestas iisdem pene Actorum verbis breviter narrant; aliæ autem, quæ sæculo* XVII *excusæ sunt, eamdem narrationem paulo probabilius limatiusque immutarunt. Editio Lovaniensis anni* 1623, *et Coloniensis anni* 1640 *in secundo Nocturno tribus Lectionibus hanc tradunt Vitæ synopsim:* Lectio iv. Fredericus, nobili inter Frisones genere natus, ea fuit a teneris annis vitæ innocentia et animi candore, ut angelica puritate præditus videretur. Erat enim adhuc puerulus, præter corporis pulcritudinem, tot et tantis animi dotibus exornatus, ut contemptis rebus ludicris, pene assidue divinis vacaret, et lecta vel audita in B ecclesia, maxima alacritate parentibus referret. Qua de re mater ejus plurimum gavisa, cum primo Religiosis quibusdam, deinde cælesti visione monita sancto Ricfrido Trajectensis ecclesiæ præsuli honestioribus litteris et sanctissimis displinis imbuendum tradidit: per cujus institutionem eo tandem profecit, ut, defuncto Ricfrido, omnium judicio ad eamdem ecclesiam regendam postulatus fuerit.

... Ultra- ... proba- ...

4 Lectio v. Ad petitionem cleri et totius populi accedente suffragio Ludovici imperatoris, publica omnium gratulatione, pene invitus episcopus ordinatus fuit. Quo in munere, præter domestica virtutum ornamenta, ad commissi sibi populi salutem efficacius procurandam, omnem pastoralem solicitudinem et vigilantiam adhibuit. Wallachriam insulam, incestis nuptiis tunc valde infamem, jugi prædicatione, et maxime assiduis ad Deum fusis precibus ac lacrymis, ad meliorem frugem convertit. Frisiam quoque, ad Arianam et Sabellianam perfidiam declinantem, C sancti Odulphi canonici Trajectensis opera adjutus, ad pristinæ fidei veritatem reduxit. Lectio vi. Tandem apud Ludovicum imperatorem graviter offendit; sive quod eum serio reprehenderit de Juditha, Bavariæ ducis filia, consanguinea sua in matrimonium assumpta, sive quod eumdem, de quorumdam Germaniæ et Galliæ episcoporum judicio condemnatum, pastoralis vigoris libertate ad saniorem mentem revocare conatus sit. Unde non destitit Juditha primo blanditiis et muneribus, deinde minis sancti Viri labefactare constantiam. Verum his frustra sæpius tentatis, a duobus sicariis post Missarum solennia, et habitam ad populum concionem, et suæ cædis prædicationem confossus, injuriam sacrilegis condonans, et fugam eis suadens, sepulcrum vivus ingressus est. Tum prædicens imperii et sedis Ultrajectensis per Danos et Nordmannos vastationem, inter plorantium et psallentium voces beatum spiritum Deo reddidit, suavissima odoris fragrantia ex ejus corpore redundante. Sepultus est ad sanctum Salvatorem: cujus merita et sanctitatem Deus per creberrima miracula ad sepulcrum ejus sæpius testatus est.

AUCTORE G. C.

Auctaria Usuardina,

5 *Varia Martyrologia eumdem Sanctum celebrant. Auctaria Usuardi in codice Antverpiensi maximo, Ultrajectino, Leydensi et Lovaniensi hac die sic habent:* Eodem die, sancti Frederici Trajectensis episcopi et martyris. *Codex vero Hagenoyensis eum confessorem vocat his verbis:* Apud Trajectum, sancti Frederici episcopi et confessoris. *Matricula Cartusiæ Ultrajectinæ locum sepulcralem sancti Præsulis sic præterea indicat:* Frederici episcopi Trajectensis martyris. Requiescit ad sanctum Salvatorem. *Denique codex Bruxellensis cædis causam (an ea vera sit postmodum discutietur) addit hoc modo:* Apud Trajectum inferius, natale sancti Frederici episcopi et martyris: qui mandato imperatricis pro justitia legis divinæ occisus est; multis clarus miraculis. *Grevenianus codex eamdem cædis causam ita clarius explicat:* In Trajecto inferiori, sancti Frederici episcopi et martyris: qui cum zelo justitiæ illicitas nuptias Ludovici imperatoris argueret, alteram expertus Herodiaden, martyrio coronatur. *Additiones Molani neminem nominatim cædis auctorem* E *faciunt, sed ita in genere pronuntiant:* Trajecti, Frederici ejusdem loci episcopi, et martyris: qui innocens a nocentibus pro veritate occisus est ante sanctum altare Dei post Missæ celebrationem; sepultus eodem loco. *Hæc ex Auctariis Usuardinis sufficiant. Nunc alios quosdam Martyrologos enumeremus.*

aliaque Martyrologia celebrant S. Fredericum;

6 *Florarium nostrum Ms., a canonico Regulari collectum,* S. Fredericum *Ordini Canonicorum Regularium pro libitu adscribit, eumque hac die ita celebrat:* Apud Trajectum inferius, natale sancti Frederici episcopi et martyris, de Ordine Regularium Hic cum imperialem domum de incestu arguisset, regina incestuosa procuravit ipsum crudeli nece interimi: qua imminente, Vir sanctus de imperii desolatione prophetavit, sicque, ut prædixerat, evidenter evenit. Passus est anno salutis DCCCXXXVII. *Galesinius in suo Martyrologio cædis causam sublicet, dum eum ita memorat.* Trajecti, sancti Friderici episcopi et martyris, cujus et vita sanctissime acta, et res pie gestæ leguntur maxima cum testificatione divinæ virtutis suæ. F *Saussayus in Martyrologio Gallicano hac die prolixum ex Actis* S. Frederici *texuit elogium, in quo incestas Judithæ nuptias aliaque narrat, quibus scriptores Galli passim adversantur. Hodiernum Martyrologium Romanum decimo quinto Kalendas Augusti hunc sanctum Præsulem sic breviter annuntiat:* Trajecti, sancti Frederici episcopi et martyris. *Castellanus ad hæc verba Martyrologii Romani a se Gallice editi sic notat in margine:* Non propter fidem; sed quia minatus fuerat excommunicare imperatricem Judith Bavaricam. *Baronius in notis suis ad eumdem locum Martyrologii Romani sic de* S. Frederico *loquitur:* Martyrio occubuit anno Domini DCCCXXXVIII ea de causa, quod sicut et sanctus Joannes Baptista, hic coarguit regem ob introductam pellicem consanguineam, cujus artibus, missis sicariis, occisus est. *Sed idem Eminentissimus scriptor in Annalibus ecclesiasticis ad annum Christi* 838 *hanc opinionem suam revocat, ut postea videbimus. Interim hunc paragraphum concludemus, ubi quædam de Sancti sepulcro et reliquiis dixerimus.*

7 *Juxta citata quædam Usuardi Auctaria aliaque*

AUCTORE G. C.

cujus sacra ossa miraculis claruerunt.

que monumenta sacrum Martyris corpus in ecclesia S. Salvatoris sepultum est. Colligo ex antiquo carmine, quod noster Joannes Gamansius ex passionali pergameno Bodecensis monasterii in diœcesi Paderbornensi descriptum, anno 1641 *ad nos misit, magno olim populi concursu hoc sepulcrum frequentatum fuisse. Carmen in Ms. codice Bodecensi sic sonat :*

Trajecti sanctus requiescit corpore magnus,
Est nomen cujus, sicut fertur, Fredericus;
Qui præsul fuerat, fragili dum carne manebat.
Vir multum justus, nulli pietate secundus:
Post interfectus (quod gessit rex Ludovicus)
In dextra altaris tumulatur parte Joannis,
Qui in cœna Christi jacuit pectus super almi:
Partibus, et multis fulgens virtutibus, illis;
Dat cæcis claram lucem, mutisque loquelam,
Et sedat febres, zabulos * depellit et atros;
Erigit elisos, multos et sublevat uncos:
Et non it vacuus divino munere homullus *
Illius ex tumulo, quisquis pervenerit illo.
Propter quod clerus hunc orat, necne popellus,
Ejus per meritum semper sanctumque precatum,
Possit ut antiquum pedibus calcare tyrannum,
Ipsius et cunctas artes superare nefandas,
Secure ut valeat Domino servire superno :
Ejus et in jussis quo permaneat venerandis,
Ut per opus sacrum dignus sit scandere cælum,
Cum primum teneræ solventur debita carnis.
Hic tribuente Deo fit, poscunt hoc quod ab illo
Corde pio, ut homines conquirant protinus omnes.

* *id. est* dæmones.

* *id est* homulus *vel* homunculus

B

in ecclesia S. Salvatoris.

8 *Olim ad Papebrochium nostrum Ultrajecto transmissa fuit quædam annotatio pertinens ad locum sepulcralem* S. Frederici, *quæ ex veteri chorographia ecclesiæ jam destructæ desumpta est his verbis :* In majori crypta est altare sancti Stephani. Ante idem altare sepulcrum erat S. Frederici episcopi et martyris: istud sepulcrum tectum fuit quodam pretioso lapide, semper madente, et ante illud pendebant duæ lampades nocte dieque ardentes. *Auctor Bataviæ sacræ, anno* 1714 *editæ, ex Antonio Mat thæo describit hoc* S. Frederici *epitaphium pag.* 100.

C

Hoc tegitur sacrum Frederici marmore corpus
Martyris egregii, præsulis atque pii.
Et pius Albricus cubat hic, magnusque Ludgerus,
Compluresque alii; tu modo flecte genu.
Dixerit haud facile quisquam tibi, corpora Divum
Quot locus hic habeat; tu modo flecte genu.

Deinde idem auctor profert alteram inscriptionem circa Sancti tumulum lapidi incisam, quam spectare existimo ad prodigiosam impii æditui punitionem, quæ in Actis nostris a numero 48 usque ad finem refertur. Inscriptio illa sic habet :

Vestes cur sacras male polluis, impie custos,
Quos * pia divinis plebs dicat officiis?
Nostra quid obscœno fœdat tua crapula rictu?
Justa venit factis ultio digna tuis.

* *lege* Quas

e quibus pars cranii anno 1362 pretiosæ thecæ inclusa hactenus conservatur.

9 *Videntur omnia sancti Martyris ossa in hoc tumulo mansisse usque ad annum* 1362, *quando Folkerus episcopus Gibeletensis sacrum ejus cranium pretiosæ thecæ inclusit, sicut clausula, quam forte aliquis illo tempore manuscriptis Actorum codicibus adjecit, testatur his verbis :* Anno autem Domini millesimo trecentesimo sexagesimo secundo, vigesima octava mensis Julii die, dum circa prædicti Martyris sepulcrum renovaretur tumba, extractum fuit per venerabilem patrem Folkerum episcopum Gibeletensem, tunc temporis vices episcopi Trajectensis in pontificalibus gerentem, ipsius Martyris caput et argento et auro inclusum ad omnipotentis Dei gloriam et laudem, et dicti Martyris ampliorem venerationem et honorem. *Hanc Actorum clausulam confirmat clarissimus vir Gysbertus Lappius litteris, anno* 1644 *ad Bollandum nostrum datis, in quibus inter alia asserit, partem cranii* S. Frederici, *argenteo capiti mitrato inclusam, præferre sequentem inscriptionem, quam ipse exscripsit hoc modo :* Anno Domini MCCCLXII Decanus et Capitulum S. Salvator. Trajectens. me ex tumba, pro tunc innovata, extrahi, et fieri fecerunt per Elyam Scerpswert aurifabrum. *Solebant hæ reliquiæ in ecclesia publicæ populi venerationi exponi, quando religio catholica Ultrajecti florebat ; sed in tumultibus Belgicis lipsanomachorum furori subductæ, hodiedum in privata cujusdam domo asservantur. Ubinam autem hoc tempore sit reliquum sancti Martyris corpus, non facile quis dixerit.*

D

E

§ II. S. Frederici patria, vitæ professio, gesta in episcopatu, elogia, et mortis annus.

Lis de S. Frederici patria.

Recentiores *Rerum Frisicarum scriptores affirmant,* S. Fredericum *in vico Sexberumo, non procul ab oppido Franekera, natum esse ex stirpe adeo illustri, ut avum maternum Aldegillum principem, et proavum Radbodum regem habuerit. Aubertus Miræus in Fastis Belgicis et Burgundicis ad diem* XVIII *Julii de Sancti nostri patria sic scribit :* Fredericus episcopus Ultrajectinus VIII, nobili apud Frisios genere, in castro Adelensi prope Francqueram natus, Zelandos Christo adjunxit. *Joannes de Beka et Wilhelmus Heda asserunt, cum nativitate Frisium fuisse, sed singularis loci non meminerunt, nec genus ejus ad Radbodum Frisiæ principem referunt. At Guilielmus Malmesburiensis, qui ante medium sæculi* XII *obiit, libro* I *de gestis Pontificum Anglorum pag.* 197 *vocat* Fredericum *nostrum S. Bonifacii Anglo-Saxonis discipulum, et nepotem pagina sequenti, satis indicans, quod* S. Fredericum *saltem origine Anglum crediderit, dum Vitæ illius compendium, quod nos paragrapho tertio exhibebimus, ita concludit :* Quod idcirco præter materiam exterius lecturis proferre duxi non inutile, ut Anglorum deputetur gloriæ, quod terras alienas illustrarint, peregrinante etiam sanctitate. *Quando Malmesburiensis dicit,* S. Fredericum *fuisse discipulum S. Bonifacii, intelligendus est de mediato discipulatu, nisi quis* S. Fredericum *prope centenarium facere velit : nam cum S. Bonifacius anno* 755 *martyrium subierit, et* S. Fredericus *anno* 838 *eadem laurea coronatus fuerit, plus quam octoginta anni inter utriusque martyrium intercedunt, uti calculos subducenti patebit.*

F

11 *Miror, hagiologos Anglos in suis Martyrologiis*

... Frisones ... Anglos com... ...ur.

logiis aliisque fastis sacris de hoc Sancto, tamquam populari suo, nullam facere mentionem; imo et plerosque ejusdem nationis historicos de eo altum silere: quippe hactenus tantummodo inter eos inveni Nicolaum Harpsfeldium, archidiaconum Cantuariensem, qui in Historia ecclesiastica Anglicana sæculi IX *cap.* XV *de illo sic loquitur:* Restat, ut et alios jam aliquot Anglos, qui sua hoc seculo præsentia, doctrina, et pietate exteras quoque regiones ornarunt et illustrarunt, recenseamus...... Insigniter inter alios enituit Fredericus Devonius, qui Trajectensi episcopatu ornatus est. Fuit ille Bonifacii illius Moguntini discipulus et nepos, et Romanæ, ut quidam scribunt, peregrinationis socius. *Romanum* S. Frederici *iter, quod una cum S. Bonifacio suscepisset, nullo modo conciliare possum cum illius ætate superius indicata. Facilius mihi videtur posse componi lis inter Frisones et Anglos, de* S. Frederici *natalibus contendentes. Forte Harpsfeldius eum cognominat* Devonium, *quia parentes ejus aut avos in occidentalium Saxonum provincia et agro Devoniensi natos esse existimabat. Potuit autem* S. Fredericus *in Frisia nasci* B *parentibus aut avis Anglo-Saxonibus, qui Bonifacium consanguineum suum in Frisiam proficiscentem secuti sint, atque ita dici origine* Devonius, *eo quod ejus parentes ex hac Angliæ provincia oriundi essent. Saltem hoc pacto sententia Guilielmi Malmesburiensis et Nicolai Harpsfeldii non contradicit iis scriptoribus, qui eum solummodo in Frisia natum volunt, nec illius genealogiam ab antiquo principum Frisiorum stemmate repetunt.*

...minatur ... vitæ pro... ...

12 *Altera quæstio est, quodnam vitæ institutum Sanctus noster ante episcopatum professus fuerit. Jam supra num.* 6 *vidimus, illum in Flovario nostro Ms. Ordini Canonicorum Regularium adscribi: at prout illud sine probatione asseritur, ita etiam sine refutatione negatur. Hugo Menardus lib.* II *observationum in suum Martyrologium Benedictinum pag.* 641 *de* S. Frederico, *tamquam Ordinis S. Benedicti religioso meminit, et aliquas saltem pro sua opinione affert rationes. Imprimis citat hæc Guilielmi Malmesburiensis verba:* Apud Trajectum fuit Fredericus: eum sanctitatis Bonifacii nectar spirantem, utpote nepotem et discipulum, Ludovicus Pius, filius Caroli Magni, eo promovit. *Menardus ex hoc Malmesbu-* C *riensis loco ita argumentatur:* Quæ verba satis innuunt, hunc sanctum Fredericum fuisse monachum Benedictinum: quippe qui fuerit sancti Bonifacii discipulus, nempe ab eo disciplina monachali institutus, unde et illius sanctitatem imitatus. Numquam enim sanctus Bonifacius ludum litterarium aperuit. Accedit, quod clerici Ultrajectenses, in quorum numero fuit sanctus Fredericus, tum erant monachi, ut alias docuimus. *Verum nec Acta nostra, nec alia, quæ de* S. Frederico *supersunt, monumenta illum monachum appellant. Rationes a Menardo allegatæ eruditissimos Ordinis Benedictini sodales Lucam Dacherium et Joannem Mabillonium non potuerunt movere, ut eum inter Ordinis sui Sanctos collocarent. Imo Mabillonius illustrans Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti sæc.* IV *Benedict. parte* II, *pag.* 582 *satis ostendit, se hunc monachatum non admittere, dum de Fredericianæ necis causa, ab aliquibus narrata, ita loquitur:* Menardus Juditham superductam legit ab Ludovico Pio, repudiata legitima uxore. Falsa hæc causa, dubia altera, ne quid dicam de Frederici monachatu.

AUCTORE G. C.

et episcopatus epocha.

13 *Non satis constat, quo anno* S. Fredericus *cathedram episcopalem ascenderit. Cointius in Annalibus ecclesiasticis Francorum tom.* VIII, *pag.* 26 *censet, id anno* 826 *factum esse. Utut est, certe* S. Fredericum *anno* 828 *episcopum fuisse patet ex donatione Gerowaldi ecclesiæ Ultrajectinæ facta, cui ita subscribitur:* Actum publice in villa Embrici anno XV imperii Ludovici, Incarnationis Dominicæ anno DCCCXXVIII, VII Idus Februarii... Ego Geraccarus, jubente domino nostro ipso Frederico, scripsi et subscripsi. *Dum* S. Fredericus *Ultrajectinæ diœcesi præerat, facta est a Wiberto, et filio ejus Walberto, alia eidem ecclesiæ donatio, cujus annus infra sic signatur:* Acta est autem publice in villa Oesterblech octavo Kalendas Januarii, anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi octingentesimo trigesimo quarto, Indictione duodecima, regni etiam gloriosissimi Augusti imperatoris Ludovici anno XXI... Ego Bernoldus indignus presbyter, jubente Frederico episcopo, scripsi et subscripsi. *Aliam etiam ejusdem anni donationem affert Wilhelmus Heda in historia episcoporum Ultrajectensium: sed hoc duplex instrumentum, quod in Batavia sacra, non ita* E *pridem edita, integrum profertur, sufficere videtur ad convincendos eos, qui vel biennio circumscribunt* S. Frederici *episcopatum, vel post annum* 830 *episcopalem infulam illi primum tribuunt. Debuit itaque* S. Fredericus *inter annum* 825 *et* 828 *ad episcopatum Ultrajectinum evehi, cum Rixfridus ejus decessor adhuc anno* 824 *superstes fuisse legatur in diplomate Ludovici Pii, quod integrum exhibet Heda in opere proxime citato apud me pag.* 45. *Res a* S. Frederico *jam episcopo præclare gestæ, ut incestuosorum Walachrorum conversio, et Frisiorum, de sanctissima Trinitate male sentientium, instructio, aliaque, quæ in Actis nostris narrantur, non nisi per conjecturam ad exactos chronologiæ calculos reduci possunt. Quare huic numero finem impono recensendo quoddam opusculum, quod Sanctus noster (verosimiliter tempore episcopatus sui) conscripsisse fertur. Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica secundæ editionis pag.* 249 *illud ita commemorat:* Scripsit Fredericus orationem luculentam de SS. Trinitate, qua Frisii olim adversus larvas, in albarum mulierum specie apparentes, uti solebant. *Suspicor hanc oratio-* F *nem esse eamdem, de qua fit mentio in Actis nostris num.* 30.

Beatus Rabanus synchronus ... prosa.

14 *In quanta veneratione apud synchronos fuerit sanctus Antistes noster, apparet ex B. Rabano Mauro abbate Fuldensi, ac postea archiepiscopo Moguntino, qui* S. Frederici *rogatu exposuit librum Josue, cui præfixit epistolam dedicatoriam, quæ in Ms. Chiffletiano et editione Mabillonii sæc.* IV *Benedictino parte* II, *pag.* 42 *ita habet:* Domino beatissimo veræque caritatis officio plurimum venerando Friderico * episcopo Rabanus vilissimus servorum Dei famulus in Christo salutem. Studium tuum ac diligentiam in sacrarum Scripturarum meditatione, plures, qui Sanctitatem tuam noverunt, laudant; et merito, quia assiduus es in lectione, et frequens in doctrina, prout ratio Ordinis tui postulat, quem lucem mundi cum Apostolis Salvator nuncupat; ac de vero lumine inlustratam lucernam super candelabrum posuit, ut luceas omnibus, qui in domo Dei sunt. Unde plurimi fratrum venerationem tuam colunt, atque colendo diligunt; nobisque

* Ms. Friderico

AUCTORE G. C.

que inde valde amabilis es, quod non tantum præsentes, sed etiam absentes fraterno provocas amore, ac salubri incitas exhortatione, ut legis Dei commune tecum exerceamus negotium. Nec absurdum est, quod facis, licet nos ad hoc officium impares atque indigni simus; cum ibi quæris sacræ legis confirmationem, unde accepisti Christianæ religionis exordium. Sanctissimus ergo antistes, et beatissimus Christi martyr Bonifacius gentem Fresonum, cui tua dilectio præest, non solum verbo, sed etiam sanguinis sui effusione ad fidem Christi convertit. *Deinde post alia, quæ ad nos adeo prope non pertinent, quæque apud Mabillonium loco citato videri possunt, epistolam suam ita concludit :* Bene valere te cupimus, sancte Pater, nostrique memorem in sacris orationibus fieri. Divinitas Domini nostri Jesu Christi vitam tuam conservet in ævum.

et carmine laudat S. Fredericum,

15 *Beatus Rabanus etiam ad ejusdem sancti Præsulis honorem composuit carmen, quod Christophorus Browerus noster, inter istius scriptoris poemata, ordine decimum sic edidit :*

Spiritus alme veni, dulces mihi condere versus,
Dilecto ut præstes mittere dona patri.
Qui mox ut notus, fidus mihi adhæsit amicus,
Non nostri merito, sed bonitate sua.
Spiritus hunc cernens pietatis munere plenum,
Ex humili in celsum extulit ipse locum :
In quo Euangelii sententia vera probata est,
Quæ Salvatoris edita voce manet :
Qui se humilem præbet, sursum exaltabitur ille,
Quique superba petit, pronus in ima cadit.
Sic te, care pater, antistes, sancte sacerdos,
Erexit Dominus millia multa super,
Ut verbum fidei claro tu famine narres,
Sis via, dux plebis ad sacra regna Dei.
Vos dixit Christus lux mundi, vosque lucernam,
Vos quoque sal terræ; hoc memorare pie.
Luceat en vestra lux, ceu sol splendidus orbi;
Fiat opus vestrum gloria magna Deo.
Condat dogma bonum fluitantia corda reorum,
Ne male putrescant, nec ea vermis edat.
Nomen posco tuum, videas quid continet ipsum,
Et sic exemplo discere facta potes.
Sic monet ergo pie, resonans : ulciscere pactum,
Quod gemino sensu vertere rite valet.
Fœdus cum vitiis hominum tua ut ultio scindat,
Et Christi pactum firmet ubique pie.
Non * dedit hoc nomen dudum tibi cura parentum,
Baptismum quando forte tua tuleras.
Nunc quoque valde tibi nomen hic conferat ordo :
Perpendens disce mystica dona Dei.
Nam superintendens pie, episcopus ipse vocaris,
Quod monet, ut caute omnia semper agas.
Sic, pater alme, modo facias, ut diceris ipse,
Nomine et utroque actio digna tua est.
Solers intendas super omnes pastor honestus,
Pactum et defendat ultio digna Dei.
Sisque memor nostri, precibus insiste sacratis
Pro tibi devotis semper ubique pie.
Nam precibus Christum pulsamus perpete voto,
Ut tua de cælis tempora rite regat.
Hoc quoque nos omnes deposcimus ore fideli,
Hoc Fridurich semper Rhaban et ipse peto,
Ut vivas sospes in terris tempore multo,
Et post hæc scandas regna superna poli.
Quod peto, tu facias sacris altaribus astans,
Me ut Christo reddas, sancte pater, precibus.
Christus rex cæli, terræ rex, conditor orbis,
Me tecum faciat lucis habere locum.

* al. Nam

16 *Rabanus hic alludit ad Germanicum Frederici nomen, quo proprie* pacis dives *significatur, et* etymon nominis Germani **Friderich** geminum reddit, ut sit initæ pacis aut fœderis auctor et violati vindex, *quemadmodum loquitur Browerus noster in scholiis ad hoc carmen. At subit mihi mirari, Arnoldum Buchelium in notis ad Joannem de Beka pag.* 26 *adeo fuisse impudentem, ut post talia beati Rabani testimonia ausus fuerit integerrimam sanctissimi Viri famam impie proscindere, eumque tamquam discordiæ fautorem ac optimorum principum calumniatorem depingere, quem incauta et male credula antiquitas inter Sanctos martyres retulerit. Omitto reliquas ejusdem hæretici blasphemias, ne catholicas aures offendam. Stultum enimvero hominis superbi dictum, quo vult assertionem suam præferre toti antiquitati, quæ, ipsomet teste,* Fredericum *inter Sanctos martyres retulit. Si Buchelius catholico Sanctorum cultui adversabatur, debuisset veterum scriptorum testimonio acquiescere, qui* Fredericum *episcopum Ultrajectinum ut Sanctum laudant: debuisset etiam aliquid deferre constanti traditioni patriæ suæ, in qua ipsi heterodoxi* Fredericum *saltem tamquam virum probum agnoverunt. Exemplum sumere potuisset ab Ubbone Emmio, qui quantumvis hæresi infectus, in historia rerum Frisicarum lib.* V *ad annum* 838 *sic modeste (si pauca hæretico spiritu prolata excipias) de sancto Præsule loquitur :* Hinc annus alter, qui erat a Christi in terris exortu DCCCXXXVIII, Fredericum VIII Ultrajectinorum episcopum, virum magnum et omni memoria dignissimum, si superstitio nonnulla illius seculi abfuisset, e terris abstulit. *Deinde texit illius vitæ compendium, in quo inter cetera hæc memorat :* Honore *episcopatus* suscepto et gesto aliquamdiu, tam clarum nomen industriæ, pietatis, prudentiæ tulit, ut ceteros ejus ætatis episcopos omnes facile superaret : cui hoc inter cetera etiam ecclesia Frisica debuit, quod ab Arii dogmate pestilenti, quod eo forte seculo istuc irrepserat, hujus maxime cura et studio sit vindicata. *Atque hæc ad debitam sancto Viro reverentiam tuendam dicta sunto. Nunc probabiliorem mortis ejus epocham investigemus.*

quem nos a cujusdam ... tici calumnia vindicamus,

17 *Plerique scriptores cædem* S. Frederici *anno* 838 *consignant : sed Cointius, qui in Annalibus Francorum tom.* VIII, *pag.* 542 *eumdem Fredericiani martyrii annum figit, eodem tomo pag.* 390 *nobis offert difficultatem, quam ipsemet solvere cogitur : ibi enim contendit, Humbertum Herbipolensem episcopum anno* 835 *obiisse. Cardo difficultatis, quam Cointius non observavit, in eo vertitur, quod Rabanus Maurus in præfatione ad libros Judicum et Ruth huic Humberto sive Hunberto sic scribat :* Jesu-Nave vero expositionem BONÆ MEMORIÆ Freduricho, Trajectensis ecclesiæ episcopo, nuper transmisi : hoc similiter, ut mihi redditum fuerit, si Dei voluntas est, tibi committere curabo.

et cujus ad an. 838 ... multis ... esse ...

Si

A *Si igitur Humbertus anno* 835 *obierit, oportet* S. Fredericum *ante hunc annum occisum fuisse, ut verba* BONÆ MEMORIÆ *satis indicant, de qua loquendi formula fusius disputavi in Commentario prævio ad Vitam S. Joannis Gualberti num.* 126. *Censeo itaque potius cum chronico Herbipolensi, quod Cointius ipse laudat, Humbertum anno* 842 *mortuum esse. Diploma autem Ludovici regis, Gotzbaldo Humberti successori concessum, quod objicit Cointius, cum Mabillonio in Annalibus Benedictinis lib.* XXXII, *num.* 6 *commode explico. At ipse Mabillonius in determinando Fredericianæ mortis anno sibiipsi manifeste contradicit: nam in Annalibus Benedictinis lib.* XXX, *num.* 50 *de hac re ita scribit:* Non multo post librum Josue exposuit *(scilicet Rabanus Maurus, de cujus scriptis ibi agit)* petente Fridurico episcopo Trajectensi ad Rhenum; certe ante annum hujus seculi *(nempe noni)* tricesimum quartum, quo idem Fridurieus cæsus est. *Jam audi Mabillonium in iisdem Annalibus anno Christi* 838 *num.* 5 *sic loquentem:* Non multo post, scilicet quinto decimo Kalendas Augustas ejusdem anni (838) necem passus est Frede-
B ricus episcopus ecclesiæ Trajectensis ad Rhenum. *In Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sæc.* IV, *parte* II, *pag.* 41 *iterum annum* 834 S. Frederici *martyrio assignat. Nos communiori sententiæ anni* 838 *adhæremus. Atque hinc liquet, viros etiam eruditos, præsertim qui rerum scribendarum multitudine ac varietate obruuntur, nonnumquam sui oblivisci. Hoc neque a nobis alienum putamus, et, si aliquando contigerit, ignosci cupimus. Nunc Acta nostra, cædisque causam examinemus.*

§ III. Examinantur ejus Acta, et cædis causa.

Enumerantur varii Actorum scriptores,

P*roferimus ex Ms. Ultrajectino eadem* S. Frederici *Acta, ni fallimur, quæ Laurentius Surius præ manibus habuit, et mutato stylo edidit. Invenimus illa etiam in pergameno Musei nostri codice, cujus character non admodum antiquus est: nam clausula, eadem manu in fine*
C *Actis adjecta, ostendit, codicem post annum* 1362 *conscriptum esse. Idem sentiendum est de codice papyraceo nostro, in quo eadem Acta leguntur. Hæc tria exemplaria adeo sunt similia, ut satis appareat, ea ex eodem fonte orta esse; præterquam quod scriba codicis papyracei studiose prolixiores orationes omiserit, et facta pene iisdem verbis compendiosius narraverit. Joannes de Beka canonicus Ultrajectinus sæculo* XIV, *et Wilhelmus Heda præpositus Arnhemensis sæculo sequenti, Vitam* S. Frederici *in compendium redegerunt. Ejusdem Vitæ synopsis etiam continetur in Chronico Ultrajectino pag.* 18, *quod Antonius Matthæus inter Analecta veteris ævi tomulo* IX *edidit. Guilielmus Malmesburiensis inseruit libro primo de Gestis Pontificum Anglorum non exiguam Fredericianæ Vitæ partem, quam paulo post alia occasione proferemus. Contra hæc Acta, tum prolixiora tum breviora, insurgunt varii scriptores, præsertim Galli, eaque fictionis arguunt. Inter alios Carolus Cointius, in Annalibus ecclesiasticis Francorum tomo octavo ad annum Christi* 838 *a num.* 35 *usque ad* 74 *Acta a Surio edita operose impugnat. Nos postea Gallorum argumenta expendemus, ac interim Actorum nostrorum antiquitatem indagabimus.*

AUCTORE G. C.

inter quos quidam Œlbertus sæculo XI *Vitam S. Frederici videtur scripsisse,*

19 *Scriptor Actorum ætatem suam utcumque prodit num.* 48 *his verbis:* Sunt autem adhuc plurimi testes promiscui sexus superstites, qui narrant, temporibus pii Baldrici præsulis quemdam virum prophanum res et omnem veteris templi post æditiuum procurasse thesaurum *etc. Obiit autem Baldricus* XV *episcopus Ultrajectinus, teste Joanne de Beka, anno* 977. *Unde Cointius in Annalibus jam dictis ad annum* 838 *num.* 42 *non male sic infert:* Acta igitur Frederici relata sunt in litteras ab auctore, qui vixit undecimo seculo, et ab ipsius Frederici passione remotus fuit annis pene ducentis. *Hinc iterum erroris convincitur Bailletus in tabula critica, mensi Julio præmissa, aliique ejus sequaces, qui hunc scriptorem ad sæculum* XII *vel* XIII *rejiciunt. Cointius existimat, hæc Acta sæculi* XI *ab aliquo postmodum interpolata fuisse. Quamvis id omnino dubium sit, tamen facile concedam, ea forsan postea ab aliquo posteriorum temporum verbosius amplificata fuisse, modo fateatur Cointius, cædis causam ab interpolatore non esse primo inventam, ac Actis illis insertam, cum eamdem Guilielmus Malmesburiensis ante medium sæculi* XII *adduxerit. Opinor itaque* E *non magnam admodum factam fuisse mutationem in rei substantia, etiamsi fortasse postmodum narratio pluribus verbis exornata fuerit.*

ut ex prologo confirmatur.

20 *Nemo hactenus, quod sciam, detexit auctoris nomen, scriptionis occasionem, et alia ad ipsum spectantia. Ingenue fateor, nec me ea reperire nisi per conjecturam, ad quam faciendam me movit membranaceus Bodecensis cœnobii codex, in quo leguntur Acta* S. Frederici, *quorum initium cum nostris sic omnino convenit:* Sanctus igitur Fredericus Frisonicæ gentis archiereus, nobilis ex genere *etc. Hisce autem Actis præmittitur sequens prologus.*

Parvulus Œlbertus dum veni, nempe puellus.
Præsule Adawoldo Trajectum cum venerando,
Ex cujus studio locus ille nitet modo magno.
Sum mox antiqui ductus per mœnia templi
Orandi vere causa a quodam seniore;
Qui mihi, lustratis Sanctorum rite sepulcris,
Ostendit magni sepulcrum sancti Frederici:
Is cujus vitam flens narravit venerandam,
Qualiter et cultris fuerat percussus in extis; F
(Quod suadente * vidit Ludovicus rex quoque jussit.)
Usque solum pronus studui tunc sternere corpus,
Viribus atque ejus veniam deposcere totis,
Esset quod Dominum meus intercessor ad almum.
Et quod poscebam, post hæc cito comperiebam.
Propterea parvam cupio componere chartam,
Si mihi nunc Christi concedit gratia summi,
Ipsius ex vita, quo non admixtio * magna
Hoc nobis tollat, senior plebs quod modo narrat:
Est quia combustus jam Danis forte libellus.
Ex ipso factus fuerat quod * magnus et amplus,
Cum multis aliis libris, veteris * dum funditus urbis
Trajecti muros heu! diruerent venerandos.
Idcirco memores fore non possunt seniores
Nostri, quid faceret vivus, dum carne maneret.
Sed quidquid recolunt, vel quæ verissima norunt,

* *lege* suadens

* *forte* oblivio

* *lege* qui

* *abundat* libris vel veteris

Nunc sulcante stylo lentus peragrare studebo.
En quisquis schedam, rogo te, perspexeris istam,
Irridere velis ne me, tu domne : decennis,
Et puer indoctus nam feci, scito, rogatus.

ex quo etiam auctoris nomen, ætatem

21 *Nunc carmen illud notis aliquot illustremus, nostrasque conjecturas iis immisceamus. Imprimis conjicio, Fredericianæ Vitæ scriptorem, nomine Œtbertum (divinare non lubet, an is fuerit Otbertus Notgeri Leodiensis episcopi discipulus, de quo fit mentio in Gestis Pontificum Leodiensium apud Chapeaville tom.* I, *pag.* 217) *tempore pueritiæ suæ Ultrajectum venisse cum antistite Ultrajectinæ ecclesiæ Adelboldo, qui alias Albaldus, Athalbaldus, et forte etiam Adawaldus vel Adawoldus appellatur. Cum autem Œtbertus dicat, quod tunc magno Adawoldi studio locus ille niteret, colligo, hæc Acta ab Œtberto post annum* 1015 *scripta fuisse : nam Joannes de Beka de ædificiis, Adelboldi Ultrajectini episcopi cura exstructis aut restauratis, ita scribit :* Adelboldus anno Domini MXV Trajectensem ecclesiam veteris structuræ destruxit, novæ fabricæ fundamenta jecit, quam cum ecclesia Tilensi B paucis annis decentissime consummavit. *De iisdem vero Wilhelmus Heda sic fusius loquitur apud me pag.* 109 : Anno MXXVII obiit Adelboldus episcopus, cujus excellens sapientia multis nota est, et qui summæ virtutis vir et consilii ubique prædicatur. Si de hoc cuiquam dubitare visum fuerit, respiciat Trajectum, diversis operibus ab illo auctum et ornatum, ibidemque novum monasterium sancti Martini miro ingenio ab eo fundatum et ordinatum, et mira celeritate paucis annis pene ad perfectionem perductum. *Adde quod Œtbertus asserat, se Ultrajecti ductum esse ad templum antiquum nempe S. Salvatoris, in quo jacebat corpus* S. Frederici, *ut quasi distinguat a novo S. Martini, quod Adelboldus ædificaverat, aut saltem renovaverat.*

et scriptionis occasionem colligimus.

22 *Præterea ex hoc prologo colligimus, Vitam* S. Frederici *olim fuse conscriptam fuisse, eamque in Danica Ultrajectinæ civitatis vastatione periisse. Hanc jacturam utcumque resarcire conatus est Œtbertus litteris mandando ea, quæ a senioribus audiverat, quamvis non diffiteatur, plurima* S. Frederici *gesta oblivioni tradita fuisse. Cum vero di*C*cat, se tantum velle* parvam componere chartam *de illius gestis, suspicor, Actis nostris satis prolixis aliqua postmodum addita fuisse, nisi fortasse chartam seu scriptionem suam parvam vocet respectu vetustioris libelli, quem magnum et amplum fuisse affirmat. Ut ut est, ferme ducentis annis post* S. Frederici *mortem ea conscripsit, quæ ex vulgari seniorum traditione acceperat. Quod autem in fine addit Œtbertus de sua ætate decenni, qua hæc scripserit, duplici modo interpretor. Forte significare vult auctor, quod ea decennis Ultrajecti audiverit, ac post aliquot annos audita litteris mandaverit. Fortasse etiam indicare voluit, quod ea admodum juvenis, puta quindecim aut sedecim annorum exararit, ususque est numero rotundo, qui illi metri causa necessarius erat. Etsi enim parachronismi aliique errores juvenili ignorantiæ adscribi possint, tamen tota scriptio, prout modo exstat, non videtur puero decenni convenire. Hæc de Actis eorumque prologo sufficiant. Nunc ad controversam Fredericianæ cædis causam accedamus.*

23 *Jam memoratus Actorum collector, et alii plerique scriptores eum secuti narrant, sanctum* Fredericum *suasu reginæ Judithæ a sicariis interfectum fuisse, eo quod incestas illius cum Ludovico Pio nuptias reprehendisset. Huic opinioni adhæret eminentissimus Cardinalis Baronius, dum in notis ad Martyrologium Romanum sanctum* Fredericum *sancto Joanni Baptistæ, et Juditham Herodiadi comparat. Sed aliam plane sententiam amplexus est in Annalibus ecclesiasticis, dum ad annum Christi* 838 *num.* 3 *sic loquitur :* Hoc enim anno Fredericum Trajectensem episcopum consummasse martyrium cum tradant, causam, quam puto confictam, referunt hujusmodi. *Tunc relata causa, quam jam indicavimus, de Actis nostris ita judicat num.* 7 : Ceterum, quod multum ob connubium proscindatur in eis Ludovicus imperator, laudentur vero, qui ejus exauctorationis auctores fuerunt, episcopi, in quorum in eum accusationibus illatis nulla de his penitus habetur mentio, multaque etiam haud temporibus convenientia pariter coacerventur, in suspicionem venerunt, facta illa, nimirum concinnata fuisse ab alio, qui adversaretur tunc temporis Ludovico. Sed et cum nullum hactenus repererim ex veteribus, qui E hisce scriptis testis accedat, suspectæ magis apud me fidei perseverant, aliamque potius cædis sanctissimi viri causam præcessisse putarim. *Fallitur Baronius, dum hæc Acta tempore Ludovici Pii ab aliquo ejus adversario composita esse suspicatur ; ut ex supra dictis manifestum sit. Attamen non nego, eam famam forte a Ludovici et Judithæ inimicis sparsam Ultrajecti permansisse, atque ita postmodum ex seniorum narratione in hæc Acta relatam esse.*

Baronius sib. non constat circa cædis Fredericianæ causam,

24 *Debuit hæc Judithæ accusatio sæculo* XI *et* XII *satis vulgaris fuisse : nam Guilielmus Malmesburiensis ante medium sæculi* XII *eamdem cædis causam memoriæ prodidit, dum lib.* I *de Gestis Pontificum Anglorum pag.* 197 *tale Vitæ Fredericianæ compendium texuit :* Sed quia hujus viri Bonifacii, qui ante Winfridus dicebatur, toties se ingessit mentio, quiddam non adeo auditum cunctis et memorabile de Frederico ejus discipulo, quod aures meas attigit, stylo mandabo : nam et sanctitas magistri ex discipuli virtute potest conjici, quod habuerit ille domi, unde addisceret potentes non timere, mortem contemnere. . . . . F Eubano * non adeo festinus successor propter ferociam gentis, apud Trajectum fuit Fredericus. Eum sanctitatis Bonifacii nectar spirantem, utpote nepotem et discipulum, Ludovicus Pius, filius Caroli Magni, eo promovit, licet multitum pro se, tum pro suis adniterentur : primaque ordinationis die consessu dexteræ in prandio novum præsulem dignatus est. Multa ergo edulii parte consumpta, ad eum purpurati sermo dirigitur, ut recentis professionis memor, antecessorumque constantiæ sequax, sine acceptione personarum vera proponat, contemnentibus anathema indicat. At ille pudibundo lumine et dimisso capite, Recte, inquit, domine imperator, agis, qui professionis meæ teneritudinem sanctis animas hortatibus : sed, oro te, non gravetur majestas tua solvere, quod animi mei recessus diu volutarunt. Et ne longe exempla petantur : utrum piscem hunc mensæ appositum honestius est a capite, an a cauda aggredi ? Ille præproperus, et quantum se inviscaret, nescius, a capite, respondit.

quam Guilelmus Malmsburiensis

* lege Eobano

AUCTORE G. C.

A respondit. Nec moratus Fredericus rapuit verbum dicens : Sic eat, domine auguste, sic eat, ut fides et pietas Christiana de tuis erratis te secure compellat, ne subjecti audeant spernere, quod te viderint tolerasse. Renuntia ergo incesto, quod contraxisti, matrimonio : quia ista Judith, quam tuo fœderasti lateri, proximo tibi affinis est sanguine ; nec decet, ut thorus regius infametur libidine.

...nisone Judi-... reginæ,

25 Hoc dictum licet Ludovicus ægre acepisset, modesta tamen taciturnitate absolvit, raptimque episcopum ad suam sedem ire laxavit. Verumtamen sermo, in tanta palatinorum frequentia effusus, occultari non potuit, quin omnium episcoporum regionis aures inquietaret, corda exulceraret, non frivolo dolore conferentium, quod episcopus novus talia aperta promulgasset libertate, qualia veteres ipsi nec tacito damnassent murmure. Quare ad audiendum * erecti frequentibus egere conciliis, ut, deducto connubio, cælebs viveret imperator. Itaque ipsum in ergastulum, feminam in monasterium includunt, B conante quam maxime, ut supra dixi, Lothario Ludovici primogenito, ut is dictitabat, Christianitatis instinctu, sed revera invidiæ obtentu. Posterius vero, mediante Apostolicæ sedis pietate, molliori concilio decretum est, uti indicta pœnitentia legitimo de cetero lætarentur conjugio : et imperator quidem libens cessit sententiæ, rancorem adversus omnes benignitate mentis ejiciens. At Judith femineum virus exhalans, et in cœtu suorum de injuriis Frederici Trajectensis episcopi conquesta, quo potissimum auctore pertulisset mala, invenit duos, qui ad ejus interfectionem operam suam pollicerentur. Nec ista Præsulem latebant, qui esset ipsius deitatis sacrarium ; sed venturos operiebatur intrepidus carnifices, accusabatque nebulonum moras impatiens martyrii cupido. Ita ipso mane, quo venturos non nesciebat, ad Missam se parat. Jamque albam induerat, cum ingressus puer, cujus erat officium admittere volentes dominum convenire, nuntiat imperatricis legatos pro foribus C astare. Ille, impedimento excusato, jubet eos interim exspectare in triclinio.

* forte auden-tes

...tum fuisse ...rat

26 Missa cantata, sicuti erat sacris vestibus indutus, secretarium ingressus est, illucque introduci lictores, semotis arbitris, mandat. Ingressos ita claritate visus et vestium reverentia perculit, ut animis concidentes etiam manibus sicas amitterent. Quo ille animadverso, qui vitam præsentem spe futuræ projeceral, ultro ad perficiendum, propter quod venerant, animavit percussores, ut resumerent animos, repararent vires, hortatus. Ita (quia nequitia facilis est ad persuadendum) sedentem adorti, alter a pectore ad inguina, alter per media ilia, sicas duxere. Tum ille comprehendens et constringens ambabus manibus vitalia defluentia : Abite, inquit, miseri, dum res clam meis est fidelibus, ne, si vos deprehenderint, actum de vobis sit. Sicarii vero velocitati pedum stimulos timoris addentes decurrere ad Rhenum, et inde brachiorum robore navem ultra impegere. Cubicularium interea supervenientem, percunctatumque, quid ita exsanguis sederet, turbide abegit, jubens cito de muro specularetur, si imperatricis nuncii Rhenum transissent : compertoque, quod longinquitas fugæ comprehendendi illos difficultatem procurasset, clerum propere convocari jussit, totius tragœdiæ integro et sermone et sensu expositor. Imposita igitur per se antiphona, Aperite mihi portas justitiæ et cetera, vivens se mausoleo composuit, pulcra et venerabili morte cælum adeptus. Quod idcirco præter materiam exterius lecturis proferre duxi non inutile, ut Anglorum deputetur gloriæ, quod terras alienas illustrarent, peregrinante etiam sanctitate. *Hæc Guilielmi Malmesburiensis narratio in quibusdam circumstantiis ab Actorum nostrorum auctore discrepat ; at in assignanda cædis causa cum eo plane convenit. Unde assentiri non possum Cointio, qui in Annalibus Francorum ad annum Christi* 838 *num.* 46 *existimat, hanc cædis causam ab aliquo posterioris tempori interpolatore confictam esse : quamvis enim non diffitear, ut supra dixi, aliqua postmodum Actis addita aut inserta fuisse, tamen censeo, rei substantiam et eamdem cædis causam ab Œtberto ex seniorum narratione litteris traditam fuisse.* E

at contra illius aliorumque narrationem argumentantur Galli,

27 Recentiores Galli pene omnes Juditham ab hoc sacrilego homicidio liberare conantur, et vulgarem narrationem, a quocumque demum profectam, impugnant argumento negativo, quod profecto hic robore suo non caret. In dissidiis domesticis, inquiunt, a privignis Judithæ nihil de incestis nuptiis objectum est. Lege, quæ scripta sunt a fautoribus Lotharianarum partium in gratiam Ebbonis archiepiscopi Rhemensis, Agobardi Lugdunensis Metropolitæ, Jessæi Ambianensis episcopi, et Walæ Corbeiensis abbatis, quos Ludovicus et Juditha sibi præ ceteris infensos habuere. Lege etiam librum Apologeticum aliaque opuscula, quibus ipsemet Agobardus causam suam defendit. Volve et revolve Acta, quibus Ludovici Pii exauctoratio describitur : in iis quidem Ludovicus dicitur perturbator pacis, in dividendo inter filios regno iniquus et inconstans, officii sui immemor, in administratione regni deses, antiquarum consuetudinum et religionis Christianæ contemptor, aliaque crimina ipsi objiciuntur ; Juditha autem adulterii aliorumque scelerum insimulatur : sed in tanta scriptorum copia nullum prorsus invenies verbum de nuptiis incestis inter Ludovicum et F *Juditham. Atqui tamen hac consanguinitas maxime contulisset ad finem, a Lothario ejusque sequacibus intentum, quo nitebantur Juditham a Ludovico separare. Unde Galli concludunt, hanc cædis causam in Actis nostris confictam esse.*

quorum argumento expenso, lis indecisa relinquitur.

28 Ingenue fateor, hoc Gallorum argumentum adeo stringere, ut de liquida illius solutione desperem. Nihilominus ad minuendum illius robur, responderi posset, quod S. Fredericus *fortasse primus detexerit aut libere reprehenderit istud consanguinitatis vinculum, de quo postea,* mediante Apostolicæ sedis pietate, molliori concilio decretum est, uti indicta pœnitentia, legitimo de cetero lætarentur conjugio, *sicut loquitur Guilielmus Malmesburiensis supra citatus. Inde vero sequitur, in Actis exauctorationis, aliisque Ludovici Pii accusationibus non debuisse objici illud matrimonii impedimentum, si jam Romani Pontificis auctoritate sublatum erat. Fieri etiam potuit, teste Malmesburiensi, ut imperiosa et impudica mulier (talis audit in libro apologetico S. Agobardi) odium conservaverit contra* S. Fredericum *tamquam ambitioni suæ adversantem,*

AUCTORE G. C.

tem, eumque postmodum, data ultionis opportunitate, interfici jusserit. Sed hanc conjecturam, utpote incertam, relinquimus. Sane non intelligo, quomodo hæc horrenda contra reginam accusatio Ultrajecti aliisque in locis antiquitus invaluerit, si Juditha nullo modo Fredericianæ cædis fuerit rea. Nolim tamen memoriam gravare illius reginæ, quam circa annum 836 *beatus Rabanus in præfatione ad libros Judith et Esther ita laudat apud Mabillonium in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sæc.* IV, *parte* II, *pag.* 42 : Dominæ electæ, et merito magnæ pietatis, ab omnibus venerandæ atque amandæ, Judith augustæ, HRabanus servorum Dei servus æternam in Christo supplex optat salutem. Cum celsitudo magnitudinis vestræ atque largitio benignitatis, quæ non solum amicis, sed etiam inimicis, ab ipsius Domini ore instructa, prodesse didicit, plurimos faciat sibi devotos ; nos etiam quantulacumque pars plebis, a Deo vobis commissæ, sub pietate vestra degentes, devotum cogitamus exhibere obsequium .... De cetero, quia vos comperi, laudabili excellere ingenio, et sanctarum mulierum, B quas sacra Scriptura commemorat, virtutes ac studium in bono opere imitari *etc. Hic beatus Rabanus reddit rationem, cur opus suum ipsi dedicet, eique devictos inimicos gratulatur, et ulteriorem de iisdem æmulis victoriam precatur. Vides hic Juditham a Rabano tamquam piam feminam depingi, quæ a S. Agobardo aliisque ambitionis et lasciviæ accusatur. Cum igitur inter ipsos scriptores synchronos de Judithæ moribus non conveniat, litem Fredericianæ cædis indecisam relinquere cogimur, donec alicunde certa argumenta eruantur, quibus hæc Actorum nostrorum narratio confirmetur, aut manifestæ fictionis convincatur. Nos interim ex Ms. Ultrajectino S. Salvatoris Acta qualiacumque hic subjungimus, de quibus lectori liberum esto judicium.*

ACTA

FORSAN AUCTORE ŒTBERTO

C Ex Ms. Ultrajectino Sancti Salvatoris.

CAPUT I. *Sancti Frederici pueritia, pia institutio, clericatus, virtutes et sacerdotium.*

S. Fredericus pie transigens pueritiam, *a*

Sanctus igitur Fredericus, Frisonicæ gentis archiereus *a*, nobilis ex genere, sed nobilior extitit sanctitate. In prima etenim ætate sua magis angelicam quam terrenam ducebat vitam : quoniam cœlibus virorum Deum timentium se intermiscens, omnino lusibus suorum se subtraxit coætaneorum. Ad ecclesiam libenter currebat, et quidquid ibi legebatur vel cantabatur, intente audiebat, domumque rediens matri suæ verba, quæ intelligebat, referebat. Ob hoc mater sua læta facta, non voluntate patris, ad litterandum eum quibusdam commisit patribus, ipsosque muneribus frequentans et precibus, D rogavit, ut eum sanctæ religionis docerent semitam, malique vitare consuetudinem.

a matre instituendus traditur Ricfrido episcopo Ultrajectino, *b*

2 Interea cælitus visum est ei in conticinio, ut puerum inde tolleret ; et S. Ricfrido *b* Trajectensis ecclesiæ pontifici commendaret. Quæ mox ingenti repleta gaudio, quia divinam eum sciebat regere clementiam, patre licet invito simul eunte, Trajectum usque perduxit, et pontifici jam dicto commendavit. Præsul autem spiritu prævidens prophetiæ, quod in pontificali regimine post mortem sibi deberet succedere quasi filium et heredem liberalibus simul, et ecclesiasticis ad liquidum imbuit doctrinis : ipse vero conversabatur in melius, et semper gradus sanctarum ascendebat virtutum.

a quo minoribus Ordinibus, *c*

3 Bis binis etenim benedictionibus *c* dum adolescens sanctissimus adhuc sub scholis degens foret auctus, suum, quod ei fuerat injunctum, non neglexit officium, sed cunctis tam majoribus quam minoribus per se perspicuum tribuebat dogmatum *d*. Quosquos infra domum Dei risu vel aliquo joco vidit E errantes, blande suaviterque, ne ita facerent, admonuit, eosque ut cultus religionis agere * deberet, edocuit. Multos vero, qui primi parentis noxia detenti fuerant culpa, catechizavit ; lucisque perpetuæ præco, quæ mundum illuminat cunctum, lucifugos ex eis depellebat dæmones. Ad euangelizandum populis Dei Euangelium semper erat paratus, recolens Scripturæ dicentis : Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum. Audiens eum prudens prudentior fiebat, et eo loquente, digitum ori suo ponebat.

* *lege* agi.

et subdiaconatu initiatus, *e*

4 Deinde cum manum ad aratrum mitteret, nec retro respiceret, quo regno Dei aptaretur, subdiaconus ordinatur. At cum sanctioris vitæ epithymia *e* vigiliis et orationibus, jejuniisque jugibus, pro Christi nomine corpus suum cœpit affligere, gloriamque pro nihilo ducere humanam, sciens quoniam cum interierit homo non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria domus ejus. Quidquid etiam suorum bonorum habebat, per manus miserorum in regnum F fecit deportari cælorum, quo nec erugine, vel tineis demolirentur, nec furibus effoderentur. Quapropter in illa cælesti theca semper cor habuit intentum, in qua suum thesaurum sciebat esse reconditum. Erat enim verus Israelita, cujus in spiritu nullus nutriebatur dolus, aut cujus ex ore nullum aliquando auditum est exisse mendacium.

variis fulget virtutibus,

5 Neminem lædebat, neminem defraudavit vel odio habuit : nemini, quod sibi noluit fieri, fecit. Ad communionem corporis et sanguinis Domini sacrorum portitor vasorum custodivit se ab uxoribus mundum et castum, et pene ab omni carnali immunditia liberum : sic his, qui hujusmodi sunt ordinis, per prophetam jubetur dicentem : Mundamini, qui fertis vasa Domini. Postquam gloriosus Vir factus est diaconus, qualiter in Dei servimine desudaret die ac nocte, nullius oratoris lingua versatilis valet comprehendere dictis. Erat itaque juxta præceptum apostolicum pudicus, non bilinguis, non multo vino deditus, non turpe lucrum sectans,

A sectans, ineptas fabulas devitans, seniores non increpans, minores non contemnens, habens fidei dindimum *f* in conscientia bona. Exemplum vere fuerat fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate, in patientia, in humilitate, in temperantia, in omni morum probitate gradum sibi acquirens optimum, et fiduciam multam in Christo Jesu. Tantus etiam ardor fuerat in eo Spiritus sancti, ut nec de adversis posset frangi, nec de prosperis extolli.

...us sacer ordinatur.

6 Idcirco dominus Ricfridus, cum talibus eum fulgere videret in virtutibus, nimio repletus est gaudio, quod talem mereretur habere successorem; illumque post eum jubens esse secundum, ipsum, quamquam invitum, ordinavit presbyterum. Nomen autem ejus divina providente clementia, per universam terram in tantum subito factum est encefalum *g*, ut etiam regales verberaret aures, et a cunctis honoraretur, veluti vir Apostolicus, cum pontifex Ricfridus, vir omni bonitate prædicandus, febre paululum tactus, plenus B dierum, sicut a Deo fuerat præordinatum, terræ reddidit terrenum, Domino autem quod suum fuerat perpræclarum, stipatumque legionibus angelorum remiserat spiritum. Quo honorifice sepulto, clerus et populus sancto Spiritu inspirati, dicunt, se non alium eligere aut superponi [velle] episcopum, quam Fredericum, hominem videlicet venerandum.

ANNOTATA.

a Ἀρχιερεὺς *vox Græca est, quæ significat pontificem vel præsulem, et cujus radix est* ἀρχὴ principatus *et* ἱερεὺς sacerdos, *quasi* ἄρχων τῶν ἱερέων, *id est* princeps sacerdotum. *Unde patet, quod auctor per hanc vocem, apud Latinos non usitatam, intellexerit Frisicæ gentis episcopum.*

b *Hic dicitur fuisse septimus Ultrajectinæ ecclesiæ episcopus, cui quidam sex, aliqui novem, alii denique viginti regiminis annos attribuunt. Certe diu episcopatum gerere debuit, si* S. Fredericus *puer ipsi jam episcopo ad erudiendum traditus fuerit, eique in episcopatu immediate succes-* C *serit, ut Acta nostra aliique auctores tradunt.*

c *Puto, quod Auctor* bis binis benedictionibus *significare voluerit quatuor Ordines sacros, quos vulgo vocamus minores. Surius hanc obscuram phrasin non intelligens, ita stylum mutavit:* cælestibus auctus benedictionibus *etc.*

d Dogmatum *forte hic idem significat quod* dogma; *nisi quis velit esse constructionem Græcam, quam subinde imitantur Latini dicendo* perspicuum orationis *pro* perspicua oratione *aut* incerta viarum *pro* incerta via.

e *Hic Auctor noster iterum Græca voce utitur: nam* ἐπιθυμία *Græce idem est quod Latine* concupiscentia *vel* desiderium.

f *Vocem* dindimum, *quæ in duplici Ms. clare legitur, diu frustra quæsivi in lexicis tum Græcis tum Latinis: at quid Auctor per eam velit indicare, colligo ex his verbis Apostoli* I *ad Timotheum cap.* III ℣ 8: Habentes mysterium fidei in pura conscientia. *Igitur* dindimum *idem hic debet esse quod* mysterium, *ut patet ex verbis citatis, ad quæ haud dubie Auctor alludit.*

g *Auctor hic rursus affectat Græce loqui: nam* ἐγκέφαλον *apud Græcos est id, quod in capite vel in vertice est. Unde per nomen encephalum voluit dicere, quod nomen* S. Frederici *factum esset celebre vel summum.* EX MS.

Caput II. *Promotio ad episcopatum post diuturnam recusationem.*

Mortuo Ricfrido, ad episcopatum postulatur;

Interim rex Ludoicus, Caroli Magni principis filius, in una civitate forte veniens juxta Rhenum, Judith conjugem suam secum adduxerat consecrandam, quoniam ne excommunicaretur ab episcopis, eo quod ejus esset neptis, eam in partibus Galliæ tenere non audebat. Qui etiam, comperto præsulis obitu, per legatos mandaverat suis senioribus sanctæ Trajectensis ecclesiæ, ut beatum Fredericum sibi vellent episcopum acclamare, et cum summo honore electum ad ejus ducere palatium, nesciens quia voluntas esset omnium, quod et ipsius, suorumque fuerat E primatum.

sed ille huic postulationi resistens, a

8 Statim ut hæc Vir Dei cognovit se dignum tanti honoris, humiliter excusavit, et per se sceleratus *a*, si pontifex fieret eorum. Populo autem econtra clamante, neminem illo inveniri posse digniorem, quem vellent habere rectorem, Vir Dei ingemens obtorpuit, lacrymatusque coram cunctis ait: Cum sim homo peccator quomodo possum Dei ovium existere pastor? Cur me, qui, proh dolor! regem nescio, vultis habere rectorem, quorum omnium me cognosco citeriorem, et obsoletiorem *. Sinite, inquit, sinite, et ad alium digniorem me, vos vertite; quia nil, quod Deo sit placabile, in me invenietis stabile. Igitur Paulo attestante apostolo, veluti nostis, episcopum oportet esse irreprehensibilem, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, yreneum *b*, non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum, non neophytum, suæ domui bene præpositum. Idcirco dum domui meæ præesse nescio, qualiter ecclesiæ Dei diligentiam habebo; et qui peccati trabem de oculo meo eruere non valeo, quo pacto festucam de oculis aliorum amputabo? F

* id est magis inquinatum

ad regem accersitur,

9 His et aliis jam dictis similibus, missi sunt iterum viri potentes ex palatio, qui nuntiaverunt illi, si vellet regis habere gratiam, ut ad eum, quantocius posset, cum majoribus natu circa Rhenum venisset. At ille sine mora consurgens: Non est, inquit, contradicendum regis nostri imperio, sed ad ejus obsequium quodcumque jusserit, nobis est faciendum. Hæc enim loquens æstimabat apud regem excusare, se præsulatus dignum non esse, plebisque scitum prodigere: Rhenumque sic transiens ad regis usque pervenit regiam. Quem ut Ludoicus elevatis oculis ex adverso sibi videret adstare: Bene te, ait, serve Dei gratulor advenisse, datoque osculo sessum super appositam eum rogavit ire sellam. Tunc cunctis, qui aderant, accersitis arcomegistis *c*, et magnatis palatii, rex plebem interrogat, Trajectensem quem desiderant habere rectorem, seseque promittit eumdem illi

ex ms.

illi superponere, quem ipsa vellet eligere. Cui omnes, dum adhuc conquiescerent, a minimo ad maximum, tale dedere responsum: Vivit Dominus Deus, quia non eligitur hodie alius, quam dominus, qui præsens est, Fredericus. Hunc agnoscimus, hic ab infantia sua nobiscum est conversatus; opus, quod Deo fuit placitum, hactenus est operatus. Quo dicto, rex beato Viro jubet sacerdoti, ut sacerdotali veste vestitus, accedat ordinandus, dicens, hoc esse Dei velle, quod omnes habebant in mente, et econtra se nullo modo debere resistere.

ac nequidquam reluctans,

10 Vir autem Dei, ut hæc hausit, obortis surrexit lacrymis, regemque pronus adoravit, et infit: Precor te, domine mi rex, ne eis acquiescas in hoc, quod postulant: sed sanctiorem me, te jubente, eligant, et quidquid jure hereditario possideo, tibi, si in his mihi adjutor fueris, firma stipulatione trado. Non valet itaque pastor, qui veniente lupo nec ipsius nec gregis valet esse defensor. Filassere *d* gregem Dei nequeo, quia lupum a me ipso abigere non valeo. Timeo vir probrosus plebis sanctæ fieri episcopus, B quia quod infirmum fuerit ignoro solidare, ægrotum sanare, confractum alligare, abjectum reducere, perditum quærere. Est horrendum, Paulo apostolo testante, incidere in manus Dei viventis, cujus per prophetam vox ista est comminantis: Væ pastoribus, qui pascunt semetipsos. Et item: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, et sanguinem pereuntis in die tribulationis exigam ab eis.

post longam orationem,

11 Taliter cum sermonem suum duceret in longum, rex illi, per nomen adjurato Christi, baculum tradidit pastoralem; eum quoque ordinari episcopum in sua præsentia præcepit. At ille cum videret nullo modo se posse excusare, mœstus, sequente multitudine militum, ordinaturus * sanctum introivit templum, pansasque ad cælum erigens palmas, hujuscemodi orationem gemendo fudit ad Dominum: Domine Deus omnipotens, qui in Trinitate perfecta dominaris, et regnas, cui secreta nota sunt omnia, qui es scrutator renum et cordium, tu scis, quam invitus, et coactus [accedam] ad re- C gendum præsulatum, quia non cognosco me talem in mente et corpore, qualem te scio me velle habere; tamen super hæc omnia credo, Domine piissime et amantissime, quod voluntas tua sit ista: propterea te totis exoro gemitibus, quoniam tibi soli peccavi, et malum coram te usque in præsens feci, ut delicta juventutis meæ et ignorantias meas mihi dimittas, et de præteritis malis veniam concedas, atque de futuris custodias, quo reductus ad viam veritatis nocte et die legem tuam meditari, scrutarique valeam, et facere quod in tuis placitum sit oculis. Sana me, Rex æternæ gloriæ, medicus medicorum, cura languidorum, recuperatio cunctorum hominum in te sperantium, salvum me fac et salvus ero; quia tu es laus mea, lux mea, pax mea, spes mea, gloria mea, pulchritudo mea, beatitudo mea, refugium meum, vita mea, fortitudo mea, consolatio mea, illuminatio mea, corona mea, qui vivis, et regnas per omnia secula seculorum. Amen.

* lege ordinandus

ad Deum fusam,

12 Misericors et miserator, qui neminem vis perire, sed omnes salvos facere, pœnitet me de meis criminibus, quæ contra tua D hactenus feci præcepta, idcirco recipe me pœnitentem et peccatorem in tua misericordia confidentem; quia tu dixisti: Vivo ego, non volo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat. Exaudibilis Domine, exaudi me orantem, sicut exaudisti latronem, dum in cruce penderet, sero pœnitentem, et da mihi spiritum sapientiæ et intellectus, spiritum scientiæ et pietatis, spiritum consilii et fortitudinis, spiritumque tui timoris, et pone verbum tuum in ore meo, quo populum tuum docere possim secundum velle tuum, et fac me fortem et stabilem in tuis cæremoniis, ut armis tuæ circumcinctus protectionis omnes meos gregisque tui mihi commissi visibiles, et invisibiles devincam contra facientes. Confirma me in omni opere bono, et dirige gressus meos in semitis tuis, et non veniat mihi pes superbiæ, neque manus peccatoris moveat me. Pone custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis, ne verbum ex eis egrediatur in conspectu tuo falsum, sed quod tibi sit omni tempore placitum: custodi etenim gregem tuum, rex E regum, et Dominus dominantium, pastor pastorum, cui ego criminator præferendus sum pastor, ne lupus rapax circumiens, [et quærens] quem devoret, ovem ex eo aliquam abstrahat, vel dilaniet; sed tua sancta dextera semper illum protegat, atque foveat. Tu scis, Domine, cui * rei indigeo et quid petere debeo: promptum fac in me quemadmodum spero et confido in te.

* *lege* cuius

fit episcopus, et regis convivio excipitur.

13 Cum finis vix foret orationis, rex cum aliis superveniens episcopis Sanctum ordinare fecit supramemoratum mirum in modum [sollicitum] circa frequens ministerium. Clerus autem et populus de benedictionibus illius multum lætificatus, quid laudis, quid gratiarum actionis Domino redderet, longum est narrare per singula. At ubi fuit peractum, quod ad opus pertinebat divinum, imperator clerum et omnes, qui aderant, nobiles, atque ignobiles ad suum invitavit convivium, ac per amorem Viri beatissimi diem illum, quasi festum maximum, cum magna lætitia, perducebat ad vesperum. Domnus vero F Fredericus, Ceciliæ memor exempli, quamvis corpore videretur interesse convivio, tamen spiritu epulabatur cum Domino, istos secum tacite revolvens versiculos: Ciba me, Domine, pane vitæ, et aqua sapientiæ, vinoque compunctionis pota me, quoniam dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus. Deinde consumpto surgens ex prandio, more solito vacabat in divino eloquio, remedium suorum scelerum deposcens a Domino: non parvipendebat hoc in animo, quod sibi commissum fuerat in episcopio.

ANNOTATA.

a *Sensus hic obscurus est. Suspicor sic legendum esse:* Humiliter excusavit, ut per se sceleratus, si pontifex fieret eorum. *Id est, se excusavit, quasi scelus admissurus, si eorum fieret episcopus.*

b *Hic iterum intrusa est vox Græca, qua auctor significare voluit* pacificum, *quamque composuit a verbo* εἰρηνεύω *id est* pacem colo *vel* in pace vivo.

c *Rursus*

A c *Rursus importune occurrit vox Græca* arcomegistis, *quam auctor, forte posuit pro* archomegistis, *et derivavit a radice* ἀρχὸς *id est* princeps, *et* μέγιστος, *quæ vox* maximum *significat; acsi diceret: accersitis principibus maximis vel magnatibus palatii.*

d *Verbum Græcum* φυλάσσω *vel* φυλάττω, *id est* custodio, *hic ad latinam inflexionem detortum est; ita ut* filassere, *seu potius* phylassere gregem, *idem sit quod* custodire gregem.

CAPUT III. *Reprehensio a S. Frederico facta regi ob illicitas ejus nuptias.*

[... episco- ... vocatur ... Walacram ...] Transcurso igitur tempore nocturno, et fugato lucifero, jam sole surgente secundo, rex secum volvens in animo propter connubium illicitum a beato Friderico se forte maledici posse, jussit illum accersiri, et B coram, qui aderant, præsulibus placando, dictis alloquitur talibus: Elegit te, carissime, Dominus sibi in sacerdotem magnum, quia ad hoc opus te cognovit idoneum: sed ut prædicationis, et admonitionis in studio [opinio] de te maneat, [curam habe] ferocium (suppliciter, mi, rogito) maritimarum gentium *a*: est enim insula, Walacram *b* nominata, tibi, ut reor, satis nota, in qua proh dolor! quod ad meas nuper pervenit aures, quisquis * neptem, aut quod pejus est, sororem, vel ipsam in matrimonio ducit genitricem. [* quisque] Ipsam vero, sicut notum est omnibus, aratrum, non circumspiciendo, recte tenentes sancti tui excoluerunt antecessores, et quod remansit incultum, tibi sine dubio reliquerunt excolendum. Quapropter te per Deum vivum adjuro, ut si quis nobilis aut ignobilis, dominus aut servus, dives aut inops a religione erraverit Christiana, et talibus, ut supra diximus, se polluerit criminibus, cum primum ad tuum pervenerit auditum, corrigas illum, et si correctus de prava sua non fuerit via reversus, et te vel Ecclesiam C non audierit, ex communione omnium in Deum credentium auctoritate tibi tradita separes et condemnes, ut sit tibi sicut ethnicus et publicanus, donec ad Dominum nostrum, qui semper est paratus ad miserandum, si vera pœnitentia ductus, fuerit conversus.

[... parabolice ... S. Frederico] 15 Quo dicto Præsul gloriosus ingemuit, et e contrario respondit: Magno quidem, domine, ligasti me juramento: sed si salva gratia tua hæc fecero, mihi dicito? Cui rex quasi jam securus sui dixit: Non solum salva gratia mea hæc feceris, sed etiam, si volueris, adjutorem me in omnibus habebis. Ad quod ille repletus Spiritu sancto et memor sermonis ad Jeremiam dicentis: Probatorem dedi te in populo meo robustum, ut scias et probes viam eorum, regi inclinavit et infit: Dic mihi quæso, domine mi imperator, an rectius sit ad caput, vel ad caudam manducando incipere piscem, aut primum vel in altum ducere murum, et postea collocare fundamentum?

16 Rex autem ut hausit, quid sibi talis vellet interrogatio secum admirans, ait: Piscis, ut opinor verum esse, ad caput manducando incipitur, et sic ad caudam usque consumitur. Fundamentum imprimis collocatur, et deinde murus in altum erigitur, quia sine fundamento opus minime stabilitur. Bene, inquit sanctus Fredericus, judicasti. Propterea te, quem verum caput et fundamentum sanctæ suæ Ecclesiæ præfecit Deus, ut bonum cunctis existeres ad exemplum, aggrediar, et demptis in capite vitiis, ac fundamento firmiter collocato, per corpus ad caudam pro posse meo Dei auxilio pervenio, et murum in altum erigo. Itaque, domine, putas te stare: idcirco quamvis gravis sit casus, cave ne gravius cadas. Habes enim in conjugio tibi junctam Judith neptem tuam, Welpi Bavariorum Ducis videlicet filiam, quam si non dimiseris, et pro commissis dignam Deo pœnitentiam non egeris, permaximum excidium regni tui tibi prædico esse futurum, et hunc sermonem dominicum in te veraciter complendum: Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium, et insurgent filii in parentes, et E morte eos afficient. [EX MS. de incesto suo matrimonio reprehenditur.]

17 Hæc si tuis non fuerint temporibus impleta, ista pro certo poteris Deo propitio sine crimine frui femina. [et multis rationibus,] Ceterum completa si extiterint, scito, quod nuptiæ tuæ in conspectu ipsius gratæ non fuerint. Scriptum est enim: Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut reveletur turpitudo ejus. Et iterum: Anima, quæ fecerit quippiam ex istis, peribit de medio populi sui: et in suis Salomon proverbiis dicit: Qui autem adulter est propter cordis inopiam, perdet animam suam. Turpitudinem et ignominiam congregat sibi, et opprobrium illius non delebitur, quia zelus, et furor non parcet in die vindictæ. Et Paulus Apostolus ad Corinthios scribens ait: Fugite fornitionem: omne peccatum quodcumque facit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Et item: Fornicatores, et adulteros judicabit Deus. Tibi etenim, domine, si foret conjux legitima non ex tuo sata sanguine, deberes animadvertere, quod idem adhuc divinitus sermoci- F nator edocet vivificus: Qui habent uxores, quasi non habentes sint. Beatus vero Gregorius quid in canonibus de talibus dicat, ne irascaris, si dixerimus. Si quis duxerit neptem in conjugio, anathema sit.

18 Propterea si tormentum vis evadere [minisque] perpetuum, et ad regnum pervenire cælorum, vera ductus pœnitentia, spretoque tali conjugio, convertere ad Dominum, ut tibi tuum dimittat commissum: quoniam vana hujus mundi est gloria, et omnis caro fœnum. Ad hæc etiam dum circumstantes in multis faverent pontifices, et ad destruendum tam invisum conjugium de sacris plurima proferrent testimonia Scripturis, vidit beatus Fredericus regem ea non animadvertere, ut debuerat, ad fandum rursus os suum aperiens dixit: Imperator bone, secundum Apostolum Domini, Deum debemus timere, mandataque ejus custodire; te autem honorare, et bonis in actibus consentire, malis resistere atque corrigere, Domino teste, qui ait: Si non fueris locutus, ut custodiat se impius

a

Ex Ms. a via sua, et ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem vero ejus de manu tua requiram. Quapropter, domine, si tua tibi non annuntiavissemus peccata et non arguissemus te ab impietate tua, non converteteris, et viveres: et nos, qui non arguissemus te, qui, nobis tacentibus, peccares, flammis perderet perennibus. Est igitur nostrum officium, ut sanemus spiritali consilio peccatis infirmum.

ab eo deterretur. 19 Vix ut ea erat fatus Præsul Deo dignus, imperator erubuit, et ad tempus pœnitentia ductus lacrymatus est, dimissisque in terram luminibus suspirans ait: Peccavi, et a via erravi vera; reum me reddo, vestroque subjectus judicio libentem me de commissis emendabo. Cui econtrario dixit Episcopus: Quod si ex corde feceris, a Deo recipieris, qui, ut ajebas, multum est misericors ad miserandum, et erit tibi in patrem, et tu illi in filium, si saltem retro ab illo non recesserit cor tuum. Domum tuam noli ædificare super arenam, ne, dum venerit imber et influxurus est fluvius, et flaturus est ventus, impingant in illam, et cadat, et
B ruina ejus magna; sed leva de arena, et pone supra petram: nos autem non cessabimus pro te orare, et postulare, ut implearis agnitione voluntatis Dei in omni sapientia, et intellectu spirituali, et ambules digne coram illo per omnia placens. Tu autem teipsum tenta, et proba, si es in fide. Reddet pro certo in die judicii tremendo unicuique secundum opus suum.

ANNOTATA.

a *Ita adjuvandus fuit hic sensus; alioquin non erat intelligibilis.*

b *Valachria seu Walachria, vulgo* Walcheren, *est insula Belgii in Zelandia, cujus præcipua urbs est Middelburgum. Ejus circuitus dicitur complecti circiter viginti octo millia passuum.*

C

Caput IV. *Virtutes in episcopatu, zelus apostolicus et constantia.*

S. Fredericus Ultrajectum reversus, et a civibus summo gaudio exceptus, His tandem finitis sermonibus, cum ceteris pontificibus beatum Virum rex vocabat ad prandium, et deinde salutatum, cum summo honore direxit Trajectum. Et dum perventum fuerat ad Rhenum, clerus qui remansit, et populus vulgusque promiscuus ex illa regione in unum congregatur, illi ruit obviam protinus, ac Deo pro pastore optato gratias agens innumerabiles, cum condignis ad castrum duxerunt eum laudibus, et in sui templum sanctum beatæ Virginis atque Dei Genitricis Mariæ, in quo sepultus cum sociis continetur martyr Bonifacius *a*, intronizatus est. Ipse enim more solito singulorum orando altaria lustravit Sanctorum, cantansque illo die Missam, et sermonem suum fecit ad populum, dansque ei benedictionem post completum officium, valedixit, et abire permisit. Mansit vero in eodem castello tempore non modico docens et pacem faciens in populo, et quidquid in pago illo vetusti erroris colebatur, divino exstirpavit, D
atque peremit eloquio.

21 Non exaltabat se de dignitate præsulatus, sed juxta sermonem divinum, quanto fuerat magnus, tanto humiliabat se in omnibus. *multa bona opera exercet.* In dandis eleemosynis, ut prius fuerat, largus, in receptione peregrinorum assidue paratus, captivorum et compeditorum liberator maximus, infirmorum visitator, nudis vestium dator, cunctis affabilis, et amabilis, vigiliis et orationibus deditus, dicens Domino, psalmistæ Davidis ad exemplum, septies in die, ac nocte laudem. Semper uno eodemque extitit animo, odium et iræ in eo dominatæ sunt nullæ, sed pacem et concordiam gerebat in pectore, longeque remotus ab illo, nulli secundus morum probitate fuerat, et bonitate. Quidquid etiam in mœnibus templi, et domiciliis fratrum atqu in muris castri fuit lapsum restaurans: religiosioribus ex numero clericorum, et laicorum papum illud *b*, ne quid erroris nasceretur, commendavit ad custodiendum. Ipsum sibi commissum cupiens lustrare pontificium, ad insulam jam dictam primum ob euangelizandi studium iter disposuit suum. E

22 Salutatis quidem ex ordine fratribus *et insulam Walachriam adit,* domus, navem conscendit Episcopus, et vento prospero, ut libuit, Walachram applicuit, ingrediensque insulam perrexit ad ecclesiam; et interim viridibus in pratis suum jussit figi tentorium. Quem dum incolæ illius viderent adesse patriæ, multi, quibus sana fuerat mens, undique confluxerunt ad eum, et cum honore condigno susceperunt; plurimique vero supradictis polluti criminibus, adversus eum jam arma parabant, velut ad prælium, dicentes illum interimi, si ipsis aliquid faceret incommodi. Hoc dum ad Præsulis pervenisset auditum, sanctam jussit cunctis annuntiari synodum, et quicumque non veniret, se sciret excommunicandum, et post vitæ transitum, æternum supplicium minabatur. At illi cum ista pro nihilo ducerent, et in perversitate sua permanerent, soli seniores ad sanctam venerunt synodum, et in omnibus, ut justum fuerat, extiterunt obedientes. F

23 Beatus autem Pontifex, ut vidit indurata corda eorum, et se frustra in acquisitione eorum laborare, *ubi incestos incolas oratione et labore,* flendo omnes, qui aderant, suppliciter rogitabat senes, ut in destruendis tam invisis conjugiis, quam melius possent, adjutores existerent, et Domino talentum duplicatum offerrent. Quod illi complentes ubique perrexerunt, supradictos admonentes, et postulantes, ut ita non facerent, sed veniam Episcopi, cui ad regendum erant commendati, quærerent, et culpabiles se in omnibus redderent, ne, si forte hæc negligerent, Dominus plagis, aut in barbaris, aut aliis in pestibus vel in fame totam illam consumeret terram, eo quod illum superpositum illis despicerent pastorem: ipse enim cum clericis in sancta remansit ecclesia gemitibus inenarrabilibus orans, et deprecans Dominum, ut aperiret corda illorum, et daret eis sensum agendi pœnitentiam, ac bono in opere permanendi constantiam, ne post emendationem scelerum, veluti canes, redirent ad vomitum.

24 Tunc ejus oratio exaudita est pro certo: nam

...pœnitentiam ...gunt.

nam die sequenti illo cum clericis de divina sermocinanti Scriptura, ex villis per gyrum fit ad eum populi concursio maxima quærens ex corde veniam, et promittit dignam de omnibus agere pœnitentiam. Præsul de talibus continuo mirum in modum lætus effectus, sanctam intravit synodum, et dixit eis, nullam posse agere dignam pœnitentiam, nisi prius relinquerent, et execrarent conjugia, et juramine firmarent, ne ea post hæc repeterent. Quod dum cuncti devote peregissent, et jam pœnitentiam susciperent secundum commissum, Vir Dei per aliquos inibi mansit dies, docens eos illa, quæ sunt Dei. Ut autem inde abiit, magnæ sanctitatis ad custodiendam plebem illic reliquit presbyteros; valedicensque omnibus ordinatim, suas in redeundo lustravit parochias, cunctisque bene dispositis, Trajectum venit, atque aliquamdiu ibi moratus est. Deinde prædicando, et ecclesias construendo totum circuiens episcopium, Domino suo, non minimus agricolarum, vineam replantavit speciosam, ac familiæ, supra quam fuerat positus, cibum dedit in tempore, ut cum B inveniret vigilantem, et sic facientem, et talentum simplum sibi traditum, duplum reddentem, constitueret eum supra bona sua, atque suum duceret in gaudium.

Contra S. Fredericum ad ... partes aliquas ... conatur ...

25 Imperator ergo, ut novit omnia erga beatum Fredericum fieri prospera, et nihil diabolici erroris in illa pullulare patria, timuit illuc diutius cum prohibita manere femina, sed versus Galliam remeans salutavit et dixit: Hunc nobis contrarium ob causam nostram si potes ullis flectere precibus, aut obcæcare pecuniis Pontificem, facito; si vero non vales, minis extorquere nitere. Quod illa ad jussum domini sui plerumque tentans, aliquando precando per epistolas, nunc innumerabiles præbendo gazas, Sanctum virum, qui nullius pecuniæ speravit in thesauris, ad id conabatur flectere, ut sibi tradita auctoritate coëundi et in conjugio permanendi, eis licentiam vellet concedere. Ad hæc dum ille sæpe reluctaretur, et talia sine summi Pontificis, et aliorum præsulum judicio fieri non posse diceret, C regina ut comperit, in iram exarsit, miserabilique obcæcata amore, secus haud jussa, imperatorem est secuta, multisque causis Deo carum cœpit accusare Pontificem, jam tenens in mente, qualiter posset eum in futuro perdere.

... luxuriæ ...

26 Tali etenim, ut fertur, post hæc mansit in flagitio, ut non solum videretur ei satis cum cæsare peccavisse, sed etiam quemdam Bernardum, imperatoris in baptismate filium, adolescentem videlicet Deum timentem, ut quondam æthiopissa Joseph, patriarcham, est aggressa, et ut secum cumcumberet sæpe postulabat. Hoc ille Dei inspiratione inspiratus dum negaret, et maximum peccatum esse diceret perpetrare adulterium, Judith, proh dolor tali nomine nec digna! excanduit, timensque tam nefandam ipsius denudari suggestionem, omni spurcitia, et dolo plena, juvenem adhuc innocuum more æthiopissæ cœpit frequenter accusare ac cæsarem, quod eam vellet vi opprimere, atque rem illicitam secum perpetrare. Quam rem ut jam dictus cognovit Bernardus, voluit se de imposito crimine expurgare ac imperatori, cum duobus filiis Lothario, et Ludoico consedenti in palatio Theodonis *c*, omnem facere justitiam; sed non erat aliquis, qui cupientem armis pugnare ausus esset aggredi. Ista autem cum dominus comperisset Fredericus, multum doluit, et more Samuelis pro Saul orantis, inenarrabilibus pro cæsare, suaque perfida conjuge, ut resipiscerent, ad Deum intercedebat precibus.

Ex Ms.

c

ANNOTATA.

a *Eo tempore S. Bonifacii sociorumque martyrum corpora non amplius erant Ultrajecti, ut videri potest in Vita S. Bonifocii, ad diem* v *Junii in Actis nostris illustrata. Sed forte Auctor more satis usitato sumit totum pro parte, ita ut tantum significare velit, aliquas S. Bonifacii sociorumque reliquias tunc temporis Ultrajecti conservatas fuisse.*

b *Suspicor, hic legendum esse* pagum illum, *tametsi duplex Ms. diserte exprimat* papum illud. *Suspicionem meam auget numerus præcedens, in cujus fine narratur, quod* S. Fredericus *exstirpaverit,* quidquid in pago illo vetusti erroris colebatur. *Præterea hanc aut similem vocem videtur exigere sensus, cum* papum *in lexicis non reperiatur, nihilque significet.* E

c *Hic locus vocatur communiter* villa *vel* palatium Theodonis *et a Theodone, homine Franco, conditore suo nomen accepit. Situs est ad ripam fluminis Mosellæ inter urbem Mediomatricos et Circam, Gallice autem vulgo vocatur* Thionville, *et Germanice* Diedenhoven. *Plura, si lubet, de eo vide apud Adrianum Valesium in notitia Galliarum pag.* 551.

CAPUT V. *Sollicitudo pastoralis, prædictio ultionis divinæ, et regis Ludovici pœnitentia.*

F

S. Odulphus ab angelo monitus,

a

b

In ipsa vero tempestate quidam sacerdos, nomine Odulphus *a*, in vico, qui dicitur Oreschot *b*, deguit sanctissimus, nobili de patre Bodgiso satus, prædicator populorum non minus sacris deditus Scripturis, et bonis in actibus nulli fuerat postponendus. Hic cum quadam nocte in suo fessus quiesceret lectulo, vidit in visione angelum Dei sibi adstantem, claro lumine fulgentem, et talia roseo ore verba proferentem: Surge, serve Jesu Christi, surge; oportet te adire castrum, cui nomen est Trajectum *c*, et cum ceteris Dei famulis ibi ad tuum manebis exitum, et ad prædicandum populo beati Frederici, cujus illud est pontificium, te decet esse fautorem in quocumque jusserit locorum.

c

Ultrajectum venit ad S. Fredericum.

28 Extemplo vir Dei, tali visione perterritus, de nocte surrexit, et quod ei in itinere necessarium fuerat, præparavit usque ad diei crepusculum, memorque sermonis Domini dicentis: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. Relictis igitur omnibus,

Ex MS. omnibus, Dominum est secutus, Trajectumque, quemadmodum illi fuerat jussum, pervenit post triduum. Et cum sanctam ingressus esset urbem, præsul illi obviam cum clero ruit Fredericus, talisque viri adventu lætus effectus, suscepit eum cum gaudio et honore condigno, sanctissimoque facta oratione in templo, illi dedit ad habitandum in australi parte castri hospitium satis decorum, simul et viridarium. Ipse ergo talis in bonis mansit operibus, ut lucerna lucens ante Dominum illis resplenderet omnibus, et ob hoc ab ipso Pontifice, cunctisque fratribus pater monasterii est vocatus.

a quo postea in Frisiam mittitur, 29 Per idem fere tempus, diabolo instigante et administrante, Fresonicus populus de agnitione sanctæ et individuæ Trinitatis adeo multis erravit in locis, ut Sabellii, Ariique sectam secundo putares esse disseminatam, et exortam. Quod cum Præsulis verberaret aures, excanduit, citusque flendo, et ejulando, Alechmere *d* fluvium transmeavit, pagos et villas docendo peragrans : sed proh nefas! neque per semetipsum, neque per suos B commilitones diram nequibat corrigere gentem. Tunc athleta Dei fortis quid ageret ignorans, tandem accepto consilio, Trajectum misit legatum, ut sanctum Odulphum, quam citius posset, ad eum in Frisiam pergere rogaret, si forsitan Deus aliquam illi populo per eum daturus esset salutem. Legato autem ad urbem veniente, et legationem suam narrante, vir Dei protinus desiderio martyrii ductus, quasi ad epulas invitatus, lætus surrexit, transmensoque jam dicto fluvio, ubi Pontifex mansit, Staveren *e* pervenit.

ut Frisones de SS. Trinitate male sentientes instruat. 30 Quo viso, Episcopus magno repletus est gaudio, datoque invicem osculo, ambo divini verbi armati gladio, totam illam regionem circuierunt prædicando et populum cor gerentem belluinum, Domini vivifico pascentes pabulo, mitigatum velut agnum ad fidem Catholicam reduxerunt. Continuo scripsit enim beatus Præsul hujusmodi chartam de sancta Trinitate constructam, quam ad se pertinentibus parochiis misit [et] sacerdotibus, ut si schisma ulterius fieret in populo, fre-
C quenter legeretur in publico : Æternus est Pater, æternus est Filius, æternus est Spiritus Sanctus; distinctio enim in personis, unitas cognoscitur in natura. Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens et Spiritus sanctus. Trinum quidem nomen, sed una virtus, et potentia. Filius a patre incomprehensibiliter genitus, Spiritus Sanctus a Patre et Filio ineffabiliter procedens, potestas non accidens, sed perpetua et individua manens, summitas sociabiliter, regnum sine fine, gloria sempiterna, quæ sola creat, sola peccata dimittit, et cælorum regna concedit. Insuper ad placandam sanctam Trinitatem, orationem de sancta Trinitate compositam pro salute plebis singulis diebus tribus vicibus, videlicet mane, meridie, atque vespere jussit recitare. Sancto autem Odulpho cum consilio cleri, et fidelium illius patriæ laicorum, quamvis invito, Staverensem ad regendum commendavit ecclesiam, cunctisque bene dispositis, Trajectum reversus est.

31 Interea volens Dominus gloriosi præsulis Frederici propheticum implere sermonem, anno Incarnationis dominicæ octogesimo * tricesimo quinto immisit in cor Murmani *f* regis Britonum, ut invaderet regnum Francorum, et arma levaret contra imperatorem, eo quod propter mulierem a vera errasset via, et ejus præcepta neglexisset, et legem. Tunc jam dictus tyrannus, quasi arenam maris collectis fortium militum copiis, quo patuit regnum Francorum est ingressus, et urbes ac vicos capiens ac debellans, est depopulatus, atque in ore gladii innumerabile mactabat hominum genus, multisque ditatus spoliis, illæsus ad patriam suam est reversus. Quem imperator tota fere in unum congregata Francia insequens, cum eo bellum iniit, sed minime prævaluit, plurimosque de suis in prælio perdidit principibus; quod cum persæpe ex utraque gessissent parte, quasi victus imperator Ludovicus alteri cessit, et inenarrabilia donans munera, pacem petivit, et calumniatus amicum sibi facit. Populus vero, quam ob causam permisit affligere ecclesiam Deus sanctam suam, cognovit, atque de conjugio imperatoris illicito murmur multum erat in eo. E

Per rebell[illegible] Britonum.
** l. ge octu[illegible] tesimo*

32 Transito vero illius anni circulo, regina causa pacificandi, Bernardum, quamquam invitum, ad se vocavit supradictum, et amore obcæcata venereo, quasi misericordia super illum mota, regis gratiam ei acquisivit et plerumque secum retinuit. Qua de causa varia ac inanis persæpe inter eos erat colloquacitas, et ut fieri solet, corrumpunt bonos mores colloquia mala, de assiduitate execrandorum colloquiorum, diabolica perpetrante astutia, ut fertur, cum regina dormivit, et cum illa concubuit. Tunc hac denudata, et divulgata infamia, Pippinus *g*, de Hirmingarda *h* imperatrice cæsaris filius, tali de causa multum contristatus, de * Yesse Ambianensium episcopo, et Hilduino videlicet archicapellano suo, et Macfrido, ac Elyazar abbate atque Godefrido, aliisque quamplurimis de regni primatibus *i*, patrem adiit, et consanguinitatem uxoris, multaque alia ei objecerunt, atque de jam dicto reginam accusaverunt stupro. Quibus cum cæsar ad hoc nullum vellet dare responsum, sed agitando caput torvis eos inspiceret luminibus, vi reginam rapuerunt, et velaverunt, atque in unum mittentes templum, ad sua reversi sunt loca. F

adulterium regina aliique adversa,
** forte cum*

33 Paucis quidem post hæc translapsis mensibus, imperator, sua recepta conjuge, Novimagum *k* adiit castrum, captoque cum multis Yesse pontifice, qui cordis sui in simplicitate ad emendationem vitæ velamen imposuit reginæ, de pontificatus dignitate (quod cunctis Deum timentibus displicuit) cogens ad hoc episcopos, deponere jussit, aliosque custodiæ mandavit, ac exilio damnavit. Hac re beatus Papa comperta Gregorius *l*, mirum in modum tristis effectus, et exiens de Romana civitate, transitis Alpium jugis, pervenit ad cæsarem, et ob malum, quod gesserat, fortiter increpabat, et ut resipisceret cum conjuge rogitabat, ac jejunium causamque pœnitendi illis prostratis, et veniam quærentibus imponebat. Episcopis autem tam præsentibus quam absentibus, ut illo recedente, eum suamque conjugem profanam admonerent ac spiritualibus pascerent eloquiis,

a S. Frederico prædicta.

Apostolica

A Apostolica jussit auctoritate, et si pœnitentiam illis injunctam neglexissent, et implere noluissent, veluti ethnicos et publicanos eos haberent, et perpetuo anathemate condemnarent.

34 Tunc imperator rursus prostratus se reum reddidit, obedientem in omnibus fore promittit : et pro se regnique sui statu ad Deum ut vellet orare rogans, multis regalibus eum ditavit muneribus. At mox Vir apostolicus istis donis non obcæcatus, sed prudens, ut serpens, simplex ut columba, de supradictis cæsarem corrigens transgressionibus, secum quæ deferebat ad salutem, ei suisque magnatis plurima Sanctorum contulit pignora, dansque de vita perpetua saluberrima monita, ut fuit salutatum, cum suis Romanam perrexit ad urbem.

35 Nec mora (quod nefas est ad dicendum) imperator iterum suum reversus est ad vomitum, et pejus quam fecerat, postea coram Domino fecit peccatum. Attamen per Germaniam et Galliam episcopi, domini Papæ memores præcepti, per semetipsos, et B epistolas, ne id ageret, eum rogabant, et quem sequi deberet, ut cognosceret, hortati sunt : idcirco palam, prout ausus fuit, eos odio habuit, et sanctum maxime Fredericum, quoniam ipse divino repletus afflamine ei suam denudavit pravitatem ad iniquitatem, et nihil, quod justum fuerat, reticuit : et ut se de commissis emendaret, semper plus ceteris non ob aliquam invidiam, sed propter Dei timorem, ne periret, postulavit. Et talia dixit : Non licet mulieri sanctum velamen, postquam accepit, dimittere, Zacharia sanctissimo Papa in hac testante epistola, Francigenis et Gallis directa. Qualicumque modo mulier, permittente canonice viro suo, aut eo defuncto, velum sanctum accepit in caput, aut sponte aut invita *m*, in eo permaneat omnino, nec dimittat.

ANNOTATA.

a *Acta hujus S. Odulphi illustrata sunt in Actis nostris ad diem* XII *Junii.*

C b Orschotum, *quod vulgo dicitur* Oorschot, *est Brabantiæ municipium non exiguum in territorio Silvæducensi.*

c *Id est* Trajectum inferius *vel* ad Rhenum, *vulgo* Utrecht, *quod, teste Beda lib.* V *Hist. eccles. cap.* XII, *antiquitus vocabatur* Wiltaburg.

d *Ab aliis appellatur* Almere, Alcmere, *vel* Elmere. *Est autem trajectus maris, quod vocant meridionale, atque de eo iterum actum est in Annotatis ad Vitam SS. Bonifacii et Odulphi.*

e Stavora *vel* Stavria, *vulgo* Staveren, *est antiquum Belgii oppidum in Frisia, de quo latius videri possunt topographi passim obvii.*

f *De hujus rebellionis epocha discordant scriptores : Regino enim bellum illud anno* 836 *et mortem Murmani anno* 837 *collocat. Chronographus Saxo, a Leibnitio editus, eam rebellionem anno* 834 *figit, et anno sequenti ita scribit :* Annus Domini DCCCXXXV, Ludovici XXI Murmanus rex Britonum obit, et Numenojo successit. *Cointius in Annalibus Francorum tom.* VIII, *pag.* 549 *vult, tumultum illum Britannicum anno* 818 *contigisse, et Actorum nostrorum chronotaxim refellit. Sed ego nec hic nec alibi Auctoris nostri chronologiam defendendam suscepi ; imo præmonui, de illius parachronismis consulendum esse Cointium.*

g *Is fuit rex Aquitaniæ, obiitque anno Christi* 838. *Cointius hunc congressum anno* 830 *refert.*

h *Fuit hæc prima uxor Ludovici Pii.*

i *Hi fuerunt ex præcipuis Ludovici Pii et Judithæ adversariis, ut satis notum est ex historia Gallica.*

k *Variæ sunt hujus nominis urbes. Sed puto, hic indicari notissimam Belgii urbem, quæ inter Rhenum et Mosam fluvios sita est, et distat sex leucis Ultrajecto. De ea videri potest Adrianus Valesius in Notitia Galliarum pag.* 385.

l *Is est Gregorius IV, qui ad componendam inter Ludovicum Pium et filios pacem, in Galliam venit. De Pontificis istius adventu et negotiis peractis consule Cointium in Annalibus Francorum ad annum Christi* 833.

m *Hæc propositio universaliter sumpta sane theologiæ et juri canonico adversatur, ut patet ex cap.* de his, quæ vi metusve causa fiunt. *Fusius de hac re disserit noster Laymannus in Theologia morali lib.* III, *tract.* IV, *cap.* VI, *num.* 3; *et lib.* V, *tract.* X, *part.* II, *cap.* V, *num.* 1 E

CAPUT VI. *Iterata regis reprehensio ob incestas nuptias et Frederici martyrium.*

Anno vero dominicæ Incarnationis octingentesimo trigesimo octavo, regni autem imperatoris vigesimo primo, convenientibus in unum filiis suis, factum est consilium inter eos et episcopos, ac duces, et primates, ut eum propter ignominiosum conjugium, et quia summi Pontificis transgressus est præceptum, derelinquerent, et ad locum ducerent secretum, quo tam diu custodiretur, donec pœnitentiam sibi injunctam digne perageret, et Deum votis suis æternum placaret. Quo facto, reginam, jam a Yesse pontifice velatam, miserunt ad civitatem Cartunam *a*, et inde si rediret, aut fugeret, mortem minati sunt. F Post non multum ergo temporis Ludoicus minor ex fratribus, paternis visceribus commotus, congregatis quos potuit Francigenis, genitorem necdum pœnitentia vix incepta, eripuit de custodia, et Aquis *b* honorifice in sua sede collocavit et aula. *Ludovicus Pius e custodia eripitur,*

37 Extemplo imperator Ebbonem Rhemorum archipontificem, ut potest cognoscere qui libros ejus vult perlegere, virum vere Deum timentem, jussit comprehendere, et rursus cogens episcopos ad hoc, sine causa deponere. His ad votum completis, ut conjugem reducerent, legatos misit versus Italiam : quam, illis reducentibus, cum maximo honore suscepit, et gaudio. Propter metum pontificum, relicta Francia in unam civitatem secundo venit juxta Rhenum, deinceps quotidie conviviis eorum citharis, et lyris, tympanis, et tibiis resonantibus. *et abductam uxorem recuperat,*

38 Tunc cernens gloriosus pontifex Fredericus, quod induratum esset cor ejus, ut vellet eum, nisi conversus fuisset, excommunicare, per epistolam annuntiavit, in qua *atque a S. Frederico iterato reprehensus.*

et

EX MS. et multorum patrum dicta ponens, sic ait : Cur, si te Christi servum asseris, servos ejus, id est episcopos, Anselmum Mediolanensium, Wolfoldum Cremonensium, Theodolfum Aurelianensium, Yesse Ambianensium, Ebbonem Remensium sine ulla dijudicasti causa? Numquid tibi præcepit hæc agere ille, qui per suos dicit prophetas : Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Et rursus : Numquid vos ultionem reddetis mihi? Et si ulciscamini vos contra me, scitote, velociter reddam vicissitudinem super caput vestrum. Audistis Apostolum dicentem : Tu quis es, qui judicas alienum servum? Suo domino cadit aut stat. Tu enim servum tuum ab alio, quam abs te, dijudicari non vis; quod si etiam aliquis perpetrat, aut nimia indignatione irasceris, aut ultionem super eum quæris. Et quod tibi non vis fieri, quamobrem Domino dominorum intulisti? Pessime egisti, quia a Deo tuo, non ab hominibus, sacerdotes summi sunt judicandi, haud a pravæ vitæ hominibus lacerandi, sed potius portandi. Præterea, cithara, et lyra, et tympanum et B tibia in vestris sunt quotidie conviviis, et opus Dei non respicitis, nec opus manuum ejus consideratis : propterea faciet Dominus in vos vindictam servorum suorum, et dilatabit infernus animam suam, et os suum, nisi vosmetipsos corrigatis, aperietur, et descendetis ad eum, atque vestri sublimes tunc deprimentur oculi, eo quod posuistis amarum in dulce, et dulce in amarum.

Episcopi cædem reginæ committit

39 Talibus igitur admonitionibus cæsar magis contra Virum Dei iratus, qualiter eum morti tradat, tractat, et reginæ semper hæc persuadenti, ac perficiendum tale nefas commendat. Ipso autem in tempore cæsar Ludoicus Franciam adiit et profanam, ut festinaret in occasione Viri Dei, juxta Rhenum, ubi consederat, reliquit reginam : et ut factum foret, post se ire ne tardaret, præcepit. Tunc illa beato Sacerdoti plurimas parans insidias, cum ipsum nec precando, nec innumeras gazas promittendo a proposito flectere potuisset, quadam æstate dum ille Trajecti, paucis militibus secum retentis, more solito maneret cum fratribus, et præscius C inibi diem sibi exspectaret exitus, ante dies caniculares convocatis undique ad se suis, et cæsaris fidelibus, verbis alloquitur talibus : Quantæ, et quam magnæ præ ceteris pontificibus Fredericus præsul Fresonicus mihi et domino meo sit molestiæ, vestræ, ut opinor, notum sit ignaviæ. Quapropter vos, quibus nostra fas est capessere jussa, totis adoro præcordiis, ut mihi vindictam de eo faciatis, et ingeniose, non publice, unde vobis magnum potest evenire periculum, occidatis, et quidquid boni nostri pro mercede desideraveritis, vel regni, ad dandum erimus parati.

quæ duos sicarios mittit, ut eum interficiunt

40 Talis sermo Deum timentibus dum displiceret omnibus, duo juvenes superbi ac cupidi, surgentes promiserunt, se ad voluntatem illius hæc omnia agere, si mercedem eis in futuro vellet reddere. Quo promisso, et ne quis innotesceret episcopo, juramine firmato, sumptis secum cultellis in manicis, c eo die, quo sol vertitur in leonem c, Trajectensem venerunt ad urbem, et familiare de parte reginæ narraverunt cum Pontifice se velle habere colloquium. Hoc dum illi, D ad Missarum solennia se præparanti, a suis esset nuntiatum, caput et palmas ingemiscendo levabat ad cælum, et Deo perplurimas propter tempus optatum reddens gratiarum actiones, ad circumstantes vultu angelico respexit et infit : Quid isti volunt, scio, sed ut exspectent, donec Missa sit peracta, præcipio.

S. Fredericus mortis suæ præscius

41 Dein more pontificali a sua surgens cathedra, Missam, ut pulcre et optime cum timore Dei novit, celebravit, atque post lectionem euangelicam sermonem suum fecit ad populum, et ne contristaretur (quoniam diligebat eum ut patrem) obitum suum prædixit per allegoriam, et eodem die cibum perpetuum se cum Sanctis in regno cælorum a Deo esse accepturum : dansque corpus et sanguinem Domini, omnibus valedixit. Et pastor fidelis, pastori bono Domino nostro Jesu Christo lacrymando oves, quas illi commiserat, repræsentabat, et commendabat. Clerus etenim et populus præ dolore flebat universus, et quid in talibus significaret Episcopus ignorabat. E

eos post celebratam Missam intrepide excipit.

42 Sacro autem rite celebrato Dei servitio, vestitus ut erat intravit sacrarium sancti Johannis Euangelistæ, in quo et illius steterat sarcophagum, exclusisque cunctis, præter unum suum capellanum, deforis patrocinia Sanctorum lacrymis, et suspiriis implorabat omnium, et ad se missos introducere fecit sacrarium. Qui cum essent introducti, clericum retro altare sancti Salvatoris præcepit ambulare, et ne rediret, donec eum vocaret, injungens. Illo exeunte, filios Belial vidit titubantes, et ait ad eos : Vestram, sicut vobis præceptum est, implete legationem, et ne terreamini; priusquam huc venissetis, scivi. Hoc ut audierunt illi cernentes, quod ultro festinaret ad mortem, extractis duobus longis de manicis cultellis, percusserunt eum in extis et irridentes dixerunt alternando : Nostra de te ulta est regina.

et letaliter vulneratus illos fugam suadet.

43 Attamen Martyr Dei viribus, quibus poterat, ne sanguis et intranea exirent, vulnera restrinxit, et homicidas illos, ne comprehenderentur, cum festinatione abire præcepit. F Quibus velociter abeuntibus, ut paululum est moratum, ad se suum vocavit clericum, et jussit, ut ad videndum, si nuncii adhuc transissent Rhenum, super muros adscenderet, et cum quali festinatione pergerent, illi renuntiaret. Hæc ille, sicut fuerat jussus, implens est reversus, dicensque eos jam Rhenum transisse, et quasi fugam maturare; diligenterque mutatam in Domini sui respexit faciem, et velut exanimatus, quid illi foret, vel accidisset, interrogavit. Quem Sanctus, ne contristaretur, rogavit, et dixit : Percussus sum, fili mi. Aduoca fratres et commilitones meos, voca populum Dei et reddat me, unde egressus sum, terræ terrenum; et oret, ut spiritus meus, quamvis non sit dignus, dirigatur ad Dominum, pro cujus lege, et amore sanguis meus fusus est in terram hodie. Quod ille ut audivit, suos evellens capillos, flevit : Ve, ve, et vah clamare cœpit. Et ut hæc cunctis narravit, quid planctus, et fletus, et lamentationis ibi oriretur, Jesu bone, quis poterit enarrare, nisi qui præsens dicitur adfuisse!

44 Tandem

…grege suo …culo, pie …ctur.

44 Tandem sancto Odulpho, ipsius sancti Episcopi cooperatore, cum clero,, et populo, ceterisque omnibus, in unum congregato, et his omnibus clamantibus: Cur nos pater orphanos derelinquis? Gloriosus martyr lacrymatus, prophetando dixit: Fratres et filii carissimi mei, si qua pars mihi est cum Sanctis in cælis, non vos desolatos relinquam, sed vestræ semper intercessor salutis ero, et incolumitatis. Tamen sciatis, quod propter imperatoris, suæque conjugis, suorumque primatum nequitiam, totum ab incursione Danorum ad nihilum depopulabitur regnum, et, proh dolor! ob scelus nostrum civitas hæc, et istud comperiet et luet pontificium, quoniam semper mansit nobiscum. Quo vix dicto, suam super populum benedictionem fecit, et vivens sarcophagum intravit, atque psalmodias, quæ solent cantari ad exsequias mortuorum, ipse primum incepit, et dixit: Placebo Domino in regione vivorum. Deinde persæpe hunc versum repetens: In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, cælum resupinus intuens, dixit: Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo
B
quoniam elegi eam. Tunc ejus sancto spiramine emisso, clericis adhuc corpus ejus humantibus, mira odoris fragrantia tota adeo repleta est ecclesia, ut omnis præsens turba perspicue sensisset, angelicam adesse catervam, quæ beati Martyris animam ad regna cum triumpho perduxit siderea, ubi per ipsius merita nos perducat. Qui vivit et regna per omnia secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Annalista Bertinianus hanc urbem vocat* Tartonam, *quæ communiter vocatur* Dertona, *estque civitas episcopalis Italiæ, in ducatu Mediolanensi sita ad Iriam fluvium, non longe ab ea decurrentem.*

b *Id est Aquisgrani, quæ civitas aliquando simpliciter Aquæ appellatur. Est autem urbs satis nota in circulo Westphaliæ.*

c *Hac phrasi vult significare, id factum esse die* XVIII *Julii.*

C

CAPUT VII. *Normannica Frisiæ vastatio a S. Frederico prædicta, regis Ludovici mors; punitio æditui, qui sepulcrum S. Frederici profanarat.*

Normanni juxta S. Frederici prophetiam vastant Frisiam.

a
b

Eodem ergo anno *a* propheticus sermo beati Præsulis cœpit impleri: nam Normanni, id est Aquilonares viri, in unum quasi arena maris congregati, mare transierunt et villæ nomine Dorestadt *b* quondam magnæ, quæ nunc Wyck vocatur, in qua etiam, ut ferunt, quinquaginta quinque ecclesiæ in Dei et Sanctorum suorum honore fuerant constructæ, applicuerunt, et vastantes, atque comburentes ad nihilum redegerunt et cum spoliis multis populum captivum duxerunt. Deinde per totam navigantes terram, sanctamque affligentes et deprimentes ecclesiam, in sua redierunt; sed post non multos annos redierunt, et urbem Trajectensem armis capientes, nulli pepercerunt, nec ibidem aliquem reliquerunt mingentem ad parietem. Unde factum est, ut post obitum domini Alfrici *c*, germani sanctissimi martyris Frederici, et Lutgeri *d* episcoporum, fugatis de rure populis, pagus et urbs staret destructa, desolata, et deserta, donec pium Baldricum *e* illis locis pontificem, divina præfecit clementia, sub cujus temporibus, antiquis non similia, quamvis tamen bona, surrexerunt mœnia.

EX MS

c
d
e

Rex et regina negant, hanc cædem suo consilio factum esse;

46 Pontifices autem per Germaniam et Galliam, innocua sancti Frederici nece comperta, unanimiter surrexerunt in reginam, et cæsarem, dicentes eos de regno debere expelli, et anathematizari, ac alteris melioribus illis regnum dari, qui populum Dei regere, non interimere scirent, et ejus in mandatis atque cæremoniis ambularent. Qua de re imperator multum extitit perturbatus, et timens, ne eum derelinquerent, ac de E
regno expellerent, et ad filios suos se verterent et eligerent, juravit ipse et regina in conspectu omnium, de occisione Pontificis se inculpabiles fore, neque in consilio aut voluntate se reos esse, et eos qui hoc egerunt homicidium, nullis in locis posse invenire. Hoc facto episcopi, qui convenerant, unusquisque in suum reversus est locum, et missis militibus longe terrarum spatiis hos jusserunt apprehendere viros. Illi autem, ut audierunt quoniam essent filii mortis, acceptis a regina pro mercede pecuniis, de regno perrexerunt profugi ad regnum, donec eis mors venit obviam subitanea, et duxit vinculatos ad infernum.

et rex prope Rhenum moritur.

47 Imperator ergo perjurus, et homicida, dum filium suum trans Rhenum causa occidendi persequitur Ludoicum, subito gravatus est morbo, et in navem missus juxta Enghelein *f* in una moritur insula. Deinde ad basilicam sancti portatus Arnulphi, sepelitur: et monstratum est omnibus populis, quamvis diceretur Pius, qualis in suis fuerat actibus. F
Quid vero reginæ accidisset, aut quem obitum habuisset, quia scriptum non invenitur, ignoratur *g*. Sed tamen ob tale pactum diro non evasit ex orco. Sanctus quidem martyr Fredericus multis fulsit virtutibus, sicut facit et hactenus, et est medicamentum et medicus omnibus eum invocantibus.

f
g

S. Fredericus æditiuo sepulcrum suum profonanti
h

48 Sunt autem adhuc plurimi testes promiscui sexus superstites, qui narrant temporibus pii Baldrici *h* præsulis quemdam virum prophanum, res, et omnem veteris templi, post æditiuum procurasse thesaurum, qui ad visum hominem se quasi mitem reddebat agnum. Sed ipse lupus rapax factum in abscondito perpetrans, suo nesciente domino, donaria, quæ offerebantur ad altaria, rapuit, candelasque ad effugandas nocturno tempore tenebras, in venerabili monasterio positas detruncavit, libidinoseque consumpsit. Hic vero dum persæpe media noctis in vigilia sanctum post intraret templum, et magis, quam dici potest, ageret sacrilegium, divinum, quo quotidie sacra celebratur Missa, sumpsit vestitum, et in sacrario sancti Euangelistæ

ex Ms. stæ Joannis, quo etiam supradictus requiescit Martyr, quia ibi suus stabat lectulus, sub se posuit, et sepulcra Sanctorum mingendo, ventremque purgando adeo fœdavit, ut quicumque causa orandi vellet accedere, horresceret appropinquare.

apparet eumque semel 49 Interim per opaca cujusdam noctis silentia adstitit illi dormienti sacer pontifex Fredericus, cujus facies præclara, vestis et rubra resplenduit in ædificio, velut sol in cælo, et sequebantur eum domini Alfricus et Ludgerus, qui post ipsum tenuerunt *i* pontificium, et in eo demum sunt sepulti sacrario, magni splendoris et ipsi, baculosque gerebant in manibus pastorales. Tunc elevato suo sanctus Dei Martyr baculo, percussit virum in pectore ebrium, et excitans eum a somno ait: Quid hic, frater, jaces resupinus? Cur divina sub te ausus es sternere vestimenta, ac nostra fœdare sepulcra? Tuum foras projice lectum, purga et locum, Sanctis, quod et rapuisti, bonum restitue ecclesiasticum, pœnitens minue delictum, ex quo recessisti, repete Deum. Hæc si neglexe- B ris vita cum præsente tormento carebis, et æternum subibis supplicium, ubi est fletus, et stridor dentium.

ac iterum monet, ut resipiscat; 50 Talia ut hausit ille, luce et claritate perterritus, timuit quamdiu eos vidit; sed post abscessionem eorum, timorem abjecit, et hoc phantasmati deputavit. Mane autem consurgens ædituo interroganti, si aliquam illa nocte vidisset visionem, dixit se tres angelos videre, illosque secum loqui, et diutius ne dormiret in templo, prohibere; sed, si verum fuisset, an phantasma, quo sæpe deluditur homo, fatebatur se ignorare. De causis vero ceteris, quibus fuit et admonitus, id est de divino, quod sub se posuit, vestimento, et sacrilegio, sacrorumque pollutione tumulorum, tacuit; quia, si confiteretur, luiturum se timuit. Tunc dominus ejus, ut inquireret nomina eorum, præcepit, si secundo eos videret per visionem et loquerentur secum.

at ille hanc monitionem spernens, 51 Ille autem tali visioni Deo gratias non reddens, permanebat in incepto, et inebrians se potu, mediæ noctis in conticinio solus suum rursus repetebat lectulum, et mox C dum necdum oculos clauderet, et dormitaret, sed adhuc pene vigilaret, astiterunt ei secundo tres sacri sacerdotes ejusdem habitus, quo fuerant ut prius, et quasi iratus cum baculo illum percutiendo Dei Martyr a somno excitavit et dixit: Quamobrem nostrum cæleste transgressus es præceptum, et admonitionem, quam vidisti, et domino tuo retulisti; sed quod jussum est tibi, tacuisti, et implere noluisti? Adhuc sume consilium, confitere delictum, lacrymis, et bonis operibus repete baptismum, quod culpabilis perdidisti per sacrilegium. Nam si dimiseris, et factum tuum confiteri nolueris, morte morieris; nostra vero domino tuo, ut rogavit, dicito nomina, Fredericus, ac germanus ejus Alfricus, et Ludgerus pastor probus.

et locum sacrum profanare pergens 52 His dictis abscesserunt, et ultra non apparuerunt. Timor autem et horror visionis tantæ non irruit super hominem illum; sed induratum est cor ejus, quia mansit in eo diabolus, et pro nihilo ducens, cœpit dormire in sua sepultus ebrietate: et ut factus est dies, ædituo visionem et nomina retulit Sanctorum, et de sacrilegio rursum reticuit, D et confiteri noluit. Tunc ædituus secum admirans, ait ad eum: Cave ne contra Sanctos Dei aliquid habeas perpetratum, unde perpetuus tibi veniat interitus: nam si talis esses in mente, qualis videris in facie, tibi, ut opinor, comminando, tuum non jussissent foras projicere lectum. Si etiam verum narras, nescio. Sed ne dicat aliquis, te propter meum perire præceptum, fac ut tibi est jussum, et ante fores templi dormiens habeto grabatum, donec novero, quid apud pontificem hac de re fuerit collaudatum. Quod mox ille periturus transgrediens, plus solito bibit ex poculo, et in galli cantu dormitum venit in sacrario.

53 Illa ergo nocte quid erga eum gestum sit, nescitur: sed in crepusculo diei, dum nullus ad matutinales laudes pulsaret campanas, fratres parvam ex cardine levarunt januam, et intrantes dum excitare vellent, invenerunt eum ardentem, et lectum ejus jam igne sulphureo consumptum, ac sacrarium urina ac stercore ejus fœdatum. Quod cum cernerent, propter hoc scelus eum agnoverunt esse E combustum, et convocantes omnem pagum ad videndum tale factum, extra castrum tulerunt eum ad sepeliendum. Et dum portabatur, e corpore illius ignis exivit quasi per aera fulgetrum, et est populis demonstratum, quale et quam magnum contra sanctum Fredericum, ejusque successores egisset peccatum. Post diem ergo illum quisquam in sacrario illo vel in templo venerabili usque in præsens non dormiebat, sed posito lectulo ante fores, custos requiescebat, et penetralia seris muniebat. *horribili morte punitus videtur.*

54 O quam felix est homo, cui Sanctus iste est in animo! Beatus ille, qui sibi apud Deum talem quærit intercessorem! O quam securus perpetue vivendi, qui isti adhæret dulcedini; quanta felicitate nauta occupat portum, qui sibi hunc præviderit gubernatorem! O quam sapientem dico viatorem, qui eum habuit insinuatorem? O quam prudens omnia bona faciendi, qui ejus vult sequi vestigia, qui de rebus suis honorificaverit illum in terris, centuplum cum Sanctis Dei recipiet in cælis. O civitas Trajecten- F sis, tu felicior et sanctior multis, de tuis semper apud Jesum Christum Dominum nostrum lætare patronis! Pugnat contra hostem tuum pars innumerabilis cælestis exercitus, in cujus collegio, pretiosus martyr Fredericus, divino circumcinctus gladio, nocte et die viriliter te non desinit defendere, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et imperium sine fine permanens in secula seculorum. Amen. *Epilogus auctoris.*

ANNOTATA.

a *De hac epocha iterum discrepant auctores: nam Annalista Fuldensis eam Normannorum irruptionem anno* 835, *Bertinianus anno* 836, *Sigebertus autem anno* 837 *consignat. Hæ tamen epochæ cum scriptoris nostri narratione conciliari non possunt, nisi quis* S. Fredericum *citius cæsum esse probaverit, aut Normannos serius Durostadium vastasse ostenderit.*

b *Durostadium, quod ab antiquis geographis vocabatur* Batavodurum, *et nunc vulgo* Wyckte-Duerstede,

A Duerstede, *est oppidum Ultrajectinæ provinciæ in Belgio. Aliqui scriptores cum Auctore nostro antiquam ejus magnificentiam ita extollunt, ut sine teste synchrono mihi nullo modo verosimilis videatur.*

c *Ille* S. Frederico *fratri suo immediate in episcopatu Ultrajectino successit.*

d *Joannes de Beka in Chronico pag.* 27 *hunc præsulem ita laudat :* Defuncto quidem Africo pontifice, Ludgerus decimus Trajectensis electus est episcopus, vir devotus *etc.*

e *Hic fuit XV Ultrajectinæ ecclesiæ episcopus, qui post diuturnum regimen anno* 977 *obiit.*

f Ingelheim *fuit celebre regum Francorum palatium, non procul a Rheno situm. Quo loco et modo mortuus fuerit Ludovicus Pius, legi potest apud Cointium in Annalibus Francorum ad annum Christi* 840 *a num.* 17. *Ex Ms.*

g *Juditha anno* 843 *obiit, et sepulta est Turonis in ecclesia S. Martini, ut constat ex chronicis San-Gallensi, Lemovicensi, et Engolismensi, quamvis id auctor noster ignorasse videatur.*

h *Ex hoc loco inter alia scriptoris nostri ætatem præterpropter conjecimus in Commentario prævio.*

i *Aliqui inter Alfricum et Ludgerum statuunt Egihardum Ultrajectinæ eccl. episcopum, proferuntque diploma Lotharii imperatoris, in quo diserte exprimitur,* Egihardus veteris Trajecti ecclesiæ vocatus episcopus. *Cur autem iste in plerisque catalogis omittatur, non est promptum divinare.*

DE S. BRUNONE EPISCOPO

SIGNIÆ IN LATIO.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. B. S.

B E

§ I. Sancti natales inter Vitæ scriptores controversi.

...no MCXXIII. ...scrip... Petrus ...us et ...mus.

Cum *a* S. Brunonis *Vitæ scriptoribus nonnulla repetenda sint quæ ad controversa ejus adjuncta pertinent ; ita ordiendus fuit hic commentarius, ut illorum paulo plenior notitia haberetur, priusquam ad cultum progressus fieret. Neque de Signia describenda laborandum fuit, apud Ughellum satis depicta. Fateor equidem ad Actorum veritatem stabiliendam haud magnopere conferre, uter duorum biographorum, de quibus quæritur, rectius scripserit; at tanti momenti visa sunt paucula capita, ut negligenda non censuerim. Leonem Ostiensem Chronici Cassinensis priorem partem edidisse et ad reliquum opus materiam Petro Diacono subministrasse, saltem viam stravisse, pro comperto habetur. Uter ea scripserit quæ* S. Brunonis, *seu mavis* Bruni, *Acta concernunt, nihil opus est diligentius inquirere, cum manifestum sit, ambos* Brunoni *ætate fuisse suppares, licet Ostiensis paulo* C *senior, Petrus vero,* Brunoni *superstes, aliquanto junior fuisse sciatur. In jam dicti Chronici variis capitibus sancti hujus* Brunonis *gesta enarrantur, verum paulo aliter quam ea concinnaverit digesseritque scriptor alter anonymus, quem cur Chronico isti præferendum omnino existimem, ordine explicandum suscipio. Neque enim curandam putavi Vitam Italicam, Romæ an.* 1698 *editam, cujus pretium nullum esse potest, nisi qua parte ex jam dictis fontibus accepta est.*

...m primo ...re Mala-...la.

2 *Disceptationi ansam ultro præbuit R. D. Philippus Malabayla Astensis civis et Cisterciensis congregationis S. Bernardi olim visitator, in Actis hisce nostris ob singularia merita pridem et sæpe laudatus, edita super his disquisitione quam invenio præfixam* S. Brunonis *operibus, a Mauro Marchisio monacho Benedictino collectis atque edi cœptis, ab Aloysio autem Squadrono illustratis ac vulgatis Venetiis anno* 1651. *Miserat olim ad Bollandum præfatus Malabayla Acta ipsa Sancti ab anonymo conscripta, atque ex tabulariis ecclesiæ ipsius Signiensis desumpta, quibus manu sua eas notationes jam tum subjunxerat quæ deinde disquisitioni jam dictæ fundamenta præbuerunt. Tradunt nonnulli, ipsissima ea Acta pridem typis excusa fuisse, verum apud nos non exstant, defectum supplentibus duobus exemplis manu exaratis, quorum alterum Roma ad Rosweydum misit noster P. Jacobus van Quaille anno* 1623, *alterum suppeditavit ipsemet Malabayla cum adjunctis, de quibus jam loquebar Mss. annotationibus ; quibus demum accessit editio Veneta, quam cum Mss. collatam brevi exhibebimus.*

3 *Ad articulos potissimum quatuor totum dissertationis argumentum reducit Malabayla, quos priusquam expendam, abs re non erit pauca de auctore anonymo præfari, ut lector de ejusdem fide et sinceritate securius statuat. Nomen ipse suum non expressit, nec ea addidit lineamenta, unde munus aut dignitatem satis certo dignoscas. Mihi quidem fit verosimile, canonicum fuisse Signiensis ecclesiæ, ex singulari illa, quam profitetur Signiensi episcopo obedientia.* Noveritis, *inquit,* me hoc ex mandato inchoasse venerabilis viri Petri, ejusdem sedis *(Signiensis)* episcopi, qui memorato sancto *(Brunoni)* quartus in pontificali dignitate successit : cui non immerito F obedientiam credidi, cum scriptum sit, Quia melior est obedientia victimis. *Ita anonymus in prologo, cujus inde ætatem conjicies, quod sub Petro, quarto a* S. Brunone *Signiensium episcopo, se tradat vixisse. Cum vero Petrus, ab Alexandro III creatus, jam ab anno* 1179 *apud Ughellum Lateranensi concilio interfuisse legatur, consequens est, anonymum nostrum ante annum* 1180 *floruisse, ut infra magis declarabitur, atque adeo* S. Brunonis *ætati proximum, quippe qui mortem obierit an.* 1123, *ut suo loco dicemus. Recentissimam autem tum adhuc Signiæ fuisse viri Sancti memoriam, clarius est quam ut in dubium revocari possit.* *ast anonymus merito præferendus est.*

4 *His ita præmissis, venio ad capita controversiæ, quæ ad quatuor præcipua a Malabayla jam dixi revocata esse. Primum est de* S. Brunonis *ortu seu familia ; et huic affine alterum de ejus patria. Tertium ad canonicatum spectat, qua nempe in ecclesia eo munere seu præbenda potitus fuerit. Postremum de causis recessus e monte Casino : quæ omnia modo longe diverso hinc ab auctoribus Chronici Casinensis, inde ab anonymo memoriæ tradita* *Capita quatuor controversiæ.*

AUCTORE J. B. S.

tradita sunt. Hic jam quæritur, cujusnam fides sincerior, cujus auctoritas præferenda sit, Chronici an anonymi? Pro Chronico acriter decertat Malabayla, utpote cujus auctores et Casinenses ambo monachi, et Brunonem *ambo de facie noverint, saltem novisse potuerint. Quam in rem vulgatissimum illud affert;* Potiorem locum sibi in historicis vindicare illum, qui vel rebus ipsis præsens affuit, vel ab iis qui aderant, eas accepit; vel certe rerum memoriæ, ut ait Livius, proximior vixit; etiamsi huic tempore posteriores majoris alioquin sint auctoritatis. *Equidem in eam sententiam regulamque ultro concedo, verum quid ea tantopere ad rem faciat, non video; cum Petrus Casinensis Bibliothecarius, quem librum quartum Chronici scripsisse constat, quique non nisi puer adhuc* S. Brunonem *vidisse potuit, ab anonymo tantillum ætate differat, ut in considerationem venire non possit: unde ex hoc capite nullius momenti præsidium Malabaylæ accedit.*

non recte explicuit Malabayla,

5 *Multa alia congerit ad infirmandam anonymi augendamque Petri fidem, quæ si accurate expendas, nihilo plus conferre deprehendes. Mihi non vacat singula persequi, qui nullo partium studio ducor, a quo non facile Malabaylam immunem reddes, pro cive et populari, ut vult, suo, immodice efferentem quidquid ad illustrium natalium splendorem aliaque hujusmodi spectare existimat. Nihil Chronico, nihil auctoribus ejus, ne vel apicem quidem detractum velim; ceterum qui Acta, ab anonymo sincere et candide descripta, quæ proxime expendemus, attente consideraverit, tantam in iis simplicitatem, integritatem et fidem in omnibus animadvertet, ut vel invitus mecum fateri cogatur, omnem ea cujuscumque invidiam superare: contra vero, nonnullos errores adeo palpabiles in Chronicon irrepsisse, ut vix credibile sit, aut Leoni aut Petro excidere potuisse. Speciminis loco sint principium et finis eorum quæ ad* S. Brunonem *spectant, ubi adventus* Brunonis *Romam, et in episcopum Signiensem designatio ad Urbani II tempora a Chronico referuntur, et obitus pridie Kal. Septembris in prædicto Chronico, multo melius ab anonymo consignantur, in quibus fatetur Malabayla, Bibliothecarium Casinensem a veritate omnino aberrasse.*

neque aliunde explicari possunt.

6 *Hæc, inquam, speciminis gratia quæ a Malabayla ultro conceduntur, nulla satis excusatione digna, quibus et alia accedunt a Chronico non satis exacta, quæ interim ab anonymo diligenter juxta ac fideliter enarrantur. Ut ea jam taceam in quibus Trithemius, Bucelinus aliique hallucinati sunt, ubi de rebus a* S. Brunone *gestis scriptisque magis pro arbitrio, quam ex certis monumentis aut statuunt aut parum verosimiliter conjectant. Et Trithemius quidem opera ipsi alia, quam scripserit, tribuere videtur, alia ipsi propria, nescio qua de causa abjudicat. Bucelinus vero in suo Menologio ita res confundit, ut nec anonymum nec Chronicon ipsum consuluisse dicendus sit.* Brunonem *hic, ejurato sæculo, cucullum induisse asserit, priusquam a sancto Gregorio VII ecclesiæ Signiensi præficeretur. At, monachum etiamnum in pleno Romano concilio cum Berengario, Sacramentariorum omnium antesignano, hæresiarcha accuratissimo, congressum, nempe quo tempore nec de monachatu* Brunonem *cogitasse satis constat. Multo alia etiam a domesticis tradita, ut pateat, quam non fideliter Sancti nostri Acta prosecuti sint quicumque ab anonymo recesserunt.*

Satis accuratum est Ferrarii de S. Brunone elogium.

7 *Nemo, mea quidem sententia, elogium brevius accuratiusque de* S. Brunone *contexuit quam ejus popularis Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ, cujus verba transcribere operæ pretium visum est priusquam ad Malabaylæ argumenta deveniamus. Ita habet ad diem Julii* XVIII. Bruno Soleriæ, pago agri Alexandrini non obscuro, Andrea patre et Scylla matre, piis parentibus ortus, in cœnobio S. Perpetui primum, deinde Bononiæ litteris operam dedit: cumque et moribus et litteris profecisset, Senis cathedralis ecclesiæ [canonicus] factus est. Inde Romam profectus, cum adversus Berengarium perversa de Eucharistiæ Sacramento sentientem disputasset, confutassetque, a Gregorio VII Pont. Max. episcopus Signinus creatur. Quod munus pastorale aliquot annos executus, contemplationis desiderio captus, in cœnobium Casinense se contulit: ubi cum vitam monasticam professus esset, ad ecclesiam suam, instante populo, invitus redire cogitur. Is a Paschale II Pont. Max. in Galliam primum, deinde in Siciliam ad eas ecclesias reformandas legatus mittitur. Quod cum egregie præstitisset, ad ecclesiam Signinam reversus, cum aliquamdiu illi sancte præfuisset; ac sub eodem Pontifice concilio generali Lateranensi affuisset, cumque plura pie docteque scripsisset, denique laboribus ecclesiasticis, et ætate confectus sub Callisto II Pont. Max. circa annum salutis MCXX (*imo* MCXXIII) migravit e vita XVI (*imo* XV) Kal. Augusti, multis clarus miraculis *etc.*

verum ex anonymo potius quam ex Chronico,

8 *Porro Ferrarii ad hæc annotatio tanti est, ut hic adscribi mereatur, usui futura ad ea securius expendenda quæ tanto conatu urget Malabayla.* Monasterium autem, *inquit,* S. Perpetui in memorato pago Soleriæ, qui Oliviensi pago, unde orti sumus, proximus est, non exstat, in ecclesiam collegiatam et parochialem, cui præpositus cum canonicis aliquot præest, conversum. *Hactenus Ferrarius conformiter plane ad ea quæ scripsit anonymus, quæque Baronius aliique Chronici auctoritati longe præferenda censuerunt. Ita ille Legendam suam exorditur:* Beatus Bruno ex Lombardiæ provincia, de villa quæ Soleria dicitur, duxit originem, humili quidem parentum exortus prosapia, velut in pauperis hortulo plerumque nascitur lilium vel rosa. *Chronicon contra asserit* ortum ex illustri Astensium prosapia. *Atque hic primus est controversiæ nodus a Malabayla operose discussus. Et quidem duo peccasse anonymum contendit; nimirum et circa patriam, et circa parentum conditionem. Illam, Astam dicit, parentes vero non solum non ignobiles sed ex illustri sanguine progenitos, atque* Astensis *cognomentum non tamquam gentile, sed ut familiæ proprium pridem gessisse. Quibus id argumentis verisimile facere conetur, malo ex ipsa ejus disquisitione lector perspiciat, quam hic a me frustra refutetur.*

de Sa[illegible]

9 *Ego et prosapiæ splendorem et illustrissimos natales* S. Brunoni *facile concessero, tametsi nullam comminiscar* Astensem familiam, *ante Malabaylam scriptoribus omnibus incompertam. Arnoldus Wion in Ligno vitæ, Chronicon ferme transcribit, dum ait Brunonem* ex illustri Astensium sanguine *ortum. Ab eo vix differt Camillus Peregrinius, in serie abbatum Casinensium, eum* ex illustri Astensium civium prosapia *genitum prædicans.*

A *dicans. Et ita reliqui pro* S. Brunonis *nobilitate certantes, sic tamen ut ejus causa, nemo familiam* Astensem *excogitandam putaverit. Aliam viam Ughellus ingreditur :* Astæ natus est, *inquit,* ex familia Soleria nobilissima, castelli Solerii domina. *Ughellum sequitur Joannes Baptista Marus in annotatione ad Petri Diaconi libellum de Viris illustribus Casinensibus. Alii alia miscent quæ non facile ad veritatem reduxeris nisi, medium tramitem ingressus, anonymum cum Chronico quoquo modo concilies. Id qua ratione fieri possit non video, præterquam si* Brunonis *parentes et nobiles et aliquali rerum familiarium domesticarumque angustia pressos fateare. Hinc fieri potuerit, ut et cives Astenses nobili prosapia ortos dicas, et tamen ruri degere coactos, tamquam humiliori loco natos acceperit, qui avitam nobilitatem ignoraverit anonymus. Eo item pacto et origine Astensis fuerit* Bruno, *quamquam in pago aut villa Soleria in lucem editus. Nec refragabor, si castelli Solerii dominos parentes vocites, unde Ughellus et alii a dominio qualicumque* S. Brunonis *familiam nuncupandam existimaverint.* B

...de parentum conditione ...minibus.

10 *Quam frequenter, ne dicam quotidie, accidat, ut familiæ bene nobiles ad rastros redigantur, ut de aliis regionibus taceam, docet in hoc nostro Belgio funesta nimis et deploranda experientia, qua provinciæ aliæ, præsertim Insubricæ, non eximuntur. Ceterum si cui conjectura nostra minus arrideat, per me licet, modum alium adinveniat quo et Chronicon et anonymi Acta ad concordiam reducat. Mihi cum Malabayla disputare non lubet, tametsi non solum a Trajani sed vel ab Augusti sæculo* Astensis *prosapiæ originem repetere in animum induxerit. Alia* Brunonis *sunt decora quam quæ a genere et a proavis mutuatus est, utpote qui, juxta anonymum,* genus suum virtutibus extulit, probis actibus decoravit. *De parentum nomine silet Chronicon, anonymus et scriptores reliqui omnes patrem unanimiter Andream appellant, nullo cognomine addito. In matris nomenclatura nonnihil variant, aliis Scyllam, aliis Squillam, nonnullis demum cum Baronio Vuillam scribentibus. Attamen exigua illa diversitas non aliunde quam ex librariorum vitio procedere videtur, uti fit, dum ex varia litterarum efformatione altera alteri facile supponitur. Si quæras quid præferendum censeam ; præplacet modus scribendi Baronii, nempe* Willa *celebre olim in Etruria marchionissæ nomen, ut videre est in Chronico Florentino Puccinelli a pag.* 195, *quod facile ad alias Italiæ provincias translatum, feminis proprium evaserit, fortasse per diminutionem a Guilielmo, alias Willelmo, aut alio quopiam viri nomine derivatum ; unde et* Guilla, *Gall.* Guillemette *et* Guillemin. *Sed jam ad tertium controversiæ caput accedamus.* C

§ II. Canonicus Senensis, non Astensis fuisse dicendus est, et cur e monte Casino recesserit.

...Astensem ...Senensem ...um

Sæpe *citatum Chronicon verbis a nobis relatis de illustri Astensium prosapia, statim subjungit,* sed illustriores ab infantia possidens mores, liberalibusque studiis a pueritia sufficienter instructus, Astensis episcopi *(alii legunt* episcopii) canonicus exstitit. *Nihil de eo canonicatu memorat anonymus, sed postquam pueritiam in monasterio S. Perpetui exactam, decursaque Bononiæ altiorum disciplinarum studia diligenter prosecutus est, hæc addit :* Doctoris itaque nomen assecutus et gratiam, Senas petiit, ibi ab episcopo et canonicis honorifice susceptus, atque in canonicum majoris ecclesiæ gratanter admissus est. *Hic rursus Malabayla adversus anonymum pro Chronico pugnat.* Quis sibi persuadeat, *inquit,* adeo præclaræ indolis adolescentem, a parentibus in Bononiensi academia congruis impensis pluribus annis sustentatum, post assecutam doctoratus lauream, non quidem in patriam revocatum ab iis et ab episcopo suo inter concives canonicos cooptatum : sed illis insciis vel invitis, aliorsum divertisse, et ignotum ab ignotis inter canonicos Senenses tum adscriptum? *Quid hæc probent, penes te, lector, judicium esto. Quasi vero tam præclarus doctor qui jam* rogatu Ultramontanorum *(teste anonymo)* Psalterium secundum Gallicanam translationem compendiosa expositione percurrerat, *non potuerit Senensi episcopo et canonicis forte condiscipulis innotuisse, et ab ipsis invitatus, Senis potius quam in patria, doctrinæ et virtutum radios circumferre.* E

AUCTORE J. B. S.

ex Sancti ipsius scriptis evincitur,

12 *Alia non desunt quæ Malabaylæ interrogationibus aptissime respondeam. Verum quid multa? Litem hanc Sanctus ipse dirimet præfatione in Apocalypsim diserte testatus, se Senensem fuisse canonicum, idque eo loco et modo, ut si umquam Astensis fuisset, procul dubio non dissimulasset. En ejus verba :* Et prius quidem quam ad episcopatus dignitatem, Christo Domino non meis meritis me vocante, conscenderem, Ingoni Astensi episcopo Psalterium. Senensibus vero canonicis victitabam, Cantica Canticorum, prout potui exposui. *Ludit Malabayla in hac voce* qualiscumque *et in alia* victitabam ; quæ profecto verba, *inquit,* eum potius ab iis sustentatum, quam ex illorum numero, seu, uti dicitur, gremio fuisse ostendunt. *Minime vero ; sed ea verba aliis conjuncta aperte demonstrant,* S. Brunonem *verum fuisse canonicum inter Senenses canonicos ; imo, nisi vehementer fallor, ex toto contextu a me allegato, non minus aperte evincitur, nullum umquam alium canonicatum eum obtinuisse. Quid enim? poteratne offerri locus opportunior loquendi de suo canonicatu Astensi, quam ubi diserte affirmat se Ingoni episcopo Astensi Psalterium exposuisse seu dedicasse? Dixisset saltem Domino meo, Episcopo meo vel simile quid, unde vel conjectura tenui assequi liceret, eum in Astensi episcopatu aliquod beneficium ecclesiasticum possedisse.* F

adversus Malabaylæ argu-

13 *Tam diserta canonicatus Senensis affirmatio, tam altum de Astensi silentium, in iis rerum circumstantiis, ut nulla appareat ratio unum præ altero indicandi, tam aperte, meo quidem judicio anonymi narrationem confirmant, ut quidquid conetur Malabayla, ejus auctoritatem nullatenus infringat. Ast, inquit, nulla Senis de* S. Brunonis *canonicatu exstat memoria : esto : An aliorum omnium memoriam proferre ipse poterit, qui toto illo et forte sequentibus sæculis cathedralis Senensis canonici fuerint? Evenit omnino feliciter, ut Sanctus ipse beneficii olim Senis accepti meminerit, quod ad rem nostram satis superque esse nemo, opinor, dubitaverit, nisi Malabaylæ præjudiciis laboret. Attamen nequid intactum prætermittam, alia ejus argumenta audiamus* quibus

AUCTORE J. B. S.

Astensis ecclesia suum canonicum vendicat. Et primum ejus imago antiquitus picta in tabula superposita altari, in quo die natalis ipsius, quæ est XVIII Julii, solennia sacra in ejus honorem peraguntur. *Quæ ea aut qualis imago, non satis explicat. Quod si eam velit quæ ejus operibus præfixa conspicitur cum hac epigraphe.* Effigies S. Bruni Astensis, Signiensium episcopi, et abbatis M. Casini, referens eum in habitu, quo tum incedebant cathedralis Astensis canonici, cardinales dicti, vitamque communem, S. Benedicti regulæ accommodatam ducentes, e quibus ipse unus erat, cum illorum episcopo Ingoni Psalterium exposuit : *si eam velit, inquam, nihil magnopere probaverit.*

quæ nihil prorsus conficiunt.

14 *Etenim epigraphe illa ad arbitrium, et fortasse ab ipso Malabayla composita videtur. Imago ipsa, ad pictoris ingenium efficta, Sanctum refert vix juventutem egressum, jam tum pedo instructum aliisque lineamentis ita ornatum, ut non facile tantam vetustatem agnoscas ex qua prætensus canonicatus* Brunoni *vindicetur. Nec magis rem conficit, quod* in tabulario ejusdem ecclesiæ *(Astensis)* studiose asservatur publicum documentum donationis eidem factæ de locis CANALIUM et S. STEPHANI, ab Adeleide comitissa; ubi inter eos qui chirographum suum apposuerunt, legitur subscriptus Brunus, quem canonici constanter tenent fuisse sanctum Brunum. *Certe non adeo singulare fuit ea ætate* Bruni *sive* Brunonis *nomen ut non potuerit multis esse commune quemadmodum ex iis constat quos eo ipso sæculo sanctitate illustres novimus.* Sed canonici constanter tenent eum fuisse sanctum Brunum. *Teneant, per me licet, et constanter teneant, illustrissima ortum familia, et genere et cognomento Astensem; nihil ego horum decorum Sancto nostro invideo : quæ dixi hactenus, in eum finem tantummodo adducta sunt, ut scriptoris anonymi fides adversus Malabaylæ disquisitionem propugnetur.*

Sancti ipsius Officio rem totam dirimente.

15 *Quæ autem huc usque stabilire conati fuimus, egregie confirmantur ex ipso* S. Brunonis *Officio ad normam Romanam reviso, restituto, et a S. Congregatione approbato, Romæ typis edito* 1592, *in quo* IV *Lectio in hunc modum concepta proponitur :* Bruno Soleriæ in Insubria, non procul ab Aste civitate, Andrea et Scylla parentibus honestis et religiosis natus, admodum puer, religiosis viris monasterii S Perpetui Astensis diœcesis in disciplinam traditus, in omni ecclesiastica doctrina mirabiliter profecit. Inde Bononiam studiorum causa missus, tum secularibus tum divinis litteris egregiam operam dum navasset, doctoris nomen assecutus est. Cum autem in Etruriam, episcopi civitatis Senarum cujus per id tempus nomen erat celeberrimum *(erat is Radulphus patria Coloniensis, quem Tintus et Thomasius apud Ughellum sanctissimum virum appellant)* visendi studio se contulisset, et ab eo est benigne acceptus, et in canonicorum majoris ecclesiæ collegium publico omnium gaudio adlectus. *Nec sane cum Malabayla sentiunt Benedictini omnes, ut non dicam plures refragari. Marcus Antonius Scipio, in Abbatum Casinensium elogiis, rotunde enuntiat,* Brunonem *emenso studiorum curriculo, jam* natu grandiorem in Etruriam discedentem, Senis in templo maximo, magna sodalium approbatione, canonicum aliquamdiu egisse. *De Astensi canonicatu verbum nullum.*

De monachis Casinensibus dure nimis locutus anonymus,

16 *Superest controversiæ caput ultimum in quo iste anonymum vellicat acerbius, quasi si commentis suis sanctitati et existimationi monachorum Casinensium vehementer detraheret. Rem paucis expediam, ubi Chronici Casinensis verba cum anonymi commentariis contulero. Erat inter Paschalem Papam II et* S. Brunonem, *tunc abbatem, non modica dissensio, ex eo quod Pontifex quamquam adhibita vi coactus, investiturarum privilegium Henrico imperatori concessit : eaque ex nimia forte Sancti libertate adeo exarserat, ut, teste Chronico, Papa profiteretur :* Nisi illum a monasterii administratione removero, ipse suis argumentis Ecclesiæ mihi regimen tollet. *Notandum porro, ut ex vitæ serie deinceps patebit, prius Signiensis ecclesiæ commissam* S. Brunoni *administrationem, quam Casini monachum indueret. Itaque* eidem abbati *Brunoni* direxit epistolam *Paschalis Pontifex,* qua vetuit, ne ultra episcopus esset atque abbas. Neque enim ultra ferre Apostolicam sedem, episcopum aliquem monasterio præesse tam celebri. Fratribus etiam per Leonem Ostiensem episcopum et hujus cœnobii monachum, litteras misit, mandans ne ipsi viro ulterius obedirent. *Hinc pronum est conjicere ex diversis monachorum studiis non mediocres turbas in monasterio exortas. Has autem dum altius repetit anonymus aliaque admiscet, quæ licet monachis honorifica non sint, continuo tamen ut falsa ac commentitia traduci debere non videntur. Ait itaque* in Casinensi monasterio, exceptis paucis qui manus suas lavabant inter innocentes, conventus erat malignantium, qui professionem monasticam habitu profitebantur, sed operibus denegabant *etc.*

facile ad sanum sensum reducitur,

17 *Duriora hæc sunt, fateor, quam ut ad litteram, seu, ut aiunt, in rigore verborum accipi debeant : verum si ad sanum sensum reducantur, ita intelligi poterunt, ut pauci illi, abbati suo et divino obsequio plane addicti, de aliorum machinationibus nihil curaverint. Pars maxima, uti fit, nec dyscolis nec bonis omnino annexa, magis tamen malignantium parti occulte faverit aut saltem consenserit : unde factum, ut* diabolicis suggestionibus instigati, in abbatem suum conspirationem facientes, ipsum apud summum Pontificem accusarint, scientes eum indignationem Domini Papæ Paschalis graviter incurrisse *etc. Iis deinde secutis quæ ex Chronico retulimus, ex earum* continentia litterarum iidem monachi *(solos ego malignantes intelligo)* occasione accepta, illum non solum contumeliis verum etiam verberibus animo irreverenti et infrunito afficientes, de monasterio ejecerunt. *Pro indubitato mihi est, non omnes, imo nec potiorem partem in tam tetrum facinus consensisse, forte nec ipsos illos qui tumultuantibus antea non refragabantur. Quapropter recte subjungit anonymus,* Plerosque ex monachis qui spiritu Dei agebantur, super Patris injuria magno dolore commotos, ipsum libenti animo fuisse revocaturos, nisi timuissent mandatis Apostolicis obviare. *In iis vocibus* Plerique, *et superius citatis* exceptis paucis, *manifestam se contradictionem deprehendisse insultabundus gloriatur Malabayla. Immerito quidem, nam cum* plerique *non de omnibus monachis, sed de aliquibus tantum enuncietur ex eorum numero,* qui spiritu Dei agebantur; *si ambas particulas exactiori trutina perpendas, nullo negotio conficies, plerosque illos ex iis* qui spiritu Dei agebantur, *ad* paucos *illos referri quos paulo ante memoraverat.*

18 *Hæc*

AUCTORE J. B. S.

18 *Hæc ad salvandam contradictionem dicta sunto: neque enim existimare ausim, in tam celebri monasterio totque Pontificum Romanorum ac episcoporum seminario, paucos fuisse qui spiritu Dei agerentur. Crediderim potius non nullum spiritum nationalem paulo ardentiorem inter eos religiosos, quantumvis cetera pios et bonos, viguisse, quem non ita perspiciens anonymus, in sequiorem sensum interpretatus sit. Certum est ad Montem Casinum ex diversis partibus orbis omnis nationis viros confluxisse (ut testatur Leo Ostiensis in prologo, atque in notis Angelus de Nuce) non omnes ea propensione vacuos, qua in populares magis quam alterius generis homines ferri solemus. Cum autem Insubres seu Longobardos, neque hoc tempore tanti facere soleant Itali reliqui, minime mirum videbitur, si ex iis partibus oriundos tenerius forte amaverit Sanctus ipse, et illi abbati suo addictiores fuerint, non sine aliqua ceterorum invidia, qua instigante, contentiones, simultates, discordiæ exortæ fuerint. Ne vero hæc temere a me cogitata existimes, argumento sunt verba a Chronico recitata cap.* XLII *editionis ab Angelo de Nuce vulgatæ* 1658, *ex qua etiam superiora desumpsimus.* B *Nimirum cum jam Pontificis jussu* S. Brunonis *ex Casino monte recedere deberet;* fratres convocavit... simulque etiam monuit illos, ut, si vellent abbatem quem ipse eligeret, et illos et hunc locum pro suo posse protegeret atque defenderet. Erat tunc in hoc monasterio frater quidam, Peregrinus nomine, natione Ligur *(ex ea nempe Liguria ex qua Sanctus ipse a Chronico fuisse dicitur)* seculari astutia callidus, cui eamdem abbatiam dare decreverat. Quod cum fratres didicissent, dixerunt Abbati *etc. Secuta est armatorum militum, a Peregrino in suum auxilium evocatorum, violenta in abbatiam irruptio, quos* Fratres, nimis hæc indigne ferentes, ac unanimiter super illos irruentes de monasterio ejecerunt. *Nonnulla ex his detruncaverat Matthæus Lauretus quæ Angelus de Nuce restituere non dubitavit, addita observatione ex qua conjectura nostra non parum firmatur:* Admisso etiam, *inquit,* Brunonem aut præjudicata mente deceptum, quod Peregrinum præ ceteris digniorem reputaverit: aut privato erga Ligurem civem et domesticum affectu præventum, C abbatiæ infulis illum ornare statuerit, metu monachis per milites incusso, an tota illico Brunonis sanctitas irreparabiliter pessum ibit? Sancti viri, sancti quidem fuerunt, at homines: humanum nihil ab illis alienum fuit.

19 *Ex his, ni fallor, elucet id quod dicebam,* S. Brunonis *erga populares suos studium, quo procul dubio aliorum monachorum animos non parum a se alienos reddiderit. Mihi certe probabilissimum est, hinc primas invidiæ scintillas exarsisse quæ sensim accrescentes, causis aliis seu prætextibus facile accedentibus, ita Italos omnes exasperarint, ut habito ad Pontificem recursu, de* S. Brunone *expellendo palam conspirarint, eumque reipsa ignominiose ejecerint, uti anonymus pluribus postea demonstrabit: in quo id solum desiderari existimo, quod corruptis monachorum moribus tribuerit, quæ verosimillime ex mero eorumdem nationali spiritu originem traxisse videntur, haud quaquam a graviori culpa excusanda, eaque tali ut punitionem merita sint, quam anonymus in Actis describit. Neque vero opus est, singulos ea qualicumque labe afflatos censeas; nam pervulgatum scimus, ut non religiosis solum sed quibuscumque communitatibus affricari soleat, quod vix paucis quandoque personis merito adscribi possit. Ad anonymi sententiam recte exponendam atque cum Chronico conciliandam hactenus dicta sint satis; non displicitura, opinor, æquis rerum æstimatoribus. Certe seditiones hujusmodi, quamvis fortasse aliis de causis, in Monte Casino non adeo raras fuisse, is facile statuet qui paulo attentius Chronicon evolverit. Videat interim lector solum caput.* XXIX, *lib.* IV, *cujus hic est titulus:* Qualiter monachi conabantur abbatem Ottonem deponere. *Is vero cum sanctum* Brunonem *proxime antecesserit, quid mirum si aliqui superfuerint rerum novandarum turbandarumque studiosi. Rem invidiosam pluribus tractare non lubet: quæ ad Sancti cultum et reliquas vitæ circumstantias spectant sequenti paragrapho prosequemur.*

§ III. S. Brunonis canonizatio, cultus, Officium et Vitæ series.

E Verum canonizationis Sancti tempus,

Multa hic rursus occurrunt ad concordiam reducenda, variantibus non solum Chronico et anonymo, sed iis etiam qui de secuta Sancti canonizatione aliisque ad cultum ejus spectantibus scripserunt. Est quidem extra controversiam, S. Brunonem, *tum in vita tum post mortem miraculis clarum, et a Signiensibus et a monachis Casinensibus pro Sancto habitum, statim ab obitu privato saltem cultu honorari cœpisse, donec legitima auctoritate, annis post decessum octo et quinquaginta, a Lucio III inter Sanctos relatus est. Ita ferunt monumenta Signiensia ex quibus Officium, supra a nobis citatum, reverendissimus D. Josephus Veronensis, Signiensis episcopus procul dubio concinnavit. Refert Ughellus et ex eo alii, in cathedrali Signina inscriptionem spectari ad perennem rei memoriam, qua præfata canonizatio peracta dicitur. Est autem hujusmodi:*

MEMORIÆ ÆTERNÆ BEATI
BRUNONIS
QUEM LUCIUS III PONT. MAX.
CARD. ET EPISCOP.
CONVENTU
SIGNIÆ IN ECCLESIA B. MARIÆ
UBI DEFUNCTUM CORPUS
QUIESCEBAT, INTER SANCTOS
JUSSIT ADSCRIBI
ANNO AB EJUS ABSCESSU LVIII
S. P. Q. S

F

Hinc colligas, manifestos errores irrepsisse in appendicem Actis anonymi subnexam, dum dicitur: Dominum Lucium Papam tertium, in ecclesia Signina, quadragesimo anno post obitum beati Brunonis, canonizavisse ipsum sanctum Brunonem. *Et additur:* Ipsam canonizationem factam fuisse tempore domini Bartholomæi episcopi Signini.

ex anno obitus definiendum est.

21 *Ad hæc refellenda, explicandaque nonnulla alia in hac re satis dubia, necessarium omnino est, ea explorare ex quibus constet, quo anno vir Sanctus ex hac vita migraverit. Matthæus Lauretus Hispanus Casinensis monachus in notis ad sæpe citatum Chronicon, ab ipso editum Neapoli* 1616, *putat juxta veriorem computationem, obitum Brunonis anno* 1125 *consignandum, in quo non paucos habet sibi consentientes, eo, ni fallor, argumento ductos*

AUCTORE J. B. S.

ductos quod Angelus Rocca, libro de Canonizatione Sanctorum, alicubi testetur, asservari Romæ in bibliotheca Patrum Congregationis Oratorii bullam canonizationis S. Brunonis *factam a Lucio III anno Domini* 1183. *Hic vero annus cum esse debeat ab obitu Brunonis* 58, *sequeretur eum vita functum prædicto anno* 1125. *Ceterum et a Rosweydo pridem, et ab aliis prædecessoribus nostris bullæ istius qualecumque apographum obtineri hactenus non potuit. Suspicor ego nihil ibi aliud reperiri quam quod modo ex appendice ad Acta Signiensia referebam, nimirum a Lucio III in numerum Beatorum relatum* S. Brunonem *quadragesimo anno post obitum, non assignato anno æræ Christianæ quo id contigerit. Invenio etiam in Officio Romano, superius laudato, Brunonis canonizationem anno* 1183 *innexam. At enim hæc omnia per se concident, ubi annum obitus* S. Brunonis *stabiliverimus.*

qui certo incidit in ann. 1123,

22. *Neque vero is certius definiri potest quam ex ipsis Anonymi Actis, in quibus sub finem ita legitur :* Migravit ad Dominum, quinto decimo Kal. Augusti anno quinto Pontificatus Domini Calisti II, sui vero episcopatus qua-
B dragesimo quarto. *Notant hi characteres non annum* 1125, *sed* 1123 : *nam cum Calistus II creatus sit mense Februario* 1119, *currebat ejus annus quintus quando* S. Bruno XVIII *Julii* 1123 *extremum diem clausit, nec ea ulterius differri possunt. Accedit unanimis scriptorum omnium consensus, initia episcopatus ejus collocantium anno* 1079 *sub Gregorio VII, eo ipso anno scilicet quo in Concilio Romano* VI *cum Berengario* Bruno *disputaverat. Ex eo autem capite aperte evincitur,* Brunonis *vitam ultra annum* 1123 *non esse extendendam. Demum cum in confesso sit, ex altera Actorum appendice, Honorium III anno* 1223 *Brunoni aram erexisse et propriis manibus consecrasse, is vero diserte fuisse dicatur annus ab obitu* Brunonis *centesimus, consequens iterum est eum e vita migrasse* 1123. *Idque ex eo etiam confirmabis quod, ut eadem appendix asserit, annus ille* 1223 *fuerit Honorii annus* VII, *utpote qui in Pontificem electus est* 1216.

unde plura refelluntur,

23 *His ita constitutis, nullo negotio refutantur quæ ex prima appendice falsa esse superius diximus, de* canonizatione a Lucio III facta anno post obitum Brunonis quadragesimo, *et*
C *de tempore Bartholomæi episcopi Signini pejus adhuc cum ea canonizatione connexo. Notior ejus Lucii Papæ III creatio quam ut in dubium revocari queat. Contigit illa* XXIX *Augusti* 1181, *atque adeo non nisi imperite (nescio a quo) scribi potuit,* Brunonis *canonizationem annis ab obitu quadraginta a Lucio III factam, quandoquidem est creatio annis omnino* 58 *ab ipso* Brunonis *obitu distet. Et si vere hic Pontifex anno post Sancti obitum* 58 *eum cultu sacro decoravit, id factum oportuit anno ejus pontificatus primo, Christi* 1181. *Quod autem magis mirere, Bartholomæus Lucio III conjungitur, tamquam Signinus episcopus, qui illo Pontifice annis fere septuaginta posterior est. Fides sit penes Ughellum in Catalogo episcoporum Signiensium, nullum ejus nominis producentem ante annum* 1256. *Pluribus opus non est, ut jam sæpe dicta appendix, saltem qua parte chronologiam attinet, prorsus convellatur. Forte nec in catalogo Cardinalium, quos Lucio III in canonizatione adfuisse narrat, satis accurata est, verum ubi de ipsius rei veritate abunde constat, frustra in iis nominibus diligentius inquirendis a nobis opera poneretur.*

24 *En modo totam, ut jacet, appendicem, ex qua canonizatio verificetur, editione Marchesianam utroque Ms. collata. Hunc præfert titulum :* Explicit Legenda sancti Brunonis. Sequitur canonizatio ipsius, una cum dedicatione altaris, cum Indulgentiis suis, ut infra. *Tum ita subjungitur :* Dominus Lucius Papa tertius, præsentibus multis Cardinalibus cum eo in ecclesia Signina, quadragesimo anno post obitum B. Brunonis, canonizavit ipsum S. Brunonem, et concessit annum Indulgentiæ omnibus ejus limina visitantibus in ejus festo. Cardinales vero qui astiterunt dictæ canonizationi cum dicto summo Pontifice fuerunt hi : Dominus Conradinus Portuensis, Albanensis, Dominus Paulus Prænestinus, episcopi *(ita ego legendum puto, tametsi et in impresso et in altero Ms. nomen* episcopi *transpositum reperiam)* Dominus Vincentius tit. S. Stephani in Cælio monte. Dominus Arduinus *(impressum habet* Adrianus) tit. S. Crucis. D. Lambertus tit. S. Mariæ in Transtyberim. D. Albertus S. Rom. Ecc. Vice Cancellarius. D. Stephanus tit. SS. Apostolorum. D. Octavianus tit. S. Chrysogoni. D. Jacobus tit. S. Mariæ in Navicella. E
D. Ranerius *(impressum legit* Zeinerius) tit. S. Georgii. D. Gratianus SS. Cosmæ et Damiani. D. Goffredus S. Mariæ in Via lata. D. Gerardus S. Adriani, Diaconi Cardinales. Ipsa vero canonizatio facta fuit tempore domini Bartholomæi episcopi Signini, qui injunxit *(numquid melius,* concessit?) omnibus ad dictum festum venientibus, visitando ejus limina, quadraginta dies, et durat per totam octavam, et similiter ceteri episcopi concesserunt. *Hactenus appendix prima.*

quæ in aliqua appendice commemorantur.

Ætas anonymi adversus Malabaylam statuitur.

25 *Quis vero, quo tempore, qua occasione illam Actis attexuerit, non habeo unde fundata satis conjectura distinguam. Illud mirari satis non possum, eam ab anonymo ipso adscriptam non esse, quem tamen ad Lucii III tempora pervenisse necesse est, si iis scriptoribus credimus, qui eum faciunt justo juniorem. Mihi indubitatum videtur, anonymum id non fuisse prætermissurum, si tum adhuc vixisset, utpote qui Petri episcopi, Lucii III synchroni, jussu Acta* S. Brunonis *se collegisse testatum reliquit. Hinc certe et Marchesium et Malabaylum refellas, qui, ut anonymi ætatem protrahant, audacter citant Ughellum tamquam qui Petri* F
illius tempora ad annum 1190 *reducat, ubi interim desertissimis verbis affirmat, præfatum Petrum ab Alexandro III, Lucii III decessore, creatum et ab anno* 1179 *concilio Lateranensi interfuisse. Nimirum scriptorum illorum intererat, anonymum a* S. Brunone *removere quam longissime, ad elevandam ei fidem, quam Casinensi Chronico vindicarent. Sed de his alibi satis. Hic solum obiter insinuatum volui, sæpe dictam appendicem Actorum scriptore multo esse posteriorem, et verosimiliter non prius, cum altera jam jam exhibenda, Actis illis adjunctam quam ab Honorio III peracta esset altaris consecratio, quæ illic ita describitur :*

Dedicatio altaris ab Honorio PP. III.

26 In nomine Domine Amen. Anno Domini MCCXXIII, Pontificatus sanctissimi Domini nostri D. Honorii Papæ III anno ejus VII, mensis Julii die XVI, anno centesimo post obitum B. Brunonis episcopi et confessoris civitatis Signinæ, dedicatum fuit altare ipsius B. Brunonis existens in ecclesia Signina ad honorem ejusdem Sancti, per manus supradicti summi Pontificis, astantibus infrascriptis

A frascriptis Cardinalibus, servientibus sibi in dicta consecratione, sive dedicatione, tribus episcopis, scilicet D. Petro Prænestinensi, D. Nicolao Tusculano, et D. Andrea Portuensi: et quatuor Presbyteris D. Stephano, D. Gregorio, D. Honorato, et D. Stephano. In quo quidem altari a dicto Pontifice reconditæ sunt hæ reliquiæ, videlicet. SS. Apostolorum Petri et Pauli. S. Laurentii M. S. Vincentii M. S. Cæsarii M. S. Mauritii M. S. Sebastiani M. SS. Cosmæ et Damiani MM. S. Saturnini M. SS. quatuor Coronatorum. S. Silvestri Papæ. S. Gregorii Papæ. S. Brunonis episcopi et confessoris. S. Mariæ Magdalenæ. S. Agathæ V. et M. S. Luciæ V. et M. S. Martinæ V. et M. Omnibus autem Christi fidelibus ad hanc dedicationem venientibus, in dicto die, dictus summus Pontifex de injuncta sibi pœnitentia, unum annum in Domino relaxavit, durante per totam octavam, cujus festum occurrerit tertia die post dedicationem, quod erit die XVIII mensis Julii. Et omnes episcopi Signinæ diœcesis anno quolibet injunxerunt in dicto festo B XL dies. Deo gratias.

...rologio ...us et ...tum ejus Officium

27 *Jam dixi verisimile, utramque hanc ad Acta additiunculam, quiscumque demum earum sit auctor, eodem tempore conceptam esse et annexam. Quemadmodum autem nec scriptor dignoscitur, sic ne facile quis dixerit, quam ætatem ambæ sapiant. Mihi probabile est, ad sæculum* XIV *vel forte* XV *pertinere, tum ex stylo tum ex crassissimo illo errore quo Bartholomæum Signinum episcopum cum Lucio III combinatum vidimus. Neque tamen refragabor siquis diversum dixerit earum auctorem, et successive appendices illas adjunctas velit. Etenim quandocumque id acciderit, de eximia Brunonis sanctitate, patratis miraculis, perpetuo in Casinensi monte et Signina ecclesia cultu, nemo, opinor, dubitaverit, qui antiquissimam Legendam, in Lectiones per Octavam distributam, et pridem Signiæ usitatam adverterit; sic ut merito eum Baronius Martyrologio inserendum censuerit, et sacra Rituum Congregatio Officium, ut diximus, ad normam Romanam redactum, approbaverit, postquam aliquot ante annis Gregorius XIII ad id potestatem fecisset, ut* C *ex sequenti decreto patebit.* Nos Guilielmus Sirletus presbyter Cardinalis, tit. S. Laurentii in Paneperna, fidem facimus et attestamur, S. D. N. Gregorium Papam XIII, vivæ vocis oraculo nobis facto, concessisse et licentiam dedisse episcopo et clero Signino in ipsa civitate et diœcesi Signina, publice et privatim recitandi Officium infrascriptum in choro et extra, S. Brunonis episcopi et confessoris, sub Officio duplici et cum Octava. Datum in palatio Apostolico in loco nostræ residentiæ die XI Junii MDLXXXIV, pontificatus S. D. N. Gregorii Papæ XIII anno XIII. *In fastis ecclesiasticis aut Martyrologiis nulla antiquior exstat* S. Brunonis *memoria; quid illud aut quale sit Casini Breviarium, quod pervetustum aiunt Marchesius et Malabayla, necdum videre licuit; id scio, interrogatum pridem a Papebrochio eruditissimum Mabillonium, qui illud ex monte Casino Parisios detulerat, num haberet lectiones de Sanctis, respondisse, nullas eo libro contineri. Jam Vitæ seriem paucis exponamus.*

Sancti ætas,

28 *Annum quo Sanctus noster in lucem editus est, scriptorum nullus expressit. Si conjectare quid liceat, non verebor dicere, trigesimum ætatis annum eum attigisse aut superasse quando in concilio Romano* 1079 *cum Berengario congressus, tantam apud Gregorium VII et B. Petrum Cardinalem, cognomento Igneum, existimationem consecutus est, ut viduatæ per id tempus Signinæ ecclesiæ episcopus destinatus sit, ut ex Actis mox ipse perspicies. Si itaque anni circiter triginta ei tunc tribuantur, consequens erit, natum fuisse circa annum* 1049. *Jam supra probavimus ex decursis episcopatus annis quatuor et quadraginta, ejus initia non ad Urbanum II, ut perperam legitur in Casinensi Chronico, sed ad Gregorium VII et præfatum annum* 1079 *omnino retrahenda. Nec quisquam mihi objecerit, quod in Lectione* VI *Officii Romani nuper citati legitur, nempe annis solum quatuor supra triginta episcopatum tenuisse* Brunonem: *id enim scriptores omnes, quos saltem consulere licuit, per errorem illuc irrepsisse unanimi consensu fatentur. Nos vitæ cursum sequamur. Signinam ecclesiam, priusquam monachum indueret, annos viginti et tribus sedulo administravit. Quo tempore Urbano II egregiam operam navasse loco non uno testatur Baronius. Atque imprimis quod approbaverit* 1092 *privilegium monasterio Cavensi ab eodem Urbano conces-* E *sum, ut ex ejus subscriptione aperte colligitur. Addit Marchesius,* certum esse, Brunonem in Galliam ab Urbano ductum sub annum MXCV, quo anno, *inquit*, interfuit concilio Claromontano, et consecrationi ædis Cluniacensis, in qua cum ipse Pontifex, ritu pontificio, consecraret aram principem, aliæ tres consecratæ ipsius jussu ab aliis tribus episcopis, Lugdunensi, Pisano et Brunone Signiensi, ut habetur ex Bibliotheca Cluniacensi

et aliqualis gestorum ejus

29 *Concilio Turonensi* 1096 *interfuit, ut ad eum annum tradit laudatus Baronius; ubi* cum Urbanus II, *inquit Marchesius*, consecraturus esset VI Idus Martias ædem Majoris monasterii Turonensis, jussit a S. Brunone consecrari pridie sacellum infirmorum. Quod ex antiquis monumentis scite observatum a R. P. Jacobo Sirmondo e Societate Jesu, viro summe erudito in litteris ad reverendissimum abbatem Constantinum Cajetanum datis. *Quo anno in Italiam redierit, incertum est; crediderim cum ipso Urbano II eodem illo anno* 1096 *ad ecclesiam suam reducem, pastorale munus resumpsisse, et in eo perseverasse, donec ad montem Casi-* F *num secessit anno, ut nuper dicebam,* 1102. *Sunt qui ad biennium monachatum differant, verum cum ex abbatum Casinensium chronologico ordine constet,* Brunonem *Odoni seu Othoni successisse* 1107, *imo annum* 1106 *notet anonymi Casinensis Chronicon, ab Antonio Caracciolo editum, noster vero anonymus expresse affirmet, eum,* exacto *monachatus* quinquennio, *monasterii prælationem suscepisse, manifeste liquet, epochæ ratio a nobis constituta. Causas porro prædicti secessus in Actis ipsis lector inveniet. Præcipuam ego existimo, amorem solitudinis, qua tamen perpetua frui non potuit, legationem in Gallias suscipere coactus cum Boamundo Antiochiæ principe, bellis sacris celeberrimo. Eam legationem consignat Baronius anno* 1104, *non recte: siquidem Labbeus tom.* X *Conciliorum col.* 747, *verba Sugerii recitat in Vita Ludovici Crassi clarissime notantis annum* 1106, *quo* Romanæ Sedis Apostolicæ legatus domnus Bruno Signiensis episcopus a domno Paschali Papa ad confortandam S. Sepulcri viam dominum Boamundum comitatus, plenum et celebre Pictavis tenuit concilium, cui et nos *(de se loquitur*

AUCTORE J. B. S.

loquitur Sugerius) interfuimus *etc. Adjungitur Chronicon Malleacense aliaque a Pagio etiam memorata ad annum jam dictum* 1106.

Chronologica series.

30 Alteram quoque in Siciliam legationem simili diligentia executus est, *verba sunt anonymi, priusquam ad montem Casinum reverteretur, procul dubio sub finem ejusdem anni aut initium sequentis* 1107. *Ea vero rite perfunctus non multo post, nempe mense Novembri, ut vult Peregrinius, abbatiam suscepit prælatus ordine quadragesimus eamque tenuit annis tribus et mensibus decem, vel potius undecim, juxta Indices Casinenses, qui* Brunonem *abbatia se abdicasse innuunt mense Octobri* 1111, *quando ad Pontificis Paschalis imperium ipsam dimisit. Priusquam id accideret aliam Pontifici operam navavit* Bruno. *Nam, teste Chronico,* anno Domini MCVIII mense Octobri, *Casinum* advenit idem Apostolicus, adjunctoque sibi abbate nostro, Beneventum synodi celebrandæ causa pervenit . . . cum autem Capuam devenisset, rogatus ab eodem abbate ecclesiam S. Benedicti, quam Desiderius abbas intra eamdem civitatem renovaverat, solenniter dedicavit. *Reliquo tem-*
B *pore in officio perstitisse censendus est* Bruno, *donec exortis cum Paschale dissensionibus, quas supra exegimus, ad ecclesiam suam postliminio redire compulsus ibi in pace quievit anno* 1123, XVIII *Julii : unde colligere liceat, obiisse in senectute bona, nempe qui quartum et septuagesimum annum attigerit, in ea etiam hypothesi quod annis triginta major non fuerit quando Signinum episcopatum adeptus est.*

Acta quæ et unde edantur.

31 *His omnibus hactenus satis explicatis, id unum reliquum est, ut ambas Vitas, de quibus jam supra abunde egimus, ordine subjungamus. Anonymi opusculum ex supra citatis duobus Mss. contuli cum editione Veneta Mauri Marchesii, multis mendis infecta, ubi tamen etiam titulus integer servatur, quem hic ex more nostro præmittere malui. Sic incipit :* In nomine individuæ Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Hic liber continet Legendam B. Brunonis registratam et exemplatam de verbo ad verbum ex originali antiquo libro in cathedrali ecclesia S. Mariæ de Signia existente, tempore R. D. episcopi Bernardini Cauni, sub anno Domini MDXLIII, pontificatus Domini
C Pauli tertii. *Puto addendum* anno decimo, *quamquam nec in Mss. nec in impresso exstet ; recte autem hic notari annum* 1543 *pro* 1541 *a Marchesio posito. Qui vero hic* Caunus *dicitur, in altero Ms. et in edito paulo melius* Calinus *appellatur, optime fortasse ab Ughello* Callinius, *qui ex Ordine Minorum ad eam dignitatem assumptus est an.* 1541. *Sequitur Anonymi prologus, cui Vita ipsa subnectitur in triginta lectiones distributa, quam ita explicatam modo exhibui, ut eam pluribus annotationibus illustrare supervacaneum existimaverim.*

D

VITA

Auctore anonymo, ex duobus Mss. collatis cum editione Marchesii.

PROLOGUS.

Redditur ... scriptionis

Beati Brunonis Signinæ sedis gloriosæ memoriæ venerabilis episcopi vitam, Salvatoris auxilio descripturus, ipsum supplici mente deposco, qui linguas infantium facit disertas, et aperit ora mutorum, ut donet mihi ad suam laudem, et auditorum ædificationem, hoc opus congruo sermone componere, ut non sit legentibus tædio, sed ad fructum eis proficiat animarum. Vos etiam legentes rogo, ut si sermo incultus aures vestras pulsaverit, rudi stylo veniam detis, quia sapientes non quærunt diserta, sed for- E
tia. Memineritis etiam, regnum Dei non in eloquentia, sed in fide consistere : salutem quoque seculo non ab oratoribus, sed a piscatoribus prædictam. Ego enim utpote pauper ingenio, cum verecundia præsens negotium aggressus sum, eo quod aurum, et argentum non sit mihi, quia imperitus sum sermone, et scientia ; sed ne forte ab aliquibus in hoc opere præsumptionis argui valeam, noveritis me id ex mandato inchoasse venerabilis viri Petri, ejusdem sedis episcopi, qui memorato Sancto quartus in Pontificali dignitate successit. Cui non immerito obedientiam credidi, cum scriptum sit I Reg. XV. *Quia melior est obedientia victimis*, cujus tanta est virtus, ut res etiam impossibiles ad possibilem plerumque redigat facilitatem.

LECTIONES XXX

In quas tota Vita distributa est. F

DIE PRIMA.

Inter arbores pretiosas

Lectio I. In paradiso Dei multiplices ac diversæ jugiter arbores oriuntur, non solum copiosis frondibus, verum etiam odoriferis floribus et fructibus salutiferis adornatæ. Quid enim aliud sancti viri sunt, nisi velut quædam arbores in domo Dei plantatæ, quorum affluentis verba doctrinæ, velut extensarum arborum folia, sub se quiescentes ab æstu vitiorum protegunt ? Quorum gratissimæ opinionis fragrantia, et sanctæ conversationis exempla, velut quidam flores, nos ad amorem patriæ cælestis indesinenter attrahunt, et bonorum operum famelicos pascunt ; de quibus dicitur in Canticis : *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Cant. IV. Inter has arbores pretiosas B. Bruno Signinæ sedis episcopus, velut cedrus alta Libani, divina voluntate processit.

2 LECTIO

2 Lectio ii. Cujus non solum flores et fructus, id est virtutes et opera charitatis, nos et odore alliciunt et justu reficiunt; sed etiam frondes, hoc est sanctæ prædicationis verba, magnum referunt legentibus et audientibus suavitatis odorem. Cui non incongrue adaptari potest ille psalmi versiculus: *Justus ut palma florebit, et sicut cedrus Libani multiplicabitur, plantatus in domo Domini.* Psal. 91. Et illud: *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum: folium ejus non defluet, et omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.* Psal. 1.

3 Lectio iii. Beatus igitur Bruno, ex Lombardiæ provincia de villa, quæ Soleria dicitur, duxit originem, humili quidem parentum exortus prosapia: velut in pauperis hortulo plerumque nascitur lilium, vel rosa: cujus pater Andreas, mater vero Squilla * vocabatur. Sed beatus Bruno genus suum virtutibus extulit, probis actibus decoravit. Nam ab ipso pueritiæ suæ tempore ita in suo pectore humilitati, et timori Domini, qui est initium sapientiæ, sedem
B paraverat, ut non immerito in ipso spiritus Domini plenius requievisse crederetur, sicut scriptum est Isa. 66. *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos?* In omnibus vero suis actibus, non ut puerilis ætas se habere solet, levis, aut insolens, sed gravis et maturus quotidianis profectibus apparebat.

4 Lectio iv. Proinde cum in monasterio S. Perpetui, quod in Astensi episcopatu situm est, a parentibus esset traditus ecclesiasticis officiis instruendus, brevi spatio temporis, utpote puer capacis ingenii, et memoriæ singularis, non solum ecclesiasticis officiis, verum etiam singularibus disciplinis diligentius eruditus est. Deinde voluntate parentum se Bononiam transferens, liberalium artium doctrinæ vigilem curam exhibuit. Postquam vero non solum trivii sed etiam quatrivii *a* scientiam, cælestis gratiæ munere, plenius assecutus est; divinæ paginæ propensius operam dedit. Hauriebatque jam tunc sitibundo pectore euangelicæ fluenta doctri-
C næ, quæ posset congruenti tempore sitienti populo mellito gutture eructare.

5 Lectio v. Dum autem in divinorum librorum doctrina præ suis etiam majoribus profecisset, ut dicere posset cum Propheta, Ps. 118: *Super seniores intellexi, quia mandata tua exquisivi*, rogatus a quibusdam Ultramontanis, psalterium secundum Gallicanam translationem compendiosa expositione percurrit. Postquam vero episcopali sublimatus est dignitate, ipsum juxta Romanam translationem, pleniori, et sublimiori stylo studuit explanare. Doctoris itaque nomen assecutus, et gratiam, Senas petiit; ubi ab episcopo, et canonicis honorifice susceptus, atque in canonicum majoris ecclesiæ gratanter admissus est.

6 Lectio vi. Post hæc vero quibusdam negotiis ipsum trahentibus, ad Romanam Curiam accessit, atque a venerabili viro Petro Albanensi episcopo benigne susceptus hospitio est. Eodem tempore beato Gregorio Papa VII in Lateranensi palatio residente; de Sacramento corporis, et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, a quodam magistro Berengario, qui de eodem Sacramento minus fideliter sentiebat, gravis admodum agitabatur quæstio. Nec inveniebatur aliquis, qui cum eodem magistro de tanti mysterio Sacramenti disputare præsumeret: tum quia magister ille in quæstionum conflictu nimis erat exercitatus: tum quia in hujusmodi fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. AUCTORE ANONYMO EX MS.

DIE SECUNDA.

Lectio i. Quia vero jam tempus advenerat, quo athletæ Christi Brunonis probitas, ac scientia universis in Curia Romana claresceret, de voluntate summi Pontificis, cum eodem magistro certamen disputationis aggressus, ipsum rationabili assertione ad viam veritatis a suo revocavit errore, atque ad Catholicæ fidei unitatem per Dei gratiam reduxit: gubernator etenim in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur; et navis, quæ forti compage solidata est, procellis irruentibus non foratur; et arbor, quæ firma radice fundata est, ventis pulsantibus non movetur. Tunc summus Pontifex, considerata viri a Deo dilecti constantia Brunonis, et virtute; accersito ad se Albanensi episcopo ait; Hominem Dei, quem tecum hospitio suscepisti, tibi affectuose commendo. Existimo enim, quod per ipsum Ecclesiæ Dei magna poterunt obsequia, donante Domino, provenire. Altera vero die Dominus Papa eidem episcopo de fratrum suorum consilio, et voluntate mandavit, ut ad Signinam civitatem accedens, quæ proprio tunc erat viduata pastore, canonicis ecclesiæ sanctæ Mariæ salubri persuaderet consilio, ut talem virum, tamque prudentem, sibi eligerent in pastorem. *Superato Berengario, destinatur episcopus* E

8 Lectio ii. Tunc episcopus Albanensis, lætus et hilaris ad hospitium reversus, dixit ei; Frater Bruno, mandatum nobis instat Apostolicum, ut ad partes Campaniæ pro quibusdam causis proficisci debeamus; rogo ut comiteris nobiscum, gratamque nobis exhibeas societatem. Qui [ait præsto sum] et ascendentes equos, usque ad radicem montis Signinæ civitatis pariter pervenerunt. Tunc episcopus sancto Brunoni dixit; In civitate, quæ in isto monte sita est, quædam nobis imminent expedienda negotia: ibique, si placet, honeste hodie poterimus hospitari. Cui Sanctus respondit; Quod bonum est in oculis vestris facite, ego enim paratus sum facere, quod vestræ placuerit voluntati. Tunc ascendentes in civitatem, apud ecclesiam S. Mariæ a canonicis cum honore suscepti, atque ibidem hospitati sunt. Sero autem cum S. Bruno, assistentibus sibi pro reverentia et honore canonicis ejusdem ecclesiæ, quieti membra daturus, recubuisset in lecto, dixisse fertur; Hæc est requies mea. Cui episcopus Albanensis respondit; in seculum seculi. De qua videlicet responsione mirari cœpit beatus Bruno, et attentius cogitare, quid sibi vellet ejusmodi responsio: cujus rei causam e post facto cognovit. *viduatæ Signinæ ecclesiæ,* F

9 Lectio iii. Mane autem illucescente, beatus Bruno ad suggestionem Albanensis episcopi luculentum fecit in capitulo de vitula *ad quam ductus, mox eligitur,*

AUCTORE ANONYMO EX MS.

tula rufa sermonem. Completo itaque sermone, episcopus continuo, seorsum a B. Brunone, canonicis est locutus, eisque suadere cœpit, ut talem virum, tamque prudentem sibi eligerent in pastorem. Protinus vero canonici, deliberato inter se salubri consilio, in beati Brunonis electione unanimiter convenerunt. Divinæ siquidem voluntatis erat, ut lucerna super candelabrum posita, universis in domo Domini consistentibus manifesta luce claresceret. Et ut fidelis servus et prudens commissa sibi cælestium talenta donorum subjecto gregi fideliter dispensaret: consummato feliciter cursu, a cælesti patrefamilias æternæ beatitudinis præmia suscepturus Episcopus itaque Albanensis, canonicorum voluntate comperta, consuluit eis, ut aliquos ex canonicis ad summum Pontificem destinarent, qui eidem ipsorum concordiam, et unanimitatem de pastoris electione patefacerent.

et a Papa confirmatur,

10 Lectio iv. Episcopo itaque Albanensi cum B. Brunone ad Urbem reverso, canonici Signinæ ecclesiæ aliquos ex fratribus
B suis prudentioribus ad summum Pontificem direxerunt, qui suæ confirmationem electionis ab eo suppliciter expostularent. Protinus vero beatus Papa Gregorius episcopo Albanensi secreto mandavit, ut sanctum Brunonem modis, quibus posset, induceret, ut Signinæ ecclesiæ petitioni non contrairet, et talentum scientiæ sibi commissum, et traditum, in sudario non absconderet, quod in episcopali officio utiliter posset expendere, atque opportune multiplicare. Tunc S. Bruno, licet huic oneri pariter et honori imparem se assereret, et minus idoneum se reputaret; tamen ne divinæ videretur voluntati resistere, cui tantorum vota cognoverat convenire; factæ de se electioni humiliter consensit. Ad hoc autem onus officii suscipiendum, quædam visiones ipsum maxime induxerunt, quas se præteritis noctibus vidisse testabatur.

visione primum commonitus,

11 Lectio v. Quædam siquidem virgo admirandi decoris in visione sibi noctis apparuit, quæ manu ejus accepta, ipsum per Lateranense palatium quasi spatiandi gratia
C deducebat, et aureo annulo, quem manu gestabat, annulari digito S. Brunonis immisso, virgo Christi ad propria revertebatur. In quo videlicet annulo quasi desponsationis arrham significari postmodum intellexit, quia Signina sibi ecclesia fuerat desponsata. Nocte vero sequenti eamdem sibi virginem apparuisse, et in uno canistro septem alia canistra sibi obtulisse referebat. In majori namque canistro Signinam civitatem: in septem vero minoribus canistris septem castella Signinæ ecclesiæ subjecta significari dicebat. De manu itaque summi Pontificis munere consecrationis accepto, suis comitatus clericis ad Signinam pervenit ecclesiam: ubi ab universo clero, et populo cum summo honore, magnaque lætitia susceptus est, atque in episcopali sede collocatus. Omnesque tam clerici, quam laici, viri cum mulieribus, pusilli cum majoribus in hymnis, et laudibus glorificabant Dominum, qui talem ac tantum Signinæ ecclesiæ concessit Pastorem.

12 Lectio vi. Beatus igitur Bruno episcopi officium, et Pastoris nomen adeptus magnopere satagebat, ut concordaret vita cum nomine, professio cognosceretur in opere, ut convenirent vita, et doctrina, manus et lingua; quia si voci vita non discordet, si vox vitam non remordet, tunc reverentia divinæ laudis dulcis est symphonia. Non enim ignorabat, quia tantum debet actionem populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. Primum ergo juxta mandatum Apostolicum 2 *Tim.* 3 irreprehensibilem se in omnibus exhibere cœpit, sobrium, castum, humilem, mansuetum, atque benignum. In incessu quoque, in statura, in habitu, et in omnibus motibus suis nullius umquam offendebat aspectum: sed omnes actus sermonesque suos modesta semper gravitate moderabatur. Erat enim in sermone verax, in judicio justus, in consilio providus, in disponendo industrius, in jubendo discretus, et in universa morum honestate præclarus.

eamque ecclesiam egregie instruit.

DIE TERTIA.

E

Operibus caritatis intentus,

Lectio i. Proinde gregis sui circa custodiam, vigilem curam et attentissimam exhibebat diligentiam, ne lupus rapax sub sua custodia ovile Domini posset irrumpere, ovesque sibi commissas aliquatenus perturbare. Circa vero opera charitatis, et eleemosynarum ita erat attentus, ut nihil aliud cogitare videretur. Vestiebat nudos, esurientes alebat, peregrinos hospitio recipiebat, et omnibus pariter indigentibus subvenire curabat. Nam manibus plenis semper subvenit egenis. Ita ut cum beato Job dicere posset, Job. 31 et 29, *Foris non mansit peregrinus. Ostium meum viatori patuit. Oculus cæco fui, et pes claudo. Pater eram pauperum, et causam, quam nesciebam, diligentissime investigabam.* Præterea Christi sedulum exhibebat officium, et non diebus, neque noctibus a divinis colloquiis et ab oratione cessabat. Divinorum vero voluminum lectioni jugiter insistebat, et in lege Domini meditabatur die ac nocte: utpote qui sacram F
Scripturam non solum perspicaciter intellexit, verum etiam eleganter exposuit; sicut manifeste poterunt experiri, qui suas expositiones, atque sermones tam in novo, quam in veteri Testamento legere studuerint, vel audire.

sacræ Scripturæ intelligentiam ostendit,

14 Lectio ii. Beatus siquidem Bruno non secundum litteram occidentem, sed secundum spiritum vivificantem, rationale, quod summo pontifici congruebat, in quo videlicet continebatur manifestatio, et veritas, assidue ferebat in pectore, quia in mente sua semper erat veritatis cognitio manifesta. Non enim ignorabat, mandatum fuisse in veteri Testamento, ut vectes, quibus arca fœderis ferebatur, annulis ipsius arcæ jugiter essent inserti, ut cum arca esset ad locum aliquem deferenda, nulla de intromittendis vectibus fieret mora. Quia videlicet doctores Ecclesiæ qui per vectes significantur, quatuor Euangeliorum lectioni, atque doctrinæ incessanter debent insistere, ut arcam Ecclesiæ Domini, hoc est Christi Ecclesiam, in toto orbe terrarum valeant circumferre,

A circumferre. Hinc enim est, quod cum Salvator humani generis de quinque panibus turbas vellet reficere, prius ipsos benedixit, ac fregit, ac deinde per discipulorum manus turbis fecit apponi, quia sacras Scripturas prius per se disserendo exposuit, ac postmodum earum doctrinam per suos discipulos, et doctores Ecclesiæ fidelium populis erogavit. Hinc est etiam, quod doctores S. Ecclesiæ columbarum assimulantur oculis, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima. Doctor itaque B. Bruno bonus, qui salientes aquas in vitam æternam de fontibus hauserat Salvatoris, derivare fontes suos foras, et in plateis suis salutis aquas dividere non cessabat.

...r in omnes ...ortitur.

15 Lectio iii. Parvulos lacte doctrinæ simplicioris alebat : provectos vero solido cibo pascebat. Suscipiebat infirmos, consolabatur pusillanimes, publice peccantes coram omnibus arguebat : principibus, et tyrannis se exhibebat Joannem, Ægyptiis Moysen, fornicantibus Phinees : Eliam idololatris, Eliseum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blasphemantibus, negotiantibus Christum : B ita ut dicere posset cum Apostolo, *Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem.* I Cor. 9. Verum quia pretiosa unguenta plenius redolere nesciunt, nisi commota, et electarum aromata specierum sui odoris fragrantiam, non nisi cum conteruntur, vel incenduntur, expandunt; Vir iste sanctus quam fortis, et patiens in persecutione fuerit, compendioso duxi stylo perstringere, ne sermo prolixior tædium valeat in auditorum mentibus generare. Sacrosancta mater Ecclesia, velut Petri navicula inter hujus mundi procellas, et turbines inviolata permanet, et illæsa, illo gubernatore, qui ventis imperat, et mari, ipsam regente, et ad portum dirigente salutis. Cum igitur ea tempestate plurimas sustineret persecutiones, non solum ab extraneis, verum etiam a suis, qui eam defendere debuerant, quos ipsa nutrierat, et exaltaverat, ita quod dicere posset cum propheta, Filios enutrivi, et exaltavi, ipsi autem C spreverunt me.

a tyranno Aynulfo captus,

16 Lectio iv. Unus ex filiis Belial, Aynulfus videlicet, quondam Signinæ civitatis comes, præsumptione temeraria ausus est in Christum Domini, videlicet beatum Brunonem manus injicere violentas, ipsumque carcerali custodiæ mancipare. Cum enim idem Sanctus die quadam ab urbe reverteretur, ubi consueverat Apostolicis interesse consiliis, et ecclesiastica de mandato summi Pontificis tractare negotia, memoratus comes in itinere sibi obviam venit, et tamquam unus ex iis, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum, Episcopum callida fraudulentia salutavit : a quo cum fuisset resalutatus, usque ad radicem montis, in quo castrum Viculi situm erat, colloquendo pariter pervenerunt. Ubi cum comes malignus ad hospitium Episcopum invitasset; ipseque nihil mali suspicans, gratias ageret, dicens, ad ecclesiam suam velle reverti; prædictus iniquitatis filius, imo peccati servus, fraudem, quam mente prætexerat, operis exhibitione detexit, dicens Episcopo; Velis nolis, nobiscum venies, nec nostras manus prius evades, quam Signinam nobis

AUCTORE ANONYMO EX MS.

restitui facias civitatem, quam de jure nostri comitatus constat existere. Et his dictis, non considerata tantæ personæ gratia, Dei timore postposito, et ecclesiastici Ordinis reverentia, servum Domini Brunonem, cum suis clericis servientibus capiens, in castrum Viculi violenter adduxit, ipsumque Sanctum in ejusdem castri turri carcerali custodiæ mancipavit, ubi pro scabello, in quo sedere posset, papilionem centum solidorum *b* dedisse memoratur. Verum quia sicut scriptum est, Prov. 28, *Justus ut Leo confidens absque terrore erit*, beatus Bruno, sicut non extollebatur prosperis, ita nec frangebatur adversis. Quod enim facit flagellum grano, fornax auro, torcular vino, vel oleo; hoc facit persecutio viro sancto. Vasa siquidem figuli fornax probat, et homines justos tentatio tribulationis.

miraculis se manifestat.

17 Lectio v. Cum autem Sanctus in custodia teneretur, ad declarandam fidei suæ constantiam, magnum dignatus est Dominus operari miraculum. Nam cum die quadam magnam Sanctus pateretur sitim, cuidam famulæ domus mandavit, ut sibi de aqua fontis afferret; quæ cum allata fuisset, protinus E ut Vir Dei, signo crucis edito, de ipsa gustavit, vinum optimum esse cognoscens, mulierem reprehendit, dicens; Ego aquam afferri præceperam, tu quare mihi vinum portasti? At illa cum juramento cœpit asserere, se de fontis aqua tulisse. Tunc Sanctus rursum de aqua jussit afferri. Quæ iterum ad Viri Dei benedictionem, in vinum conversa est. Et hoc tertio factum est. Omnipotens enim Dominus, qui consuevit magnificare Sanctos suos, B. Brunonis constantiam, et virtutem hujus miraculi voluit ostensione monstrare; per aquam siquidem in sacra Scriptura persecutio, vel quælibet adversitas plerumque intelligitur, quam Sancti viri cum magno desiderio propter justitiam sustinere consuevere. Unde scriptum est; *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Matth. 5. Et illud, *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii; quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Act. 5. Per vinum vero Sanctorum virtus, atque constantia, vel etiam F æterna lætitia, quæ ipsis post hujus vitæ stadium promittitur, non incongrue significatur. Unde Discipulis dicit Dominus in Euangelio; *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Potest etiam per aquam lex Mosaica, per vinum spiritualis intelligentia significari : sicut de primo Domini miraculo, quo de aqua vinum fecit, quidam bonus versificator ait; Mutat aquam, præstat vinum, sic se manifestat verbum divinum. Lex est aqua, gratia vinum.

sed paulo post dimittitur.

18 Lectio vi. Beatus namque Bruno aquam in vinum convertit, quia non solum quinque libros Moysi spiritualiter exposuit, verum etiam Psalterium, Esayam Prophetam, Regum libros, Job quoque, et alia plurima in Scriptura sacra satis eleganter, aspiratione S. Spiritus explanavit *c*. Memoratus itaque comes malignus videns se sua penitus intentione frustratum : considerans etiam de injuria Sancto illata sibi plura imminere pericula, recepta ab ipso aliquanta pecunia, retentisque sibi equitaturis, quas abstulerat, sanctum Brunonem episcopum cum multa

Auctore anonymo ex ms.

multa verecundia, et rubore dimisit, nihil præter peccatum et infamiam, exceptis his quæ diximus, de perpetrata iniquitate reportans. Cum idem comes valde metueret, ne suus Episcopus hoc factum graviter ad animum revocaret, graviusque suam ulcisceretur injuriam; beatus Bruno, quem Spiritus sancti expleverat gratia, cujus mentem perfecta charitas possidebat, peccatum istud eidem comiti ex toto corde dimisit, asserens, suis exigentibus meritis, divinæ fuisse permissionis, ut filius in patrem manus injiceret violentas. Exhortatus est quoque ipsum comitem, ne propter hoc suum auxilium in suis opportunitatibus exposcere dubitaret, promittens se sibi suisque filiis nullatenus defuturum.

DIE QUARTA.

Punito divinitus tyranno,

Lectio i. Mandavit quoque universis amicis et parochianis suis, ut eidem comiti in hac parte malum pro malo non redderent, nullumque sibi damnum propter hoc B factum, vel injuriam irrogarent. Verumtamen Deus, judex justus, qui sicut nullum bonum irremuneratum, ita nullum malum etiam impunitum re inquit: *Qui reddit unicuique secundum opera sua*, Rom. 2. Injuriam Servo suo illatam, in præsenti seculo non reliquit inultam. Non enim longo post tempore, eidem comiti graves insidias, et persecutiones ab inimicis ejus excitari permisit: ita ut castrum et turrim, in qua Sanctum incarceraverat, amitteret: et licet illud castrum sæpe recuperaverit, pluriesque perdiderit, numquam tamen illud unius mensis spatio potuit possidere in pace. Ad tantam denique paupertatis inopiam devenit, ut vix stipendia vitæ posset habere. Cui tamen sanctus Bruno, sicut promiserat, sæpius in suis necessitatibus studuit subvenire; ipsique, nec non et filiis ejus vestes, pecuniam, aliaque necessaria sæpe largitus est; adimplens illud euangelicum mandatum, quo dicitur; *Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos. Orate pro persequentibus, et calumniantibus vos.* Matth. 6. Hucusque de jam C dicti comitis scelere et pœna, de Episcopi quoque patientia, et charitate circa ipsum exhibita satis dictum esse arbitror. Nunc de transitu ejusdem Sancti ad Casinense monasterium, et de duarum executione legationum, quarum altera in Francia, altera in Sicilia functus est, de pseudo quoque monachorum, et falsorum fratrum persecutione, quam idem sanctus Episcopus in Casino monte sustinuit, succincto, sicut Dominus dederit, sermone narrabo.

ad solitudinem anhelat.

20 Lectio ii. Cum igitur, procedente tempore, Dominus Paschalis Papa secundus beatum Brunonem secum in Apuliam duxisset, contigit ipsum pondere magno ægritudinis pergravari: in qua videlicet infirmitate flagranti desiderio cupiens a curis secularibus secedere, et ad claustri solitudinem transmigrare, super hoc a Domino Papa licentiam postulavit. Summus vero Pontifex, licet ei, totique Curiæ hoc admodum esset molestum, quia talis, tantaque persona sibi tam in consiliis, quam in universis Ecclesiæ negotiis expediendis præ ceteris eo tempore utilis erat, et necessaria; tamen quia ipsum contristare nolebat, ne forte hac occasione infirmitatis languor invalesceret, suam petitionem D post multam precum instantiam exaudivit *d*. Episcopus igitur, per divinam gratiam sanitate recepta, mox ad Casinense monasterium iter arripuit. Sed Dominus Papa nolens ipsum ab Urbis confinio nimium elongari, mandavit ei, ut in Casinensi monasterio habitum religionis acciperet. Quo cum S. Bruno juxta mandatum Apostolicum pervenisset, tam ab abbate Odorisio, qui tunc monasterio eidem præerat, quam ab universis ejusdem ecclesiæ fratribus honorifice valde susceptus est, ibique secundum beati Benedicti regulam, facta professione, habitum religionis accepit.

factusque Casinensis monachus.

21 Lectio iii. Factus itaque monachus, magnis in eodem loco cœpit pollere virtutibus, et quasi vas aromatum, de cælestium unguentorum fragrantia inaspirabat sociis suavitatis odorem, ita ut tota domus repleretur ex odore unguenti. Universi fratres sui, qui spiritu Dei agebantur, per ipsum invitati, et tracti currebant in odorem unguentorum E suorum. Abbati siquidem suo devotum et obedientem, fratribus vero se mansuetum et humilem exhibebat. Circa divina vero obsequia tempestivus ac devotus, jugiter in vigiliis et orationibus sedulus erat. Circa omnes seipsum bonorum operum præbebat exemplum, et sicut oliva fructifera in domo Domini, et ut vitis abundans de sua sancta conversatione, virtutum germina propagabat. Unde factum est, ut ex ingenti necessitate a summo Pontifice ad Galliarum partes, cum sui abbatis licentia transmissus, legationis ibidem officio fungeretur.

Legationibus fungi cogitur;

22 Lectio iv. Ubi pro Christo legatione functus, post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris, non requirens juxta mandatum Apostoli datum, sed fructum ubique. Apostolicæ Sedis auctoritate synodum *e* celebravit, in qua studuit errata corrigere, atque statuta salutaria utiliter ordinare, et elaboravit, fretus dextera cælestis auxilii, in eisdem partibus reformare pacem populis, ecclesiis ordinem, moribus disciplinam; non F enim potuit aliter docere, cui spiritualis gratia exsuperabat ad meritum, et operum efficacia non deerat ad exemplum. Alteram quoque in Siciliam legationem simili diligentia executus est, tam in corrigendis moribus, quam etiam in virtutibus inserendis, multiplices bonorum operum fructus omnipotenti Domino reportando. Cum autem de Gallia reverteretur, in itinere sibi latrones insidias posuerunt, volentes eum suis facultatibus spoliare. Cum autem Sanctus illis appropinquasset, tanto in ejus aspectu divinitus sunt terrore percussi, ut ad pedes ejus cum reverentia procidentes, de malo proposito veniam peterent, ipsique in conductu itineris, quantum sibi placuit, obsequium exhiberent.

unde reversus abbas eligitur.

23 Lectio v. Posthæc reversus de legatione, exacto vero quinquennio *f*, defuncto quoque Odone, qui Odorisio in prælatione successerat, beatus Bruno de communi fratrum consilio eligitur in abbatem, et qui Liæ lippientis olim consortia fugiens ad Rachelis aspirabat amplexus, intermisso Mariæ residentis

A sidentis juxta pedes Domini officio, cum Martha, quæ occupatur erga plurima, iterum coactus est ministrare. Quamvis igitur invitus huic oneri, potius quam honori supponeret humeros, ad communem tamen fratrum instantiam, abbatiæ suscepto regimine, in dilectione quidem filiorum paternum exhibebat affectum, in doctrina vero morum, et regulæ disciplina magistri non omittebat officium. In suscipiendis hospitibus charitatis cum omni diligentia debitum exsolvebat: per incrementa namque temporum, et officiorum, crescebant in eo jugiter gratiarum charismata, et cælestium dona virtutum. Non puto prætereundum miraculum, quod Dominus ad hujus Sancti merita declaranda, in eodem monasterio dignatus est demonstrare: nam cum die quadam ecclesiam S. Thomæ extra castrum Vallis frigidæ solenniter dedicans, omnipotenti Domino salutarem ibidem hostiam obtulisset, et de aqua perfusionis ejus mulier arreptitia gustasset, spiritus immundus ex ea protinus exivit, et ad eam redire amplius non præsumpsit.

B 34 Lectio vi. Verum sicut inter flores odoriferos infelix lolium, et steriles dominantur avenæ; sicut rosa, quæ redolet, crescit cum spina, quæ pungit; sic etiam in trino fidelium ordine mali bonis inveniuntur admixti, quorum exercitio justi proficiunt, et velut aurum in conflatorio, ex malorum persecutione clarius elucescunt. Hinc enim de sponsa in Canticis dicitur; Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Hinc etiam ad Ezechielem Dominus dicit, Ezech. 2. *Fili hominis . . . . increduli, et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas.* Hinc est quod in Apocalypsi angelo Pergami ecclesiæ Dominus dicit: *Scio ubi habitas, ubi sedes est sathanæ, et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam.* Apoc. 2. In Casinensi itaque monasterio, exceptis paucis qui manus suas lavabant inter innocentes, conventus erat malignantium monachorum, qui professionem monasticam habitu profitebantur, sed operibus denegabant: quia cum in sua professione abnegassent carnalia desideria, quæ militant adversus animam, toto mentis affectu re-

C dierant in Ægyptum, ad pepones et allia: qui derelicto pallio, fugerant ab Ægyptia, crucem Domini quidem portabant, sed in angaria abbatis doctrina eis erat odibilis, et salutaris medicina videbatur illis poculum mortis.

DIE QUINTA.

Lectio i. Spiritus namque immundi, qui eos ad tempus reliquerant, videntes eorum domos exterius ornatas habitu religionis, interius vacuas virtute charitatis, assumptis secum aliis septem spiritibus nequioribus, ad eos reversi plenius possidere cœperunt, et facta sunt posteriora illorum hominum deteriora prioribus. Hi siquidem diabolicis suggestionibus instigati, in abbatem suum conspirationem facientes, ipsum apud summum Pontificem accusarunt: scientes eum indignationem Domini Papæ Paschalis graviter incurrisse, pro eo quod beatus Bruno ipsum publice reprehenderat, de privilegiis Henrico regi, contra libertatem Ecclesiæ, atque canonica statuta concessis; dicens illa irritari debere penitus et cassari. Pro his et hujusmodi assertionibus summus Pontifex indignatus, memoratis monachis Apostolicas litteras destinavit, mandans ut B. Brunoni amplius non obedirent, sed alium abbatem sibi eligerent, asserens eisdem litteris, ipsum abbatem simul et episcopum esse non posse. Ex quarum continentia litterarum iidem monachi occasione accepta, illum non solum contumeliis, verum etiam verberibus animo irreverenti et infrunito afficientes, de monasterio ejecerunt. Plerique tamen ex monachis, qui spiritu Dei agebantur, super Patris injuria magno sunt dolore commoti, ipsumque libenti animo revocassent, nisi timuissent mandatis Apostolicis obviare. Pseudo quidem monachi in claustro sunt veluti arundo exterius nitida, interius vacua in horto: sicut mulier fatua in domo; quasi struthio pennata in deserto *g*.

AUCTORE ANONYMO EX MS.

26 Lectio ii. Itaque cum S. Bruno ad episcopatum suum reversurus iter arriperet, memorati fratres, qui de Patris recessu filiali lamentabantur affectu, illum interrogasse feruntur, utrum essent amplius ipsum in hujus vitæ peregrinatione visuri? Quibus Sanctus euangelica respondit sententia; *Non me videbitis amodo, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini.* Matth. 21. Quæ videlicet prophetia post ejus obitum noscitur fuisse completa. Nam filios iniquitatis, qui contra patrem suum erexerant calcaneum, divina ultio subsecuta est. Ex ipsis namque alii cæcitatis caligine percussi; alii pedum, vel manuum officio privati: alii vero insanabili sunt membrorum debilitate contracti, ut nullus illorum esset immunis a pœna, qui esse noluerunt immunes a culpa, ut ex infirmitate corporis atrocitas patesceret criminis, et corporalis in eis ostenderet inflictio pœnæ, quam execrabilis apud Deum et homines fuisset tam horribilis commissio culpæ. Unde factum est, ut quidam eorum reatum suum cognoscentes, pœnitentiam agerent. Et cum procedente tempore Joannes bonæ memoriæ Signinæ sedis episcopus, qui eidem Sancto tertius in episcopatu successit, ad Casinense F monasterium divertisset, præfati monachi eidem episcopo peccatum, quod in beatum Brunonem commiserant, cum magna sunt contritione cordis confessi, suppliciter rogantes, et postulantes ab eo, ut de reliquiis beati Præsulis aliquam illis portiunculam concedere dignaretur, quatenus qui viventi de commisso reatu minime satisfecerant, saltem post obitum, ipsum in suis ossibus venerantes, precibus ejus veniam possent a Domino promereri.

g ad priorem sedem suam revertitur. E

27 Lectio iii. His breviter transcursis, ad reditum memorati Præsulis sermonis nostri materiam convertamus. Cum igitur vox exultationis et lætitiæ clero et populo Signinæ civitatis de reditu sui Pastoris insonuisset, gavisi sunt gaudio magno valde, nec erat aliquis inter eos, de cujus ore non personaret gratiarum actio, et vox laudis. Omnes enim pariter in hymnis et confessionibus benedicebant Dominum, qui eis restituere dignatus est Pastorem, et Episcopum animarum suarum. Cum appropinquasset autem,

ubi summo applausu exceptus est.

AUCTORE ANONYMO EX MS.

tem, exeuntes ei obviam extra civitatem, cum lætitia et exultatione magna, perduxerunt illum ad ecclesiam gloriosæ Dei Genitricis Mariæ, ubi congruo ordine completa oratione, clericis primum in osculo pacis a B. Brunone receptis, deinde laicis ad manus ejus et pedes certatim procidentibus, facta est ad invicem magna congratulatio, qualem exhibere solent filii patribus, vel parentes filiis de longa peregrinatione reversis.

Summa Signiensium in ipsum reverentia,

28 Lectio iv. Deinde vero accepta benedictione, universi sunt ad propria cum gaudio reversi, laudantes et glorificantes Deum. Non est silentio transeundum, qualiter populus ejus, et oves pascuæ ejus, ipso in monasterio permanente, scriptis Apostolicis eos ad electionem alterius invitantibus, responderunt. Nam tale super hoc summo Pontifici feruntur dedisse responsum: Nos, inquiunt, peccati non sumus conscii, pro quo Signina ecclesia suo pastore debeat viduari. Unde sciatis nos ipso vivente alium nullatenus recepturos: sed ipsum ipsum repetimus, ipsum cum desiderio jugiter exspectamus, sperantes de Dei B misericordia quod desiderium pauperum exaudiet Dominus, et ipse intelliget clamorem nostrum, qui facit judicium injuriam patientibus, et non derelinquit sperantes in se. Omni autem anno, quamdiu permansit in monasterio, de manu ejus chrisma, et sanctum oleum susceperunt, quia charissimo venerabantur affectu.

et mutuus ejus pro ipsis zelus.

29 Lectio v. Beatus igitur Bruno considerans se de commisso sibi grege redditurum in districto Dei judicio rationem, vigilanti studio procurabat subditorum suorum errata corrigere, et eos ad frugem melioris vitæ salutaribus monitis incitare, et quasi currus Israel et auriga ejus filios suos sustentabat per patientiam, et regebat per disciplinam. More siquidem periti medici, pro diversitate morborum vinum et oleum pro curandis vulneribus adhibebat. Semper enim in archivio sui pectoris cum tabulis testamenti conjuncta erant et virga destrictionis, et manna dulcedinis. Maxime autem subditos suos exhortabatur ad tentationum et passionum tolerantium: ostendens quia *non coronabitur*, C *nisi qui legitime certaverit.* 2 Tim. 2. Quia nisi præcesserit pugna, non potest esse victoria. Ubi autem præcesserit in pugnæ congressione victoria, tunc dabitur vincentibus et corona. *Omnes autem qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.* 2 Tim. 3. Aiebat autem, *Non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8. Cum autem tempus advenisset, quo Dominus Sanctum suum de præsentis exilii peregrinatione ad cælestem patriam vocare decreverat, beatus Bruno transitum suum divina revelatione prænoscens, clerum et populum Signinæ civitatis ad se vocari fecit exhortaturus eos ad viam salutis æternæ.

usque ad mortem, quam piissime obit.

30 Lectio vi. Cumque ad eum populus convenisset, quia membra corporis ejus jam febrilis calor invaserat, ministrorum manibus sustentatus, et fenestræ suæ domus innixus, populum exspectantem, suæque doctrinæ fluenta sitientem, de fidei constantia, et fraterna dilectione, necnon et bonorum operum perseverantia compendioso, salubrique sermone commonuit, ostendens, quoniam D perseverantis est salus, nec aptus regno cælorum creditur, qui retro respicit, postquam ad aratrum manus misit. Hinc est quod Apostolus gentium ea quæ retro sunt obliviscens, in anteriora semper extenditur, donec supernæ vocationis bravium consequamur. In veteri quoque Testamento virtus holocausti minuitur, si cauda cum membris reliquis non crematur. Joseph nisi talarem tunicam indueret, in polimita tunica patri non placeret. Hinc est etiam quod sacrificium vespertinum Deo gratius esse perhibetur. Quia, ut Scriptura sonat, finis, non pugna coronat. Præmia justorum pendent ex fine laborum. Salvator enim noster usque in finem seculi cum suis fidelibus se perseveraturum promittit, ut tam diu perseverare nos doceat, donec status in nobis melior seculi consummetur. Completo vero sermone, prædixit eis, nullum de cetero tyrannum in Signina civitate turrim, vel quamlibet munitionem ad ipsorum jacturam vel oppressionem ædificaturum, ipsosque grata libertate, divini dono muneris, perpetuis temporibus gavisuros. E Et his dictis, valedicens omnibus, extenta manu benedixit eis. Deinde reversus ad lectum, facta confessione, cælestiumque Sacramentorum perceptione munitus migravit ad Dominum quinto decimo Kal. Augusti, anno quinto Pontificatus Domini Calixti Papæ secundi, sui vero episcopatus quadragesimo quarto. Corpus autem ejus sepultum est in ecclesia Signina, cum debita reverentia et honore: in qua Deus per ipsum jugiter miracula operatur, cui gloria sit, et honor in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *De* trivio *et* quatrivio *non semel in hisce Actis dictum est: prima voce intelliguntur tres primæ artes liberales Grammatica, Rhetorica et Dialectica, altera quatuor aliæ Astrologia, Geometria, Arithmetica et Musica, de quibus vide lexica.*

b *De qualibus solidis hic sermo sit, non habeo unde certo definiam: voluit ostendere auctor, magno pretio redemptum esse miserum scabellum, cui* F *Sanctus insideret.*

c *Jam supra dixi, collecta esse opera ejus omnia in editione Mauri Marchesii, de qua vide appendiculam Actis subnexam.*

d *Hæc aliter narrantur infra a Petro Diacono; at nobis major anonymi quam alterius ratio habenda videtur.*

e *Nempe Pictaviensem, de qua vide Pagium ad an.* 1106 *num.* 7.

f Exacto quinquennio, *intellige monachatus, ut sub finem Commentarii prævii diximus.*

g *Quæ hic duriora sunt, in Commentario prævio emollire conati sumus.*

AD

A

AD EXCERPTA

Ex Chronico Casinensi lib. IV.

Auctore Petro Diacono.

PRÆFATIO.

...de S. Bru- ...in Chro- Casinensi ...antur.

In *Commentario prævio* § I *non semel de hoc Chronico sermo fuit, qua parte videlicet sancti* Brunonis *Vitam et res gestas exequitur. Philippus Malabayla in citata ibidem dissertatione, in eo totus esse videtur ut Chronici hujus fidem supra modum extollat, in iis saltem quæ Sanctum nostrum concernunt. Nimirum non a coætaneo dumtaxat, sed ab oculato teste descripta contendit, atque in eum finem pro suo arbitrio comminiscitur, librum quartum, quo de agimus, sub Petri Diaconi nomine editum, præcipuum ac pro-* B *prium auctorem habuisse eumdem qui tres priores scripserat, Leonem Ostiensem. Audi quo argumento. In epistola nuncupatoria ad Rainaldum abbatem Casini et Cardinalem ita loquitur præfatus Petrus Diaconus :* Ego nempe vestræ jussionis imperio cervicem submittens, quartam vestræ Chronicæ decisionem, quam vir facundissimus Leo Ostiensis episcopus morte præventus explere nequivit, sicut disposueratis, scribere ordiar. *Hæc paulo aliter retulit Malabayla secutus fortasse editionem Matthæi Laureti, quam ut deturpatam, mancam, diminutam, decurtatam proscribit Angelus de Nuce in novissima impressione* 1668. *Hac ego postrema usus sum hactenus, atque ex eadem decerpam quæ propius ad beati* Brunonis *Vitam spectare videbuntur, tametsi sexcenties adverterim, eam ab aliis editionibus et a Ms., a Malabayla ad Bollandum misso, longissime discrepare. Porro Diaconi verba, ex ea jam relata, multo aliter legit Malabayla, unam præcipue particulam decurtans in qua vim totam reposuit.* C

...non Leoni Ostiensi sed Petro Diacono tri...

2 *Petrus, Rainaldum alloquens, profitetur se opus aggressum ex abbatis sui imperio ac proinde in fine citatæ periodi,* sicut DISPOSUERATIS, *inquit,* scribere ordiar. *Sic omnino legendum esse, nemo non videt. At Malabayla, cujus intererat quoquomodo Leonem etiam libri quarti auctorem facere, sive suo sive Laureti vitio, scripsit* DISPOSUERAT, *adeo ut sensus sit, Leonem Ostiensem jam ante obitum etiam quartam Chronicæ decisionem ita paratam* disposuisse, *ut Petrus non auctor, sed potius collector aut digestor fuisse intelligatur. Quam non recte Petri mentem hic assecutus sit Malabayla, ex toto prologi illius contextu nimis quam aperte liquet, atque ex eo apertissime, quod Petrus testetur se magnam tertiæ decisionis partem composuisse, nempe a renovatione ecclesiæ B. Martini seu a* XXXIV *capite ubi Leo scribendi finem fecerat. En ejus verba :* Et quia abbatum series a Patris Benedicti temporibus, usque ad renovationem ecclesiæ beati Martini, a prædicto Leone fuerat exarata, nos ab ejusdem ecclesiæ renovatione scribendi sumentes initium, ea quæ de sanctissimi Desiderii Vita descripta non erant, eidem historiæ adjungere curavimus, ne ex maxima parte tertius liber detruncatus videretur.

AUCTORE PETRO DIACONO pluribus argumentis ostenditur.

3 *Plura hujusmodi afferri possent siquidem operæ pretium esset Malabaylæ fictionem pluribus refellere. Mihi certum est, quæcumque in sæpe dicto Chronico de* S. Brunone *tradita sunt, ea omnia solum Petrum Diaconum habere auctorem, eum nempe qui* anno Dominicæ Incarnationis quintodecimo centesimo atque millesimo, *sub Girardo abbate quinquennis a parente beato Benedicto oblatus est.* Ætatem quousque produxerit, plane non liquet, *inquit de Nuce :* illud constat, exauctorato Ægidio Venusino abbate ab Alexandro III, suffectum in regimen monasterii Petrum Diaconum, titulo tantum procuratoris, donec de successore provideretur. Sedit autem Alexander ab anno MCLIX quo Petrus prope quinquagenarius erat. *Hæc de Nuce. Ex quibus colligas, Chronici auctorem ad annum facile ejus sæculi septuagesimum supervivere potuisse. Id saltem manifeste patet, anonymo, sæpe a nobis supra laudato, plane esse æqualem; unde fit consequens, ex parte ætatis, alterutrius fidem non esse posthabendam. Quinimo potior nobis esse debet anonymus ob narrationis sinceritatem, integritatem aliaque in Commentario prævio a nobis deducta.*

Quanta sit Petri istius auctoritas.

4 *Ceterum cum ibi conatus fuerim Chronici et anonymi discrepantias ad concordiam reducere, iis jam supersedeo. Nec multis vacat examinare qua* E *valeat auctoritate Petrus Diaconus, quem paucis depingit Angelus de Nuce in notis ad prologum lib.* IV *Chronicæ.* Multa, *inquit,* scripsit, sed sine delectu, et sine crisi, vivido siquidem fuit ingenio, properantis tamen, ac subinde præcipitis interdum judicii. *Hæc dicta sunt, meo quidem judicio, quam mitissime, plura qui volet, Baronium adeat apud quem Diaconus multoties vapulat, nec immerito : certe in hac ipsa* Brunonis *Vita adeo palpabiliter lapsus est, ut mirum sit, Malabaylam ejus auctoritatem anonymo nostro præferre voluisse. Ego ex Chronica illa solummodo decerpam quæ ad* Brunonis *Vitam attinent, iis prætermissis, quæ de Paschalis Papæ cum imperatore Henrico controversiis Malabayla adjungenda censuerat. Siqua vero ad claritatem desiderentur, brevibus annotationibus illustrare curabo. Sumitur Vitæ principium ex fine capitis* XXX *conjuncto cum capite* XXXI *editionis Angeli de Nuce, ut jam præmonui. In nostro cod. Ms. solum exstat Vitæ initium.*

F

De adventu sancti Bruni ad hunc locum (Casinum) et de bonis operibus suis.

Post absoluta studia Romam profectus.

Beatissimus Brunus abbas hujus monasterii quadragesimus, sedit annis tribus, mensibus decem. Hic Liguria provincia ortus ex illustri Astensium prosapia; sed illustriores ab infantia possidens mores, liberalibusque studiis a pueritia sufficienter instructus, Astensis episcopii canonicus exstitit. Qui desiderio regni cælestis, patriam parentesque relinquens, ad hunc locum, ut Deo liberius sub monachali habitu deservire valeret *a*, Romanam properans venit ad urbem. His porro diebus Urbanus Papa II universali præsidebat Ecclesiæ. Factum est autem, ut eo tempore, quo idem Vir ad hunc locum tendebat, Signiensis episcopus vita decederet. Quem idem Reverendissimus Pontifex in divina servitute fervere aspiciens, dixit ad eum :

AUCTORE PETRO DIACONO.

eum : Sicut tranquillitas maris multoties confert periculum nautis, ita et monachis a seculi turbine remotis, quies et securitas ipsa perniciosissimum solet inferre naufragium, unde nostris monitis te obedire convenit : et Signiensis ecclesiæ curam, quæ tibi a nobis injungitur, tanto religiosius ac diligentius, quanto scientia et sapientia polles, regere stude. Cujus cum ille sermonibus minime præberet assensum, præcepit ei, ut ad civitatem prædictam pergeret; ibique vice Romani Pontificis episcopum ordinans *b*, iret quo vellet.

episcopus Signiensis a Papa destinatur :

6 Tunc supra dictus Vir illuc adveniens, cum sibi injuncta implere satageret, idem Papa, clam Signiensibus apices destinans, eum episcopum ordinari præcepit. Talia dum ad ejus notitiam pervenissent, intempestæ noctis silentio, B. Mariæ ecclesiam egrediens, fugam arripuit. Itaque dum meditata implere satageret, in quodam trivio virgo quædam imperiali trabea adornata, cujus facies splendebat sicut sol, illi eminus astitit. Quam unde, qualis, quævc esset, et quo tenderet dum requisiisset, illa respondit : Sponsam, quam non bene fugis, me noveris esse. Quapropter, ut ad ecclesiam redeas, ex Dei omnipotentis parte præcipio. Et cave, ne Dei ulterius velis resistere voluntati. Et his dictis, disparuit. Perculsus ad hæc Bruno tanto virginis famine, Deique in sua ordinatione voluntatem advertens, succubuit : ac pontificii cathedram, lætantibus cunctis, suscepit. Ordinatus autem, in ea qua fuerat mentis intentione permansit. Unde adinventa opportunitate, sub supradicto abbate Oderisio, ad hunc locum perveniens, flentibus, qui cum eo venerant, et nihil tale de ipso suspicantibus, monachus factus est. Signienses autem graviter illius ferentes absentiam, Paschalem Papam II adeunt : rogant, ut illum potius episcopatus sui curam gerere cogeret, quam sibi tantum consulentem, in Casinensi cœnobio quietum, et remotum a seculi turbine, habitare permittat.

sed inde Casinum se recipiens,

7 Pontifex autem ad illorum verba commotus, strenuos a suo latere destinat viros *c*; per quos eidem Brunoni ex parte Sedis Apostolicæ mandat, ut in cura ovium suarum studeat, et Romano Pontifici pro causis ecclesiasticis semper adhæreat. Arguens insuper illum, et increpans; cur absque Apostolicæ Sedis licentia, ausus fuisset monasterium petere, in quo illum omnino esse non permitteret ipse. Ad hæc præfatus Bruno rescripsit : Cuncti procul dubio, qui in Romana sunt Ecclesia noscunt, quia nisi contra Ecclesiam schismaticorum sæviret insania, hoc, quod nunc egi, a multis jam annis opere implevissem. Nunc vero, quia in Romana Ecclesia, Petro clavum regente, tota per orbem Christi Dei nostri gratulatur Ecclesia : ventorum jam turbines silent : maria pacata quiescunt : idcirco quod Deo semel devoveram, reddere cogor. Melius est enim non vovere, quam vovere et non reddere.

superatis difficultatibus, monachum induit,

8 Quod si quis fortasse mihi objiciat, quod semel acceptum episcopatum relinquere non debeam, licenter respondeo : Quod multi sunt, qui pontificatus jura non deserunt : et de sinistris sunt, dicente Domino; Principes fuerunt, et non cognovi : Judices exstiterunt et non per spiritum meum. Hi autem, qui recta intentione episcopatum dimiserunt, certum est, eos de æterna felicitate perenniter cum Christo gaudere. Mihi porro exempla Sanctorum non desunt, quorum vestigia secutus sum : qui relicto tumultu seculi, quietam vitam adepti sunt. Unde per vos summum Pontificem obnixe deprecor; ut de reliquo amplius mihi molestus non sit : et quietum portum, in quem, Christo gubernante, perveni, ne me relinquere cogat, suppliciter posco. Cumque nulla ratione eumdem Apostolicum, nec Signinum populum flectere valeret, supradictus abbas Odorisius rogavit eumdem Pontificem, ut præfatum Virum sub monachali habitu, in hoc monasterio Deo militare permitteret, cujus precibus idem Papa aurem accommodans quievit.

ac deinde abbas eligitur.

9 Post hæc autem ab eodem Pontifice, una cum Boemundo in Gallia directus, vice Romani Pontificis in eisdem partibus synodum, secundum traditionem ecclesiasticam, tenuit. Inde quoque Romam reversus, quadragesimo quarto die ab Ottonis abbatis depositione exstante, ad hoc monasterium redit : atque a fratribus est in hujus cœnobii regimine ac cura prælatus. Idem vero Apostolicus ad hunc locum postea veniens, non solum dignum illum esse abbatem, in conventu fratrum peroratus est, verum etiam in Apostolicam Sedem dignum sibi successorem fore testificatus est. Non autem idem Vir otiose hic vixisse credendus est, qui tales ac tantos nobis Scripturarum exposuerit libros. De quibus summam, illorum scilicet qui in nostris manibus venere, pandere curavimus. Super Genesim, super Exodum, super Leviticum, super Numeros, super Deuteronomium, super Psalterium, super Isaiam, super Cantica Canticorum, super Judicum, super Apocalypsim. De totius anni festivitatibus, atque diebus Dominicis composuit sermones sexaginta novem, homilias centum quinquaginta quinque *d*.

CAPUT XXXII.

Occupatum a comitibus Aquin. castrum recuperat.

10 Hoc præterea tempore Adonulfus, Lando, et Atenulfus Aquinates comites, diabolica debriati vesania, castrum Terame rusticorum proditione ingredientes, et ejusdem castri habitatores in suam fidelitatem jurare facientes, oppida monasterio pertinentia deprædare cœperunt. Hoc ubi prædicto Abbati nuntiatum est, ad eosdem comites dirigens, ut castrum monasterio redderent, et a tantis iniquitatibus, et direptionibus cessarent, monere cœpit. Illi autem ejus dicta non solum facere, sed etiam audire spernentes deteriora in dies agere minabantur. Tunc Abbas cum fratribus communicato consilio, eosdem sacrilegos a liminibus Ecclesiæ separavit. Ac e vestigio Robertum *e* Principem evocans, ad ejusdem castri recuperationem invitavit. Qui copioso valde congregato exercitu, super idem castrum adveniens, illud oppugnare modis omnibus cœpit. Cumque hostiliter ibi per dies ferme quindecim resedisset, iidem comites miserunt ad eumdem Abbatem : Quod si illos cum armis suis ex inde exire permitteret, idem castrum, absque

A que omni controversia, protinus monasterio redderent. Quod dum abbas annuisset, supradictum castrum in monasterii hujus potestatem recepit, die Iduum Augustarum, anno Dominicæ Incarnationis MCVIII. Pro quo, videlicet castro, idem Abbas Capuano principi libras ducentas contradidit.

CAPUT XXXIII.

...terest synodo Beneventanæ ...n Paschale ...?

11 Mense itaque Octobrio adveniente, idem Apostolicus ad hunc locum adveniens, sociato sibi nostro Abbate, synodum celebraturus, Beneventum perrexit. In qua videlicet vestigia prædecessorum suorum secutus, constituit: ut quicumque investituram Ecclesiæ, vel ecclesiasticam dignitatem de manu laici acceperit, et dans, et accipiens communione privetur. Vestimenta vero et secularia, et pretiosa clericis reprehendit, et talibus uti interdixit. Cum autem Capuam devenisset, rogatus ab eodem Abbate, ecclesiam S. Benedicti, quam Desiderius abbas intra eamdem civitatem renovaverat, solen-
B niter dedicavit. In qua etiam de vestimentis sanctissimi patris Benedicti recondidit: sicque ad hoc monasterium veniens, Romam reversus est.

EX CAPITE XLI.

...ergumenum maligno spiritu ...erat.

12 His quoque diebus, dum Abbas noster Bruno ecclesiam S. Thomæ apostoli, extra castrum Vallis frigidæ sitam, solenniter dedicasset, mulier quædam, quam immundus acriter vexabat spiritus, ad eum delata est. Cujus calamitati compatiens, oratione præmissa, aquam de qua manus laverat, patienti feminæ in potum tribuit: moxque ab ea diabolum effugavit.

CAPUT XLII.

Altercatio cum ...ru nale PP.

13 Præfatus namque Abbas, adjunctis sibi Guala Regionensi episcopo, et Roberto Pasiensi et aliis Cardinalibus, cœpit omnimodis instare Pontifici, ut privilegium, quod Im-
C peratori fecerat, disrumperet: eumque anathematis vinculo innodaret *f*. Hi autem, qui cum Papa in vinculis fuerant, dicebant: Quod antea prædicavimus, prædicamus, una et consona voce, et quod damnavimus, damnamus. Alii autem non solum non damnabant ea, quæ contra Apostolicam et universalem Ecclesiam facta fuerant; verum etiam satis impudenter defendere conabantur. Igitur dum istiusmodi dissensionibus Apostolica Ecclesia quateretur, relatum est eidem Pontifici, quod supradictus Vir dissidii illius, et scandali dux et signifer esset. Quod ubi prædictus Abbas audivit, temporis opportunitate reperta, dixit ad eum: Inimici mei dicunt tibi: quia te non diligo: et quia de te male loquor: sed mentiuntur. Ego enim sic te diligo, sicut patrem, et dominum diligere debeo, et nullum alium, te vivente, volo habere Pontificem, sicut ego cum multis aliis tibi promisi. Audio tamen Salvatorem meum mihi dicentem: Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus. Unde et Apostolus dicit: Si quis non diligit Dominum Jesum, sit anathema maranata.

AUCTORE PETRO DIACONO. de concessis Henrico investituris:

14 Debeo igitur diligere te: sed plus debeo diligere illum, qui et te fecit et me. Huic enim tanto amori nihil umquam præferendum est: fœdus autem illud tam fœdum, tam violentum, cum tanta proditione factum, tam omni pietati, et religioni contrarium, ego non laudo. Quis enim illud laudare potest, in quo fides violatur, Ecclesia libertatem amittit, sacerdotium tollitur, unicum, et singulare ostium Ecclesiæ clauditur, multa ostia aperiuntur, per quæ quicumque intrat, fur est et latro? Habemus canones, habemus sanctorum Patrum constitutiones, usque a temporibus Apostolorum usque ad te. Via regia incedendum est: neque ab ea in aliquam partem declinandum. Apostoli omnes illos damnant, et a fidelium communione segregant, quicumque per secularem potestatem Ecclesiam obtinerent. Laici enim quamvis religiosi sint, nullam tamen disponendi Ecclesiam habent facultatem. Hæc namque constitutio Apostolorum sancta est; cui quicumque contradicit, Catholicus non est. Omnis autem, qui hæresim defendit, hæreticus est. Nemo autem hanc non esse hæresim dicere potest, E quam sancta, et Apostolica Ecclesia in multis conciliis hæresim nominavit: et simul cum suis auctoribus damnavit et excommunicavit.

ob quam abbatia excedere cogitur.

15 Talis allocutio inter Pontificem et Abbatem invidiæ, et odii fomitem ministravit. Inter reliqua autem, quæ tunc contra eumdem Abbatem locutus est, ait: Si non acceleravero tollere ei abbatiam, futurum est ut ipse suis argumentationibus Romanum mihi tollat pontificatum. Quapropter eidem Abbati ab Urbe direxit epistolam, per quam mandat, quod non deberet episcopus simul esse, et abbas, nec ulterius ferre Sedem Apostolicam aliquem episcopum tam famosissimæ abbatiæ præesse. Fratribus etiam per Leonem Ostiensem episcopum, et hujus cœnobii monachum litteras misit: in quibus præcepit, ut ulterius eidem Viro obedientiam non exhiberent: sed secundum Deum regulariter sibi abbatem eligerent. Quod si aliter agerent, in omnibus cellis huic cœnobio subditis, abbates proprios ordinaret. Hæc ubi Abbas audivit, fratres convocans, cœpit F ostendere illis dissensionem, quæ inter se et Pontificem pro causis ecclesiasticis erat, simulque etiam monuit illos, ut si vellent abbatem, quem ipse eligeret; et illos, et hunc locum pro suo posse protegeret atque defenderet.

Turbæ propter electionem novi abbatis;

16 Erat tunc in hoc monasterio frater quidam, Peregrinus nomine, natione Ligur, seculari astutia callidus; cui eamdem abbatiam dare decreverat *g*. Quod cum fratres præscissent, dixerunt Abbati: Quia quamdiu ipse vellet abbatis jure præesse, omnes illi, ut patri et domino obedirent: sin autem abbatiam vellet relinquere, electionem, quæ illis ex præcepto regulæ debebatur, nulli omnino contraderent: sed ipsi antiquo more, abbatem sibi eligerent. Hoc ubi ille audivit, putans se id violenter implere, armatos milites ad monasterium custodiendum in suum auxilium evocat. Die vero altero, fratribus cum pace ad Missam celebrandam ecclesiam intrantibus, subito advenit, diversis armata telis multitudo furentium: et, qui essent,

AUCTORE PETRO DIACONO.

essent, qui voluntatem abbatis nollent implere, quærentium. Fratres autem nimis hæc indigne ferentes, ac unanimiter super illos irruentes, monasterio ejecerunt.

reditus ad episcopatum et piissimus obitus.

17 Quod cum Abbati nuntiatum fuisset, ad hoc monasterium ascendit; et ad se fratres advocans; Nolo, inquit, ut propter me, inter vos, et Romanam Ecclesiam scandalum oriatur. Ideoque virgam pastoralem quam mihi tradidistis recipite, et mox eam super altare ponens, fratribusque absolutionem faciens, ad episcopatum suum reversus est. Ubi in sancta conversatione feliciter usque ad Oderisii secundi abbatis tempora vivens, e mundo recessit Pridie Kal. Septembris. Sepultus vero est in civitate Signina, in ecclesia sanctæ Dei Genitricis, et Virginis Mariæ; ad cujus memoriam miracula Dominus patrare non desinit, usque in hodiernum diem.

ANNOTATA.

a *Non uno errore refertum hoc Vitæ principium, jam diximus: de monachatu tunc* B *cogitasse* S. Brunonem, *unde Petrus Diaconus hauserit, fateor me ignorare. De Urbano II in Commentario satis actum est.*

b *Inter plura quæ hic obscura sunt, id minime intelligo, Sanctum potuisse episcopum ordinare, qui necdum episcopus erat. Hæc omnia et sequentia melius narrantur ab anonymo usque ad num.* 12.

c *Neque hæc cum anonymo conveniunt, ut pluribus ea replicanda non censeam.*

d *De* S. Brunonis *operibus brevem appendicem mox adjiciam.*

e *Erat is princeps Capuanus, de quo plura apud Baronium ab an.* 1114.

f *De tota ista altercatione vide Baronium ad annum* 1111 *a num.* 29.

g *De his egimus in Commentario prævio, qui cum ab anno* 1708 *ad prælum paratus fuerit, miretur nemo, quod Mabillonii Annales Benedictinos, toto post sexennio editos, non citaverim. Satis modo habui, prædictos Annales consulere, et cum iis quæ hic de* S. Brunone *hactenus disputata sunt, non oscitanter conferre: at, perpensis* C *omnibus, nihil suggessit quod me a jam stabilitis revocaret. Paucula vero quæ forte aliunde notavit, adjungenda non fuerunt, cum geminis Vitis illustrandis (quod unice nostrum est) præmissus Commentarius abunde sufficiat. Qui Mabillonii indices composuit, nescio ubi usquam invenerit,* S. Brunonem *fuisse* Cardinalem, *cujus rei in assignato loco auctor ipse non meminit.*

DE S. BRUNONIS SCRIPTIS

APPENDICULA.

Nonnulla S. Brunonis opera.

N*on est mihi animus de sancti* Brunonis *nostri lucubrationibus operosam disquisitionem instituere. Si quem cupido incesserit plura de iis accuratius cognoscendi, consulat is apparatum ad ejus opera Venetiis edita* 1651 *per Maurum Marchesium, in Commentario prævio non semel a nobis citatum. Videat etiam Arnoldum Wion in Ligno vitæ pag.* 19, *Petrum Diaconum de Viris illustribus Casinensibus a Maro editum pag.* 82, D *Labbeum aliosque de Scriptoribus ecclesiasticis tractantes. Paucis indicare visum est, multa ex ills attributa Eusebio Emisseno, S. Brunoni Cartusianorum parenti, S. Brunoni Herbipolensi, ut testatur Miræus in auctario de Scriptoribus ecclesiasticis, denique et S. Brunoni Russorum apostolo et martyri, cujus potissimum causa hanc dissertatiunculam adornaveram, ut ne periret notitia nuper acquisita de Bruno seu Brunone et Bonifacio, ab omnibus, quod quidem sciam, scriptoribus, uti et a Majoribus meis hactenus distinctis, cum tamen unus idemque esse videatur. Acta Sanctorum inspicienti statim occurrent quæ scripta sunt* XIV *Februarii de S. Brunone, et* XIX *Junii de sancto Bonifacio, tamquam diversis Prussorum vel Russorum archiepiscopis apostolicis. Præmittam itaque brevibus quæ ad* S. Brunonis *Signiensis scripta pertinent, deinde Russorum apostolum non geminum, sed unum atque indivisum esse, ubi probatum fuerit, indicabo.*

alius scriptoribus perperam adscripta sunt.

2 *Trithemius lib.* II *de Viris illustribus Ordinis sancti Benedicti cap.* LXXXV, *apud Bollandum* XIV *Februarii, agens de S. Brunone, Prussorum* E *aut Russorum, vel potius utriusque gentis apostolo, asserit eum* scripsisse præclarum opus in Genesim, et nonnulla alia quæ ad manus nostras non venerunt. *Eadem tradit in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, et post eum Eysengrenius et Sixtus Senensis. Sed is* error *(inquit Wion pag.* 261) et alium absurdum magis peperit, ut dixerint, monachum Casinensem fuisse... et tandem per martyrii gloriam ad cælos evolasse. Quæ omnia, genere mortis excepto, non huic, sed S. Brunoni Casinensi abbati tribuenda sunt. Cum enim legissent Trithemius Sixtusque, qui illum sequitur, Brunonis in Genesim commentaria, et quis ille esset Bruno ignorarent, ex nominis æquivocatione, unum pro altero, non recte acceperunt, et hunc errorem suis chartis inseruerunt. *Homilias, sub nomine Eusebii Emisseni aliquando lectas,* Brunoni *etiam Signiensi restituit laudatus Marchesius. Item* opus sententiarum de laudibus Ecclesiæ *etc. quod inter opera S. Brunonis Cartusiensis vulgatum fuerat, Sancto nostro multis argumentis vendicat. Vitam S. Petri Anagnini scripsisse* S. Brunonem *refert Baronius, quæ proinde inter ejus opera refertur tom.* II, *pag.* 153: F *rectius elogium vocaveris, quod an non melius ab Ughello tradatur, mihi hactenus satis incertum est. Quid Brunoni Herbipolensi singillatim adscriptum fuerit, expressum invenies in Bibliotheca Gesneriana, ubi, nisi fallor, pleraque* Brunonis *nostri scripta Herbipolensi illi perperam supponit: in eo etiam errans quod Brunonem alterum Russorum, ipsi Ruthenorum, apostolum in Genesim scripsisse, et Italum natione affirmet. Alia præter hæc creduntur esse. Signiensis opera quæ variis locis adhuc Mss. necdum lucem aspexerunt. Brunonem apud Russos martyrem, quidquid eum scientia et doctrina illustrem Trithemius prædicet, scripsisse quidquam quod posteritati commendatum sit, neque Bollandus, neque scriptores alii deprehendere potuerunt. Neque mihi de* S. Brunonis *Signiensis operibus plura dicenda supersunt: alia quæ paraveram de* Brunonum *distinctione, atque inter Brunonem et Bonifacium identitate, jam excusa habes tomo* VI *Junii a pag.* 217.

DE

D

DE B. ROBERTO SALENTINO

S. PETRI CÆLESTINI DISCIPULO

PROPE SULMONEM IN APRUTIO CITERIORI.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. P. B.

§ I. B. Roberti cultus et Acta.

...no MCCCXLI. ...ertus S. Pe... ...estini di... ...pulus.

Quod plerisque religiosorum Ordinum fundatoribus accidit, ut quos ipsi sibi socios ac discipulos legerent, eos ad eximiam fere virtutem suis, ut ita dicam, manibus formarent, suoque penitus imbuerent spiritu; hoc in S. Petro Cælestino, a quo Cælestinorum Ordo nomen accepit, observare in primis B *licuit, de quo ita Petrus de Alliaco, episcopus Cameracensis, ac deinde S. R. E. Cardinalis in Vita S. Petri Cælestini, quam dedimus* XIX *Maii, pag.* 491 : Virum Dei ac Fratres ejus, tamquam sanctos universus exaltabat populus : quippe cum Deus non solum per eum, sed etiam per plurimos Fratrum suorum, multa et magna miracula, sua mirabili gratia, edere dignaretur. *Inter hos ejus fratres ac discipulos miraculis ac vitæ sanctitate maxime excelluit, S. Petri deliciæ, beatus* Robertus *noster, quem ut ab aliis viris item egregiis ejusdem nominis, Ordinis, ac fere temporis, discernerent auctores, vel* Salentinum *a patria Salie, quod est oppidum Aprutii citerioris ; vel* Sulmonensem *ab urbe, juxta quam coluntur ejus reliquiæ, nuncupaverunt.*

...tus passim appellatur,

2 Beatum *dixi* Robertum : *sic enim appellatum invenio ab omnibus, qui Vitæ ejus historiam jam ab annis centum et quod excurrit, litteris consignarunt, præter alios plurimos, qui de eo in Vita S. Petri Cælestini obiter meminere, et Antiochum Honofrium in Heroum compilatis præconiis, editis Maceratæ anno* 1683, *qui non B., sed S., quod Sanctum sonat, ejus nomini præfi-* C *git pag.* 146. *Lelius Marinus in Vita S. Petri Cælestini, apud nos tom.* IV *Maii pag.* 503, *et beatum illum appellat, et servari hodieque vestimenta quædam ejus ait pro reliquiis. Quin ipse etiam primus Actorum ejus scriptor inde a medio circiter sæculo decimo quarto istud ipsi passim adaptavit epitheton, ut infra patebit. Et quamquam illud ei non tribuit auctor item coætaneus Franciscus Petrarcha, ubi mentionem ejus facit, de Vita Solitaria lib.* II, *tract.* III, *cap.* XVIII ; *de communi tamen sanctitatis ejus opinione ac fama non silet :* Discipulus autem ille, *inquit,* consilii memor, usque ad tempora nostra perveniens, et dierum plenus, ante hos paucos annos post magistrum abiit, magna quidem apud suos sanctitatis opinione et mirabilium fama operum relicta. *Quibus quidem Petrarchæ verbis in S. Petri Cælestini Vita subinde usus etiam est Petrus de Alliaco supra citatus pag.* 406.

...notatur in Martyrologiis quibusdam.

3 *Eumdem illi titulum adscribunt Martyrologi ad diem hanc* XVIII *Julii ; ubi sic illum annuntiat Menardus* : Sulmone in Italia, beati Roberti Ordinis Cælestinorum, discipuli sancti Petri de Murone, magnæ sanctitatis viri et miraculorum gloria illustris. *Idem prolixius ejus elogium habet ibidem in Observationibus ad illum diem lib.* II. *Menardum secuti sunt Bucelinus in Menologio Benedictino, et Antonius de Heredia in Vitis Sanctorum Ord. S. Benedicti in eumdem diem ; Vitæ tamen ejus epitomen uterque reservat in diem sequentem, quo sepultus fuit. Eumdem haud dubie designatum die* XVIII *Julii voluit* E *Ferrarius in Catalogo Sanctorum qui in Martyrologio Romano non sunt, his verbis :* Apud Sulmonem B. Roberti Ord. Cisterciensis. *In notis vero sic habet :* Roberti confess. ex Martyrol. monastico. Claruit sub Bened. Pap. XI. Migravit e vita an. MCCCXLI. De quo in Chron. Cistertiensi. *Quodnam illud sit Chronicum Cisterciense, nescio. Certe nullum Chalemotus hodie, nullum Henriquezius in fastis Cisterciensibus* Robertum *agnoscunt. Tum quid Cisterciensibus cum Sulmone? Enimvero dies, annus mortis, locus cultus non alii* Roberto *conveniunt quam Salentino, qui Cisterciensis non fuit. Rectius ita Usuardus auctus juxta codices Florentinos, ut notatur in auctariis Usuardi nostri ad hanc diem :* Beati Roberti confessoris de Salle, Ordinis Cælestinorum. *Quid vero per codices illos intelligamus, diximus ibidem in Præfatione pag.* LXIII, *num.* 254. *In hac re autem conveniunt collata istic exemplaria, id est, Ms. D. Caroli Sirozzi, et excusum Florentinum anno* 1486, *ac Ms. bibliothecæ Medicææ, ut annotavit Henschenius.* F

Honorate jam olim publico concursu reliquiæ ejus ;

4 *Accedit testimonium venerationis ejus publicæ apud Joannem a Bosco in fine bibliothecæ suæ Floriacensis, editæ Lugduni anno* 1605, *Vitæ* B. Roberti *Cælestini cap.* X, *ubi sic habet :* Ipsius vero *(Roberti Salentini)* corpus in monasterio sancti Spiritus prope Sulmonem, Ordinis Cælestinorum primario, intra arcam cancellis ferreis clausam, ad meridionalem ecclesiæ plagam reconditum, fidelium venerabili concursu honoratur. Quo autem tempore humo elatum fuerit, non reperio. *Factum id putat Cælestinus Telera anno, qui felicem* Roberti *obitum proxime consecutus est, Christi* 1342 ; *nec sane improbabiliter, ut infra suo loco videbimus. Et quis credat vel tantisper ab intellecto ejus obitu cohiberi potuisse populum, quin ad eum continuo frequentissimus ac supplex afflueret, cujus etiamnum viventis tot spectarat, tot audierat celebrata quaquaversum prodigia ; cum ea fere post mortem frequentiora esse consueverint? Multo vero id minus credas, si miracula consideres, quæ statim ab obitu tam crebra ad sepulcrum et invocationem ejus contigerunt ; ut eo ipso anno usque in vicinas provincias non modo eorum cele-* *berrima*

AUCTORE P. B.

berrima fama, sed ipsa etiam miracula una cum summa erga novum Patronum religione penetraverint; ut constat ex iis, quæ de se narrat auctor noster in prologo num. 5 *et* 6.

erectumque ipsi sacellum.

5 *Ad cultum publicum etiam facit quod habet Telera in Vita cap.* 1, *erectum scilicet olim a Salensibus beato Civi suo in ecclesia sua majori fuisse sacellum, et* elegans *quidem, ut ipse loquitur,* ædificium, quod ad hunc usque diem videtur. *Itaque* Beatum *ipse* Robertum *appellare non dubitavit; cum tamen in præfatione ad Vitas SS. Discipulorum S. Petri Cælestini pag.* 184 *et seq. præmoneat, illum tantummodo titulum iis a se dari, quos antiquitas eo dignos censuerat a tempore immemorabili ante decreta Pontificia anni* 1625 *et* 1634. *Hæc omnia, credo, si vidisset D. Castellanus, priusquam ederet Martyrologium suum Universale, non tam timide* Robertum *annuntiasset, quam fecit ad hunc diem verbis, quæ sic reddo Latine :* Prope Sulmonem, Venerabilis Robertus Salentinus, Ordinis Cælestinorum. *Quia tamen hujus viri in rebus istiusmodi indagandis explorata nobis fuit diligentia, nequid hic dubii superesset, ipsos RR. Patres Cælestinos per litteras consulendos* B *duximus.*

Cultus ejus solennis Salæ in Aprutio,

6 *Scriptum ergo est ad Rev. adm. P. Priorem cœnobii Heverani, sive Heverleensis juxta Lovanium ; ac deinde Parisios : unde didicimus, nihil prorsus in ordine Cælestinorum provinciæ Gallicanæ de* B. Roberto *fieri, ne commemorationem quidem in Officio ecclesiastico. Quare in Italiam per nostros recurrimus, a quibus interrogatus amplissimus D. abbas cœnobii Bononiensis, ita respondit :* Fuisse se in istis partibus. Corpus Beati esse extra muros Sulmonenses : Ordinem suum non celebrare ejus Officium : celebrare tamen illud sacerdotes loci in quo requiescit : ibi die ipsi sacra Missam solennem ac panegyricum fieri. Ceterum scripturum se, ut ad singula interrogata nostra convenientia obtineat responsa ; eaque se promptissime communicaturum. *Ita de summa Viri amplissimi humanitate per epistolam anno* 1724, XVIII *Aprilis Carpo Mutinensi datam testatus est P. Joannes Tedeschius Societatis Jesu. Cum vero dubitarem ego, ecqui essent illi* sacerdotes loci, *ita mihi per eumdem P. Tedeschium, qui sane operis nostri studiosum se in paucis ostendit, idem ampliss. D. Abbas* C *rescribi in hæc verba curavit die* IX *Novembris anni* 1724 :

et ara in templo monasterii S. Spiritus prope Sulmonem,

7 Salæ, mediocri in oppido diœcesis Theatinæ in Samnitibus, in quo natus est Beatus, diuque moratus dum viveret, ejus festum quotannis solemni ritu, uti scriptum est, celebratur a loci presbyteris; quo nomine non Cælestinos monachos, quorum nullum ibi cœnobium est, aut regulares alios intelligimus; sed presbyteros seculares. Id cum probent ac permittant Theatini episcopi, neque P. Abbati de ullo constet ejus festi celebrandi concesso eidem oppido ab Apostolica Sede privilegio (quippe quæ nihil tale concessit adhuc Ordini Cælestinorum,) credibile est, cultum illum Beati longe antiquiorem ibi esse ; quam ut abolitus censeri debeat aut imminutus Bullis Urbani VIII. Ceterum Sulmone in monasterio S. Spiritus Beati cineres parva in capsula asservantur, ejusdemque in ecclesia monasterii, antequam tota corruerit postremo terræ motu, exstabat altare eidem Beato sacrum, ad quod rem divinam fecisse se pluries testatur idem P. Abbas. Ejusdem ecclesiæ reædificata nunc est ara D tantum maxima ; cum altaria reliqua restaurata [fuerint,] Palla, ut dicitur, sive pictura ejusdem Beati, quæ servatur adhuc, probabiliter reponetur altari suo. *Hæc in litteris officiosissimis P. Tedeschii; in quibus etiam significat, amplissimum D. Abbatem sequenti anno Sulmonem ad Ordinis comitia generalia profecturum, indeque plura, si suppetant, monumenta missurum.*

8 *Pridie, si recte memini, quam litteras, modo recitatas accepissem, alias submiseram, quibus adderem viro stimulos jam suapte sponte currenti, ut promissas nuper notitias maturaret ; cum propediem Acta* B. Roberti *essent prælo committenda. Ad hasce etiam, tametsi importunas, pro sua humanitate facilitateque rescribere continuo gravatus non est Tedeschius,* XV *Januarii anni* 1725. *Et vero ne vacuas mittere litteras videretur, binas acclusit imagines, laminis æreis expressas, ac vulgi, ut apparet, manibus tritas; minorem alteram, in qua Beatus noster capite radiis incincto refertur, posita juxta illum arbore bifurca, de qua in Actis, num.* 21, *fit mentio ; alteram aliquanto majorem; quam, quia, teste eodem ampliss. P. Ab*- E *bate, qui utramque nobis consignandam curavit, picturam illam refert quæ in ara* B. Roberto *erecta in monasterio S. Spiritus prope Sulmonem prostitit, iterumque probabiliter reponenda est, æri incidendam putavi ; quando tempus non sinit me exspectare elegantiorem cum aliis monumentis, quæ in reditu a comitiis allaturum se spondet laudatus jam sæpe ampliss. P. Abbas Bononiensis. Hæc eo placet magis quod perantiqua videtur. Atque eccam tibi, sed paulo contractiorem.*

cujus [illegible] hic repræsentantur



B. ROBERTVS DE SALLA MONACHVS CŒLESTIVS

Audieram et aliam iconculam circumferri, quæ cor Beato nostro binis clavis transfixum exhiberet : sed talem et amplissimus Abbas Bononiensis, et Tedeschius, quos consulueram, vidisse nuspiam sese, testati sunt.

9 *Nunc*

9 *Nunc ad Acta* B. Roberti *progredior. Primus ea typis vulgavit, quem ante dicebam, Joannes A Bosco, Parisiensis ac Cælestinus in bibliotheca Floriacensi anno* 1605. *Inde ea, ut erant, accepit, qui Surium edidit Coloniæ anno* 1618, *uti ad diem* XVIII *Julii videre est. Inde etiam sua contraxerunt Benedictus Gononus in Vitis et Sententiis Patrum Occidentis lib.* VI *a pag.* 373, *aliique plures, quorum aliquos supra memoravi; non tamen Wionius neque in Martyrologio monastico quod citat Gononus, neque usquam alibi, quod sciam. Hi omnes ad ea quæ apud A Bosco repererant, nihil attulere de suo. Plus aliquid spei fecerat diligentia P. Domni Lelii Marini, Cælestinorum abbatis generalis, qui in Vita S. Petri Cælestini non semel Acta* B. Roberti *pollicetur. Ea dederit, nec ne, nescio; nec tantopere id investigandum putavi, postquam incidi in historias sacras Virorum sanctitate illustrium e congregatione Cælestinorum, collectas scriptasque Italice a D. Cælestino Telera, diffinitore et abbate Cælestino, atque editas Bononiæ anno* 1648. *Eas inter est etiam Vita* B. Roberti Sallensis *a pag.* 209, *deprompta quidem ex illa, quam dedit A Bosco; sed ad calculos redacta chronologicos, rebusque omnibus aucta (si episodia quædam excipias) quas ille archivorum Ordinis sui scrutator eruditus ac sedulus e situ ac latebris potuit in lucem educere. Cujus quidem opera magno mihi adjumento fuit.*

10 *Cum tamen nostrum sit in Actis Sanctorum edendis antiqua recentibus, rivisque fontes anteferre, visum non est vel Joannis A Bosco, vel Teleræ Vitam hic proponere: quippe quæ adornata sit ex alia, quam conscripserat sacerdos quidam anonymus, eo ipso anno ope* B. Roberti *febri in Campania felice liberatus, quo ille quinque circiter ante mensibus in cœlum migraverat; uti infra de se ipse narrat in prologo. Hujus opus rudi stylo compositum, resectis contractisque non nullis, expolivit A Bosco; quo labore dubitem, an majorem a lectoribus, antiquitatis quam elegantiæ nunc saltem avidioribus, gratiam inierit, quam, qui idem factitare consueverat, Laurentius Surius. Ut ut est, fontem ego ipsum perquirendum existimavi, cujus non nisi prologum habebam e Ms. olim Belfortii desumptum. Recurri itaque primum ad Rev. adm. P. Priorem Heverleensem; a quo, cum nihil haberet, remissus sum Parisios ad R. P. Becquetum, Cælestinorum istic bibliothecæ præfectum, apud quem suam mihi operam perhumaniter addixit, ac vero etiam præstitit: vix enim epistolam meam acceperat Becquetus, cum accessit ad P. nostrum Claudium Joachimum Thoubeau, virum sibi amicum, atque inter eruditos notissimum; eique codicem Ms. accommodavit, qui præter id quod quærebam, alia multa continebat Legendis admodum similia, ut Acta S. Catharinæ Martyris etc. Inde nobis P. Thoubeau non modo describi curavit Vitam* B. Roberti, *sed et aliam, hortante Becqueto, B. Joannis Bassandi; quod hanc etiam nobis usui futuram prospiceret mense Augusto. Utrumque apographum accuratissime a memorato patre cum exemplari collatum ipsemet in Belgium afferre dignatus est Rev. admodum Pater Cælestini Ordinis per Galliam Provincialis, nobisque porro huc Antverpiam per suos officiosissime in manus consignandum curare.*

11 *Et quod quidem ad Vitam attinet* B. Roberti, *est ea sine dubio antiquissima illa, quam desiderabam, quaque usus est P. A Bosco; ut conjeci ex prologo, quem jam habebam, ut dixi, aliunde, aliquanto tamen, ut verum fatear, contractiorem; quod ne dissimulare videar, uncis ea inclusi, quæ in Belfortiani prologi apographo non leguntur. Idemne in Vita sit factum, quam aliunde non habeo, divinare nequeo. Sed neque hoc mihi constat, an auctaria illa verborum, (nihil enim substantiæ continent) ipsius sint auctoris, an cujusdam interpolatoris; an contra brevitas auctoris sit; interpolatoris luxuria: neque adeo utrum præstet Ms., Belfortianum Cælestino; an Cælestinum Belfortiano. Certe de codice Cælestino scribit P. Thoubeau, videri sibi exaratum ante annos facile trecentos. Dabo igitur ex hoc* B. Roberti *Vitam, prout illam accepi; nisi quod litterarum compendia, sive abbreviationes, ut aiunt, suppleturus sim: erant enim frequentissimæ; easque religiose observari ab amanuensi voluerat dictus Pater, ac postea cum exemplari ipse contulit; nequid forte temere immutari potuisset. Orthographiam item plerumque restitui, ubi vocales simplices pro diphthongis erant, aut exoleta redundabat littera, uti in* Sompno, dampno *et similibus, quarum illis temporibus usus fuit, seu potius abusus. Denique capita nostro more distribui; relicta tamen ad margines partitione auctoris.* (Auctoris P. B.)

§ II. Series chronologica vitæ B. Roberti privatæ.

Quandoquidem auctor noster non nulla præteriit, quæ ad Acta B. Roberti *faciunt, visum est ea hic una cum serie Vitæ chronologica attexere, qua in re utar imprimis opera D. Cælestini Teleræ, de quo supra memini. Natus ergo est* B. Robertus *vel anno Christi* 1272 *post mensem Julium, vel certe ante diem* XVIII *ejusdem mensis anno* 1273. *Patet id ex Actis infra cap.* VI, *num.* 62 *et* 64, *ubi mortuus esse dicitur* XVIII *die Julii, anno Domini* 1341, *ætatis suæ* 69: *nam anni* 69 *si ferme completi subducantur a* 1341, *reducentur ad annum* 1272; *sin delibati tantummodo fuerint, intra annum* 1273 *consistent. Telera tamen in Vita cap.* II *non putat illum ante* 1273 *editum in lucem fuisse; quod ex eo confirmat, quod in processu canonizationis S. Petri Cælestini examinatus cum aliis testibus* Robertus *mense Maio vel Junio anni* 1306 *de se testetur, ætatis tum se fuisse annorum* 33. *Recte quidem; si ita processus habeat, quem non licuit mihi consulere. Verum cum eumdem illum processus istius locum citans Lelius Marinus in Vita S. Petri Cælestini Italica lib.* IV, *cap.* XI, *pro annis ætatis* Roberti 33 *ponat annos* 36, *et Papebrochius noster Lelium vertens tom.* IV *Maii pag.* 531, *scribat ibidem ætatis annos tantummodo* 26, *dubiis hisce citationibus non sum ausus inniti. Itaque certum auctorem sequi malui; cum quo tamen minime pugnat argumentum Teleræ.* (*Natus est Robertus versus an. Christi 1273;*)

13 *Postquam ætatem teneram usque ad annum* 15, *Christi circiter* 1287, *sub parentum disciplina integerrime traduxisset, clero nomen dedit; ut colligere licet ex Actis num.* 8; *nec diu post accidit insigne illud Christianæ caritatis exemplum, quod ibidem narratur num.* 9. *Eumdem rerum ordinem servat a Bosco. Cur autem Telera sic ab eo deflectat, ut facinus illud* Roberti *referre videatur ad ætatem ipsius teneriorem, non satis assequor: nam verisimile non est, parvulum tum fuisse Beatum nostrum, cum ejus opem injuriis affecta soror, jam tum* mulier *appellata imploraret,* (*fit clericus circa annum 1287:*)

AUCTORE P. B.

raret, idque adversus virum, *et quidem* furibundum. Ipso autem tempore *deliberare cœpit cum S. Petro de Morono, qui postea Cælestinus V fuit, de religiosæ vitæ statu ineundo, imo jam sibi ipsius Petri Ordinem animo designare, eique semet polliceri ; ut ibidem refertur num*. 10 ; interjectisque diebus paucis, *audito matris cum Deipara Virgine colloquio,* festinabat implere opere, quod verbo promiserat. *Ibid. num*. 11.

et monachus Cælestinus anno 1288;

14 *Ordinem ergo, qui postea a Fundatore ad S. Petri cathedram evecto, Cælestinus dici cœpit, ingressus est* Robertus *anno ætatis decimo sexto, Christi* 1288 *ante mensem Julium, ut ex Actis nostris eruitur; in quibus obiisse dicitur* XVIII *Julii anno* 1341, *juxta num*. 62 *supra citatum ; postquam pastoris sui, vel patris (ut habet apographum Belfortianum) nempe S. Petri de Morono sectatus esset in religione vestigia* per annos quinquaginta tres et ultra, *ut est in prologo infra num*. 4. *Nam anni 53 ducti retro a die* XVIII *Julii* 1341 , *complentur eodem die Julii* 1288; *quod vero* ultra *est*, *ad menses*, *diesve ejusdem anni* 1288, XVIII *Julii antecedentes referri potest, quibus jam annum ætatis* B *ingressus esse poterat* Robertus *decimum sextum. In eumdem sensum videtur explicari posse locus e processu canonizationis S. Petri Cælestini desumptus, saltem ut extat apud Mar num lib* IV, *cap*. XI, *Teleram citatum cap*. II, *et in Actis Sanctorum tom*. IV *Maii pag*. 531; *ubi dicitur* Robertus *in Ordine egisse annos septemdecim anno Christi* 1306 *versus mensem Junium, si anni intelligantur completi ; quo pacto dici possunt anni septemdecim, quamdiu decursus nondum est omnino annus decimus octavus, licet sit excurrenti proximus : fac enim Ordinem iniisse* Robertum *exeunte Junio circiter anni* 1288; *erunt inde usque ad finem Maii vel initium Junii anni* 1306, *anni septemdecim cum undecim mensibus, id est, anni nondum completi octodecim : erunt inde etiam usque ad annum* 1341 *diem* XVIII *Julii, anni* quinquaginta tres et ultra. *Atque ita inter auctorem nostrum et jam dictum processum canonizationis optime conveniet ; neque necesse erit, alterum deserendo, statuere initium vitæ religiosæ a* Roberto *datum anno Christi* 1289 ; *quod faciunt ibidem Lelius ac Telera.*

C

apud montem Orphontis;

15 *Locum, in quo habitum religiosum induit, satis constat ex iis, quæ sub finem capitis primi referuntur in Actis, fuisse montem Orphontis, sive Orfentis , cujus descriptionem ex Maphæo Vegio dedimus ad diem* XIX *Maii in Actis S. Petri Cælestini pag*. 494. *Eumdem fusius expositum habet Lelius Marinus lib*. II, *cap*. XIII ; *atque huc redeunt, quæ istic tradit Italice : In summo vertice Majellæ montis, qua meridiem ac Sulmonem spectat, excurritque versus Apenninum in Pelignos, locus est ad initium vallis vastissimæ, quæ a fonte qui inde promanat, Orfente dicitur ; ibi spelunca est ingens, abdita, inaccessa, quam sibi S. Petrus Cælestinus, quo securius lateret, elegit incoluitque ab anno circiter* 1286 *usque ad* 1293, *molitus primum instrumenta, quibus in eam eniti, atque inde descendere, seu potius demittere sese posset. Tum ibi oratorium S. Joanni Evangelistæ dicatum, et cellas sibi ac sociis exstruxit ; imo et externis ac peregrinis. Ibi* Robertus, *inquit Telera cap*. III , *annum tirocinii posuit ; ibi miraculis S. Patris sui quamplurimis spectator astitit.*

16 *Cum aliquamdiu proludentem virtutibus heroicis Tironem magister sanctus observasset, exinde* suo voluit consortio aggregari , *inquit Auctor noster cap*. I, *num*. 14 ; quem secum per quinquennium tenuit ; *donec scilicet electus Pontifex maximus ineunte Julio anni* 1294, suæ cellæ et vitæ successorem faceret et heredem , *uti dicitur ibidem num*. 15. *Itaque juxta biographum nostrum hæserit* Robertus *in Orphonte usque ad annum* 1293, *quo (uti docet Marinus lib*. II, *cap*. XXI *et* XXVI) *circa mensem Junium inde migravit S. Petrus in Moronum, usque ad Pontificatum ; atque adeo etiam cum illo* B. Robertus. *Dixi : juxta biographum nostrum : nam sunt, qui hic aliter sentiant, teste Telera cap*. IV, *velintque,* Robertum *cum sancto patre suo duobus dumtaxat annis ac mensibus decem cohabitasse : ita enim ipsum de se testari* Robertum *in processu pro canonizatione S. Petri Cælestini: et quidem totum hoc tempus, duorum scilicet annorum ac mensium* 10, *collocatum fuisse apud Orphontem. Verum hæc sententia repugnat, non tantum iis, qui* B. Roberti *Vitam, sed et iis qui S. Petri Cælestini Acta conscripserunt, non secus ac Petrarchæ, loco quem assignavi supra ; qui constanter affirmant socium S. Petri in cella Moronica fuisse* Robertum, *quando ille conquisitus ad Pontificatum, fugam cum hoc* E *meditatus est anno* 1294 ; *in eaque interceptus, secum eumdem invitavit, ac restitanti desideratam cellam concessit, tamquam hereditario jure deinceps possidendam.*

ubi a S. Petro Cælestino delectus in socium.

17 *Quare Cælestinus Telera viam ibidem aliam sectatur, sibi, ut ait, magis probabilem ; statuitque omne tempus, sive continuum sive interruptum, quo cum Cælestino* Robertus *habitaverit, fuisse annorum tantummodo duorum ac decem mensium :* quandoquidem , *inquit* , nefas est impugnare examen , quod ipsemet, tamquam de facto proprio , fecit in asserto processu : *ceterum menses illos* 34 *traductos haud dubie fuisse partim in Orphonte, saltem quoad annum integrum tirocinii, partim in aliis monasterii jussu superiorum, partim in Morono, ubi tandem, velut Cælestino intimus, fugam cum illo tentaverit, et oblatam recusaverit dignitatem Cardinalitiam. Ita conciliat quidem testimonium ex processu jam dicto petitum cum Actis S. Cælestini ; at nequaquam cum Vita* B. Roberti *citata.*

illi adhæsit familiariter

18 *Mihi tamen integrum non est, in hac re certius aliquid affirmare ; quando processum non habeo, unde insestum auctori nostro argumentum* F *depromitur. Si tamen* Roberti *nostri testimonium ex processu fideliter interpretatus est Marinus lib*. IV, *cap*. XI, *nulla videtur esse difficultas: non enim ibi negat* Robertus, *sese cum Cælestino per quinquennium familiariter convixisse; sed asserit tantummodo,* se annis solum duobus ac decem mensibus continuis Sancto ministrasse, *seu* serviisse: *vel;* se solum *(adjective)* Sancto ministrasse annis 2 m. 10: *vel;* se Sancto soli ministrasse annis *etc. Sic enim exponi possunt hæc :* Haveva servito al Sancto solo doi anni e dieci mesi di continuo. *Aliud vero est esse socium, aliud ministrum; aliud etiam ministrasse, aliud ministrasse solum vel soli. Hæc an faciant satis, judicabunt, quibus processum ipsum licebit inspicere, quem ego non potui nisi apud Marinum. Quod si ipsius* Roberti *testimonium illud est (quod ex Marini textu non apparet ; saltem quoad partes aliquas) et cum Actis ejus componi non possit ; sine dubio præferri debet.*

usque ad Pontificatum an. 1294;

19 *Avulsi Romam S. Cælestini cellam occupare continuo cœpit* Robertus, *quam proinde breviter hic depingere non erit otiosum. Est Moronus,*

quo ipsi successit in cella Moroni,

A *nus, Murrone seu Morrone etc., mons altissimus in Aprutio citeriore, asper olim et incultus, ac silvis et saltibus horridus. Meridiem respicit ac Sulmonem vix duobus inde milliariis dissitum. In eo S. Petrus jam ab anno Christi* 1239, *teste Marino lib.* I, *cap.* VII, *varia sibi variis temporibus receptacula struxit, atque incoluit; quorum ultimum cella fuit, e qua ad solium Romanum eductus est, postquam annum unum ac mensem illam habitasset. Saxo erat imposita; in montis clivo, tum quidem asperrimo, carceri, quam cellæ similior; adeoque angusta, ut præter altare (quod factus Pontifex ipse consecravit ac plenariis semel in anno ditavit indulgentiis) vix hominem caperet : humili arctoque ostiolo claudebatur : ac fenestram habebat cancellis ferreis munitam, per quam et videri sacrificans posset, et adventantes alloqui, ac necessaria recipere. Nomen loco fecit* ad S. Onuphrium. *Extra cellulam illam capacior erat alia, instar atrii, quæ minori illi prospectum in loca inferne posita subducebat. Aliæ insuper ibi cellæ per saxi longitudinem visebantur, uti et casa exigua, sociis ejus ac ministris exstructæ. Videri possunt hæc fusius apud Marinum* B *lib.* I, *cap.* VII *et* XV; *lib.* II, *cap.* XXII, XXIV, XXVI; *lib.* III, *cap.* VI *et alibi. Consule etiam carmen Jacobi Cardinalis datum tom.* IV *Maii pag.* 451 *a num.* 180.

in qua mansit usque ad an. 97 aut 1298.

20 *Remansit in hac cella* B. Robertus usque post tempus, quo vir sanctus beatus Petrus abrenunciavit officio, et migravit ad Christum. *Sic habent Acta num.* 15. *Renuntiavit autem Papatui S. Petrus Cælestinus anno Christi* 1294 *mense Decembri; ad Christum vero migravit anno* 1296 *die* XIX *Maii; quando se* Roberto *in cella spectandum exhibuit; uti narratur ibidem num.* 16. *Quamdiu vero* post tempus *illud ibi perstiterit, Acta non memorant : innuunt tamen, ibi mansisse illum, donec in aliam cellam in monasterio S. Georgii de Rocca Moria se contulit, in qua se per annos* 12 *occlusit; certe alterius interea domicilii non meminerunt, num.* 17. *Cum ergo sacerdos tum fuerit, cum in S. Georgii monasterio versaretur, ut constat ex num.* 19; *non potest, relicta priori cella migrasse in alteram ante annum Christi* 1297, *quo vigesimum quintum ætatis annum ingressus, sacerdotio initiari primum potuit, juxta ipsum S. Cælestinum Opasc.* VIII, *par-* C *te* V, *sect.* I, *cap.* II. *Et satis apparet verisimile, simul cum nova sacerdotii dignitate, novam illam ac plane cœlestem vivendi rationem ab eo fuisse susceptam, atque ita etiam Teleræ visum est cap.* VII, *ubi* Robertum *ait perseverasse in Morono usque ad sacerdotium, quod ipse refert ad annum* 1298, *quia hæc S. Cælestini verba loco citato,* Sed modo potest ordinari (*presbyter*) habens viginti quinque annos, *per annos* 25 *completos interpretatur; cum inchoati tantum intelligi debeant, ut colliges ex Lelio Marino in Vita S. Petri Cælestini lib.* I *cap.* VI.

quando in alia cella occlusit se per annos 12.

21 *Erit forte, qui aliquanto serius a S. Cælestini cella, ad monasterium S. Georgii transiisse* B. Robertum *existimet; cum non videatur duodecim annorum solitudinem in cella S. Georgii ante deseruisse, quam inde ad officium publicum in Ordine gerendum a superioribus evocatus sit; primum autem, quod gessisse sciatur, officium, impositum illi sit anno Christi* 1314, *ut infra notabimus; a quo anno si annos duodecim integros dempseris, quos inclusus egerat, ad annum* 1302 *devenias, quo a S. Petri cella ad solitariam illam S. Georgii transferre sese potuerit. Verum ne huic opinioni assentiar, faciunt Acta cap.* IV, *num.* 43, *ubi narratur episcopus Theatinus acceptarum eleemosynarum expensarumque a* Roberto *rationes exegisse* a temporibus usque tunc Concilii Viennensis, *hoc est ab anno Christi* 1311, *quo celebratum erat istud Concilium. Jam tum ergo noverat eum episcopus ille conquirendis eleemosynis, atque in usus pios profundendis vacasse. Atqui id non fecit (saltem ita, ut in oculos omnium posset incurrere, ædificandis nimirum fundandisque monasteriis et xenodochiis) ante expletum in cella S. Georgii annum duodecimum; ut patet ex Actis a cap.* III. *Non ergo, deserta priori cella, secundam adiit post annum circiter* 1298, *a quo ducti duodecim anni solitudinis excurrunt in annum Christi* 1310 *aut sequentem, hoc est, in tempus fere Concilii Viennensis. Porro quem in hac postrema cella vitæ modum tenuerit, quam admiranda patraverit prodigia, Acta toto capite secundo docent. Et hæc quidem ad vitam ejus privatam attinent; atque ex ipsis Actis intelligi nullo negotio possunt. Utinam pari perspicuitate auctor idem ea tradidisset, quæ ad munia Beati nostri vitamque deinceps publicam pertinent. Nos quod in hac parte desideratur, quantum quidem inveniri potuit, ex laudato* E *Cælestino Telera cap.* VII *proferemus in medium.*

AUCTORE P. B.

§ III. Continuatio chronologica et munia in Ordine publica.

Fit procurator monasterii S. Spiritus de Majella an. 1314:

Non *ita uni sibi ac Deo vacare in cellis* Roberto *huc usque licuit, quin ad Ordinis sui comitia, seu capitulum, ut vocant, generale tertio quoque anno celebrari solitum, vel invitus excurrere teneretur, ut Acta tradunt cap.* II, *num.* 17. *Ibi vero nimis emicabat prudentia ejus atque industria, quam ut illam patres diutius pati possent in umbris nemorum ac solitudine propemodum inutilem delitescere. Prodire ergo ex latebris, atque ad communem utilitatem necessitatemque studia imposterum sua conferre jussus est. Et quamquam id jam factum videatur ab anno Christi circiter* 1311, *uti ex numero præcedente colligitur; quid tamen illi tum officii impositum fuerit, ignoramus. Hoc certum videtur, quod tertio post anno ingentis monasterii S. Spiritus de Majella, quod initio inter alia tamquam præcipuum appellat in suis litteris S. D. N. Gregorius Papa X apud Marinum lib.* II, *cap.* VI, *rem domesticam administrandam susceperit :* Legimus enim, *inquit Telera citatus,* inter scripta antiqua instrumentum aliquod anni MCCCXIV ac diei XI Julii, in quo Robertus de Salla signatus occurrit procurator S. Spiritus. Atque hoc munus, *inquit idem,* gerere perrexit usque ad annum MCCCXVII, qui erat ætatis ejus XLIV. F

tum prior S. Crucis in Monte plano an. 1317 usque ad 1320:

23 *Hac sane permolesta cura non sine patrum gratulatione perfuncto imposita est alia anno eodem* 1317, *quo, juxta eumdem Teleram, prior designatus erat monasterii S. Crucis in Arce seu Rupe Montis plani; ita enim observatum esse ait jam dictus auctor in instrumentis aliquot archivi S. Spiritus in Morono;* atque in primis in privilegio quodam comitis Joannis Rossi, Baronis Sublaci ac supradictæ arcis. Unde, quia istic de fundatione monasterii illius fit mentio, fas est credere, B. Patrem ejus auctorem fuisse, uti et aliorum, quæ secutis temporibus erexit . . . In S. Crucis perstitit annis tribus usque ad MCCCXX, non

AUCTORE P. B.

non id agens tantummodo, ut monasterium istud, quacumque posset ope, perficeret, sed etiam ut aliud aliquod moliretur, ecclesiæ S. Petri Apostoli contiguum, quæ dudum ante a Cælestino V per Breve, datum Neapoli die IX Novembris MCCXCIV, unita fuerat monasterio S. Spiritus in Majella. *Teleræ non omnino consonat Marinus lib.* II, *cap.* XI, *ubi docet, monasterium S. Petri de Monte plano a* B. Roberto *tantum fuisse renovatum, ac deinde translatum ad S. Crucis S. Antonii (sive Antonini) in diœcesi Anagniensi.*

inde prior Gessi 1320; iterumque in Monte plano 1324:

24 Postquam hæc monasteria rexisset *(Teleram verto)* comperimus, ipsum anno MCCCXX, ætatis XLVII, destinatum fuisse Gessum *(oppidum Aprutii citerioris, de quo vide Leandrum Alberti in Samnitibus;)* ubi brevi temporis spatio fundavit aliud monasterium, in quo officium prioris exercuit per annos tres usque ad initium anni MCCCXXIV. Inde rediit ad Arcem Montis plani, quod ejus ibi tum forte necessaria esset opera; quam etiam ob causam iterum loci istius prior in capitulo generali anno MCCCXXIV nuncupatus est; ubi usque ad B annum MCCCXXIV, ætatis suæ LIII, commoratus, monasterium interea ædificio ac redditibus auxit, ac regularem instauravit disciplinam inter suos, qui ob vitæ probitatem, asperitatemque totidem reputabantur exempla sanctitatis.

ac tandem procurator Ordinis generalis an. 1327;

25 *Interserit hoc loco aliqua Cælestinus Telera quæ ad modum spectant, quo cum subditis agere* Robertus *consueverat, suntque ea fere, quæ inferius traduntur in Actis cap.* V, *num.* 49. *Tum captam rationem chronologicam ibidem ita prosequitur:* Facere non poterat ejus Religio, quin tanto ipsius ardori ac studio responderet, eoque in negotiis tum gravibus, tum honorificis uteretur. Itaque capitulum generale anni MCCCXXVII procuratorem eum Ordinis generalem elegit, cum certa fiducia, fore ut vita ejus omnibus ad exemplum proposita, ratioque agendi efficax plus ad felicem in Ordinis totius negotiis exitum, quam aliud quidlibet valerent; id quod res ipsa subinde edocuit . . . Procuratorem generalem destinatum illum fuisse, palam faciunt schedæ complures antiquæ; atque illa præ reliquis, qua donatio consignatur cujusdam fundi, facta anno MCCCXXVII per dominam Cantelmam Cantelmi, ejusque filium C D. Carolum, beato huic Patri, procuratori, ut ibi appellatur, generali Ordinis S. Petri confessoris. Servatur instrumentum illud in monasterio Lamensi, *in Aprutio, quod vulgo dicitur,* della Lama.

varia interim fundans monasteria:

26 Dum hoc officio fungebatur B. Robertus, fixum nusquam domicilium habuit, sed alia ex aliis, ut res ferebat, obivit monasteria. Romam ob urgentia negotia invisit sæpius. Caramanici *(quod oppidum item est Aprutii citerioris non ignobile, et Sallensi ad Orientem satis vicinum)* fuisse legitur ipso hoc anno MCCCXXVII: hortum enim istic emit monasterio contiguum, quod ibidem ipse sub titulo S. Petri de Morono fundaverat; at modo non apparet amplius. Lamam etiam invitatus fuit ad erigendum ibi cum templo monasterium; quod summa cum laude effectum dedit. Quam ad rem largæ ei eleemosynæ ac bonorum stabilium donationes a Baronibus regnique proceribus cessere. Deinde Atissam se contulit *(quod est ejusdem Aprutii, teste Leandro Alberti, Castellum sive oppidum diœceseos Theatinæ)* quo loco cum sparsa jam D esset sanctitatis ejus fama, facile illi fuit monasterium condere, cui collocando vineam emit unciis auri quatuor, uti in scripto quodam ibidem asservato legitur. Ac tandem ipsum aggressus ædificium, priorum hominum larga munificentia perduxit ad fastigium.

Quæ res ei peperit invidiam et persecutionem.

27 *Ad hæc tempora spectare videtur persecutio illa, quam ab episcopo Theatino passus esse fertur* Robertus *in Actis cap.* IV *a num.* 43: *Telera certe cap.* XIV *eam refert ad annum Christi* 1329; *sed in eo non satis memor eorum quæ ante scripserat cap.* VII, *quod eum tum fuisse velit hic priorem in Monte plano, quem cap.* VII *jam a biennio prioratu illo defunctum, ac generalem Ordinis procuratorem electum fuisse narraverat. Ceterum non displicet mihi assignatus ad hanc rem annus* 1329; *quamquam non videam, cur id non potuerit accidisse vel anno* 1328, *vel* 1331: *nam ex Actis tantum eruitur id factum esse sub Joanne XXII, magnis* temporibus *post concilium Viennense, id est, post annum Christi* 1311; Cum accepisset *(episcopus Theatinus)* a summo Pontifice Domno Papa Joanne in mandatis, ut contra Fratricellos . . . procederet. *Hoc au-* E *tem videtur ab illo Pontifice præcipue demandatum episcopis per Italiam ac Siciliam anno Christi* 1331, *juxta Odoricum Raynaldum, Baronii continuatorem, ad annum illum a num.* 4. *Quia tamen singulares de hac re litteras idem Pontifex anno* 1328 *dedisse dicitur ad Joannem Crispanum de Rocha episcopum Theatinum, teste Ughello tom.* VI *Italiæ sacræ col.* 923, *omnino probabile est, rem hanc circa annum illum contigisse: cum alii nulli episcopo Theatino tales a Joanne litteræ scriptæ ibidem memorentur.*

ab episcopo Theatino an. circiter 1328 aut 1331.

28 *Neque refert, quod hæc historia non admodum congruere videatur Joanni Crispano, qui vir fuisse dicitur* omnium virtutum et eruditionum genere ornatus: *nam et talis erat Nicolaus de Fossa ejusdem antistes ecclesiæ, qui tamen S. Cælestinum ejusque Ordinem, quem ante foverat, pessumdare, quocumque posset modo, conatus est, quod per privilegia Pontificia Ordini recens concessa, juri suo derogatum aliquid arbitraretur; nec ante destitit, quam mentem ei meliorem Deus ultor injecit; vide Acta S. Cælestini tom.* IV *Maii, pag.* 506; *aut Ughellum tom.* VI *col.* 906 *et seq. Et vero* F *usque adeone est insolens, ut etiam peccent boni, tum maxime, cum maledicorum occupati calumniis, recte agere se putant? At enim alibi nihil quidquam simile de hoc episcopo legitur. Esto: nam neque simile quid legitur de præsulibus aliis, qui sub Joanne XXII cathedram Theatinam obtinuerunt; cum tamen in eorum aliquem id cadere necesse fuerit, siqua auctori synchrono ac pio fides est. Laudatur sane apud Ughellum episcopus hic a solicitudine ac labore, quem recuperandis ecclesiæ suæ bonis ac juribus impendit. Atqui hæc ipsa causa est, quæ commotæ in* Robertum *persecutioni prætexebatur, ut Acta nostra testantur. Mirum ergo videri non debet, si qui summum jus persequebatur, summam intulerit injuriam.*

An. 1333 adhuc procurator generalis condit monasterium alterum Gessi;

29 Anno MCCCXXXIII, cum esset ipse sexagenarius, idemque etiam tum procuratoris generalis onus sustineret, Gessum denuo contendit, ut posset alterum ibi locum erigere (quam illi spem faciebat civium illorum erga se studium ac veneratio.) Et vero spes eum sua non fefellit, quando cœnobium ibi condidit S. Joannis Baptistæ; quo gaudet hodieque Ordo Cælestinus; tametsi prius illud

A illud S. Petri Cælestini, de quo paulo ante meminimus, ob varia quæ subinde acciderant, desertum fuisset. Qua de re instrumenta exstant authentica in monasterio Gessensi; in quibus præter alia singularia donationem legimus prati cujusdam, cujus fundus huic fabricæ destinatus erat.

Et plura alias et alibi alia.

30 Totum hoc *(subdit ibidem Telera)* ex vetustis Mss. ac publicis instrumentis, quæ in variis Congregationis locis asservantur, colligere mihi licuit, quo desiderio eorum facerem satis, qui munia nosse cuperent a B. Patre in Ordine gesta. Quamquam, quod ad monasteria fundata pertinet, credibile sit, ea numero fuisse plura, quam sex illa quæ modo commemoravimus. Imo, juxta P. a Bosco, quatuordecim numera sunt, quorum nomina, quia perspecta non habuit, non expressit : *sicuti neque expressit auctor noster, cap.* III, *num.* 30, *quem a Bosco secutus est. Porro* ex iis, *subdit Telera,* quæ relata sunt hactenus, pronum est intelligere quam insigniter B. Pater de religione sua sit meritus, quantoque jure possit illius propagator appellari : B parum enim illam, mea quidem sententia, juvisset initium atque incrementum quod a Cælestino acceperat; nisi eam sanctus hic ac perfectus ejus imitator Robertus sustinuisset, conservassetque, cum legum exacta disciplina, tum locorum, hominumque idoneorum ac spiritualium numero. *Hæc ille.*

Moritur anno 1341, XVIII Julii.

31 *Quo tempore* B. Robertus *diem extremum clauserit, ambigi non potest; cum id Acta diserte tradant cap.* VI, *num.* 62 *et seqq. accidisse* Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo primo, Indictione nona, ætatis suæ anno LXIX, tempore Domni Benedicti Papæ duodecimi, XVIII die mensis ejusdem *(scilicet* Julii *de quo ante meminerat,)* circa horam diei nonam, *quæ more Italico numerata non multum differt ab ea, quam Belgæ aliique numerant a nocte media quintam. Erat tum ei annus ille ab assumpto habitu Cælestino* LIV *inchoatus, uti supra* § II *dictum est. Mortuus autem est Beatus noster, juxta Teleram cap.* XVII, *in monasterio ditionis, quæ a Morrone nomen habet, sive apud castrum Murronis, ubi et primum sepultus est, ut colligere licet ex Actis cap.* VII, C *num.* 66.

Translatio corporis an. 1342.

32 *Inde porro* anno sequenti MCCCXLII decreverunt Patres, *inquit Telera in fine Vitæ ejus,* magis honorificam sacro corpori sepulturam concedere, unaque omnium sententia fuit, transferendum illud esse ad sancti Spiritus in Morono, ut in eo loco venerationi et curæ esset, qui Ordinis totius primarius habetur. Quam in rem vir quidam nobilis ac Beato devotissimus, nomine Robertus Lusmadus, cum ipso tempore vita functus esset, uncias auri decem legavit ad ornandum in ecclesia, quam Religio determinabat, Servi Dei sepulcrum expendendas. Ita prorsus legitur in scripto quodam archivi abbatiæ jam dictæ S. Spiritus. Unde credibile fit, traductas deinde ea pecunia fuisse reliquias a monasterio Terræ Moroni (quod exinde ad ejus memoriam S. Roberti nomen accepit) ad insignem abbatiam S. Spiritus in monte Morono; ubi columellis marmoreis erectum est sepulcrum illud, quod ad hunc usque diem spectatur; situmque est ad sinistram aræ majoris. *A Bosco ait cap.* X, *Corpus esse* reconditum intra arcam cancellis ferreis clausam ad meridionalem ecclesiæ plagam, *ut* § I *observavimus.*

Inspiciuntur ejus reliquiæ an. 1597.

33 *Post ducentos, quinquaginta et amplius annos inspectas fuisse* B. Roberti *reliquias narrat Lelius Marinus, Vitæ S. Petri Cælest. lib.* IV, *cap.* VII, *in hunc modum :* Adm. R. Pater abbas D. Franciscus de Ajellis... diligentissimus antiquitatum nostrarum investigator, observatorque inter alia singularia quæ de vita Sancti hujus nostri *(Petri)* mecum communicavit, illud etiam scripto mihi significavit; quod anno MDXCVII curiosius inspicere volens, quænam essent reliquiæ in capsula quadam condita in pariete sacelli Beatissimæ Virgini Matri consecrati, quod est ad sinistrum *(non dextrum, ut perperam in Actis nostris tom.* IV *Maii pag.* 527 *notatum invenio)* latus aræ majoris in ecclesia abbatiæ S. Spiritus prope Sulmonem, pertundi murum jusserit a parte interiori, subter monumento familiæ Sulmonensis de Canibus, eductaque inde capsula, in qua asservatur corpus beati patris Roberti de Salle, de quo paulo ante meminimus, inter sacra hæc ossa repererit etiam pyxidem rotundam, medio circiter palmo altam, totam E una cum operculo pictam; aperuerit eam ipse, ac reliquiis minutis variis plenam invenerit, atque inter eas clavum unum medio et amplius palmo longum, obductum particulis quibusdam concreti sanguinis colore ferrugineo, panniculo sericeo decolori involutum. *Hæc ibi de reliquiis* B. Roberti : *nam quæ sequuntur, eo tendunt, ut lectori persuadeant clavum illum eumdem omnino esse, qui S. Petro Cælestino morti proximo per cranium fertur impactus.*

Scripta B. Roberti.

34 *Scripsisse aliqua Beatum nostrum, erui potest ex Actis cap.* II, *num.* 19; *quod affirmans Telera cap.* VIII, Scripsit, *inquit,* multa de rebus spiritualibus; sed a patribus illis nostris asservata non fuerunt. *At Lelius Marinus in Vita S. Petri Cælest. lib.* II, *cap.* II, *manuscripti cujusdam meminit, quod penes se esset,* de Actis et Progressibus sancti patris Petri; *cujus auctor fuerit unus e discipulis ejusdem S. Petri Cælestini, credaturque vulgo fuisse* B. Robertus *de Salle. Quibus ego quod addam, nihil habeo.*

F

VITA

Ex codice Ms. RR. PP. Cælestinorum Parisiis.

PROLOGUS.

Genus humanum a diabolo dejectum,

Ante productionem machinæ mundialis in sua arte Deus cuncta præordinans : hominem, creaturarum dignissimam, pro tempore ad esse jussit prodire, propter quem cetera formaturus ordinare disposuit, deiformem faciens, suique capacem præponens universis : cui et vitam tribuit; et, ne mortem incurreret, præmonuit. Cujus felicitati invidens sator zizaniæ per consensum vetiti, accepti beneficii fecit ingratum, a patria exulem, mortis participem, et de honorabili angelorum concive, quia non intellexit, brutalibus comparatum [cum jumentis statuit habitare.]

2 Sed

EX MS. AUCTORE SYNCHRONO.

Erexit Deus mittendo Filium, et operarios in vineam suam,

2 Sed æternus opifex, qui manuum suarum opera non despicit [nec despexit,] ad hujusmodi miserias relevandas [oculos pietatis inflectens], fraudem diaboli in filiale pretium juridice commutandam per Filium humanandum sancivit *a*. [Ut immortalis, morte nostra assumpta, vitam perditam redonaret :] Inæstimabilem nobis caritatem ostendens, non parcens filio, ne servus deperiret. Hic est veridicus Domini Sabaoth vineæ heres et Dominus : in qua parabolice æternus Pater colonus ascribitur, Filiusque ejus vitis, in quo palmites radicantur, fructum producentes fidelium, superfluis resecatis, et infœcundis rejectis. Ad hanc certe vineam excolendam prima, tertia et sexta (hora) exivit : et a primordio creaturæ non destitit nec desistet operarios mittere, qui exemplo et verbo studeant de suis palmitibus in promptuaria Domini vini lætitiam reportare, pro labore æternum denarium recepturi.

atque inter alios hunc B. Robertum,

3 Sed diebus istis novissimis, vitæ præsentis adveniente crepusculo, indefessum labore virum, fratrem Robertum de Salle, ad hanc excolendam vocavit, [qui possessoris et præmii allectus amore, viriliter labores assumens, proficiendo continuans, duxit ad vesperam : ut spectantem agonem nostrum placaret Dominum, perseveranti prœmia largiturum. Cujus certamen bonum et meritorum insignia Deus, in Sanctis mirabilis, approbavit in ævo illustrando miraculis, signa innovando antiqua : accendens homini candelabrum, non sub modio, sed in sublimi militantis Ecclesiæ apponendo, ut per ipsum lumen viam directionis videant, qui domum Domini desiderant introire *b*.] Habent igitur universi in hoc virtutum viam imitabilem quam sequantur, et stupenda prodigiorum insignia, quæ mirentur. Nam infirmantibus sanitas (*fuit,*) laborantibus requies, esurientibus cibus, sitientibus potus, leprosis munditia, mortuis vita, a dæmone obsessis libertas : et, quod iis omnibus majus est, morte præventum in culpa [suis precibus] revocavit ad vitam : viam et tempus tribuens reparandæ salutis *c*.

sanctitate et miraculis insignem.

4 Hic est certe alter angelus post beatum Petrum confessorem, patrem suum *d*, ab ortu solis egrediens : imperans angelis tenebrarum ne præstent offendiculum etiam imperfectis. Hic est qui in parentibus deperditam puritatem recuperare studuit, qui a tenera infantia, omni vigilantia hostem studuit subjugare domesticum, cedens mundo. Quoniam sui pastoris *e* sequendo vestigia, per annos quinquaginta tres et ultra assumpta paupertatis vita cum austeritate durissima, non deficiens, sed proficiens semper, manum mittendo ad fortia, non videbatur [homini] laboribus deprimi, sed juvari. Hic est quem nec adolescentia nec juventus traxit ad devia, nec senio ætas confecta assumptam carnis duritiam relaxavit : sed, quod est auditu [et dictu] mirabile, ubi vires defecerant carnis, spiritus assumpto fervore, semper stabat accinctus, et tamquam præpotens pugil, novos procurabat de hoste triumphos. [Qui de virtute in virtutem progrediens, meritorie studuit pervenire ad videndum in decore suo Regem æternum in speculo virtutis : quod est quies laborum : finis desideriorum et terminus præmiorum, quem nunc eumdem fratrem Robertum credimus, Dei cooperante clementia, apertissime intueri.]

Partitio, et causa assumpti ab auctore operis hujus.

5 Cujus vitæ seriem, incessum, processum et terminum, necnon miracula per divinam clementiam operata in ipso, in vita, in morte, et post mortem, [pariter] duxi inferius [seriose] quinque capitulis declaranda. Nec immerito opus istud laboriosum assumpsi et ultra vires arduum; quia beneficiorum [ejus] non expers, si tacerem, possem sceleris argui, ut ingratus. Nam illo anno quo Vir sanctissimus, [carnis relicto ergastulo,] migravit ad Christum, [in hieme circa principium mensis Decembris] cum laborarem febre durissima, essetque stomachus meus tanta perfusus nausea, ut nullam posset cibi substantiam retinere; pro hujusmodi infirmitate, quæ mihi videbatur minari de proximo mortis exitium, misit dominus Admiratus pro medico apud Theanum *f*, scilicet magistro Johanne physico. Et illo sero, quo medicus applicuit [ad locum, ubi infirmabar,] scilicet sabbati primæ Dominicæ de Adventu, in præsentia dicti medici febris [cum rigore] me invasit, ultra solitum dura : et labore gravatus, quia multa de Viro mirabili jam præfato audieram [memoranda,] omni devotione ad ipsum me vertens, cœpi rogitare cum lacrymis; ut, quia sibi suum dilectum jam habebat præsentem, a quo poterat mihi sanitatis gratiam impartiri, sua solita benignitate, qua consueverat inclinari afflictis, dignaretur pro me, ut vel cito assumeret, vel pristinæ redderet sanitati, apud ipsum preces porrigere efficaces, promittens ipsius, dum possibilitas adesset, visitare sepulcrum, decantare Missam, et populo sua mirabilia promulgare.

votum solvit, quo febri liberatus est, scribendi hanc Vitam.

6 Mirum in modum! Necdum quasi votum et preces exsolveram, cum insolito more somno suavi allectus, post somni quietem, mirantibus cunctis qui aderant et medico, inveni me ab infirmitate penitus liberatum. Debet igitur mundus hujus laudare præconia, prædicare mira [dignitatis cantica,] qui suo exemplo virtutum per vitam mirabilem ducit ad patriam, et suis meritis nostras infirmitates vehit ad veniam : signante utique provincia Aprutina, a qua Vir iste sanctus traxit originem, [et moribus consecravit, crebris et famosis pater exemplis paratus, et promptus se inexpugnabilem clypeum ponere, et a Deo pro ipsis veniam impetrare.] Recurrant igitur devoti, secure ipsius beneficia [juste] petentes, infallibiliter adepturi.

ANNOTATA.

a *Ms. Belfortii habet :* Fraudem diaboli in Filii humanandi pretium juridice commutandam sancivit.

b *Quæ his uncinis inclusa dedi ex cod. RR. PP. Cælest., sic erant in Ms. Belfortii :* Cujus labores, viriliter ad vesperam continuatos approbavit, ævum miraculis illustrando, signa antiqua innovando, candelabrum homini, non sub modio, sed in sublimi militantis Ecclesiæ accendendo.

c *Vide rem hanc narratam infra in Vita cap.* II, *num.* 14.

d *Intellige*

A d *Intellige S. Petrum de Morono sive Cælestinum, cujus acta dedimus ad diem* XIX *Maii.*

e *Ms. Belfortii habet,* Patris; *et refertur ad S. Petrum Cælestinum.*

f Theanum *duplex est, aut potius fuit; alterum cognomento Apulum, urbs olim Apuliæ Dauniæ, cujus rudera hodie* Civitate *dicuntur, ad Frentonem fluvium: alterum Sidicinum, nunc Tiano, urbs parva regni Neapolitani in provincia Terræ Laboris, episcopalis sub archiepiscopo Capuano. Urbem hanc designari hoc loco, non castrum illud, satis patet ex ejus cum locis, in quibus* B. Robertus *vixit, vicinitate.*

Caput I. *B. Roberti patria, parentes, præsagium sanctitatis; virtutes cum in sæculo tum in religione; amor in eum S. Petri de Morono, etiam post mortem.*

B

1. ...a et pia parentes ...beati.

Secundum sententiam ineffabilis veritatis non potest arbor mala fructus bonos facere: sed bona arbor fructus producit suæ naturæ conformes. Vir iste sanctissimus, de Aprutina provincia, de loco, qui Salle *a* dicitur, oriundus, patre Thomasio ac matre Benevenuta, veris catholicis et devotis, ac pietatis operibus pro possibilitate extendentibus ad pauperes per hospitalitatem manus suas, ac operibus virtutum vacantibus. Nam a beato Petro confessore edocta mater, tres quadragenas jejunabat in anno, et hebdomada qualibet, quarta et sexta feria in pane tantum et aqua, omni die suis temporibus Horas canonicas absolvendo, et ultra hæc bis in hebdomada psalterium percurrendo. His et similibus vacans mulier memorata, contigit ipsam imprægnari, et ad partum festinare filii jam præfati.

...m matris in ...m, et pia ...eri educatio.

8 Ante cujus ortum vidit, se filium parituram in modum formæ orbicularis, orbem totum involventis: quia quem Deus toti orbi C per virtutum vitam determinaverat ponere in exemplum, digne orbis præferebat figuram. Nato itaque jam puero et parentis edocto vestigiis, cœpit bonæ indolis puer ad meritorum apicem anhelare; nec, ut assolet illa ætas, cum devenisset ad pubertatis annos, attigissetque annum quintum decimum suæ vitæ, concupiscentiæ frena laxavit: sed quem ætas per fomitem trahebat ad devia, Omnipotens per jugum virtutum leve dirigebat ad patriam. Factus autem clericus et aliqualibus litteris eruditus cœpit in ecclesia ministrare, quotidie revolvens pro suo intelligentiæ modulo Euangeliorum et sacrarum Litterarum volumina; ut videret in speculo sacræ Legis, qualiter, contemptis corruptibilibus, deveniret ad summa. Cœpitque non solum præcepta, sed et euangelica consilia meditari, et meditans opere adimplere.

...ndum insi-...electionis ...orum.

9 Nam dum quidam furibundus insanisset in porcum sororis præfati Roberti, inventum in campo olera comedendo, et interfecisset; soror hæc videns et dolens, et ad domum interfectoris portans, ante ipsius fores projecit. Quem assumens, in faciem præfatæ mulieris cum furore projecit. De quo fratri suo Roberto conquesta est. Cui benigne respondens, faciam, inquit, quod agendum video justum. Die igitur sequenti dominico, cum in ecclesia ministraret, accepto a sacerdote pacis osculo, primo injurianti viro pacis amator pacis osculum præbuit; ut vere ostenderet secundum sententiam Scripturæ, quia ab infantia sua creverat secum miseratio, et una secum de materno utero est egressa, veritatis imitando vestigia, qui inimicos consuluit diligi, non odiri.

EX MS. AUCTORE SYNCHRONO.

S. Petro Cœlestino peccata confessus, prædicit, se fore sub eo religiosum:

10 Ipso autem tempore fama celebri audita de vitæ austeritate, religionis acerbitate, morum gravitate et virtutum omnium exercitatione beatissimi Petri confessoris, qui tunc moram contrahebat, in monte Orfontis *b* virtutibus pollens in terris, nunc gloriosus; supplex accessit; ut facta sibi confessione et accepta absolutione omnium delictorum, reseratoque arcano suæ mentis, quo in viam pacis intendebat dirigere gressus suos *c*, acceptoque ab eo consilio, quod pro hujusmodi acciperet alicujus Ordinis ab Ecclesia approbati statum; Vir Deo devotus benigne respondens ait: Pater, infallibiliter habitum vestræ Religionis assumam. Reversusque ad propria tantam morum et honestatis gravitatem servabat, ut omnes eum videntes una profiterentur sententia verbo prophetico: Vere hic sanctus erit. Ac sanctitatis nomine eumdem sanctutium *d* appellabant: quo nomine pater benignus beatus Petrus in posterum semper vocavit.

b

c

E

d

matrem cum Deipara colloquentem audit.

11 Interjectisque diebus paucis cum moram cum matre contraheret, una die solam stantem in camera eam audivit cum alio colloquentem. Qui reverenter dixit matri: Mater, cui loquebaris? Cui illa: Fili mi, Virgini gloriosæ, Matri Dei. His et aliis vacans juvenis memoratus festinabat implere opere, quod verbo promiserat; ut esset in eo vitæ bonitas, verbi veritas, exempli claritas: ut quem fœcundi parentes virtutibus, sacrisque instructionibus ad messem grana producturum adduxerunt, fructum virtutum studeret ex se producere et in alios seminare.

F

II. *Robertus a S. Petro Cœlestino habitum religionis accipit;*

12 Transactis itaque domi annis simplicibus, cum jam videret luce clarius sibi indurescere bella, nec minus domesticum hostem quam externum contra se exitii minantes discrimina, suas cogitavit salubriter manus ad fortia mittere, monitis salutaribus eruditus. Nam, venditis vel relictis se et suis quæ possidebat cum mundo, gladium emit spiritus, quo mentis penetralia vestiuntur, carne nudata; ut nudus luctaretur cum nudo *e*. Elegitque prudenter carnis supercilium per continentiam subjugare, mundi concupiscentiam abnegare cum vitiis et mentis jactantia, se subjiciendo per obedientiæ meritum in obsequium creatoris. Nam ad virum omni veneratione dignissimum, beatum Petrum confessorem accessit, ut habitum suæ Religionis, se relegato, assumeret; ut se Deo acceptabilem comprobaret.

e

mira ejus a cibo ac potu abstinentia a Christo probatur.

13 Quo assumpto, modum et ordinem statuit suæ vitæ, pro exemplari assumens vitam beatissimi patris superius memorati omni duritia duriorem, imitans vestigia doctoris discipulus

EX MS. AUCTORE SYNCHRONO.

discipulus memoratus. Et (quod est durum et auditu mirabile) tantam sibi usque ad terminum suæ vitæ statuit in cibo et potu parcitatem, nullo modo nec sanitatis nec infirmitatis tempore relaxando, quantam a principio fere usque hodie non reperi in vita alicujus ab Ecclesia approbati. Nam statuit sibi per diem tantum paniculum unum in modica quantitate, qui fere ascendebat ad pondus unciarum octo, et potum aquæ in modica mensura, quam sibi præfixerat contento. Quam mensuram non sibi subripuit; sed per revelationem accepit a Christo. Nam dum quodam sero se orationi dedisset, quasi in principio suæ pœnitentiæ, non somno perfusus vidit ipsum omnium Salvatorem cum suis discipulis ad mensam recumbere, et cuilibet sigillatim unum porrigere panem præfatæ mensuræ, ac potum post cibum in illa, quam sibi assumpserat, quantitate. Quem visum Vir sanctus mature considerans, dixit, illam fore mensuram condignam necessitati naturæ. Et mirum! Semper sive jejunans et solus sive cum aliis convivendo manum et animum
B tenuit ad præfatum: quia, licet quandoque cum fratribus convivando vesceretur de pluribus, non tamen relaxabat se ultra præfatam mensuram.

Variis virtutibus fit S. Cælestino jucundissimus socius:

14 Cœpit igitur his præludiis Vir sanctus faciem Domini prævenire; ut esset in eo morum gravitas, mentis caritas, obedientia prompta, obsequia studiosa, silentii firma custodia, orationis vigilantia. Quibus de eo compertis, vir sanctus, præceptor ejus, beatus Petrus, suo voluit consortio aggregari.
f Quem secum per quinquennium tenuit *f*; et demum ad apicem pastoralis dignitatis assumptus cum eodem assentiente fugam petere
g voluit *g*; sed, custodia adhibita, fugæ via est perclusa. Tandem non voluntarie, sed quasi invite assentiens, prædictum fratrem Robertum requisivit, si vellet eum ad illa magnalia sequi.

cujus cellam præfert aulæ Pontificali:

15 A quo Vir devotus cum magna instantia obtinuit, ut suæ cellæ et vitæ successorem faceret et heredem. Remansit igitur in cella patris filius, disciplinam doctoris servans discipulus, jejuniis et orationibus va-
C cans, prout didicerat a patre sanctissimo, usque post tempus, quo vir sanctus beatus Petrus abrenunciavit officio et migravit ad Christum.

itaque ab eo invisitur in cælos

16 Hora denique, qua carnis reliquit ergastulum, fratri Roberto oranti, et quasi in ecstasi posito apparuit in cellula, candidissima stola immortalitatis et virtutis assumpta, facie serena eumdem deosculans et amplexans. Quem frater Robertus ita alloquitur: Pater,
h placuitne summo Pontifici *h* te ad partes licentiatum remittere? Qui placide ac benigne respondens dixit: Sic præcepit rex. Et frater Robertus: Pater, quo vultis ire? Cui ille: Fili carissime, ad montem magnum me oportet ascendere; quia sic placuit regi. Et frater Robertus: Sequar vos, si placet, reverendissime pater. Cui ille: Non nunc; sed postquam nactus fueris merita ampliora. Et frater Robertus: Et ubi placet quod remaneam? Cui Vir sanctus: Sta, remane in solitudine et quiesce in pace. Quibus dictis, statim evigilans, vidit, aperto cellulæ suæ tecto, eumdem patrem sanctissimum cælos conscendere: et quarto post hæc [die] di- D
cit eumdem patrem debitum solvisse naturæ. Hæc sunt, quibus incepit ascendere progrediens ad majora.

ANNOTATA.

a *Est* Salle *oppidum non admodum nobile in Aprutio citeriore, Sulmoni, a quo distat octo circiter milliaribus Italicis, Septemtrionale.*

b *Vide quæ de* Orphonte *dicta sunt in Comm. præv.* § II *num.* 15.

c *Syntaxis mutila; quam sic restituas:* Accessit, ut, facta sibi confessione *etc.* acciperet ab eo consilium. Acceptoque ab eo consilio, quod *etc. quæ sequuntur.*

d *Ab Italica voce* Santuccio *quod* Sanctulum *sonat.*

e *Scilicet dæmone, juxta S. Gregor. Hom.* XXXII *in Evang.*

f *Adi Comm. præv.* § II *a num.* 16.

g *Hæc usque ad finem capitis hujus narrat etiam Franciscus Petrarcha de Vita solitaria tract.* III *cap.* XVIII.

h *Bonifacio VIII, qui S. Cælestino V successerat,* E *quem deinde in castro Fumonis ad mortem usque detinuit.*

CAPUT II. *Asperrima ejusdem solitudo per annos duodecim; desiderium et imitatio mira martyrii; suscitatio mortui, aliaque miracula; imperturbata cum Deo familiaritas.*

III. Asperitas vitæ ejus et reclusio per annos 12:

Mos erat Viro venerabili numquam negociari *a* a bono. Quin in scala virtutum aliquando contemplando ascendebat in Deum; aliquando per compassionis et pietatis opera descendebat ad proximum. Et, a
ut plenius pateant, modum ejus videndi brevis sermo percurrat. Cum esset locatus in mo- F
nasterio sancti Georgii de Rocca Moria *b*, b
ibi primo statuta sibi cella Deo vacans, clausit se per annos duodecim, numquam egrediens, nisi quando invitus de triennio in triennium de necessitate ibat ad capitulum generale. In quo moram trahens, clam cilicium induebat ad carnem, de pilis nodosis contextum et hispidum: lectum statuens nudam terram; ut, si quando somnus imminens fatigatum corpusculum oppressisset, ipsi nudæ terræ, vel ad plus, tabulæ cum pulvinari de ligno, oblectamenta carnis devitans, ossa collideret.

jejunia hebdomadaria [illegible] anniversaria.

18 Jejunabat omni tempore secunda, quarta et sexta feria et sabbato in pane tantum et aqua, servata sibi mensura superius prætaxata. Jejunabat in anno sex quadragenas; tres tantum in pane et aqua, modum servando terribilem. Nam a fratrum et secularium omnium colloquio abstinebat: imo fratri ministranti sibi dicebat in principio quadragesimæ: Porta unam amphoram aquæ et pone in cella (quæ mensuras capiebat viginti

A ginti secundum modum superius prætaxatum;) et post vicesimum diem aliam asportabis, intermedio nullum communicans verbum. Aliis autem quadragenis uno tantum ferculo utebatur in modica quantitate: ita ut omni tempore sicut a quanto, ita abstinebat a quali. Vinum sumebat aliis tantum temporibus in modica quantitate, et sic lymphatum, ut saporem amitteret vini.

...sacrifi- ...me ...fla- ...ones etc. ...divina.

19 Determinaverat sibi in genuflexionibus numerum: nam quingentis vicibus infallibiliter omni tempore inter diem et noctem ipsum Dominum salutabat. Surgebat omni tempore media nocte ad Horas Domino persolvendas: et, ipsis finitis, usque ad primam diei Horam *c*, qua Missam audiebat cum fratribus, suas orationes, non dormiens, persolvebat. Audita vero Missa, legebat psalterium usque ad Tertiam; et tunc Missam, præmissa confessione, devotissime decantabat. Qua finita, iterum reincipiebat psalterium usque in horam Nonam, qua comedere consuevit. Post comestionem scribebat aliquando, vel aliqua meritoria et utilia exercebat;
B ut nullum ad tentandum daret locum diabolo, semper meritorie occupatus in his usque ad Vesperas perseverans. Dictis vero Vesperis, se orationibus et divinis meditationibus occupabat quotidie usque ad profundissimam noctem: et tunc fatigato corpusculo dabat tempus quieti. Hoc modo didicerat distribuere tempora. Septies tamen in die duram recipiens disciplinam.

...fugat, ...de- ...satisfa-

20 Et (quod est auditu mirabile) suum semper fuerat desiderium, temporalem vitam per martyrium abnegare pro Christo; si causa sibi afforet justa: sed prudenter considerans, non posse congrue partes infidelium pro hujusmodi causa petere *d*, nec in partibus Italiæ justam causam invenire; cogitavit omnino in passione membrum Capiti communicare, et crucem portare cum Christo. Nam semel egressus cum socio ad meditandum, per nemus deambulans vidit arborem biforcatam *e* in modum crucis. Qua visa, nihil communicans socio, revertitur ad cellam. Qui noctis silentio surgens, cum instrumento ivit ad arborem succidendam. Qua
C succisa, humeris propriis deportabat. Quam cum deferret, obvium sibi habuit humani generis inimicum, in specie canis nigerrimi insilientem in ipsum, et multas molestias cum caninis latratibus inferentem. Quod cognoscens Vir sanctus *f*, signo crucis se muniens quo signabatur interius, illud phantasticum enorme evanuit.

...bi- ...quoti- ...pendens ...alu.

21 Et paratam arborem in crucis formam fixit in cella; et, positis chordis in parte qualibet in modum nodi, in quibus per brachia se suspenderet, ipsam crucem omni die infallibiliter ascendebat, pendens tam diu per brachia, quousque diceret decies Pater Noster. Quæ Pater Noster ita sapide et morose dicebat, et tantam in quolibet moram trahebat, quantam in decem trahere consuevit; quod ascendebat ad centum. In qua pendens elevatis manibus, fundebat quasi aquam animam suam, tanto profluvio lacrymarum perfusus; ut oculi ejus non guttas, sed undas producerent lacrymarum. Nam videbantur omnia membra ejus, non oculi tantum, stillare in aquam. Et post assumptam hujusmodi meditationem acerrimam sæpissime divina consolatione repletus, tanta perfundebatur ex visione lætitia, quantam animus humanus ex se capere non potest, nisi manu adjutus divina. Hoc aliquando bis, aliquando ter operabatur in die.

EX MS AUCTORE SYNCHRONO.

Manibus per quas pependerat, sanat fistulam exulceratam,

22 Et quia cum Patre virtutum manus illas sacratas secum in cruce sacraverat; non defuerunt divina miracula, earum sanctitatem approbantia, signis mirabilibus fulgurare *g*. Nam cum quidam sui Ordinis frater, Angelus nomine, secum in dicto loco moram faciens, infirmaretur in manu de fistula, omni medicorum auxilio destituta, signo crucis facto super vulnus, per manus illas sanctissimas extitit liberatus.

item lepram.

23 Alio quoque tempore, cum frater quidam ejusdem Ordinis esset ita lepra percussus, ut nulla sibi ad liberationem, sive potius mundationem, possent proficere remedia medicinæ, data sibi ad partem *h* cella per abbatem ejusdem Ordinis, et servitore, qui ministraret, propter evitandum scandalum aliorum: Frater sanctus compatiens, eumdem sæpissime visitabat, lavabat ulcera, educebat putredinem, saniem abstergendo; osculabatur plagas et ulcera, os suum ponens in pulverem *i* amore illius qui pro nobis contemptibilis apparuit, ut leprosus. Pro quo una die compatiens magis solito, orationem pro eo ad Deum fudit, vulnera signo Crucis suæ sacratissimæ manus signans: et subito extitit ab omni lepra mundatus.

Mortuum suscitat, ad excipiendam ejus confessionem.

24 Fuit et in dicto loco *k* compertum quoddam mirabile: nam quidam, Petrus nomine, oblatus *l* illo loco, nimia gravatus infirmitate, sine pœnitentia, confessione, et satisfactione diem clausit extremum. Quo mortuo, quia non erat oriundus de loco, sed aliunde; determinaverunt fratres amicos et consanguineos ejus requirere, si vellent venire, antequam corpus ejus traderetur sepulturæ. Jacuit itaque in sepulchro *m* mortuus a media nocte usque ad comestionis horam diei sequentis. Quibus tardantibus, beatus frater Robertus præcepit fratres discumbere, ipso remanente cum duobus sociis ad funeris custodiam, pro eo Domino palmos pœnitentiales et alias orationes F dicendo. Et dum ibi assisterent, compatiens ejus damnationi, pro eo lacrymas et preces efficaces fudit Altissimo; et postmodum stans super eum ait illi: Fili Petre, vis accipere pœnitentiam salutarem? Qui statim respondens ait: Volo, Pater. Et resedit, qui fuerat mortuus, et cœpit loqui plenarie: et confessionem faciens de delictis, ac accepta ab eodem Patre absolutione et benedictione, post multum colloquium iterum se ad lectum inclinans obdormivit in pace.

Activam contemplationi jungit, in qua a Deo obtinet suavitatem admirabilem.

25 Et licet Vir sanctus in agibilibus sedule tam in eleemosynarum largitione quam in monasteriorum ordinatione *n* Domino ministraret cum Martha; tamen determinatis temporibus meditationibus et orationibus vacans, et ad pedes Domini sedens reficiebatur dulciter cum Maria. In quibus sæpissime tanto perfundebatur jubilo; ut jam frui videretur æternis. Sed quia locus prædictus, in quo moram trahebat Vir sanctus multos incolas habebat vicinos, concurrebat ad eum undique turba ex devotione: quorum strepitu in suis meditationibus

EX MS. AUCTORE SYNC. BONO.

meditationibus non modicam portabat molestiam. Pro qua Deum suppliciter exoravit, ut in hoc sibi remedium adhiberet divinum. Sicque factum est, ut ex tunc ita orando perderet auditum ; ut si totus clangor tubarum, omnesque campanæ de mundo ad suæ cellulæ pulsarentur portam, nihil penitus audiret. Imo, quod majus est, sic insensibilis reddebatur orando ; quod non vocatus, non tactus ; sed ictu impulsus revertebatur ad sua ; cum tamen non orando acuto valde uteretur auditu. Nec et constituto in tanta corporis maceratione et austeritate defuerunt divina solatia, qui *o* præsentem se offert in tribulatione afflictis dicens : Cum ipso sum in tribulatione.

Cum Christo in cella auditur colloqui.

26 Ut autem de multis sibi a Deo factis aliqua narrem relatione digna ; semel cum minister ejus eumdem iret ad requirendum, si aliquo indigeret ; audivit eum alta voce cum alio per magnum temporis spatium colloquentem. Qui expectans et admirans cum quo tantum, quod erat sibi insolitum, protraxisset sermonem, petita licentia et obtenta licentia intrandi ad ipsum, neminem reperit. Quod admirans cum multa instantia et reverentia requisivit, cum quo talia loqueretur. Cui ille vultu sereno et hilari facie ultra solitum respondit : Fili, locutus sum cum Salvatore nostro et omnium Jesu Christo. Et ille : In quo loco, pater? Qui respondit : Vere in loco isto.

Epiphonema ad ea, quæ hactenus narrata sunt.

27 Hæc sunt, quibus profecit ad majora ascendendo Vir, ad patriam anhelando : hæc sunt, quibus domuit hostem domesticum ; ut recuperaret in protoparentibus deperditam puritatem. Hic didicit non in angariam, sed voluntarie crucis improperium cum Christo extra castra deferre, non habens hic, sed alibi, amabilem civitatem. His argumentis cœpit divina clementia vitam ejus approbare et gesta, mirificans Sanctum suum. His cœpit eum visitationibus consolari ; ut aperte diceret Domino dedicatus, Christum nostrum bonum expectare certamen, aspectando victoriam ; ut tandem coronam tribuat repromissam.

ANNOTATA.

a *Imo* otiari *dictum voluit auctor, ut patet ex sequentibus.*

b *Vulgo* Rocca, *sive* Arx Morisii *in Aprutio citeriore, sita sub Majella monte juxta Leandrum Alberti ; media fere Sulmonem inter et Teaten sive Chieti, ut vulgo dicitur : est autem illud monasterium S. Georgii e vetustissimis Ordinis Cælestinorum, ut patet ex Litteris Apostolicis Gregorii X apud Lelium Marinum lib.* II, *cap.* VI.

c *Horæ videntur hic accipi more ecclesiastico, ut patet ex contextu ; non vero more civili, quo in Italia hora prima dicitur, quæ occasum solis proxime sequitur.*

d Utpote cui ex suorum majorum obedientia nefas erat partes adire infidelium ; *ut hoc loco notat a Bosco.*

e Biforcatam *Italus auctor pro* bifurcam *posuit.*

f *Nominativus pro ablativo absoluto. Sed quid res hujusmodi observare hic opus habeo ; modo sensus auctoris utcumque barbari satis intelligatur?*

g *Sensus est, non defuisse miracula, quæ signis mirabilibus fulgurarent, seu potius fulgerent ; atque ita manuum, per quas fiebant, sanctitatem approbarent.*

h *Ab Italico* a parte, *quod* seorsum *significat.*

i Pulverem *hic putem appellari furfures seu squammulas ab infectis lepra partibus absistentes.*

k *Nempe in monasterio S. Georgii apud arcem Morisii.*

l *De* Oblatis *fuse agit Cangius in Glossario. Sed apud Cælestinos Oblati iidem sunt qui fratres conversi seu laici, ut colligo ex P. Helyoto in hist. Ordin. Monast. tom.* VI, *pag.* 191.

m *Hoc est* in lecto, *uti dicitur paulo inferius.*

n *Hæc ita intellige ; ut eleemosynas non dederit, nisi ad se adventantibus extra quadragesimas ; ut etiam monasteria aliter non ordinaverit, quam consilio, cum vel in cella vel in Capitulo generali id rogabatur : neque enim exibat ipse cella, nisi vel ad ecclesiam monasterii sui, hoc est, S. Georgii, vel ad generale capitulum semel triennio, uti dictum num.* 17. *Vide dicenda inferius ad num.* 30.

o *Nempe Deus, cujus erant solatia, quæ præcedunt.*

CAPUT III. *Ejus opera misericordiæ maxime in condendis monasteriis, et xenodochiis, crebra inter illa miracula, absentium ac futurorum notitia.*

Sed qui in cælis habitat Deus, homines docens in terris, cœpit cor ejus ambulantis simpliciter ad majora movere ; [ne talentum sibi creditum foderet in terram] *a* sed commendatum mundo cum usuris in Thesauro Domini reportaret ; [ut] lumen, quod usque tunc erat sub modio, super candelabrum Ecclesiæ poneret ; ut viderent justitiæ lumen qui in domo Domini desiderant habitare. Nam considerans de examine tremendi judicis, opera pietatis exacturi a cunctis, cogitavit hujus opera non minus corporaliter quam spiritualiter velle implere ; ut devios et a justitia aberrantes sub religionis tecto reciperet, famelicos veritatis verbo nutriret, sitibundis haustum præbendo salutis, sub vitio carceratis per exemplum justitiæ seipsum dando in pretium, infirmis compatiens medicamenta præbendo virtutis. Cum autem super hujusmodi cogitaret, quo ultrolibet hoc adimpleret modo, nec pateret sibi per lumen inditum a natura via, qua posset opere adimplere ; quia sub obedientia erat et paupertate nimia constitutus ; orare cœpit devotus, ut quod infirmitas non valebat humana, bonitas ac clementia suppleret divina.

IV. *Assurgit ad opera misericordiæ spiritualia et corporalia ;* a

ei hæc [illegible] ; ipsimet Christus apparet cum Sanctis.

29 Nocte igitur quadam deprecanti et cogitanti in talibus, in extasi posito apparuit Dominus Jesus Christus, qui astantibus sibi dixit : An iste est negligens servus meus, qui quingentis vicibus flexis poplitibus omni die humillime me salutat ? Quem videns frater Robertus et cognoscens, humillime ante eum prostratus adorans, voce reverenti respondit :

A respondit : Ego sum. Cui Christus : Ascende in montem, fili, et dabo frumentum vinum et oleum, ac pro te Jesum Christum orabo. Ad quod dictum frater Robertus : Tu es Christus. Quomodo ergo pro me Christum orabis? His auditis, ad se reversus multa perfusus lætitia, petita et obtenta licentia ab abbate sui Ordinis, cum duobus sociis ad locum sancti Petri Apostoli de Monte plano *b* accessit : in quo siquidem loco tantam sibi Deus rerum opulentiam ministravit, quod non solum fratribus secum degentibus, verum etiam omnibus in circuitu patriam incolentibus manum porrigeret adjutricem.

30 Cœpit igitur ex tunc pro hujusmodi causa loca sancta construere, religiosorum fratrum numerum aggregando *c* : cœpit et hospitalia facere. Nam post hæc construi fecit monasteria quatuordecim et hospitalia septem, in quibus posset ultrolibet modo *d* pietatis opera adimplere. In quorum ædificatione et eleëmosynarum largitione licet aliquibus infirmis fuerit (sed assumpta) *e* occasio scandali; non defuerunt divina portenta coadjuvantia et defendentia causam justam; nec defuerunt B divina miracula : quoniam ex tunc in Viro vita probato requiescere cœpit duplex spiritus *f* Heliæ.

31 Et ut breviter aliqua narrem de multis : tempore quo moram faciebat ibidem *g*, turba concurrebat eleemosynam offerendo, ipsum sciens eam in cibos et vestitum ac alias necessitates pauperum erogaturum. Quod audiens quidam satis justitiæ communis, simulans paupertâtem, devenit ad locum. Qui dum esset ibi, se exuens nova, qua induebatur, tunica, et inter fruteta viridarii ipsam abscondens, perrexit ad locum. Qui pulsans, ostiario petenti, quid quæreret, Virum sanctum orantem in cella requisivit a fratre. Qui ad Virum Dei veniens, quid peteret, requisivit. At ille simulans nuditatem, pro vestitu eleëmosynam postulavit. Vir itaque sanctus, sancto Spiritu revelante, ait pauperi : Sta hic; quia tibi tribuam juxta posse. Tunc vadens ad locum, ubi præfatus vir secrete absconderat tunicam, et assumens, venit ad portam, ad quam expectabat C qui eleëmosynam postulaverat; qui, aperto ostiolo portelli, propriam tunicam porrexit petenti, fictionem detegens, opere misericordiæ non negato. Qua statim vir se induens, considerata hinc inde, didicit fore suam. Quo facto se cognoscens ficte petiisse, et suam fictionem nudatam, cœpit, rubore et timore, tanto cursu petere fugam, quanto si insequeretur a multis.

32 Alio quoque tempore dum instaret solicitus ad construendam ecclesiam sanctæ Crucis *h*, et hortaretur magistros operis ad cooperiendam ecclesiam, quidam de magistris, Galterius nomine, a summo deorsum cecidit super limpidissimos et duros lapides, ut patria gignit; subitoque collisus loquelam perdidit, nec respirare poterat ullo modo. Quod cum Viro sancto esset compertum, ad locum accedens et amplexans collisum ac de terra elevans, ait : Noli timere, fili, quia liberatus es. Mirabile narrandum, quod fuit mirabilius visu! Nam subito absque mora qui mortuus videbatur, surgens festinavit ad opus.

EX MS. AUCTORI SYNCHRONO.

Saxum, a diabolo sustentum, signo Crucis præcipitat.

33 Alio quoque tempore in eodem loco pro constructione monasterii sub quodam magno saxo extrahebatur arena; quod tam erat a terra divisum, quod subter fodientibus de proximo minabatur ruinam. Stabat tamen, ut certe creditur, diabolica fraude ad damnum alicui inferendum. Quod probabiliter videtur fratri Roberto fuisse divinitus revelatum : nam una die subito, dicta Missa, cum quodam fratre, nomine Antonio, illuc festine valde accessit; et appropinquans lapidi, socio dixit : Videsne aliquid super lapidem? Frater respondit : Nihil. Ibi enim, inquit, sedet diabolus. Et vocans operarium, qui subter fodiebat, ait : Festina, fili, exi : exi, fili. Post exitum viri signans lapidem signo Crucis dicendo in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, lapis cecidit, nullo adhibito humano impulsu.

Lapis in B. Virum ruens sustinetur divinitus.

34 Alio quoque tempore cum idem Vir sanctus moram traheret in loco sanctæ Mariæ de Lama *i* ad hujusmodi pietatis opera exequenda; cum quadam die ministri instarent cum ferreis instrumentis ad abscindendum lapidem magnum valde et longum pro E liminari ejusdem ecclesiæ, essetque in parte decisus a latere magni lapidis, fatigati complere non poterant. Tunc Vir sanctus, dicta Missa assumpto baculo, cui innitebatur ex debilitate corporis, cum uno socio ibat ad opus. Mirabile factum! Nam subito sine ullo impulsu, quasi voto Sancti insensatum parere vellet, lapis contra Dei Virum, qui de subter per decliva montis veniebat ad locum, saltibus terribilibus ima petebat, ac per directum desuper properabat ad Sanctum. Quem beatus Vir videns, volens gravis molis contra se descendentis mortis vitare periculum, fugere cœpit. Quo fugiente, spina tetigit pedem ejus, et cecidit. Tunc immediate desuper Sanctum per longum divina clementia lapidem immobiliter fixit. Qui stetit super longitudinem motu proprio, qui a multis erigi non potuisset, quousque Vir Sanctus surrexit et declinavit a loco. Quo amoto, sine humano subsidio lapidis cœpit prosequi motum suum.

Prophetiæ B. Roberti de futuro subsidio in necessitate;

35 His et aliis plurimis, quæ longum esset enarrare, in vita claruit signis et prodigiis Vir devotus; in quo non solum ista; F sed requievit in eo Dei spiritus multiplex prophetiæ; prout aliquibus evidentibus exemplis inferius declaratur. Nam cum semel cum pauperculis fratribus moram traheret in monasterio sanctæ Crucis, et sederet in mensa, et eisdem panis non sufficeret quem habebant, tacito murmure conquerentibus fratribus de panis inedia; Vir Deo devotus benigna et hilari facie eos alloquitur, dicens : Jactate cor vestrum in Domino, et cum ipso voluntariam paupertatem teneatis; quia statim vobis necessaria Deus compatiens ministrabit. Quo dicto, nondum quasi verba compleverat; et, ecce, vir Dei nuncius portans panes pulcherrimos et recentes, in numero comedentium singulis singulos porrigendo.

item de tempestate futura, et immunitate fratrum ab ea,

36 Alio quoque tempore cum Vir iste aggregasset religiosorum fratrum multitudinem copiosam, quos suis moribus Domino nutriebat, sedensque super asinum iret ad visitandum more solito fratres, qui morabantur in loco de Quilionisio *k*, tranquillo pariter et sereno,

EX MS. AUCTORE SYNCHRONO.

sereno, nullo nubis vestigio apparente in aere, comitantibus se fratribus dixit : Fratres, hodie coruscationes, grandines et tempestates oppido nos invadent; sed benedictus Deus, qui per archangelum Gabrielem nostra corpora proteget; et sic illæsi evademus ruinam. Quibus dictis, subito ab aquilone, unde extenditur gelu, cœpit parvula nubecula surgere, quæ paulatim excrescens, totum cælum contexit; et post cœperunt insonare tonitrua, coruscare fulgura, et aqua grandoque effluere copiosa. Quæ videns Vir sanctus, de asino prosiliens, dixit fratribus : Oremus, fratres; et humillime se prosternens in terram, elevatis in cælum manibus, cœpit orare devote. Quo orante, cœpit retro concito gradu, via scilicet qua venerat, reverti pestis et grando. Et mirum, quod cum terram in circuitu grando præfata undique obtexisset, solus locus in modico spatio, in quo oraverat Vir devotus cum fratribus, remansit immunis. Quo facto, ait fratribus : Eamus in pace. Et parum procedentibus, invenerunt tantam grandinum quan-
B titatem, quod ad modum nivis ascendebat ad talos.

et de supplenda pecunia, quam, misertus asini cum bove arantis, rustico dederat

37 Alio quoque tempore cum Vir sanctus accederet ad Aquilam *l* cum quibusdam fratribus pro quibusdam meritoriis et necessariis Ordinis sui negotiis exequendis, ambulans pauperculum vidit arantem cum bove et asino contra Legem *m*. Quem vocans, ait illi : Quare injuriam facis asino, æquans bovi; cum in arando similem non possit ferre laborem? Cui cum responderet homo, quia paupertate coactus; Vir sanctus ait : Quantum sufficeret pro uno bove; ut cum duobus ares? Ait : Agustale *n* unum. Et Vir pius dixit socio suo, qui deferebat oblatam pecuniam a devotis tam pro usu, quam pro subventione pauperum : Huic pauperculo benigne tribuas. Socius hæc faciens, tacito murmure volvebat in pectore quod fecit Vir devotus. Cui sanctus : Fili carissime, ne queraris; quia potius pro pauperibus, quam pro nobis, oblata pecunia fuit : et ne timeas, quia dives est Deus, qui potest nostros supplere defectus; et cito tuum pecunia replebitur
C marsupium. His dictis, paululum processerunt, et a longe contra se venire quosdam mercatores viderunt. Tunc Vir sanctus, ne occuparetur ab eis, declinavit a via : qui procedentes, et de fratre Roberto quærentes a vicinis qui patriam incolebant, responderunt dicentes : In via debuistis eum invenire cum sociis. Tandem invenerunt duos fratres Ordinis Majellensis *o*, qui dixerunt : Ecce parum præcedit. Qui reversi concito gradu Virum venerabilem invenerunt, et summa cum reverentia recipientes eumdem, ac accipientes ab eodem pœnitentiam salutarem, post devota colloquia, pecuniam non modicum obtulerunt; et sic abscesserunt a Sancto. Tunc Vir sanctus ait fratri : Frater, divinam cognosce largitatem, nec abbrevies manum Dei in opere pietatis.

ANNOTATA.

a *Quæ hic uncinis inclusa sunt, ego adjeci; quia necessaria videbantur ad complendam sententiam; quæ, his demptis, mutila est.*

b *Est* Mons planus *(vernacule Monte di piano) altissimus in Aprutio citeriori, de quo videri potest Leander Alberti in Regione Italiæ duodecima. Sed hic per Montem planum intelligitur arx seu castellum Montis plani (vulgo Rocca di Monte piano) Lentam inter et Forum fluvios, ubi duo fuerunt monasteria Cælestinorum, alterum S. Crucis, alterum S. Petri Apostoli, de quibus in Commentario prævio* § III *num.* 23. D

c *Videntur hæc mihi pertinere ad annum circiter* 1311; *juxta dicta in Commentario prævio* § II *num.* 21.

d *Nimirum corporaliter et spiritualiter.*

e *Non enim præbebat scandalum male agendo Robertus; sed homines infirmi ejus benefacta sinistre interpretando inde scandalum, sive occasionem male agendi arripiebant. Referuntur hæc haud dubie ad episcopum Theatinum, de quo infra. Nota hic interea, hæc esse ædificia, has eleemosynas (utique post recessum a Cella S. Georgii et accessum ad S. Petri de Monte plano exercitas; ut patet ex præcedentibus) quibus invidiam incurrit episcopi illius; atque has easdem esse, de quibus rationem reddere jussus est inde a temporibus Concilii Viennensis, uti dictum in Comm. loc. cit.* E

f Duplex spiritus, *miraculorum scilicet et prophetiæ.*

g *Hoc est in monasterio S. Petri de Monte plano, quod a S. Cælestino olim conditum* Robertus *postea renovavit, ut in Commentario diximus.*

h *Videtur hoc factum versus annum* 1317, *aut etiam aliquanto prius, ut colligi potest ex Comm. præv.* § III *num.* 23.

i Lama *castellum est sive oppidulum Aprutii citerioris juxta fluvium Aventinum, Sulmoni fere Orientale.*

k *A Bosco legit,* Guilonisium; *hodie* Coglionisi *juxta Philernum fluvium in Capitanata, sex circiter milliaribus a mari Adriatico.*

l Aquila *urbs est celebris in Aprutio ulteriore, Aterno flumini insidens.*

m *Deuteronomii cap.* XXII, ℣ 10 : Non arabis in bove simul et asino. *Hujus commiserationis erga bruta animantia plura dedimus alibi exempla; et maxime ea excelluit S. Stephanus Sabaïta, cujus Vitam habes ab diem* XIII *hujus mensis.*

n *A Bosco legit* Augustale. *Erat autem Augustale seu Augustalis et Augustarius nummus aureus Imperatorum Occidentis a Frederico II primum cusus, cujus valor erat unius floreni aurei cum quadrante. Floreni vero aurei octo conficiebant unciam. Vide Cangium in Glossario.* F

o Majellenses *et* Moronenses *dicti sunt olim Cælestini, a primariis montibus Majella ac Morono, qui Ordinis nascentis quodammodo cunabula fuerunt. Consule Marinum Vit. S. Petri Cælest. lib.* I, *cap.* XV.

CAPUT

A

CAPUT IV. *B. Robertus hospitium exstruit peregrinantibus in Garganum, non sine miraculis; ecstases ejus favoresque; vexatio ab episcopo Theatino; hujus pœna, ac Roberti submissio; item misericordia miraculo probata.*

EX MS AUCTORE SYNCHRONO.

[illegible] in Garganum do- [illegible] hospita- [illegible] condit, di- [illegible] adjutus.

Cum igitur Vir sanctus esset in partibus Theatinis, et per viam, qua itur ad montem Garganum a fidelibus ad visitandum archangeli Michaëlis limina, videret locum aridum, in quo propter defectum victualium laborabat turba fidelium; fultus auxilio, ad honorem Dei et beatissimæ Matris suæ B atque archangeli Michaëlis, pro consolatione et quiete fidelium bonum disposuit construere hospitale: quod ita factum est. In cujus constructione Deus, Viri confirmando consilium, multa et diversa miracula dignatus est operari. Nam cum una die post orationem præmissam, qua auxilium impetravit divinum, designato loco cum baculo, in quo construi determinaverat hospitale, magistri operis, de præcepto Viri Dei fodientes ad fundamenta jacienda, statim lapidem magnum, politum et aptum ad officium invenerunt altaris: ac deinde fodientes, alium repererunt ad limina ecclesiæ construendæ: quod omnibus transeuntibus fore extat notissimum et apertum.

[illegible] ibidem [illegible] sed illæ- [illegible] nec effusum [illegible]

39 Postmodum facta jam ecclesia, cum esset ante altare lampas vitrea appensa, oleo plena et accensa, a sublimi in terra coram multis in præsentia Viri sancti [decidit,] nec fracturam incurrit, nec oleum est effusum, nec lumen exstinctum.

[illegible] precibus [illegible] copio- [illegible] Ro- [illegible] ex arido [illegible]

40 Sed quia hospitale constructum est in quodam dorso montis et aquarum caret effluxu, fratres et hospitalarius ad Virum venerabilem recurrerunt, dicentes: Quid, C Pater, faciemus de aqua? Quibus jocunda facie hilarique vultu dixit: Confortamini, tenentes in Domino firmam anchoram spei: quia potens est Deus nostros supplere defectus. Posthæc quadam die deambulans cum socio psalmodias psallendo, sequestratus ab hospitali quasi per lapidis jactum, vidit inter densitatem spinarum duos lapides sibi invicem adhærentes: qui vocans hospitalarium, dixit: Spinarum densitatem succide, et lapides tolle, quia præsto est, qui beneficium ministrabit. Factum est sancti Viri præceptum: et statim inventus est puteus fabricatus. Præcepitque inde extrahi, quæ desuper ceciderat, terram. Et extrahentes, et ultra profunde effodientes, nulla cœpit aquarum apparere scintilla. Qui dixerunt Viro sancto: Casso frustramur labore. Quo audito, Vir sanctus cœpit expansis ad cælum manibus fervide invocare Altissimum; ut aquam propinaret de sentibus, qui hactenus sitienti populo per Moysen servum suum aquam produxit. Sicque factum est, ut de mense Junii, quo tempore, sole ferventius æstuante, exsiccantur irrigua, inciperet abundantissime aqua clarissima scintillare, et in tanta quantitate; quod a fundo usque ad summum quindecim cubitis alta esset.

Apparet in ecstasi elevatus a terra.

41 Acciderunt autem et alia relatione digna. Nam cum solus in ecclesia sanctæ Crucis staret ad persolvendum divina, tanto cœpit a terrenis divinorum elevari amore; quod tunc versus cælum cœpit elevari et corpore: nam super se raptus et in extasi positus, fuit amplius quam per cubitum, videntibus qui aderant, elevatus a terra. Quod videns discipulus ejus, ipsum incaute apprehendens, vocavit eum, dicens: Quid est hoc, Pater? Qui illico ad se reversus, dixit: Fili, male fecisti; quia mente ferebar in Deum.

Alias in ea positus præter alia vidit Christum cruci affixum.

42 Alio quoque tempore Vir Dei servando silentium in quadragesima majori in loco de Monte plano, cum decrevisset ad honorem sanctæ Trinitatis die quolibet multum et morose quadragesies decantare orationem Dominicam noctis tempore post completorium; uno die sic orando, cœpit cogitare, quomodo E in patria assistentes visione fruantur divina; et quid faciant sic videndo. Tunc subito supra se raptus et extra se positus cœpit cantare alta voce: Kyrie eleyson. Quod audientes fratres occurrerunt ad Virum sanctum: et cum eis Vir sanctus pro tunc nullo potuit colloquio uti. Sed post hæc aperiens oculos, cellam suam quasi fornacem candentem conspexit, et ibidem indicibilem claritatem, in qua vidit Christum cruci affixum et mente compatiens tamdiu oculos firmavit in ipsum, quousque apparitio illa sacrata abscessit.

Invidus Episcopus eleemosynarum ab eo rationes exigit: a

43 Et licet Vir sanctus summo studio vitaret scandala aliorum; non desivit invidens sanctitati ejusdem sator zizaniæ (sed contra eum injuste) movere episcopum Theatinum *a*. Nam ad Virum sanctum devoti compatriotæ non solum propinqui, sed et a longe habitantes occurrebant, pro suis offensis eleëmosynas offerentes, scientes, Virum Dei eas vel usui pauperum, qui ad eum pro hoc undique concurrebant, dedicare, vel pro constructione hospitalium, in quibus recreabatur indigentium labor; vel monasteriorum, F in quibus offerebatur Deo sacrificium a religiosorum turba devota. Credens autem episcopus eumdem multam habere pecuniam de oblatis, citari et accersiri fecit, ut sibi a magnis temporibus rationem [redderet;] scilicet a temporibus usque tunc concilii Viennensis; petens ab eodem sibi dari canonicam portionem, et dicens eum executorem multorum testamentorum fuisse: cum secundum rei veritatem numquam fuerit talibus occupatus.

quas cum reddere non posset, nec epis[copi] avaritiæ satisfacere, al[ia] m[olitur]: b

44 Sed quia Vir devotus oblata statim distribuebat secundum modum superius prætaxatum, de oblatis nec recipiendo nec dando per scripturam ullam faciens nec recipiens cautionem, volens propter auctoritatem pastoralem quam verebatur, non propter conscientiam, vexationem, tollere, vendidit calicem *b*; ut sic contra eum multimode insanientis avaritiam mitigaret, pactum faciens cum eodem. Nec his contentus episcopus in omnibus, in quibus non debebat, sed poterat, Virum sanctum verbo et facto multimode

EX MS. AUCTORE SYNCHRONO

modo molestabat, impellentibus eumdem contra eum clericis impudicis: quia videbatur eis quod sibi debitas eleëmosynas auferebat. Quod cernens Vir sanctus, dare volens locum iræ, inde recessit, scilicet de monasterio sanctæ Crucis; et moraturus accessit ad locum sanctæ Mariæ de Lama, quem construxerat *c* Vir præfatus.

sed absens tamen et exemplus injusta excommunicatione percellitur :

45 Sed licet absentatus esset ab eodem per locorum distantiam; tamen eum præsentem habebat per innatam malitiam. Nam cum accepisset a summo Pontifice Domino Papa Johanne in mandatis, ut contra Fraticellos *d* monitione præmissa procederet, quam faceret in præsentia religiosorum et clericorum; pro hujusmodi causa ut eum vexaret, citari fecit et requiri fratrem Robertum absentem. Qui, recepto mandato, socium misit, cum esset infirmus et debilis, se excusans. Et hoc potissime fecit credens suam præsentiam sibi non fore acceptam. Quo non comparente, ille Papali auctoritate abusus *e*, in exemptum sententiam excommunicationis induxit.

B

absolutionem ab eo supplex petit, et quamquam indignissime habitus, extorquet humilitate.

46 Quod audiens vir Sanctus, medullitus doluit; tum quia claves et sententiam summæ verebatur Ecclesiæ; cum quia tunc in quadragesima excundo, oportebat solitum silentium relaxare. Assumpto autem quodam venerabili viro sui Ordinis, pro absolutione supplex ad episcopum accessit. Quem videns episcopus non, ut moris est, paternali voce, sed procaci in eum insiluit, dicens: Vir hypocrita et simulate, quare meos depauperas clericos? Quid tuis fictionibus tanta facis? Quid occupas abutendo eleemosynas aliorum? His et aliis multis, satis sibi indebitis tam dicenti quam recipienti, humillime propulsatus Vir sanctus, voce columbina, vultu reverendo, humili mente respondens, ait: Pater, bene dicis. Hæc et multa alia propter peccata mea merui et mereor audire. Et se ante episcopum prosternens, absolutionem cum emendatione petiit, et pœnitentiam instantissime postulabat.

Sed episcopus divinitus punitur, juxta visionem B. Roberti.

47 Qua devote recepta, ad locum suum reversus, stans in oratione, apparuerunt sibi patres sui, quorum agebat causam et sequebatur vestigia, beatus Benedictus et beatus C Petrus confessor, et episcopus memoratus sedens in medio cum eisdem. Tunc beatus Benedictus turbato vultu dixit episcopo. Quid turbas? Quid inique a sua pace nostrum inquietas discipulum et amicum specialem? Quid injusta moliris, et mala malis accumulas? Beatus vero Petrus lento ictu eumdem episcopum in maxilla percutiebat, dicens tertio, et tertio percutiendo, qualibet vice manum quinquies a facie elevando et dicendo: Ipse bene se gessit in re. Mirabile factum! Sequenti mane versus partem illam, in qua ictum dederat Vir beatus, os episcopi versus aurem sic apparuit contractum et tortum, ut horribilem et terribilem cunctis videntibus divino judicio aspectum monstraret humanum.

Pecuniam miraculo reperit, quam pauperi promiserat,

48 Quodam tempore cum moraretur Vir præfatus in pœnitentia persistendo in cella patris sui, quidam pauperculus audivit, quod Vir sanctus manus suas largiflue extendebat ad pauperes, juxta posse eleëmosynas tribuendo. Hic cum filiam suam nubilem fecisset annulo subarrhari, et angustia rei familiaris inclusus dare viro non posset traducendam, pro hujusmodi paupertate adiit Virum pium, supplicans, ut divino intuitu sibi unum donaret florenum *f*, ut posset filiam dare viro. Cui respondens Vir sanctus, clementer ait: Vere pro nunc non habeo; sed revertaris huc ad diem octavum, et eleëmosynam tribuam, quam Dominus ministrabit. Sed quid accidit intervallo temporis? Post horam cum se orationi dedisset, et interea de pauperis eleëmosyna cogitaret, subito prope se miraculose reperit florenum unum pulcherrimum: et veniente paupere, pecuniam tribuit indigenti.

ANNOTATA.

a *De hac re dixi in Comm. præv.* § III, *num.* 27.

b *Telera cap.* XIV *legit,* Multos calices et vasa sacra *Sane si unum tantummodo distraxerit* Robertus, *necesse est illum fuisse admodum pretiosum; utpote quo satisfieri quoquo modo posse speraret episcopo tam multa exigenti. Interim calicem in singulari invenit in suo etiam exemplari* E *A Bosco.*

c *Ut supra dictum est cap.* III, *num.* 34.

d *De* Fratricellorum *hæresi ac sectis variis videri potest Odoricus Raynaldus tom.* XV *Annal. locis assignatis in indice.*

e *Neque enim aliam in exemptos a Pontifice potestatem acceperat, quam ut eos etiam per censuras compellere posset ad publicandum in ecclesiis processum et sententiam in Fratricellos latam; ut vide apud Raynaldum ad an.* 1331 *num.* 5.

f *Florenus nummus erat aureus apud Florentinos cusus, de quo supra ad num.* 37.

CAPUT V. *Ejus sedulitas, et in suos modesta severitas; crebra per vitam miracula.*

F

Otii fuga, asperitas in desides, lenitas in quos, prudentia et caritas in imbecilles.

Didicerat Vir devotus virtuose distribuere tempora occupando: quia aliquando vacabat silentio, orationibus et jejuniis insistendo; aliquando per loca, quæ construxerat, militando, quia copiosam religiosorum multitudinem aggregaverat, visitando eosdem; ut nunc sibi vacans, nunc proximis, nullum otio tempus daret. Hortabatur siquidem exemplo et verbo devotos; ac melius desides aspere corrigendo. Erat enim in exhortando modestus, in corrigendo austerus. Considerabat attente vultum pecoris* sibi commissi: nam si aliquando infligebat disciplinam magister, discipulo eam non suscipiente devote, contra hanc impellens eum recalcitrare spiritus nequitiæ *a*; pius Pater compatiens, quem revocare non poterat timoris baculo, studebat tenere, ne frangeretur, virga amoris: quia se sibi *b* inclinans dicebat: Frater, forte. Non bene feci; sed, rogo, conforteris et prudentius dirigas gressus tuos. Tanto enim afficiebatur amore ad animas Christi sanguine redemptas; quod, velut mater supra unicum defunctum deplorat, sic iste Vir pius, siquando videbat aliquem per abrupta defluere vitiorum, lacrymas

A mas effundebat. Videat igitur totus orbis ordinatum agonem militis gloriosi, quo de virtute progrediens in virtutem studebat properare ad palmam. Congaudeat, et sequi studeat Virum pium : qui, superato hoste domestico, et roboratus interius, ad exteriora manum adducens, lumen datum communicare studuit toti mundo. Cognoscat in eo divinam clementiam acceptantem confirmando prodigiis, protegendo defensis; quia in eum manum extendit clementiæ porrigendo petita; quod declarant miracula infra scripta.

... ucis ... elum ...

50 Cum moram faceret Vir sanctus in Castro Murroni, quidam, nomine Robertus de Gualterio, ita factus est furiosus per iter et immanis; quod, ne seipsum et alios læderet, a consanguineis tenebatur vinculis astrictus. Ad quem rogatus a parentibus accessit Vir sanctus. Quem statim ut vidit infirmus, Virum Dei in maxilla percussit : quod patienter portans, super infirmum aperuit librum preces Domino effundendo, et ipsum crucis signo signavit. Quo facto, vir ille statim somno gravatus obdormivit; et B evigilans extitit liberatus.

... Sacri- ... ulierem ... alyticam;

51 Mulier quædam, Maria nomine, suo juramento firmavit, quod in pueritia dormiens ad latus Johannæ matris suæ, obumbrata fuit taliter; quod totum latus dextrum perdidit cum manu. Et ita partem illam per annos duodecim læsam tenuit; quia nihil inde poterat operari. Quæ ad Virum sanctum, tunc in cella sancti Petri de Murrone stantem, supplex accessit; et, ut pro eo intercederet, instantissime requisivit. Pro qua Vir sanctus compatiens, sacrificium Missæ obtulit Deo; statimque extitit sanitati omnimode restituta.

... igno cru- ... niosum ... ntractam,

52 Juvenis quidam, Robertus nomine, filius Guillermi judicis de Murrone, a cunabulis rupturam patiens in latere dextro, post tempora ductus [est] ad Virum sanctum ab avunculo. Quem signo sanctæ crucis sua manu consignans, statim extitit liberatus, in præsentia plurium qui stabant. Juvencula quædam, Margareta nomine, filia Oliveri, ita divino judicio percussa est; quod contracta C jacens in lecto per annos decem, non solum non poterat surgere, vel sedere, vel se erigere; imo sine adjutorio nullo modo movere, nec de una parte corporis in aliam declinare. Quam pater portans ad Virum venerabilem, tunc commorantem in monasterio sancti Petri de Majella, sito in territorio dicti castri, eamdem obtulit Viro sancto. Qui surgens ab oratione, signavit eam signaculo sanctæ crucis et dixit : Hæc erit filiola Dei. Quæ ad domum reportata, statim exsiliens, ambulare cœpit sana, mirantibus omnibus, et operari manibus humano auxilio non adjuta.

... ibun ...

53 Cum moram faceret Vir sanctus in loco de Campo Basso c, vir quidam, Ricardus nomine, filius notarii Bartholomæi de Molisio, fuit ita gravatus infirmitate, quod nec respirare poterat, neque loqui : et, adhibitis omnibus remediis medicinæ, omnino incurabilis reddebatur. Pater autem ejus et amici in instanti exspectabant, eumdem diem terminare extremum. Tunc pater surgens, festine accessit ad Virum Dei. Et coram ipso pro filio fundens lacrymas, instanter petiit; ut pro ipso Deum exoraret. Pro quo Vir Dei compatiens, ante altare se cum oratione prostravit; et surgens, oratione finita, cum quodam libro signo crucis signavit infirmum, et manu sua tetigit guttur ejus, ac iterum signo crucis signavit. Qui, videntibus multis qui aderant, statim redditus est pristinæ sanitati.

EX MS AUCTORE SYNCHRONO

et mulierem contractam, cui jejunia imperat in actionem gratiarum.

54 Mulier quædam, Giburga nomine de Campo Basso, per menses novem contracta in lecto ita jacebat immobilis; quod propria virtute se movere non poterat sine adjutorio alterius in partem dextram vel sinistram. Hæc ad Virum Dei portari se faciens, ait illi : Homo Dei, miserere mei, et pro me Dominum ora. Qui orationem Deo fundens, ac suæ manus crucis signo totam signans, ait illi : Confide, filia; quia dimissa es ab infirmitate tua. Quæ portata ad domum, post dies duos fuit plenarie liberata, ambulans et exsiliens et laudans Deum. Quod cum nuntiatum esset Viro sancto, dixit patri : Præcipias filiæ tuæ, ut grata Deo, incipiat ad ejus laudem quarta et sexta feria jejunare. E

Precibus adolescentem calculo liberat.

55 Juvenis quidam, Johannes nomine, filius cujusdam, nomine Nicolai, infirmitate et dolore lapidis in renibus intolerabiliter per multa temporis spatia angebatur. Quem pater assumens et ad Virum Dei cum multa devotione portans, multis perfusus pro filio lacrymis, rogavit obnixius, ut pro filio exoraret. Qui infirmanti et patri compatiens, se protinus in oratione prostravit, et ab oratione surgens, ait illi : Fili, confortare; quia Dei beneficio liberatus es. Qui domum reversus, post duos dies lapidem emittens, ex tunc nihil sentiens, fuit plenissime liberatus.

Signo crucis contractum et aridum sanat; item puellam struma laborantem.

56 Vir quidam, Guillermus Bordonus nomine, decumbebat in lecto per sex menses, ita aridus et contractus; quod nec se poterat ullo modo movere, nec in longum contractos extendere pedes. Qui per internuntium Virum Dei rogavit; ut eum sua præsentia visitaret. Vir autem Dei pietate motus, ad domum patientis accedens, infirmo dixit : Confortare, fili; et convertare ad Dominum; quia liberaberis. Et, præmissa oratione, signans eum signo sanctæ F crucis, statim cœpit extendere pedes et ambulare, laudans Deum et magnificans Virum sanctum. Vir quidam, Guilielmus de Pratatellis, filiam habebat, nomine Mabiliam; quæ scrophulam ita grossam habebat sub maxilla in gutture; ut quantitatem ascenderet ovi gallinæ, et habuit a nativitate. Quam portans ad fratrem Robertum, adhuc viventem, cum ille locum signo crucis signasset, statim illa grossities monstruosa evanuit.

Eidem vinum impetrat pluribus diu sufficiens.

57 Tempore quo Vir Dei vitam præsentis miseriæ cum decem fratribus trahebat in loco sancti Petri de Campo Basso, pro necessitatibus fratrum quamdam vegetem non magnam vino impleri præceperat, de qua incepit statim post vindemias una cum fratribus secum morantibus et superne viventibus, ac aliis secularibus, caritative bibere, foramine, pro extrahendo, vegetis in medio posito. Tunc circa festum sanctæ Luciæ deficiens vinum exire non poterat : fratres vero credentes oppilationem alicujus obstaculi, adhibito

EX MS. AUCTORE SYNCHRONO.

adhibito instrumento ad obstaculum, quod non erat nisi vini defectus, expellere cupiebant obstaculum. Tandem rei veritate comperta, nuntiare currunt illico Viro sancto. Ad quam vegetem videndam Vir sanctus accessit, et signans eam signo crucis discessit. Quæ statim tantam vini cœpit profluere copiam; quod et moram contrahentibus fratribus et supervenientibus, ac multis secularibus illuc declinantibus usque ad prædictum vegetis medium sufficeret. Quæ considerata per tres menses fratrum et secularium multitudini declinantium et bibentium tempore toto secundum naturæ modum sufficere tota vix debuisset.

Duos hernia laborantes, alterum cruce signando, alterum confessum absolvendo, sanat.

58 Vir quidam, Ludovicus nomine de Montagno, a nativitate in latere dextro notabilem patiebatur rupturam, nec sine lumbari ullo modo ad ætatem perductus poterat ambulare. Cum autem Vir sanctus adhuc peregrinaretur in carne et moraretur in Limosano *d*, archipresbyter dicti castri, saniori usus consilio, hominem præfatum ad Virum Dei adduxit. Pro quo rogatus Vir Dei, elevatis oculis ad eum, qui potest in cælis, et signato per eum viro signo sanctæ crucis, statim fuit integre liberatus. Vir quidam ordinis sui frater, Stephanus nomine, rupturam patiebatur in dextro latere, et ita gravem, quod cum lumbari vix posset ambulare. Accedens igitur ad Virum sanctum, qui tunc morabatur in loco sanctæ Mariæ de Lama, humiliter rogavit eumdem, ut pro sua infirmitate Deo preces porrigeret efficaces. Et, facta sibi omnium peccatorum confessione, et absolutione cum benedictione accepta, statim est redditus sanitati.

ANNOTATA.

a *Iterum hic est nominativus absolutus, pro ablativo.*

b Sibi *hic et alibi sæpius pro* illi.

c Campus Bassus *oppidum est Apuliæ, qua Samnio jungitur, duodecim milliaribus Boviano distans, juxta Leandrum Alberti in Samnitibus sub finem, et in Apulia Japygia sub initium.*

d *Leandro* Lumesano *circa terminos Aprutii Orientales castrum, sive oppidum.*

Caput VI. *B. Roberti morbus penultimus et lucta cum diabolo; cælestis visitatio, et subita restitutio sanitatis: supremus morbus, piissimus obitus, elogium.*

Robertus ipse ægrotans, articulos fidei meditans,

Cum autem Vir Deo plenus, exhaustis corporeis viribus per carnis macerationem austerrimam, quam a principio usque ad finem firmam servavit, et per ætatem decrepitam properaret ad palmam; antequam spiritum redderet cælo Altissimo, placuit eum benedictionis dulcedine prævenire. Nam contigit ipsum languere fortissime; ita quod sibi et omnibus aliis videretur ex hac debere morte concludi. Qui astantibus ibi fratribus dixit: Duo ex vobis me custodiant hac nocte: alii in suis cellis quiescant. Tunc cœpit Vir Deo plenus solicite revolvere in suo pectore omnes articulos fidei ac auctoritates sacræ Scripturæ, et dicta sanctorum Doctorum, quibus fides edocetur catholica et roboratur: in qua meditatione usque ad profundissimam noctem permansit.

diabolum aperi rentem semel, iterumque abigit,

60 Post hæc dum vellet aliquantulum quiescere, subito apparuit eidem diabolus in brutali forma hericii in ipsum insiliens, ut eum morsu lacerare studeret. In quem spuens Vir sanctus, ait: Recede hinc, maligna bestia; quia nil in me funeste reperies. Qui confusus abscessit. Statimque idem in specie vaccæ nigerrimæ et absque cornibus iterato apparuit, ipsum impetens et lædere moliens. Cui frater Robertus: Recede hinc. Maledicat te Deus. Ad quem illa propius accessit; et ipse altius clamavit: Maledicat te Deus. At illa moliebatur appropinquando magis insilire in ipsum. Tunc ille tertio cœpit clamare multum alta voce: Maledicat te Deus Pater. Ad ejus clamorem fratres, qui erant nimio somno gravati surgentes, sciscitati sunt, quid haberet.

et mox gloriosæ crucis et Sanctorum aspectu recreatus simul, et morbo liberatus est.

61 Quibus narrans visa, ait: Vertatis faciem meam versus vos, et oremus, fratres, divinum Officium Domino psallentes. Cum quibus cœpit et ipse psallere. Quo finito, dixerunt psalmos pœnitentiales cum litaniis: pervento autem ad locum, ubi dicitur: Te rogamus, audi nos; quasi positus in ecstasi subito apparuit super eum crux, in claritate solem excedens, et tanti luminis, quod in ea visus omnino obtundebatur humanus. Crux vero erat maxima et longitudine quasi cannarum *a* septem; sub cujus brachiis apparuerunt a dextris crucis duodecim homines tantæ claritatis, quod ipsorum facies considerari non poterant: et a sinistris duodecim similis claritatis apparuerunt; et post astabant alii quadraginta hinc et quadraginta inde, non ita claritatis intensæ. Quam visionem tamdiu vidit ipse, quousque fratres litanias finierunt cum orationibus consuetis. Et iis dictis ad se reductus, oculis corporeis per tantam moram aspexit visionem præfatam, quantam traheret in dicendo Pater Noster. Tunc subito crux et homines ostensi sub ea, ipso vidente, ascenderunt ad cælum: et statim infirmitas omnis abscessit. Vir autem Deo plenus, surgens incolumis, gratias Altissimo tam de visione, quam de sospitate reddere festinavit.

V. Anno 1341 mense Julio morbo tentatus, supremis Sacramentis muniri vult:

62 Post tempus modicum *b* prædictæ infirmitatis, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo primo de mense Julii; Indictione nona, ætatis suæ anno LXIX, tempore Domini Benedicti Papæ duodecimi, Vir sanctus, jam senio confectus, et austeritate defossus *c*, cœpit ita attenuari et resolvi; quod pelli suæ solum ossa inhærebant, consumptis carnibus: ita vero attenuatus, quod solus videdatur vitalis spiritus sub pectusculo aliquantulum palpitare. Et licet ita esset debilis corpore et consumptus, spiritu tamen fervidus, semper stabat contra hostem accinctus. Petitis autem et receptis omnibus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Sacramentis, hora illa novissima, qua adhuc poterat hostis irasci, voluit scutum accipere fidei, in quo posset omnia

A omnia tela nequissimi ignea extinguere, galea assumpta salutis.

.. mortem se ..parans per ..us fidei et in..cationem Dei, ..ynæ, S. Joan. ..pt.

63 Quarto namque die antequam spiritum redderet Deo,. fecit omnes fratres ad se vocari; quibus astantibus, se fecit in pauperculo suo lectulo erigi, fratre uno insistente post eum, et sustentante, ne caderet. Ille vero, elevatis ad cælum oculis, hilari vultu, facieque serena magnificare cœpit Altissimum, et voce viva cum fluvio lacrymarum cœpit dicere symbolum Apostolorum multum morose, per partes distinguendo et dicendo: Hanc particulam dixit Petrus, hanc Paulus, hanc Johannes, singulis Apostolis suam attribuens. Et post hæc enumeravit decem præcepta Legis, et septem sacrosanctæ Ecclesiæ Sacramenta, et addidit: Credo et credidi; teneo et tenui; confiteor et confessus sum illam sanctissimam fidem quam Christus docuit, et sicut Apostoli prædicaverunt et tenuerunt, et sancta Dei Romana tenet Ecclesia et docet, in qua nunc præsidet Domnus Benedictus Papa duodecimus. Et, his dictis, adjunxit: Deo et beatæ Mariæ ac beato B Johanni Baptistæ recommendo spiritum meum: ac Domino abbati nostro et omnibus fratribus jugiter recommendo, ut pro me debeant Deum suppliciter exorare.

..ndem exhor..tus fratres, ..sque bene pre..tus, expansis ..n modum cru..brachiis, ex..pirat XVIII Ju..i.

54 Et, iis dictis, circumastantibus filiis coram Patre, qui maceratione confectus et senio vergebat ad mortem, elevata voce, ut potuit, de sancta obedientia, observantia religionis, vigilantia castitatis de amore paupertatis admonitionem faciens et sermonem protrahens juxta modicum posse, facie serena, oculis intentis in cælum, omnibus fratribus præsentibus et absentibus benedixit, signans eosdem signo crucis, et dicens: Benedicat vos omnipotens Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus. Tandem veniens ad consummatum agonem XVIII die mensis ejusdem, quia Vir sanctus oraverat mori in cruce; quia crucem parvulam ligneam a principio pœnitentiæ suæ faciens, super pectus portavit; ut semper esset circa crucis supplicium occupatus cum Christo; seu quia crucem amplexans sæpissime se pro Crucifixo suspendit in cruce; expansis in lectulo manibus in crucis mo- C dum, coram fratribus pro eo psallentibus Domino, anima illa sanctissima, carnis relinquens ergastulum, ad Christum, quem semper amaverat, circa horam [diei nonam] feliciter transmigravit.

..phonema et ..num defun..i.

65 O vere beate Vir, qui a cruce incipiens, in cruce proficiens, tandem in cruce finisti? Sed, o felix anima, quis te beatam non prædicet, quæ vivens cum Johanne carnis illibatæ floridum virginitatis lilium, cum quo vocata fuisti, conservans migrasti ad Christum: quæ cum Stephano Christo compatiens, voluntarium corporis portasti martyrium: quæ etiam cum Paulo Christo filios generas, et in caula Domini bonus custos recondens, arguendo, obsecrando, increpando, gregem non modicum Domino aggregasti! O certe felicissimum Virum, triplici aureola coronandum; qui nec labore macerationis carnis victus, nec amore passionis Christi morte vincendus, vitam præsentem tam feliciter conclusisti! Sed certe lapis in cælestis Jerusalem structura mirifice positus; quia sub multiplicis pœnitentiæ tunsionibus mallei conquadratus, per manum æterni artificis disponeris. Cujus laudabilem vitam (quia laus est præmium virtutis) Deus omnipotens approbans, in vita et post voluit signis et miraculis quampluribus approbare, de quibus, gratia devotionis et exempli, aliqua inferius subscribuntur.

EX MS. AUCTORE SYNCHRONO.

ANNOTATA.

a Canna *apud Italos ulnam significat, quo sensu hic etiam accipitur.*

b *A Bosco scribit:* progressu vero temporis postea haud modico.

c *A Bosco habet,* confossus.

Caput VII. *Miracula Beati mortem secuta.*

E

Sanata mulier ad Beati corpus; et viri duo ex intestinis dolentes;

Antequam corpus dicti Sancti traderetur sepulcro, quædam domina de Castro Murronis, nomine Aldoisia, per annos duos fuerat ita contracta ex uno sui latere corporis, quod nullo modo poterat ambulare. Faciens autem se ad humatum *a* corpus sancti Viri portari, et tangens ex devotione, ac deosculans, continuo perfectissime extitit liberata. Vir quidam, Bartholomæus nomine, de Limosano, vexabatur dolore intolerabili in iliis per menses sex; qui gratia recuperandæ sanitatis accedens ad sepulcrum præfati Sancti, statim ut ipsum sepulcrum tetigit, extitit liberatus. Alius archipresbyter, de Cyracola nomine, similiter dolorem iliorum passus, ex devotione ad sepulcrum illius accedens, se Deo et beato Roberto confessori vovit. Qui statim ut sepulcrum tetigit, extitit liberatus; prout, tactis sacrosanctis Euangeliis, hoc ita fuisse juramento firmavit.

item clauda, contracta, herniosus,

67 Quædam puella, Maria nomine, oriunda de loco, qui dicitur Sancta Maria de Strata, de sinistro pede semper evidentissime claudicabat. Quæ ducta a patre suo Johanne ad visitandum sancti Viri sepulcrum ex F devotione, statim ut tetigit, fuit perfectissime liberata. Quædam mulier, Guetialda *b* nomine, ita habebat manum dextram contractam, ut cum ea nihil posset operis exercere, et hoc per integrum anni spatium. Accedens igitur ad sepulcrum Sancti, et illud tangens, fuit meritis ejus, mirabiliter sanata. Frater quidam Ordinis sui, nomine Guilielmus de Lincio de Limosano, cum pateretur rupturam in latere dextro, a mensibus undecim et ultra, et ex ea intolerabili dolore vexaretur, veniente prædicto fratre Roberto, adhuc vivente, ipse frater suppliciter exoravit eum, ut pro eo Deo preces funderet; ut mitius secum haberet. Cui respondens Vir sanctus, ait: Fili charissime, patienter porta, et in hoc Deum lauda; et facias tibi braccale ad tolerandum dolorem; quia præsto est Deus, qui tibi sanitatis beneficium largietur. Qui, accepto consilio, faciens juxta Viri Dei præcepta, ipsa perficiens nomen Domini laudando; modico tempore interjecto, Vir sanctus interim migravit

ex MS. AUCTORE SYNCHRONO

gravit a seculo. Occurrentibus undique fratribus ad exequias Viri sancti, patris morte audita, cum eis et ipse frater Guilielmus accessit: qui genibus flexis cum lacrymis deosculans manus præfati Sancti, statim fuit ab ipsa infirmitate immunis.

item alius herniam, alius apostemate laborans;

68 Juvenis quidam de Castro Murronis, Johannes nomine, per annos undecim rupturam passus in latere dextro, multis adhibitis remediis, nullo potuit medicorum auxilio liberari. Sed considerans miracula et merita Viri sancti, ad sepulcrum ejus devote accessit; et statim sepulcrum deosculans, oratione præmissa, fuit plenissime liberatus. Sacerdos quidam, nomine Johannes Anglicus, per annum et dimidium juxta femur quodam apostemate gravabatur, quod nec infirmum absolvebat, nec ad putredinem declinabat. Qui Deo se recommendans et vovens, ac beato Petro confessori, et ad sepulcrum beati Roberti se transferens, statim ut votum Deo reddidit, veniens et tangens sepulcrum, fuit
B
totaliter liberatus.

gutta salsa ibidem sublata: item paralysis, aliique doloris;

69 Mulier quædam, Maria nomine, Nicolai Deodati de Castro Murronis filia, per multa annorum spatia guttam salsam passa fuerat in manu. Et licet multa procuraverit remedia medicinæ: nullo tamen potuit medicorum auxilio liberari; sed eorum definitione incurabiliter damnabatur. Quæ ad Viri sancti sepulcrum ex devotione accedens, tacto sepulcro, fuit statim ab infirmitate curata. Alia mulier, Trocta *c* nomine, de eodem loco, per annos quinque ita gravi et atroci gravabatur infirmitate, ut, urgentibus doloribus, continue latratu ejularet canino; et tanto afficiebatur medullitus tædio, ut nec hominem seu mulierem vellet respicere: ac in tantum erat debilitata nervis, ut quasi paralytica, fieret membris omnibus tremebunda. Quæ veniens ad visitandum sepulcrum beati Roberti, statim ut illud tetigit, fuit reddita sanitati.

c

iterum gutta salsa ac dolor brachii;

70 Quidam vir, Richardus nomine, diaconus officio, juramento firmavit, quod hactenus per annos quinque guttam salsam fuerat in crure durissime passus. Et adhibitis omnibus, quæ scivit et potuit, remediis medicinæ, nullatenus potuit liberari. Qui com-
C
mendans se Deo et beato Roberto, veniensque ad visitandum sepulcrum ejus, statim post paucos dies fuit plenissime liberatus. Mulier quædam de Mirabello *d* tantum dolorem patiebatur in dextro brachio; quod id nec ad caput nec ad os valebat attollere: cumque hoc tolerasset tribus mensibus, vovit se Deo et beato Roberto. Post votum autem statim extitit liberata: quod juramento verum esse firmavit.

d

ariditas et contractio;

71 In castro Pratacarellis juvenis quidam, Nicolaus nomine de Monte, per spatium trium mensium habuit manum sic aridam et contractam et fluxu sanguinis a corde et colore naturali sic privatam; quod etiam in quantitate erat a manu altera diminuta. Hic ad sepulcrum ejus veniens, statim ut illud tetigit, redditus fuit pristinæ sanitati. Mulier quædam de Supino, nomine Flos, uxor Roberti de Mirabello, multis temporibus manum tenuit contractam et aridam. Quæ veniens ad sepulcrum et tangens, statim, videntibus multis, qui aderant, extitit liberata. Mulier quædam, Sebasta nomine, de Rippa Limosani, per annos octo fatigata, caput D
ad collum tenebat taliter contractum, quod ex defectu virtutis in capite erat in continuo tremore, ac per contractionem manum et brachium perdiderat totum. Quæ per merita Viri sancti reddita fuit pristinæ sanitati.

cæcitas, contractio, surditas,

72 Vir quidam, Thomasius nomine, de Ferraria *e*, fuit tanta infirmitate gravatus; quod lumen per tres menses simpliciter perdidit oculorum, nec medicorum adhibitis remediis convalescere poterat nec juvari. Qui diffidens de medicinæ remediis, et confidens de Viri sancti meritis, ad ipsius ivit visitandum sepulcrum. Qui statim ut applicuit ad locum, ubi corpus Sancti erat sepultum, aperiens oculos et clare videns, reddidit gratias Deo et beato Roberto. Mulier quædam, Bartholomæa nomine, de Casar Calenda *f*, brachium sinistrum propter contractionem nervorum omnino perdiderat. Quæ veniens ex ejus devotione ad Sancti sepulcrum, statim ut illud tetigit, fuit plenissime liberata. Mulier alia, quæ Purpura vocabatur, de loco sancti Martini, ita in totum per- E
diderat auditum; ut breviter loquentium sibi nec audire, vel intelligere poterat ullum verbum. Pro hujusmodi autem causa ad sepulcrum Viri sancti accessit, illoque tacto, ad propria rediit; quia ilico recuperavit auditum.

e

f

febris quartana, vexatio dæmonis, contractio, hernia:

73 Juvenis quidam, Nicolaus nomine, judicis Johannis filius, febrem quartanam passus fuerat per annum integrum, nec ab ea per medicorum remedia poterat liberari. Statim autem ut Viri sancti tetigit devote et visitavit sepulcrum, fuit plenissime liberatus. Mulier quædam, Gemma Galterii nomine, de terra Sancti Felicis *g*, obsessa a dæmone tenebatur, et gravissime vexabatur. Quæ a parentibus ducta ad sepulcrum venerabilis Famuli Dei, statim ut illud potuit oculis intueri, a dæmonis vexatione plene cessavit. Mulier quædam, Florentia nomine, uxor Nicolai de Quatrano, per annos tres brachium dextrum habuit sic aridum et contractum; quod nec ad caput suum valebat levare. Veniens autem ad locum sepulcri hominis Dei ex devotione, et illud tangens, F
statim sanata est. Vir quidam, Gualterius nomine, de eadem terra Quatrani, per quinquennium rupturæ passus fuerat læsionem. Qui veniens ex devotione ad Viri sancti sepulcrum, mox ut illic applicuit, redditus est pristinæ sanitati.

g

oris distorsio, febris quartana, dysenteria

74 Vir alius, Galterius nomine, de Civitella *h*, ex timore nimio, quem vulgus appellat obumbrationem, rigescentibus et calore privatis membris, os habebat contortum versus aurem obliquam, in tantum, quod humanis aspectibus vultus ejus horribilis videretur. Vovens se igitur ad visitandum Viri Dei sepulcrum, statim est rectitudini pristinæ restitutus, in præsentia astantium plurimorum. Vir quidam, Robertus nomine, de Turre de Zippis, per annum integrum passus quartanam, nullo medicorum adjutus consilio, statim ut ex devotione Viri sancti venit visitaturus sepulcrum, extitit liberatus. Idem dysenteriæ incurrit molestiam, et vovens se dicto Sancto, ac ejus visitato iterum sepulcro, statim fuit sanitati pristinæ restitutus.

h

75 Sacerdos

... a sacerdo... blasphemi, ... restitutio ejus, ... resipiscen... ...

EX MS. AUCTORE SYNCHRONO

75 Sacerdos quidam, Sebastianus nomine, de Campo Basso, audiens famam celebrem Viri sancti et ejus a multis narrari divina miracula, non solum suam sub vera credulitate voluit captivare rationem; sed etiam in Virum sanctum insiliens linguam laxavit blasphemam, dicens, narrata vera non esse. Mirabile factum! Statim affuit ira Dei, et vindicans famam Viri, ita obriguit cum vehementi dolore brachium ejus; quod ipsum non valebat erigere, nec ad caput levare, nec ab eo liberari valuit, quousque suam recognoscens nequitiam, vovit se cum multa devotione Sancti visitaturum sepulcrum. Emisso autem voto, statim fuit plenissime liberatus; et votum immediate complevit et reddidit.

...ratur m. r ... caducus. ...tas, contra... ...mo.

76 Juvenis quidam, Nicolaus nomine, filius Francisci de Monte Vayrano, matre vero Francisca de Colle rotundo, in dicto loco Collis rotundi *i*, cœpit morbo caduco, sive pestilentico graviter infirmari. Quo per totum unius anni circulum laboravit, in tantum, quod aliquando ter, aliquando quater tali morbo cadebat per diem: et tantam B puero dicta infirmitas molestiam intulit; quod ipsum ad mortis articulum duxit. Quod videntes parentes, promiserunt Deo una cum puero Sancti visitare sepulcrum. Sicque factum est, ut emisso voto, statim fuit puer ita a dicta infirmitate immunis; quod de cetero nihil sensit. Quod videntes parentes fecerunt eum Robertum ad devotionem sancti Viri vocari Vir quidam, Raynaldus nomine, de Guido, in tantam cæcitatem, et orbitatem oculorum devenerat; quod sine ducatu alterius nullo modo poterat ambulare. Qui veniens ad Viri sepulcrum et tangens, statim lumen recepit, et sine duce ad propria remeavit: quam cæcitatem passus fuerat anno uno et alterius dimidio. Vir quidam, Stephanus nomine, de Peselo Lauzani *k*, ita erat contractus, quod sine adminiculo lignorum et etiam cum ipsis cum multo labore poterat ambulare: quod passus fuit per annum integrum. Hic signanter contractus erat in latere dextro. Mox autem ut ex devotione et voto sancti Viri visitavit sepulcrum, fuit sanitati plenarie restitutus. Et C quia cunctis incolentibus patriam notum fuit et celebre, factum est inde publicum instrumentum.

...xatio dæmo... ...s, et contractio.

77 Mulier quædam, Hilaria nomine, viginti fuit annis a dæmone vexata, in tantum et taliter, quod frequenter eam arripiens, ut morti traderet, in ignem eamdem mergebat et aquam; ac eam studuit sæpissime suspendio perdere. Unde aliquoties, quando non detinebatur a parentibus, silvas et campestria petens, ejulabat ut canis. Quæ a consanguineis ducta ad locum, ubi Viri sancti erat sepulcrum, statim ut illud tetigit, vexatio maligna abscessit. Vir quidam, Lodoycus nomine, de Urbe, dum dormiret, tanto fuit percussus timore, sive obumbratus, ut vulgus loquitur, quod a somno evigilans, invenit brachium suum dextrum cum manu totum aridum et contractum; ita ut nec ad os, nec ad caput posset erigere vel levare, seu aliquid exercere: quod passus est per menses tres. Qui interim audiens merita et miracula Viri sancti jam pluries superius memorati, et vovens ipsius visitare sepulcrum, ac omni tempore diem obitus ejus in pane tantum et aqua jejunando celebrem facere; cum esset in via, ut votum exsolveret, statim extitit liberatus.

dolores letiferi, et apostema.

78 Vir quidam, Franciscus nomine, de Assisio, semel equitans, tantum incurrit circa verenda dolorem; quod domum rediens, ex dolore infallibiliter extremum credebat se claudere diem: et in tantum vexabatur; quod nec stare poterat nec jacere; sed hinc inde se volutabat per terram. Qui recolens audita miracula Viri sancti, vovit ejusdem se visitaturum sepulcrum, si suæ assisteret sanitati. Mox ut votum exsolvit, tangens sepulcrum, fuit plenissime liberatus. Vir quidam, Nicolaus Hugonis nomine, de Cobacta, in manu per annum integrum quoddam passus fuerat apostema, a quo nullo potuit medicamine liberari. Vovens autem ipsius visitare sepulcrum, vadens et tangens, statim E fuit sanitati pristinæ restitutus.

Matri apparens B. Robertus ejus filium herniа liberat.

79 Infantulus quidam, Nicolaus, Nicolai filius, de Limosano *l*, rupturam a nativitate contraxit. Mater vero devotionem habens in Sancto et ipsi se devovens, nocte sequenti cum se sopori dedisset, beatus Robertus in visu sibi apparuit, et de nati liberatione dulciter confortavit. Quæ exurgens Deo gratias et Sancto reddens, invenit puerum perfectissime liberatum *m*.

ANNOTATA.

a Humatum *perperam hic ponitur pro* nondum humatum, *ut patet.*

b *A Bosco,* Guclialda.

c *A Bosco,* Troeta.

d *Est* Mirabellum *oppidum Lombardiæ transpadanæ; sed* Mirabella *castrum Aprutii apud Samnites; hoc itaque tamquam vicinius designari hic putem; non illud.*

e Ferraria *urbs est Italiæ in ditione Ecclesiæ, caput Ducatus Ferrariensis.* F

f *Forte pro* Casacalenda, *quæ Blondo Flavio oppidum est Apuliæ.*

g *Oppidum Longobardiæ cispadanæ.*

h *Hoc nomine plura sunt oppida in Italia; hic vero Aprutinam Civitellam notari puto Aventino fluvio adjacentem.*

i *A Bosco scribit:* Apud Collejocundum; *sed tædet me obscurissima istiusmodi apud auctores oppidula pagosque persequi religiosius; quorum pleraque vel in Aprutio esse debent, vel inde non procul.*

k *A Bosco habet,* Pesculo Langani.

l *A Bosco legit,* de Bonosano.

m *Subjicit hic A Bosco miraculum, quod de se narrat supra in prologo presbyter ille, qui hæc Acta conscripsit.*

A D

DE B. SIMONE DE LIPNICA

ORDINIS FRATRUM MINORUM DE OBSERVANTIA CRACOVIÆ IN POLONIA.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Initium cultus statim post Beati obitum, et ejusdem confirmatio Romæ facta.

ANNO MCCCCLXXXII.

Cultus a morte B. Simonis cœptus,

Simon, *a natali oppido cognominatus* de Lipnica, *fervidus Ordinis S. Francisci de Observantia concionator, tanta vitæ integritate ac sanctimoniæ fama enituit, ut statim post ejus mortem cives Cracovienses (prope hanc primariam notissimamque Polo-*
B *niæ civitatem anno* 1482, *obiit) certatim ad illius sepulcrum opem imploraturi confluerent. Dixi, eum obiisse anno* 1482, *quamvis Waddingus in Annalibus Minorum ipsius mortem anno* 1483 *consignet, citetque Martinum Cromerum et Matthiam Michoviensem, quos suæ chronotaxi favere putat · nam ex die Jovis, quem Michoviensis aliique scriptores morti illius affigunt, cadente in* XVIII *Julii, satis patet, cum anno* 1482 *mortuum esse, cum eo anno curreret littera Dominicalis* F, *sicut computanti manifestum fiet. Cum vero Fratres Minores ob frequentem populi concursum in cantandis Horis canonicis impedirentur, obtenta ab Innocentio VIII licentia, venerabile corpus ad alium locum decenter transtulerunt, sicut refertur in Actis post hunc Commentarium dandis a num.* 45. *Neque ob hanc tumuli mutationem imminuta est populi devotio erga venerabilem Dei Servum, sed indies augebatur ob crebra, quæ per illius intercessionem patrabantur, miracula, de quibus luculentum testimonium perhibebant varia anathemata, ad sepulcrum ejus appensa.*

C

quem Sigismundus III,

2 *Poloni reges ac præsules, hac publica populi veneratione, et constanti miraculorum fama excitati, sæpius ab Apostolica sede flagitarunt, ut venerabilis* Simon *solenniter in Beatorum catalogum referretur. Imprimis Sigismundus III Poloniæ rex anno* 1609 *ad Paulum V Pontificem de hac re ita scripsit :* Post oscula pedum beatorum Sanctitatis vestræ, mei, regnorum ac dominiorum meorum humillima commendatione præmissa. Simonem de Lipnica Ordinis D. Francisci Minorum de Observantia, generis Polonici virum, mira sanctimonia, insignibus divinarum virtutum exemplis Christi fidelium animos ad veram pietatem informando, eosdemque ab interitu sempiterno ad viam veritatis reducendo, ita in terris jam dudum versatum accepimus, ut in carne cælestem vitam egerit, et beatarum mentium æternam felicitatem sit imitatus. Cujus Viri, mirabilis Dominus in Sanctis suis gloriam per ditiones nostras longe lateque illustrat, et populus universus opem ejus implorando præsentem sibi sentiens, præcipua religione divinum Virum, affixis etiam ad monumentum tabulis, accepti beneficii testibus colit.

3 Humillime itaque Sanctitati Vestræ supplico, ut in ejus omnem vitam, et ea quæ post discessum, ut credo in cælum, consecuta sunt, auctoritate Apostolica inquisitionem instituat : ac si ejusmodi erunt, quæ non aliqua humana, sed superna plane ac spirituali vi gesta judicentur, eidem hunc honorem, qui in Beatorum numerum relatis a E summis Pontificibus tribui solet, decernat : et quo majori Christi fideles mentis affectu Beatum venerentur sacrosanctum Missæ sacrificium in honorem illius peragendi, ejusque anniversarium diem Officio proprio ad normam precum Breviarii Romani vel saltem ab hoc Ordine celebrandi impertiri dignetur facultatem. Accedet is Sanctitati Vestræ, regnis dominiisque meis non vulgaris apud Deum patronus, qui omnium nostrum actiones et sempiternam salutem assiduis precibus commendabit, eritque id illustre ac perpetuum Sanctitatis Vestræ, paternæ erga me voluntatis et gentem Polonam, Ordinemque D. Francisci argumentum. De cetero me ipsum, regna, ditiones meas gratiæ et clementiæ Sanctitatis Vestræ quam diligentissime defero atque trado. Vilnæ die V Julii MDCIX.

rex Poloniæ,

Sanctitatis Vestræ filius Sigismundus rex.

et Ladislaus IV ejus successor.

4 *Cum hæc piissimi regis epistola (nescio ob quam causam) desiderato effectu caruisset, Ladislaus seu Vladislaus IV, Sigismundi successor,* F *et paternæ pietatis heres idem negotium sibi promovendum censuit, datis anno* 1636 *ad Romanam curiam hisce litteris :* Venerabiles devoti et fideliter nobis dilecti. Accepimus commissum esse FF. VV. a Reverendo episcopo Cracoviensi negotium indagandi de vita, innocentia et sanctissimis moribus religiosi patris Simonis de Lipnica, quem quidem nos ipsi, et dum inter mortales viveret, angelicam vitam egisse, et deposita mortalitate, hominum genus variis beneficiis, divina potestate cooperante, cumulare non ignoravimus. Perinde quoque tam honoris celsæ illius virtuti exhibendi nos cura tetigit, quam cupiditas obtinendi per eum peculiaris alicujus beneficii incessit : et licet non dubitemus Dev. VV. pro usitata sua diligentia, fide et pietate, accurate et exacte scrutinium, quod gravitate et præstantia facile omnia alia superat, præacturas; non alienum tamen a nostro in hunc Virum cultu per duas fere ætates constanti hominum opinione celebratissimum, putavimus, nostrum etiam apud Dev. VV. interponere studium, quo nimirum nihil inexcussum,

A inexcussum, nihil inexploratum relinquant, ut Viri innocentissimi nomen a reliquorum consortio segregetur, et exemplar illius virtutis ad imitandum orbi Christiano, et fideli populo sublimius collocetur. Atque si ita supremæ in terris secundum divina potestati placuit, Divorum numero inseratur; quod Dev. VV. sedulo acturas confidimus : quarum orationibus, atque adeo Beati hujus suffragio nos diligenter cupimus esse commendatos. Grodnæ die XI Decembris anno Domini MDCXXXVI.

... non duo ... Cra- ... nses.

5 *Quantopere illustrissimo ac reverendissimo Jacobo Zadzik episcopo Cracoviensi eadem res cordi fuerit, patet ex duabus ejus epistolis, quarum una, anno* 1636 *Cracoviæ data, legitur apud Waddingum in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1483 *num.* 26; *altera autem anno* 1640 *Radloviæ scripta refertur in Summario beatificationis num.* 2. *Ego utramque brevitatis causa hic omitto. Etsi propter assidua in septemtrione bella, et intestinos Poloniæ tumultus causa beatificationis eo tempore intermitti debuerit, tamen omnino derelicta non est, uti liquet ex epistola, quam Petrus episcopus Cracoviensis ad sacram Rituum* B *Congregationem anno* 1651 *dedit in hunc modum :* Fœcunda sanctorum virorum familia sancti Francisci nihil moræ etiam in gelido hoc orbe ad fertilitatem habet : frustra enim reluctanti terrestri frigore, flores apparuerunt in terra nostra, et usque ad perfectæ maturitatis celebritatem fructificarunt, quos gloriosæ confessionis perseverantia, velut pruina quædam, decoxit. Inter hos venerabilis Simon de Lipnica Ordinis Minorum ante ducentos pene annos terris exemptus, cælestis habitationis argumenta crebra, et indubitata edidit, patriam hanc suam frequentibus miraculis, et subsidiis variis adversus infirmitates et necessitates humanas præstando; quorum præcipua singulari diligentia et studio antecessorum meorum, meaque perseveræ investigationis ad scrutinii examen collecta, discussaque nullam amplius dubitationem de sanctitate tanti Viri relinquunt.

...næ confir- ... non frustra ... laverant,

6 Non solum itaque religiosum patrem Ludovicum Skrobkovic ejusdem Ordinis, tanti negotii fidele depositum, nempe processum de cultu immemorabili, et sanctimoniæ ac miracu- C lorum certitudine, quibus Sanctum suum Deus honoravit, secum afferentem diligentissime Eminentiis Vestris commendatum cupio, sed et enixe rogo, ut benignum consensum canonizationi optatæ plena cum auctoritate præbere velint. Idem rogant, adeoque postulant publica regni desideria ac necessitates, quæ veluti nostrum patronum et protectorem non inani neque insolito exemplo fructuque a felici canonizationis publicatione ac gratia sperant, atque exspectant. Grati semper animi studiique testificatione beneficium hoc regnum universum prosequetur, et ego ad cujus proxime cathedram beatus Vir tumuli temporarii quidem honore, sed perpetua miraculorum gloria viget ac celebratur, me singulari obligatione Eminentiis vestris devinctum agnoscam; quibus postremo longam prosperamque a Deo incolumitatem, et felicia rerum incrementa precor. Datum Cracoviæ XV Martii MDCLI. *At neque tunc illud negotium ita urgeri potuit, ut ad optatum exitum perduceretur.*

7 *Tandem anno* 1680 *causa beatificationis novo fervore resumpta est, uti satis indicat libellus supplex Innocentio XI post tres annos oblatus, qui in prædicto Summario num.* 1 *incipit his verbis :* Beatissime Pater. Adeo hactenus aucta indiesque magis augetur fama sanctitatis servi Dei Simonis de Lipnica Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia una cum miraculis, quæ omnipotens Deus ejus meritis et intercessione concedere dignatus est, ut concepta in diversis mundi partibus, maxime vero Cracoviæ erga eum devotione a plerisque in eorum necessitatibus invocetur, et plurium etiam virorum existimatione beatificationis et canonizationis honore dignus, accedente infallibili Sanctitatis vestræ judicio, reputetur; ex quibus moti, piaque intentione ac particulari erga dictum servum Dei Simonem devotione ducti serenissimus Poloniæ rex, ordo senatorius et ordo equestris reipublicæ regni Poloniæ, academiæ, capitula, magistratusque complures per suas iteratas litteras instanter postularunt Sanctitatem vestram, ut ad ejusdem servi Dei Simonis beatificationem et canonizationem procedere dignaretur. *Deinde petitur commissio causæ cum facultate discutiendi* E *processum auctoritate ordinaria confectum super cultu immemorabili, aliaque, quæ in similibus casibus observari solent, quæque in ipso Summario num.* 1 *fusius deducta videri possunt.*

AUCTORE G. C.

demum anno 1680

8 *Denique, omnibus mature examinatis, anno* 1685 *emanavit sequens decretum :* Cum sacra Rituum Congregatio, habita die XXII Maii MDCLXXXIII, proponente eminentissimo et reverendissimo Domino Cardinali Pamphilio ponente causam præfati servi Dei Simonis de Lipnica, censuerit ex processibus auctoritate ordinaria confectis, et in eadem sacra Congregatione discussis super sanctitate vitæ, virtutibus et miraculis et fama dicti Servi Dei talia resultare, ex quibus sit locus introductionis causæ et signaturæ commissionis, si sanctissimo Domino nostro visum fuerit, prout Sanctitas sua sub die XXII Junii ejusdem anni MDCLXXXIII annuens signavit hujusmodi commissionem introductionis causæ beatificationis et canonizationis præfati servi Dei Simonis directam eidem sacræ Congregationi cum facultate imprimis et F ante omnia discutiendi processum auctoritate ordinaria confectum, cum sententia subsecuta super cultu immemorabili et casu excepto etc., si sit legitime confectus; sin minus ad novam legitimam illius confectionem deveniendi. Nunc vero, proposito per eumdem eminentissimum Dominum Cardinalem Pamphilium noviter deputatum in ponente dubio (concordato prius cum reverendissimo fidei promotore) an sententia judicis subdelegati super cultu immemorabili et casu excepto etc. lata, sit confirmanda in casu, et ad effectum, de quo agitur in causa prædicti Servi Dei. Et eadem sacra Congregatio, discusso præfato dubio, et, audito reverendissimo Domino fidei promotore in voce et in scriptis, censuit, sententiam esse confirmandam, et constare de cultu immemorabili, et casu excepto etc. si sanctissimo Domini nostro placuerit. Die X Februarii MDCLXXXV. Ea facta de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas sua benigne annuit die XXIV Februarii MDCLXXXV. *Ex una parte*

a summo Pontifice approbatur.

AUCTORE G. C.

parte versus locum sigilli subscribebatur : Nicolaus Cardinalis Ludovisius; *ex altera vero :* Bernardinus Casalius sacræ Rituum Congregationis secretarius.

et de B. Simone Missa cum officio recitari permittitur.

9 *Post paucos annos editum est alterum decretum, quo permittitur recitari Officium et Missa de* B. Simone Lipnica. *Illius decreti ecgraphum, ad nos ex Polonia missum, sic habet :* Piis precibus serenissimi Poloniæ regis Sanctissimo exhibitis per eminentissimum Dominum Cardinalem Barberinum nomine majestatis suæ, quibus enixe petiit, ut Sanctitas sua dignaretur indulgere in toto regno Poloniæ recitari posse ab omnibus Christi fidelibus utriusque sexus tam regularibus quam secularibus Officium et Missam de beato Simone de Lipnica sacerdotis Ordinis S. Francisci de Observantia, et remissis a Sanctitate sua ad sacram Rituum Congregationem : eadem ad relationem eminentissimi et reverendissimi Domini Cardinalis Pamphilii per plures vices re mature perpensa, audito in voce et scriptis reverendissimo Domino fidei promotore, censuit si Sanctissimo placuerit, petitam gratiam concedi posse cum
B Officio et Missa de communi confessoris non pontificis sub ritu semiduplici, attento quod prædicta causa non sit comprehensa in decreto Urbani octavi de anno MDCXXVIII; et ita decrevit hac die IV Decembris anno Domini MDCLXXXVIII. Et facta de prædictis Sanctissimo relatione, Sanctitas sua benigne annuit die XVII Januarii MDCLXXXIX. *Subscribebatur :* A. Cardinalis Cibo; *et inferius :* Bernardinus Casalius sacræ Rituum Congregationis secretarius. *Atque hæc sunt, quæ de cultus initio, variis pro eo testimoniis, ac Romana ejusdem approbatione adferre volui. Nunc agendum est de quibusdam posthumis* B. Simonis *monumentis, quæ eumdem cultum confirmant.*

§ II. Beati sepulcrum, aliaque ad posthumam illius gloriam spectantia.

Describitur B. Simonis sepulcrum,

C **W***addingus in Annalibus Minorum tomo* VII *ad annum Christi* 1483 *num.* 14 *breviter* B. Simonis *sepulcrum descripsit; at illustres et admodum reverendi Domini commissarii ad idem sepulcrum visitandum requisiti multo fusius exactiusque illud depinxerunt, et visitationem suam in scripta referendam dictarunt notario publico, cujus proinde verba hic excerpam ex supradicto Summario num.* 3, *ubi præfati Domini commissarii dicuntur accessisse ad Servi Dei sepulcrum,* quod situm est in medio templi et chori majoris in cornu Euangelii versus septemtrionem circa parietem aquilonarem, et quadraginta circiter cubitis distans ab altari majori supereminens terræ et parieti : in quo quidem sepulcro deprehenderunt ante omnia statuam integram de solido lapide antiquitus efformatam, et, ut est constans fratrum loci traditio, corporis Servi Dei prædicti figuram et mensuram repræsentantem. Statua autem hæc non est erecta, sed in dextrum latus parumper versus occidentem reclinata, et in medium ecclesiæ aliqua ex parte respicit, circulo deaurato redimitum caput habens, et habitu religionis efformato induta refert Servum Dei D cum inscriptione ejusmodi, quæ antiquissimo charactere, ita ut vix legi possit, exarata circumdat et ambit ex omnibus partibus dictam statuam : HIC VIR BEATUS MOLE CARNIS EXUTUS REGNAT POLO ANNO MCCCCLXXXII.

et inscriptiones

11 *Deinde notarius sic pergit :* Visuntur ibidem circa eumdem locum sepulturæ ipsius Servi Dei et alia ornamenta ex marmoreis tabulis lapideisque variis figuris egregie sculpta et concinnata, quæ statuæ prædictæ superadditæ sunt circumcirca, inter quas figuras desuper sunt quatuor circuli ex secto lapide, in quorum primo repræsentatur mortuus, eidemque assistens Servus Dei cum tali inscriptione : QUOSDAM VARIIS CASIBUS E VIVIS SUBLATOS SUSCITAT, QUOSDAM AQUIS PRÆFOCATOS. In altero circulo tangit Servus Dei oculos cæcorum cum tali inscriptione : CÆCIS QUAMPLURIMIS TAM PRÆSENTIBUS, QUAM ABSENTIBUS OPTATISSIMUM MIRABILITER RESTITUIT VISUM. In tertio circulo idem Servus Dei tangit aures nonnullorum cum hac inscriptione : SURDIS DEMUM ET MUTIS AD E MA......... (hic ob interventum columnæ marmoreæ aliquot verba legi non possunt) REDDIT AUDITUM. In quarto circulo signat Servus Dei energumenam cum inscriptione hujusmodi : OBSESSAM A MULTIS.......... Hic itidem non possunt reliqua legi ob columnæ obstaculum. Item in summitate ejusdem sepulcri visitur talis inscriptio in tabula marmorea litteris deauratis expressa. *Hic sequuntur verba inscriptionis, quæ in Actis nostris, post hunc Commentarium prævium exhibendis, num.* 48 *referuntur. Quare ea hic prætermitto.*

epitaphium,

12 *Postquam præcedentis tabulæ marmoreæ ornamenta generatim explicuit, exhibet aliam tabulam ligneam ad latus sinistrum ejusdem sepulcri tali inscriptam contextu :* DEO OPTIMO MAXIMO, ET MEMORIÆ B. SIMONIS DE LIPNICA ORDINIS S. FRANCISCI DE OBSERVANTIA.

Lipnicius jacet hic Francisci ex ordine Simon,
  Divino frater fervidus eloquio;
Cujus perpetua fruitur jam spiritus aura,
  Quod probus hic sancte vixerit atque pius : F
Quod decorare Dei studuit Genitricis honorem
  Doctrinam factis atque probare bonis.
Hunc miranda, vides, testantur signa beatum,
  Qui miseris potuit ferre salutis opem.
Hunc igitur studeas tibi conciliare patronum,
  Ut voti compos efficiare tui.

OBIIT ANNO CHRISTI MCCCCLXXXII.

et alia cultus monumenta.

13 *Iidem Domini commissarii ad dexterum tumuli latus viderunt Breve Innocentii VIII in charta extensum, et ligneæ tabulæ agglutinatum, quod exhibetur in Actis nostris num.* 46. *Invenerunt etiam duas orationes, quæ a Christi fidelibus ad implorandam* B. Simonis *intercessionem recitari solent, quarumque tenor exstat in Actis nostris num.* 50 *et* 51. *Præter duos libellos, Vitam Servi Dei continentes, quorum unus Latino, alter Polonico idiomate excusus est,* visitur ibidem, *inquit prædictus notarius,* altare cum mensa lapidea consecrata imaginem desuper habente, divo Francisco dicatum, et mausoleo Servi Dei prorsus contiguum, penes quod altare conduci solent Missæ ab his, qui vota sua servo Dei beato Simoni nuncupant : et istæ

Missæ

A Missæ dicuntur ordinarie de sanctissima Trinitate; in ipso autem die felicis transitus sui Missa de eadem sanctissima Trinitate quotannis solenniter decantatur, concurrente undique populo ad vota sua Servo Dei reddenda: qui mos invaluit ab immemorabili tempore, hoc est ab ejusdem Servi Dei ad hunc locum translatione, quæ accidit anno MCCCCLXXXVII, ut ex Brevi Apostolico, de quo supra, colligitur, et fama publica constansque Patrum loci traditio confirmat.

...pu vicina recensentur.

14 *Denique curiosa ejusdem tumuli descriptio ita concluditur:* Insuper visuntur ad eumdem locum sepulcri variæ et multiplices tabellæ votivæ, tam ex argento quam ligno et cera effiguratæ; argenteæque deprehensæ sunt pro nunc *(scilicet anno* 1640) centum quadraginta quatuor, exceptis aliis votis dissimili forma effigiatis. Dicuntur vero fuisse multo plures, sed sunt conflatæ in crucem magnam argenteam, quæ pro tunc fuit exhibita. Ne autem similes tabulæ amplius quoquo modo conflentur, serio Patribus loci inhibitum et injunctum est: et ad eumdem B effectum omnes, quæ nunc exstant, isto ordine recensitæ et specificatæ sunt. *Hic longo ordine sigillatim enumerantur centum quadraginta quatuor anathemata argentea, in quorum inscriptionibus plurimæ prodigiosæ sanationes explicantur, quas postea cum aliis colligemus. Post hanc anathematum enumerationem, nomina eorum, qui juridicæ huic visitationi interfuerunt, indicantur hac clausula.* Acta sunt hæc anno, die, mense et loco, quibus supra; præsentibus reverendis, venerabilibus et nobilibus Christophoro Plaza, parocho in villa Tezenier diœcesis Cracoviensis, Gregorio Mazerowic, præbendario sanctæ Crucis in ecclesia cathedrali Cracoviensi. Jacobo Sowelski ecclesiæ cathedralis Cracoviensis psalterista: Sebastiano Dobrowski, Stanislao Manciowski, Vincentio Rathiniski testibus ad præmissa. Ita est; Laurentius Starczeuski cantor Cracoviæ commissarius manu propria. Nicolaus Skarseuski canonicus Cracoviensis manu propria. Nicolaus Oborski canonicus Cracoviensis, manu propria. Laurentius Karinski I. V. professor, manu propria. Joannes Chrysostomus Bodzenta C causæ præsentis Notarius, manu propria.

...llius reliquiæ,

15 *Viri jam memorati, testante eodem notario, post lustratum* B. Simonis *sepulcrum, etiam* ad sacristiam interiorem, circa dictam ecclesiam PP. Bernardinorum *(sic passim in Polonia appellantur Minoritæ)* in Stradom sitam descenderunt, ibidemque viderunt et reviderunt primo vestem seu pallium grisei panni, serico rubro undequaque circumsutum; secundo chordam seu cingulum regularem, argenteo ductili seu filato artificiose coopertum; tertio cingulum, quo in S. Missæ sacrificio usus est, quæ omnia in una eademque theca seu scriniolo occluso ibidem asservantur, et variis infirmitatibus gravatis, ab immemorabili tempore multoties adhiberi perhibentur; quarto manuscriptum Beati ejusdem librum in theologia et sermonibus variis, qui a paucis legi potest. Hinc ad ambitum Conventus prædicti descendentes viderunt quinto puteum profundum, manibus ejusdem Sancti, ut dicitur, effossum, contiguum ecclesiæ; ad quem in variis infirmitatibus accedunt Christi fideles, et, ut constanter perhibetur, sanantur multi illorum et consolationem recipiunt; ad latus vero hujus putei est effigies depicta ejusdem Beati, dictum puteum fodientis, cum inscriptione tali: B. LIPNICIUS SIMON CONDITOR FONTIS HUJUS, QUI PERENNEM SIMULQUE PROFICUAM OMNIBUS CUM FIDE ACCEDENTIBUS PROPINAT AQUAM. *Nescio, an de eodem puteo (fons enim appellatur) intelligendum sit, quod anno* 1724 *ex Polonia ad me perscribitur his verbis:* Sciendum denique, penes sacellum in angulo, ubi nunc requiescunt ossa beati patris Simonis de Lipnica, esse fontem, quem idem beatus Pater suis propriis manibus elaboravit, cujus saluberrima aqua frigidissima et cristallo clarior potantibus et bibentibus, intervenientibus meritis, sanitatem præstat; super quem fontem ad latus in muro depicta est ejusdem Patris imago genuflectentis et devotissime orantis, cum hac inscriptione:

AUCTORE G. C.

Optatam vobis homines propino salutem,
Undam, quam tribuit rex Deus ipse poli.
Hunc fontem digiti manuum fecere mearum
Omnibus ut prosit, vivere sitque diu. E

domus natalis,

16 *Sunt præterea in oppido Lipnicensi quædam monumenta, ad* B. Simonis *gloriam spectantia, de quibus Joannes Bonilowski, in causa Beatificationis ad perhibendum testimonium juridice requisitus, ita testatur:* In loco, in quo natus perhibetur et pro certo scitur is idem beatus Simon, fuit ante pauca tempora domus, quam simul cum alia vicina Illustrissimus Dominus Stanislaus comes in Wisnic Lubomirski modernus Palatinus Cracoviensis sumptu proprio coemit et demolivit, et in loco præfato pro honore ejusdem Beati capellam ex muro vult exstruere, jamque lapides, cœmentum et materiam paravit, in dies muraturus, idque motu et instantia serenissimi Vladislai quarti regis Poloniæ moderni, qui prædictum Beatum vidit exercitum suum adjuvantem in quodam bello, annis superioribus gesto. *De natali* B. Simonis *domo in sacellum commutata etiam meminit Ludovicus Skrobkovicius in Actis postmodum exhibendis num.* 4.

et imagines in honore habentur.

17 *Idem Joannes Bonilowski, octavus testis in causa Beatificationis juridice interrogatus, asseruit sequentia:* In eodem loco circa cellarium dirutum, ubi hic Sanctus fertur fuisse natus, F noctu sæpius lumen a custodibus civitatis videri solet, tribus custodibus id ipsum fide dignis et juratis audivi: et nunc ante unam septimanam quidam juvenis vidit lumen noctu ad auroram ibidem. Item deposuit, quod in eodem loco in unam foveam congregantur aquæ pluviales, quas omnes penitus oppidani et vicini villani sumunt quotidie pro variis languoribus, tam humanis quam suorum animalium; oculos lavant, bibunt, et sanantur, adjuvanturque. *Gregorius Pytko, undecimus testis in causa Beatificationis interrogatus de imaginibus Servi Dei respondit:* Imagines, quas dixi supra, imprimis vidi hic in ecclesia in mausoleo ex lapide efformatam, et aliquot alias infra incrustationes sepulcri, tum et circa puteum ab eodem Beato effossum; secundo vidi in porta civitatis Casimiriensis; tertio in oppido Lipnica plurimas, duas in ecclesia nostra parochiali in tela depictas, unam antiquam ante annos credo quinquaginta depictam in capella sanctissimi Rosarii, et aliam novam a quodam presbytero ex Lipnica

AUCTORE G. C.

pnica oriundo, qui dicebatur Severinus, testamento legatam in pariete appensas : multas itidem vidi in domibus concivium meorum : nam vix aliqua domus apud nos invenitur, in qua idem beatus servus Dei Simon non fuerit depictus : habent enim omnes oppidani, tamquam ad conterraneum suum, specialem devotionem, et ego in domo mea antiquitus illius imaginem habeo. *At cum hic imaginum mentio occurrat, effigiem beati* Simonis, *Actis ejus præfixam, æri incidi curavi. Utrum hæc sit vera beati Viri effigies, judicent illi, qui eam umquam viderunt. Saltem sculptor exemplar Brunsbergense imitatus est. En ipsam hic redditam.*



B. SIMON DE LIPNICA *Ordinis Minorum de Observantia Craconiæ apud S. Bernardinum in Stradom, miraculis clarus obiit Anno Dñi* 1482

C

§ III. Beati Simonis elogia ex diversis scriptoribus collecta.

Varii scriptores de gestis B. Simonis meminerunt.

Ludovicus Skrobkovicius, ante Vitam B. Simonis *a se editam, texuit catalogum auctorum, qui de ejus gestis et miraculis meminerunt, inter quos alphabetico prænominum ordine enumerantur sequentes : Abraham Bzovius, Adamus Opatovius, Adamus Miecznibowski, Andreas Gronowski, Augustinus Culsius, Christophorus Przeworscensis, Gregorius Samboritanus, Franciscus Gonzaga, Joannes de Komorow, Jannes de Fulstin, Joannes Foxius, Martinus Cromerus episcopus Warmiensis, Martinus Bielski, Martinus Baronius, Matthias Miechovita, Matthias Ubiszewski, Matthæus de Warszawa, Nicolaus de Sokolniki, Præclaus Moiecki, Severinus Cracoviensis Ordinis Prædicatorum, Simon Starovolscius, et post topographiam monasteriorum Ordinis S. Francisci in provincia Polonica, Vincentius Marowski. Hisce ego addo Benignum Fremaut Belgam, qui Vitas Sanctorum, Beatorum, ac venerabilium Ordinis S. Francisci in duodecim tomos juxta seriem mensium distribuit, ac non ita pridem Flandrice edidit; in quo opere ad diem* XVIII *Julii gesta et miracula quædam* B. Simonis *breviter collegit. Ex quibusdam scriptoribus jam recensitis aliqua ad* B. Simonis *laudem pertinentia excerpemus.* D

ex quorum libris impressis.

19 *Primus ordine temporis, et beato Viro coævus, est Matthias Michoviensis, ita a patria cognominatus, qui, ex medico Sigismundi I Poloniæ regis factus canonicus Cracoviensis, sic scribit in Chronica Polonorum lib.* IV, *cap.* LXXIII : Eodem anno *(id est* 1482 *quando dies decima octava Julii incidit in diem Jovis, ut supra dixi)* pater Simon, ex oppido Lipnicza natus, Frater Minorum, prædicator gloriosus et fervidus, peste quinto decimo Kalendas Augusti, die Jovis, decima octava Julii, quæ fuit dies sancti Arnolphi, mortuus est, in choro ecclesiæ sancti Bernardini in Stradomya per Fratres tumulatus. Sed cum miraculis coruscaret, a Fratribus honorifice in corpus ecclesiæ ad sinistram partem translatus et conditus est; cujus epitaphium unum est hoc : Lipnicius jacet hic *etc. Tunc sequuntur versiculi, quos num.* 12 *dedimus. Huic synchronus aut certe suppar est Nicolaus Sokolnikius, de quo paragrapho sequenti plura dicemus. Hic duobus ætate proximus est Martinus Camerus episcopus Warmiensis, qui res gestas Polonorum triginta libris complexus, in duplici editione Basileensi lib.* XXIX *de beato Viro ita loquitur :* Anno dehinc tertio *(in margine utriusque editionis notatur annus* 1482) ad medium mensis Junii pestis atrox ex Ungaria proserpens, Cracoviam cunctamque Minorem Poloniam invasit ; sequenti vero anno Majorem quoque Poloniam, Mazoviam, et Prussiam ac Bohemiam quoque pervasit, et plurimos mortales absumpsit, inter quos insignis fuit Simon Lipniciensis, ecclesiastes disertus, Bernardini sodalitii ad meridianam portam Cracoviæ degentis, homo plebeius quidem et obscuro loco natus, sed probitate et sanctimonia vitæ clarus, ita ut ægroti complures ad sepulcrum ejus pristinæ sanitati restituti esse memorentur. *Eadem fere habet Abrahamus Bzovius in Annalibus Ecclesiasticis tomo* XVIII *ad annum Christi* 1482. E

aliqua honorifica.

20 *Matthias de Obostow Strykowski canonicus Samogitiensis in Chronicis de regno Poloniæ et statu Litwaniæ, Samogitiæ ac aliis Polonorum principatibus lib.* XX, *cap.* V, *et Bernardus Wapowski cantor ecclesiæ cathedralis Cracoviensis in Chronicis pag.* 251, *aliique, in causa immemorabilis cultus citati, similia habent. Sed nomina auctorum illic nonnihil mutata leguntur : ego Ms., ex Polonia ad me missum, in iis exprimendis secutus sum. Imo Martinus Bielski historicus Polonus, qui Lutherana hæresi infectus fuisse fertur (ab hæreseos labe Joachimus ejus filius, paterni studii heres illum purgare nititur) in historia Polonico idiomate conscripta lib.* IV *de Beato nostro profert sequentia :* Anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo primo grassabatur atrox pestis Poloniæ ubique, quæ etiam durabat anno sequenti : originem ab Ungaris sumpserat. Secundo anno pestis obiit Simon de Lipnica Ordinis Bernardinici, vir optimæ vitæ ; inde pro Sancto habetur, et fiunt miracula ad ejus sepulcrum. *Versio ejusdem textus in Ms. nostro Polonico sic habet :* Anno Domini MCCCCLXXXVI erat magna pestis in Polonia F

AUCTORE G. C.

A lonia allata, et altero anno ex Ungaria; in qua peste mortuus est Simon de Lipnica Ordinis S. Bernardini, homo bonæ vitæ : ideo illum etiam pro Sancto tenent, et ad ejus sepulcrum magnam devotionem exhibent. *Honorificum enimvero testimonium, si ab homine hæretico profectum sit.*

testimonia referuntur.

21 *Franciscus Gonzaga Ordinis Minorum Minister Generalis, ac deinde post alias cathedras episcopus Mantuanus, in suo opere de Origine seraphicæ Religionis part.* II, *pag.* 464 *beatum Virum hoc ornat elogio :* Pater Simon a Lipnicza *fuit* pudicissimus, humillimus, abstinentissimus, atque dulcissimi nominis Jesu admirabilis cultor et prædicator, cujus gratia, uti alter beatus pater Bernardinus de Senis, cavillationes et imposturas perpeti meruit. Hic venerabilis Pater Hierosolymam peregrinationis causa petiturus, Franciscanam regulam, cujus zelantissimus fuit, memoriter didicit, ut si forte manuscriptam, quam secum semper habebat, sæpiusque lectitabat, sibi a Saracenis auferri contingeret, altera in memoria sculpta superesset, ad quam tamquam ad lydium
B lapidem suas actiones probaret. Mortuus tandem miraculis coruscare cœpit : nam juvenem sibi ex voto oblatum, et mortis amaræ faucibus erutum sanitati restituit; et puellam a nolente patre casu occisam, atque ejus sepulcro expositam, ad vitam revocavit. Plura alia beneficia, quæ omnia libello manuscripto commendata sunt, Cracoviensibus præstitit : quibus ejus sepulcrum ante summum hujus sacræ ædis *(agit de Cracoviensi S. Bernardini conventu)* altare situm, commendatissimum est.

et præter carmen ad ejus laudem compositum,

22 *Jacobus Vitellius, Regius et Tylicianus in academia Cracoviensi professor, et Canonicus S. Annæ celebravit laudes* B. Simonis *Lipnicensis sequenti carmine Sapphico :*

Sidus Arctoo rutilans in orbe,
Lechiæ gentis decus, Ordinisque,
Qua patet, sancti columen Minorum, et
Gloria fragrans.

Dive te Simon veneror, precorque,
Ut tui jucunda favoris aura,
Mi canenti aspiret, et inscienti
Verba ministret.

C Tu procellosi fera monstra mundi,
Fulminantes atque acies averni
Cautus evitans, modo tecta Divum
Magna pererras.

Non satu humano, prope cælo ab ipso
Editum credo; tibi cum tenello
Cælitum concordibus adfuere
Numina votis.

Primo ab exortu, velut alter ille
Natus Alcmena, geminos chelydros,
Carnis et mundi illecebras, potenti
Comprimis ausu.

Ordini mox seraphico, daturus
Inclytum vitæ specimen, venuste
Ceu virens planta insereris Deorum
Læta propago.

Quid loquar? Sanctæ probitatis illa
Tam cito augmentata approperata, cursu
Atque inoffenso superata vitæ
Magna pericla.

Inter astrorum faculas minores
Qualis exsurgit Phaëton, renidens
Aureo vultu, populisque lucem
Vibrat amœnam.

Eminet qualis cyparissus alto
Arduus Pindo, caput atque celsas
Porgit ad nubes, humilesque myrtos
Anteit omnes.

Qualis aut florum rosa principissa
Late odoratis revirescit hortis
Purpura et Pæsti veluti superbo
Murice candet :

Inter humanos homo Sancte cœtus
Talis egisti; auricomus velut sol
Moribus splendens, et odore grato
Cinnama vincens.

Necdum eras hoc corporis exsolutus
Carcere, et necdum statione fida,
Quam timor nullus quateret, neque orci
Vis inimica.

Angelo par æthereo fuisti
Labis et noxæ inscius, atque totus
Fons ut illimis, nihil inquinatum
Corde volutans.

Ad tua extemplo veneranda jussa
Corpore humano rabidi dolores
Exeunt, tamquam ipse Machaön omnes
Arte fugaret.

Nunc tuos functi cineres rebellis E
Orcus horrescit, stygiique ad imum,
Ut jubes, parens, abeunt, cerastæ
Corpora linquunt.

Nulla vis quemquam, mala nulla vexant,
Anxius postquam prece supplicanti
Rebus afflictis relevamen a te
Sancte reposcit :

Mox salutarem sibi præsto adesse
Dexteram sentit, stupet et favorem
Tam cito aspirasse tuum, libensque
Vota reponit.

Ob tuas, sanctissime Vir, medelas
Indigis semper quibus adfuisti,
Et gravi afflictos relevas vocatus
Fasce malorum.

Dignus ornari omnibus in triumphis,
Laudibus dignus celebrari, et ore
Omnium dici Lechiæ Patronus
Præsidiumque.

Poscimus nostri tibi cura numquam
Dive discedat, ferus ex utroque
Mundus atque orcus latere instat, urget
Nocte dieque.

Dive tu nobis solito benignus F
Rebus extremis ut adesse, opemque
Vindicem præstare velis precamur
Supplice voto.

Thure te sacro venerabimur, mox
Supplices fusi ad cinerem beatum
Seculo narrabimus, æternæ ævi
Posteritati.

Quod tua dextra prope funerati,
Casibus vitæ variis reducti,
Rursus ad sortem meliorem et aucti
Sospite vita.

etiam libri Mss. citantur.

23 *Hactenus produximus auctores typis excusos; nec tamen desunt in Polonia libri manuscripti, qui* B. Simonem *meritis laudibus ornant, quique in causa Beatificationis pag.* 52 *recensentur hoc ordine :* Reverendus ac religiosus pater frater Ludovicus Skrobkowiz, procurator principalis causæ cum sufficienti mandato juxta exigentiam termini hodierni, legitime alias in actu superiori assignati et præfixi, ad deducendum immemorabilem cultum et venerationem B. servi Dei Simonis, certa monumenta et libros antiquos variorum historiographorum,

AUCTORE G. C.

riographorum, tam manuscriptos quam impressos, in quibus fit mentio beati Servi Dei, Dominis judicibus præsentavit et obtulit, et ex illis quæ faciunt processum, desumi et hic ingeri debita cum instantia postulavit. Et primo præsentavit librum reverendi olim patris Nicolai de Sokolniki manuscriptum antiquum et ob vetustatem vix legibilem, qui liber in sacristia asservatur. Secundo librum similiter manuscriptum antiquum cujus titulus : De situ, fundatione et divisione provinciæ. Tertio librum reverendi patris Joannis de Komorowo, veteri et antiquo charactere conscriptum, cujus titulus incipit : Breve memoriale Ordinis Fratrum Minorum, maxime Rectorum ipsius Ordinis. Quarto librum itidem manuscriptum, cujus titulus : Hortulus funebralis Fratrum et benefactorum loci Cracoviensis. Quinto librum etiam manuscriptum sic intitulatum : Catalogus Fratrum in loco sancti Bernardini apud Cracoviam, qui a tempore fundationis obdormierunt in Domino Jesu Christo. *Deinde sequuntur ex singulis Mss. libris elogia, quæ brevitatis causa*
B *omitto, et transeo ad scriptores, qui ex professo, ut aiunt, gesta et miracula beati Viri posteris reliquerunt.*

§ IV. Beati Acta et miracula.

Alius prolixioris Vitæ auctoribus.

Inter eos, qui fusius B. Simonis *Vitam conscripserunt, numeratur Hieronymus Kakorosky Minorita, de quo Waddingus in Annalibus tomo* VII *ad annum Christi* 1483 *num.* 14 *ita testatur :* Omnibus diffusius et exactius Acta ejus *(videlicet Simonis Lipnicensis)* collegit Frater Hieronymus Kakoroski, provinciæ Russiæ vir doctus, et sedulus indagator monumentorum suæ religionis et nationis, cujus curæ et labori fateor me plurimum debere in iis, quæ ad sodalitium nostrum in illa spectant regione. *Libenter hunc scriptorem consuluissem, sed eum apud Minoritas Polonos et Belgas hactenus frustra quæsivi. Vicem igitur illius supplere debebit alter ex eodem sacro Ordine scriptor, de quo Waddingus in Annalibus loco proxime citato ita loquitur :* Exacte
C et studiose vitam totam descripsit, et quæ scire potuit, celebriora conscripsit miracula, Frater Ludovicus Skrobkovicius, ex canonico Visliciensi et cantore Tornaviensi, Minorita. Testimonio Nicolai episcopi Warmiensis digne commendata prodiit Brunsbergæ anno MDCXXXVI typis Gasparis Weingartneri. *Hæc Acta, olim ad Bollandum missa, post hunc Commentarium recudemus. Prætermitto Adamum Miecznikowski Minoritam, Matthiam Ubiszewski clericum Posnaniensem, aliosque, qui ineunte sæculo decimo septimo Acta et miracula* B. Simonis, *tum Latine tum Polonice, typis ediderunt.*

antiquior est Nicolaus Sokolnikius, qui Actorum texuit compendium.

25 *Scriptoribus numero præcedenti me oratis antiquior et* B. Simoni *synchronus est Nicolaus Sokolnikius, qui breviter quidem sancti Viri gesta litteris mandavit, sed fuse et accurate plurima illius miracula collegit, quæ R. P. Dominico Zatorskio, dignissimo Minoritarum Cracoviensium Guardiano accepta refero : cum enim intelligerem manuscriptum præfati Sokolnikii librum Cracoviæ in conventu S. Bernardini in Stradom conservari, atque hunc thesaurum absconditum prælo dignum judicarem, anno* 1724 *scripsi ad R. P. Guardianum Cracoviensem, petii-* D
que, ut ad illustrandam ac propagandam B. Simo*nis gloriam mihi ecgraphum istius libri procurare dignaretur. Is erat tunc R. P. Dominicus Zatorski, qui statim litteris meis humanissime respondit, seseque desiderio meo satisfacturum pollicitus est. Promissis stetit vir sedulus, et post paucos menses ad me liberaliter transmisit petitum libri ecgraphum, cui etiam addidit recentiora miracula, quæ omnia in ordinem digesta post* B. Simonis *Vitam typis vulgabimus. Sed ut lector prius ætatem ac fidem Nicolai Sokolnikii noverit, elogium illius describo* ex libro vetustissimo *(ita appellatur in manuscripto Cracoviensi) qui fol. 24 verso ita habet :* Pater Nicolaus Sokolniki, prædicator ferventissimus, populo ultra modum acceptissimus, sanctæ Annæ devotus famulus, ad eamque honorandam in quolibet sermone populum incitabat ; sicque ipsius monitis sacris capella turmis hominum decorabatur feriis tertiis : quapropter etiam feria tertia, veluti ipsius devotus, obdormivit in Domino MDXXII. Sepelitur ipso die undecim millium Virginum cum magno planctu totius civitatis : nam apud eos sanctus reputabatur. Hic pater Nicolaus Sokol- E
niki erat scriptor seu collector miraculorum beati Simonis Lipnicii, ut testatur liber miraculorum beati Simonis, antiquissimo calamo manus, qui est in archivio conventus Cracoviensis. *Eadem plane habet causa Beatificationis pag.* 55.

in quo post prologum,

26 *Juvat huic Commentario inserere compendiosam* B. Simonis *Vitam, quam Nicolaus Sokolnikius miraculis a se collectis ita præfixit :* Suffragatus summi largiflua Conditoris benignitate atque Matre mihi Virgine favente, vellem in præsentiarum nonnulla meritorum suffragia fidelis servi, Christique strenui militis, almi patris nostri Simonis Lipnicensis, in Dei creaturas liberaliter ac ubertim exhibita commemorando subnectere, nostra nihilominus ceterorumque imposterum legentium seu audientium devotione in eum suscitanda : et ne mens titubantium pusillanimis quorumdam aliquamdiu mussitans languescat, sanctitatis ejusce incredula, contra ipsos et ipse Salvator invehens dixit : Nisi signa et prodigia videritis, non creditis, haud incongrua verba
F Prophetæ censui proferenda themati in hunc modum jam dudum proloquentis : Filii hominum scitote, quia Dominus sanctum suum mirificavit, quatenus quoque suos imbecilles talibus visis in Dei laudem ferventiorem et amorem valentius submoveamus, qui taliter suos veros perhonorans, et fideles servos magnificat, qui pro ipsius amore se ipsos contemnentes, humiliter aliis se dirigendos submittant, viventes in simplicitate, mundumque ac ejus fallacem deserentes vanitatem, in Deum se transformant unibili charitate : sed et hostis antiqui truculentam collidentes ferocitatem, nec non ipsius venenatam calcantes calliditatem, scuto timoris Domini, ejusque succincti pietate ipsum devincunt, angelica pollentes honestate.

narrat ejus mortificationem,

27 Quod sane in Viro isto beato, de quo nostra principalis versatur intentio, luculentissime comperiri singulariter potest : hic etenim mente sedula illud Apocalypsis revolvens : Qui, inquit, vicerit hæc sibi prædicta, puta seipsum, mundum, et diabolum, dabo ei coronam vitæ : pro viribus nisus est, ut

A ut in omnibus suæ salutis procurator, ac suæ carnis victor existens, exemplo Sanctorum omnipotenti Deo semper placere studeret omnimode; nec falsos curabat applausus, nec tempestatum procellosas pavebat auras: sed anchora spei suffultus, directe sub mundi hujus pelago navigans, ad portum patriæ cælestis tutissimus anhelabat, et virgineum florem nivei candoris, suarum ab ineunte fasciarum ætate in finem usque integre retinens, Virgini Mariæ Matri summæ pietatis semper obsequentissimus, quam sibi amasiam (fœtida spreta) delegerat. Nedum in claustro, verum etiam in seculo solitas intentissime persolvebat devotiones, carnem cum concupiscentiis edomans vigiliis, jejuniis, ceterisque castigationibus sive rigidis mortificationibus spiritui servire cogebat. Orationibus divinis ac contemplationibus vacans, sacrisque lectionibus ac meditationibus insistens, librum de manibus non dimittebat: ubi vero in his languescere videbatur, ad manuales pergebat labores: nam vel ligna scindebat, vel lateres faciebat, nonnumquam B etiam cloacam fœtentem purgabat, et reliqua humilia et despecta non reveritus exercebat officia, mortifera devitans otia. Si denique eidem dicebatur, ut quandoque requiem fesso præberet corpusculo, respondebat: In monumento ossibus, inquit, collectis requiem diuturnam dabo.

...modum, 28 Hic etiam Religionis nostræ primicerius præfulgidus observantiam sacrosanctæ Religionis divi Francisci patris nostri seraphici nimium zelabat, ipsam ædificans et augens monitis salutaribus et exemplis quantumcumque potuit. Honores quosque fugiebat maxime, ut humilitatis custos sanctissimæ. Si vero, obedientia adstrictus salutari, quandoque præficiebatur Fratribus, nullatenus exinde a recto justitiæ tramite sive humilitatis pristinæ utcumque digrediens; vitiosos, si quos reperire poterat, sufficienti præhabita maturitate, paternaliter punivit; stantes autem, et de limitibus regularitatis non exorbitantes, benigne et favorabiliter confortabat; nempe morem persectatus pastoris, C gregem sibi vigilantissime circumspectans commissum a morsibus teterrimarum solicite defendebat bestiarum.

...anima ...rum, 29 Sed et vires corporis et animæ pro salute incolarum libens exponebat, animarum zelotypia succensus eorum, ne videlicet tam nobilis creatura, imagine Dei insignita et Christi pretioso sanguine redempta, aliquatenus tetris obvoluta criminibus, nobili et amabili sponso suo Christo Jesu redderetur detestabilis: unde verbi Dei pabulo ferventissimus reficiebat eamdem sedulo, et revera dicam, immersas tartareis fontibus animas cælo reddidit per vitæ emendationem, quorum quidem multi Religiosi effecti, quorum nonnulli cohærentes ipsius habitui adhuc exstant vivi; quidam autem pœnitentiam agebant sub habitu seculari sive alterius cœnobii, corde compuncti ex ejus admirandis prædicationum eloquiis, imo etiam divinis sacrorum morum exemplis, quibus optime refulsit: quippe tanta verbi Dei gratia superefluebat, quod non modo materias in fide notas, sed etiam nonnullos sacræ Paginæ articulos, apud plerosque doctos admodum difficiles, verbis limatis ac plenis non minus devotis quam ignitis sic lucidissime accuratissimeque decidebat, ut nedum ad vulgaribus dumtaxat populis et potentibus, verum etiam ab egregiis sapidus redderetur doctoribus, quod sermoni capiebat affectuose intentos. Sed nec hos aut alios divinus iste Præco utcumque veritus, quin potius spiculo veritatis ancipiti corda omnium æqua lance feriebat intrepidus, ex his utique vepres resecans scelerum et semina retundens vitiorum virulenta, inserebat germina virtutum, in quibus sane Deus et ipse Dei coæternus Filius Christus Jesus sitibundus pascitur, delectatur. Perfluebant sane saxosa plurium et arida corda in guttas lacrymarum uberes, imbre completa cælesti ab Simonis ore sacro in eos manante, ac ipsa quoque carnalia seu mundialia, in promptu demutata, Christo reddebantur firma charitate unita. *AUCTORE G. C.*

30 Ceteras vero illius virtutes ac merita singularia quis dinumeret aut explicet? Nemo profecto: sola pia mens eadem facile de paucis jam prætactis multa veridice poterit elicere. Quæ ad præsens breviter et succinctim perstringuntur, dealibi legenda diffusius videri possunt. Id tamen potissimum insigne humilitatis nequaquam silentio prætereundum censui, quandoquidem in hac summopere superstes fundatus exstiterit; novissime vero limitibus exulatus sui advolutus, Fratrem sui circumspectorem non modo instanter quam devote sepeliendum se deprecatus est sub limine præ foribus ecclesiæ. Nec abs re id profecto, ut qui in vita respectu ceterorum pulverem se æstimabat exiguum, in morte quoque fieret calcaneus eorumdem. Domino vero ordinante, qui suos humiles, semper exaltare pollicitus est, secus evenit ab ejus voto sive desiderio, sed potius non sine ejusce ingenti præconio: Frater enim ille promissum, quod pollicitus erat implendum, e memoria penitus habens dilapsum, ipso jam ex hac sublato tempestate, non tam cito menti reduxerat, donec videlicet alia foderetur fossata eidem. *aliasque virtutes,* E

31 Fide igitur plenus, lingua disertus, fama celebrandus, sermone acceptissimus, scientia tum humana tumque divina superabunde eruditus, gradu utique pompa seculi etiam pollens baccalaureatus in artibus, morum lenitate circumornatus, conversatione honestus, spiritu jucundus, consilio præclarus, charitate venustus, salutis omnium sitibundus, ceteris ac salutaribus virtutum opimis exuberans prærogativis, finito memorabili sermoneque egregio celeberrimæ Octavæ Visitationis Mariæ suæ zelotissæ, visitatus et ipse a Domino, ulcere pestilentico torquetur acerrime supra scapulam sinistræ manus; cui nempe tanta inerat feritas [ut] quod quidem de carne illius uno die rubrum visum erat, altero denuo superveniente consumptum ab igne ulceris nigrefiebat. Eo itaque in eum magis ac magis dietim vigescente, sexto die sui decubitus solvens vitæ debitum mortalis, terminum conclusit exiliatæ carnis, assumptusque e medio felix iste Domini Servus super pauca sibi talenta commissa fidelis, pergit super multa jam in ævum constituendus, pro suisque laborum repræmiandus conatibus ex tunc condigne, *et piam mortem.* F

AUCTORE G. C.

digne, anno salutis millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo sub die quinto decimo Kalendarum Augusti, sive feria quinta in crastino S. Alexii hora quasi decima ultra citra; atque eodem in ecclesia S. Bernardini penes Cracoviam, ubi pro tunc prædicationis explebat injunctum officium, corpus ipsius, omni veneratione dignum, ante majus altare præfatæ ecclesiæ contra medium, inter duos alios Fratres merito certe præfulgidos, Fratrem videlicet Timotheum de Sylvano ex una, et Fratrem Bernardinum de Zarnowiec partibus ex altera, terræ extitit (licet incongrue) commendatum.

ac denique miracula,

32 *Nicolaus Sokolnikius huic Actorum synopsi subnectit miracula, quæ post* B. Simonis *mortem tam crebra tamque prodigiosa fuerunt, ut beatus ille Vir, aliis nationibus pene ignotus, merito thaumaturgus Poloniæ appellari possit. Ea quidem R. P. Dominicus Zatorskius summo labore et pulcro charactere describi curavit ex Ms., quod in conventu S. Bernardini prope Cracoviam asservatur; sed incuria aut ignorantia amanuensium, qui forte autographum non* B *satis commode poterant legere, tot sensus obscuri, vitiosi et mutili in apographum nostrum irrepserunt, ut eos sæpe ex conjecturis illustrare, corrigere, et implere coactus fuerim. Porro magnam miraculorum illorum copiam ordine temporis in tres partes dividemus, et singulas partes, claritatis causa, in sectiones subdistinguemus; quæ vero aliqua explicatione indigere videbuntur, in Annotatis exponemus.*

quæ una cum aliis sparsim collectis ex Ms. Cracoviensi dabimus.

33 *Cum miracula alia, quæ post Sokolnikii obitum contigerunt, non in unum librum relata, sed sparsim annotata sint, eadem ex variis instrumentis collegi, exceptis illis, quæ defectu annotationis oblivioni tradita sunt, de qua negligentia jam sæpe laudatus Zatorskius merito conqueritur. Non enim nostra ætate prodigiosum* B. Simonis *patrocinium defuit afflictis, opem illius implorantibus, ut conjici potest ex posterioribus miraculis, quorum notitiam officiosæ R. P. Zatorskii diligentiæ me debere libenter fateor. Imo neque hodiedum cessant benefica ejusdem Beati prodigia, sicut idem Zatorskius in litteris, anno* 1724 *die* XXVII *Junii Cracovia ad me datis, testatur hoc modo:* Hodie in expeditione epistolæ de pago Wieliezka, C ubi thesaurus regni est, scilicet salis, missa sunt cum devotione quatuor vota argentea, in vim gratitudinis ei, cujus precibus uni oculorum sanitatem, alteri insaniam capitis et aliorum membrorum, duobus quoque aliis illico Deus sanitatem restituit. Alia miracula his diebus succedentia vix enumerata: ideo si cuncta scriberentur, nec charta sufficeret. *Deinde idem vir diligentissimus* XXII *Julii ejusdem anni inter alia sic iterum scribit:* Modernam B. Simonis solennitatem magno cum applausu tota absolvit et venerata est Cracovia; ad cujus altare alii quatuor, quibus eo intercedente visus redditus est, affixerunt vota argentea quatuor adinstar oculorum efformata. Ut concludam, sæpe cæci vident, ægroti surgunt, et plurima missa sunt. *Jam nil restat, nisi ut* B. Simonis *Acta et miracula, hactenus solis Polonis fere nota, toti orbi Christiano manifestemus.*

D

VITA

Auctore Ludovico Strobkovicio Ordinis Minorum Polono.

Ex libello impresso Brunsbergæ in Prussia regali anno 1636.

PROLOGUS.

Cum Deus velit Sanctos honorari,

Prodigia cælestis Regis vel hic eminet liberalitas, quod cum sit mirabilis in majestate sua, vult et in Sanctis suis apparere gloriosus: non quo plus innotescat, qui sibi sufficiens est ad omnem magnificentiam, sed ut cum electis, quod suum est, commune faciat. Quærit itaque passim in Sanctis gloriam, ne solus tantum habeat, eosque non E solum cælo sublimes, incircumscriptæ felicitatis perfundi dulcedine, sed apud populos quoque amplioribus semper posthumæ laudis splendoribus attolli gaudet; ipsis denique cineribus, quibus tamquam organis et vasis usus est ad omnia opera bona Spiritus sanctus, publicæ venerationis innocens tributum ab Ecclesia militante decerni mandat: Vere dives in omnes qui invocant illum.

et B. Simon Lipnicius publicam populi venerationem habeat,

2 Ab hoc fonte ortum habet servi Dei D. Simonis de Lipnica, Ordinis Minorum de Observantia, religiosior per omnes late patentis Septemtrionis ecclesias cultus, qui ab ejus statim felici transitu, id est ab annis plus centum quinquaginta, non populorum dumtaxat publico sensu ac voce, sed et utili multis pietate ad nos usque propagatus, lætioribus indies assurgere dignoscitur incrementis. Crescentibus enim donis, quæ meritis et suffragio cælestis Viri, et numero prope infinita et successibus non tam admiranda quam stupenda de cælo quotidie veniunt, F par est, ut crescant quoque donorum rationes. Sane si æque superioris atque hujus seculi fidem circa idipsum pietatemve exploremus, fere omnes in ejus laudibus defixi hæserunt. Loquuntur hoc, muta licet per naturam, tot ad ejus mausoleum in sensus omnium incurrentia anathemata; non dissimulant ævi utriusque scriptores, exceptione omni majores, quorum nullus res Polonas attigit, quin simul in eodem Servo Dei, pro merito celebrando pius juxta atque disertus esse contenderit.

inductus fuit auctor ad colligendam ejus Vitam.

3 Unde mihi quoque ardor primum, deinde audacia, quæ illi sparsim in suis Annalibus adnotarunt, in ordinem cogere. Non quod ambitioso præconio efferre propositum sit mihi eum, qui jam altior humana conditione, omnem dicendi transcendit facultatem, sed ut in una charta liberam magnarum virtutum ipsius et prodigiorum admirationem omnibus relinquam. Et jam operi, quia Superiorum urget authoritas, manum admoveo, non tamquam laudator, sed breve dumtaxat indicium daturus eorum, quæ in glorioso Servo Dei admiranda,

A miranda, sive veterum historiographorum commendavit industria, sive recentiorum per ipsum beneficiorum portentosa magnitudo confirmat. Utque ab ortu Servi Dei nostra quoque narratio sumat exordium.

Caput I. *B. Simonis patria, parentes, studia, et ingressus in religionem.*

...mon honestis parentibus ...pido Lipnica natus,

Ipsa agnominis simplex usurpatio, prodit solum natale D. Simonis, nempe oppidum Lipnica, unum ex Submontanis, septem leucarum intervallo Cracovia procul. Ibi Servus Dei, honestis, iisque potius catholicæ religionis laude quam nobilitatis prærogativa illustribus, parentibus natus et eductus. Monstratur cælestis hujus depositi primum in terris conditorium, non absque venerationis illorum incolarum præjudicio, domus scilicet paterna, dudum votis et voce populi, quæ B non immerito dicitur vox Dei, designata, nunc jam, raro piæ liberalitatis exemplo, per heroem *a* meritis in toga et sago præstantibus mansurisque gravem resolvi cœpta, ut dedicetur in delubrum. a

...ac sedulo ...ncta domi ...dia,

5 Vix autem prætextam Vir Dei induerat, mox spem et vota parentum, indole ætatem antecedente, æquavit. Jam tunc seipso quodammodo major, sibi æqualium familiares levitates, nullo deterrente, declinare; frequentare templum, nullo præeunte; magnæ Dei Matri quotidianum singularis devotionis pensum absque exemplo fideliter persolvere visus. Docile ingenium et ad bonum sponte ruens, formandum primis artium elementis circumspecti parentes in sui oppidi schola curant. Nullus illo in muniis scholæ obeundis accuratior, et facere imperata prius quam moneri iterum solers; præceptorem quidem anxia de suo profectu cura absolvit, parentum vero de se conceptam semel spem accendit magis. Quæcumque vulgus puerorum sive amata persequitur, sive negata dolet, ille aut non vidit, aut neglecta transiit. C Reficiendo a studiis corpusculo tempus arbitrio ipsius permissum ita dispensavit, ut coætaneis ad vanitates, sive nugas pueriles varie dilapsis, ille, sibi semper par, nihil indignum indole sua in moribus præ se tulerit. Unde parentibus occasio, ab hujusmodi felici tyrocinio, et prima cura, capacem ampliorum virtutum Cracoviam ablegandi.

...torum ...ad academiam Cracoviensem mittitur.

6 Erat in recenti veneratione et linguis omnium gymnasium Cracoviense, ad quod Musas et gratias, dimisso semel Helicone totiesque mutatis sedibus, novissime divertisse, non ex vano jactatum. Commendabat famæ sinceritatem exaggerata multorum eruditio, victuris voluminibus feliciter adeo repræsentata, ut arbitri ea tempestate litterarum, quantumvis ex intervallo, gauderent vices nostras; ceteris, qui in rerum paratu aut æstimatione nomini tanto impares, ad novos plausus suspensis. Ad hoc itaque eruditionis omnis pelagus, parentibus manu ducentibus, Servus Dei ubi propius accessit, non in littore ignobiles levioris argumenti materias, speciosasque plus quam eruditas, ceu conchas inanes aut cucurbitas legendo substitit; sed in ipsam abyssum reconditioris sapientiæ magno animo totum se demisit. Unde brevi robustioribus utriusque philosophiæ præsidiis satis instructus, postquam in erudito magnarum illarum animarum Areopago comparuit, non solum plausum meruit, sed et primam in bonis artibus lauream, tulit præmium. EX IMPRESSIS.

ubi concionibus S. Joannis Capistrani, *b*

7 Commodum, Deo ita ordinante, accidit, quod sub idem fere tempus B. Joannes Capistranus *b*, magnus proferendæ gloriæ Dei et paupertatis sanctissimæ zelator, omnes urbis angulos, fama nominis sui et sanctitatis opinione impleverat. Divisam is cum sancto Bernardino Senensi *c* propagandæ Observantiæ, cujus ambo fuere alteri conditores, provinciam nactus, post Austriam Bohemiamque (factus ubique multis causa salutis æternæ) peragratam, parium successuum fiducia finibus Poloniæ se intulit. Mox inusitato regis Casimiri totiusque populi plausu Cracoviæ exceptus, erigit suggestum in medio civitatis foro. Ubi prædicationi verbi Dei absque intermissione insistens (uno ex alumnis academiæ, qui officio interpretis ad populum Latini sermonis expertem defungeretur, E adhibito) piam in mentibus hominum, non bene cum cælo convenientium, exercuit tyrannidem. Palam, clam, cominus, eminus, fiebat concursus omnium ad virum verba vitæ loquentem; neque aliquis propius accessit, ut non melior rediret. *c*

inter alios excitatur ad ingrediendum Ordinem S. Francisci.

8 Gratum fuit cælo spectaculum, ad vocem unius hominis tamquam vocem ipsius Dei, undique hominum peccatorum greges confluere, et non cum vitiis solum, sed (quod levioris noxæ titulum censuramque meretur) etiam cum mundi vanitatibus densari pulchra divortia. Sane ex sola aleæ, taxillorum, globulorum lusoriorum, et similium ad pedes viri Dei ultro projectorum, promiscua congerie, tantus tunc in altum crevit acervus, ut postquam piacularem concepit ignem, non rumoribus tantum, sed trepidationi quoque causam dedisse memoretur. Nobilior vero longe flamma illa cælestis, quæ eodem pabulum verbi Dei suggerente, ejusmodi vim in circumstantium sensibus collegit, ut ex solis famosissimæ scholæ alumnis, F sive trecenti, juxta calculum Præclai Moiecii *d*, sive centum triginta dumtaxat, Petro Skarga *e* supputatore non vitia solum, sed seculum quoque deseruerint, Christum induerint, viro sancto sub iisdem legibus, quibus ipse paruit, perpetuo adhæserint. Hos fortunatos nimium transfugas B. Simon in exemplum sibi proposuit, iisque non ita multo post aggregatus, non prius oculis usurpari, quam coli ab omnibus meruit. Esse quippe jam cœperat in pretio apud omnes virtutum ipsius, cum quibus adolevit, diu latens concentus, quem claustro illatum, ubi arctiore nexu votorum religiosorum devinxit, facile omnium in se non oculos tantum, sed studia traxit. *d* *e*

ANNOTATA.

a *Is est Illustrissimus Comes in Wisnicz palatinus Russiæ, ut notabatur in margine. Vide, quæ de illo diximus in Commentario prævio num.* 16.

b *De hoc indefesso dominicæ vineæ cultore agemus*

EX IMPRESSIS.

mus ad diem XXIII *Octobris cum Martyrologio Romano.*

c *Henschenius noster Acta S. Bernardini Senensis illustravit ad diem* XX *Maii, ut videre est tom.* V *ejusdem mensis pag.* 257 *.

d *Hic a Skrobkovicio recensetur inter eos, qui* B. Simonis *sanctitatem et prodigia celebrarunt, ut diximus in Commentario prævio num.* 18.

e *Iste est scriptor e Societate nostra, cujus elogium videri potest in bibliotheca scriptorum ejusdem Societatis.*

Caput II. *Ejus fervor in oratione, amor erga Deiparam, humilitas, et castitatis custodia.*

In Religione ferventer orat,

Porro Servus Dei, parum sibi de mundo triumphare visus, quia illi corpus subduxit, nisi etiam mentem, humana pridem B fastidientem, a corpore (quantum fas) divideret, in eumque eveheret gradum, supra quem ascendi non potest, totum se in eam partem dedit. Cælestium enim contemplationi semper intentus, diei noctisque expuncto discrimine, invictum ab oratione spiritum non relaxabat. Quoties ad decantandas Dei laudes signum datum esset, nullus prior in chorum venientis, nullus posterior discedentis deprehendit vestigium. Dilapsis ad quietem Fratribus, ille perpetuas excubias agere, sive in domo Dei, sive in cella, quæ sicut paradisus Domini, ob familiare ipsius cum Deo contubernium, reliquis eminebat. Somni necessarii vix tantillum patiens, quantum ad corpusculum continuis vigiliis attenuatum, reficiendum, non recreandum, sat esset.

et Deiparam Virginem, exemplo SS. Francisci et Bernardini,

10 Ceterum secundum Deum in honorem Deiparæ fuit effusissimus. Ejus dulci alloquio plures horas devotissime impendebat, Officio vulgari benedictam utrique coronam quotidie superaddendo. In illius honorem jejunia sive sibi ipse indicebat, sive in- C dicta ab aliis producebat. Diebus nomini illius dicatis, solenne eidem asperius cilicium induere, sicut non nemini palmeum stragulum in Paschate *a*. In hoc erga Dei Matrem cultu ut multus esset, illi, qui et vitæ religiose instituendæ, fuere ipsi duces; orbis, inquam, illud miraculum sanctus Franciscus, et sanctus Bernardinus. Quorum ille, (ut Seraphici Doctoris utar non solum testimonio sed verbis quoque) » Matrem Domini indicibili complectebatur affectu; in ipsam post Christum præcipue fidens, eam sui ac suorum advocatam constituit, et in ejus honorem a festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, usque ad Assumptionem devotissime jejunabat ». Istius pariter vota et preces die noctuque in eamdem Virginem ferebantur, devotioneque illius et gratia inflammatus, tenera ætate sabbatho jejunans, laudabili cursu, quoad vixit, perseveravit.

devote colit, aliosque ad ejus cultum hortatur.

11 Ad tantorum magistrorum exemplum D. Simon, omni tempore in colenda magna Dei Matre præ se tulit sinceritatem. Quam vero id cordi fuerit Virgini sanctissimæ, palam D ipsa fecit: nam se Viro Dei visibili specie pluries obtulisse, præbuisseque cælestium consolationum gustum, constans est traditio Patrum loci, picturis ævum ferentibus, varie repræsentata. Exstant in fronte cellæ, quam D. Simon incoluisse fertur, metra ab ipso composita *b*, et sacra manu exarata, quæ *b* hic subjicere placuit. Firmant enim dicta nostra, simulque innocentis vere seculi indolem loquuntur:

» Tu quisquis fueris hujus casæ habitator,
» Memento, quod sis Mariæ Matris amator:
» Quod dum fideliter feceris, securus ad astra meabis,
» Eximiæ Matri, Proli quoque gloriam dabis.
» Et pro scriptore haud dubium ferventer orabis.
» Si fuit, qui scripsit, mori *c*, quem Deus benedixit, c
» Cracoviæ vixit, multis salutem ac induxit,
» Ductor cæcorum, plenus sorde vitiorum,
» Attamen cunctorum tractus odore bonorum,
» Quem Virgo regia mundet a crimine pura,
» En commissa sibi datur de homine cura. E
» Hanc veneretur omnis qui sorde tenetur,
» Ut emundetur, cæli quoque sede locetur.
» Fiat sic Amen, quod detur omni solamen:
» Sentiant juvamen flentes per secula Amen.

Virtutem humilitatis,

12 Ad fervorem devotionis reliquarum omnium virtutum præsidia adhibuit, quibus, præcipue vero humilitate, et candore puritatis, velut alis duabus subnixus, in arcem perfectionis feliciter evasit. Et sane omnium quæcumque Deo charæ fuere animæ, potissimum elaboravit industria in hac virtutum antesignana sibi concilianda, humilitate scilicet; sine qua virtutis tantum umbram, ac ne umbram quidem habuissent: nam sicut ab utribus necesse est quidquid aëris intus latet foras emittere, ut bonus odor infundatur, sic ab animis evomendus est omnis arrogantiæ flatus, ut suus virtuti relinquatur locus. Altus de se sensus facit, ut unusquisque se ignoret, et pluries post multos labores virtutis thesauros exhaurit.

a Christo præcipue commendatam, acquirere nititur;

13 Hinc ipsa Veritas, cernens magnis virtutibus perniciosam supercilii tabem vulgo adnasci, ad ipsam de cordibus suorum expungendam, cælestis paradoxi nec antea in F terris usurpati, (Cum feceritis omnia, dicite servi inutiles sumus,) vim momentumque Apostolis anxie instillavit. Alte in suum demisit pectus hoc Salvatoris monitum Sanctus noster; non sibi tribuebat, quæ Deo largiente accepisset, aut juvante perfecisset, glorificando in omnibus unum Patrem cælestem. Laudes hominum æquabat aut fumo oculis inimico, aut scorpio post lenocinantem oris sibilum cauda ferire solito. Ab illis proinde contendit esse procul; objectas vero et se invito offerentes, sui obliviscens, subito in authorem omnis boni regerebat.

unde vilissima ambiens munia.

14 Cultum quoque corporis innocentissimi, ad omnem componebat modestiam, ut ex omni parte vilis ipse sibi deprehenderetur. Ab altissima cælestium rerum contemplatione colligendo vires, transferebat ad operas, vulgi sensu ignobiles, sed ejus modestia dignissimas, et vel lignis scindendis, vel fingendis lateribus vacare, familiare habuit. Sæpius delicati animi fastidio sublato, in

A in fœtentem cloacam se inferne demisit, ut elueret; quodque ceteris probrum aut horrorem inducit, ille suum decus interpretabatur. Et quamvis in Religione præfici sæpius meruit (nam et munus sustinuit Commissarii) id tamen quam ipsi insipidum fuerit, nisi totum obedientia condivisset, charitas inflammasset, non dissimulat vetus scriptor, et ejus in officio prædicationis successor *d*.

d

..honorifica ..que fugiens.

15 Sic autem ille: » Honores quosque » fugiebat maxime, ut humilitatis custos san» ctissimæ. Si vero obedientia adstrictus sa» lutari quandoque præficiebatur, nullatenus » exinde a recto justitiæ tramite, sive hu» militatis pristinæ utcumque digrediens, vi» tiosos, si quos reperire poterat, sufficienti » præhabita maturitate, paternaliter punivit. » Stantes autem et de limitibus regulari» tatis non exorbitantes, benigne et favora» biliter confortabat, nempe morem pii se» ctatus pastoris, gregem sibi vigilantissime » circumspectans commissum, a morsibus teter» rimarum solicite defendebat bestiarum ».

B

..e omnibus mi..orem æstima..at

16 Neque aliquando vir Sanctus desiit esse similis sibi; nam ut eumdem scriptorem iterum in theatrum producam: » Limitibus » exulatus sui advolutus, Fratrem sui circum» spectorem, non modo instanter quam de» vote sepeliendum se deprecatur sub limi» mine præ foribus ecclesiæ; nec abs re » profecto, ut quoniam in vita respectu cete» rorum pulverem se existimabat exiguum, » in morte quoque fieret calcaneus eorum» dem ». Porro Vir Dei cum hoc modo se reliquis hominibus ex humilitate substerneret, mentis altæ judicio humana transcendit, gloriæque prætereuntis imaginem calcavit non inglorius. Non extinguetur enim in nocte oblivionis lucerna sanctitatis ejus, et benedicente illo, qui ponit humiles in sublimi, laudes ipsius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.

..irginitatem il..batam conservavit.

17 Flos censetur præcipuus ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles laudis et honoris, opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi, quisquis non

C

mentis solum, sed carnis quoque puritate, beatarum mentium conditionem, antequam placide usurpet in cælis, his fortiter æmulatur. Talis fuit Vir Dei, de quo nobis sermo. Florem nivei candoris suarum ab ineunte fasciarum ætate in finem usque integre retinens. Ut vero retineret, quam semel induit, armaturam pudoris nusquam deinceps exuit; circumduxit vallum verecundiæ, murum sensibus opposuit, qui nec oculos ejus in alia præter cælum transmitteret, nec admitteret alienos. Noverat bene, fidem, oculum, castitatem, non ferre ludum citra noxam. Noverat colorem hominis perfecti facile mutari, nisi quis contineat oculos a vanitate, pedes ab evagatione, manus a mollium contactu, cor a terrenorum desiderio. Totus proinde in eo fuit, ne quid in sensum ullum incurreret, quod adversaretur puritati, solitudinis amantissimus, et illis dumtaxat patere solitus, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Et ne quis fidem historiæ aut temerarius elevet, aut rideat dissolutus, apponam, antequam hic

desinam, commemorandam Viri Dei in retinendo congenitæ puritatis candore solicitudinem.

EX IMPRESSIS.

quantam vero illius curam habuerit exemplo declaratur.

18 Invaserat matronam quamdam, genere æque ac moribus illustrem, sexui suo morbus vulgaris, intempestivum desiderium de propinquo videndi, et in mores Sancti curiosius inquirendi, quem non nisi fama, aut certe ex intervallo, dum ex suggestu ceteris emineret, fas erat oculis promiscuis usurpare. Itaque voti impotens venit ad portam conventus, formoso stipata comitatu, petitque a Viro sancto breve colloquium, et quidem, quo facilius impetret, obtentu confessionis. Monitus eo nomine per portæ custodem Vir Dei respondet, nihil minus quam se posse mulierculis impendere, aut personam, quam solam sustinebat prædicatoris, cum confessarii officio confundere. Institit vero illa magis, sive repulsæ insueta, sive secura Servi Dei constantiam vel sola importunitate prætensæ pietatis expugnatum iri. Et cessit quidem ille tunc ex parte importunitati, non tamen videndum se feminæ concessit. Vicinus enim portæ ipsam pessulo superinducto claudi imperat, ne plus, ultra quam audiri E posset, pateret. Sic mulier cum totum vellet, vix vocem hausit; nec ipsam totam, quia intra obstantis parietis recessus pene suffocatam, quamquam jugulandæ levitati suffecit: nam magnifica illa solicitatrix primum intra se confusa, mox reversa ad cor, cui nonnihil illuserat, deinceps venerata est sincerius sanctitatem. Quisquis hæc leges puritatis amans, disce, ut claudas vas tuum, ne unguentum effluat, claude virginitatem verecundia loquendi, et abstinentia gloriandi. Etiam sub specioso prætextu spiritualis necessitudinis informia præcipitia latent; et ab incautis insidiis pulcras sæpe contingit non prævideri prius, donec involvant.

ANNOTATA.

a *Hic indicatur S. Antonius eremita, de quo Hieronymus in vita S. Pauli eremitæ sub finem ita scribit:* Tunicam ejus sibi vendicavit *(nempe S. Antonius)* quam in sportarum modum de palmæ foliis ipse sibi contexuerat.... diebusque solennibus Paschæ et Pentecostes semper Pauli tunica F vestitus est.

b *Si hæc tamquam metra a Beato composita sint, ut vult Skrobkovicius, satis patet, eum artis poëticæ non fuisse peritum.*

c *Hic sensus vitiosus est et vix intelligibilis, nisi forte ab amanuensi sit corruptus.*

d *Indicatur hic Nicolaus Sokolniki; qui si fuerit immediatus* B. Simonis *in munere concionatorio successor, certe plurima de illo scire potuit, et in Actis ac miraculis, quæ collegit, magnam fidem meretur.*

CAPUT III. *Carnis maceratio, patientia et fortitudo in adversis.*

Necessariam in vita spirituali.

Tritum est in schola medicorum, omne dulce esse obstruendis impediendisque visceribus aptum; et curandis repletionibus amara pharmaca propinari, non dulcia: idem

 in

EX IMPRESSIS

in Christi schola usuvenit, in qua oportet (inquit Hipponensis ecclesiæ decus,) ut intelligat homo, medicum esse Deum, et tribulationem medicamentum ad salutem. Solus in deliciis Salomon fuit, et ideo forsan corruit. Unde viri sancti, cum aliunde cessarent, ipsi sibi admovebant doloris instrumenta, hoc ipso non calamitosi, sed fortes. Evigoratur alta pace militum industria; sic, quotquot spirituali militiæ inserti, nisi fortibus pœnitentiis excitentur, languescunt. Nec fidendum carni, quantumvis se substernat animo. Si desinas ferire, subito insolescit. Asinum cogita, animal mite quidem et ad laborem natum, sed nisi stimulis cogas ad officium, negligit.

carnis macerationem B. Simon summopere amat.

20 Carnem sortitus erat moratam bene Sanctus noster, cui animus, non tamquam pars adhæsit, sed ut princeps præfuit. Carni tamen non fidit, cui a libertate ad interitum transitus facilis. Cogitabat illas apud magnum Augustinum cedros Dei, Ecclesiæ luminaria, duces gregum, qui dum minus timent, gravius labuntur. Apprehendit itaque B disciplinam, ut non periret in via justa. Præcinxit cilicio lumbos suos, nec refibulavit aliquando, nisi quando superinducendum esset asperius. Humiliabat in jejunio animam suam. Punivit fletibus culpas, non quas in se deprehenderet, sed quæ displicebant in aliis. Non laudes, rem narro. Et ne per communia et generatim diffusa semper incedam, appono singulare.

et ideo pulicum aliorumque animalium aculeis se ultro exponit,

21 Erat in conventu senticetum, formicarum, pulicum, et hujus generis similium ferax, Purgatorium vulgo dicebant. Huc sæpius Vir sanctus clam ventitare, et postquam putredini dixit: Pater meus es tu, mater mea et soror mea vermibus; illis se detracta veste permiscere; imitatus consummatæ patientiæ speculum sanctum Job, qui non dispari indole deliciabatur in sterquilinio. Nisi quod iste vermes testa sive lapide radebat, noster concitabat in se. Et forte ille, cum linteum non deesset, petram potius adhibuit, quia in petra Christum (Petra enim erat Christus) oculis propheticis usurpavit: alter eumdem Christum, qui se C non hominem sed vermem alicubi nominat, felicius inter vermes quæsivit, quia re ipsa tenuit, nec dimisit aliquando, ponendo ipsum ut signaculum, super cor suum, ut signaculum super brachium suum. Ipsius societate delinitus tot in unum coëuntium morsibus bestiolarum peti diutius sustinuit, moveri ne tantillum. Vibrabant illæ aculeos, ut ferirent; aperiebat iste os suum, ut pro illis Conditori laudem ferret.

variisque modis corpus suum affligit.

22 Cessantibus a morsu bestiolis, carni innocenti seu insuetis, seu parcentibus, superinducebat nodosum e funiculis tormentum: nec retrahebat fessam ictibus manum ante illud spatium, quantum psalmis, quorum apud pœnitentes usus, non perfunctorie percurrendis impendi vulgo solet. Sic ille, in mediis quoque sordibus, aram exstruebat puritati. In illa cor suum immaculatum charitatis excitato igne adolere; masculum orationis thus accendere: carne lacerata, velut mactata hostia, placamentum facere Domino solens. Petitus pia adulatione Fratrum, qui monebant, ut subinde indulgeret numquam quiescenti corpusculo, ille digito sepulcrum monstravit, D subjiciens, nimium in eo quietis imminere corpori; interim redimendum esse tempus, neque cessandum a negotiatione, ut reportemus promissiones.

Beatus vir, quoslibet obtrectatores patienter tolerare solitus.

23 Magna hæc sunt quibus unam carnem domuit, majora per quæ dispersos varie animi motus compulit in ordinem; æqualis sibi semper, et cælo ultra nubes et supra ventos tranquillior. Nulli in ipso invidiæ turbines, nulla irarum fulgura, aut truces in vultu nebulæ, nisi quando concrescebat in pluviam doctrina ejus, aut fluebat ut ros eloquium ipsius. Lætis non insolescebat, inter adversa cogitabat neminem vere esse beatum, cui non incumbit patiendi necessitas: virtus enim in infirmitate perficitur. Quotquot omni seculorum memoria sanctitatis luce orbi fulserunt, iisdem alieni livoris umbra semper illusit; et vulgo, quo manus prorepere non possunt, linguæ audent. Ipsa Divinitas voces contra se audit, et sustinet. Neque Vir Dei hac in parte plus felix. Virtutes ejus, qui non ferebant, oderant. Et fortasse suorum murmur, familiare claustris E malum, levius evenisset, sed exterorum quoque patuit conviciis. Multi mores ipsius innocentissimos sugillare, inediam, flagella in suspicionem trahere vanitatis, prædicandi gratiam non ad profectum audientium, sed alio flectere. Sed sicut nulla sagitta in solem cadit, quantumvis mille projicias, ita Vir Dei frustra est oppugnatus, nescius moveri.

quosdam ob devotionem erga nomen Jesu sibi adversantes,

24 Inter cetera, quibus Vir Dei præibat omnibus ad pietatem, fuit tenerrimus affectus ipsius erga tremendum nomen Jesus. Hinc quoties ex suggestu erudiebat ad justitiam populos, in fine sermonis idem nomen dulcissimum (quo altius infigeretur cordibus auditorum) ter diserta juxta ac devota voce, resumente populo, invocare familiare sibi fecerat. Materiam interpretationibus nacti, qui de pietatis profectu judicare aut facere eumdem rudes, rem ad præsides sacrorum deferunt, quasi oleret perniciosam novitatem. Monitus Vir Dei, ut in sacro amplissimi capituli Cracoviensis confessu compareret, sistit se concilio nihil minus cogitans, quam se F impietatis aut erroris ad publicæ animadversionis censuram exigendi peti. Et ubi ante omnia, pro suo et Religionis more, advolutus pedibus cunctorum deprecatus est humiliter culpam, cujus non fuit capax: patres mox subjiciunt, non esse in obscuro vitæ et morum ipsius integritatem, displicere tamen sibi, quod rebus novandis studere videatur, usurpando in concionibus ternam absque exemplo nominis Jesus invocationem; cum exquisita privatorum pietas sæpius causam dedisse in Ecclesia factionibus et divisioni fuerit deprehensa.

egregie refellit.

25 His auditis Vir Dei, non suum, sed Dei honorem illa accusatione verti animadvertens, sui prorsus immemor, totus instar Heliæ in ignem, sed qualem suggerit cælum, abiit, et verbum ejus quasi facula arsit. O bone (inquit) Jesu! o suavissime Jesu! Quid est quod nomen tuum fastidio esse incipit, quod est dulce super mel et favum? Cur usurpari prohibetur, cum scriptum sit: Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit? An non istud nomen coram gentibus et

A et regibus et filiis Israel portare jussus est Vas electionis ? Nomen (inquam) quod est super omne nomen. Quod Benjamin Christi *a* in suo, brevissimo quantumvis omnium, euangelico codice plusquam ducenties vicies repetiit. Cujus Doctor gentium in ipsa cum morte lucta tenax, jamque capite minor, ter Jesum dum nominat, tribus fontibus originem prodigiosam et inde nomen in Urbe celebre dedit. Quod denique quia in ore, dum viveret, habuit semper Deifer Ignatius, ideo postquam vivere desiit, in intimo cordis recessu aureis punctis tamquam stellis distinctum præ se ferre meruit.

... n suam sen- ... addu ...

26 Fremat licet mundus, dicam quod sentio : Aridus est omnis animæ cibus, si non istius salutaris nominis oleo perfunditur : insipidus est, si non isto sale conditur : si scribas ; non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum. Si disputes aut conferas ; non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Moriar ego ; vivat Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus *b* ! In hunc modum disserente Viro Dei, intuebantur omnes vultum ejus, tamquam vultum angeli stantis in medio ; deinde B non exspectato suffragiorum censu, uno omnium ore pro vituperio plausum tulit ; solicitatus præterea ad plura audendum pro gloria nominis sæpius nominati, numquam celebrati satis. Ceterum ut convitium, sic laudes inferne non admisit, mirabili pugnantium affectuum temperamento, cujus constans sibi semper in vultu color fuit.

ANNOTATA.

a *Significatur hic haud dubie Joannes Evangelista, qui a Christo supra ceteros Apostolos dilectus fuit, sicut Benjamin super reliquos fratres.*

b *Hæc sunt verba S. Bernardi Claræ vallensis abbatis.*

C

Caput iv. *Iter Hierosolymitanum, reditus in Poloniam, conversatio cum piis viris, et zelus erga proximum.*

... roso simula- ... m peregrina- ... nem,

Quasi omnem prorsus patientiæ virtutumque ceterarum materiam domi obviam exhausisset, egreditur foras Vir Dei, similis Euangelico negotiatori, quærenti bonas margaritas, et in una plus pretiosa subsistenti : quod ad scientiam Salvatoris et resurrectionis arcanum ingeniose refert sanctus Hieronymus, alii ad charitatem, sine qua nihil alicui prodest, quodcumque habuerit. Quantam vim amoris erga Deum et proximum collegerit intra se Servus Dei, vel hæc sacra, de qua nobis sermo, peregrinatio luculenter prodit. Charitas ad iter calceavit in præparationem Euangelii pacis pedes ejus, diu jam in publico non deprehensos. Amoris vehementia, a quietissima cælestium rerum consideratione mentem ægre abstraxit ; et hæc ipsa corpusculum vix ossibus hærens, novis longi æque ac molesti itineris incommodis objecit. Ergo partim desiderio martyrii properat ad locum, ubi caput Martyrum pro iis, quos ut alteros se diligebat, animam posuit ; partim spe lucri Christo faciendi animas, quarum interitus cordolium excitaverat in Viro Dei, transgreditur ad gentes.

EX IMPRESSIS.

adita prius cum socio Roma,

28 Scio multos corripi peregrinandi prurigine, sed fine non uno. Noster præter Dei gloriam, et proximorum ædificationem ad aliud respexit nihil. Hinc non solum Superiorum Ordinis, sed ipsius Verticis Ecclesiæ auctoritate et votis accingi ad iter meruit. Ante iter susceptum regulam Franciscanam, cujus fuit zelantissimus, memoriæ mandavit, ut si forte manu scriptam, quam semper secum habebat, sæpiusque lectitabat, sibi a Saracenis auferri contingeret, altera in memoria sculpta superesset, ad quam tamquam ad Lydium lapidem suas actiones exploraret. Comitem viæ adhibuit moribus suis non absimilem, et sanctitatis quoque opinione celebrem, B. Tiburtium Szrodanum *a*. Prius vero sanctitatis omnis arcem Romam, antequam Hierosolymam adire, officii necessarii duxit. Limina Apostolorum et Christi in terris Vicarium devote cum socio veneratus, E ad adorandum loca, Christi sanguine purpurata, gressum movit.

nudis pedibus et sine viatico aggreditur,

29 Quidquid loci nos inter, Romam, et Palæstinam interest, nudis pedibus, viatico suffultus nullo, uterque emensus est ; memores verborum Domini, qui parum existimavit, si tantum possessionem lautioris substantiæ discipulis auferret, nisi etiam peram ipsam acturo longum iter Apostolo sustulisset, et unius eum tunicæ singularitate, insuper calceamentorum interdicto mulctasset. Quanta porro toto sacri istius itineris decursu oportuit ipsos pati, dum Christum et hunc crucifixum inimicis crucis magno animo ubique prædicarent, et in ejusdem nomine (quod tantopere infidelibus cor sauciat) stipem necessariam corrogantes, alienum limen tererent, liberum cuique suspicandi sensum modestia ipsorum reliquit. Neque enim nobile istud par Fratrum, testem alium admisit suarum actionum, præterquam illum, cui patebunt cordis abscondita in die novissimo. F Videor autem inter currendum audire concinentes : Benedicimus Regem cæli, qui perfecit pedes nostros tamquam cervorum, ut super excelsa statuat nos. Ah ! Quando veniemus, et adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus ? Num quem diligit anima nostra vidistis ? Indicate nobis, ubi pascit, ubi cubat in meridie ? Fulcite nos floribus, stipate nos malis, quia amore languemus.

et post lustrata tenero affectu sacra loca

30 Sed ecce deveniunt tandem per casus varios in terram, cui benedixit Dominus, et post consalutatum reventer Bethleemiticum præsepe, salutaresque cunas, montem, in quo Deus passus per unionem, cum per naturam non posset, humiliter adorant ; inde ab ubere, hinc refecti a vulnere. Liquefiebat anima Viri Dei a multitudine prodigiorum, quæ fecit Altissimus in terra illa, non solum lactis et mellis in Filii Dei nativitate, sed sanguinis quoque a sacris ejusdem vulneribus divite. Et quamvis dudum mysteria vitæ et mortis Salvatoris altissime cordi impressa ubique circumferebat, tamen loci illius sensibili dulcedine delibata et degustata intimius, mirabiles

EX IMPRESSO.

mirabiles tunc in ipso cælestis incendii effectus excitarunt. Jam ab eo momento vivebat ille non amplius ille, sed Christus in illo ; plus solito Crucifixo suaviter commori, et corpus tamquam aliud a corpore sensibus orbum proferre in sublime visus, tam procul a terra, quam ipse propior mente dilecto, qui supra cælos. Omne opus ejus inusitata charitate arsit, sermo passione Agni et Sponsi rubuit, atque adeo omnis ejus conversatio videbatur esse in cælis.

revertitur in Poloniam, tunc piis viris præcipue florentem,

31 Spe martyrii, quod semper animo volvebat, præcisa sibi in Palæstina, serius in patriam, Dei spiritu impellente, revertitur. Redux Cracoviæ ingenti omnium lætitia exceptus est, præsertim [ab iis,] quos ipsi par vitæ innocentiæ et gloriæ Dei proferendæ studium, arctius devinxerat. Multos vero tales in ea tunc urbe (quæ ideo Pantheon seu omnis sanctitatis nidus audire meruerat) floruisse, non dissimulant privata diversarum congregationum diaria. Vulgo tamen quinque attolluntur ; non quod plures ejusmodi tunc abessent, sed quia jam latent. B. Joannes
B Cantius *b* S. Theologiæ doctor et celebris academiæ Cracoviensis professor, vir vitæ sanctitate, atque omni innocentia conspicuus, interque plurima miracula precibus et meritis ad Deum suis plurium mortuorum resuscitator magnificus. B. Suentoslaus *c* mansionarius B. M. V. in Circulo Cracoviensi ultimarum voluntatum exequutor, visionum cælestium contemplator ac perpetuum silentium in vita servans. B. Michaël *d* Ordinis S. Mariæ de Metro apud sanctum Marcum plurimorum miraculorum patrator clarissimus. Beatus Stanislaus *e* Casimiritanus Can. Reg. Ord. S. Augustini, Casimiriæ ad ædem Sanctissimi Corporis Christi plurimorum infirmorum curator, mœstorumque consolator proficuus. Et B. Isaias *f* Ordinis Eremitarum S. Augustini a morum, doctrinæ, et signorum gloria eruditis piorum calamis daturus semper materiam.

quibuscum paululum conversatus solitudinem elegit,

32 Horum cælestium virorum necessario alloquio postquam ex itinere temporis aliquid impendit Vir Dei, vix deinceps alicui patuit. Nam quamvis eorumdem sanctorum
C virorum jucundo aspectu frui sæpius cupiebat, Religionis instituta et cura rerum divinarum obsistebant. Animo tamen semper hæsit in admiratione excelsarum virtutum, quas in ipsis velut in exemplari, sibi omni conatu æmulandas proponebat. Non quod earum dives non fuerit, sed ut ab æmulatione sumerent robur. Itaque erga omnes benignus, sibi mutatus in crudelem, solitudinem religiosius coluit. Nihil austeritatis poterat ab aliquo excogitari, quod ille in se aut non prior exerceret, aut resumptum ingeniosa pietate, non plus sævire faceret. Vitæ tamen communis (quod quis jure miretur) inter exquisitas etiam pœnitentias semper tenax, quo majorem se abjiciendi in oculis omnium haberet opportunitatem. Vestis illi, qualis ceteris omnibus, quibuscum vixit, nec aspera nec culta nimis ; ut sævientem aliunde in corpus vestis horror non proderet, et tamen vestis ejusdem lenitas durare quam mulcere aptior, præ se ferret paupertatis altissimæ arcanam majestatem. Est in magna veneratione ad hunc diem, quia virtus sæpius exit ex illa, rectoribus tenebrarum infesta, salutaris hominibus. D

ita tamen, ut concionibus suis multos peccatores converteret,

33 Porro non sibi dumtaxat ut prodesset solitudinem elegit, sed vires corporis et animæ pro salute Christicolarum libens exponebat, animarum zelotypia succensus, ne videlicet tam nobilis creatura, imagine Dei insignita, et Christi pretioso sanguine redempta, aliquatenus tetris obvoluta criminibus, nobili et amabili sponso Christo Jesu redderetur detestabilis. Unde verbi Dei pabulo ferventissimus reficiebat easdem sedulo. Et revera dicam ; innumeras tartareis eruens faucibus animas, cælo reddidit per vitæ emendam : quandoquidem religiosi multi effecti, quorum nonnulli cohærentes ejus habitui adhuc extant vivi ; quidam autem pœnitentiam agebant sub habitu seculari, sive alterius cujuscumque cœnobii, corde compuncti ; et ejus admirandis prædicationum eloquiis, imo etiam divinis sacrorum exemplis morum, quibus apprime refulsit, profluebant plane saxosa plurium et arida corda in guttas lacrymarum uberes, imbre compluta cælesti, ab ejusdem ore sacro in eos manante ; ac ipsa quoque carnalia E
seu mundialia in promptu devitata, Christo reddebantur firma charitate unita.

aliosque suis instructionibus ad eximiam vitæ sanctitatem adduceret

34 Monstratur in archivo conventus Cracoviensis codex molis justæ, totus Viri Dei manu exaratus, in quo ejus ignita vehementer eloquia (nisi hominem homo penitus exuat) facile sentit, quicumque usurpat. Ceterum [ex] multis, qui ab ejus diserto ore pendebant et disciplina, tres maxime per traducem pietatis laudem famosi. B. Joannes Duklanus *g*, B. Ladislaus Gelnovius *h*, et B. Raphael Prossovicius *i*. Singuli tantum isto doctore profecerunt, quantum postea ipsorum declaravit sanctitas, a fide Annalium, continua miraculorum serie, et conscientia gentis nostræ hominum exigenda. Eam separatis voluminibus includere frustra tentarunt nonnulli : nam semper occurrit, quod semper addant ; Et dum hæc scribo properat ad finem BB. Joannis et Ladislai vitæ et miraculorum examen, auctoritate summæ Sedis in forma (ut vocant) probante institutum. Nec ambigitur, debitis brevi ab Ec-
F clesia universali cumulandos honoribus, quos instar civitatum refugii, ecclesiæ Septemtrionales expertæ sunt pluries proficuos patronos. Sed de hoc felici ternario non plus, ne ex ejus causa alia dicantur, cujus omnia dicere propositum est nostrum.

ANNOTATA.

a *Apud Waddingum, Arturum, Hueberum aliosque scriptores Minoritas frustra quæsivi, quis fuerit iste Tiburtius Szrodanus. Miror, eum hic Beati titulo honorari, cum in nullis Martyrologiis occurrat. Proinde doceant nos Poloni, an aliquem cultum habeat.*

b *Habemus varia hujus Joannis Cantii Acta et miracula, quæ ad diem* XXIV *Decembris examinari poterunt. Refertur etiam inter Divos Poloniæ Tutelares anno* 1617 *Cracoviæ impressos. Interim scire cupimus, an ab immemorabili tempore cultum habuerit, vel de facto habeat.*

c *Cum hactenus non satis constet de hujus venerabilis viri cultu, de eo actum est inter Prætermissos ad diem* XV *Aprilis.*

d *De*

A d *De hoc B. Michaële cognomento* Godroyc *egimus* IV *Maii, tom.* I *istius mensis, pag.* 552.

e *Acta hujus B. Stanislai illustrata sunt in Appendice ad tomum* I *Maii pag.* 779.

f *Is est B. Isaïas Bonerus, de quo in Opere nostro actum est ad diem* VIII *Februarii.*

g *Ad diem* XXIX *Septembris examinari poterit, an huic venerabili servo Dei, cujus causa Romæ aliquoties agitata est, tribui debeat nomen Beati. Vide Waddingum ad annum Christi* 1484 *a num.* 25.

h *Istius beati viri Acta et miracula fuse excusa sunt die* IV *Maii, tomo ejusdem mensis primo a pag.* 560.

i *Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1468 *num.* 23 *testatur, de Beatificatione illius actum esse in curia Romana. Sed cum nihil hactenus, (saltem quod sciamus) declaratum sit, decisionem Romanam exspectabimus, antequam ipsi Beati titulum tribuamus.*

CAPUT V. *Spiritualia ejus monita, et pia mors.*

B

Quamvis B. Simon raro loqueretur.

Sermo est interpres mentis, et vulgo ex cordis abundantia os loquitur. Hinc cum gestis præclare dicta confunduntur, pari virium in animos capaces æstimatione. Informant præcepta, firmant exempla, digna utraque cedro, si ad virtutem. Non erant itaque citra injuriam prætereunda quæ ab ore Viri Dei hausta, ad nos usque transmisit accurata singulorum adnotatrix antiquitas. Quamquam beatus Simon plura in vita gessit quam dixit; imitatus geminas omnis perfectionis ideas, Salvatorem scilicet, os suum in parabolis post triginta primum annos aperientem, et ejus gloriosam Matrem, quam non plus quinquies locutam produnt Euangelici codices.

tamen aliquot monita spiritualia acute protulit.

36 Murmur ad mensam multorum malorum fomitem, ubi serpit impune, ita suaviter sustulit. Repetebat sæpius familiare sibi monitum. FRATER CAVE, NE SIS PRÆLATUS, COQUUS, MEDICUS; id est; ne tibi assumas partes Prælati distribuendo promiscue aliis, C quod tibi assignatur; Coquinarii aliter condiendo; Medici oblata refutando, obtentu non boni nutrimenti aut saporis. Rogatus a quodam Fratre artem recte proficiendi in prædicationis munere, tribus verbis omnem acute involvit, subjiciens: ORA, LABORA, DESPERA. Ora, Deum deprecando; labora, Scripturas volvendo; despera, arrogantiam declinando. Peste gravius Cracoviæ sæviente, cum plerique in Dei bonitatem vocibus blasphemis injurii essent, ille flagellum hoc Dei mitissime interpretabatur, vocando JUBILEUM ELECTORUM.

Novitiorum constantiam novo modo explorabat.

37 Novitiorum, quando ipsis præesse contigit, ita explorabat constantiam. Ardentes prunas nudis pedibus calcare unumquemque jussit. Qui titubabat, rejiciebatur; alacritatem qui præ se tulit, tamquam non indignus sancto sodalitio, inveniebat gratiam in oculis Viri Dei. Narrat P. Joannes de Komorowo a, unum e multis sic ad ignem examinatum, sibi vero familiaritate intimum; quod ubi ad nutum Viri Dei oblatos carbones pedibus præcox subjecit, quasi rosas aut violam pressisset, subito sensit mutationem dexteræ Excelsi, truci elemento delicias non suas ingerentis.

IMPRESSIS

Peste per Poloniam grassante,

38 Frustra velociter currit, qui, priusquam ad metas venerit, deficit. Sic currite (inquit Apostolus) ut comprehendatis. Itaque ingressus semel consummatæ virtutis orbitam Vir Dei, non respexit aliquando retro, neque declinavit ad dextram aut ad sinistram, sed apprehendens justitiam, induit eam tamquam poderem honoris, et ideo in die agnitionis invenit firmamentum. Jam paulo ante innui de peste, Poloniam tunc pervadente. Densabantur ubique funera, citra ullum sexus, ætatisve discrimen. A quibus ipsa contagio procul, metus terrebat universos: eo quisque felicior, quo latuit plus. Sacerdotes sacris, sacra altaribus destitui, ad cumulum publicæ calamitatis accedebat.

beatus Vir luem in obsequio proximi contrahit,

39 Ceterum Vir Dei contumax adversum spes aut metus, cernens multam messem, operarios autem varie dilapsos, suscepit magno animo intermissam ab aliis, juvandi properantes ad interitum animas, provinciam. Infert se in mediam feralis illius incendii E flammam, prædicat omnibus opportune, importune, annum Domino placabilem, clamat, nec cessat cum illo fideli Consiliario b: b
» Si reversi fueritis ad Omnipotentem, ædifi-
» cabimini, et longe facietis iniquitatem a
» tabernaculis vestris, dabit pro terra silicem,
» et pro silice torrentes aureos ». Evenit autem, quod finito memorabili egregioque sermone celeberrimæ Octavæ Visitationis B. Mariæ suæ zelotissæ visitatus et ipse est a Domino, ulcereque pestilentico torquetur acerrimo super scapula sinistræ manus. Cui tanta inerat feritas ut quod de carne uno die rubrum videbatur, altero denuo superveniente, consumptum ab igne ulceris nigrefiebat. Cum tantum in corpus posset, animi immortalitatis gaudium jam delibantis constantiam, ne quidem attigit exquisitus adeo dolor. Hunc, quasi ad se parum pertineret, Vir Dei non tam non sensit quam contempsit; timidus, ne vel vivendum sibi adhuc esset, aut dolendum minus.

et S. Bonaventuram, tunc recenter inter Sanctos relatum, panegyri ornare frustra cupit.

40 Opportune sub id prorsus tempus pervagatus tota urbe rumor de Seraphico Doctore c universalis Ecclesiæ placito Divis recens adnumerato, auribus Servi Dei adlabitur. Pulchram is dedit materiam novo gaudio novisque votis Viro Dei. In alienæ sanctitatis elogio, suum jam decus intuebatur, et vitæ alias prodigus, vitæ inducias a Deo poposcit, quantum uni dumtaxat panegyri in laudem novi Sancti per ipsum cogendæ satis esset. Sed Deo ordinante aliter, fatalem horam imminere sibi Vir Dei sentiens, totum se iis pietatis exercitiis dedit, quæ mentem quantocius conjungerent suo primo principio, unde venerat. Moram faciente Sponso, differente scilicet præmium, quo cumulatius redderet, ille tanto plus arsit desiderio potiundi, quem solum dilexit: nec voluit consolari, qui nondum veniebat. C

Dæmonem sibi apparentem fugat.

42 Dum sic in Christum de Cruce pendentem oculis defixis a cælestium contemplatione nihil prorsus remittit, monitus a suo curatore voluntatis Superiorum, reficeret modico cibo evigoratum corpus, in promptu esse piscem, quem ipsi solicita nonnullorum de

EX IMPRESSIS.

de ejus incolumitate pietas transmiserat, annuit, insolens non obsequi. Sed vix ori admovet oblatum piscem, videt illum, qui circuit quærens quem devoret, sub larva coquinarii piscem exsquammantis. Olfecit facile astum inimici ad turbandam quietem nihil sibi consciæ mentis plurimum intenti. Ergo intrepidus invehitur in spectrum illud: Vade (inquit) retro sathana, nihil in me, funeste, reperies. Si lautius solito epulari tibi videor, Majorum voluntatem in causa esse scito, non meam libidinem. Piscis iste non est gulæ irritamentum, sed obsonium obedientiæ. Quidquid Deus non est, mihi pridem sordet; ad hunc solum inquietum est cor meum, nec quiescet, donec perveniat ad eum. Dixit, et veteratorem in indignationem simul, et fugam dedit.

et ferventi desiderio ad cælestem patriam anhelans moritur.

42 Jam contemplamini mecum oculis mentis Virum Dei, (quia languor ursit) in accubitu asseritio, stramine modico instrato, colligentem membra, sed cujus humilitatis nardus cum regio accubitu suavitate certabat. Dulces gemitus, mellea suspiria, quia amoris et desiderii myrothecium illud cæleste B absque intermissione efflabat. Veni, clamabat dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum, veni et introduc me in paradisum gaudii æterni. In nidulo meo moriar, et sicut phœnix multiplicabo dies meos. Cupio dissolvi et esse cum Christo! Sic orans cælo, quæ fuit patria sua, quia virginitatis, proximus fit, sextoque die sui decubitus solvens vitæ debitum mortalis, terminum conclusit exiliatæ carnis: assumptusque e medio felix iste Domini Servus super pauca sibi commissa talenta fidelis, pergit super multa jam in ævum constituendus, pro suisque laborum conatibus ex tunc condigne remiandus, anno salutis millesimo quadringentesimo, octuagesimo secundo, sub die quinto decimo Kalendarum Augusti, sive feria quinta in crastino S. Alexii, hora quasi decima ultra citra.

in opinione sanctitatis.

43 Videns qui moribundo adstitit Fr. Joannes Laicus Bohemus, quod sic orans exspirasset, nec tam obierit quam cupidus migraverit ad immortalitatem, post dissuaviatum millies C sacrum corpus, manicam vestis ejus dissuit, illique fragmento cultum SS. reliquiis peculiarem, religiose impendit: expertus porro non inutilem sibi eam esse pietatem (præveniri quippe ab eo tempore variis de cælo benedictionibus meruit) non prius de conceptæ semel devotionis affectu aliquid remisit, donec totum cum vita exuit.

ANNOTATA.

a *In causa Beatificationis pag.* 54 *liber Ms. P. Joannis Komorowo dicitur constare foliis ducentis nonaginta septem, et finitus esse anno* 1535. *Sed cum antiquius sit Ms. Nicolai Sokolnikii, istud huic prætulimus.*

b *Hæc leguntur in singulari cap.* XXII *Job* ℣ 23 *et* 24.

c *In Actis S. Bonaventuræ die* XIV *Julii, illustratis tomo* III *ejusdem mensis, a pag,* 830 *exhibuimus ipsum Sixti IV diploma, quo Seraphicus Doctor catalogo Sanctorum adscribitur.*

D

Caput VI. *Concursus populi ad B. Simonis sepulcrum, et publica ejus veneratio.*

Ad tumulum B. Simonis in choro positum statim tantus fiebat populi concursus,

Ad justa deinde properatum est, licet magnitudo nominis tanti moram longiorem poscere videbatur. Sed cum desiderium et communis omnium veneratio dimittere adhuc totum terris nollet, temporis calamitas eadem, quæ cœtus hominum coire in unum vetabat, pompam etiam funeris acceleravit. Itaque eodem die, quo decessit, in ecclesia sancti Bernardini penes Cracoviam, ubi pro tunc prædicatoris explebat injunctum sibi officium, corpus ipsius omni veneratione dignum ante majus altare præfatæ ecclesiæ contra medium, inter duos alios Fratres, merito certe præfulgidos; Fratrem videlicet Timotheum de Sylvano *a* ex una, et Fratrem Bernardinum de Zarnowiec *b* partibus ex altera terræ extitit commendatum. E

45 Funus quibus deducere integrum non fuit; ab his ex intervallo certatum votis, quæ cælo fuisse grata, exitus postea commendavit. Dies non plus quatuordecim a suo obitu effluxere, intra quos tres clericali nota insigniti, et jam animam ob pestiferam conceptam in visceribus luem acturi, votis ad Divum nuncupatis, simul cum decumberent, revaluerunt simul; et puer bis mortuus, toties reanimatus. Crevit cum tempore, non numerus tantum, sed magnitudo quoque prodigiorum, in quibus longo ordine recensendis accuratum nomenclatorem agit P. Nicolaus de Sokolniki *c*. Ad hunc cupidum talium remitto; ego promissi memor, nec ultra quam indicium dem eorum, quibus celebrandis pro merito par non sum, festino ad alia. Effundebatur non ipsa solum civitas, sed regnum universum ad venerandum tumulum ejus, cujus illustriorem portionem præmiserat in cælum peregrinatio nostra, quo prodesse ibi tantumdem posset, ut vellet. Et cum neque loci angustioris ambitus capere tantum concursum, neque tumultuantis F populi preces inconditas, Fratres in choro Domino psallentes ferre possent, de transferendo inde sacro pignore in augustiorem templi partem ad sanctam Sedem referunt.

ut Fratres Minores, obtenta a Pontifice licentia,

46 Præerat tunc Ecclesiæ Innocentius VIII Pontifex maximus, apud quem innocentis vitæ Divi nostri et miraculorum ex fide publica recensita series, ad eliciendum primum sanctitatis fumum satis fuit. Preces inde Fratrum admissæ; Translatio decreta; Diploma desuper compositum in hunc, qui sequitur, modum: « Dilectis Filiis Vicario et Fratribus » Ord. Min. de Observantia provinciæ Po» lonæ pro tempore existentibus salutem et » Apostolicam benedictionem. Sacræ Vestræ » Religionis, sub qua devotum et sedulum » exhibetis Domino famulatum, promeretur » honestas, ut votis vestris, illis præsertim, » per quæ divinus cultus augeri, et fidei » Christianæ religio propagari valeat, favo» rabiliter annuamus. Vestris igitur supplica» tionibus inclinati, ut corpus Fratris Vestri » P. Simonis Lipnicii, miraculis coruscantis, » in

A » in choro ecclesiæ conventus vestri sepul- » tum, propter quod concurrente multitu- » dine Christi fidelium utriusque sexus ad di- » ctam ecclesiam, pro implorandis divinis » auxiliis intercessione prædicti Patris se- » pulti, de diversis partibus confluentium, in » horis Canonicis recitandis non modicum » sicut accepimus, recipitis detrimentum, et » devotiones vestræ minuuntur; de choro » ecclesiæ hujusmodi, in quo sepultum jacet, » ad alium locum ecclesiæ ejusdem decen- » tius et convenientius, noctis tempore vel » alias clandestine absque pœnarum seu cen- » surarum ecclesiasticarum incursu transferre, » et in loco decenti et honesto, sicut pro- » fertur, reponere possitis, tenore præsentium » licentiam elargimur. Non obstantibus qui- » buscumque aliis ordinationibus Apostolicis » in contrarium facientibus. Datum Romæ » apud S. Petrum sub annulo Piscatoris XII *d* » Julii anno Domini MCCCCLXXXVII, Pontificatus » nostri anno tertio.

HIERONYMUS BALDARINUS.

corpus ejus alio transferre coacti fuerint,

47 Celebrabatur Cracoviæ conventus provincialis Fratrum, quando expetitum tantopere rescriptum ab Urbe venit. B Pervasit vero simul animos omnium incredibilis oblectamenti spiritualis sensus, suprema Sedis sanctæ authoritate ad vota publica se demittente. Jam plus ab eo tempore licere sibi rata multorum hactenus timida pietas, omnes in ornando Sancto nimios esse contendebat. Sed obstabant Fratres, ultra Apostolicarum litterarum elogium amplioris venerationis obsequia, populo nequidquam flagitante, non admittentes. Ergo solis Fratribus monumentum intrantibus, sublatum est inde reverenter corpus sacrum, et, iisdem Fratribus succollantibus, in augustiorem, ubi et nunc visitur, loculum transportatum.

ut præter novam inscriptionem..

48 Eminet supra lapidea statua, et pro versibus, quos vetus historiographus *e* narrat, substituta recentior inscriptio.

AD OPT. ET MAX. DEI LAUDEM ET GLORIAM MAUSOLEUM ISTUD DEDICATUM EST, B. SIMONI DE LIPNICA, VIRO UTIQUE ANTE OMNIA IN ORDINE MINORUM RELIGIOSISSIMO SANCTISSIMOQUE; DEINDE VERO AUGUSTISSIMI C NOMINIS JESU PRÆDICATORI FERVENTISSIMO, TUM VITA AC PRÆCIPUE VIRGINALI CASTIMONIA INTEGERRIMO, DENIQUE INNUMERABILIUM PENE PRODIGIORUM SINGULARI PRÆROGATIVA LONGE LATEQUE CLARISSIMO. MIGRAVIT E VITA ANNO DOMINI MCCCCLXXXII.

diaria publicæ venerationis indicia,

49 Ceterum cum ad ejus sepulcrum vere gloriosum numquam deessent, qui vota sive pro acceptis beneficiis exsolverent, sive pro novis nuncuparent, solito tamen major turba de civitatibus confluebat semper, die in orbem redeunte, qua non ambigitur, dilectus Deo et hominibus B. Simon pompa triumphali cælum invectus. Solenne statim ab eo tempore Fratribus, cum thure, floribus, cera, cineri sacro reverenter affundi, votisque vota trudere. Dulce undique murmur, et exaltationes Dei in gutture omnium, quod beneplacitum esset Domino in Servo suo, et quia exaltavit mansuetum in salutem. Retinens in hunc diem pulcri moris tardior Fratrum ætas resumit religiose vota et SS. sacrificia sub honore Triadis Sanctissimæ, ad quæ ipsis seria Majorum pietas prætulit facem.

EX IMPRESSIS.

exstat una,

50 Extat præterea binum orationis exemplum tumulo sacro appensum, quod ævi illius sinceritas ad conciliandum Divum populo proposuerat. Et quia mihi quoque pie conciliandus est, quod ejus amplissimas virtutes intra unius alteriusve chartæ angustias cogere fuerit fiducia, utrumque non ore tantum, sed stylo quoque exprimo, antequam desinam:

O nova lux Poloniæ,
Clarum sidus Cracoviæ,
Fervens verna tu Mariæ
Summæ Matris clementiæ.
Florens rosa munditiæ
Felix proles Simon pie
Francisci Observantiæ;
Fer Beate præsidium,
Tandem cæli nobilium
Fac consortes nos civium.

℣ Precare Deum pro nobis beate Simon.
℟ Ne nos devincat callidus dæmon.

E

ORATIO.

Da quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut B. Simonis confessoris tui præclara nobis merita proficiant, et tua gratia, quam precamur, nos dignos efficiant, in qua firmati, tuæ gloriæ simus adnumerati. Per Christum, etc.

alteraque oratio, qua B. Simonis intercessio imploratur.

51 ORATIO ALIA. Felix beate Simon; qui jam transisti hujus mortalitatis fluctus, et pervenire meruisti ad portum perpetuæ quietis, securitatis et pacis; securus et tranquillus, semperque festivus atque gaudens es; obsecro te per tuam charitatem, qui securus es de te, solicitus esto de nostra multiplici miseria. Per ipsum te rogo, qui te elegit, qui te talem fecit, de cujus pulcritudine jam satiaris, de cujus immortalitate jam immortalis factus es, et de cujus beatissima visione semper gaudes; esto jugiter memor nostri, subveni nobis miserrimis, qui adhuc in salo hujus vitæ circumstantibus agitamur procellis. Tu porta pulcherrima, qua in magnam surrexisti altitudinem, adjuva nos vile F pavimentum longe inferius. Da manum, o Minorum decus, et erige jacentes super pedes, ut convalescentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello; intercede et ora constanter atque indesinenter, pro nobis miseris multumque negligentibus peccatoribus, ut per tuas orationes tuo sancto consortio conjungamur. Sumus namque valde fragiles et nullius virtutis homunciones, animalia ventris, et carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis vestigium apparet. Et tamen sub Christi confessione positi ligno Crucis ferimur navigantes per hoc mare magnum et spatiosum, ubi sunt reptilia, quorum non est numerus, ubi sunt animalia pusilla cum magnis; ubi est draco sævissimus, semper paratus ad devorandum; ubi sunt loca Scyllæ et Charybdis, et alia innumerabilia, in quibus naufragantur incauti, et in fide dubii. Ora Dominum, ora piissime, ora B. Simon, ut tuis precibus meritisque adjuti, salva nave, et integris mercibus, pervenire mereamur ad portum perpetuæ salutis et continuæ quietis. Amen.

ANNOTATA

EX IMPRESSIS

ANNOTATA.

a *Is fuit artium magister, virtutibus et scientia illustris, ut tradit Waddingus in Annalibus Minorum ad annum Christi* 1483 *num.* 10.

b *Waddingus loco proxime citato illum appellat Bernardinum de Parnovia; sed nos Polonis, nominum vernaculorum peritioribus, magis credimus.*

c *De hoc scriptore egimus in Commentario prævio num.* 25, *et promisimus, nos miracula ab ipso collecta huic Vitæ subjuncturos.*

d *In ecgrapho, ad me ex Polonia misso, huic diplomati subscribitur dies* XVII *Julii, et secretarius subnotatus vocatur* Hieronymus Baldacinus.

e *Significatur Matthias Michoviensis, de quo aliqua diximus in Commentario prævio num.* 19, *et versiculos ab ipso relatos exhibuimus num.* 12 *ejusdem Commentarii.*

EPILOGUS.

D *Auctor dicit, se ex iis monumentis quæ super sunt, B. Simonis Vitam collegisse;* a

Habes, pie lector, pauca ex multis, de vita et meritis gloriosis B. Simonis Lipnicii. Fuit olim historia ejusdem argumenti diffusior *a*; sed fuit. Nunc præter defrustati voluminis reliquias occurrit nihil. Quisquis invidit totum, aut servavit male, næ ille in sanctos manes et nos simul injurius. Nostra hæc cum leges, cogitabis, quomodo si inveniatur granum in botro et dicatur, Ne dissipes illud, quoniam benedictio est, ita hic prorsus evenisse. Plurima olim in vita et moribus Servi Dei observata celebrataque cum essent, sola tamen hæc evasere temporis calamitatem, ceu in vinea grandinata botri aliquot dispersi feliciter. Scio, non omnibus placere notas et compendia; sed neque mihi studium placendi omnibus. Unus mihi pro mille satis, de quo scribo, cui scribo; ultra, ne quidem volum.

sed prætermisisse ejus miracula.

53 Ceterum licet non dubitem ad hoc, ut Sanctus habeatur quis apud homines, in Ecclesia militante duo esse necessaria, virtutem nimirum et veritatem signorum, merita videlicet et miracula, ut hæc et illa ab invicem sibi contestentur, cum nec merita sine C miraculis, nec miracula sine meritis plene sufficiant ad perhibendum inter homines sanctitatis testimonium, frustra tamen hic a me miracula exspectes. Singulare hæc poscunt volumen, dum sine modo et numero nova novis quotidie succedunt. Stellas in firmamento, si potes, numera prius, aut in sole atomos; deinde nostrum verecundum damnabis ea in re consilium.

quæ ab aliis use scripta sunt;

54 Quamquam fuere, qui plurima conjecerunt in sua diaria, et quidem pleraque per inquisitionis non perfunctoriæ facem jam explorata. Antequam tamen ab Apostolicæ Petræ velut lydii lapidis exactiori trutina vim plenam colligant, præconium eorum publicum differre tantisper placuit, præsertim uno ex adnotatis supra scriptoribus, me hac cura fere absolvente. Sic autem ille in fronte sui libelli. » Quamquam, ut verum fatear, » signa non faciunt Sanctum principaliter nisi » aliqualiter et consecutive sanctitatem pro» testentur, et declarent infuisse, præsertim » cum tot tanta ac talia sint, quod in » eorum consideratione mens expavescat hu» mana, virtutem Dei in Sancto ejus admirata. D » Equidem Joannes Christi Jesu dignissimus » præcursor, ut et multi ceteri, signum fecit » nullam. Ergo non est Sanctus? Absit hoc » a veris Christicolis. Sensualitati tamen isto» rum faciendo satis, qui dicunt, signa nostra » non vidimus, jam non est propheta, id » est, verus Frater minor et Christi fidelis » imitator qui prophetat, id est, viam re» ctam et securam in regnum cælorum de» monstrat exemplis sanctis et salutaribus do» ctrinis, aliqua benignitate Dei omnipotentis » meritisque Virginis gloriosæ Mariæ nec » non servi sui Simonis beati mirabiliter pa» trata, ac varie pro laude hujuscemodi Viri, » præclarissimique Primicerii sacrosanctæ plan» tulæ religionis novellæ consignabo. Nam be» nignissimus Dominus faciens mirabilia magna » solus, qui hunc in vita virum spectabilem » prærogativis meritorum effecerat insignem, » post mortem nihilominus multo præstantius » effecit clariorem *b* ».

b e quibus tamen aliqua in genere enumerat.

55 Persequitur deinde singula longo ordine. Hunc consulat, qui menti pie curiosæ ab ipso fonte embamma vult: incurrent enim E in oculos sensusque ejus: Decem vere mortui vitæ restituti. Feminæ animam agentes (ex difficili partus occasione) viginti octo erectæ. Pestilitatis tempore septuaginta novem de morte, nidum in ipsorum corporibus statuente, triumphantes. Viginti quatuor hydropem, viginti sex febrim qui exstinxerunt aut profligarunt. Ab exquisito capitis dolore et vertigine ad usum rationis conversi viginti septem. Tres muti, quibus redintegrata loquela. Cæci tredecim, quibus, repulsa cæcitate, reluxit dies. Octo de gravi tribulatione et discrimine prodigiose erepti. Energumeni plures (fremente inferno) emancipati facilius, quam essent occupati. Sed ista numeret, cui Altissimi gratiam infinitam coërcere certo numero audacia. Fidem imploro omnium non hujus solum urbis, sed regni universi incolarum, quod morbis sonticis, vel quorum feritas omnem ingeniis artem eripit, ex solo pallii et chordæ Divi nostri contactu remedia promiscue quærantur. Nec ulli, modo rite expietur, pietas hæc frustra esse solet. Plurimum se debere communi F omnium Patrono fatentur singuli, et beneficii memores, tabulas varii, ut metalli ita et pretii, gratiæ consecutæ indices, conceptis ex pietate votis certatim suspendunt. Quibus et ego hanc meam appono pennam, plus quam erat par, pietate plausum posthabente, ausam, ductu et auspiciis ejusdem Thaumaturgi nostri, quem recte quisquis invocavit, confusus non est.

ANNOTATA.

a *Sokolnikius, cujus compendium in Commentario prævio protuli, ibidem num.* 30 *testatur, ejus Vitam fusius scriptam fuisse, quæ jam aut periit aut latet, sicuti hic Skrobkovicius satis indicat.*

b *Iste est prologus, quem Sokolnikius miraculis præfixit, ut mox videbimus.*

MIRACULA

A

MIRACULA

COLLECTORE NICOLAO SOKOLNIKIO ORDINIS MINORUM

Ex Ms. Cracoviensi, quod anno 1724 ad nos transmissum est.

PARS PRIMA.

Prodigiosa beneficia, quæ B. Simon de Lipnica patrocinium suum implorantibus præstitit anno 1482, quo obiit.

B

SECTIO PRIMA.

Quamquam autem (ut verum fatear) signa non faciunt Sanctum principaliter, nisi aliqualiter et consecutive sanctitatem perlestentur et declarent infuisse *a*, præsertim cum tot, tanta, ac talia sint, quod in earum consideratione mens expavescat humana, virtutem Dei in Sancto ejus admirata. Equidem Joannes, Jesu Christi dignissimus præcursor, ut et multi ceteri Sancti, signum quidem fecit nullum: ergo non est sanctus? Absit hoc a veris Christicolis. Sensualitati tamen illorum satisfaciendo, qui dicunt: Signa nostra non vidimus, jam non est propheta, id est verus Frater Minor, et Christi fidelis imitator, qui prophetat, id est viam rectam et securam in regnum cælorum demonstrat exemplis sanctis, et salutaribus doctrinis, aliqua benignitate Dei omnipotentis meritisque Virginis gloriosæ Mariæ, nec non servi sui Simonis beati mirabiliter patrata ac varie pro laude hujuscemodi Viri præclarissimi, primiceriique sacrosanctæ plantulæ nostræ Religionis novellæ consignabo.

C

2 Nam benignissimus Dominus faciens mirabilia magna solus, qui hunc in vita virum spectabilem prærogativis meritorum effecerat insignem, post mortem nihilominus prodigiis multo præstantius effecit clariorem; et quidem, ut pater misericordiarum, Deus ipse totius consolationis voluit pestis funestæ afflictum deterrima strage falceque horrenda populum, quæ sub illa tempestate Cracoviæ ceteris ac civitatibus oppidis et villis partibusve illi adjacentibus sæviit in homines furibunde, hoc fideli servo suo Simone, quem præ ceteris dilectum ex multis delegerat unum, salubriter consolari, dans eumdem largum ægris medicamen, mœstis pium solamen, sanis dulce recreamen, atque omnibus ipsum fideliter et devote præsidio acclamantibus suis in cunctis opportunitatibus (saluti utique talium non absonis) beneficum sublevamen: quod potissime et principaliter tres quidam adolescentes clerici in se experti recognoscuntur. Ili namque altera statim comparente hebdomada a felici hujuscemodi Patris commigratione, principalissime, quasi tres illi pueri in camino ignis ardentis, Dominum laudavere de beneficiis, meritis B. Simonis ipsis elargitis, dantes etiam bonum sanctitatis testimonium atque magnitudinis ipsius coram Domino judicium, ut in eo quoque comprobaretur illud Ambrosii dicentis: Quoniam oportet Sanctos et ab his, qui foris sunt, habere testimonium.

3 Prædicti igitur adolescentes, gravissima pestis infirmitate detenti, et jam fere agonizantes, quorum unus pro horrore doloris in eum vigescentis per aliquot tempora insensibilis ac tremulus in membris extitit omnibus; matrona vero quædam nutrix et custos eorum in hospitali, conditione sui status, soror tertii Ordinis sanctissimi Francisci, compassa cruciatibus eorumdem, posteaquam de morte patris resciverat Simonis, cum devotione, qua majori potuit, de misericordia Dei confidens, atque beatæ Mariæ Virginis adjutorio, præfatique Patris suffragio eosdem ad sepulcrum ipsius prima devovit: qui statim cœperunt melius habere in suis infirmitatibus. Videns autem hæc illos tandem non E mediocriter sublevatos, narransque factum eisdem, admonebat, ut quanto celerius votum ab ea missum ad prædicti Patris sepulcrum solverent bono modo. At illi non ingrati, talia audientes, vota sua solennius perfecerunt, veneruntque sani per Dei gratiam vota solventes cum candelulis devoti, beato Patri Dominoque gratantes. Quos frater Leonardus de Sadecz, pro tunc guardianus præfati loci Cracoviæ, magnæ profecto maturitatis vir, advocans patres et fratres loci illius, quam plures potuit, pro illa hora de hac re examinavit fideliter. Illi vero humiliter et cum lacrymis supradicta latius efferentes ore proprio affirmabant, se sanos fuisse per Dei gratiam et patris Simonis merita.

4 Item quædam pistorissa *b*, cognomento Habona, lethali fatigata infirmitate, quodam die dominico semiviva jacens, patrem Simonem cum alio fratre vidit in visu quasi ad se venientem; quem intuita obnixius deprecabatur, pro se orationem fieri in sermone ad populum: cui prædictus Pater nihil respondens, sed manum capiti ejus, ut ei videbatur, imponens F evanuit. Illa autem ad se rediens sanam se reperit votum mox mittens, sepulcrum ejusce Patris cum cereo visitatura, perfecitque tandem hoc ipsum magis grata.

Item domina Barbara relicta, cognomine Bobrowa, matrona famæ optimæ, afflicta gravissimo dentium dolore, emisso voto ad patrem Simonem ejusque tumbam, confestim sanitatem recepit.

Quidam etiam Joannes, arte carpentarius, contortus ægritudine febrium cum caloribus per unam septimanam, facto voto ad sepulcrum præfati Patris, illico sanatur votum solvens cum candela.

Item quædam vidua de Cracovia, vehementissimo capitis pressa dolore, spondens votum Patri beato, mox pulso quovis dolore, recens signum cereum super sepulcrum ipsius reliquit.

Quidam Martinus clericus de Slupcza *c* dolorem capitis incurrens maximum, ut votum emisit nudipes sepulcrum Patris aditurus, statim convaluit, solvens quod voverat.

Item

EX MS. Item Elizabeth virgo de Cracovia, filia fabri calcarium, quæ perpessa apostemata mortifera, postquam recommendata fuit beato Simoni, sanitatem recuperavit, votum complens cum cereo.

Item Stephanus tabernator et braxator dolore pedis acerbo prægravatus, ut primum votum beato emisit Simoni, salvus exstitit, signum e cera relinquens ad tumbam præfati Patris : cujus etiam filius, medicus arte, dolorem oculorum patiebatur vehementem, devotus ab eodem Stephano, liberatus a dolore permansit.

Item Catharina Droskowa de suburbio Cracoviensi quadam nocte in infirmitatem inciderat sævissimam, sic ut mori videretur; cui sic afflictæ in mentem venit, ut, sepulcrum patris Simonis si visitaret, sanaretur. Quæ cogitationi assentiens, votum vovit tumbam aditura, et illico sanata erat, explens promissum die comparente nudipes cum cereo.

Quidem scholaris, nomine Michaël de Lutostom juxta Lioza, morbum perpessus pestilentiæ in manu sinistra, et votum fecit patri B Simoni, ipsumque persolvit, et ab eo salvatus est.

Item Catharina relicta, cognomento Panazkowa, de platea S. Stephani Cracoviæ, dolore capitis similiter et oculorum interius anxiabatur, ita ut præ dolore vehementi videre non poterat. Quadam itaque vice admodum aggravata dolore vidit patrem Simonem, quasi ipsam alloquentem in hunc modum : Quid inquit tecum agitur, et quo indiges? Cui illa : Dilecte, ait, Pater ora pro me anxia Deum, ut sanitate perfrui merear. Et ipse ad eam : Crastina die meum visitabis tumulum, et sanaberis; et statim ab ea disparuit. Illa vero mox votum iter actura spondens ad ipsius tumulum sanata est solvens votum cum cereo.

6 Item Stanislaus villicus cum Dorothea conjuge sua de Dæbnik, villa juxta Cracoviam, gravissima pestis infirmitate decumbentes, consilio cujusdam dominæ præsidio patris Simonis se humiliter sanaturi commendaverant, ac subinde obtinuerant petita desideria meritis dicti Beati, offerentes in voto duo lumina C proceræ altitudinis diversique coloris, et duas gallinas.

Domina Christiana de Cracovia, alias Niklosowa, citra partum constituta, molestum apostema in pede subortum patiebatur, ac demum apostematis causa dolore capitis durius constricta vix de se parum quid scire videbatur : cumque votum pollicitans limina patris Simonis [adire] proposuit, valetudini pristinæ restituta erat. Obtulit ergo in voti solutionem et signum pedem cereum atque verticem.

Stephanus quidam civis Cracoviæ de platea S. Nicolai cum sua consorte Agnete, alias Sclachcina, cum parvulo etiam puero valida erant percussi infirmitate. Vir quidem tribus apostematibus obvolutus erat; uno sub ascella sinistræ manus *d*, altero sub mento, tertio circa costas; mulier autem corrosiones ventris patiebatur mirabiles, sic quod ambo morti dispositi communicaverant, ut veri Christiani. Demum ex consilio devotarum quarumdam mentium, votum Deo Patrique beato spoponderunt, et confestim sanati sunt, venientes ad sepulcrum viri prædicti cum candelis pariter. D

7 Item Anna Bartossowa de platea S. Annæ Cracoviæ, existens in sermone ipso die Assumptionis Virginis Mariæ in ecclesia S. Francisci ad Conventuales, subito opprimitur gravi ægritudine, ita quod insensibilis pene effecta, exanimis videbatur. In qua sic permanens et in domum delata suam, nec meminit, quod dominici corporis Sacramento erat procurata. Cui sic afflictæ menti ejus spiritus quidam illabitur de voto faciendo ad quempiam Sanctorum pro recuperanda sanitate. Ei autem ita titubanti; an videlicet ad S. Mariam in Czestochowa *e*, sive ad S. Crucem Montis Calvi *f*, an ad patrem Simonem se debeat devovere, inspirat Spiritus ille bonus, ut ad Patrem prænominatum se promittat accedere cum lectione Missæ, sperans firmiter se adepturam pristinam sanitatem integram : vixque medium unius horæ erat a voto dilapsum, cum ipsa plene sanitati restituitur. Quæ sana recensque infra Octavam dicti festi die dominico, ut Deo Patrique beato de beneficiis gratias redderet, veniens, E hoc ipsum accito patre Anastasio, pro tunc præsidente loci, in quo requiescit corpus prædicti Patris beati, pure, ut secum gestum est, enodat ac pro Missa petit; ipse vero (ut prudens) assumpto secum altero Fratre optimi utique meriti, Mathia de Skowina mature rem gestam ab ea exquisivit ad laudem Dei omnipotentis.

8 Item tres scholares in studio Cracoviæ constituti, omnes ulceribus pestiferis usque ad mortem decumbentes correpti cum per nutricem eorum (quæ mater in hospitalis fuit in quo jacebant) erant ad tumbam patris Simonis devoti, sani euntes vota perfecerunt, nomina ac locum nativum infirmitatesque suas patri seniori eos percunctanti manifestaverunt. Quorum primus Joannes de Laczyca, secundus Joannes de Kalifs nominabatur. Tertius etiam de Laczyca; hic utique etsi minus plene tunc sanus fuit, mirabiliter tamen convaluit : nam, referente nutrice eorum, pluries agonizabat : et quam primum per eamdem fuit devotus, convaluit, vivensque venit ad monumentum, [et] F votum solvit.

Item Margareta Pawlowa, de platea S. Nicolai Cracoviæ carnificissa *g*, dolorem colli patiebatur durissimum, non potens aliquantisper caput movere fere per integram septimanam : cumque fama celebri patris Simonis audita, fuisset illi devota Virginique Matri, sanitatem recuperavit.

Similiter et domina Barbara, de S. Stephani platea dictæ urbis, languescens in omnibus membris trepidabat, moxque, ut votum sæpe memorato Patri pollicita erat, sana extitit.

Michaël quidam de Swizcimictz, villa adjacenti Skowina, detentus pestilentica infirmitate, cum fortius ea premeretur, emisso pacto Simoni beato, sanus cum viva oblatione votum explevit.

9 Item domina Anna quondam Girzykowa civis Cracoviensis, cordis tædium passa vehementissimum, quod quidem hoc modo inciderat : nam huic, viro adhuc superstite, cum multæ opes essent, ipso tandem mortuo, vix unus (ut referebat eadem) obolus in domo remansit,

A remansit, balteis ceterisque rebus magni ponderis exceptis. Videns autem quod sepulturam viro suo quo perficeret debitam non haberet præter res magni pretii, quas invadiare *h* nolebat, de defectu pecuniæ conquerebatur. Tandem sic tristis ad doctorem Clementem prædicatorem Polonorum ad S. Barbaram Cracoviæ accedens consilium super eventu petiit, virumque orationibus suis mortuum commendavit. Qui postea in ambone juxta morem existens virum ipsius communi orationi populi adstantis in sermone recommendavit: Orate, inquiens, pro anima bonæ memoriæ Girzit, qui in magna paupertate decessit. Quod audiens domina supra memorata nimium turbata erat, eo quod pauperem virum ipsius nominabat. Unde et multi alii id ipsum audientes more detractorio illi illudebant, quod sic virum post mortem commendaverat, utique olim locupletem. Ex hac igitur fama undique vulgata pauper domina et mœsta tædium incidit vehementissimum, ita ut cor ejus rumpi præ dolore videbatur; imo dicebat illachrymans: Nisi, inquit, beatus iste Pater adju-B visset me, in hac vice omnino aliquid mali incidissem. Sed ego misera confidens in meritis ipsius, flexis poplitibus rigans genas lacrymis, voto misso ejusce patrocinio sum suffragata, attulitque pro voto cor de rubra cera.

10 Item Michaël studens almæ universitatis Cracoviensis, natu de Miedzyrzye, cum infectus gravatusque esset diuturna pestis funestæ ægritudine, ac tandem a quadam matrona persuasus de voto patri Simoni faciendo, ipso misso, meritis ejusce fideliter sanus extitit.

Item Dorothea ancilla, alias coctrix hospitissæ scholarium, nimis rigida febrium quartana torquebatur: cumque a sua domina almo Simoni fuisset devota, ab hac salva est.

Dominus Thomas civis Cracoviensis cum sua conthorali domina Dorothea atque pueris eorum, afflicti pestis gravissima infirmitate atque per parentes pro se et eorum pueris (specialiter tamen pro uno illorum qui tribus vicibus jam agonizabat morboque C etiam caduco fatigabatur) voto ad limina beati patris Simonis emisso, curati sunt, et eodem die cum devotione cum pueris, cerisque protensæ quantitatis vota sua perfecerunt.

Item Anna vidua alias Szezepanova de Bwierzynice percussa ægritudine pestilentica nimis gravi, ut etiam de vita jam desperaret, poscens præsidium almi Simonis incolumis recensque sanitati pristinæ restituta est.

Quædam etiam Anna Polenezyna de Casimiria, uxor piscatoris, filium suum parvulum, infirmitate valida laborantem, patri huic Beato devoverat; qui ad votum matris sospes illico remansit: post hæc, matre sua præfata votum promissum implere non curante, iterum et acrius recidivat *i*; quem ipsa devotis genibus flexis ad limina patris Simonis promittens, ad puerum jacentem nimisque afflictum manus porrexit: Veniamus, inquiens, charissime in S. Bernardinum ad tumbam patris Simonis. Et ecce puer ille confestim, velut e somno expergefactus, matri manus tetendit, nec amplius jacere aut sedere, voluit, donec secum mater ad tumbam beati Viri deveniret. EX MS.

ANNOTATA.

a *Auctor vult significare, ni fallor, quod miracula a viventibus patrata, non præbeant certum sanctimoniæ indicium: nam quæ intercessione alicujus Sancti post mortem fiunt, sunt indubitata sanctitatis signa, ut ex aliis docet Felix Contelorius in Tractatu de canonizatione cap.* XIX.

b Pistorissa *hic idem est quod Latine* pistrix; *sed ejusmodi voces barbaras deinceps non explicabimus, nisi sensum reddant dubium aut obscurum.*

c *Martinus Zeillerus in Germanica Poloniæ descriptione pag.* 95 *vocat* Slupeciam, *dicitque sitam esse in palatinatu Sendomiriensi ad radicem Montis Calvi. At ne nimium excrescant hæc Annotata, similium locorum descriptionem deinceps omittam, tum quia in mappis geographicis passim occurrunt, tum quia plurima ex iis explicata sunt in Actis S. Stanislai episcopi Cracoviensis et martyris, quæ ad diem* VII *Maii illustravimus.*

d *Puto, quod Sokolnikius* ascella sinistræ manus *voluerit significare axillam sinistri brachii.* E

e *Czenstochova est oppidulum Poloniæ Minoris ad Wartam fluvium in confinio Silesiæ situm, et miraculosa Deiparæ imagine inclytum, ad quam plurimæ instituuntur peregrinationes. Vide Dlugossum lib.* I *Historiæ Polonicæ col.* 33.

f *Cromerus in Descriptione Poloniæ agens de Polonici soli cœlique qualitatibus hunc montem sic describit*: In meditullio vero Minoris Poloniæ Lysecius est, quasi tu dicas calvum sive calvastrum, in quo monasterium est sanctæ Crucis nomine lignoque celebre.

g Carnificissa, *id est uxor lanionis, aut mulier, quæ vendit carnem: sic etiam carnifex hic sæpe ponitur pro lanione, quod semel monuisse sufficiat.*

h Invadiare *hic idem est quod Latine oppignerare, sicut ex sensu satis colligitur.*

i Recidivat *hoc est in eumdem morbum recidit; quod verbum in hisce miraculis sæpius recurret.*

SECTIO SECUNDA.

Quid referam ausculta: nam Zophia biennis [filia] Nicolai telæ textoris de F Tarnow ludens pueriliter in via serpebat, qua permissione Dei, quadrigam tribus equis trahentibus desuperque tribus actualibus cerevisiæ cohærentibus contigit vehitari; una autem rota dicti currus (auriga improvido) subacto puellulæ collo illud moleste pertransiit. Unde illa mox capitis collique tumorem incurrit pergrandem, exhalatumque * e vicino præstolans semiviva recipitur ac emortua. Unde quibusdam duobus Fratribus Minoribus de Observantia illac casu supervenientibus, unus eorum nomine Benedictus, patri Simoni utique devotus, parentibus ceterisque lugubri spectaculo assistentibus puellam sic mactatam ipsi patri Simoni recommendare consuluit, et ut alios ad fidem ferventioremque devotionem animaret, ipse primus pro ea votum mittere non prorogavit. Quid multis immorer? En dictu inaudibile, puer ille, qui jam e vivis erat abiturus, voto misso a patre Fratre præfato, in continenti incolumis efficitur nec ad vesperam usque languens jacebat. Cujus pater nimium

* id est mortem

nimium gratus votum cum puella exsolvit.

EX MS.

Item adolescens quidam Jacobus de platea Vistensi Cracoviæ mortali decumbens infirmitate, cum ei nulla jam spes sanitatis esset, tandem desperatus gratiæ divinæ præsidio sibi patrem invocavit Simonem et sanatus est.

12 Item Victoria, Palatini Ravensis *a* filia, soror tertiæ Regulæ sanctissimi Francisci, moram habens Cracoviæ in clausura ad S. Agnetem, percussa ægritudine pestilentica, finique appropians, dum votum patri emisit Simoni, ipsam evasit. Quia vero personaliter ob clausuram votum complere non potuit, per alias duas sorores ejusdem Ordinis, ad extra manentes, lumen protensum ad sepulcrum Viri beati submisit.

Item Stanislaus, cognominatus Chlopiec, de Wierzbno villa adjacenti Prosowicze, impeditus pestis morbo sævissime [cruciabatur apostemate] tum sub oscella manus sinistræ, tum etiam in inguine atque post aurem in collo ad quantitatem ovi gallinarum [crescente,] sic quod jam de sanitate penitus desperaverat. Cumque sic gravaretur, nec valeret B triturare frumenta, quod cœperat, ecce clericus seu quidam socius advenit, eumque interrogat, quidnam haberet. Cui ille: Nimis debilitor, statimque socius: Amore Dei promittas, te iturum ad beatum Simonem, Cracoviæ nuperrime clarescentem. Ille autem hoc audito, dimissa confestim cribula, votum devotus fecit, et pristinæ sanitati e vicino restitutus integre, alacer solvit veniens pedes votum.

13 Item quædam domina Barbara civis Cracoviæ infecta funestæ pestis infirmitate atroci, mori plus quam vivere sperabat: non enim jam poterat loqui: contigit autem eidem tale quid in nocte quadam: vidit etenim (nec dormiens a tactu primæ usque ad tactum horæ nonæ) visiones varias de animabus mirabiliter ac varie in futuro seculo se habentibus, atque demum dæmones eam terribiliter pavefacientes, sic ut eam vellent de lecto recipere. Hæc matrona Deo multum devota nesciens, quo se tutius muniret, signum sanctæ Crucis, in se sæpius replicans, [pro] scuto assumebat. Nec tamen eatenus C visiones illæ evanescere quoquomodo quibant: ipsa denique multum territa ad beatum patrem Simonem confugiens ei supplicare cœpit apprime: O, inquiens, serve Dei altissimi et amator ferventissime nostri Jesu Christi. Ecce pius Pater continue sibi affuit, ipsamque liberam consolatamque reliquit et in crastino, quæ jam pridem semiviva fuit, optime ambulavit. Sana igitur existens votum gratissima exsolvit. Cum hac autem etiam et aliæ mulierculæ duæ de Cracovia venerant, commissamque sui successus patribus quibusdam illuc astantibus revelaverant. Nam prima, Dorothea nomine, ferme quinque hebdomadis infirma jacuit. Quæ ut patri Simoni votum fecit sepulcrumque visitavit, sana extitit; similiter et altera, nomine Barbara, pestilentico languore attrectata, meritis beati Patris se humiliter commendans liberata est.

14 Item dominus Slimak, vir utique sagax et crine canus, advocatus de Stradomia capitis immani pressus dolore, spondens ita sæpe memorato Patri, cum cereo sanitatem recuperavit. Cujus voto concordans Catharina quædam, cujusdam carnificis uxor de Cracovia, D nimio capitis detenta dolore, facto voto beato Simoni, sanitatem pristinam reassumpsit, obtulitque in voti signum verticem cereum ad tumbam præfati Patris.

Item Simon scholaris de wastynin in hospitali pestilentica jacens ægritudine pluries agonizare videbatur; cumque per nutricem ipsius, alias per matrem hospitalis, fuisset patri devotus Simoni, optime convaluit.

Item Ursula quædam de Stradomia infirmabatur nimium et ob id, uti morti vicina, salutari viatico procurata erat. Quam visitans homo quidam eidem persuasit, ut se ad limina patris recommendaret Simonis: quo facto incolumis e lecto surgens votum persolvit.

Item Nicolaus annorum quinque vel citra [filius] Magdalenæ de Kleparz molesto colli dolore attractus [erat tam] mirabiliter, ut capitis partem anteriorem retro verteret. Hunc dum mater sua prædicta patri commendasset Simoni, sanum directumque recepit meritis Viri Dei.

Item Swiætochna de Zwierzyniec plurimum infirmata, imo plus jam sperabat alte- E ram, quam præsentem consecutura vitam: sed cum sarcophagum beati Simonis visitare concepisset, incolumis surrexit ac recens votum, ut decuit, complevit.

15 Jacobus quoque, studens almæ universitatis Cracoviæ de Zwena, corporis ægritudinem patiebatur gravissimam: qui famam patris Simonis percipiens celebrem, viam se illi pollicitus erat facturum sanandus; sanitate vero adepta, viam ut ingratus explere vilipendens, juste multo ferocius recidivat. Denique corde compunctus beneficiique non oblitus pristini, iterum firmiter bustum præfati Viri memorabile aggredi proposuit, et ita votum non negligens integre sospes complere non prorogavit.

Puella quædam nomine Dorothea de Stradomia ultra sex septimanas languens jacebat; nocte vero quadam jam agonismo laborabat. Quamobrem mater ejus mœsta nimis plangebat stans super eam. Mœstorum itaque consolator omnipotens Deus pie eidem inspiravit, ut natam in voto huic Patri offerret beato. F Ipso igitur facto, puella in crastino sana optime nimisque læta votum ad tumbam Simonis profert.

Item quædam Elisabeth de subcastro *b* Cracoviæ febrem patiebatur rigidam; cumque sepulcrum Simonis beati visendum devovisset, ipsa liberata evasit.

16 Joannes quoque filius cujusdam bonæ memoriæ de curia Domini Abbatis Tiniecensis *c* cum diu peste decubavisset, ac patris Simonis patrocinio ab eadem matre ipsius deditus fuisset, convalens sospes permansit.

Item tres feminæ in una domo de Zwierzyniec, quarum duæ, Swiætochna videlicet ac Barbara, ulcere pestilentico validius tortæ, emisso pacto fossatam * Simonis visendi, continuo pristinæ restituuntur sanitati. Tertia vero earumdem, Anna nomine, jecur intestinaque admodum dolebat; sed, voto [facto cum] præfatis sociabus, consolata in crastino optime sana surgens votum cum eisdem complevit.

Quidam Stanislaus, succrescens aliquot obvolutusque apostematibus, de sanitateque jam omnino

* id est sepulcrum

A omnino desperatus, dum per dominum suum Jacobum barbitonsorem ad fossam beati Simonis erat recommendatus, incolumis integre permansit, offerens in voto cereum staturæ æqualem suæ.

17 Item quædam domina de Cracovia nimium locuples, dicta Giermakowa, fere quinque septimanis infirmata lecto immobilis decubabat; cumque mortem jam e vicino præstolaretur, ac fuisset per quamdam aliam dominam visitata, atque ab eadem patri Simoni recommendata, tandem ipsa in mane convalescens ad limina beati Viri pro voti solutione venit.

Non huic dissimile in quodam Nicolao cultrifabro de Cracovia evenit: eo etenim in via nundinarum, ad quas equitaverat, existente, infirmitatem incidit maximam, moriturum se in proximo æstimans. Hunc ergo cum vir alter ipsius comes sepulcro Simonis beati sistendum pollicitus erat; non mora, infirmus ille surrexit sanus, votumque tandem rediens, ut decuit, solvit offerens duos cereos pro Missæ lectione.

B 18 Item Catharina filia Margarethæ, alias Czayczyna, de Stradomia languens gravi dolore per dies septem jacebat; jamque illi mater præfata lumen agonizantium pluries porrigebat accensum: sed fama celebri beati Simonis crescente, ac undique beneficia se invocantibus præstante, pia mater ad ejus etiam confugit patrocinium in filia habendum. Quæ mox misso voto, cum filia sana in crastino votum grata solvit.

Quædam etiam Catharina de Casimiria, circa partum constituta, nimio affligebatur dolore, periculumque sibi non longe pariens venturum [sensit.] Ad tumbam beati Simonis accedere devote statuit, et ita a contrario quovis liberata remansit.

Item Valentinus Margarethæ de Cleparz filius parvulus valida languebat infirmitate; cumque mater eumdem patri devovisset Simoni, sanus extitit; pro quo figuram ceream mater eadem ad tumbam prædicti Patris detulit.

Item Catharina, uxor Cunat, capitis dolore C pressa acerrimo, et Anna de platea, quæ appellatur Szwinska de Cracovia, eadem pœna capitis ac insuper dolore laborans oculorum, devotæ fratri Simoni sanitatem perceperunt.

19 Paulus famulus castrensis in Dopezice mortali ægritudine dudum jacens postea vulneratus, fere de se nihil sciebat, insipiens factus. Cum vero per alium fuisset prædicto beato Viro commendatus, continuo convaluit, sanusque existens decenter votum solvit cum cereo altæ proceritatis Missam ibidem audiens.

Item Anna de Czyrzyny febrem peracutam patiebatur, ut etiam noctem, in qua opprimebatur, insomnem duceret: hæc, quam cito se visitaturam limina beati Patris devovit, sana facta est.

Item Nicolaus sartor de Cracovia cum vice quadam prædicationi verbi divini assisteret alicubi; inter cetera recommendationem etiam patris Simonis audivit, quod videlicet magnus esset cuivis ipsum invocanti in quacumque necessitate adjutor. Non longo tracto tempore, in infirmitatem lapsus erat vehementem; et cum de sanitate omnino desperaret, reducens memoriæ merita supra memorati patris Simonis, ad eum statim preces fundere cœpit ut valuit. Qua finita in se facto recognovit, quod in aliis verbo audivit.

20 Martha uxor cujusdam sutoris civis Cracoviensis ingens apostema in pede perpessa, facto voto beato Simoni, morbus pestifer ab ea evanuit non amplius apparens. Veniens itaque pro sano pedem obtulit cereum.

Mathias secundum agens ætatis suæ annum, Margaretæ filius de Dopezyce, in festo Assumptionis gloriosæ Mariæ semper beatæ Virginis uvam pruni a matre sibi præstitam edens, et nucleum tandem intro manentem, cujus testam dentibus tenerrimis non poterat conterere, integre voluit deglutire, nisi illum arctitudo juvenilis arteriæ *d* cohibuisset: unde nucleus integer in stricto remanens gutture eum suffocare cœpit, lividum ex hoc efficiens et nigrum ac mortuum. Mater itaque indiscreta magisque tristis superveniens, eo sic viso, volebat subvenire, si quomodo potuisset, eidem; sed minime valuit via humana. Flens igitur atque ejulans, nec aliunde videns sibi superesse tutius refugium, altas cælo voces E sustollebat, patrociniumque Viri gloriosi in puero jam quippe morienti exoptando [exclamabat.] Ipsa vero aliquamdiu tristes lachrymis genas spargente, en puer caput sensim movere cœpit, nimiaque tussitatione nucleum mox sanus factus evomuit, hinc matrem lætificans.

21 Item Catharina puella annorum fere novem de Cracovia pergrande apostema juxta auriculam fixum patiebatur; et diffisa in sanitate ab omnibus, jacensque semiviva, a matre lugente beato pollicetur Simoni; unde, cui nulla spes sanitatis erat humano judicio, meritis Viri Deo dilecti sanatur optime. Læta igitur atque jucunda gratias Deo retulit veniens dignas.

Bernardinus quidam de Mastella Cracoviensis civitatis oppressus ulcere pestilentico in manu nimis acri; dum spopondit se iturum sepulcrum Simonis visendi causa, incolumis debite votum persolvit.

Quædam etiam Domina Catharina de Bronowice lethali infirmitate detenta dudum F languens jacebat: voto simili misso, e vicino sana surrexit.

Item Joannes pellifex pestilentialibus febribus per duas ferme dies tortus vehementibus, nec interim aliquatenus ab eis dimissus, die noctuque, facto voto Simoni beato, statim illas evasit sanus.

Similiter etiam Dorothea quædam, eadem febrium laborans peste, nec a quodam medicamentum ab ea receptum ei quidquam in hac re conferre potuit: cumque tædio exhinc afficeretur, votum præconcepit beato Patri faciendum. Quo facto sospitati pristinæ restituta est.

Item Petrus studens Cracoviæ, cum ad mortem usque ægrotaret peste, facto voto Patri persæpe nominato, sanitatem recuperavit, solvens votum nudipes cum candela.

ANNOTATA.

a *Cromerus in Descriptione Poloniæ de hoc palatinatu ita loquitur:* Ravensis quoque satrapia quondam pars Masoviæ fuit, suosque duces habuit.

b Subcastro

b Subcastro Cracoviæ *significari existimo arcem Cracoviensem, quam Cromerus in opere jam citato ita describit :* Habet et arcem peramplam Cracovia a latere australi in colle seu rupe Vistulæ et Stradomiæ imminentem, mœnibus turribusque munitam, et magnificis regiæ ac basilicæ, in qua sedes est episcopi, duorumque præterea delubrorum et aliarum privatarum domuum ædificiis exornatam.

c *Hoc monasterium, de quo agit Dlugossus lib.* III *historiæ Polonicæ ad annum Christi* 1044, *fuit totius Poloniæ locupletissimum, et ex Cluniacensi cœnobio ortum. Videri de eodem potest Cromerus de rebus Polonorum lib.* IV, *pag.* 77.

d *Forte legendum est* arytænæ : *sic enim (vel etiam* arytænoeides *juxta Bartholomæum Castellum) a medicis vocatur quædam cartilago laryngis, similitudine desumpta a gutturniis seu infundibulis vasorum, quæ Græci* ἀρυταίνας *appellant. At lectio nostra utcumque intelligi potest, cum arteria, teste Gorræo, præter alia significet fistulam, quæ ex ore in pulmones descendit.*

SECTIO TERTIA.

Domina Wiianoska concivis Cracoviæ, infirmitate mortali percussa, ac de salute corporis desperans taliter Simoni supplicabat beato sanitatis consequendæ causa : O, inquit, patrum optime Simon, virorumque inclyte; si loci tui recubitus aditum habere cuperem, me indignam penitus esse scio. Tuorum saltem Fratrum, o Vir sancte, ecclesiam visitare promitto, ibique ad gratiam [impetrandam] in laudem Dei et honorem tui quinque Pater noster et totidem Ave Maria votivam oretenus facere vellem orationem : solum autem tui locusculi, quo corpore hæres, meo cooperire donario insuper promitto. Hæc ita eadem ibi dictante, mirum admodum mulier sana surrexit, et ut mente conceperat ac ore expresserat, perfecte implevit opere.

Item Stanislaus quidam de Stradomia, cum quemdam mortuum in cœmeterio ad patres Bernardinos *a* sepelisset, infectus ab eo, lecto mox acerbissime incubuit; emisso vero voto adeundi sepulcrum patris Beati statim convaluit. Minus tamen miser iter parvipendens dissimulabat : unde permissione divina in eamdem incidit fortius infirmitatem. Videns itaque in se divinam ultionem justam, humilior factus ac devotior fideque constantissimus votum iteravit, et ita confestim e lecto surgens votum persolvit nudipes : cum quo et alius venerat, Paulus videlicet nomine, etiam de Stradomia arte murator æger nimium, postea vero quam talia de patre audiverat Simone ab aliis sibi devotis, et ipse voto assimilatus eorum sanitatem adeptus est.

22 Item Catharina Catharinæ de Cracovia parvula filia cum premeretur languore mortifero, materque ipsius pluries super eamdem illacrymaretur spiritu compassivo, ut Dei instinctu hominumque suasu ipsam patri commendasset Simoni, incolumem recepit.

Pari ægritudine Jacobellus puer puto quatuor annorum dominæ Catharinæ de Stradomia lecto accumbens, cum fuisset devotus ab eadem Simoni dignissimo, optime convaluit.

Item domina Catharina de Cracovia, cognomento Rothisarowa, longa nimis atque acerba infirmitate constricta, emisso voto, ipsam incolumis totaliter evasit.

Nicolaus filius Dorotheæ de Stradomia mirabiliter peste vulneratus, nec medicinalis emplastri appositione aliqua ex parte adjutus, cum mater ipsius, Patris in eo almi præsidium invocasset, mox convaluit recensque, acsi numquam ægrotasset, votum perfecit.

Item Hedvigis de Ilkuss *b* dum subita et acri quassaretur debilitate intensius, fama de Patre hoc audita salubri, continuo ad suffragium sanctitatis suæ confugiens ab ægritudine extitit liberata.

23 Joannes quidam de Stradomia vir ætate grandævus, cum peregrinaretur ad Virginis festa gloriosæ in Czstochowa, volens ecclesiam intrare in novo monte turbo aërismali ipsum subito percussit, et nisi sublevatus ab aliis fuisset, retrorsum moleste cecidisset. Ecclesiam itaque vix vel ingredi potuit. At fere semivivus, ne statim moreretur, ut sperabat, confessus est : agente autem circa eum nihilominus diu aëre malo, in Patris hujus beati se tutelam contulit fidelis. Sospes eapropter atque alacer domum regressus est, gratias pro viribus Deo Simonique beato agens debitas.

Item domina quædam Dorothea benefactrix et pia Simonis amatrix, hinc inde se circumvolvens cum suis mercenariis dolore capitis per longum tempus gravabatur. Hæc quodam tempore famam Viri beati longe vulgatam audiens, ipsi se voto astrinxit sananda ut limen ejusce visitaret, et mox sanam ideo se reperit.

Quidam Joannes, sellarum artifex de Cracovia febribus acerrimis longe nimis, atque post tanto oculorum dolore torquebatur, ut crepare præ doloris ejusdem excessiva valetudine cito putaret. Inspiratus bonitate divina fidem erigit ad merita beati Patris : voto igitur facto, sanitati integerrime redditus est.

24 Margareta in Ilkuss oppidana, ægritudine pestis nimium afflicta, cum septimanam exegerat morti potius quam sanitati continue propinquior, quamprimum per quasdam personas patri Simoni fuit devota; hæc etiam per seipsam nihilominus sollennizans latius id, dum sana existeret, illo die, quo corpus ejuscemodi Patris beati visitatura esset, nihil penitus comedere proposuerat usque dum veniens [votum implevisset.] Unde factum est divina benignitate, ut mox de bono in melius procedens, sana decenter cito facta, votum implevit.

Joannes quidam urbis Cracoviensis incola ætatis jam provectæ, prout canities ipsius denotabat, quodam tempore in villa juxta Cracoviam constitutus, inflaturam perniciosam incurrerat capitis ad modum vesicæ conflatæ. Enimvero eo sic diutius languente, uxor ipsius, ut votum Simoni faceret, suggessit eidem, ad devotionemque, prout potuit, ipsum animavit. Qui non moram trahens, consilio feminæ bonæ acquiescens, Patri huic venerabili se dedidit in voto. Incolumitate igitur optima potitus votum complevit, gestumque rigans lacrymis faciem narravit.

25 Item Helena de Ilkuss morbo decumbens

A bens pestilentico duabus hebdomadis, devota a quibusdam personis, protinus levamen non mediocre persensit; morbusque ille teterrimus successive disparens sanitati pristinæ eam restituit de proximo; illa vero, ut grata, votum solvit nudipes ac sine camisia.

Item dominus Joannes, famosæ urbis Cracoviensis advocatus, vir utique locuples ac notabilis, tribus septimanis vel circiter ægritudine detentus pestifera, ac tandem Patri sæpe dicto devotus cum lectione Missæ ad bustum ejus, incolumis plenissime cum cereo proceræ altitudinis votum persolvit.

Item Anna de Cracovia, in hospitali constituta, dolore capitis atque aurium vexabatur eximio; unde et auditum sonitus cujusque per tres et amplius hebdomadas minime potuit habere. Quæ ut voto se astrinxit Simoni beato, sana potissime, ut ante, extitit. Votum itaque explevit, a limite choralis ostii in manibus ac genibus se vehitans usque ad tumbam Patris prædicti, insigniaque aurium e cera secum detulit.

Item Jacobus pistor de Cracovia decem
B septimanis febribus correptus acutissime : nunc enim tertiana, nunc quartana, ac demum quotidiana atrocius opprimebatur. Hic in præsidium Patris beati confugiens humili fidaque devotione, in crastino voti locum felicis recubitus præfati Viri beati visitavit illas evadens, Missamque ibidem audivit, Domino ejusque fideli Servo gratias de beneficio agens.

26 Item Catharina quædam, soror tertii Ordinis sanctissimi patris Francisci, dolore capitis pulsata gravissimo, quam cito Simonis gloriosi monumentum adire proposuit. ab eodem liberata extitit. Mente autem jam sana secum pertractans de voti impletione, ac subinde in eam inimici irruente tentatione, illud non magni ducens, solvere noluit : et ecce subito in eamdem capitis infirmitatem incurrit. Unde ad se rediens iterum eidem voto astringitur. Mox etiam a dolore libera manens, votum etiam utique minime implere curavit. Ideoque divina justitia tertio punitur tam mirabiliter, ut omnibus fere infirmitas, ejuscemodi [in] domo commorantibus,
C eadem innotesceret. Nam quidem nedum caput, sed et omnia membra vehementer dolere cœpit; verum jacente ea nocte quadam nec præ tristitia dormitante, voce quadam rigide corripitur taliter : Jam, inquit, o infelix mulier, tertio divino plagaris judicio; necdum tamen, quod promiseras, implere conaris, imo, sicuti Deum irridens, illi mentiris. Ad hanc igitur vocem matrona contremiscens, fidelior efficitur atque devotior. Statim tertio misso voto, sana optime conversari visa est. Obtulit autem in voti solutionem [et] signum, verticem cereum. Hæc ex ore ipsius etiam jurata.

27 Stanislaus clericus octo annorum, Margaritæ de Cracovia filius, valida pestis ægritudine quassatus dimidio alterius hebdomadæ spatio; quem postquam mater supradicta ipsius, suasu cujusdam matronæ salubri, huic Beato cum lacrymis devovisset, e vicino integre sanus hilaris et ridens votum cum ea veniens adimplevit.

Quædam Elisabeth vidua, ad valvam novam penes Cracoviam inhabitans, dolore scapularum necnon capitis cruciabatur acerrimo, non parvo tempore. Hæc quia devotionem specialem ad Patrem hunc adhuc viventem habuit, confidens in meritis ipsius jam seculo defuncti non mediocriter; vice quadam cum plus solito cruciaretur, in ejus se patrocinium contulit. Invocato itaque ipsius nomine, factaque eidem aliquali oratione, illico sospes permansit. EX MS.

Item Joannes, filius Martini de Wægrzynowice diœcesis Cracoviensis, septennis vel citra infirmatus plurimum per duas dies loquelam concluserat, rugiens tantummodo mirabiliter; qui ut per patrem præfatum sæpe sæpius repetito Viro beato devotus erat, in crastino, ac deinceps gressu sanus factus est.

Item Anna, puella annorum quatuordecim Catharinæ de Radvanowice peste correpta duabus septimanis est : commendata a matre Simoni beato accepit sanitatem.

Joannes Margaretæ de Bochnia cadens percrebro epileptico morbo horribili, mœstæ matris cor tristitia non modica configebat; quem ut eidem patri Simoni curandum devovit humiliter, salvum de cetero continuit. E

28 Ausculta quique legeris et hoc : Anna etenim natula duorum ferme annorum, dominæ Hedwigis in Polanovice, cum aliquando avus suus generosus videlicet dominus Nicolaus Grzymala *c* de villa, ubi pestis apprime viguit, ad eos devenisset, puella more parvulorum illi congratulans collo ipsius se appendebat, et ob id sine mora ab eodem pestilentico inficitur aere, languore obruta. Quo magis magisque invalescente, nocte una agonizare cœpit, atque manus pedesve distendens, oculis etiam eversis, nec spirare potuit : cujus cruciatus mater mœstissima cernens, ejulatu nimio in lacrymas prorupit maximas! Heu me, inquiens, heu me! omnipotens Altissime matri gementi succurre, nec unica hac filia me orbatam sinas. Cumque tales ac his similes ingeminaret voces, misericors Dominus eidem matronæ bonum ingessit spiritum, sicut et domino Grzymala, ut hanc natulam præsidio beati recommendarent Simonis. Ut ergo hoc perfecerunt (stupendum profecto!) ecce puella illa jam fere exanimis, e lecto in altum exiliens, F matrem complexata est, eidem dulcia atque lætabunda præbens oscula. Mater ipsius igitur cum præfato Grzymala, præ gaudio velocius pedestres viam quatuor milliarium assumentes, in Cracoviam properarunt, patremque Simonem magnopere laudis novo genere efferentes, rem gestam patri seniori loci Cracoviæ et aliis pluribus cum lacrymis narraverunt ad laudem summi Opificis omnium.

29 Item Nicolaus de Thasyce colonus plurium apostematum sævitia affligebatur vehementissime. At viciniorem se morti sentiens propter indispositionem mori timuit. Ob hoc itaque remedium efficacius non inveniens, in sui relevationem, Patris beati tumulum visitare spopondit. Unde vir ille moriens subito sanus extitit.

Item Barbara, cujusdam pistoris uxor de Bochnia, cum morbo pestilentico per tres fere septimanas immanius torqueretur, confestim ab ea, voto emisso, morbus ille letifer disparuit. Quæ facto hujuscemodi nimium stupens,

stupens, ut Domino servoque suo Simoni gratias referret, ad plenum sanitate donata festinavit.

Item Mathias, de Dopicice, arte lutifigulus, cum fatigaretur diuturna morbi ægritudine, fama percepta super hoc Viro mirabili, ipsi se etiam, ut alii, humiliter commendavit, et ita pristinam sanitatem sumpsit.

30 Item domina Dorothea, cujusdam pellificis conjunx de Cracovia, horrendis stimulis in scapulis ac dorso fortiter angustiabatur, dolorque se propensius augens, usque ad cor vehementius penetrabat. Ei vero sic afflictæ quædam persona persuasit de voto eidem faciendo : quo facto, dolorem penitus evasit, offerens tandem in voto duo signa cerea brachiorum, atque cordis tertium.

Hujus etiam famulus, Martinus nomine, etiam pellifex, prævalida peste lecto mortifer decubabat, atque dolore vigescente, veluti amens factus est : de grabato ter fugiebat clamans sæpeque replicans id videlicet : Mittite me, ut votum persolvam. Denique velut in ecstasi positus Patrem vidit hunc beatum, sic eum
B alloquentem : Adolescens ita te Deus vult corripere; attamen ne timueris de morte. Post hoc statim prædictus, Martinus nomine, etiam pellifex, ad se utcumque veniens, Patri præfato, si sanus foret, viam promisit. Quare protinus levamen saluti re percipiens, de prope convenienter sanus obtulit cereum nudipes et sine camisia adveniens.

31 Agnes puella adultæ ætatis de Cracovia, Margarithæ [filia] hydropisi toto in corpore constricta, jacuit immobilis adinstar trunci; quam mater sepulcro Simonis sistendam recommendans, ab omni gravante tumore ac dolore salvam retinuit.

Item Bartholomæus de Bytom, scholaris parvus, morbum pestiferum in inguine dolorosum ferens, postquam ad tumulum Viri beati hujus se vovit, illico convaluit, nec triduum jacens, sanus surrexit.

Item de Cracovia Catharina quædam relicta, cum peregrinaretur in sanctam Crucem Montis Calvi ceteraque loca devota suis cum tribus liberis, casu incidit in latrones in quodam nemore horribili admodum. Itaque desperans
C totaliter ac timens de salute, cum jam ab eis detineretur; præsertim tamen propter filiam timuit annorum duodecim, quam una secum in lucum recipere conati sunt, volentes ipsis abuti. Sed hæc recordata patris Simonis, cujus famam in via perceperat, concito illum humiliter fideliterque invocans, eosdem sana atque intacta cum filia evasit, licet aliqualiter despoliata.

ANNOTATA.

a *Ita passim in Polonia appellantur PP. Franciscani de Observantia, ut testatur Cromerus lib.* XXII *de Rebus Polonorum, ubi de S. Joanne Capistrano sic scribit :* Erat autem is Italus non ignobilis de sodalitio Franciscanorum, qui se Observantes et Bernardinianos appellant.

b *In Ms. nostro legebatur* Olkuss; *sed cum istius nominis urbem aut pagum in Polonia non inveniam, suspicor scribendum esse* Ilkuss, *quod est oppidum quinque circiter leucis Cracovia dissitum.*

c *De hac nobili familia consuli potest Simon Okolski Dominicanus tom.* I *orbis Poloni a pag.* 255. *Pro alia Polona nobilitate, in his miraculis nominata, lectorem curiosum ad eumdem scriptorem remitto.* D

SECTIO QUARTA.

Joannes, textor de Padoweza villa prope Zator, ulcere pestilentico pergravatus circa femora, ut votum Viro huic expressit glorioso, in brevi sanus evasit, venitque jejuno stomacho votum solvens nudipes prope septem milliaria, signumque pedis cerei tumbæ appendens. Hujus etiam textoris uxor, nomine Hedwigis, cum dolore langueret acuto capitis, absque mora post votum sanatur, [in] signum verticem comportans cereum.

Item Joannes, filius Annæ relictæ de Stradomia, trium annorum vel circiter, correptus [est] repente maxima ægritudine, cui etiam mors vicina ingruebat omnium judicio eumdem contuentium : cujus rei causa mater ipsius prædicta lumen camisiolamque, ut moris est, pro E
agone subministraverat. Nihilominus tamen de gratia Dei meritisque Simonis venerandi confidens, ejusce patrocinium in puero peroptavit devota. Vix itaque puer ille unam horam aut paulo amplius infirmitatis suæ exegerat; en post votum matris somno arripitur, ac demum expergefactus incolumis plenissime matri restitutus est.

33 Item Anna, puella adultæ ætatis Margaretæ de Mssezonow, cum rigidissimis morbis duobus in genis faciei e diverso vallaretur, expresso voto pro eadem a matre patri Simoni, sanam, nec aliqualiter ob id in vultu deformatam, nemo eam non vidit.

Quidam Stanislaus de Padbrzezie villa, artificio serrator lignorum alias tracz, immani capitis dolore fatigatus, jamque illi de propinquo mors inde comminabatur affutura. Hunc ergo cum quædam matrona divino Spiritu præclare hujus Confessoris patrocinio subdidisset fideliter [et ipse promisisset, se] unum Pater noster, Ave Maria et Credo ad ipsius fossatum dicturum, protinus ille decenter sospes consur- F
gens, promissum explevit de beneficiis gratissimus.

Item Anna vidua, cognomento Krzyzanowa de Skawina, oppressa truculenter tribus nocivis apostematibus, ut huic Patri almo devota extitit, ipsis non longe disparentibus, convaluit libera ad laudem Christi suique fidelis Servi.

34 Quidam presbyter, Martinus nomine, de Sandecz natus, sed officio psalterista castri Cracoviensis, ad annum dimidium et amplius fluxus gravedine nimia tortus, jam in pectore, nunc in capite ad frontem, ubi fortius, tandem vero per venas in gutture atque in pedibus, deinde totus fortiter opprimebatur, decubans grabato quandoque per quinque vel sex hebdomadas : si autem aliquando septimanam aut duas cum illo ambulans pausavit, iterum recidivabat; qui persuasus [est] a quadam persona, ut faceret votum patri Simoni : audierat enim hæc eadem, quosdam ipsius meritis beneficia sanitatis jam consecutos. At ille, non parvipendens ipsius consilium, libens annuit : quoniam et

A et ipse Patrem hunc celebrem optime noverat, et verbum prædicationis ipsius devotus in castro et alibi audiens, beatum Simonem sperabat miraculis clarescere. Unde pia mente se illi commendavit, [et promisit, se] Missam lecturum ad ejus tumulum, si sanus existeret. Deo igitur imperante, et Beato ejus suffragante, torturam illam sanus evasit, votumque perfecit cum lumine suæ proceritatis, gestum nihilominus etiam patribus humiliter narrans.

35 Item Barbara, conjux Nicolai vitra vendentis de Cracovia, molestum nimis apostema patiebatur in gutture, propter quod nec loqui valens jam suffocabatur et fere in procinctu laborans, divinitus afflata, mente fideli patris Simonis suffragium poposcit, spondens, se cum cereo staturæ æquali visitaturam ejus sepulcrum. Unde extemplo veluti favonius ille aër gratissimus guttur ipsius perflaverat, dulcem nec mediocrem ei conferens refocillationem, ipsamque dehinc incolumitati pristinæ in brevi restauravit.

Item domina quædam Dorothea, uxor domini Laurentii civis de Casimiria dicti Soltisek, cum esset obvoluta tribus funestis apostematibus, eisque obnixius cruciaretur, cordi ipsius subiit memoria venerabilis patris Simonis; quem devoto præsidio invocans sanam liberamve ab hisce e vicino se reperit, pro voto deferens tandem cereum formalem. B

Item Hedwigis de Pædocza prægnans, nimio pectoris ac ventris dolore contorta, timens de morte, salutari convivio reficitur, ac post invocato Simonis salvifico suffragio, recens decenter cingulum de cera in voto secum eidem obtulit.

36 Item presbyter quidam dominus Stanislaus, vir utique maturus, vicarius in Russeza, magnum apostema patiebatur in inguine. Suffragante autem sibi divina clementia, votum mittit huic venerando Confessori; nec est fraudatus suo desiderio: sed statim levamen non mediocre adipiscens de bono continue procedens in melius, valetudini optatæ non longe restitutus est.

Item Agnes, legitima conjunx Janusii de Casimiria, profluvio menstrui defluens, quo nimis angebatur, spatium unius anni dietim percurrit, et meritis patris Simonis confidens humiliter patrocinium ejusce peroptavit, promittens se adituram tumulum ipsius, nec non offerre pro voto vivam oblationem, puta anserem: unde in continenti, facto voto, profluvium illud molestum restrictum est, et ipsa beneficio gratissima menteque devota, promissa implere non prorogavit. C

Item Nicolaus clericus annorum quatuordecim, filius Gregorii, cognomento Pawlik de Koszcyce, pestilentico morbo rigide afficiebatur, et fere de vita desperatus, ut promissus erat a parentibus cum cerea figura ad tumbam Viri hujus venerabilis, apostemate illo resoluto, mox e vicino sanus cum patre votum solvit.

37 Item Anna virgo, curam hospitalis maternam gerens in Bochnia, tota letaliter infirmabatur; sed audita fama celebri de patre Simone, non diffidens, sed devota se illi commendare cœpit: statimque dolore decrescente, paulatim cito sanitate condonata pro voto imaginem supra sepulcrum appendit. EX MS.

Item Albertus, Stanislai filius de Miechow, clericulus tredecim fere annorum, dolore acerrimo dextri oculi quassatus inflaturam grandem incurrerat ejusdem, sicque a multis eum contuentibus de sanitate ipsius desperabatur; parentes vero remedium tutius non comperientes, beato patri Simoni ipsum recommendabant, illoque voto emisso, oculus ille turgidus ab inflatura cœpit declinare, quæ disparens sanum clarumque oculum ei restituit, visum nec in aliquo offendens.

Item Dorothea de Wyciæze villa, gravissima decubans ægritudine, ut per quasdam personas patri Simoni fuit devota, sana votum complevit.

38 Item Joannes Læcki oppidanus in Koszyce, progenie tamen nobilis, morbo pestifero vexatus in inguine, devotus erat per quemdam cognatum Simoni patri, qui jam utcumque sublevatus a dolore, movebatur ab eodem pro voti solutione. Ille vero tunc recusabat; sed quam cito satius convaluisset intendebat. Non mora trahitur; en post dicta morbus ille obstruitur, et ipse longe ferocius duobus gravissimis apostematibus sub ascellis ambabus opprimitur, ac dolore gravatus sensum veluti amens perdiderat, dæmonumque oppugnationibus vexabatur: præsertim tamen positus velut in ecstasi a septem truculentis dæmonibus captus ducitur ad infernum, existensque quasi ante inferni januam (ut ei videbatur) vidit Virginem gloriosam Mariam in forma mulieris speciosissimæ una cum duobus Viris beatis, videlicet Joanne Cantio *a* venerabili olim doctore, jam inter Dei Sanctos conjubilante, nunc autem in terris signis coruscante, cum altero quoque in habitu Fratrum Minorum beato videlicet patre Simone. Supplicans igitur Virgini dicebat: O, inquiens, Virgo virginum! O Maria regina cælorum, o relevatrix miserorum consolatrixque mœstorum, succurre mihi misero in tanta angustia constituto! E a

39 At illa: Si, ait, vis inde liberari, vade Cracoviam, et visita sarcophagum horum Beatorum, quos cernis; videlicet Joannis Cantii et fratris Simonis prædicatoris ad sanctum Bernardinum penes Cracoviam noviter defuncti, et ab illis liberaberis. Et inde fit, ut quos antea numquam noverat, tunc cognovit. Qui respondit: Libenter, dilectissima; Sanctisque mox supplicare cœpit. Illi vero ad Dominam oraverunt: Ne, inquientes, o Domina et Regina nostra, pereat [anima] tam insperate, sed digneris eamdem reddere corpori ad faciendam pœnitentiam. Votum igitur faciente, dæmones illi ferocissimi eum dimiserunt; sed unus illorum sic alloquebatur eumdem: Nisi, dicebat, hæc Domina cum his Beatis tibi auxilio affuisset, omnino propter hæc specialiter (quia non lubens audiebas verbum Dei, nec ecclesiam frequentabas) in hunc lacum inferni te mersissemus. Sicque evanuit visio prædicta, et ipse veluti expergefactus convalescere cœpit, votumque non longe solvit devotus ac pedes septem milliarium viam peragrans. F

Item Magdalena, contoralis Davidis de Wrozinice, cum morbo pestilentico nimis arctaretur, vicarius dictæ villæ ei compatiens fideliter patris Simonis subsidium in ea postulavit;

Ex Ms. stulavit ; et matrona, Deo favente, a die votivo et deinceps convalens ambulavit.

40 Item Stanislaus laicellus quindecim annorum, Catharinæ viduæ de Nowawies [, filius] morbo pergravatus pestifero in inguine, quamprimum per matrem suam prædictam Patri beato devotus extitit, ipso die suffultus meritis almi Simonis surgens e lecto ambulare cœpit.

Item Catharina vidua, commorans in suburbio Ilkusz, tribus apostematibus trium spatio septimanarum lecto incumbens, assistente sibi clementia Salvatoris, per confessorem suum patrocinio sæpius repetiti Patris repromittitur, atque tandem ab hisce liberatur.

b Item Stanislaus Cmeto *b* de Szidzina, dolore suum caput premente gravissimo, duobus solito plus diebus angustiabatur lecto non alienus : ut votum misit, patris Simonis sepulcrum adire, secundo die liberatus dolore, ambulavit sanus.

Item Helena molendinatrix post valvam sancti Nicolai Cracoviæ capitis ægritudine trium ferme hebdomadarum atrociter in lecto detenta, meritis precibusque patris Si-

B monis patrocinari non refugit ; sed humilius votum eidem mittit cum Missæ lectione. Nocte itaque proxime sequenti alleviatur non modicum, atque dehinc pleniori appropians saluti, non longe totaliter liberatur : duos vero cereos pro solennitate Missæ votum solvens attulit, verticemque cereum ad ejusdem sarcophagum benefactori ad laudem reliquit.

41 Nec hoc prorsus tacebo : nam Hedwigis, filia strenui viri domini Nicolai Grzymala, conjunx vero nobilis Stanislai heredis et domini in Polanowice, cum funesta pestis circumquaque furiosius in homines desævit, et ipsa quoque a Domino corripitur sub scapula : namque post tergum morbum pati cœpit durissimum. Quo rigescente superiusque emergente immanius dolore anxiabatur. Enimvero videns hæc eadem, plurimos nec triduum vel biduum exspectantes peste absumi e medio, formidans atque titubans de corporis salute virum suum præfatum obnixius deprecabatur, quatenus pro illa votum faciat cuipiam Sanctorum : ille autem, ut pius ma-

C ritus, consortique fidelis condolens, ejusdem confestim petitis annuit, secedensque in partem, majori, qua potuit, devotione ipsam Simoni colendo commendare non refugit, non immemor beneficii non longe præstiti in filiola propria jam agonizante ac emortua, meritisque dicti Patris almi valetudini optime reddita. Quid multa ? Nocte sequente matrona dolore alleviata, quo jam biduo decubabat, illico sudare cœpit vehementer, et morbus ille sudore fugatus eamdem sanitati pristinæ restituit.

42 Item Barbara quædam, domini Petri civis Cracoviæ dicta Motyczka uxor ætate matura, cum pergrandem atque molestam sinistræ manus inflaturam pateretur, confidens in meritis almi Simonis, ejus se patrocinio repromisit sananda. Quæ mox optatum percipiens desiderium, ut ingrata, votum non implens secundo atrocius recidivavit. Unde reminiscens salubris dati beneficii, humilis et compuncta iterum suffragari proposcit. Misericors itaque Dominus, qui humilium ac vero corde compunctorum cælo residens e vicino vota prospectat, Sanctum suum clarius D magnificare cupiens, iterato beneficio eidem frui non denegavit. Grata igitur votum solvens manum ceream sana retenta supra tumbam appendit.

Item Paulus, vir senectæ proximus, et filius ejus Martinus adolescens circa decem novem annos [natus] de Branice, ambo uno tempore ægritudini validæ subjecti erant : habebant enim punctiones mirabiles, iterationesque puto etiam ex infectione pestis. Si igitur pressi, casu Deique nutu rumores bonos de patre Simone ejusque patrocinio, optima matrona quadam referente, perceperunt. Sed dictus Paulus, relatis non incredulus, devotus huic Patri efficitur, seque ac filium suum prædictum ejus piis meritis committit ab ægritudine liberandos. Facto igitur voto, hi, qui jam morti (prout ferebatur) proximi erant, quarta feria salvi venerunt, proximo die sabbathi humiliter promissa solventes ac Deo gratias referentes : post votum namque illud cœperunt sudare, ac tandem somno arrepti ægritudines evaserunt.

43 Item Casparus Nicolaides, circiter anno- E rum decem de Ilkuss, tribus septimanis totus letaliter infirmatus (nec enim sedere vel comedere valebat) præsertim tum duobus diebus valentius tortus nihil comedit. Qui quamprimum a matre sua, nomine Barbara, patri Simoni fuit devotus, mox convalere cœpit atque comedere, recensque cum dicta matre votum ad tumbam patris Simonis persolvit.

Item Joannes, sedecim fere annorum laicellus de Stryow villa adjacente Mogila, germanus molendinatoris ibidem diro nimis apostemate in inguine gravabatur ; et hic, postulato prædicto patris præsidio Simonis per dictum fratrem suum, ab ægritudine liberatus est. Die etenim crastina votum [implevit] cum præfato suo fratre ad tumbam patris Simonis, qui præcedenti die totaque nocte grabato incumbens jacebat de sanitate desperatus.

Auxiliatus est nempe et Catharinæ viduæ de Sczytniki : nam hæc cum biennio præ dolore sinistri decubaret pedis nimium molesto (quoniam vix quandoque sustentata F baculo opus perficiebat necessarium) audita salubri fama de Simonis almi suffragiis, confugit humilis atque devota ad ejus patrocinium spondens, se visitaturam limina sacra. Opere igitur non frustrata non longe post sana plenissime sineque quovis adminiculo perfecit, quod devoverat ad laudem Altissimi.

ANNOTATA.

a *De hoc insigni viro egimus in Annotatis ad Vitam* B. Simonis *post caput* IV.

b Cmeto *hic significat agricolam, ut colligo ex Cromero, qui in descriptione Poloniæ agens de variis hominum ordinibus dicit, agrestes in Polonia* cmiecie *seu* cmetones *vulgo vocari. Cangius autem in Glossario scribit* kmetones, *dicitque, esse servilis conditionis homines in Polonia.*

SECTIO

A

SECTIO QUINTA.

Item Ursula quædam, conthoralis Andreæ de Czyrzewo villa, cum corrosionibus interioribus quateretur atrociter per longum tempus, præsertim tamen pestis tempore acrius mordebatur, lecto nec [erat] aliena. Mox vero patre Simone clarissimo advocato subsidii sui causa, libera ab hisce fuit.

Item Catharina, Nicolai chirothecarii filia decennis de Cracovia, tota decubabat lethali ægritudine, nec valuit quidquam comedere per septimanam: quam ut mater ejus, nomine Magdalena, patri Simoni devovit, comedens placita, sana planissime permansit.

Item Dorothea quædam ætate gravida, uxor domini Soltyszek in Stradomia, Fratrum loci sancti Bernardini penes Cracoviam procuratoris sagacissimi, cum etiam a Domino corriperetur forti infirmitate, in ea jacens, notitia discretioneve hominum triduo caruit. B Benignitate itaque conditoris sibi applaudente, freta utcumque hominum pristina notitia, patri Simoni efficitur devota, ipsius præsidium exposcens sananda. Igitur mox, voto facto, valetudinem consecuta est.

45 Item laicus, cognominatus Pogoda de Chrosczobrod villa, mortali ægritudine decem septimanas in grabato exigens, ut mater ejus cum reliqua matrona cognomine nobili eumdem Patri huic beato repromiserunt devote, die altero immediate sequenti dictum votum ac deinceps ambulavit sanus. Perfecit ideo votum pedes iter octo milliarium itinerans.

Item Cæcilia, consors Nicolai pictoris de Cracovia, permissione Dei subito obruta nimis gravida infirmitate, [ita] quod etiam, sicubi necessario voluit [ire,] ductoribus circumvolvebatur. Hujus vero infirmitatis diuturnam non tulit molestiam: nam quam cito patri Simoni devota exstitit, et centies Ave Maria recitare promisit, plenissime liberata est, monumentumque ipsius devote visitavit, complens interim dicta centum Ave Maria.

C Item Stanislaus, Catharinæ viduæ filius de Szczegles villa, novem annorum puer, cum duobus apostematibus majorem in modum vitæ obnoxiis spatio quatuor septimanarum decubaret, uno illorum sub ascella sinistræ manus, altero vero super pectus sævius prægravabatur; ex cujus infirmitatis rigiditate per bis agonizabatur. Videns autem afflictionem ejus avia, sive mater antiqua, affectu compassivo ducta, huic Viro beato, tunc solenniter innotescenti, votum pro puero mittit. In crastino itaque puer dolore alleviatur, ruptis nihilominus apostematibus, cœpitque exhinc ambulare.

46 Item Margareta quædam, uxor Mathiæ de Swiætniki, rediens domum suam ipso die Simonis et Judæ post Missarum solennia cœpit repente viribus destitui, subita ægritudine visitata, sicque nec comestibilia mensæ afferre, nec aliquod opus familiare domus voluit facere per totum diem illum. Cum vir ejus prædictus compatiens, patri Simoni pro ea supplicat, et matrona in die crastino [convaluit,] et panes sanissima pistavit *a*, aliaque negotia pro libitu operata est ad laudem Christi Jesu. ex MS.

Item Felix puer dimidium [et] quartum ætatis suæ annum agens, filius Joannis mensarum artificis de Cracovia, per tres septimanas valida infirmitate detentus, a parentibus agonizare videbatur: jam enim et loquela destitutus erat. Mox vero a parentibus suis prædictis Simoni beato devotissime illacrymantibus super eum recommendatus convaluit.

Item quædam Elisabeth, conthoralis Stanislai de Zielenki villa de prope Cracoviam, cum mortali et aggravante nimis prostrata esset infirmitate, tutius refugium non comperit, quam ut votum faciat Simoni colendo: fidelis itaque matrona ac devota popescit humiliter suffragari. Ad postremum autem gratulata est desiderio, sanam non longe plenaliter se reperiens.

47 Item nobilis Petrus, dominus et heres in Wierzbno, cognomento autem Maslowski, villa a Prosowice medio milliario distante, circa festum Michaelis Archangeli dolore non modico sinistræ mamillæ stimulatus, audita populi devotione in virum gloriosum Simonem, E et ipse quoque supplex eidem efficitur, a dolore prædicto relevari cupiens, spondens nihilominus visitare glebam corporis ejusdem Patris venerandi. Sed timore pestis adhuc vigentis Cracoviæ tentatus, viam tunc dissimulabat. Tandem feria sexta ante [festum sancti] Martini dolore, quo alleviatus jam pridem extitit, acrius prægravatur. Qui hunc modo humano evadere cupiens minutionem sanguinis velocius adhibere nititur, sed nec illa quoque minutio aliquantisper sanitati contulit, quin imo majori et fortiori eumdem debilitati subdidit. Cernens vero vir præfatus, quod hoc quidem dispensatione Domini secum ageretur, credensque, quod non aliter dolorem evaderet, nisi votum servo Dei Simoni promissum expleatur: die igitur Dominico lassus, devotior proponit, ut quam cito posset sepulcrum ipsius gratissimus adire vellet, etiamsi in itinere constitutus moriens vitam finiret. Sed revera, Domino miserante, servumque suum Simonem patentius præconizare volente, nocte irruente sequenti sanus optime efficitur, ac dolore penitus privatur; ideoque votum humillimus gratificans Deo perfecit. F

48 Item Anna, uxor Stanislai de Szkrzice villa, cum horrendo apostemate in sinistra manu aggravaretur, intensius devota patri Simoni efficitur, relevari humiliter expostulans. Morbus itaque ille teterrimus die altero de manu exiliens evanuit, matronam lætificans.

Item Stanislaus, kmeto * de Brzicze, dolore acutissimo capitis septimanam jacebat, morbo pestifero sibi illuc subintrante: nec triduo valebat quid comedere: ut ergo beato Simoni devotus est, tertio die bibere atque tandem comedere cœpit: de bono continuo progrediens in melius, sanitati cito restitutus est optime. Hujus etiam filius novennis, nomine Nicolaus, triduo toto ægrotus exstitit, sed mox Patri prædicto recommendatus convaluit.

* id est agricola

Sed et hoc quoque innotescat. Quoniam Barbara quædam, conjunx Stanislai de Bolkowice villa, milliari uno a Cracovia distante, in partu constituta, per diem et noctem laborabat

rabat molestius; sed nec comedens interim vel bibens periculo mortis vicinissima ab obstetricantibus decernebatur. Domina vero prædictæ villæ hoc negotium percipiens, ut pia nec Patri huic venerabili indevota, eamdem matronam fideliter patri Simoni devovit. Et ecce mox illa fœtum, omni periculo libera, edidit, nomenque puerulo ad sacrum fontem baptismatis Simon imposuit: quem mater ipsius tertia dominica a partu recens ad tumbam detulit gratificans Domino.

49 Item dominus Albertus presbyter, natu de Wieliezka, gradu quoque baccalaureus in artibus, officio autem Rector scholæ ibidem, vir profecto maturus, nec non moribus abunde compositus. Hic passus febres cum caloribus, menti ejus hujusce Patris memoria beati subintravit, ut eidem votum faciat intrepidus. Qui suggestioni bonæ assentiens, confestim ei fidelis annuit spondens, se lectu- rum Missam ad bustum ejus: et ita desiderio salubri extunc et amplius usus est sanus, cruciatu foras dimisso, legitque Missam de Assumptione B. Mariæ Virginis votum solvens.

Item Elsabeth, puella sedecimum agens annum, et Hedwigis uterina ipsius quartumdecimum solvens ætatis suæ annum, filiæ Catharinæ viduæ de Staniætki, gravi infirmitate per septimanam in lecto detentæ termino vitæ appropinquantes venerabili Dominici corporis Sacramento erant procuratæ pro via tutiori migraturæ: quas tum mœsta mater devote patri Simoni compromisit, ut quam cito potuisset libenter easdem pedites sepulcro ejusce Patris pro voto grata repræsentaret. Quæ, misso voto a matre prædicta, eodem die ambulare cœperunt, in septimana tandem sanissimæ votum cum matre solventes.

50 Item Nicolaus, hortulanus domini Janusii heredis in Czyrzowo villa, cognominatus Brozynka, quatuor hebdomadis totus lethaliter ægrotabat, per unam septimanam nihil comedebat. Quem domina Petronella, uxor dicti nobilis Janusii, eumdem visitans, Patri huic beato recommendavit humiliter. Qui tamen post septimanam ambulabat pro libitu. Statimque comedere cœperat post votum dictæ dominæ alleviatus.

Item Matthæus Gierass triduo jacebat nimium infirmatus; nec interim comedit vel bibit, lingua tamen brodio pauxillo aspersa: cui matrona quædam compatiens, in prædicta villa etiam degens, patri Simoni ipsum devovit fidelis. At ille mox recreatus post votum comedere appetivit, desiderium etiam implens, et in crastino ambulavit.

51 Item Joannes de Trzemiessnia, villa adjacente Mystenice, artificio scutellarum et cantarorum operator, vulgariter tokarz, ægritudine pectoris ex peste multum molestabatur per septimanam: et quamvis per vim lectum fugere conabatur, nihilominus tamen, Deo permittente, interdum illi incumbebat devictus. Tandem morbo pestifero ad inguinem ei descendente, ferocius cruciabatur eodem: quem virgo Dorothea, soror tertii Ordinis S. Dominici, ejus autem amita, visitans consuluit, ut non moras ducens votum faciat Simoni beato, dicensque, quia Dominus præbet multa beneficia ipsius sanctis meritis: videbat enim prædicta soror, [eum] multo plus solito angustiari. Qui statim secedens, ut potuit, ad partem orationi se contulit sic orans: O sancte Bernardine *b* benedictus sis in æternum, quod de tuo sancto hoc Ordine tanto Sancto nos lætificasti; tu autem o sancte Simon, dilecte Dei, succurre nunc angustiato mihi, et ego, quam cito potero, sive pedes sive eques monumentum beatitudinis tuæ gratissimus visitabo. Hæc verba hujusce fuerunt simplicia, sed profecto multo efficacia: nam ut eadem finivit, mox alleviatus non mediocriter extitit, qui judicio humano, etiam suo, vita in brevi cariturus decernebatur. Nocte vero sentiens, se competenter sanatum, consurgens ceram arripuit, propriis manibus lumen facere cœpit, funem quinduplicem in eo complicans; unum pro se, alterum pro sua uxore, reliquos vero pro sibi conjunctis sigillatim. Quo facto, equum ascendit, viamque pollicitam in crastino de mane ad tumbam præfati Patris sanus complevit.

Item quædam matrona, nomine Magdalena de Cracovia, valida nimis infirmitate detenta, viribus sensuumque usu et ratione destituta erat. Ut autem per quasdam matronas huic Patri beato devota fuit, viribus usuque sensuum et ratione recuperatis, meritis dicti Patris cito convaluit.

ANNOTATA.

a *Forte a nomine* pistor *barbare factum est verbum* pistare. *Vult dicere:* panes sanissima coxit *vel* pinsuit.

b *Hic simplex homo alloquitur S. Bernardinum, tamquam Ordinis institutorem, forte quia conventus Stradomiensis communiter S. Bernardini appellatur, vel quia Minoritas vulgo Bernardinos vocari audierat.*

SECTIO SEXTA.

Stupeant insuper arrogantia corda in hoc portento mirifico, quod in Matthæolo infantulo, Gregorii serifabri filio, evenit, et cessent sancto Dei Simoni obtrectare, cujus meritis Dominus benigne nobis elargitur talia; imo potius laudi præsidioque ipsius inhiare studeant. Nam dictus Matthæolus infantulus de Stradomia, quamprimum de secretioribus materni exiens uteri in lumen prodiit, fluxum sanguinis mirabilem audituque inaudibilem ex oculis veluti ex duobus rivulis manantem quotidie spatio unius hebdomadæ est perpessus, nec interim aliquantisper vidit: qua transacta, pater ejus ac ceteri hunc conspicientes attoniti existimabant, jam et globos oculorum ab orbibus effluxisse nec umquam amplius visurum posse præ valetudine sanguinis. Parentes vero Dei ductu nibilominus accurvatis terræ genibus ad patris Simonis sepulcrum eumdem devote toto vultu mœsti positurum repromittunt. Et ille puer ita in triduo præfati voti, sanguine restricto, visum recepit; cum quo postea non ingrati promissum parentes cum cereo reddiderunt.

Item Stanislaus quidam, rector scholarum in Niegovice villa in Szezyrzye pestilentica ægritudine quatuor septimanis detentus, ex infectione stomachi nil comestibilis ac pota-

gii

a A gii *a* retinere poterat, in toto vomitans : sed nec ea de causa sacrosancto dominici Corporis viatico procurari præsumebat, periculum formidans irreverentiæ. Unde fama Viri hujus venerabilis percepta, voto se eidem astringit; quo misso, sanitate pristina cominus usus est ad nutum perficiens, quod spoponderat.

53 Item domina Margarita, domini Petri sculteti conjunx legitima de Budzow villa, milliari uno a Cracovia, quinque annis vertiginem capitis patiebatur nimis molestam sibi ceterisque domesticis, præsertim tamen marito ac liberis : propter quam in eam sævientem nunc in terram cadens membra collidebat velut epilepticus, nuncque gestus leves sicuti malesanus exercebat. Quamobrem custodia supra se ubique, velut in puero, fieri oportebat; vix autem moram modicam ab hac dimittebatur. Quæ audito præconio Simonis almi, se illi spondet, humatam ejus venerabilem aditura glebam. Et ita de gratia Dei meritisque ipsius Beati potissimam adepta est sanitatem. Hæc etiam interea oculorum pressa dolore, ac deinde eidem Patri B devota, liberata plenissime extitit. Votum itaque solvens, viam quinque milliarium pedes peragravit, et a crata *b* chori ecclesiæ b Fratrum usque ad sepulcrum (et econtra) humillima geniclinavit, caput cereum et crinile relinquens appensum.

Quidam adolescens, puto viginti annorum, Franciscus nomine; nobilis vero cognomine dictus Mirzynski, circumseptus lethiferis apostematibus binis sub ascellis *, jamque agonia laborans lumen eidem tertio porrigebatur. Sed hunc mater ipsius domina Helena sic contuens mœstissima, votum fideli Simoni promittit pro eodem [nempe] sepulcro beati Patris sistendum peditem ac sub aliena eleemosyna, voto viri concordans Beati, quem patrocinio implorabat, quatenus vere sic celerius optatum consequeretur effectum. Is vero, misso pacto, relevatus eodem die ambulare cœpit; die vero tertio integre curatus est, evanescentibus morbis pestiferis, et ideo non ingratus, sed promissum realiter exsolvit devotus cum cliente per novem milliaria.

* l. q. axillis

C 54 Prodeat et hoc in lucem non immerito, quod in generosa domina Anna relicta, cognomento Niedzwiedeka, patratum evenit : quæ cum Dei nutu, anno revoluto integro, dirissima manuum ac pedum quassatione torqueretur, eatenus lecto nusquam interim [erat] aliena. Nam et digitos palmaticos dolore mirabiliter distentos recurvare minime potuit; sed etiam rigido morsu doloris sævientis manuum et pedum persæpe ululans in clamorem prorumpebat, atque mœrentes oculos recreans sopor perraro concludebat. Unde hæc sic afflicta modum succurrendi acquirit humanum, medicumque sibi deprecatur accersiri. Quo accito et ei remedia varia consiliante ac præbente, nullum penitus subinde consequitur subsidium. At ubi devecta erat in Vlino villam suæ filiæ dominæ Magdalenæ pro sui circumspectione tutiori, dominaque Hedwigis, dicta Grodowska, eamdem et matrem pia visitans altera filia, condolens ejus afflictioni desiderat, si quoquo modo salubrius posset, subvenire eidem; et quia decreto divinæ bonitatis alias non putaverat sanandam, sane fama Viri beati auribus ipsius advolante vulgata, matrem devota pollicitare non cunctatur; quin imo votivam mittit patri Simoni pro eadem celerius precem (certe discrete) spondens, se peditando pro matre sene, si sana foret, viam quatuor milliarium peragere. Ubi vero diluculum comparuit, genitricem interrogat, qualiter secum esset, et si somnium lassæ palpebræ receptassent. Et illa : Dilecta, ait, filia per Dei gratiam bene soporavi, [ita] nimirum quod dolore sim alleviata. Eapropter matrona die illo celeris ac posteris jam dudum optatam consecuta est plenariam sanitatem, offerens in solutionem voti duos pedes binasque manus e cera factas. EX MS

55 Item nobilis Nicolaus Porebski duabus septimanis ægritudine valida quassatus est toto in corpore. Cui mater ipsius compatiens, cruciatuique condolens, patri Simoni ipsum non infidelis recommendavit. Ipse ergo, voto emisso a matre, convalescere cœpit, ac citissime sanitatem pristinam recuperavit, votumque pedester solvit.

Item Catharina, uxor Martini braxatoris E domini Abbatis Tynecensis, existens in Læg villa prope Cracoviam, pestilentica infirmitate fatigabatur immaniter : nam vestigia mortis (puta pustulæ nigræ, alias Przystudzienice) in ea exortæ vicinissimam morti præmonstrabant, quæ propensius spargebantur in manibus. Præfatus itaque vir percipiens eam infirmam atque eamdem visitatam sic moleste prospiciens, vadit plurimum tristis Cracoviam ad ejus sororem Margaretam, narrans hoc lugubre negotium, exquirensque aliquale infirmæ uxori, si sciret, præsidium. At illa refugium non comperiens salubrius, statim patri devovit Simoni eamdem cum cereo ad ejus tumulum. Et ita fere eadem hora voti pro ea missi (prout postea invicem tractantes de hoc autumabant) matrona illa mox sublevata a dolore e vicino plenissime sanatur.

56 Item dominus Adam institor et civis Cracoviæ, negotia sua in partibus Austriæ sive Hungariæ peragens, gravi apostemate opprimitur in inguine, tribus diebus decubans eodem. Sed quam cito spopondit, seipsum cum lumine ad sepulcrum Viri venerabilis F sistendum, dolore quovis sublato, sanissimus domum remeavit.

Item Hedwigis, Alberti cujusdam lictoris *c* c Cracoviæ uxor, dum tempore pestis morbo funesto acrius aggravaretur per septem fere hebdomadas, suffulta præsidio hujus almi Patris, ab ægritudine plenissime leberatur. Ipsa tandem iter visitandi sepulcrum Beati complere dissimulante, peste jam cessante, Cracoviæ vidit Virum hunc celebrem nocte quadam nec dormiens velut sermocinantem, qui inter alios et hanc considerans in hunc modum alloquitur. Ubinam tu, ait, fuisti ad meam fossatam? Illa vero : Quomodo, Pater charissime, illuc valeo adire, cum nec locum tuæ scio sepulturæ, neque horum Fratrum tuorum sepulturæ [locum] cognosco mulieres intrare. Cui ille : Vade, inquit, celerius, quoniam tibi aperietur, meamque tumbam deosculare, Deo gratias agens. Quæ tunc quasi ibidem veniens, vidit in visu somnii copiosam nimiumque speciosam multitudinem virorum senum et reliquorum circa tumbam ipsius

Ex MS. ipsius lætissime et cum ingenti cereorum fulgore astantium, inter quos humillime inclinata sepulcrum deosculans recessit; et ex tunc somno expergefacta ad se liberius rediens, die sequenti cum magno rogatu, quod admitteretur, jussa illic perfectius complevit.

57 Item Catharina, conjunx Blasii de Trædnowice, ulcere pestifero apprime torquebatur vergens continue [ad mortem.] Quamobrem salutari viatico jam erat procurata, sacraque unctione delibuta. Interea vero merita patris Simonis relatu percipiens, ipsis etiam suffragari deposcit fideliter, et ita mox de bono in melius progrediens, incolumis plenaliter votum perfecit ad ejus tumulum per Dei gratiam et merita beati Simonis.

Venerat etiam quandoque multitudo copiosa hominum sexus promiscui una die de Plassow, ut omnino totam villam venisse putares; quorum nomina ac infirmitates varias, quia longum esset narrare, tædiumque doctis legere sigillatim, brevitatis causa dimitto. Saltem in communi [dico,] salutem corporis eis mirabiliter a Domino concessam per
B merita servi sui Simonis.

Hoc ipsum etiam et alia turma hominum in crastino veniens de alia villa, nomine Wirzbow, in se recognovit misericorditer operatum ad laudem altissimi.

Quædam etiam Anna, inquilina domini Gawron civis Cracoviensis, infirmitatem inciderat gravissimam, quod nec manibus aut pedibus [se] movere poterat penitus. Tandem de sanitate desperans in suffragium recurrit beati Simonis. Unde sanata, nudipes et sine linea camisia votum promissum implevit.

ANNOTATA.

a Potagium *Gallis vulgo dictum* potage, *idem est plerumque quod Latine* jusculum. *At interdum pro qualibet potione sumitur, ut videre est apud Cangium in Glossario.*

b *Latine dicitur* crates *vel* cratis. *Hic vitiose declinatur, forte propter terminationem vocis Polonicæ* **krata** *quæ idem significat.*

c *Lictores a Romanis vocabantur, qui consulem præcedebant, et jussi de reis supplicium su-*
C *mebant. Jam plerumque accipitur pro carnifice, qui sceleratos morte afficit. Puto hic sumi pro quodam apparitore, aut simili justitiæ ministro.*

PARS SECUNDA

Miracula, quæ ab anno 1483 usque ad 1487 notata sunt.

SECTIO PRIMA.

Primo igitur: Ipso die Circumcisionis Anna quædam, matrona ætate jam provecta de Stradomia, anno medio in oculis penitus cæca [erat.] Verum accepta fiducia constanti in meritis beati Viri, votum eidem mittit devotissima, deprecans illuminari; quo fit (dictu profecto mirabile) [ut,] ea quidem matrona sic orante, oculi in procinctu aperiantur ipsius. Exhinc utique et per amplius D
optimo matrona visu freta exstitit, laudans Dominum, servumque suum fidelem Simonem optimis attollens præconiis.

Item Catharina Pudlowa, civis in Opatow, percussa erat gravi infirmitate usque ad mortem. Unde vir ejus Martinus, vocatus Bohemus, jam omnino morti eam cum celeris adjudicans defleverat. Animatus vero divinis suffragiis almi Fratris sæpe fati, fidelissime, lacrymis tristes spargens genas, eamdem pollicitus erat eidem; et sic mox nimium gaudens ac conjugem stupens sanissimam recepit.

Item Nicolaus, oppidanus in Ilkuss, febribus per annum integrum atrociter tortus (tunc enim tertiana immanius premebatur) labori omnino cuipiam ineptus [erat;] quem Margareta conjunx ejusce videns nimis afflictum, ac domui penitus inutilem, Patri venerabili non prorogat recommendare. Ideoque vir suus præfatus statim, ab ea misso voto, ab ægritudine plenaliter est liberatus.

59 Item Stanislaus annorum quatuor vel circiter, filius domini Georgii dicti Langpedor civis consulisque præclari famosæ urbis Cracoviensis, septimana caloribus deten- E
tus [est] intentissimis, quibus arsit veluti carbo continue. Quamobrem positus velut in ecstasi loquebatur quidquid ori occurrit, nec ea aliqualiter discernens præ valetudine ægritudinis. Mater ipsius itaque, nomine Anna, hoc percipiens, vicinum morti putabat, atque præsidium Simonis in eo devotius extunc obtestatur: et ita in continenti, caloribus illis funestis ab eo seclusis, sanitatem obtinuit.

Item Anna puella jam adulta Petri Javin de Niezwanowice villa, hydropisin primum in pedibus ac manibus tandemque in collo incurrerat tetram et magnam; nec subinde tribus hebdomadis utcumque moveri potuit, solo capite vix paulisper. Pater ergo ipsius animadvertens suffragiorum Simonis præclara ab aliis recepta præsidia, confugit et ipse cum precibus pro filia ad eumdem fidelis. Quare, voto misso, puella statim convalere cœpit, ac deinde tertio die pleniorem recuperavit sanitatem ambulans et faciens, quæ placita ei erant. F

Item Jordanus puer unius anni et supra morbum passus epilepticum, quem vulgo caducum vocant, per unius spatium anni et supra, quo crebrius cadens (quolibet videlicet mense bis) parentibus ac ceteris domesticis vehementem ingerebat dolorem. Uno igitur tempore pater ejus, Dominus videlicet Joannes Stoiakowski, et Regina mater hunc videntes cruciatum mœsti nimis, patri mox Simoni devote recommendare cœperunt, atque extunc et post amplius liberum lætumque puerum obtinuerunt, Domino hinc gratantes.

60 Item generosa domina Magdalena, dicta Stadnicka, sex truculentis circumsepta apostematibus usque in sextam hebdomadam, ob eorum vehementem sævitiam agonizare videbatur; lumenque exhinc porrectum manus illius jam contractaverat. Percepta vero fama celebri de miraculis Simonis, sublevari fidelis ejus meritis deprecatur a Domino. Qua ex re, dolore statim magna ex parte sublato, brevi sanitatem recuperavit.

Nobilis

A Nobilis etiam dominus Stanislaus Polanowski, in partibus Austriæ seu Rakusanis *a* quadam in causa constitutus, febribus primum acerrimis opprimitur, ac tandem ulcus pestiferum ex se subortum passus, recolens beneficia pii Simonis, in uxore suaque etiam filia jam pridem percepta liberaliter, in se ipso etiam poposcit humiliter eadem experiri misericorditer, ut vel sanus in domum redeat, vel saltem in partibus alienis morbo pestifero non intereat. Fit denique quiddam gaudiosum : en, die comparente, sanum plenissime se reperit, ac demum propria pro nutu lætus repetiit.

Item Catharina, ancilla dominæ Catharinæ de platea castrensi Cracoviæ, alias Platnetzowty, dolorem ac tumorem sinistri pedis incurrerat maximum, ita quod nec super eum aliquatenus progredi potuit. Hanc ut præfata domina mœsta de viribusque suis labori ineptis conquesta Simoni devovit beato, lucis hora comparente, ancillam sanam directeque gradientem reperit læta, offerens tandem pro voto protensum cereum cum eadem.

B 61 Item Sebastianus, triennis Dorotheæ viduæ de Cracovia filius, infirmatus ad mortem, et ob id patri Simoni devotus per matrem, convaluit. Ipsa denique votum implere procrastinante, imo non curante, secundo intentius recidivat. Quam cito vero firmiter proposuit cum eodem votum perficere, incolumem brevissime obtinuit.

Item Anna Johanna de Oswiæcim, ægritudine nimia capitis decem septimanis jacens, repromissa almo Simoni Lipnicensi mox alleviata [est] magnopere. Tertio vero die, lecto dimisso, perfecte deinceps pro nutu ambulavit.

Item dominus Petrus de Cracovia, cantharorum stanneorum et scutellarum operator, plurimum ægrotabat tribus hebdomadis, viribus destitutus immobilis manens. Ut ergo seipsum Patri huic venerando repromisit, citissime plenam recuperavit sospitatem.

Item Catharina, uxor cujusdam Mathiæ de Skawina, dolore sinistræ manus pressa vehementi; clamans et rugiens persæpe ob eumdem, tandem consulta de voto patri Simoni faciendo, statim facto, eumdem libera
C evasit.

62 Item Zophia, puella circa sedecim annos [nata] Bartholomæi de Trædnowice cognominati Pyrzyna, pestilentica ægritudine tribus ferme hebdomadis detenta, ac tandem huic Viro per amitam devota beato, incolumis conversari visa est.

Mathias annorum fere quatuordecim [filius] nobilis Gregorii cognominati Talenta, heredis autem in Cheehel villa, a Cracovia sex milliaribus distante, rigidissimo pestis ulcere quassabatur in inguine per duas septimanas. Quare viribus destitutus lecto accubuit; præsertim tamen duobus diebus sermone quovis et ratione carens aliquoties agonizabat, lumen præ manibus tenens porrectum, ut moris est terminum vitæ præsentis concludentium. Cumque per parentes fuisset Simoni commendatus, illico convalens rationem atque sermonem est adeptus, ad tertium diem et per amplius ambulavit sanus.

Item quidam laicus, nomine Dominicus, paulo minus ab anno integro viribus destitutus lecto accubuit, ex eo quod laborans supra vires suas quandoque offensus erat. Cum igitur votum fecisset patri Simoni : vires recuperavit, eodem die deambulare incipiens. Tertio vero die sepulcrum ejusce Patris sine quovis adminiculo visitavit, narrans factum quibusdam de fratribus. EX MS.

63 Item domina Zusanna, conjunx pannitonsoris de Casimiria *b*, per totum tempus quadragesimæ et amplius jacuit, dolore capitis atque corporis prægravata. Postquam vero votum misit dicere quinque Pater noster, prona jacens super sepulcrum almi Simonis sanitatem pristinam recuperavit. *b*

Item et alia quædam matrona de Piotrkow per septem hebdomadas valida detenta erat infirmitate, ita quod nec vidit interim nec audivit. Quamprimum autem in corde præconcepit se ipsam sepulcro Simonis sistendam, pro libitu a dolore sublevata est.

Item dominus Petrus Niger, civis in Opatow gravi afflictus ægritudine, cum ab uxore sua beato Simoni recommendatus fuit, sanus ad plenum conversari visus est.

Item domina Catharina Zarogowska, febribus quartanæ acerrimis unius anni spatio fatigata, E ut votum emisit beato Simoni, non eis deinceps sana obruebatur, detulitque in voto cereum discolorem atque protensum.

Joannes Catharinæ filius de platea Slawkoviensi Cracoviæ, ab exordio sui tertiam agens septimanam invasus ægritudine molesta, sanguinis fluxum patiebatur ex umbilico per triduum. Devotus tandem a præfata matre ipsius patri Simoni, sanus liberque matri restituitur meritis fidelis servi Dei Simonis.

Item Elisabeth vidua alias Trzewikowa de Podgrodzie villa patiebatur febrim tertianam per tres septimanas : cumque votum Patri beato fecit, ipsa libera evasit.

Margareta quædam de villa prope Niegowice acutis quartanæ febribus agitata citra annum, postquam votum humilis misit Simoni beato, liberata est.

Item Ursula, uxor Joannis pellificis vocati Gorczica de Lublin, decubans quatuor septimanis, et jam morti vicinissima, loquelam amiserat. Verum ut vir ejus præfatus ipsam patri Simoni commendavit, in brevi sanam accepit, sepulcrumque ipsius admodum beneficio F gratus visitavit.

Quædam Gertrudis, relicta incola Leopolis Russiæ *c*, habuit duas boves (alias usitatiori vocabulo vaccas) multum infirmas per unam septimanam, ita ut jam morituræ in brevi a plerisque decernebantur : quas dum in patrocinium beati Viri cum sua filia devovisset, salvas incolumesque rehabuit, et ut grata viam in voto ad tumbam beati præfati Patris cum duabus candelulis exsolvit. *c*

65 Item nobilis domina Hedwigis, consors generosi domini Joannis vocati Sznaclek pro tunc vicecapitanei castri Cracoviensis, duabus septimanis dolore peracuto et pene intolerabili capitis contorta, mox oratione modica ad Dominum missa, quatenus per merita hujus almi Viri dignaretur, dolore pulso, eidem sanitatem impertiri, ipsam obtinuit, appendens posthac verticem cereum super tumbam ejusce Patris.

Item Michaël de villa prope Zator septem apostematibus circumseptus jacuit per quinque hebdomadas; ob quorum dolorem vehementem

EX MS. hementem sui inscius exstiterat, nec aliquatenus e lecto progredi valens. Dum ergo per quamdam matronam domus suæ vicinam fuit beato Patri recommendatus, statim alleviamen percipiens, tertio die ambulare cœpit, licet adhuc baculo sustentatus; atque continuo de bono in melius procedens, cito perfectissimam sospitatem accepit.

Jacobus de ibidem frater patruelis prædicti Michaëlis eadem peste ægrotabat, tribus apostematibus prægravatus, suique etiam inscius: sed posteaquam per aliam matronam almo Simoni fuit devotus, sanus cum præfato Michaële, calceis a pede detractis, vota protinus et consimiliter persolverunt ad laudem Dei.

66 Item Barbara puella duodecim annorum Hedwigis de Skawina cognomento Szczurkowey dimidia altera septimana jacuit immobilis ex peste, nec de se quid animadvertens triduo loquelam amiserat: quam cum Margareta ejus avia patri Simoni devovit, statim alleviata, vires, verbum, et sensum rehabuit, ac tertio die ambulavit.

B Simili peste Stanislaus Ottuwic, filius Annæ de Ciecwikowice villa, per duas septimanas gressu caruit, loquelamque per aliquos dies etiam amiserat. Postquam vero per quasdam cognatas Patri beato commendatus fuit, eodem die sanus ambulavit.

Item Catharina uxor Petri de Skawina, decem ferme hebdomadas pestilentica ægritudine laborans ambulare minime valuit, nisi tantummodo per alias delata. Cumque se patrocinio almi Simonis subdidit, sanitatem plenariam recuperavit.

67 Item Stanislaus adolescens de Stradomia febribus acutis spatio tredecim septimanarum correptus, ut a matre sua Margarita beato Simoni repromissus extitit, decenter ab eis liber fuit, obtulitque in voto cereum suæ altitudinis.

Item Catharina quædam vidua de Tarnow tribus apostematibus vehementer cruciabatur: sed per unam septimanam viribus destituta lecto accubuit; præsertim tamen per tres ferme dies notitia atque memoria carens morti adjudicabatur; cui beatus Pater sub specie unius C Minoris Fratris apparens in ecstasi commonuit eamdem, ut, si sana fore vellet, sepulcrum ejus in Cracovia visitaret. Quæ annuens commonitioni statim, ad se rediit atque convalescebat propensius amodo usque ad perfectissimam sospitatem.

ANNOTATA.

a *Non intelligo, quid sibi hic velit* in partibus Austriæ seu Rakusanis; *nisi forte legendum sit* Raclitanis. *Est autem Raclitanum, incolis vulgo* Rackelspurg, *Slavis* Radconii, *urbs Germaniæ in Stiria inferiori ad Muram fluvium sita, et dominio Imperatoris subdita.*

b *Duplex est hujus nominis oppidum; unum in palatinatu Lublinensi ad Vistulam situm; alterum vero est suburbium Cracoviense, de quo Cromerus, in descriptione Poloniæ ita loquitur:* Adjuncta sunt ei (*nempe ubi Cracoviensi, de qua agit*) duo oppida; a meridie quidem Cazimiria, ponte ligneo juncta, interlabente Vistula. Est tamen intermedius urbi et ponti continens viculus, cui nomen est Stradomia, quem flexus Vistulæ tria latera ambientis, et D influentis in eum Rudaviæ occursus facit insulam. A septemtrione vero pomariis urbis continens est Cleparia, non tamen cincta mœnibus, ut est Cazimiria. *Hæc omnia simul exscripsi, ut eadem opera proponerem topographiam suburbiorum, quæ in his miraculis sæpe memorantur.*

c *Est urbs Poloniæ dicta incolis* Lwow, *Germanis* Lemburg, *et in Russia Rubra intra colles non procul ab amne Peliew (Dlugossus vocat* Polthew) *condita, quam Cromerus in opusculo proxime citato ita describit:* In Russia Leopolis longitudinis gradu fere XXXXVI, latitudinis XXXXIX, sita quinquagesimo a Cracovia milliario: urbs est satis munita, duas arces adjunctas habens; emporio civiumque elegantia et humanitate florens, ac sede alterius archiepiscopi, duorumque episcoporum Armenici atque Russici non ignobilis.

SECTIO SECUNDA.

Gloriosus Deus in Sanctis, mirabilis in majestate sua faciensque prodigia, qui ab exordio mundum suis mirabilibus renovans, dona E gratiarum largitatis suæ ob invocationem verorum servorum benigne elargitur, cui, quomodo, et quantum, secundum divinitatis suæ imperscrutabilem scientiam dignoscit opportune exhibenda. Unde oculo pietatis suæ intuens suos, quos dignatur certa ex causa paulisper perturbare, gratuite consolatur ad se humiliter confugientes: quod plane luculenter clarescit in his, de quibus calamus ad præsens subvexus committitur. Joannes quidam, tertium agens ætatis suæ annum, filius Martini pistoris de Dopcice, ascendens quandoque stubam *a* domus suæ per gradum, parentibus ipsius hoc non considerantibus, præcipitioque ex hac molesto in terram corruens deorsum, a parentibus heu! flebilis reperitur atque mortuus. Et sic puer quatuor horas et amplius lividus et niger permansit. Super quem mater ejus, nomine Dorothea, lamentans admodum dolorosa cœpit eum ad limina S. Sophiæ ante Lanckorona repromittere; sed nullum inde penitus in filio consequitur F subsidium.

69 Ast per longam moram, quasi videlicet per duas horas, quædam matrona domus suæ vicina tam lugubre percipiens negotium, ipsam pie visitavit salubreque super hujuscemodi eventum mœstæ matri præstitit consilium: narrans enim de quibusdam beneficiis, meritis beati Simonis tunc recenter patratis, persuasit eidem, ut, quavis semota ambiguitate, puerum jam mortuum ipsius suffragio recommendaret: namque experimento didicerant, quod penitus mortuus erat, fundentes aquam super eum frigidam, ut vel sic motum in eo modicum aliqualiter dignoscerent, sed nullum monstravit. Ipsa itaque vicina matrem pueri præfati aliosque illuc concurrentes ad devotionem animans, puerum prior cœpit Patri beato recommendare; ac post et alii ibi adstantes, voto ejusce consimilati, præsidium prædicti Patris beati in puero acclamabant devote. Et ecce (narratu certe mirabile) post vota illorum puer sensim movere et respirare cœpit, clamans puerili voce, blu, blu, quod

A quod fuit indicium appetitus sui ad bibendum, prout parentes etiam, ipso antea sano existente, didicerant: nondum enim etiam voces totaliter regulatas proferre scivit. Quod factum omnes, illic coram positi, cernentes, aliique id ipsum audientes, Dominum in servo ejus Simone, novo laudis præconio mirum in modum extulerunt glorificantes. Ex hoc igitur puer de bono in melius progrediens, sospes, pulcher, et lætus votum cum figura cerea a parentibus ad sepulcrum beati Viri delatus exsolvit: cujus parentes rem gestam coram quibusdam de patribus loci, Cracoviæ ad testimonium deputatis, pure narraverunt; coram videlicet fratre Francisco de Hungaria et fratre Bernardo de Brzesck senibus et canis presbyteris, tertioque minore his fratre Luca de Rydzina, ad laudem Christi Jesu.

70 Item Dorothea, vidua de Lublin, ulcere pestifero torquebatur in gutture per duodecim septimanas, ac ob id per unam septimanam nihil bibit aut comedit, viditque in visu Dominam pulcherrimam cum quodam B Viro specioso ad se venientes. Quæ Domina sic ipsam allocuta est nec valentem loqui interim: Si, inquit, vis inde liberari, fac votum ad tumbam hujus Viri beati, qui nuper clarescit ad fratres de sancto Bernardino Cracoviæ, et liberaberis. Quæ assentiens monitis salutaribus, votum misit, atque, ulcere pestifero statim a rigiditate declinante, ipsum cominus libera evasit.

Item Joannes sartor de Bytom infirmatus etiam peste tribus septimanis; sed per unam illarum per se progredi nullatenus valuit: jamque inunctus loquelam clauserat: ideoque uxor ejus et ceteri cognati vicinissimum morti omnino decernentes, fideliter in patrocinium beati Simonis pro eodem confugiunt. Unde ab eis misso voto, statim convaluit, residensque comedere appetivit, implens re desiderium.

Quædam Hedwigis Gawlowa de Prosowice ex quadam ægritudine immani surditatem per duas hebdomadas incurrerat, nihil omnino interim audiens. Cum autem flectens se ad limina beati Patris devovisset, in instanti, C ruptis quibusvis obstaculis auditus sui (quod etiam sensibiliter percepit) extunc et deinceps per Dei gratiam et merita beati Patris audiens sana conversari visa est.

71 Item dominus Mathias Sator, consul et civis in Skawina, dolore intestinorum gravissimo per quatuordecim annos lecto accubuit. Fatigatus itaque, quod nullum cibariorum interim sumptum digerere aut conservare potuit, quando jam deglutitum emitteret per vomitum. Eo autem in eum validius rigescente, tempore Quadragesimæ anni præcedentis, jam omnino mortalis cernebatur humana conjectura. Sed Dominus oculo suæ clementiæ ipsum respexit per invocationem sui fidelis servi Simonis beati. Mox, ut eidem se devote repromisit, quidquid comedit aut bibit eodem die ceterisque ac posteris, retinuit. Sanus optime factus detulit eapropter cereum pro voto in corpore marcidus ex tam longa dicta [ægritudine].

Item domina Magdalena, civis in Ilkuss, duobus annis et ultra corrosiones interiorum perpessa molestas admodum, quam cito se ipsam in præsidium Patris persæpe nominatum venerabilis contulit, ab eis plenissime liberata est; venitque eum viro suo, beneficium sibi collatum narrans. ex ms.

72 Item Jacobus citra annos duodecim, filius Annæ Puchalina vocitatæ de Wyciæza, positus ad quiescendum super vestes pestilenticorum defunctorum, subito gravem inciderat ægritudinem, quem mater ejus præfata illic adstans, velut lignum, semimortuum recepit alibi collocandum, permanensque in eadem infirmitate ad tres dies et de vita desperatus, cum a prædicta matre beato Simoni devotissime fuit repromissus, extemplo convaluit.

Item Dorothea, uxor Mathiæ dicti Szuba de Giedczyca villa, per sex septimanas febribus continuis cruciata, ut votum misit beato Patri, statim et de cetero ipsas libera evasit.

Item Swiætochna, de Bukowie villa, quatuor septimanis in sua, quam passa erat, pestilentica infirmitate laborans, maxime tamen duabus ex prædictis septimanis de se penitus nil animadvertens, notitia hominum, quos antea competenter noverat, caruit; cujus E menti instinctus quidam divinus illapsus taliter eam allocutus est: Vis, inquit, sana fieri, fac votum adeundi tumulum beati monis in Cracovia nuper clarescentis, et sanaberis. Cui matrona grata assentiens, expresso voto patri Simoni, quem ante non noverat, nec de nomine ejus audiverat, nisi tunc, confestim sana surrexit.

73 Item Ursula, uxor Joannis de Ilkuss, similiter et Anna septimum continuans ætatis suæ annum, filia Dorotheæ de Wieliczka, tertianam febrem sustinentes, prima per novem, altera per quinque hebdomadas, cum per matres earumdem beato Patri fuissent recommendatæ poplitibus flexis, ab hoc et deinceps ab eis salvatæ fuere.

Item Ægyptiaca annorum quatuor, filia Elisabeth de Stradomia, per tres hebdomadas febribus continuis atque caloribus acutis torquebatur fortiter; sed quamprimum per matrem suam præfatam patri Simoni devota extitit, statim liberata est.

Similiter et Barbara, uxor Alberti de quadam villa prope Wieliczkam, per totam qua- F dragesimam et amplius febri tertiana vexata, cum se in patrocinium almi Patris humilis contulit, in continenti ab eis salva permansit.

74 Item Nicolaus doleator * et civis in Boczæczin ex hydropisi, quam primo passus est in Pedibus, nec non ex incisione venarum antepediarum *b* dolorem incurrerat acerbissimum, crinibus malis utique venarum vulnera incisarum subintrantibus: ob quorum sævitiam cruciatumque vehementem frusta carnis non parvo dolore consecta ac putrefacta frequenter extra projiciebat dolorosus, nec eatenus valens aliqualiter progredi citra annos duos. Interim etiam hydropisim in toto corpore sustulit pergrandem, præsertim tamen ventris; propter cujus tumorem neque pedes videre seu aspicere poterat. Quamobrem primo anno suæ prostrationis, voto se Virgini Mariæ astrinxit, [ejus] gratia in Czæstochowa migraturus. Non tamen ex hoc utcumque fuit sublevatus, quoniam Dominus Dominaque cunctipotens aliter sanandum decreverant, sanctum videlicet suum Simonem in eo magnificare

* id est doliarius

b

gnificare disponentes. Proximante itaque fine anni secundi suæ infirmitatis, auditis insigniis, virtute Dei et meritis præfati patris beati Simonis patratis, ipsum etiam devotus acclamare cœpit præsidio Unde mox majorem in modum a dolore ac tumore sublevatus, in crastino per se ecclesiam adiit. Atque posthac cito viæ votivæ subjectus, crinibus illis funestis inibi sublatis, plenarie sanatus est. Veniens igitur ad sepulcrum præfati Patris ostendit vulnerum cicatrices sive vestigia eorum, in pedibus antea dolorosis remanentes, ad validius testimonium perhibendum.

75 Item Benedictus, anniculus et supra, cujusdam filius viduæ Zophiæ nomine Kleparz, quatuor hebdomadis dysenteriæ ægritudine, sive vocabulo usitatiori, fluxu sanguinis vomituque creberrimo satis insuperque fatigatus, cum a matre præfata ac altera muliere in patrocinium viri beati Simonis commendaretur, ad diem tertiam et deinceps languore liber evasit.

Item Anna quædam, relicta de Cracovia, febres caloresque acutos per trium septimanarum spatium passa, voto emisso, mox a febre et caloribus curata, ad beati patris Simonis se obtulit sepulcrum, laudans et magnificans Dominum, ejusque fidelem servum Simonem beatum.

Item Hedwigis Karasiowa, oppidana in Pokrzywnica, doloribus obruta letalibus, quatuor septimanis non gressu nonve cibo usa interim erat proprio, nisi quod per alios aut de loco in locum deportabatur aut pauxillo brodio *c* lingua ipsius cochleari aspergebatur. Cumque in preces sese beati Patris contulit, alia super hoc muliere nihilominus ipsam instigante, atque voto ejusce concordante, sanissima postea iter viginti milliarium in voto habere pedes visa est.

Item Mathias Gawronck, civis Cracoviæ, dolore dentium capitisque acutissimo per unam septimanam grabato detentus, mox facto voto sepulcrum visendi patris Simonis, dolorem sanus evasit.

Item nobilis Stanislaus Opaczynski, infirmatus ex peste anno præterito usque ad mortem, tribus hebdomadis gressu caruit; verum cum jam agonia laborans de se quidem penitus inscius lumenque accensum (talibus solitum offerri) præ manibus teneret; en, pater ipsius nimis tristis supervenit, dominus videlicet Jacobus Opaczynski, atque eum sic aspiciens afflictum, fideliter et oculis illacrymatis pro eodem Patri huic beato supplicavit: qui exhinc confestim alleviatus, satis ad diem tertium ambulavit ac deinceps sospes.

Item generosa domina Barbara, nobilis domini Stanislai Boturzynski conjunx legitima, cum in partu constituta diutius moleste laborabat, ac vicinissima morti a quibusdam ipsam taliter conspicientibus putaretur, virgo quædam cognata sua, spiritu compassivo devicta, patri Simoni devote eam cœpit commendare: et ecce, illa, post votum a præfata virgine expressum, statim libera fœtum, licet exanimem, profundit: quem fœtum tandem multi aspicientes, nec spiritus vitales aliquantisper parvos in eo considerantes, per moram non modicam mox unanimes corde voceque concordes misericordiam Dei per suffragium et merita beati Patris pro eodem implorant; quo facto, Deus omnipotens, qui ex mera bonitate ac dulcedine suæ pietatis de vivo mortuum, de mortuo vivum, et de infirmo sanum facere consuevit opportuno tempore, ad invocationem sui fidelis Servi puero exanimi spiritum vivificantem misit, ipsumque ex hoc vivere fecit, ad laudem suam, atque sui servi beati Simonis clariorem meritorum magnificationem, et fidelium consolationem.

ANNOTATA.

a *Per* stubam, *ni fallor, hic significatur hypocaustum, quod Germani vernacula lingua* **stube** *appellant. Eorum magnus usus est in Germania et Polonia.*

b *Forte legendum est* venarum antepedalium, *per quam phrasim intelligo venas, quæ sunt in superiori pedis parte.*

c Brodium *est carnium elixarum jus, quod ab Italis vulgo vocatur* brodo, *et a Germanis* **bruhe**.

SECTIO TERTIA.

Margareta quoque Jacobi vocati Kossalia de Trzebinia villa versus Ilkuss, dum etiam esset patri Simoni devota a præfato viro suo Jacobo, quam magna molestia confecto, etiam ex ipsius angustia et dolore, quo nimis acerbe fatigabatur in fœtus sui parturitione, usque videlicet ad ignorantiam sui nominis, salva Annam sanam enixa, ipsum lætificavit meritis Viri Dei.

Item adolescens quidam, nomine Fabianus, Elisabethæ tabernatoris viduæ filius, de Poznania cum Cracoviam studii gratia se contulisset non longe post duobus funestis apostematibus sub ascellis obstringitur, tribus hebdomadis grabato cohærens, a medicoque, vice quadam urinam ipsius conspiciente, de vita jam diffidatus. Tandem prædictus adolescens post hæc vidit in visu virum quemdam, habitu Fratrum Minorum superindutum coronaque trabeatum, quasi in nubecula sibi appropinquantem et baculum pastoralem in manibus prætendentem, quo illum tangens jussit e lecto surgere. Ipse vero sentiens, se ex hoc non mediocriter sublevatum, votum misit patri Simoni, quem verisimiliter putabat. Unde incolumis citissime permansit, ulceribus illis pestiferis ab eo sublatis, votumque perfecit nudipes et sine camisia.

78 Item domina Catharina, nobilis Michaëlis heredis in Raysko uxor, infirmata plurimum dentium dolore per unam septimanam, cum se Patri sæpe fato commisit, sanam liberamque se reperit.

Quidam Mathias Slony, oppidanus in Ilkuss, per quatuor hebdomadas febrium lassitudine fortius attrectatus [erat], primum quidem tertianis, postmodum autem quartanis: cum vero ab uxore sua atque ab alia muliere votum beato Simoni fuisset pro eodem missum, super quo idem gratissimus a devotis præfatis matronis interrogatus assensit, ex hoc funestas febres incolumis evasit.

Item Margareta, cognomento Szymkowa de Stradomia, sex septimanis sævissimo doloris morsu in uno pede quassata, persæpe ejulans præ dolore rugiebat. Aliunde tutius refugium

A fugium sanitatis non sperans, ad Simonis gloriosi subsidium sese transvehit, orans eumdem: O, inquit, Simon beatissime succurre mihi modo anxiæ. Et ecce mox exaudita pristinam recuperavit sanitatem, offerens cereum pedem pro sano. Antequam ad tumbam pro voti solutione venisset (quia fere ad octo septimanas iter votivum dissimulabat complere) apparuit ei Pater sæpenumero repetitus in visu et ait: Quid cunctaris, o mulier misera? Solve quod vovisti infra has nundinas circa translationem sanctissimi Stanislai, accedensque ad Fratres de sancto Bernardino penes Cracoviam pete pro uno Ave Maria ad populum fieri in sermone, ut ex hoc Deus laudetur et Virgo gloriosa Maria.

79 Petrus quoque quidam nobilis adolescens, generosi Domini Dunin filius, cum grabato mortaliter accubuisset per unam septimanam, maxime tamen uno die, jam de vita penitus desperaverat, de se quidquam parvi minime advertens, sed in spiritu dumtaxat præmunitus, ut beato votum faceret Simoni. Quo confestim misso, sospes plenis- B sime remansit, die eodem ambulans; in crastino vero satius ambulavit, quoquo voluit, et equitavit, votumque non longe cum cereo solvit.

Item Dorothea vidua de Wlodzislow, febribus tertianæ per sex et amplius hebdomadas attrita validis, facto voto Patri beato, ab eis pro voto liberata est.

Joannes etiam vocatus Protrkowski nobilis notarius domini Præpositi in Staniætki *a*, tribus septimanis gravi capitis ægritudine jacuit fatigatus: verum consultus per confessorem, cui tunc peccata sua fassus erat, votum misit beato Simoni, et ob id extemplo notabiliter alleviatus, intra septimanam integre sanatus grabatum dimisit, caputque cereum ad tumbam detulit.

80 Quædam etiam puella nobilis in ætate nubili, nomine Hedwigis Slupska vocata, infirmitate gravi laborans per unam hebdomadam, cum votum fecisset beato Patri, mox convaluit.

Similiter et dominus Joannes, insignis genere advocatus in villa Bochnia *b* dicta, vir magnæ profecto maturitatis, quatuor septima- C narum percurrit moleste spatium, grabato cohærens viribus destitutus, modicave jam hominum notitia fretus: nam et cibo interim caruit, pauxillo dumtaxat sorbillo linguam cochleari respersam habens. Posteaquam vero soror ipsius de cœnobio Staniætecensi cum altera sorore sui Ordinis ipsum pie invisens advenit, et eumdem Viri sepulcro gloriosi sistendum repromisit, eo die convaluit, comedit, et ambulare cœpit, lectulumque de cetero sanus dimisit.

Item Hedwigis, uxor cujusdam fabri de Skawina, [cum esset] quartanis febribus caloribusque intensius occupata a festo sancti Bartholomæi usque ad festum sancti Thomæ Apostoli, vidissetque illo die, quo finaliter languit, in visu virum quemdam habitu Minorum cappatum se interrogantem, quidnam haberet; et illa: Nimis, respondit, anxior hic caloribus; quoniam, ut ei videbatur, quasi in fornace ignito jacuit. Dixitque illi vir prædictus: Fac votum adeundi bustum Simonis Cracoviam ad Fratres de sancto Bernardino. Quæ in continenti ad se rediens et terræ genua accurvans votum fecit, ea deinceps non eis vexabatur sana.

81 Item Domina Hedwigis Kunczowa de Posnania immani prægravata [erat] ægritudine, sic quod nonnumquam in desperationem prorumpebat, facta velut amens ex dolore. Quamobrem maritus suus dominus Kuncka, arte recamator *c*, plenus doloris amaritudine cum aliis cognatis ejusdem vota diversificabant. Pro eadem [flebat] votum ad Corpus Christi in Posnania, ad sanctam Mariam in Czestochowa, ad Sanctum Stanislaum in Cracovia et ad beatum doctorem Cantium: nec subinde paulisper sublevata erat in aliquo. Ad quam vice quadam soror sua virgo, nomine Margarita, adveniens et ei de votis supranominatis narrans adjecit: Vis, inquit, votum faciam ad patrem Simonem in Cracovia, quem bene nosti viventem: quoniam nescio, ad quem Sanctorum te amplius devovere debeamus in nostra Poloniæ provincia. At illa nutibus corporis manus complicans supplicabat, ut votum faceret: nam et loqui jam competenter nequiverat proxima exhalatui, habens ex hoc supra se cereum accensum. E Itaque voto pro eadem misso a virgine præfata, mox recreatur non mediocriter, sanitatique pristinæ restituta est. Attulit eapropter figuram ceream complens votum suum.

82 Quidam Frater Ordinis Minorum de Observantia, Euangelista nomine, gradum gerens diaconatus, quodam tempore in anno suæ probationis, quam Cracoviæ explebat ad sanctum Bernardinum, anxiatus naturali egestione infra orationem, nec præsumens de ecclesia interim exire ob magistri sui pristinam correptionem, quæ agebatur propter frequentem ipsius egressum ab ecclesia, præsertim infra tempus orationis, incurrit molestam ingentemque rupturam in inguinibus, ita ut viscera vesicam ipsius per unam septimanam abunde replerent. Atque ea semel in vespere supra modum pauper fatigatus, recogitansque beneficia almi Præconis ab aliis copiose recepta, eidem supplex effectus poposcit remediari. Unde ponens in terra poplites spopondit ad ejus monumentum quinque orationes dominicas decantare in honorem quinque vulnerum Domini Salvatoris, et tria Pater noster super sepulcrum prostratus ad crucem pro anima Patris prænominati. Qui tamen mane consurgens ante matutinum, sacrista excitato, petiit reserari sibi templum velocius ad explendum, quod voverat: non enim dormire potuit dolorosus. Expleto igitur voto, non adhuc suffragatur; verumtamen statim peracto matutino, pergit ad somnum capessendum in cella, a quo expergefactus sanus plenissime nec in aliquo dolorosus, quin imo lætus e lecto consurgit et gaudens, magistroque suo factum prodigium exponit concito, nec non patronum suum Simonem beatum laudibus sustollit, quem ille demum, ut taceret, interim prohibuit, donec annus probationis suæ terminum acceperat, neve etiam ea de causa propelleretur ab Ordine velut illi inhabilis. Completo itaque et transacto suæ probationis sanationisque anno cum aliquot hebdomadis, rem, quam tacitus jam dudum observabat, liber confessus est; adjiciens insuper, quod de cetero torturam illam in parte minime sensit.

83 Monach.

EX MS. 83 Monacha sanctimonialium de Staniætki, Anna nomine, et nobilis propaginis Czirska cognominata, per quinque septimanas et amplius variis acta intrinsecus ægritudinibus, maxime tamen capitis, vires et gressum perdiderat, aliena dumtaxat ope necessitatem perficiens. Hanc dum sua abbatissa, domina Margareta, patri Simoni commendatam fecisset, nec tamen sublevaretur in pauxillo, posteaquam devecta fuisset a præfata abbatissa in Cracoviam voti solvendi sepulcrumque Simonis gloriosi visendi gratia, confestim ut ire disposuit, sola ad ipsius tumbam de curia, ubi steterant, sospes ac sine cujusvis adminiculo per se venit. In crastino autem cum prædicta abbatissa sua, et tertio cum sororibus habitus sui venientes gestum pure enodarunt coram patribus Guardianis, patre videlicet fratre Stanislao Guardiano Bydgostiensi, et fratre Procopio de Lublin Guardiano Radomiensi ad laudem summi Salvatoris.

84 Swiætochna, vidualis mulier conditionis de Birkow villa, a duro morsu dextri pedis cruciata in quatuor hebdomadas, ut Simo-
B nem sibi auxilio invocavit, a quavis angustia libera permansit: enimvero, evoluto suæ curationis anno, illam rem circa se operatam meritis Viri beati promulgat, patentius declarans, quod prædicti pedis dolore per sedecim annos singillatim revolutos vexabatur certo tempore; videlicet autumnali per aliquot septimanas. Unde nec ambulare aut laborare, imo nec sedere valebat. Post votum autem factum Simoni celeberrimo, deinceps isto toto caruit.

Joannes triennis Stanislaides de subcastro Cracoviæ annum integrum et ultra exhausit quartana febri agitatus. At e contrario ad votum genitricis suæ Annæ pellificissæ, quod pro liberatione ejus patri fecerat Simoni, concito eum febris funesta reliquit salvum.

85 Anna quoque vidua de Wieliczka ex morbo, quem in capite intrinsecus pertulit, moleste [afflicta,] cæcitas persecuta erat, ad annum dimidium nihil penitus conspicere permittens. Acriorem dictenus perpessa doloris molestiam, ad desperationem miserabilis femina quandoque jam deveniebat, volens se transfigere
C cultello. Divina tamen protecta benignitate, nec non rationis recto suffulta consilio revocabatur ab actu' cruento. Dum igitur nocte quadam plus solito cruciaretur, in subsidium Simonis venerabilis sese dedit devota; sicque a somno, quo post votum erat consopita, expergefacta, morbum illum atrocem persensit resolutum in vertice, amodo actum videndi recipiens, nec potentiam visivam læsam retinens. Cumque in crastino foras civitatem ad Crucifixi exisset effigiem, stetitque ibidem versa facie ad civitatem, competenter illam prospexit cum nimia admiratione et exultatione Dominum hinc laudans in suo servo Simone.

ANNOTATA.

a *Joannes Dlugossus lib.* VII *Historiæ Polonicæ ad annum Christi* 1253 *de hoc monialium cœnobio ita scribit:* Innocentius Papa IV monasterium sanctimonialium in Staniatki Ordinis S. Benedicti in diœcesi Cracoviensi situm, quod Clemens de Klimuntow, comes de domo et familia Griphonum, Castellanus Cracoviensis D
ex facultatibus propriis muro coctili condiderat, fundaverat et dotaverat, confirmat.

b *Laudatus Dlugossus lib.* VII *hist. Pol. ad annum Christi* 1251 *de hoc loco sic meminit:* In villagio et rure Bochnia, quinque a Cracovia milliaribus distante, sal. . . . repertum est, et oppidum locatum.

c *Nescio quid hic significet* recamator, *nisi proveniat a verbo Italico* recamare *vel* ricamare, *id est Phrygionum artem exercere vel acu pingere, ita ut* recamator *hic idem sit quod Latine Phrygio vel qui acu pingit.*

SECTIO QUARTA.

Zophia de domo Domini Wlodzislawski, Nicolai muratoris a Cracoviam incolens, a
aspero et duro capitis suppressa dolore per septem dies, non dicam cibum tantummodo, sed nec gressum aut somnum interim gustavit modicum. Sua demum inquilina, nomine Barbara, ipsam persuadente de sepulcro Simonis beati adeundo, et ab illa angustiata E
in tantum femina devotissime expresso [voto,] mox sublevatam somnus prosequitur placidissimus. Die autem crastino consurgens, seseque præcipiti dedens itineri, tumulo Viri applicuit gloriosi, fassa (ut grata beneficio) clementiam divinam in se sic operatam fuisse meritis dicti Patris; cui prænominata inquilina contestabatur.

Nec ipsa quoque domina Barbara Chynczyna, civis Posnaniensis relicta, succursu Viri hujus beati caruit: namque cum hæc eadem diutius atroci gravaretur ægritudinis mole, sed et ipsi remediorum emplastra adhibita multimoda, prorsus in irritum forent ad extremum; deinde vomens a medicis conspecta [est,] et morti penitus adjudicata ob sævitiam corporis cordi illius invalescentis. Mulier quædam dispensatrix ipsius miserabili mota animo in dominam suam, quam unice diligebat, ex dictis medici in fletum resolvitur, ipsumque velocius Simonem implorans pollicetur, facturam se et oblaturam appensuramque cor de argento nitido super sepulcrum ipsius in F
laudem sui nominis, quatenus cor afflictæ dominæ suis dignaretur meritis refocillare, et hanc eamdem faceret supervivere. Quid multa? Lucratur revera prudens femina: cor etenim dominæ suæ post votationem missam recreatur non modica ex parte, atque successu temporis non multo ipsam pro nutu incolumem retinet integre. Offerens igitur oblationem promissam cordis argentei cum cerea figura animo nimirum ferventi rem professa [est,] et sic ex ordine factam fuisse multis coram positis ac ejus oblationem promissam cordis argentei hominibus utriusque sexus patulo videntibus narravit.

87 Sortis ingenuæ Adam ætatis puerilis, trium puto annorum vel supra, Zophiæ legitimæ consortis generosi Domini Matthiæ Wzdowski filius, tertiana vehementer attritus febre, trium spatio hebdomadarum, et hac per omnia labefactatus macilentusque ac velut exsanguis et propediem vitam hanc miseram et instabilem conclusurus putabatur: enimvero nobilis præfata Zophia parens hujusce in desperationem versa ceu non jam conspe-

ctura

A ctura denuo filium incolumem quin potius exanimem præstolans, vertit inversa vice se ipsam, fidemque erigit in almi Patris præsidium, atque filium ita languidum meritis velox dedit ipsius : post cujus sponsionem puer recreatur, nec deinceps funestæ febris loris constringitur; una saltem vice quasi obriguit ex ea paululum. Quare sospes plenissime et alacer cum utroque parente in Cracoviam, viginti quinque milliarium iter concludens, sistitur sepulcro Viri venerandi. Parentes autem iidem præfati pueri coram tribus, deputatis talibus audiendis, acta serialim et mature propalarunt adjutoriumque magnificum ad invocationem beati Simonis sibi præstitum luce clarus sua offerebant confessione.

88 Sanctimonialium quoque una cœnobii Staniætki soror, nomine Apollonia, genealogiæ insignis Szeniawska nuncupata, ejuscemodi languore tabescens funesto, in sex fortassis septimanas producta erat, lecto prorsus non aliena : namque triduanarum febrium calorumque similium intempestivo contorta rigore, [copia] remediorum aromaticorumque
B similium, sive succi cujusvis ægritudinis effugandæ gratia receptorum, penitus expers efficitur virtute. Anxia igitur et usquequaque miserabilis domicella dominam abbatissam, Margaretam nomine, accersiri poposcit, votumque pro se fieri obnixius obsecrat Simoni benedicto : nec pius Pater defuit ejus solatio; quin imo, voto misso a præfata nobili et religiosa abbatissa, rigor doloris monachæ propulsatur patientis dumtaxat eam utique vexans aliquantisper. Post quam vexationem sanguinis profluvium de naribus suis prorupit admodum copiosum, ita ut totum sorores effluxisse ex ea putarent cruorem, diemque obituram brevi : non enim eumdem quoquomodo restringere conatæ valuerunt, donec votum Simoni beato replicasset. Incolumis itaque facta, arrepto lumine, quod manus ejus offenderant, in Cracoviam se contulit visitatura mausoleum suis benefici Simonis, altera sibi comite sociata, et hoc ipsum protestante sorore, Religionis ipsius habitum etiam deferente, Anna nomine, ad laudem Largitoris omnium bonorum.

C
89 Frater aliquis zelator Observantiæ regularis Fratrum Minorum, et actu operam dans eidem pro viribus, sortis et excellentiæ sacerdotalis, circa festa sancti Bartholomæi, Apostoli Domini nostri Jesu, anno salutiferæ nativitatis ejusdem Domini nostri millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo, proxime ante capitulum provinciæ Polonicalis Fratrum Prædicatorum, quod in loco sive monasterio sanctæ Annæ penes oppidum Kolno celebrabatur, die natalis serenissimæ sanctissimæque Genitricis Salvatoris nostri Virginis Mariæ semper purissimæ, binos paroxysmos sive pestilentiales febres atrociter inciderat : hoc etenim bene noverat taliter appellari, sicut is, qui non parum de arte medicinali et infirmitatum proprietatibus didicerat. Quamobrem varia et diversa sibi ipsi subministraverat herbarum lenimenta, ex quorum operatione et effectu, semotis febribus, pestiferum ulcus, paucum quidem entitate, habens quantitatem videlicet ovi instar passerini sive columbini; qualitate vero vigoreque atque situ acerbum et molestum : [nam] juxta anum ejus exortum situatur in uno nervo, qui nervus postea ex ulcere eodem ruptus majorem EX MS.
in modum ipsi extitit dolorosus atque perniciosus, carpens aculei vespæ similitudine sive bucci *b* venenati, præsertim dum egestionis gravabatur sorte seu naturali necessitate; *b*
quia tunc nervo illo protenso ad inguinis medium, nec jacere, imo neque se penitus movere poterat; manibus tantum ano suppositis eumdem complectebatur resupinus jacens quandoque per sex horas.

90 Qui cum in octo productus fuisset hebdomadarum tempus, et medelarum ulceri superpositarum interim usu ad resolutionem noctu et interdiu haud in aliquo sublevatus, dolore prægravatur : [cumque], angoris sui et debilitatis corporeæ sensu crescente in octiduum, conscius certam sibi prope in horas necem imminere certis ominaretur argumentis, noctium una mortis meditationem et vitæ desperationem diutius secum volvens, in lamentabiles ejulatus ac mœrores erupit, succursumque gloriosi Joannis Capistranensis implorat. Post defatigationem quoque carnis et spiritus in aliqua- E
lem soporem arripitur, et horrendum illud et pestilens ulcus leviamen illi aliquale attulit, sed non sanitatem. Quod factum dum pater Vicarius alias Bal pro comperto tenens ægre ferret, ægroto nimirum condolens, in Posnaniam transvectum ire præcepit, medelæ cujuspiam suffragio sanaturum. Illuc itaque eo transvecto, medicus procuratur; sed nullius prorsus remedii et medelæ suæ sanationis levamen sive fructum invenire quibat : neque enim succi, quos medicus congruos applicandos decentesque autumabat, illi conducebant, sicut et ipse Frater patiens plene intellexit, vim eorum animadvertens in contrarium ire. Fluctuat eapropter plus ac magis angustiatur : nam ulcus illud funestum totum ani foramen orbiculariter jam circumdederat. Jam igitur longius fatigatus pluris ducit divinum beatissimique Simonis patrocinium consiliumve sub re hujuscemodi capessendum, ad quod, abjecta prorsus humana fide, et spe plenus regreditur, nec frustrandus desiderio.

91 Ubi vero votum pollicitus est orandi F
centum Pater noster et totidem Ave Maria ad sepulcrum Viri beatissimi, iter usque Cracoviam accepturus, a dolore gravante fluxuque manente non parum confestim sublevatur, ambulans, et factitans placita. Veritus tandem pauper licentiam carpere a Vicario, in Posnaniensium oris agente, ac ipso post in Cracoviam discedente, miserabilibus priscis opprimitur angoribus : quod videns, et pro comperto habens, quod ratione incuriæ suæque veluti levipensionis itidem recidisset, velocius quo potest pro obedientiali licentia in Cracoviam ad patrem submittit Vicarium, statimque obedientia itineris habita, non moras trahens properat gradu concito in eamdem cum Fratre sibi assignato. Quid plura? Mirari si cupis, plane habes unde : namque egresso qualitercumque Posnaniensi loco, et transfretato fluminis Vartensis alveo juxta Posnaniensem civitatem, meatu ducente, sorte [aliud quid] accidit. En Fratrem socium atque currum perdit, ac eos, per devia quæque velociter et expedite currens, per abrupta

queque

EX MS quoque camporum et convallium saltitans quærit, nec invenit, donec quinque milliarium callem solus et pedes complens, in locum Fratrum circa oppidum Vartofilum veniret, non ut jam infirmus aut fluxu morbi aggravatus, sed ut sospitate desiderata potitus: Et ita Cracoviam usque perraro et brevi currum ascendens advenit. Quo demoratus aliquamdiu neque præfatum centum Pater noster voti sui complens, tum forte ductus desidia turnve rubore Fratrum aliorum perfusus ac verecundia, in tempus congruum dissimulans protelabat completum iri. Iterum fluxus molestia irritatur. At revera, expletis orationibus votivis, sospes fluxum evasit, parvulo ulceris in eo remanente vestigio.

92 Domina Catharina Jurkowa, sartorissa de vico castrensi Cracoviæ, languoribus ægritudinis suæ acta pene mortalibus a l unam septimanam, et prece Simoni beato transfusa, promisit, aliquantula sese oblaturam, ac tandem cum cereo ad ejus bustum, si sana foret, venturam; et eodem die gressum ambulans figebat. At rursum, evoluto dierum B intervallo, iter dissimulans in languorem dentium versa recidit atque capitis, recognitaque sua culpa parvipensionis, revertitur ad beneficium Simonis, ac se sepulcro ipsius velocius præsentat cum lumine cereaque mandibula, binum ad Simonis invocationem gloriosi beneficium consecuta.

93 Hieronymus impubes decennis vel supra, generosi domini Nicolai Dæbicki et Annæ conjugis suæ filius, de villa Rzochow Cracoviensis diœcesis versus Tarnow habente situm, languens diutius septimanam unam pernox et perdius cibo minime sustentatus [fuerat,] aut gressum transegerat; quin imo periodo adjudicatus exitii notas seu vestigia pestifera in diversis corporis partibus jam nigra nunc glauca habebat. Miserabilem igitur nobilis domina Anna in puero deplorans sortem, convertitur ad imaginem Virginis, quam in stuba appensam frequentius conspiciebat, fletque, deprecatur et orat, quatenus Virginum Virgo Maria, per sui quandoque cordis amorosi dolores atque sui Simonis almi devotas intercessiones, dignaretur C eam consolari in præfato filio prope horam moribundo; similique Simoni supplicat voce ipsum ingeminans, pollicensque, illum busto præsentandum ipsius. Lapsis igitur aliquot horis, puer Hieronymus, vesperarum hora comparente, genitricem advocans, refectionem sibi concito parari jubet, desideriumque appetitus exhinc et per amplius implevit expedite, incolumis infra septimanam factus. Verum autem prædicta domina narrans ipsum devote coram patre Guardiano loci Cracoviæ, tunc fratre Martino de Kamiona, alteroque sibi assistente Fratre sacerdote et hæc per omnia audiente, adjecit, quod et ipsa in quinque hebdomadarum spatium gravi deducta [fuerit] ægritudine, ad quam profugandam remedia plurimæque medelæ in vanum illi porrectæ nequidquam profuerunt, donec vis auxilii salubris beati Simonis implorata accessit, doloremque penitus et ægritudinem ab ea, ut et ab ejus filio, abegit ac diffugavit.

94 Ordinis tertii sanctissimi patris Francisci Soror, nomine Ursula inter reliquas sui Ordinis sorores in Kasimiria degens, longo dentium dolore [torquebatur.] D Quam maxime autem duabus septimanis eodem pene intolerabiliter gravabatur, præsertim refectionis cupidine affecta. Verumtamen applaudente sibi misericordia divina, oraculo inspiratur, ex alto, committendam se fore in suffragium Simonis. Quod dum præconcepit, dolore gravante privatur. Fragilitati denique conditionis subjecta labitur in quoddam nefas seu culpam: quam cum coram seniore matre sui Ordinis effata fuisset, ac ob id probris sui excessus seu demeriti afficeretur, tristitiam vehementem illabitur nec valens confessoris sui monitis compesci aut consolari per totam Octavam Conceptionis immaculatæ gloriosæ Mariæ Dominæ nostræ. Die itaque octava festi prænominati solito plus mœrore confecta plangit et ejulat in ecclesia Fratrum Minorum de Observantia penes Cracoviam, ubi instinctu sufflatur divino [ut aliquo voto se obstringat:] cui assentiens, mox mœrore abscedente, læta in domum revertitur, offerens demum in voto mandibulam ceream cum lumine ad laudem Dei. E

ANNOTATA.

a *Hic videtur omissa vox* filia, uxor, vidua, *aut huic similis. Alibi sæpe ejusmodi nomen substitui, quod sensus determinatum indicabat; alibi illud subintelligi potest.*

b *Nusquam reperio, quæ sit significatio* bucci venenati, *quemadmodum hic scribitur. Suspicor, legendum esse* bruchi, *cujus animalis sæpe meminit Scriptura sacra, et nominatim Jeremias cap.* LI ✝ 27 *appellat* bruchum aculeatum.

SECTIO QUINTA.

Stanislaus decimum septimum suæ juventæ agens annum, filius Stachnæ Malkowey relictæ de Kleparz, ab æstivo in hiemale usque tempus a duro poplitum sive genuum productus angore, ita quod nec progredi potuit, sæpe sæpius loco alicui applicatur: cujus mater prædicta miserabilis et dolorosa duabus hebdomadis ante natalem F Domini Salvatoris spe saluberrimæ curationis filii ex invocatione meritorum almi Simonis, afflictum taliter subdidit dictum eidem Stanislaum. Confestim alleviatum ex hoc toto, et plenaliter liberum in gressu [habuit] filium, cum quo cereum sepulcro Viri beati appropiata obtulit in crastino Epiphaniarum Domini. Rem facti ejusmodi patri Guardiano loci Cracoviæ et reliquis, qui intererant, Fratribus narrans, Missam ibidem audivit.

96 Propaginis ingenuæ domina Margareta Mokrzka diro dentium dolore attrectata [erat] noctu et interdiu. Ab ancilla familiari noctium una solito validius audita [est] ex hoc anxiari: quæ mox, non ferens dominæ tantam molestiam, pium erigit cor, Simonique illam beato devotat sanandam seu recreandam. Verum, voto commisso a præfata ancilla, Beata nomine, domina Margareta, dolore anxio semoto, dulci arripitur somno, sospitatem tum celerem admirata in mane; cui demum prædicta ancilla votum enodat, ipsam ut gratam beneficio lætificans.

Bartholomæus

A Bartholomæus oppidanus laicus et incola in Kozioglowi, tempore pestis illic sævientis ulcere collisus apostematico sub ascella dexteræ manus, a festo Michaëlis Archangeli usque ad Adventum Domini grabato decubabat, periodo exitii ab omnibus ferme adjudicatus; quos contra mater ejus, nomine Catharina, inescata celebri fama suffragiorum Præconis gloriosi, et a quibusdam pro voto faciendo monita, ipsum cum cereo promisit et Viro Dei commendavit, et amodo æger cœpit convalere : votivum igitur iter post sanissimus, pedester duodecim milliarium egit.

Prolapsa denique in pestem Catharina, uxor Martini sartoris de Sacrano, alias de Oswiecim, sex exegit cum eadem hebdomadas dolorosa. Cumque in patrocinium Simonis sese fidelis contulisset, tunc Deo clementissimo opitulante, et Beato ipsius interveniente, femina suffragatur, die crastina gressum figens amissum ac diebus posteris.

97 Nobilis Hincza, curialis domini Posnaniensis, febrium calorumve continuis oppressus ardoribus, ita quod pene letales illi viderentur; exitiumque, brevi collapsurus, ex eis ominabatur. Quocirca præconio afflatus Patris venerabilis, devotus incurvat poplitem, ab eodem Viro suffragandus beato. Unde confestim funestos illos liber evasit ardores deinceps, nec quidquam molesti ab eisdem sensit. Quo facto ipse et ceteri attoniti, stupebant, Dominum in Simone laudantes omnipotentem.

Veronica proinde, quæ alias Wrona suo nuncupabatur idiomate Theutonico, consors Joannis Jaworck fabri lignarii de Casimiria civitate, quæ Cracoviensibus adjacet mœnibus contigua, septenam per integram dietim occupata peracutis febrium atque calorum cruciatibus, dum modo mente præmeditando sese pollicituram proposuisset, vir Dei Simon beatus ægritudinem de cetero sua abegit effugavitque intercessione, prout ipsa tandem iter voti solvens, suo sibi conjuge associato, hoc per ordinem effata est.

98 Collabente etiam domino Nicolao Zylka, consule vici Stradomiensis, gravem in ægritudinis molem, binasque cum eadem transigente hebdomadas, ex ulcere funesto, quod ejus collum sive guttur corrodens ferocius constrinxerat, et in mortem tandem vix illum non dejecit : duobus attamen diebus præsertim illo prohibitus ab esu. Unde nequaquam cursu communi auspicatus est, se superstitem fore, nisi Simonis gloriosi succursus præsto sibi affuisset. Quare mox imploratus ægroto salubre pius Frater administravit refrigerium : nam resoluto post vocationem ulcere molesto, saniem exscreavit ore, ac sic sanitatem diffisam recuperavit omnimodam, applicans se cum cera benefici sepulcro post hac Simonis.

Catharina veterana tertianas febres tolerans a festo omnium Sanctorum simul et per totum fere tempus hiemale, poplite in terram posito et corde in oratione levato, infirma quidem carne, sed fide fortior inventa, oravit ad Dominum, quatenus per dulcem benignitatis suæ dotem, et beati Simonis strenuam opem sublevari mereretur, præsentatura se cum cereo, quem nendo elaborasset. Ad sepulcrum ipsius libertatem adepta est incolumitatis, a tortura deinceps erepta febricitatis. EX MS.

99 Valentini organistæ de platea S. Spiritus filius, nomine Joannes, spatio decem hebdomadarum peracutis quartanæ febribus agitatus, ut vix ejus vita speraretur, cum per matrem suam Margaretam almo Patri commissus erat, peramplius salvus exstitit.

Similibus arctatus ardoribus Stanislaus, unius anni cum dimidio filius Elisabeth Toxowey relictæ de Casimiria, a festo sancti Martini usque ad Purificationis festum Virginis altissimæ postquam a matre præfata de consilio cujusdam matronæ fuit recommendatus huic venerabili Viro, mox eo die, quo jam torqueri et frangi visus erat, febris eum dimisit.

Nobilis Catharina Baranowska filiam habuit unicam, nomine Annam : quæ dum gravi oppressa fuit infirmitate spatio hebdomadarum quinque, ita quod nulla spes salutis in ea esset : nam et usu sermonis privata mutaque effecta [est :] quam mœsta mater ejulans et lacrymans ad limina beati Simonis devovens, quo magis potuit, devota sancti Patris implorabat auxilium, ut ejus patrocinio adjuta filia E saltem amissam rehaberet loquelam, ut per sanctam confessionem migratura ex hoc mundo suam purgaret conscientiam. Mirabile dictu! Deus in Sancto suam magnificat potentiam : nam mox, matre pro filia votum emittente, filia eadem hora nedum sermoni restituitur pristino, sed et sanitati meritis et intercessione Viri sancti

100 Nec tacenda insuper sunt magnalia Dei in Sancto : nam nobilis Anna, alias Czayczina de Nowydwor de districta Radomiensi, veneno pestifero infecta, gravissima oppressa jacebat infirmitate : nam duo admodum grandia apostemata in corpore semimortuo exorta ejus spiritum extinguere propediem nitebantur. Concurrunt amici, totiusque domus angulus lacrymas habet omnis, mortemque inevitabilem flebiles spectant, lumineque accenso ad funestum vigilant corpus. Sed illis ex alto inspiratione data, fundunt preces, dominam suam suffragiis committunt, voventes illam ad sepulcrum Simonis sancti. Stupendum factum! Nam postulationi eorum datur consolatio : ruptis quidem mox ulceribus, F sanieque decursa, sanitati debitæ restituitur. Quæ quidem domina ipso die S. Stanislai vota persolvens cum lumine cereo ad suæ personæ longitudinem, tumbam Viri sancti visitavit lacrymisque irrigans, tanto pro beneficio Deo omnipotenti et beato Simoni immensas peregit gratias.

101 Insuper non latet sidus Patris in firmamento cæli jam positum, quando virtutem postulantibus in fide infirmis non denegat. Ecce laboriosa, sed utique Deo et Patri devota, mulier, nomine Anna, conjunx Stanislai de villa Doroschowka nuncupata, filium nomine Thomam jam in agonis certamine, dumtaxat parvulo in pectore agitante spiritu, positum mœsta ad Simonis almi vovet tumulum. Res prædicanda! Nam vix matre verba exprimente, filius repente se de lectulo erigens, manibus in cælum erectis, vultuque læto prospiciens parentibus dixit : Jam sum sanus. Fit in vicinia concursus; cuncti mirantur virtutem divinam per Patris merita; gaudent adesse postulantibus; datur filius

filius implens vota tumulo, et grates una cum matre exhibet Deo.

Præter hoc fulget Vir Dei prodigiis : nam mulier quædam Catharina, uxor Jacobi de Opatow, per medium anni jacebat diversis laborans febribus : cui prorsus dum nulla medicina saluti profuisset, fidem firmam habens in Domino et Patre venerando, tumbam illius visitare vovit. Continuo, ipsa promittente, divina adest consolatio : nam eadem hora convalescere cœpit; temporisque successu incolumitatem meritis Servi Dei habere promeruit, votaque persolvens sepulcro venerandi Simonis seipsam sana præsentavit.

102 Intuendum præter hoc nobis est admiratione dignum omnipotentis Dei in Servo suo opus : nam vir quidam de Polomice, Stanislaus nomine, qui quondam cum ceteris stipendio militantibus castra hostilia solebat evertere, qui divino timore postposito suis non contenti stipendiis plurimas oppressiones injuriasque violentas et angarias *a* exquisitas in plebejos et subditos solent intentare. Hic dum quodam in hospitio apud providum Joannem Szyb in Stradomia residebat, interim sua intra semetipsum temporis acta animo volvebat, et culpa sua coram consedentibus multis de malis recognita, spiritu utique humili et contrito se ipsum arguebat dicens : Vereor valdeque pertimesco divinam astare præsentiam meorum magnitudine scelerum inquinatus, dignus pluries gehenna; crederemque, mihi concessam ex alto misericordiam, si hac in vita plagatum contingeret iri. Hæc illi interim verba proferenti adest subito in eo petitus plagarum effectus : repente etenim obmutuit, totusque elinguis, stupentibus cunctis, permansit. Currunt vicini, ruunt populi talia stupenda videre.

103 Affuit tunc temporis dicto in hospitio quidam presbyter dominus Joannes de castro Cracoviensi, vir utique moribus vita et ætate maturus. Hic statim nutibus et signis declarantem ad sepulcrum inclyti patris Simonis devovet, inclamans, ut multam haberet spem et fidem in Domino : quem in ecclesiam, multis illum sequentibus, conduxit sancti Bernardini; ac ille signis ac nutibus ostendendo, fusis lacrymis se intromitti ad sepulcrum patris Simonis petebat; daturque illi aditus. At dum se, presbytero domino Joanne ipsum excitante habere fidem in Domino, pronus in modum crucis ad sepulcrum patris Simonis jecit cum lacrymis, corde illum invocans, intervallo modico temporis facto, cœpit imprimis Jesus Maria voce intelligibili personare; tandem se in altum erigens, laxis fibris, loquela pristina ad plenum uti, Fratribus completorii divina persolventibus : promisitque diebus vitæ suæ diem obitus beati patris Simonis in pane et aqua jejunare, abiitque sanus clara voce magnificans Deum et ejus potentiam in Patre : quod gestum est feria tertia ante [festum] beatæ Zophiæ *b* proxima, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi.

104 Nec silendum in Viro Dei omnipotentis evidens factum : nam generosa domina Barbara Czyzowska, olim magnifici domini Joannis Castellani Cracoviensis conjux, tum jam relicta, domina magnæ juxta mundum reputationis lineaque generis alti, gravem incurrerat infirmitatem, ita ut nullius toto in corpore membri debitum haberet usum : nam manuum inflaturas et pedum [patiebatur,] partibusque in aliis cute inflata et sanie intra gravante [torquebatur] ita quod nec ei nervorum contractio retractioque dabatur. Acerbissimo itaque per anni medii spatium grassante indies dolore, ne vitalis in ea spiritus extingueretur, manus aliena modicum ei subministrabat cibum, caputque tremulum sustentabat : dumque sic gravata decumbebat, miseram pluries deflens vitam, potius desiderans obire mortem, quam singulis torqueri media vita diebus.

105 At illi inter jacendum obtulit se memoriæ quoddam ante gestum per virum Dei Simonem in famulo ejus miraculum : nam quidam de servis prædictæ dominæ cubicularius, ut ipsa dicebat, nomine Joannes, dum quadam legatione peracta iter ageret, marsupium pecuniarum collapsum in via perdiderat, nullaque spes erat rehabendi propter multorum viam pergentium tollendi suspicionem. At illa intra se perturbatione quam plurima molestus, quid agendum sit dubitat, seque pecuniarum in damno, patri Simoni visitaturum limina sua vovet; retrorsumque pergens, pecuniam amissam [ope] patris Simonis integre invenit; et rei factum, quod in via ei acciderat, domum veniens coram multis enarravit. Quo miraculi motivo domina in gravi dolore constituta patrocinium Viri Dei precibus in auxilium invocans, sepulcrum ejus vovet visitare. Adest Deus refugium petentibus : nam meritis patris Simonis, humanis non proficientibus remediis, tumor ille intracutaneus ruptus est, et solatium vitæ præstitit et membrorum usum, cœpitque statim convalescere, quæ fuit semianimis propediem moritura. Demum potiori resumpta sanitate, ad solvendum votum stipata famulatu venit, ore magnificans Dei omnipotentis potentiam in servo suo Simone, quæ ad sui invocationem in ea est operatus, enarrans, manibusque cancellatis *c* tam pro insigni beneficio promisit centum florenos pro Canonizationis trophæo negotium adjuvare, præsentibus patre Francisco tunc præsidente, fratre Zbioneo; fratre Basilio presbyteris, tunc præmissa audientibus ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi.

ANNOTATA.

a *Vox* angaria *diversas habet significationes, ut videri potest apud Cangium in Glossario; sed hic significat vexationem, seu injustam coactionem, ut ex sensu colligitur.*

b *Varias hujus nominis Sanctas jam in Actis nostris dedimus. Sed nescio, quænam sit illa, de qua hic fit mentio.*

c *Cancelli sunt ligna aut ferramenta modicis intervallis in transversum invicem annexa : et cancellatum dicitur, quod cancellorum figuram imitatur. Hinc suspicor,* manibus cancellatis *hic significari manus decussatim vel transverse ante pectus positas.*

A

SECTIO SEXTA.

Famam Sanctorum suorum miraculis innotescit Deus. Nam quædam urbanæ conditionis femina, relicta Ludovici de Cracovia, Anna nomine, trium annorum spatio podagræ plurimum agitabatur tortura, ita ut emortua membra pedumque venæ grandi præ infirmitate pro tempore rumpere illi videbantur. Sub vinculo itaque tantæ ægritudinis constituta, et ministerio, quo sibi velut orphanæ patrimonii inops consulere consueverat, deficiente, ad producendam vitam aliud adminiculum non habebat, nisi publice verecunda victum emendicare. In preces itaque et obsecrationes ad famulum Dei Simonem tota conversa, nomen ejus pro sua tantæ ægritudinis molestia cœpit invocare. Ecce adest oranti optata consolatio : nam, universæ podagræ tunc rabie diffugiente, vidua gradu concito ex grabato consurgens, quo detine-
B batur, limina patris Simonis visitavit, perfecto gressu rediit, votivam oblationem viro Dei offerens, et ejus merita in sanitate sua glorificans.

107 Adhuc prædicatur in Viro Dei omnipotentis clementia. Nam quædam conditionis plebejæ femina, Barbara nomine, conjunx Nicolai de Poræba, quodam gestu curioso cum viro suo lætitiæ utique vanæ immoderata ducens præambula, marito pe-
a cuniam computante, latos grossos *a* clam duos arripiens, viro ab ea illos repetente, ori imponens, habere se illos negavit ; sicque, sermone properante, casu illos deglutivit, et latitudine arterias gutturis illius impediente, suffocatum se iri miserabiliter exspectabat : nam per spatium dierum quinque cibo nec et sermone usa, cruciatu hujuscemodi plurimum fessa, obire timebat mortem. Ad preces itaque patris Simonis se devote contulit, vovens illius visitare sepulcrum : nec frustrata [est] spe salutis : continuo enim massa illa, jam sanguine obducta, ad interiora tendente, salva permansit, votivumque iter per-
C ficiens cerei cum oblatione, in servo Dei Simone divinam laudabat clementiam.

108 Nec cessat liberalis in patre Dei Simone ubertas et altipotentis effusa misericordia : nam quidam nobilis Petrus, heres de Naszowa, primogenitum, pestifera illum graviter invadente infirmitate, Matthiam nomine, jam in agone mortis laborantem [habebat :] et ne pater miseram tam carissimi filii spectaret mortem, sui doloris majus in augmentum (nihilominus illum vovens patri Simoni) e domo discessit hora completorii, committens familiæ circa funebria pueri operam dare. At nocte sequente, agente silentio, puer semimortuus subito convaluit : fitque præsentibus in Domino ingens lætitia, seque cum puero sepulcro Patris juxta promissa obtulerunt, protestantes, illum nullo modo posse vivere, nisi suffragiis patris Simonis adjutus fuisset, et tamquam pro a mortuis resurgente gratiarum Deo et servo ejus Simoni dabant actiones.

109 Fulget præter hoc decus sanctitatis in servo Dei Simone. Nam quidam Vir, Stanislaus nomine, conditionis licet plebejæ, honestæ tamen famæ et vitæ de Bochnia, alias de suburbio dictæ civitatis, mirabili (divina agente gratia) percussus [erat] infirmitate : nam interdum magnis æstuabat febribus ; interdum corporis tremulæ vires singula concutiebant membra. Tandem, grassante passionis infirmitate in poplite dextro, morbus quidam qualitatis magnæ exortus est, eum adeo crucians, ut illi videbantur venæ pectoris disrumpi : et non aliud quam claudicatum se ire credebat, si contingeret, eum taliter de infirmitate consurgere. Hæc eo secum lamentabiliter cogitante, ecce ipso die ascensionis Domini nostri Jesu Christi quædam vox articulata et sonorosa ad eum dirigitur : Vade ad sepulcrum patris Simonis Cracoviam, et salvus eris. Qui statim e lectulo consurgens hora eadem, ut ipse confessus est, totus sanatus fuit. In quo patet liquide, quod non naturalis operatio, quæ successiva est, sed divina, quæ repentina dicitur, virtus salutis operata est effectum : qui in evidens sanitatis suæ indicium, cereum pedem, gressu perfecto adveniens, sepulcro Patris ap- E
pendit, quæ illi acciderant publice notificans ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui tot per servos suos operatur magnalia.

EX MS.

110 Præterea clarum Sidus Minorum, in tuto jam positum, cæcis lumen præstitit : nam matrona quædam status vidualis, genere conditionis simplex, Catharina nomine, tamen juxta fragilitatem humanam Deo et patri Simoni pro posse devota, et sermonibus ejus Cracoviæ demorans plurimum affecta, gravi oculorum dolore, longo spatio temporis procedente, torquebatur, ita quod jam penitus solitum naturæ videbatur amisisse visum. Inter hunc misera cruciatum patrocinio Patris se commendat, ejusque limina visitare devovet, obsecrationes plurimas ingeminans, ut visum amissum Patris suffragio mereatur recipere ; mandatque vittam ceream modo circulari cum insigniis oculorum ad majus indicium figurari. At ubi primum in dictæ matronæ præsentia, cera liquescente, figura rotabatur, mox subducto oculorum nubilo, salus illi restituitur intuitus, clareque pro- F
spiciens, vittam acceptam et capiti impositam ad patris tumulum [detulit, et] vota persolvit, magnificans Dominum suorum de sanitate oculorum.

111 Eodem modo femina quædam Elisabeth de Dopozice per biennium penitus, ut ipsa testata est, visu oculorum privata, vota ad Patris sepulcrum emittens promeruit visum amissum restitutum, debitumque voti sine duce progreditur solvere, quæ ante opus ad omne ductore indigebat, divinam in Patre laudans clementiam.

Non sine admiratione prædictorum aliud prædicatur miraculum : nam mulier quædam conditionis urbanæ Catharina, conjux Stanislai cognomento Piorunek de Cracovia, in partu plurimum laborans, diutiusque punctionibus intraneis cruciata prolis, præ miseria propediem horam flebilem exspectabat mortis. Tandem mota, quasi spiritu pueri intra matris secreta latente, ad patris Simonis sepulcrum vota emisit, statimque infantem, dolore omni semoto, mundo peperit :

EX MS. rit : quæ demum, puerperii tempore completo, cum cereo ad patris sepulcrum [puerum] obtulit, suffragia ejus in eam effusa prædicans, et quæ illi acciderant enarrans ad laudem Domini nostri Jesu Christi.

112 Præter hoc juvat intercessio patris Simonis incly̆ti : nam quidam studens, nomine Bartholomæus de Frastuk, in bursa studentium commorans, morbo pestilentico in corpore percussus inter plures, tandem per
b preces sancti Stanislai martyris *b*, voto emisso, sanatur. Non longo vero post tempore eadem tactus infirmitate vel multo ferociori (nam apostemate suborto videbatur illi propediem spiritum exhalatum iri) huic iterum devotatus nullum sibi fieri cognovit auxilium. Tandem, gratia Dei inspirante, patris Simonis limina se visitare vovit : mox ulcere rupto, convalescere cœpit, temporisque tractu modico plenariam percepit sanitatem, votaque cum candela ad corporis sui longitudinem persolvens, Domino et Patri beato immensas peregit gratias.

Huic adjungitur simile : nam quidam vir
B nomine Jacobus, cognomento Straka de Oswyeczim, filium nomine Joannem, annum sextum attingentem, infirmum, cereo accenso, parentibus miseram lamentabilemque exspectantibus mortem, sepulcro patris Simonis dum devovet, adest illis optata meritis Viri Dei consolatio : nam idem puer hora eadem e lectulo sanus surgit : quem tandem pater cum lumine sepulcro beati Simonis præsentat, Deo pro posse agens gratias, et factum enarrans.

113 Denique tertium additur tale. Nam Anna, conjunx Stanislai de Opatow, gravi per annum cum medio oppressa [fuerat] infirmitate, cui spes jam nulla dabatur vitæ ; vix enim ossa cuti adhærere, viribus naturæ consumptis, videbantur, ususque naturalis subtrahitur manibus. Hæc cum in lectulo se volutans (malens obire mortem quam infirmitate tanta quassatam vitam ducere in multis diebus) flebat uberrime. Dum se nihilominus patris Simonis commendat meritis et precibus, voto promittens ejus visitare sepulcrum, adest prædicabile in femina sani-
C tatis auxilium : nam cœpit statim convalescere, tractuque temporis ad plenum pristinam recepit sanitatem, infirmitatis fugata molestia : et quod promisit verbo, exsolvit facto, laudans in Servo Dei omnipotentis clementiam.

114 Ad hæc licet in omnes gratia per patrem Simonem precibus obtenta effunditur, magis tamen in illos, qui innocentiæ flore coram Deo grati existunt. Hujusmodi multorum in pueris probavit eventus, inter quæ admiratione dignum [est, quod sequitur.] Generosa Domina Catharina, contho-ralis magnifici domini capitanei Radomiensis, charissimum ei filium, Bartholomæum nomine, quintum vel ultra annum attingentem in lectulo tempore prolixo gravi infirmitate decumbentem [videbat, et] non sine lacrymis tenera et jam morti vicina spectabat membra : quem dum sepulcro Patris devovet, sanum meruit habere, quem jam quasi deflebat mortuum : et quod promisit verbo, implevit facto, cereum holocaustum ad pondus pueri ad sepulcrum Patris deferens, in Viro Dei divinam magnificans virtutem.

115 Catharina, conjunx Stanislai pistoris D
de Cracovia, partus difficultate tribus diebus et noctibus gravissime laborans, mortique jam proxima [erat :] quæ dum per feminas astantes Viro sancto commendata fuit, et ejus sepulcrum [se] visitaturam [promisit,] statim dolore omni semoto, infantem mundo genuit, suæque promissionis votum persolvit.

Helena, Jacobi conjunx pistoris de Cracovia, infantem Stanislaum, morbo squammatico *c* guttur acerbe obducente [habuit c
afflictum,] cui nec anhelitus, nec cibus naturæ dabat sustentamentum. Quem dum viro Simoni beato devovet, salvum ad plenum [meruit] suscipere, et promissa devote implevit.

116 Hedwigis, uxor Joannes Vicher cognomine de Wolborz, gravissima et diuturna oppressa [erat] toto in corpore infirmitate : nam per integrum annum cum medio lecto decubans, alienæ manus, motu proprio se movere cum non posset, illi præstabant, nedum cibi, verum et corporis, quasi semimortuam vertendo, auxilium. Taliter
itaque longo pro tempore ægritudine flagellata, dum inspiratio divina illi affuit, se, E
quantum potuit, viro beato Simoni commendabat, et sepulcrum ejus visitare [promittebat,] si contingeret eam de tam gravi infirmitate incolumem precibus surgere. Igitur sana protinus, quasi numquam infirma [fuisset,] cunctis stupentibus surrexit, et sepulcrum Patris, qua potuit devotione, visitat, Dominum in Sanctis magnificans.

Laicalis status quidam Leonardus de vico sancti Nicolai apud Cracoviam, algoribus æstibusque sævæ collisa sustinens membra quartanæ hebdomadis quinque, ut se Simonis commisit auxilio, perire ex tunc illos a se propulsos veniens clara effatus est voce.

117 Dorothea denique conditionis humilis matrona de platea castrensi Cracoviæ, ad quinque vel supra septimanas, noctes tremulas diesque transigens molestos, subjecta precibus tutelæque Simonis almi, in continenti suffragatam se mirifice professa [est.] Refectionem etiam, quam quandoque interpolatis diebus non aut vix habebat insipidam
palato, sapidam discrevit, lacessentis stoma- F
chi desiderium re complens, cereumque tandem labore partum salvifici tumbæ Patris obtulit.

Nobilis Dorothea, domina et heres villæ cujusdam prope Tarnow, terrores mirabiles stuporemque passa per annos quatuor, ita quod audito pulsu campanæ suæ parochialis ecclesiæ, aut etiam in eadem Missarum audiens solennia, perterrita, nec Pater noster cantare seu dicere quibat. Cum ergo patrocinio Simonis se adjecit, mox et de cetero inimici tentationem evasit totaliter.

118 Consueta largifluæ bonitatis suæ beneficia clementissimus Deus non desinit in suos misericorditer elargiri. Hinc etiam, ad quam nobis sermo in præsentiarum extendendus, proponitur miseranda matrona, relicta de suburbio Cracoviensi, [cui] pia non defuit commiseratio, præconis sui Simonis gloriosi implorato auxilio : namque ipsius filius, nomine Nicolaus, puerilis suæ ætatis secundum continuans annum, genitrice sua præfata inferius descendente, ac eo in foribus camera-

A cameræ pavimenti superioris infauste dimisso, ascensuræ appropians graduali, ab alto decimi noni gradus collapsus ad ima, humi in cervice colloque letaliter collisus ac per omnia labefactus, miserabiliter colligitur; nigerque manens, ac spumatum glaucum, veluti felle in se rupto, (prout alii jam sibi accidisse verisimiliter existimabant) ab ore emittens, mortuus et exanimis ab hora antemeridiana in vesperam usque productus est; miserabilis vero parens ipsius, sat interim superabundeque mœrore confecta, pro comperto tenens collisum filium, mortuum prorsus existere, in ejulatus verba resolvit et in fletus. Quæ postea divino inescrata instinctu, in Simonis se transfert patrocinium, cui congeminans gemitus, obsecrationesque replicans, consolari in filio exanimi promeruit resuscitato, exaudita in altis pro voto.

119 Prolapsis autem aliorsum aliquot septimanis, e domo (uti sæpe inops) in laborem alicubi egressa, nec Simoni præsentata, puer ille ob non debitam ancillæ sui custodiam in posticum domus ad hortum actus, B in lacum seu piscinam præcipitatur, atque ab amne mox receptus præfocatur circa finem vesperarum; prænominata vero mater ipsius, Marussa vulgarius nuncupata, superveniens domum, inquirit de puero, ubinam esset: quem demum mœsta et lacrymosa per devia quæque domus seu horti loca solicite disquirens, nec eum inveniens, inspecto lacu, lineam sive camisiam pueri supernatare aquæ conspicit, arreptoque rastro, filiolum exanimem ab aqua extrahit, fatum in eo tam miserandum fortemque adversam mater nimis deplorans visceribus perforata. Spiritu igitur tabescens tanti præ dolore casus, quasi salutis oblita suæ, et aliena a ratione etiam transfigere carnem propriam, animamque miseram exhalare damnabiliter satagebat, nisi ab optimo Deo cultelli carentia præstita sibi affuisset. Inferens eapropter prædictum domum filium, lamenta renovata acrius multiplicat.

120 Denique præ dolore et lacrymis angustiata, quid agendum sit cum tali puero ignorans, nil aliud suspicatur, quam ut pro- C curetur velocius sepulcro: ponit ergo illum ad asserem. Enimvero nocturni una hora silentii dilapsa, cum se jam sopori vellet dedisse, menti suæ pristinum Simonis incessit beneficium, ipsam omnino in fide corroborans. Relevata itaque spiritu devoto repetit Simoni vota beato, et autumans hoc sibi lugubre discrimen ob ingratitudinis vitium evenisse, culpam fatetur, se ipsam arguit, indulgentiamque poscit atque suffragium, quatenus Deo propitio iterato illi præstaret frui solatio et filio resuscitando. [Spondet,] se utique pro laude Dei aliquid boni perfecturam [, quod] ex eodem sequi deberet.

121 Adest ea de re virtus Omnipotentis: nam puer post vota expressa mugitus vocem parumper primum dare cœpit sic hæ hæ! et ita de bono quotidie succedens in melius, non longe post sospes, rubicundus, et totus grossus * sepulcro Viri Dei sistitur cum matre; quæ tandem hæc omnia ad unguem seriatim prosecuta, coram nonnullis de senioribus fratrum Ordinis Minorum observantibus, apud Cracoviam in loco de sancto

* id est pinguis

Bernardino commorantibus, patre videlicet fratre Bernardino tunc novitiorum magistro, fratre Innocentio, fratre Francisco de Hungaria, patre Petro, fratre Leone de Lancut, alioque his assistente et aure patula hæc omnia auscultante, omnibus ejusdem gradu gaudentibus sacerdotii pro tempore illo studiose accersitis, testes etiam fide dignos velut in jurejurando huic facto allegabat ad laudem summi Largitoris omnium, qui est benedictus in secula seculorum. Amen. EX MS

ANNOTATA.

a *Est genus monetæ, quæ pro variis temporibus et regionibus diversum valorem habet.*

b *Hujus sancti Episcopi et Martyris Acta et miracula, ut superius in Annotatis dixi, dedimus ad diem* VII *Maii, tomo* II *ejusdem mensis a pag.* 198 *usque ad* 281

c *Etsi ignorem, quis sit proprie hic morbus; tamen conjicio ex hac voce, eum ita appellari, quia producit varos seu pustulas instar squammarum.*

E

PARS TERTIA.

Miræ sanationes, quæ ab anno 1487 *usque ad* 1520 *conscriptæ sunt.*

SECTIO PRIMA.

Petrus decennis, filius Hedwigis de Cracovia, lapidis gravedine ab initio suæ infantiæ per octo annos et supra continue [affligebatur,] virilia sufferens corrosa, ita quod non modo sibimet dolorosus, verum etiam pauperi suæ genitrici onerosus ex hoc, supra quam dici potest, fuit: nam præ fletu ipsius nec matrem pauperem, ut inquilinam, hospites conservare quibant, quousque in pauperum commune domicilium se cum eodem aliisque suis quatuor pueris recepit. Sæpissime itaque diebusque singulis F temporis anteacti, eodem grassante, magis ac magis invasus calculo in lacrymosos ploratus prorumpens, visceraque etiam vi tumoris tempore noctis in vesicam patiens effluentia, mœstissimæ matris nedum lacrymas excutiebat ab oculis, sed et lumen tandem visivum ab ea abstulit præ doloris angustia capitis, ac fluminosis fletibus continuatis. Demum a die natalis Domini nostri per quatuor septimanas plus solito anxiatus, jam nec gressu utens libero, nec dimidia altera septimana cibo refectus, priusquam a matre sua præfata huic Viro deifico devotissimis ac flebilibus supplicationibus erat recommissus, duo lapilli adinstar granorum faginulæ, *a* alias bukwie, unus taliter cornutus, alter vero obliquus, ex eodem prosilirent impetuose, genua ipsius fortiter tangentes, qui etiam ad tactum eorum obriguit, deinceps ab iisdem liber permanens. Cumque postmodum mater sepulcro Viri sancti se præsentavit, ab eodem puero ut cæcutiens ducta [est,] cereumque ibidem satis bonum reliquit ad laudem ipsius. *a*

123 Mulier

EX MS. 123 Mulier quædam de Cracovia maxillarum seu dentium angore spatio duorum annorum et amplius singulis quasi diebus pressa, præsertim vero his finalibus septimanis duabus, statim Simoni pollicita beato, suffragari, ut poposcit, promeruit, sanitatem adepta.

Item Anna, soror tertii Ordinis sanctissimi patris Francisci, quatuor hebdomadis perenni etiam dolore angustiata [et] dentium miseria, ita quod aliquando nec Pater noster cantare poterat, præsertim ipso die Epiphaniarum vix et cum magna difficultate matutinalem, quam in domo sua faciebat, complevit orationem. Hæc vidit, aliunde prorsus sibi deesse suffragium, nisi ut sese conferat velocius ad Præconem hunc gloriosum: cui confestim promittens cereum, et centum Pater noster totidemque Ave Maria, suppositis nudis terræ genibus in ecclesia, ubi sacrum pignus Viri beati requiescit, decantare, ac ita paulisper obdormiens sensit, quasi aliquis mandibulas ejus manu humana hinc inde leniter contrectasset. Ad quod stupens expergefacta,
B sanam se ad plenum deprehendit, dentem unum dumtaxat egressum in somno illo jam vigil inveniens; suspicata vero creduliter, non alium quempiam, ipsam sic dulciter contrectantem, quam cui se devoverat, Simonem fore, in crastino velocius ad ecclesiam properans explevit realiter quod voverat, Domino gratias agens.

124 Similiter Agnes, uxor Valentini de Cracovia, tortura dentium fortius occupata per anni unius spatium, quam cito votum fecit glorioso Simoni, ab eadem tortura sanam se reperit, votationem pro viribus implens.

Pari modo Barbara de Cracovia, conjunx Nicolai pellificis, molestia dentium ad quatuor deducta septimanas, mox suggerenti Spiritui bono adhærens, devota Simoni celeberrimo velut spinam pungativam evulsam ab eisdem sentiens dentibus, sospitatem consequitur, et prout spoponderat, mane comparente, ad beneficum Simonem, sic ut primum de lecto consurrexisset, nudipes venit, dictura Pater noster, candelulamque oblatura ad ejus
C sepulcri fossatam.

Margareta vidua de Casimiria civitate, vicina Cracoviensi, diebus aliquot manus confossa [est] dolore in ossibus. Quare laboris cujusquam incepta dum interim se medendam almo commisisset Simoni, in ecclesia sua parochiali ad corpus Christi in continenti mirabilem recepit sanitatem, offerensque post hæc non longe manum ceream tumbæ beati Viri Simonis circa se operata devota propalabat attestatione.

125 Similiter Stachna sua concivis, Nicolai braxatoris uxor, gravi oculorum dolore per sex septimanas retenta; noctes duxit insomnes. Cumque Simonis etiam sancti invocasset subsidium, illico juvamen expediens obtinuit, in oculis sospitata.

Agrestis conditionis Catharina, uxor Laurentii villici in Pychow, dominio fratrum de Rupella sancti Stanislai, onustis et a duris febrium corrossionumque interiorum torturis immaniter fatigata per aliquot septimanas, quammaxime autem per duas (ita quod et gressu privata) propediem præstolabatur exitium. Quocirca in preces tutelamque Simonis commissa gloriosi, eodem die deambu- D
latione bonaque valetudine usa extitit, prout id ipsum devotis assertionibus, viro suo attestante præfato, veniens effabatur, signum cereum instar cinguli secum deferens.

126 O magnam Dei pietatem! ecce Jacobellus Petrides, dimidii [et] alterius anni puer de suburbio Cracoviensi, collapsus in fluvium Rudawka, qui mœnia muri Cracoviæ circumcingit, ac sic ab aquis mox receptus per sex aut amplius domos fluctuans vehebatur. Quem demum quidam Nicolaus Languichid cerdo taliter videns natantem ex ostensione cujusdam Joannis causidici, de aquis eripuit præfocatum, nec motum vel parvissimum aliqua in parte corporis sui habentem per tempus notabile. Cum autem parentes dicti pueri advocati venissent, discrimen tam infelix in filio mœstissimi deplangunt. Quo accepto exanimi et turgido præ aquis, livido toto capite et ore deorsum ipsum declinant: unde profluvium aquæ ex eo multimodo emanare videntes, Simonis salvifici in eodem devote obsecrant succursum. Genitor vero suus, nomine Petrus, puero E
taliter relicto, ad limina beati Viri sese nihilominus contulit, Sanctum præsentialiter oraturus. Quare domum regressus filium reperit vivum, consolatus inde plurimum, eodemque die, dominica videlicet QUASI MODO GENITI, infantem sanum, adhuc tamen frigidum, cum camisiola madida sepulcro patroni sui Simonis præsentavit, hæc per ordinem narrans coram venerando patre Michaële Bal et fratre Euangelista Vitratore, prædicatore loci Cracoviæ famosissimo, fratre Elisæo confessore, fratre Baptista de Pobiednik, fratre Basilio, me *b* ipso etiam b
præsente ad laudem omnipotentis Dei et sanctissimæ Virginis.

127 Quidam civis de Ilkuss dolore capitis et oculorum captus decem et octo septimanis, tandem cæcitatem omnimodam expertus est; quam cito vero eumdem uxor sua, nomine Helena, cum aliis huic Viro beato devovit, visum, quem omnino desperaverat se umquam habiturum, bonum recepit. Præterea de die in diem votum dissimulans, prolapsis aliquot hebdomadis, F
ita divina virtute correptus est atrociter, quod pristinum dolorem, iterato patiens cæcitatem similem, per unam diem incurrerat. Qua in re plagam Dei in se velut ingrato recognoscens, humillimis precum obsecratiunculis sese iterum Viro commendat beato, proponens, quam citius posset, sepulcrum ipsius visitare. Unde fit, ut statim acciperet beneficium sanitatis. Huic alter civis quidam, Joannes de Ilkuss, in his per omnia testatus, est examinatus.

128 Magnifica domina Magdalena, illustrissimi Principis Janusci consors legitima, domini et heredis in Zator, tacta longo et duro capitis angore, in preces patris beati confugiens Simonis, successu brevis temporis sublevata sese ad tumbam sui benefici Simonis obtulit, crinile argenteum ibidem relinquens ad suæ laudis amplitudinem.

Joannes, cognominatus Sulcia, agrestis conditionis de villa Tanie prope Cracoviam ulcere squamatico in gutture plurimum molestatus [est.] Unde a die Dominica usque in

A in sextam feriam sermone ac quavis privatus refectione [mansit.] Cum se jam de hac vita cito migraturum putaret, casu felicique sorte accidit, duas advenisse ad illum mulieres eleemosynæ petendæ gratia (nam in Czæstochowa peditabant) quæ angustiam ipsius atque uxoris ejusque liberorum plorantium in eo cognoscentes, et Simonem gloriosum sine dubio aliquo illum commendaturum consulunt. Is vero, Simonis præconio audito, corde devotissimo orans, genibus pro posse terræ advolutus nudis, ipsius cœpit obsecrare subsidium. Quare statim alleviatus obdormivit aliquantulum. Expergefactus deinde, resoluta sanie ulceris mortiferi, loquelam et deambulationem sumpsit, ac in crastino equum ascendens in Cracoviam properavit.

Catharina, conjunx Stanislai carnificis de Cracovia quatuor septimanis dentium vexata dolore, statim misso voto beato Patri, salvam se sensit, detulitque secum ceream mandibulam.

B

ANNOTATA.

a *Vult indicare lapillos illos fuisse similes glandibus seu nucibus fagi, a qua facit corrupte diminutivum* faginula. *Id colligo ex adjuncta voce Polonica* **bukwie**, *quæ, ni fallor, fagum vel glandem fageam significat, sicut in eodem idiomate faginea arbor* **bukowodrzewo** *appellatur.*

b *Forsan hic designatur ipse Nicolaus Skolnikius; quod tamen non omnino certum est, quia alibi alter, addito suo nomine, idem de se ipso scribit, ut postea observabimus.*

SECTIO SECUNDA.

Non cessat pietas Dei omnipotentis immensa suæ largitatis beneficia benigne elargiri his, quos dignatur aliqua ex causa perturbare, gratuite consolans ad se omnes humiliter confugientes. Joannes quidam de suburbio Cracoviensi, dicto Karnory, ex infirmitate gra- C vissima oculorum cæcitatem omnimodam incurrit, jam omnino desperans, se umquam visum habere. Positus in tali tribulatione inconsolabili, videns tamen signa divinitus operata per merita beati Simonis, spopondit visitare ejus sepulcrum cum devotione, votoque emisso, arripitur modico somno. Revigilans invenit se in oculis sanum, ita uti prius vidit, visitatque secundum promissum, ejus corpus humatum, magnificans Deum in Sanctis suis, et profitens coram patribus ejusdem religionis, se visum accipere per merita beati Simonis.

Item Margareta de Cracovia servilis [conditionis] detenta maxima et violenta infirmitate, videlicet torta gravissimis punctionibus sub ascella, ita quod nec spirare potuit, nec manum movere valebat. Quæ quam cito votum fecit flexis genibus adire cum cereo ejus glebam humatam, statim et [sine] intermissione miro modo sanitatem accepit.

130 Item Gregorius civis Cracoviensis una similiter cum sua uxore Agnete acerrima et vehementi infirmitate obvoluti per duos dies, mori plus quam vivere exinde sperabant. Hi autem positi in tantis angustiis, videntesque crebra insignia ad tumulum hujus beati Simonis, reassumptis spiritibus, una voluntate tamquam uno ore et una voce, ardentique desiderio et devotione se Deo omnipotenti sanctoque Simoni commendarunt, voventes visitare ejus sepulcrum cum lumine cereo. Mira res! statim, voto emisso, sanitatem in se omnimodam perceperunt, complentesque votum cum cereo, et glorificantes Deum in Sanctis suis, divulgarunt hæc coram patre Guardiano Baptista pro tunc existente et aliis fratribus astantibus. EX MS.

Item Zophia, filia domini Stanislai Mlodziciowski, fere sex annorum, nimis opprimebatur caloribus, ita quod spiritus vitalis vix in ea remaneret per aliquot septimanas: cui condolens pater suus una cum sua consorte Felicia, vidensque eam diu cruciatam, eam voverunt sistere ad sepulcrum Simonis beati cum cereo; votoque facto, statim incepit convalescere, Deo adjuvante, et facta est sana.

131 Item Agnes, consors Nicolai de Cracovia de platea sancti Nicolai, proxima partui, casu satis infelici et improviso cecidit de ponte alto ad glacies in medio hiemis, qui est situs penes valvas sancti Nicolai, nimis et acriter concussa tota in omnibus membris corporis, et pes valde suus fuit convulsus, ita quod non potuit surgere de loco. In quo casu impossibile fuit et in tali tempore et in tali ponte non assequi irreparabile et maximum periculum tam in se, quam in partu suo: nam in eodem loco sani homines et tali casu maxima pericula in sua sanitate et suis pecoribus perceperunt, vel pedis fractionem vel manus vel damnosas et insanabiles infirmitates. Quæ Agnes videns se gravissime concussam et debilitatam et vicinam periculo, tam in se quam partus, multis hominibus adstantibus, cum clamore se Deo omnipotenti et beato Simoni commendat, proponens mente, et ore vovens sepulcrum adire beati Simonis, si Deus omnipotens eam per merita ipsius pristinæ restitueret sanitati. O fiducia hujus mulieris dictæ, et bonitas Dei omnipotentis! Statim, facto voto, invenit se fere totam in sanitate recuperatam, et partum suum in sanitate conservatum. Postea complevit votum cum partu suo optime sana, laudansque Deum omnipotentem in Sanctis suis, narrat hæc omnia coram patre Guardiano dicto Baptista ejusdem religionis, et fratre Ladislao. E F

132 Item Anna, dicta Janowska, oppidana de Wieliczka vertiginem capitis satis mirabilem pariter et dolorem supra modum patiebatur, ita quod, quando elevabat caput per se vel per quem alium, tunc præ maximo dolore videbatur sibi quasi centum cultelli in caput ejus essent infixi. In qua erectione capitis nec sensum seu rationem nec memoriam se habere putabat. Hæc patiebatur per aliquot septimanas, jam desperans de sua sanitate. Quæ dum fuit nimis torta, vidensque beatum Simonem coruscare miraculis, Deo omnipotenti et beato Simoni se in manus contulit, promittens visitare glebam ejus humatam. Facta promissione, statim pristinam sanitatem est adepta. Divulgans hoc circa

EX MS. circa sepulcrum ejus cum fletu Deo omnipotenti et beato Simoni immensas gratulationes agebat.

133 Item Martha pellificissa, dicta Cipsarowa, oppidana de Cracovia, maximum dolorem apostematis in inguinibus perpessa fuit. Dum acrius illo dolore cruciata obdormivit, in somno visum est sibi, quasi visitaret sepulcrum beati Simonis, revigilansque et visionem credens esse non phantasticam, secundum admonitionem, in visione factam, promisit hoc idem perficere cum viginti Pater noster et quindecim symbolis : et facta est ei repentina alleviatio, ita quod, quæ prius ambulare non poterat præ dolore, jam statim cœpit ambulare, et per consequens sana per merita beati Simonis.

Item Dorothea, consors Simonis de Suburbio Cracoviensi dicto Kawiory, [ejusdem intercessione sanata est.] Hanc, cum jacuit in puerperio, una cum fœtu suo maxima et vehemens infirmitas [invasit,] ita quod quasi videbatur mori, quia signa faciebat tamquam agonizans, quia [aderant] convulsus oculorum et inquietudo et alia, lumenque sibi accendebatur tamquam agonizanti. B Quam videns vir suus Simon fere positam in mortis periculo, devovit eam ad sepulcrum beati Simonis una cum fœtu suo, emissoque voto, statim ille dolor vehementissimus est valde alleviatus, et quasi de somno evigilans, Deo omnipotenti et beato Simoni gratias egit de tali subventione.

134 Item Magdalena, vidua de Cracovia, gravi et communi infirmitate oppressa in toto corpore, maxime in pectore, in quo nec anhelitum potuit habere (nam homines videntes talem infirmitatem, eam jam non sperabant vivere) quæ jam sperans sibi in proximo mortem imminere, omnia sacramenta juxta morem infirmorum perceperat, videlicet confessionem, corpus Dominicum, et sacram unctionem : sed socia ejus Anna, quæ tunc sibi ministrabat in infirmitate, videns eam fore morti proximam, confidens Dei omnipotentis gratiæ et meritis beati Simonis, flexis genibus eam devovit ad beati Simonis sepulcrum cum cereo. Mira Dei clementia! C Postquam fecit votum, statim fuit ille dolor prædictæ Magdalenæ alleviatus, ita quod incepit convalescere et ambulare. Distulitque votum propter paupertatem suam : quia non habuit, unde cereum compararet. Sed uno tempore pressa somno obdormivit, visumque est sibi, quasi appareret sibi unus de fratribus Minorum fratrum, dicens sibi, quare votum non compleret. Quæ allegans suum defectum dixit, se non habere, unde cereum compararet. At ipse : Vade et comple cum isto, quod habes. Unde ipsa revigilans, non quasi incredula, sed magis in Domino confortata, facit secundum promissum, prædicans coram fratribus aliquibus, videlicet patre Ladislao et patre sacristano.

135 Item Felicia, consors cujusdam Marci militis de Cracovia, maximum in capite perpessa est dolorem per duas septimanas, ita quod per eumdem dolorem auditu fuit privata : quæ quam cito concepit in mente adire sepulcrum beati Simonis, statim in se percepit pristinam sanitatem.

Item Matthias civis de Wieliczka cum sua consorte Elisabeth in vita et statu suo laudabiles, [B. Simonis opem senserunt : nam] D horum filius, nomine Joannes, annis fere septem gravi infirmitate tentus, per unam septimanam [acrius affligebatur, ita quod] de ejus sanitate desperabatur. Mater ejus Elisabeth videns eum jam morti proximum, confidens utique de aliqua subventione hujus beati patris Simonis, flexis genibus eum devovit ad sepulcrum ejus fore sistendum. Emisso voto, mox juvenculus ille arripitur somno, et in crastino revigilans repertus est sanus.

Quædam etiam Anna, famula cujusdam Annæ uxoris Nicolai de Bodzianow villa, satis magnam infirmitatem in gutture patiebatur per integram septimanam, ita quod nec comedere, nec deglutire aliquid potuerit, ex hoc etiam non modicum cruciatum in corpore toto ferens. Quam videns domina sua dicta Anna, positam in tali gravi infirmitate, eam devovit ad sepulcrum beati Simonis. Voto emisso, ut referebat, inventa est statim sana.

136 Stanislaus de Cleparz magnam et mirabilem vertiginem capitis per quatuor septimanas patiebatur, E ita quod modicum vel nihil rationis putabat se habere. Quem mater sua videns sic anxiatum nec libera ratione utentem, eum devotissimis supplicationibus huic Viro deifico recommisit, et statim incepit convalescere et optime sanus effectus [est.]

Hujus dicti Stanislai natula annorum fere duorum, duobus diebus graviter infirmata est. Quam cito per suos genitores fuit pollicita ad sepulcrum hujus Patris, mox infirmitas cessavit.

Item Apollonia, servilis conditionis de Cracovia, maximum apostema habuit in sinistro latere, et ex hoc magnum et crudelem dolorem patiebatur per tres hebdomadas, ita quod vix suspirare potuit, ex hoc magis sperans mori quam vivere. Quæ audiens ex ore aliorum, hunc Virum diversa miracula divinitus facientem, confidens etiam de meritis ipsius, flexis genibus cum precibus devotis ad sepulcrum ejus se devovit. Voto emisso, eadem hora, prout referebat, illud apostema est ruptum, et ex hoc statim incipiens convalescere F totaliter, Deo omnipotenti et beato Simoni votum complens immensas gratiarum actiones referebat.

137 Item Martha consors Benedicti, dicti Sledziciowski, civis de Cracovia, gravi et vehementi infirmitate obvoluta [erat] in pectore, ita quod præ magnitudine doloris et violentia ejusdem nec spirare nec loqui potuit : nam et vomitum faciebat sanguineum, defluebatque sanguis etiam e naribus incessanter ultra morem : venitque ad eam confessor de castro Dominus Joannes Chrotowski ; quæ nec confiteri potuit præ cruciatu instanti coram eo ; sed jam sperans magis in proximo periculum subire in sua sanitate, loquique non valens, sed tantum intentione optima, quam tunc temporis potuit habere, se Deo et beato Simoni commendabat, affectans utique ab eo aliquod suum juvamen pro recuperanda sanitate, intentione tota proponens visitare ejus sepulcrum, si esset reddita sanitati. Hoc concepto, ut referebat, statim sensit alleviamen, et reddita [est] pristinæ sanitati.

Item

A Item Margareta, uxor cujusdam Mathiæ cmetonis *a* de Tæczym villa, [morbum] caducum patiebatur tribus vicibus multum rigide, ex hoc sperans sibi crebrius et longius evenire. Quam pater ejus videns tali peste non modice cruciatam, non sperans aliunde subjuvamen, nisi spem omnimodam in Domino Deo ponens et in meriti beati Simonis, eam devote recommendans huic beato Patri promisit ad sepulcrum visitandum. Ex hoc per amplius illa infirmitas illam non vexavit.

ANNOTATA.

a *Quæ sit significatio* cmetonis *vel* kmetonis *jam supra dixi in Annotatis post sectionem quartam partis primæ.*

SECTIO TERTIA.

Declarantur etiam beneficia Dei omnipotentis in Viro Dei a Deo divinitus operata. Ordinis Tertii sanctissimi patris Francisci soror, nomine Anna, inter reliquas sorores ejusdem Ordinis in Casimiria manens, vehementi et gravi ægritudine tenta est magis in pectore et in humero sinistro, ita quod nec spirare nec loqui poterat per quatuor dies, nec confiteri præ magnitudine languoris, jam ex hoc sperans citius mori, quam vivere: nam et supervenientes et eam intuentes de ejus sanitate numquam sperabant. Quæ posita in tali periculo, licet sibi usus loquelæ deficiebat, tamen intentione omnimoda se Deo omnipotenti et beato Simoni contulit, affectans ab eo aliquod subjuvamen pro restauranda aliqua alleviatione, ut posset tantum confessionem facere. Nam et socia ejus, quæ sibi ministrabat, eadem hora eam devovet ad sepulcrum prædicti Patris. In hoc statim somno arripitur, visumque est sibi, quod vir beatus Simon sibi appareret cum altero fratre, quem ipsa cognovit: cœpit ea infirmitatem ei suam exponere, hoc est in oculis, in capite, in quibus ex antiquo patiebatur, et etiam de illa, qua noviter fuit obvoluta. Qui benigne eam consolans, dixit: Deus te vult habere in tali infirmitate, quam ex antiquo pateris propter tuum melius; sed hunc dolorem, quo es noviter tenta in pectore, eruam de te, et jam fies sana. Hoc dicto, illa mox revigilans invenit se optime sanam, et surrexit quasi ex gravi somno. Quam videns ejus socia obstupuit vehementer de tam subita sanatione. Et illa dixit, se reparatam in sanitate per gratiam Dei omnipotentis, et per merita beati Simonis: et de his prædicta Anna est diligenter examinata per patrem Ladislaum et per patrem sacristanum.

139 Item Catharina, uxor cujusdam Martini carnificis oppidani de Cracovia, magnam et gravem vertiginem in capite est perpessa per quatuor hebdomadas, ob quam etiam fere fuit pro parte annihilata: nam et colli inflatura magna invalescebat, ex qua dolores continuos et punctiones in pectore circa cor habuit, propter quos vix potuit suspirare. His itaque invalescentibus, vix potuit confessionem facere. Quæ jam desperans de sua sanitate, confugit ad subsidium hujus beati Simonis, promittens se offerre ad sepulcrum ejus cum cereo et crinali de cera facto, si esset recuperata in sanitate per ejus suffragia. Hæc post promissa sana est effecta; sed minime implevit promissa. In brevi transeundo a sermone, de sancto Bernardo dicto, invasit eam gravis infirmitas, ita quod non speravit jam vivere præ cruciatu magno. Hæc uno tempore existens in magna debilitate et inaudita infirmitate, apparuit ei quidam pater maturus interrogans eam, si eum nosceret. Illa vero non novit eum. Qui dixit: Simon [sum,] cujus votum promissum non implevisti: ecce jam sanaberis, sed votum non dissimula Et subjunxit: Et hoc dices patribus, quod hæc publicabunt in sermone bino coram populo. Quæ revigilans magis de debilitate quam de somno fuit in Domino confortata, et eodem die sanitati restituta plene. In crastino votum complens, hoc miraculum narrat coram patribus, videlicet fratre Ladislao, et alio portulano *a* Deum magnificans in Sanctis suis.

140 Petrus pistor de Cracovia et uxor ejus Barbara [erant] in vita sua Deum timentes. Horum filius Thomas fere trium annorum valde infirmatus [est,] ita quod nec potuerit uti aliquo cibamine nec potagio præ languoris magnitudine. Quem cum mater ejus flexis genibus vovitat [ad] sepulcrum hujus beati Patris, statim est factus sanus, statimque comedit et bibit, prout ipsa referebat, Deo omnipotenti gratias agens et beato Simoni.

Innotescunt larga beneficia divinitus per Sanctos mirifice operata. Veronica nomine, consors Andreæ dicti Janik de Ilkuss, magnis febribus per semi alterum annum obvoluta [fuit;] in qua infirmitate contigit, quod graves punctiones et continui dolores invalescebant in eam per semialteram septimanam in capite, ita quod nec comedere nec bibere aliquid, nec loqui unum verbum potuerit præ cruciatu nimio: nam in tali infirmitate fere ratione privata fuit, quia nec se nec aliquem novit. Sed soror ejus germana de Cracovia venit ad eam ad consolandam eam in tali infirmitate, vidensque eam tam atrociter afflictam languore maximo, et perpendens, quod humanum sublevamen sibi omnino defuit pro recuperanda sanitate, flexis genibus penes eam cœpit Deum omnipotentem interpellare et beatum Simonem pro sanitate sua, sciens quod multa beneficia sint exhibita multis, eum devote invocantibus, promittens eam ad sepulcrum ejus, si Deus omnipotens per merita ejus dignaretur eam sublevare. Magna Dei clementia! Vix verba finierat, et statim infirma sensit alleviationem, et cœpit affectare aliquot potagium; quod fuit signum divinitus et subito concessum: in crastino autem recuperata in sanitate (nam et ratio et loquela plene fuerunt sibi restituta) votumque complens publicavit hæc cum fletu coram patre Ladislao, et fratre Basilio, et fratre sacristano, de quibus est per eosdem debite examinata, referebatque Deo omnipotenti et beato Simoni de tantis beneficiis sibi collatis gratiarum actiones.

141 Consueta pietas Astripotentis non desistit [beneficia] elargiri in suos. Hinc est quod

EX MS. quod puer quidam, nomine Christophorus, trium annorum, filius cujusdam nobilis Joannis dicti Mossezynski heredis de Lazany (nescitur quo casu satis infelici et quo tempore) cecidit in fontem aquæ plenum, ibique est submersus. Frater ejus senior uno anno, videns eum submersum, perterritus cœpit clamare ad suos genitores, narrans de suo fratre submerso: quem cum mater eorum, nomine Barbara, ipsum audiret clamantem, obstupefacta cucurrit ad fontem, et invenit eum jam supernatantem. Viso enim eo nimis territa, non est ausa eum deponere; sed cucurrit ad suum maritum clamans ejulatu satis mœsto, et enuntians de puero: ipseque veloci cursu veniens eripuit eum de fonte jam mortuum, et posuit eum ante se in sinum suum, vidensque eum totaliter mortuum, anxiatus et tristis dejecit eum in terram sicut mortuum, jam non sperans, eum revicturum.

142 Sed mater ejus dicta Barbara existens multum anxia et lacrymosa de tali casu infelici, non diffidens, sed omnimodam spem ponens in larga et inenarrabili pietate Dei omnipotentis B et subventione beati patris Simonis, cujus fama satis fuit sibi notabilis, cadens in terram in modum crucis cœpit alta voce beatum Simonem invocare, ut eis dignaretur subvenire in tali mœrore, promittens eum una cum suo marito ad sepulcrum ejus deferre pedestres et discalciati non edentes nec bibentes, si puer eorum vitam consequeretur; pater autem audiens suam consortem votum facientem, eadem intentione hoc idem facere præconcepit oreque expressit, votumque facientes, pater puerum ex terra accepit in sinum suum: quem dum tenuit, intentiones suas totas in Deum omnipotentem et beatum Simonem ferentes [renovarunt.]

143 Mira res et inexhausta misericordia omnipotentis est ostensa. Puer nondum aqua missa ex se, prius incepit quasi stertere alias krzækac. Qui audientes, aliquantulum consolati, jam spem habentes de vita ejus, cum majori diligentia et devotione cœperunt beatum Simonem invocare. Et pater puerum in sinu tenebat vultu in terram dimisso, ut aqua ex eo stillaret; quæ dum non stillavit, pervertit C eum, et ad pectus suum applicat, affectu paterno ei compatiens. Mox puer tamquam ex gravi somno excitatus subito revixit, et prorumpens in amplexus patris cœpit flere, quasi ex tenore aliquo proferens aliqua verba suo patri. Postea statim cœpit aquam de se evomere, quod fuit contra cursum naturæ. Qui grati de tali pietate votum in crastino cum puero optime sano compleverunt tali modo, quali votum est factum, Deo omnipotenti et beato Simoni immensas gratiarum actiones referentes, quod dignatus est eos consolari in puero, clara et lamentabili voce ejulantes tale beneficium coram patre Michaele dicto Bal pro tunc exeunte commissario, et patre Ladislao, et fratre sacristano ceterisque circumstantibus.

144 Continuatur Dei pietas in miraculo simili per beatum Simonem divinitus operato. Gregorius civis de Kleparz et Catharina ejus consors, veri cultores Dei, in statu suo probi et honesti [erant.] Horum filius, nomine Valentinus, duorum annorum vel ultra (ignoratur quo tempore, quo casu) exiens de domo cecidit in fluvium dictum Rudawka D prope manantem et tunc temporis inundantem, et quamdiu in aqua fuit ignoratur: sed soror ejus germana modicum senior parvula, nimis perterrita venit domum flens et narrans de casu fratris sui. Quo audito, pater et mater maxime turbati cœperunt quærere puerum hincinde, jam de periculo irrecuperabili suspicantes. Quærunt omnes et non inveniunt; dolor et anxietas augetur: sed inquilina eorum Dorothea, multum Deo devota, quærens præ aliis ferventius, complicatis manibus cœpit beatum Simonem invocare, promittens puerum ad ejus sepulcrum portare cum decantatione quindecim Pater noster et totidem Ave Maria, si puerum possent sine periculo invenire. Ipsa dum sic quæsivit circumiens littus prædicti fluvii, vidit verticem capitis cum crinibus in aqua, existimans utique vel caules altas vel panniculum *b* supernatare, corpusque non videns, quod fuit totum in aqua, appropinquans propius et considerans puerum submersum indicavit patri; ipse autem currens eripuit eum de aqua mortuum totum nigrum, ut asserebant, nec aliquot E signum vitæ habentem: nam etiam tunc temporis non modica frigora et gelua invalescebant, quia est actum hoc in festo Galli *c*.

145 Qui dum portatus fuit domum, concurrerunt homines, videntesque eos maxima tristitia et fletu circumdatos, et ipsi tristabantur et flebant. Omnes invocant beatum Simonem in adjutorium, ut dignaretur eos consolari in tali puero. Puer autem jacuit incipiendo ante meridiem usque ad crespusculum mortuus, nec aliquod signum fuit suæ vitæ: ipsique continuabant preces et promissiones huic beato Simoni, ponentes omnimodam spem in eo. Sed Deus omnipotens suos non deserit, sed multum longeque conturbatos continuantesque in spe et orantes, cum differt, magis ac mirabiliori modo consolatur. Appropinquante autem vespere cœperunt puero applicare torturas calidas ad faciem, et fundere cochleari in os ejus potagium, quo utique aliqua signa reperirent vitæ in eo. Qui nutu Dei omnipotentis et meritis beati Simonis cœpit spirare et moveri, et successive F de bono in melius proficiens, in sanitate optime ad diem crastinum recuperatur. In die crastino votum compleverunt [parentes] cum puero optime sano, magnificantes et laudantes Deum in Sanctis suis, de quibus omnibus fueruut examinati per fratrem Ladislaum et fratrem sacristanum, et alios adstantes.

ANNOTATA.

a *Portulanus apud scriptores medii ævi significat eum, qui recipiendis in portu vectigalibus præest. Sed cum hic similem significationem habere nequeat, nescio an sit nomen proprium, an appellativum, an aliud denique ab amanuensi corruptum.*

b *Arbitror, legendum esse potius* paniculam, *quæ est suprema pars seu coma arundinis, ex qua semen dependet. Hanc lectionem sensus exigit, ut consideranti patebit.*

c *Waddingus in Annalibus Minorum tom.* VII, *pag.* 149 *scribit, hoc miraculum patratum esse anno* 1489 *die* XV *Septembris. At R. D. Mathias Ubiszewski in Vita* B. Simonis *dicit id contigis-*

A *tigisse* XVI *Septembris ejusdem anni. Sed errat uterque, si hoc factum sit festo S. Galli abbatis, quem Ado et Usuardus die* XX *Februarii suis Martyrologiis inseruerunt; alii vero Martyrologi eumdem die* XVI *Octobris referunt.*

SECTIO QUARTA.

Anna, uxor cujusdam domini Nicolai nobilis, dicti Mysskowski, per duos annos fluxum album *a* supra modum patiebatur, quem nullus medicorum potuit retinere secundum pristinum meatum; et multum exposuerat in medicinis, vidensque humanum auxilium sibi deficere, confugit ad divinum. Hæc cum devotione vovit visitare sepulcrum beati Simonis pro recuperanda sanitate, et post votum effecta est sana optime ex adjutorio Dei omnipotentis, precibusque beati Simonis.

Sacerdos quidam, Stanislaus nomine, plebanus de Wyzina, vir utique probus ætateque maturus, incurrerat cæcitatem oculorum B per sex annos, jam non sperans aliquando in vita sua visum habere. Quem dum quædam matrona vidit sic cæcum (quæ etiam experta erat beneficia beati Simonis) consuluit ei, quod faceret votum ad eumdem beatum patrem Simonem cum aliquibus orationibus speque bona. Ille non vacillat, sed optima fide votum facit ad sepulcrum prædicti Patris, petens ab eo hoc beneficium, ut in suis oculis recuperaretur in sanitate. Hoc facto, statim cœperunt tamquam squamæ de oculis ejus descendere, et in crastino percepit omnimodam sanitatem. Ipse autem sanatus sic, votum complens, publicat hæc coram quibusdam patribus, ad hæc deputatis, videlicet fratre Ladislao et fratre sacristano, petens propter Deum, quod hoc beneficium publicaretur coram omni populo in sermone.

147 Filius medii secundi anni barbitonsoris, dicti Andris, civis de Cracovia, erat involutus subitanea et gravissima infirmitate, ita quod videbatur omnino agonizare: quem C pater et mater videntes morti propinquum, confugerunt ad beatum Simonem, voventes eum sistere ad sepulcrum ejus. Vix votum finierunt, statim infirmitas est sibi alleviata, et hac nocte optime est effectus sanus, et in crastino cum eo votum compleverunt optime sano.

Catharina, uxor cujusdam Benedicti, civis de Casimiria, per quatuor septimanas laborabat in partu in maxima anxietate et proxima periculo, ita quod nec potuit quidquam comedere nec bibere: de cujus etiam vita omnino desperabatur; quæ, ut fecit votum ad sepulcrum beati patris Simonis cum cingulo cereo, eodem die peperit. Quæ ut votum persolvit, ad devotionem ea retulit.

148 Natula, Barbara nomine, fere trium annorum domini Pauli nobilis Mysskowski, gravi infirmitate obvoluta [fuit,] ita quod etiam nullus sperabat eam supervivere. Quæ, ut asserebat mater ejus Magdalena, jam agonizabat, lumenque ei accendebatur, ut agonizanti. Quam mater sua dicta Magdalena videns tam proximam exhalatui, non diffidens adhuc de meritis beati Simonis, eam devovet ad sepulcrum ejus. Voto emisso, statim prædictæ natulæ dolor vehemens est mutatus in alleviationem, et deinceps de bono in melius succedens, pristinæ sanitati est restituta anno Domini MCCCCLXXXVIII. EX MS.

Martinus quidam, puer quasi trium annorum, dolorem intensissimum oculorum patiebatur, sic quod neque dormire neque comedere potuerit præ nimio dolore. Mater sua multum anxia, nomine Anna Miklassowa de platea Cracoviæ dicta Stlawkowa, quam cito votum emisit ad offerendum eum ad sepulcrum beati viri Simonis cum oblatione viva, mox ab eadem infirmitate oculorum mirabiliter fuit liberatus.

149 Joannes Reczko, incola de Michatowice, fuit correptus gravi infirmitate corporis totius, qua tentus fuit quasi quatuor septimanis. Voto facto ad sepulcrum beati Viri visitandum cum oblatione, pristinæ sanitati fuit restitutus miro modo.

Andreas de Naquassino, artium baccalaureus Cracoviæ, dolorem unius oculi sinistri novum patiebatur, et videbatur sibi quasi debuisset e capite exsilire præ nimio dolore, E incipiens a feria sexta magna *b* usque ad feriam secundam Paschæ, sic quod nullam scripturam eodem oculo inspicere potuerit. Ipse audiens sermonem feria secunda Paschæ ad sanctum Bernardinum, audito miraculo quodam, quo homo manu confracta sanitatem recuperasset per preces beati patris Simonis, ipse etiam cogitans in animo ut etiam sibi posset in sua infirmitate subvenire, et veniens ad sepulcrum beati Viri, flexis genibus ante sepulcrum signavit oculum signos crucis. Invocato auxilio beati Viri pro sanitate, mox ab eadem infirmitate oculi fuit perfectissime curatus, et statim, peracta Missa, hoc ipsum miraculum propria in persona retulit.

150 Quidam puer anniculus [erat], Petrus nomine, de Mistrzowice, cui morbus pestilenticus guttur obsederat, [et] de cujus vita desperabatur. Anna matre sua, uxore Jacobi de dicta Mistrzowice villa, faciente votum ad sepulcrum beati Viri præsentandi eumdem puerum, mox morbus ruptus fuit, et puer pristinæ sanitati restitutus, et demum ad sepulcrum beati Simonis oblatus. F

Thomas puerulus septemdecim septimanas habens, nimio ignis ardore inflammatus [erat:] cujus vitam parentes sui jam non sperabant. Matre sua, nomine Zophia, uxore Martini arcuficis de Stradomia, faciente votum portandi eum ad sepulcrum beati Viri, miro modo pristinæ sanitati est restitutus. Mirabilis Deus mirabilia per suos electos operatur.

151 Quidam puer, Stanislaus nomine, quatuor temporis annorum, filius Jacobi pistoris de Cracovia, patiebatur febres et colores. Quod plus, in eadem infirmitate accidit sibi quædam rana *c* sub lingua, quæ ipsum anxiabat, ita quod nec dormire, nec comedere valuerit. Si adhuc solummodo per duos dies ipsum eadem infirmitas tenuisset, vitam omnino exspirasset. Helena mater sua, uxor jam fati Jacobi pistoris de Cracovia in arcto cordis posita, quid agere debuit penitus ignorabat. Sed recolens beneficia Creatoris sui, quæ faciebat per merita beati patris Simonis, ipsum

EX MS. ipsum Stanislaum filium vovit ad sepulcrum beati Simonis cum cereo deducendum. Mox facto voto, puer pristinæ sanitati fuit restitutus mirabiliter : sed matre sua Helena dicta, quadam miserabilitate et lenitate votum explendum ad decursum unius anni protrahente et negligente, idem puer, Stanislaus nomine, quasi eodem tempore, elapso anno, festo Paschæ peracto, incidit in gravem infirmitatem oculorum, sic quod facies sua fuerit tumefacta, alias opuchla una cum oculis : et sic lacrymæ sanguineæ de oculis illius infirmis profluebant. Cernens mœsta mater ultionem Dei propter suam ingratitudinem in filio suo excrevisse, immediate filium suum recommendavit auxilio beati patris Simonis, promittens, quanto citius posset, voto suo satisfacere, et filium ad sepulcrum cum cereo offerre. Voto sic emisso, puerum sub curru in medio circuli Cracoviæ, ubi panes vendebat, reclinavit. Ipso obdormiente, post modicum spatium puer sanus, ut primum, apparuit : quæ feria quarta post conductum *d* Paschæ una cum cereo eum ad sepulcrum (d) B præsentavit, narrans, quæ et quanta Dei clementia cum ipsa in filio operabatur mirabilia.

152 Quidam Andreas prætorialis alias witnicki de Cleparz patiebatur acutam *e* alias strzykanie maximam in capite, sic quod (e) non potuerit dormire præ nimio dolore : quæ infirmitas duravit a sabbato proximo post conductum Paschæ usque ad feriam quartam proximam. Qui non diffidens de meritis beati viri Simonis, ad ejus se sepulcrum devovit visitandum cum Missa audienda, tali conditione adjecta, quod quamdiu Missa legetur, tamdiu prostratus ad crucem ad sepulcrum jacuisset. Quo voto sic emisso, statim ille dolor cessavit capitis, et postmodum Dominico proximo votum suum, prout voverat, ad laudem Dei omnipotentis et beati viri Simonis adimplevit, et ea, quæ facta fuerunt, declaravit.

Quædam Swiætocha, relicta de villa Birkow prope Prosowice, patiebatur maximos dolores dentium, pariter et capitis, ita quod non potuit dormire : quæ infirmitas eam tenuit quasi duabus septimanis. Facto autem voto ad visitandum sepulcrum beati Simonis, C obdormivit et surgens a somno, ab omni dolore dentium, pariter et capitis, plenissime fuit liberata. Quæ Swiætocha veniens ad exsolvendum votum, hæc facta fuisse certitudinaliter declaravit.

153 Stanislaus carpentarius de Stradomia, vir satis probus [erat] : hujus uxor, nomine Anna, puerum trium hebdomadarum posuit in lectum ad quiescendum. Veniens vir suus prædictus, inscius de puero jacente, casu quodam cussinum * magnum et gravem projecit super eumdem puerum : qui cussinus una hora jacuit super eo, sub quo nec clamare nec flere potuit. Mater vero ejus transiens dormitum ad eumdem lectum, invenit puerum sub cussino suffocatum, totum spumis madefactum, et omnia signa mortui habentem, nisi valde pusillum [motum] in pectore palpitantem ; ipsa vero nimis perterrita et mœsta viro retulit. Hi jam de puero diffidentes nesciunt, quid agere debeant. Instinctu quodam confugerunt ad Deum omnipotentem et beatum Simonem, uterque flexis genibus puerum voverunt ad sepulcrum beati Simonis offerre.

* id est pulvinar

Sic vota sua continuantibus et beneficia poscentibus, puer cœpit reviviscere et ulterius in sanitate proficere. Quem dum ad sepulcrum beati Simonis obtulerunt optime sanum, fuerunt rite examinati per fratrem Ladislaum et fratrem Albertum presbyteros ejusdem Religionis. D

154 Quædam nobilis domina, Barbara nomine Pieniæzkowa, doloribus gravissimis afflicta, scilicet capitis, colli, et dorsi, duabus septimanis continuando, et, prout in examine retulit, morti futuræ proxima fuit. Hæc in hac anxietate dolorum posita, quid agere debuit, dubitat ; sed recolens beneficia, quæ facit Deus per merita beati patris Simonis, non diffidens in auxilio, sed fortiter credens consequi sanitatem a Domino per merita ejusdem Sancti, votum vovit ad sepulcrum ejus cum Missa et cereo visitandum. Voto sic emisso, plenissime ab omnibus doloribus superius enodatis fuit liberata.

155 Quædam nobilis domina, nomine Dorothea, Absalonis heredis de Czezica conthoralis, maxima corporali infirmitate sex septimanis continuis Dei permissione correpta E [fuit :] quæ, ut asseruit, usum rationis jam amiserat, et sui immemor fuit, nec homines novit, cujus mors qualibet sperabatur hora certius, quam vita prolixior. Vir suus Absalon spem in Domino firmam et in meritis beati Simonis de sanitate uxoris habens, votum fecit ad sepulcrum beati patris Simonis visitandum : quo sic emisso, miro modo pristinæ sanitati fuit restituta. Eadem domina jam convalescens, et votum suum Deo et beato Viro persolvens, personaliter ea, quæ facta fuere, certitudinaliter in examine per ordinem declaravit.

156 Quædam honesta domina, ætate matura, uxor Wenceslai civis de oppido Wielopole diœcesis Cracoviensis, patiebatur permaximas amborum pedum corrosiones doloresque insupportabiles tribus quartalibus anni, sic quod ambulare nullo modo potuerit. In his sic doloribus et anxietatibus posita, convertit se ad Dominum pro auxilio implorando, qui per suos electos non desinit facere mirabilia, ipsum devote implorantibus. Confidens per merita hujus beati Viri obtinere F sanitatem, et fidem rectam habens, votum fecit ad sepulcrum ejus cum pedibus cereis visitandum. Quo sic emisso, sensit alleviationem, et cœpit ambulare, et postmodum Deo et beato viro Simoni satisfaciens venit ad sepulcrum ejus, narrando hæc, quæ Deus per merita beati Viri cum ea ex sua misericordia dignatus est facere, laudans et glorificans Deum, qui talia per suos dilectos operatur magnalia.

ANNOTATA.

Est ferme assiduum et inordinatum sanguinis albi ac saniosi profluvium, quo mulieres laborant, differtque a menstruo earum fluxu. Morbus ille a medicis Græcis vocatur ῥοῦς γυναικεῖος, *vel* ῥοῦς τῆς ὑστέρας. *Vide Gorræum in definitionibus medicis ad vocem* ῥοῦς.

b *Videtur indicare diem Parasceves, seu feriam sextam majoris hebdomadæ.*

c *Bartholomæus Castellus in Lexico medico pag.* 423 *hunc morbum ita describit :* Ranula tumor est

A est phlegmonodes sub lingua consistens, potissimum in pueris, quem Græci βάτραχον vocant. *De eodem morbo videri potest Gorræus ad vocem βάτραχος, ubi eadem fere habet.*

d *Suspicor, hic per* conductum *(eadem vox paulo infra iterum recurrit) intelligi nundinas aut simile commercium, quod circa tempus paschale institui solet.*

e *Subintellige* cephalalgiam *aut similem capitis dolorem, ut ex sensu satis colligitur.*

SECTIO QUINTA.

Quædam domina, nomine Apollonia, de Casimiria circa Cracoviam, uxor Alberti civis de eadem Casimiria, filiam suam nomine Catharinam pro tunc duos quasi annos habentem, patientem magnam infirmitatem, voverat cum lumine cereo tantæ longitudinis, quantæ puer extitit, ad sepulcrum viri beati Simonis offerendam: quo voto sic facto, puer pristinam reacceperat sanitatem, nec ultra eadem infirmitas eam vexabat. Isto sic stante, B mater ejus dicta Apollonia quadam levitate et incurabilitate * votum emissum pro modico ponderans, quamvis candelam obtulerat, sed puerum ad sepulcrum deferre, prout voverat, minime advertebat. Quid miraculi emersit audiamus. Duobus annis post votum devolutis, parentibus in eadem incurabilitate sic existentibus, quadam die videlicet feria sexta ante Dominicam Pogonum *a*, anno Domini MCCCCLXXXVIII, matre jam nominata ipsius pueri eundo ad vendetam *b* cum rebus venalibus, quibus victum quærebat, filiam suam Catharinam jam pro tunc annum medium quartum attingentem secum accepit.

* *al.* incuria

158 Matre circa venalia sedente, filiam prior infirmitas reacceperat, et eam miro modo agitabat, patiendo trepiditatem corporis, et fuit quasi cerea effecta, prout mater retulit sua. Oculos aperire non valuit, nisi interdum modicum quid; sed lucem aspicere non potuit. Cernens mœsta mater ultionem Dei in ea invalescere propter ipsius ingratitudinem et voti dilationem, convertit C se ad Dominum Deum, et ad merita hujus viri Simonis pro consilio et consolatione, et accepta filia, semota omni dilatione, statim cucurrit ad sepulcrum beati patris Simonis, et veniens ad sepulcrum osculata est illud statim, et puero fecit sepulcrum osculari: quo osculato, statim visum reaccepit, et ab eadem infirmitate magna liberata fuit, et die Dominico proximo iterum puerum cum alio cereo ad sepulcrum adduxit, laudans et glorificans Deum et beatum Simonem pro tanto beneficio, et hæc, quæ sibi acciderant, examinata per ordinem retulit.

159 Nicolaus quidam pellifex et civis de Casimiria habuit mirabiles et intolerabiles corrosiones in brachio dextero, sic quod nec dormire potuerit, nec per consequens laborare eadem manu quidquam præ dolore nimio: qui Nicolaus ut solus veniens benevole, non requisitus, retulit, si adhuc eum eadem infirmitas sic immaniter tenuisset, vitam, prout sibi videbatur, exspirasset. In hac anxietate doloris sic positus, voto emisso ad visitandum sepulcrum beati Simonis, mox ab eadem infirmitate et dolore vehementissimo fuit perfectissime liberatus: qui votum persolvendo Deo et beato Simoni factum, ea, prout sibi acciderant, sicut superius factum est, per ordinem declaravit, laudes et gratias agens Domino Deo, qui mirabilia per suos electos ineffabili modo operatur. EX MS.

Quædam domina Janowska, Anna nomine, de Wieliczka patiebatur quinque septimanis continuis vertiginem capitis alias zawrot. Facto voto veniendi ad sepulcrum beati Simonis cum capite cereo, statim per merita beati Viri ab hac vertigine capitis fuit liberata, et in sanitate confortata.

160 Quædam domina, Hedwigis nomine, de Wieliczka Joannis conjunx, febrem quartanam medium annum, et quædam etiam domina Catharina, Petri uxor de Wieliczka tertianam aliquot diebus patiebatur. Hæ ambæ, factis votis, quælibet earum seorsim ad visitandum sepulcrum beati viri Simonis, ab ipsis febribus fuerunt plenissime liberatæ meritis beati Viri. Quæ exsolventes vota sua Deo omnipotenti et beato Simoni, in examine lucide notificarunt, laudantes Dei clementiam E pro sanitate recuperata.

Duæ sorores germanæ, una Dorothea de Myslinice senior et virgo annorum maturitate confecta, et alia Agnes nomine, Andreæ cmetonis uxor, de Pezim diœcesis Cracoviensis junior priore, mansionibus divisis distinctæ, sed vinculo maternalis uteri et consanguinitate unitæ. Hæ ambæ acutas *c* alias strzykanie capitis patiebantur: una videlicet Dorothea senior per totam quadragesimam, reliqua vero temporis diuturnitate immemor. Quando votum ambarum seorsim factum [est] ad sepulcrum beati viri Simonis visitandum, ab eisdem acutis vel punctionibus fuerunt miro modo curatæ.

161 Albertus quidam, incola de Sosnowice quadam villa, patiebatur grandem infirmitatem tribus septimanis assiduis. Margareta matre sua ipsum ad sepulcrum beati Simonis vovente, ab eadem infirmitate fuit plenissime liberatus, et eodem die Deo omnipotenti et viro beato Simoni votum persolvens, requisitus omnia, quæ et quomodo facta fuere, clare declaravit. F

Agnes quædam domina de Posnania, uxor Nicolai cognomine Cytwarowa, tribus septimanis jacuit in infirmitate gravissima. Facto voto ad sepulcrum cum Missa et cereo veniendi, ab eadem infirmitate fuit liberata, et veniens votum solvere Deo et viro beato Simoni, quæ facta fuerunt, lucide enodavit, laudans et glorificans Deum et Virum beatum.

162 Quædam Margareta, uxor Andreæ de villa dicta Biessnasowice, doluit pedem sinistrum, quem morbus apostematicus circumdederat; præ cujus dolore vix vel quasi nihil ambulare potuit a festo sancti Martini usque ad septuagesimam: et facto per ipsam voto ad sepulcrum beati Simonis visitandum, statim ruptus est morbus, et exinde successive sanitatem pedum recuperavit, et veniens ad sepulcrum beati Simonis, ea in examine notificavit.

Quædam matrona, vidua de villa Siedlec, oculos duos annos doluit. Voto facto ad sepulcrum beati Simonis veniendum, mox alleviamen in eisdem sensit.

Margareta

EX MS. Margareta quædam servilis de Cleparz ceciderat in cæcitatem omnimodam ex igne, cui se applicabat in coquendo. Hæc per totum annum nihil vidit, nec sperabat aliter recuperari in visu. Hanc dum quædam matrona vidit sic cæcatam, suadebat sibi, ut faceret votum ad sepulcrum prædicti Patris. Quæ Margareta grate consentiens, votum fecit; post votum, visum accepit, et postea complevit.

163 Dorothea de Podbrzezie villa, oppressa [erat] gravi infirmitate et acri dolore in pectore et scapulis, ita quod ex vehementi dolore jam sperabat imminere sibi periculum irreparabile tam in se, quam in suo fœtu, quem in utero gestabat adhuc. Quæ, facto voto ad hunc beatum Simonem, statim fuit liberata ab illo dolore.

Anna quædam domina de platea sancti Nicolai extra muros Cracovienses, uxor Nicolai, filium peperit valde debilem, nomine Simonem, qui jam positus quasi in janua mortis niger factus [fuerat:] cujus vitam nullus mortalium sperabat. Matre vero, Anna B jam nominata, faciente votum offerendi eum ad sepulcrum beati viri Simonis, convaluit. Mater vero voto satisfaciens, offerendo eum personaliter, ea, quæ sibi acciderant, per ordinem declaravit, laudando Deum de sanitate filii.

164 Martinus quidam etiam de platea sancti Nicolai extra muros Cracovienses tribus septimanis gravi tenebatur infirmitate, sic quod parum quid comedit vel bibit. Uxore sua, nomine Zophia, una cum sororibus tertiæ Regulæ sancti Francisci, videlicet Anna Almatina et Catharina, faciente votum visitandi sepulcrum beati Simonis cum cereo et oblationibus pro usu fratrum et Misia, statim sensit alleviationem infirmitatis, et sic tunc successu continuo temporis pristinæ sanitati fuit restitutus. Idem Martinus una cum conthorali sua solventes votum Deo omnipotenti et beato viro Simoni, prout ea res gesta est, veridice significavit, glorificans Deum, qui talia per suos electos operatur magnalia.

Mulier quædam, Anna nomine proprio C nuncupata, nutrix uberi Uldryschindrowa de platea S. Nicolai extra muros Cracovienses, dolores capitis et gutturis per quatuor septimanas, (sed validius una septimana) patiebatur, parum comedens vel bibens: de cujus vita domina sua hospita modicum sperabat; sed facto voto cum capite et collo cereo ad sepulcrum beati viri Simonis visitandum, ab eisdem doloribus penitus fuit liberata.

165 Matrona quædam, annorum ætate confecta, nomine Piechna, coctrix domini Plebani de Prosowice, et vidua ambos pedes doluit, in quibus habuit intolerabilem corrosionem; sed in uno majorem quam in altero sensit dolorem, sic quod duabus septimanis ambulare non potuerit. Hac sic infirmitate quassata, multi de ejus vita desperabant; jamque viaticum spirituale pro suæ animæ consolatione perceperat. Quid in tali anxietate factura [esset,] penitus ignorabat. Sed recolens beneficia omnipotentis Dei, quæ per suum electum Simonem in diversis hominum generibus operatur, et spem firmam in Domino et meritis beati viri Simonis habens, sanitatem consecutura votum fecit ad sepulcrum ejus visitandum. Quo facto, D sanitatem pristinam reassumpsit, et veniens ad sepulcrum, quæ et quomodo facta fuerunt, notificavit. Laus sit Deo et ejus dulcissimo filio.

166 Quædam nobilis domina, Zophia nomine, de villa Niesskowice diœcesi Cracoviensis prope Bochnia adjacente, patiebatur maximos dentium dolores et capitis, sic quod, ut asseruit, dormire præ nimio dolore non potuerit. Hæc devotione affecta ad beatum Simonem votum fecit ad visitandum ejus sarcophagum: quo facto, a prædicto dolore fuit liberata, et in bona sanitate confortata. Eadem domina Zophia, Niesskowska dicta, votum suum differens quasi per tres annos complendum, in manu dextra fuit nimio dolore Dei permissione constricta, patiendo in eadem manu intolerabiles corrosiones digitorumque fracturas; et quod majus, fuit sibi eadem manus tumefacta alias naciekla. Facto iterum secundario voto ad beati Simonis sepulcrum cum manu cerea veniendi, fuit plenissime ab hac infirmitate manus libe- E rata, et veniens ad vota primo et secundo modo facta Deo omnipotenti et Viro beato solvenda cum manu cerea, ea, quæ sibi acciderant, notificavit, laudans Salvatoris clementiam de sanitate obtenta.

Item quædam etiam nobilis Anna, ætate annorum jam maturata, et virgo adhuc existens, dicta Zbiezniaschowska, annis duobus patiebatur pectoris infirmitatem, sic quod respirare non potuerit. Dumtaxat in mente cogitavit, quod vellet cum eadem domina Zophia, superius nominata, ad sepulcrum beati viri Simonis ire, si vir suus, hoc est vir Zophiæ Nieslowski permitteret, uxorem suam cum ea ire. Statim in pectore fuit sanata, nec amplius ejusdem pectoris dolores sensit.

ANNOTATA.

a *Nescio, quid hic sibi velit* Dominica Pogonum, *nisi forte etiam hoc vocabulum, sicut multa alia, ab amanuensi corruptum fuerit, legendumque sit* Palmarum. F

b *Ex sensu conjicio, per* vendetam *intelligendum esse forum seu locum, in quo merces venduntur.*

c *Hic iterum subintellige* punctiones *aut quid simile, ut supra diximus: nam non videntur designari febres, quas medici* acutas *vocant.*

SECTIO SEXTA.

Albertus de Zbuk, studens Cracoviæ, cistam librorum cum aliis rebus repletam portando læsus est: ex qua læsione in pectore incurrerat dolorem nimium, et sibi videbatur tamquam duo cultelli essent suo pectori infixi, ita quod etiam patiebatur febrem et calores continuos per tres dies, ita quod nec comedere nec bibere nec dormire nec spirare potuerit. Hic in tanta anxietate positus, quarta nocte videns se jam nimium debilitatum, cogitavit in mente, ad quem Sanctum deberet habere refugium pro auxilio. Ipsi sic cogitanti, non dormienti, sicut

A sicut dicebat, sed vigilanti (nisi quod fuit debilitatus) apparuerunt viri duo in habitibus religiosis: quos cognoscens dicebat esse beatum Franciscum cum stigmatibus in dextra parte, et sanctum Bernardinum in parte sinistra, figuram Crucifixi in manu dextra tenentem, stantes et deprecantes illum Crucifixum pro eo. Ipsa sic visione comperta, intellexit, quod hæc voluntas Dei fuit, quod votum faceret ad sepulcrum beati viri Simonis pro obtinenda sui corporis sanitate. Qui statim flexis genibus complicatisque manibus, ipsis præsentibus, fecit votum ad ejus sepulcrum ante eamdem passionem, quam sanctus Bernardinus in manu deferebat.

168 Facto voto, sic statim beatus Simon in simili habitu est illis associatus; et hi omnes, tam sanctus Franciscus, et sanctus Bernardinus et beatus Simon ante illum Crucifixum orarunt pro eo, et infirmum dictum Albertum etiam ad orandum instigarunt. Quo sic orante et nimis debilitato, indicarunt sibi, ut quiesceret paululum. Ipse sic obdormiens et una hora somnum continuans evigilans invenit se B optime sanum et nullum dolorem sentientem, [ac] adhuc eos vidit stantes cum illa imagine Crucifixi placatos et blandos sibi taliter dicentes: Ecce post tres dies sanatus eris. His dictis, disparuerunt. Idem Albertus voto suo Deo omnipotenti [et] beato Simoni satisfaciens, hæc omnia, quæ sibi acciderant, retulit patri Bernardino, reverendo Michaëli Bal pro tunc existenti: et postmodum pater Guardianus, vocatis fratribus Ladislao et Alberto, ad examen deputatis, fecit eum denuo examinari; qui, ut et antea, omnia per ordinem declaravit, laudans et magnificans Deum omnipotentem, qui per suos dilectos mirabilia operatur.

169 Quædam domina, Dorothea nomine, conjunx cujusdam Nicolai cerdonis extra muros Cracovienses commorantis, gravissimo cruciatu in partu (at maxime una dierum) circumventa, fœtum prolis emittere nullatenus potuit. Catharina quædam matrona vidua de platea piscatorum, extra muros Cracovienses habitantium, ipsius specialis benefactrix et amica, videns eam sic in arcto et C periculo maximo tam sui quam etiam ipsius prolis positam, animo condolenti vovit eam ad sepulcrum beati Simonis sistendam. Quo sic facto, statim miro modo femellam, nomine Zophiam, peperit Deo et beato viro Simoni gratias agens de tam subita et inenarrabili consolatione. Et ambabus, tam voventis Catharinæ, quam etiam votæ Dorotheæ, votum persolventibus una cum puero Zophia, ea, quæ et quomodo facta sunt, in examine notificaverunt.

Quædam natula, annum medium cito attingens, filia cujusdam Agnetis, uxoris Stanislai, de suburbio Cracoviensi platea piscatorum, letali infirmitate oppressa [erat:] de cujus jam vita plurimum parentes dubitabant. Inquilina quædam ejusdem Agnetis, nomine proprio soli omnipotenti Deo cognita, ipsam vovente ad sepulcrum beati Simonis offerendam, in crastino statim post emissionem voti natula illa cœpit convalescere, et sic successu continuo temporis sanitatem optimam reaccepit. Agnes vero ejusdem natulæ mater votum cum filia solvens, in examine ea, quæ fuerunt facta, manifestavit. EX MS.

170 Quædam femina, nomine Catharina, uxor cujusdam Nicolai oppidani in Cihrczanow, cognominata Doikrowa, tribus diebus in partu laborabat, a feria sexta ante conductum Paschæ quovis modo parere non valens. Considerans se sic in periculo maximo positam, tam ipsum fœtum quam etiam seipsam (prout sæpius in tali casu consuevit evenire periculum mulieribus sic laborantibus) devotione quanta potuit majori convertit se ad suffragia beati Simonis, votum faciendo ad sepulcrum suum cum cingulo cereo, et prole, si illæsa eam per merita beati patris Simonis in mundum educeret, visitandum. Quo sic formato, Dei adjutorio peperit filiolum amicabilem; nomen Bernardinus imponi jubens, et veniens una cum filio, nomine Bernardino, ad votum Deo et beato Simoni persolvendum cum cingulo cereo, prout voverat, in examine, quæ gesta fuerunt, manifestavit.

171 Quidam puer, Bernardinus nomine, annos quatuor habens, filius cujusdam Mathiæ pellificis civis de Stradomia circa Craco- E viam, letaliter ad mortem infirmatus (de cujus vita jam omnino desperabatur et jam sibi candela quasi agonizanti aliquoties accendebatur) jacuit quasi semimortuus. Mater sua, nomine Dorothea, uxor dicti Mathiæ pellificis, vita et conversatione laudabilis, videns sic filium in extremis positum animo turbato, mentem suam spe firma ad merita beati Simonis convertit, pro sanitate sui filii obtinenda votum faciendo, filium suum sic in infirmitate gravi positum cum oblatione viva et lectura Missæ ad sepulcrum præsentandum. Quo sic formato, statim puer in crastino cœpit ludos pueriles exercere, sanitate optima obtenta.

172 Quid adhuc mirabilius in eadem domina Dorothea contigerit audiamus. Non longe post convalescentiam filii sui Bernardini, alium filium in die S. Stanislai in Majo, gloriosi martyris et patroni Polonorum præclarissimi, peperit, sed mortuum; qui quasi media hora jacuit inanimatus niger quasi lutum factus. Mater sua Dorothea jam expressa, viso sic puero mortuo et inanimato, F non modicum perterrita, imo plurimum tristis et dolorosa, statim cœpit implorare auxilium a beato Simone pro consolatione et vivificatione pueri, votum faciendo una cum aliis matronis, quæ pro tunc circa eam in tali casu necessitatis præsentes aderant (videlicet Anna Kladezina et Dorothea vidua de Casimiria) cum cereo tantæ proceritatis, quantæ puer extitit longitudinis, una cum Missa audienda ipsum puerum ad tumbam beati patris Simonis offerendum. Quo sic emisso et taliter fabricato, puer immediate cœpit palpitare in concavo pectoris, et postmodum spiritum vitalem reaccepit et supervixit. Quem sua mater una cum aliis matronis in persolvendo votum, domino Deo et beato Viro factum, infra Missam tunc lectam supra tumbam beati Simonis superposuerat; quem ego *a* una cum fratre Bernardo confessore ad examen vocato nostris oculis conspeximus. Mater vero ejusdem pueri Stanislai nominati, ea, quæ sibi acciderant, coram fratribus Alberto de Casimiria et Bernardo

EX MS. nardo confessore per ordinem declaravit, laudando Dei clementiam de tanta et tali consolatione, per merita beati Simonis in ea facta.

173 Quædam matrona et vidua, annorum ætate provecta, nomine Catharina, et cognomine Stripcowa de Skawina, manum sinistram doluit, in ea dolores intolerabiles videlicet corrosiones patiendo, sic quod eam minime levare potuerit. Voto facto ex devotionis affectu ad beati Simonis sepulcrum cum cereo tantæ proceritatis, quantæ manus extitit longitudinis, visitandum, statim alleviationem ejusdem doloris in eadem manu dolorosa miro modo sensit.

Item domina de Wieliczka etiam vidua, nomine Agnes, diebus tribus continuis dolores intensissimos dorsi patiebatur, sic quod præ nimio dolore dormire nec sedere potuerit. Similiter voto cum cingulo cereo ad tumbam beati Simonis facto se oblaturam, statim pristinæ sanitati fuit restituta, et voto suo satisfaciens, Deo omnipotenti et Viro beato [grata] in examine ea, quæ sibi contigerant, notificavit.

174 Joannes quidam sacerdos de Prossowice præ maximo oculorum dolore visum totaliter amiserat fere quasi per medium annum, sic quod jam mendicitate sibi victum quærebat. Videns se sic in hac anxietate depressum, flexis genibus votum fecit ad visitandum sepulcrum beati Simonis: quo sic emisso, mox visum reaccepit. Qui veniens ad persolvendum votum, Deo et beato Simoni obligatum, ea, quæ sibi evenerant, in examine in medio chori propalavit, gratias Deo et Viro beato faciens de sanitate obtenta.

Infans quidam duodecim habens septimanas, nomine Nicolaus, filius cujusdam Joannis serificis de Stradomia, glaucitatis *b* nimia infirmitate depressus [erat:] de cujus vita modica vel nulla spes habebatur. Mater sua, Catharina nomine, præfati Joannis serificis conthoralis, maternali affectu filio compatiens, votum fecit genibus flexis cum cereo et Missa legenda filium ad sepulcrum beati Simonis præsentandi: quo sic emisso, successu temporis continuo puer priori sanitati restitutus [est:] quem juxta obligationem voti sanum ad sepulcrum præsentavit, narrando in examine, prout factum se habuit.

175 Quædam domina, nomine Dorothea, uxor cujusdam Martini fabri, civis de Cleparz dicti Stopnicky, quatuor septimanis continuis gravissime in partu laborabat, nec quidem parere potuit: de cujus jam vita pariter et prolis, modica vel quasi nulla spes habebatur. Quibusdam matronis circa eam in tali casu existentibus (videlicet Hedwige sorore germana ipsius infirmæ, et Hanussowa de Cracovia) et votum genibus flexis facientibus, ad tumbam beati Simonis cum lectura Missæ et eleemosyna facienda pro usu fratrum, eamque una cum prole, si supervixerit, præsentandam promiserunt. Quibus sic votum contextis, peperit famellam meritis beati Simonis, et ipsis votum Deo et beato Viro factum persolventibus, in examine, prout res se habuit, declaraverunt.

Ingeniosus Sebastianus baccalaureus artium studii inclyti Cracoviæ, filius cujusdam Mathiæ de Ilkuss, patiebatur febres tertianas cum caloribus a festo Ascensionis Domini ad festum Joannis Baptistæ. Matre ipsius, Magdalena nomine, ipsum ad sepulcrum beati Simonis cum cereo vovente, ab eadem infirmitate fuit plenissime curatus, et votum Deo et beato Simoni persolventibus, præfatus baccalaureus, ea quæ facta fuerunt, personaliter notificavit, præsentibus fratribus Alberto Ruperto et Alberto de Casimiria examinatore ad hoc officium deputato.

176 Frater Marcus de Ponicz, scriptor Minorum de Observantia, habuit morbum internum in gutture a quindecim annis, ratione cujus in choro cantare minime potuit. Hic, auditis miraculis, quæ Deus per merita beati Simonis in variis infirmitatibus diversi generis hominibus faciebat, votum fecit ad visitandum ejus sepulcrum, ut hoc sibi bono modo et de licentia sui prælati permissum fuisset. Isto hic stante, per aliquot annos quinque vel citra ab ipso voto per hæc tempora faciebat speciales orationes ad laudem Dei omnipotentis et beati Simonis; et dum capitulum provinciale fuit Cracoviæ per reverendum patrem Ludovicum de Tury Veronensem commissarium ex parte Generalis Ordinis Minorum anno Domini MCCCCLXXXVIII celebratum, idem frater Martinus *c* de Ponicz per obedientiam ad ipsum capitulum veniens Cracoviense, ad sepulcrum beati Simonis juxta votum promissum accedens orando quinque Pater noster et totidem Ave Maria, et osculato ipsius sepulcro, fuit ab eodem morbo curatus: et hæc veniens ad examinatorem miraculorum coram fratribus Francisco de Cosmin et Gregorio de Stawissyn et Adalberto de Casimiria personaliter publicavit, laudando Dei clementiam de tanta misericordia, per Dei pietatem meritis beati Simonis facta.

ANNOTATA.

a *Forte hic rursum designatur Nicolaus Sokolnikius, ta quam oculatus hujus miraculi testis.*

b *Hic morbus vulgo vocatur* glaucedo, *et a Græcis* γλαύκωσις *vel* γλαύκωμα. *Gorræus in definitionibus medicis de natura ejus fuse disputat, quod hic indicasse satis est, cum ejusmodi disputatio ad institutum nostrum minime spectet.*

c *Idem, qui paulo ante Marcus nominabatur, hic appellatur Martinus. Alterutrum nomen verosimiliter amanuensis oscitantia mutatum est.*

SECTIO SEPTIMA.

Anno salutis MCCCCLXXXIX, Michaël clericus, tunc apud sanctum Stephanum in Cracovia sacristiæ custos, nimium prægravatus ægritudine, ad beati patris Simonis confugit præsidium, ibidem Missam auditurus cum oblatione eleemosynæ secundum suæ conditionis facultatem. Quo facto ad locum fratrum veniens, valetudine bona meritis jam dicti Patris donatus, laudans Dominum in ejus Sancto, rediit consolatus ad laudem Dei omnipotentis, ejusque matris Mariæ. Amen.

Et quia cura est Deo de Sanctis suis, hinc est quod plerumque contra obtrectationem et vesanam stoliditatem non cessat eos magnificare magnitudinis suæ virtute, mirabilique sua

A sua operatione in eis, qui pio ac devoto animo sibi poscunt in necessitatibus quibuslibet per eosdem suffragari, sicuti clare liquet hoc in prodigio mirifico. Generosus siquidem vir dominus Mlodziejowski plurimis et a duris diutisssime actus dolorum angoribus, nec patrociniis sanctorum Stanislai præsulis martyrisque sanctissimi, ac beati Joannis Cantii meritis persæpe imploratis, divina dispensatione relevari aliquatenus ab ipsis potuit, donec Simoni glorioso sese recommendasset devotius. Quod ut fecit, optatum desiderium [consecutus] in effectu optime sanitatem recepit, offerens se tandem cum cereo ad ejus tumbam, et hæc eadem per ordinem narrans coram venerando fratre Ladislao de Bieliniow pro tunc vicario provinciæ Polonicæ, anno Domini MCCCCLXXXIX Dominica sexagesimæ infra Missam summam, in choro ecclesiæ sancti Bernardini circa Cracoviam celebratam, ad laudem Dei omnipotentis et ad confutationem omnium suæ sanctitatis insigniis detrahentium.

178 Anno Christi Jesu Domini MCCCCXC..... B honorabilis vir dominus Joannes de Sandomiria, capellanus castri Lanckorona, peracto sermone in die parasceves anni præsentis, molestissimam incidit corporis infirmitatem, in qua ultra tres perdurans hebdomadas, sæviorem adaucto tempore in se expertus dolorem, sacræ quoque Unctionis delibutus antidoto, confidens in cælo, vicinissimam præstolabatur vitæ mortalis novercam *a* suo pluriumque subnixus judicio : nam dolor morbi mortiferas cordi ejus acutius et crebrius imprimebat punctiones, quibus tabefactus vigorem motus amittens per alios usque de latere uno in aliud regyrabatur. Die itaque inventionis S. Crucis sic defatigato venit menti ipsius quidam devotionis dulcor in beatum Simonem, ut se ejus patrocinio committat, ubi corde fideli stabiliens dicere Deo tria Pater noster et totidem Ave Maria pronus, si sanus esset, ad tumbam ipsius, diemque obitus sui celebrem Missa aut jejunio, vel saltem, si adhuc facultas deesset, quinque denariis pauperibus distribuens usque in finem vitæ suæ recolere, statim convaluit et infra C septimanam post hoc, locum suæ depositionis devotus et pedes visitavit, laudans clementissimum Deum in suo Servo.

179 Anno Domini MCCCCXCII coruscationes ex bonitate summi Opificis ad invocationem Simonis viri Dei, præconis verbi Domini excellentissimi, uberrime micantes subsequuntur. Nobilis ac generosus dominus Nicolaus Suchorabski infirmitate hydropica diuturna oppressus [erat], de cujus salute fuit desperatum. Facto voto ad sepulcrum beati Patris cum cereo, mox ab infirmitate est curatus.

Item nobilis domina Catharina Szarpska subito infirmitate præventa est, ita quod totis viribus fuerit destituta : manus et pedes ejus fuerunt infrigidati, et in agone jam immobilis quiescens, per amicos suos facto voto ad tumbam beati Patris, pristinam salutem est adepta.

Item quidam puer gravissima infirmitate anxiatus, per parentes suos facto voto ad sepulcrum beati patris Simonis cum oblatione viva, mox est sanatus.

Item quidam vir, utique fide dignus, graviter et gravi morbo correptus, et quasi de salute desperans, in tam gravi dolore debilitatus, et quasi in ecstasi quiescens, per visionem admonitus [est,] quatenus se ad sepulcrum præfati Patris promitteret : quo consentiente, mox pristinam salutem obtinuit. Sed voto per eum retardante adimplere interim, ipso in lecto quiescente, et medium somnum actuante, duo viri in habitu fratrum illi apparuerunt, dicentes : Cur votum ad sepulcrum beati patris Simonis, quod promisisti pro salute tua, non imples? Scito, si secus feceris, gravior te infirmitas invadet. Qui statim consurgens votum implet, et coram tribus fratribus nostræ Religionis hæc manifestavit fide dignis.

180 Jacobus quidam clericus, tunc in minoribus constitutus, cum causa visitandi limina Apostolorum Petri et Pauli in Roma devotionem accepisset, jamque cum sociis itineris iter suum prosecutus fuisset de partibus Russiæ de civitate Sal, hic Cracoviæ veniens in ecclesiam ad sepulcrum beati patris Simonis suas recommendationes itineris, devotione qua potuit, fecit. Post egressum E autem de ecclesia cum jam in itinere ad domum hospitii sociorum, ut jam simul iter prosequerentur, pauperi cuidam obvianti cuperet causa orationis eleemosynam porrigere, cumque manum ad largiendum suæ peræ immisisset, illam, quam pro viæ suæ expeditione summulam pecuniæ collegerat, penitus perditam cognovit : quare multum turbatus, maxime quo iter suum perficeret cum non haberet, statim flexis genibus iterum devote se suumque depositum beato Patri, devotione qua potuit, recommendavit; et post illam recommendationem iterum manum ad locum pecuniæ cum immisisset, eam integram reperit, et gaudens iter peregrinationis suæ perfecit. Qui post hoc ad Ordines in Cracoviam veniens, jam existens Curatus ecclesiæ in antiqua Sambor anno Domini MD, coram me fratre Matthæo de Warssawa *b* confessus, et cum fletu firmissime ita protestatus est ad laudem Dei omnipotentis suæque Genitricis Virginis benedictæ Mariæ. F Amen.

181 Anno Christi Jesu Domini MCCCCXCIV novalia subnectuntur mirabilia virtute omnipotentis Dei ad invocationem almi Simonis operata. Cracoviæ una domina satis notabilis acerrimo dolore capitis et oculorum affligebatur fere per tres anni partes : promisit et vovit, ut visitaret limina beati Simonis sanctæ memoriæ apud Bernardinos quiescentis : feliciter, quam cito votum complevit, sanitati restituta est integre, oravitque, ut hoc per prædicatores publice in sermone proclamaretur ad Dei gloriam, et cujus apud Deum meriti hic existat Beatus, ostendendum; quo ceteri ad similia facienda in angustiis positi majorem ad hunc habeant ardorem.

182 Solius Dei virtute facta et fideliter examinata anno Domini MD. Mulier quædam natione de Lublin ex infirmitate capitis, oculorum cæcitatem incurrerat, ita ut penitus nihil videret. Hæc cum se devovisset visitare sepulcrum beati Patris causa sanitatis acquirendæ, mox voto facto, ille qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,

EX MS. mundum, per merita beati Simonis ad ipsius sanctitatem declarandam, ipsam clarificavit.

Huic post mulieri cum casu quodam vermis in aurem intraverat, ipsam nec dormire nec quiescere permisit, sicque ab eo molestata extitit, quod se rationem amittere timuerit. Cum autem per votum [ad sepulcrum] Patris beatissimi venisset, statim ille vermis de aure ipsius periit, et sic mulier, jam bis ad sepulcrum Beati consolata, gratias Deo et Sancto ejus egit.

183 Si his auditis animus auditoris ad devotionem non assurgat, audiamus tertium maximum mirabile in eadem muliere factum, ut sic talibus confricatus ad laudem Dei et Sancti ejus devotionem incalescat. Hæc
c eadem igitur mulier, morbo francoso c inter homines [per] suam tyrannidem grassante, torturam manus in nervis maximam incurrerat: quæ ad visitandam ecclesiam beatæ Mariæ in Czestochowa iter cum aliis arripiens, continue se beato Simoni committebat: quam cum quidam sacerdos, ejusdem itineris comes, audisset nomen Simonis beati
B sæpius in sua invocatione nominare, spiritu invidiæ stimulatus cœpit prædictam mulierem deridere dicens: Quem invocas? Illum monachum, o stulta? Putas illum esse tam sanctum, quod te posset adjuvare? Illi monachi propter oblationes ipsum sic excogitaverunt sanctum. Quibus verbis et aliis multis mulier cœpit in corde suo dubitare de sanctitate hujus venerabilis Patris, cogitans: forte verum loquitur iste sacerdos. Et ecce statim post illam cogitationem dubitabilem virtus Altissimi puniens, ut in Zacharia patre Joannis illam dubitationem, sic et hanc: nam statim manus illius mulieris (illa quam prius doluit) contracta est cum ingenti dolore totaliter usque ad brachium.

184 Quæ sentiens in se manum Dei aggravatam, dissimulat dolorem, quamdiu fuit in via: veniens autem ad hospitium causa refectionis, cum ab illo eodem sacerdote, qui suis blasphemiis mulierem ad dubitationem adduxerat, fuisset invitata ad comedendum, [recusavit.] Qua recusatione [facta] propter dolorem, quem jam dissimulare non
C poterat, idem sacerdos dixit: Quid est? Quare non comedis? Respondit mulier: Non possum; et ostendit ei manum contractam totaliter dolore cum maximo, illisque omnibus comitibus sui itineris. Requirente autem presbytero, quid ei accidisset, dixit mulier coram omnibus: Quando vos, domine, dixistis, quod ille pater Simon, qui jacet Cracoviæ ad sanctum Bernardinum, non esset vere sanctus, egoque his auditis cœpissem cogitare dubitans: forte sic est, ut hic dicit sacerdos; statim ecce, ut cernitis, manus mihi totaliter contracta est. Quod sic sacerdos audiens, compunctus est, et statim coram omnibus, qui aderant, cœpit dicere: Vere nunc credo ipsum esse sanctum; et flexis genibus devovit illam mulierem ad sepulcrum beati Simonis cum Missa. Sed quia Deus omnipotens qui dicit, ego occidam et ego vivificabo, percutiam et sanabo, ex sua misericordia cor contritum et humiliatum non despicit, illos etiam contritos et lacrymantes non despexit: nam statim voto tali facto, mulier illa, quæ fuit percussa propter dubitationem, sanata est propter suam fidelitatem: D
nam statim manus ejus restituta est pristinæ sanitati. Quod videntes omnes Deum in Servo suo fideli laudarunt pariter; mulier autem sanata votum suum complens, hæc coram confessore suo et patre prædicatore seriatim revelavit cum lacrymis, laudans et glorificans Deum in Sancto ejus.

185 Quædam mulier de villa dicta Mogila prope Cracoviam, uxor villici de ibidem, paralysi tacta in toto corpore, sicut lignum immobilis lecto decubuit per biennium, solo auditu et aspectu remanente in ipsa. Cum post biennium semel ad ejus virum rustici omnes, necessitate impellente, illius villæ convenissent, cœperunt intra se multa, ut moris est talium, colloquia habere. Inter hæc autem venit in medium sermo de miraculis, quæ faciebat Deus per merita beati patris Simonis, dicebantque ad invicem, illa muliere omnia in grabato intelligibiliter audiente: Ecce pater Simon, cujus nos sermonem multoties audivimus, ut ab omnibus communiter fama [fertur,] claret maximis miraculis, ita quod quicumque in quacumque necessitate ad ipsum se devovent, auxilium recipiant [et] sanitatem cum consolatione ad sepulcrum ejus. Quod illa audiens mulier infirma, Spiritu Domini ducta, corde fideli et devoto (quia ore ac lingua non poterat) se devotione qua potuit, beato Viro recommendat dicens: O beate Pater, cum aliis tuum sepulcrum visitantibus sis gloriosus, digneris me etiam pauperculam adjuvare: promitto enim firmissime tuæ sanctitati, si sana surrexero, tuum sepulcrum visitare cum viventi oblatione.

186 Quid multa? Ecce misericordia Domini: statim enim, ut hoc in corde suo hæc mulier oravit, omnimode sanitati per merita beati patris Simonis mulier illa restituta est virtute omnipotentis Dei, illicoque surrexit de lecto, benedicens Deum cum perfecta vocis modulatione: quod videntes omnes rustici illi et vir ejus, stupefacti dicebant: Nonne hæc est mulier, quæ in grabato quasi mortua jacebat; et quomodo nunc et quo miraculo ambulat et loquitur et gaudet sana? Illa autem ab eis requisita cum F
gaudio ait: Vobis nunc de beato patre Simone loquentibus, quod claresceret miraculis, ego, his auditis corde, quanto potui, devovi me suæ sanctitati; et ecce, ut omnes cernitis, me virtus Altissimi per merita hujus sanctissimi Patris sanavit. Illi autem hæc videntes, omnesque lacrymantes, flexis genibus Deo gratias et Sancto ejus egerunt. Mulier autem juxta suam obligationem votum complens, juxta suæ facultatis possibilitatem duos gallos vivos obtulit in manus patris Francisci de Cossmin pro tunc confessoris in loco existentis, et hæc omnia sibi seriatim explicans cum lacrymis Deo gratias egit. Laus ergo Christo (vox [erat] omnium) in Sancto ejus.

ANNOTATA.

a *Per hanc* vitæ mortalis novercam *puto inusitato loquendi modo explicari mortem, ut sensus indicat.*

b *Ex hac phrasi colligo, omnia miracula a Nicolao*

A *colao Sokolnikio non fuisse collecta, nisi forte ab amanuensi omissa fuerit conjunctio* et, *ac ita sit legendum :* coram me [et] fratre Matthæo de Warssawa.

c *Frustra apud medicos quæsivi, quis sit ille morbus* francosus. *At forte legendum est* morbo famoso *id est passim cognito, quia, ut addit auctor, tunc inter homines grassabatur.*

SECTIO OCTAVA.

Nobilis dominus Laurentius Pilchowski de terra Lanciciensi, infirmitate gravissima oppressus [fuit, ac] tali, quod etiam de lecto suo se movere nequibat, et etiam ad naturales necessitates aliorum manibus ferebatur ; et hoc actum est hic in Stradomia. Quam cito votum emisit de Missa legenda ad tumbam beati Simonis, ejus patrocinium confidenter implorando, mox restitutus est pristinæ sanitati, votumque suum die eadem devote et humiliter persolvit, baculosque quatuor ad sepulcrum ejus appendit, scilicet feria quinta B ante festum virginis Margaretæ anno Domini MDXV, seriemque totam beneficii sibi collati ad omnipotentis Dei gloriam cultorisque sui beati Simonis patenter declaravit coram pluribus fratribus ejusdem loci sancti Bernardini, soluto voto, videlicet venerabili patre Hieronymo de Sendomiria pro tunc ejusdem loci Guardiano, fratre Blasio de Pilsno, magistro novitiorum, fratre Laurentio de Balice prædicatore, fratre Joanne Baptista confessore secularium et serenissimæ Reginæ Polonorum, et fratre Joanne de Stobnika artium liberalium magistro famoso, ejusdem loci lectore clarissimo, et aliis quamplurimis religiosis cum multa gratitudine profitebatur secularibusque, instantissimeque postulavit, id ipsum per prædicatorem publicari ad honorem hujus Beati, tamquam gratus beneficio suo ; quod et factum fuit sequenti Dominica in sermone.

Eodem anno post festa Paschalia dominus Juchno vexillifer terræ Podoliæ *a* filium suum quinquennem, Cracoviæ existens, gravi infirmitate correptum, voto emisso ad sepul- C crum beati Simonis cum Missa et candela, sanum cum gaudio recepit.

188 Anno Domini MDXV mulier Elisabeth de Casimiria, uxor carnificis, habuit filium unius anni, qui a prima Dominica Quadragesimæ usque ad Dominicam quintam post Pascha febribus quotidie affligebatur : insuper interdum epilepsia *b* vexabatur : quæ votum pro eo factum ad ecclesiam S. Valentini in Cleparz cum Missa lecta complevit, nec tamen filio sanitatem obtinuit. Quædam soror, nomine Zophia, Ordinis tertii ibidem manens in Casimiria, patienti et matri turbatæ compassa, quia hic honor Simoni beato divinitus servabatur, votum vovit, quod, si meritis beati Simonis puer præfatæ mulieris restitueretur sanitati, mater ipsum ad tumbam beati Simonis deferret, et Missam ad altare prope sepulcrum ejus legi ordinaret ; factoque tali voto a prædicta sorore, mater sanum filium eodem die recepit, et veniens ad portam coram fratre Nicolao de Sokolniki, præfati loci prædicatore, et fratre Baptista de Pobiedniki, mater ipsa et soror eadem præfata retulerunt ad Dei et cultoris sui Simonis laudem. EX MS

189 Domina Skassowska affligebatur per quinque hebdomadas febribus et dolore capitis intenso, alias strzykanie : conversa ad Deum flectens genua oravit, ut ad honorem suæ passionis meritis beati Simonis eam sanaret ; et mox sanata est.

Eodem anno puer ad invocationem beati Simonis alias ab epilepsia sanatus est.

Item alius, pedibus infirmus per decem annos, simili invocatione curatus est ab infirmitate sua.

Item eodem anno mulier quædam de Stradomia, sex annis capite infirma, voto facto ad beatum Simonem, mox sanata est, et venit ad portam narrando beneficium Dei sibi collatum coram me fratre Nicolao de Sokolniki prædicatore *c*. c

Eodem anno ante festum sancti Michaëlis, ipso die sancti Stanislai episcopi, quidam artifex de Cracovia venit ad portam, declarans, se perfecte sanatum ab intenso dolore pedum, quem multo tempore patiebatur, statim ut se devovit cum Missa ad sepulcrum E beati Simonis ; et rogavit, ut id publice ad Beati gloriam in sermone propalaretur, quod et factum est.

Eodem anno etiam ante festum sancti Michaëlis quædam suburbana Cracoviæ, dolore capitis quinque hebdomadis vexata, ita quod destructionem capitis suspicabatur et ad mortem se præparabat, statim, voto emisso ad tumbam sancti Simonis, convaluit.

190 Item anno Domini MDXVIII, ante festum Ascensionis Domini ex voto venit quidam Joannes, cognomine Mino, qui habuit tunc filium in ordine nostro, nomine Zachariam, civis de magna Opatow, referens fideliter et devote, quomodo, cum in quadam [concione] apud Fratres nostros in Opatow audisset, quod idem Beatus, cui tunc supplex vota persolvit, a morbo epidemiæ plurimos liberaret, contigit, ejusdem uxorem pestilentia sævissima adeo præoccupatam, ut non aliud, quam mors ejus ab omni judicio domesticorum et vicinorum speraretur. Reduxit idem Joannes Sancti merita nuper audita in mentem, atque devotus infirmam et F jam pene morientem uxorem commisit ejus patrocinio : quæ mortis eruta faucibus humiliter et cum viro suo, qui in simili periculo non longe post adjutus est a Sancto, similiter persolverunt vota, Christum Dominum in Sancto ejus et Matrem benedictam, cui se idem Sanctus singulari quodam devinxerat obsequio, collaudantes : qui hæc, ut profertur, retulerunt fideliter et devote.

191 Item eodem anno ante festum sanctæ Virginis de Nive quidam civis Cracoviæ, Grzanka cognominatus, fideliter retulit, quod filius ejus decennis tanta gutturis et pectoris gravedine fuit oppressus, quod non aliud sperabatur nisi animæ exhalatio. Tam gravis infirmitatis agente angustia, parentes ejusdem pueruli, ultima tristitia constricti, voverunt eum ad limina beati Simonis, et cum Missa ad S. Stephanum ; et statim puer melius habere cœpit, atque successu temporis plene est restitutus sanitati.

Eodem tempore quædam domina in maxima constituta tristitia, postquam se Sancti precibus,

EX MS. cibus, quanto potuit devotius, commendavit, contra omnem spem ab omni eadem tristitia per negotii sui in optimo et insperatissimo fine constitutionem est liberata.

Item quædam alia maxima capitis gravitate et dolore sic consternata [est,] ut pene ex nimietate doloris amentiam sibi evenire speraret; sed tandem toto melius affectu in Domino sperans, et in meritis Beati confidens, ut sese ejusdem mausolæo repræsentare repromisit, in instanti est plene restituta sanitati.

192 Item eodem anno circa festum Pentecostes frater Simon de Brzeznika Ordinis regularis observantiæ, tunc ordinarius loci Cracoviæ confessor, fideliter coram multis fratribus retulit, quod anno Domini ..... recedens ad capitulum nostrum ex loco Skampensi, timens infectionem pestilenticæ contagionis, quæ tunc passim in locis plerisque desæviebat, de uno pede sanguinem minuit; in qua minuitione est infectus a minutore, qui prius pestilentia infectus sanguinem, et forte eodem die, minuerat: ex qua quidem B minuitione tantum ulcus, per totam quasi serpens sive se dilatans superficiem, et dolorem contraxit, et periculum attulit et difficultatem, quod post annos duos ab infectione veniens Cracoviam nullus medicorum et chirurgorum illius curam subire voluit: sed unusquisque, viso pede, se signo crucis muniens abscedebat. Ille in desperatione constitutus sui pedis sublevandi, surgens, ut valuit, ad sepulcrum beati Simonis pergens tales effudit affatus: Tu qui aliis opem ferre consuevisti in eorum infirmitatibus, assistente divina tuis patrociniis potentia; memento mei, cum quo in domo Dei ambulasti cum consensu, favorabiliter convixisti, et amicabiliter sæpe contulisti salutis et humanæ conditionis necessaria: ora pro me ad Dominum et Divam ejus Genitricem, ut tuo interventu (si cum mea sit salute) in sanitate optata adhuc eidem Domino militare valeam. Et his dictis, oravit unum Pater noster et Ave Maria. Surgens ab oratione, se melius sentire cognovit, et in brevi, omisso medicorum C consilio, est plene sanitati restitutus.

194 Item eodem anno Domini MDXVIII circa eadem Ascensionis festa coram multis fratribus et sororibus quædam persona publice recognovit, quod ante unum annum in una manu sua ulcerosa et dolorosa existens ad chirurgum, nomine Stanislaum, fuit coacta accedere, quatenus ulcera et eorum dolorem sibi tolleret: qui conspecta manu et ulceribus: Non aliter, inquit, te sanare possum, d nisi mihi dederis mediam alteram marcam *d*. At illa, quæ pauper erat, hujusmodi summa carens, penitus quasi animo consternata, et in angustia posita ex vi dolorum, accessit ad sepulcrum beati Patris, ejusdem auxilium flebilibus exorans gemitibus, quatenus et suis doloribus et suæ commisereatur paupertati. Quæ in domum suam rediens, cœpit sibi præparare comestibilia, et digitos manus infirmæ, et reliquum, quod semper apparere solet nudum, ab ulceribus liberata videns, gaudio simul et exultatione perfusa, reliquam partem manus sic sanatam in instanti et insensibiliter conspexit, quod nec vestigia quidem in plerisque locis manus ulcerum remanserint: quod ita, ut præfatur, D evenisse ad honorem Dei et Sancti gloriam enarravit.

195 Item eodem anno post festum Pentecostes quædam domina nomine ..... in Stradomia manens, gemellis fœtibus onerata, ex divina permissione est læsa, ita quod irruentibus in eam magnis doloribus, cœpit abortire. At ipsa fere exanimis, nec sui nec suorum memor partuum, ut ad se redire cœpit, audivit a circumstantibus beati Simonis sese auxiliis commendari; quod intelligens itidem in corde suo meditabatur humiliter, ut saltem fœtus nati, quamvis erant immaturi, nihilominus tamen jam animati possent baptizari. Et in brevi enixus primus vivus baptizatus est; et post aliquot horas in nocte alius filius, similiter baptizatus, mortuus [est.] Utique hoc solatium parentibus præstiterunt, quod renati ex aqua et Spiritu sancto, participes gloriæ æternæ effecti sunt, qui vivere non poterant propter immaturitatem et debilitatem. Eidem post aliquot septimanas filius natu primus, nunc septennis, gravissima infirmitate victus cœpit agonizare, ocu- E los vertere, pallescere; et omnia morientium signa in eo apparuerunt. Mater lacrymosa mox ad beatum Simonem currens, eidem primogenitum puerulum morientem cum fletu et gemitu magno commendabat. Rediens domum suam ex magno dolore ad lectum agonizantis appropinquat. At puer aperuit oculos, et matrem plorantem conspiciens: Da mihi, inquit, domina mater panem, et flere noli. Quod omnes videntes post paucos dies quasi cum tota familia in testimonium facti miraculi cum eisdem parentibus ad portam venientes, et in melius habente puerulo omnia præmissa [contigisse,] ut præfatum [est,] enarrarunt.

196 Item anno MDXVIII, circa festum nativitatis Domini quædam matrona, uxor cujusdam funificis in Casimiria, gravissimas torsiones patiens, ita ut pene moreretur, cœpit se vovere ad sancti Stanislai tumbam, et ad alios civitatis Cracoviensis patronos, sed nil levaminis persensit. Ultimo venit ei in mentem beati Simonis patrocinium, cui se devote commendante, eodem momento F omnis dolor cessavit, et eodem die se ejusdem Sancti monumento præsentavit, et hæc præmissa fratri Simoni confessori retulit fideliter.

Anno Domini MDXX, frater Marianus de Turobin Ordinis Minorum Observantium divi Francisci, tunc magister clericorum, Cracoviæ existens, infirmitate gravi percussus in pede, postquam se beato Simoni devovit, et illius tumbæ se obtulit, extemplo in pede illo fuit ejus meritis, Deo patrante, sanatus, et hoc coram fratribus multis ejusdem Ordinis confessus est clare.

ANNOTATA.

a *Est provincia Poloniæ, barbarorum incursionibus et præliis famosa, de qua vide cosmographos passim obvios.*

b *Epilepsia est morbus variis nominibus appellatus et vulgo cognitus. De ejus causis et effectibus videri possunt Gorræus, Castellus, aliique medici.*

c *Er*

A c *Ex hoc loquendi modo patet, sepe memoratum Nicolaum Sokolnikium tunc Stradomiæ prope Cracoviam habitasse, et verosimiliter multa* B. Simonis *miracula collegisse.*

d *Marca Slavonica appendit duodecim solidos, ut tradit Wichbildus Magdeburgensis art.* XLIV § III. *De variarum marcarum valore consule Cangium in Glossario.*

ALIA MIRACULA,

Post obitum Nicolai Sokolnikii patrata, et ex variis instrumentis tum impressis tum manuscriptis collecta.

Caput I. *Prodigia, quæ testes super immemorabili cultu examinati exposuerunt in causa Beatificationis a pag.* 15.

B

Magnificus ac generosus dominus Joannes Starsky *a*, annorum sexaginta quatuor, ... ultimo ex pietate dominorum commissariorum judicum per ipsum illustrem dominum Skarszowski interrogatus, an ultra præmissa, de quibus interrogatus fuit, sciat et velit deponere aliquid in causa præfata pro D. Fiscali, respondit: . . . Hoc unum scio, et depono in vim præstiti a me juramenti, quod ipse expertus sum ejusdem Beati singulare auxilium. Et narravit seriem rei gestæ in hunc modum: Ante annos viginti circiter, in anno videlicet millesimo sexcentesimo vigesimo primo, quo maxima pestis ubique in Polonia, et bellum Turcicum grassabatur, [me] manente in villa nobili Gidle archidiœceseos Gnesnensis viginti milliaribus a C Cracovia distante, quam vigore certorum jurium et summarum pecuniariarum tunc retinebam, et in qua ante multos annos fuit et exstat hactenus imago miraculosa beatæ Virginis Mariæ sub cura patrum Prædicatorum, tempore æstatis (diei non recordor modo) consors mea Anna Modeska, nobilis Polona, ibidem in curia ejusdem villæ, primæ prolis partu summo dolore affecta, multis diebus periclitabatur. Mihi refugium nullibi nisi mortem præstolanti venit in mentem fama dicti Beati Servi Dei, quam antea bene noveram.

198 Cracoviam veni, et pallium ejusdem, quod in talibus casibus aliis multum semper succurrisse cognoveram, quantocius potui, a patribus loci et Conventus in Stradom summis precibus impetravi: quod ubi opera cujusdam patris Ordinis Prædicatorum, cujus nunc nominis et cognominis non recordor, consors mea tetigit, brevi ex post absque omni dolore et difficultate enixa est illam primam prolem in præsentia multarum vicinarum et nobilium et villanarum, ibidem tunc adstantium. Hoc idem pallium post tam felicem effectum propter pestem Cracoviæ grassantem penes me aliquot mensibus retinere debui. Interim evenit, ut in ligneis illis habitaculis curiæ meæ maximum incendium igne exarsit quodam tempore, sed ex præsentia illius pallii sine magnis damnis consopitum est: nam ad illud ignis (quod miraculose factum puto) non appropinquavit; verum cum appropinquasset ad illa ædificia, ubi repositum fuit pallium, exstinctus ignis est: pie credo, nec possum aliter, quod hoc beneficium ex præsentia dicti pallii tunc ibidem præsentis evenerit.

199 Dominus Dominicus Paczko, annorum octuaginta circiter, ... ulterius interrogatus ex pietate dominorum judicum, is idem testis secundus sub et in vi facti juramenti respondit et deposuit de se ipso, quod in anno millesimo sexcentesimo trigesimo nono circa festum sanctissimi Corporis Christi graviter infirmabatur morbo incurabili, et a medicis desperato, in lecto depositus, ita quod nullius membri ministerio, nisi cum adjutorio alterius, potiebatur. Cumque jam nulla spes humana superesset, antiqua devotione, quam E ante multos annos ad dictum Servum Dei gerebat, et instantia uxoris impulsus petiit et obtinuit a patribus loci hujus in Stradom pallium ejusdem Beati: quod ubi corpus ejus attigit (ut deposuit testis) statim convalescere cœpit, et in tribus diebus jam desperatus plene convaluit, statimque post convalescentiam in signum gratitudinis erga suum Medicum tabellam votivam argenteam ad sepulcrum ejus posuit.

Petrus Stolnicky *b*, annorum sexaginta quinque, ... interrogatus ex pietate dominorum commissariorum, an aliquid deponere ultra deposita velit et possit, respondit: Ego ipse expertus sum auxilium et patrocinium ipsius beati servi Dei Simonis; quia in gravi maligna febri, quam duabus septimanis continuis passus sum etiam cum desperatione medicorum, per appositionem pallii ejusdem Servi Dei totaliter derepente sanatus et liberatus sum.

200 Joannes Bonilowski *c*, annorum sexaginta sex, ... insuper ex pietate et officio dominorum commissariorum interrogatus, [an] F aliquid ultra prædicta, uti practicus magis aliis in hac causa, et plebanus in patria Beati, deponere velit, et habeat, respondit: Volo, et habeo ad laudem et probationem immemorabilis cultus et venerationis ac sanctitatis dicti beati Simonis aliqua deponere, et ibidem in continenti deposuit: Primo Audivi a matre mea charissima toties id ipsum ingeminante et repetente, quod, dum me portaret in utero, commendabat se et me orationibus ejusdem servi Dei beati Simonis, et in partu, illius intercessionibus anno circiter millesimo quingentesimo septuagesimo sexto citra vel infra, dum me parturiret, se adjutam fuisse referebat, dicens, Vidisse se in somnis monachum quemdam, qui ambulabat in summitate turris ad ædem divæ Mariæ Virginis parochialis in circulo Cracoviensi ædificata, et me natum dependens *, in sinum suum excepit. Hinc mihi a teneris mater mea commendabat devotionem ad eumdem, et dum Romam profecturus eram, Missam circa sepulcrum ejusdem, ut dixi, ex instinctu

EX VARIIS

* forte defendens

EX VARIIS instinctu matris audivi: hincque credo, quod intercessionibus ejusdem ex multis periculis et infirmitatibus liberatus, beneficium parochiale in oppido paterno ejusdem obtinui.

201 Secundo de loco, in quo natus est dictus Dei servus beatus Simon, deposuit hoc. In loco, in quo natus perhibetur, et pro certo scitur is idem beatus Simon, fuit ante pauca tempora domus, quam simul cum alia vicina illustrissimus D. Stanislaus comes in Wisnic Lubomirski, modernus Palatinus Cracoviensis, sumptu proprio coëmit et demolivit, et in præfato loco pro honore ejusdem Beati capellam ex muro vult exstruere; jamque lapides, cæmentum et materiam paravit indies muraturus, idque motu et instantia serenissimi Vladislai quarti regis Poloniæ moderni, qui prædictum Beatum vidit exercitum suum adjuvantem in quodam bello, annis superioribus gesto..... Tertio. Filius Gregorii Pytko civis et consulis Lipnicensis, dum mater sua ante annos aliquot in gravi infirmitate et desperata jam agonizaret, habens annos octodecim vidit B quasi hominem sanctum in habitu religioso, qui venit ad matrem, et a somno excitatam benedixit signo crucis et disparuit: illa autem brevi convaluit, rediit ad se, et sanata est. Et hæc audivi ab ipso juvene filio ut supra.

202 Quarto. Juliana Baldouna, uxor Joannis Stawinoga, ante annum unum et medium morbo contagioso, speciem pestis præ se ferente, vulgo luznica dicto, decumbens, et penitus jam agonizans, vidit in somnis beatum Simonem, qui eidem mandavit, ut in loco natali ipsius puteum effodiat, in quem aquæ pluviales congregantur. Expergefacta fecit mandatum et convaluit, liberataque est a contagio, quo maritus ejus et domestici aliquot perierunt. Quod audivi ab ipsa, et scio bene id, quod omnes sciunt. Quinto. d Circa annum d millesimum sexcentesimum trigesimum quartum ante annos septem circa vesperam quadam die in ipso circulo oppidi magnum incendium exortum est; et cum omnes clamarent: Sancte Simon, ora pro nobis, adjuva nos; hoc facto, mirabiliter C in fumum illud incendium conversum, et sine magno damno ipsum sponte sopitum [est.] In crastino vero villani parochiæ meæ, longe ab oppido distantes, narrabant omnibus et mihi, quod videbant tempore incendii in aëre beatum Simonem, qui pallio suo extinguebat incendium.

203 Valentinus Znamierowski, annorum octuaginta,..... præterea ex pietate dominorum commissariorum interrogatus, an ultra prædicta aliquid deponere velit et possit, respondit: Præter hæc, quæ deposui, velim sciant illustres dominationes vestræ hæc, quæ etiam annotari hic inter meas depositiones peto. Primum. Audivi a Dibrochowska avia mea materna, quæ etiam audivit ab avia sua, quod ad eumdem Beatum adhuc vivum quædam mater de civitate Cracoviensi recurrit pro recuperanda sanitate filio suo muto et loquela; quem ille Beatus per triduum penes se relinqui jussit, et post triduum reddidit matri sanum et loquentem. Secundum. Incendium magnum ante annos septem exortum fuit in oppido nostro Lipnicensi, et pueris clamantibus, Sancte Simon ora pro D nobis, exstinctum fuit. Visus autem fuit a multis quidam monachus in aere incendium illud exstinguens. Tertium. In loco, in quo natus est beatus Simon, multoties visuntur luminaria magna: ego quidem ipse non vidi, sed audivi a custodibus civitatis fide dignis, qui id ipsum viderunt.

204 Gregorius Pytko c, annorum sexaginta,.... ex pietate dominorum commissariorum ulterius interrogatus in vim ejusdem juramenti, an ultra prædicta aliquid deponere velit et possit, respondit et deposuit: Primo. Ante annos viginti in hospitio certo, vicino illi loco, in quo idem Servus Dei natus est, illi [, qui] ibidem hospitabantur et bibebant, viderunt ex cellario, ubi dicitur esse enixus, lumen magnum resplendescere; et hoc audivi a quibusdam illorum, qui ibi fuerant; sed non recordor, qui fuerant. Secundo. Ante annos septem, dum quadam die sub vesperum in oppido Lipnica magnum incendium fuisset exortum, mirabiliter, omnibus causam ignorantibus, sopitum et exstinctum est: jam autem ex longinquis villis parochiæ Lipnicensis visebatur a multis quidam monachus E pallio suo illud incendium exstinguens; quod postmodum referebant omnibus, publice pueris tunc clamantibus: Sancte Simon ora pro nobis. Tertio. Uxorem meam propriam ante annos septem in gravi febre et morbo contagioso, vulgo luznica, infirmantem custodiebat filius meus annorum septemdecim. Hic voto facto ad eumdem Beatum pro sanitate matris, et peregrinatione ad ejus sepulcrum promissa, nocte sequenti vidit eumdem ambulantem in cubiculo extra somnum, qui apprehensam matrem sanavit, ita quod in crastino perfecte convaluerit; et votum explevit.

205 Andreas Petricovius, annorum sexaginta quatuor,..... interrogatus respondit:... Ultra ista, quæ interrogatus deposui, velim sciant illustrissimæ dominationes vestræ, quod de me ipso depono in recognitionem beneficii divini per merita et intercessionem ipsius beati Simonis accepti. Anno Domini millesimo sexcentesimo trigesimo nono, die vero S. Mariæ Magdalenæ in morbum subitaneum F et gravissimam febrim malignam incidi cum diarea *, ita quod ter in diem patiebar febrilem accessionem et continuam febrim malignam, reliquaque symptomata medicis ignota, ita quod jam a medicis desperatus et relictus fuissem. Cumque jam deficerent humana remedia, nec superesset alia spes nisi a Deo et intercessione singulari beati Simonis prædicti, ad quem specialis devotionis affectum gerebam, opportune uxore mea id mihi insinuante, rogavi et mandavi mihi afferri vestem seu pallium ejusdem Beati; quam cum a patribus loci allatam osculatus fuissem, applicavi ad certa membra corporis mei, utpote caput et pectus, cum plena fide. Mox in placidum somnum delapsus sum, et expergefactus a febri illa maligna et continua post quinque dies successive totaliter liber evasi, et amplius non recidivavi; et in istius rei testimonium veniens post quinque dies ad sepulcrum illius Beati, Missam celebrari feci, in qua confessus sacram sumpsi communionem, et postmodum tabellam argenteam circa sepulcrum ejusdem reliqui.

* l. ge diarrhœa

ANNOTATA

A

ANNOTATA.

a *Is est primus testis in causa Beatificationis, et ibidem pag.* 13 *in tabella testium nomen ejus ita scribitur :* D. Joannes de stara Starski nobilis Polonus.

b *Cognomen hujus quarti testis etiam in tabella testium jam citata mutatum est : sic enim ibi legitur :* D. Petrus Flotynski diœcesis Posnaniensis.

c *Etiam cognomen hujus testis, qui est ordine octavus, in prædicta tabella sic variatur :* D. Joannes Borcikowski Cracoviensis.

d *Hic erat distorta et vitiosa constructio, forte typothetæ errore posita, quam in ordinem redegi.*

e *In tabella jam aliquoties memorata excuditur* Pistko.

B

Caput II. *Miracula collecta ex inscriptionibus quorumdam anathematum, quæ ad B. Simonis sepulcrum appensa sunt.*

D. O. M. Beato Simoni a Lipnica, cujus vestis parturienti imposita, matri salutem, fœtui vitam, utrique in periculo utrumque attulit. Joannes Innocentius Petricius *a* doctor ex voto.

Precatio pro me sancti Simonis patroni mei ex Ordine PP. Bernardinorum, facta in ecclesia eorum, liberavit me maximo ex morbo apud Deum omnipotentem in Trinitate unum, Deum meum, Dominum meum, Tutorem meum, quem laudo pro hoc beneficio; Patronoque huic meo gratias ago immortales. Cracoviæ xx Octobris anno MDCXVI. Joannes Niemsta de Krzeczyce dapifer sacræ regiæ majestatis Sigismundi tertii regis Poloniæ.

D. O. M. anno MDCVIII mense Novembri ego Henricus Bagge recognosco, uxorem C meam, nomine Annam, per intercessionem B. Simonis de Lipnica, ad cujus sepulcrum pro illa, in longa infirmitate difficilis partus existente, pater Alexander votum fecerat, ad primam sanitatem miraculose restitutam esse. Igitur in vim gratitudinis uxor mea Anna hoc votum personaliter offert Domino Deo ad sepulcrum B. Simonis de Lipnica ad ecclesiam PP. Bernardinorum ad Cracoviam. Structor mensæ S. R. M. Henricus Bagge.

207 Nobilis Petrus Linchowski, dum anno Domini MDCXXXVII sabbato ante Dominicam Palmarum confracto pede ægre decumbit, febre corripitur, igne sacro afficitur . vovet beati Simonis de Lipnica bustum visitando venerari; febri et torpore liberatur, pedeque validior votum solvit non ingratus.

Anno Domini MDCXXXVII, die VII Maii generosus dominus Joannes Pernus obtulit hanc tabellam et pedem cereum in signum, quod gravi oculorum et pedis infirmitate correptus, voto ad beatum Simonem nuncupato, revaluerit. Præterea Sacrum de sanctissima Trinitate ad ejusdem Divi mausolæum recitari, et Litanias de beatissima Virgine Maria decantari fecit. EX VARIIS

Anno MDCXXVIII ego uxor Stanislai Bodaviczova civis Cracoviensis, cum filius meus esset morbo caduco oppressus, mediante informatione cujusdam sacerdotis hujus religionis, votum pro ipso feci ad sepulcrum beati Simonis de Lipnica, per cujus intercessionem sanitatem obtinuit.

Divo tutelari Simoni de Lipnica, propitio sospitatori, ob depulsam a suorum liberorum ac familiæ capitibus vicinam pestilentiæ luem, ex voto beneficii testem tabellam appendit.

208 Ego Anna de Nadanzin Uchanska, palatina Plocensis, recognosco singularem ac beneficam gratiam domini Jesu mei, et dominæ Mariæ Virginis ac beati Simonis. Magnam obtinui consolationem per intercessionem præfati B. Simonis, pro qua gratia sit semper honor et gloria domino Jesu meo.

D. O. M. Votum feci Domino et B. Simoni Ordinis de Observantia, cujus intercessione, morbo percussus gravi, in statum valetudinis pristinum restitutus sum, per quem Deus ter optimus maximus in seculum sit E benedictus. Anno Domini MDCXVI, die XVII Novembris. Frater Ludovicus Ubiszowski Ordinis Minorum de Observantia.

Insignia beneficia Dei recepisse me agnovi per intercessionem beatissimæ Virginis et dilecti sancti Simonis : aliquoties enim a peste præservatus sum, cum hac essemus infecti, et nostra conversatio esset cum infectis, ab eadem per gratiam Dei præservati eramus, et a gravissimis infirmitatibus liberati. Eamdem benedictionem Dei agnovi in constitutione liberorum meorum : pro quo sit ipsi honor et gloria in secula. Similem gratiam obtinuit mea ancilla : hæc enim cum jam agonizans decumberet, recommendata ad sepulcrum B. Simonis ad ecclesiam PP. Bernardinorum, in pristinum valetudinis statum erat restituta.

209 Magnifico dominum Deum meum et debitam Sanctis ejus facio reverentiam : præcipue beatissimæ Virgini et sancto Simoni Ordinis S. Francisci, quo dominus Deus hunc locum consecravit et ornavit; cujus interventu dominus Deus me liberavit ex periculis gravissimarum infirmitatum, et ad primam reduxit claritatem, pro quo sit ipsi gloria in secula. F

Cum essem oppressa gravissima febri, recursu facto ad patrocinium B. Simonis, protinus etiam a domino Deo exaudita et recreata [sum] in obtenta sanitate. Sancte Simon in memoriam tantæ gratiæ et in signum gratitudinis meæ, hoc exiguum donum tibi offero, et pro auxilio devotissimas persolvo gratias.

Gravi infirmitate pressa, mediante visibili benedictione sancti Simonis, sanitatem obtinui. Igitur in vim gratitudinis hoc votum ipsi præsento; pro dono temporali gratias ago, æternum donum similiter imploro.

210 Generosus Stanislaus Stanislawski sexagenarius glorificat Altissimum in beato Simone, quod contracta ejusdem manus, voto ad Divum nuncupato, prodigiose ad officium rediit anno Domini MDCXXXVII.

Generosus dominus Joannes de Przedborz Koniecpolski adolescens gravi oppressus infirmitate votum fecit ad beatum Simonem : sanitatem

EX VARIIS sanitatem obtinuit, votum præsentavit ac obtulit.

Generosus dominus Alexander Marzeiowski, Cracoviæ cum periculoso morbo esset gravatus et a medicis derelictus, recommendavit se beato Simoni ad ecclesiam PP. Bernardinorum. Petierat, ut ei adferrent pallium hujus Servi Dei; protinus sanitatem obtinuit, et hucusque per dei gratiam sanus et incolumis existit anno Domini MDCXXXVI; quod ipse agnovit coram illustribus et admodum reverendis dominis commissariis.

Sigismundus Hippolit, civis Cracoviensis, filius consulis Cracoviensis, obtulit B. Simoni, Dum esset in sua infirmitate derelictus a medicis, sanitatem obtinuit. Gratitudinis ergo tempore sacrificii ibidem votum suum exsolvit ad mausolæum Beati X Augusti MDCXXXIX.

211 Illustrissima domina Zophia de Tenczin Danielowiczowa thesauraria regni, capitanea Preomisliensis, Samboriensis, Dorobiensis, per intercessionem beati Simonis de Lipnica, quem sibi elegerat patronum ad vitæ tempora, ob receptam in suis necessitatibus consolatio-

B nem offert ad ejus sepulcrum hanc tabellam anno MDCXXXVIII die XII Februarii.

In mea infirmitate cum essem a medicis derelicta, a domino Deo per tuam intercessionem, o beate Simon, eram sanata. Barbara Zyczkowa.

Dive Simon miserum juvisti; en vota rependo:
Utque perenne juves, id, rogo, pignus habe.

Obtenta sanitate post gravissimam infirmitatem, hoc votum obtulit beato Simoni domina Zlotnicka in Casimiria.

Generosus dominus Marianus Borowski, recepta sanitate post gravem infirmitatem per intercessionem B. Simonis, in vim gratitudinis ad ejus sepulcrum hanc tabellam offert anno MDCXXXIX, die IV Februarii.

212 Anno MDCXXXVII D. Albertus, venditor imaginum, agonizantem infantem recommendavit B. Simoni; illo voto promisso, obtinuit sanitatem, et huc usque vivit.

Ex Varsavia quædam domina Pulczina infantem suum infirmum obtulerat; ad sepulcrum B. Simonis sanitatem obtinuit XVII Julii MDCXXXIX.

C Anno Domini MDCXXXX dominus Sebastianus Dobumyski, opifex habenarum, civis Casimiriensis, gravi cum esset oppressus infirmitate, in eadem longo existens tempore, ubi promiserat votum ad sepulcrum beati Simonis, postridie sanitatem obtinuit, et hanc tabellam tempore sacrificii Missæ obtulit die XI

b Junii *b*.

D. O. M. Anno MDCVIII mense Maio ego Joannes Palanowski, cum laborarem gravissime ex capite, et remedia mihi medicorum peritissimorum prodesse nequiverant, voto ad sepulcrum beati Simonis de Lipnica facto, brevi ejus suffragio et patrocinio me levatum et juvatum attestor.

Deo omnipotenti sanctissimæque Trinitati sit sempiterna laus, honor, virtus et gloria, qui me a morbo caduco per intercessionem beati Simonis liberare dignatus est.

213 Anno Domini MDCVIII, die XV Octobris unus civis [fuit], cui infans submersus est nomine Gregorius: per intercessionem beatæ Mariæ Virginis et beati Simonis Dominus Deus eum sanavit.

Sit laus, honor, virtus et gloria Deo D omnipotenti, qui me per intercessionem beati Simonis liberavit a maligna febri. K. B. anno Domini MDCIV.

D. O. M. Anno Domini MDCVIII ego Samuel Konarski Castellanides Culmensis magno et gravi morbo correptus mensibus aliquot cum decumberem medicorum frustratus auxilio, spiritualibus usus remediis, divinæ me languidus commisi voluntati; sed dum periclitarer, et jam pene, intuentibus mœstissimis parentibus aliisque tum circumstantibus, agonizarem, subiit quibusdam spiritualibus personis, me ad sepulcrum beati Simonis de Lipnica voto obligare: quod dum faciunt, brevi convalui, et gratiarum actionibus præmissis, hanc tabellam ex voto et grata animi significatione affigi curavi.

Stanislaus Zielienki cognovit, quod illum dominus Deus sanaverit per intercessionem beati Simonis anno MDC.

ANNOTATA.

E

a *Ita Ms. nostrum Cracoviense nomen hujus viri exprimit; causa vero Beatificationis anno* 1685 *Romæ impressa, habet pag.* 8 Patricius. *At puto lectionem Ms. præferendam esse, quia videtur esse idem doctor, qui historiam belli Turcici Cracoviæ anno* 1637 *edidit, in cujus titulo* Joannes Innocentius Petricius *appellatur.*

b *Huc usque perveniunt anathemata, quæ in causa Beatificationis a pag.* 8 *recensentur, ex quibus multa omisi, quæ vel oblationis causam vel sanationis modum non exprimebant. Reliqua, quæ hic sequuntur, ex Ms. Cracoviensi desumpsi.*

CAPUT III. *Quædam miracula desumpta ex Ms., quod R. P. Dominicus Zatorski, Minoritarum Guardianus, anno 1724 Cracovia ad nos misit.* F

Anno Domini MDXXXIV recenter non contemnendum sane miraculum beati Simonis suffragio declaratum est. Mulier enim quædam [in loco,] non admodum a Cracovia distante (vulgo Ferali dicitur) commorata, tam misera gravissimaque quadam ægritudine afflictum vexatumque puerum habebat, ut per totum plane anni circulum continuo puer ille assiduis laboribus ac fletibus (vix umquam aliquid [dicebat] de cibo capiendo) cruciaretur; nec ullo remedii genere vis elevari fletusque ac dolores temperari poterant; mater vero gemebunda varios medendi tentat modos: cum nullum malo posset remedium adferre, rumpebantur præ nimio maternæ compassionis dolore viscera sua, parumque aberat, quin desperationis discrimen subiret: videns enim puerum suum tam acerbissime torqueri, nulloque medicamine auxilium posse ferri, magis ipsa materno compassa pectore torquebatur. Verum ut pueri et suo cruciatui jam finem imponeret, impium facinus

A facinus clam opprimendo puerum agitabat, ut sic una potius hora intolerabilem angorem tolleret, quam productum temporis intervallum in dies magis ac magis augeret.

215 Sed antequam id attentare ad effectumque deducere ausa fuisset, prius (instinctu Dei procul dubio) ad Præmonstratenses religiosos in eodem præfato loco manentes (ex quorum relatu et veridico testimonio scripta sunt) accessit, suamque Priori eorum anxietatem lamentabunda exposuit, ac simul rem a se propositam interimendi puerum enodavit. Ille nefandum impietatis scelus aggredi prohibens, salubre in animam ejus injecit testimonium, ut quantocius ad fratrum Minorum ecclesiam peragraret, ibidemque Missam ad beati Simonis sepulcrum, penes quod est altare, legi procuraret, cui ipsa Dei auxilium per sancti Simonis invocationem implorando ac pro salute filii sui interpellando interesset. Accepit consilium mulier, monitisque parens sine mora votum redditura properat: tandem post devotam unam atque alteram devote Missam precesque cum B lacrymis ad Deum et beatum Simonem, domum redit. Ecce vero puerum ibidem jam antea desperatum, quem, nullo medicinæ auxilio consulere ei valens, interimere parabat, bene sanum, incolumem jucundumque, acsi numquam vi morbi tactus fuisset, offendit, lætaque suscipiens, Deo et beato Simoni gratias egit, ac venerandi illius Prioris salubre consilium beneficii sibi præstiti non ingrata laudavit.

216 Honesta matrona optimæ apud omnes æstimationis et famæ, nomine Dorothea, quæ adhuc superstes est, dum prægnans morbi occulti vehementia oppressa omnem spem prolis emittendæ amisisset, voto facto ad sepulcrum beati Patris, ita se protinus sensit ad primam spem divinitus reductam, ut nihil omnino dubitaret, se id beati Patris meritis, quidquid fuit, recuperasse: mater denique effecta ad ejusdem pedes felicissima prolem cum ædificatione populi humillime ac devotissime obtulisse visa est anno Domini MDCVI.

Mulier, Dorothea nomine, ex Arianæ *a* sectæ cœno divina miseratione eruta, et ante C biennium ferme baptizata, occultis divinis judiciis a sævo dæmonio vexata semel ac iterum et tertio, denique mirabiliter supra quam dici potest, liberata est. Ad hunc enim actum cum populus venire prohiberi non posset (erat enim dies Dominicus proximus ante festum omnium Sanctorum anni præteriti MDCVI) dæmon horribili voce, cunctis audientibus, in medium protulit, se plurima atrocia moliri ac perficere in regno Poloniæ pro conventu Sandomiriensi studere, nisi a Simone et Francisco impediretur. Unde satis constat, quanti meriti apud Deum sit, fueritque semper beatus Simon Lipnicius.

217 Anno Domini MDCLXXXVI in claustro monialium, sub titulo sancti Andreæ erecto, duæ sorores gravi infirmitate laborantes pallium divi Simonis affectarunt, recommendantes se meritis ejusdem beati Patris; quo habito et super illas imposito, divina gratia adjuvante, ambæ pristinæ sanitati restitutæ sunt, laudantes Dominum.

Mulier quædam in suburbio Cracoviensi, vulgo Polonico idiomate in Wesolo, per integros duos dies partu opprimebatur; neque prolem parturire valuit semimortua, donec ex superposito ejusdem beati Patris pallio feliciter prolem progeneravit, intercedentibus meritis ejusdem divi Patroni.

In Pocla Grodnensi Cracoviæ uxor quædam, mulier cujusdam, simili modo fœtum in lucem per aliquot dies edere non potuit; sed tandem, superposito pallio beati Simonis, faciliter prolem suscepit.

218 Anno Domini MDCLXXXIX, quo fuit translatio facta ossium sancti Simonis de Lipnica ex ecclesia cathedrali Cracoviensi ad ecclesiam sancti Bernardini, Stradomiæ in suburbio Cracoviensi sitam, patres Minoritæ Observantes miserunt nobis *b* ad ornandum feretrum et caput ejusdem beati Patris Simonis Lipnicii. Tunc temporis vero ægrotabat soror nostra Prudentia Grothowna, graviterque toto fere novitiatus sui anno laborans capite, sentiebat cataractam *c* seu stridorem, obstructionemque aurium et narium: quæ veniens ad gazophylacium, ubi ornabatur prædictum caput, absolvit flexis genibus tres Dominicas orationes, in honorem E beati Patris. Inde reversa ad infirmariam, senserat obstructas nares moveri. Sternutavit itaque tribus vicibus, tertia vero vice ejecit talem vermem cum sanguine, qualem doctores cernentes probarunt quomodo illum facere possent obrigescere; illa autem mox notabilem sensit in capite alleviationem, ac pristinæ sanitati restituta est, quæ adhuc ultra triginta annos vixit: et sic, quod hæc omnia miraculose contigerint per intercessionem beati Simonis Lipnicii, recognoverunt prædictæ sanctimoniales Cracovienses, una cum sorore Prudentia supra nominata, quæ hoc miraculo pristinæ sanitati fuerat restituta, licet jam a medicinæ doctoribus fuerit destituta.

219 Anno Domini MDCCXIII magnifica domini Drzewiecka, gravi infirmitate penitus depressa jamjam ultimam vitæ horam exspectavit, quam et doctores propter irrecuperabilem sanitatem penitus dereliquerunt: illa tamen confugiens ad merita divi Simonis ad pristinam rediit sanitatem, dum pallio cooperiretur. F

In suburbio Casimiritano, vulgo Kazmierz dicto, Magdalena Passmaniczka tribus diebus affligebatur partu; jamque in agone existens se merito et intercessioni beati Simonis recommendabat, magnaque fide poscebat pallium ejusdem beati Patris; quo adepto et superposito, ad effectum pervenit pristinæ sanitati restituta: hoc voto præmisso, [quod,] si Deus dederit filium, præfati Sancti nomine eum nominari velit, quod et factum est.

220 Generosus dominus Joannes Wolenski Bochensis officialista ad salisfodinas, jamjam pene desperans de sanitate sua propter maximos dolores, quos passus est, obtulit se beato Lipnicio: vix enim id fecit et mox meliorem sanitatem adeptus, secunda die ambulare incepit, gratias reddens Deo pro obtenta sanitate, votumque argenteum addidit altari.

Cujusdam pictoris uxor in suburbio Cracoviensi, vulgo Stradomia nuncupato, agonizantem filium suum viva fide et spe acquirendæ sanitatis deportavit ad sepulcrum ejusdem

EX VARIIS dem beati Patris, quod et consecuta est, dum superimposito pallio gratiam et auxilium ejusdem sancti Patroni, et redditam filio sanitatem agnovit et deprædicavit.

221 Anno Domini MDCCXIV, famata domina Zophia Slosarka, in Stradomia Cracoviensi suburbio habitans, graviter decumbens, ante diem partus graviter fatigata, jam morti propinqua confugit ad intercessionem beati Simonis, votumque argenteum donavit ad altare ejusdem; cumque ita ante partum anxiaretur, expostulavit pallium beatissimi Patris: quo habito cooperta est, moxque feliciter filiam peperit, ac Deo et beato Patri gratias exsolvit.

Famata domina Susanna, cujusdam aurifabri uxor, gravi anxiata morbo jamjam ultimam vitæ exspectavit horam, adeo ut a filiis et filiabus suis deploraretur, XVI Junii. Desideravit interim pallium beati Simonis, Missamque cum Litaniis cantari [jussit] ad ejus sepulcrum, audientibus et devote preces ad Deum pro sanitate matris fundentibus filiis; et factum est, quod, dum pallio præfati B Patris tegeretur, subito se in meliori sanitate constitutam sensit, pro quo beneficio argenteum votum altari addidit.

222 Anno Domini MDCCXIV conjunx famuli domini Laimensis civis Cracoviensis periculose partu anxiabatur; sed mox salvata est, dum pallio tegeretur ejusdem beati Patris, cujus precibus et intercessioni se commendabat.

Famulus Casimirus Mitialski inexplicabiles dolores passus est toto corpore; his tamen adjutus fecit votum confugiendi sub protectionem beati patris Simonis, addendo, quod si sanus evaserit, se lusurum fore musicaliter in choro (erat enim musicus) die solemnitatis suæ: quod ubi fecit, ecce ulcera, totum per corpus diffusa, aperta sunt, effluxaque materia abominabili, pristinæ sanitati restitutus est.

223 Anno MDCCXIV die........ mensis Julii gravi correptus est febre Thomas Cantius, adeo ut nec edere, nec bibere præ D debilitate valuerit. Interea venerunt illi in mentem merita servi Dei beati Simonis Lipnicii, cui se totum recommendavit. Misit proinde puerum pro aqua ad ejusdem Sancti fontem; quam dum gustasset et bibisset, statim melius habere sensit, pro quo beneficio Missam ad ejus altare celebravit, oblatis candelis divo Lipnicio.

Elapso aliquo tempore iterum idem præfatus Thomas Cantius Kurzelski mansionarius ad sanctam Barbaram die XXXI ejusdem mensis in similem morbum lapsus est, toto in corpore dolores patiens; cum vero et medicamenta jam nil juvarent, viva fide obtulit se intercessioni ejusdem Beati, et hausta aqua convaluit.

ANNOTATA.

a *Impia Arianorum aliorumque hæreticorum colluvies adhuc superest in Polonia, uti Cromerus in descriptione Poloniæ deplorat his verbis:* Nuper adeo nostra memoria Lutherana primum, mox E etiam Berengaria seu Calviniana labes a mercatoribus et bonarum litterarum studiosis juvenibus, levitate animorum et curioso studio novitatis inductis, peregre invecta multorum animos infecit..... Jam autem non solum illæ, quas dudum memoravi, verum etiam Picardorum, Anabaptistarum, Arianorum, Pneumatomachorum, Tritheitarum, Photinianorum, Ebionitarum, Recutitorum, et nescio quæ non pestes, proh nefas! Poloniam laxatis semel licentiæ habenis, agminatim invadunt.

b *Est testimonium monialium tertii Ordinis S. Francisci, quæ intra mœnia Cracoviensia in monasterio S. Josephi degunt, ut in margine notabatur.*

c Cataracta *sive suffusio, quæ Græce dicitur* ὑπόχυμα, *apud medicos est crassi humoris in cornea membrana juxta pupillam concretio, de qua fuse agit Gorræus. Ex particula disjunctiva* seu *collige, quod hic in alia significatione usurpetur.*

C F

MONITUM

In fine harum annotationum censeo, monendum esse lectorem de quibusdam erratis, quæ vitare non potui: cum enim Ms. Cracoviense non esset satis clare exaratum, sæpe in nominibus propriis ac vocibus Polonicis inter *c* et *e* aliasque litteras distinguere nequivi. Accedit, quod Poloni habeant quosdam characteres, idiomati suo proprios, ut *a* cum adjuncta virgula, *l* cum transversa lineola, aliaque his similia, quæ nos Belgicis typis exprimere non possumus. Quare ignoscant nobis Poloni, si eorum urbes, pagos, familias, et voces vernaculas subinde luxaverimus.

DIES

A D

DIES DECIMA NONA JULII.

SANCTI QUI XIV KAL. AUGUSTI COLUNTUR.

S. Epaphras episc. Coloss. et martyr.
S. Martinus episcopus Treviren. et martyr.
S. Justa, S. Rufina, VV. et MM. Hispali in Hispania.
S. Daria martyr, Cpoli.
S. Sisinnius martyr, Alexandriæ.
S. Machadorus, B S. Lampadius, S. Lucianus, S. Philippus, S. Petrus, S. Torquatus et forte S. Tinninius, S. Jocius, martyres Antiochiæ.
S. Rethicius episc., Augustoduni in Gallia.
S. Macrina virgo, in Cappadocia seu in Ponto.
S. Arsenius anachoreta, in monte Scethi Libyæ.
S. Dius archimandrita thaumat., Cpoli.
S. Symmachus PP. Romæ.
S. Rusticus presb. conf., Lugduni in Gallia.
S. Felix episc., Veronæ in Italia.
S. Laurentius episc. Neapoli in Campania. E
S. Ambrosius Autpertus abbas, in monasterio S. Vincentii ad Vulturnum in Italia.
S. Aurea V. M. Cordubæ in Hispania.
S. Bernulphus episc. Ultrajecti in Belgio.
S. Stilla virgo, in monasterio Mariæburgensi, prope Abenbergam in Franconia
S. Petrus conf., Fulginii in Umbria.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

C S. Braulionis *seu* Braulii *Cæsaraugustani episcopi* sacrorum pignorum inventio, *hoc die celebratur a Tamayo in Martyrologio Hispanico,* quæ, *inquit,* ipso revelante, ex humili loco extracta, et in honoratiorem in ecclesia B. Mariæ Virginis et Matris collocata pientissime venerantur. *De eadem meminit Ferrarius. Notat porro Tamayus,* inventionem *secutamque translationem factam esse anno* 1220; *at melius, ni fallor, hæc in Actis relata sunt ad annum* 1270, *ut vide ipso, quo* S. Braulio *(qui alias* XXVI *Martii colitur) ibi relatus est die* XVIII Martii.

S. Germani Parisiensis episcopi translationem *aliquam pluribus hoc die narrat Kalendarium Benedictinum Ms., vulgo nobis* Grollus *dictum: ast de ea hoc loco agere supervacaneum esset; celeberrimi Sancti gesta, miracula et translationes, ante ac post Normannicas irruptiones factas, fusius descripta habes ad diem ejus natalem* XXVIII Maii.

S. Hildegrimus, *S. Ludgeri germanus frater, ex Catalaunensi Halberstadensis primus episcopus a Saussayo perperam notatur hoc die, Miræum haud dubie secuto; sed nescio qua causa referri potuerit a Miræo in Fastis Belgicis et Burgundicis, ubi in pluribus a veritate exerrans,* F *in eo notanter hallucinatur, quod facillime observare potuerit in versiculis a semet citatis, nempe* Julii tredecimis resolutus carne Kalendis, *eum obiisse die, quo de ipso actum est* XIX Junii.

SS. Gervasii et Protasii inventio, *ut Mediolani facta memoratur in codicibus Usuardinis Victorino et Reg. Sueciæ; verum de ea aliisque ad Sanctos istos spectantibus pridem actum est ad* XIX *Junii, uti et in ejusdem mensis Supplemento; quæ videsis ad prædictam diem* XIX Junii.

S. Speratum *et socios* Cordubæ in Hispania *hoc die annuntiat Ferrarius, ingenue fassus, ex Galesinio se hoc accepisse, quem cum hallucinatum agnoverit, mirum est, errantem sequi voluisse. Vide quæ de Martyribus istis, non Cordubensibus nec Carthaginensibus Hispanicis, sed vere Africanis dicta sunt ad diem ipsorum natalem* XVII Julii.

S. Symphorosa et septem filii *non satis apte hoc die referuntur in Usuardo Bruxellensi cujus hic error duplex est, nam* Symphorosam *vero festo postponit, alterius autem, nempe* Joseph Justi

natalem

A *natalem anticipat, ut mox patebit. Spectat sancta mater cum filiis, et de ipsa actum est ad* xviii Julii.

S. Michaël, qui passus est in Hierusalem, et erat in Laurea *(Laura)* Sabæ; *nec non* memoria S. Theodori, ejus patrui episcopi *invenitur in Martyrologio Arabico-Ægyptio, a Gratia Simonio Maronita ex Arabico translato. Monachos* xliv *e Laura S. Sabæ in Palæstina prope Hierosolymam, reperies* xvi *Maii; alios item viginti ex eodem loco, die* xx *Martii. An et utri istorum agmini hic noster annumerandus sit, an aliis potius grassante Iconomachorum rabie haud dubie interfectis, tam fateor me latere, quam ea, quæ ipsius patruum episcopum spectant. Quod satis est hic observasse.*

S. Martinum, *alias* Mauritium, *et socios* septuaginta milites *die præcedenti primo loco inter Prætermissos ex Galesinio et Ferrario retulimus, quos pro hoc die Bollando suggessit codex alius, septuaginta istos appellans* discipulos; *quæ pluribus expendere, hujus loci non est. Videatur dicto loco, quo hæc omnia remittenda* B *sint.*

S. P. Joannes Metropolita Chalcedonensis confessor *inscribitur hodie Synaxario Ms. membranaceo Sirmondi, cetera nobis ignotus.*

Sancti Ascetæ quatuor in pace Vitam consummasse *traduntur in Synaxario Ms. chartaceo Chiffletii, adscriptis duobus versibus. Tempus, quo vixerunt; locus in quo ascesin exercuerunt, et alia eorum adjuncta nos latent.*

S. Justi *memoriam inter omnes Usuardinos codices annuntiat solus Grevenus, sic nude et simpliciter;* Item sancti Justi, *ut nec ipse satis sciverit, unde Sanctus iste, sive verus, sive fictus processisset: neque mihi promptum erat id divinare, nisi Hieronymianum Lucense, seu Fontanellense* Justum *aliquem suggessisset* in Spania, *sed de quo merito dubitandum videbam, essetne verum, an potius corruptum nomen ex* Justa, *quæ cum* Rufina *in Hispaniis hoc die celeberrima est. Dubium idem Florentinio pridem incidit, verum Notkeri auctoritate territus est, quo minus confusionem agnosceret;* Anceps, *inquit*, hæsitavi, an libri nostri hic aliquantulum vitiati essent et mutili; pro C Justa nempe matrona Hispalensi verebar ne Justus scriberetur, ac Rufina socia deficeret, quod in omnibus Latinorum Martyrologiis Hispanienses hæ duæ martyres hodiernis Fastis consignentur; præsertim etiam quod in Antverpiensi et Corbeiensi, non Justum sed Justam adnotatam viderem. Hanc tamen Hispalensem martyrem ab Hispaniensi Justo omnino Notkerus ita distinguit, xiv Kal. Augusti. In Hispaniis natalis sancti Justi, et in civitate Hispalensi SS. Justæ et Rufinæ, quarum Acta deinde strictim prosequitur. Unde ab eodem Notkero comprobatos codices nostros non mutamus. *Id factum non oportuit; ceterum vanus est Florentinii scrupulus, quem facillime deposuisset, si fontes novisset unde sua hausit Notkerus; Adonem nimirum ex quo* Justam *ac* Rufinam *et* Arsenium *mutuatus est; reliquos vero ex collectaneis Hieronymianis: et id quidem non satis accurate, dum primo scripsit, uti jam vidimus,* In Hispaniis, natalis sancti Justi, *ac rursus in ejusdem diei laterculo;* In Hispaniis, Justi; *utroque loco perperam, cum in tota Hispania nullus hoc die* D Justus *notus sit, ne quidem apud Tamayum, Sanctorum Hispanorum impigerrimum coacervatorem; ut certum plane videatur,* Justum *ex* Justa *Hispalensi effictum esse, ut testes sunt codices Hieronymiani vetustissimus Epternacensis et Corbeiensis, quibus adde Labbeanum, ceteris minoribus hic correctiorem.* Justum *itaque istum non agnoscimus, nisi aliunde certioribus documentis Hispaniæ vendicetur, uti pridem indicavimus in observatione Usuardina ad hunc diem.*

SS. Euticii, Britii, Joannis, Teudilii, Isaach, Laurentii, Herculani et Parietalis *passionem apud Spoletum signavit hoc die Usuardus Florentinus, nescio qua de causa, neque enim huc spectant prædicti Sancti, quorum historia operosius illustrata est in Tractatu præliminari de Sanctis Umbriæ ante tomum* II *Julii, quem vide.*

Humbertum *aliquem mihi non ita pridem suggessit vir Cl. et de opere nostro bene meritus D. le Beuf canonicus et succentor ecclesiæ Autissiodorensis, in litteris ad me datis* vi *Aprilis anni* 1725; *ubi inter aliorum Sanctorum no-* E *titias varias hanc interrogationem interserit; utrum noverim* S. Humbertum *confessorem pro hac* xix *Julii?* Corpus, *inquit*, depositum est in diœcesi Nivernensi, in vetustissima ecclesia (olim monasterio) istius nominis. *Notissimus est* S. Humbertus *Maricolensis ad* xxv *Martii, cujus fortasse reliquiæ eo transferri potuerint: si diversus est, doceri cupimus de ejus gestis, ætate, ac cultu. Quid si forte* Gumbertus *sit, aut* Gundebertus, *de quorum synonymia pluribus egimus supra ad diem* xv *Julii. Ceterum* Humbertum *istum Nivernensem non novit Castellanus: quæ Saussayus de* Humberto *Forojuliensi Vesuntione defuncto, tradidit, fallor, si ipse met satis intellexerit.*

Popponis *venerabilis pontificis, et fidei in Dania prædicatoris insigne prodigium,* ex antiquorum relatu contingitur *in Vita S. Canuti regis et martyris cap.* 1, *apud nos tom.* III *Julii pag.* 129 B, *ut qui* candentis ferri ardorem inusta detulerit dextra, et ignitas ferri laminas incombustis pertransierit plantis: F *ad quæ nonnulla in annotatis ibi observavimus pag.* 131 B, *ea hoc die ex professo discussuri, si certa aliqua catholicæ venerationis indicia interim occurrissent. Verum cum ea frustra hactenus quæsita sint, necdum nobis integrum esse putamus, Sanctis hic eum aut Beatis adscribere. Si patentiora ejus rei argumenta, ipsaque etiam ejus Acta subinde eruantur, poterunt ea alibi illustrari.*

Wiboldus *apud Stabulenses abbas ordine* xlii *non immerito Floribus Leodiensibus accensetur a nostro Bartholomæo Fisen cum insigni elogio, quod istic legi potest: nobis satis est, hic ejus meminisse.*

Hieronymus Sapsasus, Carmeli Hierosolymitani, in domo S. Annæ Prior, sanctorum Angeli et Joannis præceptor, mortuum quatriduanum resuscitavit, et in cœnobio Sapsaso obiit anno mccxxiii. *Verba sunt R. P. Philippi Visitantini in sua Acie bene ordinata, quam identidem appellare non negligimus.*

Martyres Brilanos *hoc die cum elogio nobis commemorat Saussayus, quasi hi alii forent a Gorcomiensibus, quos proprio ipsorum natali celebravit*

A *bravit* IX *Julii : ast lapsum hujusmodi Saussayo facile condonamus.*

Varnerii *episcopi Lingonensis* depositionem, *ut* Sancti, *primus, quod sciam, memoriam agit idem Saussayus, cujus auctoritati non acquiescimus. Laudant quidem* Varnerium *seu* Warnerium XXXIX *ordine episcopum Sammarthani et alii : ast eum Sanctorum honoribus donatum, necdum novimus.*

Henricus *abbas Cisterciensis tricesimus, ut* piæ memoriæ, *minori charactere annectitur, qui* verus Dei amator, mundi contemptor, virtutum sedulus operator *fuerit, longiori elogio donatus apud Henriquez et Chalemotum, quin et* beati *titulo in Kalendario Divione impresso. Vellem hæc omnia satis probarent,* Henricum *istum sacris altaribus umquam fuisse admotum.*

Gumarus *item in eodem Clarævallensi cœnobio, antea rex Sardiniæ,* metam attigit humanæ peregrinationis, qui Christi amore sceptra dimittens, in humilitate spiritus et sanctitate vitæ, divinæ majestati famulando ad extremum usque pervenit, multisque virtutibus B locuples, ac supernis etiam visionibus illustris ad regni æterni evolavit gaudium. *Ita Saussayus et pluribus Henriquez. Videri possunt quæ de* Gumaro *dicta sunt in Prætermissis ad* I *diem Junii.*

Margareta *demum vidua Theodorici Beveræ dynastæ, apud eosdem scriptores* sancto fine quievit in cœnobio Flinensi agri Atrebatensis, *ex regio Cypri sanguine orta. Ex epitaphio patet, obiisse* anno milleno bis centum septuageno quinto.

Godefridus *antistes Lingonensis a Chalemoto memoratur : at nec de ejus nec de aliorum cultu constat.*

Franciscus de Barga, *prope Bargam Tusciæ* 1489 Petrus de Garrobiliis, *Sinsonzæ in America circ.* 1535 Paulinus, *ad S. Severi in Tuscia* 1568 Blasius, *Guadalfagiaræ in Castilia* Prosper a S. Angelo, *Anconæ in Piceno* 1573 C Urbanus a Manfredonia, *in provincia S. Angeli* 1578 Anonyma *virgo Clarissa, Gebennæ in Gallia* 1500	*Cum titulo Beati memorantur ab Arturo in Martyrologio Franciscano; et Anonyma etiam in Gynæceo.*
Franciscus Meerbeccanus *Lovanii in Brabantia* 1560 Nicolaus Gallus *Urbini in Italia, circa* 1500 Hieronymus de Yelvas, *Oropessæ in Castilia* 1540 Guilielmus de Bonifacio, *Tallæ in Corsica circa* 1578 Joannes Maria, *Plateæ in Sicilia circa* 1602. *Et plures alii Treviris non ita pridem exhumati*	*Laudantur a Fortunato Huebero, in Menologio Franciscano; sed absque ullo titulo.*

Petrus de Cadireta *Ordinis Prædicatorum, Arragoniæ inquisitor et martyr, ut innumeris miraculis clarus et* Beatus *signatur a Marchesio in Diario Dominicano ad hunc diem. Quin et chartam præ manibus habeo, in qua dicitur depictus cum titulo* Sancti *in interiori claustro ad S. Sixti veteris Romæ. Necdum nobis constat de decretis ei legitime Sanctorum honoribus.*

Leodatus de Monte Pessulano *ex eodem Ordine* D Beatis *adscribitur in prædicto Diario, quem plurimis favoribus prosecuta sit beatissima Virgo Deipara. At neque de hujus cultu certi nobis quidquam innotuit.*

Constantiam de Ferrara *ex Arturi Gynæceo accepisse videtur idem Marchesius, eamque insigni encomio honorat. Utinam hæc sufficerent, ut inter Sanctos in hoc opere collocaretur.*

Paschasius de Fonte pudico *Burgensis episcopus, Romæ vita functus et ad Minervam sepultus melius solo venerabilis servi Dei titulo refertur quarto loco, cum paulo longiori historia et epitaphio, quæ ibidem videri possunt.*

S. Sambariæ virginis et martyris translatio *recentiori manu adjecta est Usuardo Aquicinctino : verum quæ ista sit aut unde allata, quemve ad diem pertineat, doceri cupio : neque magis novi hactenus* Sambariam abbatem *in additionibus Cartusiæ Bruxell. ad Grevenum.*

S. Vulmarus *seu* Ulmarus *aliquibus Kalendariis hoc die perperam inscriptus est, colitur ipse et de eo agetur die sequenti* XX Julii.

S. Joseph, qui cognominatus est Justus, *Usuardo Bruxellensi hoc die perperam insertus est cum* E *elogio. Natalis est, et de ipso agemus die sequenti* XX Julii.

S. Margaretam *in Martyrologio S. Martini Tornacensis hujus diei laterculo superadditam reperio, librarii haud dubie sphalmate, qui celeberrimam virginem et martyrem referre debuit eo, quo de ipsa agimus, die sequenti* XX Julii

S. Wilgefortis *memoriam agit hoc die Florarium nostrum Ms., verum cum ceteris omnibus, et ipso Romano differenda est ad diem sequentem* XX Julii.

S. Eliæ prophetæ assumptio *signata in Usuardo Vaticano num.* 5949, *spectat ad diem sequentem* XX Julii.

S. Severam *Trevirensem virginem non recte hoc die notavit Usuardus Florentinus; spectat etiam ad diem sequentem* XX Julii.

SS. Apollinarius et Vitalius MM. gladio perempti *occurrunt in Synaxario Ms. chartaceo Chiffletii : quos differimus usque ad diem, quo illos exhibent Menæa magna excusa, et* S. Apollinarem *Martyrologium Romanum* XXIII Julii.

S. Christina V. M. *nescio unde a Notkero huic diei* F *affixa sit; sic habet :* In Italia civitate Tyro, natale sanctæ Crystinæ virginis, juxta quosdam. *Quinam ii sint, fateor me ignorare; at certum est, apud notos Martyrologos omnes festivitatem ejus recoli* XXIV Julii.

S. Everolphum *suggerunt hoc die additiones Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum; ubi, nisi vehementer fallor, indicatur* Euerulfus *seu* Ebrulfus *abbas, de quo nobis agendum erit ad diem* XXV Julii

S. Annæ *matris beatissimæ Virginis hoc die meminere Balinghem et aliqua Kalendaria; non recte : notissima est ejus in Ecclesia festivitas* XXVI Julii.

S. Blanum episcopum Dumblanensem *hoc die nobis suggerunt Dempsterus et Camerarius in Menologiis suis Scoticis, synonymum alium annuntiantes* X *Augusti; cum hac differentia, quod Dempsterus primum faciat Dumblanensem episcopum, secundum autem* Blaanum *appellet,* qui circa annum millesimum vixerit, *et ipsum episcopum, sed cujus sedem assignare non valuit. Apud Camerarium utrobique idem nomen, hoc vero die est* episcopus Dumblanensis; *tum* X *Augusti ponitur* episcopus Sodorensis,

A rensis, *a quo tamen* civitas Dumblan *nomen sortita sit. Nescio equidem utrum viri isti, amore patriæ delirantes, satis intellexerint quæ tam confidenter scripserunt: Ferrarium vero demiror, qui tam cæcos duces passim sequatur. Ut paucis dicam,* S. Blanus *aliquis isque Dumblanensis episcopus, qui civitati isti nomen indiderit, sed unicus admitti potest; non hoc die, quo a duumviris perperam signatus est, verum eo die quo in Breviario Aberdonensi proprias lectiones habet, et quo a Castellano refertur, nempe* x Augusti.

S. Cathanum, episcopum in insula Hebridum Buta, avunculum ex sorore S. Blani *indicarunt Majores nostri, ut* Sanctum *memorari a Camerario et Dempstero in Menologio Scotico, et a Ferrario eos passim sequente, ad* XVII *Maii: unde ad hunc diem vel ad* x *Augusti remittitur, ut cujus gesta a Georgio Neutono cum Blanianis commixta videantur. Cum igitur S. Blanum hinc ad posteriorem diem remiserimus non putamus divellendum ab eo* S. Cathanum,*ut res tota differenda sit, atque accuratius examinanda* x Augusti.

B S. Eliam *(melius* Heliam) *monachum Ordinis S. Basilii* apud Salinas Calabriæ *solus Castellanus in suo Martyrologio universali hoc die signavit; a cujus nomine cavernæ alicui montis Palmæ appellationem inditam asserit. Hæc, nisi vehementer fallor, ex Ferrarii Catalogo Sanctorum Italiæ accepta sunt ad diem* XI *Septembris. Quid Castellanum moverit ut eum inde retraheret, atque hac Julii* XIX *eum potius collocaret, pluribus non inquiro: ut erat scrupulosior dierum obitualium indagator, forte alicubi repererit, hoc die Sanctum obiisse; id quod eum alibi, sed conatu æque irrito, factitasse novimus. A popularibus tabulis recedere, nobis integrum non putamus, unde et hic eas sequentes,* S. Heliæ *gesta illustranda remittimus ad* XI Septembris.

S. Theodorus episcopus Cantuariensis *male hoc die consignatus est in Kalendario Benedictino Dorganii, spectat enim ad* XIX Septembris.

Hermannum Contractum *Augiæ divitis monachum, eruditione sæculo* XI *celebrem, multis ac meritis laudibus prosequitur Bucelinus hoc die; at titulum* Beati *quo jure adscripserit, doceri cupio:* C *nisi id sufficere posse existimet, quod in fine adjicit;* cujus sacrum capitis verticem in nostro Vinearum SS. Sanguinis Domini cœnobio cum brachio et aliis sacris ossibus aliquot asservamus et veneramur. *Privato, opinor, cultu; quem si publicum et approbatum ostenderint cœnobii istius Patres, cum* alii festum ejus recolant, *poterit de eo agi* XXIV Septembris.

Gondisalvus *a Menardo hoc die titulo* Beati *ornatur his verbis*: In Galitia, depositio beati Gundesalvi abdatis, Ordinis Cisterciensis. *Hæc unde Menardus acceperit, cum ipse indicare neglexerit, quærere ego supersedeo. Ceterum binos novi istius nominis in Cisterciensium Menologiis celebres: alterum* VI *Junii Henriquez, Chalemotus et Bucelinus annuntiant apud Gallæcos* in Azebeyro, *estque idem in Kalendario Sanctorum Ordinis Divione excuso* 1617: *at de eo nec Majores nostri eo die meminere, nec Tamayus in Martyrologio Hispanico. Alterum celebrant, tamquam* Sanctum *aut* Beatum x *Octobris*, qui in Ursaria, illius regni celeberrimo cœnobio, Cisterciensi instituto nomen dederit, unde Junias missus, celeberrimus evaserit et miraculis claruerit; *quo* D *tamen die in citato Kalendario notus non est; verum is a Tamayo, ut* Sanctus *insigni elogio ex Henriquez prædicatur. Ambos etiam invenio in novissimo expanso Catalogo Sanctorum Ordinis per Sigismundum Alberti Monteregali* 1712 *vulgato, in quo primus* Sanctus, *alter* Beatus *dumtaxat appellantur. Atque hæc quidem jam diebus* VI *Junii et* X *Octobris; at cum Cisterciensium nullus* Gundisalvum *hoc die signaverit, rem totam de alterutrius vel utriusque sanctitate, miraculis et cultu, alio examinandam remittimus. Utinam exoriatur interim Cisterciensis aliquis, qui nos perpetuis tenebris eripiat, doceatque sincere et candide veros sanctos ac beatos a reliquis discernere, ne perpetuo odiosis istis involuti, promotoris fidei officio fungi videamur. In hisce certe subsidio esse poterit, cum differenda sint ad* X Octobris.

Dimanus *seu* Dimannus *(potius* Dimaus) *abbas* cælo *hoc die datus dicitur a* Strahnavernia Scotiæ provincia sub Christi annum DCLXX *apud Camerarium,* Regium *suum* in Kalendario *perpetuo citantem. Quæro alia documenta quæ me de cultu et de hodierna festivitate certiorem reddant. Sed neque Dempsterus hic* E *suffragatur; Ferrarius fortasse suppetias feret, adducens Martyrologium Anglicanum: fideliter sane; nam in utraque editione tum anni* 1608 *tum* 1640 *diserte signatus est* Dimanus *cum adornato elogio. At neque hic sufficit auctoritas Martyrologi istius Anglicani, ad Wionem nos remittentis. Hunc consulo, soli Leslæo innixum, nempe in appendice ad Martyrologium suum monasticum, in qua ii solum alphabetico ordine dispositi sunt,* quorum natalitii dies ignorantur, *aut* nullos habent in Ecclesia natales, *ut ingenue fatetur Wion, hæc proprio loco adjungens*: SS. Dimaus Sigenii, Domitius Columbæ abbatum discipuli, monachi Scoti.... verbo et exemplo æqualibus et subditis mirabiliter præluxerunt. *Audis hic non* Dimanum *sed* Dimaum; *audis elogium quod* virtute *præluxerit; audi modo ipsissima Læslæi, scriptoris sæculi* XVI, *verba lib.* IV *de gestis Scotorum, in rege* LIII *Donaldo seu Donevaldo, ubi sic loquitur*: Scotiam hoc tempore vita sancte, exemplo sincere, F et doctrina solide illustrasse Convanum, Columbanum, Dimaum.,.... loquuntur nostræ historiæ. *Si ejuscemodi elogia Sanctos semper declarant, plurimos Scotos canonizaverit Rossensis episcopus Gregorio XIII opus suum inscribens. Certe non paucos, ab ipso laudatos, Sanctis adscribere non dubitavit Wion; et qui eum secuti sunt, plusculum ausi, cultus diem, aliamque nonnumquam nominis inflexionem addidere. Et mirantur Scoti æque ac Hiberni, nos in eorum Sanctis admittendis paulo morosiores. Acquiescant, obsecro, satisque esse putent, nos hic sedulo annotasse, quæ de ipsorum* Dimano *eruere potuimus. Cum autem Dempsterus* Dimaum *eumdem ad alium diem, pari, opinor, arbitrio, distulerit, si de gestis, miraculis et cultu distinctior notitia accedat, de vero isto* Dimao *agemus die, quo prædictus Dempsterus eum annuntiat* XVI Novembris.

S. Cæciliæ V. M. translatio *invenitur in additamentis Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum, ut facta* Romæ, *sed de qua agatur, non satis liquet: ceterum hæc disquisitio remittenda est ad diem Sanctæ natalem* XXII Novembris.

S. Adalmannum

A S. Adalmannum *seu* Hildemannum *ex Corbeiense monacho episc. Bellovacensem, sæculo* IX *sub Ludovico Pio celebrem, hic signat Bucelinus, non sine merito elogio: neque adeo miror, inter Sanctos locum ei dari, cum de ipso etiam agant Menardus et Saussayus ad diem* VIII *Decembris, et Mabillonius sæc.* IV *Benedictino,* XI *ejusdem mensis. At nescio quid Bucelinum movere potuerit ut eumdem hoc die referret. A Castellano in Martyrologio universali est in indice, et quamvis apud ipsum etiam positus sit* XI *Decembris, studiose tamen omissum observo* Sancti *characterem, quemadmodum et apud Sammarthanos. Verum res ea huc non spectat, ex professo discutienda* VIII vel XI Decembris. D

DE SANCTO EPAPHRA

EPISCOPO COLOSSENSI ET MARTYRE.

J. B. S.

XIX JUL.

Sanctus hic Colossensis episcopus;

Prima Sancti hujus in sacris Fastis memoria debetur Adoni, Apostolorum festivitates colligenti, quas inter hoc die ei locum dedit his verbis:* Natalis beati Epaphræ, qui a beato Paulo Colossis ordinatus episcopus, clarus virtutibus, martyrii palmam pro ovibus sibi commendatis virili agone percepit; sepultus apud
B eamdem urbem. *Ex hoc fonte sua hausit Usuardus, hausere ceteri omnes qui de ipso meminerunt, cum Baronio in Martyrologio Romano, ut suo loco observavimus. Addidit laudatus Baronius ex epistola infra citanda,* quem S. Paulus Apostolus concaptivum appellat, *cum hac præterea clausula;* cujus corpus Romæ in basilica S. Mariæ Majoris conditum est, id *quod* ex certis ejusdem ecclesiæ veteribus monumentis *se* accepisse *testatur. Notanda item quæ hisce insuper adjungit Petrus in Catalogo;* Epaphras discipulus de septuaginta duobus unus, ut ait Hieronymus; *tum vero:* Hic enim jubente Paulo, verbum Domini Coloscensibus prædicavit. *Horum neutrum probavit Equilinus, neque scimus, ubi ipse apud S. Hieronymum legerit, e septuaginta duobus discipulis* S. Epaphram *fuisse, aut S. Pauli jussu evangelicum ministerium Colossis suscepisse, cujus nullum usquam, quod sciam, exstat vestigium.*

mirifice ab Apostolo laudatur.

2 *Quæ de* S. Epaphra *indubitata sunt, certius accipi non possunt quam ex ipsis Apostoli verbis ita ad Philemonem scribentis:* Salutat te Epaphras concaptivus in Christo Jesu. *Et rursus*
C *in epistola ad Colossenses cap.* I, *ipsorum fidem laudans, ita de ejus primo prædicatore loquitur:* Gratias agimus Deo, et Patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes: audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem quam habetis in Sanctos omnes, propter spem quæ reposita est vobis in cælis, quam audistis in verbo veritatis Euangelii: quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit sicut in vobis, ex ea die qua audistis, et cognovistis gratiam Dei in veritate, sicut didicistis ab Epaphra, charissimo conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu, qui etiam manifestavit nobis dilectionem vestram in spiritu. *Et rursus ejusdem epistolæ cap.* IV: Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper solicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti et pleni in omni voluntate Dei. Testimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro iis qui sunt Loadiciæ et qui Hierapoli.

3 *Ex his manifeste constat,* S. Epaphram *captivum Romæ cum Apostolo fuisse, dum hic epistolam ad Philemonem Colossos mitteret anno Christi* 61. *Item Romæ adhucdum egisse, dum anno sequenti* 62 *ad ipsos Colossenses scripsit. Rursus satis aperte patet, primum fuisse* Epaphram, *qui Colossensibus verbum Domini prædicaverit,* sicut didicistis ab Epaphra, *utrum autem ab ipso Apostolo Paulo, an ab altero eo missus sit, an ultro Evangelium ad suos retulerit, incertum est.* E *Quidni Antiochiæ vel alibi instructus, aut, si ita vis, e septuaginta discipulis unus, ut erat ipse patria Colossensis,* qui ex vobis est *ad populares suos redierit, ibique primam evangelicæ prædicationis sementem fecerit, captus istic fortasse et propter eamdem prædicationem Romam perductus, ubi Apostolum inveniens, ei adhæserit,* concaptivus in Christo Jesu. *Id demum patet, non Colossis solum, sed et Laodiceæ, Phrygiæ metropoli, atque etiam Hierapoli fidem annuntiasse, testimonium perhibente Apostolo,* quod habet multum laborem pro vobis, et pro iis qui sunt Laodiciæ et Hierapoli.

quod variis locis prædicaverit.

Quid de eo tradiderit S. Hieronymus.

4 *Juverit hic audire Hieronymum in epistolam ad Philemonem, novissimæ editionis tomo* IV *pag.* 454. Quis sit, *inquit,* Epaphras concaptivus Pauli, talem fabulam accepimus. Aiunt, parentes Apostoli Pauli de Gyscalis regione fuisse Judææ; et eos, cum tota provincia Romana vastaretur manu, et dispergerentur in orbe Judæi, in Tharsum urbem Ciliciæ fuisse translatos: parentum conditionem adolescentulum Paulum secutum. Et sic posse stare illud quod de se ipse testatur; Hebræi F sunt et ego.... et cetera quæ eum Judæum magis indicant quam Tharsensem. Quod si ita est, possumus et Epaphram illo tempore captum suspicari, quo captus est Paulus, et cum parentibus suis in Colossis urbe Asiæ collocatum, Christi postea recepisse sermonem. *Hæc quanti a S. Hieronymo fiant, pluribus quærendum non est; alia etiam adducit, sed nec ipsa satis clara aut certa; ut necesse sit fateri, valde dubia esse quæ de* S. Epaphra *aliunde quam ex recitatis Pauli verbis conquiruntur.*

Plura alia incerta traduntur.

5 *Si non omnino certum, saltem verosimillimum est, Colossensibus ordinatum fuisse episcopum, cum ipsum* fidelem *pro Colossensibus* ministrum *appellet Apostolus; rursumque post Romanam captivitatem ad suos remeasse, ubi* clarus virtutibus martyrii palmam pro ovibus sibi commendatis, virili agone perceperit, *quamvis unde elogium suum Ado acceperit, plane ignoremus. Non tam facile admiserim ea quæ narrantur in Actis S. Auxibii ad* XIX *Februarii cap.* II, *num.* 8, *pag.* 126. *Citat Ambrosium Baronius in Annalibus ad annum* 60 *num.* 11.

AUCTORE J. B. S.

num. 11, *ut qui et Archippum episcopum fecerit. Ceterum neque de reliquis Sancti gestis, neque de tempore quo in Asiam redierit, neque de annis quibus supervixerit, neque de martyrii genere quidquam præterea traditum accepimus, ut hic plane sistendum sit. Neque a Græcis subsidium accipi potest, utpote qui de* S. Epaphra *neque hoc, neque alio die, saltem quod sciam, meminerint. Quod autem alicubi Copticum quid citatum inveniam pro* VIII *Martii, id apud Ludolfum non exstat, neque tanti est, ut aliunde repetendum existimem.*

Reliquiæ ejus Romam translatæ.

6 *Nihil magis suppetebat, quo in sacras* S. Epaphræ *reliquias inquirerem, nisi me monuisset Piazzæ Hemerologium, ubi ad hanc diem notatur, festum ejus solenniter celebrari in basilica S. Mariæ Majoris in qua corpus requiescit, istuc, ut creditur, delatum a Græcis monachis, sævam impii iconoclastæ Leonis Isaurici persecutionem fugientibus. Ait etiam, partem aliquam reliquiarum in basilica S. Pauli extra Urbis muros existere. Paulus de Angelis in descriptione laudatæ basilicæ S. Mariæ Majoris pag.* 111, *distinctius exprimit, inter plurima alia sacra cimelia, asservari illic,* os tibiæ sancti Epaphræ martyris, qui fuit unus de septuaginta discipulis Domini nostri Jesu Christi. *Utrum alibi etiam venerationi exposita sint ejusdem Sancti lipsana, aliis disquirendum relinquo, neque enim sanctuariorum catalogos omnes percurrere modo lubet, non magno operæ pretio.*

DE SANCTO MARTINO

EPISCOPO TREVIRENSI ET MARTYRE.

Ex Martyrologiis recentioribus.

J. B. S.

CIRCA AN. CCX.

Ex monumentis nec antiquis nec certis

Pridem a *Sammarthanis et vere dictum est,* videri obscuram admodum primis seculis usque ad Agricium, vel parvam omnino in ecclesiasticis Diptychis mentionem episcoporum Trevirensium, quo successio legitima comprobetur. *Quantam et quam laboriosam in ea re operam posuerit noster Henschenius, norunt qui in hoc opere peregrini non sunt. In Exegesi de episcopatu Tungrensi et Trajectensi, præfixa tomo* VII *Maii, intricatissimum negotium diligenter, si quis umquam, versavit, in ipso primo capite novem Tungrenses episcopos ante S. Servatium enumerans, quos Trevirensium Catalogis perperam insertos verosimillime arbitratur. Lis ea necdum plane dirempta est, nec vero ex Trevirensium mente facile dirimetur. Qui episcopos Trevirenses in ordinem chronologicum non ita pridem reduxit e Societate nostra vir eruditus, cujus benevolentia operis ipsius inchoati apographum obtinui, decimum ordine numerat S. Martinum, quem primum ejus nominis vocari cupit, secutus Browerum Annalium Trevirensium libro* III *ad annum* 202 *pag.* 177 *aliosque passim, uti et propria Trevirensium Officia, ubi non ut* martyr, *quod illi probabilissimum sentiunt, sed ut* confessor *hoc die colitur, titulo æque incerto atque est ipse locus ubi episcopalem dignitatem exercuerit, quem utinam ex vetustioribus Martyrologiis paulo certius liceret elicere.*

Martinum signarunt recentiora Martyrol.

2 *Ast horum auctores recentiores sunt, quam ut ex eorum auctoritate quidquam statuere liceat, utpote qui vel Chronico, ab Henschenio sæpe convulso, vel hujusmodi traditionibus adhæreant, ex quibus non nisi ambigua et incerta erui possunt. Expendamus ea quæ ex auctore Florarii Ms., vel forte ex Adonis appendice primum profluxisse videntur.* Apud Treverim, beati Martini episcopi et martyris. *Editio Lubeco-Col. legit* Treveris. *Grevenus habet :* Treviris, beati Martini primi ejusdem urbis episcopi et martyris. *Molanus vero (quem hic sequitur Canisius) in eo discrepat, quod* decimum *episcopum numeret, ex quo Sanctum istum se accepisse fatetur Baronius, in notis nonnulla observans quæ admitti nequeant. Sic habet :* Diversus hic ab illo qui successit Agritio, qui interfuit concilio II Arelatensi, præcessitque S. Maximinum, qui reperitur inter Patres qui præsentes fuerunt concilio Agrippinensi, et sedit circa ultima tempora Constantini, numeraturque XXV ejus sedis episcopus in tabulis a Demochare descriptis : hic autem decimus ponitur. *Displicet, quod Baronius Agritio successisse velit sanctum aliquem Martinum quem Trevirenses non agnoscunt, utpote quibus certum est Maximinum ipsum Agritio substitutum fuisse : quem ipsi Martinum II appellent, habes in indice Broweri chronologico.*

etiam cum elogus.

3 *Utut ea habeant, ex dictis patet, recentioris ævi esse omnes qui de* S. Martino *Trevirensi scripsere, quibus addi potest Galesinius paucis eum memorans ; item breve elogium Constantini Ghinii :* Treviris, S. Martini episcopi et martyris, qui Moysi succedens et Anastasium præcedens, decimus ejusdem sedis adnumeratur antistes. *Multo elegantius sua expressit Saussayus hac paraphrasi :* Treviris, natalis S. Martini, sedis illius archiepiscopi et martyris, qui Moysi locum auspicato replens, ad Dei beneplacitum illam ecclesiam rexit, inque populi sibi crediti perturbatione ab impiis excitata, magnis laborum contentionibus ad eum confirmandum perfunctus, tandem pro fide ipsa, et ecclesiæ sibi commissæ tutela, insigni dimicatione pontificatum absolvit, destinataque a Rege gloriæ strenuis pietatis pugilibus præmia cumulate adeptus est. *Castellanus ad Romani annuntiationem notulam adjicere non dubitavit, qua aperte insinuat, verosimillime* Martinum *hunc eumdem esse cum Tungrensi, de quo pridem egit Henschenius ad* XXI *Junii ; quod licet et nobis ferme videatur, hic tamen tamquam diversum ex citatis Martyrologiis referimus* Martinum *istum* primum, *qui a Tungrensi lineamentis saltem aliquibus discernitur. En modo ex Proprii Trevirensis Lectionario, anno* 1645 *edito, lectionem tertiam, præter quam de Sancto nihil traditum novimus.*

Quæ de eo habet Lectionarium

4 XIX Julii. S. Martini episcopi et confessoris Trevirensis. Lectio III. Martinus episcopo Moise defuncto, decimus in ordine Trevirensium antistitum episcopali sedi præficitur, in maximis Ecclesiæ perturbationibus et periculis ; eo tempore quo Septimius Severus

A verus ad cædes, strages et ruinas innocentium Christianorum sanguinarius prosiliit: adeo ut nonnullis in locis, dum sanctissimi pontifices ad martyrii certamen provocarentur, omnis ætas atque sexus. cum omni fere civitatis suæ populo, ad dulcissimos Christi amplexus per inaudita tormenta pro fide perpessa, properaverit. Horum Martyrum cœtui Martinum apud Treviros in Belgica adlegendum esse, constans est traditio, qua eumdem anno Christi ducentesimo decimo, XIV Kal. Augusti exstinctum colimus. *Ætatem Sancti, æque ac reliqua, incertam esse, jam satis diximus: epocha martyrii ex Broweri conjectura accepta est, dicto supra Annalium Trevirensium lib.* III, *num.* 10; *at de die natali nihil habuit ipse quod statueret, ut pro mero libitu huic affixa sit festivitas; nisi forte translatio aliqua indicetur, qualem, nescio unde, retulere additiones Mss. Cartusiæ Bruxellensis ad Grevenum die* VII *Junii, ut istic habes in Prætermissis. Neque plura occurrunt quæ de* S. Martino *Trevirensi tuto commemorentur.* AUCTORE J. B. S.

DE SS. JUSTA ET RUFINA

VIRGINIBUS ET MARTYRIBUS

HISPALI IN HISPANIA.

SYLLOGE HISTORICA.

G. C.

B

§I. Sanctarum cultus, templa, reliquiæ et miracula.

E

CIRCA FINEM SÆC. III. *Probatur Sanctarum cultus.*

Hac die plerique Martyrologi de Sanctis hisce sororibus meminerunt. Hieronymiana apographa ita corrupta sunt, ut fere divinandum sit, an unam ex his duabus Martyribus designare velint: etenim codex Lucensis ita legit: In Spania natalis sancti Justi. *Antverpiensis sic habet:* In Spanis Justæ. *Corbeiensis autem ita enuntiat:* In Hispaniis natalis sanctæ Justæ. *Cum ubique omittatur* S. Rufina, *quæ in aliis Martyrologiis cum sorore sua conjungitur, dubitari posset, an codex Lucensis sanctum quemdam Hispanum nomine Justum indicare voluerit. Notkerus certe Justum Hispanum ab Hispalensi Justa distinguit his verbis:* XIV Kal. Augusti in Hispaniis natalis sancti Justi, et in civitate Hispalensi sanctarum Justæ et Rufinæ. *Deinde illarum martyrium ex Adone transcribit. Ast isti Notkeri distinctioni acquiescendum non est, cum supra ostensum sit, hac ipsissima die duos Justos a Notkero in Hispaniis collocari*; *quod quam sit verosimile, vel* C *Hispani ipsi satis docent. Nunc certas veterum Martyrologiorum annuntiationes proferamus.*

et antiquis Martyrologiis

2 *Romanum parvum, quod Rosweydus noster edidit,* XIV *Kalendas Augusti sanctas Martyres illas sic brevissime annuntiat:* Hispali SS. Justæ et Rufinæ. *Ado ab eodem Rosweydo editus synopsin martyrii ita refert* XIX *Julii:* Eodem die Hispali apud Hispaniam natatis SS. Justæ et Rufinæ, quæ a Diogeniano præside comprehensæ, equulei extensione et ungularum laniatione vexatæ sunt, dein trusæ sunt in carcerem, inedia et doloribus afflictæ. Post hæc jussit præses, ut quocumque iret, ipsæ nudis pedibus sequerentur. Tandem Justa in carcere spiritum exhalavit. Corpus ejus in puteum projectum, et a Gabino * episcopo levatum, in Hispalensi cœmeterio conditum est. Rufinæ cervix confracta, et corpus ejus igni traditum, cujus reliquiæ a fidelibus curatæ sunt. *Usuardus Adonem contraxisse videtur hoc modo:* In Hispania civitate Hispali, passio sanctarum Justæ et Rufinæ, quæ a præside Diogeniano comprehensæ, primo equulei extensione et ungularum laniatione vexatæ sunt; post carcere, inedia et doloribus afflictæ, tandem Justa in carcere spiritum exhalavit; Rufinæ cervix confracta in confessione est. *Martyrologium Romanum, quo hodiedum utimur, eadem fere ex Usuardo desumpsit. Non lubet hic Maurolycum, Ferrarium, Galesinium aliosque recentiores Martyrologos adducere, qui Adonis aut Usuardi phrasin imitati sunt. Neque opus est exscribere varia Usuardinorum codicum auctaria, quæ in Usuardo nostro illustrato videri possunt.*

* al. Sabino

3 *Antiquum harum Martyrum cultum probat Breviarium Gothicum, nunc vulgo Mozarabicum, in quo solenne earum Officium celebratur. Anno* 1722 *Toleti ex præfato Breviario descripsi aliquot hymnos, qui obscuro et luxato stylo nunc unius nunc utriusque Virginis res gestas narrant, atque inter alia testantur, eas fictilia vasa vendidisse, ut pauperes alerent. Non judico, hos hymnos forte cum lectoris tædio hic exhibendos esse, præsertim quia apud Tamayum in Martyrologio Hispanico inveniri possunt.* F *In eodem Breviario Mozarabico præter varias orationes communes legitur hæc collecta propria:* Deus, qui virginalis pudicitiæ titulo, passionis vexillo beatas virgines et martyres tuas Justam et Rufinam glorificasti: da nobis sic sacræ castitatis floribus exornari, ut cum fructu bonorum operum supernæ beatitudinis attingamus consortium. Amen. *Postea recitatur sequens oratio de* S. Rufina, *quæ eam leoni objectam fuisse affirmat, quamvis id Acta non exprimant:* Domine Jesu Christe, cujus imperio rabidissimus leo non solum a nece beatissimæ virginis et martyris Rufinæ abstinuit, verum etiam, feritate deposita, immaculatum corpus odoratus præsenti molestia contingere non præsumit: præsta nobis, ut nitore tui sancti Spiritus circumsepti, immanitatem non timeamus leonis horrendi. sed majestatis tuæ virtute repulsus, semper a læsione nostra maneat alienus. *Breviarium Burgense anni* 1502, *Eborense anni* 1548, *aliaque Officia Hispanica easdem Sanctas solenni ritu colunt, et in lectionibus propriis narrant earum*

ac Breviariis.

AUCTORE G. C.

rum Acta, quæ paragrapho sequenti nonnihil elucidabimus. Interea de posthuma harum Martyrum gloria, reliquiis, et miraculis hic pauca addamus.

Hispalis, aliæque urbes sacras ædes hisce Martyribus erexerunt.

4 Ambrosius Morales in Chronico generali Hispaniæ tomo I, lib. x, cap. xvi, Franciscus de Padilla in Historia ecclesiastica Hispaniæ parte I, centuria III, cap. XXI, Antonius de Quintanadueñas noster in opere de Sanctis Hispalensibus a pag. 77, aliique scriptores Hispani testantur in Hispania etiamnum exstare varia sacra monumenta, quæ ob harum Martyrum memoriam in summa veneratione habentur. Ex iis quædam enumeremus. Imprimis extra muros Hispalenses circa portam Cordubensem cernitur pratum S. Justæ, in quo sacellum ejus nomini dedicatum est. Aliqui dicunt, Sanctas illic habitasse; alii tamen existimant, eas ibi sepultas fuisse. In monasterio sanctissimæ Trinitatis ostenditur carcer, in quo sanctæ Virgines detentæ fuerint. Est autem profunda caverna, in qua etiam monstratur puteus, in quem S. Justa post mortem dejecta fuisse dicitur. Multi ægroti magna cum fiducia hujus putei aquam bibunt. Extra alteram urbis Hispalensis portam prope fluvium conspicitur xenodochium, sanctarum Justæ et Rufinæ nomine insignitum. Fertur illud ibi ædificatum fuisse, quia eo loco sanctæ Virgines vasa vendidisse, et idolum repulisse creduntur. Hæc relinquimus piæ traditioni Hispalensium, qui annuam patronarum suarum festivitatem devote celebrant. In aliis urbibus etiam inveniuntur sacræ ædes, ad posthumam harum Martyrum gloriam exstructæ. Andreas Resendius in epistola ad Bartholomæum Kebedium asserit, olim Ulyssipone fanum SS. Justæ et Rufinæ ædificatum fuisse. Jam dedimus in Actis nostris ad diem XXII Januarii occasione translationis S. Vincentii martyris partem istius epistolæ, ex qua colligitur, prædictam ædem sacram jam a sæculo XII Ulyssipone celebrem fuisse. Oriola, urbs Valentiæ in confinio Murciæ sita, habet etiam insignem harum Martyrum ecclesiam, quæ in earum honorem constructa est, eo quod Christiani die ipsis sacra illam urbem jugo Maurorum liberaverint. Denique ego ipse Toleti ingressus sum templum S. Justæ, quod est unum ex septem Mozarabicis ecclesiis, quæ tempore Maurorum Christiano cultui concessæ fuerunt.

et certatim illarum corpora sibi vindicant,

5 Hispalenses sibi firmiter persuadent, sese S. Justæ corpus, et sacros S. Rufinæ cineres possidere, quamvis certo non sciant, in qua urbis parte quiescant. Videamus tamen, quid alii de sacris istarum Martyrum reliquiis senserint. Rodericus Toletanus lib. VI de Rebus Hispaniæ cap. XIII ita scribit: Postea (nempe Ferdinandus rex Castellæ et Legionis) adeo regem Hispalis infestavit, ut corpus beati Isidori permitteret inde levari, quod a duobus episcopis, Alvito Legionensi et Ordonio Astoricensi, multis miraculis coruscantibus translatum est ab Hispali Legionem. Aliqui dicunt, corpus beatæ Justæ cum corpore beati Isidori tunc translatum. Huic aliquorum opinioni manifeste repugnat Historia translationis S. Isidori, quam dedimus tomo I Aprilis a pag. 353: in ea quippe cap. II diserte narratur, quomodo corpus S. Justæ Hispali remanserit. Tunc Rodericus subjungit sequentia, quæ Hispalensibus non magis grata sunt: Sed quia nostris temporibus corpora sanctarum Justæ et Rufinæ revelatione ostensa per Petrum Fernandi nobilem principem sunt translata ad regale monasterium prope Burgis, ego nolo (definire) sed diffiniat, qui præsumit. Rodericus Toletanus hic indicat illustre Ordinis Cisterciensis monasterium, vulgo Huelgas de Burgos dictum, de cujus situ, fundatione, ac privilegiis Angelus Manrique in Annalibus Cisterciensibus ad annum Christi 1187 cap. IX, consuli potest. Thomas de Trugillo in Thesauro concionatorum tom. II, col. 1266 narrationem Toletani præsulis confirmat his verbis: Reperiuntur vero corpora harum Sanctarum in regio monasterio de las Huelgas nuncupato, dicunturque revelatione divina illuc allatæ fuisse pretiosissimæ istæ reliquiæ per Petrum Fernandum de Castro, qui suo nomine Castellanus appellabatur.

6 Idem Trugillus loco proxime citato aliam de horum corporum translatione opinionem sic proponit: Nonnulli censent in destructione et devastatione Hispaniæ fuisse allata sanctissima hæc corpora in locum quemdam, qui dat nomen ipsis Asturiis prope Santillana; qui locus continet ingentem quamdam rupem in mare ipsum ingredientem, ubi etiam est quoddam templum, intusque est spelunca quædam. Cumque habitatores illius loci nomen sortiantur sive invocationem harum gloriosarum Sanctarum, affirmant, ibi esse corpora harum Sanctarum. Fieri quidem potest, ut aliquando ibi manserint sanctissima hæc corpora, et quod postmodum eques ille Ferdinandus, quem diximus, ea transferret ad prædictum locum, relinqueretque ibi aliquas reliquias hic gloriosus eques, quem archiepiscopus Rodericus in sua Historia PRINCIPEM appellat. Est autem Santillana (Latine melius dicitur fanum sanctæ Julianæ) oppidum Hispaniæ in Asturiis prope oram littoralem maris Cantabrici situm, et quinque leucis a fano sancti Andreæ distat. In mappis geographicis inter utrumque hoc fanum fere medius notatur pagus; qui S. Justæ nomine insignitur. Vix dubitarem, quin de eo ipso Trugillus sermonem instituat, nisi Ambrosius Morales diceret, locum hisce sanctis Martyribus sacrum tantummodo media leuca a fano S. Julianæ distare. Quidquid sit de hujus loci situ, hactenus disceptatur de ferme integris harum Virginum corporibus, quorum etiam partem sibi alii vindicant, ut jam videbimus.

aut saltem eorum parte gloriantur.

7 Alphonsus Morgardo in Historia Hispalensi lib. IV, cap. IX, et Vincentius Blascus de la Nuza in Historia Aragonensi lib. V, cap. XXI asserunt, in monasterio de Sixena, quod sæculo XII monialibus Ordinis S. Joannis Hierosolymitani in confinio Aragoniæ et Catalauniæ fundatum est, capita SS. Justæ et Rufinæ magna cum veneratione conservata fuisse. Ambrosius Morales loco jam citato affirmat, Cartusianos non procul ab oppido Septimacensi in regno Legionis etiam notabiles harum Martyrum reliquias venerari. Denique Quintanadueñas noster in opere Hispanico supra laudato pag. 78 narrat, occupata a Mauris Hispali, caput S. Justæ, et os quoddam S. Rufinæ in Belgium missa, et in diœcesi Leodiensi publicæ venerationi exposita fuisse. Dein addit, easdem reliquias, authenticis testimoniis munitas, postea Hispalim relatas fuisse. Quid de tota hac reliquiarum controversia judicandum sit, ignoro. Placet hic illud Tamayi, qui post indicatas varias de hac re opiniones ita concludit: Quid tenendum? Deo relinquamus, quod investigare non possumus. Utinam iste auctor eam regulam in toto suo Martyrologio Hispanico observasset. Nunc de miraculis aliqua breviter perstringamus.

8 Quam

8 *Quam potens sit harum Martyrum patrocinium, Trugillus sic generatim exponit:* Multa porro miracula et beneficia harum Sanctarum intercessione divinitus impetravit Hispania, cum a Saracenorum jugo liberabatur. Tota etiam Hispalis se devotissimam profitetur harum Sanctarum, quarum precibus multa quotidie a Domino beneficia reportat. *Jam sæpe laudatus Ambrosius Morales singillatim narrat, quomodo anno* 1172 *die* S. Justæ *Opta, Castellæ novæ urbs, obsidione Maurorum prodigiose liberata fuerit. Dein addit, Oriolam, de qua supra memini, etiam festo harum Martyrum Mauris ereptam fuisse. Quintanadueñas noster recentiora quædam refert miracula; ac primo quidem exponit, quomodo cives Hispalenses anno* 1568 *peste afflicti opem sanctarum Patronarum suarum imploraverint, et ipso illarum festo subitum contagiosi morbi levamen experti fuerint. Narrat prætera, quomodo anno* 1571, *cum agri maxima aquarum penuria laborarent, copiosus imber deciderit, simulatque Hispali imagines* SS. Justæ et Rufinæ *in supplicatione circumlatæ fuissent. Recentiore demum miraculo narrationem suam concludit. Cum anno* 1626, *inquit, inundatio civitati Hispalensi magnum damnum intulisset, et majorem ruinam minitaretur, furentibus aquis oppositæ fuerunt sanctarum Martyrum reliquiæ, quæ aquarum violentiam statim cohibuerunt. Nunc superest, ut Acta nonnihil illustremus.*

§ II. Virginitas sanctarum Martyrum asserta, et loca quædam Actorum illustrata.

P*lurimi scriptores, quos laudatus Antonius de Quintanadueñas in libro Hispanico de sanctis Hispalensibus pag.* 82 *et* 83 *longo ordine enumerat, res gestas harum Martyrum litteris consignarunt. Vincentius Bellovacensis in Speculo historiali lib.* XIII, *cap.* XXXIV *Acta earum satis fideliter tradit, illasque titulo* virginum *donat. Quare miror, quod a Petro de Natalibus lib.* VI, *cap.* CXVII *appellentur* matronæ; *quæ vox feminis matrimonio junctis tribui solet. Hinc forte Joannes Maldonatus in Actis apud Surium editis, eas vocat* matres familias. *At ego potius crediderim, eas fuisse virgines, eo quod antiquissimum Officium Mozarabicum, a multis S. Isidoro Hispalensi adscriptum, illas in orationibus, quas numero præcedenti dedimus, diserte* virgines et martyres *appellet. Hymnus ejusdem Officii ipsis eumdem titulum tribuit in sequentibus versiculis.*

En Justa pariter atque Rufina est,
Quæ clarent meritis, moribus inclytis:
Discreto siquidem nomine virgines,
Uno sed studii munere martyres,
Thesaurum Domini, legibus inclytæ,
Vasis fictilibus corporis unice
Gestantes, pretio vascula distrahunt,
Quo quæstu satient viscera pauperum.

10 *Cetera Acta omnia ferme inter se conveniunt, et sincera apparent, ita ut parum intersit, ex quocumque scriptore ea exhibeantur. Cum tamen Vincentius Bellovacensis sit antiquissimus, qui integra illarum Acta dedisse reperitur, ea transcribo ex ipsius Speculo historiali lib.* XIII, *cap.* XXXIV, *ubi leguntur sequentia:* In civitate Hispali regionis Hispaniæ, passio sanctarum virginum Justæ et Ruffinæ. Hæ cum essent mediocri paupertate tenues, erat illis usus mercandi fictilium vasculorum, ex quo quæstu indigentium inopiam saturabant, sibique tantum, quod ad victum et vestitum necessarium esset, procurabant. Orationi quotidie insistebant, caste religioseque viventes, bene patientes, et domus suæ curam agentes. Cumque distrahendorum vasculorum curam gererent, accurrit nescio quod execrabile monstrum et immane portentum, quod perditorum turba gentilium SALAMBONEM vocant, postulans ab eis aliquod utensilium sibi dari. Quæ cum resisterent, ac dare nollent, dicentes se Dominum Jesum Christum colere ac credere, non idolum illud, quod nec viveret nec sentiret, mulieres nobiles, quæ portabant idolum illud in humeris suis, dejecerunt illud a se turbulenter, ita ut omnia sanctarum Virginum vascula confringeret penitus et contereret.

11 At illæ non damno paupertatis commotæ, sed ad destruendum tantum dedecoris malum repulerunt idolum; quod statim ad terram prostratum corruit comminutum: tunc quasi sacrilegium commisissent, gentiles eas morti obnoxias exclamabant. Igitur a Diogeniano comprehensæ, primo equulei extensione, et ungularum laniatione vexatæ sunt; postea carcere, inedia, et doloribus afflictæ. Post aliquantos vero dies, cum ad Momentoniariam locum * præses ire disposuisset, jussit eas per aspera et confragosa loca post iter suum pedibus properare. At illis nihil durum, nihil asperum videbatur, sed quasi totum iter peractum subtus se pulverem conculcabant. Tandem Justa in carcere exhalavit spiritum, cujus corpus præses in puteum jussit præcipitari: sed religiosus antistes Sabinus e puteo sublatum honorifice sepelivit. Ruffina vero, quæ in carcerem * remanserat, jussu præsidis fractis cervicibus et gula, devotum Deo spiritum emisit, cujus corpus igne combustum, digna honorificentia sepultum est. Harum passio celebratur XIV Kal Augusti. *Nunc in his Actis aliqua illustranda sunt.*

12 *Recentiores scriptores Hispani passim martyrio harum Virginum annum* 287 *assignant. Surius tamen ad earum Acta annum* 300 *in margine notavit. Quidquid sit de determinato martyrii anno, saltem circa hæc tempora eas passas fuisse, colligo ex nomine Sabini Hispalensis episcopi, qui anno* 285 *Hispalensem cathedram ascendit, et anno* 303 *subscripsit concilio Illiberitano, uti docet eminentissimus Cardinalis de Aguirre in collectione Maxima conciliorum Hispaniæ tom.* 1, *pag.* 297. *Labbeus noster tom.* I *Conciliorum col.* 980 *contendit, synodum Illiberitanam anno Christi* 305 *habitam fuisse. Verum hæc discrepantia ad propositum nostrum parum facit, cum inde certum passionis annum eruere non possimus. Neque certus omnino est martyrii dies, quamvis in fine Actorum dicatur illarum passio celebrari* XIV Kal. Augusti. *Etenim Quintanadueñas prædictus in opere Hispanico supra citato pag.* 76 *observat, Hispali ac alibi harum Martyrum festum coli die* XVII *Julii; in aliis vero ecclesiis eas die* XIX *ejusdem mensis honorari. Deinde addit, sese non aliam hujus discriminis causam assequi posse, quam quod Justa die* XVII *et ejus soror Rufina* XIX *ejusdem*

AUCTORE G. C.

transcribuntur.

* Mombrit. lucem

* lege carcere

Epocha martyrii præterpropter ex Actis eruitur,

B C E F

AUCTORE G. C.

dem mensis martyrium subierint. Hanc conjecturam, non incongrue excogitatam, lectoris judicio relinquimus.

et obscuriora Actorum,

13 *Eadem Acta idolum, cujus occasione hæ sanctæ Sorores fidem Christianam aperte professæ sunt, vocant* Salambonem. *Breviarium Burgense, anno* 1502 *impressum,* Salambovem *appellat. Lectiones Breviarii Eborensis de eodem idolo, una littera prætermissa, sic loquuntur :* Postulabant vas aliquod in Dei Salabovis usum sibi offerri. *Quamvis in his lectionibus nomen* dei *idolo isti tribuatur, plerique tamen existimant, hac aut simili voce ab Assyriis significari deam Venerem juxta illud Hesychii* Σαλαμβὼ ἡ Ἀφροδίτη παρὰ Βαβυλωνίοις, Salambo venus est apud Babylonios. *Varii variam ejus nominis etymologiam tradunt. Luisius Tineo Præmonstratensis apud Tamayum putat, scribendum esse* Salambovem *vel* Salamboa, *et vocem ex Græca origine deducit* ἀπὸ τοῦ σαλαϊζεῖν * καὶ ἀπὸ τοῦ βοῦς, *hoc est,* a plangendo bovem, *quia Venus planxit interfectum Apim seu Osiridem, qui in bovis speciem transformatus postea apparuit. Seldenus tamen in Opere de Diis Syris syntagmate* II, *cap.* IV *hanc etymologiam explodit, putatque* B *illud nomen e Syrorum idiomate prodiisse. Scriptores Hispani utcumque explicare conantur, quomodo hæc peregrina superstitio Hispaniam pervenerit. Sed hæc omnia ad institutum nostrum parum pertinent : nobis enim sufficit, fuisse quoddam idolum, quod hæ sanctæ Heroinæ venerari noluerunt.*

* lege σαλαΐζειν

loca examinantur.

14 *Occurrit in iisdem Actis locus, quem Vincentius Bellovacensis* Momentoniariam *appellat, et ad quem properantem præsidem sanctæ Virgines pedibus sequi debuerunt. Petrus de Natalibus* D *lib.* VI, *cap.* CXVII *locum non exprimit, sed tantum dicit :* Inde quoque eductæ, cum præses ad partes alias iter arriperet, per loca aspera et confragosa nudis pedibus post eum trahuntur. *Lectio autem septima Breviarii Eborensis ita hanc rem narrat :* Eductæ de carcere sanctæ Virgines, cum Diogenianus ad Montes Marianos iter arriperet, per loca aspera et confragosa nudis pedibus post eum trahuntur, coactæ sequi præsidem, donec ad civitatem rediit. *Non reperio, ubi fuerit ille locus, quem Vincentius Bellovacensis et Mombritius* Momentoniariam *nominant. Notiores sunt montes Mariani, vulgo nunc dicti* la sierra Morena, *quamvis de ipsorum extensione inter auctores non conveniat, ut videri potest apud Christophorum Cellarium in Notitia orbis antiqui tom.* I *lib.* II, *cap.* I, *pag.* 63. *De iis Ambrosius Morales in Hispania illustrata editus tomo* IV *pag.* 359 *in descriptione Cordubæ sic meminit :* Qua vero parte Septemtrionem Corduba spectat, posita est ad ipsas Marianorum Montium radices, quos nunc Hispani, prisco nomine corrupto, Sierra Morena, hoc est Morenos Montes dicimus. E Ea vero horum montium pars, quæ Cordubæ imminet, aut saltus Castulonensis est portio, aut cum eo ad ortum conjungitur. In his montibus, auctore Plinio, Bæturia regio, a Bæti flumine nomen accipiens, in duas regiones divisa, ad Anam usque fluvium excurrit. *Atque hæc sunt præcipua, quæ in Actis harum Sanctarum observanda esse censui.*

DE SANCTA DARIA

CONSTANTINOPOLI.

Ex Martyrologiis.

J. B. S.

XIX JULII.

Sancta Cpoli asseritur,

C *Disertissime signatur hæc S.* Daria *in apographis Hieronymianis Lucensi, Corbeiensi, Blumiano, atque in nonnullis minoribus, expressa etiam positione,* Constantinopoli, natalis S. Dariæ, *a quorum lectione differt hic vetustissimum Epternacense, scribens* Daretiæ ; *at confusionem in eo agnoscere oportet, dum Constantinopoli cum sua* Daretia *martyres alios conjungit, qui certo Antiochiæ tribuendi videntur, ut infra explicabimus. Neque dici omnino potest, hic* Dariam *aliquam intelligi, quæ aliunde nota sit, ut est illa quæ Nicandro jungitur* XVII *Junii, aut quæ Chrysantho* XXV *Octobris, aliis diebus in Hieronymianis celebrata. Neque additititiam esse de* S. Daria *annuntiationem, etiam ostendit codex, quem præ oculis habuit Notkerus, ubi clare exprimitur ;* Constantinopoli, Dariæ, *quemadmodum et Florarium Ms. legit ; tum Editio Lubeco Col. et Grevenus, in quibus titulus* Virginis *adjicitur : Maurolycus vero simplicius scripsit quod in Hieronymianis invenerat. Atque hæc abunde demonstrant,* S. Dariam *hanc qualemcumque e Sanctorum serie non esse excludendam, quidquid præter solum nomen, et martyrii palmam, cetera omnia de ipsa ignorentur.*

tametsi Græci de ea non meminerint.

At Græci, inquies, in sacris suis Fastis nusquam de S. Daria *meminere, quod in Menologio aut Menæis omissuri fuisse non videntur, si* F *Constantinopoli vere umquam culta fuisset. Non ferit ea objectio eos qui noverunt, quod Græci seu Orientales martyres et virgines in codicibus Hieronymianis passim referantur, de quibus apud Græcos nulla prorsus facta est in Menæis, Menologiis aut Synaxariis, utpote satis sero compositis, usquam commemoratio, id quod nullo non Actorum nostrorum die, ab hujusmodi rerum curiosis observari potest. Hæc omnia non ignoravit Castellanus, neque tamen in Martyrologio suo universali hujus diei Sanctis* S. Dariam *annumerare ausus videtur ; in indice* Daretiam *signans, hoc quodammodo die recolendam, quam nihilominus omissam indicat : justo sane scrupulosior, dum a Coptis et aliis Sanctos accersere non est veritus, de quibus dubitare ipsum magis oportuit, quam de* S. Daria *in tot Martyrologiis et tam expresse consignata, quidquid, ut iterum dicam, præter solum nomen nihil de ea amplius memoriæ proditum inveniatur.*

DE

A D

DE SANCTO SISINNIO MARTYRE

ALEXANDRIÆ.

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

..1 JULII.

Legerat in codice suo Lucensi seu Fontanellensi hoc die *Florentinius*, In Alexandria, natalis Sanctorum Sisinni, *unde spem ait sibi factam, socios aliquos in aliis libris designatum iri; in quo eum, ut candide fatetur, spes sua fefellit. Melius, opinor, conjectasset, codicis istius descriptorem invenisse litteram* S *pro* sancti *innexam cum prima nominis* Sisinnii, *unde fortasse* S *triplex convolutum existimaverit, atque ex duobus primis formaverit* sanctorum. *Certe codex vetustissimus Epternacensis simpliciter habet,* In Alexandria, Sisinni, *quem feminina inflexione extulit Corbeiensis, contra quam legant etiam Notkeri codices, et contracti omnes (quorum duo* Sisinnium *pridie perperam retulerunt) quibus addi possunt Bedæ auctaria. De lectione igitur dubitandum non est; quæri solum posset, an hodiernus* Sisinnius *cum alio synonymo confundendus non sit, utpote sub quo nomine diversi quatuor in Romano annuntiantur, multo autem plures in Hieronymianis. Ast Alexandrinos Sancto suo privandos non video, donec argumenta solida adducantur, e quibus constet, nostrum hunc* S. Sisinnium *cum altero aliquo identificandum, sive is Alexandrinus sit, sive loci alterius.*

B E

DE SS. MARTYRIBUS ANTIOCHENIS

MACHADORO, LAMPADIO, LUCIANO, PHILIPPO, PETRO, TORQUATO, ET FORTASSE TINNINIO ET JOCIO.

Ex Hieronymianis.

J. B. S.

III JULII.

S*ex Pugilum classem accipio ex codice Lucensi, cui satis consonat Corbeiensis, nisi* Tinninium *et* Jocium *adjiceret, quos, ab aliis præteritos, ut dubios dumtaxat admisi. In vetustissimo Epternacensi, ut supra innuimus, luxatæ et transpositæ sunt annuntiationes : scribit enim,* Et Antiochiæ, Macedonis et Lampadi; *deinde,* Constantinopoli, Daretiæ, Luciani, Philippi, Petri, Torquati; *ubi et alii codices, æque ac illi, quos vidit Notkerus,* Lucianum *et reliquos Antiochiæ constanter adscribunt. Ex minoribus apographis, hic nimium contractis atque etiam distortis, nihil in utramvis partem subsidii. Scripsi* Machadori *cum Lucensi, potius quam* Macharii *aut* Macedonis, *quod laterculus iste ceteris purior videatur, unde et* Lampadius *desumptus est, non* Lampas, *ut male legitur in Florentinii Corbeiensi, cujus* Tinninius *et* Jocius *an satis tuto signari possint, jam fassus sum, incertum esse. In hanc tamen partem, quam in aliam peccare malui.*

C F

DE SANCTO RITICIO VEL RETHICIO

EPISCOPO ÆDUENSI

AUGUSTODUNI IN GALLIA.

SYLLOGE HISTORICA.

Sancti cultus, scripta et Acta.

G. C.

POST ANNUM CCCXIV. ...ltus Sancti ...s ex Breviario Æduensi.

A*ugustodunum antiqua Æduorum civitas, in Gallia et hodierno Burgundiæ ducatu ad fluvium Arotium sita, sanctum suum præsulem* Rethicium *hoc die veneratur, cumque colit Officio ecclesiastico, cujus propriæ Lectiones fere verbum de verbo desumptæ sunt ex elogio seu Vitæ compendio, quod Gregorius Turonensis texuit, quodque nos paulo post huic syllogæ historicæ inseremus. Mirum sane est, hujus sancti Viri memoriam, a veteribus Ecclesiæ patribus celebratam, apud classicos Martyrologos non reperiri. Ado quidem in Chronico ad annum Christi* 306 *de illo sic meminit :* Retius Augustodunensis episcopus celeberrimæ famæ habetur; *sed in Martyrologio suo ipsum prætermisit, uti et alii hagiologi eum secuti. Primam hujus sancti Antistitis annuntiationem tantummodo invenio in additionibus Usuardinis, a Molano editis, ubi ad diem* XXV *Julii ita refertur :* Civitate Æduensi, sancti Reticii confessoris, ejusdem civitatis episcopi. *Castellanus in suo*

AUCTORE G. C.

suo Martyrologio universali illum memorat XV *Maii, quo die illum inter prætermissos posuimus, et ad* XIX *Julii distulimus.*

et recentioribus Martyrologus.

2 *Saussayus in Martyrologio Gallicano hac die eumdem Episcopum prolixiori exornat elogio, quod hic ita transcribo :* Augustoduni Æduorum, sancti Rethicii episcopi et confessoris, doctrina, moribus, et sanctorum patrum elogiis clarissimi, quem sanctus Augustinus hominem Dei episcopumque magnæ in Ecclesia auctoritatis commemorat : sanctus Hieronymus celeberrimæ famæ fuisse in Galliis habitum prædicat ; virum eloquentem, Scripturæ sacræ laudat egregium explanatorem, interque ecclesiasticos scriptores insigni cum præconio annumerat : nec non beatitudinis adhuc viventem titulo cohonestans, commentaria ejus, quæ sublimiori sensu scripta ait, suis clientibus suadet pervolvenda. Hic certe beatus Antistes tertius in episcopali cathedra hujus ecclesiæ sedit : iisque temporibus præfuit, quibus doctrina sua et sanctitate admirabili non Galliæ modo, sed et universo orbi Christiano plurimum profuit, strenuus B assertor pietatis, vindex fidei, hæreseωn malleus, clarum sidus religionis emicuit. Idemque ob integritatis et sapientiæ famam judex inter alios primariæ notæ antistes * in causa Cæciliani et Donatistarum sedit : Romamque semel et iterum ad Sedem Apostolicam perrexit, profligandi ipsorum Donatistarum, qui et Montenses dicti sunt, schismatis studio. Demumque uberrimis justitiæ collectis manipulis, ut repositam reciperet a pastorum Principe fidelis servus coronam, carne exutus, spiritum miris ornatum meritis in cælum emisit. *Nescio, unde Saussayus didicerit, quod Hieronymus Rethicium* adhuc viventem *beatitudinis titulo cohonestarit. non enim verosimile est, hunc sanctum Præsulem, jam ab anno* 313 *contra Donatistas in Romano concilio adhibitum, vitam protraxisse usque ad annum* 366, *circa quem Hieronymus scripsit epistolam, in qua* Rethicium *titulo* beati *exornat. Hæc de cultu apud recentiores invenio ; nunc Sancti nostri scripta et Acta* C *ex veteribus discutiamus.*

* *forte antistites*

Scripta illius recensentur a SS. Hieronymo et Augustino ;

3 *Hieronymus Sanctum nostrum in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum ita collocat :* Rethicius Eduorum, id est Augustodunensis episcopus, sub Constantino celeberrimæ famæ habitus est in Galliis. Leguntur ejus commentarii in Cantica Canticorum, et aliud grande volumen adversus Novatianum ; nec præter hoc quidquam ejus operum reperi. *Præterea in epistola ad Florentium, quæ in novissima editione Parisiensi est ordine* 4, *alias* 6, *de ejusdem scriptis ita meminit :* Ob hoc et ego obsecro, et tu petas plurimum, quæso, ut tibi beati Reticii Augustodunensis episcopi commentarios ad describendum largiatur, in quibus Canticum Canticorum sublimi ore disseruit. *Augustinus lib.* I *contra Julianum cap.* VII *ejusdem Præsulis verba, Pelagianis objecta citat hoc modo :* Reticium ab Augustoduno episcopum, magnæ fuisse auctoritatis in Ecclesia tempore episcopatus sui, gesta illa ecclesiastica nobis indicant, quando in urbe Roma, Melchiade Apostolicæ Sedis episcopo præsidente, cum aliis judex interfuit, Donatumque damnavit, qui prior auctor Donatistarum schismatis fuit, et Cæcilianum episcopum ecclesiæ Carthaginensis absolvit. Is cum de baptismo ageret, ita locutus est : » Hanc igitur principalem esse D » in Ecclesia indulgentiam, neminem præ» terit, in qua antiqui criminis omne pon» dus exponimus, et ignorantiæ nostræ » facinora prisca delemus, ubi et veterem » hominem cum ingenitis sceleribus exuimus ». Audis antiqui criminis pondus, audis prisca facinora, audis cum sceleribus ingenitis hominem veterem : et audes adversus hæc ruinosam construere novitatem ? *Eadem repetit in Opere imperfecto contra Julianum lib.* I, *cap.* LV.

sed Hieronymus in iis aliqua carpit,

4 *At quamvis Hieronymus laudet sancti Viri eloquentiam, tamen in ejus scriptis desiderat eruditionem, quando ad Marcellam (hæc epistola in postrema editione operum Hieronymianorum legitur tom.* II, *col.* 622) *scribit his verbis :* Nuper cum Reticii Augustodunensis episcopi, qui quondam a Constantino imperatore sub Silvestro episcopo, ob causam Montensium missus est Romam, commentarios in Canticum Canticorum perlegissem, quod Hebræi vocant SIR ASSIRIM, vehementer miratus sum, virum eloquentem præter ineptias sensuum ceterorum, Tharsis urbem putasse Tarsum, in qua Paulus apostolus natus sit : et aurum E Ophaz Petrum significare : quia Cephas in Euangelio idem Petrus sit appellatus . . . . Innumerabilia sunt, quæ in illius mihi commentariis sordere visa sunt. Est quidem sermo compositus, et Gallicano cothurno fluens : sed quid ad interpretem, cujus professio est, non quo ipse disertus appareat, sed quo eum, qui lecturus est, sic faciat intelligere, quomodo ipse intellexit, qui scripsit. Rogo, non habuerat decem Origenis volumina ? Non interpretes ceteros ? Non certe aliquos necessarios Hebræorum, ut aut interrogaret aut legeret, quid sibi vellent, quæ ignorabat. Sed tam male videtur de ceteris * existimasse, ut nemo possit de ejus erroribus judicare. Frustra ergo a me ejusdem Viri commentarios postulas, cum mihi in illis displiceant multo plura, quam placeant. Quod si opposueris, cur ceteris dederim : audies, non omnes iisdem vesci debere cibis. *Tunc rationem negandi Marcellæ istos commentarios variis exemplis, ex sacra Scriptura desumptis, confirmat.* F

* *al.* posteris

et in quadam circumstantia narrationis ab Augustino differt.

5 *Observo hic inter Augustinum et Hieronymum occurrere discrimen circa Pontificem, sub quo Romanum concilium contra Donatistas celebratum est : Augustinus enim scribit, Donatum fuisse damnatum,* Melchiade Apostolicæ Sedis episcopo præsidente ; *Hieronymus vero id Romæ factum fuisse asserit* sub Silvestro Episcopo. *At certe ex Optato Milevitano circa finem libri* I, *atque antiquis instrumentis apud Labbeum tom.* I *Conciliorum a col.* 1401 *constat, hæc anno* 313 *sub Papa Melchiade acta fuisse. Unde vel amanuensis quispiam textum Hieronymi corrupit, vel ipse auctor Romanam synodum confundit cum Arelatensi, quæ posterior anno sequenti sub Silvestro contra Donatistas habita est, cui* Rethicius *etiam interfuit, ut videri potest in Labbeana Conciliorum collectione tom.* I *a col.* 1421. *Concludo igitur cum eminentissimo Annalium ecclesiasticorum parente Baronio, qui ad annum Christi* 313 *num.* 28 *ita loquitur :* Cum ergo hæc ex publicis Actis, et Optati Milevitani testificatione liquido constet, gesta esse coram Melchiade Papa, plane corrigendum est, quod apud S. Hieronymum legitur de Rheticio episcopo Augustodunensi, Romam esse missum a Constantino ob causam

AUCTORE G. C.

A sam Montensium (nempe Donatistarum) sub Silvestro Romano Pontifice : irrepsit enim error (quo pacto, nescimus) ut pro Melchiade Silvester positus habeatur. *Hæc dicta sunto occasione eorum, quæ duo celeberrimi Ecclesiæ doctores de* S. Rethicio *scripserunt. Nunc breviter ejus gesta ex antiquissimis, quæ invenire potuimus, monumentis proferamus.*

Datur ex Gregorio Turonensi Actorum compendium,

6 *Gregorius Turonensis in libro de Gloria confessorum cap.* LXXV *Vitam* S. Rethicii *sic paucis complectitur :* Sed quia de his aliquid proloqui juvat, prius de sancto Riticio, quia prior obiit, sermo habendus est. Fuit autem nobilissimis parentibus et litterarum acumine clarus, qui transacta adolescentia, uxorem simili morum honestate præclaram sortitus est, cum qua spiritalis dilectionis cohibentia, non luxuria copulatur. Concurrunt eleemosynæ, vigiliæ celebrantur, et opus Dei per eos incessabiliter exercetur. Igitur longa post tempora mulier declinans caput ad lectulum, beati Viri auribus extrema profert verba, dicens : Deprecor, piissime frater, ut post discessum meum, percurso ævi tempore, in B illo, quo ego conlocor, sepulcro ponaris : ut quos unius castitatis dilectio uno conservavit in thoro, unius retineat sepulcri consortium. Hæc effata, lacrymans spiritum emisit ad cælos. At Riticius episcopatum Augustodunensis urbis populo eligente sortitur; qui talem se præbuit in religione, ut morum bonitas pontificatus gratiæ æquaretur, et ad diem obitus per diversos spiritualium gradus plena perfectione consummationeque veniret. Quo abluto et super feretrum posito, movere ipsum non queunt officia famulantium. Tunc in stupore mentis defixi, audiunt a quodam sene, virum dominam conjurasse, ut eos unius sepulcri amplitudo susciperet : sermone vero percurso, confestim sustollitur feretrum, adlatoque eo prope sepulcrum, resumit Sacerdos spiritum : adloquitur socium dicens : Recordare, dulcissima conjunx, quæ nobis fueras deprecata. Nunc suscipe exspectatum diu fratrem, et conjungere artubus impollutis, quos non luxuria polluit, sed castitas vera mundavit. Hæc eo dicente, mirum in modum commotum sepulcrum, uno in loco ossa virginis conglobantur : beatus vero Sacerdos receptus in pacis somno, hujus sepulcri tectus est opertorio. *Hactenus Gregorius.*

cui aliqua de ejus sepultura et gestis adduntur.

7 *Ruinartius in notis ad librum Gregorii Turonensis de Gloria confessorum cap.* LXXIII *sepulcralem* S. Rethicii *locum demonstrat his verbis :* Porro hodieque haud procul ab Ædua urbe visitur cœmeterium, ubi ingens lapideorum sepulcrorum numerus superest cum ecclesia, aut potius ecclesiæ S. Stephani muris, absque tecto. Ibi Petrus Ladoneus SS. Rheticii, Cassiani, Simplicii, aliorumque Augustoduni episcoporum tumulos exstare scribit. *Deinde in notis ad caput* LXXV *asserit, juxta cœmeterium, de quo paulo ante egerat, haberi ecclesiam parochialem S. Petri de Strada vulgo dictam* de l'Etrié, *in qua visitur sepulcrum beati* Rethicii *sub fornice parvo, in muro ecclesiæ cavatum cum hac recenti inscriptione ;* SCS RHETITIUS EPS ÆDUENSIS CCCXIV. *Cum hæc inscriptio, teste Ruinartio,* E *recentior sit, ex ea certum mortis annum determinare non possumus : nam forte juniores hujus epitaphii auctores hunc annum posuerunt, quia ignorabant, quamdiu* S. Rethicius *post concilium Arelatense, cui anno* 314 *interfuit, vitam produxisset. Idem judicium ferendum censeo de quadam opinione Sammarthanorum aliorumque, qui* S. Rheticium *appellant* protocatechistam Constantini imperatoris. *Majus ex antiquitate fundamentum habent illi, qui asserunt,* S. Rethicium *curasse, ut aquæ Jordanis Augustodunum deferrentur : siquidem in Vita S. Amatoris episcopi Autissiodorensis sæculo* VI *scripta, et a nobis ad diem* I *Maii illustrata, cap.* IV *leguntur sequentia :* Antistes vero *(nempe S. Amator)* ex fluento Jordanis latices sumit, qui Reticio quondam episcopo jubente, ad Æduam civitatem allati fuerant. *En omnia, quæ de hoc sancto præsule ex antiquioribus monumentis colligere potui.*

C

DE S. MACRINA VIRGINE

F

IN CAPPADOCIA, SEU POTIUS IN PONTO.

P. B.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Cultus, nativitas, obitus, et Acta S. Macrinæ.

ANNO CCCLXXX. *S. Macrina pridem culta hoc die.*

Sancta Macrina *virgo, S. Basilii magni soror, tum insigni rerum cælestium contemplatione, tum sanctimonia vitæ prorsus admirabili toto pridem Oriente celebratissima fuit, atque omnium ibi propemodum ecclesiarum hoc eodem die* XIX *Julii Fastis adscripta. Synaxarium ex Menologio jussu Basilii Imperatoris collecto, cujus textum Græcum dedimus ad calcem tomi primi mensis hujus, Latine sic sonat :* Memoria sanctæ Macrinæ sororis magni Basilii. Sancta Macrina venustate corporis ac præclaris ornata moribus, desponsa quidem viro fuit; sed cum nondum facta conjunctione, is, qui eam sibi destinaverat, peregre defunctus esset, illa ab omni se mundano separans commercio, adhæsit matri, divinis vacans Scripturis, et secundæ matris loco fratres post se genitos educans : nam inter liberos omnino decem erat ipsa natu maxima. Cum vero etiam in ascetico vitæ instituto sancte versaretur, compluribus utilitati fuit : erat enim magistra non verbis tantum, sed etiam operibus : nam qui fecerit et docuerit, inquit sanctum Euangelium, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Morti autem propinqua cum fratre suo, Gregorio Nysseno, qui ad visendam illam advenerat, cum de anima, tum de aliis quibusdam sacrarum Litterarum quæstionibus philosophata est. Atque ita, fusis precibus, ad Deum, cui servierat, hinc migravit.

2 *Eadem*

AUCTORE P. B.

per ecclesias Orientales,

2 *Eadem fere habent Menæa impressa, et Ms. Chiffletii, Menologium Sirleti, Maximus Cythe-ræus, et Novum Anthologion anno* 1598 *Romæ excusum. Menæa insuper excusa præter hymnos acrostichos, quorum initiales litteras continet hic versiculus :*

Νύμφην ἁγνήν σε Χριστοῦ, Μακρίνα, στέφω.

Te sponsam Christi castam, Macrina, corono. *Præter hos, inquam, hymnos, aliosque, quos habent, ubi secundo ejus commemoratio notatur, hos etiam versiculos ipsius elogio historico præmittunt :*

Φρονοῦς' ἀδελφὰ τοῖς ἀδελφοῖς Μακρίνα,
Τούτοις ἀδελφὰ συγκατοικεῖ καὶ πόλον.
Τῇδ' ἐνάτῃ δεκάτῃ Μακρίναν νόες ἔνθεν ἄειραν.

Id est :

Macrina cælum fratribus soror expetens,
Adjuncta cælum fratribus soror incolit.
Macrinam hinc mentes decima nonaque tulere.

serius tandem etiam

3 *Typicum S. Sabæ sic eam ad eumdem diem annuntiat :* Sanctæ matris nostræ Macrinæ, sororis magni Basilii ; *subintellige, solennitas aut festum. Consonant Horologium Cryptæ Ferratæ,* B *Menæa Mss. bibliothecæ Ambrosianæ, Horologium excusum Venetiis anno* 1607, *Kalendarium Græcorum a Genebrardo editum, Menologium Slavo-Russicum, Kalendarium Moscorum. Alia sine addito tantum habent :* Sanctæ Macrinæ, *uti Martyrologium Arabico Ægyptiacum a Gratia Simonio versum, Kalendarium Ruthenicum apud Possevinum, ejusdemque gentis Synaxarium nobis a P. Georgio David huc missum. Atque hinc, ut ante monebam, conjicere est, quam celebris apud Orientales ecclesias sanctæ hujus Virginis memoria cultusque fuerit; ut mirum sit, eam tam sero tandem innotuisse Occidentali, quod eo etiam mireris magis, quod nec obscuro loco nata sit ; et eximiæ sanctitatis ac virtutum suarum præconem habuerit non peregrinum aliquem aut qualem qualem de vulgo auctorem; sed fratrem, episcopum, eloquentiæ flumen, et Ecclesiæ patrem, S. Gregorium Nyssenum.*

coli cœpit in Occidente.

4 *Sed nimirum serius hæc Gregorii lucubratio inter alia ejus opera in lucem educta est : ea vero ut apparuit et, interprete Francisco Zino, Latine legi cœpit, continuo apud nos etiam* S. Macrinæ *nomen virtutesque inclaruere ; primum quidem apud* C *biographos Lipomanum anno* 1553 *in Vitis Sanctorum tom.* II, *ac Surium aliosque posteriores ad* XIX *Julii, deinde etiam in Martyrologiis ; nam Usuardo suo eam adscripsit Molanus anno* 1573, *ac decennio post in Romanum est adoptata, servato utrobique eodem die* XIX *Julii, quem ei solum Orientales omnes, quos ante recensui, constanter assignant. Utrum vero prius apud Basilianos, qui ritum Romanum sequuntur in Hispania, nota fuerit aut culta sancti Patris eorum hæc sancta Soror, ignoro : nunc certe festum ejus celebrant per modum duplicis secundæ classis cum Octava, uti notatur in Ordine recitandi officii impresso anno* 1718. *Sunt vero etiam, qui cranium hujus sanctæ Virginis illud esse velint, quod apud Benedictinos asservatur in monasterio Fossatensi prope Parisios, ut asserit nuperus quidam legendista Gallicus; sed addit, operæ pretium facturum, si quis justis rem illam nominibus titulisque firmaret. Hactenus de cultu.*

Videtur nata anno Christi circiter 315 :

5 *De reliquis non longo hic opus est commentario : nam majores, parentes, consanguinei sunt ipsi omnes cum. S. Basilio magno communes ; actumque de iis est in hujus Vita die* XIV *Julii a pag.* 815, *et alibi, prout infra notabitur in Actis.* D *De patria dubium videri potest ; fueritne illi eadem quæ Basilio, Cæsarea scilicet Cappadociæ, an potius Pontus, extra quem non videtur ejus pater umquam stabile domicilium habuisse ; ut ex ipsius* Macrinæ *verbis colligi potest inferius cap.* IV, *num.* 24. *Potest tamen etiam hoc modo in Cappadocia dici nata ; cum ea provincia latius accepta etiam Pontum incluserit, uti docet Constantinus Porphyrogenneta lib.* I, *Themate* II. *Tempus etiam, quo nata sit, haud facile definitu est : id unum constat, Basilio magno, qui inter fratres quatuor natu maximus erat, priorem fuisse. Nos, ubi Basilii nativitatis epocham, quæ et ipsa maxime controversa est, ad annum Christi* 316 *defiximus loco citato a pag.* 811 *usque ad* 814 ; *ibi etiam* Macrinam nostram *anno præcedenti exortam esse statuimus ; et quidem in illa nostra chronologia satis probabiliter : nam si natus est S. Basilius anno Christi* 316, *eumque præcessit, uti certum est,* Macrina; *non potuit hæc nata esse serius, quam anno circiter uno ante Basilium ; non potuit etiam fingi nata multo citius ; quia verisimile non est, parentes ejus ante sublatam omnino persecutionem atrocissimam, sive annum Christi* 313, *de nuptiis* E *cogitasse. At minus commode figi potest ac determinari epocha certa ab iis, qui Basilium magnum versus annum Christi* 329 *natum esse contendunt, cum Tillemontio tom.* IX *Monumentorum hist. eccl. nota* I *in S. Basilium, et nota* IV *in S. Gregorium Nazianzenum : cum in ea sententia facile fieri potuerit, ut* Macrinam *inter et Basilium quædam filiæ, atque adeo anni aliquot intercesserint.*

Obiit anno Christi 379, ut quidam volunt

6 *De anno mortis ejus non nulla etiam disputatio est : nam Majores nostri (ubi de S. Petro Sebasteno ad diem* IX *Januarii pag.* 589) *obiisse* Macrinam *asserunt die* XIX *Julii anno Christi* 380 ; *cum ibidem obitum S. Basilii magni referant ad Kalendas Januarii anni Christi* 379. *Contra vero ad diem* IX *Martii, in Commentario historico de S. Gregorio episcopo Nysseno* § I, *num.* 6, *dicitur, quamquam obiter tantum,* Macrina *eodem, quo Basilius, anno mortua ; quam opinionem secuti deinde sunt Hermantius in Vita SS. Basilii et Gregorii Nazianzeni lib.* VIII, *cap.* XXXI, *Tillemontius in S. Gregorio Nysseno art.* IV *et* V, *aliique. Utraque sententia defenditur his Gregorii Nysseni verbis infra cap.* II, *num.* 17 *ex Vita* F S. Macrinæ *desumptis :* Erat post hanc jacturam *(id est, Basilii mortem)* nonus mensis, aut paulo amplius, cum episcoporum concilium indictum est Antiochiæ, cui nos item interfuimus. Sed posteaquam domum quisque suam discessimus, ANTEQUAM ANNUS PRÆTERIRET, mihi Gregorio cupiditas incidit, ut Sororem inviserem. *Postridie autem quam ad eam pervenisset, morienti* Macrinæ *oculos clausit, ut constat ex sequentibus. Quæritur, unde S. Gregorius annum illum ordiatur, qui nondum præterierat, cum Sororem adiret. Prioris sententiæ assertor Bollandus eum duci putavit ab indictione concilii Antiocheni, hoc est, ab Octobri circiter anni* 379 ; *adeoque excurrere usque ad Octobrem circiter anni Christi* 380, *quo* Macrinæ *obitum contigisse censet* XIX *Julii : alii vero ejusdem anni caput repeti existimant a morte S. Basilii, quam nobiscum accidisse defendunt Kalendis Januarii anni* 379 ; *ac proinde annum illum terminant ultimo die Decembris ejusdem anni* 379 ; *negantque adeo mense illo serius accidere potuisse felicem* Macrinæ *decessum.*

7 *Ego*

Anno probabilius anno 380, XIX Julii:

7 *Ego in hac re sententiæ priori malim subscribere, et cum Bollando defunctam dicere* S. Macrinam *die* XIX *Julii, adeoque anno Christi* 380; *sive annus ille Gregorianus fluxisse dicendus sit a concilio Antiocheno; sive civilis fuerit, fluxeritque more Græcorum a Septembri ad Septembrem, qualis hic mihi videtur intelligi. Et diem quidem decimum nonum Julii beatissimo ejus obitu consecratum fuisse, id argumento est, quod unicum illum, tamquam* S. Macrinæ *festum atque solennem Latini, Græci, Arabes, omnes assignent, quotquot ejus, ut supra vidimus, in sacris Fastis memoriam uspiam celebrant; quodque eam ipso illo die obiisse disertis insuper verbis excusa olim Venetiis Menæa testentur. Non gravis hæc admodum, inquis, auctoritas est. Esto sane: non tamen est nulla, in tanto præsertim ecclesiarum consensu: et cedo mihi, quæ aliud asserat, graviorem. Quod si diem illum* Macrinæ *supremum fuisse confiteris; jam id quoque inficiari non potes, quin post annum Christi* 379 *e vivis excesserit: quandoquidem id accidit post absolutum concilium Antiochenum, quod anno Christi* 379, *Octobri circiter mense coactum est; ut ipse in hac Vita citatus modo docet* B *S. Gregorius.*

ut contra Tillemontium et alios,

8 *Sed ne sola patrocinari nobis Martyrologia Menæave quis putet; dicant, obsecro, qui Virginem nostram anno Christi* 379 *migrasse volunt in cœlum, quo id circiter mense factum existiment; (non enim diem ab illis exigo, quem definire non possunt.)* Mense Novembri aut Decembri, *inquit Tillemontius Monum. eccles. tom.* IX, *ubi de S. Gregorio Nysseno, art.* V; *Hermantium secutus, qui verbis totidem id affirmaverat in Vita SS. Basilii et Gregorii Nazianzeni lib.* VIII, *cap.* XXXI. *Nec vero citius accidisse mors illa tum fingi potest; nisi perfunctorium omnino concilium illud Antiochenum fuisse quis putet, in quo res adeo leves tractandæ fuerint, ut uno alterove de causa tota finita sit, synodusque soluta; quod absurdum est; cum fuerit concilium totius Orientalis ecclesiæ, ad quod convenerant episcopi minimum centum quadraginta sex; ut colligere licet ex Epistola Damasi et aliorum ad episcopos per Orientem constitutos, apud Holstenium in sua Collectione Romana pag.* 177. *Merito itaque vix ante adultum Novembrem aut etiam Decembrem reducem e Syria Gregorium sistere in Ponto vel audent vel possunt, qui eum* C *anno Christi* 379 Macrinæ *morienti adstitisse contendunt.*

ex S. Gregorio Nysseno probatur.

9 *Atqui hæc sententia nequaquam videtur posse conciliari cum narratione S. Gregorii in hac ipsa Vita num.* 21; *ubi in primo suo cum Sorore colloquio sic eam inducit:* Tempus est, *inquit,* pater, ut paulisper quiescas et corpus cures, qui de via longa fessus sis. *Tum de se subdit Gregorius:* Ego autem, ... in hortis proximis gratum quoddam diversorium instructum nactus, sub arbustorum umbra quiescebam. *Quis hæc non aut ver extremum aut mediam dicat æstatem arguere? Quis medio Novembri aut Decembri arbustorum umbras vel quærat in hortis vel inveniat? Quis vero grata tum finxerit in hortis umbrisque diversoria? Cum multo tunc soles sint umbra gratiores, juxta illud Ovidii:*

Solibus hibernis, æstiva gratior umbra.

Quanto vero id magis valet in Ponto? Ubi quam diuturnæ asperæque sint hiemes vel inde conjectari licet, quod Sebastiæ in vicina Armenia prima, quæ Ponto magis ad meridiem vergit, Quadraginta Martyres, de quibus egimus die X *Martii, super concreto in glaciem stagno, gelu sint enecti, idque eodem mense Martio. Vide etiam si de hac re S. Basilium et Gregorium nostrum in Homiliis de* 40 *Martyribus. Adde ipsum tempus, quo ad hortos atque umbras concessit Gregorius, propemodum vespertinum fuisse, ut ex tota narratione manifesto colligitur, maxime ex num.* 17 *et* 24. *Quis igitur deproperato fessus itinere, medio Novembri vel Decembri, vespertina in hortis frigido sub aëre ad quiescendum captet umbracula? Mihi quidem hæc adeo videntur ab omni similitudine veri aliena, ut omnino cogant obitum* S. Macrinæ *in annum sequentem ac tempus æstivum differre. Vide infra cap.* III, *num.* 25 *notam* h.

AUCTOR. P. B.

Diluuntur objectiones,

10 *Nec moror argumenta, quæ Bollando Tillemontius opponit, quæ sane infirma sunt; ut quod ait nota* V *in S. Gregorium Nyssenum, vim fieri manifestam textui Gregoriano (quem citavi num.* 6) *nisi annus ille, quem ibi nondum præteriisse dicit, ducatur a morte S. Basilii. Legi ego textum tum Græce tum Latine, et expendi sedulo; vim tamen illam manifestam non potui deprehendere. Certe non adeo est manifesta, quam si Gregorium asseruisse dicas, arbustorum umbras sese in Ponto mense Decembri vidisse gratissimas. Item illud, quod ibidem habet nota* XI, *redisse scilicet a concilio Antiocheno Gregorium, atque ad Sororem tum adivisse, antequam iter Hierosolymitanum et Arabicum capesseret; quod arripuisse tamen dicendus sit ante annum* 381, *quo concilio Constantinopolitano interfuit. Patet, inquit, perspicue ex iis, quæ S. Gregorius affirmat (initio Vitæ infra dandæ) occurrisse sese Olympio apud Antiochiam, cum iturus esset Hierosolymam etc. Diversum illud iter Antiochenum fuisse ab illo, quod in eamdem urbem Antiochenam susceperat anno Christi* 379, *ut ibidem concilio assisteret; alioqui expressisset hanc potius itineris sui causam, tamquam longe graviorem, quam illam. Præterea, inquit ibidem Tillemontius, non videtur iter Hierosolymitanum decrevisse, nisi occasione commissionis, ipsi a concilio Antiocheno impositæ pro Arabia; non ergo Antiochiam eo tunc animo venerat, ut Hierosolymam adiret. Fac ita res habeat; quamquam nihil hic tam perspicui video. Demus hoc, inquam, adversario. Quid tum postea? An non potuit Olympio apud Antiochiam tum primum occurrere, cum, jam accepta recens a concilio commissione, Hierosolymam adire decreverat? Nimirum sic utrumque hoc telum facile retunditur. Et si præcipua semper causa exprimenda est; quæro, utra Gregorio potior fuerit ratio adeundi Hierosolymam, votum, an commissio concilii? Nam voti causam itineri illi solam prætendit in hujus Vitæ præfatione S. Gregorius; at in Oratione de* Euntibus Hierosolymam, *solam ejusdem itinerum causam commemorat commissionem concilii Antiocheni. Mitto alia multa, quæ reponi hic possent, si esset operæ pretium: nec enim dissimulat adversarius, argumenta hæc sua, ut ut perspicua, oppido esse debilia, cum subdit:*

et sententia nostra confirmatur.

11 Denique (quod majoris, *inquit,* quam cetera, ponderis est) Vitam Macrinæ, cujus potissima pars est historia mortis ejus, composuit ille Olympii rogatu tum *(cum scilicet illi petiturus Hierosolymam occurrit apud Antiochiam:)* tam certum est ergo, Hierosolymam non cogitasse Gregorium, nisi post obitum S. Macrinæ, quam dubitari non potest, quin S. Macrina non sit mortua, nisi post concilium Antiochenum; ut proinde nulla sit ratio, cur torqueri debeat textus ejus; quasi dixerit, ut vult Bollandus illum ad S. Macrinam venisse, antequam elapsus esset annus

AUCTORE P. B.

nus a concilio Antiocheno. *Ita Tillemontius. Respondeo, S. Gregorium in Præfatione Vitæ* S. Macrinæ *nequaquam significare, se* tum *rogatum fuisse ab Olympio historiam Vitæ* S. Macrinæ, *cum iturus Hierosolymam illum apud Antiochiam offendisset; tantum dicit, se de* Macrina *mentionem* tum *fecisse; potuit ergo id ab Olympio rogatus esse per epistolam longo posterius tempore, eique tum per litteras responsorias paruisse. Quod autem in describendo Sororis obitu aliquanto ibi fusior est; id eo fecisse potuit, quod Olympio cetera, quæ ad vitam ejus virtutesque spectabant, satis prolixe coram apud Antiochiam enarrasset, ut ea per compendium repetere satis haberet; de obitu vero, qui isto congressu Antiocheno posterius acciderat, cum in eo multa et per se mirabilia, et Olympio essent eatenus inaudita, merito tractare debuit uberius. Denique ante Hierosolyma (quam non nisi semel adiit, si ejus est Oratio* De euntibus Hierosolymam) *reversum fuisse S. Gregorium, quam Sororem inviseret, satis innuit infra in Vita num.* 24, *ubi inter labores* quos sustinuerat (ἐν οἷς ἦμην) *Sorori recenset certamina, ad quæ illum ecclesiarum perturbatio evocaverat post persecutionem Valentis, quæ certo intelligenda sunt de itinere in Arabiam atque inde in Palæstinam, inquit Tillemontius ibidem nota* V. *Jam ergo post concilium Antiochenum Arabiam et Palæstinam inviserat, cum ad moribundam Sororem accessit: non potuit ergo ad illam venisse ante annum* 380; *ut merito noster Bollandus notavit, neque adeo quidquam esse videtur, cur eam obiisse tum quis neget etiam æstate media, sive* XIX *Julii, quando nondum annus integer elapsus erat sive civilis Græcorum, sive ab habito Antiochiæ concilio putatus.*

Acta et eorum interpretatio.

12 *Acta* S. Macrinæ, *quæ modo subjiciam; quanti sint pretii, quantæque fidei, auctor ipse tum solo nomine satis indicat, tum etiam præfatione, quam historiæ suæ præmittit. Scripsit autem ea S. Gregorius ad Olympium monachum, virum Gregorio, ut apparet, carissimum, et Christianæ perfectionis in paucis avidum, ut patet tum ex hujus Vitæ, tum ex alterius* de Perfectione *lucubrationis prologo; utrumque enim opusculum eidem inscripsit Olympio, cujus utrumque hortatu susceperat. Græcum ejus textum non exhibeo, quippe quem in ejus Operibus editis integrum est unicuique consulere, quem quidem dolendum est, saltem in editione, qua utor, adeo mendose excusum esse. Solam igitur interpretationem ejus Latinam hic dare visum est, quam elaboravit Petrus Franciscus Zinus Veronensis satis quidem eleganter; sed non satis usquequaque fideliter. Quam ob rem, ne idem hic fecisse videar, quod Surius aliique, qui Zini versionem, ut erat, simpliciter ediderunt, operam dabo, ut ea uncinis hujusmodi* [ ] *includam, quæ a textu Græco differre observavero, ac sinceriorem porro eorum in Annotatis versionem offeram; aut siquando uncinis locus esse non poterit, certe litteras adjiciam notarum indices, neglectis tamen nonnullis, ubi res utcumque feret, minutiis. Ubi iis, quæ inter uncos interjacent, nota non adscribitur, ibi textum ego Latinum ex Græco suppleo.*

VITA

AUCTORE S. GREGORIO EP. NYSSENO,

Petro Francisco Zino Veronensi interprete.

PRÆFATIO AUCTORIS.

Occasio et causa scribendi hanc Vitam.

Hoc quidem voluminis genus ex inscriptione epistola videtur esse: sed ejus longitudo modum epistolæ superat, et justam libri complectitur magnitudinem. Me tamen rei, quam ut litteris consignarem, imperasti, defendit argumentum. Est enim majus et uberius, quam ut epistolæ terminis concludi possit. Omnino consuetudinis illius oblitus esse non debes, cum ad urbem Antiochi *a* congressi sumus, quo tempore petebas [ex voto *b*] Hierosolymam, ut monumenta Christi peregrinationis, dum in carne esset, inviseres *c*, eorumque sermonum, quos variis de rebus inter nos contulimus. Neque enim congressus ille tacitus esse potuit, cum prudentia tua multiplicem colloquendi occasionem subjiceret. Inter disputandum igitur, ut in ejusmodi congressionibus fit, in mentionem probæ cujusdam Mulieris incidimus. Si tamen ex natura mulier a nobis appellanda est, quæ naturæ conditione præstantior fuit. Non autem ex alienis sermonibus narrationi fidem faciebat oratio: sed diligenter ea, quorum experientia magistra fuerat, persequebatur, et nihil fere alieno auditus testimonio confirmabat. Neque enim Virgo, qua de verba faciebamus, genere nobis erat peregrina, ut quæ admirabilia de illa dicenda erant, per alios cognoscere nos oporteret: sed eisdem orta parentibus; quippe quæ, tamquam fructus primitiarum, ex materno utero prima pullulaverat. Quoniam igitur bonorum historiam esse frugiferam censuisti, ne vitæ illius Virginis, quæ ad humanæ virtutis fastigium per sapientiæ studium pervenit, exemplum posteros lateat, neve sine fructu silentio transeat involutum, mihi faciendum existimavi, ut tibi parerem, et incomposita simplicique oratione vitam ejus, quam brevissime possem, explicarem.

ANNOTATA.

a Urbs Antiochi, *Græce* Ἀντιόχου πόλις, *appellatur etiam infra num.* 17 *apud S. Gregorium Antiochia Syriæ ad Orontem fluvium posita, sive ab Antiocho Seleuci, primi ejus conditoris, patre; sive ab Antiocho Epiphane, qui illam quarta parte fecit auctiorem, juxta Strabonem Geographiæ lib.* XVI.

b Ex voto, κατ' εὐχὴν, *omiserat interpres Latinus. Fuit tamen etiam alia itineris hujus causa, sicut ipse de se Gregorius affirmat in Oratione* de Euntibus Hierosolymam *tom.* II, *pag.* 1086; *si tamen ejus hæc Oratio est.*

c *Interpretatio Zini adscribit votivam hanc peregrinationem Olympio; cum juxta textum Græcum sit*

A *sit attribuenda Gregorio; ut collige ex recto* μέλλων, *qui si referendus esset ad Olympium, mutari debuisset in casum dativum, et convenire cum pronomine* σοί, *quod Olympium designat. Sensus ergo Gregorii Latine sic habet :* Omnino autem congressus illius oblitus non es, cum ex voto Hierosolymam aditurus ad visenda peregrinationis Christi, dum in carne esset, monumenta, tibi apud Antiochiam occurri.

Caput I. *S. Macrinæ ortus, educatio, studium virginitatis, pietas in matrem ac familiam.*

Macrinæ nomina; item aviæ et matris ejus sanctitas, et hujus visio.

Macrinæ virgini nomen erat, sic a parentibus appellatæ, quod olim insignis quædam in nostra familia Macrina *a* fuerat, patris nostri videlicet mater, quæ tempore persecutionum *b* pro Christi confessione pugnaverat. B Hoc quidem vulgato nomine a familiaribus vocabatur, sed arcanum et reconditum alterum habebat nomen, quo per visum fuerat insignita prius, quam in lucem a matre *c* per dolores ederetur. Nam ipsa quoque mater ea virtute erat, ut consilio Dei sese in omnibus regeret, puramque et integram vivendi rationem imprimis diligeret, adeo ut non sponte, sed invita quodammodo nupserit. Etenim cum utroque parente *d* orbata, in ipso esset ætatis flore, famaque pulcritudinis multos, ut eam sibi uxorem cuperent, incitaret, et periculum esset, nisi volens in matrimonio cuipiam collocaretur, ne per vim adversi aliquid ei contingeret : (nam ejus forma capti, ad rapinam spectabant) ut saluti consuleret, vitæ gravitate spectatum commendatumque virum elegit, primoque partu Hujusce facta est mater. Verum cum pariendi tempus instaret, somno consopita, manu gestare sibi visa est id, quod adhuc intra viscera continebat, et quemdam humana specie, et forma augustiorem intueri, qui Theclæ nomine C Filiolam appellavit; Theclæ, inquam, illius, inter martyres celeberrimæ *e*. Id autem cum ter repetens testatum reliquisset, decessit *f*. Ea vero statim somno soluta est, et partu facile levata; ut et somno simul excitata sit, et quod in quiete viderat, effectum inspexerit. Arcanum igitur nomen hoc illi fuit. Videtur autem mihi is, qui per quietem apparuerat, eam vocem pronuntiasse, non tam ut, quo nomine appellanda esset, indicaret, quam ut similitudine nominis idem ostenderet vivendi studium et institutum.

Pia Macrinæ educatio, e studia ætatis teneræ:

2 Educatur ergo Puellula, et quamquam propria illi nutrix aderat, tamen in manibus fere matris enutriebatur. Cum autem infantiæ ætatem esset egressa, docilem admodum naturam in perdiscendis puerilibus illis institutis præ se tulit. Quidquid enim ei discendum parentes judicabant, in eo puellæ ingenium excellebat. Studebat autem mater, ut filia quidem erudiretur, sed non ista tamen externa disciplinarum serie, qua plerumque ex poëtarum lectione primæ discentium ætates imbuuntur. Turpe enim et indecorum prorsus existimabat, vel tragicis feminarum perturbationibus, unde scribendi principia et argumenta poëtæ sumpserunt, vel comœdiarum fœditatibus, [vel pudendis eorum, qui tot ærumnas ad Ilium pertulerant, factis *g*] tenerum et bene formatum animum inflci, et minus gravibus de feminis narrationibus quodammodo coinquinari. Proinde quæ ex divino Spiritu dictata Scriptura primæ illi ætatulæ faciliora aptioraque videbantur, discenda proponebat. Cumprimis autem Sapientiam Salomonis, idque ex ea potissimum, quod ad vitam et mores maxime conducebat. Erat etiam Psalmorum haudquaquam ignara, præfinitamque eorum partem statutis temporibus percurrebat. Nam sive surgeret e lectulo, sive ad studia accederet, sive discederet ab eis, sive cibum sumeret, sive a mensa recederet, sive cubitum se conferret, sive ad precandum exsurgeret, semper ut bonam, seque nullo tempore deserentem comitem, Psalmorum habebat cantilenam.

præstans forma ejus ac desponsatio.

3 Dum his et similibus institutis educatur, manumque [tractanda lana] *h* excellenter exercet, ad duodecimum ætatis E annum pervenit. Quo quidem tempore juventæ flos mirifice splendere cœpit, et, quod admiratione dignum est, quamvis celaretur Puellæ pulcritudo, latere tamen non potuit. Nec in patria [illa tota] quidquam æque admirabile videbatur, atque forma et venustas illius; ut ne pictorum quidem manus ejus decorem assequerentur; et quæ ars nihil non machinatur et effingit, maxima quæque audens, et ipsorum etiam imagines elementorum imitatione exprimens, ea illius formæ felicitatem imitari non posset. Quamobrem magnum juvenum, nuptias ejus ambientium, examen parentes circumstabat. Pater autem, qui sane quam prudens, et in rebus honestis dijudicandis expertus erat, quemdam tum genere, tum moribus, honestum probatumque adolescentem [qui recens e ludis litterariis egrediebatur *i*] reliquis prætulit, eique, si ad ætatem pervenisset, Filiam despondit. Interim ille magnam de se exspectationem concitare, in judiciisque reos defendendo egregiam dicendi facultatem præ se ferre, atque F ita patri Puellæ tamquam gratum dare sponsalium munus. Quam tamen præclaram spem interrupit invidia, eum vitæ in ipsa miseranda surripiens adolescentia.

Spretis nuptiis, virgo

4 Quæ autem a patre statuta fuissent, Puella non ignorabat : [nam adolescentis obitu cognovit consilium patris. Itaque *k*] judicium illius connubium vocans, tamquam id, quod pater decreverat, effectum esset, in reliquum vitæ tempus apud se manere constituit : in sententiaque permansit constantius, quam ab illa ætate postulabatur. Etenim cum sæpenumero parentum ad eam deferrentur sermones [de nuptiis,] propterea quod multi erant, qui fama pulcritudinis ejus adducti, illam sibi cuperent uxorem adjungere; absurdum et iniquum esse dicebat, sibi non permitti, ut illud conjugium coleret, quo semel a patre devincta esset : sed ad alterum cogi respicere; cum unum natura sit matrimonium, quemadmodum unus ortus et una mors. Eum vero, cui a parentibus fuisset desponsa, non esse mortuum contendebat,

AUCTORE S. GREGORIO NYSSENO.

tendebat, sed spe resurrectionis Deo vivere. Quapropter eum se non obiisse, sed peregre profectum esse judicare, et nefas fore, si peregrinanti sponso fidem non servaret.

adhæret deservitque matri,

l 5 Ejusmodi rationibus repellens eos, qui sibi persuadere conabantur, [decrevit id eo, quod sibi proposuerat, perstare, ac] *l* ne momento quidem temporis a latere matris umquam discedere. Quamobrem ei sæpe dicebat mater, se reliquos liberos in utero tempore quodam præfinito gessisse; illam vero perpetuo in visceribus suis quodammodo circumferre. Filiæ tamen convictus nec laborem matri, nec damnum afferebat. Quin etiam officiosa ejus sedulitas multarum ancillarum instar erat, et mutua quædam inter eas vigebat remuneratio. Siquidem altera custodiebat animum Filiæ, altera corpori matris inserviebat, eique in reliquis officiis omnibus ministrabat; ut propriis etiam manibus matri panem præberet. Quæ tamen illi præcipua

m cura non erat. [Sed *m* posteaquam sacris officiis satisfecerat, existimans id suo vitæ instituto convenire, ex labore suo matri victum

B subministrabat. Idque non ei solum ab ea, sed tribus præterea principibus præstabatur :]

n quoniam ejus possessio in tot gentibus *n* disseminata erat.

in administranda, mortuo patre, familia,

6 Cum igitur [propterea] mater variis curis distringeretur (pater enim jam naturæ concesserat *o*,) in omnibus [hisce] la-

o boribus matri se sociam præbebat, et solicitudinum partem ipsa subiens, eam gravi molestiarum onere levabat. Simul autem et matris disciplina vitam ab omni reprehensione integram servavit, cum in ejus oculis semper ageret, ejusdemque testimonio probaretur : et se vicissim ei magnam ad parem philosophiæ scopum exemplo vitæ suæ ducem præbuit, paulatim ipsam ad puriorem perfectioremque vitam trahens. Cum autem reliquiæ sorores honeste collocatæ essent a matre; a publicis litterarum gymnasiis, in quibus diu versatus fuerat, revertitur Magnus Basilius, ipsius Macrinæ frater : quem illa, scientia et eloquentia vehementer elatum existimans, omnesque despicientem dignitates, et fastu superantem eos, qui in

C magistratu essent, tanta celeritate ad idem sapientiæ studium incitavit, ut mundi posthabita claritate, despectaque eloquentiæ gloria, laboriosum hoc operosumque vivendi genus per paupertatem perfectam amplexus, expeditam sibi ad virtutem viam struxerit. Ceterum illius vita ac [quæ subinde tenuit] instituta, quibus in omnibus orbis partibus, quæ illustrantur a sole, celebratus, gloria sua splendorem omnium virtute illustrium obscuravit, longam scriptionem et multum temporis desiderant. Quapropter illuc, unde digressa est, nostra revertatur oratio.

matrem ac fratres ad vitam sanctiorem provocans.

7 Cum ipsa a se omnem turbulentioris vitæ materiam amputasset, persuasit matri, ut relicta pristina vitæ consuetudine, elatioreque vivendi modo, [quas arte *p* subditas,

p et ancillas ad usus proprios adhibuerat, secum ejusdem sortis atque ordinis esse vellet, atque una cum illis vitam cum virginibus

q traduceret] *q*. Sed narrationis filum volo parumper intermittere, ne rem, qua sublimitas Virginis magis declaratur, silentio transeamus. Ex quatuor fratribus *r* is, qui

r secundum Basilium natu maximus erat, Naucra- D

s tius *s* vocabatur, juvenis eximiis tum ingenii, tum corporis, dotibus præditus. Nam et pulcritudine, et robore, et celeritate, et habilitate quadam ad omnia peragenda reliquis præstabat. Qui cum vigesimum secundum ætatis annum confecisset, dicendoque publice tale studiorum suorum specimen dedisset, ut omne audientium theatrum ipsius admiratione commoveretur, divina quadam providentia magno mentis impetu ductus, spretis omnibus, quæ in manibus habebat, ad solitariam et inopem vitam se contulit, nihil secum præter seipsum ferens. Secutus est eum e domesticis unus, Chrysaphius nomine, qui et illum diligebat, et eodem vitæ studio tenebatur.

8 Nactus igitur secessum quemdam propter Iridem [sibi unice vacabat.] (Est autem Iris fluvius *t*, qui per mediam Ponti provinciam labitur, ortus principium ab ipsa ducens Armenia, per regionemque nostram *u* influit in Pontum Euxinum :) Apud hunc fluvium nactus adolescens locum quemdam, densis nemoribus consitum, et collem dorso E præcelsi montis superextenso reconditum, in eo procul ab urbanis tumultibus, omnibusque tum militiæ, tum judiciorum perturbationibus et strepitu constitutus, vitam agebat, seque ab illis molestiis, quibus humana vita vexatur, liberans, senes quosdam [simul viventes *x*,] egestate et morbo laborantes [suis ipse manibus] curabat, studium et negotium illud putans a suo vivendi instituto non abhorrere. Venando igitur [pisces captabat strenuus ille et] quoniam ad omne genus venaticæ industriæ solertissimus erat, [victum senibus quæritabat *y*,] et his laboribus pariter domabat adolescentiam : nec ob id alacri animo maternæ voluntati parere desinebat, si quid ab ea aliquando mandabatur, ut duplici studio recte vitam instituens, et labore fervorem ætatis extingueret, et obsequendo matri, recta via ad Deum per divina mandata contenderet.

Hos inter Naucratius repente mortuus. *t* *u* *x* *y*

9 Sic igitur philosophans, et vita sua matrem beatam reddens, quintum annum exegerat, cum et temperantia pectus instrueret, et totis viribus matris obsequeretur volun- F tati, quando miseræ dolis, ut opinor, adversarii grave et tragicum vulnus inflictum est, quod calamitate et mœrore totam familiam affecit. Repente enim adolescens vitæ surripitur *z*, non morbo aliquo, aut solita ulla ratione, immatura morte sublatus; sed cum ad venationem profectus esset, qua industria senio confectis illis victui suppeditabat necessaria, mortuus domum reportatur una cum illo ipso socio, et in omni via conjunctissimo, Chrysaphio. Procul autem aberat mater, trium dierum itinere ab ea remota calamitate. Quæ licet in omni genere virtutis perfecta esset, tamen cum tam acerbum nuntium a quodam accepisset, natura, ut par est, superante, collapsa exanimataque, tantum non simul cum voce spiritum amisit. Ratio enim doloris magnitudine victa, succubuit, ipsaque veluti generosus quidam athleta, improviso vulnere afflicta jacuit.

incredibili dolore matrem perculit. *z*

10 Hic magnæ Macrinæ virtus apparuit. Quæ [affectui rationem opponens] non solum se invictam atque erectam servavit, verum

quam egregie solatur S. Macrina.

AUCTORE S. GREGORIO NYSSENO.

A rum etiam matris imbecillitatem fulsit atque sustinuit. Nam animum ejus gravissimo casu dejectum excitans et recreans invicto robore suo, ad fortitudinem et tolerantiam instituit. Sic igitur tandem mater dolori restitit, nec indignum aut effeminatum quidpiam admisit, ut vel vociferaretur, vel pallium scinderet, vel ejularet, vel luctuosis clamoribus lamentationes intenderet. Sed ratione sensim impetus naturæ depulit, tum propriis, tum Filiæ consiliis ægritudini medicinam afferentibus. Tunc enim maxime Virginis animus excelsus et sublimis exstitit. Etenim quamvis in ea vim suam natura exerceret, (erat enim frater, et fratrum carissimus, qui tam acerbo genere mortis exstinctus fuerat) tamen natura sublimior facta, rationibus suis matrem sublevabat, exemploque suo ad patientiam et virtutem erudiens perficiebat, ut dolore superior existeret. Quamquam et ejus vita virtute semper excellens, nullum sinebat esse tempus, quo mater propter mœstitiam potius angeretur, quam præsenti bono gauderet.

B

ANNOTATA.

a *De* S. Macrina, *avia SS. Gregorii, Basilii etc. egimus ad diem* XIV *Januarii.*

b *Nempe Diocletiani et Maximiani aut Maximiani Galerii, uti dictum est in Commentario prævio Vitæ S. Basilii magni ad diem* XIV *Junii,* § III.

c S. Macrinæ *junioris mater fuit S. Emmelia, de qua actum est die* XXX *Maii, quo colitur una cum conjuge suo S. Basilio, Basilii magni, Macrinæ etc. patre.*

d *Et patrem quidem, juxta num.* 23 *infra, ei sustulit indignatio regia, in persecutione sive Diocletianea; ut in chronologia nostra dicendum, sive Liciniana; uti possunt illi credere, qui natum esse volunt S. Basilium magnum anno circiter Christi* 329. *De matre S. Emmeliæ nihil comperi.*

e *De* S. Thecla, *Pauli Apostoli discipula, et inter virgines martyres celeberrima, agemus die, quo colitur,* XXIII *Septembris.*

f *Græce facilitatem partus hic dedisse dicitur idem ille, qui apparuit, quod non satis expressit interpres; quamquam subdat matrem* partu facile

C levatam *fuisse.*

g *Quæ uncis accludo, non sunt in textu Græco, quo utor.*

h *Græce est,* πρὸς τὴν ἱερουργίαν, *quæ vox* sacrificium, hostiam, ordinationem ecclesiasticam *et his affinia significat; sed nequaquam* lanificium, *quod dicitur* ἐριουργία : *itaque vel corruptus est textus Græcus, vel falsus interpres; et hoc quidem postremum mihi verisimillimum faciunt quæ infra sequuntur num.* 5 ; *ex quibus colligitur, præcipuum* Macrinæ *studium in pinsendis hostiis seu panibus ad incruentum Sacrificium destinatis fuisse; id quod proprium munus virginum est apud Græcos; aut earum etiam mulierum, quæ junctæ sunt sacerdotibus, modo sint a muliebri profluvio mundæ; ut observat Goar in Euchologio Græcorum ad Missam S. Joannis Chrysostomi pag.* 116, *num.* 29. *Non ergo manum tractanda lana, sed parandis ad Sacrificium panibus, exercuisse* Macrina *hoc loco dicitur.*

i *Hæc Zinum fugerunt, cum sint in textu Græco.*

k *Sic paulo aliter Gregorius :* Sed quoniam id, quod decretum de se fuerat, adolescentis morte rescissum erat; tamquam id quod pater *etc. Non igitur consilium patris ex adolescentis obitu primum cognovisse dicitur, ut sonat interpretatio Ziniana.*

l *Græce :* Unum sibi delegit boni consilii munimentum, *(hoc scilicet :)* ne momento quidem temporis a latere matris suæ umquam discedere.

m *Hisce uncinis septa interpretatio Zini partim obscura est, partim mutila, partim a sensu Græco aliena; hanc ergo substituo :* Sed posteaquam mysticis ministeriis manus suas unxisset, vitæ suæ instituto convenire hujuscemodi rei curam existimans; ex eo quod supererat, matri præbebat paratum suo ipsius labore cibum. Neque hoc tantum; sed in partem insuper veniebat incumbentis illi solicitudinis : filiorum enim quatuor mater erat et quinque filiarum; ac tribus principibus tributum pendebat; quoniam ejus possessio *etc. Panes ergo matri pinsebat Macrina ex massa, quæ post pistos panes illos mysticos, sive ad Mysterium seu Sacramentum Eucharisticum destinatos, supererat. Porro quod hic S. Emmelia dicatur quatuor tantummodo filiorum, ac filiarum quinque mater; id in-* E *telligendum est pro tempore illo, de quo hic agit S. Gregorius : liberos enim omnino decem pepererat, ut ipsamet infra num.* 15 *testabitur : unius ergo præmaturus obitus novem tantum superstites reliquerat.*

n *Nimirum Armenis, unde videntur oriundi majores S. Gregorii, ut quidam colligunt ex oratione ejus in* LX *Martyres, quæ Vitæ* S. Macrinæ *subnexa est, pag.* 209 *editionis Parisinæ anni* 1618; *Cappadocibus, unde erat Emmelia ipsa; et Ponticis, quos inter et natus erat S. Basilius senior, et ubi fundum non unum familia possidebat, ut patebit ex sequentibus.*

o *Quo tempore obierit S. Basilius, maritus S. Emmeliæ, incertum est. Id constat, defunctum fuisse, revertente Athenis S. Basilio filio versus annum Christi* 356; *imo non supervixisse anno* 349; *cum decesserit ipso illo tempore, ut infra dicitur num.* 13, *quo natus est S. Petrus Sebastenus ; qui trigesimum ætatis annum juxta canones, opinor, attigerat, cum a S. Basilio magno, fratre suo, sub initium episcopatus ejus presbyter ordinatus est anno Christi circiter* 370.

p Arte *pro* Ante (κατὰ τὸν ἔμπροσθεν χρόνον) *legi-* F *tur in omnibus editionibus Latinis, quas licuit mihi consulere; non existimo tamen, vitium interpretis esse, sed typothetæ, quod arripuere deinde Lipomanus aliique.*

q *Interpretatio aliquanto confusior. Sic habet textus Græcus :* Persuasit matri, ut, relicta pristinæ vitæ consuetudine, elatioreque vivendi modo, atque ancillarum obsequiis, quibus ante assueverat, suam cum vulgi conditione æquaret, ac vitam cum virginum instituto permisceret; et quotquot adhuc secum famulas subditasque habuisset, sororum loco ac pari secum ordine censeret.

r *Erant illi S. Basilius magnus, Naucratius, S. Gregorius Nyssenus et S. Petrus Sebastenus, de quibus, si Naucratium excipias, pridem egimus.*

s *Naucratium non secus ac fratres suos, Sanctis annumerat Nicephorus Callistus Eccles. Hist. lib.* XI, *cap.* XIX; *verum nullis, quos viderim, vel Græcis, vel Latinis, vel Syriacis Fastis inscribitur.*

t *Fluvium hunc, satis hic accurate descriptum, modo appellant* Casalmach.

u *Nempe*

AUCTORE S. GREGORIO NYSSENO

u *Nempe Ponticam.*

x Simul viventes *non est in Græcis; adeoque redundat latine : est enim* πενίᾳ καὶ ἀῤῥωστίᾳ συζῆν, egestate ac morbo laborare, *nec quidquam amplius*

y *Græce legitur :* venatu cibum illis parabat, quo delectabantur.

z *Tempus mortis hujus definiri utcumque potest ex tempore nativitatis S. Basilii, de quo vide Comm. prævium num.* 5 : *nec enim illo multo junior esse potuit Naucratius. Juxta sententiam nostram contigisse ea videtur versus annum* 347; *at juxta Tillemontium aliosque, toto circiter decennio serius.*

B

Caput II. *Vita monastica S. Macrinæ, itemque matris ejus S. Emmeliæ ac Petri fratris. Pia mors SS. Emmeliæ et Basilii magni : accessus S. Gregorii Nysseni ad Sororem decumbentem.*

Persuadet matri, ut sectetur vitam monasticam,

Cum igitur jam et nutriendorum liberorum cura, et educationis atque collocationis eorum esset solicitudine liberata, et molestiæ domesticæ majore ex parte inter ipsos filios divisæ forent : auctor, ut dictum est, matri Virgo *a* fuit, ut ad [hoc] sapientiæ studium et puram vivendi rationem sese conferret, eamque a reliquis omnibus rebus, et pristina consuetudine ad propriam humilis abjectæque vitæ moderationem adduxit, ut in ea virginum multitudine eadem cum illis conditione viveret, unaque mensa, simili lectulo, pari denique et æqua rerum omnium, quæ ad vitam pertinent, ratione uteretur, omni ex ipsarum vita dignitatis differentia sublata. Quamobrem talis erat vitæ ordo, tantaque in sapientiæ studio præstantia, et tam gravis vivendi disciplina [tam in diurnis, quam nocturnis officiis]; ut nulla describi possit orationis facultate. Quales C enim sunt animi, qui corporis vinculis soluti molestiisque liberati, ex hoc vitæ carcere avolaverunt : talis erat earum vita; quippe quæ ab omni rerum humanarum vanitate aliena, ad angelorum vitæ similitudinem proxime accedebat.

cujus hic idea depingitur :

12 Non ira, non invidia, non odium, non suspicio [non aliud quidquam hujusmodi] inter eas cernebatur : omnis honoris, gloriæ et aliarum id genus inanium rerum cupiditas, omnis fastus et superbia, et reliqua similia vitia inde rejecta erant. Delicias suas in temperantia collocabant : gloriam suam in eo putabant sitam, quod notæ essent nemini : divitias, quod nihil possiderent, quodque terrenas omnes copias tamquam pulverem a corporibus suis excussissent. Nullum autem non inane studium esse ducebant, quod in hac vita curanda colendaque poneretur. Sola illic rerum divinarum vigebat cura, perpetuumque precandi studium, et assidua psalmorum decantatio, quæ nullo umquam tempore, nec die, nec nocte, intermittebatur : ut in ea re et opus ipsarum pariter, et quies consisteret. Quænam igitur humana D dicendi vis hanc vivendi rationem explicare queat? Erat ipsarum vita inter humanam cælestemque naturam interjecta, utriusque particeps, utrique finitima. Etenim quatenus ab humanis perturbationibus se vindicarat, hominis conditione præstantior erat. Quatenus autem in corpore cernebatur, et hominis continebatur figura, et sensuum instrumentis utebatur, angelicæ et corporis experti naturæ cedebat. Ausit forsitan aliquis etiam non inferiorem esse contendere. Quandoquidem cum carne viventes, ad similitudinem vacantium corpore Potestatum, onere corporis non premebantur : sed excelsa et sublimis erat earum vita; quippe quæ alto erectoque animo cum cælestibus illis Potestatibus versabantur. In hoc vivendi instituto non parvo tempore vixerant, [et cum tempore crescebant virtutes;] cum assiduis inventorum bonorum accessionibus, sapientiæ studium augentes, ad majorem animi munditiam appropinquarent.

E

in ea S. Petrus a Macrina institutus, utramque juvat.

13 Ad hunc autem tam præclarum scopum assequendum magno erat adjumento frater quidam, eodem ex utero editus, qui Petrus appellabatur, in quo pariendi dolores finierat mater. Hic enim ultimus a parentibus susceptus est filius; qui simul et natus, et orbus fuit. Quo enim tempore ipse in lucem edebatur, pater e vita decessit. Hunc, quæ inter liberos erat natu maxima, qua de instituta hæc est oratio, paulo post ejus ortum ab ubere nutricis sublatum, ipsa statim enutriit, excellentique disciplina educavit, sacris institutis a puero ipsum erudiens adeo, ut nihil otii concesserit, quo posset studiis inanibus vacare. Nam illi se patrem, et magistrum, et custodem, et matrem, et ad optima quæque consultricem, præbuit : talemque reddidit, ut antequam excederet e pueritia, in tenero illo ætatis flore ad excelsum philosophiæ gradum ascenderit. Ea quidemer at ingenii bonitate, ut ad omnia artium [sibi convenientium] genera, [etiam *b*] quæ manibus exercentur, perdiscenda natus esse videretur. Quare nullo duce perfectam eorum peritiam est assecutus, quæ ceteri multo tempore et labore discunt [a præceptoribus *c*]. F

idem vivendi genus amplexus.

14 Is ergo studiorum externorum *d* occupationes aspernatus, et ingenium ad omnes bonas disciplinas percipiendas aptum habens, semperque respiciens ad Sororem, quam sibi tamquam totius boni scopum proposuerat, eos ad virtutem progressus fecit, ut in reliqua vita Magno Basilio virtutis præstantia nihilo inferior fore judicaretur. Tunc autem Sorori et matri erat instar omnium, et una cum illis ad angelicam illam vitam contendebat. Cum autem quodam tempore gravi laboraretur inopia et fame, multique fama beneficentiæ excitati, undique confluerent ad eum recessum, quem incolebant, tantum industria sua cibariorum pauperibus subministravit : ut adventantium frequentia locus ille non solitudo videretur esse, sed civitas.

Moritur mater et filius benedicit.

15 Interim senex admodum mater, in utriusque filii manibus moriens, migravit ad Deum *e*. Cujus quæ benedictionis vox fuerit illius, qua erga liberos usa est, commemorare non erit alienum. Nam cum de absentibus

A absentibus singulatim amanter mentionem fecit, ut nullus esset expers benedictionis; tum præcipue præsentes ipsa precibus suis obtulit Deo. Etenim cum ei ex utraque parte lectuli adversi assiderent, altera manu utrumque tangens, hisce verbis postremis Deum allocuta est: Tibi, Domine, et primitias et decumam dico fructuum uteri mei. Primitiarum enim locum hæc *f* mihi obtinet Primogenita: decumæ vero, extremus hic decimus filius *g*. Tibi autem lege utraque debentur, et tua sunt munera. In hanc igitur Primogenitam meam, et hunc decimum, veniat sanctimonia: oratione perspicua designans Filiam et filium. Ita benedictioni simul et vitæ finem statuit, cum prius mandasset filiis, ut se in sepulcrum paternum *h* inferrent. Id illi, ut jussi fuerant, cum præstitissent, in reliquum tempus ad sapientiæ fastigium, semper cum anteacta vita pugnantes, et præterita benefacta posterioribus superare studentes, contendebant.

Obitum S. Basilii moleste fert Macrina;

16 Interea *i* insignis inter Sanctos Basilius, magnæ Cæsareæ declaratus est antistes et mysticis sacrificiis suis fratrem consecrans, ad B sacram presbyterii dignitatem provexit. Atque hic rursus ejus vitæ cursus ad graviora sanctioraque dirigebatur, cum sacerdotii dignitas, sapientiæ studio conjuncta, cumularetur. Post autem annis octo transactis, et nono inchoato *k*, per totum orbem celeberrimus Basilius ab hominibus ad Deum concessit, communem patriæ et Ecclesiæ luctus occasionem præbens. Hanc calamitatem cum ad Macrinam rumor detulisset, animo illa quidem non potuit in tanto detrimento non commoveri. (Qui enim Sororem non tangeret dolor, quo ipsi quoque inimici [veritatis] afficiebantur?) Attamen ut aurum diversis ajunt fornacibus explorari, ut, si primam evaserit, in altera dijudicetur, et rursum in extrema omnes ejus materiæ commistæ sordes eluantur: exquisitum autem optimi auri indicium esse, si per omnes transiens, nihil emittat sordium: sic ei contigit, ut variis molestiarum casibus explorata, præstantis illius animi probitate, nihil usquam in ea sordidi, nihil adulterini reperiretur. C Ac primo quidem periculum factum fuerat in obitu alterius fratris: deinde in matris funere, quando commune generis decus [magnus] Basilius decessit. Stetit igitur tamquam invictus pugil, nullo calamitatum impetu labefactata.

… deinde … S. Gre… Nysse…, sinistro … præsa-…

17 Erat post hanc jacturam nonus mensis, aut paulo amplius, cum episcoporum concilium indictum est Antiochiæ *l*, cui nos item interfuimus. Sed posteaquam domum quisque suam discessimus, antequam annus præteriret *m*, mihi Gregorio cupiditas incidit, ut Sororem inviserem. Magnum enim intercesserat temporis intervallum, quo mutuo inter nos conspectu non potueramus frui, prohibentibus tentationum molestiis, quas ab hæresis principibus *n* patria pulsus, ubique sustinueram. Nam dimetienti mihi temporis spatium, quod interim fluxerat, dum ejusmodi perturbationibus congressus noster impeditur, octo plus minus annorum videbatur. Cum igitur multum itineris jam confecissem, nec amplius quam unius diei via restaret, visio mihi per quietem manifestum eorum, quæ erant eventura, indicium ostendit. Videbar enim mihi manibus gestare martyrum reliquias, ex quibus splendor elucebat, qualis e levi speculo, si adverso soli opponatur, egreditur: quo quidem luminis fulgore oculi mei perstringebantur. Hoc autem visum mihi ter occurrit eadem nocte, nec plane, quid portenderet, conjicere poteram. Solicitus itaque animo agitabam, observabamque, ut ejus significationem exitu judicarem.

AUCTORE S. GREGORIO NYSSENO.

obviam ipsi prodeunt monachi; moniales eum excipiunt ad ecclesiam.

18 Cum jam ad secessum, in quo illa angelicam cælestemque vitam degebat, appropinquans *, familiarium quemdam interrogavi primum de fratre, an adesset: quo respondente, illum quarto jam die discessisse, cognoscens, eum altera nobis via prodiisse obviam, tum etiam de Magna illa percontatus sum. Cumque ille respondisset, eam morbo quodam laborare; majore incensus studio, quod reliquum erat viæ, festinanter arripui. Nam timore etiam quodam perterritus animus futurum præsagiebat. Sed cum ad locum accederem, [conventus hominum (fama enim me jam adesse fratribus prænunciaverat) ex locis, in quibus habitabant, ad E nos confluxit.] *o* Nam honoris gratia amicis obviam procedere consueverunt. At virginum chorus ad ecclesiam modeste nostrum adventum exspectabat. Verum cum fecissemus et precandi, et benedicendi finem, atque illæ inclinato prius capite benedictioni, honeste discedentes abiissent ad loca sua, nec una quidem earum apud nos relicta esset, facile id, quod erat, conjeci, non esse inter eas ipsarum Ducem *p*.

* lege appropinquassem

S. Macrinam in dur. strato ægrotantem offendit.

19 Et præcedente quodam atque ostium aperiente, sacram illam domum, in qua inerat illa Magna, ingressus sum. Vehementer autem tum ægrotabat. Neque vero in lecto, aut strato quopiam, sed humi quiescebat, subjecta sacco tabula, et altera caput ejus sustinente tabula, quæ pulvinaris loco insigni *q* figura collum ejus subibat, et cervicem ipsius in se decore *r* recipiebat. Cum igitur vidisset, me prope fores esse, sese in cubitum erigens, accurrere illa quidem non potuit, (nam febri defecerant vires) sed tamen solo manus affigens, seque, quantum F poterat, ex humili lectulo promovens, honorem habuit, quem mihi obvians præstare non poterat: sed ego accurrens, manibusque suscipiens, humi dejectam excitavi, et cubili solito restitui. Hic illa, manibus ad Deum sublatis: Gratias, inquit, tibi ago, domine Deus, qui et hoc mihi largitus es, nec quod optabat animus meus, ei denegasti: sed impulisti servum tuum, ut me tuam ancillam inviseret. Ac ne quam animo molestiam adspergeret, gemitum molliebat, et celare difficultatem spirandi conabatur, seque ad hilaritatem omni ratione revocabat, jucundi sermonis et ipsa quærens occasionem, et nobis interrogationibus suis materiam præbens.

cujus in eo statu fortitudinem et sermones admiratur sublimes.

20 Sed cum series ipsa sermonis nos ad mentionem de Basilio perduxisset, mihi quidem commotus est animus, et præ mœstitia vultus concidit, et ex oculis lacrymæ defluebant. At illa tantum abfuit, ut eadem perturbatione nobiscum dejiceretur, ut ex Basilii memoria sublimioris philosophiæ materiam arripiens, ea disputarit, rerum humanarum

AUCTORE S. GREGORIO NYSSENO.

narum causas exquirens, et occultam in rebus adversis providentiam Dei dicendo aperiens, et quæ pertinent ad vitam futuram, tamquam divino Spiritu afflata, percurrens, ut animus meus dictis illius excitatus, et oratione in cælestibus adytis constitutus, extra naturam hominis positus esse videretur. Ac quemadmodum Job, ut in ejus historia legimus, quamvis totum corpus, ulceribus undique putrescentibus, sanie contabesceret, sensum ad dolorem ratiocinando non demittebat : sed corpore quidem sentiebat dolorem, animo vero ad propriam actionem nihilo factus erat imbecillior, nec sermonem altioribus de rebus institutum interrumpebat : sic in Magna illa cernebam.

quibus absolutis, in hortos dimittitur;

21 Etenim licet febris omne robur ipsius exsiccasset, et corpus ejus tamquam rore quodam frigefaciens, ad mortem compelleret : mentem tamen expeditam, et tamquam morbo illæsam, in rerum sublimium contemplatione detinebat. Quod nisi vererer, ne in immensum oratio protraheretur, ordine cuncta persecutus essem *s*, quomodo dicendo pro- B vecta sit, ut et de hominis animo disputaret, rationemque vitæ hujus in carne percurreret, et quem ad finem homo, et quomodo mortalis, et qua de causa immortalis, et quæ hinc ad alteram vitam resolutio. Quæ quidem omnia, tamquam vi spiritus rapta, sapienter distincteque declaravit, oratione ipsius facile, tamquam aqua ex aliquo fonte, defluente, et sine ullo impedimento per pronum delata. Facto autem dicendi fine, Tempus est, inquit, pater, ut paulisper quiescas, et corpus cures : quippe qui de via longa fessus sis. Ego autem quamvis in ejus adspectu et sermone tam gravibus de rebus vehementer vereque conquiescerem ; tamen, quoniam sic ei gratum erat, ne non in omnibus Magistræ parerem, in hortis proximis gratum quoddam diversorium instructum nactus, sub arbustorum umbra quiescebam.

ubi triste præsagium apud se expendenti lætus affertur nuncius.

22 Sed nullam ex rebus jucundis poteram oblectationem percipere, cum animus intus rerum tristium exspectatione premeretur. Nam eorum, quæ per quietem adspexeram, ænigma ex præsentibus explicari videbatur. Spe- C ctaculum enim propositum, vere martyris sancti reliquias referebat, quæ peccato quidem mortuæ, inhabitante Spiritus gratia splendescerent. Et hæc cuidam eorum, qui ante somnium meum audiverant, exposui. Cum autem demissiore animo tristia exspectaremus, illa, nescio quomodo, cogitationes nostras conjiciens, misit qui lætiora denunciaret, jubens nos bono esse animo, et meliorem de se spem concipere, sensisse enim morbum in melius verti. Hæc autem non ad nos decipiendos dicebantur, sed ex vero, licet eo tempore nos id ignoraremus. Revera enim tamquam cursor aliquis, adversario superato, et jamjam stadii metam attingens, et ad præmium appropinquans, victoriæque coronam adspiciens, tamquam voti jam compos effectus sit, lætatur, sibique et amicis lætum victoriæ nuncium affert : sic illa quoque affecta, meliora de se jubebat sperare. Jam supernæ vocationis præmium spectans, ac tantum non illa Apostoli verba de se etiam dicens : De reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi justus judex, quandoquidem bonum certamen certavi, et cursum consummavi, et fidem servavi. D

ANNOTATA.

a *Imo* vita, *sive exemplum*, Virginis, *ut Græce dicitur, hoc matri consilium suggessit : præiverat ergo matri in hoc vivendi genere* Macrina.

b *Hanc particulam de suo adjecit interpres ; quasi etiam alias, quam quæ manibus exercentur, artes hoc tempore S. Petrus didicerit.*

c *Etiam hoc adjectum est.*

d *Id est, profanorum, et sæcularium.*

e *Anno Christi* 372, *ut alibi diximus ; vel* 373 *ut Tillemontio placuit tom.* IX *Monumentorum pro historia eccl. in S. Basilio, art.* XCVII.

f *Scilicet* Macrina, *inter liberos natu maxima.*

g *S. Petrus, qui cum dicatur decimus, necesse est, aliquem ex liberis decessisse ante Naucratium : quandoquidem supra num.* 5, *secundum textum Græcum in Annotatis expressum, dicatur Emmelia tantum* filiorum quatuor mater et quinque filiarum. *Quid si puella hæc fuerit, juxta dicta ad diem* XXX *Maii, pag.* 243, *et* XIV *Junii, pag.* 816 ?

h *Sepulcri hujus locus pluribus infra describitur, ubi de exsequiis agitur* S. Macrinæ. E

i *Hæc vox latius accipitur ; ut non censeatur id, quod hic sequitur, factum esse post obitum S. Emmeliæ ; vivebat enim Emmelia, cum ordinatus est antistes S. Basilius anno Christi* 370, *quod alibi non semel asseruimus, et contra Pagium ad annum Christi* 370 *num.* 9 *et seqq., defendit Tillemontius nota* LXV *in S. Basilium.*

k *Ipsis nempe Kalendis Januariis anni Christi* 379.

l *De hoc totius Orientis concilio diximus aliquid, ubi de S. Gregorio Nysseno ad diem* IX *Martii pag.* * 6. *Præcipuum ejus monumentum protulit Holstenius in sua Collectione Romana a pag.* 165. *Videri de eo potest etiam Tillemontius tom.* VIII *Monument. eccl., ubi de S. Meletio art.* XIII.

m *Adi Commentarium prævium num.* 6 *et seqq.*

n *Arianis videlicet, sub imperio Valentis.*

o *Obscuriuscula versio et ambigua, quam sic emendo :* Cum ad ipsum locum advenirem, et Fraternitati fama prænuntiasset adesse me, virorum cœtus universus, ex ea cœnobii parte, quæ a viris tantum habitabatur, ad nos confluxit. *Fraternitatem vero appellat Gregorius monachos illos, qui ibidem S. Petro, fratri suo, suberant, et separati a virginum, quæ* S. Macrinæ *parebant, contubernio habitabant, ut constabit ex Vitæ hujus capite* IV, *num.* 46 *et* 47. *Non loquitur hic ergo de aliis sanctus Pater, quam de monachis, ac deinde de virginibus in eodem loco, sed intra diversum claustrum, Iride interfluente discretum, Deo famulantibus. Qui plura de hoc cœnobio desiderat, adeat Acta S. Basilii ad diem* XIV *Junii pag.* 817, 828 *et alibi ; aut etiam Tillemontium in S. Basilio art.* XIV *et aliis ; vel denique Gallicam Historiam Ordinum religiosorum Parisiis editam anno* 1714 *tom.* I, *capp.* XVIII *et* XXVIII. F

p *Hinc patet,* S. Macrinam *sacro huic parthenoni præfuisse.*

q *Græce,* ἐν λοξῷ τῷ σχήματι, *id est,* obliqua figura.

r Καταθυμίως, *hoc est potius,* apte, commode, ex animi sententia.

s *Fecit hoc tamen subinde S. Gregorius per longum illum* Dialogum de Anima et Resurrectione, qui Macrinia inscribitur. *Quod si quis mecum*

A *mecum admireturtam sublimen juxtaprolixamque dissertationem in Sorore sua, jam viribus omnino defecta, ac moribunda, a Gregorio potuisse permitti, imo vero extorqueri; causam ipse afferet in eodem illo Dialogo tom.* II, *pag.* 674. Verebatur *nimirum, ne, si ex* morbo Magistræ *(sic ibi passim appellat Sororem)* humanitus aliquid accideret, (quod nimirum etiam accidit) non amplius esset, qui dissolveret ea, quæ ab externis nobis de Resurrectione objiciuntur. *Porro quid de hoc tractatu censendum sit, videri potest apud Labbeum aliosque librorum ac bibliothecarum descriptores censoresque catholicos.*

Caput III. *Colloquium extremum S. Macrinæ cum S. Gregorio; sanctissimus ejus obitus; et Fratris ac virginum lacrymæ; tum summa Macrinæ paupertas, et repertæ apud eam sanctæ Crucis reliquiæ.*

B

...n familiam ...am beneficia ...memorat,

[Ad bonorum igitur nuntium recreati surreximus, ut iis præsentibus frueremur. Erant autem hæc varia, et lætitiæ plenus apparatus *a*.] Nam hucusque studio Magna illa descenderat. Verum cum rursus in ejus conspectum venissemus, non permisit inaniter tempus consumere: sed a pueritia sua memoriam eorum repetens, quæ contigerant, tamquam de scripto omnia recensebat, neque illa prætermittens, quæ de parentum nostrorum vita recordabatur, quæque vel ante, vel post ortum meum evenerant. Narrationi autem is erat propositus finis, ut Deo gratias ageret. Ipsorum enim parentum vitam, non tam opibus claram et illustrem, quam divina benignitate auctam cumulatamque demonstrabat, cum propter confessionem Christi, patris genitores *b* fuissent oppugnati atque vexati: avum autem maternum *c* indignatio C regia sustulisset, omniaque illius bona aliis dominis distribuisset. Attamen adeo per fidem crevisse, ut eo tempore nullus eis clarior exstiterit. Rem autem familiarem, quamvis pro numero liberorum [multiplici ratione *d*] fuisset divisa, tamen eum cumulum divina clementia suscepisse, ut parentum opes, singulorum filiorum sors superaverit: sibi autem ex æqua in fratres partitione reliquum fecisse nihil, sed omnia manibus sacerdotis divino mandato dispensasse, et Deo suppeditante talem sibi fuisse vitam, ut neque tunc juxta præceptum manibus desierit laborare, neque ad hominem umquam respexerit, aut in cujusquam beneficentia honeste vivendi spem collocaverit. Quin etiam ut numquam petentes repulerit, sic dantes numquam quæsivisse: cum Deus occulta quadam ratione parvos labores suos tamquam semina ad fructum multiplicem benignitate sua perduceret.

...trem in... ...animi ar... ...um ad... ...sua refer...

24 Sed cum proprios ego labores, quos sustinueram, recenserem: primum, cum a Valente Imperatore propter fidem fuissemus in exsilium pulsi: deinde, cum ecclesiarum perturbatio nos ad certamina *e* et sudores evocaret: Non desines, inquit illa [Magna], divinorum beneficiorum immemor esse; ingrati animi vitium non cohibebis? Non comparabis parentum rationibus tuas? Atqui si, quantum pertinet ad hanc vitam, ea re gloriamur, quod claro genere nati et honestis orti parentibus sumus, pater quidem illis temporibus et juvenis eatenus floruit, ut inter cives et in judiciis ejus gloria consisteret; [post autem eruditio quidem ipsius se longius extulit *f*,] fama tamen Pontum non est egressa. Satis enim illi fuit in patria clarum esse. Tu autem, inquit, civitatibus, populis, nationibus celebris es. Te ad ferendum auxilium, te ad res constituendas ecclesiæ mittunt [et vocant *g*.] Dei munus non adspicis? Nec talium bonorum causam agnoscis? Parentum enim preces te ad hoc fastigium tollunt, nihil aut perexiguum ad eam rem opis habentem domesticæ.

Auctore S. Gregorio Nysseno.

eumque mirifice oblectat colloquio suo,

25 Hæc illa cum persequeretur, diem equidem produci longius optabam, ne dulci sermone aures nostras desisteret oblectare: sed cantantium vox me ad gratias agendas vespertinas *h* vocabat. Quamobrem cum me ad E ecclesiam dimisisset, rursum Magna illa precibus ad Deum accessit. Ac nox quidem ita transacta est. Cum autem diluxisset, mihi quidem ex indiciis manifestum erat, diem illum ei hujus vitæ terminum fore, cum quidquid in natura virium inerat, febris consumpsisset. Sed illa cogitationis nostræ respiciens imbecillitatem, præclaris illis sermonibus effundens quod reliquum erat afflictæ animæ, in summa spirandi difficultate nos a tristiore spe abducere conabatur. Tum vero animus meus præsenti spectaculo variis afficiebatur modis. Nam et natura ipsa me, ut par est, ad mœstitiam impellebat, cum non sperarem amplius, me talem vocem auditurum, se quam primum communem gloriam nostri generis ex humana vita migraturam putarem, et mens ex iis, quæ videbat, erat tamquam numine afflata, eamque vere ex communi natura excessisse arbitrabatur.

et lætitia, qua mortem propinquam exspectat.

26 Etenim cum extremum quidem spiritum duceret, in spe migrationis nihil novi sentire, neque timere in ipso vitæ exitu: sed animo excelso de hac vita [eadem, quæ F a principio] judicantem, quoad animam ageret, philosophari, mihi non hominis amplius videbatur, sed cujusdam angeli, qui divina providentia formam subiisset humanam, nec ulla cognatione aut necessitudine cum hac vita mortali conjunctus esset; atque ita nihil indecorum admittens, sine [animi] perturbatione permaneret, carne ad proprias affectiones non attrahente. Itaque mihi videbatur divinum illum et purum sponsi cælestis amorem, quem in animi arcanis absconditum aluerat, tunc iis, qui aderant, ostendere, et cordis affectionem indicare, ad eum, quem desiderabat, festinans, ut corporis vinculis liberata, celeriter illum conveniret. Vere enim ad virtutem cursum intendebat, cum nihil eorum, quæ jucunda sunt in hac vita, oculos ejus ad se converteret.

S. Macrina desinit hominis alloqui, ut cum solo Deo agat.

27 Jam maxima diei pars præterierat, et sol ad occasum appropinquabat. At illa mentis alacritatem non remittebat: sed quo magis

AUCTORE S. GREGORIO NYSSENO.

gis ad exitum appropinquabat, eo clarius sponsi intuens pulcritudinem, majore festinatione ad amatum contendebat, non amplius nos præsentes, sed illum ipsum alloquens, quem defixis oculis contemplabatur. Nam lectulus ejus ad Orientem vergebat. Desinens igitur nobiscum loqui, precibus deinceps loquebatur cum Deo, manibus supplicans, et tenui voce ita submurmurans, ut quæ dicebantur, mediocriter a nobis exaudirentur. Talis autem erat precatio, ut dubium non esset, quin funderetur ad Deum, et ab illa Deus audiretur.

Precatio moribunda.

28 Tu, inquibat, Domine, mortis metum nobis abstersisti. Tu effecisti, ut hujusce vitæ finis, veræ nobis esset principium vitæ. Tu nostra corpora ad tempus somno tradis, rursumque e somno suscitas extrema tuba. Tu terram nostram, quam manibus formasti, tamquam depositum, terræ committis, et quod ei dederas, rursum repetis, quod in nobis mortale atque deforme est, immortalitate et gratia decorans. Tu nos ab execratione peccatoque liberasti, utrumque pro nobis effe-
B ctus. Tu draconis capita collisisti, qui per voraginem contumaciæ faucibus hominem corripuerat. Tu portis tartari confractis, et debilitato, qui mortis habebat imperium, nobis ad resurrectionem aditum partefecisti. Tu ad hostis perniciem, et vitæ nostræ securitatem dedisti signum metuentibus te, notam sanctæ Crucis. Æterne Deus, cui addicta sum ex utero matris, quem ex totis viribus dilexit animus meus, cui et carnem et animum ab adolescentia mea ad hoc usque tempus consecravi: Tu mihi adhibe angelum lucis, qui me ducat ad locum refrigerii, ubi quietis est aqua, in sinus sanctorum Patrum. Tu, qui flammeum fregisti gladium, et paradiso reddidisti hominem, qui tecum cruci suffixus erat, et ad misericordiam confugerat tuam, memento etiam mei in regno tuo. Siquidem et ego crucifixa sum tecum, configens timore tuo carnes meas, et ab judiciis tuis metuens. Ne separet me chaos illud formidandum ab electis tuis. Ne impediat invidus iter meum. Ne reperiantur ante oculos tuos peccata mea: si propter naturæ
C infirmitatem collapsa, aut verbo, aut opere, aut cogitatione peccavi, condona id mihi tu, qui habes in terra dimittendi peccata potestatem, ut refrigerer, et in corporis spoliatione ante conspectum tuum inveniar non habens maculam in forma animi mei; sed sine reprehensione et labe suscipiatur animus meus in manibus tuis, tamquam incensum in conspectu tuo.

Cruce se signat et corde ac labiorum motu orans exspirat.

29 Hæc dicens, oculis, et ori, et cordi Crucis signum apposuit. Lingua vero paulatim febri penitus exsiccata, verba amplius non exprimebat, et vox implicabatur. Quare sola labiorum dilatatione, et manuum motu, eam precationi incumbere cognoscebamus. Cum interim vesper advenisset, et lumen illatum esset, illa [repente] oculorum orbem explicans, et ad splendorem respiciens, ad vespertinam gratiarum actionem pronuntiandam promptum animum præ se ferebat: sed voce deficiente, corde et manuum motione proposito satisfaciebat, et ad interiorem affectionem labra commovebat. Absoluta autem gratiarum actione, manum ad faciem signandam admovit, et voti finem D adesse declaravit, et magnum quemdam ac profundum spiritum ducens, precationem simul et vitam terminavit.

S. Gregorius ... functæ os atque oculos att... potius qu... claudit.

30 Cum igitur nec spiraret amplius, et jaceret immobilis, ego memor eorum, quæ in ipso primo congressu mihi mandaverat, dicens se velle, ut manus mea sibi oculos clauderet, et solitum ori suo præstaret officium; sancto vultui dolore languentem manum adhibui, ne mandatum ejus negligere viderer potius, quam quod ejusmodi officium oculis ejus esset necessarium: quippe qui, quemadmodum fit in somno naturali, palpebris decore contecti erant. Et labra itidem clausa, manusque venuste pectori cohærentes. Totus denique corporis situs ea dignitate compositus, ut ornantium manu non indigeret. Meus autem animus dupliciter angebatur, tum ob ea, quæ cernebam: tum ob luctuosas virginum voces, quibus aures meæ circumsonabant.

Sancti fratris luctus.

31 Hactenus enim illæ quiescentes, se fortiter gesserant, animoque dolorem inclusum continentes, fletus impetum compresse- E rant, observantes eam, verentesque, quamvis corpus ejus jam conticesceret, ne increparentur: aut si qua vox contra præscriptum erumperet, ne Magistra ex ea re molestiam caperet. Ubi vero silentio dolor non potuit amplius coërceri, non aliter, quam si victos earum animos quidam ignis exureret, statim in acerbum et incredibilem luctum proruperunt: adeo ut ratio mihi non consisteret amplius in proposito: sed tamquam alicujus obruta torrentis impetu, cederet perturbationi, seque totam lamentationibus daret. Æquam autem ac justam mihi dolendi lugendique causam habere virgines videbantur. Non enim se consuetudine, aut gubernatione quapiam humana, aut aliis ejusmodi rebus, quas in calamitatibus suis homines graviter ferunt, orbatas dolebant: sed tamquam ad ipsa in Deum spe, et animorum salute sejunctæ essent, plorabant.

et virginum lamenta:

32 Hæc in lamentationibus suis conquerebantur, dicentes: Exstinctum est lumen oculorum nostrorum: erepta est lux, quæ animis nostris in itinere præcedebat: disje- F ctum est vitæ nostræ præsidium: sublatum specimen integritatis: abscissum concordiæ vinculum: contritum imbecillium firmamentum, [sublata est sanatio ægrotantium.] Te duce, nox erat nobis diei loco, vitæ tuæ splendore illustrata: jam vero vel dies in tenebras convertetur. Gravius autem præter ceteras luctum intendebant, quæ matrem ipsam et nutricem appellabant. Erant autem illæ, quas penuriæ famisque tempore in alimentorum largitione projectas in viis sustulerat, alueratque, et ad castam atque incorruptam vivendi rationem informaverat.

quæ ipse ... primus omnibus ... muneri jubet:

33 Verum posteaquam animum tamquam ex profundo quodam angore collegi, in sacrum illud caput intendens aciem oculorum, quasi reprehensus ab ea propter inconditum illum tumultuantium strepitum, magna voce clamans: Ad hanc, inquam, respicite, virgines, et præceptorum ejus recordamini, quibus ab ea ad omne decus et honestatem estis institutæ. Divinus ille animus unum nobis lacrymarum tempus præscripsit, id fieri jubens,

A jubens, cum vacaretis precationi : quod nunc etiam potestis efficere, lamentationis clamorem pia Psalmorum decantatione commutantes. Hæc, quam maxime poteram, clara voce dicebam, ut superarem strepitum conquerentium. Deinde cohortatus sum eas, ut in proximam domum secederent, relictis dumtaxat aliquibus, quarum opera libentius illa, dum viveret, utebatur.

...ur interea de ...ornando funere ...iberat:

34 In earum erat numero quædam femina nobilissima, divitiis, et genere, et corporis forma, atque aliis nominibus illustris, in ipsa adolescentia constituta. Hæc viro cuidam honestissimo in matrimonio collocata fuerat, sed brevi tempore cum illo vixerat. Quare conjugio [in juvenili corpore] liberata, viduitatis suæ custodem et magistram magnam Macrinam elegerat, et cum virginibus plurimum versabatur, ut ab eis rectam et ex virtute vivendi rationem edisceret. Vestiana *i* illi erat nomen : pater Araxius vocabatur, unus e numero senatorum summi consilii. Ad hanc ego : Nunc quidem, inquam, invidiosum non erit, si defunctæ splendidiorem B adjecerimus ornatum, et puram illam immaculatamque carnem clarioribus vestimentis induerimus. At illa intelligere respondit oportere, quidnam illi Sanctæ in hoc genere probatum foret. Nihil enim a nobis geri fas esse contra voluntatem ipsius. Omnino autem, quod Deo gratum acceptumque esset, idem ei jucundum futurum.

...ed cum pau...ima Ma...næ nihil ad ...tum reli...isset,

35 Erat quædam præfecta virginum choro in ministerii gradu *k*, nomine Lampadia, quæ sententiam ejus de funerum pompis se plane scire dicebat. Hæc a me his de rebus interrogata, (forte enim intererat consultationi) cum lacrymis respondens : Integre et pure vivendo, inquit, Sancta sibi ornamentum paravit, quod et vitam ipsius decoraret, et sepulturam. Nam quod ad corporis ornatum spectat, nec dum viveret accepit, nec in hunc usum reservavit. Quare ne si velimus quidem, amplius licet, cum ad hanc rem non suppetat apparatus. Nihilne, inquam, reconditum est, quo justa et exsequiæ possint adornari? Quid, inquit illa, reconditum narras? Quidquid reconditi est, in manibus haC bes : ecce pallium, ecce capitis tegmen, et trita pedum calceamenta. Hæc sunt opes, hæc supellex. Nihil præter id, quod cernis, in arculis aut thalamis conditum latet. Unam divitiarum suarum cellam noverat, thesaurum cælestem : illic omnia collocavit, nihil reliquit in terra.

...frater de suo ...rat

36 Tum ego : Quid, inquam, si ad funus ornandum ex iis, quæ mihi parata sunt, aliquid proferam, num inconsulte factum existimabit? Id præter sententiam ejus futurum, se non arbitrari, respondit. Nam etsi, inquit, viveret, duabus de causis non repudiaret honorem tuum, vel propter sacerdotii dignitatem, quam semper venerata est ; vel propter naturæ necessitudinem : neque enim alienum duceret id, quod a fratre esset. Idcirco manibus etiam tuis corpus ut curaretur, mandavit. Cum igitur ita visum esset, et sacrum illud corpus tegi vestibus oporteret, studium inter nos dividentes circa ipsam, alius aliud cogitabamus. Et ego quidem jussi cuidam ex meis, ut vestem afferret.

AUCTORE S. GREGORIO NYSSENO.

Crux ferrea et annulus cum reliquiis sanctæ Crucis repertus ad collum defunctæ: hic Fratri cedit.

37 Illa vero, qua de mentionem fecimus, Vestiana propriis manibus ornans sanctum illud caput, cum ejus cervici manum submisisset, Ecce, inquit, ad me respiciens, quale e collo Sanctæ monilis ornamentum pendet. Et hæc dicens, solutis pone vinculis, prætendit manu ferreum Crucis signum, et annulum quemdam ex eadem materia. Quæ quidem utraque tenui redimiculo appensa, cordi semper adhærebant. Et ego : Communis, inquam, sit hæc possessio. Ac tu quidem habeas Crucis insigne : mihi autem hereditas annuli satis erit : siquidem in hujus etiam pala Crux erat impressa. At eum mulier intuens, rursus ad me, In deligendo, inquit, non aberrasti. Etenim excavatus est annulus sub ipsa pala, ibique de Ligno vitæ particulam conditam habet, quod superadjacens pala simili nota significat.

ANNOTATA.

a *Hæc interpretatio aliena videtur a sententia Græca, aut certe perobscura ; habe ergo verbum verbo redditum :* Ad bonorum igitur nuntium E alacres facti ad iis, quæ apposita erant, fruendum eramus. Erant autem hæc varia, et omni plenus voluptate apparatus; nam sic et ad hæc usque studio *(sive cura ac sollicitudine sua)* Magna illa descenderat. *Nam sic locum hunc intelligendum puto ; ut, cum primum fratris adventum* Macrina *cognoverit, statim hospiti suo, longis itineribus fatigato, apparari ea jusserit, quibus vires ejus reficeret ac recrearet. Interim dum id fit, longum inter se colloquium instituunt, donec, opinor, parata esse omnia* Macrina *cognovit; tum vero abrupto sermone, fratrem ad epulas dimisit iis verbis, quæ supra dedimus num.* 21. *Sed cum tantum in illo mærorem animadvertisset, aut etiam per internuntiam intellexisset; ut nec cibos capere, nec appositis frui vellet aut posset; nuntium lætum submiserit, qui, anxiis nimium curis depulsis, illum ad curandum corpus excitaverit, disposueritque ad fruendum deliciis appositis. De apparatu ergo ciborum hic mentio fit ; non de alio quodam plane metaphorico ac peregrino, quem hic suggerit interpretatio Ziniana.*

b S. Macrina, *scilicet senior, de qua supra cap.* I, *ejusque maritus, cujus nomen ignotum* F *est, vexati sub Diocletiano et Maximiano, vel Maximiano Galerio, uti dictum est ad diem* XIV *Junii, pag.* 811.

c *Et hujus Martyris nomen ignoramus; passum vero putarunt Majores nostri in eadem persecutione, ut notarunt ad eumdem diem* XIV *Junii, pag.* 815.

d *Græce* ἐννεαχῆ, *id est*, in partes novem ; *quot erant liberi, ut supra vidimus, cum facta bonorum divisio est.*

e *Nimirum cum exsequenda ipsi fuit emendatio concilii (Antiochensis, anni* 379) *quam fieri jubebat in ecclesia Arabica, disceptandumque cum præsulibus ecclesiarum Hierosolymitanarum, ut colligitur ex Oratione de euntibus Hierosolymam ; quod postremum optatis successibus caruisse videtur ex epistola ejusdem S. Patris ad Eustathiam, Ambrosiam et Basilissam.*

f *Græce sic legitur :* Postea vero cum rhetoricam doceret ceteros, fama *etc.*

g *Sic rogatus fuerat, ut propter negotia ecclesiastica Romam adiret, anno* 374, *ut eruitur ex epistola S. Basilii magni* CL *ad Dorotheum presbyterum ; sic destinatus fuerat a Concilio Antiocheno*

AUCTORE S. GREGORIO NYSSENO.

cheno ad ecclesiam Arabiæ ; rogatusque, ut simul Hierosolymitanas componeret, ut mox notavimus.

h Ἐπιλύχνιος εὐχαριστία, *(quod infra recurrit num. 29) id est,* Gratiarum actio lucernaria, *ut ita dicam ; quæ etiam aliter appellari solet* τὸ λυχνικὸν, lucernarium, *quæque est pars prima Officii vespertini apud Græcos* ; preces scilicet, cum sol cognovit occasum suum, et tempus instat lucernæ Deo offerendæ ; imo lumen cum precibus oblatum Deo, Lucernarium est, *inquit Goar in Euchologio pag.* 30 ; *qui et preces Lucernarii exhibet ibidem a pag.* 35. *Porro ex hoc loco colligi potest, inclinante die ad Sororem advenisse S. Gregorium, aut certe quievisse in hortis, ubi se refecerat ; ut notavimus in Commentario. Quievisse, inquam, in hortis ; nam, si tam prolixum fuit primum colloquium de Anima et Resurrectione, quam exstat modo apud S. Gregorium ; profecto diu ante vesperum advenisse dicendus est ; ex quo ulterius sequitur, id accidisse in æstate cum dies sunt longiores* ; *quandoquidem præterita nocte adhuc aberat ab hoc cœnobio S. Gregorius itinere unius diei, ut supra narrabat num.* 17. *Si ergo tam diu ante finem*

B *sequentis diei iter illud emensus sit, diem longam fuisse necesse est, quales sunt mense Julio ; non autem mense Novembri aut Decembri.*

i *Græce scribitur* Vetiana. *Hæc ea putatur fuisse, cujus viduitatem a secundis nuptiis tutatus S. Basilius adversus furentem judicis cujusdam assessorem, tantum sibi a tyranno periculum accersivit, quantum ex ea re tandem consecutus est gloriæ ; uti narrat S. Gregorius Nazianzenus Orat.* XX *a pag.* 353 *editionis Parisiensis an.* 1609. *Vide Baronium ad annum Christi* 370 *num. mihi* 62. *Et Tillemontium in S. Basilio art.* LXXIV.

k *Id est, diaconissa, ut vocant.*

CAPUT IV. *Miraculi vestigium in corpore defunctæ ; exsequiæ a S. Gregorio accuratæ ; locus sepulturæ, miracula in vita patrata.*

C

Nota in corpore reperta est,

Ceterum cum tempus posceret, ut castum corpus veste tegeretur, quod quidem officium ex Magnæ mandato ad me pertinebat necessario : cumque præsens esset, ac simul contrectaret ea, quæ mecum magnæ illius hereditatis particeps fuerat, Ne prætermiseris, inquit, intueri rei admirandæ ab hac Sancta perfectæ magnitudinem. Quidnam istuc est, inquam ? At illa, pectoris partem denudans, Vides hoc, inquit, tenue et obscurum sub collo signum ? (Videbatur autem puncto simile, tenui acu confecto) simulque lucernam propius admovit ad locum mihi demonstratum. Quidnam, inquam, admirandum, si tenue signum in hac parte est ? Et hoc, inquit, divini auxilii in magnam Macrinam monumentum, in ejus corpore relictum est.

insignis pudicitiæ et miraculi monumentum,

39 Etenim cum acerbe intumuisset olim hæc pars, et periculum esset, ne tumor secandus esset, aut ne latius serpens malum, fieret immedicabile, si ad loca cordis appropinquasset, rogavit sæpius et obsecravit mater, ut medici manum admitteret : et eam namque artem a Deo pro salute hominum ostensam esse. Illa vero, cum aliquam corporis partem alienis oculis aperire morbo ipso gravius judicaret, ad vesperam ; cum solitam matri propriis manibus navasset operam, in sacellum sanctissimum ingressa, totam noctem prostrata, curationem Deo supplicavit, et, quæ ex oculis defluebat, aquam cum terra commiscens, lacrymarum lutum, morbo medicamentum adhibuit. Matri autem exanimatæ, hortantique, ut medico uteretur ; sibi ad expellendum morbum satis esse respondit, si manu sua mater ipsa locum sancto signo muniret. Quum igitur mater in sinum ejus manum intulisset, ut eam partem signaret, signum quidem egit, morbus autem abiit. Sed hæc parva nota, loco horribilis tumoris apparuit, et ad finem usque permansit, ut esset, quemadmodum arbitror, divinæ opis indicium, quo ad agendas gratias Deo continenter moveretur. D

Ornato cadaveri pulla vestis insternitur, et vel sic splendet.

40 Posteaquam studio nostro finem imposuimus, et ex domesticis copiis corpus exornavimus, non decere dixit ministra illa, corpus ad sponsæ similitudinem ornatum ante virginum oculos poni. Sed est, inquit, mihi ex vestræ matris vestimentis nigrum pallium, quod recte, ut ego quidem sentio, poterit superinjici, ne externo et adventitio isto vestitus ornatu, sacra hæc pulcritudo illustretur. Quæ sententia cum valuisset, et pallium adjectum esset, ipsa tamen in amictu pullo, divina, ut arbitror, potentia et hanc corpori addente gratiam, ita splendebat, ut quemadmodum in quiete visum ostenderat, radii quidam ex ejus pulcritudine plane elucere viderentur. Interim dum hæc agebamus, et virginum cantu lamentationibus commisto resonabat locus, fama [statim] nescio quomodo, undique diffussa, omnis finitimi ad funus confluxerunt, adeo ut concurrentes vestibulum non caperet. E

Confluit ad exsequias cum episcopo loci frequentissimus populus.

41 Cum igitur nocturna pervigilatio [apud illam] ut in Martyrum celebritate, canendis Psalmis perfecta esset, et crepusculum advenisset, confluentium vicinis e locis omnibus virorum et mulierum multitudo, Psalmorum decantationem fletibus interpellabat. Ego autem quamvis propter calamitatem animo essem consternatus, tamen ex rebus præsentibus, quoad fieri potuit, operam dedi, ut nihil in tali funere desideraretur. Itaque confluentem populum in genera distribuens, mulierumque multitudinem admiscens virginum choro, virorum autem turbam adscribens monachorum cœtui, unum quemdam ex utrisque studui aptum concinnumque, tamquam in Psalmos canentium congressu, ex communi omnium concentu apte conjunctum ordinem constituere. Verum cum paulatim progrederetur dies, et locus [recessus illius omnis] præ confluentium multitudine angustus redderetur, surgens qui ei regioni præfectus erat episcopus *a*, Araxius nomine, (aderat enim cum universa multitudine sacerdotum) præcepit, ut sensim præcederet tabernaculum ; nam et satis longum viæ intervallum intercedebat, et multitudo alioquin ob motum incitatiorem impedimentum attulisset. Deinde omnes, quos in munere suo obeundo ministros habebat et adjutores, ut sua præsentia corpus decorarent, cohortatus est. F

a

42 Cum

... pompæ ... et mora ... rum ... tudinis.

42 Cum autem hæc ita constituta studiose gererentur, ego feretrum subiens, illum advocavi, ut alteram partem sustineret: posteriores vero feretri partes subierunt alii duo de clero insignes viri. Sensim igitur procedebatur, cum et qui præibant, pedetentim incederent, et nos item gradatim sequeremur. Etenim cum frequens populus feretrum circumstaret, nec tam mirabili et sacro spectaculo posset expleri, non erat facile nobis iter facere. Ex utraque autem parte præcedebat non exiguus diaconorum ministrorumque numerus: qui omnes ordine progredientes, accensos cereos manibus gestabant. Quæ quidem pompa non carebat mysterio, cum a principio ad finem usque decantatio Psalmorum eadem voce, triplicique canentium ordine, sicut ille trium puerorum cantus, absolveretur. Porro cum inter secessum et sanctorum Martyrum ædem, in qua parentum etiam corpora quiescebant, septem octove intercederent stadia *b*, totum prope diem in eo spatio conficiendo, consumpsimus: congredientium enim multitudo, quæ assidue magis augebatur, non sinebat nos ex sententia progredi.

B

... multus ad ... rum ab ... antibus ... tus vix se... tur.

43 Sed ubi intra fores templi constitimus, demum, deposito feretro, nos ad precationem convertimus. Quæ quidem precatio populo luctus materiam præbuit. Silentio enim Psalmis canendis imposito, cum sacram illam faciem virgines adspexissent, et parentum jam esset patefactus tumulus, in quem illam decreveramus inferre, unaque earum, nos post eam horam divinum illud caput non amplius inspecturos, perturbatius exclamante, et reliquis deinceps virginibus eadem vociferatione subsequentibus, incondita quædam confusio recte constitutum et sacrum illum Psalmorum cantum est consecuta. Nam virginum luctu fracti omnium animi commovebantur. Itaque nobis nutu silentium imperantibus, et præcone præeunte, et solitas Ecclesiæ voces *c* inclamante, vix tandem populus se ad precandum composuit.

...elitur S. Ma... a juxta ... trem, ut pe... rat.

44 Ceterum convenienter facto precandi fine, me timor quidam invasit, considerantem præceptum illud, quo prohibemur patris aut matris turpitudinem aperire *d*. Et quomodo, inquam, hoc ego judicium effugiam, si in parentum corporibus videro communem humanæ naturæ turpitudinem, cum verisimile sit, ea collapsa dissolutaque, ad turpem et inconditam pervenisse deformitatem? Hæc autem mihi cogitanti, formidinem auxit indignatio Noë: *e* cujus historia me, quid facto esset opus, admonuit. Priusquam igitur corpora nostris oculis essent exposita, pura sindone operta sunt. Nam cum operculum esset sublatum ex utraque parte summa, linteum injectum est: quo linteo contectis parentum corporibus, ego et regionis episcopus ille, cujus mentionem feci, sacrum illud corpus e feretro tollentes, juxta matrem apposuimus, atque ita votum utriusque complevimus. Uno enim consensu semper oraverant Deum, ut corporibus post mortem copularentur; ut quæ inter ipsas fuerat in vita conjunctio, ne in ipsa quidem morte dissolveretur.

C

45 Cum autem, justis legitime peractis, recedendum esset, prostratus ad tumulum et pulverem osculatus, tristis et lacrymans discedebam; cogitans quanto bono vita esset orbata: [*f* cum mihi in ipso itinere vir quidam illustris in re militari, qui in civitate Ponti, cui nomen Augustæ *g*, dux exercitus erat, audita calamitate, atque ægre ferens, cum subditis humaniter obviam processit. Erat enim mihi et sanguinis, et amicitiæ necessitudine conjunctus. Hic mihi de ipsa miraculum narravit] quod unum adjungens historiæ, faciam scribendi finem. Etenim cum lacrymis modum adhibentes, colloqui cœpissemus, ille ad me, Audi, inquit, quale quantumque bonum migravit e vita: atque ita sermonem exorsus est: Magna mihi, uxorique meæ quondam cupiditas incidit videndi virtutis gymnasium. Sic enim, inquit, locum illum, in quo beatus ille animus degebat, appellandum arbitror. Nobiscum autem erat filiola, cujus oculum ex pestilenti morbo calamitas occuparat, adeo ut obducta tunica circa pupillam, contractoque albore, fœdum esset miserandumque spectaculum.

AUCTORE S. GREGORIO NYSSENO.

Revertenti ab exsequiis S. Gregorio occurrit cognatus dux flens,

f
g

et miraculum narrans,

46 Divinam igitur illam domum ingressi, ita separati sumus in eo sapientiæ vacantium loco, ut ego quidem diverterem, ubi habitabant viri, quibus præerat Petrus frater tuus: illa autem intus, ubi erant virgines, cum sancta Macrina versaretur. Hic cum aliquantulum essemus commorati, tempus esse duximus, ut discederemus. Jamque discessum adornabamus, cum utrimque nobis humana quædam vis illata est. Nam et frater tuus mihi jubebat, ut manerem, et studiosorum mensæ particeps fierem: et Beata illa non dimittebat uxorem meam, sed filiolam in sinu gerens, non prius illam se reddituram ajebat, quam mensam apparasset, et nos philosophiæ divitiis accepisset. Puellulam autem exosculata, et admovens os oculis ejus, ubi pupillam affectam vidit: Si hoc mihi, inquit, concesseritis, ut apud nos esse velitis, gratiam vobis tali honore non indignam referam. Ecquam, inquit puellulæ mater? Est mihi, respondit Magna, medicamentum, ad curandum hunc oculum, appositum. Quæ quidem promissio cum mihi a quodam ex virginum conclavi nuntiata esset, libenter mansimus, posthabita, quæ nos urgebat, proficiscendi necessitate.

E

F

quo vivens adhuc S Macrina in monasterio,

47 Cum igitur convivium, quod [magnus] Petrus [propriis manibus ministraverat, atque] humanitate et gratia sua condiverat, haberet finem [ac voto nostro factum esset satis,] uxorque nobis, a sancta Macrina omni convenienti jucunditate recreata, remissa esset, lætitia et gaudio pleni, nos in viam dedimus. Et quæ utrique nostrum contigerant, inter eundum narrabamus: ego quidem quæcumque in virorum conclavi vel videram, vel audiveram, recensebam. Et illa vicissim tamquam ex historia singula repetens, nihil omnino, quantumvis parvum, omittendum existimabat. Itaque cum non aliter, quam ex scripto, tamquam in altera lance appendens, ordine cuncta percurreret, jamque ad eam pervenisset partem, quæ curationis oculi promissionem continebat, narrationem intermittens: Quidnam, inquit, egimus? Quomodo neglexImus promissum ipsius? Collyrium, inquam, illud, quod nobis promiserat?

48 Cumque

AUCTORE S. GREGORIO NYSSENO.

Oculum filiolæ suæ male affectum prece subito sanaverat.

48 Cumque ego item negligentiam incusarem, juberemque, ut celeriter aliquis ad illud poscendum excurreret, infans interim, quæ in manibus nutricis erat, [forte] matrem respicit: etiam mater ad ejus oculos aciem intendens, Negligentiæ, inquit nostræ desinas succensere; [magna id voce præ gaudio simul et stupore pronuntians.] Ecce tibi bona fide solutum, quod illa promiserat. Veram enim morborum medicinam, quæ precibus fit, nobis exhibuit, cujus ea vis fuit, ut ne vestigium quidem morbi in oculo relictum sit: adeo divino illo medicamento plane curatus est. Atque ita loquens, filiolam suscipiens, mihi in manus tradidit. Tunc ego miracula, quæ in Euangelio narrantur incredibilia, cogitatione complectens, Quid mirum, inquam, e manu Dei cæcos videndi potestatem accepisse, quando nunc ejus Ancilla per fidem in ipsum præstat illas curationes? Opus enim cernimus, haud multo miraculis illis inferius. Hæc ille mihi dum narrat, singultus vocem ejus intercepit, et subsecuta est copia lacrymarum. Atque hæc
B quidem a milite.

Multa alia ejus miracula omittit Gregorius propter incredulos.

49 Quæ autem ab illis, qui simul cum ea vixerunt, quique omnem illius vitam plane perspectam et cognitam habebant, acceperim, huic narrationi attexenda non censeo. Plerique enim pro eo, quantum ipsi possunt efficere, credunt ea, quæ dicuntur. Quæ vero audientis superant vires, tamquam a veritate remota, mendacii suspicionibus insectantur. Proinde mirandam illam in penuria et fame agriculturam prætermitto. Quomodo in pauperum usus projectum frumentum, nec, dum distribueretur, nec post, imminutum sit, sed eadem mensura numeroque permanserit, aliaque his longe magis admiranda, morborum curationes, expulsiones dæmonum, et veras futurorum prædictiones: quæ quidem omnia iis, qui diligenter explorarunt, vera esse constat, licet fidem superare videantur, nec fieri potuisse judicentur ab iis, qui carni magis addicti sunt, qui nesciunt proportione fidei munerum fieri distributionem: et parva quidem dari habentibus parvam fidem, magna autem illis, qui ingenti
C fide præditi sunt. Quamobrem ne offendantur, qui ad credendum divinis muneribus sunt imbecilliores, sublimiora illius miracula silentio præterimus, satis esse existimantes, iis, quæ dicta sunt, ejus historiam conclusisse.

ANNOTATA.

a *Præerat, opinor, Araxius non Neocæsareæ, ut in Actis SS. Basilii et Emmeliæ notatum obiter fuit; sed Ibororum, sive Iboreorum, aut Iboræ, quæ parva quidem civitas, at episcopalis tamen fuit in Helenoponto, juxta Carolum a S. Paulo in Geographia sacra, ubi describit patriarchatum Cpolitanum. Erat enim oppidum istud vicinum pago S. Gregorii nostri, ubi apud reliquias quadraginta Martyrum quiescebant corpora parentum ejus, ut ipsemet testatur in Oratione in* XL *Martyres, quæ Vitæ* S. Macrinæ *in editione nostra subnectitur, pag.* 211 *et seq.* D

b *Stadium passim sumitur pro spatio* 125 *passuum: octo ergo stadia hoc pacto mille passus æquarunt: nisi stadia hic Pythia significentur, quorum singula passus mille continent.*

c *Voces intelligo, quibus reverentia et attentio conciliatur tempore Officii ecclesiastici, quales sunt illæ, quas tum in sacrosancto Missæ sacrificio, tum præcipue per officium exsequiarum identidem proclamat diaconus:* Adhuc et iterum in pace Deum precemur; *ut videre est apud Goar in Euchologio.*

d *Nempe Levitici cap.* XVIII ℣ 7, *ubi dicitur:* Turpitudinem patris tui et turpitudinem matris tuæ non discooperies. *Quibus quidem verbis incestæ filii cum matre nuptiæ commixtioque prohibentur; itaque nihil hoc præceptum ad eam rem pertinebat, quam hic agere verebatur S. Gregorius.* E

e *Nota est hæc historia ex Genesios cap.* IX ℣ 21: *sed neque hæc ad Gregorium pertinere hoc loco poterat; ibi enim agitur de filio, qui verenda patris spectaverat; at Gregorius per parentum turpitudinem, eam tantum intelligit deformitatem, quam situs ac putredo defossis pridem cadaveribus inducit; ut patet ex verbis immediate præcedentibus:* Cum verisimile sit, ea collapsa dissolutaque ad turpem et inconditam pervenisse deformitatem. *Sed nimirum bonarum mentium est, ibi culpam timere, ubi culpa non est.*

f *Hic textum Græcum torsit interpres; sic enim habet:* In ipso autem itinere vir quidam illustris in re militari, qui dux erat militum in urbecula quadam Ponti, cui nomen Sebastopolis, [*ibidem*] cum suis commorans, et mihi ad illam accedenti humaniter obviam processit, et cum audiret calamitatem atque ægre ferret (erat enim nobis et sanguinis et amicitiæ necessitudine conjunctus) adjecit mihi de ipsa miraculi cujusdam historiam.

g *Græce* Sebastopolis, *quam inter multas eam fuisse necesse est, quæ apud Carolum a S. Paulo in Geographia sacra Armeniæ primæ contribuitur, et Tavia Sebastiam ducebat juxta Itinerarium Antonini Augusti: hæc enim S. Gregorio, e locis Neocæsarea haud procul dissitis Nyssam repetenti, poterat occurrere; non item aliæ duæ ejusdem nominis urbes apud Ptolemæum notatæ, quarum alteram locat ad Iridem fluvium, Amasiam inter et Pontum Euxinum fere mediam, alteram in ora ejusdem Ponti Orientali versus Colchidem.* F

A D

DE S. ARSENIO ANACHORETA

IN MONTE SCETHI LIBYÆ.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

J. P.

§I. Scethis notitia; nominis Sancti etymon, patria, natales; vita in sæculo acta; institutio Honorii, et Arcadii.

CIRCA ANNUM CDLV.

Scethios situs, etc.:

Scethis *vel* Scetis, Scethe, Scithi, Scitis, Scitium, Scithiaca regio *jam pridem a nobis descripta tomo secundo Februarii pag.* 46 *occasione sanctorum abbatis Moysis Libyci, et sex sociorum monachorum Martyrum, pars Libyæ censetur; ab Ægypto proprie sumpta paludibus Mareotide ac Mœride; montibus Nitria et Pherme discreta, sicut dictum tomo secundo Januarii pag.* 108. *Pluribus olim cœnobiis monachorum,* B *SS. Antonii ac Macarii vestigiis insistentium, vitæque innocentia ac sanctitate clarescentium fuit locus hic memorabilis, interque loca, quæ* S. Arsenius, *monachorum in Oriente gloria et norma, virtutibus illustravit, primas sibi merito partes vendicat. Meminit de eo Sozomenus Ecclesiasticæ historiæ lib.* III, *cap.* XIV; *de viris autem illustribus, qui illum nobilitarunt lib.* VI, *capp.* XXIX *et* XXX. *Locum hunc tamquam sibi proprium ac peculiarem fecit Sanctus, annis quadraginta, atque adeo parte longe maxima vitæ solitariæ in eo transactis; ut vel hoc nomine ibi potius, quam alibi, ubi vitam clausit, in titulo, huic commentario præfixo, annuntiari mereatur cum Martyrologio Romano; quod tamen minus proprie montem hunc accenset Ægypto, ut dicetur alio loco.*

Etymon nominis S. Arsenii, patria, natales, scientia, parentes.

2 *Vita nostra Græco-Latina, quam damus, num.* 27 *etymon Sancti subindicat dicens,* conveniente rei significatione, *eum* nomen VIRI tulisse, et nihil effeminati præ se tulisse: *nam adjectivum* ἄρσην, *idem est, quod* masculus *sive* virilis. *Vita Metaphrasti adscripta, apud Surium tomo* III, *a pag.* 233, *num.* 1 *patriam ipsi dat* C veterem Romam *(non Novam seu CPolim)* ex qua scilicet dicitur esse ortus. *Idem colligimus tum ex Synaxario Basiliano, tomo* I *Maii, pag.* 723; *tum ex Menæis magnis Græcorum excusis ad diem* VIII *ejusdem mensis. Eadem patria diserte ipsi attribuitur in Vita nostra num.* 3. *Natalium splendorem (de quo ibidem variis locis) exornavit rara in paucis eruditio, qua Sanctum non modo Græca cum Latinis conjunxisse (prout habes num.* 14) *sed aliis præterea facultatibus egregie excultum ipsum fuisse, conficitur ex auctoritate et gratia, quibus valuit apud Theodosium imperatorem. Sororem habuisse traditur a Metaphraste num.* 3, *cum apographo nostro, signato* 1589, *ex codice, si recte conjicio, Vaticano, ita a nobis imposterum hic nominando. Ineptit additio codicis Hagenoyensis Usuardini, si absque veterum testimonio credi velit,* S. Arsenium fuisse fratrem S. Eufemiani, patris S. Allexii. *Titulum Sancti, Euphemiano attributum, obiter castigavimus in Commentario prævio S. Alexii die* XVII *hujus, num.* 7. *At quæ parentes Sancti nostri spectant, incomperta habemus.*

Non satis constat, quod fuerit diaconus Ecclesiæ Romanæ:

3 *Affirmat Metaphrastes cum apographo Vaticano, quod diaconus exstiterit sanctæ Romanæ Ecclesiæ, adstipulante Baronio ad annum* 383, *num.* 22, *et* 385, *num.* 9 *cum Martyrologio Romano; adde Joannem Zonaram Annalium editionis regiæ Parisinæ tomo* II, *pag.* 37; *Synaxarium Basilianum ac Menæa excusa, ut taceam recentiores, Ludovicum Bulteau Benedictinum in Historia monastica, quam Gallice anno* 1687 *anonymam edidit, lib.* 1, *pag.* 134; *ac nuperum Legendistam Gallum tomo* II, *pag.* 295. *Titulum diaconi non* E *lego in Vita nostra, neque scio alibi usquam Sancto eum tribui in Martyrologiis antiquis, aut Vitis Patrum. Contra hunc faciunt sequentia. Dicit Metaphrastes num.* 5, *quod* primum eum esse decreverit *(Theodosius)* ex ordine senatorio *(patricium intellige) quæ dignitas post imperatoriam erat prima. In Apophthegmatis Patrum a Cotelerio editis inter Ecclesiæ Græcæ Monumenta tomo* I, *pag.* 367 *vocatur* pater imperatorum. *Præterea* mille servi aurea zona vincti, omnesque monilibus ac holosericis exornati assistebant ei: pretiosi vero tapetes sub eo sternebantur; *quibus consonat Vita nostra num.* 20; *ubi et num.* 26 *dicitur* primum apud imperatores locum tenens... aurea induebatur stola. *Itaque diaconatus iste prærterquam quod non satis probatur, tam neutiquam congruere dictis videtur, quam insigni adeo magnificentiæ ac luxui, quibus* Arsenius *affluebat in aula, ut videre est in Vita nostra num.* 13, 16, 20; *apud Cotelerium citata pagina* 367, *in Vitis Patrum a Rosweydo nostro vulgatis lib.* III, *sub nomine Ruffini Aquileiensis presbyteri, pagg.* 506, *ac* 507.

F

idque non probatur ex eo, quod Arsenius pueros Theodosii de baptismo susceperit;

4 *Nec diaconatus iste satis probatur ex Vitis Patrum eadem pag.* 506, *ubi habentur ista:* Fuit quidam vir, sub Theodosio imp., nomine Arsenius, cujus filios, id est, Arcadium et Honorium, Augustus de baptismo suscepit. *Tillemontius Monumentorum ecclesiasticorum tomo* XIV, *pag.* 795, *monet, dispiciendum esse, num suscipere personas de sacro fonte, non sit hic Officium diaconi; et num attendi debeat ad Acta S. Sebastiani* XX *Januarii, pag.* 270, *in quibus sic legitur:* Igitur omnes isti sexaginta octo a S. Polycarpo presbytero baptizati, et a S. Sebastiano suscepti sunt; *qui sane erat laicus; quamquam id contigit tempore persecutionis. At nodum in scirpo videtur quærere: neque enim dubium putamus, quin officium levandi baptizatos de sacro fonte, fuerit olim, ut nunc est, sæcularibus æque ac ecclesiasticis commune, nedum ad solos diaconos restrictum. Onuphrius Panvinius in libro peculiari de Baptismate paschali, ex commentariis ejusdem excerpto, ac Romæ excuso anno* 1656, *pag.* 164 *inter cæremonias quinque baptismi, ponit secundo loco* susceptorem, qui levabat de sacro fonte, *nulla facta mentione, sæcularisne is esset*

an

AUCTORE J. P.

an ecclesiasticus : quam etiam non facit Bellarminus tomo III *Controversiarum lib.* I *de sacramento baptismi, ubi cap.* XXVI *agit de susceptoribus.*

quod videtur exponendum in sensu proprio.

5 *Verba producti textus* de baptismo suscepit, *testatur Tillemontius ita reddi in Vitis Patrum Ruffini Gallice versis, acsi Theodosius illos in manus ei tradiderit post baptismum; recte addens, ægre adduci se posse, ut credat genuinum hunc esse verborum sensum; quæ Cotelerius in notis col.* 799 *intelligit in proprio; at col.* 800 *censet emendandum fuisse Ruffini textum mox allatum, expungendo* id est Arcadium et Honorium, *seu illis potius vocibus retentis, scribendum* Augustos *pro* Augustus, *ac forte* qui ejus filios. *Præplacet ultima correctio : nam sic sensus erit, quod* Arsenius *Arcadium et Honorium Augustos de baptismo susceperit. Prima vero correctio torquet Ruffini verba, quasi dicat, quod Theodosius de baptismo susceperit filios* Arsenii ; *quem conjugatum fuisse non novimus, et qui in Vita Vaticana vocatur* παρθένος, virgo. *Additio codicis Hagenoyensis Usuardini hunc diserte sensum exprimit, dicens, Sanctum* Theodosio imperatori fuisse charissimum, ita ut duos ejus filios de fonte levaret, B *sublata omni æquivocatione.*

Ambobus Theodosii filiis instituendis

6 *Ceterum amborum Theodosii filiorum institutioni præfuit* S. Arsenius ; *nam Vita S. Euthymii Græco-Latina apud Cotelerium Eccl. Græcæ Monum. tomo* II, *pag.* 248 *tradit ista :* Paterno quodam modo educavit et instituit Arcadium et Honorium imperatores, ideoque patris appellatione a sanctis nempe patribus est cognominatus. *Consentit Vita ejusdem S. Euthymii a Monachis Benedictinis e Græco versa, atque inter Analecta Græca anno* 1688 *Parisiis impressa, pag.* 43 ; *Metaphrastes num.* 3, *apographum Vaticanum cum Vita nostra num.* 4. *Neotericus quidam auctor inepte sciolus, in Dictionario suo critico, tribus tomis Gallice impresso Roterodami anno* 1702, *tomo* I, *pag.* 381, *recte quidem observat cum Baronio,* Arsenium *anno* 383 *non fuisse missum, ut esset præceptor Arcadii et Honorii, cum Honorius dumtaxat natus fuerit anno* 384, *sicut probat Tillemontius tomo* V *Historiæ imperatorum in notis pag.* 735; *at cur non fit verosimile isti hypercritico,* Arsenium *in aula Theodosii moratum, donec Honorius egeret præceptore? Ponamus enim id, quod suo loco probabitur,* Arsenium *ex* C *aula profugisse anno* 394 ; *nonne sat temporis intercedit inter primum ad aulam* Arsenii *accessum ac secessum ab ea, ut Honorium instituere potuerit? Quamquam enim anno* 383 *a Theodosio accitus sit, atque Arcadii institutioni tum vacare cœperit, neque tunc Honorio nondum nato id officii præstare potuerit; quid vetat, cur annis sequentibus ad ipsum educandum designatus, ac deinde applicatus fuerit, et revera anno ætatis ejus nono aut decimo, aut forte etiam citius ipsum pro ætate sua et captu informarit?*

præfuit Sanctus saltem secessu e;

7 *Certe instituendo Arcadio adhiberi cœpit anno circiter ætatis ejus sexto, concurrente cum* 383, *secundum id quod tradit Socrates lib.* VI, *cap.* XXIII *dicens, ipsum numerasse annos triginta et unum, quando obiit, anno* 408, *Kalendis Maii. Annus enimvero* 393 *adeo cum institutione Honorii sub hoc magistro defectu ætatis non pugnat, ut tunc declaratus ille sit a Theodosio imperator. In Vita nostra num.* 4 *narratur :* Ejus itaque *(Arsenii)* fama ad aures tunc delata magni Theodosii imperatoris, quærentis talem filiis suis Arcadio et Honorio magistrum præficere *etc. quod proinde, nisi per prolepsin excuses, falsum est. Idem statue de Metaphraste num.* 3. Theodosius .. D de suis liberis multum solicitus .. quærebat .. curatorem, præceptorem et magistrum, cui hos in manus traderet, *nimirum* Arcadium et Honorium, *uti habes num.* 6. *Idem dic de Zonara :* Duos, *inquit,* filios suos imperatores appellavit; quos cum litteris et moribus erudiri vellet .. Arsenium accersit. *Idem de Cedreno in Historiarum compendio impressionis regiæ Parisinæ pag.* 327 ; Theodosius principio sui imperii Roma abduxerat magnum illum Arsenium, cum de ejus rerum humanarum divinarumque peritia inaudivisset, eique suos filios Arcadium et Honorium sacris litteris instituendos commendaverat, ac cæsarum patrem constituerat. *Idem denique statue de Nicephoro Callisto Eccl. histor. tom.* II, *lib.* XII, *cap.* XXIII : Imperator liberis suis virtutis magistrum præficere volens, Arsenio .. eos commisit. *Turpiter errant Menæa magna excusa, quando ea de causa inducunt Theodosium scribentem Gratiano imperatori et Innocentio Papæ. Gratiano quidem potuit is scribere in favorem Arcadii, non vero Honorii, tum dumtaxat in lucem editi, quando Gratianus jam obierat; Innocentio autem nec scripsit umquam, nec scribere potuit;* E *qui sedere cœpit anno* 402; *cum Theodosius jam e vivis discessisset anno* 395, *et* Arsenius *jam diu aulæ se subtraxisset.*

quod munus numquam constanter exercuit Themistius philosophus.

8 *Alium, præter* Arsenium, *neminem novimus, qui ex professo, quod aiunt, duorum istorum principum institutioni operam dederit. Baronius ad annum* 393 *agens de Themistio, magni nominis a temporibus Constantii imperatoris philosopho, atque insigni ejus encomiaste; quique sub ipso provecta admodum ætate vixit, magno, licet ethnicus esset, ab eodem in pretio habitus; Baronius, inquam, de illo agens, dicit quidem ex ipsius testimonio (cujus tamen verba non profert) quod* profecturus Cpoli Theodosius in occidentem, Arcadium filium ei commendarit : *istoque eodem ipsum anno aperte rogasse, sibi ut committeretur educatio laudati principis, invenies apud Tillemontium Historiæ imperatorum citatæ pag.* 220; *sed addit, voto frustratum fuisse. Et vero quid philosophus, ethnicis principiis imbutus, inspirare ei aliud poterat, quam mere moralem et humanam philosophiam? dato etiam, quod tenellam principis ætatem gentilium erroribus non fuisset infecturus. Numquam igitur in solidum commissa The-* F *mistio Arcadii institutio fuit, aut ad aliquod notabile tempus : fatente Tillemontio, philosophum quidem illum prætendere, quod in certa aliqua occasione Theodosius nonnullam sibi de eo curam demandarit; ast pag.* 732 *in notis observat ex textu Græco, Themistium hoc neutiquam indicare (contra sentiente Joanne Harduino nostro, qui orationem ejus quintam edidit Lutetiæ Parisiorum anno* 1684) *sed verosimillime Themistium loqui in sensu optativo, prout grammatici loquuntur ; quo id muneris sibi commissum non asserat, sed desideret committendum.*

Facta quædam tempore institutionis principum a Metaphraste narrata

9 *Metaphrastes seu quivis alius auctor apud Surium cum ecgrapho Vaticano refert, sedisse Arcadium et Honorium;* Arsenium vero, *quamdiu eos instruebat, stetisse, reveritum in eis dignitatem imperialem; Theodosium, re comperta, graviter et iracunde illud tulisse, et insignia imperii deponere eos jussisse. Factum hic succincte ; ab illis prolixe adornatur; adoptante illud eodem Nicephoro. Insignia imperii publice nimium ac solenniter collata fuerant a Theodosio utrique isti principi, quam ut credi facile possit, ea ob delictum scholasticum adeo digno modo ab iis ablata fuisse ; præsertim cum Arcadius*

AUCTORE J. P.

A *Arcadius a collata ista dignitate imperiali annum ageret decimum, ætatis vero decimum sextum, quando et Honorius illa fuit insignitus. Tolerabilior ac minus falsa, non tamen satis in antiquitate fundata apparet narratio Zonaræ, dicentis quod Theodosius* indignatus . . Arsenium docentem sedere jusserit; *idque* ab eo tempore illi observarint.

discutiuntur.

10 *Ejusdem farinæ videtur aliud factum, apud Surium sub nomine Metaphrastis num.* 8: Non parvum aliquod delictum commiserat Arcadius . . quod non merebatur veniam; flagris eum cecidit divinus Arsenius. Ille non tulit hoc leviter; injuriam [potius] quam castigationem, hoc esse arbitratus . . indignabatur, iram apud se alens, et præceptori suo mortem moliens, *remque exsequi cupiens per spatharium, ut ibidem narratur. Scenam hanc supra fidem adornat Vita Vaticana, dicens quod Vir sanctus* ob puerile delictum . . gravi [adeo] eum plaga mulctarit ut pene ad mortem usque memoria eam teneret, et plagarum vestigia servaret . . adeo exacerbatus, ut postquam ad virilem pervenisset ætatem, clam B occidere illum voluerit. *Sed* Arsenius *jam ante dudum in solitudinem se abdiderat, quam Arcadius pervenit ad virilem ætatem. Deinde pugnant hæc cum iis, quæ subnectit paulo post:* Imperantibus Arcadio et Honorio innotuit, quod Arsenius in Ægypto degeret vitam solitariam; et plurimas ei epistolas scripsere, rogantes ipsum, ut pro discipulis suis et filiis oraret. Iterum autem ei scripsit Arcadius, obsecrans, sibi ut condonaret delictum suum, quod contra Arsenium commiserat, volens eum e medio tollere. *Castigatio ista Arcadii, quamquam mitius aliquantulum a Metaphraste et Nicephoro Callisto relata, difficultate tamen non caret: nam quis credat tanti imperatoris filium, anno ætatis circiter decimo sexto, imperiali honore jam diu ornatum, flagris a magistro suo cæsum fuisse? Scenica ista sunt Græculorum somnia, nisi aliunde probentur.*

C

§ II. Sancti in solitudinem secessus, causæ, adjuncta; præclare ibidem facta, et dicta.

Discessit Sanctus ex aula anno circiter 394, ætatis quadragesimo,

S*ecessisse Sanctum tempore Theodosii, auctor est Metaphrastes num.* 9 *his verbis:* Cum autem imperator (*Theodosius*) illius fugam non tulisset silentio; sed multi . . sæpe ad eum quærendum mitterentur . . nusquam . . apparebat Arsenius . . sic per totam (*id est,* reliquam) vitam Magni Theodosii latuit. *Idem habemus ex apographo Vaticano. Vita nostra tantum narrat,* aulis imperatorum pro nihilo putatis . . *eum* Alexandriam navigasse; *quod mortem aut vitam Theodosii neque includit neque excludit. Vitæ Patrum apud Rosweydum (verba dedimus num. 4) indicare videntur secessum hunc contigisse sub Theodosio: quia immediate subjungunt:* Hic itaque Arsenius desiderio divini amoris accensus, relinquens omnem seculi gloriam temporalem, perrexit ad eremum Scithi. *Jam vero quoniam Honorium et quidem jam augustum* Arsenius *instruxit, sicut probabile fit ex dictis; et quandoquidem Honorius isto titulo insignitus non fuit, ante diem* x *Januarii anno Christi* 393 (*imo forte tantum* xx *Novembris ejusdem anni, sicut sustinet Tillemontius Histor. imperator. citato tomo* V, *a pag.* 764) *videtur tempus istius discessus innecti posse anno circiter* 394. *Certe si anticipes annum* 390, *vix invenietur tempus, quo Honorium instruxisse intelligi ob immaturam ætatem possit; secluso etiam titulo augusti; si vero progrediaris ultra annum* 394, *vel primos dies anni* 395, *jam combinari haud poterit secessus* Arsenii *cum vita Theodosii, die* xvii *Januarii* 395 *e vivis erepti. Ætas vitæ, qua secessit, clare indicatur in Vita num.* 23: Mansit in palatio imperatoris Theodosii magni . . usque ad annum suæ ætatis quadragesimum. *Et sic expone locum in Vitis Patrum libro* v, *libello* xv, *auctore Græco incerto, interprete Pelagio, pag.* 621, *num.* 10: Fecit in palatio . . Theodosii annos quadraginta.

divina voce monitus.

12 *Metaphrastes cum apographo Vaticano, Zonara ac Nicephoro Callisto Viri sancti ex aula fugam occasione odii, quo Arcadius in eum exarsisse fertur, contigisse censent. At quia factum istud supra rejecimus; assignemus aliam causam. Vita nostra num. 4 et 5 tradit hanc:* Dei timorem in mente habens, ingemuit, et invocabat E Deum cum lacrymis, dicens: Domine, ostende mihi viam, in qua salvus fiam. Et vero dum die quadam in aula esset, audivit divinam vocem, quæ ei diceret: Arseni, si salvus esse vis, fuge homines, et salvaberis. Hæc itaque ubi audiisset Arsenius, jam pridem divino desiderio sauciatus . . . Alexandriam navigat. *Vitæ Patrum lib.* iii, *pag.* 506: Desiderio divino amoris accensum *memorant eum* perrexisse ad eremum Scithi. *Et libro* v, *libello* ii, *pag.* 563 *dicitur bis divinam vocem audivisse, alteram etiamnum degens in aula, alteram discedens ad vitam monasticam: idque iisdem pene verbis repetitur lib.* iii, *pag.* 528: *et conforme est Vitæ num.* 4 *et* 6; *et iis, quæ leguntur apud Cotelerium tomo* 1, *pag.* 353. *De voce divina Metaphrastes num.* 8 *cum apographo Vaticano. Nicephorus Callistus ait,* quando in Scetim se contulit, cælitus ad se delatam vocem audiisse. *Hanc ego vocem in aula ab* Arsenio *auditam præcipuam suppono causam fuisse, cur ad perfectiorem vitam aspirarit, memor forte illius Psal.* xciv ℣ 8. Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.

F

Adjuncta quædam istius discessus discutiuntur,

13 *Clam egressum tradit Zonaras; fundaturque in Vita, num.* 5. *Cur autem diligentius sese occuluerit, pluribus a Metaphraste et apographo Vaticano recensetur: quod sic compendiose narrat laudatus Nicephorus:* Postquam Arcadius ad imperium pervenit, angelicam eum consectari vitam innotuit. Proinde imperator ad eum scribens, cum precationem benedictionemque ejus, tum peccati gratiam ab eo petiit; eidemque ut Ægypti totius tributum pauperibus præberet, permisit. Sed hoc ille non recepit. *Zonaras pag.* 38 *ab utroque imperatore Arcadio et Honorio et sæpissime quidem litteras ad ipsum datas scribit; rem quoque hanc gestam paucis narrans; at liceat nobis desiderare majorem auctoritatem, priusquam adeo profusam atque incredibilem munificentiam admittamus. Miror hic nuperum Legendistam Gallum censoriæ virgæ tam parcum, alias tam exoticæ criticum.*

uti et factum aliquod post discessum;

14 *Singulare iterum est, quod commemorat Metaphrastes num.* 19: Arsenius visus est etiam, postquam ad vitam accessisset monasticam, veluti quasdam apud se servare reliquias aulicæ arrogantiæ et superfluitatis: in sedendo enim

AUCTORE J. P.

enim sublimem unum tenens ex pedibus, imprudens sæpe imponebat alteri . . . Hoc visum a patribus . . . sed magna Viri dignitas, et reverentia eos abducebat ab eo, quod statuerant. Postquam autem hoc quoque novit monachus Pastor, qui erat prudentia simul et virtute incomparabilis . . . Cum ego, inquit, ad monachos accessero ad synaxim, et vobiscum considens, sedero in eodem habitu, vobis aspicientibus videatur hæc res non toleranda, sed statim procedatis ad me reprehendendum, et ego statim cedam : et, ut qui perperam in hac re me geram, * me corrigam. Quod quidem factum cum divinus intellexisset Arsenius, et mente cito agitasset, demisit pedem, et deinceps omnino abstinuit a turpi hac sessione. *Eadem res verbosius recensetur in ecgrapho Vaticano : mitto quærere, ex quo fonte hausta ; majore fuerat certe auctoritate firmanda, ut secure credi posset.*

in quo multa præclare gessit

15 *Quæ Sanctus in solitudine præclare gessit ac docuit, collegit auctor Vitæ ; qui tamen non pauca hic aliunde illustranda ac supplenda reliquit. Quod in ea habetur num.* 11, longe distabat B ejus cella, *sic amplificari potest ex Cotelerio tomo* I *Eccl. Græc. Monum. pag.* 357 : Dicebant de illo ; quod ipsius cella dissita erat spatio miliarium triginta duo. Non cito autem egrediebatur : alii enim ministerium ei faciebant. *De quibus etiam in Vitis PP. lib.* v, *pag.* 564. *Oculos identidem in cœlum conversos habuisse, colligimus ex Vitis PP. lib.* III, *pag.* 528, *ubi discipulo suo, externos homines ad se videndum venisse nuntianti :* Me permitte, *inquit*, cælum aspicere. *In admittendis iis, qui se inviserent, erat parcissimus : ibidem lib.* v, *pag.* 592 : Abbas Arsenius non cito occurrebat alicui. *Metaphrastes num.* 16 *narrat ista :* Fratrem quemdam, qui procul venerat, neque sciebat, ubinam habitationem haberet Arsenius, deinde sciscitatus, vix eam invenerat. Postquam eum ad se venientem novit . . . cœpit petere lapidibus, et ita eum a se repellere. *Credite posteri. Melius auctor Vitæ num.* 9 *occasione senis eum invisentis, cui alloquium denegabat.* Nec quis putet, *inquit*, charitatis, cujus erat amantissimus, dispendio id factum ; verum ut ne vel tantillum a perfectione avocaretur. C *Taciturnitatem ac silentium arctissime tenuit. Vitæ PP. lib.* v, *pag.* 608 *et* 609 : Dicebat abbas Ammoys (*Cotelerius pag.* 390 Ammoes, *Græce* Ἀμμώης) abbati Arsenio * in initio : Quomodo me vides modo ? Et ille dixit : Sicut angelum, pater. Et iterum dixit ei postea : Nunc quomodo me vides ? Et ille dixit : Quomodo satanam : etenim vel si bonum sermonem loquaris, velut gladius mihi est.

* Cotelor. *Esaiæ* : gr. Ἠσαΐᾳ, *al* Ἀσίῳ.

a. dixit

16 *In Thesauro ascetico, quem Possinus noster collegit, atque in Latinum convertit, edito Tolosæ anno* 1683, *pag.* 240 *lego ista :* Illud quoque sibi frequenter iterans inculcabat : Sæpe me pœnituit locutum esse ; numquam siluisse ; (*quod et Vita num.* 22) *sed apud Possinum sequitur :* Propterea conversationes hominum vitabat, nisi quem sibi necessarium et Deo gratum, cum quopiam congressum rebatur esse. Sic igitur faciens, exiguo tempore magnus effectus est, et patres fere omnes notitia rerum divinarum, et eas explicandi facilitate superavit. *Et tamen demississime de se Vir sanctus sentiebat ; non tantum ex amore solitudinis, sed ea etiam de causa homines fugiens. Vitæ PP. lib.* v, *pag.* 592 : Dicebant de D abbate Arsenio et abbate Theodoro de Pherme, quia super omnia humanam gloriam odio haberent : abbas enim Arsenius non cito occurrebat alicui. *Demissa adeo ipsius modestia in causa erat, quod in rebus agendis sibi diffisus alios consuleret : hinc apud eumdem Possinum pag.* 247 : Adiit aliquando . . abbatem Pœmenem cum discipulo suo Isaac, et ait illi : Quid faciam Isaaco huic, qui libenter me audit de rebus divinis disserentem ? Ait ipsi abbas : Si vis juvare ipsum, opere ipsi et exemplo monstra virtutem : nam doctrinam quidem quamvis attente audiens, deses remanet ; quod autem facto monstrabis, in eo durabit, ad imitationem trahens. *Accedit custodia sui in Vitis PP. lib.* III, *pag.* 611 : Dixit quidam senex : Debet monachus quotidie mane et sero cogitare in semetipso quid fecit eorum, quæ vult Deus, et quæ non fecit : et ita tractantem omnem vitam suam, pœnitentiam agendo, monachum esse oportet : sic enim abbas Arsenius vixit. *Ex Joannis Climaci gradu* 27 *studium virtutum intellige :* Memento qui in solitudine degis angeli hujus solitarii E (*Arsenii*) institutum ; atque intuere, quomodo ad se advenientes, ne id, quod erat majus, omitteret, insalutatos plerumque remiserit.

ad instructionem

17 *Nunc de documentis asceticis Sancti dicamus. In Vitis PP. lib.* v, *pag.* 578 *monachus aliquis* quemdam senem *consulit*, *quomodo se gerere debeat in cogitationum impudicarum suggestione ; et in meditatione verbi Dei, quando non compungitur. Tillemontius tomo* XIV, *pag.* 187 *illud tribuit* Arsenio ; *putamusque vere, illius esse, sicut ex sequentibus patebit. In Vitis PP. lib.* III, *pag.* 507 : Quidam de fratribus dixit beato Arsenio : Ecce, beatissime pater, meditari festino de Scripturis sanctis, quæ didici ; et non sentio compunctionem in corde meo ; quoniam non intelligo virtutem divinæ Scripturæ : unde et valde contristatur anima mea. Respondens autem beatus Arsenius ait : Oportet te, fili, incessanter meditari eloquia Domini : audivi enim, quia dixit beatus abbas Pœmen, et alii multi sanctorum patrum : quoniam incantatores illi, qui serpentes solent incantare, non intelligunt ipsi verba illa, F quæ loquuntur, sed serpentes audientes intelligunt virtutem verborum illorum, et conquiescunt, et subduntur eis. Sic etiam et nos faciamus : quamvis enim non valeamus intelligere divinarum Scripturarum virtutem, tamen dæmones audientes, divini verbi virtute terrentur, et effugati discedunt a nobis, non sustinentes eloquia Spiritus sancti, quæ per servos suos prophetas et apostolos locutus est. *Hæc ibi : quæ aliquibus mutatis aliquanto contractius referuntur dicto lib.* v, *pag.* 578, *quamquam sine nomine* Arsenii ; *et quoniam uterque textus idem in substantia enuntiat ; atque illi, qui ex duobus contractior est, eadem orationis serie, eodemque fratre monacho interlocutore, præmittitur sequens documentum, ideo sufficiens fundamentum nobis præberi arbitramur, ut et illud* S. Arsenio *adscribamus. Sic vero habet citata pag.* 578.

aliorum

18 Frater quidam interrogavit quemdam senem dicens : Quid facio ? quia cogitatio mea semper in fornicatione est intenta, et non dimittit me quiescere una hora, et affligitur

A gitur ex hoc anima mea. Ille autem dixit ei: Quando dæmones cogitationes in corde tuo seminant, et sentis hoc; non colloquaris cum animo tuo: quoniam dæmonum est suggerere: et licet non negligant hæc immittere, tamen non extorquent dæmones. In te est ergo suscipere et non suscipere. Respondens autem frater, dixit Seni: Et quid faciam? Quia fragilis sum, et superat me passio hæc. Ille autem dixit ei: Intentus esto ad hujusmodi. Scis autem quid fecerint Madianitæ? Ornaverunt filias suas, et statuerunt eas in conspectu Israëlitarum: non tamen extorserunt aliquibus, ut miscerentur cum eis: sed qui voluerunt, incurrerunt in eis. Alii autem indignantes comminati sunt, et cum interitu eorum, qui præsumpserant, ulti sunt fornicationem: ita agendum est et de fornicatione. Et quando initium faciunt loqui in corde tuo, non respondeas eis: sed surgens ora, et age pœnitentiam, dicens: Fili Dei, miserere mei.

utiliæ 19 *Ibidem pag.* 598: Narravit iterum abbas Daniel, quia quando erat in Scithi abbas B Arsenius, erat ibi monachus quidam rapiens ea, quæ habebant senes: abbas autem Arsenius volens eum lucrari, et senibus quietem præstare, tulit eum in cellam suam, et dicit ei: Quidquid vis, ego tibi dabo: tantum non rapias. Et dedit ei aurum et nummos, et rescellas, et omne, quod in responso suo habebat, dedit ei. Ille autem iterum rapiebat. Senes vero videntes, quia non quievit, expulerunt eum, dicentes: quia si invenitur frater habens de infirmitate corporis aliquid, oportet sustinere eum: si autem furatus et admonitus non quiescit, expellite eum; quoniam animæ suæ detrimentum facit, et omnes in eo loco habitantes conturbat. *Per* rescellas, *reculas, diminutivum a* res; *per* responsum *vero fiscellam seu sportam intelligit Rosweydus in notationibus, vix dubitans, quin interpres in Græco invenerit* προσφωνάριον. *Cotelerius pag.* 421 *legit:* ἱματισμὸν, καὶ πᾶσαν τὴν χρείαν αὐτοῦ, *id est*, vestem, et quidquid necessarium ei erat; *male existimasse Rosweydum censens, in Græco esse vocem* προσφωνάριον, *sicut* C *videre est in Cotelerii notis col.* 805. *Corderius noster in notis ad Institutiones asceticas S. Dorothei a se editas pag.* 190, *vult in Græco fuisse vocem* ἀπόκρισις, responsum.

ad spem veniæ 20 *Animos afflictis addit apud eumdem Rosweydum lib.* VII, *auctore Græco incerto, interprete Paschasio, cap.* XI, *pag.* 669: Abbas Arsenius dixit: Non coctus laterculus, si missus in fundamentum fuerit prope fluvium; neque uno die sufferre poterit: si autem bene fuerit coctus, permanet tamquam lapis: sic et homo non coctus neque inflammatus, secundum quod de Joseph dictum est: Eloquium Domini inflammavit eum; mox in principio carnalis cogitationis dissolvitur. *Similia habes in Vita S. Pachomii abbatis die* XIV *Maii, pag.* 327. *Effatum illud aliter aliquantum ac pluribus verbis memoratur ibid. lib.* V, *pag.* 626, *et abbati Orsisio adscribitur: et fortasse ab utroque pronuntiatum fuit, ab uno quidem succinctius, ab alio prolixius. Eodem lib.* VII, *pag.* 669 *habentur ista:* Idem (*Arsenius*) requisitus ab altero fratre, dicente: Si peccavero, etiam in quocumque minuto peccato, et consumit me cogitatio mea, et arguit me dicens: Quare peccasti? Quid faciam?

Respondit senex: Quacumque hora ceciderit homo in culpam, et dixerit ex corde: Domine Deus, peccavi, indulge mihi; mox cessabit cogitationis vel tristitiæ illa consumptio. AUCTORE J. P.

21 *Cotelerius tomo* I, *pag.* 521 *vulgavit ista:* Accessit senum aliquis ad abbatem Lot, in parvam paludem Arsenoitæ, et rogavit eum per cellam, deditque illi. Ægrotabat autem senex, ac refecit eum; quod si venissent aliqui congressuri cum abbate Loto, efficiebat, ut etiam visitarent senem infirmum. Cœpit ergo eis loqui sermones Origenis: qua de causa abbas Lot perrexit ad abbatem Arsenium, narravitque ei de sene. Ait abbas Arsenius: Noli expellere, sed dicito ei: Ecce e bonis Dei; manduca, bibe, prout volueris; tantum hos sermones ne proloquaris: quod si voluerit, emendabitur; si vero noluerit emendare se, sponte rogaturus est, ut e loco secedat, nec tu futurus es discessus causa. Itaque reversus abbas Lot ita fecit. Tum senex postquam audivit hæc, noluit corrigi, sed cœpit rogare, dicens: Propter Dominum, hinc me ablegate: nec enim amplius valeo sustinere solitudinem: E atque sic exsurgens egressus est, deductus cum caritate. *et ad emendationem vitæ accommodata.*

22 *De benignitate erga delinquentes præsertim juniores apud Socratem lib.* IV *Historiæ eccl. cap.* XXIII, *sic legitur:* Alius item, nomine Arsenius, juniores monachos, qui deliquerant, a communione minime separabat, sed eos, qui provecta essent ætate: dicebat enim, juvenem, qui excommunicatur, contumacem fieri: seniorem vero cito excommunicationis dolorem sentire. *Quia unicum dumtaxat inter solitarios novimus* Arsenium, *ideo non videtur alteri cuiquam, spectato textu, tribui debere is agendi modus. Socrates tamen cum non agat ibidem nisi de illis, qui præcesserunt mortem Valentis, excepto solo Euagrio, de quo videsis pag.* 235; *concludatque citatum caput, dicens:* Euagrium . . paulo post obitum Valentis floruisse; *textus difficultate non caret. Menardus certe in Concordia regularum, auctore S. Benedicto Anianæ abbate, Parisiis anno* 1638 *edita, pag.* 54, *ex tempore, quo vixerunt solitarii isti, de quibus scribit Socrates, censet hic pro* Arsenio *substituendum alium, Græcis* Ἀρσίσιον, *Latinis* Orsiesium, *sive* Orsiesim. *Tillemontius tomo* XIV, *pag.* 690, *ex* F *eo, quod non norit nisi unicum inter solitarios Arsenium, videri censet, rem hanc gestam absque difficultate ipsi attribui posse; tacta tamen textus superioris e Socrate difficultate. Miror hic ita loqui Tillemontium, qui tomo* VII, *pag.* 165 *factum istud abjudicandum* Arsenio *nostro censuerat, uti et in notis ad illum tomum pag.* 674. *Erga delinquentes erat benignus*

§ III. Alia ascetica documenta; fuga ex Scethi in Troën; inde in Canopum; dicta a Sancto et facta utrobique expensa.

C*otelerius inter laudata Patrum Apophthegmata tomo* I, *a pag.* 421 *ista de* S. Arsenio *vulgavit:* Abbas Daniel Pharanita narravit hæc: Dixit pater noster abbas Arsenius de quodam Scetiota, quod magnus esset in agendo, in fide *Sanctus inducitur narrans exemplum monachi increduli,*

 vero

AUCTORE J. P.

vero simplex : unde, quia erat idiota, fallebatur, ac dicebat : Non est revera corpus Christi panis, quem sumimus, sed antitypum seu figura. Et audierunt duo senes, quod talem proferret sermonem. Scientes autem eum esse magnum vitæ moribus, reputaverunt ita loqui ex simplicitate, absque malitia : unde ad eum profecti dixerunt : Abba, sermonem fidei contrarium audivimus de quodam, quod putet non esse vere et natura corpus Christi, quem sumimus panem, sed esse antitypum. Respondit senex : Ego sum, qui ita sentio. Illi vero monuerunt eum hisce verbis : Abba, noli sic tenere, sed quemadmodum tradit Ecclesia catholica. Nos enim credimus, quod ipse panis, corpus sit Christi ; et calix, ipse sit sanguis Christi, secundum veritatem, non secundum figuram. Sed sicut in mundi principio Deus pulverem de terra accipiens, hominem formavit ad imaginem suam : nec quisquam dicere potest, non esse imaginem Dei, quamvis incomprehensa sit imago ; ita etiam de pane, de quo dixit : Corpus meum est, sic credimus, quod juxta veritatem corpus sit Christi.

B

circa veritatem Eucharistiæ:

24 Tum senex infit : Nisi res ipsa persuaserit, non plene mihi erit satisfactum. Illi ad eum : Deum deprecemur per hanc hebdomadam circa mysterium hoc : confidimus, eum nobis revelaturum. Senex vero cum lætitia admisit sermonem, Deumque orabat, dicens : Domine tu scis, me non propter malitiam esse incredulum ; sed ne per ignorantiam aberrem, mihi revela, Domine Jesu Christe. Senes quoque regressi ad suas cellas, obsecrabant Deum ac dicebant : Domine Jesu Christe mysterium istud revela seni, ut credat, nec perdat labores suos. Et exaudivit Deus utrosque. Completa ergo hebdomada venerunt Dominico die ad ecclesiam, steteruntque una tres soli in uno embrimio ; medius autem erat senex. Tunc aperti sunt oculi eorum. Nam cum panis ad sacram mensam positus fuisset, tribus solis apparebat velut puerulus. Et ubi manum extendit presbyter ad frangendum panem, ecce angelus Domini descendit de cælo, habens cultrum, et puerulum mactavit, ac sanguinem ejus infudit in calicem.

C

qui patet eo miraculo divinitus curatur.

25 Tum quando presbyter in particulas fregit panem, etiam angelus e puerulo particulas incidebat. Ut porro accesserunt ad sumendum e sanctis, soli seni data est caro cruenta. Quod intuitus timuit, et clamavit, dicens : Credo, domine, quod panis corpus tuum fit, nec non calix sanguis tuus. Atque illico caro, quam præ manibus gerebat, evasit in panem, juxta mysterium. Et communionem sumpsit, gratias agens Deo. Ajunt ei senes : Novit Deus humanam naturam, quod carnibus crudis vesci nequeat ; ideo corpus suum transformavit in panem, et suum sanguinem in vinum, iis qui fide suscipiunt. Et gratias egerunt Deo de sene, quod non permisisset perire labores illius. Tunc abierunt tres illi in cellas suas ingenti cum gaudio. *Eadem historia legitur ibid. in Daniele a pag.* 421, *in Vitis PP. lib.* v *a pag.* 635 ; *quam auctor apud Surium partim interpolavit, partim decurtavit.* Embrimium *redditur in Vitis PP. pag,* 636 sedile de scirpo, quod in modum fascis erat ligatum. *Cotelerius in notis col.* 806 *ait alibi legi,* plumatium de scirpo : *de quo Onomasticum Rosweydi, Vitis PP. subnexum pag* 1047 ; *et apud eumdem inter Apophthegmata Patrum pag.* 493 *occurrit :* Posuit ergo senex duo embrimia . . . dixitque : Sedete. *Cangius in Glossario Græco dicit esse* mattam ex grossa papyro tenuiter pectinatam, *ex veteribus glossis. Consule notas Cotelerii col.* 806 ; *ubi examinata vocis origine, addit* embrimia *seu* embrymia *fuisse fasciculos colligatos, variis virgultis plenos. De hac voce etiam agit laudatus Cangius in Glossario Lat. col.* 237.

D

Ex Scethi fugatur S. Arsenius

26 *Sanctus noster diu quidem, at non semper in Scethi permansit, barbaris illuc irrumpentibus sedem mutare coactus. Cassianus collatione* II, *cap.* VI, *ac Vitæ Patrum lib* III, *pag.* 529 Mazices *ipsos vocant ; nos* Mazicos *vocabimus, Libyæ incolas. Palladius in Historia Lausiaca cap.* VII *indicat vicinos fuisse Scethicæ solitudini. Rabiem eorum describit Cassianus loco citato, ita dicens :* Gens cunctis pene nationibus feris immanior atque crudelior est : non enim eos usque ad effusionem sanguinis, ut nonnullas gentes desiderium prædæ, sed sola feritas mentis instigat. *Meminit de iis Euagrius lib.* I, *cap.* VII, *et Ammianus anno* 1693 *editus, lib.* XXIX, *cap.* V, *prout insuper in notis ad dictum locum. Videri etiam possunt, quæ jam pridem dicta sicut tomo* II *Februarii, pag.* 46. *De Mazicorum latrociniis, et quorumdam solitariorum fuga agitur loco mox citato ex Vitis Patrum. At duplex horum barbarorum distinguenda est irruptio ; una quidem sub prima tempora, quibus eo se receperat* S. Arsenius, *nimirum circa annum* 395 ; *qui vel inde non fugit, si Metaphrasti credimus ; vel si fugit, eodem haud dubie non multo post rediit, ut conformiter ad chronotaxim Vitæ,* anni quadraginta *ibidem ab eo exacti ac simul alia alibi tempora ab eodem in solitudine impensa inveniantur.*

E

tempore secundæ incursionis Mazicorum ;

27 *Quibus accedit alia ratio tam pro festino ipsius quam aliorum reditu a Tillemontio assignata tomo* XIV, *pag.* 693 ; *secundam barbarorum irruptionem innectente anno circiter* 430 *aut* 434. *Tunc itaque ab amata sibi et per annos circiter quadraginta inhabitata solitudine avulsus fuerit Vir sanctus non sine fletu ; prout fidem faciunt Vitæ Patrum lib.* v, *pag.* 564 : Quando in solitudinem redactus est *(sive ut Græce apud Cotelerium* ἠρημώθη vastatus est, desolatus est) locus qui vocatur Scithi, exivit plorans *(Arsenius ;)* et dicens : Perdidit mundus Romam *(consule Baronium anno* 410) et monachi Scithi. *Ad primam itaque Mazicorum invasionem, quæ narrat Metaphrastes apud Surium num.* 15, *referenda sunt, si vera sunt, quæ narrat :* Cum barbari aliquando in Scete fecissent excursiones ; alii quidem ex patribus conversi sunt in fugam, et ea ratione evaserunt ex manibus barbaricis. Arsenium autem nullus invasit metus . . sed sic manens in cella : Si mei, ajebat, Deus curam non gerit : curnam ego velim vivere ? Sic dicens et sentiens surrexit et transiit per medios barbaros ; et nihil mali passus, salvus evasit : cum eis nullum omnino sui sensum dedisset. *Nimis hoc mirabile ac singulare, quam ut sola Metaphrastis, aut, quisquis ista scripserit, alterius auctoritate non satis ad faciendam fidem idonea, mox admittatur. Quid si is* Arsenio *hic aptarit id, quod narratur de Daniele, Sancti discipulo, apud Cotelerium pag.* 419 : Quando barbari in Scetim prorupere, fugæ

F

in prima vero invisibilis per eos transiit, si credimus Metaphrasti.

AUCTORE J. P.

A fugæ se dederunt patres. At senex dixit : Si Deus mei non gerit curam, cur etiam vivo? Et per medios barbaros transivit, nec viderunt eum.

Sub quod tempus referendum est aliud Sancti factum.

28 *Ad primos etiam ante vel post primam Mazicorum irruptionem* S. Arsenii *in eremo annos referenda sunt, quæ recenset Vita num.* 11 ; *ubi monachus aliquis, videndi* Arsenii *desiderio flagrans, ad eum deducitur, sed sicce admodum ac jejune excipitur : Moyse ex latronibus converso, quem postea invisit, amicissime ipsum excipiente. Puto hic designari Moysen, abbatem illustrem, sacerdotem ac martyrem, cujus acta collegit ac digessit Tillemontius tomo* X, *a pag.* 62 ; *mortem ejus pag.* 64 *illigans anno circiter* 395 ; *et pag.* 76 *inter annos* 392 *aut* 393 *et* 400 *eam collocat : (de qua re uberius agi poterit die* XXVIII *Augusti cum Martyrologio Romano) hoc certum esse affirmans pag.* 75, *vita functum ante annum* 420 *ex eo, quod Palladius Helenopoleos episcopus, Historiæ Lausiacæ cap.* XXII *loquatur de ejus morte.*

Profugus in Troën invisitur a Timothei, ep. Alexandrini avunculo,

29 *Locus, in quem, Scethi relicta, se abdidit* S. Arsenius, *est* Troë, *superioris Babylonis* versus Memphim; *quem bis incoluit : prima vice annos decem in eo moratus, ut dicitur in*
B *Vita num.* 23 ; *ac secunda annos duos, uti ibidem habes. Situs clare traditur duabus hisce urbibus appositis, olim Ægypti præcipuis, at nunc excisis ; de quo vide tabulam chronographicam particularem mansionum eremiticarum post prolegomena ad Vitas Patrum apud Rosweydum; ubi tamen ejusdem loci nomen haud invenio. Vocatur etiam* Petra Troæ, *apud Cotelerium pag.* 366, *ubi et exponitur sequens factum multis tricis implexum :* Idem *(abbas Daniel)* retulit, quod aliquo tempore venerint quidam patrum ab Alexandria, ut viderent abbatem Arsenium : ex quibus unus erat veteris Timothei archiepiscopi Alexandrini, pauperis nuncupati, avunculus, comitemque habebat, e fratris sui liberis unum. Tunc vero ægrotabat Senex, noluitque eis occurrere, ne alii pariter accederent ac eum interturbarent. Erat porro in Petra Troæ. Illi tristes remearunt. Contigit autem ut barbarorum irruptio fieret : unde mansit sponte in inferioribus partibus. Quo audito, iterum venerunt illum invisere, et alacriter suscepit eos. Dicit illi frater,
C qui una cum illis erat : Nonne scis, Abba, nos, congressuros tecum, perrexisse Troën, nec a te admissos fuisse. Respondit Senex : Vos panem comedistis, ac bibistis aquam : ego vero, fili, sane nec panem nec aquam gustavi ; neque sedi me ipsum puniens, donec exploratum habui, vos ad locum vestrum pervenisse : quia propter me fatigati fueratis : sed veniam mihi donate, fratres. Illi recreati discesserunt.

cujus ætas cum isto facto

30 *Rationem cognomenti* pauperis (ἀκτήμονος) *dare, in promptu non est; ut quod alibi minime reperiam. Omnem difficultatem hic movet* unus *ille* veteris Timothei, archiepiscopi Alexandrini avunculus *(sive avunculus is revera fuerit, sive patruus ; nam* θεῖος *utrumque significat) qui Sanctum convenisse fertur. Varii inter episcopos Alexandrinos se nobis offerunt ; sed quorum unus dumtaxat cum præsenti re gesta chronologice utcumque combinari potest; estque Timotheus I, epitetho* παλαιοῦ, veteris *hic, ni fallor, discriminatus ab aliis homonymis, qui post ipsum secuti sunt. De hoc porro Timotheo videsis Historiam chronologicam Patriarcharum Alexandrinorum tomo* V *Junii præfixam, pag.* * 50 : *de Vitis autem Patrum, quas scripsit, Sozomenum lib.* VI, *cap.* XXIX : *Rosweydum prolegomeno* IV *ad Vitas Patrum, sectione* I, *ac Vossium de Historicis Græcis lib.* II, *cap.* XIX. *Jam vero quænam Timotheo isti ad rem nostram hic aptando incommodent, expendamus. Troën se contulit* S. Arsenius *anno circiter* 434 : *Timotheus autem iste obiit anno* 385, *ac proin necesse erit dicere, avunculum seu patruum ejus, qui inviserit Sanctum in* Petra Troæ, *ipsi supervixisse annis fere* 50.

ægre combinari potest.

31 *Crescit difficultas ex eo, quod eædem, ut vidimus, personæ narrantur eumdem Sanctum convenisse in inferiore Ægypto ; per quam ex dicendis, videtur intelligi Canopus; quo quia ivit post decem annos in Troë exactos, jam sequitur, ut factum id fuerit anno circiter* 444 ; *et avunculus proin ille tum annos circiter* 90 *numerarit, etiamsi gratis demus, eum annis circiter* 20 *juniorem fuisse suo nepote ; qui patriarchalem cathedram ascendit anno* 381 ; *annis si non gravis, saltem absque dubio ad insignem adeo dignitatem ætate jam maturus. Apud Surium pro* Timotheo *ponitur* Theophilus ; *qui, ut videre est in dicta Histor. pag.* * 51, *anno* 412 *obiit ; at præterquam quod* E
nesciam, qua idonea auctoritate illa mutatio facta sit ; accedit eo, quod aliquo quidem usque sic evacuatur difficultas, non tamen omnino tollitur : nam vel sic avunculus iste suo nepoti debuisset supervixisse annis triginta et amplius ; quod licet non sit adynaton, non est tamen ordinarium. Quid si Sanctus versus annum 395, *quando Mazici prima vice Scethim devastarunt, quia erat in vita monastica etiamnum tiro, barbarorum imminentium terrore perculsus, inde in Troën primo, deinde in inferiorem Ægyptum ad tempus aliquod se receperit ; ubi res hæc gesta tunc contigerit? Metaphrastes apud Surium num.* 22 : Sic, *inquit,* divinus Arsenius non absolute et indiscriminatim eos, qui accedebant, videbat et non videbat, sicut prius dictum est sed pia consideratione, et divino quodam judicio. Ceterum eorum quoque, qui sic revertebantur, et nec eum viderant, nec convenerant, magnam habebat rationem, ut nunc ostendit ex hac sui excusatione ad eos, qui non viderant. *Melius mores et indolem Sancti hic depingit Metaphrastes, quam supra, ubi de fratre, qui invisum ad ipsum venerat, lapidibus appetito.* F

Secedit in Canopum: an et quando a Theophilo ep. Alexandrino visitatus?

32 *Dicendum nunc, quænam sit illa* Canopus Alexandriæ, *in qua tres annos exegisse Sanctum memorant Vitæ num.* 23, *Vitæ Patrum lib.* V, *pag.* 622, *ac Cotelerius pag.* 371. Canopus, *aliis Canobus, urbs Ægypti, olim episcopalis, in ora littorali maris Ægyptii ad ostium occidentale Nili, quod ab ea Canopicum appellatur, Alexandria* 25 *mil. pass. in ortum distans, hic intelligi non potest ; uti per se liquet : quid enim Anachoretæ cum urbano strepitu? Alia ergo Canopus sit oportet, de qua hic agitur ; nimirum insula parva ostio Canopico objecta ; non vero, prout apud Surium dicitur,* unum ex septem ostiis Nili, *si proprie loqui velimus. Ibi dum Sanctus degeret :* Mulier quædam senatoria venit Roma.. S. Arsenium videre desiderans, *interponente auctoritatem suam* archiepiscopo Theophilo, *ut facilior ei pateret ad Sanctum aditus. Res gesta pluribus recensetur in Vita num.* 12, *uti et in Vitis Patrum lib.* III, *pag.* 51 *(at pro* Canopo *ibi legitur* Campo ; *) lib.* V, *pag.* 564 ; *apud Surium num.* 17, *ac Cotelerium pag.* 360. *Interim ubique constanter exprimitur* Theophilus ; *qui iterum recurrit in Vita*

AUCTORE J. P.

Vita nostra num. 9, *et quidem bis congressum Sancti ambiens; non expresso loco, ubi hoc accidit; qui fortasse fuit Scethis, non autem Canopus; adeoque personæ, locus, tempus apte cohærere possunt. Secus statue de alio isto priore congressu Theophili in Canopo, qui combinari nequit cum ejus ætate, si ipsum differas juxta ordinem narrationis in Vita num.* 23 *(quid ni et temporis?) usque ad tres dictos annos, quos Sanctus in Canopo exegit; uti elucescet ex chronotaxi nostra, cum mortuus sit Theophilus anno, ut diximus,* 412, *et S. Cyrillus I, eum secutus, sederit usque ad annum* 444. *Quod si Sanctum, quo tempore in Scethi degebat, exeunte nimirum sæculo quarto, aut ineunte quinto, in Canopum tantisper secessisse statuas, ibique a Theophilo fuisse conventum, rem commode composueris.*

§ IV. Reditus in Troën; mors, sepultura, chronotaxis vitæ, discipuli.

B

In partes Alexandriæ digressus S. Arsenius,

At *neque in ipsa inferiore Ægypto, quo majoris quietis causa secesserat, viro Sancto quieto esse licuit; nam, sicut est in Vitis Patrum libro* v, *libello* xv, *num.* 9 : Sedente eodem abbate Arsenio aliquando in inferioribus partibus Ægypti, cum illic importunitates pateretur, visum est ei derelinquere cellam suam : et nihil ex ea tollens secum, *missos fecit Alexandrum ac Zoilum, discipulos suos, qui tunc cum ipso erant, forte ut arctiori solitudini vacaret : de qua re etiam agitur in Vita num.* 18 *et apud Cotelerium pag.* 363. *Deinde paulo post refertur ibidem in Vitis Patrum :* Descendit Senex circa partes Alexandriæ, et ægrotavit ægritudine magna. *Vita nostra ait :* Descendit... Senex in partes Thebaidis, gravique infirmitate correptus est. *Cotelerius legit* in partes Alexandriæ. *Et sic certo legendum : quid enim Arsenio, in inferiore Ægypto degenti, cum partibus Thebaidis, in Ægypto superiore porrectis, quæ ab inferiore tota fere Ægypto dividitur? Ne plura congeram; res dilucidabitur ex Vitæ contextu :* Dixit Alexandro : Surge et naviga : et morem gessit. Ac Zoilo dixit : Veni mecum
C
usque ad flumen, et quære mihi navem, quæ ALEXANDRIAM versus vela faciat : sicque tu ad fratrem tuum naviga. Zoilus his dictis turbatus tacuit : atque ita alter ab altero sejuncti sunt. *Vide jam quo pacto cohæreant hæc cum iis, quæ ibidem mox sequuntur :* Descendit igitur Senex in partes Thebaidis, gravique infirmitate correptus est.

redit in Troën, ibique moritur, mortis præscius,

34 *Itaque non in Thebaidis (ubi non scio quod tota sua vita umquam fuerit) sed in Alexandriæ partibus Sanctus a morbo sanatus, reditum meditatur ad suos in Troën; quod in hunc modum pertexere pergit Vita :* Sanitati autem restitutus Senex dixit : Ibo ad patres meos. Et sic navi revectus venit in Petram *(Troës)*; ubi erant discipuli ejus, *decursis in Canopo et partibus Alexandriæ annis tribus.* Cum vero prope flumen *(Nilum)* esset, *contigit historia Æthiopissæ, volentis tangere meloten ejus : occursus discipulorum Alexandri ac Zoili; et reliqua eodem num.* 18. Manseruntque cum eo usque ad mortem ipsius; *per duos utique annos vitæ postremos, quibus Troën redux, vitam ibidem clausit,* consummans cursum suum in pace ac timore Dei, *ut dicitur num.* 23. *Huc pertinet* D
monitum discipulis ante mortem datum; quam num. 22 *ostendit se prænovisse :* Turbati sunt discipuli hæc audientes : Et dixit illi : Nondum venit hora; quando autem venerit, dicam vobis : *de qua re Vitæ PP. pag.* 661, *ac Cotelerius pag.* 369; *quæ amplificantur apud Surium num.* 27.

postquam vetuisset corpus suum ulli post mortem dari,

35 *Quædam etiam circa corpus suum post mortem discipulis observanda præscripsit num.* 21 : Judicium, *inquit,* vobiscum subire debeo ante tribunal Christi, si cuiquam dederitis corpus meum : *sive ut ab eo, post mortem honores omnes arceret, quos adeo impense in vita semper declinaverat; sive ut ansam omnem præcideret stultitiæne dicam an superstitioni inveteratæ, quibus defunctorum corpora prosequi solebant Ægyptii gentiles; proposito sibi fortasse exemplo S. Antonii abbatis, in cujus Vita ad diem* XVII *Januarii num.* 139, *narrantur ista :* Finito sermone, fratres eum vehementissime retardabant, glorioso Patris cupientes termino decorari : sed multas ob causas, quas et silentio demonstrabat, præcipue tamen ob præsumptam Ægypti consuetudinem contradixit. Mos enim Ægyptiis E
est, nobilium et præcipue beatorum Martyrum corpora linteamine quidem obvolvere, et studium funeri solitum non negare; terra vero non abscondere, sed super lectulos domi posita reservare. Hunc honorem quiescentibus reddi, inveteratæ consuetudinis vanitas tradidit.

et jussisset loco abjectissimo

36 *Plura ibidem; ubi et consuli possunt annotata; Baronius ad annum* 358, *num.* 23; *ac Rosweydus noster in notationibus ad Vitas Patrum, pag.* 73; *qui plura collegit de causa, origine ac modo condendi corpora apud Ægyptios; quem, tametsi vetitum, apud Christianos tamen post S. Antonii tempora perseverasse, ibibem invenies. Verum ut ad* S. Arsenium *redeamus; videtur is commendasse suis discipulis, ut corpus suum conderent loco incognito et occulto : nam,* Quid ergo, inquiunt, faciemus? Quia nescimus illud sepelire. Et dicit eis Senex : Non nostis mittere funem, et tollere me in montem? *Exemplum hic denuo sumere poterat a Magno Antonio, de quo loco citato pag.* 140 *ita referuntur :* Servaverunt mandata discipuli, involutum (ut præceperat) corpus humo operientes; et nemo inte- F
rim usque ad hanc diem, præter eos, ubi sit conditum, novit : *de qua re Baronius loco mox assignato. Metaphrastes ita Sancti nostri sepulturam narrat num.* 27 :

illud sepeliri.

37 Atque mortuum quidem corpus in ipsis, quibus fuerat indutus, vestibus, cilicio, inquam, et pelle ovilla ejus discipuli, cum psalmos pro more cecinissent, in quodam loco Stromes deposuerunt; *adoptante, quæ de vestibus, cilicio videlicet ac pelle ovina hic memorantur, pluries dicto Legendista Gallo. At Daniel, Sancti discipulus, apud Cotelerium pag.* 371 *disertis verbis contrarium testatur :* Reliquit, *inquit,* vero mihi pelliceam suam tunicam, cilicinum camasum album, cum sandaliis palmeis. Quæ ego indignus gestavi, ut per ea benedicerer. *Idem testatur Vita nostra numero* 23. *Exemplum ipsi rursum dederat S. Antonius eadem pag.* 140 : Vestimentorum meorum sit ista divisio : meloten et pallium tritum, cui superjaceo, Athanasio episcopo date, quod mihi novum ipse detulerat. Serapion episcopus aliam accipiat meloten : vos cilicinum habetote

A tote vestimentum. *Habe nunc Vitæ* S. Arsenii *chronotaxim.*

[Ch]ronotaxis [...]

38 *Suggerit eam auctor Vitæ num.* 23 *cum Vitis Patrum libro* v, *libello* xv, *et Cotelerio pag.* 371. *Quæ, prout res tulit, sparsim superius relata sunt, hic rursum ob oculos ponenda et conjungenda :* Obiit annum agens nonagesimum quintum. Mansit in palatio imperatoris Theodosii Magni . . usque ad annum suæ ætatis quadragesimum : in Sceti annos quadraginta : in Troë vero superioris Babylonis versus Memphim annos decem : tres in Canopo Alexandriæ : et reliquis duobus annis rediit in Troën ; ibique obdormivit. *Ita Vita nostra dicto num.* 23. *Hisce positis, universam vitæ seriem sic præterpropter ordinamus. Natalem affigimus anno Christi* 354. *Vixit in sæculo annis quadraginta, videlicet usque ad annum Christi* 394 ; *intra quos pervenerit ad aulam anno Christi* 383, *ætatis* 29 ; *Arcadii, annos numerantis sex, educationi et institutioni vacare incipiens. Accesserit Honorius secundum dicta, anno Christi* 392, *ætatis octavo. Aulam reliquerit vivente etiamnum Theodosio imperatore, uti supra satis* B *probabiliter statuimus, anno Christi* 394, *ætatis quadragesimo, annos undecim in ea moratus.*

hic contexitur.

39 *Adde annos alios quadraginta in Scethi usque ad annum ætatis octogesimum, Christi* 434 ; *in Troë decem, qui concurrant cum anno ætatis nonagesimo, Christi* 444 ; *tres item in Canopo, ac duos postremos in Troë ; et jam exsurgent anni ætatis universe nonaginta quinque ; concurrente eorum postremo cum anno Christi* 449 *aut* 450 *inchoato. Perperam itaque apud Surium num.* 27 *ac Lippeloum tom.* III, *pag.* 209 ; *adde Gazæum in Vitis Sanctorum tom.* II, *pag.* 85 *vitæ summa protenditur usque ad annos centum ac viginti. Idem Gazæus perperam eum obiisse scribit anno circiter* 430. *Minus a nobis recedunt Tillemontius ac novus Legendista Gallus ; quorum ille notat annum* 445 *vel paulo post ; hic vero eumdem annum* 445. *At vero quoniam in calculo nostro omnia satis recte cohærent, illo standum censeo.*

Illustrantur ea,

40 *Tres* S. Arsenio *fuere discipuli, nimirum Daniel, Zoïlus et Alexander ; prout conficitur ex dictis, Vitis Patrum, ac collectione Coteleriana pagg.* 241 *et* 363. *Duo postremi erant Pharanitæ, teste Vita nostra num.* 18, *et laudata* C *collectione eodem num.* 363. *De Daniele idem affirmatum est supra in initio paragraphi tertii. Est vero istius nominis locus non unus. In Commentario prævio ad Vitam S. Euthymii die* xx *Januarii, pag.* 298 *occurrit* laura Pharan, *sex milliaribus versus Orientem via Hierichuntina distans Hierosolymis, a vico, qui decem inde stadiis ad solem orientem jacet, appellata, et a S. Charitone exstructa ; de qua ibidem pagg.* 303, 304 *et* 308. *Et in Vita ejusdem Sancti pag.* 327 *ista dicuntur :* Est . . quidam vicus ad solem Orientem a laura Phararum distans decem stadia, qui ipse quoque vocatur Pharan : qui quidem non cognomen, ut arbitror, accepit, sed ipse nomen potius lauræ dedit. *Est etiam* Phara *seu* Pharan *(Græce* Φαρὰν, *Hebraice* Paran) *urbs vel oppidum Arabiæ Petrææ ad sinum Arabicum, inter Ægyptum et Arabiam ; notaque præterea solitudo nominis ejusdem extra oppidum. Consule Chorographiam Rosweydi particularem supra laudatam aliosque geographos. Inde formatur nomen gentile* Pharanita, *quod censeo convenire tribus hisce discipulis non ob lauram* Pharan, *sed ob natales ex* Pharan *(oppidone an solitudine ?) Arabiæ Petrææ.*

auctore J. P.

quæ de tribus Sancti discipulis,

41 *Porro Danielem duobus aliis juniorem fuisse, ex iis, quæ refert apud Cotelerium pag.* 371 : patres (πατέρας) suos *eos vocans, colligit Tillemontius pag.* 698 : *sed contra est, quod* Arsenius, *ut vidimus num.* 34, *iturus in Petram Troës ad discipulos suos, se proinde juniores, dicat :* Ibo ad patres meos. *In Vitis Patrum lib.* v, *libello* xviii, *pag.* 636 *inducitur Daniel narrans historiam quamdam, ac mentionem faciens de S. Cyrillo, episcopo Alexandrino, addito titulo* sanctæ memoriæ : *unde liquet eum ipsi supervixisse anno* 444. *Quin imo ipsimet Sancto magistro suo supervixit, uti patet ex iis, quæ paulo ante de ejusdem vestibus, post mortem ipsius a se gestatis, præmissa fuere. Plura Danielis dicta sub titulo particulari referuntur apud Cotelerium a pag.* 419 ; *nec non sparsim locis variis in Vitis Patrum. Quæ die* xiv *Aprilis, pag.* 214 *dicuntur de* Daniele abbate Scetheos, *qui corpus S. Thomaidis, pro conservanda pudicitia peremptæ, in Scethim deportari curavit, ibique in cœmeterio suo sepelivit, tribuenda censuimus Danieli, de quo hic agimus ; atque ex ejus epocha tempus martyrii prædictæ Sanctæ fiximus sæculo* v. *Interim hunc Danielem distingue, ab alio ejusdem nominis et loci asceta,* quem *Cassianus collatione* iv, *cap.* i inter ceteros Christianæ philosophiæ vidisse se testatur, æqualem quidem in omni virtutum genere his, qui in eremo Scithi commanebant ; *quemque ab humilitate potissimum commendat : nam medio ut minus sæculo hic nostro senior fuit : Paphnutius enim, sub quo ille vixit, in fine sæculi* iv *mortuus, ut videsis apud Tillemontium tomo* X, *pag.* 57, hunc quem sibi paraverat successorem, præmisit ad Deum, *teste laudato Cassiano.* E

variis locis

42 *Zoilus una cum Alexandro fuerat discipulus Agathonis (vide Cotelerium a pag.* 372) *priusquam ad* Arsenium *accessit. Puto de utroque intelligendum, quod ibidem pag.* 378 *legitur :* Habuit aliquando abbas Agatho duos discipulos, qui seorsim vitam anachoreticam ducebant. *Et pag.* 380 *habentur ista :* Retulit abbas Daniel, antequam venisset abbas Arsenius ad patres meos, ipsi quoque manebant cum abbate Agathone. Diligebat autem abbas Agatho abbatem Alexandrum, quia erat mansuetus, ac in exercitatione monastica diligens. *At aliquantulum videtur lentus fuisse : nam, ut additur,* accidit porro ut omnes ejus *(Agathonis)* discipuli scapos lavarent in flumine ; et abbas Alexander lavabat moderate. Ceteri vero fratres dixerunt seni : Frater Alexander nihil facit. Unde volens eis mederi, ait illi : Frater Alexander, lava eos : lini enim sunt. Utque is audivit, acerbe tulit. Et postea solatus est eum senex his verbis : An nesciebam, te recte agere ? Verum id tibi coram illis dixi, frater, quo eorum animum in tua obedientia curarem. *At clarius id indicat Vita nostra num.* 17 : Abbas autem Alexander lente laborabat ac moderate . . . Abbas autem Arsenius ut vidit eum moras trahere, cogitans si forte haberet hospites, manducavit. Ast Alexander ubi absolvit, vespere rediit. F

inventa sunt : quibus alibi additur quartus.

43 *Rursum vero apud auctorem proxime citatum pag.* 358 *habentur sequentia :* Narravit hoc modo abbas Daniel, discipulus abbatis Arsenii : Exstiti aliquando prope abbatem Alexandrum, et dolore correptus est, seque ob ægritudinem

AUCTORE J. P.

ægritudinem extendit, sursum aspiciens. Contigit autem ut beatus Arsenius veniret ad loquendum ei; viditque illum extensum. Postquam ergo locutus est, dicit ei : Et quis erat homo secularis, quem hic vidi? Respondit abbas Alexander : Ubinam conspexisti eum? Ait : Cum e monte descenderem, respexi huc ad speluncam, et vidi aliquem extensum, cernentem sursum. Tum veniam corpore inclinato petiit ab illo, dicens : Parce mihi : ego eram : dolor enim me comprehendit. Tum senex : Tu igitur eras. Bene habet : Ego putavi seculi hominem fuisse, atque ideo sciscitatus sum. *Eadem paulo aliter narrantur apud Surium num.* 19. *Tribus hisce Sancti discipulis alius nomine Isaac additur in Thesauro ascetico Possini lib.* IX, *pag.* 247. *Verba habes supra num.* 16. *De Ammoë, amico* S. Arsenii, *ejusque discipulo Joanne varia collegit Tillemontius a pag.* 701.

B

§ V. Memoria in Fastis; cultus in Gallia, Belgio, et Germania; elogia; Vita, quam edimus; aliæ ab aliis conscriptæ.

Colitur a Græcis die VIII *Maii.*

S*anctus apud Græcos colitur die* VIII *Maii*, *et elogiis, uti habes in Prætermissis ad istum diem, debitis celebratur. Typicum, S. Sabæ nomen præferens, tametsi a posteris varie auctum, pag.* 50 *ita eum annuntiat :* Sancti patris nostri Arsenii, *addito cognomento* Magni, *cum aliis passim tabulis Græcis; quod omittit Horologium Græcum in usum Basilianorum monachorum anno* 1677 *Romæ editum. Longum esset coacervare alias tabulas Græcas, qua excusas, qua manuscriptas, quæ Sanctum referunt. Menæa magna excusa sequens distichon ipsi accinunt, modicissime a me correctum :*

Λαθεῖν βιώσας Ἀρσένιος ἠγάπα,
Ὅς οὐδὲ πάντως ἐκβιώσας λανθάνει.
Latere, quando vivit; Arsenius amat :
Sed morte functus neutiquam Arsenius latet.

C

a Latinis vero hac die

45 *Apud Latinos colitur hac die* XIX *Julii. Beda a Floro auctus et a nobis editus ante tomum secundum Martii, cum Adone ita habet :* Sancti patris nostri Arsenii; de quo in verbis seniorum refertur, quia propter redundantiam lacrymarum tergendam, sudarium semper in sinu, vel in manu habuerit; *videsis Vitam num.* 1, *et* 15. *Usuardus præmittit* apud Thebaidem, *minus recte : nam Sanctus non in superiore Ægypto, sed vel in inferiore, ut vidimus, vel Scethi eidem vicina semper degit. De Ægypti divisione diximus in Commentario prævio ad Vitam S. Antonii abbatis* § I, *num.* 2. *Wandelbertus ita Sancto accinit :*

Arsenius quartam denamque eremita venustat :

cum Romano hodierno.

46 *Romanum denique modernum Martyrologium sic habet :* Apud Scethim, Ægypti montem, S. Arsenii, Romanæ Ecclesiæ diaconi, qui Theodosii tempore in solitudinem secedens, virtutibus omnibus consummatus, et jugi lacrymarum imbre perfusus, spiritum Deo reddidit. *Scethim Libyæ partem, ideoque ab Ægypto passim in Vitis Patrum distingui consuetam, ostensum jam pridem fuit in memorato paulo ante Commentario num.* 3. *De diaconatu Sancti mentem nostram exposuimus superius num.* 3 *et* 4. *Abbatem ipsum vocat Maurolycus : quod si aliud per hoc velit, quam nomen omnibus olim monachis præsertim senio ac sanctitate venerandis commune,* Arsenio *illud putamus abjudicandum, ut quem stricti nominis hegumenum aut præfectum communitatis asceticæ numquam scimus exstitisse. Idem auctor quid sibi vult, quando annuntiat Sanctum* apud Scythopolis eremum, et Babylonis Ægyptiæ. *Nos Scythopolim non novimus nisi Palæstinæ secundæ metropolim ad Jordanem; de qua vide* XX *Januarii in notis pag.* 308 : *at sine dubio ex Scethi non satis intellecta formavit Scythopolim. Vide tom.* II *Februarii pag.* 46, *num.* 3.

D

Cultus in Gallia ac Belgio,

47 *Sanctus noster præcipua quadam veneratione claruit in Gallia. Inscribitur enim ecgrapho nostro ex breviario Macloviensi veteri, ab illustrissimo D. Joanne du Bec, episcopo Macloviensi recognito, anno* 1603, *uti et in Bellovacensi, edito anno* 1554, *præsule Bellovacensi Odone; quibus adde ecgrapha ex Kalendario Aurelianensi, veteri S. Aniani Aurelianensis, ac Cenomanensi antiquo; sed in hoc penultimo rectius signatur absque titulo* abbatis, *qui in aliis ipsi apponitur. Singulare etiam aliquid habuit* S. Arsenius *in Belgio nostro : nam in Kalendario Ms. ecclesiæ Ultrajectinæ, quod habemus, anni* 1374, *nitide in pergameno exaratum, notatur* Arsenius monachus. *In Missali Tornacensi, quod excusum est anno* 1498, *et* 1509, *ponitur de eo* COLLECTA : Adesto, Domine, precibus nostris, quas in S. Arsenii, confessoris tui commemoratione deferimus etc. SECRETA : Sancti Arsenii, confessoris tui nos, quæsumus Domine, tuere præsidiis, et ejus semper intercessionibus adjuvemur. Per. POSTCOMMUNIO : Misericordiam tuam, Domine, nobis, quæsumus, interveniente beato Arsenio, confessore tuo, clementer impende; et nobis peccatoribus ipsius propiciare suffragiis. Per.

E

et in Germania.

48 *Cultum quoque peculiarem ipsi in Germania delatum fuisse, argumento est Missa propria Missalis Moguntini, anno* 1493 *typis excusi.* INTROITUS : Os justi. COLLECTA : Deus, qui beato Arsenio, confessori tuo, ex singularis gratiæ tuæ munere cor contritum et continuam lacrymarum inundationem tribuisti; concede propitius nobis ipsius meritis et precibus nostrorum veniam peccatorum, puramque cordis contritionem, et veræ pœnitentiæ lacrymas, atque sub pacis et protectionis tuæ præsidio dies nostros salubri fine conclude. Per. EPISTOLA : Beatus vir, qui in sapientia. GRADUALE; Domine prævenisti. Alleluya. Amavit eum. EUANGELIUM *secundum Marcum :* In illo tempore dixit Jesus discipulis suis : Facilius est camelum per foramen acus transire. OFFERTORIUM : Desiderium animæ. SECRETA : Populum tuum, Domine, muneribus sacris placatus intende, et sacramenta, quæ in commemoratione S. Arsenii confessoris tui oblata sunt, ad cælestia digne capienda nos sublevent. Per Dominum. COMMUNIO. Amen dico vobis : POSTCOMMUNIO : Præsta, quæsumus, ineffabili clementia tua Deus, ut sicut beati Arsenii confessoris tui solennitatem veneramur officio : ita cum eo in Sanctorum tuorum gaudeamus consortio. Per.

F

Varia Sancti elogia

49 *De elogiis ejus istæc accipe. Jam tum sub primos secessus sui annos magna celebritatis fama eum claruisse liquet ex S. Hieronymi, anno* 420

ipsi

A *ipsi præmortui epistola, antiquo ordine* XXVII, *ubi paucis multa complexus sic scribit :* Quid ego narrem Macarios, Arsenios, Serapionas, et reliqua columnarum Christi nomina? *S. Joannes Climacus, de quo nos* XXX *Martii, pag.* 834, *sub finem sæculi* VI *mortuus, Gradu* 27, *pag.* 286 *impressionis Coloniensis anni* 1583 *hæc habet :* Quietis... forma *(tibi sit)* magnus ille parque angelis solitarius Arsenius. Memento qui in solitudine degis, angeli hujus solitarii institutum; atque intuere, quomodo ad se advenientes (ne id, quod erat majus omitteret) insalutatos plerumque remiserit. *Cyrillus monachus, qui sæculo eodem sexto floruit, in Vita S. Euthymii supra laudata indicat eum in* S. Arsenii *vitam tamquam in speculum inspexisse, quando tomo* II *Januarii pag.* 311 *tradit ista :* Hunc ergo *(Arsenium)* diligenter admodum imitabatur Euthymius, et iis, qui ex Ægypto veniebant, monachis, et de illius vitæ instituto aliquid referebant, animum libenter adhibebat, et suæ animæ quibusdam veluti tabulis bona illius curabat inscribere. *Quæ etiam vide apud Cotelerium tomo* II *Eccl. Græc. Monum., pag.* 248.
B *Nimium sane conveniunt ista cum iis, quæ habet auctor Vitæ nostræ num.* 24, *quam ut textum illum Græcum præ oculis non habuerit, vel transcripserit.*

...ageruntur

50 *Elogium ex Synaxario Basiliano sic reddo :* Arsenius, sanctus pater noster, antiqua Roma oriundus, diaconus fuit sanctissimæ Dei Ecclesiæ : ob scientiam vero suam et virtutem a magno Theodosio imperatore electus fuit, ut doceret liberos suos Arcadium et Honorium non litteras solum, sed etiam virtutem. Tanti autem fiebat ab imperatore, ut imperatoris pater diceretur. Verum hic turbas exosus, terrenum imperatorem aversatus, ac solitudinem diligens, cælestisque imperatoris desiderio flagrans, rogabat ipsum, in viam se ut duceret, in qua salutem consequi deberet. Delapsa itaque ei vox de cælo est, dicens tertio : Arseni, fuge homines, et salvus eris. Et mox mutatis vestimentis, ac pauperculis indutus, discessit in Ægyptum, et in solitudinem se abdidit : et postquam ita consummasset certaminis cursum, ut nemo alius, in devexa senectute ad Dominum migravit. *De diaconatu supra, ut iterum dicam,* C *disseruimus. Mitto elogium, quod Nicephorus Callistus tomo* II *Eccl. histor. lib.* XII, *toto capite* XXIII *contexuit. Quæ in eo nobis displicent jam notavimus.*

...m nostris ob-...rvationibus.

51 *Merito de ipso dixit, quod ejus* gloria (τῆς ἀρετῆς virtutis, *sicut est in textu Græco, quod interpres omisit)* terram sub sole omnem pervagata est. *Illud vero :* Cum... ad virtutis summam pervenisset, rusticum se et litterarum omnium imperitum esse assimulavit : cum quidem monumenta memoria digna, et libros plurimos (λόγους πλείστους) reliquerit; *illud, inquam, qui legerit, fallor si non statim in animum inducat,* S. Arsenium *celebre inter scriptores nomen mereri. Ille, quod sciam, nihil scripsit : scribendi tamen de se aliis materiem suppeditavit, proferendo varia monita ascetica, documenta, seu apophthegmata, quæ discipuli ejus, per se vel per alios annotanda curarint. Et id ipsum indicare vel voluit vel debuit Callistus. Scio quidem quod* λόγος *inter alia significet etiam* librum, *quo significato hic usus est interpres. Sed, quid tum? Nam, sicut recte Rosweydus in Prolegomenis ad Vitas Patrum pagina* 5, *quidam ex libris illis, in quibus de eorum gestis agitur, dicebantur* scita, sententiæ, quandoque sermones, subinde responsa, item apophthegmata, gesta senum. *Hoc itaque nihil nobis officit; alioqui pari jure contendam, antiquos eremi cultores, Hilariones, Macarios, Sisoas, Pœmenes, Serapiones, aliosque in Vitis Patrum recensitos, scriptorum Catalogis annumerandos esse ex eo præcise, quod, quæ ipsi dixerint, alii scripto exararint, nomen scriptorum, seu* qui libros reliquerint, *meritos, si aliunde hoc probetur.*

AUCTORE J. P.

Vitæ, quam vulgamus, hactenus, ut creditur, ineditæ auctor

52 *Varias nobis optimæ notæ aliorum Sanctorum Vitas ex pervetustis monumentis suppeditavit bibliotheca Petri Seguierii, Franciæ Cancellarii, Græce conscriptas. Excusa est novissime Vita S. Stephani Sabaitæ, longe æstimatissima, tomo* III *hujus mensis a pag.* 531; *Acta Sanctorum Martyrum Sabaitarum die* XX *Martii, a pag.* 167 *maximi etiam pretii. Nunc vero ex eadem penu prodit Vita* S. Arsenii, *præcipuum inter antiquitatis monumenta hoc in tomo locum merita; atque hactenus, ut certo credimus, inedita. Nullibi certe eam reperimus : ut mirum non sit, ab eruditis, utpote incognitam, desideratam hactenus non fuisse. Apud Baronium sub finem anni* 798 *Michaël, Vitæ hujus auctoris scriptor ac discipulus,* E *catalogum contexit eorum, quæ exaravit, nulla facta mentione Vitæ istius.*

unde sua hauserit.

53 *Lego quidem apud Possevinum nostrum in Catalogis antiquarum ac celebriorum bibliothecarum, tomo secundo Apparatus sacri subnexis, recenseri inter codices Græcos Mss. Heidelbergensis bibliothecæ pag.* 74 Arsenii Magni Vitam; *at quænam ea sit; cujusve ætatis, linguæ aut scriptoris, non exprimitur. Et inter codices bibliothecæ Messanensis pag.* 38 *notatur* Homilia Theodori Tostridii, in Vitam Arsenii in fol : *an nostri an alterius? Denique pag.* 41 *ponitur* Vita patris Arsenii; *verum quia nec principium nec finis Vitæ opponitur, nihilo certiores reddimur, qualis ea sit; an conveniat cum aliis, de quibus infra, an diversa sit; an cum hac nostra, quam vulgamus, consentiat, an dissentiat; quæ, si prologum et epilogum excipias, tota potissimum consistit in collectione gestorum ac dictorum Sancti, prout sparsim ea continentur in Vitis Patrum apud Rosweydum partim libro* III *sub nomine Ruffini, presbyteri Aquileiensis edito (de quo prologomenon ipsius generale quintum) partim ex lib.* V, *auctore Græco incerto (vide notas* F *pag.* 561, *et prolegomenon generale* VII *et* VIII) *interprete Pelagio (proleg. gener.* XIV) *partim denique ex lib.* VII, *auctore item Græco incerto (prolegom. gener.* VII *et* VIII) *interprete Paschasio, S. R. E. subdiacono (prolog. gener.* XIV).

Putatur antiquissimus et primus, qui res gestas Arsenii collegerit e Vitis PP.;

54 *Quod ex hisce fontibus sua hauserit biographus iste, aperte indicat ipsemet num.* 1 : Et vero mirari subit, quid sit, quod postquam aliorum virorum beatorum, virtutis causa laudabilium, vitæ conscriptæ sunt, præconiorum radiis fulgentes, nulla de Beatissimi hujus Vita ad posteros transierit historia, præter eam, quæ a quibusdam sanctis patribus sparsim indicata legitur. *Unde arguo, Vitam nostram omnium esse antiquissimam, et, prout suspicor, omnium primam; nam si hanc alia præcessisset, id Orientis monachos, e quorum numero fuit biographus noster, per sæcula tria et amplius non fugisset, sed vel Vita ipsa, si jam tum aliqua exstabat, vel memoria saltem ejus aliqua ad ipsos manasset. Eam non vidit Metaphrastes, vel quisquis est auctor Vitæ apud Surium, hac die, num.* 26 *ita scribens :* Hæc sunt divini Arsenii...

AUCTORE J. P.

senii... quæ in hodiernum usque diem habebant libri Patrum, non certo ordine et serie, sed posita sparsim et separatim; ut hic quidem hujus, ille vero illius recordabatur : in unum autem collecta, et quæ Vita Arsenii essent et nominarentur, in hodiernum usque diem nondum vidimus : quoniam ne inventa quidem est illius Vita ab ullo composita.

quam non vidit Metaphrastes nec Tillemontius.

55 *Itaque quæ ibidem superaddit idem auctor apud Surium falso nituntur supposito :* Et hoc quoque forte factum est ex sententia Arsenii, quod nollet, se ne post mortem quidem fieri manifestum. Etenim sicut dum viveret, studuit latere; ita etiam, ut mortuus ignoraretur, studium adhibuit. Quo modo enim se dignum censuit, cujus fieret memoria, et qui aperte cognosceretur, qui ne justa quidem sepultura se dignum esse statuit? *Tillemontius ergo verbis illis nimium fisus, quamquam Metaphrasti tum alias tum in hac Vita diffidere consuetus, pag.* 676 *non recte admittit, ipsum esse primum qui historiam Vitæ* S. Arsenii *scripserit. In opere de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum, quod* B *editum est Lutetiæ Parisiorum anno* 1721, *tomo* II *inter alias Francisci Combefisii lucubrationes, quibus varia Græca monumenta in linguam Latinam transtulit, refertur ex bibliothecæ Græcorum Patrum Auctario novissimo, quod edidit, tomo* I, Magni S. Arsenii doctrina et exhortatio. *Sed nihil novi, aut opere pretii hic protulit ille auctor : quippe apud Surium in Vita pluries citata num.* 10 *jam pridem fuerat vulgata ista exhortatio; de qua et meminit Tillemontius pag.* 689 : *addens de Combefisio :* Pater ille dicit plurimas in ea res reperiri, magna cum majestate ac brevitate expressas. *Et mox subjungit :* Ast ego non invenio, quod dicat, unde illam desumpserit. *Quod res adeo jam publica et nota hic tamquam pro recenter eruderata, prius incognita et inedita, idque sub* S. Arsenii *nomine, quæ solius forte Metaphrastis, aut similis ingenii venam sapit, eruditis obtrudatur, facile Combefisio et laudati operis auctori ignosco, qui aliud agebant. Mirari satis non possum, in tenebris ignorantiæ hic adeo crassis palpare Tillemontium ; qui totus erat in hac Vita apud Surium; quamque identidem hic citat, et in plurimis carpit, tam* C *in collectione sua historica de Sancto, quam in notis.*

Auctorem ejus esse S. Theodorum Studitam

56 *Auctorem Vitæ nostræ manifestat titulus iste, eidem præfixus :* Τοῦ ὁσίου Θεοδώρου ἡγουμένου τῶν Στουδιτῶν εις τὸν βίον του ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀρσενίου του Μεγάλου. S. Theodori, hegumeni Studitarum, in Vitam sancti patris nostri Arsenii Magni. *De hoc monasterio vide tomum primum Februarii, pag.* 538; *agitque de eo Baronius ad annum* 798, *num.* 1 *et* 2. *Porro S. Theodorus Studita, agendo et patiendo fortia clarissimus, floruit exeunte sæculo* VIII, *et ineunte* IX, *mortuus anno* 826. *Vide Baronium ad istum annum ac præcedentes, et tomum* III *Julii pagg.* 710 *et* 711, *occasione S. Josephi, archiepiscopi Thessalonicensis, germani ejus-*D *dem fratris. De ipso agemus die* XII *Novembris cum Martyrologio Romano. Nec vero obest, quod inter scripta, quæ tamquam ipsius recenset laudatus Michaël, nulla ejusdem Vitæ fiat mentio; nam neque ulla fit sermonis de S. Bartholomæo Apostolo, ab Anastasio bibliothecario una cum Latina epistola quam* Aroni antistiti Beneventano *inscripsit idem Anastasius, latinitate donati, ac vulgati in Spicilegio Dacherii tomo* III, *a pag.* 13. *Neque etiam Michaël recenset orationem funebrem, quam is in laudem S Platonis conscripsit, ejusdem ex sorore nepos, et filius spiritualis, atque in monasterii regimine successor, et socius persecutionum, quas postea sustinuit : quæ a nobis jam pridem edita est ad diem* IV *Aprilis a pag.* 366.

probatur :

57 *Apostrophe ad S. Bartholomæum atque ad S. Platonem utrobique dicta sua concludit; uti et Vitam* S. Arsenii, *aliqua sui parte, in apostrophe ad* S. Arsenium *mutilam; qui modus, Vitas Sanctorum apostrophe ad illos concludendi, quantum sapere videatur stylum istius temporis, argumento est Passio Martyrum Sabaïtarum, Vita S. Stephani Sabaïtæ, nec non S. Stephani Junioris monachi ac martyris, quam postremam contexuit Stephanus diaconus ecclesiæ Cpolitanæ, et Monachi Benedictini* E *inter Analecta Græca Parisiis anno* 1688 *ediderunt a pag.* 396. *Atque hæc de Vita, quam excudimus.*

præter quam, aliæ in promptu sunt.

58 *Leo Allatius in Diatriba de Symeonum scriptis pag.* 120, *inter Vitas, quas Metaphrasti abjudicat, habet hanc, quæ incipit :* Ἐν ταῖς ἡμέραις, ἐν αἷς ὁ Θεὸς ἀγαθὸς, In diebus, in quibus bonus Deus. *Apographum ex codice* 1589 (*Vaticanum vocavimus*) *litteris, prout additur, quadratis scripto, exordium habet, cum proxime præcedente ad verbum fere conveniens : unde suspicamur reliqua item vel prorsus vel fere convenire. Alia insuper in promptu est cum hoc exordio :* Ἄλλα τῶν σπουδαίων ἄρα καὶ φιλαρέτων ἀνδρῶν αἱ πράξεις, *ex Julio Metaphrastis, sicut adscribitur in margine; qui in Medicæa Regis Christianissimi bibliotheca servatur. De Vita sub ejusdem auctoris nomine apud Surium edita, plurima jam notavimus. Jam vero, an oratio Sancti ad monachos, ibidem, ut diximus, num.* 10, *eadem sit in compendio, an diversa ab illa, quæ a Possevino, tomo citato, pag.* 96 *notatur in Fontis belli, regiæ in Gallia non procul Parisiis bibliothecæ codicibus Mss. annumerari, exploratum non habemus. His adde Vitam, ex Ms. vetustissimo,* F *prout adscribitur, Claudii Puteani; quæ tamen indicatur fuisse in fine manu paulo recentiore scripta. Sic vero incipit :* Fuit quidam vir in palatio sublimis sub Theodosio imperatore, nomine Arsenius, cujus filios, id est Arcadium et Honorium de baptismo suscepit. *Verum ad unum omnes nos fontem referimus, Vitas videlicet Patrum; ad quem quo propius accedunt, eo erunt puriores, et a sordibus defæcatiores. Hunc certe fontem identidem annotata nostra quasi intento digito assignabunt. Varias item textus Græci lectiones ex Cotelerio dabimus. Codices item nostri duo, annosa antiquitate æstimabiles, alicubi nobis usui erunt. En tibi nunc Vitam, a Papebrochio e Græco descriptam, addito ad marginem* f 354.

VITA

A D

VITA

Auctore S. Theodoro Studita.

Ex pervetusto codice Petri Seguierii, Franciæ Cancellarii, varie collata. Interprete Joanne Pinio.

PROLOGUS.

Ἀστὴρ ἀειφανὴς ἡμῖν, οὐκ ἐν τῷ ζῳδιακῷ κύκλῳ κατηριθμημένος, ἀλλ' ἐν τῷ τῆς ἀρετῆς οὐρανῷ ἐστηριγμένος, διὰ τῆς ἐτησίου αὐτοῦ μνήμης σήμερον ἀνατέλλων, φωτὶ ἀΰλωτάτῳ μαρμαρυγὰς ὑπερλάμπρους ἀγαθοεργίας ἐπαφίησι τῇ οἰκουμένῃ. Τίς δέ ἐστιν οὗτος, ὁ φιλάγιον ἄθροισμα; Ὁ ἰσάγγελος Ἀρσένιος, ὁ τὴν ἀρετὴν ἀπρόσιτος, τὸ τῆς ταπεινώσεως ὕψος, τὸ τῆς ἀσκήσεως κλέος, τὸ τῆς ἡσυχίας κράτος, τὸ τῆς κατανύξεως ῥεῖθρον, οὗ καὶ ἡ μνήμη μόνη παράκλησίς ἐστιν εἰς ἀρετῆς ἐπίδοσιν. Καί μοι θαυμάζειν ἐπῄει, πῶς τῶν ἄλλων μακαρίων ἀνδρῶν, παρὰ τῶν κατὰ καιρὸν τῆς ἀρετῆς ἐπαινετῶν, τῶν βίων ἀναγεγραμμένων, καὶ ταῖς τῶν ἐγκωμίων βολίσι καταστραπτόντων, τοῦδε του Τρισμάκαρος ὁ βίος ἀνιστόρητος εἰάθη, πλὴν ὅσον σποράδην παρά τινων ὁσίων πατέρων δεδηλωμένος, καίπερ μὴ ἐναπολιμπανόμενος τῆς ἐναρέτου ἐκείνων λαμπροφορίας, ὅτι μὴ καὶ μᾶλλον τῶν πολλῶν ὑπερλάμπων ταῖς αὐγαῖς τῶν θείων αὐτοῦ ἀνδραγαθημάτων. B

2 Τι οὖν; Συνδιαμείψομεν καὶ ἡμεῖς τοῖς προλαβοῦσι τὸν χρόνον, καὶ οἴσομεν τηλικοῦτον θησαυρὸν ὑπὸ τῆς σιγῆς καλύπτεσθαι; οὔμενουν· ἀλλὰ πειθόμενοι τοῖς ἐπὶ τοῦτο παρορμήσασι πατράσιν, εἰ καὶ ἄμοιροι του προσήκοντος λόγου, ἠλπικότες τε ἐπίκουρον δέξασθαι του ἐγχειρήματος αὐτὸν, τὸν εἰς ὑπόθεσιν του βίου προκείμενον, ἀπαρξόμεθα του λέγειν, οὐδὲν ξενοδεκτοῦντες παρὰ τὸ ἀληθὲς, ὅσα δὲ ἐκ τῶν περὶ αὐτοῦ περικεκομμένως εἰρημένων ἀναλεγόμενοι, εἰ καὶ διὰ ἀῤῥαφου διηγήσεως, εἰς ὑπόμνησιν φέροντες, καὶ ταῦτα οἱονεὶ συνυφαίνοντες, καὶ ἐκ τούτων ταῖς ἑκολούθαις ἐννοίαις ἔσθ' ὅτε προσθήκην ποιούμενοι καθ' εἱρμον, πειρασόμεθα τὸν βίον ἀπαρτίσασθαι, ἀφοσιούμενοι τὸν πόθον, ὃν περὶ του Παμμάκαρος ἔχουσιν οἱ φιλάρετοι. C

Stella perpetuo nobis apparens, non zodiaco circulo annumerata, sed in virtutis cælo firmata, per anniversariam suam memoriam hodie exoriens, splendidissimas bonorum operum coruscationes defæcatissima luce immittit orbi terrarum. At quænam illa est, o sanctitatis amantes auditores? Arsenius est, angelis par, virtute inaccessus, humilitatis altitudo, asceticæ disciplinæ gloria, solitudinis robur, compunctionis fluentum; cujus vel sola memoria ad progressum in virtute incitamentum est. Et vero mirari subit, quid sit, quod, postquam aliorum virorum beatorum, virtutis causa laudabilium, vitæ conscriptæ sunt, præconiorum radiis fulgentes, nulla de Beatissimi hujusce vita ad posteros transierit historia, præter eam, quæ a quibusdam sanctis patribus sparsim indicata, insigni, qua pollent, res illustrandi facultate, non inferior est, imo vero multis potius aliis præfulget ob divinos Arsenii ac masculos gestorum splendores. E

Auctor aliorum de S. Arsenio silentium miratur.

2 Quid igitur? An nos etiam cum iis, qui tempore præcesserunt, commutabimus vices, tantumque thesaurum patiemur sub silentio abscondi? Nequaquam: at patrum exemplo incitati, tametsi conveniente oratione destituti; fretique, auxilio venturum præsenti conatui illum ipsum, cujus nobis propositum est vitæ argumentum; dicendi initium faciemus, nihil peregrinum et a vero alienum adoptantes; sed quæcumque compendiose de ipso dicta sunt, colligentes, et, etiamsi narratione non cohærente, in memoriam revocantes, atque hæc quodammodo contexentes, adjecto etiam, ubi res feret, ex cogitationibus inde consequentibus additamento, quo res cohæreant, vitam absolvere conabimur, gratificantes desiderio, quo erga Beatissimum hunc tenentur virtutis amantes. F

Illudque imitari nolens, ad Vitam ejus scribendam se accingit.

Caput I. *Sancti patria, natales; vita sæcularis cum solitaria divino monitu commutata; insignes in ea progressus; hominum fuga.*

Γένος μὲν Ἀρσενίου, τἀληθὲς εἰπεῖν, καὶ οὐ σπάνιοι οἱ μετέχοντες, ἡ ἀρετή· καὶ τὸ ἐκεῖθεν κατάγεσθαι καὶ χαρακτηρίζεσθαι· ἐπειδὴ δὲ τὸ ἀφ' αἵμασιν τοῖς φιλομαθέσιν ἐπιζητεῖται. Ἡ πρώτη τῶν ὑπουρανίων πόλεων τούτῳ πατρὶς, Ῥώμην λέγω τὴν περιβόητον· ἀφ' ἧς τὴν προσηγορίαν οἱ τὸ βασιλικὸν σκῆπτρον κατέχοντες ἐξειλήφασιν· εὐγενῶν γεννητόρων στέλεχος, πλουτῳ τε κομώντων καὶ τῇ λοιπῇ του βίου περιφανείᾳ· οὗ ἑστία μέχρι του νῦν περίεστιν οὐχ ὁλόκληρος. πῶς γὰρ ἂν καὶ διεσέσωστο τοσούτοις ἔτεσιν; ἴχνη δὲ καὶ τοσούτῳ

Genus Arsenii, ut dicam id quod res est, et affinium multitudo, virtus fuit; ejusque incendi studiis ac insigniri characteribus; quoniam vero a sanguine id repetunt eruditi; patria ei fuit civitatum, quæ sub cælo sunt, princeps, Roma, inquam, celeberrima, a qua cognomentum acceperunt illi, qui imperii sceptrum moderantur. Surculus fuit nobilium parentum, opibusque ac reliquo vitæ splendore florentium. Familia ipsius ad hoc usque tempus integra non superest (quonam enim pacto tot annis servata fuerit?) sed vestigia, tali magnitudine excellentia, divisit habitatoribus

Sancti patria; natales; sapientia:

AUCTORE S. THEODORO STUDITA. EX MS.

a habitatoribus velut in cellas triginta *a*. Atque hoc sufficit, ut ostendatur, quam illustris ac undequaque beatus fuerit Vir iste memorabilis; cumque tantus esset, doctrina altius eminebat, Græca ac Romana pariter sapientia admirandus.

Institutio Arcadii et Honorii in aula Theodosii: unde vocatione divina monitus,

4 Ejus itaque fama ad aures tunc delata magni Theodosii imperatoris, quærentis talem filiis suis Arcadio et Honorio magistrum præficere, qui majore præ omnibus id operæ pretio faceret, Arsenius accitu imperatoris Byzantium contendit, et assumens ambos pueros, moribus ac disciplinis ipsos informavit, ut optimos eos esse ostenderet in utraque facultate. Ad quadragesimum usque ætatis suæ annum in aula assidue
b versatus est *b*; Deique timorem in mente habens, ingemuit, et invocabat Deum cum lacrymis dicens: Domine, ostende mihi viam, in qua salvus fiam. Et vero, dum die quadam in aula esset, audivit divinam vocem, quæ ei diceret: Arseni, si salvus esse vis, fuge homines, et sal-
c vaberis *c*.

fugit Alexandriam, inde in Scethim, monachis accenseri cupiens;

5 Hæc itaque ubi audisset Arsenius, jam pridem divino desiderio sauciatus, omni mox humana ac caduca gloria contempta; splendoreque ac deliciis corporis, omnique alia honoris appetentia,
B aulisque imperatorum pro nihilo putatis, nihil cuiquam locutus, Alexandriam navigat; indeque pervenit in Scetim; et ecclesiam ingressus,
d clericos *d* accedit, dicens: Per Dominum, facite me monachum, ac viam mihi ostendite, ubi salvus fiam. Illi autem Viri nobilitatem ex moribus, vultu et alloquio conjectantes, quærebant ex eo, quisnam et cujas esset. Is cum primo abnueret, diceretque: Homo sum peregrinus et abjectus, qui salvus fieri quæro; vix tandem ei persuadere potuerunt ut, quæ ad se spectabant, confidenter iis exponeret. Quæ edocti, alter alteri dicebant: Quisnam est, qui debet hunc excipere, et conducere ad monasticum institutum? Et, inito consilio, visum est abdu-
e cere ipsum ad abbatem Joannem Colobum *e*. Et assumentes eum secum, abierunt ad senem; peractisque precibus locuti cum illo sunt de Arsenio.

ac voti compos, dato vitæ monasticæ specimine, in ea excellit.

6 Cumque inter colloquendum jam nona advenisset hora, dicit clericis senex: Adeste, faciamus agapen *f*, et voluntas Dei fiat. Con-
f C sidensque Joannes abbas cum clericis, cœperunt comedere, sinentes Arsenium stare. Pro-
g jicit itaque paxaman *g* in terram abbas Joannes, aitque Arsenio: Comede, si velis. Ille autem inclinans se in terram, abivit illuc, ambulans manibus pedibusque, ubi erat paxamas; et in terra, prout jacebat, ipsum comedit. Atque hoc conspicatus senex, dicit fratribus: Abite cum bono, et orate pro nobis: ita enim scietis, quod probatus sit, ut fiat monachus. Interrogarunt itaque clerici inter se Arsenium, dicentes illi: Fac agapen, frater, per Dominum; et dic nobis, ecquid cogitationis habueris, quando comedebas paxaman? Quibus ille; Cogitabam, inquit, mecum: quem tibi tamquam cani projecerunt panem, comede illum tamquam canis. Et glorificabant Deum. Exiguo igitur tempore Arsenius cum abbate Joanne versatus, omnemque monasticæ vitæ rationem edoctus, discessit ab eo, ut secederet sibique soli vacaret. Et perseveravit, pro virili contendens in Domino usque adeo, ut magnos id temporis senes laboribus, constantia, ac certaminum asceticorum tolerantia superaret. Postquam ad

μεγέθει διαφέροντα, ὡς ἐν τριακοσίαις κέλλαις διαιροῦσα τοῖς οἰκήτορσι. Ἐξαρκοῦντος τούτου ἐπιδηλῶσαι, ὅσος ἦν περιφανὴς καὶ πολύολβος ὁ Ἀοίδιμος· τοιοῦτός τε ὢν, ὑπῆρχε καὶ τῇ παιδεύσει ὑπέρτερος, ἑλληνικῇ τε καὶ ῥωμαϊκῇ σοφίᾳ θαυμαζόμενος. D

4 Ἐπεὶ οὖν τὸ τηνικαῦτα Θεοδωσίῳ τῷ μεγάλῳ βασιλεύοντι ἐξηκούσθη τὰ περὶ αὐτοῦ, ζητοῦντι παιδευτὴν τοιοῦτον ἐπιστῆσαι υἱοῖς αὐτοῦ Ἀρκαδίῳ καὶ Ὀνωρίῳ, ὃς εἴη προυργιέστερος ἁπάντων, ἄγεται ὁ Ἀρσένιος τῇ του κρατοῦντος ῥοπῇ ἐν τῷ Βυζαντίῳ, καὶ παραλαβὼν ἀμφοτέρους τοὺς παῖδας, ἀνῆγεν αὐτοὺς ἔντε ἤθεσιν καὶ παιδεύμασιν, ἀρίστους ἀποδεικνὺς ἀμφοτέρωθεν. Μέχρι δὲ του τεσσαρακοστοῦ ἔτους τῆς ἡλικίας αὐτοῦ ἐν τῷ παλατίῳ διηνεκῶς, καὶ τὸν φόβον του Θεοῦ κατὰ διάνοιαν ἔχων, ἐστέναξε καὶ παρεκάλει τὸν Θεὸν μετὰ δακρύων λέγων· Κύριε ὁδήγησόν με, πῶς σωθῶ· καὶ δὴ ἐν μιᾷ ὄντος αὐτοῦ ἐν τῷ παλατίῳ, ἀκούει θείας φονῆς, λεγούσης αὐτῷ· Ἀρσένιε, εἰ θέλεις σωθῆναι, φεῦγε τοὺς ἀνθρώπους, καὶ σώζῃ.

5 Τούτων οὖν ἀκούσας ὁ Ἀρσένιος, καὶ ἐπιπολὺ τῷ θείῳ πόθῳ τρωθεὶς, πάσης εὐθὺς καταφρονήσας ἀνθρωπίνης καὶ προσκαίρου αἰνέσεως, E καὶ περιφανείας, τρυφῆστε ζωματικῆς, καὶ πάσης ἄλλης φιλοδοξίας, καὶ βασιλείους αὐλας εἰς οὐδὲν λογισάμενος, μηδενὶ μηδὲν εἰρηκὼς ἀποπλέει ἐπὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν, κἀκεῖθεν ἔρχεται εἰς Σκῆτιν· καὶ εἰσελθὼν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, προσέρχεται τοῖς κληρικοῖς λέγων· Διὰ τὸν Κύριον, ποιήσατέ με μοναχὸν, καὶ ὁδηγήσατέ με πῶς σωθῶ. Οἱ δὲ τὴν εὐγένειαν του ἀνδρὸς ἐκ του ἤθους, καὶ του προσώπου, καὶ τῆς συντυχίας στοχασώμενοι, ἐξήταζον αὐτὸν, τίς εἴη καὶ πόθεν. Ἀρνουμένου δὲ αὐτοῦ τὰ πρῶτα, καὶ λέγοντος· Ὅτι ἄνθρωπός εἰμι ξένος καὶ ταπεινὸς, σωθῆναι ζητῶν, μόγις ἠδυνήθησαν πεῖσαι αὐτὸν, θαῤῥῆσαι αὐτοῖς τὰ καθ᾽ ἑαυτόν. Καὶ μαθόντες, εἶπον πρὸς ἀλλήλους. Τίς ἄρά ἐστιν, ὁ ὀφείλων τοῦτον παραλαβεῖν καὶ ὁδηγῆσαι εἰς τὴν μοναδικὴν πολιτείαν· καὶ δὴ βουλευσαμένων αὐτῶν, συνεῖδον ἀπενεγκεῖν αὐτὸν τῷ ἀββᾷ Ἰωάννῃ τῷ Κολοβῷ. Καὶ λαβόντες αὐτὸν μεθ᾽ ἑαυτῶν, ἀπῆλθον πρὸς τὸν γέροντα· καὶ μετὰ τὸ ποιῆσαι αὐτοὺς εὐχὴν, ἐλάλησαν αὐτῷ περὶ Ἀρσενίου.

6 Καὶ ἐν τῷ συντυγχάνειν αὐτοὺς, καταλαβούσης τῆς ἐννάτης ὥρας, λέγει τοῖς κληρικοῖς ὁ γέρων· Δεῦτε, ποιήσωμεν ἀγάπην, καὶ τὸ θέλημα του Κυρίου γενέσθω. Καὶ καθεσθεὶς ὁ ἀββᾶς Ἰωάννης μετὰ τῶν κληρικῶν, ἤρξαντο ἐσθίειν, ἐάσαντες τὸν Ἀρσένιον ἱστάμενον. Ῥίπτει οὖν παξαμὰν εἰς τὴν γῆν ὁ ἀββᾶς Ἰωάννης, καὶ λέγει τῷ Ἀρσενίῳ· Φάγε, ἐὰν θέλῃς. Ὁ δὲ κλίνας ἑαυτὸν ἐπὶ τὴν γῆν, ἀπῆλθε περιπατῶν ταῖς χερσὶ καὶ τοῖς ποσὶν, ὅπου ἦν ὁ παξαμάς· καὶ ἔφαγεν αὐτον, ὡς ἔκειτο εἰς τὴν γῆν. Καὶ ἰδὼν ὁ γέρων, λέγει τοῖς ἀδελφοῖς· Ὑπάγετε μετὰ καλοῦ, καὶ εὔξασθε ὑπὲρ ἡμῶν· οὕτως γὰρ γινώσκετε, ὅτι δόκιμον ἔχει ποιῆσαι μοναχόν. Ἠρώτησαν οὖν οἱ κληρικοὶ τὸν Ἀρσένιον καθ᾽ ἑαυτοῖς, λέγοντες αὐτῷ. Ποίησον ἀγάπην, ἀδελφὲ, δια τὸν Κύριον, καὶ εἰπὲ ἡμῖν, ποῖον λογισμὸν ἔσχες ἐσθιων τὸν παξαμάν; Καὶ λέγει αὐτοῖς· Ἐλογισάμην πρὸς ἐμαυτόν· Ὅτι ὡς κυνί σοι ἔῤῥιψαν τὸν ἄρτον, ὡς κύων φάγε αὐτον. Καὶ ἐδόξασαν τὸν Θεόν. Χρόνον οὖν ὀλίγον μείνας μετὰ του ἀββᾶ Ἰωάννου ὁ Ἀρσένιος, καὶ μαθὼν πᾶσαν την μοναχικὴν κατάστασιν, ἀπελύθη παρ᾽ αὐτου ἀπελθεῖν καὶ καθίσαι κατα μόνας· καὶ ἔμεινεν ἀγωνιζόμενος ἐν Κυρίῳ, ὥστε πολλοὺς τῶν κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον μεγάλων γερόντων ὑπερβῆναι τοῖς πόνοις, F

A πόνοις, τῇ τε καρτερίᾳ, καὶ τῇ ὑπομονῇ τῶν ἀσκητικῶν ἀγώνων. Ἀναχωρήσας οὖν ἐν τῷ ἡσυχαστικῷ βίῳ, πάλιν ηὔξατο τῷ Θεῷ λέγων· Κύριε, ὁδήγησόν με, πῶς σωθῶ· καὶ ἤκουσε φωνῆς λεγούσης· Ἀρσένιε, φεῦγε σιώπα, ἡσύχαζε αὐταὶ γάρ εἰσιν αἱ ῥίζαι τῆς ἀναμαρτησίας.

7 Θεόθεν οὖν δεξάμενος τὸ τοιοῦτον πρόσταγμα, μετατίθησιν ὅλην τὴν διάθεσιν πρὸς οὐρανὸν ὁ Ἀρσένιος, ἐν γῇ μὲν διατρίβων τῷ σώματι, τῇ δὲ καρδίᾳ ταῖς ἄνω δυνάμεσι συμπεριπολῶν· ἐφ' ὃ ἀγόμενον αὐτὸν τις τῶν πατέρων τοὔνομα Μάρκος, οὕτω φιλησυχοῦντά φησι πρὸς αὐτόν· Διὰ τί φεύγεις ἡμᾶς, πάτερ; Ὁ δὲ Γέρων πρὸς αὐτόν· Ὁ Θεὸς οἶδεν, ὅτι ἀγαπῶ ὑμᾶς·' ἀλλ' οὐ δύναμαι εἶναι μετὰ του Θεοῦ, καὶ μετὰ τῶν ἀνθρώπων· αἱ ἄνω χιλιάδες καὶ μυριάδες ἓν θέλημα ἔχουσιν· οἱ δὲ ἄνθρωποι πολλὰ θελήματα ἔχουσιν. Οὐ δύναμαι οὖν ἀφῆναι τὸν Θεόν, καὶ σχολάζειν ἀνθρώποισ. Καὶ γοῦν πρὸς σαφεστέραν αὐτοῦ δήλωσιν τῆς ἡσυχίας, καὶ τοῦτο ῥητέον ἀξιομνημόνευτον ὄν.

8 Παραβαλόντος οὖν αὐτοῦ εἰς τόπον τινά, ἐπείπερ ἦσαν ἐκεῖ κάλαμοι, κινούμενοι ὑπὸ ἀνέμου, εἶπεν τοῖς ἀδελφοῖς ὁ Ἀρσένιος· Τί ἐστιν B ὁ σεισμὸς οὗτος; Οἱ δέ φασι· Κάλαμοί εἰσι, πάτερ. Λέγει οὖν αὐτοῖς ὁ Γέρων· Φύσει ἐὰν κάθηταί τις ἐν ἡσυχίᾳ, ἀκούσει δὲ φωνὴν στρουθίου, οὐκ ἔχει ἡ καρδία τὴν αὐτοῦ* ἡσυχίαν· πόσῳ γε μᾶλλον ὑμεῖς, ἔχοντες τὸν σεισμὸν τοῦτον*. Πῶς δὲ οὐκ ἔμελλεν ὁ οὕτως ἠρεμῶν, καὶ τὴν ἔκστασιν τῆς ἐκ τῶν κάτω θορύβων, περιδονήσεως ἀκλόνητον ἔχων πρὸς Θεόν, μὴ οὐχὶ καὶ τὸ ἀσύμφυρτον φιλεῖν τῆς ἀνθρωπίνης διατριβῆς, ἀπρόσοδόν τε ἔχειν τὴν ἀπὸ γλώσσης ὁμιλίαν, ὅτι μὴ πάσῃ ἀνάγκῃ, δηλώσει δὲ ὁ λόγος.

** leje cum Comm. αὐτήν.*
** ibid. τῶν καλάμων τούτων*

9 Ποτὲ παραβαλὼν αὐτῷ Θεόφιλος, ὁ ἀρχιεπίσκοπος Ἀλεξανδρείας, μετὰ ἄρχοντός τινος, ἠρώτα τὸν Γέροντα, ἀκοῦσαι παρὰ αὐτοῦ λόγον. Μικρὸν δὲ σιωπήσας ὁ Γέρων, ἀπεκρίνατο πρὸς αὐτόν. Καὶ ἐὰν ὑμῖν εἴπω, φυλάσσετε; Οἱ δὲ συνέθεντο. Εἶπεν οὖν αὐτοῖς ὁ Γέρων· Ὅπου ἐὰν ἀκούσητε Ἀρσένιον, μὴ πλησιάσητε. Ἄλλοτε πάλιν βουληθεὶς ὁ ἀρχιεπίσκοπος παραβαλεῖν αὐτῷ, ἀπέστειλε πρῶτον εἰδέναι εἰ ἀνοίγοι ὁ Γέρον. Καὶ δηλοῖ αὐτῷ λέγων. Ἐὰν ἔλθῃς, ἀνοίγω, καὶ ἐάν σοι ἀνοίξω, πᾶσιν ἀνοίγω· καὶ τότε οὐκ ἔτι καθέζομαι ὧδε. Ταῦτα ἀκούσας ὁ C ἀρχιεπίσκοπος, εἶπεν· Εἰ διῶξαι αὐτὸν ἀπέρχομαι, οὐκ ἔτι ἀπέρχομαι πρὸς αὐτόν. Καὶ μὴν καί τινος τῶν πατέρων ἐλθόντος πρὸς αὐτόν, καὶ κρούσαντος τὴν θύραν, ἀνέῳξεν ὁ Ἀρσένιος, νομίζων ὅτι ὁ διακονητὴς αὐτοῦ ἐστι· καὶ ὡς εἶδεν αὐτὸν ἕτερον ὄντα, ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον. Ὁ δὲ λέγει αὐτῷ· Ἀνάστα ἀββᾶ, ἵνα σε ἀσπάσωμαι. Ἔφη οὖν ὁ Γέρων· Οὐκ ἐγείρομαι, ἐὰν μὴ ἀναχωρήσῃς. Καὶ ἐπὶ πολὺ παρακληθείς, οὐκ ἀνέστη, ἕως ἀνεχώρησεν ἐκεῖνος. Οὐχ, ὡς ἄν τις οἰηθείη, παραλύων τὸν δεσμὸν τῆς ἀγάπης, ἧς ὅτι καὶ μάλιστα ἐραστὴς εἴη, ἀλλ' ἵνα μὴ διακοπείη τῆς κρείττονος ἐργασίας.

10 Ἐπεὶ καί τινες ἀδελφοὶ μέλλοντες ὑπάγειν εἰς Θηβαΐδα διὰ λινάρια, λέγουσι πρὸς ἑαυτούς· Δι' ἀφορμῆς εἴδωμεν καὶ τὸν ἀββᾶν Ἀρσένιον. Εἰσῆλθεν οὖν ὁ ἀββᾶς Ἀλέξανδρος, καὶ λέγει τῷ Γέροντι· Ἀδελφοὶ ἀπὸ Ἀλεξανδρείας ἐλθόντες θέλουσί σε ἰδεῖν. Ὁ δὲ Γέρων ἔφη· Ἐπ' αὐτὸ τοῦτο ἥκασι; Καὶ μαθὼν ὅτι εἰς Θηβαΐδα ὑπάγουσιν, λέγει ὁ Γέρων· Φύσει οὐ βλέπουσι τὸ πρόσωπον Ἀρσενίου, ὅτι δι' ἐμὲ οὐκ ἦλθον. Ἀνάπαυσον οὖν αὐτούς, καὶ

hesychasticam *h* vitam secessisset, iterum oravit Deum, dicens: Domine, viam ostende, ubi salvus fiam. Et audivit vocem, dicentem: Arseni fuge, tace, quiesce: nam hæ sunt radices, quibus a peccato immunis fias *i*.

AUCTORE S. THEODORO STUDITA. EX MS.

h

i

7 Hoc itaque divinitus accepto mandato, omnem in cælum Arsenius affectum transfert, corpore quidem in terra degens, corde autem cum supernis potestatibus familiariter consuescens. Ad illud mandatum exsequendum cum discessisset, cumque adeo solitudinem amaret, quidam e patribus, nomine Marcus *k*, sic ipsum compellat: Quare nos fugis, pater? Cui Senex: Novit Deus, quod vos diligam: at non possum esse cum hominibus, et cum Deo. Cælestes chiliades et myriades unam voluntatem habent; homines vero multas habent voluntates: Deum itaque dimittere non possum, et hominibus vacare *l*. Jam vero ut clarius constet de ejus solitaria quiete, dicendum etiam illud, memoratu dignum.

exercens arctissimam solitudinem et quietem,

k

l

8 Cum pervenisset ad locum quemdam (quoniam ibi erant arundines a vento agitatæ) sic fratres affatur Arsenius: Quænam hæc concussio est? Respondent illi: Arundines sunt, pater. Subjicit E Senex: Vere si quis sederit in solitaria quiete, et audierit vocem aviculæ, non habebit cor ejus eamdem quietem; quanto magis vos, hanc habentes concussionem *m*. Quo autem pacto ille in solitudine degens, mentemque usu sensuum destitutam, et a terrenorum tumultuum perturbatione inconcussam habens versus Deum, nequaquam amarit humanam consuetudinem, vel illam etiam, quæ confusione caret, omnemque sermoni a lingua promananti accessum præcluderet, nisi quando prorsus necessitas aliud cogeret, oratio exponet.

omni etiam levissimo strepitu carentem,

m

9 Digressus aliquando ad eum Theophilus *n* Alexandriæ archiepiscopus cum quodam e primoribus *o*, interrogabat Senem, ut audiret ab eo sermonem. Senex autem post modicum silentium illi hoc responsi dedit. Et si vobis dixero, an servabitis? Illi ad se receperunt *p*. Dixit ergo eis Senex: Ubi ubi Arsenium degere audieritis, ne appropinquate. Alias iterum archiepiscopus convenire ipsum volens, præmisit primo, qui videret, num Senex aperiret: qui significat ipsi, dicens: Si veneris, aperiam: at si tibi aperuero, omnibus aperiam, et F tunc non amplius hic remanebo. His auditis, archiepiscopus dixit: Si fugaturus ipsum venio, non amplius eum * accedo. Venienti ad se nonnulli e patribus *q* foresque pulsanti aperuit Arsenius, ministrum suum esse ratus; eumque alium esse dum cerneret, procidit in faciem. Is vero dicit ipsi: Surge, pater, ut te salutem. Reposuit Senex: Non surgam, nisi discesseris. Cumque diu is institisset, non surrexit, donec recessisset. Nec quis putet vinculi charitatis, cujus erat amantissimus, solutione id factum; verum ut ne vel tantillum a perfectionis exercitatione avocaretur.

et colloquium humanum.

n

o

p

** Vit. PP. lib. v, lib. II. n. numquam vadam ad hominem Sanctum.*

q

10 Fratres aliqui *r* in Thebaida profecturi ad comparanda fila linea *s*; dixerunt inter se: Hac etiam opportunitate videamus abbatem Arsenium *t*. Intravit itaque abbas Alexander *u*, et dicit Seni: Fratres Alexandria venientes volunt te videre. Cui Senex: An propter hoc ipsum venerunt? Et edoctus, quod in Thebaida discederent, dixit Senex: Vere haud aspicient vultum Arsenii; quia mei causa non venerunt. Refice ergo illos, ac dimitte in pace, dicens

penitus se subtrahens.

r

s

t *u*

AUCTORE F. THEODORO STUDITA. EX MS.

y z

dicens illis : Senex non potest occurrere. Alias iterum accesserunt ad eum senes, multisque instabant, ut colloquerentur cum illo *y*; et rogabant, ut aliquid sermonis sibi proferret de solitariis conclusis, ac neminem admittentibus *z*. Tum Senex : Quamdiu virgo degit in domo patris, multi volunt sponsi ejus fieri : cum vero prodierit *aa*, non habet istum honorem, quem habebat, quando latebat abscondita. Sic se habent res animæ : ex quo vulgantur : non omnibus placere possunt. Modus itaque nobis hic ostenditur occursus fratrum : neque enim omnino is semper locum habet; ne, quod accessorium est operis, operi ipsi anteferentes, damnum inde nobismetipsis sensim sine sensu inferamus. Sed, cujusmodi res illa sit, hic adjungere profuerit.

Fugæ hominum S. Arsenii, et affabilitas S. Moysis e latrone conversi visione approbantur.

11 Frater aliquis, qui in Scetin venerat, rogabat clericos dicens : Colloqui cupio cum abbate Arsenio. Cui dixere : Requiesce paululum, et ipsum videbis. Hic vero, Non gustabo, ait, quidquam, si non cum ipso collocutus fuero. Miserunt igitur aliquem cum fratre, qui ipsum ad cellam duceret, quia longe distabat. Et pulsato ostio, ingressi sunt; salutatoque Sene, sederunt in silentio. B Dixit itaq; ille ecclesiæ frater : Surgo, discedo, orate pro me. At frater peregrinus, non inventa cum Sene colloquendi libertate, dixit fratri : Venio et ego tecum. Et egressi sunt simul. Rogavit porro ipsum peregrinus dicens : Duc me ad abbatem Moysen, ex latronibus conversum *bb*. Ad quem postquam venissent, suscepit ipsum cum gaudio, et exhibitis hospitalitatis officiis dimisit. Tum is, qui alium duxerat, sic infit : Ecce adduxi te ad [Arsenium] monachum extraneum, et ad Ægyptium : uter magis placuit tibi? Cui frater : Ægyptius placuit mihi. Patrum aliquis, his auditis, oravit Deum, dicens : Domine rem hanc mihi ostende. Iste enim fugit propter nomen tuum, ille vero in ulnas accipit propter nomen tuum. Et ostensæ illi sunt duæ naves magnæ ; et in una quidem contemplatur abbatem Arsenium et spiritum Dei navigantes in quiete; et abbas Moyses et angeli Dei navigabant in altera, favorum mellis particulas in os ejus inserentes *cc*. Sic ille secedens virorum accessui indulgebat aliquantulum ; mulierum vero ne vel tantillum quidem : totus quippe erat asper, et a liberiore sermone alienus, amore C Dei occupabatur.

12 Mulier itaque quædam senatoria Romana Canopum Alexandriæ devenit, dives valde ac timens Deum, S. Arsenium videre desiderans. Excepit illam Theophilus archiepiscopus ; quem rogavit, persuaderet Seni, ut se admitteret. Et postquam ad eum venisset archiepiscopus, rogavit, ut eam admitteret. Senex vero colloquium ipsi recusavit. Quibus rebus ei denuntiatis, jubet sterni jumenta sua, dicens : Confido Deo, fore ut videam ipsum : neque enim veni visura hominem (multi enim homines sunt in civitate nostra) sed prophetam visura veni. Utque ad cellam Senis pervenit ; extra illam, Deo ita disponente, vacabat Senex : quem conspicata, procidit ad pedes ejus ; erexitque illam cum ira *, his dictis in eam intendens : Si faciem meam videre vis ; en, vide. Illa vero præ verecundia faciem ipsius contemplata non fuit. Tum Sanctus : Nonne opera mea audisti? Necesse erat illa considerare. Quomodo autem tam magnam navigationem instituere ausa es? An ignoras, quod mulier sis, et quod numquam debeas prodire? Num forte huc venisti, ut abeas

* Vit. PP. cum festinatione : cum indignatione

ἀπόλυσον ἐν εἰρήνῃ, εἰπὼν αὐτοῖς · Ὅτι ὁ Γέρων οὐ δύναται ἀπαντῆσαι. Ἄλλοτε πάλιν ἦλθον πρὸς αὐτὸν γέροντες, καὶ πολλὰ παρεκάλεσαν, ἵνα συντύχωσιν αὐτῷ · καὶ παρεκάλουν αὐτὸν, εἰπεῖν αὐτοῖς λόγον ἐπὶ τῶν ἡσυχαζόντων, καὶ μηδενὶ ἀπαντώντων. Λέγει οὖν αὐτοῖς ὁ Γέρων. Ὅταν ἡ παρθένος ἐν τῷ οἴκῳ του πατρὸς ᾖ, πολλοὶ θέλουσιν αὐτὴν μνηστευθῆναι ἐπὰν δὲ προέλθῃ, οὐχ' οὕτως ἔχει τιμὴν, ὅτε ἦν κεκρυμμένη. Οὕτω καὶ τὰ τῆς ψυχῆς · ἀπότε * δημοσιεύεται, οὐ πᾶσιν ἀρέσκειν δύναται · μέτρον οὖν ἡμῖν ὑποδείκνυται ἐνταῦθα τῆς πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς ἀπαντήσεως οὐ γὰρ πάντοτε πάντως, ἵνα μὴ τὸ πάρεργον του ἔργου προτιμώμενοι ζημιοῦμεν ἑαυτοὺς μὴ αἰσθανόμενοι · ἀλλ' οἷον καὶ τοῦτο, ἐνταῦθα ὄφελον παραζευχθῆναι. D

* ἀφ' ὅτε

11 Ἀδελφός τις ἐλθὼν εἰς Σκῆτιν, παρεκάλει τοὺς κληρικοὺς, λέγων · Συντυχεῖν θέλω τῷ ἀββᾷ Ἀρσενίῳ. Εἶπον οὖν αὐτῷ. Ἀναπαύου μικρὸν, καὶ βλέπεις αὐτόν. Ὁ δὲ ἔφη · Οὐ γεύομαί τινος, ἐὰν μὴ αὐτῷ ἀπαντήσω. Ἔπεμψαν οὖν μετὰ του ἀδελφοῦ πατκστῆσαι αὐτὸν, ὅτι μακρὰν ἦν ἡ κέλλα αὐτοῦ · καὶ κρούσαντες τὴν θύραν, εἰσῆλθον · καὶ ἀσπασάμενοι τὸν Γέροντα ἐκάθισαν σιωπῶντες. Εἶπεν οὖν ὁ ἀδελφὸς ὁ τῆς ἐκκλησίας · E Ἐγείρομαι, ὑπάγω, εὔξασθε ὑπὲρ ἐμοῦ. Ὁ δὲ ξένος ἀδελφὸς, μὴ εὑρὼν παῤῥησίαν πρὸς τὸν Γέροντα, εἶπεν τῷ ἀδελφῷ. Ἔρχομαι κἀγὼ μετά σου. Καὶ ἐξῆλθον ἡμοῦ. Παρεκάλεσεν οὖν αὐτὸν, λέγων · Λαβέ με καὶ πρὸς τὸν ἀββᾶν Μωσῆν τῶν ἀπὸ ληστῶν. Καὶ ἐλθόντων αὐτῶν πρὸς αὐτὸν, ἐδέξατο αὐτὸν ματὰ χαρᾶς, καὶ φιλοξενίσας * ἀπέλυσεν. Καὶ λέγει ὁ ἐνεγκὼν τὸν ἕτερον ἀδελφός · Ἰδοὺ ἀπήνεγκά σε πρὸς τὸν ξενικὸν μοναχὸν καὶ πρὸς τὸν Αἰγύπτιον · τίς ἐκ τῶν δύο ἤρεσέ σοι; Λέγει ὁ ἀδελφὸς · Ὁ Αἰγύπτιος ἤρεσέ μοι. Ἀκούσας δέ τις τῶν πατέρων ταῦτα, ηὔξατο τῷ Θεῷ, λέγων · Κύριε, δεῖξόν μοι τὸ πρᾶγμα τοῦτο · ὅτι ὃς μὲν φεύγει διὰ τὸ ὄνομά σου, ὃς δὲ ἐναγκαλίζεται διὰ τὸ ὄνομά σου. Καὶ ἐδείχθη αὐτῷ δύο πλοῖα μεγάλα · καὶ θεωρεῖ τὸν ἀββᾶν Ἀρσένιον καὶ τὸ πνεῦμα του Θεοῦ πλέοντες ἐν ἡσυχίᾳ εἰς ἓν * · καὶ ὁ ἀββᾶς Μωσῆς καὶ οἱ ἄγγελοι του Θεοῦ πλέοντες εἰς ἓν *, καὶ ἐψώμιζον αὐτὸν μελικηρίδας · οὕτω δὲ ὑποχωρῶν τὰς ἀνδρῶν ὁμιλίας ἐνεδίδου, τὰς τῶν γυναικῶν ὁτιοῦν οὐδαμῶς · δριμὺς γὰρ ἦν ὅλος καὶ ἀπαῤῥησίαστος, ἐροτικὸς πρὸς Θεὸν διακείμενος. F

* Coteler φιλοφρονήσας αὐτούς

* Coteler. ἕνα.

* Coteler. ἕνα.

12 Ἐλθοῦσα τοιγαροῦν εἰς τὸν Κάνοπον Ἀλεξανδρείας μιὰ συγκλητικὴ ἀπὸ Ῥώμης, πλουσίασφόδρα, καὶ φοβουμένη τὸν Θεὸν, ποθοῦσα ἰδεῖν αὐτον. Ὑπεδέξατο αυτὴν ὁ Θεόφιλος ὁ ἀρχιεπίσκοπος, καὶ παρεκάλεσεν αὐτὸν, ἵνα πείσῃ τὸν Γέροντα δέξασθαι αὐτήν. Καὶ ἐλθὼν ὁ ἀρχιεπισκοπος πρὸς αὐτὸν, μαρεκάλει δέξασθαι αὐτήν. Ὁ δὲ Γέρων οὐ κατεδέξατο ἀπαντῆσαι. Ὡς οὖν ἀνηγγέλη αὐτῇ ταῦτα, κελεύει στρωθῆναι τὰ κτήνη αὐτῆς, λέγουσα · Πιστεύω τῷ Θεῷ ἰδεῖν αὐτὸν · οὐ γὰρ ἄνθρωπον ἦλθον ἰδεῖν · εἰσὶ γὰρ καὶ ἐν τῇ πόλει ἡμῶν πολλοὶ ἄνθρωποι · ἀλλὰ προφήτην ἦλθον ἰδεῖν. Καὶ ὡς ἔφθασε περὶ τὴν κέλλαν του Γέροντος κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ ηὐκαίρησεν ἔξω τῆς κέλλης ὁ Γέρων · καὶ ἰδοῦσα αὐτὸν, προσέπεσε τοῖς ποσὶν αὐτοῦ, καὶ ἤγειρεν αὐτὴν μετ' ὀργῆς, καὶ προσέοχεν αὐτῇ λέγων · Εἰ τὸ πρόσωπόν μου θέλεις ἰδεῖν, ἰδοὺ, βλέπε. Ἡ δὲ ἀπὸ αἰσχύνης οὐ κατενοήσε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ. Καὶ λέγει αὐτῇ · Οὐκ ἤκουσας τὰ ἔργα μου; ταῦτα βλέπειν ἀναγκαῖον. Πῶς δὲ καὶ ἐτόλμησας ποιῆσαι τοσοῦτον πλοῦν; Οὐκ οἶδας, ὅτι γυνὴ εἶ, καὶ οὐκ ὀφείλεις προσέρχεσθαι πώποτε; ἢ ἵνα ἀπέλθῃς εἰς Ῥώμην,

AUCTORE S. THEODORO STUDITA EX MS.

A μην, καὶ εἴπης ταῖς γυναιξὶν, ὅτι ἑώρακα Ἀρσένιον, καὶ ποιήσουσι τὴν θάλασσαν ὁδὸν, γυναικῶν ἐρχομένων πρὸς με; Ἡ δὲ εἶπεν. Ἐὰν θέλῃ Κύριος, οὐκ ἀφῶ τινα ἐλθεῖν ὧδε· ἀλλ' εὔχου ὑπὲρ ἐμοῦ καὶ μνημόνευέ μου διαπαντός. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπεν αὐτῇ. Εὔχομαι τῷ Θεῷ, ἵνα ἐξαλειφθῇ τὸ μνημόσυνόν σου ἐκ τῆς διανοίας μου. Ταῦτα ἀκούσασα, ἐξῆλθεν τεταραγμένη. Καὶ ὡς ἦλθεν εἰς τὴν πόλιν, ἀπὸ λύπης ἔβαλε πυρέττειν. Καὶ ἀνηγγέλη τῷ πάπᾳ, ὥτι ἀσθενεῖ. Καὶ ἐλθὼν πρὸς αὐτὴν, παρεκάλει μαθεῖν τί ἐστιν, ὃ ἔχει. Ἡ δὲ εἶπεν αὐτῷ. Εἴθε μὴ ἀπήντησα ὧδε· εἶπα γὰρ τῷ Γέροντι· Μνημόνευέ μου· καὶ εἶπέ μοι· Ὅτι εὔχομαι τῷ Θεῷ, ἵνα ἐξαλειφθῇ τὸ μνημόσυνόν σου ἐκ τῆς διανοίας μου. Καὶ ἰδοὺ ἐγὼ ἀποθνήσκω ἐκ τῆς λύπης. Καὶ λέγει αὐτῇ ὁ ἀρχιεπίσκοπος. Οὐκ οἶδας, ὅτι γυνὴ εἶ, καὶ ὁ ἐχθρὸς διάβολος διὰ τῶν γυναικῶν πολεμεῖ τοὺς Ἁγίους; Καὶ διὰ τοῦτο εἶπεν ὁ Γέρων· περὶ γὰρ τῆς ψυχῆς σου εὔχεται διαπαντός. Καὶ οὕτως ἐθεραπεύθη ὁ λογισμὸς αὐτῆς, καὶ ἀπῆλθε ματὰ χαρᾶς εἰς τὰ ἴδια. Ἡ μὲν οὖν ἡσυχία, καὶ ἡ ἀπάντησις τοιαύτη τοῦ Ἀρσενίου.

Romam, et dicas mulieribus: Vidi Arsenium; ac pervium faciant mare mulieres ad me ventitantes? Respondit illa: Si Domino placuerit, neminem huc venire permittam. Ast ora pro me, semperque mei memoriam habe. Qui respondens, dixit illi: Orabo Deum, ut memoria tui deleatur ex animo meo. Hæc cum audiisset, exivit conturbata. Atque ut pervenit ad civitatem, præ tristitia in febrim incidit: renuntiatumque est papæ *dd*, quod ægrotaret; qui eam accedens, rogabat certiorem se reddi, quo morbo laboraret. Subjecit illa: Utinam numquam huc venissem! dixi etenim Seni: Memoriam mei habe; et respondit: Orabo Deum, ut memoria tui deleatur ex animo meo. Et, ecce, morior ego præ tristitia. Rursum archiepiscopus: Non nosti, quod mulier sis, et quod hostis diabolus per mulieres impugnet Sanctos? Idque ideo dixit Senex: nam pro anima tua assidue orat. Et sic mens ejus recreata est; et cum gaudio discessit ad propria *ee*. Et talis quidem Arsenii secessus et occursus fuit.

dd

ee

ANNOTATA.

B E

a *Videtur auctor nihil aliud velle, quam stipitem familiæ Sancti primævum in plures postea ramos divisum fuisse; usus hic, quantum suspicor, vel phrasi istius temporis, vel parœmia tum usitata.*

b Διηνεκῶς *Subaudi* ἔμεινε, ὢν *vel quid simile. Apud Cotelerium lego.* Ἔτι ὢν ἐν τῷ παλατίῳ. Cum etiamnum esset in palatio.

c *Vide Vitas Patrum apud Rosweydum lib.* v, *libello* ii, *pag.* 563, *num.* 2. *Damalevicius Vitæ S. Bogumili eremitæ Camaldulensis auctor, tomo* II *Junii, pag.* 356, *num.* 56 *secessum ejus in eremum Drobrovensem narrat,* tamquam *si Sanctus* vocem lapsam divinitus ad Arsenium in sua vocatione audivisset: Arseni tumultus fuge, et salvaberis.

d *Per* clericos *intellige hic monachos. Exempla dat Cangius in Glossario Latino.*

e Joannes Colobus *(in appendice ad Vitas Patrum pag.* 994 *per apocopen* Colob; *Græce* Κολοβὸς, *estque hic curtus, parvus, nanus, brevis staturæ etc.) fuit inter anachoretas celeberrimus; idemque fortasse, qui in Martyrologio Coptico, tomo tertio Martii, pag.* 692 *notatur his verbis:* Obitus Joannis parvi eremitæ. *Gerardus Vossius Borchlonius, præpositus Tungrensis, inter Apophthegmata Patrum, cum S. Ephræm Syro Coloniæ edita anno* 1603, *pag.* 507, Colobios *legit; inepte addens*, verisimiliter hic intelligi Joannem Colobitam, et alias Calybitam, eremitam Romanum *(potius CPolitanum; videsis Commentarium ejus prævium die* xv *Januarii,* § ii) cujus mentio fit in Martyrologio Romano, 15 Januarii. *Mox tamen alterius Joannis eremitæ Ægyptii meminit, non sufficienter instructus, ut aliquid circa illum absolute determinet. De Joanne Colobo plenius instrui poteris ex Vitis Patrum variis locis; Cotelerio tomo* I, *a pag.* 468, *ac Tillemontio tomo* X, *a pag.* 427.

f Agape, *Græce* ἀγάπη, *accipitur vel pro extraordinaria refectione in monasteriis; vel pro solenni convivio; vel pro cœna, ad quam Christiani, sed pauperes potissimum adhibebantur. De prima significatione consule Cangium; de secunda Cotelerium in notis col.* 801; *de tertia Ciacconium in*
C *notis ad Cassianum pag.* 669. *Hic vero non scio an plus aliquid significetur, quam cœna ordinaria monachorum.* F

g *Illa vox varie scribitur; nimirum* paxamas, paxamation, paximation: *de qua fuse Rosweydus in Onomastico ad Vitas PP. a pag.* 1045; *brevius Cangius in Glossario Latino. Significat vero panem subcinericium, aut recoctum seu bis coctum: quem ita appellatum quidam volunt a Paxamo quodam cupediario.*

h *Id est* quietam, taciturnam, solitariam. *Græcum* ἡσυχαστικὸς *dilucidari potest ex annotatis ad caput* i *Vitæ S. Stephani Sabaïtæ die* xiii *hujus, pag.* 534.

i *S. Lucas Junior thaumaturgus de loco, ubi sæpius a pluribus interpellabatur, cum secretiori commutando Theophylactum consulens, id responsi tulit tomo secundo Februarii, pag.* 194: Tenendum, quod optime haberet Arsenii consilium: is enim fugere ait homines et salvari. Iterumque; Fuge, tace, quiesce. *Inspici etiam possunt excerpta vitæ laudati Sancti apud Combefisium tomo* II *novi Auctarii bibliothecæ Patrum Græco-Latinæ, pag.* 990.

k *Marcus iste verosimilius fuerit discipulus adeo obediens in Scethi abbatis Silvani, notus in Vit. PP. libro* v, *libello* xiv, *pag.* 617; *quam annosus ille Marcus, quem Palladius invisit, dum numeraret annos centum. Videsis historiam Lausiacam cap.* xxi; *et infra lit.* y *in annotatis ad cap.* ii.

l *Res eadem legitur apud Cotelerium pag.* 355, *et* 356, *nec non in Vit. PP. lib.* v, *libell.* xvii, *pag.* 633; *ubi tamen est:* Superiorum enim virtutum millia, et millia millium unam voluntatem habent.

m *Coteler. pag.* 359, *et Vit. PP. lib.* v, *libell.* ii, *pag.* 564, *num.* 5; *ubi legitur* eamdem quietem *: et* arundinum harum *conformiter ad notam nostram marginalem ex Cotelerio.*

n *Apud Coteler. pag.* 354 *vocatur* μακάριος, beatus. *Vit. PP. lib.* v, *libell.* ii, *pag.* 563 beatæ memoriæ. *S. Leo PP. epist.* lxiv *ad Marcianum in editione Parisiensi anni* 1675 *ordine* 94, *eumdem appellat* sanctæ memoriæ Alexandrinæ ecclesiæ episcopum. *Et epist.* lii *ad episcopos Galliarum,*

AUCTORE S. THEODORO STUDITA EX MS

liarum, ibidem ordine 77, *eum cum Athanasio et Cyrillo conferens*, probatissimum præsulem *nuncupat. Vide Baronium ad annum* 412, *et Historiam chronologicam Patriarcharum Alexandrinorum ante tomum quintum Junii, pag.* * 52 ; *ubi de virtutibus et vitiis ejus*. D

o *Coteler. et Vit. PP.* cum quodam judice.

p *Vit. PP. pag.* 565 promiserunt se custodire. *Coteler.* συνέθεντο φυλάττειν.

q *Legunt. Vit. PP. lib.* III, *pag.* 528. Cum quidam . . ex fratribus advenisset. *Historiola hæc ponitur apud Coteler.* 368, *usque ad* recessisset *inclusive.*

r *Præmittit Coteler. pag.* 360 : Referebat abbas Daniel quosdam fratres *etc.*

s Λινάριον, linum : λινάρια, retia *vel* fila linea *(Gallice* filets.) *Coteler. id vertit* filum lineum. *Vit. PP. lib.* III, *pag.* 528 linum ; *uti et lib.* VII, *cap.* XXXIV, *num.* 2. *Apud Surium num.* 16 *legitur :* Propter aliquod suum negotium.

t *Vit. PP. hic addunt :* Cumque ad speluncam ejus pervenissent.

u *Coteler. etiam* Alexander : *in Vit. PP. signatur* Daniel.

x *Differt aliquantulum Coteler. At Vit. PP. addunt hanc clausulam :* Me permitte cælum aspicere, et dimitte eos redire : nam faciem meam non videbunt.

y *Additur apud Coteler. pag.* 372 : Ille autem portam aperuit.

z *Hesychastica vita silentii tenacissima, non ita tamen, ut proximis saltem post hunc Sanctum sæculis, discipulos et alios quoscumque exhortationis vel colloquii causa accedentes excluderet omni tempore ; ut videre est in annotatis ad Vitam S. Stephani Sabaïtæ superius allegatis. Certe auctor Vitæ num.* 184, *de isto Sancto memorat :* Quinque deinde annis solitarius Christo vacavit (ἡσύχασεν) in cella, non exiens umquam nisi diebus Sabbati, et Dominicis, cellæ fronti per id tempus inscribens : Ignoscite per Dominum mihi, domini patres, neque mihi quisquam in hesychasterio extra Sabbatum et Dominicam sit molestus.

aa *Coteler. pag.* 372 : Cum vero maritum acceperit, nequaquam placet cunctis, sed illi quidem contemnunt, alii vero prædicant. B

bb *De Moyse e latrone converso agit Comm. præv. num.* 28.

cc *Res hæc gesta narratur in Vit. PP. lib.* VII, *cap.* XVIII, *num.* 2, *et apud Coteler. pag.* 368.

dd Τῷ πάπᾳ. *Ita vocatus fuit Patriarcha Alexandrinus. Videsis Glossarium Græcum Cangii. Coteler. habet* τῷ μακαρίῳ Θεοφίλῳ τῷ ἀρχιεπισκόπῳ.

ee *Vit. PP. lib.* III, *pag.* 511, *et lib.* V, *libell.* II, *num.* 7 : *et apud Coteler. pag.* 360.

CAPUT II. *Donum orationis et lacrymarum; vigiliæ, documenta, labor manuum ; mortificatio, paupertas ; discipulorum dimissio, et admissio ; reditus in Troën.*

Sanctus in oratione fervet instar ignis ; quam conjungit cum summa humilitate :

Jam vero quis orationis et humilitatis dotibus ornatior illo exstitit ? Cujus quidem rei testis est frater ille, qui ad cellam Senis digressus, et observans per fenestram ea, quæ fiebant intus, videt Senem totum, quasi ignem : (et sane dignus erat frater ista videre.) Simul atque is pulsavit, egressus est Senex, vidensque fratrem stupore defixum, dicit ei : An a multo tempore pulsasti? Numnam aliquid hic vidisti? C Qui dixit : Nequaquam. Et ipsum allocutus, dimisit *a*. Fuit qui dixit, quod, sicut nemo in palatio gestaret splendidiorem vestem, quam ipse, quando degebat in aula imperatoris ; sic nemo præ ipso alius gestarit viliorem, postquam ad cœtum Scetios accessisset *b*. Cum aliquando in Sceti paucula caricæ distribuerentur ; eas tamquam res nihili Arsenio non miserunt, ut ne injuria afficeretur. Quo audito, non venit ad collectam Senex, dicens : Segregastis me, non dando mihi eulogiam *c*, quam misit Deus fratribus ; quam non sum dignus accipere. Et audierunt omnes, ædificatique sunt in humilitate Senis. Et abiens presbyter *d* duxit ipsum ad collectam cum gaudio.

cujus specimina quædam proferuntur.

14 Ad hæc, quod interrogaret alios, suoque neutiquam arbitratu procederet, nonne humilitatis est opus? tametsi notitia, intelligentia ac sapientia ornatissimus foret. Dum itaque quodam tempore Ægyptium aliquem percunctaretur de cogitationibus suis, alius quidam fratrum ipsum conspicatus, dixit : Abba Arseni, quomodo tu, qui tanta vales eruditione Romana ac Græca, agrestem istum percunctaris de tuis cogitationibus? Cui Beatus : Romanam quidem et

Εὐχῆς δὲ καὶ ταπεινοφροσύνης χάρισι τίς οὕτως ἐκεκόσμητο ; Καὶ τις μὲν μάρτυς ὁ ἀδελφὸς ἐκεῖνος, ὁ παραβαλὼν ἐν τῷ κελλίῳ του Γέροντος, ὃς προσχὼν διὰ τῆς θυρίδος ἔνδον, θεωρεῖ τὸν Γέροντα ὅλον ὡς πῦρ. Ἦν καὶ ἄξιος ὁ ἀδελφὸς του ἰδεῖν. Καὶ ὡς ἔκρουσεν, ἐξῆλθεν ὁ Γέρων· καὶ ἰδὼν τὸν ἀδελφὸν ἔκθαμβον, λέγει αὐτῷ· Ἔχεις πολλὴν ὥραν κρούων· Μή τίποτε εἶδες ὧδε ; Καὶ εἶπεν· Οὐχί. Καὶ λαλήσας αὐτῷ, ἀπέλυσεν. Τὶς δὲ ὁ εἰπών, ὅτι ὥσπερ οὐδεὶς του παλατίου F ἐφόρει βαλτίονα αὐτοῦ ἐσθῆτα ἐν τοῖς βασιλείοις διάγων, ὥτως οὐδε ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῆς Σκήτιως προσερχόμενος εὐτελεστέραν αὐτοῦ ἄλλος ἐφόρησεν. Ὅτε καὶ ἐδόθη ποτὲ εἰς Σκῆτιν πρὸς ὀλίγα ἰσχάδια, καὶ ὡς μηδὲν ὄντα οὐκ ἀπέστειλεν τῷ Ἀρσενίῳ, ὡς ἵνα μὴ ὕβριν πάθῃ. Ὁ δὲ Γέρων ἀκούσας, οὐκ ἦλθεν εἰς τὴν σύναξιν, λέγων· Ἠφορίσατέ μοι * του μὴ δοῦναί μοι τὴν εὐλογίαν, ἣν ἔπεμψεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀδελφοῖς, ἣν οὐκ εἰμι ἄξιος λαβεῖν. Καὶ ἤκουσαν πάντες, καὶ ὠφελήθησαν εἰς τὴν ταπείνοσιν του Γέροντος. Καὶ ἀπελθὼν ὁ πρεσβύτερος ἤγαγεν αὐτὸν εἰς τὴν σύναξιν μετὰ χαρᾶς.

* με

14 Τὸ δὲ διερωτᾷν αὐτὸν, καὶ μὴ στοιχεῖν ἐν τῷ ἰδίῳ σκοπῷ, οὐ ταπεινώσεως ἔργον ; καίπερ γνώσει, καὶ συνέσει καὶ σοφίᾳ κατηγλαισμένος. Τοίνυν πυνθανομένον αὐτόν ποτέ τινα Αἰγύπτιον περὶ τῶν ἰδίων λογισμῶν, ἰδὼν αὐτὸν ἕτερος τῶν ἀδελφῶν, εἶπεν· Ἀββᾶ Ἀρσένιε πῶς τοσαύτην παίδευσιν ῥωμαϊκὴν καὶ ἑλληνικὴν ἐπιστάμενος, τοῦτον τὸν ἀγροῖκον περὶ τῶν σων ἐρωτᾷς λογισμῶν; Καὶ ὁ Μακάριος ἔφη· Τὴν μὲν ῥωμαϊκὴν καὶ ἑλληνικὴν παίδευσιν ἵσταμαι, τὸν δὲ ἀλφάβητον

A βητον του ἀγροίκου τούτου οὔπω μεμάθηκα. Τί δηλοῖ ὁ Ἅγιος ἐν τούτῳ; Ὅτι κἂν πᾶσαν παίδευσιν ᾖ τις ἐξησκηκὼς, μὴ τὸν διὰ ταπεινώσεως ἀληθοῦς ἀλφάβητον ἐν πρώτοις μάθοι, ἐν δευτέρῳ τιθεὶς ὡς ἐν παρέργῳ πᾶσαν σοφίαν κοσμικὴν, ἀπαιδευτός ἐστι τῷ ὄντι, καὶ ἀμαθέστατος. Πάλιν οὖν ἀπηρώτησεν αὐτόν. Πῶς ἡμεῖς ἀπὸ τοσαύτης παιδεύσεως καὶ σοφίας οὐδὲν ἔχομεν; οὗτοι δὲ οἱ Αἰγύπτιοι τοσαύτας ἀρετὰς κέκτηνται; Λέγει, αὐτῷ ὁ Ἀρσένιος· Ἡμεῖς ἀπὸ τῆς του κόσμου παιδεύσεως οὐδὲν ἔχομεν· οὗτοι δὲ οἱ Αἰγύπτιοι καὶ ἰδιῶται ἀπὸ ἰδίων κόπων ἐκτήσαντο τὰς ἀρετάς.

15 Πρὸς δὲ τὴν ταπεινοφροσύνην, καὶ εὐκατάνυκτος ἦν ὁ Ἅγιος, προχέων ἀεννάως τὸ ἱερὸν ἐκείνου δάκρυον· ὅλον γὰρ τὸν χρόνον τῆς ζωῆς αὐτοῦ καθεζόμενος εἰς τὸ ἐργόχειρον, ῥάκος εἶχεν ἐν τῷ κόλπῳ χάριν τῶν δακρύων, τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ. Προσῆν δὲ αὐτῷ καὶ τὸ τῆς ἀγρυπνίας χάρισμα ὑπερφυῶς. Ποτὲ οὖν ἐκάλεσε τόντε ἀββᾶν Ἀλέξανδρον καὶ Ζωΐλον, τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, καὶ ταπεινῶν ἑαυτὸν, εἴρηκεν· Ἐπειδὴ οἱ δαίμονες πολεμοῦσί με, καὶ οὐκ οἶδα εἰ κλέπτουσί με ἐν
B ὕπνῳ, τὴν νύκτα ταύτην κοπιάσατε μετ᾽ ἐμοῦ, καὶ τηρήσατέ με, εἰ νυστάζω ἐν τῇ ἀγρυπνίᾳ. Καὶ ἐκάθισαν εἷς ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ, καὶ εἷς ἐξ εὐωνύμων αὐτοῦ ἀπὸ ὀψὲ σιωπήσαντες, καὶ εἶπον ἀμφότεροι· Ὅτι ἡμεῖς ἐκοιμήθημεν, καὶ ἀνέστημεν, καὶ οὐκ ᾐσθάνθημεν αὐτὸν νυστάξαντα, καὶ ἐπὶ τῷ πρωῒ, ὁ Θεὸς οἶδεν ἢ ὅτι ἀφ᾽ ἑαυτοῦ ἐποίησεν, ἵνα νοήσωμεν ὅτι ἐνύσταξεν, ἢ ὅτι κατ᾽ ἀλήθειαν ἡ φύσις του ὕπνου ἦλθεν, ἐφύσησε τρεῖς πνοας, καὶ εὐθὺς ἀνέστη, λέγων· Ἐνύσταξα ναί. Καὶ ἀπεκρίθημεν. Ἡμεῖς οὐκ οἴδαμεν. Πλὴν ὅλην τὴν νύκτα διετέλει ἀγρυπνῶν, καὶ ὅτε ἦλθε τῷ πρωῒ διὰ τὴν φύσιν καθευδῆσαι, ἔλεγει τῷ ὕπνῳ· Δεῦρο κακὲ δοῦλε, ὑπούργησον· καὶ ἥρπαξε μικρὸν καθεζόμενος, καὶ εὐθέως ἠγείρετο. Ὀψὲ σαββάτων ἐπιφωσκούσης κυριακῆς ἦφιε τὸν ἥλιον ὀπίσω αὐτοῦ, καὶ ἔτεινε τὰς χεῖρας αὐτοῦ εἰς τὸν οὐρανὸν εὐχόμενος, ἕως οὗ πάλιν ὁ ἥλιος ἔλαμψεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ οὕτω λοιπὸν ἐκαθέζετο.

16 Φέρων δὲ ἦν διὰ γλώσσης ὁ Μακάριος καὶ τοῦτο· ὅτι ἀρκετὸν τῷ μοναχῷ, ἵνα κοιμᾶται μίαν ὥραν, ἐὰν ἐστιν αγωνιστής. Καὶ πάλιν· Ὅτι ξένος μοναχὸς εἰς ἀλλοτρίαν χώραν μηδὲν με-
C σαζέτω, καὶ ἀναπαύεται. Καὶ πάλιν εἶπεν· Ἐὰν τὸν Θεὸν ζητήσωμεν, φανήσεται ἡμῖν, καὶ ἐὰν αὐτὸν καταχῶμεν, παραμένε ἡμῖν. Εἰργάζετο δὲ καὶ ταῖς χερσὶν ὁ Ἀρσένιος, ἀποστολικῷ καυχήματι σεμνυνόμενος· ἔπλεκε γὰρ τὴν σειρὰν, καὶ ἔῤῥαπτεν ἕως ὥρας ἕκτης· καὶ τὸ δὴ θαυμαστὸν, ὅτι εἰ μὴ ἅπαξ του ἐνιαυτοῦ οὐκ ἤλλασσεν τῶν βαίων τὸ ὕδωρ, μᾶλλον δὲ προσετίθη. Καὶ παρεκάλουν αὐτόν τινες τῶν πατέρων, λέγοντες· Διὰ τί οὐκ ἀλλάσσεις τῶν βαίων τὸ ὕδωρ; ὅτι ὄζει. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς. Ἀντὶ τῶν θυμιαμάτων * καὶ τῶν μύρων, ὧν ἀπήλαυσα ἐν τῷ κόσμῳ, χρεία ἀπολαύειν με τῆς δυσωδίας ταύτης· οὐ μὴ παρῆ καὶ τὸ ἐγκρατὲς ἐν τῷ τοιούτῳ σκοπῷ, ἀλλ᾽ ὑποπιάζων τὸ σῶμα, ἐδουλαγώγει ἑαυτὸν, ὡς ἄριστος πωλοδάμνης, φεύγων μὲν τὸν κόρον, ὡς ὑβριστὴν πῶλον. Τῆς ὀπώρας δὲ πάντῃ ἀπεχόμενος ἦ. Μόνον ὡς ἤκουσεν, ὅτι ἐτελεσεν * πᾶν γέννημα ὀπώρας, ἔλεγεν ἀφ᾽ ἑαυτοῦ· Φέρετέ μοι· καὶ ἐγεύετο ἅπαξ ἀπὸ πάντων μικρὸν, εὐχαριστῶν τῷ Θεῷ. Ἔλεγε δὲ ὁ ἀββᾶς Δανιὴλ περὶ αὐτοῦ· Ὅτι τοσαῦτα ἔτη ἔμεινεν μεθ᾽ ἡμῶν, μόνον θαλλὶν σίτου ἐποιοῦμεν αὐτῷ του ἐνιαυτοῦ, καὶ ὅτε παρεβάλομεν πρὸς αὐτὸν, ἐξ αὐτοῦ ἠσθίομεν.

* Coteler. σωμάτων.

* Coteler. ...στη

AUCTORE S. THEODORO STUDITA. EX MS.

Græcam disciplinam *e* novi; alphabetum vero hujus agrestis necdum didici. Et vero quidnam Sanctus significat hac re? Quod, nisi quis per veram humilitatem ante omnia alphabetum discat, in secundis ponens tamquam in accessorio omnem mundanam sapientiam, etiamsi in omni exercitatus fuerit disciplina, revera rudis et indoctissimus sit. Iterum itaque interrogavit eum: Quomodo nos ex tanta eruditione et sapientia, nihil [boni] habemus; Ægyptii autem isti tantas possident virtutes? Respondet Arsenius: Nos ex sapientia mundi nihil habemus: ast illi Ægyptii et idiotæ ex suis laboribus compararunt virtutes *f*.

donum lacrymarum, per vigilationes nocturnæ

15 Præter humilitatem, pernox etiam erat Sanctus, sanctam jugiter lacrymam suam profundens: omni quippe tempore vitæ suæ, quo ad opus manuum sedebat, pannum gestabat in sinu lacrymarum causa, ex oculis ejus cadentium *g*. Ad hæc inerat ipsi vigiliarum gratia supra quam dici possit. Aliquando igitur vocavit *h* abbatem Alexandrum ac Zoilum, discipulos suos, seque ipsum humilians, dixit: Quandoquidem dæmones impugnant me, ac nescio an in somno mihi subrepant; noctem hanc vigilate mecum, et observate, num in pervigilio dormitem. E Igitur a vespertino tempore sederunt taciti, unus a dextris illius, alter a sinistris: et dixit uterque: Nos dormivimus, et surreximus, neque sensimus eum nictantem. Mane autem (Deus novit utrum ipse simularit, quo putaremus, ipsum dormituriisse, seu an naturalis somnus vere ei obrepserit) ter flavit, ac mox surrexit, dicens: Dormiturivi enimvero. Et respondimus: Nos nescimus. Ceterum noctem *i* totam transigebat vigil; et quando mane, natura ita cogente, veniebat dormiturus, dicebat somno: Adesdum serve nequam; adjuva; somnique paulum carpebat, sedens, et statim expergefiebat. Vespere autem sabbatorum, postquam *k* illucescebat Dominica, demittebat solem post se, et extendebat manus suas in cælum orans, donec iterum sol faciem ejus collustraret; et sic, quod erat reliquum, sedendo insumebat.

Effata ejus varia; labor manuum, mortificatio:

16 Effatum autem hoc Beato erat familiare: quod *l* sufficeret monacho per unam horam dormire, modo pugilis is nomen mereretur. Ac denuo: Monachus *m* peregrinus in regione aliena, F nulli se negotio medium interponat; et quietus erit. Et iterum dixit: Si Deum *n* quæsiverimus, apparebit nobis: et si eum tenuerimus, permanebit nobiscum. Manibus etiam Arsenius laborabat, gloriatione Apostolica condecoratus: plectebat *o* quippe et consuebat usque ad horam sextam: atque illud mirabile, quod non mutaret aquam palmarum nisi semel in anno, sed potius aliam adjiceret. Rogabantque eum quidam e patribus, dicentes: Quare non mutas aquam palmarum? quia fœtet. Dixitque illis: Pro suffimentis, et unguentis, quibus in seculo fruebar, oportet me uti isto fœtore. Neque temperantiam in hac re sibi propositam habebat, sed castigans corpus, in servitutem illud ipsum redigebat, tamquam optimus equi domitor; fugiens satietatem, non secus ac insolentem pullum. Fructibus omnino abstinebat, præterquam quod, ubi audierat, omne fructuum *p* genus maturuisse ex se diceret: Afferte mihi. Et semel ex omnibus modicum quid gustabat, gratias agens Deo. Abbas Daniel de ipso retulit: Tot annos mansit nobiscum, et unicum thallin *q* frumenti quotannis ipsi dabamus: et quando conveniebamus ipsum, ex eodem comedimus.

17 Et

AUCTORE S. THEODORO STUDITA EX MS.

paupertas; discernendi facultas; perfecta discipuli ejus obedientia.

17 Et vero quamquam nihil Arsenius possidebat, vere tamen bonis abundabat. Tanta cum laboraret *r* rerum inopia, ut vel una interula linea *s* indigeret, neque haberet unde eam emeret; accepit ab aliquo eleëmosynam, dixitque: Gratias tibi ago, Domine, quod dignatus me sis eleëmosyna propter nomen tuum. Nunc autem quod ad sublimissimam animi a perturbationibus liberi perfectionem pervenerit, modo pariter dicendum. Venit *t* ad eum aliquando magistrianus *u*, deferens ei testamentum viri alicujus senatorii ordinis, cognati ejus, qui reliquerat ipsi hereditatem valde magnam: postquam id accepisset, voluit scindere. Procidit autem magistrianus ad pedes ejus, dicens: Oro te, ne scindas illud *x*, si admittere recusas. Præterea discernendi facultate pollebat, si quis eum interrogaret. Sciscitante igitur abbate Marco *y*, et dicente; Anne bonum est, aliquem nihil habere solatii in cella sua? Etenim vidi fratrem habere parva olera, eaque evellere. Cui Senex: Bonum enimvero est: verum prout hominis fuerit affectio: etenim si non habuerit robur in tali modo agendi, iterum plantabit alia. Alias rursum Senex B dixit abbati Alexandro: Quando abscideris palmeos tuos ramos *z*, veni ut mecum comedas. Abbas autem Alexander lente laborabat ac moderate. Utque adfuit tempus, habuit etiamnum palmeos ramos: volensque obtemperare sermoni Senis, permansit usque dum rem totam explevisset. Abbas itaque Arsenius ut vidit eum moras trahere, cogitans si forte haberet hospites, manducavit. Ast Alexander ubi absolvit, vespere rediit. Cui Senex: An hospites habuisti? Ille; Nequaquam, inquit. Tum Senex: Cur non venisti? Respondet: Quia dixisti mihi, Quando abscideris tuos ramos, veni: et observans mandatum tuum, [citius] non veni: modo enim laborem complevi. Et miratus est Senex accurationem ejus; et dicit ei: Ocius diverte *aa*, ut synaxin *bb* persolvas, et aquam tuam *cc* sumas: sin minus, statim corpus tuum incidet in infirmitatem.

Dimittit, et iterum admittit suos discipulos. Redit in Petram; documentum a puella ei datum.

18 Non verebatur Beatus quodam tempore humiliari coram discipulis suis. Dum aliquando resideret in inferioribus partibus * et turbaretur, visum est ei cellam relinquere; nihil ex illa secum ferenti: profectusque est ad discipulos suos Pharanitas Alexandrum ac Zoilum. Dixit ergo Alexandro: Surge, et naviga. Et morem gessit. Ac Zoilo dixit: Veni mecum usque ad flumen, et quære mihi navem, quæ Alexandriam versus vela C faciat: sicque tu ad fratrem tuum naviga. Zoilus autem his dictis turbatus, tacuit: atque ita alter ab altero sejuncti sunt. Descendit igitur Senex in partes Thebaidis *dd*, gravique infirmitate correptus est. Ministri autem ejus dixerunt inter se: An aliquis nostrum contristavit Senem, eaque de causa a nobis sejunctus est? Et non invenerunt quidquam in se culpæ. Sanitati autem restitutus Senex, dixit: Ibo ad patres meos: Et sic navi revectus venit in Petram *ee*, ubi erant discipuli ejus. Cum vero prope fluvium esset, puella quædam Æthiopissa accedens tetigit meloten *ff* ipsius. At Senex increpavit eam. Puella vero dixit illi: Si monachus es, vade ad montem. Senex autem sermone compunctus, dicebat intra se: Arseni, si monachus es, vade ad montem. Interea occurrunt ei Alexander et Zoilus; cumque procidissent ad pedes ejus, projecit se etiam Senex: et fleverunt utrimque. Dixit Senex: Non audistis, quod ægrotarem? Responderunt: Ita

* Vit. PP. lib. v, libell. xv, num. 9 addunt Ægypti.

17 Ἀλλὰ γὰρ καὶ ἀκτήμων ἦν ὁ Ἀρσένιος, D ὁ ὄντος ἐν ἀγαθοῖς πλούσιος. Ἐχρῄζεν οὖν πράγματος ἕως ἑνὸς λικνοῦ *, καὶ μὴ ἔχων, πόθεν ἀγοράσαι, ἔλαβε παρά τινος ἀγάπην, καὶ εἶπεν· Εὐχαριστῶ σοι, Κύριε, ὅτι ἠξίωσάς με λαβεῖν ἀγάπην διὰ τὸ ὄνομά σου. Οἷον δὲ καὶ τὸ παρὸν ἀπαθείας ὢν ἀκροτάτης λεκτέον. Ἦλθε οὖν ποτε πρὸς αὐτὸν μαγιστριανὸς, φέρων αὐτῷ διαθήκην συγκλητικοῦ συγγενοῦς αὐτοῦ, ὃς κατέλειπεν αὐτῷ κληρονομίαν πολλὴν σφόδρα. Καὶ λαβὼν αὐτὴν ἤθελεν σχίσαι. Ἔπεσε δὲ ὁ μαγιστριανὸς εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ λέγων· Δέομαί σου, μὴ σχίσῃς αὐτὴν, μὴ δεξάμενος. Πρὸς τούτοις καὶ διακριτικὸς ὑπῆρχεν, εἴποτε εἴρετό τις. Πυθομένου οὖν του ἀββᾶ Μάρκου καὶ λέγοντος· Καλὸν τὸ μὴ ἔχειν τινὰ παράκλησιν ἐν τῷ κελλίῳ αὐτοῦ; καὶ γὰρ εἶδον ἀδελφὸν ἔχοντα μικρὰ λάχανα καὶ ἐκριζοῦντα αὐτά. Εἶπεν ὁ Γέρων· Καλὸν μὲν ἐστιν· ἀλλὰ πρὸς τὴν ἕξιν του ἀθρώπου· ἐὰν γὰρ μὴ ἔχῃ ἴσχυν ἐν τῷ τοιούτῳ τρόπῳ, πάλιν φυτεύει ἄλλα. Ἄλλοτε πάλιν εἶπεν ὁ Γέρων τῷ ἀββᾶ Ἀλεξάνδρῳ ὅτ' ἂν ἀποσχίσῃς τὰ θαλλία * σου, δεῦρο γεῦσαι μετ' ἐμοῦ. Ὁ οὖν ἀββᾶς Ἀλέ- E ξανδρος ὁμαλῶς εἰργάζετο καὶ ἐπιεικῶς, καὶ ὡς γέγονεν ἡ ὥρα, ἀκμὴν εἶχε θαλλία, καὶ θέλων τηρῆσαι τὸν λόγον του Γέροντος, ἀνέμεινε πληρῶσαι αὐτά. Ὁ οὖν ἀββᾶς Ἀρσένιος ὡς εἶδεν ὅτι ἐχρόνισε, λογισάμενος μήποτε ξένους ἔσχεν, ἐγεύσατο. Ὁ δὲ Ἀλέξανδρος, ὡς ἐτέλεσεν, ὀψὲ ἀπῆλθε· καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Γέρων· Ξένους ἔσχες; Καὶ λέγει. Οὐχί. Εἶπεν οὖν αὐτῷ· Πῶς οὐκ ἦλθες; Ὁ δὲ λέγει· Ὅτι εἶπές μοι, ὅτ' ἂν ἀποσχίσῃς τὰ θαλλία σου, ἐλθὲ, καὶ τηρῶν σου τὸν λόγον, οὐκ ἦλθον, ὅτι ἄρτι ἐπλήρωσα. Καὶ ἐθαύμαζεν ὁ Γέρων τὴν ἀκρίβειαν αὐτοῦ, καὶ λέγει αὐτῷ· Ταχυτέρως κατάλυε, ἵνα καὶ τὴν σύναξίν σου βάλῃς *, καὶ του ὕδατός σου μεταλαμβάνῃς· εἰ δὲ μήγε, ταχέως ἔχει τὸ σῶμά σου ἀσθενῆσαι.

* λίνου.

* al. βαΐα.

* al ποιῇς ἀταράχως.

18 Οὐκ ἐδεῖτο δὲ ταπεινοῦσθαι καιρῷ τινι τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς ὁ Μακάριος. Καθεζομένου αὐτοῦ ποτε ἐν του κάτω μέρεσι, καὶ ὀχλουμένου, ἔδοξεν αὐτῷ καταλιπεῖν τὸ κελλίον, μηδὲν ἐξ αὐτοῦ λαβών. Καὶ ἐπορεύθη πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ μαθητὰς, τοὺς Φαρανίτας, Ἀλέξανδρον καὶ Ζώϊλον Εἶπεν οὖν Ἀλεξάνδρῳ; Ἀνάστα, ἀνάπλευσοι. Καὶ F ἐποίησεν οὕτως. Καὶ τῷ Ζωΐλῳ εἶπεν· Δεῦρο μετ' ἐμοῦ ἕως τοῦ ποταμοῦ, καὶ ζήτησόν μοι πλοῖον ἐπὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν ἀναπλέον. Καὶ οὕτως καὶ σὺ ἀνάπλευσον πρὸς τὸν ἀδελφόν σου. Ὁ δὲ Ηώϊλος ἐπὶ τῷ λόγῳ ταραχθεὶς, ἐσιώπησε, καὶ οὕτως ἐχωρίσθησαν ἀπ' ἀλλήλων. Κατῆλθεν οὖν ὁ Γέρων ἐπὶ τὰ μέρη Θηβαΐδος, και ἠσθένησεν ἀῤῥωστίαν μεγάλην. Οἱ δὲ τούτου διακονιταὶ, εἶπον πρὸς ἀλλήλους· Μὴ ἄρά τις ἡμῶν ἐλύπησε τὸν Γέροντα, καὶ διὰ τοῦτο ἐχωρίσθη ἀφ' ἡμῶν; Καὶ οὐκ εὗρον ἐν ἑαυτοῖς οὐδέν. Ὑγιάνας δὲ ὁ Γέρων εἶπεν· Πορεύσομαι πρὸς τοὺς πατέρας μου. Καὶ οὕτως ἀναπλεύσας ἦλθεν εἰς τὴν Πέτραν, ὅπου ἦσαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. Ὄντος δὲ αὐτοῦ πλησίον του ποταμοῦ, παιδισκη τις Αἰθιόπισσα ἐλθοῦσα, ἥψατο τῆς μηλωτῆς αὐτοῦ. Ὁ δὲ Γέρων ἐπετίμησεν αὐτῇ. Η οὖν παιδίσκη λέγει αὐτῷ· Εἰ μοναχὸς εἶ, πορεύου εἰς τὸ ὄρος. Ὁ δὲ Γέρων ἐπὶ τῷ λόγῳ κατανυγεὶς, ἔλεγεν ἐν ἑαυτῷ· Ἀρσένιε, εἰ μοναχὸς εἶ, πορεύου εἰς τὸ ὄρος· καὶ ἐπὶ τοῦτο ἀπήντησαν αὐτῳ ὅτε Ἀλέξανδρος καὶ ὁ Ζώϊλος· καὶ ἐπιπεσόντων αὐτῶν τοῖς ποσὶ αὐτοῦ, ἔῤῥιψεν ἑαυτὸν ὁ Γέρων· καὶ ἔκλαυσαν ἀμφότεροι. Εἶπεν δὲ ὁ Γέρων· οὐκ ἠκούσατε,

A ἠκούσατε, ὅτι ἀσθενῶ; Καὶ εἶπον αὐτῷ· Ναί. Καὶ λέγει ὁ Γέρων. Καὶ διὰ τί οὐκ ἤλθετε ἰδεῖν με; Καὶ λέγει ὁ ἀββᾶς Ἀλέξανδρος· Ὅτι ὁ χωρισμός σου ἀφ' ἡμῶν οὐ γέγονε πιθανὸς, καὶ πολλοὶ οὐκ ὠφελήθησαν, λέγοντες· Ὅτι εἰ μὴ παρήκουσαν του Γέροντος, οὐκ ἂν ἐχωρίσθη ἀπ' αὐτῶν. Καὶ λέγει αὐτοῖς· Κἀγὼ ἔγνων· πάλιν οὖν μέλλουσιν λέγειν οἱ ἄνθρωποι· Ὅτι μὴ εὑροῦσα ἡ περιστερὰ ἀνάπαυσιν τοῖς ποσὶν αὐτῆς, ἀνέστρεψεν πρὸς Νῶε εἰς τὴν κιβωτόν· καὶ οὕτως ἐθεραπεύθησαν, καὶ ἔμειναν μετ' αὐτοῦ * ἕως τῆς τελευτῆς αὐτοῦ.

* Coteler. ἔμεινε μετ' αὐτῶν.

est. Rursum Senex: Et cur non venistis me invisum? Et dixit abbas Alexander: Separatio tui a nobis approbata haud fuit; imo multis non profuit, dicentibus: Nisi inobedientes fuissent Seni, non utique sese ab ipsis sejunxisset. Tunc ille: Et ego id novi. Iterum ergo dicturi sunt homines: Columba non inveniens requiem pedibus suis, reversa est ad Noë in arcam. Et sic curati sunt, manseruntque cum eo usque ad mortem ipsius.

AUCTORE S. THEODORO STUDITA. EX MS.

ANNOTATA.

a *Vit. PP. lib.* v, *libell.* XVIII, *num.* 1, *Coteler. pag.* 360.

b *Vit. PP. lib.* III, *pag.* 506, *lib.* v, *libell.* XV, *num.* 6, *Coteler. pag.* 353.

c Εὐλογίαν. *Hic intellige edulium benedictione sacerdotis consecratum: quod post Missas alicui dare, vel transmittere, erat signum communionis et charitatis, uti videsis apud Rosweydum in Onomastico.*

d *Coteler. pag.* 356 *addit:* Caricas ei detulit; *et Vit. PP. lib.* v, *libell.* XV, *num.* 8: Portavit ei de caricis illis.

e *Vit. PP. lib.* v, *libell.* XV, *num.* 7 *addunt:* Quantum ad seculum.

f *Vit. PP. lib.* v, *libell.* X, *num.* 5 *narrant ea dixisse* abbatem Euagrium. *Coteler. pagg.* 3[illegible] *et* 354: Dixit aliquis beato Arsenio: Quo modo nos *etc.*

B g *Vit. PP. lib.* v, *libell.* III, *num.* 1. *Coteler. pag.* 370. *De fletus abundantia in Comm. præv. num.* 45; *et infra num.* 23. E

h *Hæc* narravit abbas Daniel *apud Coteler. pag.* 371.

i *Coteler. pag.* 356: Retulit abbas Daniel de abbate Arsenio, quod noctem totam *etc. Vit. PP. lib.* v, *libell.* IV, *num.* 2 *etiam Danieli narrationem tribuunt.*

k *Vit. PP. lib.* v, *libell.* XII, *num.* 1. *Coteler. pag.* 363.

l *Vit. PP. ibid., libell.* IV, *num.* 3. *Coteler. pag.* 356.

m *Vit. PP. ibid., libell.* X, *num.* 6.

n *Vit. PP. ibid., libell.* XI, *num.* 1. *Coteler. pag.* 355.

o Ἔπλεκε γὰρ τὴν σειράν. *Vit. PP. ibid., libell.* IV, *num.* 5: Faciebat plectam. *Coteler. pag.* 357: Plectam texebat. *Vox* plecta, *quæ videtur a Græco* πλεκτὸν (πλέκω *quippe est,* necto, contexo) *formari posse, habenæ sunt e palma, junco; sparto aut simili re contextæ, ex quibus sportæ, canistra, aliaque ejusmodi conficiuntur. Has Ægyptii* σειρὰς *vocant. Adisis Rosweydi notas in hunc locum Hispani hujusmodi habenas nominant* pleytas, *et, quæ ex iis conficiuntur fiscellæ etc.,* seras. *Vide notas Ciacconii in Cassianum pag.* 687. *Locis supra hic citatis refertur factum præsens ex ore abbatis Danielis.*

p Ὀπώρας. *Vit. PP. ibid., libell.* IV, *num.* 6, *et Coteler. pag.* 357 *vertunt* pomorum. *Factum hoc narrasse Danielem, habemus indidem.*

q Θαλλὶν σίτου. *Vit. PP. ibid. num.* 4: Mensuram parvam victus. *Coteler.* Unum thallium, mensuram frumenti. *Apud Surium num.* 18: Thallium: oportet enim his uti patriis nominibus. *Mensura itaque hæc erat apud Ægyptios e foliis palmeis confecta; prout colligitur ex etymo nominis, de quo Cangius; et inferius hic num.* 17; *ubi vox* θαλλία.

r *Vit. PP. lib.* v, *libell.* VI, *num.* 3, *et Coteler. pag.* 357.

s Λίνον, *quod ad marginem substituo, inter alia significat* carbasum. *Nos cum Cotelerio pag.* 357 F
C *hic intelligimus rem affinem. Vit. PP. rem plane diversam ponunt lib.* v, *libell.* VI, *num.* 3: Opus habuit in necessitate sua usque ad unam siliquam nummi *(de qua Cangius in Gloss. lat.)* et cum non inveniret, accepit a quodam velut eleemosynam. *Vetus interpres legerit* ἕως νούμου ἑνὸς, *quando scripsit* usque ad unam siliquam nummi. *Codex noster de Vitis Patrum membranaceus, litteris uncialibus seu quadratis forte a mille circiter annis scriptus, sub nomine Cæsaris ep., ac notatus O Ms.* 10 *legit:* Opus habuit in cessitate *(necessitate)* sua usque ad unam siliquam nummos.

t *Ista narrantur in Vit. PP. ibid., libell.* VI, *num.* 2, *et apud Coteler. pag.* 362 *ex ore Danielis.*

u Μαγιστριανός: magistrianus *vel* magisterianus. *Erant illi ex officio militiæ palatinæ, qui et* agentes in rebus. *Varia de iis collegit Rosweydus in Onomastico. Cangio est* officialis magistri officiorum. *In Codicis regularum, ab Holstenio editi, parte* II, *pag.* 477, *Grimlaicus, idem factum narrans:* Venit, *inquit,* quidam homo, nomine magistratus, *ineptissime ponens nomen appellativum pro nomine proprio.*

x *Subditur in Vit. PP.* Quia incidetur mihi caput. Et dicit ei abbas Arsenius: Ego prius mortuus sum, quam ille; ipse autem modo mortuus est; quomodo me fecit heredem. Et remisit testamentum; nihil accipiens. *Hunc locum tangit biographus infra num.* 26 *sub finem; ut mirum sit hic omitti.*

y *Idemne ille Marcus, qui supra num.* 7 *lit.* k? *De sancto homonymo, monacho in Scethi, cum epocha anni circiter* 400, *actum die* v *Martii, pag.* 367; *ubi et de duobus aliis pag.* 368. *Ceterum res hic a scriptore Vitæ expressa, habetur in Vit. PP. lib.* v, *libell.* X, *num.* 7; *apud Coteler. pag.* 358.

z *Vit. PP.* palmulas. Θάλια *simplici* λ *scribit Cangius, quod* in lexico, *inquit,* Ms. Nicomedis, τὰ φύλλα τῶν φοινίκων, folia palmarum. *Plura ibidem.*

aa *Vitæ PP. lib.* v, *libell.* XIV, *num.* 1: Disjungere *(interpres legerit* καταλύου) ab opere tuo; *sed* inscite et alieno plane sensu, *inquit recte Cotelerius in notis col.* 799: *quomodo enim* disjungi ab opere, *seu opus mittere jubetur, qui opus jam ita impleverat, ut non fuisset rediturus nisi postquam illud implevisset. Cotelerius pag.* 359 *vertit* solve *(addens, quid vi verbi* διαλύω *non importatur)*

AUCTORE S. THEODORO STUDITA EX MS.

importatur) jejunium. *Adde, quod solvendum jejunium indicet potius, id quod in proximo est,* aquam TUAM sumas. *Itaque præplacet* diverte; *hoc enim* καταλύω *per se et vi vocis significat, et cohæret cum adjunctis: quasi dicas: intro te recipe, quiesce paululum, ut synaxin seu officium recites (et quidem, prout habet alia lectio ad marginem textus apud Cotelerium notata,* ἀταράχως, sine perturbatione) *et deinde famem pellas, reficias vires, sumendo aquam tuam;* sin minus *etc.* D

bb Synaxis *præter alia significat Officium ecclesiasticum, ut videsis apud Cangium in Glossario Latino. Cotelerius pag.* 359: Quo et Officium tuum recites. *Vit. PP. loco proxime citato:* Ut et ministerium psallendi facias. *Malim* Officium tuum perficias *vel* recites; *quid enim hic* ministerium psallendi *etc. cum vacuo ventriculo, et summa debilitate, indicata per* τὸ Sin minus *etc. quod sequitur?*

cc *Non utique* aquam *meram; quæ nihil profuisset ad eximendam famem et restaurandas vires; sed* tuam, *qua vesci soles, pane, herbis, aut aliis esculentis hujusmodi concoctam,* sume, *comede (non dicitur* bibe, *quod fit in aqua mera.) Sic dicitur, jusculum sumere, lac comedere, quamquam panis in eis maceratus sit.*

dd *Scribendum hic* Alexandriæ *non* Thebaidis, *monuimus in Commentario prævio, num.* 33 *Ea vero, quæ hic narrantur, habes in Vitis PP. lib.* V, *libell.* XV, *num.* 9, *apud Coteler. a pag.* 363.

ee *Intellige* Petram Troës, *de qua supra. Surius num.* 22, *vocat* Petram Stromes. *Apographum Medicæum Regis Franciæ infra citatum habet* Στρώμνης, *sed scriptio sibi non constat: nam et* Τρώμην *paulo post lego in accusandi casu. Neutra placet. Vit. PP. ibidem num.* 10 Trohen.

ff Μηλωτὴ, melote *vel* melotes, *pellis ovina, a Græco* μῆλον, ovis, *sed et quodcumque animal quadrupes. Itaque Ciaconius in notis ad Cassianum pag.* 681 *recte censet, posse accipi pro quacumque pelle. Determinate etiam sumi potest pro pelle caprina. Cassianus libro* I *capite* VIII, *de melote monachorum Ægyptiorum agens, sic scribit:* Ultimus est habitus eorum pellis caprina[a], quæ melotes vel pera appellatur. *De his plura Cangius in utroque Glossario.*

B E

CAPUT III. *Fraudium dæmonis, et arcanorum perspicientia; morbus, visio, cura vilissimæ sepulturæ; mors; habitudo corporis, periocha vitæ; elogium.*

Fraudum dæmonis inspector et arcanorum scrutator fuit Sanctus visionibus condecoratus.

Dum rursus alius interrogaret ac diceret Arsenio: Cogitationes meæ affligunt me, suggerentes: Non vales jejunare, nec operari; saltem infirmos visita; atque hoc certe charitas est. Senex itaque artes dolosque dæmonis perspecta habens, dixit fratri: Vade, comede, bibe, dormi, et non operare: modo a cella tua ne desistas: norat enim, patientiæ in cella exercitatione monachum in ordinem suum redigi *a*. Neque destituebatur charismate perspiciendi *b* arcana Vir celebris, divina gratia cumulatissimus. Sedente *c* eo in cella, venit vox, dicens ipsi: Adesdum, ostendam tibi opera hominum. Surgensque exivit; cumque transtulit in locum aliquem, et ostendit ei æthiopem, scindentem ligna, atque in magnum C fascem illa coacervantem: quem tentabat portare, sed non poterat; et pro eo ut demeret ex eo quidquam, iterum discedens scindebat ligna, et fasci apponebat. Et postquam paullum processisset, ostendit ipsi quemdam, qui ad lacum stabat, hauriebatque ex eo aquam, et transferebat in vas pertusum; quod eam effundebat. Et denuo dicit ei: Adesdum, ostendam tibi [aliud]. Et contemplatur templum, ac duos viros, qui equis insidebant, et portabant lignum oblique unus post alium. Volebant autem per templi januam ingredi, et non valebant, quia lignum eorum erat obliquum; nec dimisit se unus post alium, ut portaret lignum in rectum; et ideo manserunt extra portam. Et sciscitabatur Arsenius, quidnam hæc sibi vellent. Dictumque est illi: Hi sunt, inquit, qui portant lignum justitiæ cum superbia, et non demiserunt se ad incedendum per viam humilem Christi: ideo manent extra regnum Dei. Qui vero ligna scindit, homo est peccatis onustus, qui loco pœnitentiæ alia adjicere non cessat. Ille autem, qui aquam haurit, homo est, qui opera quidem bona facit; sed quoniam mala quædam cum iis habet, in eo bona etiam perdidit.

Πάλιν ἄλλου πυθομένου, καὶ λέγοντος τῷ Ἀρσένιῳ· Οἱ λογισμοί μου θλίβουσί με, λέγοντες· Οὐ δύνασαι νηστεῦσαι, οὐδὲ ἐργάζεσθαι, κἂν ἐπισκέπτου ἀσθενοῦντας, καὶ τοῦτο δὲ ἀγάπη ἐστίν. Εἰδὼς δὲ ὁ Γέρων τὰς πονηρίας, καὶ τοὺς δόλους τῶν δαιμόνων, λέγει τῷ ἀδελφῷ· Ὕπαγε, φάγε, πίε, κοιμῶ, καὶ μὴ ἐργάσῃ· μόνον τοῦ κελλίου σου μὴ ἀποστῇς· ἤδει γὰρ ὅτι ἡ ὑπομονὴ τοῦ κελλίου φέρει τὸν μοναχὸν εἰς τὴν τάξιν αὐτοῦ. Οὐκ ἀπελιμπάνετο δὲ τοῦ διορατικοῦ χαρίσματος, ἔμπλεως ὢν ὁ ἀοίδιμος θείας χάριτος. Καθημένου οὖν αὐτοῦ εἰς τὸ κελλίον, ἦλθε φωνὴ, λέγουσα αὐτῷ· Δεῦρο, δείξω σοι τὰ ἔργα τῶν ἀνθρώπων, καὶ ἀναστὰς ἐξῆλθεν, καὶ ἀπήνεγκεν αὐτὸν εἰς τόπον τινὰ, καὶ ἔδειξεν αὐτῷ αἰθίοπα, κόπτοντα ξύλα, καὶ ποιοῦντα φορτίον μέγα, ἐπείραζε δὲ βαστάσαι αὐτὸ, καὶ οὐκ ἠδύνατο, καὶ ἀντὶ τοῦ ἆραι ἐξ αὐτοῦ, ἀπελθὼν πάλιν ἔκοπτε ξύλα καὶ προσετίθη τῷ φορτίῳ. F Καὶ προβὰς ὀλίγον, ἔδειξεν αὐτῷ τινα ἱστάμενον ἐπὶ λάκκου, καὶ ἀντλοῦντα ὕδωρ ἐξ αὐτοῦ, καὶ μεταβάλλοντα εἰς δεξαμενὴν τετρυπημένην, καὶ τὸ αὐτὸ ὕδωρ ἐκχέουσαν. Καὶ πάλιν λέγει αὐτῷ· Δεῦρο, δείξω σοι· καὶ θεωρεῖ ἱερὸν καὶ δύο ἄνδρας καθημένους ἵπποις, καὶ βαστάζοντας ξύλον πλαγίως ἕνα κατὰ τοῦ ἑνός. Ἤθελον δὲ διὰ τῆς πύλης τοῦ ἱεροῦ εἰσελθεῖν, καὶ οὐκ ἠδύναντο, διὰ τὸ εἶναι τὸ ξύλον αὐτῶν πλάγιον· οὐκ ἐταπείνωσε δὲ αὐτὸν ὁ εἷς ὀπίσω τοῦ ἄλλου ἐνέγκαι τὸ ξύλον ἐπ' εὐθείας καὶ διὰ τοῦτο ἔμειναν ἔξω τῆς πύλης. Ἐπύθετο οὖν ὁ Ἀρσένιος τί ἡ ταῦτα; καὶ ἐρρέθη αὐτῷ· Οὗτοι εἰσί, φησιν, βαστάζοντες ξύλον δικαιοσύνης μετὰ ὑπερηφανίας, καὶ οὐκ ἐταπεινώθησαν * τοῦ πορευθῆναι τῇ ταπεινῇ ὁδῷ τοῦ Χριστοῦ, διὸ μένουσιν ἔξω τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ· ὁ δὲ τὰ ξύλα κόπτων, ἄνθρωπός ἐστι ἐν ἁμαρτίαις πεφορτισμένος, καὶ ἀντὶ τοῦ μετανοῆσαι, ἕτερα προστιθῶν οὐ παύεται *. Καὶ ὁ τὸ ὕδωρ ἀντλῶν, ἄνθρωπός ἐστι καλὰ μὲν ἔργα ποιῶν, ἀλλ' ἐπειδὴ σὺν αὐτοῖς ἔχει τινὰ πονηρὰ, ἐν τούτῳ ἀπώλεσε καὶ τὰ χρηστά. Χρεία οὖν νήψεως τῷ ἀνθρώπῳ

* Coteler. τοῦ διορθώσασθαι ἑαυτοὺς καὶ πορευθῆναι etc.

* Coteler. ἄλλας ἀνομίας προστίθει ἐπάνω τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ.

A ἀνθρώπῳ εἰς τὰ ἔργα αὐτοῦ, ἵνα μὴ εἰς κενὸν κοπιάσῃ.

20 Διηγούμενον δέ ἐστι καὶ τοῦτο περὶ αὐτοῦ· ὅτε ἀσθενήσαντος αὐτοῦ ποτε εἰς Σκῆτιν, ἀπῆλθεν ὁ πρεσβύτερος, καὶ ἤνεγκεν αὐτὸν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, καὶ ἔθηκεν αὐτὸν εἰς γαλάδριον, καὶ μικρὸν προσκεφάλαιον πρὸς τῇ κεφαλῇ αὐτοῦ. Καὶ εἷς τῶν γερόντων ἐλθὼν εἰς ἐπίσκεψιν αὐτοῦ, ἰδὼν αὐτὸν εἰς τὸ γαλάδριον, ἐσκανδαλίσθη, λέγων· Οὗτός ἐστιν ὁ ἀββᾶς Ἀρσένιος, καὶ εἰς ταῦτα ἀνάκειται; Λαβὼν δὲ αὐτὸν ὁ πρεσβύτερος. λέγει αὐτῷ. Τί ἦν τὸ ἔργον σου ἐν τῇ κώμῃ σου; Λέγει ὁ γέρων· Ποιμὴν προβάτων ἤμην. Καὶ λέγει ὁ πρεσβύτερος· Πῶς οὖν, φησι, διῆγες τὸν βίον σου; Ὁ δὲ φησιν· Ἐν κόπῳ πολλῷ, καὶ μόχθῳ. Καὶ λέγει αὐτῷ. Καὶ πῶς διάγεις ἀρτίως ἐν τῷ κελλίῳ σου; Ὁ δὲ ἔφη· Καλῶς ἀναπαύομαι. Καὶ λέγει αὐτῷ ὁ πρεσβύτερος. Βλέπεις τοῦτον τὸν ἀββᾶν Ἀρσένιον; πατὴρ βασιλέων ὑπῆρχεν ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ χίλιοι δοῦλοι σηρικοφόροι παρέσταν αὐτῷ· πολύτιμα δὲ στρώματα ὑποκάτω αὐτοῦ ἦν· σὺ δὲ ποιμὴν ὢν, οὐκ εἶχες, ἣν νῦν ἔχεις, ἀνάπαυσιν· καὶ οὗτος τὴν τρυφὴν, ἣν εἶχεν ἐν τῷ κόσμῳ, ὧδε οὐκ ἔχει. Ἰδοὺ οὖν, σὺ μὲν ἀναπαύῃ, κἀκεῖνος θλίβεται. Ὁ δὲ B ἀκούσας ταῦτα, κατηνύγη, καὶ ἔβαλε μετάνοιαν, λέγων· Συγχώρησόν μοι, ἀββᾶ, ἡμάρτηκα, ὅτι οὗτος ἦλθεν εἰς κόπον, κἀγὼ εἰς ἀνάπαυσιν· καὶ ὠφεληθεὶς ὁ γέρων ἀνεχώρησε.

21 Τούτῳ τῷ Μακαρίῳ ἐπέστησαν οἱ δαίμονες ἐν τῷ κελλίῳ, θλίβοντες αὐτόν. Παραλαβόντες δὲ οἱ διακονοῦντες αὐτῷ, καὶ στάντες ἔξω τῆς κέλλας, ἤκουσαν αὐτοῦ βοῶντος πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ λέγοντος· Ὁ Θεός μου, μὴ ἐγκαταλίπῃς με· οὐδὲν ἐποίησα ἐνώπιόν σου ἀγαθόν· ἀλλὰ δός μοι κατὰ τὴν χρηστότητά σου βαλεῖν ἀρχήν. Πυθομένου δὲ αὐτὸν ἑτέρου ἀδελφοῦ ἀκοῦσαι λόγον ὠφελείας, εἶπεν αὐτῷ ὁ Γέρων· Ὅση σοι δύναμις, ἀγώνισαι, ἵνα ἡ ἔνδον σου ἐργασία κατὰ Θεὸν ᾖ, καὶ νικήσῃ τὰ ἔξω πάθη. Διηνεκῶς οὖν ἐν πολλοῖς ἔτεσιν ὁ Μακάριος τοὺς ἀσκητικοὺς αὐτοῦ ἀγῶνας, καὶ ἀνάπλεως ὢν παντὸς κατορθώματος, ἐπεὶ ἐνέστηκεν ὁ τῆς μεταστάσεως καιρὸς, παρῄνει τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ λέγων· Μὴ φροντίσητε ποιεῖν ἀγάπας * ὑπὲρ ἐμοῦ. ἐγὼ γὰρ εἴτι ἐποίησα ἐμαυτῷ *, ταύτην ἔχω εὑρεῖν. Ἐταράχθησαν οὖν οἱ μαθηταὶ, ἀκούσαντες ταῦτα· καὶ λέγει αὐτοῖς· Οὔπω ἦλθε ἡ ὥρα· C ὅτε δὲ ἔρχεται, λέγω ὑμῖν· κριθῆναι δὲ ἔχω μεθ' ὑμῶν ἐπὶ τοῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ, ἐὰν δώσητε τὸ λείψανόν μου τινι. Τί οὖν, φησι, ποιήσομεν; ὅτι οὐκ οἴδαμεν ἐνταφιάσαι; Καὶ λέγει αὐτοῖς ὁ Γέρων· Οὐκ οἴδατε βαλεῖν σχοινίον *, καὶ ἆραί με εἰς τὸ ὄρος; Οὗτος δὲ ἦν ὁ λόγος τοῦ Γέροντος· Ἀρσένιε, διὸ ἐξῆλθες; τοῦτο σημαῖνον· Ἐπείπερ, φησὶ, Θεῷ συνεῖναι σαυτὸν προέθου, ἀκλόνητον τὸν νοῦν διατήρει, ἵνα μὴ διὰ τῆς λήθης κενὸς γένῃ τοῦ συναμιλλᾶσθαι Θεῷ.

* al. ἀγάπην.

* additur apud Cotel. ἀγάπην.

* Coteler εἰς τὸν πόδα μου, in pedem meum.

22 Ἔλεγε δὲ καὶ τοῦτο· Λαλήσας γὰρ πολλάκις μετεμελήθην, σιωπήσας δὲ οὐδέποτε. Τούτῳ γὰρ ἐδήλωσεν ὁ Ὅσιος, ὅτι ἐκ πολυλογίας πολλάκις, καὶ μὴ ἐστοχασμένος προσφέρειν τὰ ἁρμόζοντα, ἐκπίπτει ὁ ἄνθρωπος, καὶ ἐπὶ συμφορὰς ἴσως καὶ θανατηφόρους, καὶ δικαιολογίας κρημνιζόμενος· ὁ ἄφρων μὴ αἰσθανόμενος, οὐ μετεμελήθη, ἀλλὰ μᾶλλον ἀναισχυντῶν ἐπὶ τὸ ἐναντίον εἰς τὸ λέγειν ἀνδρίζεται διὰ ἔριν κακίας· παγὶς γὰρ ἰσχυρὰ ἀνδρὶ τὰ ἴδια χείλη, καὶ ἁλίσκεται ῥήμασιν ἰδίου στώματος. Ὁ δὲ εὔφρων,

Vigilantia igitur homini opus est in operibus suis, ut non in vanum laboret.

AUCTORE S. THEODORO STUDITA. EX MS.

Quidam in Sancto ægrotante scandalum passus, corrigitur.

20 Hoc quoque de ipso narratur. Dum aliquando in Sceti ægrotaret, profectus presbyter tulit eum ad ecclesiam, et posuit in strato *d*, parvumque cervical ad caput ejus. Unus e senibus, cum venisset, ut ipsum viseret, et vidisset eum in strato, scandalum passus est, dicens : Hiccine est abbas Arsenius, et hoc modo recumbit? Senior vero sumpsit eum ac dixit : Ecquod erat opus tuum in pago tuo? Respondet senex : Pastor ovium eram. Instat presbyter ; Quo pacto igitur, inquit, vitam traduxisti? Hic vero, In labore multo, ait, et ærumna. Tum alter rursus : Et qui nunc degis in tua cella? Respondit : Commode quiesco. Et iterum presbyter : Vides abbatem hunc Arsenium? Pater imperatorum erat in seculo, et mille famuli sericis induti adstabant *e* ei : pretiosa etiam strata erant subter ipso : tu vero non habuisti pastor existens, quam nunc habes, requiem : sed ille delicias, quas habuit in seculo, hic non habet. Vide igitur ; tu quieti indulges ; ille vero affligitur. Quibus auditis, compunctus est, ac corpore inclinato *f* veniam petiit dicens : Ignosce mihi, abba, peccavi. Hic venit ad laborem, et ego ad requiem. Et cum fructu senex discessit. E

Tentatus sese humiliat : docet externos affectus superare ; vult abjectissime sepeliri : dictum ejus :

21 Beatum *g* istum aliquando in cella aggressi sunt dæmones, affligentes eum. Accedentes autem qui ministrabant ipsi, et stantes extra cellam, audierunt ipsum clamantem ad Deum, ac dicentem : O mi Deus, ne derelinquas me ; nihil boni in conspectu tuo egi : sed da mihi propter benignitatem tuam, ut jaciam fundamentum. Dum autem *h* alius frater interrogaret ipsum, ut boni aliquid ex ipso audiret, dixit Senex : Contende, quantum potes, ut interna operatio tua sit secundum Deum, et externas appetitiones superabis. Postquam itaque Beatus assidue ascetica sua certamina per multos annos exantlasset *i*, omni virtute jam plenus, instaretque tempus migrationis ejus, hortabatur *k* discipulos suos, dicens : Ne soliciti sitis *l*, ut agapas *m* faciatis pro me : nam ego, siquidem mihi feci, illam inveniam. Turbati ergo *n* sunt discipuli, hæc audientes ; et dixit illis : Nondum venit hora ; quando autem venerit, F dicam vobis. Judicium enim vobiscum subire debeo ante tribunal *o* Christi, si cuiquam dederitis corpus meum *p*. Quidnam ergo, inquiunt, faciemus? Quia nescimus *q* illud sepelire. Et dicit eis Senex : Non nostis mittere funem, et tollere me in montem? Illud autem frequenter usurpabat : Arseni, quare [seculo] egressus es *r*? Hac re significans : Quoniam, ajebat, te ipsum obtulisti, ut cum Deo versareris, custodi mentem imperturbatam, ut per oblivionem vacuus non fias ad conversandum *s* cum Deo.

aliud item dictum : timor mortis, quam sancte obit :

22 Dicebat etiam illud : Pœnituit enimvero me sæpius *t*, locutum esse ; tacuisse vero numquam. Hoc quippe indicavit *u* Sanctus, per multiloquium sæpius hominem, qui non attendit, ut congrua proferat, labi ; in calamitates utique mortiferas ac contentiones præcipitatum. Quod dum amens non sentit, pœnitentia non ducitur, sed impudentia potius e contrario ad loquendum roboratur propter contentionem malitiæ : nam pedica valida viro sunt propria labia, et proprii oris verbis captatur. At sapientem, et qui mentem expurgatam habet, locutum præter id

AUCTORE S. THEODORO STUDITA. EX MS.

id quod debuit, sæpius pœnituit. Utinam, inquiebat, sermonem hunc non protulissem! Ex multiloquio enim non evitabis peccatum. Ideo bona res est opportunum silentium. Quando jam morti erat vicinus *, viderunt eum fratres flentem; et dicunt ei: Vere, an et tu times, pater? Respondet: Vere, timor, qui nunc mecum est in hac hora, mecum erat, ex quo monachus factus sum *x*: et sic obdormivit in pace. Certe abbas Pœmen *y*, audita ipsius morte, lacrymans dixit: Beatus es, abba Arseni, quod te ipsum flevisti in hoc mundo: qui enim seipsum hic non flet, in æternum illic flebit: siquidem hic flere voluntarium, illic non flere impossibile est præ tormentis.

* Vit. PP. Cum autem traditurus esset spiritum.

x y

23 Narravit de ipso abbas Daniël, quod numquam loqui voluerit de quæstione aliqua Scripturæ, quamquam, si voluisset, loqui potuisset: sed neque epistolam facile scribebat. Quando autem per intervalla veniebat ad ecclesiam, pone columnam sedebat, ut nemo videret faciem ejus neque ipse rei alteri attenderet. Erat vultus ejus angelicus instar Jacob; erat ipse totus canus; ore festivus, aridus, statura procerus, at præ senectute B incurvus. Habebat barbam prolixam, ad pectus usque protensam: pili autem oculorum ejus præ multo fletu exciderant. Obiit annum agens nonagesimum quintum. Mansit porro in palatio imperatoris Theodosii magni divinæ memoriæ usque ad annum suæ ætatis quadragesimum *z*: in Sceti annos quadraginta: in Troë vero superioris *aa* Babylonis versus Memphim, annos decem: tres in Canopo *bb* Alexandriæ: et reliquis duobus annis rediit in Troën; ibique obdormivit, consummans cursum suum in pace ac timore Dei: quia erat Vir bonus et plenus Spiritu sancto et fide. Reliquit autem mihi pelliceam suam tunicam, albamque camisiam *cc* cilicinam, nec non sandalia, e palmula confecta. Et ego indignus illa gestavi, ut benedicerer *dd*. Hic vitæ Arsenii transitus; paucis quidem expositus, non autem prout rerum, quas gessit, admiratione dignarum multitudo exigebat; sed prout secundum tenue, quod præcessit, compendium a sanctis senibus scripto commendatæ sunt. Nos vero, post hæc ab ipsis accepta, non gravabimur audere aliquid, et adjungere iis, quæ jam dicta sunt; tam ut ostendatur sermonis nostri C penuria, quam ut propensa in Sanctum voluntas expleatur.

in vita semper latere cupiens : cujus datur intimus cum vita periochia,

z aa bb cc dd

24 Quænam fortunatissimi hujus, beatissimi, ac sanctissimi Viri recte factis recensendis par esse possit oratio? Quæ non tantum ætas nostra admiratur, et æmulari conatur exantlata ab illo solitariæ vitæ certamina, sed antiquorum quoque sanctorum patrum primores ac principes hujusce expresserunt vitæ institutum: magnum dico Euthymium, qui operam dedit maximam, ut ipsius virtutes imitaretur; secessum ipsius, silentium, humilitatem, vestitus vilitatem, ciborum abstinentiam, vigilantiam, qua in omnibus sibi attendebat, juxta id, quod ab ipso dictum est: Arseni cur [seculo] existi? Ad hæc, æmulari satagebat ipsius compunctionem, lacrymas, pervigilationes nocturnas, amorem solitudinis, odium gloriæ et societatis, alacritatem ac contentionem in orando, commiserationem ac discretionem. Omni itaque studio vitæ ipsius institutum imitatus, gratiarum etiam, quibus ille erat præditus, donum fruendum accepit, sanctissimi Spiritus communicationem, divini luminis illustrationem ac gratiam perspiciendi arcana.

et elogio.

καὶ τὸν νοῦν κεκαθαρμένον ἐπέχων, λαλήσας παρὰ τὸ δέον, πολλάκις μετεμελήθη. Εἴθε γὰρ, φησι, μὴ τόνδε λόγον προεξήνεγκον. ἐκ γὰρ πολυλογίας οὐκ ἐκφεύξῃ ἁμαρτίαν. Διὰ τοῦτο καλὸν ἡ εὔκαιρος σιωπή. Ὡς δὲ ἐγγὺς ἦν του τελευτᾷν *, εἶδον αὐτὸν οἱ ἀδελφοὶ κλαίοντα, καὶ λέγουσιν αὐτῷ. Ἐν ἀληθείᾳ καὶ σὺ φοβῇ, πάτερ; Καὶ λέγει αὐτοις· Ἐν ἀληθείᾳ ὁ φόβος ὁ νῦν ὢν μετ' ἐμοῦ ἐν τῇ ὥρᾳ ταύτῃ, μετ' ἐμοῦ ἦν, ἀφ' οὗ γέγονα μοναχός· καὶ οὕτως ἐκοιμήθη ἐν εἰρήνῃ. Ἀμέλει ὁ ἀββᾶς Ποιμὴν ἀκούσας ὅτι ἐκοιμήθη, δακρύσας εἶπεν Μακάριος εἶ, ἀββᾶ Ἀρσένιε, ὅτι ἔκλαυσας σαυτὸν ἐν τῷδε τῷ κόσμῳ. ὁ γὰρ μὴ κλαίων ἑαυτὸν ὧδε, αἰωνίως ἐκεῖ κλαύσεται. εἴτε οὖν ὧδε ἑκὸν, εἴτε ἐκει ἀπὸ βασάνων ἀδύνατον μὴ κλαῦσαι. D

* al. ἤμελλεν παρὰ διδόναι τὸ πνεῦμα.

23 Διηγήσατο δὲ ὁ ἀββᾶς Δανιὴλ περὶ αὐτοῦ, ὅτι οὐδέποτε ἠθέλησε λαλῆσαι ζήτημα τῆς γραφῆς, καίπερ δυνάμενος λαλῆσαι, εἰ ἤθελεν· ἀλλ' οὔτε ἐπιστολὴν ταχέως ἔγραφεν. Ὥτε δὲ ἤρχετο εἰς τὴν ἐκκλησίαν διὰ χρόνου, ὀπίσω του στύλου ἐκαθίζετο, ἵνα μηδεὶς ἴδῃ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, μή τε αὐτὸς ἄλλου προσχῇ· ἦν δὲ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἀγγελικὸς, ὥσπερ του Ἰακὼβ, ὁλοπόλιος, ἀστεῖος τῷ στόματι *, ξηρὸς δὲ ὑπῆρχε καὶ μακρὸς, ἀλλ' ἐκυρτώθη ἀπὸ του γήρως. Εἶχεν δὲ τὸν πώγωνα μέγαν, φθάνοντα ἕως τῆς κοιλίας· αἱ δὲ τρίχες τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ ἔπεσον ἀπὸ του πολλοῦ κλαυθμοῦ· τελευτᾷ * δὲ ἐτῶν ἐνενήκοντα πέντε· ἐποίησεν δὲ εἰς τὸ παλάτιον του τῆς θείας μνήμης Θεοδοσίου του μεγάλου ἕως του τεσσαρακοστοῦ ἔτους τῆς αὐτοῦ ἡλικίας, καὶ ἐν τῇ Σκήτι ἔτη μ', καὶ δέκα εἰς Τρώην τῆς ἄνω Βαβυλῶνος κατέναντι Μέμφεως καὶ ἔτη γ' εἰς τὸν Κάνωπον τῆς Ἀλεξανδρείας, καὶ ἄλλα δύο ἔτη ἦλθεν πάλιν εἰς Τρώην, καὶ ἐκεῖ ἐκοιμήθη, τελέσας * ἐν εἰρήνῃ καὶ φόβῳ Θεοῦ τὸν δρόμον αὐτοῦ· ὅτι ἦν ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ πλήρης Πνεύματος ἁγίου, καὶ πίστεως. Κατέλιπε δέ μοι τὸν χιτῶνα αὐτοῦ τὸν δερματινὸν, καὶ τρίχινον κάμισιν λευκὸν, καὶ σανδάλια σεβέννινα *, καὶ ἐγὼ ὁ ἀνάξιος ἐφόρεσα αὐτὼ, ὅπως εὐλογηθῶ. Τοῦτο τὸ μέρας του βιου του Μακαρίου Ἀρσενίου, ὡς ἐν ὀλίγοις δὲ διηγημένον, οὐ κατὰ τὸ πλῆθος τῶν ἀξιαγάστων αὐτοῦ πρακτικῶν, ἀλλὰ κατὰ τὸ φθᾶσαν βραχυμερὲς γραφῇ παραδοθῆναι παρὰ τῶν ὁσίων Γερόντων. Ἡμεῖς δὲ καὶ τὰ περὶ ἑαυτῶν ληψόμηνοι *, οὐκ ὀκνήσομεν τόλμῃ χρώμενοι προσθῆναί τι τοῖς εἰρημένοις, τῆς μὲν πενιχρολογίας ἡμῶν δήλωσιν, του δὲ πρὸς τὸν Ἅγιον πόθου ἀποπλήρωσιν. E F

* Coteler. σώματι.

* Coteler. ἐγένετο.

* al. τελειώσας.

* al. σεβένενα, σεβεννίνα.

* λαβόμενοι.

24 Τίς λόγος δυνηθείη φράσαι του πανολβίου τούτου, καὶ τρισμάκαρος ὁσιωτάτου ἀνδρὸς τὰ κατορθώματα διηγήσασθαι; ἃ οὐ μόνον ἡ καθ' ἡμᾶς γενεὰ θαυμάζει, καὶ πειρᾶται τὰς τούτου ἀθλητικὰς ἐν ἀσκήσει παλαίστρας ζηλοτυπεῖν, ἀλλὰ καὶ οἱ ἀκρέμονες καὶ κορυφαῖοι τῶν ἁγίων ἀρχαίων πατέρων τὴν του ἐμηνύσαντο πολιτείαν· λέγω δὴ τὸν μέγαν Εὐθύμιον, ὃς πᾶσαν σπουδὴν ἐποιεῖτο τούτου μιμεῖσθαι τὰς ἀρετὰς, τήντε ἡσυχίαν αὐτοῦ, καὶ σιωπὴν, καὶ ταπεινοφροσύνην, τὸ του ἐνδύματος εὐτελὲς, καὶ τὴν τῶν βρωμάτων ἀποχὴν, καὶ τὴν εἰς πάντα καρτερίαν τὸ ἑαυτῷ προσέχειν, κατὰ τὸ ὑπ' ἐκείνου λεγόμενον· Ἀρσένιε, διὸ ἐξῆλθες; ἐζήλου δὲ αὐτοῦ καὶ τὴν κατάνυξιν, καὶ τὰ δάκρυα, καὶ τὰς παννύχους ἀγρυπνίας, τὸ φιλέρημόν τε καὶ μισόδοξον, καὶ μισοσύντυχον, τὸ εἰς προσευχὴν πρόθυμόντε καὶ εὔτονον, τότε συμπαθὲς καὶ διακριτικόν. Ἐπειδὴ τοίνυν πάσῃ σπουδῇ τὴν ἐκείνου ἐμιμήσατο πολιτείαν, καὶ τῶν ἐκείνῳ προσόντων χαρισμάτων ἠξιώθη ἐν ἀπολαύσει γενέσθαι τῆς τε τοῦ παναγιου πνεύματος μετουσίας, καὶ τῆς τοῦ θείου φωτὸς ἐλλάμψεως, καὶ τοῦ διορατικοῦ χαρίσματος.

ANNOTATA

A

AUCTORE S. THEODORO STUDITA. EX MS.

ANNOTATA.

a *Vit. PP. lib.* v, *libell.* VII, *num.* 27 *hisce addunt de monacho isto :* Qui cum fecisset tres dies, extædiatus est, et inveniens paucas palmulas, scidit eas : et iterum in crastino cœpit plectam facere ex eis. Qui cum esurisset, dixit intra se. Ecce aliæ paucæ sunt palmæ ; explico eas ; et manduco. Et cum perexpendisset eas, dixit iterum : Lego parum, sic manduco. Et cum legisset, dixit : Dicam aliquantos psalmos, et jam securus manduco. Et ita paulatim proficiebat, Deo cooperante, donec veniret ad ordinem suum. Et cum accepisset fiduciam adversus cogitationes malas, vincebat eas. *Cotelerius pag.* 355 *illa non legit in suo textu.*

b *Quid sit* διορατικὸν *et* προρατικὸν χάρισμα, *et quo distinguantur, dictum* 13 *hujus in annotatis ad cap.* VI *S. Stephani Sabaïtæ lit.* f.

c *Præmittitur in Vit. PP. lib.* v, *libell.* XVIII, *num.* 2 *:* Dixit abbas Daniel, qui erat discipulus abbatis Arsenii ; quia narravit ei abbas Arsenius, tamquam de alio aliquo dicens (puto tamen, quod de eo dicebatur.) *Quæ itidem ex ore Danielis referuntur apud Coteler. pag.* 364. *In codice nostro membranaceo O Ms.* v, *olim collegii nostri Ingolstadiensis, qui ad calcem inchoatus notatur anno* 829, *habetur :* Beatus Arsenius referebat, eo quod, dum in propria cella resideret, vocem sibi dicentem audivit. *Et pro eo, quod hic sequitur,* contemplatur templum ac duos viros *etc., ibi est,* vidit ante portam civitatis duos juvenes *etc.*

d Χαλάδριον *et* χαράδριον, *matta, pellis, vel lectus pellibus instratus. Vide notas Cotelerii col.* 799 *et Glossar. Græc. Cangii. Certe apud utrumque a Joanne Geometra exprimitur per* κώεα *in sequenti, quem citant, versiculo :*

Μέμφετο Ἀρσένιόν τις ἰδὼν ἐπὶ κώεσιν ὄντα.

B Vituperabat Arsenium aliquis, videns eum esse super pellibus. E

τὸ Κῶος *est pellis agnina vel ovina : et quippe ni aliorum quadrupedum?* Κῶος *etiam significat* stragulum. *In apographo Medicæo Regis Franciæ est* εὐτελές τι στρῶμα : *apud Surium num.* 21 vile stragulum. *Porro historiam hanc commemorat laudatus Coteler. pag.* 367.

e Παρέσταν *per syncopen pro* παρέστησαν. *Paulo post occurrit* ἐπέστησαν *absque syncope.*

f Ἔδαλε μετάνοιαν. *Vide Martyrium Sabaïtarum die* XX *Martii, pag.* 177, *in annotatis ad num.* 71 ; *et Acoluthiam Græcam ante tomum secundum Junii, num.* 60.

g *Vit. PP. lib.* v, *libell.* XV, *num.* 5 *: Coteler. pag.* 353.

h *Vit. PP. ibid, libell.* XI, *num.* 1.

i Ἐξαντλησάμενος *addidi, quo fieret perfectus sensus; nisi forte pro* διηνεκῶς *scribendum sit* διενεγκών.

k Παρηνήνει, *pro quo substitue* παρήνει, *a* παραινέω : *nisi, more Græcis alibi satis familiari, auctor usus fuerit anadiplosi seu reduplicatione secundæ syllabæ.*

l *In Vit. PP. lib.* v, *libell.* x, *num.* 9, *et apud Coteler. pag.* 369 *narratur ex ore Danielis.*

m Ἀγάπας, *hic intellige eleemosynas, refectiones pauperum. Vide utrumque Glossarium Cangii. Vit. PP. lib.* III, *num.* 163, *pag.* 524 *habent :* Nemo super me faciat charitatem, nisi in sola oblatione : ego si feci charitatem, invenio illam.

n *In Vit. PP. lib.* III, *num.* 163, *pag.* 524 *præmittitur :* Turbatis autem discipulis, quasi jam tempore propinquante. *Et lib.* v, *libell.* XV, *num.* 9 *:* Qui cum moreretur, turbati sunt valde. *Coteler. pag.* 369 μέλλοντος τελευτᾷν : Cum moriturus esset.

o *Coteler.* Ἐπὶ του βήματος του φοβεροῦ : (*al.* Χριστοῦ) ante tremendum tribunal.

p *Vit. PP.* Si permiseritis cuiquam de corpore meo aliquid facere.

q *Vit. PP.* Mortuum vestire vel sepelire.

r *Vit. PP.* Ille autem sermo semper erat in ore Arsenii. *Quod etiam præ oculis habuit S. Euthymius, ut constat ex Vita ejus* XX *Januarii, pag.* 311, *num.* 59. *S. Dorotheus archimandrita, a Corderio nostro*
C *editus, institutione* x *sic habet :* Arsenius abbas sibi ipse assidue inculcabat : Arseni quare exivisti? Nos F
tam perdite socordes sumus, ut neque sciamus, quare exiverimus, neque intelligamus, quid sit, quod voluerimus. Quapropter non solum proficimus, sed et semper affligimur.

s Συνάμιλλᾶσθαι, *quod erat in nostro apographo, quam hic satis ad propositum faciat, non video : est enim* cum aliquo concertare. *Melius quadrat* συνομιλεῖσθαι, *ut hic sit* versari cum Deo : *sicque congruit* τῷ συνεῖναι, *quod præcedit.*

t *Vit. PP.* Semper pœnituit : *Coteler.* sæpe.

u *Hanc asceticam explanationem vel proprio marte adjecerit, vel aliunde fuerit mutuatus S. Theodorus Studita, quam nec apud Cotelerium, nec in Vit. PP. hic reperio.*

x *Vit. PP. addunt :* Et timeo valde. *Ad diem* VIII *Januarii in Vita B. Laurentii Justiniani patriarchæ Veneti, cap.* x, *pag.* 561, *de ipso morituro dicitur :* In fiducia Macarium, in timore Arsenium referens : inter utrumque incedens, ut cum fiducia metueret, nec sine timore confideret.

y *De eo Commentarius prævius ; qui in Vit. PP. vocatur* Pastor, *id enim* ποιμὴν *Græce sonat.*

z *Coteler. pag.* 371 annos quadraginta, *ut alibi observavimus ; addens :* pater factus divinissimorum Arcadii et Honorii.

aa *Vit. PP. lib.* v, *libell.* XV, *num.* 10 : In loco, qui dicitur Trohen supra Babyloniam. *Interpres in Græco legerit* εἰς Τρώην τὴν ἄνω Βαβυλῶνος, *vel* εἰς Τρώην ἄνω τῆς Βαβυλῶνος. *Et sic intellige textum nostrum : neque enim duæ Babylones fuerunt in Ægypto : uti nec duæ Memphes : et simili haud dubie sensu in Fastis sacris Ethiopicis, a Jobo Ludolfo in historia Æthiopica editis, pag.* 425 *intelligitur* Ptolomæus martyr e Memphi superiore. *De istis duabus urbibus dictum in Comm. præv. Adde, hic designari* Babylonem novam, *ad Nilum fluvium, postea dirutam ; ex cujus ruinis excitata fuit in viciniis urbs Cairus, totius Ægypti caput ; a qua tantisper distant ejus rudera, quæ etiamnum videri dicuntur.*

bb *De*

AUCTORE A THEODORO STUDITA, EX MS.

bb *De Canopo supra : quibus addi possunt ex notationibus Valesii ad librum* III *Historiæ ecclesiasticæ Sozomeni pag.* 117, *quæ habet de insigni monasterio Tabennensium : ex quo factum, ut Canopus, quæ antea ob luxum et delicias infamis fuerat, insula Metanœa vocaretur : inducitque S. Hieronymum et Athanasium presbyterum, de eo loquentes ; qui postremus ibidem vocat* Metanœam, suburbanum maximæ urbis Alexandriæ, quod olim Canopus vocabatur. D

cc Κάμισιν. *Coteler.* Καμάσιν, *estque subucula, linea interula, indusium, lintea sindon : de qua voce Cangius et Onomasticum Rosweydi. Vocis etymon tradit S. Isidorus Hispalensis lib.* IX *Originum cap.* XXII *sub finem :* Camisias vocamus, quod in his dormimus in camis, id est in stratis nostris : *stratum enim vel lectus* cama *hispanico idiomate vocatur.* Camisia *Gallis* chemise. *In liturgicis est exterior vestis alba clericorum, in ecclesia gestari solita.*

dd *Iconismus Sancti, sive exterior corporis species, ab auctore Vitæ accuratissime hic delineata, narratur apud Coteler. pag.* 371 : *in Vit. PP. lib.* V, *libell.* XV, *num.* 10 : *ibidem etiam brevis hæc vitæ periocha. Codex noster Ingolstadiensis plane singularis est, dum dicit :* Moritur annorum centum XV ; *at facile alicubi ex* XCV *(quæ lectio ex Vita nostra, Vitis PP. ac Cotelerio probatur esse genuina) formari potuit* CXV, *transposita littera* X.

EPILOGUS.

Auctor conversus ad Sanctum, eumque cum Moyse comparans,

O Beatorum beatissime Arseni, purum Spiritus receptaculum. Ecquis sermo tua recte gesta dignis præconiis extollat *a* ? Quale virtutis genus in te primum laudabo ? An secessum a seculo ? Et quisnam ita dicto divino audiens, citius mundum reliquit universum ? Ad modum locumque salutaris requiei cucurrit Abraham patriarcha, at cum uxore et apparatu ; tu vero tam solus quam qui maxime, absque apparatu ac rebus superfluis, solam Christi crucem in humeris ferens eremum incoluisti. Imperatoriæ te aulæ non traxerunt ; dignitatum apices non detinuerunt. Quanto hæc plus admirabilitatis habent, quam gesta ipsius ! Et quis ab appetitionibus extra seculum nec non a terrenarum impressionum lineamentis conversus, tali cum Deo colloquendi honore donatus fuit ? Magnus ille Moyses montem Sina ascendit ; at tu quoque, occupata orationis columna, cum Deo quotidie versandi honorem accepisti. Illius vultus gloria exinde coruscabat : tu autem nonne totus ignis apparuisti videnti te ? (o miraculum !) orationis ad Deum contactu in flammam mutari visus ; tuque, cui res communicabatur, rei, quæ communicabatur, consimilis, angelus eras igne ardens, et, si non audacius, quam par est, eloquar, gloriam Mosaïcam supergressus. Jam vero quid statio pernox ? Nox sicut dies illuminata fuit orationibus, quemadmodum divinus David cecinit. Sol tibi oranti adstans, soli te remisit, circularem cursum peragens. O sol, soli intelligentia prædito revera æmule ! Mens tua lumine prægnans, purius quam solares radii in cælum demisit *b* cogitationes tuas, cælos ipsos transcendentes.

per anacephalæosim

26 An solitudinis jucunditatem prædicabo ? Ecquis te apparuit solitudinis amantior, ab humanis tumultibus recedente, et in solum Deum elevato ? Pythagoram philosophum cum nemine quidem alio, at cum bobus tamen et avibus collocutum ferunt, ex amore quietis : tu vero id, quod in eo fuit a philosophia alienum, tamquam parum decens, redarguendo, docuisti hesychasten in solitudine degere, ne vocem quidem avium audientem *c*. Cor tuum purum mari profunda tranquillitate strato simile fuit, spiritibus malitiæ procul ejectis afflatu Spiritus sanctissimi : cujus auspiciis navigationem emensus, in tranquillo superni regni portu requievisti. An humilitatis altitudinem eloquar ? Ecquis adeo se ipsum abjecit in vilitate vestitus ? Quis primum apud imperatores locum tenens, multaque sapientia conspicuus, adeo apparuit postremus, occultando

Ὦ μακαρίων μακαριώτατε Ἀρσένιε, τὸ καθαρὸν του Πνεύματος καταγώγιον· Τίς ἀξίως ἑρμηνεῦται λόγος τῶν σῶν κατορθωμάτων ; ποῖον δὲ εἶδος ἀρετῆς πρῶτον ἔν σοι ἐπαινέσομαι ; ἀναχώρησιν κόσμου ; καὶ τίς οὕτως ἐπακηκοὼς φωνῆς θείας, E κατέλιπε θᾶττον κόσμον ὅλον ; Πρὸς τὸν τρόπον καὶ τὸν τόπον τῆς σωτηριώδους καταπαύσεως προσδραμὼν Ἀβραὰμ ὁ πατριάρχης, ἀλλὰ σὺν γυναικὶ καὶ ἀποσκευῇ· σὺ δὲ μονώτατος καὶ ἄσκευος καὶ ἀπέριττος, μόνον του Χριστοῦ τὸν σταυρὸν ἐπωμάδιον φέρων ηὐλίσθης ἐν τῇ ἐρήμῳ. Βασίλειοί σε αὐλαὶ οὐ καθείλκυσαν, ὑπεροχαὶ ἀξιωμάτων οὐ περικράτησαν. Ὅσον ταῦτα ἐκείνου θαυμασιώτερα προσέτυχεν ἐργασίαν. Τίς οὕτως συστραφεὶς τῶν αἰσθήσεων ἔξω κόσμου, καὶ τῶν κάτω φαντασιώντων χαρακτήρων γενόμενος, Θεῷ συλλαλῆσαι ἠξίωται ; Μωσῆς ὁ μέγας ἀναχθεὶς ἐν τῷ Σιναίῳ ἀλλὰ καὶ σὺ ἐν τῷ τῆς προσευχῆς στύλῳ ἐφθακὼς ὁμιλεῖν Θεῷ ἠξίου ἑκάστοτε. Κἀκεῖνος τὸ πρόσωπον ἐντεῦθεν δόξῃ περιήστραπτο· σὺ δὲ οὐχ ὅλος πῦρ τῷ ὁρῶντι ἐδείκνυσο ; ὢ του θαύματος· τῇ δι εὐχῆς πρὸς Θεὸν συναφείᾳ φλὸξ δεικνύμενος, ἐφόμοιος ὢν του μετεχομένου ὁ μετέχων, ἄγγελος πυριφλεγέθων, καὶ εἰ μὴ τολμηρῶς εἰπεῖν, τῆς Μωσαικῆς δόξης ὑπερφερέστερος. Τί δὲ ἡ στάσις ἡ πάννυχος ; ἡ νὺξ ὡς ἡμέρα ταῖς προσευχαῖς ἐπεφώτιστο, ὡς ὁ θεῖος Δαβὶδ ἐμελογράφησεν. Ἥλιός σε παρεστῶν τῇ εὐχῇ ἡλίῳ παρέπεμπεν, F τὴν κυκλικὴν περιδρομὴν ποιούμενος. Ὦ ἥλιε καὶ του ὄντως νοητοῦ ἡλίου ἐφάμιλλε. ἡ διάνοιά σου φωτὸς ἐγκύμων ὑπάρχουσα ἡλιακῶν ἀκτίνων καθαρώτερον, τοὺς λογισμοὺς εἰς οὐρανὸν ἠφίη, καὶ ὑπὲρ τοὺς οὐρανοὺς ἀνατρέχοντας.

26 Ἡσυχίας τερπνότητα ; καὶ τίς σου ὤπται φιλησυχώτερος, τῶν ἀνθρωπίνων θορύβων ἀφιστάμενος, καὶ πρὸς Θεὸν μόνον μετεωριζόμενος. Πυθαγόραν φασὶ τὸν φιλόσοφον ἄλλῳ μὲν οὐδενὶ, βουσὶ δὲ καὶ ὀρνέοις προσλαλεῖν ἡσυχίας ἔρωτι· σὺ δὲ τοῦδε τὸ ἀφιλόσοφον διήλεγξας ὡς σμικροπρεπὲς, μηδὲ φωνῆς ὀρνέων ἐπαίοντα τὸν ἡσυχαστὴν ἠμεμεῖν. Ἔοικέν σου ἡ καθαρὰ καρδία πελάγει κατεστορεσμένῳ γαλήνῃ βαθείᾳ, πόῤῥω τῶν τῆς πονηρίας πνευμάτων βαλλομένων ἐπιπνοίᾳ του παναγίου Πνεύματος, ἐν ᾧ τὸ πλοῦν διαπεράνας, εἰς τὸν ἀκύμονα λιμένα τῆς ἄνω βασιλείας κατέπαυσας. Ταπεινοφροσύνης ὕψος ; καὶ τίς οὕτως ἐταπείνου ἑαυτὸν ἐν εὐτελείᾳ ἐσθῆτος ; Τίς οὕτως τὰ πρῶτα ἔχων ἐν βασιλεῦσι, καὶ πολὺς ἐν παιδεύσει, ὕστατος ὤφθη ἐν ἀποκρύψει εὐγενείας τε και σοφίας τῆς ἀπολλυμένης·

AUCTORE S. THEODORO STUDITA. EX MS.

A μένης · ὁ χρυσοστόλιστος πενιχροφόρος, ὁ πολύσοφος ἀγροικιζόμενος· ὁ πολυμαθέστατος μαθητευόμενος ταῖς ἐρωτήσεσιν [καὶ] ταῖς ἐκμαθήσεσι προσπαθείας νεκρότητα, καὶ παρῆκες ἑτέρῳ πλέον ἔχειν. Τὸ πρὸς τοὺς ἀγχιστεύοντας αἴσθεσθαι; Ἐντεῦθέν σοι τὸ λέγειν · Ἐγὼ πρὸ ἐκείνου ἀπέθανον, τῷ προαιρετικῷ δηλαδὴ θανάτῳ τοῦ φυσικοῦ προτεθνηκότος σου. Ἐντεῦθεν τὸ μακάριον σου ἐπίφθεγμα · Ἀρσένιε, διὸ ἐξῆλθες · ὃ ᾄδουσι χοροὶ μοναστῶν, φέροντες σωτηρίας ἐφόδιον · ἁμαρτίας γάρ ἐστιν ἐμπόδιον, τὴν αἰτίαν, δι' ἣν κόσμου ἐπεῤῥάγημεν, ἐπαναμιμνήσκειν, καὶ πρὸς μηδὲν ἄλλο ἢ περὶ τοῦδε μονου φροντίζειν.

nobilitatem ac sapientiam, quæ perit. Qui aurea induebaris stola, pauperculum fers habitum; qui eras sapientissimus, fis rudis et agrestis; qui eras magister disciplinis excultissimus, interrogationibus ac disciplinis mortificationem discis affectionum, et potiores alteri partes concessisti. Anne, erga propinquos quomodo affectus fueris, eloquar? Hinc tuum certe effatum: Ego ante ipsum mortuus sum: voluntaria videlicet morte naturalem te prævertente. Hinc beatum tuum dictum: Arseni, quare existi? Quod concinunt chori monachorum, ferentes viaticum salutis. Peccatum quippe impedit causæ propter quam a mundo avulsi sumus, reminiscentia, nullaque alia quam de hoc solo cura.

virtutes ejus recenset.

27 Τί δὲ ἡ ἀγαλλίασις τῆς θείας κατανύξεως, μελέτη θανάτου διηνεκὴς, ἀεννάως πελαγίζουσα ἐν τῇ καθαρᾷ καρδίᾳ σου, ἐξ ἧς τὰ ῥεῖθρα τῶν δακρύων ἀνελλειπῶς προχέοντα πυρσόν σοι ἀνῆψε θείας ἀγαπήσεως; Τῇ σωφροσύνῃ δεύτερον Ἰωσὴφ εἰκότως καλέσαιμι. ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς θήλεος μνημόσυνον εἰς ἅπαν ἐξαίρων ἐξ ἁγνῆς καρδίας σου· Ὁ ὄντως Φερώνυμος ἄρσην, καὶ οὐδὲν θηλυπρεπῶς ἐπιφερόμενος. Τῇ ἐγκρατείᾳ τὰ πάθη πτερνίζων, τὸν πατριάρχην Ἰακὼβ ἐζήλωσας,
B ἐσθίων διὰ τὸ ζῆν, οὐ ζῶν διὰ τὸ ἐσθίειν · ὃ γὰρ τοῖς ἔξω λόγῳ πεφιλοσόφηται, τοῦτό σοι ἔργῳ ἑκάστοτε ἐπεπλήρωτο. Τῇ ἀγρυπνίᾳ ὡς ἀσώματος διετέλεσας, κοιμίζων τοὺς ἀστέρας ταῖς ἐγρηγόρσεσι, παραπέμπων τὴν νύκτα ταῖς ἐπικλήσεσι, πάσης ἀρετῆς ἀνάπλεως, παντὸς κατορθώματος ἐραστὴς . . ἀκριβέστατος. Ὦ φωστὴρ τῆς ὑπ' οὐρανὸν φωτεινότατε. Ὦ ἀστὴρ ἡσυχαστῶν αὐγοειδέστατε · Ὦ κλέος μοναστῶν πολυευκτότατον · Εὖγε ἄγγελε ἐπίγειε, ἀπαθείας ὡραιότησιν ἐπτερωμένε. Εὖγε ἀρετῶν παράδεισε, παντὸς ὡραίου κατορθώματος πεφυτευμένε. Εὖγε οὐρανὲ κατάστερε, ποικίλοις κάλλεσι . . . . διουργημένε ἐφ' ὕψει τοῦ καθαρωτάτου βίου . . . .

27 Jam vero quid exultatio divinæ compunctionis, ac meditatio mortis assidua, jugiter exundans in puro corde tuo, e quo lacrymarum fluenta indesinenter promanantia flammam sibi accenderunt divinæ dilectionis? Verecundia alterum te Josephum merito appellaverim; sed enim feminæ memoriam ex casto corde tuo omnino delevisti; conveniente rei significatione ferens nomen viri *e*, e
nihilque effeminati præ te ferens. Temperantia pravas animi perturbationes calcans, patriarcham Jacob æmulatus es, comedens ut viveres; non E
vivens, ut comederes. Quod enim ab externis philosophatum fuit verbo, illud abs te passim impletum opere. Sine somno perdurasti, non secus ac si fuisses incorporeus; stellas sopiens vigiliis, noctemque transigens invocationibus, omni virtute plenus, et studiosissimus omnis recti officii amator . . O luminare omnis, quæ sub cælo est, terræ lucidissimum! O stella hesychastarum fulgidissima! o decus monachorum optatissimum. Euge terrestris angele, alarum a pravis appetitionibus immunium venustatem indute. Euge virtutum paradise, omni maturo honestatis fructu consite. Euge stellatum cælum, varia pulchritudine . . . . fabricatum super fastigio purissimæ vitæ . . . . *f cetera desiderantur.* f

ANNOTATA.

a Ἐφινηνεῖται. *Ita apographum nostrum. Vocem hanc non invenio: Quid si scribas* ἐφυμνεῖται?

b Ἠφίν, *ab* ἀφίημι *pro* ἀφίη; *præpositione, e qua componitur, augmento temporali hic in initio affecta: de qua re Antesignanus ad Clenardi Institutiones in linguam Græcam pag.* 143 : *ubi verbum hoc nunc augeri in initio, nunc in medio, nunc utrimque reperies.*

c *Alludit ad illud, quod de voce aviculæ narravit num.* 8. *Alia hic sequentia, quo referenda sint, quilibet per se ex dictis perspicere poterit.*

C d *Dictum illud vel auctor, vel aliquis transcriptor prætermisit in textu Vitæ num.* 17; *sed aliunde* F
illud eruimus; ut patet ex annotatis ad cap. II *littera* x.

e Ἄρσην. *Ita hic mutavi mendosum* ἄρεις. *Vide etymon in Comm. prævio num.* 2.

f *Si epilogum conferas cum prologo, non videntur hic nisi paucula desiderari: neque enim verosimile est, quod auctor parvo capiti adjungere voluerit caudam multo majorem.*

DE S. DIO ARCHIMANDRITA THAUM.

CONSTANTINOPOLI.

J. P.

SYLLOGE HISTORICA.

Cultus, gesta, monasterium ab ipso conditum, ætas.

CIRCA ANNUM CDXXX

S. Dius apud Græcos notissimus, a Molano, Ferrario et Castellano signatus.

Quam Sancti hujus rara apud Latinos notitia, tam frequens occurrit apud hagiologos Græcos ipsius memoria, in præcipuis eorum fastis expressa. Typicum excusum sub nomine S. Sabæ, Synaxarium Basilio Porphyrogenito adscriptum, Kalendarium a Genebrardo editum, Menologium a Sirleto versum; Slavo-Russicum ac Synaxarium Ruthenorum a Georgio David nostro missum, Horologium Cryptæ-Ferratæ impressum, Horologium minoris formæ, typis item editum, excerpta Mss. Mediolanensia bibliothecæ Ambrosianæ S. Dii nomen

AUCTORE J. P.

men referunt; et Menæa quidem magna excusa cum titulo Thaumaturgi, *sequente, ut solet, Maximo Cytherorum episcopo. Martyrologium Arabico-Ægyptium, a Gratia Simonio Maronita versum,* Deum *pro* Dio *scribit. Supplementum nostrum Ms. ad Menæa Græca excusa Sirmondo-Chiffletianum, pluries alias memoratum, ita Sancto accinit :*

Εὖ τελευτῆς καὶ σοι παμμάκαρ Δῖε,
Ἔνδοξε πρᾶξιν, ἀλλὰ καὶ κλῆσιν πλέον.
Tibi ter beatus obtigit finis, Die,
Cognomine at plus actibus spectabilis.

Ferrarius post Molanum in secunda sua editione, Græcos secutus, eadem hac XIX, *qua ipsi, die sic eum memorat in Catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt :* Apud Antiochiam, S. Dii monachi. *Novissime autem Castellanus inter adjectos ad Martyrologium suum universale locum ipsi dans, sic habet e Gallico redditus :* S. Dius, cognomento Thaumaturgus, patria Antiochenus, institutor monasterii sub regula Acœmetorum.

insigni elogio honoratur in apographis nostris Ambrosianis,

2 *Laudata excerpta Ambrosiana Sanctum prosequuntur insigni hoc elogio :* Οὗτος ἦν κατὰ τοὺς καιροὺς Θεοδοσίου τοῦ μεγάλου ἐν Ἀντιοχείᾳ τῆς Συρίας, πολλὴν ἐπιδειξάμενος ἄσκησιν· καὶ εἰς μεγίστην ἐπίδοσιν ἀρετῆς ἐλθών, παρεγένετο ἐν Κωνσταντινουπόλει δι᾽ ἀποκαλύψεως, καὶ καταλαβὼν τον τόπον, ἔνθα νῦν τὸ εὐαγὲς ἵδρυται μοναστήριον, ἐξεκαθαιρέ τε αὐτὸν, καὶ εἰς μοναστήριον μετεποίησε. B Τὴν ἑαυτοῦ ῥάβδον ξηρὰν οὖσαν ἐπὶ τοῦ τόπου πηξάμενος, ἥτις τῇ ἐπικλήσει τῆς ἁγίας Τριάδος ῥιζωθεῖσα, εἰς δένδρον ἐγένετο, καὶ νῦν πέρ ἐστι πυρεχομένη τοὺς παρποὺς τελεσφόρους. Προσῆλθε δὲ αὐτῷ καὶ ὁ βασιλεὺς Θεοδόσιος, καὶ θαυμάσας αὐτὸν ἱκανὰ παρέσχετο χρήματα, ἐξ ὧν ἡ σύστασις του μοναστηρίου ἐγένετο. Ἀλλὰ καὶ ὁ μακαριώτατος πατριάρχης Ἀττικος βιασάμενος αὐτὸν πρεσβύτερον κεχειροτόνηκε. Πολλὰ δὲ θαύματα τῇ δυνάμει καὶ ἐπικλήσει Χριστοῦ ἐνεργήσας, καὶ ἐκ τῶν λαγόνων τῆς γῆς κατὰ τὸν μέγαν Μωϋσῆν ὕδωρ ἐξαγαγὼν, καὶ τὸν ἐν αὐτῷ δι᾽ ἀπιστίαν πνιγέντα ἀναστήσας. Ἐπὶ τελευτᾷν ἔμελλεν, ἤδη ἄπνους καὶ ἀκίνητος καθορώμενος, καὶ τῶν παρόντων δάκρυσι ἐπιταφίοις δεξιουμένων, καὶ τὰ περὶ τὴν ταφὴν ἐνεργούντων, παρὴν δὲ καὶ ὁ ἁγιώτατος πατριάρχης Ἀττικος, καὶ Ἀλέξανδρος Ἀντιοχείας, ἀνανήψας[*] ὡς ἐξ ὕπνου ὁ Ὅσιος εἶπε προστεθῆναι παρὰ Θεοῦ τῇ ἑαυτοῦ ζωῇ ἔτη δεκαπέντε. Ἐπιβιώσας οὖν τὸν εἰρημένον τῶν χρόνων ἀριθμὸν, C πρὸς Κύριον ἐξεδήμησε. Τελεῖται δὲ ἡ αὐτοῦ σύναξις ἐν τῇ εὐαγεστάτῃ μονῇ αὐτοῦ τῇ οὔσῃ κατὰ τὴς μεγάλην πολιν καὶ βασιλίδα. *Quæ sic reddo Latine :*

[*] in Basiliano nostro apographo ἀνανήψας.

Latine redditus;

3 Vixit hic temporibus Theodosii Magni in Antiochia Syriæ, vita ascetica valde spectabilis : cumque ad magnum virtutis progressum pervenisset, revelatione monitus CPolim petiit; et digressus ad locum, ubi nunc præclarum monasterium conditum est, eum expurgavit, et in monasterium convertit. Virgam suam, quæ erat arida, in loco defixit, quæ per invocationem Trinitatis radices agens in arborem excrevit, et perfectos nunc præbet fructus. Accessit vero ad ipsum Theodosius imperator, cumque miratus, largas ipsi facultates suppeditavit; e quibus monasterii ædificatio peracta est. Quin etiam beatissimus patriarcha Atticus, vi eum cogens, presbyterum ipsum consecravit. Multa autem miracula per virtutem et invocationem Christi patravit. Ex terræ fissuris magni instar Moysis, aquam eduxit. Aliquem, qui ex interna diffidentia sibimetipsi fauces præcluserat, ad vitam revocavit. Quando jam moriturus nec spiritum nec motum præ se ferret, et illi, qui aderant, lacrymis funestis eum prosequerentur, curarentque ea quæ ad sepulturam attinebant, præsente sanctissimo patriarcha Attico, et Alexandro Antiochiæ, quasi e somno se attollens Sanctus dixit, adjectos esse a Deo vitæ suæ annos quindecim. Expleto itaque annorum, qui dictus est, numero, ad Dominum emigravit. *Ultimam clausulam* τελεῖται δὲ *etc. usque ad finem*, celebratur autem ipsius solennitas in clarissimo monasterio ejus, quod est in magna et regia civitate, *censeo huic elogio adjectam, alibi forte in Sirmondiano apographo repertam; cum ad marginem producti elogii, non vero in ejusdem textu eadem continuata serie notetur.* D

miracula celebrantibus Menæis magnis excusis.

4 *Idem elogium fere habet Basilianum Synaxarium; pauciora sunt apud Sirletum, nulla determinate facta mentione de miraculis supradictis : ad quæ Menæa magna in plurium modulorum congerie, quam de Sancto præscribunt hac die, alludunt sequenti textu Latine reddito :* Gratia sanitatum ac miraculorum ditatus fuisti.. Virgæ germine factus es, Pater, divinum sacerdotium; et sicut Moyses e petra, Vir sancte, E aquam eduxisti; et sicut Elias precibus tuis mortuum resuscitasti, maximis prodigiis admirandus . . . Spiritus malignos expulisti, sacramque animarum scholam erexisti, in qua salvatur cœtus, tua in dies honorans monumenta, mascula certamina, et mirabilia prodigia in fide . . Sicut sol multa luce præditus, ab ortu exsurgens radios virtutum ac miraculorum tuorum splendide explicasti, illuminans mundi terminos. *Et paulo ante* multorum *quasi absque termino (Græce enim est* ἀπείρων) miraculorum splendore *dicitur effulsisse. Hinc etiam ibidem sub initium antonomastice dicitur* θαυματοφόρος miraculorum patrator.

Observationes quædam circa etymon monasterii S. Dii.

5 *Characterismi loci ac personarum, producto elogio inspersi, ansam præbent observandi nonnulla, ejusdem elucidationi accommodata. Ex elogii exordio habemus,* S. Dium *vixisse Antiochiæ; hinc, ni fallor, Castellanus Antiochia patria ortum asseruit; nisi alibi eam fortasse diserte expressam legerit. Ad Sancti monasterium quod spectat; jam pridem de eo, ac potissimum de ipsius etymo actum est a Bollando ad diem* VIII *Februarii pag.* 161, *occasione Martyrum CPolitanorum, laudati* F *cœnobii monachorum. At quoniam dies iste ob mensis Februarii raritatem non omnibus æque facile ad manum esse potest, juverit paucis repetere, quæ ibidem dicta sunt contra Baronium, ac nonnullis aliunde adjectis priorem nostram sententiam stabilire. Sic habet Bollandus :* Monasterium porro de ejus *(Dii)* nomine Diiticum appellatum esse existimat idem doctissimus Cardinalis : nam quod concilium Constantinopolitanum sub Menna anno ICXXXVI, post obitum S. Agapeti Papæ, celebratum dicitur « ἐν τῷ » μεσαύλῳ τῷ δυτικῷ τοῦ σεβασμίου οἴκου τῆς δε» σποίνης ἡμῶν τῆς ἁγίας καὶ ἐνδόξου Θεοτόκου καὶ » ἀειπαρθένου Μαρίας, τοῦ ὄντος πλησίον τῆς ἁγιω» τάτης μεγάλης ἐκκλησίας, in interiore ad occi» dentem sita aula venerabilis domus Dominæ » nostræ sanctæ et gloriosæ Deiparæ et sem» per virginis Mariæ, quæ est prope sau» ctissimam magnam ecclesiam » uti initio singularum Actionum dicitur, id in Latina Conciliorum editione passim vertitur « in » Mesaulio Dytico. » At censet Baronius tomo 7, anno 536, num. 64 « hanc vocem cum librarii

AUCTORE J. P.

A » librarii non intelligerent, corrupisse, ut pro » Diitico scripserint Dyticum, alii Dipsychum. » Sed germana *(inquit)* est illa lectio, qua » Diiticum ponitur : erat enim Constantino- » poli percelebre monasterium Dii appellatum, » a quo Diiticum derivatum, cujus hoc tem- » pore præfectus erat Agapetus, qui in ordine » archimandritarum in datis synodo libellis pri- » mo loco subscriptus habetur ». *Hæc Baronius. Ad quæ Bollandus.*

...pridem a ...ndo tradi-...

6 At neque mihi forma illa derivationis nota est, qua ab Δίος fiat Διιτικὸς; neque dicitur Agapetus μονῆς διιτικῆς aut διιτικοῦ μοναστηρίου ἀρχιμανδρίτης : sed ita ipsemet subscribit « Ἀγαπητὸς ἐλέει θεοῦ πρεσβύτερος καὶ ἀρχιμαν- » δρίτης Δίου, δεηθεὶς ὑπέγραψα. Agapetus mise- » ratione divina presbyter et archimandrita » Dii, supplex subscripsi. Alias ἀρχιμαν- » δρίτης μονῆς Δίου ». Et si venerabilis illa domus Dei Genitricis ipsummet erat Dii monasterium, mirum est nec ab ea aliquando denominari monachos, qui semper Dii vel Acœmeti appellantur, nec Archimandritas eum sibi titulum vendicare, *uti probat ex subscri-* B *ptionibus Alexandri et Constantis, quas Græco-Latinas profert. Ita jam pridem Bollandus : quæ pluribus confirmari possunt ex iis, quæ superaddo. Theophanes eodem constanter unicoque vocabulo locum hunc denotans,* τοῦ Δίου μονὴν, Dii monasterium *appellat pagg.* 114, 122, 135, 373 *impressionis regiæ Parisinæ anno* 1652 *editæ ; et rursum citata pag.* 114 τῆς Δίου μοναχοί, Dii monachi : *quod interpres reddit* Dienses monachi, *non vero* Diitici.

...tra Baro-...

7 *Accedit eo, quod a Nicolao I PP. Epistola* VIII *apud Labbe tomo* VIII *Concil., col.* 320 *inter hegumenos ibidem relatos memoratur* Dositheus Osiidii; *quod videtur legendum cum Cangio Cpolis Christianæ lib.* IV, *pag.* 123 Osii *(Sancti)* Dii; *ubi etiam laudatus auctor pag.* 86 *verbis ex Justiniani Novella* III, *capite* I *depromptis habet ista :* ὕστερον δὲ ὁ προσκυνητὸς οἶκος τῆς ἁγίας ἐνδόξου παρθένου καὶ θεοτόκου Μαρίας, ὃς πρὸς τῷ ἁγιωτάτης μεγάλης ἐκκλησίας γειτονήματι κείμενος ᾠκοδομήθη παρὰ τῆς εὐσεβοῦς τὴν λῆξιν Βηρίνης. Deinde veneranda ædes sanctæ Deiparæ Mariæ, quæ in sanctissimæ magnæ ecclesiæ vicinia ædificata est a piæ memoriæ Verina, *Leonis I conjuge Augusta; quam laudat Ba-* C *ronius ad an.* 474, *num.* 5. *Ex S. Sophiæ cum dicta æde vicinitate deducit Cangius, hanc eamdem esse cum Chalcopratiana, de qua agit pag.* 85, *perinde etiam Sophianæ vicina. Utcumque hoc se habeat, ædi sacræ juxta magnam ecclesiam, nulla ibidem facta mentione* S. Dii, *seu* Diitici monasterii *rectissime ibidem auctor applicat verba concilii Cpolitani paulo ante e Baronio producta, quibus locum hunc utrumque in unum is confudit, quorum alter ab altero diversus probatur tum ex diversitate nominum et conditorum, tum ex situ tota pene urbe diverso, sicut apud Anselmum Bandurum in antiqua mappa topographica tomo* II *Antiquitatum CPolitanorum præfixa videre est. Plura videri possunt apud Cangium.*

...us hæc dis-...ntur

8 *Codinus de Originibus CPolitanus pag.* 61 *sic scribit :* S. Dius locum ab Imperatore *(Theodosio Magno)* petiit, et monasterium in eo exstruxit quod vocatur Dii. *Enimvero ipsemet Baronius unico, magisque genuino ac sincero vocabulo utitur (controverso hic etymo diffisum fere diceres) quando de sæpe dicto* S. Dii *cœnobio agit : nam ad diem* VIII *Februarii in Martyrologio Romano sic habet :* CPoli natalis sanctorum Martyrum monachorum monasterii Dii, *non vero* Diitici; *eumdem scribendi modum observans ad annum Christi* 484, *et in notatione ad mox dictum diem, perperam addens :* Sicque illum locum intelligas Jerosol. synodi Act. I, ubi mentio habetur de atrio Diitico : sicut enim monasterium, ita et atrium ab eodem sic est nuncupatum. *Nam* δυτικὸς *non est vox propria hominis, sed loci appellativa, et significat* occidentalis, occiduus, *formata a verbo* δύω, *quod inter alia denotat* occido. *Unde colligas ad verba* ἐν τῷ μεσαύλῳ τῷ δυτικῷ *num.* 5 *allata, non male addi ad loci marginem apud Labbe tomo* V, *col.* 5, in meditullio aulæ occiduæ, *quod Cangius CP. Christianæ lib.* IV, *pag.* 86 *vertit* in atrio occidentali. *Ceterum ex iis quæ habet lib.* III, *pag.* 19 *de* mesaulio *S. Sophiæ, lux effunditur* mesaulo Dytico. *Atque ex his satis certo constat,* S. Dium *hujus monasterii conditorem fuisse, et notitia certa accedit ad ea, quæ in Ephemeridibus Græco-Moscis metricis ad memoriam* Dii Thaumaturgi, *quam ponunt, notabat Papebrochius sic loquens :* In urbe Cpolitana celeberrimum fuit hujus nominis cœnobium : cujus an conditor hic fuerit, nescio, quamdiu Acta E nulla scripta reperiuntur.

et stabiliuntur;

9 *Ex dictis deduco* 1, *vocem* Dyticus *retinendam tamquam primigeniam, et textibus antiquis asserendam.* 2. Atrium Dyticum *et a monasterio* S. Dii, *et ab æde sacra Deiparæ Virginis prægressa locum omnino esse diversum. De Acœmetis ad hoc monasterium inductis mentionem facit Cangius lib.* IV, *num.* 34; *et nos jam pridem loco supra citato monuimus, illud sub Acœmetorum disciplina, ipso tempore ab Alexandro instituta, formatum, ad multa sæcula pietatis et sanctimoniæ fama claruisse : de quorum instituto per Orientem propagato, eorumque cœnobiis, consule diem* XV *Januarii, pag.* 1019. *Victor episcopus Tununensis in Chronico de illis meminit, notans* monachos monasteriorum Achimitentium Basiani atque Dii. *Monasterii prædicti ædificatio ansam haud dubie dederit Baronio in notationibus laudatis, Sanctum* archimandritæ *nomine compellandi, quo et nos ipsum compellavimus in titulo superiore.*

superaddua ut gessiuncula ac Sancti ejusdem ætate.

10 *Nunc ista accipe de Sancti ætate. Ex Theodosio Magno imperatore, sub quo vixisse asseritur in elogio supra producto, colligimus eum floruisse* F *sub finem sæculi* IV : *cum imperare is cœperit ab anno Christi* 379 *usque ad annum* 395; *character autem temporis in Attico CPolitano, et Alexandro Antiocheno patriarchis relucens, supervixisse Sanctum arguit ad annum circiter Christi* 430. *Etenim Alexander, hujus nominis I, in Tractatu præliminari ante hunc tomum ordine trigesimus sextus, præfuit ab anno* 414 *usque ad* 417 : *Sanctus vero Atticus, quem dedimus die* VIII *Januarii a pag.* 473, *sedit ab anno Christi* 406 *usque ad annum* 425. *Videri possunt tum ibi dicta, tum Anselmi Banduri series chronologica ante tomum primum Imperii orientalis a se editum, pag.* 36, *et Commentarius tomi* II, *lib.* VIII, *pag.* 892. *Atque ex his constitui potest hoc systema ; ut natalis* S. Dii *innectatur anno circiter* 350; *sacerdotium tametsi quo determinate anno signandum sit, nos latet ; si tamen, ut modo diximus, cogente S. Attico, illud suscepit, sequitur non suscepisse ante annum* 406. *Morbus autem letalis, e quo prodigiose coram Alexandro laudato convaluisse supra traditur, spectat juxta dicta, ad annum* 414 *aut tres proxime sequentes : quibus si annumeres annos quindecim, qui, Deo dante, illis superadditi*

AUCTORE J. P.

peradditi superius memorabantur, jam obitus ejus aptandus erit anno circiter 430, vitæ totius summa annos circiter octoginta complexura. Unde emendari potest Castellani epocha, annuntiationi superius ex ipso productæ apposita, versus annum 485, sive eam de obitu Sancti intellectam voluerit; sive de tempore, quo is floruit : si Græci vera dicunt. D

DE S. SYMMACHO PAPA

ROMÆ.

J. B. S.

SYLLOGE HISTORICA.

§ I. Cultus, patria, ætas, electio, schisma, et concilia habita.

AN. DXIV.

Sera ejus in sacris Fastis,

Dubium ferme hujus sancti Romani Pontificis cultum prima fronte reddebat antiquorum omnium Martyrologiorum seu Tabularum ecclesiasticarum de eo silentium, ut prima ejus in Fastis memoria accepta referri debere videretur codici alicui Usuardino, B quem Grevenus secutus sit, non hoc die sed XXI Februarii, his verbis :* Romæ, Symnachi Papæ et confessoris, *quem postmodum ad hunc diem repetit, sectatore Molano. Alii in Prætermissis pro* XXI *Februarii citantur, nempe Maurolycus, Galesinius, Witfordus, Canisius, et Kalendarium, quod Breviario Eborensi anno* 1548 *excuso præfixum est. Maurolycus sic habet :* Item Symmachi Papæ, qui Gloria in excelsis in festis cantari jussit : *quæ ita amplificavit Galesinius :* Sancti item Symmachi Pontificis. Hic in pontificatu recte gerendo summa vigilantia, pontificalique caritatis exemplo, episcopis ducentis et viginti fidei causa in Sardiniam, ab Trasimundo Vandalorum rege relegatis, quotidiana suppeditavit alimenta : in Missæ autem sacro diebus festis hymnum Gloria in excelsis cani jussit. *Hæc ibi Galesinius.*

et variis diebus memoria,

2 *Ast idem in notationibus fatetur, se SS Hilarii atque hujus* Symmachi *Pontificum diem natalem eo loco adscripsisse, Maurolyci Martyrologium secutum,* sed in alia editione, *inquit,* cum aliter modo sentiamus, reponemus suo loco. *Nempe, opinor, hoc die* Symmachum *quem* C *fere præter morem, singulari elogio donavit Canisius sive Walasserus, quod ex Germanico Latine versum ita sonat :* Item Romæ, sancti Papæ et confessoris Symmachi, in Sardinia nati, qui fuit vir probus, clericorum ac pauperum cultor. A falsis fratribus multa passus est, ac coram judicio ecclesiastico se purgavit. Manichæos Roma expulit, et eorum libros comburi jussit. Multos captivos liberavit, plurima templa ornavit et exstruxit. Demum plenus bonorum operum in pace quievit, miraculis post obitum coruscans. *De eodem brevius ibidem hoc die, notato perperam ad marginem anno* 494. *Witfordus nihil adjunxit, quod observari mereatur. Demum Baronius, nullum hic Martyrologium citans, cum Romano hac phrasi inseruit :* Romæ, sancti Symmachi Papæ, qui schismaticorum factione diutius fatigatus, demum sanctitate conspicuus migravit ad Dominum.

dubium reddidit cultum

3 *Tum de eo subdit in notis :* Hic successit Anastasio II, magnamque adeptus est laudem et titulum sanctitatis, quod adversus schismaticos stetit intrepidus : *verum mirari non desinimus, cur postremis primum sæculis nomen ejus in Martyrologiis locum invenerit; quo communi antiquorum Fastorum silentio motum suspicor Castellanum, sedulum alias Sanctorum refossorem potius quam deturbatorem, ut eum Sanctis suffragio suo non adscriberet : licet enim ad hunc diem integrum referat Martyrologii Romani textum, in indice tamen iis cum litteris signat, quibus eos notare consuevit, quos pro veris Sanctis non agnoscit.* E *Id vero ut manifestius perspicias, ad diem* VI *Aprilis inter additiones suas scribere non dubitavit :* Ibidem *(nempe Romæ)* obitus venerabilis Symmachi Papæ, sub quo prima Romana synodus habita est. *Fallitur hic, opinor, Castellanus in electione diei, eos chronologos secutus, qui* S. Symmachum *consecratum volunt* XIII *Septembris, mortuum vero* VI *Aprilis, quod Anastasio Bibliothecario ex diametro repugnare, mox ostendemus; ceterum mentem suam satis aperit circa cultum in ejus sententia isti Pontifici non undequaque debitum.*

in Romanis monumentis non satis stabilitum.

4 *Neque vero ulla sciuntur erecta sacra monumenta aut venerationis indicia, e quibus de exhibito ei priscis temporibus ecclesiastico cultu constare possit; saltem fateri cogor, ista ad notitiam meam, tametsi valde sedulo quæsierim, minime pervenisse; non magis quam ejus in ullis antiquis Martyrologiis memoriam. Petri Manlii et Maphæi Vegii historiæ basilicæ S. Petri, a nobis tomo* VII *Junii editæ, ubi de* Symmacho *exstructisque ab eo operibus meminere, nihil usquam peculiare ipsi* F *adjiciunt, unde præ ceteris Romanis Pontificibus Sancti appellatione ornetur. Nihilo tamen minus, cum in citatis superius Fastis celebratus, postmodum vero in ipso Romano Martyrologio signatus sit, nihil dubii reliquum est, quin in hoc opere locus* S. Symmacho *tribuendus sit. Cum vero Vita non exstet, quæ gestorum ejus seriem complectatur, præter pauca quæ habet Anastasius, eum ducem sequi certum est, nonnulla explicando quæ illustratione opus habere videbuntur; in quo prælucebunt Baronius aliique plures, qui de Romanis Pontificibus Commentarios edidere. Lectiones quæ in Officiis propriis Vaticanis, anno* 1674 *editis, ubi hoc die sub ritu duplici colitur, exhibentur, cum ex ipso Anastasio ferme desumptæ sint, nihil magnopere ad historiæ elucidationem conferre possunt. Irrepsit istic error in die obitus, ut pro* X Kal. *substituendum sit* XIV *Kal Augusti.*

De patria disputandum non est,

5 *De Sancti* Symmachi *patria dubium forte nullum occurreret, nisi amanuensis aliquis id suggessisset, dum in utraque editione, tum Moguntina tum Parisiensi dicitur* Symmachus natione Romanus, *signatis tamen ad marginem aliis codicibus,*

A *dicibus, in quibus melius legitur natione* Sardus *fuisse*, patre Fortunato. *Ne hic hæreamus diutius, satis sit receptissimus hodie omnium consensus, sanctum Pontificem gente Sardum, non Romanum exstitisse. Neque de ejus acta ante pontificatum vita, neque de determinata ætate quam ante pontificatum attigerit, quidquam tradit laudatus Anastasius, neque aliunde id erui posse intelligo : hoc disertius expressum est, decessori Anastasio* XIII *Kalendas Decembris mortuo, quatuor post diebus seu quarto ab obitu die successisse, adeoque pontificatus ejus principium affigendum esse* X *Kal. seu* XXII *Novembris, sedisse porro annos* XV, *menses* VIII *dies* XXVI ; fuisseque temporibus Theodorici regis, et Anastasii augusti, a X Kalendarum Decembrium, usque ad diem XIV Kalendarum Augustarum, *a quo Anastasii calculo nihil prorsus est quod nos recedere compellat.*

[...]que circa [...]tem ab Anastasio receden[...]m.

6 *Non desunt, fateor, qui hanc temporum rationem aliter disponendam censeant, velintque adeo,* S. Symmachum *summo pontificatu initiatum* XIII *Septembris, sedem tenuisse per annos* 15, *menses* 6, *dies* 25, *decurrentes a jam dicta* XIII *Septembris anni* 498, *ad* VI *Aprilis* 514. B *At si hæc recte expendamus, systemata ferme esse videntur, non rerum gestarum, sed gerendarum, quo tota Pontificum series ad præconceptas opiniones aptetur, magisque apposite digeratur. Nihil equidem in Anastasio redarguendum video, nihil quod commode admitti non possit, et cum tota istius temporis historia conciliari, ut pridem calculos post Baronium accurate subduxit Antonius Pagius ad annum* 498, *ut proinde ex receptiori sententia, ex variis catalogis confirmata, statuendum sit,* S. Symmachum *hoc ipso die* XIX *Julii ad Superos evolasse, quidquid in recentioribus nonnullis Martyrologiis signetur die* XXI *Februarii, ut superius jam satis dictum est, aut* VI *Aprilis, ut Castellano placet, iisque quorum modo chronotaxim rejecimus.*

[...] schismatis [...]dine major [...]ficultas,

7 *His pro ætate obiter disputatis, sequitur difficultas paulo intricatior in ordine ad schisma, cujus phases, ut ita dicam, aut symptomata nobis excutienda supersunt, præmissis Anastasii verbis ad quæ commentarii vices supplebunt quæ hic ordine expedienda suscipimus. En verba scriptoris nostri :* Hic (*nempe* S. Symmachus) sub contentione ordinatus est uno die cum Laurentio. C Symmachus in basilica Constantiniana, Laurentius vero in basilica beatæ Mariæ. Ex qua causa separatus est clerus, et divisus est senatus : alii cum Symmacho, alii vero cum Laurentio. Et facta contentione, hoc constituerunt partes, ut ambo ad Ravennam pergerent ad judicium regis Theodorici ; qui dum ambo introissent in Ravennam, hoc judicium æquitatis invenerunt ; ut qui primo ordinatus fuisset, vel ubi pars maxima cognosceretur, ipse sederet in Sede Apostolica : quod tandem æquitas in Symmacho invenit cognitionem veritatis ; et factus est Præsul Symmachus. *Hactenus diri schismatis principium, Theodorici auctoritate sopitum quidem, at non sic exstinctum, quin postea magis recruduerit, quemadmodum docebit rerum series, a Baronio aliisque fusius pridem deducta, hic vero, quoad fieri poterit, breviter ordinanda.*

[...] Anastasio

8 *Diligentiam suam non parum desiderari passus est Anastasius, seu quisquis libri Pontificalis auctor est, dum repetiti quodammodo schismatis historiam ita involvit, ut nec ejus originem, nec concilia ad illud exstinguendum habita, nec adjuncta reliqua sic destinxerit, ut rerum gestarum accurata series deduci possit : ad quam tria potissimum capita evolvenda video illustrandaque. Primum nempe quæ schismatis origo et causa fuerit ; alterum quæ remedia adhibita ut cito tolleretur ; tertium denique quo ordine gesta sint omnia quæ scriptor iste inter se commiscuit. Ad primum lucis nonnihil adfert Theodorus Lector in Excerptis historiæ ecclesiasticæ lib.* II, *apud Valesium pag.* 560, *ubi Festum senatorem Romanum adducit, qui* ob civilia quædam negotia ad imperatorem Anastasium missus, *ea machinatus sit Constantinopoli, ex quibus Romæ funestum incendium exarserit. Nimirum vafro imperatori adulatus, in animum induxerat, fore ut Anastasii Pontificis* (S. Symmachi *decessoris*) *sententiam flecteret ad recipiendum famosum Zenonis Henoticum, de quo non est quod hic multis disseram, cum peritis notissima sit infausti libelli historia. Ipsum Theodorum audiamus.*

9 Porro Festus occulte, ut ajunt, imperatori suggesserat, ut Episcopo Romano persuaderet, ut Zenonis Henotico subscriberet. Sed cum Romam venisset, Anastasium Episcopum jam mortuum reperit. Quare operam E dedit, ut per schisma promotus, edicto illi subscriberet. Multis igitur pecunia corruptis, effecit ut, præter receptum morem, Romanus quidam, nomine Laurentius, Episcopus eligeretur. Duo itaque ordinati sunt ; et a majori quidem parte ordinatus est Symmachus, unus ex diaconis ; ab aliis vero Laurentius. Quibus de causis cædes ac direptiones, et alia mala innumerabilia Romæ sunt perpetrata. Cumque hujusmodi perturbatio tres continuos annos in urbe Roma perseverasset, Theodoricus Afer, qui tum Romæ regnabat, quamvis secta esset Arianus, collecta tamen episcoporum synodo, Symmacho quidem episcopatum urbis Romæ confirmavit, Laurentium vero cujusdam urbis, quæ Nuceria dicitur, episcopum constituit. Laurentius tamen haudquaquam quievit, sed episcopatum urbis Romæ adhuc ambire non destitit. Quam ob causam eum deponi, et in exsilium mitti curavit Symmachus, atque hoc modo seditio consopita est. F

et Theodoro Lectore,

apposite intellectis.

10 *Habes hic explicatiora non nihil ea quæ caput primum spectant, nempe primigeniam totius perniciosi schismatis originem, a malis Fausti artibus repetitam : at necdum tam clare locutus est Theodorus, ut rem omnem satis elucidet, quod Pagium aliosque criticos mirum est non observasse. Mihi quidem non fit verosimile, Festum, ex Oriente reducem, Anastasium Papam* mortuum reperisse, *et nihilominus temporis habuisse satis, ut eos omnes tunc pecunia corrumperet, quos ad propositum inductos oportuit, ut designatum a se Pontificem quo vellet adduceret ; nempe triduum circiter quo tota machinatio adornaretur. Nam quod recentior Legendista Gallus interpontificium diuturnius, nescio unde nobis adstruat ; non majorem in eo fidem meretur, quam in pluribus aliis circa* S. Symmachum *perperam digestis, quæ tamen refutatione digna non censui. Ad contractius istud temporis spatium quod attinet, crediderim ego, disposita prius fuisse omnia per Fausti fœderatos Probinum aliosque senatores Romanos, ut in Urbem regressus animos omnes dispositos repererit, quo promissa Imperatori exequeretur ; ad quod recte observavit Binius,* præscivisse *Festum,* impiis postulatis acquieturum Laurentium.

11 *Utcumque*

AUCTORE J. B. S.

explananda et dirimenda.

11 *Utcumque tamen ea habuerint, res ipsa ex Anastasio et ex Theodoro Lectore certa est,* duos *Pontifices, et eodem quidem die* ordinatos fuisse ; *atque item quod inde exorta* perturbatio tres *ipsos* continuos annos perseveraverit, *ut vertit Valesius, quamquam Græce solum legatur* τριῶν ἐνιαυτῶν, *tribus annis ; vel quatuor, ut loquitur Anastasius, qui qua ratione computandi sint, paulo accuratius disquirendum erit, iis tantisper sepositis, quæ in Theodoro corrigenda, recte pridem monuit Baronius, nempe quod* Theodoricum *velit* confirmasse Symmacho episcopatum urbis Romæ, Laurentium *vero* cujusdam urbis, quæ Nuceria dicitur, episcopum constituisse : *quæ sane perquam crude dicta sunt, imputandaque temporum istorum iniquitati, dum princeps Arianus, tametsi aliunde non omnino improbus, violenter multa gessit, quæ scriptor Græcus non satis apposite explicuerit, sed quæ ab Eminentissimo Annalista atque ab aliis jam olim satis exposita sunt : nos modo ad synodorum ordinem accedamus.*

B

II. Synodorum series a Pagio disturbata

In ordine synodorum refigendo,

De *synodis istis fuse disputat Antonius Pagius ad annum* 499 *num.* 2 *et* 3, *annisque subsequentibus, ex quo nepos Franciscus in Breviarium suum pleraque retulit : ea hic delibabimus quæ ad* S. Symmachum *spectant potissimum, cum iis collata quæ ex synodis ipsis huc referenda videbuntur. Erit igitur tota cum Pagio controversia in ordine ad synodos Romæ habitas, ad ea componenda, quæ ratione schismatis passus est sanctus Pontifex usque ad* Palmarem *illam, in qua de adversariis suis triumphavit ; non pauca interim ex humilitate passus, ad quæ nulla humana auctoritate compelli poterat : nos hic solius rei seriem ordinare intendimus. Ac primo quidem cum Pagio facile convenimus in iis, quæ ordinationis tempus, secutumque eodem die schisma, tum vero declarationem Theodorici in* S. Symmachi *favorem circumstant ; demum in figenda* I *synodo ad Kal. Martias anni* 499, *de cujus decretis fuse agit Baronius, quæ videri possunt in Conciliis*

C

apud Labbeum, Harduinum et alios. Atque hic etiam consentit Pagius ad dictum annum num. 2 *scribens :* Prima synodus Romana currenti anno celebrata post consulatum Paulini V. C. Kal. Martiis, ut habent vulgatæ ejus editiones : *sequenti numero etiam adducens quæ in synodo definita fuerunt, locis jam citatis videnda. Præmiserat autem numero isto* 2 *laudatus Pagius, errasse Baronium ceterosque omnes, qui catenus synodos sub* Symmacho *ordinaverunt, quæ ipse scilicet omnia restituisset in integrum. Verba ejus audiamus :*

frustra laboravit Pagius.

13 Synodi Romanæ, sedente Symmacho celebratæ, in collectionibus conciliorum et in Annalibus ecclesiasticis suo ordine hactenus non collocatæ, variarum hallucinationum causa fuere. Hunc ordinem ibidem perturbatum esse, observavit Sirmondus, et IV synodo suum locum assignavit Verum restat præcipua difficultas, infra proponenda, quam nos tandem eluctatos esse, et omnes sex Symmachianas synodos Romanas in integrum restituisse existimamus. *Quam feliciter, brevi patebit ; hic certe viam sternere incipit ad novam, a se primum excogitatam, et a nepote Francisco* D *adoptatam seriem prædictarum synodorum, dum ait, Baronium referre num.* 10, Laurentium anno superiori, in schismate contra Symmachum creatum, præsenti episcopum Nucerinum factum esse, quam in rem Anastasium Bibliothecarium citat. At is annum rei gestæ non memorat, et ex his quæ infra dicemus, constabit, Laurentium in secunda tantum synodo Romana episcopatum illum adeptum esse. *Nimirum et synodos finxit Pagius, et diversa duo schismata, longiori intervallo dissita ; primum quod circa electionem mox sopitum fuerit, alterum vero quod anno primum* 503 *virus exeruerit ; atque ita annos, a Theodoro et Anastasio signatos, mirum in modum contorquet.*

Nulla est synodus an. 500;

14 *Vult itaque Laurentium non ante annum* 500, *et quidem in secunda aliqua, conficta a se, synodo Romana, declaratum esse episcopum Nucerinum, utpote qui primæ synodo anni præcedentis* 499 *subscripserit ;* Cælius Laurentius archipresbyter tituli S. Praxedis hic subscripsi et consensi synodalibus constitutis, atque in hac me profiteor manere sententia. *Subscriptionem illam lubens admitto ; verum quis Pagio* E *vel per umbram suggessit, eum Romæ mansisse usque ad annum sequentem* 500, *et tunc habitam ejus solius causa synodum ? Scio Anastasium scribere,* eodem tempore Papam Symmachum congregasse synodum, *eam nempe ipsam, quam modo admisimus. Admitto etiam,* constituisse Laurentium in Nuceriam civitatem episcopum, intuitu misericordiæ, *non quidem in ipsa synodo, quod necesse non erat, sed, audacter dicamus, post finitam synodum, sic tamen ut* eodem tempore *factum fuerit, adeoque ipso illo mense Martio anni* 499, *in quo certe corrigendus non fuit Baronius, qui rectissime eo anno amandatum censuit Laurentium, quem male Pagius existimat, totis tribus annis Roma tunc abfuisse, atque anno primum* 503 *accusationes contra* Symmachum *ad Theodoricum delatas, eodem demum anno in synodo Palmari rejectas.*

nec duplex schisma adstruendum.

15 *Ipsum denuo audiamus præconcepta via rem suam prosequentem, ad annum jam dictum* 499, *num.* 11. *Sic habet :* Anastasius Bibliothecarius, postquam narravit quæ in primo adversus Symmachum Papam schismate gesta fuerant, loquitur de secundo, quo qui- F dam clerici et quidam senatores rursus accusarunt Symmachum, et Laurentium occulte revocarunt, quod Theodoricum Italiæ regem movit, ut Petrum Altinæ civitatis episcopum visitatorem daret Sedis Apostolicæ. Rei gestæ tempus exprimit Anastasius, a Baronio laudatus, quando affirmat, id factum esse post annos quatuor, scilicet a synodo secunda Romana, in qua Laurentius factus est episcopus Nucerinus, ut ex dicendis patebit. Quare Petrus Altinæ episcopus anno tantum DIII visitator Romam missus est ; is enim annus quartus est a D, ideoque postquam Theodoricus Romæ fuit, non vero antea, ut putavit Baronius, qui ideo perperam Anastasium reprehendit, quasi in tempore memorando errarit. *De hoc postremo articulo, missusne fuerit ante an post adventum Theodorici, non magna mihi cum Pagio quæstio ; id falsum est, Altinatem* anno tantum DIII visitatorem Romam missum. *Verum ne hic res nimium commisceantur, pergam cetera Pagii argumenta proponere, sequenti mox paragrapho dissolvenda.*

16 *Ad*

Baronium perperam arguit,

16 *Ad annum* 500 *num.* 6 *sic rursus Baronium aggreditur:* Quæ narrat hoc anno Baronius gesta esse in secunda synodo Romana, pertinent ad annum quingentesimum tertium, quo secundum schisma adversus Symmachum conflatum, et quarta synodus Romana, Palmaris dicta, celebrata est, ut eo anno videbimus, ad quem ideo revocandum, quod hic narrat Baronius de visitatore a Theodorico rege misso, qui episcoporum delicta cognosceret. Quia vero non solum a Baronio, sed etiam ab omnibus conciliorum collectoribus, aliisque scriptoribus ordo synodorum Romanarum sub Symmacho præpostere digestus est, ad confusionem vitandam, rectum hic earum ordinem .... proponam, et suis locis solide confirmabo: *nempe sicut reliqua omnia. Tum num.* 7, 8 *et* 9 *ex codicibus suis disponit pro suo mero arbitrio synodos prædictas Symmachianas, eaque ex citato supra Theodoro Lectore se educere putat, quæ nos proxime paulo sincerius et rectius ordinare conabimur ex ipsismet regis Theodorici præceptionibus ac synodi vere seu prætensæ* Palmaris *Actis, ad quæ Pagium non satis*
B *attendisse, manifeste, ni fallor, demonstrabitur.*

male statuens tranquilla omnia an. 501,

17 *Sequamur Pagium ad annum* 501 *num.* 2 *cœptum a se filum pertexentem:* Hoc et sequenti anno Romæ omnia tranquilla fuere, quia Laurentius schismaticus, qui anno superiori intuitu misericordiæ, ut loquitur Anastasius, Nucerinus episcopus creatus fuerat, iterum Romanam Sedem non invasit ante annum DIII. Quare neque hoc, neque sequenti anno aliqua synodus in causa Symmachi Romæ habita est, licet Baronius anno sequenti synodum quartam, vulgo Palmarem dictam, consignet: aliique communiter currenti, quod ea in Actis, quæ hactenus prodiere, dicatur celebrata Rufio Magno Fausto Avieno consule. Verum consulatum illum in ea Acta intrusum fuisse, et synodum illam quartam anno tantum DIII habitam, ex dicendis certo constabit. *Minime vero; num quidquid frustra sudaverit Pagius, nec id evicit ipse, nec evincet ullus umquam ejus vindex, nisi pari utatur præfidentia in notis consularibus pro mero suo libitu truncandis, commutandis aut eradendis. Faxo ego brevi perspicias, notam istam consulatus*
C Rufi Magni Fausti Avieni *verissimam esse, et toties hoc anno repetitam, ut vehementer mirari non desinam, ambos Pagios in eum scopulum impegisse.*

et synodum an. 502

18 *Ad annum* 502 *totis sex numeris a* 2 *ad* 8 *sese denuo torquet vexatque Pagius ut eo consignet synodum aliquam, quæ ex reinculcatis codicibus Mss. sub Symmacho* TERTIA *appellanda sit, habita* Flavio Avieno V. C. Juniore, sub die VIII Iduum Novembrium in basilica B. Petri. *Diutius vero in τὸ* tertia *ludere perseverans, sic ferme subsumit:* Atqui in his omnibus codicibus Mss. hæc synodus ante Palmarem refertur. Quare manifestum est, Palmarem, in qua Symmachus innocens declaratus, ordine fuisse quartam. *Legantur cetera, torta et retorta, non nisi nauseam movere nata, ubi ex probatissimis monumentis inferius intellexeris, inanem esse logomachiam in distinguendis* 3 *ista et* 4 *synodo, quo Sirmondum adducit, aliosque, frustra, si usquam, huc allegatos. Demum ex longis suis præmissis id vult consequi, ut* Palmaris *ipsi synodus haberi non potuerit ante annum* 503. *Nimirum, ut denuo repetamus, nota consularis superius citata;* x Kal. Novembris Rufo Magno Fausto Avieno V. C. cos., a sciolo quodam addita; et synodus quarta Palmaris, in qua Symmachus absolutus, anno tantum sequenti congregata.

AUCTORE J. B. S.

præpostere intelligens:

19 *Quo pluribus verbis hæc omnia involvit intricatque Pagius, eo magis infirmitatem ostendit totius suæ ratiocinationis. Nempe certo habita est memorata jam* tertia *ista synodus anno* 502, *quia insignitur nota consulari* Flavio Avieno V. C. Juniore. *Rectissime, damus hoc ipsi ultro et liberaliter, unde nec hilum eruet, quod nostra tantillum enervare queat; ut hic, si usquam, usuveniat tritum istud philosophicum; transeat totum, præterquam quod ipso illo met telo jugulari Pagius commode possit. Quid si eum adoriatur aliquis, qui pari cum ipso jure, notam illam temporariam* Flavio Avieno V. C. Juniore *a sciolo quodam assutam asserat, quo demum evadet longa illa et tot paralogismis exornata argumentatio? Non nugemur: ex ipsa illa synodo anni* 502, *quam ulnis ambabus amplectimur, adversus Pagium luculentissime demonstratur, quod alia ista synodus, quam* Palmarem *identidem vocare ipsi placet,* Rufo Magno Fausto Avieno V. C. cos., *toto ferme anno* tertiam *illam* (Flavio Avieno V. C. Juniore E *habitam) evidentissime præcesserit, ut infra patebit ad oculum. Cetera criseos ejus argumenta pacifice sequamur.*

nec melius Palmarem suam

20 *Ad annum denique* 503 *pertingimus, quo minitatum toties consequens suum operose probare conatur Pagius, hucque adeo prætensum visitatorem Altinensem episcopum, regressum, post tres annos, Laurentii Nucerini, verbo turbas tumultusque omnes, cædes, rapinas, sacrilegia etc. a schismaticis commissa revocat. Ex numero ejus* 2 *de ceteris judicium feres.* Anno superiori, *inquit,* explicationem synodi quartæ Romanæ Symmachianæ, vulgo Palmaris appellatæ, de qua ibidem Baronius a num. 1 ad 22, ad præsentem remisimus. Quare hic nobis de ea agendum, antequam veniamus ad illa, quæ Baronius hoc anno habet. Eamdem synodum Palmarem ad præsentem annum pertinere, licet hactenus numquam eodem a scriptoribus consignata fuerit, demonstrat primo Anastasius, qui in Vita Symmachi, postquam retulit, Laurentium schismaticum, intuitu misericordiæ, episcopum Nucerinum constitutum esse, narrat, quæ hoc anno Romæ F contigere, et ea refert, quæ ad synodum Palmarem melius intelligendam plurimum conducant. *Audi verba Anastasii, et Pagii contorsionem observa. Ait ille* post annos quatuor; *hic vero flectit;* ab anno scilicet Christi quingentesimo, quo synodus Romana II *(imaginaria)* habita, et Laurentius dictus episcopus.

anno 503 innectens.

21 *Quid est fucum facere, si hoc non est? Narrat sincere Anastasius gesta omnia a* S. Symmachi *electione usque ad ejus sic appellatam absolutionem; eaque omnia annis quatuor circumscribit, qui certissime incompleti accipiendi sunt, ut in similibus sexcenties, quin et hoc ipso loco numerare cogitur Pagius: incomplete, inquam, seu* tres anni continui, *ut scripsit Theodorus, nec adeo male vertit Valesius, ex quo scriptore plures annos, nec criticus noster, nec alius umquam extuderit. Inhæreamus* annis quatuor *Anastaii, nempe ab anno* 498 *ad* 501, *annos istos facillime eruemus, ut idcirco necesse non sit longiorem Pagii orationem, per undecim numeros diffusam, hic describere; omnia enim eadem prorsus ratione convolvuntur, ut in hunc annum* 503 S. Symmachi

AUCTORE J. B. S.

chi *victoria protrahatur, quæ certissime accidit anno* 501, *toto biennio citius quam Pagius, unus contra omnes, tam operose contendat; uno, ut ait, synodos (quarum secundam nusquam reperit) ordinandi intuitu: in quo equidem tantopere laborandum non video; præcipuum hic totius rei caput elucidandum suscepi, quo nimirum anno celebrata sit ea synodus in qua schismati finis impositus est, vocata a rebellibus* synodus absolutionis incongruæ, *qui omnium ferme judicio hactenus fuit et esse debet annus* 501, *ut sequenti paragrapho demonstraturi sumus, solutis abunde altis Pagii argumentis, restitutaque Labbeo et aliis plena ac integra auctoritate, quidquid instrumenta omnia suo præcise ordine non retulerint.*

§ III. In antiquum ordinem hic restituta.

Falso supponit Pagii crisis,

Ex *iis quæ disputata sunt hactenus, liquet, opinor, eo reduci præcipuum controversiæ caput, ut* synodus absolutionis, *alias* Palmaris, B *anno* 501, *unde eam Pagii dispulere, restituatur. Quod ut recte expediamus, continuanda est totius rei gestæ epitome ipsius fere Anastasii verbis, quibus ex ipsa synodo, seu una seu multiplici, sive Julia sive Sessoriana sive ultima,* x *Kal. Novembris habita, ea momenta accedent, ut manifeste pateat, torsisse omnia Antonium Pagium, ut synodorum seriem, a se nimirum primum* eluctatam, *tueretur. Ne vero actum agere videamur, quandoquidem historia ipsa tota a Baronio satis fuse deducta sit ad annum* 502, *cum sola illa Pagii crisi disceptandum restat, quam ex Anastasio, Theodoro Lectore, atque ex synodalibus actionibus convellendam omnino censemus. Danda nobis hæc venia, ut quæ ab Anastasio confusa methodo narrata sunt, ad paulo concinniorem ordinem reducamus. En modo totius rei sequelam.*

pacata fuisse omnia an. 499,

23 *Postquam regis Theodorici, tamquam inter contendentes arbitri, recto judicio* factus est Præsul Symmachus, *non habuit quod præfidentius obmutiret Laurentius; itaque prospiciens sanctus Papa* Symmachus, *ne turbæ id genus imposterum nascerentur, evocatis quantocius ex Italia, quotquot per hiemem potuit, episcopis,* eodem C tempore, *nempe* ipsis Kalendis Martii congregavit synodum, et, *sive de consensu synodi sive propria auctoritate, ut ego arbitror,* constituit Laurentium in Nuceriam civitatem episcopum, intuitu misericordiæ, *nusquam apparente vel minimo vestigio, quod synodus aliqua ejus causa, saltem ut episcopus inauguraretur, habita tum fuerit. Eo absente minime quievit exorta tempestas, Festo et Probino alia via* S. Symmachum *e throno pontificio deturbare machinantibus, quibus ex tunc accessisse Paschasii diaconi cum clero moltiones, satis certum est, recursumque denuo ad Theodoricum, adeo ut ipse præsentia sua tumultuantes continere compulsus sit, magnifice Romæ exceptus anno* 500; *de cujus triumphis et in Romanos munificentia legendus hoc anno Baronius.*

quæ præsentia Theodorici an. 500 *vix compressa sunt.*

24 *Non est credibile, schismaticorum quemquam ejus jussis tunc obmutire ausum, ast ubi ipse Roma digressus est, odium in sanctum Pontificem vehementissime recruduit, adeo ut* post annos quatuor, *ut supra numeravimus, intellige annorum quatuor decursu, seu potius, ut habet Theodorus, postquam* hujusmodi perturbatio tres annos in urbe Roma perseverasset, *nempe a pontificia electione anni* 498, zelo ducti aliqui ex D clero, et alii ex senatu, maxime Festus et Probinus, incriminarunt Symmachum, et subornarunt falsos testes, quos miserunt Ravennam ad regem Theodoricum, accusantes B. Symmachum, et occulte revocaverunt Laurentium post libellum Romæ factum, et fecerunt schisma, et divisus est iterum clerus, et alii communicabant Symmacho, alii Laurentio, *duce nimirum Paschasio isto, notæ quidem sanctitatis, sed majoris simplicitatis viro, cujus historiam, a S. Gregorio magno descriptam, ex Annalibus ecclesiasticis satis notam existimo, viderique tota potest in Actis nostris ad* XXXI *Maii.*

Post cujus discessum schismo magis exarsit;

25 *Hæc in Theodorici conspectu gesta non esse, extra controversiam puto; at paulo post ejus ex Urbe discessum, furiosius quam umquam ante tumultuatos fuisse Laurentianos, indubitatum est.* Tunc *enim* Festus et Probinus senatores, *Laurentii vindices,* miserunt relationem regi, et cœperunt agere ut visitatorem daret rex Sedis Apostolicæ, *quem aliqui putant, ipsomet anno* 499 *Romam advenisse, satis vivis coloribus depictum a S. Ennodio, cujus verba habes ad annum* 500 *a num.* 4. *Nec multo post, imo* tunc E rex, *inconsulto Papa et episcopis, veritus Romæ majores turbas,* dedit Petrum Altinæ civitatis episcopum, quod canones prohibebant. *Hic vero schismaticis adversus sanctum Pontificem, ejusque accusatoribus accedens, perniciosiores etiam flammas excitavit, quibus restinguendis totum se applicuit Theodoricus urgens quantocius Liguriæ, Æmiliæ atque Venetiarum episcopos, Romam properarent ad concilium, ut tandem Urbi pax publica redderetur: quo fecere variæ regis præceptiones, relationes, sessiones, quarum omnium securior ratio, nec haberi nec excogitari potest quam ex instrumentis ipsis, clarissime adductis eodem ipso anno* 501, *cujus notas characteristicas inani prorsus conatu enervare conatus est Pagius.*

unde ingentes turbæ an. 501

26 *Atque huc plane revocanda sunt quæ immediate gesta sic narrat Anastasius:* Eodem tempore B. Symmachus congregavit episcopos centum et quindecim, et, facta synodo, purgatur a crimine falso, et damnatur Petrus Altinus invasor Sedis Apostolicæ, et Laurentius Nucerinus, quia vivo Episcopo Symmacho, pervaserunt Sedem ejus. Tunc ab F omnibus episcopis et presbyteris et diaconibus, et omni clero vel plebe reintegratur Sedi Apostolicæ B. Symmachus, ut cum gloria apud B. Petrum sederet Præsul. *Ad conciliandum cum Actis synodi Anastasium asserentem concilium a Symmacho congregatum, ubi tamen id factum dicitur* ex præcepto gloriosissimi regis Theodorici, *facit Binii notatio apud Labbeum col.* 1327, *ex qua etiam ordo, a nobis hic positus, egregie confirmatur. Sic inter alia observat, furore percitos fuisse Laurentianos, quod contra ipsorum spem Theodoricus, interpellatione Catholicorum et aliorum, qui erant in Urbe, Symmacho faventium senatorum, de cogenda synodo cogitaret; cumque sciret non esse suarum partium orthodoxos antistites ad synodum convocare, sibi nihil plus æquo tribuens, more majorum, ipsius Symmachi Papæ auctoritate id perficiendum curaret, ut mox patebit: ad Anastasium regredimur.*

eodem anno sopitæ;

27 *Hic vero, ut sæpe alibi, exactum rei ordinem desiderari passus est; quæ enim apud ipsum sequuntur, non post habitum concilium, sed multo ante accidisse, rerum gestarum ipsa natura docet: nempe seditiones, pugnas, virginum sanctimonialium*

A *lium dehonestationes, plagas, vulnera, cædes, homicidia, schismatis istius causa in Urbe patrata præcessisse synodum pacificatoriam; et curæ a Theodorico in eum finem adhibitæ, ita evincunt, ut cæcum esse oporteat, qui ex ipsa synodi narratione id evidenter non perspiciat. Audi modo Anastasium deplorandum Romæ statum sic describentem:* Eodem tempore *(nempe schismatis)* Festus caput senatus exconsul, et Probinus exconsul cœperunt intra urbem Romanam pugnare cum aliis senatoribus et maxime cum Fausto exconsule; et cædes et homicidia in clero ex invidia fiebant. Qui vero communicabant beato Symmacho juste, publice qui inventi fuissent intra Urbem, gladio occidebantur. Etiam et sanctimoniales mulieres et virgines deponentes de monasteriis, vel de habitaculis suis, denudantes sexum femineum, cædibus plagarum afflictas vulnerabant, et omni die pugnas contra ecclesiam in medio civitatis gerebant.

licet ab Anastasio postpositæ videantur,

28 Etiam multos sacerdotes occiderunt, inter quos Dignissimum et Gordianum presbyteros, ad vincula S. Petri Apostoli et ad sanctos Joannem et Paulum; quos fustibus et gladio interfecerunt, et multos alios Christianos; ita ut nulli esset securitas die vel nocte de clero in civitate ambulare. Solus autem Faustus exconsul pro Ecclesia pugnabat. *Hæc omnia quam non recte ab Anastasio post synodum referantur, puto omnibus esse patentissimum; ut mirandum non sit, si alias ejus narrationes ad amussim exactas non existimemus. Quod vero Festum et Probinum modo* senatores, *modo* exconsules *appellat, hic magnopere attendendum non video;* Festum senatorem *vocavit Theodorus Lector; voca patricium, per me licet: satis est ambos illos totius horrendi schismatis ductores et antesignanos fuisse; Faustum vero, qui* solus pro Ecclesia pugnabat, *non solum fuisse exconsulem, sed anni istius, quo de agimus,* 501 *consulatum gessisse, tam certum est, quam quod certissimum.*

quæ ex istius anni gestis patet

29 *Neque minus certum videbitur cuicumque rem paulo attentius perpendenti, virum tam zelose Catholicum ac* S. Symmachi *acerrimum vindicem, consulatus sui occasione usum, ut furentium adversariorum audaciam infringeret. Qua autem ratione res turbatissimæ compositæ demum fuerint, quam studiose, quam instanter et quo anno hæc urserit Theodoricus, id vero ex ejus rescriptis, ex episcoporum relationibus, ex toto synodi ipsius, sive unicæ sive triplicis contextu demonstrandum superest; recurrente ubique eadem temporis nota,* Rufo Magno Fausto Avieno V. C. cos., *ut solem contra loqui necesse sit, qui notas istas omnes, uti vult Pagius,* a sciolo *aliquo adjunctas contenderit. Prælucebunt nobis non solum Labbeana, sed et Harduini conciliorum collectiones, tametsi in ipsis instrumenta omnia ad justissimum ordinem reducta non sint, utpote quod editores Mss. codices, quos citant, accurate secuti sint: in posteriori autem æque ac in priori editione eodem loco, nempe post Acta synodi, inseruntur præceptiones et relationes, quas præcessisse manifestum apparet. Quocumque autem modo disposita sint, acta omnia sequenti paragrapho digerere conabimur.*

§ IV. Ejusdem argumenti prosecutio.

Eo anno habita est repetita synodus,

Convocati Liguriæ, Æmiliæ et Venetiarum episcopi *Ravennam plerique convenere, conquesti, de coactione illegitima;* suggerentes, ipsum, qui dicebatur impetitus, debuisse synodum convocare, scientes, quia ejus Sedi, primum Petri Apostoli meritum vel principatus, deinde secuta jussionem Domini conciliorum venerandorum auctoritas ei singularem in ecclesiis tradidit potestatem: nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subjacuisse judicio. *Quibus cum Theodoricus fecisset satis exhibendo* paginas quas a Symmacho directas constabat, *ante æstatem Romam pervenisse, verosimillimum est; abstinentes primum, ut ait Ennodius, præsentia Pontificis, quamquam communione ecclesiastica ipsi intime unirentur. Neque diu post congregati sunt in basilica Julii, quo* S. Symmachum *ipsum accessisse constat: at cum is conditiones suas proponeret de amovendo visitatore, deque rerum suarum omnium, violenter ablatarum, restitutione etc. episcopi de re componenda desperantes, ad propria ferme respicere cœperunt, præferentes, extra turbas Ravennæ congregari, quam Romanis tumultibus quotidie interesse.*

eodem missæ a Theodorico præceptiones,

31 *Missa igitur est ab ipso Theodorico rege præceptio per Germanum et Carosum episcopos, quæ legi potest col.* 1328. *Hoc rescripto instat potissimum, ut* seditiosi motus *compescantur, neque adeo* protrahatur negotium. *Verba Theodorici sunt:* Cum in multas se vias cogitatio nostra disperserit, ad hunc se tramitem consilii cura convertit, ut rursum ad Kalendas Septembris diem eumdem censuerimus sacerdotum numerum convenire, qui dudum fuerat convocatus. *Excusat se quod apud Ravennam concilium evocare non possit, urgetque repetitis vicibus*, ut non diutius urbs regia turbarum tempestate fatigetur, sed . . . redeat ad quietem. *Data est præceptio* sub die VI Idus Augusti Rufo Magno Fausto Avieno V. C. cos., *ipso utique eodem anno* 501, *quem frustra impugnavit Pagius. Alia præceptio, quæ* quarta *vocatur, missa est ad synodum per Majorem domus regiæ, quæ notam præfert* VI Kalendas Septembris Rufino *(pro* Rufo*)* Avieno Fausto V. C. cos., *ut nihil magis pateat, quam anno jam dicto omnia gesta esse, regem vero instantissime, et toties iteratis præceptionibus concilii istius, seu potius turbarum Romanarum finem promovisse.*

item relatio episcoporum

32 *Ad hanc præceptionem secuta est* Relatio episcoporum ad regem, *qua explicant enormes ausus schismaticorum quando ad basilicam Sessorianam, ubi habebatur concilium, properaret* S. Symmachus *qui nempe* crudeliter se mactatum *profitetur. Sic habet ipsa synodus:* Et dum inter ista quæ essent facienda tractabatur, præfatus Papa, ut causam diceret, occurrebat. Qui veniens ab imminentibus turbis æmulorum suorum ita tractatus est, ut multis presbyteris, qui cum ipso erant, per cædem ipsam mortis fuisset occasio, quod probant recentium adhuc vestigia vulnerum; nisi illustris comes Aligernus, et sublimes viri Gudila et Vedeulfus Majores domus regiæ prospexissent.

AUCTORE J. B. S.

prospexissent. *Alia item objicit sanctus Pontifex quæ examini præmittenda existimaret, ut est col.* 1330. *Verum nihil ad hæc attendens Theodoricus, novam præceptionem remisit datam* sub die Kalendarum Octobris, *iniquam quidem injuriamque optimo Pontifici, ast ita in speciem mitigatam, ut responderit*, in synodali esse arbitrio in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reverentiam de ecclesiasticis negotiis pertinere.

tum novæ a rege instantiæ,

33 *De cetero iterum atque iterum instantissime rogat*, ut causam Dei, *quam episcoporum* congregationi et amplissimo senatui, pacem de clericis sperans, commisisset, quemadmodum visum ipsis fuerit, ordinent, *nec a se* exspectetur forma judicii, sed ipsi qualiter velint, ordinent: sive discussa, sive indiscussa causa proferrent sententiam, de qua essent rationem divino judicio reddituri, dummodo, sicut sæpe dixerat, hoc deliberatio ipsorum provideret, ut pax senatui populoque Romano, submota omni confusione, redderetur, ne qua, quod absit, *inquit*, post judicium turba aut aliqua remaneat in civi-
B tate discordia. *Hæc nimirum regis præcipua, imo unica solicitudo ut tumultibus, cædibus aliisque flagitiis, Urbem universam commoventibus optatus finis imponeretur; id quod demum obtinuit ultima sessione seu synodo illa integræ absolutionis, certissime habita* x Kalend. Novembris, *seu* XXIII *Octobris*, Rufo Magno Fausto Avieno V. C. cos., *postquam et ad senatum recurrissent Patres*, monentes et instruentes *necessaria a rem, quam maxime posset, legitime instruendam dirimendamque.*

ut ostendit tota synodi narratio,

34 *Hæc omnia certius et solidius firmari non possunt, quam ex ipsa Actorum in causa* S. Symmachi *relatione, quam volunt esse synodum ipsam* Palmarem, *quamque hic totam pro inserta habeo, legendam in utraque collectione, Labbeana quidem tomo* IV *a col.* 1323, *in Harduiniana vero tom.* II, *col.* 967 *et seqq. Adjuncta varia, ibi non satis expressa, docemur ex S. Ennodii libello apologetico, ex quo plura alia Baronius fuse in Annalibus tradit ad annum* 503. *Porro eidem libello in Labbeana collectione a col* 1362 *subjungitur insignis epistola sancti Aviti Viennensis episcopi ad Faustum et Symmachum senatores Romanos,*
C *communi episcoporum Galliæ nomine scripta*, de synodo Romana, in qua episcopos Italiæ, qui ad eam convenerant, culpandos docet, quod de Pontificis Romani causa judicandum inferiores susceperint. *Sed ea obiter hic indicasse, sit satis: a proposito argumento non deflectimus, quo adversus utrumque Pagium, in pristinum omnia ordinem redigere digerereque suscepimus.*

et anni expressissimus character:

35 *Quidquid igitur synodos suas instruant, versent reversentque ambo Pagii, quod unicum ferme est et palmare totius ipsorum systematis momentum, numquam evicerint, sublestam esse, supposititiam aut fraudulentam expressissimam notam characteristicam, toties repetitam anni jam dicti* 501, *quo synodus ista seu synodi habitæ sunt, quibus* S. Symmachi *causa eo usque terminata est*, ut damnati fuerint Petrus Altinus invasor Sedis Apostolicæ et Laurentius Nucerinus . . . atque ab omnibus episcopis et presbyteris et diaconibus, et omni clero vel plebe reintegratus sit Sedi Apostolicæ beatus Symmachus; ut cum gloria apud B. Petrum sederet Præsul; *ex eo deinceps tempore reliquis synodis ita præsidens, ut non tamquam reus, sed ut*
supremum Ecclesiæ omniumque episcoporum caput D
vere agnosceretur: idque adeo tam clare perspicitur, ut in synodo anni sequentis 502, *quæ* de rebus Ecclesiæ conservandis *titulum præfert, jam tum inter episcopos sederit, non Laurentius, exsilio antea multatus, sed* Aprilis Nucerinus, *non tunc recens constitutus, cum post ipsum subscribant episcopi, haud dubie ipso juniores, sex omnino et viginti, unde certo consequitur, ut minimum anno præcedenti amotum fuisse Sedis Apostolicæ invasorem, malorumque omnium inventorem Laurentium.*

ex quibus prior ordo synodorum

36 *Solvendum restat unicum jam dictum Pagii argumentum quod petitur ab ordine synodorum, quasque ita disponi posse existimamus, ut prima certo dicenda sit, quæ Kalendis Martii* 499 *habita est, post quam nulla veri nominis synodus reperitur usque ad illam cujus præcipui antesignani fuere Laurentius Mediolanensis et Petrus Ravennatis ecclesiæ episcopi, quique in* relatione ad regem *eam* SECUNDAM *expressissime* synodum *appellant, quæ in basilica Sessoriana celebrata est, ad quam cum clero suo procedens* S. Symmachus, crudeliter mactatus est. *Hanc secuta est* tertia *(sic recte a Labbeo indigitata col.* 1323) *eaque* E
in Symmachi *causa peremptoria* x Kalend. Novembres *congregata, in qua*, quantum ad homines respicit, *absolutus est sanctus Pontifex, sedatæque demum Urbis contentiones; tametsi in clero non defuerint, qui nova moliri perrexerint; non jam marte aperto, utpote auctoritate regia compressi, sed occultis scriptiunculis, e quibus tandem emerserit famosus libellus* contra synodum absolutionis incongruæ, *tum primum vulgatus, dum habita est synodus* IV, *seu* Palmaris, *ut ego quidem existimo*, VIII Iduum Nov. Flavio Avieno V. C. juniore cos.; *nempe anno* 502, *in qua primum omnia digessit ordinavitque* S. Symmachus, *unde schismaticorum denuo ulcus tactum, ipseque adeo jam dicto libello synodum aggredi ausi sunt.*

adversus Pagii argumenta

37 *Eam vero synodum* in basilica beati Petri Apostoli *habitam*, Palmaremque *(ut iterum est col.* 1333) *dictam crediderim, quod tunc plena et absoluta auctoritate ita loqui potuerit* Symmachus *col.* 1334: Bene quidem fraternitas vestra, ecclesiasticis legibus obsecuta, sub divini timore judicii, quæ erant statuenda definivit et ad justitiæ cumulum pervenit, F
dum sufficienter universa complectitur, nec adjectione indiget plenitudo, maxime de clericis, quos amor dominationis invasit, et jugum disciplinæ ecclesiasticæ fecit respuere, quos propterea schisma fecisse, apud vos constitit: quibus misericordiam tamen, quam Deus mandat, universis impendi (sicut oportuit) non negastis, si duritia cordis eorum, non sibi acquirat pœnam, dum contemnit oblata remedia, quorum excessus enarrare difficile est. *Vides hæc omnia ad prægressas tragœdias referri, et sole meridiano clarius ostendi, synodum palmarem Pagianam, seu absolutionis, hanc qua de modo loquimur, certissime præcessisse: quod perspexissent ambo Pagii, si vel solum istum synodi articulum attentius legissent. Baronii error condonandus est, quod uno eodemque anno omnia gesta existimaverit.*

omnino vindicatur.

38 *Neque tamen etiam post hoc palmare concilium omnia in clero tum plane pacificata fuisse credimus, verum eo tempore prodiisse libellum famosum* contra synodum absolutionis incongruæ, *adversus quem egregiam illam suam apologiam*

A *logiam exeruit S. Ennodius, cui ex Patrum omnium unanimi consensu inter synodum hanc et sequentem quintam, col.* 1363, *quæ postconsulatu Avieni notatur, locus in conciliis datus est, unde iterum omnes Pagii conatus omnino corruunt, cum is annus Avieni, intellige junioris postconsulatu signatus, certo sit* 503, *quo ipse turbarum omnium initia consignari voluit, ubi interim ex tota rerum gestarum exhibita hic modo congerie, certissimum est, auctoritate quintæ istius synodi, sic plenissime redintegrata fuisse omnia, ut vel ultimæ schismatis scintillæ penitus exstinctæ sint. Adde his sextam anni* 504, *col.* 1371, *inveniesque Romanas synodos omnes sub* S. Symmacho *habitas, omissis omnibus Pagii ambagibus et circuitionibus, quibus tantum abest ut* synodos eluctatus sit, *ut potius rem, de se satis obscuram, novis tenebris involverit. Atque hæc de synodis satis et abunde : quod superest, reliqua sancti Pontificis gesta prosequamur.*

§ V. Res aliæ a S. Symmacho gestæ, ab Anastasio ferme præteritæ.

B

Ad reliqua Sancti gesta spectant

Reliqua *sanctissimi Pontificis gesta operose collegit sæpius jam a nobis laudatus Eminentissimus Annalista Baronius, quidquid fortasse propriis quæque annis suis accuratius innexa non fuerint. Materiam ad aliqua suggessit insignis* S. Symmachi *vindex, et ipse toties hic laudatus sanctus Ticinensis ecclesiæ antistes Ennodius, de quo in his Actis die præcedenti non obiter agendum fuit : aliam suggessere repertæ epistolæ tum in Gallias tum in Orientem datæ indeque acceptæ, tum vero ea, quæ adversus vafrum imperatorem Anastasium, sancto Pontifici infensissimum, tractanda fuisse novimus, quemadmodum probant monumenta in collectionibus conciliorum adducta, tametsi eamdem fortasse fidem aut auctoritatem non omnia mereantur, ut proinde Harduinus non pauca rescindenda putaverit. Hæc igitur omnia cum locis citatis fuse relata, omnibusque modo ad manum sint, non magnam hic operam a nobis ponendam video, nisi ut gestorum ordo, ad chronotaxim utcumque digeratur, lectoribus de cetero ad fontes ipsos remissis.*

C

litteræ ad Æonium Arelat.

40 *Sub ipsum pontificatus* S. Symmachi *principium sive circa annum* 499 *Romam missæ videntur Æonii Arelatensis episcopi querelæ adversus præsulem Viennensem, quod* contra regulas ecclesiastici constituti, *ecclesiæ suæ jura invasisset. Quibus prospicere volens* S. Symmachus, *statuta a prædecessoribus servari omnino cupiens, Æonio mox injunxit ut aliquem ad se dirigeret, qui* apud se veritatem causæ allegaret, *atque Viennensem episcopum moneret, quo is quoque hominem proprium dirigeret, qui partis suæ allegationes competenter insinuaret. Videantur litteræ in Annalibus ad dictum annum num.* 36, *quas Baronius Cæsario inscribendas putavit, cum is tamen non nisi biennio serius cathedram Arelatensem conscenderit. Habentur et apud Labbeum tomo* IV *col.* 1292 *et* 1293, *ad quas observat Franciscus Pagius, ex signatis characteribus non recte ordine dispositas esse. Porro* S. Symmachus, *acceptis aliis litteris ab Æonio, per Crescentium presbyterum missis, quibus dicebatur, Anastasium Papam* aliqua contra veterem consuetudinem *jussisse observari, Æonium commonuit, ut* in ordinandis per singulas urbes sacerdotibus *(controversia enim erat inter utrumque episcopum de ordinatione episcoporum)* cana ac reverenda servetur antiquitas, ne novella constitutio vetustæ sanctionis robur imminuat.

AUCTORE J. B. S.

de divisione provinciarum :

41 *Agitur de divisione utriusque provinciæ, a Leone Magno alias facta, quam infringi, pati nolebat* S. Symmachus, *ideoque rescindit quæ in contrarium ab decessore Anastasio constituta fuerant. Contra vero Avitus Viennensis questus est apud* Symmachum, *quod hanc de ordinationibus episcoporum controversiam in favorem Arelatensis ecclesiæ judicasset. Rescripta ad eum epistola, ordine duodecima ; data est* III *Idus Octobris* Avieno et Pompeio Consulibus, *adeoque anno quingentesimo primo, in qua ait* S. Symmachus, *ei* salvum *esse,* allegare quod putaverit allegandum, et proponere quod viderit proponendum *etc. ut vide in epistola ipsa. Verum plena controversiæ istius diremptio dilata fuit ad annum quingentesimum decimum tertium, ut infra paucis dicendum recurret. Apud Labbeum subnectitur alia epistola ad Liberium Patricium,* de electo episcopo Aquileiensi, cujus præbet electioni assensum *sanctissimus Pontifex. Data est Indictione* VIII, XVIII *Kalendarium Novembrium, adeoque non anno* 498, *quem signavit Labbeus, sed verosimilius anno* 500, *ut eam collocavit Baronius, nisi Indictionis initium certo a Septembri desumatur.*

E

Acta cum Anastasio imp.

42 *Epistola, quæ ut ad Laurentium episcopum Mediolanensem scripta in Conciliis subjungitur, pseudepigrapha est, merito in postrema editione rejecta. Melius ordine temporis hic interponenda censemus, quæ in schismate peracta superius relata sunt, ut ad annum* 502 *revocari possint ea, quæ a* S. Symmacho *contra Anastasium imperatorem decreta esse oportuit,* licet synodalia de his Acta desiderentur, *ut cum Baronio fatendum est : illud tantum certo constat, ut habet Pagius junior, apologiam suam adversus calumnias Imperatoris edidisse* S. Symmachum *post synodum absolutionis dictam, cum in ea apologia hæc posuerit;* inter imbres lapidum totus evasi. *Ex ea apologia constat, Anastasium imperatorem Acacii memoriæ et hæreticis Chalcedonensis concilii hostibus communicantem et faventem, a* Symmacho *Papa excommunicatum fuisse. Quamobrem furore percitus Imperator libellum famosum adversus Pontificem vulgavit, quo ipsum inter alia convitia Manichæum vocabat. Longum esset omnia recensere quæ in ea re ultro citroque gesta aut scripta, apud Baronium videri possunt ad annum* 503 *a num.* 17.

F

qui quomodo excommunicatus :

43 *Sufficiat, notasse, quod jam dicto libello responderit* S. Symmachus *epistola apologetica, in qua de Anastasii excommunicatione hæc habet :* Dicis, quod mecum conspirante senatu, excommunicaverim te. Ista quidem ego ; sed rationabiliter factum a decessoribus meis sine dubio subsequor . . . . si nos te male tractamus, suadentes ut discedas ab hæreticis, tu nos bene tractas, quos vis sociare præcipitanter cum hæreticis ? . . . . Nos non te excommunicavimus, Imperator, sed Acacium ; tu recede ab Acacio, et ab illius excommunicatione recedis : tu te noli miscere excommunicationi ejus, et non es excommunicatus a nobis. *Atque hæc in breve specimen pro instituto nostro exhibuisse sit satis; fontes consulant, quibus hæc sufficere non videbuntur. In eadem apologia pontificiam cum imperatoria dignitatem confert sanctus Pontifex, ostenditque, Apostoli Petri successores*

AUCTORE J. B. S.

sores regibus superiores esse, ipsisque reverendos; principibusque parendum non esse docet, cum aliquid adversus Dei legem jubent. Nimius fortasse videor in explicandis quæ harum rerum peritis notissima sunt, aliis vero nec longiori etiam oratione explicari possunt.

litteræ ad Orientales;

44 *Habes etiam in Conciliorum collectionibus litteras* S. Symmachi *ad Orientales datas ab iisque vicissim acceptas, quas et Baronius refert ad annum* 512 *a num.* 34, *eaque explicat, quæ tum maxime in afflictissima illa ecclesia ventilata sunt, ut mihi quidem mirum plane visum fuerit, Tillemontium in Commentariis sui ecclesiasticis tomo* XVI, *ad eas potissimum atque Sancti apologiam carpendas materiam sibi studiose sumpsisse, ut ita optimi Pontificis gesta vellicaret potius quam laudaret. Videri potest pag.* 671, *et* 725 *ac* 726; *vix eam epistolam intactam relinquit quæ ad Catholicos Illyricanos data est, apud Baronium ad supra dictum annum num.* 36. *Ast ea hic non moramur; neque alios sanctissimi Pontificis censores enumerandos censemus; Gretseri spongia ea plenissime extersit, quæ famosus cavillator Mornæus inepte oblatrare ausus est, nec minus prudem castigata* B *sunt audacis Launoii commenta, ut hæc pluribus prosequi supervacaneum existimemus. Quanta autem veneratione, quam filiali affectu sanctissimum suum Pontificem prosequerentur Romani, docet Ennodius morbum ejus describens apud Baronium ad annum* 503 *num.* 16.

item ad Galliæ episcopos.

45 *Inter* S. Symmachi *epistolas, ordine nona est, data ad universos Galliæ episcopos* Idibus Novembris Probo V. C. consule *quam Pagius Breviarii auctor ex anno* 502, *ubi ante collocata fuerat, censet transferendam ad annum* 513, *quo nimirum, ad petitionem Cæsarii Arelatensis, confirmavit divisionem, de qua superius agere cæpimus, inter Viennensem et Arelatensem ecclesias, a Leone Papa constitutam; ad quem pariter annum revocat epistolam, ordine quintam, ad eumdem Cæsarium Arelatensem, quæ responsa sex complectitur, ad totidem Cæsarii petitiones: quas inter ea est, quæ beneficiorum ecclesiasticorum originem exhibet, ex ipso iterum fonte purius haurienda. Notanda vero demum est epistola* XI *ad Theodorum Lauriacensem in Norico episcopum, qua postulatum a Sede Apostolica Pallii usum ei sanctus Papa indulget: cujus episcopatus vicissitudines* C *hic a nobis enarrandæ non sunt. De Wandalica persecutione sub Trasamundo rege non semel in hoc opere agendum fuit, et quidem novissime in S. Eugenio ad* XIII *Julii; cum hæc cæpisse dicatur anno* 504, *inter eum annum et* S. Symmachi *obitum, anno* 514, *collocanda sunt quæ ad episcoporum exsulum miseriam sublevandam egisse Sanctum obiter memorat Anastasius, cujus item articulus ultimus nonnulla explicatione indiget.*

De hymno Gloria in excelsis.

46 *Ita ibi legitur:* Hic constituit ut omni die Dominico vel natalitiis Martyrum hymnus diceretur angelicus, id est Gloria in excelsis Deo. *Pagius in Breviario num.* 25 *apponit hanc notulam marginalem*: Non est auctor hymni Gloria in excelsis, *quod certe hic non asserit Anastasius, qui in Telesphoro scriptum meminerat, ipsum constituisse;* ante sacrificium hymnus diceretur angelicus, hoc est Gloria in excelsis Deo: *ad quem etiam locum videnda Pagii notatio. Ast illi qualicumque decreto magis adversatur, quod ex Gregorii Sacramentario, a Menardo edito, constat:* Item dicitur Gloria in excelsis Deo, si episcopus fuerit, tantummodo die Dominico, sive diebus festis; a presbyteris autem minime dicitur, nisi in solo D Pascha. *Ex editoris notis nihil magnopere confici potest. De hymno illo fusius egit in suis Liturgicis lib.* II, *cap.* IV *Cardinalis Bona, recte et candide fassus, nesciri a quo primum compositus, aut in Ecclesia usitatus fuerit: ceterum S. Athanasio ignotum non fuisse, evincunt verba, a laudatis Bona et Pagio citata; hic solum quæstio verti posset, utrum quæ jam ex Anastasio citavimus* S. Symmacho *tribuere, an potius abrogare oporteat, id quod dirimendum non suscipimus. Id pluribus locis ostendit Bona, in Ecclesiæ ritibus factas esse frequentes mutationes, adeo ut tempore* Symmachi *in usu esse potuerint, quæ post sæculum, a S. Gregorio restricta sint.*

§ VI. Brevis Vitæ synopsis ex Anastasio.

Manichæos Roma expulit,

Tractatunculæ huic coronidem imponet reliquus Anastasii textus, postquam cetera omnia quæ ad electionem pertinent, ad schisma Laurentianum, ad cædes et flagitia eapropter Romæ patrata, ac E *demum composita, superius ad verbum retulimus discussimusque. Subdit igitur libri Pontificalis auctor:* Post hæc omnia beatus Symmachus invenit Manichæos in urbe Roma, quorum omnia simulacra, vel codices ante fores basilicæ Constantinianæ incendio concremavit, et eos ipsos exilio relegavit: *ut vel inde manifestissime pateat, quantum sanctissimus Pontifex ab ea impietate abfuerit, quam tamen vesanus imperator Anastasius turpiter ei exprobrare ausus fuerat; de qua re paulo pluribus agit Baronius ad annum* 503, *num.* 31. *Sequitur apud Anastasium:* Fuit autem a consulatu Paulini usque ad consulatum Senatoris. *Verum hæc denuo repetenda hoc loco non sunt, de Sancti nostri ætate satis dictum est supra Commentarii hujus* § I. *Supersunt liberalitatis ejus in Romanas aliasque ecclesias monumenta, de quibus sic pergit Vita:*

variaque in ecclesias dona contulit:

48 Hic fecit basilicam sancti Andreæ Apostoli apud beatum Petrum Apostolum ubi fecit tigurium * ex argento et confessionem pens. libras centum et viginti. Arcus argenteos tres pensan. sing. libr. sexaginta. Oratorium sancti Thomæ Apostoli pens. libr. 300. F In confessione * libr. viginti. Arcum argenteum pensan. libr. sexdecim. Confessionem S. Cassiani, et sanctorum Prothi et Hyacinthi ex argento pens. libras viginti. Arcum argenteum pens. libr. 12. Oratorium S. Apollinaris ex argento, et confessionem cum arcu ex argento pens. libr. triginta. Oratorium sancti Sosii * ex argento in confessione pensan. libras viginti. Item ad fontem in basilica beati Petri Apostoli, oratorium sanctæ Crucis ex argento, confessionem et crucem ex auro cum gemmis, ubi inclusit lignum Dominicum; ipsa crux aurea pens. lib. decem. Fecit autem oratoria duo S. Joannis Euangelistæ, in quorum confessione arcus argenteos posuit pens. lib. triginta. Quæ cubicula * omnia a fundamento perfecta construxit.

* ciborium.
* et confessionem.
* *al* Sossi.
* et cubicula pos.

ad S. Petri

46 Basilicam vero beati Petri marmoribus ornavit; et cantharum beati Petri cum quadriporticu marmoribus ornavit, et ex musivo et cruces et palmas ornavit *. Ipsum vero atrium omne compaginavit. Gradus vero

* fecit.

A vero ante fores basilicæ beati Petri ampliavit; et alios gradus construxit sub signo, dextra lævaque. Item in eodem loco episcopia dextra lævaque fecit. Item sub gradus in atrio alium cantharum foris in vulgo campi posuit, et ad usum necessitatis humanæ fecit. Item et alios gradus ascendentibus ad beatum Andream fecit, et cantharum posuit. Hic fecit basilicam S. martyris Agathæ via Aurelia in fundum Lardarum *, et a fundament. cum fonte construxit, ubi posuit arcus argenteos duos. Eodem tempore fecit basilicam S. Pancratii, ubi et fecit arcum argenteum, qui pensabat lib. quindecim: fecit autem in eodem loco balneum.

* in fundo Laierio.

ad S. Pauli,

50 Item apud beatum Apostolum Paulum in basilica renovavit absidam, quæ in ruinam imminebat, et post confessionem pictura ornavit. Et cameram fecit et matroneum, et super confessionem imaginem argenteam cum Salvatore, et duodecim Apostolos posuit, qui pensabant libr. centum viginti; et ante fores basilicæ gradus fecit in atrio et cantharum: et post absidam aquam introB duxit, ubi et balneum a fundamento fecit. Intra civitatem Romanam basilicam sanctorum Silvestri et Martini a fundamento construxit juxta thermas Traianas, ubi et super altare tigurium * argenteum fecit pensan. libr. 120. Arcus argenteos 12, qui pensabant singuli libr. decem, confessionem argenteam quæ pensabat libr. 15. Ad beatum Joannem et Paulum fecit gradus post absidam. Item ad archangelum Michaëlem basilicam ampliavit, et gradus fecit, et introduxit aquam. Item ad sanctam Mariam.

* ciborium.

ad SS. Cosmæ et Damiani.

51 Oratorium sanctorum Cosmæ et Damiani a fundamento construxit. Item in via Tiburtina milliario vigesimo septimo ab urbe Roma, rogatus ab Aluino et Glafira * illustribus, de proprio facientibus, a fundamento basilicam beato Petro in fundum Pacinianum dedicavit. Item ad beatum Petrum et beatum Paulum Apostolos, et ad sanctum Laurentium martyrem pauperibus habitacula construxit. Item ad beatum Petrum viginti canthara argentea fecit pensan. singula libras quindecim, et arcus 22, pensan. sing. libras viginti. Hic reparavit basilicam sanctæ Felicitatis, quæ jam in ruinam imminebat. * Hic absidam beatæ Agnetis, quæ in ruinam imminebat, et omnem basilicam renovavit. *Atque hic S. Symmachi donorum finis. Sequitur ultimus Vitæ articulus de hymno Gloria in excelsis, quem nuperrime explicare conati sumus: tum de insigni ejus zelo, quem erga episcopos Africanos exsules aliosque afflictos paterne exhibuit; missis etiam in Sardiniam Sanctorum reliquiis, ut paulo fusius explicat Baronius ad annum* 504 *a num.* 41. *En Vitæ clausulam.*

AUCTORE ANAST. BIBLIOTH.

* Albino et Glaphyra præpositis.

* cui ruina iminebat.

Largitas in exsules Afros et alios.

52 Hic constituit ut omni die Dominico vel natalitiis Martyrum hymnus diceretur angelicus, id est Gloria in excelsis Deo. Hic fecit cœmeterium Jordanorum in melius propter corpus S. Alexandri. Hic omni anno E per Africam vel Sardiniam, ad episcopos, qui in exilio erant retrusi, pecuniam et vestes ministrabat. Hic captivos per Liguriam et per Mediolanum, et per diversas provincias pecunia * redemit, et dona multiplicavit et dimisit. Hic fecit ordinationes quatuor in urbe Roma per menses Decembrem et Februarium; presbyteros nonaginta duos, diaconos sexdecim, episcopos per diversa loca centum et septem *. Qui etiam sepultus est in basilica beati Petri Apostoli, et cessavit episcopatus dies septem, qui etiam in pace confessor quievit.

* pecuniis.

* *al.* 17.

DE S. RUSTICO PRESB. CONFESSORE

LUGDUNI IN GALLIA.

Ex Martyrologiis.

C J. B. S. F

XIX JULII.

Synonymi duo, alter episcopus, alter presbyter,

De *sancto* Rustico, *celebri Lugdunensi episcopo, egit Henschenius ad diem* XXV *Aprilis, multa enumerans varii generis Martyrologia, in quibus modo* presbyter, *modo* episcopus *idem nominari videtur, tam dicto jam die tum hoc* XIX *Julii: demum, in tantis tenebris constitutus, ab ipsis Lugdunensibus lucem requirit, qua* plenius judicium *hic* de eo feratur. *Ast isti operam suam desiderari passi sunt hactenus, ut tota controversia hodie æque implexa maneat, ob diversitatem qua in Hieronymianis; tum majoribus tum contractis,* S. Rusticus *annuntiatur. Antiquarii Gallici merum esse additamentum, manifestum existimo; singulos codices recensere nil juverit, cum pridem vulgati omnium manibus teri possint. Potiores sunt Lucensis, Corbeiensis, Blumianus, Richenoviensis, Augustanus, Reginæ Sueciæ, S. Cyriaci, Barberimanus et alii, qui hoc die* presbyterum *memorant, quemadmodum et appendix Adonis, quæ non recte a Sammarthanis pro episcopo adducitur, cum expressissime legat;* Lugduni, sancti Rustici presbyteri et confessoris. *Adde Notkerum et veterem Usuardi codicem, in Anglia auctum, quem Rosweydinum appellamus, in quo simplicissime legitur,* Lugduno, Rustici presbyteri.

Lugdunensibus deberi videntur.

2 *Cum igitur tot vetustæ auctoritates Lugdunensibus faveant, neque in contrarium tam graves militent, liceat in ipsorum favorem litem dirimere, cum de synonymo episcopo, alias notissimo, dubium non sit; liceat, inquam, ex tot Martyrologiorum consensu* S. Rusticum presbyterum *adjungere, tametsi de ejus ætate aut gestis nihil compertum habeamus, quod toties, et de tot aliis Sanctis fatendum est. Huc facit Raynaudi Indiculus, utut sicce et parce de Sancto loquatur, pro ejus tamen cultu testimonium ferens. Saussayus item, post insigne elogium* S. Rustico *episcopo adscriptum* XXV *Aprilis, de hodierno ita prædicat:* Lugduni, sancti Rustici presbyteri et confessoris, viri sacerdotalibus insigniis conspicui. *Rem magis confirmat in Martyrologio universali Castellanus, in hac parte ceteris paulo scrupulosior, et pro Sanctis, maxime Gallicis, probatus testis, dum hoc die* Rusticum presbyterum *Lugdunensibus vindicare non dubitavit.*

DE

A D

DE SANCTO FELICE EPISCOPO

VERONÆ IN ITALIA.

J. B. S.

Ex Martyrologio Romano.

XIX JULII.

A Baronio primum signatus est.

Quod toties in hoc opere monuere Majores nostri, et nos sæpe observavimus, Sanctos plurimos, antiquioribus Martyrologiis omnino incognitos, tum ex variis Italiæ ecclesiis tum aliunde, novissimæ suæ Martyrologii Romani recensioni Baronium adjecisse, non est quod hic pluribus repetamus. Eos inter certo computandus venit sanctus hic Felix *Veronensis episcopus, ordine, ut ibi numerant, testibus monumentis Veronensibus, a Valerio et Ughello recitatis, tertius et vigesimus, de quorum catalogis hic disputare non lubet. Obscura omnia fatentur ipsi, ætatem, tempus regiminis, obitum et gesta, sic ut*
B *de solo cultu distincti aliquid assererari possit. Laudatus Baronius :* Veronæ, sancti Felicis episcopi. *Porro Fastos nullos antiquiores Baronio præluxisse, ex ipsiusmet notatione perspicuum est, dum nihil adducit præter hæc paucula :* Dictus alias Felicinus. De eo ex antiquis monumentis episcoporum Veronensium Augustinus Valerius episcopus Veronen. et Card. pag. 6 et 38. *Atque hæc sunt quæ ex ipso descripsere Ferrarius, Ughellus, et siqui alii de* S. Felice *Veronensi meminerint.*

ex Augustino Valerio.

2 *Habe igitur quod ex Raphaële Bagata et Baptista Peretto elogium dedit Valerius in Antiquis monumentis, Venetiis excusis an.* 1576, *fol. 38 verso :* Felix, Veronæ episcopus, magnum semper Christianæ pietatis propagandæ studium, et egregiam quamdam morum probitatem præ se tulit ; et ideo quo tempore Veronensi populo præfuit, varias et illustres virtutes quibus præstitit, omnes admirabantur. Cum animas multas Christo Domino esset lucratus, obiit quartodecimo Kalendas Augusti, et sepultus est in basilica S. Stephani ; deque nomine ipsius hodie Veronæ exstat templum in summo colle. Ab eo etiam accepit nomen
C arx, in qua templum est collocatum, quæ arx S. Felicis nominatur. In consecratione ecclesiæ S. Georgii in Canonicatu, et altaris S. Jacobi in ecclesia sanctorum Apostolorum Veronæ, inter ceteras complurium Sanctorum, positæ in eo sunt reliquiæ etiam sancti hujus Episcopi. *Ab his non differunt Ferrarii et Ughelli elogia ; in priori corrigendus error, quod Sanctum* e vita migrasse *asserat* XVI Kal. Augusti, *ubi Valerius hunc diem diserte expressit.*

3 *Qualia Veronæ vetusta monumenta reperta sint, sigillatim indicat laudatus Valerius fol.* 6 *verso et* 7, *quorum hic nonnulla subjicio.* S. Felicis, *inquit*, alias Felicini, episcopi Veronensis corpus requiescit in ecclesia S. Stephani ; ex tabula marmorea, de qua supra, ubi de S. Andronico ; ex lectionario ecclesiæ cathedralis, et ex tabula vetusta ex membranis, E
de quibus supra : ubi de S. Alexandro. *Citatur deinde Franciscus Corna, ut testis, opinor, quod* in altari majori ecclesiæ S. Stephani, quæ primo fuit cathedralis, corpus S. Felicis episcopi Veronensis *depositum sit. Sequitur* tabula Sanctorum die XIX mensis Julii, *in qua nempe habeatur ;* Felicis episcopi Veronensis et confessoris, dup. min. Jacet in S. Stephano. In eadem ecclesia S. Stephani, in parte dextra majoris altaris est imago depicta S. Felicis episcopi cum his litteris S. FELIX EP. V. *De arce jam satis dictum est ;* in ipsa ostenduntur adhuc antiqui ipsius ecclesiæ parietes.

cujus monumenta Veronensia

4 *Majoris momenti non sunt reliqua quæ a laudato Valerio hic recitantur ; satis sit ;* in eadem arce exstructa nova ecclesia in honorem S. Felicis episcopi, et supra januam ipsius ecclesiæ est depicta imago episcopi, sub qua sunt litteræ S. FELISE. Et in palla altaris depicta MDXXXIII est imago episcopi cum mitra et litteris S. Felix Episc. *Supra portam ipsius arcis est imago vetus episcopi, sub qua sunt hæ litteræ.*

enumerantur.

MCCCC PRIMO F
L N
XXXI SERADO

DE SANCTO LAURENTIO EPISCOPO

NEAPOLI IN CAMPANIA.

G. C.

Sancti cultus, et episcopatus tempus.

CIRCA ANNUM DCCXVII.

Probatur Sancti cultus ex catalogo Neapolitano,

Eminentissimus D. Decius Carafa S. R. E. Cardinalis et archiepiscopus Neapolitanus in Catalogo Sanctorum, quem anno 1619 *Neapoli edidit, hujus sancti Præsulis festum ita celebrandum præscribit :* XIX Julii, S. Laurentius episcopus Neapolitanus. Duplex. Omnia de communi conf. Pont. Missa de communi sine credo. *Deinde antiqua istius Sancti veneratio ibidem sic probatur :* Hunc sanctum Præsulem fuisse olim Neapoli eximie cultum, declarat imago ejus in pariete ecclesiæ archiepiscopalis, insignita diademate radiato, et hac inscriptione vetusta, quæ hodieque exstat : S. LAURENTIUS EPISCOPUS SEDIT AN. XV MEN. VI. Sacrum ejus corpus ab ecclesia extra mœnia translatum est ad cathedralem, atque honorifice conditum in sacello ad dexteram aræ maximæ una cum corpore S. Athanasii episcopi, quod olim cum eodem S. Laurentio tumulatum fuerat IN ORATORIO (ut legitur in

A in vetusto Ms. codice) SANCTI ET CONFESSORIS CHRISTI LAURENTII EJUSDEM SEDIS ANTISTITIS. *Hoc postremum cultus testimonium legitur supra in hoc tomo pag.* 86, *ubi sancti Athanasii episcopi Neapolitani Acta illustravimus.*

a Chioccarello, 2 *Bartholomæus Chioccarellus in Catalogo antistitum ecclesiæ Neapolitanæ pag.* 66 *de sancto Præsule nostro tradit sequentia :* S. Laurentius episcopus Neapolitanus præfuit annum circiter DCCXIII. Ejus autem Acta excidisse credimus, quandoquidem nec in majoris ecclesiæ, nec in privatis ceterisque urbis monumentis, accurate perquisitis, ea reperire potuimus. Attamen celebre priscis temporibus fuit sancti hujus Laurentii oratorium in divi Januarii sacra æde, extra Neapolitana mœnia posita pro sepulcris virorum insignium, qui in eo reconditi memorantur : etenim inibi præter eumdem Laurentium, sancti quoque Joannes et Athanasius ejus successores sepulti recensentur. Ejus oratorii in Actis sancti Athanasii his verbis mentio habetur : SANCTI ATHANASII CORPUS IN ORATORIO SANCTI CONFESSORIS CHRISTI LAURENTII EJUSDEM SE-B DIS ANTISTITIS JUXTA SACRATISSIMI JOANNIS ANTECESSORIS ET NUTRITORIS EJUS ANTRUM DILIGENTISSIMÆ ET DIGNÆ SEPULTURÆ TRADIDERUNT. Cum igitur sedisset Laurentius annos quindecim, obdormivit in Domino anno DCCXXIX (*hunc annum mox examinabimus*) ejusque memoria ac imago cum vetustissima inscriptione in metropolitana adhuc ecclesia prope sancti Juliani episcopi memoriam hunc in modum : SANCTUS LAURENTIUS EPISCOPUS SEDIT ANNIS XV MENS. VIII...... Sacrum ejus corpus in cathedrali ecclesia asservari sub altari cappellæ sancti Salvatoris cum sancti Athanasii episcopi pignoribus fama est. Floruit temporibus Constantini ac Gregorii secundi Romanorum Pontificum, et Philippi, Anastasii, Theodosii et Leonis Isaurici imperatorum. Meminit etiam sancti Laurentii Joannes Diaconus in Chron. episc. Neap., quem sedisse ait annis quindecim, mensibus octo, ac diebus viginti sex. Habetur etiam mentio sancti Laurentii in Actis Sergii ejus successoris. *Hactenus* C *Chioccarellus.*

in cujus narratione circa durationem. 3 *Nunc paucis discutienda sunt ea, in quibus Chioccarellus a superiori narratione aliisque scriptoribus differt. Imprimis durationi episcopatus a Chioccarello assignantur* XV *anni, et* VIII *menses ex inscriptione supra data, in qua tamen alii tantum* XV *annos et* VI *menses legunt. Unde Antonius Caracciolus in libro de ecclesiæ Neapolitanæ monumentis cap.* XXXI, *pag.* 343 *ita confidenter pronuntiat :* Cum rexisset Laurentius Neapolitanam ecclesiam annos XV et menses VI, ad cælites transmigravit, sepultusque fuit in oratorio, ab ejus nomine nuncupato, quod in æde D. Januarii extra mœnia fuisse dicitur. Indicant id Acta S. Athanasii. Quando autem in metropolitanam ecclesiam, in qua et ejus imago in pariete depicta videtur, fuerit translatum, et simul cum Athanasii sacris cineribus collocatum, incertum est. *Eadem ex Caracciolo transcripsit Ughellus tom.* VI *Italiæ sacræ col.* 85. *At circa episcopatus durationem opinioni Chioccarelli adhærendum esse censeo, quia Joannes Diaconus in Chronico episcoporum Neapolitanorum, quod Beatillus noster ex bibliotheca Vaticana descriptum ad Henschenium misit, ita diserte loquitur :* S. Laurentius episcopus XXXV, sedit annos XV, menses VIII, dies XXVI.

AUCTORE G. C.

et initium ac finem episcopatus 4 *Observo præterea, Chioccarellum ab aliis auctoribus discrepare in figendo initio et fine Laurentianæ cathedræ : obitum enim illius differt usque ad annum* 729, *asseritque eum floruisse* temporibus Constantini ac Gregorii secundi Romanorum Pontificum, et Philippi, Anastasii, Theodosii et Leonis Isaurici imperatorum. *Interim Joannes Diaconus in Chronico jam memorato de* S. Laurentio *ita expresse scribit :* Hic fuit temporibus Joannis Papæ, et Tiberio et Justi- E niano secundo cum Tiberio filio Augustis; nec non et Philippico, Anastasio et Theodosio imperatoribus. *Vides, hic non memorari Leonem Isaurum, qui anno Christi* 717 *imperium adiit, adeoque* S. Laurentium *ante hunc annum obiisse admodum verosimile est. Huic nostræ sententiæ favet Caracciolus, qui loco proxime citato gravem Eugenii parachronismum corrigens, affirmat S. Præsulem mortuum esse* initio pontificatus Gregorii II, *puta anno* 716, *quando Gregorius iste secundum pontificatus annum agebat. Probabilius itaque existimamus,* S. Laurentium *cathedram Neapolitanam ab anno* 701 *usque* 716 *tenuisse.*

aliqua examinantur. 5 *Confirmatur opinio nostra ex laudato Joanne Diacono, qui de Sancti nostri prædecessore in Chronico ita scribit :* Julianus episcopus XXXIV, sedit annos VII, menses III. Fuit autem temporibus Sergii Papæ, et Leonis * Augusti usque ad quartum annum Tiberii imperatoris. *Quartus autem Tiberii Apsimari annus incidit in annum Christi* 701, *quo* S. Laurentius *Juliano præsuli Neapolitano succedere potuit.* F *Atque hoc pacto facile singula Joannis Diaconi verba explicantur, ut consideranti patebit. Parum a computu nostro abest Ughellus tom.* VI *Italiæ sacræ col.* 85, *ubi Laurentiani episcopatus initium anno* 702 *affigit.* Hæc pauca (*concludo verbis Caraccioli*) de Laurentio ad nos pervenerunt, destitutos ope codicum antiquorum. Quam monumentorum ecclesiæ Neapolitanæ jacturam utinam in uno Laurentio passi essemus! In aliis etiam episcopis id accidisse dolemus et ingemiscimus.

* *lege* Leontii.

DE

A D

DE S. AMBROSIO AUTPERTO ABBATE

IN MONASTERIO SANCTI VINCENTII AD VULTURNUM IN ITALIA.

G. C.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. Asserta Sancti appellatio, et rerum gestarum narratio cum ejus ætate non cohærens.

ANNO DCCLXXVIII

Asseritur Autperto titulus sanctitatis.

Celeberrimum quondam fuit S. Vincentii cœnobium, quod jam a multis sæculis ad fontem Vulturni fluminis in Samnio seu Beneventana provincia constructum fuerat; sed post varias vastationes hoc tempore a monachis desertum inconstantiam rerum humanarum demonstrat, ut testatur Angelus de Nuce abbas Casinensis, qui in notis ad Chronicon Casinense lib. I, *cap.* IV,
B *pag.* 102 *ita de illo scribit :* Distat hoc monasterium a Casinensi duodecim plus minus passuum millibus, crevitque ad amplissimam opulentiam et sanctitatem. Nunc undique solitudinem spirat et horrorem, omni monachorum cultu destitutum, abbati tantum, ut vocant, commendatario commissum. Omnia quippe orta occidunt, et aucta senescunt, donec in nihilum, unde sunt, relabantur. *In hac virtutum palæstra* Ambrosius Autpertus, *quo de agimus, tam strenue certavit, ut* sanctissimus *appelletur ab antiquo chronographo, qui istius monasterii historiam sæculo* XI *conscripsit. Quare Ughellus, Mabillonius, Castellanus aliique recentiores* sancti *aut* beati *titulum ipsi tribuunt, quamvis Martyrologi, etiam Benedictini, de tam egregio sui Ordinis Viro tacuerint. Nos igitur veteris chronographi auctoritate moti, et recentiorum scriptorum exemplo inducti, istum pium ac doctum Virum Actis Sanctorum inserimus, et jam ad ejus gesta et scripta illustranda accedimus.*

detectisque ali quibus parachronismis circa illius ætatem,

2 *Exordium ducimus ab illius chronotaxi, in qua figenda varii et eruditi auctores hallucinati sunt : nam Trithemius in opere de scriptoribus ecclesiasticis post enumeratas Sancti nostri lucu-*
C *brationes ita concludit :* Claruit sub Arnoldo imperatore, anno Domini DCCCXC. *Hunc incaute secuti sunt Bellarminus, Possevinus, Miræus, et editores Bibliothecæ Coloniensis, qui hunc* Ambrosium *inter Patres sæculi* IX *collocarunt. At eos toto sæculo a vera illius ætate aberrasse, patet ex ipsa clausula expositionis ejus in Apocalypsin, quæ in Coloniensi Patrum Bibliotheca tomo seu sæculo* IX *parte* II, *pag.* 540 *sic edita est :* Ambrosius qui et Ansbertus *(in plerisque codicibus Mss.* Autbertus *vel* Autpertus *vocatur)* ex Galliarum provincia ortus, intra Samnii vero regionem apud monasterium martyris Christi Vincentii maxima in parte divinis rebus imbutus; non solum autem, sed et sacrosanctis altaribus ad immolanda Christi munera traditus, operante beata et inseparabili Trinitate, suffragantibus etiam meritis beatæ Mariæ Virginis, temporibus Pauli Pontificis Romani, nec non et Desiderii regis Longobardorum, sed et Arrechisi * ducis ejusdem provinciæ, quam incolo, hoc opus confeci atque complevi, quodque propter facilitatem ipsum intelligendi SPECULUM PARVULORUM vocavi. *Atqui Paulus I Papa sedi Romanæ præfuit ab anno* 757 *usque ad* 767, *quando Desiderius ultimus Longobardorum rex adhuc rerum potiebatur, ut videre est apud chronologos passim obvios. Adde, quod chronographus Vincentinus diserte asserat,* Autpertum *feliciter ad Christum migrasse* anno Incarnationis Dominicæ DCCLXXVIII.

E

et res gestas,

3 *At quamvis in hac re chronographum Vincentinum laudaverim, nolo tamen ubique in controversiis chronologicis ipsi fidem adhiberi, cum se chronologiæ imperitum ostendat, quando in Actis, huic Commentario subjiciendis, num.* 2 *de* Autperto *ita scribit :* In regali aula divæ memoriæ Caroli imperatoris assumptus cum a cunctis diligeretur, maximeque ab eodem imperatore Carolo sive ejus genitore pio Pipino, cœpit ejusdem imperatoris magister et institutor esse prudentissimus, ipsiusque imperialis aulæ archicancellarius supra ceteros haberi strenuissimus. *Quomodo, obsecro, potuit esse magister et archicancellarius Caroli imperatoris (titulum imperatoris Carolus diu post mortem* S. Autperti *gerere cœpit) si ipse existens monachus in cœnobio Vincentino tempore Pauli I Pontificis, id est ante annum* 767, *et Desiderii Longobardorum regis, expositionem in Apocalypsin conscripserit? Cointius in Annalibus Francorum ad annum Christi* 754, *num.* 75 *hunc errorem ita corrigendum putat :* in Caroli imperatoris loco restituatur Carolus Major-domus, et Authpertus censeatur in amicitia fuisse cum apud Carolum Majorem-domus, tum apud Pippinum F regem ejus filium, qui Stephanum Papam in Italiam hoc anno reduxit. *Sed quæro, quomodo Carolo Martello seu Majori domus convenire possint ea, quæ in Actis nostris a num.* 3 *usque ad* 6 *narrantur. Si conjecturis indulgere liceat, suspicabor ego eodem jure, chronographum, homonymia deceptum, de* Autperto *Vincentino scripsisse ea, quæ forte Authperto Casinensi contigerunt, aut saltem ratione temporis contingere potuerunt : nam juxta Pagium aliosque chronologos Carolus Magnus anno* 787 *liberos Arechisi ducis Beneventani obsides accepit, et montem Casinum adiit, quando* Autpertus *abbas Vincentinus jam a novem annis obierat, qui tamen in Actis nostris tunc dicitur primum monasticæ vitæ amplectendæ licentiam a Carolo Magno impetrasse. Atqui hoc, habita temporis ratione, melius convenit alteri Authperto, qui tunc vitam monasticam amplecti potuit, cum anno* 837 *abbas Casinensis obierit, ut catalogi abbatum Casinensium testantur. Si cui hæc conjectura nostra non placeat, dicemus rotunde cum Mabillonio, hic auctorem perturbasse tempora.*

4 *Ob hanc rerum vel temporum confusionem non*

* lege Arechisi vel Arighisi

suspecta quædam diplomata rejiciuntur.

non parum de falsitate mihi suspecta redduntur diplomata, quæ idem scriptor Chronico suo inseruit: vereor enim, ne Caroli Magni nomine ea exhibuerit, quæ Carolo cuidam posteriori Francorum regi conveniunt, sicuti Carolo Magno adscribit unum, in quo narratur inventio corporis S. Peregrini, quæ Carolo tertio regi tribuitur tomo VI *Italiæ sacræ col.* 139 *et* 140. *Mabillonius in notis ad hanc Vitam dicit, sese Chesnii exemplo omisisse* alia suspectæ omnino fidei diplomata hic inserta. *Mabillonio, in discernendis diplomatibus exercitatissimo plurimum defero; at miror, quod diploma Caroli Magni, datum* XII Kal. Maii, XIII Indictione, anno Dominicæ Incarnationis DCCLXXV, *et huic Chronico insertum cum aliis non omiserit, quandoquidem, ipso fatente*, neque Indictio, neque annus Incarnationis apponi tum solebat, sed annus regni. *Addo ego, annum Christi* 775, *hic perperam assignari, cum* Autpertus *eo tempore nondum esset abbas, qualis in diplomate vocatur, et obierit anno* 778, *teste chronographo, quando abbatis officium gesserat* anno uno, mensibus duobus, et diebus XXV. *Quod si quis velit, hic aliquot numeros deesse,*
B *legendumque esse ad annum* 778, *meminerit, tunc Indictionem* XIII *male collocatam esse : nam anno* 778 *currebat Indictio prima. Præterea ipsum diplomatis initium falsum est, in quo Carolus vocatur* Romanorum imperator augustus. *Constat enim ex aliis diplomatibus, quod Carolus Magnus eo tempore se regem Francorum et Longobardorum, ac patricium Romanorum appellaverit, et tantummodo diu post* S. Autperti *mortem Imperatoris titulum assumpserit. Omnibus itaque expensis, hoc diploma cum aliis a Mabillonio rejectis, omitto. Interim illud legere licet apud Chesnium inter scriptores Galliæ tom.* III, *pag.* 677, *Mabillonium in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sæc.* III, *part.* II, *pag.* 264, *et Cointium in Annalibus Francorum tom.* VI, *pagg.* 150 *et* 151.

§ II. Sancti viri scripta, singulare virtutum Christianarum in iis studium, et Acta.

C

Varia S. Autperti scripta,

U*tinam chronographus Vincentinus, relictis diplomatibus, quæ paragrapho præcedenti rejecimus, distinctius exactiusque exposuisset* S. Autperti *virtutes, quas multas magnasque fuisse colligimus ex ejus scriptis, quorum examen hic præmittemus. Paulus Warnefridus, Sancto nostro synchronus, lib.* VI *de gestis Longobardorum cap.* XL *loquens de cœnobio S. Vincentii, sic ea occasione* Autperti *eruditionem laudat :* Monasterium beati Vincentii martyris, quod juxta Vulturni fluminis fontem situm est, et nunc magna congregatione refulget, a tribus nobilibus fratribus hoc est Tato, Taso, et Paldo, jam tunc ædificatum, sicut viri eruditissimi Autberti, ejusdem monasterii abbatis in volumine, quod de hac re composuit, scripta significant. *Sigebertus Gemblacensis in libro de scriptoribus ecclesiasticis cap.* XCI, *aliqua illius scripta, sic breviter recenset :* Ambrosius Autbertus scripsit librum de cupiditate; scripsit etiam libros decem super Apocalypsim et alia nonnulla. *Trithemius item agens de scriptoribus ecclesiasticis plura ipsius opuscula sic enumerat :* Ambrosius Ansbertus monachus et presbyter Ordinis sancti Benedicti, vir in divinis Scripturis studiosus et eruditus, ingenio mitis, et dulcis eloquio multos in sacris voluminibus commentarios edidit, quibus nominis sui famam ad posteros transmisit. Pauca tamen ad notitiam meam venerunt : reperi enim dumtaxat subjecta : In Cantica Canticorum lib. 1, *qui incipit :* Donum sapientiæ cum Sa. In Psalterium quoque lib. 1. In Apocalypsin Johannis lib. 10. De cupiditate lib. 1. Epistolarum ad diversos lib. 1. Claruit sub Arnoldo imperatore anno Domini DCCCXC. *Hunc parachronismum supra notavimus.*

AUCTORE G. C.

enumerantur,

6 *Idem auctor in Chronico monasterii Hirsaugiensis, quod anno* 1601 *Francofurti editum est, de nostro* Autperto *ejusque scriptis ad annum Christi* 900 *ita meminit :* Claruit his temporibus Ambrosius, qui et Ansbertus est dictus, monachus nostri Ordinis, vir tam in divinis Scripturis quam in secularibus litteris doctissimus : qui scripsit in Cantica Canticorum insigne volumen, in Psalterium quoque et Apocalypsin beati Joannis Apostoli; de cupiditate quoque non contemnendum opusculum, et quædam alia, quæ nobis jam ad memoriam non re- E currunt. *At nescio, quid in mentem venerit Trithemio (si editor non erraverit) quando in auctiori ejusdem Chronici Hirsaugiensis editione, quæ anno* 1690 *typis monasterii S. Galli prodiit, tomo* I *ad annum Christi* 898 *pag.* 50 *scribit, quod* Ambrosius, qui et Ansbertus, presbyter et monachus Lobiensis cœnobii fuerit. *Certe hic Trithemius errori chronologico geographicum addidit, cum liquido constet, hunc* Ambrosium *fuisse monachum et abbatem Vincentinum in Italia. Porro Mabillonius in observationibus præviis ad ejus Acta loco supra citato, Caveus aliique recentiores bibliocritici recte vindicant* Autperto *nostro quædam opuscula, quæ sub aliorum auctorum nomine edita fuerunt; ea vero, quæ cum Authperti Casinensis scriptis confusa sunt, examinat Joannes Baptista Marus Romanus in annotatione adc aput* XIII *Petri Diaconi de viris illustribus Casinensibus. Nos cum Labbeo nostro tom.* I *de scriptoribus ecclesiasticis pag.* 45 *judicamus, non esse hoc loco instituendam longiorem discussionem de duobus tribusve homiliis, ei attributis, cum vix certi quidquam possit afferri. Potius itaque eximias quasdam* F S. Autperti *virtutes ex ejus scriptis eruamus.*

in quibus animi ejus mansuetudo,

7 *Imprimis in epistola ad Stephanum Papam, expositioni Apocalypseos præmissa, egregiam erga suos obtrectatores mansuetudinem cum summa animi demissione conjunctam prodit his verbis :* Sed quid ego, beatissime Pater, quid ad ista nisi gaudere debeo? Qui si omnium tractatorum ultimus, tamen ex eo quod bonum prædicationis scriptis profero, obtrectatores . . . habere mereor. Quibus profecto lenius ego respondeo, quam alios respondisse invenio : quoniam illos canes et canino dente rodentes vocabant, et cetera si qua sunt injuriæ condigna : quia et sicut me illorum meritis imparem cerno, sic ab istorum objurgatione linguam refreno. Dixerunt illi, quod tales decuit audire, dicam ego, quod humilitati meæ sentio convenire. Valuit forte contra tales illorum aspera redargutio, valeat apud tales mea lenis deprecatio. Obsecro itaque vos, quicumque estis, qui in mea reprehensione vigilatis, per mansuetudinem Christi, qua estis præventi, obsecro vos per sanguinem

AUCTORE G. C.

nem Crucifixi, quo estis redempti, ut a detractione linguæ parcatis, dum in rectitudine verbi non invenitis, quod possitis offendi. Quod si vobis de vita et moribus indignis displiceo, pariter vobiscum sentio : nullus enim potius in hac parte me reprehendit, quam ego. Sed sicut sæpe pro defensione sacri verbi ingerere soleo, non est Deo indignum, per me etsi peccatorem, tamen utcumque Christianum, sua verba scriptis formare, quem dudum per sacrilegos et impios novimus prophetasse, Balaam scilicet, Saülem, et Caïpham. *Idem auctor similem suiipsius contemptum ostendit in epilogo post Vitam SS. Paldonis, Tasonis, et Tatonis, quam Mabillonius sæc.* III *Benedictino part.* I *a pag.* 423 *exhibet.*

studium sacræ scientiæ,

8 *Initio libri octavi in Apocalypsin indicat Vir sanctus, quibus studiis potissimum delectatus fuerit, et quomodo ad illustrandam Apocalypsin animum appulerit.* Rarissimos, *inquit,* tractatorum fidelium invenimus, quos non seculi litteratura prius imbuerit, quam ad divinas transierint enodandas Scripturas, quosque de Ægypto exeuntes, non Ægyptiorum divitiæ
B locupletassent, ut Hieronymum, Augustinum, Cyprianum, Hilarium, Ambrosium et alios multos, quod tamen mihi ultimo omnium evenisse minime cognosco : non enim oneratus divitiis exivi de Ægypto, quia nequaquam me in schola mundanæ sapientiæ erudiri contigit. Nihil mihi Plato, nihil Cicero, nihil Homerus, nihil Virgilius, nihil Donatus, nihil Pompeius, nihil Servius, nihil Sergius, nihil Priscianus contulit, sed si quid fortasse habere videor, hoc de horreo dominicæ prædicationis a Christo accepisse me fateor, non quo mihi et eorum scientia fuerit denegata, sed quo plus delectatus sim verbis humillimi piscatoris, quam superbissimi oratoris, plus divinis intenderim, quam humanis eloquiis. Et ut verum dicam, ecce coram Deo in Christo loquor, quia cum ad hoc opus transire vellem, modos divinæ locutionis ignorabam : qui si scire tunc potuissem, quantum laborem quantumque sudorem cælestium sacramenta deposcerent pertractanda, non solum hunc cunctis divinarum Scripturarum (ut mihi videtur)
C obscuriorem librum aggredi non præsumpsissem, verum etiam apertiora quæque tangere refugissem. Ingressus autem tam arduæ disputationis opus, verum fateor, quia (ut est humani ingenii præsumptio) prius docere, quam discere concupivi : sed egit hoc divina gratia, ut unde docere cupiebam, inde discerem; quatenus et docens discerem, et discens docerem. Et quia nunc usque id ipsum ago, fit miro omnipotentis Dei dispositionis ordine, ut quod heri nesciebam, hodie inveniam : et quod hodie cum magno difficultatis labore comprehendere non valeo, cras sine labore percipiam.

et religiosæ perfectionis,

9 *Quam ardenter cum studiis suis piam vitam conjungere desideraverit, circa finem libri decimi demonstrat, quamvis hic iterum more justorum se prius de peccatis accuset his verbis :* Inter hæc autem expleto in decem libris hoc valde laborioso opere, ductis post tergum mentis oculis, dum considero quæ et quanta per Christum potui, admirans stupesco. Qui ad me ipsum intuitum reflectens, vita me peccatrice vivere deprehendo, qui doctrinæ cælestis gratia fultus appareo. Sed cum ex alio D
opera Dei considero, magis de vita peccatrice pavens tremisco, quam de gratia admirans stupesco. Quis enim nesciat, Deum omnipotentem brutos asinæ sensus in modos humanæ locutionis distinxisse? Quis nesciat, Balaam hariolum ejusdemque asinæ sessorem de Christi adventu luculentissime prophetasse? Quis nesciat, Saülem reprobum regem inter sanctos prophetas spiritu prophetiæ repletum vaticinasse? Quis nesciat, Caïpham impiissimum remedia vitæ prophetando simul et nesciendo procurasse, et tamen neutrum eorum ad vitam beatam pervenisse? Et revera nihil prodest prophetia, ubi fuerit reproba vita. Nihil, inquam, prodest bene docere, et male vivere. O quam multi recta et vera docuerunt, et tamen secundum ea, quæ docuerunt, noluerunt vivere. Sed obsecro, mi Domine, doctor angelorum et hominum, ne in talium numero computes eum, qui emendatiorem vitam cum salubri doctrina arripere quærit. Et quia hoc ipsum, nisi a te acceperit, facere non potest, qui tribuisti scientiæ donum, quæso ut tribuas etiam vo- E
luntatem, studium, atque virtutem operandi bonum. Quod si voluntas, studium, virtusque operandi bonum non prosequitur scientiæ donum, satis mihi est Domine, stultum hebetemque esse : neque enim ideo patriam parentesque reliqui, ut mihi scientiæ dona largireris, sed ut perfectione virtutum ad vitam æternam perduceres. Nolo certe hanc commutationem. Quod si utraque non mereor, doctrinam scilicet atque operationem, aufer quæso doctrinam, tantum ut tribuas operationem virtutum. Quid enim mihi prodest aliis iter perfectum ostendere, et me imperfecte ambulare? *Utinam omnes, sacris studiis animum intendentes, hæc aurea verba alte cordi suo impressa habeant, sæpiusque secum atque attente revolvant!*

aliæque virtutes elucent.

10 *Denique initio libri noni humilis suiipsius accusator zelum suum erga salutem proximi satis declarat hoc modo :* Hinc Johanni, imo etiam Ecclesiæ in Johanne dicitur : Accipe librum et devora illum. Quibus utique verbis memetipsum loquendo percutio, qui accepto intelligendi ingeniolo, plerumque nulla co- F
gente necessitate, per inania diffluo : plerumque etiam sub obtentu prædicationis divinæ secularibus viris, plus quam decet, familiaritate conjungor. Cui contraria opponitur sententia, qua dicitur : Sapientiam scribe in tempore otii; et qui minoratur actu ipse percipiet eam. Sed in uno horum, quæ dixi, occurrit nobis magna consolatio : quia quo propter multorum utilitatem, caritate exigente, ad ima descendimus, eo valenter ad summa intelligenda consurgimus. Sed nec mirum, si hoc agentes plus scimus, cum scriptum noverimus : Plenitudo legis est dilectio. Inter hæc autem necesse est, ut cum familiari Scripturarum meditatione ad officium egredimur prædicationis, atque ab officio prædicationis ad familiarem rursum Scripturarum meditationem revertimur, solicita inquisitione nosmetipsos discutiamus, et quæ vel quanta sint, in quibus aut proficimus, aut detrimentum passi sumus, sagaci intentione perpendamus; quatenus hinc inde et formidine et spe animum pulsantibus, nec

elatio

A elatio per præceps impingat, nec rursum desperatio in profundi voraginem mergat. *Hæc utilia sibi aliisque animarum curam gerentibus documenta præscribit.*

De Actis hic edendis quædam præmittuntur.

11 *Nunc tantum superest, ut de Actis nostris pauca præmoneamus. Ludovicus Jacobus a sancto Carolo Carmelita anno* 1640 *ea descripsit ex monumentis Constantini Cajetani abbatis, qui verosimiliter ex antiquo Chronico Vincentino eadem desumpserat, quamvis Ms. nostrum hinc inde ab editionibus Chesnii et Mabillonii differat, ut in margine et annotatis observabimus. Mirum est, chronographum Vincentinum non meminisse controversiæ, quæ agitata est inter* Autpertum *et Pothonem occasione abbatialis dignitatis, ad quam* Autpertus *fuerat evectus. Ea aliunde nobis innotescit ex epistolis Adriani I Papæ, qui apud Chesnium tom.* III *de Scriptoribus Galliæ pag.* 788 *Carolo Magno ita scribit :* Ad nostrum judicium canonice simulque regulariter contentiones inter monachos venerabilis monasterii sancti Vincentii et abbates ejusdem monasterii, scilicet Autbertum et Pothonem, discuti atque examinari vestra direxit præcelsa regalis ex- B cellentia. Ipse quippe præfatus Autbertus abbas, dum callem itineris peragraret, repentina morte occupatus minime nostris Apostolicis valuit se manifestare præsentiis. *Reliqua legi possunt in eadem epistola apud Chesnium loco citato, et in altera apud eumdem tom.* III, *pag.* 796. *Jam* S. Autperti *Vitam ex Ms. nostro accipe.*

ACTA

Ex Ms. desumpto e monumentis D. Constantini Cajetani abbatis.

Auctor quædam præfatus

Quæ vero de sanctissimo abbate Autperto sequuntur, operæ pretium reor aliquantulum prolixius enarrare : equidem non ambigo, me meritis ipsius apud Deum posse juvari, cujus originem, actus, vel adventum in C hoc sacro cœnobio Christi levitæ Vincentii partim vetus scriptura tradidit, partim vero, sicut venerabilium patrum fidei * relatione didici, pariter comprehendens, et ad laudem Dei nostri omnipotentis scribens, posteris perfectionem rectæ religionis ac exemplum proferimus perseverantiæ justi laboris pro Dei amore decertantibus in sacri cœnobii institutis ; ut quicumque aspiciens hujus contempletur nobilitatem, seque quantocius a seculi convertat vanitate, hujus attendens prudentiam et caritatem, avidius Christi sectetur humilitatem, et eo magis, si seculi divitias alacriter studuit calcare, de sibi promissa in cælis a Domino gaudeat felicitate : si pauper vero propriam abrenuntians voluntatem, sub jugo sanctæ regulæ Deo se professus est militare, noverit, se jam non de crastino debere cogitare ; sed meminerit, quoniam et humiles spiritu Dominus dignabitur salvare.

* an non fideli?

narrat, quomodo Autpertus,

2 Hic quidem sanctissimus Pater Galliarum provinciis oriundus, parentibus admodum Christi religione et seculi claritate * clarissimus, * ut luciferi solis radius, Christianitate conspicuus enituit : qui nimirum cum puellares ageret annos, litterarum studiis traditus, totis viribus innocenter Christi mandata custodiens, tam divinæ quam mundanæ philosophiæ verus Christi philosophus efficaciam * adeptus est. Post quod in regali aula divæ memoriæ Caroli imperatoris assumptus, cum a cunctis diligeretur, maximeque ab eodem imperatore Carolo sive ejus genitore pio Pippino, cœpit ejusdem imperatoris magister et institutor esse prudentissimus, ipsiusque imperialis aulæ archicancellarius *a* supra ceteros haberi strenuissimus : et cum a cunctis veneraretur atque attolleretur sibi jure dignis laudibus præcipuisque obsequiis, tamen ille pii pectoris simplicitatem et puræ caritatis sinceritatem custodiebat attentius.

* al. dignitate

* Ex Ms.

* al. clarissimis

* al. efficacia

aulicus Caroli regis Franciæ,

3 Sed cum his temporibus monasterium beati martyris Vincentii super Vulturni fluminis fontem a sanctis patribus Paldone *b* Tutone *c*, et Tazone *d* esset constructum, magnaque ibi sanctorum Deo famulantium congregatio permaneret, quæ præcipuis pene tunc tem- E poris Italiæ monasteriis præferretur, factum est, ut eorum sanctæ religionis opinio longe lateque fragrans etiam ipsius clementissimi imperatoris Caroli perveniret ad aures : qui ductus divino amore præcipueque suasus ab eodem suo venerabili magistro et archicancellario Autperto, primitus quidem hujus opinionis veritatem explorare voluit, misso ad idem monasterium suo apocrisiario *e* : dehinc magna stipatus caterva potentum Romam veniens ad primi Principis Patris * limina oraturus, et ut ecclesiarum, populi, et patriæ excidium ulcisceretur, peractis necessariis rebus, cum maxima multitudine tam religiosorum episcoporum vel abbatum, quam sequentium comitum ac marchionum, ad idem dignatus est accedere monasterium. Ubi qualiter dignissime a sanctis patribus susceptus, quamque ipse ibidem humiliter sit ingressus, in libro vitæ eorum plenius continetur ; quod ex præcepto domini Tazonis abbatis a venerabili Petro presbytero et monacho sacri cœnobii satis lucido descriptum est. F

* al. Petri

post ejusdem regis iter in Italiam,

4 At cum idem serenissimus imperator post dona magnifica, quæ ibidem contulerat, postque firmatis regali præcepto longe lateque possessionibus, sanctorum patrum vestigiis prostratus, illorum se diutius orationibus commendans, sumptis benedictionibus, festinanter vellet reverti, vir Domini Autpertus contemplatus piæ conversationis exempla in sanctis patribus, admodum mirabatur ; jamque ejus animus his se similem fieri delectabatur. Hoc denique evoluto tempore, Carolus rex *f* Beneventum aggressus, diutina obsidione cives vexabat ; sed ei ad capiendum omnino urbs difficilis erat. Interea Arichis ipsius civitatis princeps pia consideratione civium saluti consulens, datis obsidibus duobus liberis, cum eo paciscitur : inde rediens rex B. Benedicti *g* monasterium petiit, orationibus servorum Dei se commendans plurima ibi dona largitus est, et regali præcepto quæque possederant confirmavit, adjungens et alia multa. Ad monasterium quoque Christi martyris Vincentii datis ex parte sua magnis muneribus

ex MS. * *al.* Ætheri-.n *h*

ribus tam venerabilem virum Autpertum quam et magnificum Alcuinum * *h* regiæ æque aulæ magistrum reverenter transmisit, qui sua pia vota fideliter Dei servis deferrent.

in cœnobio S. Vincentii monasticam vitam amplexus fuerit.

5 Tunc ergo venerabilis Dei famulus Autpertus, ductus amore sanctæ religionis, regiis vestigiis semetipsum prosternens, orat se jam Deo militaturum; relictis mundanis tumultibus, in B. Vincentii monasterio usque ad finem vitæ libentissime persistere velle, ac pro ipsius regis salute Deo se donari proposuit. Quod rex audiens, multis effusis lacrymis pro devotione Viri, licet magnis ejus videretur destitui subsidiis, tamen postulatus a multis, annuit impetratis. Hujus exemplo plurimi ex aula regia militiæ cingulum deponentes in sancto proposito religionis ei adhæserunt, et omnia, quæ habere videbantur, ac si non visa, pro Dei amore penitus dimiserunt. Sanctæ igitur religionis habitum Vir Dei indutus omnibus se inferiorem ita intimo credebat sui cordis affectu, ut nihil omnino scire * vellet, præter quæ ab abbate dabantur quotidiani victus necessaria; quæ quidem et ipsa ceteris paribus * sumere videbatur: et cum esset in aula regia admodum delicatus, ita se ipsum divinis mancipabat obsequiis, ut nulla illi hora vacua præteriret, qua vel insisteret orationi, vel in lectione divina ejus animus versaretur.

* *forte* cibi

* *an non* patribus?

B

sacris studiis operam dederit.

6 Denique, ut comperimus, plurimos sanctarum Scripturarum libros exposuit: nam Leviticum Moysi, Cantica Salomonis, Psalterii flores melliflua suavitate, quæ in his divina maneant arcana sacramentorum, quæve uniuscujusque fidelis disciplina morum, sive Christi observatio mandatorum, suorum edisserens patefecit documento verborum. Librum quoque de conflictu vitiorum, sed et homilias aliquas Euangeliorum pulcra suorum edidit declaratione sermonum. Vitam etiam beatorum patrum Paldonis, Tutonis et Tazonis cum historia sui monasterii plena relatione describens cunctis in exemplum monachis ita proponit, ut divinæ munere Trinitatis, tam præcipue caritatis quam amore pro Christo paupertatis, tres illos fratres speculum ostendat esse normamque vivendi. Testatur hoc etiam venerandus Paulus Diaconus in historia quam de Longobardorum adventu tunc temporis in Italiam descripsit, ubi eumdem virum eruditissimum Autbertum et ejusdem monasterii abbatem fuisse commendat *i*.

C

i

singularem a Deipara favorem obtinuerit.

7 Fertur præterea, quia cum quadam die idem felicissimus pater Autpertus in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ prolixe Domino preces funderet, et eamdem Dei genitricem sedulo interpellaret oratu, ut sibi linguæ disertitudo largiretur (fuerat quippe aliquantulum impeditioris linguæ) tunc subito soporatus ante sacrum altare adesse sibi conspicit in visione beatissimam et gloriosissimam mundi Dominam, perpetuam virginem Mariam, læta facie et ultra solis splendorem rutilantem: quæ quasi annuens deprecanti tetigit labia ejus, eumque de pavimento surgere jubens, deinceps suæ laudis vota persolvere ac præconia attollere, ut ipse jam desideraverat, monet, seque illi semper præsentem adesse promisit. Lætus ergo de visione surgens, quæ fuerat jussus, ore facundo cœpit persolvere laudes, et carmina digna reddebat alacri corde.

a *tandem pie in abbatis officio ad Superos migraverit.*

8 Hic Pater sanctus cum in eodem venerabili monasterio pretiosi martyris Christi Vincentii per plures annos Domino deserviret, jamque cunctis in exemplum foret recte vivendi, defuncto ejusdem sanctæ congregationis venerabili abbate Joanne, licet invitus ac renitens, sacri regiminis locum post S. Paldonem septimus *k* ipse suscepit: namque ex tunc susceptam gregis curam ita digne agere satagebat, ut cunctis aperto cælestis Regis thesauro, veras divitias mundanis opidus præferendas fidei devotione agilius capere non solum sermonibus, sed etiam sibi subjectos suis doceret moribus; et forma fieret gregi, sicut beatus docet Apostolus: hic namque a dignæ memoriæ Carolo rege * inclytum sui monasterii præceptum obtinuit hujusmodi *l*...... Expleto itaque in sancto regimine venerandus abbas Autpertus anno uno, mensibus duobus, et diebus xxv, justi operis palmam percipiens feliciter migravit ad Christum anno Incarnationis dominicæ DCCLXXVIII, Indictione II *m*, die XIX Julii in beati Petri ecclesia *n* digno sepulcro locatus *o*.

k

* *al.* imperatore

l

m

n

o

E

ANNOTATA.

a *De his parachronismis satis diximus in Commentario prævio.*

b *Paldo unus ex tribus primis monasterii Vincentini fundatoribus, et primus abbas obiit* V *Idus Octobris anno* 720, *ut scribit* Autpertus *noster apud Mabillonium in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti sæc.* III, *part.* I, *pag.* 430.

c *Ab* Autperto *vocatur Tato, diciturque meritis plenus ex hac vita migrasse* III *Idus Decembris anno* 739.

d *Hujus abbatis gesta etiam descripsit* S. Autpertus, *asseritque eum mortuum esse anno* 729 *die* XI *Januarii, quo de ipso in Actis nostris meminit Bollandus, quamvis tunc necdum haberet illa monumenta, quæ postmodum in lucem producta sunt.*

e Apocrisiarius *varias habet significationes, ut videri potest apud Cangium in Glossario; sed hic videtur significare legatum regis.*

f *Hinc usque ad finem, ut in margine notavit Papebrochius, correctio accessit delendo nomine* imperator, imperialis, *et substituendo* rex, regalis, *quod etiam factum in diplomate.*

F

g *Carolus Magnus monasterium Casinense adiit anno* 787, *adeoque auctor Actorum hic res vel tempora confundit, ut diximus in Comm. prævio.*

h *Mabillonius mavult hic legere Ætherium vel Itherium, quia apud Chesnium tom.* III *Script. Galliæ pag.* 760 *dicitur quidam Itherius in partes Beneventani ducatus profectus esse.*

i *Hoc Pauli Warnefridi testimonium in Commentario prævio citavi. Porro idem chronographus post Vitam* S. Autperti *de illo ita scribit:* Libet in hoc loco aliqua inferre de Paulo Diacono: siquidem et ipse de nostris quædam reverenti stylo descripserat, et cum hoc venerabili patre Authperto maxima illi fuerat cognitio.

k *Mabillonius abbates S. Vincentii sic enumerat: Paldo, Tato, Taso, Atto, Herempertus, et Johannes, quibus successit* Autpertus. *Vide eorumdem abbatum catalogum apud Ughellum tom.* VI *Italiæ sacræ col.* 470.

l *Hoc*

A l *Hoc diploma cum ceteris hic omisi; cujus omissionis rationem vide in Commentario prævio.*

m *Eo anno proprie currebat Indictio prima, quamvis Cointius explicet per secundam jam inchoatam.*

n *Hanc, ni fallor, ecclesiam indicat Ughellus tom.* VI *Italiæ sacræ col.* 470, *quando de Attone* IV *istius monasterii abbate agens sic loquitur :* Abbas iste construxit in eodem monasterio ecclesiam S. Petri apostoli.

o *Quamvis* S. Autpertus *jam tum esset* digno sepulcro locatus, *tamen postea adhuc honorificentiori loco videtur positus fuisse, ut colligo ex his chronographi Vincentini verbis :* Post ultimam desolationem ecclesiæ cum fama celebri didicissemus, aliquos ad corpus Josue divina sæpe sensisse beneficia, illius ossa et venerabilis Autperti, et aliorum patrum antiquorum hoc in loco attulimus, atque in sarcophago grandi posuimus, cum domni abbatis Hilarii corpore. *Notat Mabillonius, hunc Hilarium obiisse anno* 1044. D

DE S. AUREA VIRGINE ET MARTYRE

CORDUBÆ IN HISPANIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS. G. C.

Sanctæ patria, stirps, vitæ professio et cultus.

B

ANNO. DCCCLVI. *S. Aurea ex stirpe Arabica in Hispania nata,*

Humanæ imbecillitatis exemplum, et divinæ misericordiæ argumentum præbet hæc sancta Virgo et martyr, quæ prius Mahometani tyranni minis exterrita, saltem ore Christum negavit, sed deinde intrepida et constanti Christianæ fidei confessione de tyranno triumphavit, ac fuso sanguine culpam suam eluit. Nata hæc erat in Hispania, ut S. Eulogius in Actis num. 1 *indicat, ex præcipua Arabum nobilitate, atque ipsi Mahometano judici consanguinitate jungebatur. Soror fuit sanctorum martyrum Adulphi et Joannis, quorum festum die* XXVII *Septembris celebratur. Ex his autem colligo, matrem ipsi fuisse Artemiam, de qua idem S. Eulogius in Memoriali Sanctorum lib.* II, *cap.* VIII *ita scribit :* Sanctam vero hanc virginem *(nempe Mariam martyrem)* Deo devovens, Cuteclarensi cœnobio, quod gloriosæ et semper Virginis Mariæ Genitricis Domini fulget memoria, consignavit, constituens eam apud quamdam summæ sanctimoniæ feminam, Artemiam nomine; quæ et ipsa geminum pignus per martyrialem obitum olim cælo pro- C miserat, Adulphum scilicet et Joannem, qui in primordio regni principis hujus viriliter de hoste triumpharunt . . . . Artemia igitur gratia sanctitatis, provectæque ætatis, seu obtentu martyrum filiorum, ceteris in eodem cœnobio commanentibus feminis antecellens, totius monasterii virginalis conventus jussu auctoritatis ejus intendebatur. *Hinc igitur constat, Artemiam fuisse matrem* S. Aureæ, *cum illa sanctos martyres Adulphum et Joannem fratres habuerit, sicuti initio Actorum dicitur.*

a Carmelitis perperam Ordini suo adscribitur :

2 *Dubitari posset, quodnam vitæ genus* S. Aurea *fuerit professa. S. Eulogius, eam vixisse* in cœnobio Cuteclariensi et fuisse . . . non solum Christianam, verum etiam sacræ devotionis insignitam stigmate. *Hinc lis oritur inter Carmelitas et Benedictinos, dum uterque Ordo hoc cœnobium sibi vendicat. Joannes Baptista de Lezana in Annalibus Carmelitanis tomo* III, *pag.* 414 *et sequentibus fuse probare nititur, cœnobium Cuteclarense aliaque quædam vicina non ad Benedictinos, sed ad Carmelitas eo tempore pertinuisse. Marcus Antonius Alegre de Casanate in Paradiso Carmelitici decoris pag.* 238 *agens de monasteriis quibus-* E *dam Hispaniæ inter alia sic scribit :* Cuteclarense sub obedientia quoque Tabenensis efflorens, et Abbatiæ Generali Carmeli, ut cetera alia, subjectum, sub nomine S. Mariæ, ad partem visebatur occidentis prope Pinnaflorem. Hujus monachis Frugelius præerat abbas, sicut virginibus Artemia sacris. Claruit multa sanctitate lucidum : habuit enim, ut omittamus ceteros, S. Petrum Astigitanum sive Ecijensem, Walabonsum, Sabinianum, Mariam, et S. Auream inclytos martyres Christi. *Didacus de Coria, apud Tamayum citatus, etiam* S. Auream *Ordini Carmelitano adscribit. Sed ipse Tamayus, non difficilis alioqui similium approbator, in suo Martyrologio Hispanico* XIX *Julii saltem hic est verba opportuna locutus :* Procul dubio, *inquit*, errorem contraxit R. P. F. Didacus de Coria Histor. Carmelit. lib. II, cap. XVII, credens absque historica suffragatione, S. Auream fuisse ex Carmelitarum Ordine alumnam, cum contra ejus placitum sint totius traditio· is et scriptorum auctoritates.

F *nec certum est, eam Ordini S. Benedicti accensendam esse.*

3 *Martyrologi, aliique scriptores Benedictini contendunt,* S. Auream *martyribus Ordinis sui annumerandam esse. Inter alios Bucelinus in suo Menologio ad hunc diem ita loquitur :* Aurea illustribus admodum vetustissimisque orta natalibus, relicto seculo, monachicæ vitæ institutum in celebri virginum nostrarum Cuteclarensi cœnobio professa, sanctos Adulphum et Joannem lectissimos Christi martyres, fratres germanos habuit. *Possem hanc controversiam partibus litigantibus agitandam relinquere; sed quia curiosus Operis nostri lector plerumque judicium nostrum exspectat, dicam breviter, quod sentio. Imprimis nullo modo mihi sit verosimile,* S. Auream *Ordini Carmelitano annumerandam esse. Neque tamen hinc statim sequitur, eam fuisse Benedictinam : quamvis enim Eulogius dicat, illam in cœnobio vixisse, et peculiari sacræ devotionis stigmate seu velo insignitam fuisse, inde inferri non potest, eam stricti nominis religiosam fuisse, ac tria substantialia religionis vota emisisse. Sic hodiedum in Belgio virgines, quas vulgo Beghinas vocamus, velum accipiunt, ac tamquam in cœnobio simul habitant, et tamen novimus, eas non esse stricte dictas religiosas. Imo S. Augustinus serm.*

AUCTORE G. C.

serm. XXIII *de verbis Domini testatur, hujusmodi virgines communiter appellatas fuisse* sanctimoniales. *Plura de hac re vide apud Bollandum nostrum* X *Februarii in Commentario prævio ad Vitam S. Scholasticæ* § III, *et apud Christianum Lupum in notis ad librum Tertulliani de Præscriptionibus, scholio capitis tertii, a pag.* 40. *Si tamen scriptores Benedictini liquido ostenderint, cœnobium Cuteclarense tunc ad Ordinem suum pertinuisse, libenter eorum sententiam amplectemur.*

Ejus cultus ex Martyrologiis: et Acta ex S. Eulogio.

4 *Cum de Virginis ac martyris nostræ sanctitate satis constet, miror, Usuardum de ea non meminisse, præsertim cum die* XXVII *Septembris duos illius fratres Adulphum et Joannem Martyrologio suo inseruerit. Silentibus igitur antiquis martyrologis, aliquot recentiores enumerabimus. Galesinius hac die sic habet :* Cordubæ item sanctæ Aureæ virginis et martyris, quæ nobili genere nata, Joannis et Adulphi martyrum soror, aliquando lapsa, post facinoris intime pœnitens, iterum accusata, libere constanterque fidem professa, libenti animo datis pro Christo cervicibus, martyrium subiit. *Martyrologium Romanum eamdem Martyrem brevius annuntiat hoc modo :* Cordubæ sanctæ Aureæ virginis, quæ aliquando lapsa, sed facti pœnitens, iterato certamine hostem effuso sanguine superavit. *Eamdem phrasim imitati sunt Wion, Menardus, Bucelinus, aliique, qui a Tamayo hac die citantur. Porro hi omnes sua hauserunt ex S. Eulogio presbytero Cordubensi, qui tribus annis post* S. Auream *etiam martyrii laurea donatus est, uti probavimus in ejus Vita ad diem* XI *Martii illustrata. Acta hujus Virginis ab hoc sancto Viro ita conscripta sunt, ut præter jam dicta vix quidquam in iis notandum occurrat. En ipsa.*

ACTA

AUCTORE S. EULOGIO COÆVO

Ex Memoriali Sanctorum lib. III, *cap.* XVII, *quod tomo* IV *Hispaniæ Illustratæ editum, et cum Coloniensi Patrum bibliotheca tom.* IX, *part.* I, *col.* 679 *collatum est.*

S. Aurea vivens in cœnobio Cuteclarensi,

Ea tempestate virgo quædam nobilis, nomine Aurea, sanctorum Adulphi et Joannis martyrum, de quibus in præcedentibus memoravimus, soror, quæ a tempore collisionis eorum, devotionis præmio fungebatur, cum revelatis sacræ religionis studiis in cœnobio Cuteclariensi, quod antiquitus sanctæ et gloriosæ Virginis Mariæ nomini dedicatum est, commaneret per annos fere triginta et amplius, cunctis fidei suæ notitiam donans, nec ullis adumbrata pavoribus, conversationem Christianismi sui patulo gerebat congressu. Et quia erat stemmatis ortu præcincta, grandique fastu Arabicæ traducis exornabatur, nullus exterorum Virginis fidem incursare * audebat, donec quidam suorum ex provincia Hispalensi, unde genus trahebat, divinitus, ut arbitror, concitati, quo jam debita ante mundi constitutionem Virgini corona martyrii pararetur, et præstantius in cælestibus de consummato lætaretur triumpho, causa explorandi ad se perlati rumoris, fidem ac propositum Virginis venientes, callide contribulam suam gratia hospitandi * sese invisere mentiuntur. Quam non solum Christianam, verum etiam sacræ devotionis insignitam stigmate *a* conluentes, confestim de ea judici referunt quæstionem; qui et ipse jure nativitatis eidem Virgini concretis adhærebat prosapiis.

* forte incusare

* al. sospitaudi

accusatur apud Mohemetanum judicem, a quo territa fidem negat;

2 Tali ergo stimulatus relatione, suis eam assistere jubens obtutibus, quare se tam nobiliter auctam famulatu fidei Christianæ degenerem reddiderit, vilique proposito tam præcelsi generis infecerit infulam *b* clementi admodum exhortatu compellat. Sed poteris, inquit, quam propere totis absolvi pæ-doribus, debitamque interpolatæ originis recipere claritatem, si tui gerens consultum, fidei nostræ cultibus intimis te votis admittendam elegeris, summisque nobis affectibus parens, quod sequimur, sequaris, et quo ducimur *, ire contenderis. Si vero et contemptos nos, et etiam, quæ colimus, abrogaveris, et illos, quos hactenus æmulata es, intuitu fidei sectare decreveris, post varia diræ cruciationis tormenta, post multiplicium dolorum immensa supplicia, quæ merito tanti criminis rea rependens *, postremo turpissimæ mortis supplicium incurres. Ferunt, eodem momento Virginem sub judicis objurgatione cessisse, et omne sibi imperatum libenter exequendum polliceri. Et quia melius de rebus [non] *c* expertis silendum est, quam procaciter incognita ventilare, cujus rei obtentu hæc ipsa negatio Martyrem futuram subrepserit, utrum formidine carnis, an causa disponendi rem familiarem, incompertus testificare non audeo, nisi forte ex subsequutis eventibus, quibus postmodum obstinanter in professione perdurans, promeritam adepta est lauream, ut sese conjectura arbitratus humani habet, carnis illam infirmitate non succubuisse credamus.

* forte ducimus

* al. repen des

sed postea facti pœnitens,

3 Igitur post auditam judex oris ejus professionem, qua juxta omnes ritus legis suæ degere spoponderat : illico abeundi, quocumque vult, sibimet libertate collata, e vestigio domum regreditur. Ac sicut prius militans Christo nullatenus a proposito sanctæ fidei desuevit, nec a fidelium contubernio se passa est disgregari; quin potius illorum persæpe se cœtibus conserens, quos pietatis religio perlustrabat, condignis fletibus affectuque interno lapsum linguæ deplorans, spei suæ veram fiduciam ad Redemptoris alligat indulgentiam, si forte reatu prævaricationis obnoxiam famulam non repellat, qui adulteram ab exitio lapidationis eripiens, Petrum a maris fluctibus incubantem Apostolico futurum primatu receptat, furemque patricidio coinquinatum, suo comitatui paradisum lustraturus admittit. Nec obesse fidebat prælargæ et incomparabili Domini pietati inutilis famulæ momentaneum crimen, apud quem multimoda miseratio et redemptio copiosa et exuberans prævenit gratiæ dono indignos, et, quibus strenui laboris stipendia nulla suppeditant,

A peditant, consulta pietate justificat. Auget præterea Virgo sancta compunctionem, studium lamentationis multiplicat, votis vota congeminat, et duplicato mœrore affectuque mentem perurgens, ne supremo examine aut de scelere condemnata æterno mancipetur supplicio, aut a consortio fratrum suorum Adulphi scilicet et Joannis martyrum beatorum congruis meritorum repagulis detrudatur, felicibus votis adnititur.

publice religionis Christianæ fervertia obit,

4 Exin claro intrepidoque processu frequenter ecclesiam adiens, jam jamque in virtute Domini roborata, terrenis abstracta contagiis et cælesti curiæ anhelat adscribenda: si forte cujusquam recidivo contestationis eventu in jus denuo mitteretur. Sed hæc callidus veterator non leviter ferens cum fideliori conciliatu nuper elapsam, creatori suo nunc quam antea militare intelligit, nec in aliquo penitus profuisse circumventionis suæ præstigium contuetur, quin injecto stupore nescio cujus habitudinis * transversam Virginis linguam a professione veritatis leviter et perfunctorie contestaverat ore, non corde fuisse

* al. hebetudinis

B sublatam advertens: haud dubie condæmonibus de extenuato cursu conqueritur dicens: Hæc celebs pridem me labiis fortuito honorans, modo cor ejus præcinctum virtute superna, grandi objectu a meis disparatur illecebris. Et idcirco quemdam in persequutionem beatæ Virginis, pruritans denuo, ad perquirendam tyronem fidei suæ compulit.

et denuo accusata Christum intrepide confitetur.

5 Nonnulli interea gentilium ejus explorantes conversationem, nihilominus juxta priorem habitum Christi Famulam reperientes, illico de ea coram judice questum deponunt, crimen asserunt, dolosque prætendunt, et ut tanti abusus præsumptioni vindex occurrat, talesque ausus legali auctoritate percellat, perversis linguis contendunt. Qui protinus vehementi ira commotus, ferocium truculento satellitum ministerio suis eam attrahere conspectibus jubens, illico exhibitam de contemptu nuper adepti cultus redarguit, de neglectu promissi comminatur propositi, et cur tanti juri * decretum non reverita sit, horrisonis percontatur clamoribus. Tum Virgo, quæ se noverat ad tale jam divinitus electam certamen, ut erat prudentioribus di-

* al. juris

C serta facundiis, sancto jam perlustrata respectu, judici refert: Numquam a Christo Deo meo separata sum, numquam a religione pietatis ejus discessi, numquam profanationibus vestris vel ad momentum inhæsi, licet dudum coram te, lapsu quodam sermonis, lingua succubuerit. Erat autem cor meum fiduciam habens in Domino, qui me suarum promissionum introrsus adminiculis erigebat dicens: Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet. Inde quamvis verbotenus laqueum prævaricationis incurrerim, vivido tamen sanctæ credulitatis tenore cor præmunitum gerebam. Nam statim quo a te digressa sum, et votis et affectibus lachrymosis, quem ab infantia mea didiceram, cultum exercui, fidem servavi, propositum gessi. Restat ergo jam nunc, ut secundum profanationis vestræ ritum aut gladio vindice puniar: aut si inultum præterire factum hujuscemodi potest, de reliquo tota me libertate ad cohærendum Christo Domino prætermitte.

EX IMPRESSIS.

et die XIX Julii palmam martyrii obtinet.

6 Tunc immanissimus arbiter, Virginis assertione succensus, facturus de ea regi relationem, ergastulis mancipavit, ingentique vinculorum onere coarctavit; quam alio die per decretum principis gladio trucidans, confestim examine corpus ejus cujusdam homicidæ patibulo, qui ante paucos dies affixus fuerat, capite deorsum suspendi præcepit: cujus beatum cadaver cum ceteris furum membris, qui tunc ob flagitium interempti sunt, Bæticis *d* immersum gurgitibus, nullum hactenus comparendi vestigium præbuit *e*. Christus autem Deus et Dominus noster, qui est d e
E adjutor bellantium, et martyrum coronator, qui dat lassis virtutem, se quoque requirendi affectum insinuans, providam pulsandi januam misericordiæ suæ confert intentionem, multimodo rerum effectu secundum placitam sibi dispensationem præscitam et prædestinatam ante mundi principium, ad coronam martyrii famulam suam in pace suscepit: cui est honor et gloria, virtus et potestas in secula seculorum Amen. Coronata est hæc Virgo XIV Kalendas Augusti, Era qua supra *f*. f

ANNOTATA.

a *Ambrosius Morales in notis ad hunc locum per stigma intelligit velum capitis, quod virginibus imponi solebat. Id antiquitus virginibus etiam non religiosis dari solebat, ut indicavimus in Commentario prævio num.* 3.

b *Per* infulam *hic metaphorice significatur stirpis dignitas, ut ex sensu colligitur.*

c *Monet Morales, in veteri Ms. tantum legi* expertis, *et* non *amanuensis oscitantia haud dubie omissum fuisse, cum sensus negationem exigat.* F

d *Bætis notissimus Hispaniæ fluvius, qui nunc vulgo voce Arabica appellatur* Guadalquivir, *id est* fluvius magnus.

e *Neque postea umquam illius reliquiæ comparuerunt, uti testantur scriptores Hispani.*

f *S. Eulogius capite præcedenti agens de S. Argimiro martyre, cujus Acta ad diem* XXVIII *Junii illustravimus, signaverat æram* DCCCXCIV, *cui respondet annus Christi* 856. *Patet itaque* S. Auream *eodem anno* 856 *passam esse.*

DE

DE S. BERNOLDO SEU BERNULPHO EPISCOPO ULTRAJECTI IN BELGIO.

G. C.

SYLLOGE HISTORICA.

Sancti cultus, gesta, miracula, sepulcrum et reliquiæ.

ANNO MLIV. Sancti cultus ex Martyrologiis probatur.

Quamvis hic beatus Præsul tantum in paucis recentioribusque Martyrologiis memoretur, tamen jure quodam suo locum in Actis nostris exigit · cum aliunde de immemorabili ejus cultu satis constare videatur, uti probare conabimur, postquam aliquot Martyrologorum verba, quorum auctoritate hæc potissimum definiuntur, more nostro præmiserimus. Matricula Carthusiæ Ultrajectinæ in Auctariis Usuardinis, eum sic memorat ad diem* XX *Julii :* Bernoldi episcopi Trajectensis, qui apud sanctum Petrum quiescit. *Grevenus in iisdem Auctariis sic habet :* Item beatæ memoriæ Bernoldi episcopi Trajecti inferioris et confessoris. *Ferrarius eumdem Sanctum suo Catalogo generali sic inseruit :* Trajecti ad Rhenum, S. Bernulphi episcopi ejusdem urbis. *Ejusdem sancti Præsulis meminit Canisius noster in suo Martyrologio Germanico, sed nescio, qua auctoritate ipsum Lugduni in Gallia collocaverit. Saussayus in Martyrologio Gallicano ita illum pluribus verbis annuntiat die* XX *Julii :* Ultrajecti, depositio sancti Bernulphi, episcopi et confessoris, viri divini cultus amplificandi admodum studiosi, atque pontificiæ virtutis perfectæ exemplaris, qui cum vivens maxima pietatis insignia edidisset, tum eximiæ conversationis actibus, tum sacrorum ædificiorum magnifica excitatione, defunctus etiam miraculis emicuit copiosis, ob quæ e tumulo levatus, atque in choro ecclesiæ sancti Petri, quam exstruxit, collocatus, devotæ plebis, quam præsidiis perpetuis juvat, continua frequentatione religiose honoratur. *Nescio, cur martyrologus ille elogium ejusdem Sancti, mutata phrasi, ad diem* XIX *Julii in Supplemento repetat. Castellanus in suo Martyrologio universali etiam hunc Episcopum* sancti *titulo donat. Atque hæc sunt, quæ apud martyrologos inveni.*

Beka miram istius Præsulis electionem narrat,

2 *Historici etiam insignem hunc Virum scriptis suis celebrarunt. Joannes de Beka, canonicus Ultrajectinus, qui ante medium sæculi* XIV *floruit, miram illius promotionem ad episcopatum in suo Chronico sic narrat :* Cum Adelboldus episcopus defunctus esset, et quotidianus tumultus in electione novi pastoris contentiose foret, Conradus rex Trajectum descendit ad supprimendam discordiam, adducens secum Ghiselam reginam, uxorem suam. Sed quoniam eadem regina diebus illis erat gravida, quinimo puerperio proxima, ideoque jam dictus rex locavit eamdem in pago de Oosterbeke apud quemdam presbyterum, cui Bernulphus proprii nominis erat vocabulum. Rex autem ad urbem Trajectensem confestim se transtulit, et capitulum ad unionem pacis informare studuit. Demum invalescente discordia graviori, totum capitulum compromisit in arbitrium regis præsentare virum discretum ac idoneum, qui dignus esset gubernare tantum episcopium. Interea regina nobilis elegantis formæ parturiit infantem, transmittens regi nova gaudia per Bernulphum sacerdotem ; et ecce rex pro desiderata legatione nimirum * exultans tradidit eidem presbytero Trajectense pontificium, consimiliter et investituram per annulum et pastoralem baculum. *Eadem fere alio stylo narrantur in Chronico Trajectensi, quod Antonius Matthæus inter veteris ævi Analecta tomo* IX *ex Mss. edidit. Honorifica ejusdem Præsulis mentio fit in diplomate quodam, quod Fredericus Badensis, quinquagesimus sextus Ultrajectinæ ecclesiæ episcopus, anno* 1515 *dedit ,* ubi inter alia Bernoldi laudabilia pietatis et virtutum opera, *numerantur tres ecclesiæ , quas Ultrajecti ædificavit.*

* *al.* nimium

et Heda refert ejus sanctitatem,

3 *Wilhelmus Heda, qui anno* 1525 *Antverpiæ obiit , fusius* S. Bernulphi *gesta describit , et Joannis Bekani narrationi hæc adjungit :* Bernulphus itaque vigesimus ordinatus episcopus illico animum ad vitam sanctiorem et augmentum religionis cultumque divini obsequii applicuit. Primum pacem pepigit cum Comite Hollandiæ et principibus circumvicinis. Erexit in Trajecto a fundamentis ecclesias binas , unam in honorem divi Petri Apostoli , alteram sancti Johannis, in qua corpora sanctorum Justinæ et Cypriani recondit, utramque multis prædiis et possessionibus ditans , ubi etiam collegia canonicorum instituit, monasterium antea per Anfridum episcopum in Monte Sancto constructum, transtulit in urbem, ubi et ecclesiam sub invocatione sancti Pauli Apostoli ædificavit. Apud Daventriam instauravit templum divi Lebuini, ubi et partem Canonicorum ex ecclesia beatæ Mariæ Trajectensi (quæ sancti Salvatoris nunc dicitur) transmisit, assignans ex bonis dictæ ecclesiæ, quæ admodum opulenta erant, quibus perpetuo illic Deo militarent. Ecclesias prætcrea et loca sacra per diœcesim suam ruinam minantia in cultum pristinum restituit et ornavit. In hac itaque tam sancta conversatione usque ad finem vitæ perseverans, cum cælitus datus esse crederetur ad relevamen ecclesiæ suæ paulo antea satis oppressæ, postquam sedisset annis XXVIII *(alii tantum numerant* XXVII *episcopatus annos)* migravit ad Dominum XIV Kal. Aug. anno Domini MLIV, tempore Henrici III. Sepultus in sanctuario ecclesiæ sancti Petri per ipsum fundatæ, translatus postea collocatur in choro, ubi plurimis claret signis et virtutibus : quo et mortales plures nostra tempestate confluunt salutis gratia.

4 *Non placet Hedana clausula Arnoldo Buchelio*

...a ex ipsis ...rodoxis,

chelio heterodoxo, qui ubique Sanctorum gesta et cultum arrodit. Quare in notis ad Hedam pag. 126 *miratur,* Viri sanctimoniam et miracula Molanum latuisse, accuratissimum alioquin talium inquisitorem. *At ego miror potius istius critici oscitantiam : si enim Molani Natales sanctorum Belgii anno* 1595 *vel* 1616 *impressos inspexisset; haud dubie ad diem* XIX *Julii legisset sequentia :* Trajecti, memoria beati Bernulphi episcopi, qui primum fuit pastor ecclesiæ in pago Oosterbeeck, sed ex compromisso capituli per Conradum augustum, cujus uxor in ejus parochia pepererat, ad vacantis sedis dignitatem evectus est, quam annis viginti septem in pace gubernavit. *Deinde post enumeratas ecclesias, a* S. Bernulpho *conditas, subjungit eadem, quæ Buchelio in Heda displicuerunt.* In hac itaque tam sancta conversatione, *inquit*, usque in finem vitæ perseverans migravit ad Dominum anno millesimo quinquagesimo quarto, sepultus in sanctuario ecclesiæ sancti Petri per ipsum fundatæ : translatus tamen postea collocatus est in choro, ubi plurimis claret signis et virtutibus, quo et mortales plures nostra

B tempestate confluunt salutis gratia. *Quid hic, obsecro, Buchelius carpere voluit? Cum ipsemet ex Bockenbergio heterodoxo fateatur, Bernulphum* populari *(potius dixisset* antiqua *et* catholica) religione ad hæc fere tempora frequentatum *fuisse, et juxta Chronicon vulgare narret,* sepulcrum ejus a mulierculis, quarum infantes nullum capere valerent incrementum, quales etiam D. Mathuto *(voluit dicere* Machuto) offerebantur, visitari certa sanitatis spe solitum. *Nunc ulterius Præsulis nostri sanctitatem et cultum ex ipsis Ecclesiæ Romanæ hostibus confirmemus.*

...scriptoribus ...confirmatur.

5 *In Batavia sacra, anno* 1714 *typis primum edita, parte* I, *pag.* 128 *citatur Bockenbergius, fidei Catholicæ apostata, qui in opere nondum typis vulgato de Apostolis Divisque tutelaribus Hollandiæ, ita de* S. Bernoldo *seu* Bernulpho *disserere dicitur :* Post multa pietatis et æquitatis opera, quibus Deo servire studebat, infirmari cœpit Bernulphus, et mundi vincens contagium, mundus migravit ad Dominum, multis miraculis coruscans XIV Kalend. Aug. anno MLIV, et sepelitur in ecclesia S. Petri.

C Hic inter cetera infirmitatum genera morbum illum puerorum, quem et siccum vulgo nominant, solitus est curare. *In Actis autem Pontificum Trajectensium hactenus quoque ineditis idem Bockenbergius hæc de* Bernulpho *scribere perhibetur :* In D. Petri, quod fundavit Trajecti, templo conditus, et populari religione, maxime a matronis, quibus sterilitas aut puerorum valetudo erat molesta, stante pontificatu in Batavis, frequentatus. Memorantur ornamenta pontificalia, quibus olim erat humatus, cum corpus ejus, ex primo loco elevatum, collocaretur in choro, cum suavi fragrantia reperta integra, atque in annuis ejus sacris ad nostra usque tempora usitata. *Ecce ipsi Sanctorum oppugnatores virtutem* S. Bernulphi *laudare, et piam Catholicorum erga eum venerationem testari coguntur. Sed jam iterum Catholicos testes audiamus.*

...Rituali Ultra-...tino invoca-...super ...os.

6 *Petrus van Straceele Societatis nostræ sacerdos, et Ultrajecti missionarius, in litteris anno* 1671 *ad Papebrochium datis affirmat, in fine Ritualis Ultrajectini haberi orationem, quæ super ægros sic recitatur :* Deus, qui per Filii humilitatem jacentem mundum erexisti; Deus, qui miserabiliter lapsos et variis peccatis irretitos sacerdotum ministerio mundari præcepisti; Deus, qui per manus tuæ impositionem animarum et corporum morbos fugasti, idemque opus a discipulis tuis eorumque successoribus fieri voluisti, exaudi preces nostras pro hoc famulo tuo, infirmitate corporis sui gravato, et manum pietatis tuæ manibus nostris suppone, ut per hanc manus impositionem, te operante et suffragantibus meritis et precibus gloriosissimi S. Bernulphi confessoris atque pontificis, descendat super eum cælestis benedictio et gratia Spiritus sancti, ut ab omnibus venenosis nocumentis, universisque infirmitatibus et periculis animæ et corporis liberetur, per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen. *Deinde dicitur ad infirmum :* Sanet te Dominus Jesus, intercedat pro te S. Machutus, oret pro te S. martyr Christi Quintinus, interveniat pro te S. confessor Bernulphus, ut plenam ac perfectam sanitatem consequaris in nomine Patris etc.

AUCTORE G. C.

E

Qui illius ope aliquando sanantur.

7 *Idem missionarius a Papebrochio per litteras interrogatus, an intercessione* S. Bernulphi *aliqua fierent miracula, rescripsit, illustria quædam contigisse præcedentibus annis, sed ea non nisi privatis testimoniis probari posse. Initio tamen anni* 1672 *transmisit prodigiosum quoddam beneficium ope* S. Bernulphi *concessum, quod notarius publicus coram testibus excepit, cujus autographum Belgicum ita fere Latine sonat :* Coram me Nicolao Straffintveldt, notario publico, et testibus infrascriptis comparuerunt Goudæ Alardus Segerman, ejusque uxor Dympna Jacobs, et declararunt, filiolum suum Henricum anno 1662 incidisse in quemdam morbum, quo illius corpusculum ita extenuatum est, ut præ macie nigrum et tamquam hominis sceleton appareret. Cum autem puer per sex circiter menses hoc morbo adeo misere afflictus fuisset, ut ejus genua ad pectus contraherentur, et non nisi genibus aut cubitis nixus somnum capere posset, in tantum vitæ discrimen pervenit, ut non posset amplius juvari humanis remediis, quæ parentes plurima adhibuerant. Cumque etiam R. P. Bernardus Minorita super

F puerum orationes quasdam frustra recitasset, tandem parentes aquam benedictam cum particula reliquiarum S. Bernulphi, olim Ultrajectini episcopi, illi bibendam præbuerunt. Id cum media nocte factum fuisset, puer ante horam tertiam matutinam membris et genibus erectis jacuit, et postero die omnino sanitati restitutus clava lusit. Hæc omnia præfati parentes, si opus esset, juramento confirmare parati sunt. Actum Goudæ coram..... vander Hout, et Wilhelmo Straffintveldt testibus die XXIV Septembris anno MDCLXXI. *Infra prædicti parentes, ac testes nomina sua manu propria subscripserant. In Batavia sacra part.* I, *pag.* 128 *narratur recentius beneficium, ope* S. Bernulphi *alicui virgini Ultrajectinæ præstitum, cujus fides sit penes auctorem.*

Sancti epitaphium exhibetur.

8 *Jam tantum superest, ut exhibeamus* S. Bernulphi *epitaphium, quod miram ejus electionem, episcopatus durationem, pia ædificia, mortis annum et diem paucis versibus sic complectitur.*

DEO OPT. MAX. AC ÆTERNÆ MEMORIÆ SACRUM.

Hic sunt confossa Bernoldi Præsulis ossa.

Laudet

AUCTORE G. C.

Laudet eum glossa, dedit hic quia munera grossa.
Præfuit hac sorte : sunt sede vacante subortæ
Lites distortæ, pro Præsule flente cohorte.
Venit rex Conrat, ut pacem mox ibi ponat,
Datque cohors tota regi de Præsule vota.
Retro dimissa paritura conjuge Gisla.
Oesterbeeck villa prope Bernoldum parit illa,
Tunc ibi curatum, cui rex dat pontificatum
Ob nova portata, quod erat proles sibi nata.
Vicenus Bernold pastor successit Adelbold,
Annis septenis bene rexit bis quoque denis.
Holland militiam junxit ad ecclesiam.
Sanctis Baptistæ, Petro, Paulo, Lebuino,
Quatuor ecclesias condidit egregias.
I quater, attendas, decimo quartoque Kalendas
Augusti semel M, semel L, dum scandit ad arcem.
Non mala mors subita, quum * præcessit bona vita.

* al. quam

Antonius Matthæus acatholicus in Fundationibus ecclesiarum lib. I *fundat.* III, *num.* 1 *asserit, sese* B *adhuc juvenem legisse hoc carmen adscriptum parieti, qui navem distinguebat a choro S. Petri. Idem legitur in Batavia sacra pag.* 128, *et in Historia episcopatuum fœderati Belgii part.* I, *pag.* 12; *quæ omnia cum Ms. nostro epitaphio conveniunt.*

et parachronismus circa reliquiarum inventionem discutitur.

9 *At cum sepulcri mentio inciderit, non video, quomodo verum esse possit, quod Antonius Matthæus in opere proxime citato num.* 2 *pronuntiat his verbis :* Intactum mansit sepulcrum usque ad annum MDCLXXV *(auctor Bataviæ sacræ eumdem annum signat)* quo vi ventorum disfracta ut ædes refici rursum posset, loco motum, apertum. Nec in loculo tamen quidquam præter calicem, annulum et baculum episcopalem, qui præ carie tamen mox fractus. Præterea erat nihil, nisi cinis et ossa, et hæc jam exesa. *Non video, inquam, quomodo hæc vera esse possint : habeo enim authenticum in-* D *strumentum Belgice scriptum, quod supra memoratus noster Petrus van Straceele jam ab anno* 1671 *ad Papebrochium misit. In eo dicitur corpus* S. Bernulphi *anno* 1656 *inventum fuisse, et tota inventionis historia cum minutissimis circumstantiis describitur. Juverit hic in Latinum compendium redigere illam narrationem, quæ sic fere habet :* Cum Ultrajecti Walones templum S. Petri sibi concessum vellent ampliare, et in choro foderetur, die XXVII Novembris anno MDCLVI inventa est lapidea capsa, in cujus limbo apparebant auratæ litteræ, sed a terra ita obscuratæ, ut vix legi possent, nisi in parte superiore, ubi hæc habebantur : SS. BAPTISTÆ, PETRO, PAULO, LEBUINO. Inferius autem hæc legebantur : ANNO MLIIII CUJUS ANIMA REQUIESCAT. In ea capsa repertum est corpus S. Bernulphi, episcopali habitu indutum, cui argenteus calix, patena, aureus annulus, et pedum episcopale addebantur. Vestis superior confecta erat ex serico Damasceno violacei coloris. Capiti suppositus erat lapis excavatus, cui capilli humore quodam agglutinabantur. Aderat etiam lamina plumbea, E in qua nomen S. Bernulphi et dies obitus exprimebantur. Postquam calix, patena, annulus et pedum episcopale usque ad diem IV Decembris apud secretarium capituli deposita fuerant, statutum est, ut ea deinceps in archivis capituli conservarentur, et corpus Bernulphi præfatæ capsæ inclusum eodem, quo fuerat, loco sepeliretur. *Hactenus instrumentum, cui hæc Latine subscribebantur :* Acta sunt præsente me infrascripto secretario capituli S. Petri. *Inferius notatum erat.* Houwert. *Non videntur hæc componi posse cum iis, quæ Antonius Matthæus et auctor Bataviæ sacræ anno* 1675 *primum contigisse narrant. Ceterum reliquiæ* S. Bernulphi *hodiedum partim apud acatholicos, nomine tenus, canonicos, partim apud alios sacerdotes delitescunt.*

C

DE BEATA STILLA VIRGINE

IN MONASTERIO MARIÆBURGENSI PROPE ABENBERGAM IN FRANCONIA.

F

G. C.

SYLLOGE HISTORICA.

Cultus, genealogia, Acta et miracula.

FORTE SÆC. XII. *B. Stillæ cultus*

Mariæburgi, *inquit Gretserus noster in opere de Sanctis et Episcopis ecclesiæ Eystettensis lib.* II, *cap.* X, quod est monasterium virginum in diœcesi Eystettensi prope Abenbergam civitatem, colitur sanctitatis opinione celebris virgo, nomine Stilla. *Deinde ejusdem beatæ Virginis cultum ita probat :* Porro ad tumulum S. Stillæ statim, quamvis nondum excitato monasterio, concursus fieri cœpit a vicinis Norimbergensibus, Weisseburgensibus, Anspachensibus, et ab aliis, qui beneficia meritis B. Stillæ impetrata testabantur donariis votivisque tabellis, prout olim quoque ad sepulcra martyrum fieri consuevit. *Tunc citans locum ex Theodoreto de anathematibus ad Sanctorum sepulcra antiquitus suspensis, ita pergit :* Quorum similia olim ad sepulcrum S. Stillæ videre licuit, imo et hodie licet : neque enim cælestis illius benignitatis fons exaruit. *Germanicum quoddam Ms. post enarrata* B. Stillæ *miracula testatur, imaginem hujus beatæ Virginis in altari collocatam hodiedum etiam a monialibus pie exornari, ad eamque statis anni temporibus, ac præsertim die* XIX *Julii, magnum fieri*

A *fieri populi concursum, prout etiam anno* 1670 *contigit; imo addit, aspectum hujus imaginis propter instantes populi calamitates nonnumquam prodigiose immutatum fuisse, cujus miraculi fidem penes auctores relinquimus. Arturus in Gynæceo ad diem* XXX *Maii, Lahierius noster in Menologio virginum* XXVIII *Augusti, et Castellanus hac die in suo Martyrologio universali eamdem Virginem titulo* sanctæ *aut* beatæ *donant. Sed quia sua ex Gretsero et Radero hauserunt, verba eorum afferenda esse non existimo.*

et sepultura. 2 *Jam memoratum Ms. Germanicum hodiernam* B. Stillæ *sepulturam accurate describit, atque inter alia memorat, sepulcrum ejus tribus pedibus a terra elevatum cancellis circumdari, eidemque incisam esse ejus effigiem, quæ templum manu præfert. Ibidem ejus genealogia antiquis characteribus exprimitur, et in medio cernitur lignea ejusdem beatæ Virginis statua, ad cujus utramque partem locus est, ubi cerei aliaque anathemata offeruntur. Porro idem Ms. de* B. Stillæ *reliquiis hæc fere narrat. Cum anno* 1630 *ecclesia monasterii Mariæburgensis augeretur, ac in meliorem formam redigeretur, fuit quædam priorissa, nomine Christina, quæ dubitabat, utrum omnia* B. Stillæ *lipsana adhuc illic conservarentur, quia jam ab aliquot annis in monasterio Mariæsteinensi viderat lipsanothecam, cui* B. Stillæ *reliquiæ includi dicebantur. Itaque consilio habito, placuit duobus monasterii, Mariæburgensis confessariis sepulcrum* B. Stillæ *scrutari: qui cum tempore nocturno diligenter fodissent, caput hujus beatæ Virginis invenire non potuerunt. Hinc creditum est, moniales istius monasterii, quæ olim ob hæreticorum rabiem ad cœnobium Mariæsteinense fugerant, aliquas* B. Stillæ *reliquias secum tulisse. Atque hæc sunt, quæ de cultu et sacris exuviis detegere potui.*

Genealogia ejus ex Gretsero, 3 *Gretserus supra laudatus nomen* B. Stillæ *ex etymologia Germanica deducit: nam vox* **Stille** *apud Germanos et Belgas significat modestam, taciturnam, sedatam, aliaque hujusmodi synonyma. Deinde loco jam citato genealogiam* B. Stillæ *ita explicat:* Dicitur fuisse proneptis Babonis Abenspergensis in Bavaria comitis, cui sors admiranda triginta duos filios concessit, et ita quidem, ut omnes simul superstites videret; quorum unus Wolframus, quem S. Henricus imperator Abenbergensi comitatu in Norico donasse fertur; qui uxore ducta genuit tres filios, Othonem, Wolframum, et Conradum. Wolffframus II Zelchum comitem filium habuit. Ex Zelcho prognati sunt duo filii Conradus et Rapoto et unica filia Stilla, qui duo cum S. Othone Bambergensi episcopo fundarunt celeberrimum illud monasterium Ordinis Cisterciensis, quod Fontem salutis Germanice Heilsbrunnum nominant, inter Norimbergam et Anspachium, quod factum est anno MCXXXII. *Suspicor, Gretserum hanc* B. Stillæ *originem etiam in quibusdam documentis invenisse, sicuti sese alia ex iis eruisse testatur his verbis:* Hactenus de Divis Eystettensibus collectanea; ita nomino: nam quæ hoc secundo libro attulimus, ea pleraque ex variis monumentis collecta et decerpta sunt.

et Radero. 4 *Nihilominus Raderus noster in sua Bavaria sancta tomo* II, *pag.* 244 *aliam de stirpe* B. Stillæ *conjecturam ita proponit:* Nomen ab silentio (rara sane virtute in femina) accepisse Stillam existimant, quod **Still** patria voce silentium valeat: nisi (quod mihi vero proximum apparet) e marchionum et comitum Austriæ a Stilla et Hefft originem traxit. Ceterum, ut Gretserus tradit, patrem habuit Zelchum, avum Wolframum II, proavum Wolframum I, abavum Bobonem II, atavum Bobonem I, tritavum Bertoldum regulum Boiariæ Schirensem, cui pater fuit Arnulphus Schiræ conditor, avus Arnulphus dux Boiariæ, proavus Luitpoldus caput principum hodie Boiariæ potientium: adeo Principum satu edita Stilla virgo, cui abavus ille πολύπαις (si vera recentiorum narratio) Babo quadraginta liberorum sobole felix, duobus et triginta maribus, octo virginibus, de quibus copiose Hundius in stemmate Boiorum. Proavum Wolframum Babonis II filium, Henricus S. imperator dynastia Abenspergensi in Norico donavit. Zelcho patri filii fuere Rapato et Conradus, qui fontem salutis cœnobium nobilissimum **Heilbrun** condiderunt. Sororis tamen Stillæ memoria præterita ab genealogographis, qui sexum muliebrem plerumque tacent, nisi cum hanc illamve nuptum datam narrant. Sed neque Zelchi fit mentio in Babonis et Wolframi stirpe. Gretserus ex Eystadianis chartis illum eruit; Aventinus et Hundius tacent. Lazius de Austriæ marcha Orientali marchiones et comites a Stilla memorat, et fieri potest, S. Stillam ab illis ortam. *Hanc incertam Raderi conjecturam genealogis examinandam relinquimus. Nos interim istius beatæ Virginis Acta seu potius Actorum fragmenta producimus.*

AUCTORE G. C.

Ejusdem beatæ Virginis Acta, 5 *Idem Gretserus ex schedis, opinor, Eystettensibus narrat sequentia:* Sed Stillæ semper mens erat, ædificare templum vel monasterium vel utrumque in monte arci paternæ vicino. Et templum quidem perfecit; cetera ne perficeret, mors intercessit: cumque funus ducere tentarent Heilsbrunnum, ubi fratres requiescebant, nulla ratione id loco moveri potuit. Junctis ergo currui equis, liberos abire siverunt sine ullo auriga aut rectore. At illi sacrum onus ultro deportarunt ad templum, quod ipsa exstruxerat, et in quo tumbam sibi elegerat, nec sine cælesti approbatione: nam cum quadam die B. Stilla ex arce paterna chirothecam suam dejecisset hoc adjuncto: Ibi sepeliar, ubi chirotheca inventa fuerit; non alibi, quam in templo abs se condito reperta est; et eo quidem loco, quem pro sepulcro occupat. Stetit templum solum usque ad annum Christi MCCCLXXXII, quo tempore Wilhelmus episcopus Eystettensis cœnobium sanctimonialium adjicere cœpit, accitis virginibus ex Mariæ Lapide juxta Eystadium, quæ religiosæ vitæ fundamenta ponerent; quod monasterium postea et frequentia et pietate admodum floruit, ita ut præcipui patricii Norimbergenses huc suas filias Deo servituras missitarent. *Hæc sunt omnia, quæ de* B. Stillæ *gestis traduntur.*

et miracula. 6 *Deus post mortem* B. Stillæ *varia per ejus intercessionem patravit miracula, quorum multitudine et magnitudine permotus Gundackarus II episcopus Eystettensis fertur altare in istius beatæ Virginis memoriam erexisse. Quamvis fortasse aliquis ex præsulibus Eystettensibus fuerit hujus altaris conditor, tamen is Gundackarus esse non potuit, ut recte advertit Gretserus, cum Gundackarus obierit*

AUCTORE G. C.

obierit anno Christi 1075, *quando* B. Stilla *forte nondum nata, certe necdum mortua erat, si subsistant ea, quæ supra ex Gretsero dedimus de illius stirpe et fratribus, qui anno* 1132 *monasterium Heilbrunnense ædificarunt. Nolim tamen ob hunc errorem dubitari de antiquo illius cultu aut miraculis, de quibus jam sæpe citatus Gretserus sic testatur:* Vidi et legi Germanice conscripta quinquaginta quinque manifesta sane et evidentia miracula, B. Stillæ suffragatione perpetrata: nam cæcis visus est redditus, claudis incessus, surdis auditus, pestilentia depulsa, capitis dolores sedati, semimortui a limine mortis revocati, et plura alia supra naturæ vires gesta, quæ insignem hanc Abenbergensem Comitissam Christo sponso suo charissimam et gratissimam esse., perspicue ostendunt. *Nos eadem, ni fallor, miracula et forte plura ex Germanico Ms. monasterii Mariæburgensis desumpta, et a nostro P. Christophoro Offenhausen circa finem anni* 1670 *Eystadio ad Papebrochium transmissa, habemus, quæ utinam Gretserus, aut alius quispiam linguæ Germanicæ omnino peritus Latina fecisset. Cum igitur id nus-*
B *quam factum esse sciam, pro* B. Stillæ *gloria tetricum hunc laborem subibo, et beneficia intercessione illius præstita ex Ms. nostro Germanico, servata rerum substantia, Latine reddam.*

MIRACULA

Ex Ms. Germanico monasterii Mariæburgensis, quod Latine reddimus.

PARS I.

Recensentur antiqua miracula, quæ usque ad restaurationem cœnobii contigerunt.

C

Canonicus oculis laborans visum,

Nobilis canonicus Eystettensis ophthalmia laborans invocat S. Stillam, vovetque, se ædem illi sacram restauraturum. Mox omni oculorum dolore depulso, votum implet, et postea religiosum Ordinem ingreditur.

et femina prius sibi, ac dein filio sanitatem impetrat.

Virgo quædam Norimbergensis magnos dolores terroresque patiebatur: nam tempore somni subito expergiscens vociferabatur, ita ut aliqui timerent, ne ad insaniam redigeretur. Tunc ex piorum hominum consilio promittit peregrinationem ad sepulcrum B. Stillæ, ac brevi sanata est. Cum eadem postmodum in matrimonium collocata filium peperisset, equus filioli faciem ita contrivit, ut puer vix hominis figuram præ se ferret, et ex vulnere moriturus putaretur. Implorat illa iterum intercessionem B. Stillæ, et brevi puer pristinæ formæ redditus est.

Puer claudus,

2 Mulieri cuidam erat filiolus, qui diu incedere non poterat. Mater itaque illum S. Stillæ commendat, et ad ejus sepulcrum defert. In itinere autem, cum adhuc media leuca ab eo abessent, dixit puer: Mater, permitte me ire. Respondit mater: Non potes ire. Puer iterum repetit: Chara mater, permitte D
me ire. Tunc puer in terram depositus cœpit præ gaudio exsultare, et per viam discurrere usque ad sepulcrum S. Stillæ; et ab eo tempore nihil illi in gressu defuit. In vigilia sanctorum Petri et Pauli, quando in monasterio celebratur dedicatio templi, factum est hoc miraculum et omnibus innotuit.

et mulier cæcutiens sanantur.

Eodem die venit mulier habens oculos ita caligantes, ut ferme cæca esset. Hæc voverat peregrinationem ad S. Stillam. Cumque votum expletura ad S. Stillæ sepulcrum appropinquaret, alta voce sic orabat: O sancta Stilla, digna Dei sponsa et amica, impetra ab omnipotenti Deo sanitatem oculorum meorum: ego enim sum misera peccatrix, quæ nihil mihimetipsi obtinere possum. His dictis, illico sensit remedium, et tanta voce, ut moniales in choro audirent, cœpit exclamare: Laus, honor et gloria sit omnipotenti Deo ac sanctæ Stillæ: nam visum recepi. Deinde ubique propalabat, quomodo patrocinio S. Stillæ ab imminente cæcitate liberota fuisset. Quare summopere gravisa statuit reliquo vitæ tempore S. Stillam impense co- E
lere, atque adeo postmodum sæpius sepulcrum ipsius visitavit. Hæc mulier erat Onoldina *a*.

a

Mulier morbo Gallico,

3 Alia mulier ita laborabat carcinode Gallica, ut in ejus brachio magnum et pervium foramen efficeret. Vovet ergo peregrinationem ad S. Stillam, et cum eam instituisset, pristinæ sanitati reddita est.

et urbs Norimbergensis peste liberantur.
b

Circa annum MCCCCLXXXXIV Deus Norimbergam *b*, celebrem sacri Romani Imperii urbem, lue afflixit. Cum autem tunc temporis in monasterio Mariæburgensi, quod tantum tribus leucis Norimberga distat, essent plurimæ filiæ Norimbergenses ex nobilibus ac præcipuis familiis ortæ, senatus per litteras rogavit moniales prædicti monasterii, ut precibus divinam misericordiam implorarent, et contagiosum morbum ab urbe depellerent. Cum id executioni mandatum esset, et Magistratus clare videret, per has aliorumque piorum hominum orationes pestem sisti, dedit ad monasterium litteras gratificationis, misitque ad ornandam S. Stillam rubrum pal- F
lium Damascenum, in quo civitatis insignia acu picta etiamnum cernuntur.

Duæ moniales ope S. Stillæ,

4 Monialis quædam magnos lateris dolores patiebatur. Invocans igitur S. Stillam, et sumptam de illius sepulcro terram lateri applicans ad sanitatem reducitur. Eadem monialis in profundam fossam, aqua repletam, ceciderat, et in proximo mortis periculo versabatur. Implorata ope S. Stillæ, subito ex aqua sic emersit, ut videri et juvari potuerit,

mirifice juvantur.

Alia monialis manum male affectam habebat, ita ut non posset commode cibum capere. Dum nulla medicina ei prodest, implorat intercessionem S. Stillæ, et ad ejus sepulcrum orans offert duas cereas manus. Post fusam orationem et oblationem factam sanitati restituitur.

Mulier ex scalarum lapsu graviter vulnerata,

5 Quando Mariæburgi chorus monialium dilatabatur, scala, quam duo viri ferre vix poterant, circa sepulcrum S. Stillæ decidit in caput feminæ, quæ statim mentis impos in terram corruit. Implorato S. Stillæ auxilio, mulier pristinas vires ita recuperat, ut vix quidquam damni passa videretur. Illa sibi firmiter

A firmiter persuadebat, sese ipso loco morituram fuisse, nisi S. Stilla apud Deum intercessisset. Quapropter decrevit toto vitæ tempore S. Stillam devote venerari.

et virgo duplici morbo afflicta sanitati restituitur.

Honestæ virgini Norimbergensi intumuerat gena, quæ nullis medicaminibus ad pristinum statum reduci poterat. Invocans S. Stillam vovet ei cereum et cultum, quoad viveret, et sine mora sanitatem obtinet. Eadem virgo postmodum ingentes dolores in pectore et humeris sentiens, denuo auxilium S. Stillæ implorat, et statim cruciatuum suorum lenimen experitur.

Matrona quædam periculoso morbo eripitur, et eadem

6 Matrona Norimbergensis nocte quadam tanto tamque repentino morbo obruebatur, ut sese brevi suffocandam crederet. Cum vero deinde medicus eam juvare non posset, confugit ad patrocinium S. Stillæ, et ei ceream imaginem vovet. Recuperata sanitate, detulit ad ejus sepulcrum hanc imaginem, et publicavit beneficium, quod intercessione S. Stillæ obtinuerat. Eadem matrona implicabatur duabus magni momenti litibus, quæ expediri non poterant. Commendat igitur B causam suam S. Stillæ, eique donum quoddam promittit. Deinde omnia successerunt ex sententia.

cum multis aliis afflictis lites feliciter finit.

Multi alii difficillimis litibus irretiti venerunt ad sepulcrum S. Stillæ, et offerentes cereas linguas narrarunt, quomodo Deus per intercessionem S. Stillæ ipsos in causis suis adjuvisset.

Femina dolore capitis,

7 Femina quædam tanto capitis dolore vexabatur, ut rationis usum perditura videretur. Tunc in somno S. Stilla ipsi apparuit, suasitque, ut peregrinationem ad suum sepulcrum susciperet. Ea peracta, amissam valetudinem recepit.

et altera morbo Gallico liberantur.

Alia femina dudum morbo Gallico afflicta fuerat, et nullis medicinæ artibus ad sanitatem revocari poterat. Apparuit ipsi etiam in somno S. Stilla, jubetque, ut ad suum sepulcrum peregrinetur. Cum autem hæc femina numquam antea de S. Stilla audivisset, venit Norimbergam et quæsivit S. Stillæ sepulturam. Inde mittitur Ambergam, ubi erat hospitium S. Stillæ sacrum. Cum eo C pervenisset et attente preces fudisset, cœpit sanari. Quare Deo ac S. Stillæ actis gratiis, publice narravit hoc mirum beneficium sibi collatum.

Duo pueri

8 Dum femina quædam nebat, ejus ex filio nepotulus puerili more colum circumcursans ita cecidit, ut fusus collo suo infigeretur, et puer mortuo similis in terram corrueret. Hoc spectaculo exterrita mulier cœpit S. Stillam ita inclamare: O omnipotens Deus per intercessionem famulæ tuæ S. Stillæ hunc puerum morti eripe. Mox puer se erexit, propria manu fusum extraxit, aviæ suæ tradidit, et pristinam sanitatem consecutus est. Tunc illa apud sepulcrum S. Stillæ gratias persolvit, eo quod Deus ad suas preces tantum prodigium patrare dignatus esset.

periculoso infortunio eripiuntur.

Cum puer quidam gutturi culmum simul cum spica immisisset, quem nemo eruere poterat, parentes ob id infortunium vehementer doluerunt. Mater vero filium ad S. Stillæ sepulcrum detulit et altari imposuit. Quo facto, culmus ultro excidit, et puer omni molestia liberatus est.

9 Mulier quædam tanto oculorum defectu laborabat, ut vix videret. Dum votum S. Stillæ oblatum persolvit, integrum oculorum usum recepit, et Deo pro accepto beneficio gratis retulit.

EX MS.

Femina cæcutiens,

puer mutus,

Civis Weissenburgensis habuit puerum, qui longo tempore linguæ usum consequi non potuerat. Puer ex voto ad S. Stillæ sepulcrum adducitur, et loquelam obtinet.

et vir ab inimicis captus liberantur.

Alius civis Weissenburgensis a duobus inimicis suis capiebatur. Illi captivum inter se medium posuerunt, ne elaberetur. Dum vero dormirent, ipse fugit, ac sese in agro frumentario abscondit. Illi evigilantes per totum istum agrum decussatim cucurrerunt, et numquam eum invenire potuerunt. Eo tempore uxor ejus domi S. Stillam pro mariti incolumitate invocaverat, eique peregrinationem promiserat. Sic vir ille inimicorum suorum vindictæ subductus est.

Sacerdos sanitatem recuperat,

10 Morbus membra sacerdotis cujusdam Weissenburgensis ita debilitaverat, ut vix sacrum dicere posset. Voto emisso, venit ad S. Stillæ sepulcrum, et statim ita sanitati restituitur, ut ad ejus altare commode Missam celebraverit. E

equus pistoris subito curatur,

Cum pistor quidam ex castro Winsbacensi panem ad oppidum Abenbergense veheret, equus ejus in via ita ægrotare cœpit, ut illum jam jam moriturum existimaret. Nihilominus promittit S. Stillæ quatuor Norimbergenses mensuras frumenti, et statim equus pristinas vires recuperat. Non solum S. Stilla hunc hominem, sed etiam multos alios, quorum pecora ægrotabant, patrocinio suo juvit.

et inimicorum odia,

Duo germani fratres ob hereditatem letali odio invicem persequebantur. Mater illorum adiit sepulcrum S. Stillæ, et in ejus altari Missam celebrari jussit, ut filii sui reconciliarentur. Mox illi odium amore commutarunt.

intercessione S. Stillæ exstinguuntur.

Duo viri Norimbergenses etiam sibi invicem erant maxime infensi; dumque unus vovet peregrinationem ad S. Stillam, ea ipso die in gratiam redierunt.

Tres feminæ, quarum una herniæ doloribus,

11 Nobilis femina ingentes ex hernia dolores sentiebat. Invocans S. Stillam et promittens eleemosynam sacro illius hospitio, statim cruciatu isto liberatur. F

altera sterilitate,

Alia nobilis mulier diu cum marito sine spe prolis vixerat. Rogat itaque S. Stillam, ut sibi a Deo heredem impetret. Postmodum desiderio suo potita venit ad sepulcrum S. Stillæ, et aureum annulum obtulit.

tertia occulto morbo affligebatur, a S. Stilla juvantur.

Honesta quædam matrona balneis usa occulto morbo corripiebatur, ita ut non tantum magnos dolores toleraret, sed etiam nullam prolem vivam pareret. Quapropter peregrinationem et optimam suam vestem S. Stillæ promittit. Pristinæ sanitati restituta non solum ad ejus sepulcrum detulit promissam vestem, ex qua altaris ornamenta confecta sunt, verum etiam secum adduxit filiolum, quem se S. Stillæ meritis obtinuisse credebat. Postea singulis annis sacrum illius hospitium invisit.

S. Stilla personam surdam sanat,

Religiosa quædam persona duobus annis surda fuerat. Implorata ope S. Stillæ auditum recuperat.

pagum ab incendio præservat,

Anno post Christum natum MDIII in Germania exarserat grave bellum, in quo per rapinas et incendia multis locis magnum damnum

Ex Ms.

num inferebatur. In pago quodam Trumetzheim appellato et ad fluvium Alemannum seu Almonum sito, habitabant pii quidam homines, qui orabant S. Stillam, eique totius pagi nomine magnam ceream candelam vovebant, ut hunc locum a rapinis et ignibus servaret. Locis vicinis undique combustis, incolæ pagi Trumetzheim nullo damno afficiebantur. Hæc candela hodiedum etiam apud sepulcrum S. Stillæ cernitur: nam Trumetzheimenses, antequam a Catholica religione ad novam sectam transirent, solebant quotannis duas libras ceræ offerre, ut ea candela conservaretur.

et virum nobilem surditate liberat.

Nobilis quidam loci vulgo Kidlspurg dicti, amisso prorsus aurium usu, invocat S. Stillam, et surditate liberatur. Idcirco cum sua familia sepulcrum ejus adiit, in altari illius Missam celebrari jussit, et actis Deo gratiis hoc miraculum enarravit.

Monialis præsenti mortis periculo eripitur,

13 Monialis cœnobii Mariæburgensis, ubi S. Stilla quiescit, volens in superiori contignatione capsæ cujusdam portam claudere præsens vitæ discrimen adierat. Cum nemo B adesset, qui eam juvare posset, implorat auxilium S. Stillæ et mirabiliter mortis periculo eripitur. Illa sibi firmiter persuadebat, sese ex lapsu fuisse morituram, nisi Deus ob S. Stillæ intercessionem subito succurrisset.

et pueri,

Puer honesti civis Weissenburgensis oculum habebat ferme omnino corruptum. Quando vir ille puerum simul cum oblatione S. Stillæ devovet, oculus male affectus omnino sanatur.

ac virginis oculi sanantur.

Virgini Norimbergensi circa oculum tuber instar pugni excreverat. Cum hoc nemo dispellere posset, confugit ad patrocinium S. Stillæ, et brevi illius opem experta est.

Religiosæ personæ ignominia,

14 Religiosæ quædam personæ in re gravi a maledicis linguis proscindebantur; et quamvis innocentiam suam declararent, tamen suspicionem de se conceptam penitus exstinguere non poterant. Itaque communi consensu S. Stillam invocant, et ei ceream linguam offerunt. Tunc brevi patuit earum innocentia, et omnis infamia in gloriam conversa est.

et juvenis insania liberantur

Vir quidam filium suum insania correptum ad varias Sanctorum reliquias frustra dedu- C xerat. Demum miser ille etiam ad sepulcrum S. Stillæ adducitur, et sanam mentem recuperat. Fortasse Deus hujus miraculi gloriam S. Stillæ, singulari suæ amicæ, reservare voluit. Postmodum juvenis ille sæpius ad S. Stillæ sepulcrum accessit, et Deo pro tanto favore gratias egit.

Pia S. Stillæ cultrix in morte consolationem accepit,

15 Pia quædam S. Stillæ amatrix crebro ad illius sepulcrum et hospitium veniebat, eamque summa veneratione prosequebatur, ac sedulo colebat. Cum jam ægrotaret, et ad mortem præparata esset, ajebat; Cedite: nam advenit S. Stilla, quæ mihi in hac extrema hora vult adesse. Quo dicto, piissime obiit.

et nobilis mulier in gravi morbo, juvatur.

Nobilis mulier tantis corporis cruciatibus affligebatur, ut in mortis periculo versaretur. Datum est ipsi consilium, ut se S. Stillæ commendaret, eique oblationem quamdam promitteret. Etsi numquam alias de S. Stilla quidquam audivisset, adiit ejus sepulturam, votum impletura, et recepta sanitate laudavit Deum in Sancta sua.

Hæc miracula, quæ S. Stilla divino auxilio patravit, in antiquis schedis apud nos relictis invenimus. Porro ex iis prodigiis, quæ a restauratione monasterii Mariæburgensis et iterata illius habitatione *c* ad sepulcrum sanctæ virginis Stillæ contigerunt, quæque oculis nostris vidimus, quædam jam annotabimus.

Testimonium de miraculis hactenus narratis.

c

ANNOTATA.

a *Onoldium, quod etiam Onspachium vel Anspachium, et vulgo* **Onoltzbach**, **Ohnspach** *sive* **Anspach** *vocatur, est oppidum Germaniæ cum castro in Franconia, de quo plura Merianus aliique geographi passim obvii.*

b *Norimberga est imperialis et libera Germania civitas satis nota; sed imposterum de his aliisque locis, quorum hic fit mentio, nihil annotabo, cum eorum situs in mappa geographica Franconiæ videri possit.*

c *In Ms. nostro Germanico, quod in sylloge prævia num. 2 citavimus, dicuntur moniales Mariæburgenses ob exortam Lutheri hæresim ad cœnobium Mariæsteinense fugisse, et suum monasterium per triginta annos deseruisse. Unde hujus iteratæ habitationis tempus præterpropter colligi potest.* E

PARS II.

Miracula a restauratione monasterii Mariæburgensis usque ad annum MDCIII *patrata.*

Auxilio S. Stillæ lemures fugantur,

Abenbergæ non procul a monasterio Mariæburgensi in domo cujusdam nobilis tumultuantes larvæ et lemures audiebantur. Inter alia spectrum quoddam horrendo fragore januas diffringebat; cum vero inhabitantes vellent comedere, mensam conspurcabat, potum et cibum evertebat, ac tandem adeo terribile se exhibuit, ut nemo amplius hanc domum vellet incolere. Parochus Abenbergensis, hac re intellecta, apud virum ecclesiasticum de ea conqueritur. Cum F autem ecclesiasticus ille paululum terræ ex S. Stillæ sepulcro decerptum per domum illam sparsisset, ac preces fudisset, nihil deinceps tumultus ibidem auditum est.

mulieris manus læsa sanatur,

17 Mulier quædam volens feria sexta hebdomadæ sanctæ lucium exenterare, acuto cultro manum suam transfixit. Tunc ipsi datum est consilium, ut simul cum manu et cultro cereo votum quoddam S. Stillæ offerret. Atque ita divina misericordia factum est, ut sine ulla arte medica vulnus curaretur, et ipsa anno MDLXXXVII voti persolvendi causa ad S. Stillæ sepulcrum accesserit.

et aliis tibiarum,

Duæ honoratæ personæ, magno tibiarum dolore affectæ, cereas tibias S. Stillæ promiserunt, et promissione impleta, senserunt doloris mitigationem.

ac brachiorum dolor lenitur.

Aliæ duæ personæ ecclesiasticæ, acerbo brachiorum cruciatu afflictæ venerunt ad sepulcrum S. Stillæ, et orarunt, ut per ejus intercessionem lenimen dolorum suorum impetrarent. Simul atque preces fuderant, voti sui compotes fiebant.

18 Anno

S. Stilla luem inter pecora sistit,

18 Anno MDLXXXVIII contagiosus morbus inter pecora grassabatur, atque inter alia bovem cujusdam sacerdotis infecerat. Jam decretum erat, ut moribundus bos extra stabulum raptaretur, antequam sacerdos domum rediret. Interim ille in via reliquum pecus S. Stillæ commendat, eique duos cereos offert et ad ipsius altare Missam celebrat. Domum reversus eumdem bovem salvum et incolumem in stabulo reperit.

rusticum dolore capitis liberat,

Ruricola quidam jam senex intolerabili cephalæa diu vexatus tandem vovet S. Stillæ, sese tribus feriis sextis inter Pascha et Pentecosten sepulcrum ejus aditurum. Dum illic inter sacrosanctum Missæ sacrificium preces fundit, sanus domum revertitur.

et viduam hæreticam et furentem convertit.

19 Cum pauper quædam vidua sibi victum comparare non posset, in tantam incidit desperationem, ut bis sibi ipsi vitam adimere voluerit. Sed tunc cælitus impedita iterum a dæmone ad sui ipsius cædem instigatur. Deinde desperatione et rabie plena cœpit furibundæ similis currere, ac tandem pervenit ad locum monasterio Mariæburgensi pro-
B ximum, ubi ipsius frater uterinus habitabat. Cum autem ille domo abesset, et vicini hanc mulierem furentem et occurrentibus minitantem viderent, eam catena vinciunt. Frater domum reversus infortunium sororis suæ uterinæ magna cum tristitia viro cuidam ecclesiastico indicat, qui ex christiana caritate semel atque iterum ipsam invisit, quamvis dæmon circa eam tantum fœtorem excitasset, ut vicini illum diutius ferre non possent. Denique feria sexta ante Pentecosten anno MDLXXXIX mulier ad sepulcrum S. Stillæ deducitur, et post emissam fidei Catholicæ professionem ab hæresi absolvitur. Quo peracto, peccata confitetur, augustissimum Eucharistiæ sacramentum devote recipit, et omnino tranquilla domum redit.

Infamiam honoratæ personæ illatam delet,

20 Anno MDXC honori illustris cujusdam personæ graviter detrahebatur. Hæc criminationis sibi impositæ expers orat ad sepulcrum S. Stillæ, et linguam ceream offert, ut a maledicis linguis liberetur. Mox hæc ini-
C qua detractio nocere desiit.

et monialem periculo mortis subducit.

Eodem anno in monasterio Mariæburgensi aliquid in rota profundi putei confractum erat. Cum soror ejusdem monasterii illud vellet reparare, ita cecidit, ut haud dubie in puteum labi deberet. In hoc periculo constituta inclamat S. Stillam, et illius corpus prodigiose ita detorquetur, ut in puteum non inciderit.

Intercessione S. Stillæ impius adolescens dæmoni et hæresi renuntiat.

21 Anno MDXCI pluvia tempore messis adeo fuit continua, ut desectum frumentum in agro germinaret: Unde avarus cujusdam rustici filius, annos viginti duos natus, assiduo sic exclamabat: Perditi sumus; omnibus fame moriendum est: nam omne frumentum in agro corrumpitur. Die quadam agrum paternum adiens, et videns frumentum jam germinasse, cœpit contra Deum blasphemas voces emittere. At dum respicit, adstat illi vir niger, qui illum ita interrogat: Leonarde, cur ita doles? Respondet impius juvenis: An non dolerem, cum omne frumentum corrumpatur, et nobis fame moriendum sit? Ad hæc vir ille niger dixit: Si mihi servire velis, efficiam, ut toto vitæ tempore nihil tibi desit. Cum miser ille consensisset, illico a dæmone possessus cœpit undique vagari, et voluit sibi ipsi mortem inferre, sicuti sæpius frustra tentavit. Tandem parentes catholicum sacerdotem adeunt, et de filii sui infortunio conqueruntur. Sacerdos illos ob avaritiam primo acriter reprehendit, monetque ut ex filii calamitate exemplum capiant, discantque quantum peccatum sit divinæ providentiæ diffidere, et frena laxare avaritiæ, quæ est radix omnium malorum. Præterea petiit, cur ad suos ministellos auxilii causa non recurrerent. Demum sacerdos, post sex hebdomadas graviori obsessi adolescentis periculo et quotidiana parentum obsecratione motus, jussit illum ad S. Stillæ sepulcrum deduci. Cumque ad illud non sine difficultate adductus fuisset, placuit divinæ clementiæ (haud dubie per intercessionem S. Stillæ) confestim eum liberare, atque ita sui compotem reddere, ut eodem die peccata confiteri et ab hæresi absolvi potuerit: antea enim Lutheranus fuerat; sed imposterum probe catholicus sacram Eucharistiam sedulo frequentavit. EX MS
E

Monialis summa gutturis angustia,

22 Cum anno MDXCII moniales hujus cœnobii in commemoratione fidelium defunctorum cœnassent, et soror illa, quæ ad mensam legerat, post alias comederet, accidit, ut præ lucis tenuitate non advertens segmentum quoddam, quod ex igne desilierat, una cum cibo deglutiret. Hoc autem segmentum ita transverse gutturi inhæsit, ut nec expelli, nec procelli posset, et misera soror præ angore suffocari videretur. Cum vero raptim accersitus medicus eam juvare non posset, moniales ad certius remedium recurrunt, nempe ad S. Stillæ sepulcrum, ex quo particulam terræ decerpentes potui miscent, et afflictæ sorori bibendam præbent. Eodem momento segmentum sine ulla læsione per guttur transit, et soror ab omni angustia liberatur.

et pistrix manuum ac pedum debilitate liberantur.

23 Pistrix Spaltensis ad tantam pedum ac manuum debilitatem erat redacta, ut instar infantis ali deberet. Suadetur ipsi in somno, ut Abenbergam pergat, et S. Stillam veneretur. Cum vero de hac Sancta nihil umquam audisset, mulieribus quibusdam narrat, quomodo de S. Stilla somniaverit. Tunc a mulieribus illis edocta vovet S. Stillæ ceream imaginem; sed voti solutionem nimis diu differens tali ophthalmia affligitur; ut a cæcitate non multum abesset. Tum denique promissam effigiem et duos cereos oculos fieri jussit, et ad S. Stillæ sepulcrum veniens post fusas preces et oblatum donum sanitati restituta est. F

S. Stilla maleficium pecudibus monasterii illatum solvit,

24 Malefici quidam homines anno MDXCIII pecora monasterii fascinaverant, ita ut ad silvas fugerent, et intra multos dies ad monasterium reduci vix possent. Religiosæ personæ ad hoc impediendum voverunt S. Stillæ ceream imaginem seu candelam, et statim pecora cicurabantur ac ultro domum redibant.

et noviciæ pedum ac manuum imbecillitate laboranti subvenit.

Anno MDXCIV novitia quædam spatio semestri magna pedum ac manuum imbecillitate laborabat, et nullis artibus medicis sanari poterat. Tunc confessarius ipsi injunxit, ut mendicaret tantum ceræ, quantum ad conficiendam candelam sufficeret, ac deinde se ad S. Stillæ sepulcrum cum hac oblatione deferri curaret. Moniales itaque eam ad sepulcrum

ex ms.

pulcrum S. Stillæ deferunt, ubi post ferventem orationem sanata est, et quæ fulcris innixa inter sororum manus adducta fuerat, sine ullius ope ad monasterium rediit, et ab eo tempore nullam in pedibus aut manibus infirmitatem sensit.

Invocata S. Stilla, puer a periculosa oculi læsione sanatur,

25 Eodem anno MDXCIV puer quidam rusticus longam assulam ita oculo infixam habebat, ut eam parentes illius nullo modo possent evellere. Tunc mater ejus recordata est, sese aliquando in monasterio audivisse concionem de miraculis S. Stillæ. Quare mox puerum ad monasterium adducit, ac S. Stillæ offert. Simul atque illum altari imponunt, assula sponte ex oculo erumpit, et omnis dolor abscedit.

et lues inter pecora sistitur.

In autumno ejusdem anni MDXCIV apud incolas Stopffenheimenses contagio boves invaserat. Interea parocho hujus loci venit in mentem, ut cum septem virgunculis peregrinationem ad S. Stillæ sepulcrum institueret, et in ejus altari Missam celebraret. Dum id sedulo excutioni mandat, statim morbus B ille grassari desiit.

Per invocationem S. Stillæ vidua,

26 Vidua Abenbergensis aliquot annis magnum oculorum dolorem passa fuerat. Nequidquam adhibita medicorum opera, tandem anno MDXCV vovet S. Stillæ argenteum donum; quo oblato, sanitatem adepta est.

et novitia sine arte medici morbis suis remedium inveniunt.

Anno MDXCV novitia quædam monasterii Mariæsteinensis tantam in brachio habebat inflammationem, ut ex ea gravius malum exspectaretur. Cum vero remedia humana nil prodessent, reverenda mater Priorissa recurrit ad intercessionem S. Styllæ, et præter alia promittit, nomen Stillæ huic novitiæ impositum iri, siquando religiosam professionem emitteret. Hoc facto, ipsa brevi melius habere cœpit, et eodem anno religionem professa est.

Priorissa Mariæsteinensis in litteris narrat beneficium ope S. Stillæ moniali cuidam præstitum.

27 Die XXIV Octobris, anni MDXCV reverenda domina Clara, priorissa Mariæsteinensis, ad moniales Mariæburgenses dedit epistolam, in qua miraculum narrat hoc fere modo: Reverenda mater, non possum, quin tibi ceterisque sororibus perscribam miraculum, quod nuper in sorore nostra Euphrosyna patratum est. Cum frustum cibi C transversum gutturi ejus inhæreret, ad tantas angustias redacta est, ut mortuæ similis in terram corrueret. Ego et procuratrix aliæque sorores ad eam accurrimus, atque illam brevi morituram existimavimus. Interea mihi et procuratrici incidit, auxilium S. Stillæ implorare. Quare ita exclamavimus: O sancta virgo Stilla, succurre nobis in hac necessitate. Tunc ego hæc addidi: O sancta Stilla, tibi ejus corpus et animam commendo. Soror Euphrosyna, audito S. Stillæ nomine, ingemuit, halitum recepit, ad se rediit et sine ullis aliis remediis cœpit loqui, atque inter alia dixit, sese ex omnibus, quæ dicta fuerant, nihil intellexisse præter nomen S. Stillæ. Tunc nos magna cum lætitia Deo et S. Stillæ gratias egimus. Nunc autem ut voto meo satisfaciam, mitto nomine sororis Euphrosinæ crystallinum rosarium, quod statuæ S. Stillæ appendi cupio. Ceterum oro, reverenda mater, ut simul cum tuis charissimis sororibus ob hoc miraculum Deum laudes, et hoc beneficium sorori nostræ præstitum reverendo domino decano significes, ut nobiscum Deum glorificet, et in sacrosancto Missæ sacrificio D preces nostras illi offerat.

Mulier quædam filiolo,

28 Anno MDXCV mulier pecoris custos in pago Trumetzheim habebat filiolum omnino contractum ac distortum, quem nemo poterat sanare. Dum igitur mater promittit, sese quotannis mediam libram ceræ ad S. Stillæ sepulcrum allaturam, puer indies ad meliorem statum pervenit.

altera filiolæ

Anno MDXCVI pistrix Spaltensis habebat etiam filiolam distortam, quæ paulatim sanitatem obtinuit, quia mater cum oblatione eam S. Stillæ devoverat.

ac sorori sanitatem obtinent, invocata S. Stilla.

Eidem pistrici erat soror, quæ in uno pede tantos dolores patiebatur, ut ei inniti non posset. Dum tribus feriis sextis cereum pedem ad S. Stillæ sepulcrum offert, nullum amplius dolorem sensit.

Duæ personæ

29 Anno MDXCV domina quædam in monasterio, quod vulgo vocatur Holtz magna et insanabili infirmitate laborabat. Quare S. Stillæ ceream candelam vovet, seque monialium Mariæburgensium precibus commendat. Post hæc paulatim ad pristinam sanitatem rediit, ita ut postmodum imaginem E S. Stillæ corallino rosario et serto ornaverit.

in monasterio habitantes,

Anno MDXCVI in eodem monasterio persona quædam secularis tanta cordis angustia premebatur, ut ob præsens mortis periculum extremis ecclesiæ Sacramentis præmuniretur Cum terram ex S. Stillæ sepulcro desumptam accepisset, sanata est, et postea cereum obtulit.

et sacerdos Herriedensis,

30 Cum sacerdos Herriedensis anno MDXCVI vehementer ex pedibus laboraret, menti ejus occurrerunt prodigia, quæ ad S. Stillæ sepulcrum patrabantur. Quapropter promittit. S. Stillæ peregrinationem, Missam, et ceream unius libræ candelam. Post hoc votum cœpit melius habere, et promissam peregrinationem instituit.

præter filiolam senatoris ejusdem oppidi.

Anno MDXCVII filiola senatoris Herriedensis in somno ita terrebatur, ut alta voce sæpius exclamaret. Parentes eam S. Stillæ devovent, et dum mater peregrinationem perficit, puella ab omni terrore liberata est.

ac alterum sacerdotem, a variis morbis sanantur.

Anno MDXCVII sacerdos Herriedensis vehementibus podagræ doloribus cruciabatur. Dum S. Stillæ duos cereos pedes et Missam promittit, dolor mitigatur, et saltem poda- F gra toties non rediit, quoties antea solebat.

S. Stilla in difficili partu,

31 Anno MDXCVII uxor cujusdam vinitoris circa cœnobium, vulgo Holtz dictum, in difficili partu periclitabatur. Simulatque terram e S. Stillæ sepulcro erutam acceperat, hoc periculo erepta est.

dentium dolore

Anno MDXCVII nobilis quidam habebat unicum filiolum, qui odontalgia torquebatur. Dum is S. Stillæ cum argenteo dono et cereo cochleari offertur, omnis dentium dolor recessit.

et oculorum infirmitate auxilium præstat.

Anno MDXCVII matrona quædam Herriedensis magna oculorum infirmitate laborabat. Confessarius illi suadet, ut S. Stillæ oblationem ac peregrinationem promittat. Dum hoc consilium executioni mandat, visus ei restituitur.

Duabus matronis,

32 Anno MDXCVIII uxor secretarii Ellingensis in gravem morbum inciderat, ita ut de vita periclitaretur. In hoc discrimine cogitans de S. Stilla, imperat ancillæ suæ, ut sibi terram de sepulcro S. Stillæ afferat:

cumque

A cumque hanc magna fiducia accepisset, et capiti suo supposuisset, convaluit et pro accepto beneficio peregrinationem instituit.

periculose ægrotantibus

Eodem anno soror prædictæ matronæ periculoso morbo detenta magnis per totum corpus cruciatibus vexabatur. Suasit igitur ei soror, ut S. Stillæ peregrinationem promitteret; qua suscepta, sanitatem obtinuit.

ac viduæ ex brachio dolenti succurrit.

Anno MDXCVIII vidua Spaltensis habebat manum contractam, et in brachio magnum dolorem sentiebat. Hæc ex alterius consilio dona quædam S. Stillæ promisit, iisque oblatis, pristinam valetudinem consecuta est.

Duo conjuges gravi morbo laborantes curantur,

32 Civis Herriedensis ejusque uxor graviter ægrotabant. Cum uxor sibi mortem instare putaret, appellat ægrum maritum, ei liberos commendat, et culparum a se commissarum veniam flagitat. Ad hæc maritus, non satis mentis compos, respondet, eam non morituram, monetque, ut S. Stillam invocet. Dum uxor S. Stillam nominari audit, eamque vi morbi victa ore invocare non potest, corde promittit argenteum donum cum libra ceræ, et B peregrinationem ad S. Stillæ sepulcrum. Post hæc paulatim convaluit, et anno sequenti votum implevit.

et uxor molitoris ad sanam mentem reducta pie obit.

Uxor molitoris Tauttwindensis prægnans laborabat phrenitide, quæ nullis remediis poterat curari. Suadebatur molitori, ut eam S. Stillæ commendaret : quo facto, hic morbus discessit, et ipsa postmodum pie ac placide obiit. Maritus post ejus mortem argenteum donum obtulit, et nobis hoc miraculum narravit.

Quatuor pueri

34 Civis quidam Spaltensis habuit infantem, qui diu noctuque misere vociferabatur. Simul atque parentes illum S. Stillæ devoverunt, infans quievit, et deinceps nullus in eo morbus deprehensus est.

a parentibus

Puer alterius civis Spaltensis etiam nocte et die tumultuabatur. At ubi mater eum cum cerea candela S. Stillæ obtulit, furere desiit. EX MS.

S. Stillæ commendati

Uxor molitoris cujusdam habebat puerum phrenitide laborantem, qui S. Stillæ oblatus convaluit.

sanitatem recuperant,

Puero honoratæ cujusdam matronæ Spaltensis excrescebat ingens gibbus. Ubi mater eum cum cerea oblatione S. Stillæ devovit, hæc deformitas ita ablata est, ut deinceps observari non potuerit.

et implorato illius auxilio incendium prodigiose exstinguitur.

35 Anno MDCIII die I Maii inter horam octavam et nonam vespertinam non procul a nostro *a* monasterio exortum est tam vehemens incendium, ut octo cubicula consumpserit. Cum vero jam aqua deficeret, et ignis magis magisque accenderetur, totus ille locus haud dubie comburendus videbatur. Quando flamma vento instigata octavum cubiculum devastabat, parochus Abenbergensis, qui tristi huic spectaculo cum multis aliis intererat, nomine incolarum loci vovit S. Stillæ quinque Missas et totidem libras ceræ, ut incendium exstingueretur. Statim ventus resedit, flamma stetit, nec ulterius nocuit. Postea prædictus parochus has Missas in altari S. Stillæ E celebravit.

Epilogus.

Nostro tempore similia beneficia sæpius præstantur, uti Missæ votivæ et diversæ oblationes satis manifestant. Hæc autem miracula libenter annotaremus, si ii, quibus contingunt, ea nobis indicarent *b*.

ANNOTATA.

a *Ex hoc loquendi modo satis colligitur, ea miracula a monialibus, aut earum confessario fuisse collecta, uti etiam aliæ phrases passim indicant.*

b *Hic epilogus a recentioribus additus videtur; imo forte eo tempore, quando Papebrochius circa annum* 1670 *miracula etiam recentiora petiit, quæ defectu notitiæ dare non potuerint.*

DE S. PETRO CONFESSORE

FULGINII IN UMBRIA.

C F

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. C.

Sancti cultus, Vitæ scriptores, et Acta.

ANNO MCCCXXIII. Probatur cultus S. Petri,

Fulginium antiqua Italiæ episcopalis est civitas, nunc vulgo Foligno *dicta, et in Umbria circa radices montis Apennini ad Tiniam fluvium sita, colit* XIX *Julii beatum Petrum civem suum, qui tamen die præcedenti obiisse perhibetur. Præcipuus hujus cultus testis est Ludovicus Jacobillus Fulginas, qui in opere Italico de Sanctis patriæ suæ pag.* 242 *et* 243 *ex antiquis monumentis probat, titulum* beati *vel* sancti *recte* Petro *populari suo tribui, citatque inter alia ex Brevi Bonifacii IX Pontificis, quod* XI *Maii anno* 1391 *datum est, sequentia verba :* Omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui festo sancti Petri, quod celebratur die decima nona Julii, et per tres dies dictum festum sequentes ac in ejus Octava, majorem ecclesiam Fulginatem devote visitaverint, annuatim perpetuis futuris temporibus, auctoritate apostolici tenore præsentium concedimus *etc. Deinde idem scriptor asserit, jam ab anno* 1385 *Fulginii in ecclesia Cathedrali sacellum isti* S. Petro *erectum fuisse, ac hodiedum quotannis vigiliam et festum illius solenniter celebrari, ejusque reliquias, crystallo et auro ornatas, publicæ venerationi exponi. Denique in altero opere Italico de Sanctis Umbriæ tom.* II, *pag.* 48 *testatur, istius Sancti vestem in monasterio Sublacensi honorifice conservari, ac in catalogo reliquiarum ita notari :* Tunica S. Petri Criscii de Fulgineo. *Hæc immemorabilem cultum satis videntur evincere. Nunc de Actorum ejus scriptoribus pauca prænotanda sunt.*

cujus vitam Ferrarius in compendium redegit.

2 *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ex monumentis ecclesiæ Fulginatis Vitaque ejus Ms., ut ipsemet notat, accuratum texuit Actorum compendium, quod hic transcribo.* Petrus Fulginii ex Cresciorum familia natus, cum amissis parentibus

AUCTORE G. C.

parentibus annum ætatis trigesimum ageret, prioris vitæ institutum dolere cœpit. Quare re familiari, quæ ei copiosa fuerat a parentibus relicta, vendita, pretium omne pauperibus erogavit. Cujus tanta fuit in pauperes misericordia, ut cum nihil aliud, quod daret, remansisset, seipsum cuidam ad serviendum pacta mercede, quam pauperibus distribueret, locaverit. Sacco indutus sic erat orationibus et vigiliis addictus, ut sæpe plures dies et noctes cibo abstineret. Humi in æde S. Feliciani, cui inserviebat, sese flagellis cædens, noctu cubabat; ubi dæmonem, qui illi humana et præclara quadam forma divitias offerens apparuerat, signo crucis fugavit. Romam profectus devotionis ergo reliquias sanctorum maxima cum humilitate veneratus est. Basilicam S. Mariæ Angelorum sæpissime visitabat. Spoleti et Assisii hæresis falso accusatus, cognita statim ejus innocentia, liber ad inquisitoribus dimissus est. Cum dies obitus, quem ante præscierat, instaret, amicum rogat, ut lumen afferret ex ecclesia: cumque is lampades omnes exstinctas re-
B
perisset, iterum rogatus, ut pergens ad aram B. M. V. inde lumen acciperet, cum ivisset, lampadem divinitus accensam invenit. Denique cum dæmonem horribili forma conspexisset, Crucifixi imaginem amplexus animam Deo reddidit XIV Kal. Aug. anno salutis MCCCXXIII. Cujus corpus aliquot dies insepultum suavem mittens odorem multis ægrotis, qui sanabantur, ad illud accurrentibus, in eadem ecclesia conditum est. *Eadem fere habet Bzovius in continuatione Annalium Baronii ad annum Christi* 1323 *num.* 20.

Antiquissimus Actorum scriptor est Joannes de S. Geminiano Dominicanus,

3 *Jacobillus in opere de Sanctis Fulginatibus a pag.* 225 *fusius Vitam* S. Petri *Italice conscripsit; eadem vero Acta jam anno* 1627 *Fulginii ediderat Nicolaus Barnabo, quem Jacobillus in titulo et margine citat. Sed, relictis his recentioribus, adeamus antiquum ejusdem Vitæ scriptorem, cujus ecgraphum in fine mutilum habemus. Is est Joannes Gorinus de sancto Geminiano ex Ordine Fratrum Prædicatorum, ut indicat Ms. nostri titulus, qui sic habet:* Legenda de vita et obitu gloriosi confessoris beati Petri de Fulgineo, composita et ordinata per F. Joan-
C
nem Gorini de sancto Geminiano Ordinis Fratrum Prædicatorum, de mandato reverendi in Christo patris et D. Domini Joannis Dei gratia episcopi Fulginatensis, ad laudem et honorem Dei, suæque sanctissimæ Matris, nec non ad honorem et magnificentiam dicti confessoris sanctissimi Petri, totiusque civitatis et populi Fulginatis. *Ex hoc titulo eruenda est auctoris ætas, in qua assignanda scriptores Dominicani non conveniunt, et varii gravissime hallucinati sunt, ut recte observavit Jacobus Echardus in scriptoribus istius Ordinis novissime recensitis tom.* I, *pag.* 528. *At nunc discutiendum est, an ipse alios corrigens, hic omnem errorem vitaverit.*

de cujus ætate disputatur.

4 *Igitur laudatus Echardus loco proxime citato elogium hujus auctoris ita inchoat:* F. Joannes de sancto Geminiano, a patria sic vulgo dictus, quem alii de Goro vel Gorinum a familia nuncupant, Etruscus fuit natione; Geminiani fani primam lucem vidit, et Senis Ordini S. Dominici nomen dedit. Concionatorem circa MCCCXIV tota Italia clarissimum, ac sacrum oratorem sermonibus perpolitis et levigatis præstantissimum laudat Leander. *Deinde post longam disputationem de ejus scriptis (inter ea non recenset hanc Legendam) opinatur, illum septuagenario majorem obiisse anno* 1323, qui longior est, *inquit,* vitæ ejus terminus. *At quomodo hic mortis annus subsistere potest, si* de mandato reverendi in Christo patris et Domini Domini Joannis Dei gratia episcopi Fulginatensis *Vitam* S. Petri *composuerit? Ughellus enim tom.* I *Italiæ sacræ col.* 757 *inter præsules Fulginates enumerat duos Joannes, quorum primus anno* 1364, *alter ejus successor anno* 1384 *istam cathedram ascenderunt. Jacobillus quidem in Chronologia episcoporum Fulginii Italice edita pag.* 35 *tantummodo unum Joannem nominat, sed eum etiam anno* 1364 *antistitem creatum fuisse asserit. Oportet itaque Echardum aliosque scriptores Dominicanos circa istius auctoris ætatem hallucinari, aut catalogos episcoporum Fulginatensium a vera chronotaxi aberrare.* D

Mutilum Actorum apographum,

5 *Ceterum quidquid sit de determinata istius biographi ætate, certe est antiquissimus eorum, qui res a* B. Petro *gestas litteris mandarunt. Quare apographum istius Ms., quod habemus mutilum, huic commentario subjungemus, et more nostro in pauciora capita dividemus. Veteres autem capitum tituli sunt sequentes:* CAP. I. Quomodo beatus Petrus mundum dereliquit, et se divino servitio totaliter mancipavit. CAP. II. Quomodo beatus Petrus corde contritus cum multis lachrymis omnia sua peccata fuit confessus. CAP. III. Quomodo beatus Petrus omnia vendidit propter Christum, et pretium pauperibus est elargitus. CAP. IV. Quomodo beatus Petrus se ipsum vendidit, et pretium propter Christum est largitus pauperibus. CAP V. De vili et despecto indumento, quo beatus Petrus vestitus incedebat. CAP. VI. De modo assiduæ orationis beati. Petri. CAP. VII. De mira beati Petri pœnitentia, et maxima sui corporis maceratione atque afflictione. CAP. VIII. De diversis tentationibus et persecutionibus, quas beatus Petrus passus est a dæmonio. CAP. IX. Quomodo beatus Petrus examinatus de fide ab inquisitore hæreticæ pravitatis perfectus inventus est. *Reliqua vero desiderantur, et dicuntur Romæ exstare in bibliotheca Vallicellensi; sed inde petita inveniri non potuerunt, ut notavit Papebrochius noster in Ms. indice itinerario.* E F

aliunde suppletur,

6 *Hunc igitur defectum supplere debet Ferrarius, qui ex illo Ms. integro videtur contexuisse suam Actorum synopsin, quam exhibui num.* 2. *Joannes Severanus, qui librum de pretiosa morte justorum ordine alphabetico digessit, mortem* B. Petri, *quæ etiam in Ms. nostro deest, ita narrat:* Petrus de Fulgineo de sui exitus die divinitus edoctus, gravi inde fuit languore correptus. Orationi autem ferventius vacans, non destitit more solito quotidie Missam in ecclesia S. Feliciani audire, et sacramenta pœnitentiæ atque Eucharistiæ suscipere. Tandem infirmitate graviori detentus, in loco consueto (campanili scilicet ejusdem ecclesiæ) super duros lapides jacens; noluit (exemplo S. Agathæ) consiliis acquiescere suadentium carnalem medicinam corpori exhibendam, sciens brevi se migraturum. In ultima porro nocte, qua migravit ad Dominum, circa Matutinas transitus sui horam instare cognoscens, rogavit virum quemdam, secum ibi commorantem, de ecclesia lumen ad eum deferret: sed is cum renuntiaret, se lampades

A des exstinctas invenisse, denuo redire jussus, eas accensas reperit: oraverat enim magna fiducia Dominum, ut qui esset vera lux, aliquantulum sibi in illa hora concederet luminis, dixeratque viro illi, ut ante imaginem iret gloriosæ Virginis, eique diceret, quod toties lampades suas ipse accenderat, et lumen ante ipsam posuerat, ideo placeret sibi aliquantulum luminis concedere. Viso igitur lumine, gratias egit. Adstantem dæmonem aspexit et despexit, inquiens cum S. Martino: Quid adstas cruenta bestia? Et accepta demum Crucifixi imagine, eamque sæpius amplexatus, Deo animam reddidit anno salutis MCCCXXIII. *Forte is scriptor idem Ms. præ oculis habuit: nam in fine sic illud citat:* Ms. Bibl. Vall. ex Legenda ejusdem edita a fratre Joanne Gorini de S. Geminiano Ord. Præd. de mandato episcopi Fulginatensis. *Jam nihil superesse existimo, nisi ut memoratum Ms., quamvis postrema sua parte truncatum, typis vulgemus.*

B

ACTA MUTILA

AUCTORE JOANNE GORINO A SANCTO GEMINIANO EX ORDINE FF. PRÆDICATORUM.

Ex quodam Ms. forte Fulginatensi.

CAPUT I. *Sancti Petri conversio, misericordia erga pauperes, et contemptus suiipsius.*

Sanctus ad meliorem vitam conversus, a.

Fuit in partibus Umbriæ de civitate Fulginei Petrus *a* nomine, qui in juventutis suæ tempore, anno scilicet trigesimo vitæ suæ, cum magna divitiarum mundanarum copia, absque carnali patre existens, et sancto C Spiritu instigante, cognoscens, quamcumque mundanitatis gloriam nihil esse, et nihil de hoc seculo divitiarum amatores de suis divitiis reportare, cum hoc in se ipso experiretur, qui in hoc mundo volunt divites esse, incidere in quamplurimos laqueos diaboli, et perdere cælum, omnem vanam mundi gloriam, ac pompam, atque divitias omnes et corporis delicias, quæ omnia suo tempore ardenti animo amavit, atque secutus est, deserere disposuit, et quomodo divinis totaliter inhæreret mandatis, ac servitiis, et placitis obedire posset, cœpit cogitare. Demum Vir Dei attendens talem, quam habebat, cogitationem esse a Deo sibi sic inspirante, in effecto posuit, animum scilicet suum a quibuscumque mundanis rebus caducis et vanis, seu honoribus amovendo, ipsi mundo, ac omnibus pompis ejus similiter atque ex integro renuntiando, et se de cetero divino servitio totaliter dedicando. O felix Confessor, cui non defuit perfectissimus Salvatori adhærendo modus, quem Apostolus Petrus, sequi volens Christum, tenuit, de quo legitur, quod ad unius jussionis vocem secutus est Christum, quod et iste Petrus non omisit, cum ad unius jussionis vocem, id est inspirationem, a Domino habitam, omnia mundana reliquit, et soli salvatori Christo inhæsit. *EX MS.*

et peccata sua

2 Sed almus Dei confessor Petrus solerti attentione considerans, quod ipse Deus non habitat in corpore subdito peccatis, et quod omnia in confessione lavantur, purgato animo a mundanis exterioribus rebus, quæ ut plurimum, et in multis occasio sunt peccandi, cogitavit suam mentem totaliter disponere, et ordinare, quod in ipsa ipse Christus per singularem gratiam, ut postmodum fecit, inhabitare dignaretur, et vellet. Cœpit igitur de perpetratis peccatis cum dolore peramaro cogitare et de cogitationibus, locutionibus, atque operationibus suis per eum secundum tempora operatis, atque habitis in particulari et in generali maximam contritionem habere, ac de ipsis cum maximis lacrymis, suspiriis, et singultibus apud divinam misericordiam lamentabiliter et humiliter indulgentiam petere, et pro immensa, quam habebat, contritione ante divinam clementiam E exorans, et ejulans, tanta abundabat copia lacrymarum, ut sui oculi quasi rivuli, seu vivi fontes aquarum ex abundantia cavarentur; et non solum nunc in isto principio, sed quandocumque de suis peccatis recordabatur, tantam jam dictam effundebat copiam lacrymarum.

multis cum lacrymis confessus,

3 Unde et de eo dicitur, quod sæpe sæpius ipse de fluvio lapides quosdam valde politos accipiebat et ipsos cum suis lacrymis infundebat, atque lavabat: quos lapides sic suis lacrymis madefactos in quodam canistro, cum quadam tobalia *b* fresciata *c* super suum caput per civitatem portabat, et ante imaginem Virginis gloriosæ ipsi matri, ac suæ proli Jesu offerebat, in hoc volens innuere, quod sicut illi politi lapides, qui graves erant, ita erant aqua mundati, ita et peccata quæ suam gravabant animam, et fœdaverant, suarum lacrymarum virtute erant amota, sive deleta. O Confessor sanctissime! qui vere Petrus re et nomine appellaris, atque existis, Petrum sequens in omnibus Apostolum, de quo habetur, quod post peccatum negationis F flevit amare, et quod quandocumque recordabatur sui peccati et dulcis præsentiæ Jesu Christi, totus resolvebatur in lacrymas in tantis, ut propter lacrymarum abundantiam sudarium in suo sinu semper portabat, quod tu similiter per omnia facere comprobaris, atque convinceris. Tandem dictus Dei Confessor plenus lacrymis cum dolore permaximo, atque uberrimo flens in tantis, ut vix valeret verba exprimere ad sacerdotem veniens, et peccata sua plenissime confitens indulgentiam, et remissionem plenariam obtinuit peccatorum a Domino plenarie, et cum effectu audire meruit, quod lacrymis Magdalena plena audivit, videlicet: Remittuntur tibi peccata tua: vade in pace. *b c*

bona sua pauperibus distribuit,

4 Hic, inquam, Petrus Dei confessor, ut legis euangelicæ operator esset perfectus, et Christo servire posset, mandante dictæ legis Euangelicæ auctore atque dicente: quod Si quis vult perfectus esse, omnia vendat, et pauperibus pretium tribuat, et sic Christum sequi debeat, sæpe dictus Confessor. homo utique

Ex Ms.

utique apostolicus, euangelicus volens existere, omnia, quæ habuit, temporalia bona vendidit, et pretium totum et quidquid in argento, sive auro habuit, pauperibus propter Christum tribuit, atque dedit. In hoc utique illorum Apostolorum discipulus, de quibus in Actis Apostolorum habetur, qui vendebant domos, agros, et pretium ad pedes Apostolorum aliis distribuendum ponebant. Felix plane Petrus Christi confessor, qui merito cum Apostolo Petro dicere potuit Christo: Ecce ego reliqui omnia, et secutus sum te; cui Christus cum effectu respondere non desinit: Centuplum accipe, et vitam æternam posside.

ac se ipsum vendit, ut iis eleemosynas largiri possit.

5 Sed nullo modo est silentio prætereundum, sed clara voce est prædicandum, quod omni admiratione dignissimum decus, Petrus, utique Dei confessor Christi amore peregit: nam venditis omnibus, et pretio pauperibus erogato, corpus suum proprium vendidit, et pretium Christi pauperibus est largitus. In hoc sequens apostolicum, et euangelicum virum Dei Dominicum fundatorem, et Patrem Ordinis Prædicatorum, qui pro suorum B proximorum sublevanda miseria pluries se ipsum voluit vendere. In hoc, et hic Dei confessor Petrus suo Salvatori recompensans, ut sicut ipse Salvator pro sua totiusque humani generis salute vendi voluit, sic ipse pro sui Salvatoris amore se ipsum vendidit, ut merito ipsi Salvatori Petrus hic dicere possit, quod Apostolus Petrus cuidam infirmo ad januam templi jacenti dixisse legitur: Aurum, et argentum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, meum scilicet corpus. Qui Petrus, suo vendito corpore, cum omni humilitate suo emptori ad obediendum in omnibus se offerebat, qui suus emptor libere abire ipsum permisit, ei imponens, ut pro eo ad Deum continue preces effunderet: quod dictus Dei Confessor cum omni charitate, et devotione facere non omittebat. O Confessor inclyte, qui Salvatori tuo, cui proditor Judas injuste innocentem suum vendendo sanguinem abstulit, tu tui corporis pretio reddidisti.

Vili veste,

6 Hic est confessor Petrus, non auditor obliviosus factus verborum Apostoli Pauli, C sed factor operis dicentis: Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus; vilissimo, et despectissimo induebatur vestimento, de panno siquidem canepino, *d* grossissimo, asperrimo, atque durissimo. Ejus vestimenti forma, non nisi quidam saccus veridice dici potest, cum nec manicas habeat, nec girones *e*, nec capitellos *f*, atque bottones *g*; nec vanitas aliqua in ipso vestitu aliquo modo apparebat, sed quasdam habebat fenestrulas, per quas brachia submittens et manus, sic tali tunica, quin potius, ut magis proprie loquar, tali sacco suum, qui totaliter amorem Jesu Christi expresserat, corpus tegebat, et cum tanto sui corporis despectu incedebat, atque vivebat, ut ab omnibus quasi fatuus putaretur. In hoc in semetipso repræsentans album vestimentum, quo suus salvator Christus Jesus ab Herode passionis tempore in signum irrisionis, cum ipsum ad Pilatum remisit, vestiri fecit.

et nudis pedibus incedit.

7 In signum autem sui majoris despectus, jam dictus Petrus nudo pede incedebat, non byssina camisia, seu linea, aut aliquo indumento, sed solum jam dicto sacco omni tempore D hieme pariter, et æstate supra nudas carnes vestiebatur; in capite autem nihil portabat. In hoc facere non omittens, quod Petro Apostolo factum fuisse in Antiochia legitur, cum sanctus rara corona in signum fatuitatis, et irrisionis discooperto capite per civitatem jussus est trahi. Propter talem ergo, ac tantum despectum confessor hic Petrus non sani capitis, seu sensus esse ab omnibus putabatur, sed merito propter suam maximam, quam assecutus est, gloriam dici potest, quod de numero sit illorum, de quibus libro Sapientiæ dicitur: Hi sunt, quos aliquando nos habuimus in derisum et in similitudinem improperii. Vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem illorum sine honore; modo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est. O Confessor sanctissime, qui in tanta vilitate corpus tuum tenendo, tanta inter Sanctos Dei gloria præmiaris!

ANNOTATA. E

a *Jacobillus in Sanctis Umbriæ tom. II, pag.* 46 *dicit, eum fuisse filium Petri Cresci, natumque esse circa annum* 1243. *Sed antiquus Vitæ scriptor nec hoc cognomen, nec annum nativitatis exprimit. Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ notat, eum vulgo vocatum fuisse Petrillum, Italice* Petruccio, *quod nomen vel ex contemptu vel ex parva corporis statura ipsi datum est, ut etiam observat Jacobillus.*

b Tobalia *idem est quod Latine* mantile, *deductum ab Italica voce* tovaglia, *quæ idem significat.*

c *Vox* fresciata *videtur etiam oriri ex idiomate Italico, in quo* fregiare *significat* ornare, *ita ut* tobalia fresciata, *ni fallor, hic accipiatur pro mantili ornato. Mirum est, Jacobillum Italum has barbaras voces in Vita Italica non expressisse.*

d *Forte legendum est* canabino, *quod est genus panni vulgo Italice dictum* canevaccio.

e *Lambi, qui vestem circumeunt, Italice vocantur* gironi.

F

f *Nescio, quid hic proprie ea vox designet, nisi forte per metaphoram accipiatur pro superiori vestis parte, sicut* capitellum *vocatur superior pars, quæ columnæ imponitur, quam Græci* ἐπιστύλιον *appellant.*

g Bottones *sunt globuli, quibus vestes connectuntur, qui Italice dicuntur* bottoni, *et Gallice* boutons.

Caput II. *Studium orationis, pœnitentia, tentationes, et falsa hæreseos insimulatio.*

Vacat orationi,

Quia mandante Salvatore, ac Domino Jesu Christo in Euangelio Lucæ, atque dicente, quod oportet semper orare, et non deficere; almus Dei confessor Petrus orationi die, noctuque quasi continue insistebat. In orando autem modum valde mirabilem, sed ei signatum, absque singulari mysterio

A sterio Confessor sanctus observabat : nam in oratione se ponens, versus solem communiter aspiciebat, et irreverberatis oculis solis sphæram contra naturæ communem hominis cursum respiciebat : in quo aspectu ipsum verum solem Jesum Christum cum virtute ita fixe, et immobiliter solis rotam aspiciendo stabat. Clara facie pluries [eum] vidit, vere ut alter Moyses de aquis mundanæ vanitatis assumptus, qui vero soli, scilicet Deo, in monte facie ad faciem loquebatur. Huic, et confessori Petro Christus in sole se ostendebat, qui Petro Apostolo in transfiguratione in monte apparuit in facie splendidus sicut sol. In tali autem aspectu Jesu in solis sphæra Sanctus tanto est dulcificatus, sive calefactus amore ipsius Jesu Christi, ut quandocumque tale nomen nominaretur, cum maxima devotione genuflectebat, taleque nomen benedicebat.

ac divinarum rerum contemplationi,

9 Unde tanto spatio ad solem in oratione positus persistebat, ut mille vicibus genuflecteret, nomenque Jesu, quem videbat, devotissime collaudando, cum tanto etiam fervore B orabat, ut totus sudore permaximo balnearetur; in hoc suum sequens Christum, qui in oratione positus sudore permaximo fuit repletus. Toties, et quoties a quocumque etiam puero sibi dicebatur, ut amore Jesu genu flecteret, Petrus genu flectebat. Unde sicut doctor gentium Paulus, postquam Jesum in conversione vidit, ipsum Jesum sic in suo corde posuit, ut nihil se scire putaret nisi ipsum; sic et iste Petrus ex frequenti visione ipsius Jesu, quem in solis sphæra intuebatur, totus in ipsius amore erat positus, et firmatus. O confessor mirifice! qui solem in oratione aspiciendo corporeum, cælos apertos, et verum incorporeum solem justitiæ Jesum Christum ad Patris dexteram sedentem, corporeis oculis cum Stephano videre meruisti.

et corpus suum

10 Quia maximam pœnitentiam agentes, appropinquantes sunt regno cælesti, dicente Domino : Pœnitentiam agite, et appropinquabit regnum cælorum. Mira pœnitentia atque durissima Dei confessor Petrus suam carnem afflixit, ut patet suam discurrendo sanctissimam vitam : nam C arctissima abstinentia escæ, et potus, carnem suam volens subjicere rationi, cum diuturno, et continuo jejunio [se] macerabat. Jejunabat sic quidem omni tempore, sed et non nisi semel in die modico tamen cibo vescebatur; cum hoc sæpe sæpius sex diebus continuis absque cibo corporali continue persistendo. Unus et alter Joannes Baptista hic Petrus erat, non manducans, neque bibens; tam modicum sumebat cibum. Alium, sicut et in aliis, sequens Apostolum, Petrum, qui in carcere positus, absque cibo pluribus est diebus retentus.

variis modis affligit.

11 Mira, atque durissima pœnitentia suum corpus affligebat, ipsi corpori nullam delectabilem requiem tribuendo. Nam nocturno tempore humanæ deputato quieti, non nisi parum dormiebat, sed ipsas noctes pro majori spatio temporis ducebat insomnes, ipso tempore orationibus, et contemplationibus insistendo. Illo autem parvo tempore, quo quiescebat non super pannos laneos, aut a lineos, sive super calcitras, aut savones *a*, sed super durissimos lapides in campanili majoris ecclesiæ Fulginatis, scilicet sancti Feliciani *b* jacebat, et statim surgens omni nocte ad Matutinas, et memor existens, quod Christus ad columnam fuerat flagellatus, cum multis duris, atque frequentibus disciplinis suum corpus percutiebat, atque flagellabat. Ut sicut Apostoli sancti, qui ibant gaudentes a conspectu concilii, quando digni habiti sunt pro nomine Jesu flagellari, sempiternum assecuti sunt gaudium, sic iste in omnibus apostolicus Vir, suum corpus flagellis percutiebat, et disciplinis, ut quod illi assecuti sunt, et ipse quodam modo assequi mereretur. O pretiosus plane confessor! qui volens suam carnem spiritui totaliter esse subjectam, tanta maceratione mulctavit, ut semper cum spiritu exultare possit cum Deo.

Ex ms *b*

Dæmonis tentationibus,

12 Adversarius autem noster diabolus, antiquus humani generis inimicus sustinere non valens dicti Viri Dei opera tam perfecta, sed ipsum volens retrahere a proposito, ipsum cum multis tentationibus, atque adversitatibus est aggressus. Nam semel malignus spiritus sub bonitatis specie Petrum jam E dictum a Creatoris amore volens subtrahere, ac ipsum ad amorem vanæ creaturæ volens inducere, tali falsissimo usus est modo. Nam sub humana specie sibi apparens talia omni dolo, et malitia plena prolatus * est verba, ait nempe : Petre miror multum, quia per ea, quæ egisti, fatuus (et merito) ab omnibus appellaris. Vendidisti enim te, et tanta, et subito inter pauperes, vano motus amore, dispersisti; sed si meis assensum monitis præbere volueris, multo majores habebis delicias, et temporalia bona, domos, denarios, agros, et vineas, et tot, et tanta sibi contribuam, ut si quinquaginta habueris filios, quilibet militari *c* [more] poterit vivere. Hæc autem omnia tibi dabo, si a tali, quam cœpisti tenere, fatua vita totaliter te volueris subtrahere. Quid enim (omni dolo plenus inimicus subrependo dicebat) proficeret tibi talia et tanta de tuo corpore despecta peragere, cum tam vili et despecto sacco induto, cum capite discooperto, brachiis, et pedibus denudatis ambulare; sequeris ergo, quod dico, et delectabilia quoque habebis ad F votum.

** forte profatus* *c*

fortiter resistit.

13 Unde vir Dei Petrus clare cognoscens talia seductoria verba inimici humani generis esse, signo crucis se muniens ipsum inimicum cum magna confusione expulit dicens : Vade inimice, omni deceptione plenissime, talia non mihi sunt nociva, quæ subreperis mundana, seu temporalia bona, cum habeam Dominum Jesum Christum, qui mihi omne est bonum, et me in omnibus et defendit et juvat. Et in hoc Confessor sanctissimus suum secutus est Salvatorem, qui ab inimico tentatus, in tertia tentatione ipsum inimicum expulit dicens : Vade sathana, scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Dictus etiam inimicus Dei, Confessoris operibus plurimum invidens, ipsum quondam semel visibiliter in suis brachiis accepit, ac de campanili majoris ecclesiæ Fulginatis S. Feliciani, usque ad terram projecit; sed quia ipse Deus angelos suos suis amicis mittit, qui eos custodiant in omnibus viis suis, ne forte offendant ad lapidem

ex ms. lapidem pedem suum, et cum suis amicis ipse Deus est in tribulationibus, eos eripiens, et glorificans : sic, et hunc suum amicum Petrum illæsum servavit, quod in aliquo sui corporis membro, nec minimum nocumentum ex tali casu recepit, atque eum ex omnibus tentationibus semper eripuit, et postmodum glorificavit. Unde ex effectu dici potest, quod huic Petro dictum fuerit quod Apostolo Petro dictum fuit a Christo, videlicet : Ecce sathan expetivit te, ut cribraret sicut triticum persecutionibus, et præcipitationibus ; sed ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua. Quia et sæpe sæpius Romam ad visitanda sanctorum limina Apostolorum, et ad sacellum *d* Angelorum, ut Angelorum custodiam habere mereretur, cum maxima devotione pergebat. Ab ipso dæmone multos, et multoties in via recipiebat insultus ; sed non propter hoc permittebat, quin pergeret, quod cœperat, iter. Plane sanctus Dei Confessor ita clare dæmonis semper cognovit astutias, ut numquam ab eo læsionem aliquam recipere potuerit, sed semper B de eo maximam reportavit victoriam.

et falso de hæresi accusatur.

14 Quia de adversario nostro scilicet dæmone dictus Confessor cum maxima victoria triumphabat, quidam iniquitatis filii, membra utique diaboli, ipso eodem dæmone movente et instigante, zelo invidiæ moti, apud inquisitorem hæreticæ pravitatis falsissime, quomodo in fide erraret, accusaverunt. Beatum, inquam, Petrum fide, spe, atque charitate plenissimum accusant, sine fide, spe atque omni charitate existentes, et omni bona virtute vacui, omnique malitia pleni. Sed quia sapientia vincit malitiam, ipse Petrus fundatus in Petra, scilicet Christo, utique sapientia patris, talium malitiam maxime vicit. Inquisitor autem, quia sic ad eum ex officio pertinebat, Petrum accusatum de hæresi, sed per omnia catholicum et fidelem, ut pa- C tuit, citari fecit : qui Petrus cum omni læ- D titia Assisium coram inquisitore, de qua erat plenus fide catholica responsurus comparuit. Cui Petro per inquisitorem propositi articuli, et quæ sunt de fide, et interrogatus, quid sentiret de Christi Incarnatione, Passione, et Resurrectione, et Ascensione, est per eum quoad omnia luculenter, et catholice responsum. Inquisitor autem, et innocens abire ipsum disponebat, perpendens accusationem esse falsissimam in eum factam. Filii autem diaboli inquisitori suis subdolis, et malitiosis verbis dicere cœperunt, quia ex malitia Petrus talia responsa dederat. Quod audiens inquisitor, disposuit ipsum Spolerum transmittere, ut iterum examinaretur ; et si ipsum inveniret errantem, contra eum sicut contra hæreticum procederet *e*.

ANNOTATA.

a *Ex sensu conjicio, hac voce indicari linteum, quo lecti sterni solent, quod Hispani vulgo* Savana *vocant.* E

b *De hoc S. Feliciano episcopo Fulginate actum est in Actis nostris ad diem* XXIV *Januarii.*

c *Id est magnifico, nobili, vel aulico modo poterit vivere : nam militia varias habet significationes, ut videri potest apud Cangium in Glossario.*

d *Erat hic abbreviatio corrupta, quæ fere exprimebat* sacellum ; *quapropter hanc vocem substitui, quia Jacobillus et Ferrarius narrant, quod* S. Petrus *aliquoties visitaret ecclesiam S. Mariæ angelorum circa Assisium.*

e *Hic desinit Ms. nostrum, et deinde eodem charactere exarata sequuntur hæc verba :* Reliqua in alio Ms. in bibliotheca Vallicellæ in urbe. *Jam dixi in Commentario prævio, nos supplementum inde frustra petiisse. Ex hac clausula etiam colligo, apographum nostrum forte Fulginii descriptum esse, ut proposui in titulo.* F

INDEX HISTORICUS

IN QUARTUM TOMUM JULII.

Asteriscus * significat tractatum præliminarem de Patriarchis Antiochenis.

A

Aaron *rex Persarum* 210 f
Abulpharagius *seu* Bar-hebræus *scriptor Syrus* * 100 d e f. *Duas Nisibis obsidiones perperam distinguit* 38 e
Acacius *patriarcha CP. quantum apud Zenonem imperatorem valuerit* * 89 e
† Adalbertus *episcopus Pragensis* 190 b. *Dixit homiliam de S. Alexio* 257 a b et seqq.
Adalbero *episcopus Metensis* 424 c
Adamus *ecclesiæ Bremensis canonicus* 97 b
Adelboldus *episcopus Ultrajectinus* 458 a
Adhelelmus *abbas monasterii SS. Bonifacii et Alexii Romæ* 260 d 262 d e
Adrianus I *Papa meminit de controversia inter S. Autpertum et Pothonem abbates S. Vincentii ad Vulturnum* 649 a b
Adrianus VI *Papa Ultrajecti in Belgio natus* 297 d
Æonius *episcopus Arelatensis Romam querelas mittit contra episcopum Viennensem* 641 c
† Agobardus *archiepiscopus Lugdunensis fuit adversarius Ludovici Pii regis Francorum et Judithæ ejus uxoris* 459 e f. *Scripsit de translatione martyrum Scillitanorum in Galliam* 211 d e f
† Agritius *episcopus Trevirensis* 582 e. *Non fuit patriarcha Antiochenus* * 38 f 39
Albertus Stadensis *scripsit Chronicon* 97 c 98 c
Alcuinus *Caroli Magni magister* 206 b
Alevelde (Godeschalcus de) *episcopus Slesvicensis* 102 d
Alexander *discipulus S. Arsenii* 613
† Alexander *episcopus Constantinopolitanus* 31 b e
Alexander *episcopus Alexandrinus* 32 c
Alexander I *patriarcha Antiochenus sustulit longum schisma* * 66 a. *Nomen S. Chrysostomi sacris Diptychis inserit* * 67 e f
Alexander Severus *imperator Romanus* 360 e
Alexianorum *origo inquiritur* 246 d e
Alfricus *episcopus Ultrajectensis* 469 d 471 a
Aliaco (Petrus de) *episcopus Cameracensis et S. R. E. Cardinalis scripsit Vitam S. Petri Cælestini* 489 b
Almericus *hæresiarcha* 189 c f
Alphonsus *rex in Hispania insignem de Mauris victoriam retulit* 122 d
Alvitus *episcopus Legionensis* 584 c
† Ambrosius *laudat sororem suam S. Marcellinam* 232 d e f
Ammianus Marcellinus *antiquus scriptor belli Persici, cui interfuit* 40 c
† Amo *episcopus Tullensis* 47 f
Anastasius Bibliothecarius *varia gesta S. Leonis IV Papæ omisit, si ipse Vitam illius scripserit* 306 a b et seqq.
Anastasius *Cardinalis deponitur* 323 b
Anastasius *imperator a S. Symmacho excommunicatus est* 641 e f. *Cælesti fulmine e vivis eripitur* 274 e
† Anastasius I *patriarcha Antiochenus male confunditur cum S. Anastasio Sinaïta* * 97 e. *Justini imperatoris mandato pulsus post Gregorium I rediit ad sedem* * 98 a
† Anastasius II *patriarcha Antiochenus a Judæis crudeliter interfectus* * 99 f
Anatolius *episcopus CP., quando cœperit isti ecclesiæ præsidere* * 73 f * 74 * 76 d
Andreas *episcopus Pragensis* 192 b f 343 c 344 e
Anni *Græcorum annos Christi* 311 *antevertunt* 263 f
Antimundus *primus episcopus Morinorum* 418 d e 420 b
Antiochena *ecclesia fundata est anno 33 æræ vulgaris Christianæ* * 2 b c. *In tres partes scissa fuit sub S. Meletio* * 56 d e
Antiochia *Syriæ a quo condita* 592 f. *Terræ motu corruit* * 94 e f. *Per Latinos eripitur Saracenis* * 132 e. *A Saracenis recipitur* * 142 c
Antonius (Nicolaus) *scriptor Hispanus patriæ suæ fabulas odit* 209 f 210 a 360 a b
† Aper *episcopus Tullensis* 45 a
Apollonii *antiqui scriptoris sententia de Divisione Apostolorum expenditur* * 5 b c d 12 e f
Apollonius *contra hæresin Cataphrygarum scripsit* 12 f
Arcadius *imperator in Oriente* 249 d
Ardinghus *episcopus Florentinus* 343 e 344 f
Arechisus *dux Beneventanus liberos suos Carolo Magno obsides dedit* 646 f
Ariani *suos laudabant, etsi sceleribus contaminatissimos, et orthodoxos etiam sanctissimos conviliis onerabant* * 33 b c. *Per inductam meretricem insidias Euphrati episcopo Agrippinensi struunt* * 47 b c. *Patriarchæ eorum Antiochia ejiciuntur* 62 a
† Arnulphus *episcopus Suessionensis, cujus corpus in Flandria quiescit, perperam confunditur cum S. Arnoldo Cytharœdo* 448 d
Aristo *episcopus Raceburgensis* 104 c
Artemia *fuit mater S. Aureæ martyris* 651 b
† Asclepiades *patriarcha Antiochenus an martyr obierit?* * 14 d
Assemanus (Josephus Simonius) *nuper edidit bibliothecam Orientalem* * 100 d 263 e f
Aste (Franciscus Maria de) *archiepiscopus Hydruntinus*

druntinus recenter edidit notas in Martyrologium Romanum 207 b
Athanasius IV *patriarcha Antiochenus Jacobita suffocatur, et a suis pro sancto colitur* * 120 a b
Athanasius *episcopus et dux Neapolitanus S. Athanasii patrui sui corpus ex monte Casino Neapolim transferri jubet* 85 b c
Atticus *patriarcha CP. S. Dium consecravit presbyterum* 632 c. *Quamdiu cathedram CP. gubernaverit* 633 f
† Attilanus *episcopus Zamorensis colitur die quinta Octobris* 437 e
Authpertus *abbas Casinensis quo anno e vivis excesserit* 646 f
Auxentius *hæreticus* 384 a b 388 a e
† Avitus *episcopus Viennensis nomine episcoporum Galliæ scribit ad senatores Romanos in causa S. Symmachi* 640 c

B

† Babylas *tantum unus fuit episcopus Antiochenus* * 20 d e f 21 a b c
Baldricus *episcopus Ultrajectensis* 457 d 469 d 471 a
Baldericus *Noviomensis et Tornacensis episcopus scripsit chronicon Cameracense* 155 f
Baronius (Martinus) *clericus Jaroslaviensis collegit varios Sanctos Polonos* 202 d e
Barre (Laurentius de la) *corrigitur* 41 a
Barsalibæus (Dionysius) *scriptor Syrus* * 100 d
Bartholomæus *episcopus Signiensis* 475 f 476 c 477 b
Bartholomæus de Martyribus *Braccarensis archiepiscopus* 122 b c
† Basilius Magnus *frater fuit S. Macrinæ* 589 c 590 d e. *Causam S. Meletii et pacem Ecclesiæ promovere studet* * 59 e f
Basilius Porphyrogenitus *imperator menologium sæculo* x *colligi jussit* 240 f
Basilius *patriarcha Antiochenus sanctis viris charus* * 79 b
Basilius *Seleuciensis scripsit Vitam S. Theclæ* * 5 e
Bec (Joannes du) *episcopus Macloviensis* 614 d
Bela *rex Hungariæ* 329 c
Beka (Joannes de) *canonicus Ultrajectinus scripsit de episcopis Ultrajectinis* 654 c
Benedetti (Petrus) *S. J. Vitam S. Alexii ex Arabica lingua in Latinam transtulit* 262 c e
† Benedictus *Antanæ abbas scripsit de concordia regularum* 609 f
Benedictus *episcopus Portuensis* 257 b 260 c
Benedictus VII *Pontifex* 243 a
Benedictus PP. XI *in Actis nostris omittitur quia certa veri cultus argumenta non suppeditantur* 4
Benedictus XII *Pontifex* 495 b
Bernardus Guidonis *Lodevensis episcopus texuit catalogum de septuaginta Christi discipulis* 17 f
Berengarius *hæresiarcha Sacramentariorum antesignanus* 472 c 476 b 477 d
Bertholdus (Joannes) *S. J. Provincialis Austriæ* 329 f
† Bertichramnus *episcopus Cenomannensis* 431 c
Beselinus *archiepiscopus Bremensis* 109 c
Bielski (Martinus) *historicus Polonus* 514 f
Boimus (Michaël) *S. J. missionarius Sinensis contra Trigaultium nostrum disputat de prædicatione S. Thomæ apud Sinas* 15 f 16 a b
Bonifacius VIII *Papa successit S. Cælestino V* 498 e
Bonifacius IX *concessit indulgentias in festo S. Petri Fulginatis* 663 c f
Bonfinius (Antonius) *scripsit de rebus Hungaricis* 330 c
Boonen (Jacobus) *archiepiscopus Mechliensis* 68 b
Bromptonus (Joannes) *historicus Anglus* 299 a b
Brunechildis *famosa Francorum regina* 148 b 149 f
† Bruno *episcopus Signiensis cum alio homonymo perperam confusus est* 488 d e f
Buchelius (Arnoldus) *hæreticus reprehenditur* 456 d e. *Ubique arrodit gesta Sanctorum* 655 a
Buora (Joannes) *dicitur Venetias attulisse corpus S. Marinæ* 283 a b
Burch (Franciscus vander) *archiepiscopus Cameracensis* 174 b
Bzovius (Abrahamus) *Dominicanus collegit Vitam beati Ceslai* 182 b 184 b 189 b

C

Cæsarius (Joannes) *texuit catalogum episcoporum Cracoviensium* 186 a
Cajetanus (Octavius) *S. J. collegit Vitas SS. Siculorum et scripsit Martyrologium Siculum* 288 a
Calabri *perperam sibi vindicant martyres Scillitanos* 205 d e
† Calimerus *episcopus Mediolanensis* 367 c 369 e
Calixtus II *Papa* 166 f 167 b d e 168 d
Calixtus III *Pontifex* 115 b 116 b
Calmetus (Augustinus) *edidit commentaria in sacram Scripturam* 425 a
Camdenus (Guilielmus) *heterodoxus de antiquo S. Kenelmi cultu testatur* 297 c
Capitolinus *præfectus Thraciæ* 372 c
Carafa (Decius) *S. R. E. Cardinalis et archiepiscopus Neapolitanus* 644 c
Carinus *exiguo tempore Romanum imperium administravit* 369 e
Carolus a basilica S. Petri *episcopus Novariensis et scriptor Italus* 362 f 163 a
Carolus I *rex Hungariæ* 330 b
Carolus V *imperator* 152 a
Carolus Audax *Burgundiæ et Brabantiæ dux* 246 f
Carolus *marchio Badensis* 114 a
Caracciolus (Antonius) *collegit varia ecclesiæ Neapolitanæ monumenta* 72 b 645 c
Carrera (Franciscus) *S. J. scripsit Pantheon Siculum* 288 b
Casarus (Joannes Aurelius) *monachus Vallumbrosanus probat Benignum abbatem recte* beatum *appellari* 338 f 339 a b et seqq.
Cerda (Ludovicus de la) *opera Tertulliani illustravit* 351 c
Cerrutus (Jacobus) *piissimus Societatis Jesu sacerdos, lecta Vita S. Alexii animum ad religiosum institutum adjecit* 249 b
Chartuitius *episcopus scripsit Vitam S. Stephani regis Hungariæ* 330 e
Childebertus *rex Francorum* 146 f 147 a 148 b
Chioccarellus (Bartholomæus) *texuit catalogum præsulum Neapolitanorum* 75 a 545 a
Christianus *patriarcha Antiochenus fidei causa jugulatur* * 142 c
Christophorus *patriarcha Antiochenus a Saracenis interficitur* * 126 f
Chrotildis *uxor Clodovei regis Francorum* 404 a 405 b
Clarus XIX *Generalis Cartusianorum* 122 a
Clemens Alexandrinus *scriptor secundi sæculi* 12 c d *Ejus testimonium de Divisione Apostolorum explicatur* * 5 c d e 12 c d e
Clemens XI *Pontifex declaravit legitimum cultum B. Ceslai* 183 c d
Clodoveus *rex Francorum Christianam fidem amplectitur* 398 f. *Moritur* 399 a

† Clodulfus *episcopus Metensis* 424 f 427 c 430 b c 432 d
Concilium *Antiochenum, cui S. Gregorius Nyssenus interfuit* 590 f 591 a b 597 c
Constantinus *diaconus perperam a Baronio numeratur inter patriarchas Antiochenos* * 111 c d
Constantius *imperator morti proximus baptizatur ab Euzoïo Ariano* * 56 f
Cornelius *episcopus Antiochenus an sit martyr, aut sanctus* * 10 f * 11 a
† Crispinus II *episcopus Papiensis* 23 e
Cromerus (Martinus) *episcopus Warmiensis res gestas Polonorum triginta libris complexus est* 514 e
Croy (Jacobus de) *episcopus Cameracensis* 296 b 297 d
Crusius (Martinus) *scriptor heterodoxus testatur de cultu S. Reginswindæ* 90 f 91 a 92 a
Curæus (Joachimus) *hæreticus scripsit Annales Silesiæ* 196 a e
Cuyckius (Henricus) *episcopus Ruremundensis* 54 d
† Cyrillus *archiepiscopus Alexandrinus* 264 a 612 a 613 d
Cyrillus *monachus scripsit Vitam S. Euthymii* 615 a
Czeles (Martinus) *S. J. Vitas aliquot Sanctorum Hungarorum in compendium redegit* 331 c
Czuittingerus (David) *nuper collegit aliquot scriptores Hungaros* 336 d

D

Damalevicius (Stephanus) *scripsit Vitam S. Bogumili* 327 b
Daniel *discipulus S. Arsenii* 613
Decius *imperator Christianos persecutus est* 364 d e
Decorosus *episcopus Capuanus* 165 c
† Demetrianus *patriarcha Antiochenus acerrime Ecclesiam defendit contra Novatianos* * 22 f. *An obierit martyr* * 23 a b c
Dempsterus (Thomas) *scripsit historiam ecclesiasticam Scotorum* 57 d
Desiderius *Comes Bononiensis* 428 a
Desiderius *episcopus Cadurcensis* 425 e
Dionysius *patriarcha Antiochenus et Jacobita, est auctor chronici Syriaci* * 124 d e
Dlugossus (Joannes) *Historicus Polonus* 330 d
Dominicus Paschasius *canonicus Toletanus crucem gestans in mediis Maurorum agminibus intrepidus stetit* 122 d
Domitianus *episcopus Trajectensis* 157 f 158 f
† Domnus I *patriarcha Antiochenus videtur martyrii laurea coronatus fuisse* * 27 d e f
Donaldus *vel* Donevaldus *quinquagesimus tertius rex Scotorum* 580 f
Donatistæ *hæretici damnati sunt Romæ sub Melchiade Pontifice* 588 f
† Donatus *episcopus Aretinus* 145 a d
Dorotheus *patriarcha Antiochenus Arianus ejicitur* * 62 a
Drou (Lambertus le) *episcopus Porphyriensis* 242 f

E

Ebbo *archiepiscopus Remensis* 459 e
Echardus (Jacobus) *novissime recensuit scriptores Dominicanos* 184 e 186 d
Egilwardus *auctor Vitæ S. Burchardi etiam de Actis S. Gumberti meminit* 63 b
Egino *abbas Augustanus ad S. Udalrici multa passus est a schismaticis* 3
Elisabetha *regina Angliæ* 145 f 146 a
† Emebertus *episcopus Cameracensis* 174 f
† Emericus *filius S. Stephani regis Hungariæ* 334 d e f
Emilianus *imperator Romanus* 367 b
† Ephrem *scriptor Syrus* 38 d
Ephræmius *collapsam restaurans Antiochiam fit ejus patriarcha* * 95 d. *Ejus elogia ab eruditione et pietate* * 96 e f
† Epiphanius *episcopus Ticinensis* 273 c d e f
Episcopi *quandoque duo ejusdem sedis* * 11 e f * 41 d
Euagrius *episcopus Eustathianorum contra canones ordinatus* * 64 a b. *Ejus elogia apud S. Hieronymum* * 64 d
Eudoxius *impius Arianus patriarchatum Antiochenum invadit* * 50 c. *Postea depositus variis artibus ad patriarchatum CP. transit* * 51 f 52 a
Eufemianus *pater S. Alexii perperam sancti titulo ornatur* 140 a. *Et falso vocatur frater S. Arsenii* 603 c
Eugenius II *Pontifex* 346 f
Eulalius *patriarcha Antiochenus fuit occultus Arianus* * 42 d e f
† Eulogius *scripsit Memoriale martyrum sub tyrannide Arabum in Hispania* 181 a. *Conscripsit Acta S. Aureæ virginis et martyris* 651 et 652
† Eulogius *patriarcha Alexandrinus* 133 d
† Euodius *an S. Petro immediate successerit in cathedra Antiochena* * 6 et 7
Eusebius *Cæsariensis errat in assignando tempore synodi Antiochenæ* * 24 e f 25. *Fuit parum versatus in chronologia Pontificum Romanorum* * 26 b c. *Recusavit patriarchatum Antiochenum* * 43 a b
† Eustathii *patriarchæ Antiocheni non electionem, sed depositionem consecutæ sunt turbæ gravissimæ* * 35 c d e f. *Ariani eum per conductam meretricem in exsilium pelli curant* * 38 c d
† Euthymius *Domno II patriarchæ Antiocheno depositionem prædicit* * 72 c d
Euzoïus *Arianus Constantium imperatorem morti proximum baptizat* * 56 e f
Evermodus *episcopus Raceburgensis* 101 e 104 c 108 e

F

Faynus (Bernardinus) *collegit Martyrologium Brixiense* 385 d
Ferdinandus III *imperator* 330 a
Feriæ *vocantur omnes hebdomadæ dies* 256 f
Ferreras (Joannes de) *bibliothecarius regiæ bibliothecæ Matritensis corrigitur* 12 f
Firminus *abbas Quercolodorensis prope Antverpiam* 294 e
Flacillus *patriarcha Antiochenus favit Arianis* * 44 e f. *Interfuit conciliabulo Tyrio* * 45 a b c *Multa ejus et magna flagitia* * 46 e
Flavianus I *patriarcha Antiochenus an sit Sanctis adscriptus* * 63 e f
Florentius Wigorniensis *historicus Anglus* 298 d
Folkerus *episcopus Gibeletensis* 454 c d
Franciscus *archiepiscopus Calaritanus* 201 b
Franciscus *episcopus Tornacensis* 285 d e
† Franciscus Salesius *egregius fuit cultor S. Alexii* 245 c
Fredericus Badensis *episcopus Ultrajectinus* 654
Fredericus IV *imperator* 115 a 116 a
Fremaut (Benignus) *Vitas Sanctorum, Beatorum et venerabilium ex Ordine S. Francisci Belgice collegit* 514 c
Fratricelli *vocati sunt quidam hæretici* 504 a e
Furstembergius (Ferdinandus) *episcopus Paderbornensis* 244 d

Galeardus

G

Galeardus (Paulus) *nuper elegantissimis typis edidit opera S. Gaudentii* 384 b c d 385 e 386 e 388 f
Gallienus *imperator a Lactantio non numeratur inter persecutores ecclesiæ* 369 d
Gallonius (Antonius) *scripsit historiam sanctarum virginum Romanarum* 19 c
Gallus *imperator Romanus* 362 a b 367 b
† Gaudentius *episcopus Brixiensis, et præclarus scriptor* 383 b
Gaule (Hieronymus de) *cancellarius Geldriæ* 250 b
Gavantus (Bartholomæus) *composuit commentarios ad rubricas Breviarii Romani* 245 d
Georgio (Dominicus de) *operis nostri fautor, misit ad nos Vitam S. Athanasii episcopi Neapolitani* 74 b c
† Georgius *episcopus Amastrenus* 221 b
Georgius *episcopus Metensis* 112 a e
† Gerardus *episcopus Tullensis* 45 a 47 f
Gerardus *episcopus Tornacensis* 285 b
Gerardus *episcopus* XXXIII *Cameracensis* 173 f 174 a
Geysa II *rex Hungariæ* 337 d 338 e
Giraldus Cambrensis *historicus Anglus* 299 e
Godefridus *episcopus Lingonensis* 4
Godefridus Bullonius *dux belli sacri et rex Hierosolymæ obiit anno* 1100 5, 121 f
Godo *episcopus Metensis* 430 b c
Godolenus *abbas Nobiliacensis* 124 c f
† Goericus *episcopus Metensis* 430 b c
Gonzaga (Franciscus) *episcopus Mantuanus scripsit de Origine Seraphicæ religionis* 515 a
Gotschalcus *princeps Slavorum a suis occiditur* 98 a e 101 a
Gottiboldus *primus decanus Anspacensis* 66 b
Gottifredi (Alexander) *decimus Generalis Societatis Jesu* 250 c
Gotzbaldus *episcopus Herbipolensis* 457 a
Grand (Albertus le) *collector Sanctorum Minoris Britanniæ* 146 e f 179 a
Grandus (Guido) *non ita pridem edidit dissertationes Camaldulenses* 331 c d
† Gregorius *episcopus Nyssenus scripsit Vitam S. Macrinæ sororis suæ* 590 b 592 b
† Gregorius *episcopus Turonensis decessores suos exacte enumerat* 399 c d
† Gregorius *Ultrajectensis episcopus* 51 d
Gregorius I *patriarcha Antiochenus an colatur ut sanctus* * 99 c
Gregorius II *Pontifex anno* 716 *secundum Pontificatus annum agebat* 645 e
Gregorius IV *Pontifex* 307 b 309 c. *Venit in Galliam ad conciliandam pacem inter Ludovicum Pium et filios* 466 f 467 d. *Obiit anno* 844 80 b
Gregorius VII *Papa Ennodium Ticinensem episcopum vocat sanctum* 275 b c
Gregorius IX *Pontifex* 243 d
Gregorius XIII *Pontifex Græcis peculiarem fidei formulam præscripsit* 8 e
Gregorius *presbyter Cæsariensis habuit orationem ad Patres Nicænos* 131 b
Gretserus (Jacobus) *cavillatorem Mornæum refutavit* 642 a
Gualterius *episcopus Lunensis* 96 b
Gualterius (Paulus) *scripsit de Martyribus Calabris* 205 d
Guarnerius (Joannes Antonius) *scripsit de sanctis Bergomensibus* 128 a
Guibertus *abbas B. M. de Novigento scriptor anno* 1124 *obiit* 401 d
Guilielmus *dux Apuliæ* 166 d
Guilielmus *episcopus Tornacensis* 247 a
Guilielmus Malmesburien. *historic. Anglus* 298 e
Gundackarus II *episcopus Eystettensis* 657 f

H

Hæreticorum *fabula de Joanna Papissa exploditur* 307 d e
Hagecius (Wenceslaus) *historicus Bohemus* 190 a
Hamericourt (Gerardus d') *episcopus Audomarensis* 291 e 292 a
Harigerus *abbas Lobiensis* 156 b
Harlay (Franciscus de) *archiepiscopus Parisiensis Breviarium suæ diœcesis jussit corrigi* 398 c
Harpsfeldius (Nicolaus) *scripsit historiam Angliæ* 54 c
Harruchus *ex abbate Amarbaricensi in Scotia Verdensis episcopus in Saxonia* 3
Hebed-Jesu *collector scriptorum Syrorum* 34 f
Heda (Wilhelmus) *scripsit de episcopis et rebus Ultrajectinis* 654 e
Helmoldus *presbyter Bosoviensis scripsit Chronicon Slavorum* 97 c 98 c
Heinsbergicus (Philippus) *archiepiscopus Coloniensis* 447 c
Henricus VI *abbas Abdinghoffensis* 244 d
Henricus *archidiaconus Huntigdonensis hagiographus Anglus* 298 f
Henricus Hezelinus *comes Rotenburgensis* 64 a b
Henschenius (Godefridus) *S. J. correxit catalogum Romanorum Pontificum* * 2 d e f
Heraclius *episcopus Amastrenus, cujus ætas hactenus ignota est* 221 c e f 222 a
Herimannus *archiepiscopus Coloniensis* 99 b
Hermanus *archiepiscopus Bremensis* 109 c
Hermantius (Godefridus) *scripsit Vitam S. Athanasii* 132 d
Heroldus *episcopus Herbipolensis* 66 b
Hervetus (Gentianus) *varia ex idiomate Græco Latine interpretatus est* 32 c
† Hieronymus *verosimiliter linguam Syriacam intellexit* 34 c
† Hilarius *episcopus Pictaviensis* 406 b 407 c
Hispani *quidam perperam asserunt, martyres Scillitanos in Hispania passos esse* 208 c d 209 a b c
Hoeglein (Valentinus) *S. J. Collegii Badensis rector* 113 c d
† Honoratus *fundator monasterii Lerinensis, et postea episcopus Arelatensis* 437 e
Honorius III *Pontifex* 192 b 194 a 243 f
Honorius *imperator* 240 a b 249 d
Horatius (Nicolaus) *episcopus Catacensis* 168 f
Hormisdas *Papa Anastasium imperatorem ad communionem Ecclesiæ reducere nititur* 274 b c d
Hueberus (Fortunatus) *edidit Martyrologium Franciscanum* 202 e
Humbertus *episcopus Herbipolensis* 456 f 457 a
Hunibertus *vel* Humbertus *episcopus Herbipolensis* 91 e f 94 f

I

Jacobillus (Ludovicus) *scriptor Fulginas* 663 c
Jacobitarum *inter se schismata* * 118 d e * 120
Jacobus Baradæus *seu* Zanzalus *nomen suum sectæ Jacobiticæ indidit* * 100 f
Jacobus *episcopus Nitriensis* 329 d f
Jacobus *marchio Badensis* 114 a

† Ignatii

† Ignatii *episcopi Antiocheni Acta sincera edidit Ruinartius* *9 b c d e
Ignatius Azevedius *Societatis Jesu cum undequadraginta sociis ab hæreticis occisus* 5
Inchofer (Melchior) *S. J. scripsit Annales ecclesiasticos Hungariæ* 332 a d e
Ingo *episcopus Astensis* 473 f
Ingulphus *abbas Croylandensis in Anglia scripsit sæculo* XI 298 c
Innocentius I *Pontifex* 240 a b 249 d
Innocentius III *Pontifex* 189 c
Innocentius V *summus Pontifex* 118 d
Innocentius VIII *Pontifex* 510 b 512 f
Joannes *abbas Laubiensis* 174 a
† Joannes Calybita *distinguitur a S. Alexio* 240 c d e
Joannes Colobus *celeberrimus anachoreta* 618 b 621 e
† Joannes Climacus *de S. Arsenio texuit elogium* 615 a
Joannes *diaconus Neapolitanus sæculo* IX *scripsit catalogum episcoporum Neapolitanorum* 74 b d 645 d
Joannes *episcopus Beneventanus* 165 c 167 f
Joannes *episcopus Fulginas* 664 d
Joannes *episcopus Signiensis* 483 f
Joannes *episcopus Cabilonensis scripsit topographiam sanctorum* 208 c
Joannes *episcopus Florentinus* 343 d 344 f
† Joannes *episcopus Neapolitanus* 79 d. *Annus mortis ejus corrigendus* 81 f
Joannes Gorinus de S. Geminiano *ex Ordine Prædicatorum quando vixerit* 664 c d. *Scripsit Acta S. Petri Fulginatis* 665 b
† Joannes Maro *solis præfuit Maronitis* * 111 f. *Non fuit patriarcha Antiochenus* * 112 a b
Joannes VIII *Pontifex Ennodium Ticinensem episcopum appellat beatum* 275 b c
Joannes IX *Papa natus est Tibure in Latio* 350 f
Joannes I *patriarcha Antiochenus Nestorii doctrinam damnavit, sed ipsum Nestorium impensius dilexit ac defendit* * 71 e
Joannes III *rex Sueciæ* 109 f
Jobus *non fuit Alexandrinus, sed Antiochenus patriarcha* * 122 c d e
† Josephus *episcopus Thessalonicensis, et S. Theodori Studitæ frater* 247 b c
Joseph *episcopus Eporegensis* 323 b
† Josephus *hymnographus Græcus sæculo* IX 238 c 239 c d 247 b c
Irenicus (Franciscus) *scriptor ambiguæ religionis celebrat sanctitatem B. Bernardi marchionis Badensis, et de catholico illius cultu testatur* 112 c d. *Crasse errat in assignando loco, quo mortuus est B. Bernardus marchio Badensis* 112 d
Ithamarus *episcopus Roffensis* 49 b
Juditha *uxor Ludovici Pii Francorum regis a S. Agobardo acriter accusatur* 459 f 460 d. *A beato Rabano laudatur* 460 a b. *Obit.* 471 d
Julianus *imperator callidus Christianorum persecutor* 371 f 372 a
Julius *episcopus Herbipolensis* 66 a
Julius Firmicus Maternus *male confunditur cum S. Materno episcopo Mediolanensi* 363 e f
Julius I *Pontifex Romanus* 363 f
Julius II *Pontifex* 247 a
Julius III *Pontifex* 303 f
Junius (Adelinus) *canonicus Trajectensis scripsit contra Fisenum* 254 c d e f
Ivo *episcopus Cracoviensis* 185 f, 186 a b, 191 c, 192 a

K

Kakorosky (Hieronymus) *Minorita fuse scripsit Vitam B. Simonis de Lipnica* 516 b
Kalendionis *patriarchæ Antiocheni laudes* * 89 c d
Kenulphus *rex Merciorum in Anglia, et pater S. Kenelmi martyris* 297 b c
Klodausky (Paulinus) *Ordinis sui originem perperam repetit a S. Paulo eremita Thebæo* 331 b, 332 a

L

Ladislaus IV *rex Poloniæ* 510 e
† Lambertus *episcopus Tungrensis* 158 d
Lambertus Schafnaburgensis *scriptor* 98 e
Landricius *episcopus Sagiensis* 121 c
Laurentius *antipapa contra S. Symmachum* 635, 636
Leo Isauricus *anno* 717 *imperium adiit* 645 e
Leo III *Pontifex* 153 a c, 299 a
† Leo IX *Papa* 424 e
Leonini *versus a quo appellati* 250 f, 251 a
Leontius *Arianus seipsum castrat, et nihilominus contra canones Antiochenam cathedram ascendit* * 48
Leopoldus *archidux Austriæ* 187 f
Lesco *rex Poloniæ* 191 c, 192 a
Letselinus *abbas Crispiacensis forte est auctor Vitæ S. Arnulphi martyris* 400 e
Libentius *archiepiscopus Bremensis* 109 b c
Liberius *Romanus Pontifex, sub quo S. Marcellina castitatis votum emisit* 233 b c, 234 c
Lindanus (Wilhelmus) *episcopus Ruræmundensis* 55 e
Locatellus (Eudoxius) *scripsit Italice Vitam S. Joannis Gualberti* 338 c, 339 b
Longus (Albericus) *aliqua e Græca in Latinam linguam transtulit* 41 e
Lotharius *imperator* 323 b
Lubienecki (Joannes Damascenus) *ex Ordine PP. Prædicatorum anno* 1711 *ad Backoviensem in Moldavia episcopatum assumptus* 184 e
Lubomirski (Stanislaus) *Palatinus Cracoviensis domum natalem B. Simonis de Lipnica in sacellum mutavit* 513 e, 519 f
Lucius III *Papa S. Brunonem episcopum Signiensem inter Sanctos retulit* 475 e
Ludgerus *episcopus Ultrajectensis* 469 d, 471 a
Ludovicus *dux Sabaudiæ* 115 b, 116 b
Luytens (Thomas) *abbas Lætiensis* 400 d

M

Maanus (Joannes) *edidit catalogum antistitum Turonensium* 399 c, 400 c
Mabillonius (Joannes) *sibi ipsi contradicit in determinando anno mortis S. Frederici martyris* 457 a b
† Macarius, *Gandavi in Flandria mortuus, non fuit patriarcha Antiochenus* * 128 b c d e
Macedonius *patriarcha CP. deponitur* * 51 f
† Macrina *avia alterius S. Macrinæ* 593 a, 595 b
Maggor (Andreas) *abbas S. Martini in Hungaria* 333 b d
Malabayla (Philippus) *nimis extollit auctoritatem Chronici Casinensis* 485 a b c
Malvenda (Thomas) *scripsit Annales PP. Prædicatorum* 184 b
Manlius (Petrus) *scribit de basilica Vaticana* 302 e

Maphrianus *quid sit, et unde initium duxerit apud Jacobitas* * 104 f
Marbais (Bertha de) *prima abbatissa Markettensis in Flandria* 348 a
Marbodus *episcopus Redonensis in Britannia Armorica* 250 e f, 254 c
Marca (Margareta a) *comes Arembergica prima accepit cranium S. Gumberti* 66 e, 67 a b
† Marcianus *martyr et episcopus Derthonensis* 367 e, 369 e
Marchesius (Maurus) *edidit opera S. Brunonis Signiensis episcopi* 488 c
Maria *uxor Honorii imperatoris* 249 e
Marianus *regulus in Sardinia* 343 c, 344 e
Marinus (Lelius) *scripsit Vitam S. Petri Cælestini* 489 c
Marlotus (Guilielmus) *scripsit historiam metropolis Rhemensis* 399 d
Martinus *generalis abbas Vallumbrosanus* 342 a d
Martyrius *patriarcha Antiochenus laudatur* * 8 b c
Masius (Andreas) *vir eruditus, et Græce, Hebraïce ac Syriace doctus* 37 e
† Maternianus *episcopus Rhemensis perperam dicitur frater S. Materni episcopi Mediolanensis* 362 f, 363 a
Matthæus Westmonasteriensis *historicus Anglus* 299 c
Matthias Michoviensis *scripsit Chronicon Polonorum* 514 d
B. Mauritius *Hungarus Ord. Prædicatorum miros pietatis sensus haurit ex Vita S. Alexii* 249 b c
Maurus *episcopus Quinque-ecclesiensis* 328 f, 331 e c, 332 e, 333 d e, 334 f, 336 b c d
Maximilianus I *imperator* 296 a, 297 a d
Maximilianus II *imperator* 242 c
Maximinus *episcopus Trevirensis* 582 e
† Maximus *episcopus Ticinensis* 273 b c d
Mazici *Lybiæ incolæ latrociniis assueti* 610 d e
Mazochius (Alexius Symmachus) *historiam Capuanam edere meditatur* 166 d
† Meinwercus *episcopus Paderbonensis* 244 b
Meliodorus *episcopus Derthonensis* 368 a, 369 f
† Mercurialis *episcopus Foro-liviensis* 378 f, 379 a
Metrophanes *episcopus Constantinopolitanus* 29 b c
Milo *Teruanensis episcopus* 3
Miræus (Joannes) *episcopus Antverpiensis* 291 e
Mombritius *tempore Sixti IV Romani Pontificis edidit Acta Sanctorum* 234 b
Monas *episcopus Mediolanensis* 365 c, 367 b
Monte (Robertus de) *scriptor sæculi* XII 145 c
Moyses Bar-cepha *scriptor Syrus Jacobita* 35 c
Moyses *ex latrone factus abbas* 611 a, 620 b, 622 b

N

Naucratius *frater S. Macrinæ* 594 d, 595 f
Nero *quando et qua occasione Christianos persequi cœperit* * 3. *Præsens fuit martyrio SS. Petri et Pauli* * ibid. d
Nicephorus Callistus *crasse errat* 37 f, 38 a
Nicolaïtæ *etiam vocantur clerici impudici* 407 c d
Nicolaus I *Papa cathedram Hamburgensem Bremensi uniri permittit* 97 b. *Scribit Michaëli imperatori* 276 d
Notgerus *episcopus Leodiensis* 458 a
Nottingus *episcopus Brixiensis* 323 b
Nuce (Angelus de) *Chronicon Casinense notis illustravit* 485 b
Numerianus *exiguo tempore fuit imperator Romanus* 369 e

O

Otho I *imperator* 424 c
Otho III *imperator* 257 b, 259 f, 262 a
Ordonius *episcopus Asturicensis* 584 c
Oudinus (Casimirus) *fidei et Ordinis sui apostata* 401 f

P

Pagius (Antonius) *turbavit ordinem synodorum, quæ sub S. Symmacho Papa habitæ sunt* 636, 637
Pancirolus (Octavius) *scripsit de thesauris absconditis urbis Romanæ* 212 d
† Pantaleonis *martyris caput in Galliam translatum* 210 d e f, 211 e
Papebrochius (Daniel) *S. J. priorem suam opinionem revocat circa divisionem Apostolorum* 13 b. *Item aliam* 364 a
Papolus *episcopus Metensis* 433 d
Parkentyn (Joannes) *episcopus Raceburgensis* 102 c
Paschalis I *Pontifex* 299 b c
† Patiens IV *episcopus Metensis* 424 b f
Patriarchatus *Antiochenus cedit Latinis, non obstante pacto cum Græcis inito* * 136 d
Paulinianistæ *vocati sunt quidam hæretici a Paulo patriarcha Antiocheno* 103 a
† Paulinus *episcopus Nolanus non potuit scribere ad S. Aprum episcopum Tullensem* 45 e
Paulinus I *patriarcha Antiochenus perperam cum aliis ejusdem nominis confunditur* * 32, 33. *Videtur fuisse binominis* * 34 c d e
Paulinus II *patriarcha Antiochenus fuit Arianus* * 42 c
Paulinus III *episcopus Antiochenus a Lucifero Calaritano ordinatur* * 58 a b. *Solis præfuit Eustathianis Meletianos aversantibus* * 58 d e f. *Concordiæ conditiones a S. Meletio oblatas rejicit* * 59 f, 60 a
† Paulus *episcopus Neocæsariensis* 32 f
Paulus I *Pontifex quando vixerit* 646 e
Paulus V *Pontifex* 510 c
Paulus Samosatenus *ex humili loco cathedram Antiochenam ascendit* * 23 e. *Hæresi et sceleribus infamis deponitur* * 23 f, 24 a b c
Peregrinus *episcopus Pragensis* 194 b
Petrarcha (Franciscus) *meminit de B. Roberto Salentino, cui fuit coævus* 489 c
Petrus *abbas Laubiensis* 174 b
Petrus Altinus *invasor sedis Apostolicæ* 640 c
Petrus *diaconus Casinensis floruit sæculo* XII 74 e
Petrus *diaconus scripsit de viris illustribus Casinensibus* 647 e
Petrus *episcopus Cracoviensis* 511 b
Petrus fullo *vi sedem Antiochenam invadit* * 80 d e. *Ad illam, quam metu exsilii reliquerat, secundo redit* * 82 a b. *Tertio ad eamdem revertitur* 89 e f
† Petrus Sebastenus *frater S. Basilii magni* 595 e f, 596 e, 598 d
Petrus *Signiensis episcopus* 471 e f
Petrus *episcopus Spoletinus* 323 b c
Petrus *eremita instigator sacri belli obiit anno* 1115 4
Petrus III *patriarcha Antiochenus videtur secutus esse schisma CP.* * 131 a b c
Petrus *patriarcha Antiochenus Jacobita, a quo quidam vocati sunt Petriani* * 104 b
Pez (Hieronymus) *edidit varia anecdota* 187 f
Phæbus (Franciscus) *Navarræ rex* 113 b

Philibertus

Philibertus I *dux Sabaudiæ* 111 d
Philippus II *rex Hispaniæ monasterium Scorialense magnifice ædificavit, et in eo plures sacras reliquias collocavit* 242 b c
† Philogonius *patriarcha Antiochenus laudatur* * 31 c d e
Philostorgius *scriptor Arianus* 38 c d
Pin (Elias du) *multa temere scripsit* 36 b
Pippinus Crassus *sive* Herstallus *an.* 714 *obiit* 53 b
Pius IV *peculiarem fidei formulam præscripsit* 8 e
Pocciantius (Michaël) *collegit scriptores quosdam Florentinos* 340 a
Porphyrius *patriarcha Antiochenus a Palladio variorum scelerum accusatur* * 65 e f
Præmislaus *Bohemorum rex* 192 b, 194 c
Precipiano (Humbertus Guilielmus a) *archiepiscopus Mechliniensis* 242 e
Prisca *uxor Diocletiani imperatoris* 369 f

R

Rabanus *Maurus abbas Fuldensis ac postea archiepiscopus Moguntinus* 455 f, 460 a b
Rabulas *episcopus Edessenus* 263 d e f
Radulphus I *sedem Antiochenam tyrannice invasit* * 137 a. *Ob superbiam depositus Romam fugit* * 137 b c d e f
Rampertus *episcopus Brixiensis in Italia* 383 a, 384 c, 386 e, 387 a b, 388 e
Raymarus *vel* Remarus *præpositus Duacenus* 3
Raymundus *comes Tripolitanus in patriarcham Antiochenum sævit* * 140 b c
Raymundus *episcopus Castrensis* 343 d, 344 e f
Raynaldus (Odoricus) *prosecutus est Annales ecclesiasticos Cardinalis Baronii* 186
Raynaldus *princeps Antiochenus Aymericum patriarcham indigne tractat* * 138 e f
Regius (Paulus) *episcopus Vicoaquensis scripsit de sanctis regni Neapolitani* 72 e
† Rethicii *scripta aliqua carpuntur a S. Hieronymo* 588 d e
Ripamontius (Josephus) *egregie scripsit historiam ecclesiæ Mediolanensis* 363 b
Rixfridus *episcopus Ultrajectensis* 455 e, 460 d, 461 b c
Robertus *princeps Capuanus* 486 f, 488 b
Rodericus *archiepiscopus Toletanus scripsit de rebus Hispaniæ* 584 c
Rodulphus *episcopus Slesvicensis* 99 f
Rogerius *Siciliæ rex* * 4 f
Rogerius *comes Siciliæ* 166 f
† Romanus *martyr cum Romano Antiochiæ patriarcha confusus* * 34 c d
† Romaricus *cum S. Arnulpho cogitat discedere Lerinum* 435 f. *Ejus vita exstat apud Labbeum in bibliotheca Mss.* 437 e
Rosweydus (Heribertus) *S. J. anno* 1629 *obiit* 66 f
Rovenius (Philippus) *vicarius Apostolicus in fœderatis Belgii provinciis, et archiepiscopus Philippensis* 54 e
Rubeus (Hieronymus) *historicus Ravennas corrigitur* 405 c
Rudolphus Aquaviva *Societatis Jesu, cum quatuor sociis martyrii lauream consecutus est* 5
Ruffinus *presbyter Aquileiensis scripsit commentarium in symbolum Apostolorum* 7 f
Rusticus *episcopus Arvernensis* 399 e
† Rusticus *episcopus Lugdunensis* 643 c

S

Sabinus *episcopus Hispalensis dicitur corpus S. Justæ honorifice sepelivisse* 585 e f
Sancti *in Sardinia sæculo* XVII *inventi* 201 c
Sanctius (Gaspar) *S. J. scripsit opusculum de S. Jacobi prædicatione in Hispania* 10 b
Sansovinus (Franciscus) *descripsit Italice Venetias* 245 a
Sapores *rex Persarum Nisibin civitatem Mesopotamiæ obsidet* 43 f, 44 a
† Saturninus *martyr Tolosæ colitur* 406 b, 407 b
Saturninus *proconsul provinciam Africæ administravit* 209 a
Scapula *Africæ proconsul, ad quem scripsit Tertullianus* 209 a
Schelstratius (Emanuel) *Henschenium nostrum errantem secutus est* 12 f
Schottus (Andreas) *S.J. scripta S. Ennodii episcopi Ticinensis edidit* 271 b
Seguierus (Petrus) *Franciæ cancellarius habuit varia pretiosa Mss. Græca* 615 d
Seguierius (Dominicus) *Autissiodorensis ac postea Meldensis episcopus* 277 f, 278 a
† Serapion *patriarcha Antiochenus an antea fuerit asceta* * 13 b c
Sergius *magister militum Neapoli, pater S. Athanasii* 78 f. *Alius homonymus S. Athanasii nepos* 82 c d
Sergius II *Pontifex* 304 b c d e, 305 b c
Severtius (Jacobus) *doctor Parisiensis corrigitur* 212 a b
Severus *primus Jacobitarum patriarcha a suis heterodoxis pro sancto colitur* * 101 d e
Severus *scriptor Syrus Eutychianus* 35 c
Severus *imperator dicitur anno* 207 *persecutus esse Christianos* 21 b
Sigismundus I *rex Poloniæ* 514 d
Sigismundus III *Sueciæ et Poloniæ rex* 108 c f, 510 c
Simius (Venantius) *scripsit de viris illustribus Vallis Umbrosæ* 340 b c d, 341 b d
Simplicianus *episcopus Mediolanensis* 233 c d e
Sirmondus (Jacobus) *S. J. opera S. Ennodii episcopi Ticinensis etiam edidit* 271 b
† Sixtus I *Papa* 351 d e
Sixtus IV *summus Pontifex* 115 d, 116 b
Skrobkovicius (Ludovicus) *scripsit vitam B. Simonis de Lipnica* 514 c, 516 b, 518 d
Sokolnikius (Nicolaus) *collegit miracula B. Simonis de Lipnica* 516 c d e, 518 a b
Spelta (Antonius-Maria) *scripsit historiam episcoporum Papiensium* 23 c
Squillacius *episcopus Scillitensis in Africa* 205 e
Stephanus I *Antiochenus patriarcha, quamvis Arianus, ab Eusebianis ob turpissimum facinus depositus fuit* * 47 a b c
† Stephanus II *patriarcha Antiochenus et martyr cum Stephano III male confunditur* * 85 d e, * 86 et seqq.
Stephanus Capellus de Maradio *edidit Acta S. Bonosæ* 20 b c, 21 b
† Stephanus *Rex Hungariæ* 328 a, 331 d, 332 d e, 333 c, 336 e, 337 f, 338 a
Susteren (Henricus van) *episcopus Brugensis dixit Bruxellis Orationem in septimo jubileo miraculi Eucharistici* 3
† Syrus *civium Papiensium patronus* 284 c
Syri *omnes væfri dicuntur a S. Theophane* * 106 d
Szelepcheni (Georgius) *archiepiscopus Colocensis et Bachiensis* 327 c

Tacitus

T

Tacitus *exiguo tempore imperium administravit* 369 e
Tamayi *mala fides detegitur* 209 c d e f
Telegdinus (Joannes) *archiepiscopus Colocensis et Bachiensis* 327 e
Telera (Cælestinus) *scripsit Italice Vitam B. Roberti Salentini* 490 a, 491 a
Tertius *abbas Vallumbrosanus* 341 f, 342 c d
† Theclæ *meminit S. Gregorius Nyssenus* 593 b, 595 b
Themistius *philosophus ethnicus dicitur aliquanto tempore docuisse Arcadium et Honorium filios Theodosii imperatoris* 606 e
Theodoretus *Cyri episcopus scripsit Acta S. Jacobi Nisibeni* 41 c
Theodoricus *rex schisma Romanum sua præsentia comprimit* 638
Theodoricus *episcopus Metensis* 348 e f
Theodorus Byzantius *scriptor sæculi* VI 37 e f
Theodorus *Lauriacensis in Norico episcopus pallii usum a S. Symmacho impetrat* 642 b
† Theodorus Studita *scripsit Vitam S. Arsenii* 616 c d
Theodorus I *patriarcha Antiochenus scripsit adversus iconomachos* * 116 a
Theodosius *imperator filios suos Arcadium et Honorium S. Arsenio instituendos commisit* 606. *Quamdiu rexerit* 633 f
† Theophilus *patriarcha Antiochenus perperam confunditur cum altero homonymo* * 12 d e
Theophilus *archiepiscopus Alexandrinus* 611 d e, 612 a, 619 e, 621 f, 622 a
Theophilus (Jacobus) *dux Venetiarum* 282 e f, 283 a
Tiberius Apsimarus *quo tempore regnarit* 645 e
Tillemontius *recens scriptor Gallus reprehenditur* 8 a b c et seqq. 132 b. *De Antiocheno S. Petri patriarchatu perperam dubitat* * 1 e f. *Sui immemor sibi contradicit* * 12 b. *Acta S. Babylæ a Majoribus nostris data temere suggillat* * 16 e f, 17 et seqq.
Timotheus *archiepiscopus Alexandrinus* 611 e
Torrellis (Antonius de) *secretarius Philiberti I ducis Sabaudiæ* 118 b
Trasamundus *rex Wandalorum catholicos persequitur* 632 b c
Trithemius *plures in errorem induxit circa tempus quo vixit S. Ambrosius Autpertus* 646 b c
Trugillo (Thomas de) *scripsit thesaurum concionatorum* 584 d

U

Udalschalcus *auctor Vitæ Eginonis abbatis Augustani ad S. Udalrici* 3
Udelricus *archiepiscopus Rhemensis* 424 e f
Ugolinus *Cardinalis episcopus Ostiensis* 185 f
Umno *scripsit Vitam S. Arnulfi episcopi Metensis* 433 e f, 434 a b et seqq. 440 e f
Unwanus *archiepiscopus Bremensis* 109 c
Urbanus II *Pontifex* 250 e
Urbanus VIII *Pontifex* 245 f

V

Valens *imperator cogit orthodoxos communicare cum Euzoïo Ariano* * 57 b. *S. Gregorium in exsilium misit* 599 c
Valentinus *Generalis Vallumbrosanus* 344 f
Valerianus *imperator Romanus* 367 b, 369 d
Valeria *filia Diocletiani imperatoris* 369 f
Vastovius (Joannes) *canonicus Varmiensis scripsit de sanctis Sueciæ* 108 c
Vecchiazzanus (Matthæus) *scripsit historiam Foropopiliensem* 377 c
† Victor *martyr Mediolanensis a S. Materno sepultus* 362 c d
Victor Vitensis *descripsit persecutionem Wandalicam in Africa* 206 a
Vid (Ladislaus) *S. J. multa de SS. Zoerardo et Benedicto suppeditavit* 327 d, 335 a
Vincentius *episcopus Cracoviensis* 185 f
Vipera (Marius) *archidiaconus Beneventanus et Sanctorum illustrator* 165 b
Vitellius (Jacobus) *celebravit laudes B. Simonis de Lipnica Sapphico carmine* 515 b
Vladomirus *vel* Wlodomirus *post baptismum dictus Basilius, princeps Russiæ, de cujus catholico cultu dubitatur* 4
Vologesus *episcopus Nisibenus* 39 a b

W

Waddingus (Lucas) *Annalista FF. Minorum corrigitur* 510 b
Walterus *archiepiscopus Rothomagensis* 145 e
Warnefridus (Paulus) *scripsit de gestis Longobardorum* 647 c
Wilsonus (Joannes) *collegit Martyrologium Anglicum* 56 a

X

Ximenius (Franciscus) *archiepiscopus Toletanus Missale Mozarabum imprimi jussit* 206 b

Y

Yolanta *uxor B. Amadei ducis Sabaudiæ* 116 b

Z

Zachi (Blasius) *episcopus Nitriensis* 331 e
Zadzik (Jacobus) *episcopus Cracoviensis* 511 a
Zatorski (Dominicus) *Minorita ad nos ex Polonia nuper transmisit Mss. miracula B. Simonis de Lipnica* 516 c d, 518 a b c
† Zenobius *episcopus Florentinus* 341 c
Zoïlus *discipulus S. Arsenii* 613

INDEX

INDEX TOPOGRAPHICUS

** Asteriscus indicat Tractatum prœliminarem.*

A

Adelense castrum prope Franequeram 454 f
Ad septem Biothanatos, locus in agro Tiburtino; *ubi in fossam projecta corpora septem filiorum S. Symphorosæ* 359 a; *ejus etymon* 351 b
Æmilia, regio Italiæ; *etymon* 369 e f
Albanum, ur. Armeniæ 14 a
Albis *(Elb)* fluv. Germaniæ 194 d
Alechmere, trajectus maris meridionalis in Belgio 466 a
Alpes Cottiæ vel Cottianæ Delphinatum a Pedemontio separantes 369 f
Altimoin, castrum in Germania 63 d
Amaniensis ecclesia in diœcesi Leodiensi, *colit S. Arnulphum ep.* 425 c
Amastris ur. Paphlagoniæ. *S. Hyacinthus M.* 221 b
S. Angeli in Pontano oppidum Firmanæ diœcesis in Italia, *an habeat corpus S. Juliani mart., unius e 7 filiis S. Symphorosæ?* 358 c
Anicium *(le Puy)* ur. Galliæ. *Corpus S. Domnini* 124 b
Anolspach, fluvius in Germania 61 c
Anspachium *(Anspach)* marchionatus in Germania. *S. Gumbertus conf.* 61 a b; item oppidum 660 d
Antiochia Mygdonia, dicta Nisibis, ur. Mesopotamiæ 29 a
Arabissus, minoris Armeniæ opp. * 49 e
Arnulphi monast. de Crespeio in diœcesi Silvanectensi 420 a
Arosia *vide* Westerarhusa
Arpini vicus, *vide* Atella
Arrey, pagus in territorio Metensi 445 b
Arwilre, ad fluvium Abrincam *(Ahr vel Are)* qui prope Sinciacum in Rhenum influit 448 c
Astura, locus ac fluvius in Latio 261 c
Atella, ur. olim Campaniæ, nunc vicus inter Capuam et Neapolim 86 f
Atissa, Castellum sive opp. in Aprutio citeriore 494 c
Augusta, civitas Ponti 603 d
Augusta Nicri, *vide* Lauffa
Augustodunum, ur. Galliæ. *S. Rticius vel Rethicius* 587 f

B

Bajas, monasterium in Sicilia * 110 e
Bar-Aphtonii monasterium, *vid.* Kenserinense
Bar-Gaghi cœnobium in monte Melitinæ * 134 e
Beel, eremus Pannoniæ 334 c
Behemerwaldt, *vide* Hercinius saltus
Bellum-Beccum, monasterium in Normannia 147 f
Benefactum, opp. Belgii inter Leodium et Namurcum 159 e
Berg, locus in Belgio, *ubi obiit S. Plechelmus* 55 d
Bernicii, populi ad mare Scoticum protensi 59 f
Berœa, urbs Syriæ, *cujus primo ep. S. Eustathius* * 34 e
Berœa, ur. Thraciæ * 50 b
Betasii videntur fuisse gens Belgica 154 a
Bevergern, arx in territorio Lingensi diœcesis Monasteriensis 121 d
Bizua, oppidum Thraciæ 137 e
Bochnia villa in territorio Cracoviensi 548 d
Borysthenes, fluv. Europeæ Sarmatiæ duplex 196 d
Borsbeke, pagus Brabantiæ 296 f
Bosna, ur. Bosniæ in limite Serviæ 194 c
Bredo ad radices montis Juræ in Sequanis 2 a
Breinguilly saltus prope Rohanum 422 b
Brixia, ur. Italiæ. *S. Philastrius ep.* 383 a
Buciliensis abbatia in episcopatu Laudunensi: *S. Arnulphi M. brachium* 401 f
Burgallionis villa in territorio Metensi 444 d

C

Cæsarea *(Gearsey vel Jarsey)* insula Galliæ Celticæ. *S. Helerius vel Elerius M.* 145 b
Calciacum, videtur esse pagus *(Chaucy)* in territorio Metensi 438 a
Callinicus, ur. Mesopotamiæ * 103 c
Calvomontensis pagus, videtur fuisse tractus Mosellæ vicinus 440 e
Campus Bassus, opp. Apuliæ 505 c
Cancia *(la Canche)* fluv. in Artesia ac Picardia 152 c
Candidæ Casæ episcopatus in finibus Angliæ juxta Scotiam 52 b
Canobim, cœnobium in monte Libano 281 c e
Canopus duplex in Ægypto, urbs et insula parva 611 f
Caramanicum, opp. Aprutii citerioris 494 c
Carmaniola *(Carmagnola)* urbs intra limites Pedemontii 118 b. d
Casa Dei, monast. in Arvernia 51 e
Casæ Medianæ, Casæ Nigræ, Casæ Calaneæ, Numidiæ civitates in Africa 51 e
Casalmach modo appellatur fluv. Iris, *quem vide* 51 e
Casar Calenda, forte pro Casacalenda, opp. Apuliæ 509 f
Casinum, opp. juxta montem Casinum 72 b
Castaballa, *vide* Mamista
Castabona, vicus in diœcesi Justinopolitana Istriæ 395 b
Castrum Lucullanum, *vide* Insula Salvatoris

Cataciu m

Catacium, civitas parva Calabriæ : *quo translatum corpus S. Vitaliani* 167 a
Cazimiria, opp. prope Cracoviam et alibi 544 c
Ceehel, villa in territorio Cracoviensi 543 c
Cellæ (*Monstier la celle*) locus urbi Tricassinæ vicinus 405 c
Cera vetus, opp. Thusciæ vetustissimum 258 a
Chirisonda, opp. ad mare Pamphylium 130 b
Civitella, oppidum in Aprutio ad Aventinum fluv. 509 f
Civitate, ur. olim Apuliæ Dauniæ, nunc ejusdem rudera 497 a
Claromontium, opp. in agro Bellovacensi Franciæ. *Reliquiæ S. Arnulphi M.* 402 c
Cleparia, locus prope Cracoviam 544 d
Collis rotundus, *al.* Collejucundum in Aprutio vel prope 309 a, f
Corduba, ur. Hispaniæ. *S. Aurea virg. M.* 651 a
Corsarum monasterium Romæ, *a S. Leone PP. IV restauratum* 313 a
Crispiacus castrum in Suessionensi territorio 400 e
Cumiana, pagus non procul Pinarolio 117 f
Cuteclarense cœnobium in Hispania 651 b, c
Czentochowa, oppidulum Poloniæ minoris : *ubi miraculosa imago Deiparæ* 531 e

D

Dæbnik, villa juxta Cracoviam 530 b
Damfrunt, castr. in confinio Normanniæ et Cenomanensis diœcesis * 136 f
Daphnæi Apollinis fanum apud Antiochiam Syriæ * 58 d
Dertona (*Tortona*) ur. episcopalis in ducatu Mediolanensi 369 e
Deiri, olim Northumbriæ populi australiores 59 f
Deuren vel Deurne, *vide* Turninum
Dii monasterium CPoli 632 c, *variæ observationes circa ejus etymon* ibid. e, f; *quod non recte a Baronio* Diiticum *vocatur* 633 a. *Acœmeti eo inducti* ibid. e
Dinantum, Dionantium (*Dinant*) opp. Belgii in ditione Leodiensi 158 d
Dodiniaca villa apud Vosagum 437 c, d
Dordingus (*Dourdan*) locus in Gallia 414 a
Dorostorum, ur. olim Mœsiæ inferioris, nunc pagus Bulgariæ. *Sancti Martyres Dorostorenses* 360 c. *Varia ejus nomina* 370 b. *S. Æmilianus M.* c
Drentia, districtus provinciæ Transisalanæ 57 a
Dunajec, fluv. in Cracoviensi diœcesi 330 d

E

Einhamum, monast. prope Aldenardam in Belgio, *quando conditum?* 289 e
Elle, torrens in agro Juliacensi 447 c
Epipa, civitas Lydiæ * 75 b
Epiphania, ur. Syriæ episcopalis * 116 b
d'Escouvrier, *forte* d'Escouy, ecclesia collegiata diœcesis Rothomagensis 285 b

F

Ferali, locus prope Cracoviam 574 f
Figlini castellum, videtur esse Figline in Tuscia 342 c
Fons salutis, *monast. Cisterciense in Germania* 657 c
Foresium (*Forez*) in Segusianis, diœcesis Lugdunensis 2 a
Frento, fluv. Apuliæ Dauniæ 497 a
Friesacum, Frisiacum, opp. Germaniæ in Carinthia superiore ; *ubi primum Dominicanorum cœnobium in Germania* 194 a
Frisii, populi Germaniæ inter Rheni et Amasis ostia prope oram Oceani, *a S. Willibrordo conversi* 295 f
Frugense oppidulum (*de Fruges*) in diœcesi Bononiensi : *colit S. Helerium vel Elerium* 146 c
Fulginium, ur. Umbriæ. *S. Petrus conf.* 663 b

G

Gedina, locus ignotus non procul Dorostoro 376 b
Gemes, forte pagus ille maritimus Normanniæ non procul ab Abrincis et portu S. Joannis 152 e
S. Georgii de Rocca Moria monast. in Aprutio citeriore 500 c
Germanicia, civit. in Cilicum, Syrorum, Cappadocumque confiniis * 49 f
Gersut, Gersich, Gerseium, *vide* Cæsarea
Gerunna (*la Gironde*) æstuarium Galliæ in Aquitania, verius ostium Garumnæ fluvii 452 d
Gessum, opp. Aprutii citerioris 494 a
Geztec, locus in Hungaria 329 d
Gidle, villa nobilis diœces. Gnesnensis in Polonia 571 b
Glottiana Scotiæ provincia. *S. Thenna seu Thenew matrona* 422 f
Gravenhorstanum monast. diœcesis Monasteriensis 191 d
Grumi, locus inter Neapolim et Atellas 86 f
Guba Baraia, castrum Mesopotamiæ 264 d
Guilionisium (*Coglionisi*) locus juxta Phiternum fluv. in Capitanata 502 e

H

Haslon, locus ad Mosam in Belgio 162 c
Heilbrunnum, *vid.* Fons salutis
Heithebu, dictum Slesvicum 106 f
Hercinius saltus, olim vastissimus, Bohemiam circumdans 194 c, d
Herenwertum, insula parva in Belgio 147 d
Herrieden, opp. diœcesis Eychstadianæ 66 b
Hierea, civitas Parthorum 14 b
Hisclea, locus in portu Romano non sat notus 18 b
S. Honorati prope Abbavillam cœnobium Cartusianorum. *Reliquiæ Martyrum Scillitanorum* 213 d
Huelgas de Burgos, monast. Hispaniæ. *Corpora SS. Justæ ac Rufinæ* 584 c, d

I

Ibora, parva civitas in Helenoponto 604 d
Ilkus in territorio Cracoviensi 536 c
Ingelheim regum Francorum palatium ad Rhenum 471 a
Insula Salvatoris, olim Castrum Lucullanum, in territorio Neapolitano 76 c
Iris, fluv. provinciam Ponti secans 594 d
Justinopolis, civitas Istriæ 395 a
Juviniacum (*Joyne*) in pago Suessionensi in Gallia 404 b

K

Kamien, pagus diœcesis Vratislaviensis, *patria B. Ceslai Odrovantii* 190 b
Karnory, suburb. Cracoviense 557 e
Kenserinense cœnobium in Syria * 104 c

L

Læg, villa prope Cracoviam 541 e
Lama, Castell. sive oppidulum Aprutii citerioris 502 e
Lamense monast. *(della Lama)* in Aprutio 494 c
Lauffa, opp. Sueviæ ad Nicrum fluv. 90 c
Layum, locus in Lotharingia haud procul Nanceio 424 f; *patria S. Arnulphi ep.* 426 d
Lazorum provincia, Armeniæ vicina * 107 f
Legia, nunc Leodium, ur. ad Mosam in Belgio 158 d
Leopolis *(Lemburg)* ur. Poloniæ 544 d
Liburia, forte Terra laboris in regno Neapolitano 86 f
Lillo, opp. ad Schaldim non procul Antverpia 297 d
Limesanum, Lumesanum castr. seu opp. circa terminos Aprutii orientales 506 a, c
Lipnica opp. in Polonia; *patria B. Simonis* 519 a
Liptinæ, non procul a Sabi amne in Belgio; *synodus* 56 c
Leucopibia, an locus idem cum Candida Casa? 52 c
Litophagi, Africæ populi, *unde sic dicti?* 226 b
Lucida vallis *(Lichtenthal)* monasterium prope Badenam 110 f; *an cor B. Bernardi Badensis ibi sepultum?* 111 b
Lusarca, locus in diœcesi Parisiensi. *S. Æternus* 48 a
Lwow, ur. Poloniæ, *vid.* Leopolis
Lychnis, civit. Macedoniæ * 97 d
Lysecuis, mons in meditullio minoris Poloniæ 531 e

M

Majella mons in Aprutio citeriore 500 c
Mamista, *sive* Mamistra, urbs Ciliciæ * 136 f
Mariani montes in Hispania 586 d, e
Mariæburgense monast. in Germania 658 e
Mariæ lapis, monast. juxta Eystadium 657 f
S. Martini de Semellis monast. Ambiani in Gallia. *Reliquiæ Martyrum Scillitanorum* 213 d
Massæ candidæ, ur. episcopalis *an alicubi sit* 51 e
Mauritii pagus non procul Taurino 117 c
Mazici, Libyæ populi: *eorum crudelitas* 610 e
Metæ, ur. in Belgica prima. *S. Arnulphus ep.* 423 b, *ecclesia ejusdem suburbana a multis principibus ditata* ibid. d, e
Metanœa insula dicta Canopus in Ægypto 630 a
Midæum, ur. Phrygiæ * 50 f
Mirabella, castr. Aprutii apud Samnites 509 f
Misenas, mons et opp. in Campania 76 a
Mogila villa prope Cracoviam 568 d
Monsbriso *(Montbrison)* metropolis Foresii in diœcesi Lugdunensi 2 a
Mons Calerius *(Moncaliere)* opp. in Pedemontio. *B. Bernardus conf., marchio Badensis* 110 b
Mons calvus in meditullio minoris Poloniæ 531 e
Mons planus, arx seu castellum in Aprutio citeriore 501 a
Montevalchi *vel* Montevarchi, castrum in agro Florentino; *unde ortus B. Benignus abbas* 340 a
Moronus, Murrone, Morrone, mons in Aprutio citeriore. *S. Petrus Cælestinus eum incoluit, et post eum B. Robertus Salentin.* 493 a, b
Mosul, urbs Mesopotamiæ * 121 d
Moutiers, *vide* Tarentasia
Mulda, Multava *(die Muldaw)* fluvius Germaniæ 194 b
Munkalyff monaster. prope Bergas Norvegiæ 109 a
Munckatorpium, locus in Westmannia Sueciæ provincia 108 c
Mygdonius amnis apud Nisibim in Mesopotamia 44 e

N

Nantus *(Nanteuil)* locus in Normannia 150 f
Naulum *(Noli)* parva civitas in Liguria. *S. Eugenius ep. cum sociis* 180 b
Neckarus, Nicer *vel* Nicrus, fluv. Germaniæ 94 c
Niesskowice villa diœcesis Cracoviensis 564 d
Nitria, ur. episcopalis in Hungaria, comitatus item ac fluvius 338 e, territorii situs 338 a
Nobiliaci cœnobium diœcesis Pictaviensis 124 c
Nordalbingia olim vocabatur Holsatia 206 f
Northumbria, ea pars Britanniæ, quæ ab Humbro æstuario in Boream vergit 59 f
Novimagum, ur. Belgii inter Rhenum et Mosam 467 d
Nuceria apud Italos duplex 69 c

O

Octavia in Belgio fabulosa 161 f, 164 f
Odera fluv. Germaniæ 196 c
Ogilvy solitudo non procul ab Alecto oppido in Scotia. *S. Donevaldus conf. cum novem filiabus virgg.* 60 f
Oldensalia, opp. Belgii. *S. Plechelmus* 50 a
Onoldium, Onolspachium, Onspachium, *vide* Anspachium
Ad S. Onuphrium, cellula in monte Morono *S. Petri Cælestini* 493 a
Opatoviec, opp. in minore Polonia 330 c
Opta, ur. Castellæ novæ 585 a
Orcades insulæ Scotiæ ad Boream 152 e
Oriola, ur. Valentiæ 584 b
Orgia fluviolus Galliæ 414 f
Orschotum, municipium Brabantiæ in territorio Silvæducensi 467 c
Otgerius *(Oger)* villa in Insula Franciæ 415 f
Oudencele, *vide* Oldensalia

P

Pacense oppidum, sub regno Portugalliæ 181 c
Palatium Theodonis *(Thionville)* ad Mosellam inter Mediomatricos et Circam 465 d
Palæa, locus extra portas Antiochiæ * 54 e
Pannonius mons in Hungaria, *a quo eam nomen Pannoniæ traxisse nonnulli volunt* 338 a
S. Perpetui monasterium in Astensi episcopatu; *ubi instructus S. Bruno ep.* 479 b
Peselo Lausani, *vel* Pesculo Langani, locus in Aprutio vel prope 509 b
Petra Troæ, *vid.* Troë
Pharan varia id nominis loca in Oriente 613 c d

Philippopolis, ur. Thraciæ, *ubi pseudosynodus* * 47 a
Plougrescant, locus diœcesis Trecoriensis in Britannia Armorica. *S. Gonerius presb. anach.* 422 b
Podium, *vide* Anicium
Pontivensis comitatus *(le Ponthieu)* in Picardia 152 d

Q

Quantia, Quentus, *vide* Cancia
Quercolodorense monast. Turnini prope Antverpiam; *cui creditur præfuisse S. Fredegandus abbas* 289 b
Quilionisium, *vide* Guilionisium

R

Rackelspurg, ur. Germaniæ in Styria inferiori 544 c
Receburgum, ur. Saxoniæ inferioris. *S. Ansuerus mart. cum sociis* 97 a
Reiteste, locus in finibus Remorum Galliæ 405 b
Rensburgum, opp. Holsatiæ in limite ducatus Slesvicensis 97 f, 98 a
Resbaces, *(Remarde)* fluv. Galliæ 414 a
Rhabdus, ecclesia CPoli. *S. Æmiliano M. sacra* 371 a b c
Risenbeck pagus in diœcesi Monasteriensi 121 d
Rocca, sive Arx Morisii, *vid.* S. Georgii de Rocca
Rubea vallis, cœnob. in Brabantia non procul Bruxellis 156 c
Rudawka, fluv. ad muros Cracovienses 556 d
Ruræmunda civitas Belgii. *S. Plechelmus ep.* 50 a
Rylandia, tractus terræ, cujus caput Antverpia 295 c
Rzochow villa Cracoviensis diœcesis 550 b

S

Saded, pagus agri Damasceni 262 e
Salandia, districtus provinciæ Transisalanæ 57 a
Salle, opp. Aprutii citerioris, *patria B. Roberti Salentini* 489 b
Sanctæ *(Saintes)* pagus in Hannonia Belgii. *S. Reineldis virg. mart. cum sociis* 173 a
Santillana, opp. Hispaniæ in Asturiis 584 e
Scandalor, opp. ad mare Pamphylium 130 b
Scethis, mons Libyæ, *quem incoluit S. Arsenius anachoreta* 605 a, b
Schinda, fluvius prope Antverpiam 295 b
Scilla, *vel* Scillite, ur. in Proconsulari provincia Africæ; *unde haud dubie dicti Martyres Scillitani* 205 e, f
Scylla *(Sciglio)* opp. Calabriæ 105 d
Scyllæum seu Scyllitanum Calabriæ ulterioris promontorium, *non inde denominati Martyres Scillitani* 205 d
Sebastopolis, ur. Armeniæ primæ; et aliæ duæ 604 f
Seleucia, ur. Isauriæ * 51 a
Sexberumum, vicus non procul ab oppido Franekera; *patria, ut quidam volunt, S. Frederici ep. et mart.* 454 e
Sida, ur. olim celebris in ora Pamphylii maris; *patria S. Eustathii patriarchæ Antiocheni* 130 b
Sierra Morena, montes Hispaniæ 586 d, e
Signia, civitas Latii. *S. Bruno ep.* 471 a
Silva Aquilina inter Parisios et Carnutum. *S. Arnulphus M.* 396 a. *S. Scariberga ejus uxor et virgo* 417 a
Sixena, monast. in confinio Aragoniæ et Catalauniæ 584 f
Skalka, solitudo Hungariæ; *ibidem commorati SS. Zoerardus seu Andreas et conf., et Benedictus M.* 335 a
Skalka, monast. Benedictinum, Nitriensis diœcesis in Hungaria 328 c. *S. Benedictus M.* 329 e
Slavia *sive* Sclavonia duplex 108 e
Slesvicensis urbis etymologia 106 f
Slupeza, *al.* Slupecia, locus in palatinatu Sendomiriensi 529 f, 531 e
Snevinga in Westmannia Sueciæ provincia 108 c, d
Soleria, locus in Insubria non procul ab Aste civitate: *patria S. Brunonis ep. Signiensis* 474 c
Sozopolis, urbs Pisidiæ * 93 c
S. Spiritus ecclesia prope Sulmonem. *Corpus B. Roberti Salentini* 489 f
Squillaci, ur. episcopalis in Calabria 205 d
Staniatki, monast. in diœcesi Cracoviensi, *a quo fundatum et confirmatum?* 548 c, d
Staveren, opp. Belgii in Frisia 467 c
S. Stephani prædium, videtur esse pagus *(S. Etienne)* Mosellæ adjacens prope Montem Romarici 437 f, monast. item apud Mettas 437 e
Stradom, Stradomia, suburbium Cracoviæ. *B. Simon de Lipnica* 571 c, 544 c
Surrentum, ur. Campaniæ 84 c

T

Tanie, villa prope Cracoviam 556 f
Tarentasia *(Moutiers)* ur. tractus Sabaudiæ 118 d
Tela, urbs Mesopotamiæ * 101 e
Teleda, vicus agri Antiocheni * 113 e
Tenedos insula Ægæi maris. *S. Abudemius* 26 f
Theanum duplex in Italia 497 a
Tibur in Latio. *S. Symphorosa cum septem filiis MM.* 350 f
Tiniecense monasterium totius Poloniæ locupletissimum 534 a
Torza, locus in monte Libano 281 f
Trajectum ad Mosam ur. Belgii. *SS. Monulphus et Gondulphus epp.* 152 c, 159 c
Tranquillus *(Trancot vel Trancaut)* vicus in Tricassina diœcesi, *patria S. Aproniæ virg.* 45 f
Troë, locus Ægypti 611 a, b. *Ibidem obiit S. Arsenius anachoreta* 613 a
Tubantia, *vide* Twentia
Tullum *(Toul)* civitas Lotharingiæ. *S. Apronia virg.* 45 a
Turninum pagus prope Antverpiam. *S. Fredegandus abbas* 288 c
Twentia, districtus provinciæ Transisalanæ 50 a

V

Vadensis pagus, *vide* Valesia
Vadodium, videtur esse pagus *(Vé)* in tractu Vadensi 415 e. *Vide* Valesia
Vagus. fluv. Hungariæ 335 a
Valesia, Valesium *(le Valois)* tractus Galliæ 416 f
Vallisdunæ, Valledunæ locus in tractu Oximensi ac diœcesi Sagiensi 152 d
Vallisdunum, locus in diœcesi Rothomagensi 152 d
Vallumbrosella, monasterium in Gallia, *a S. Ludovico rege ædificatum* 340 d

Vartofilum

Vartofilum opp. in Polonia 550 a
Vautmesia, villa *(Vaumoise)* in Insula Franciæ 415 e
Viadrus, *vide* Odera
Vici ecclesia in Lotharingia; *colit B. Bernardum Badensem* 110 c
Villa nova Astensis, opp. sub dominio ducis Sabaudiæ 117 d
Villar di Basse, pagus non longe ab urbe Taurinensi 118 d
Villare bellum *(Villiers-le-Bel)* locus prope Parisios 48 e
Villare seu Villa S. Arnoldi *(Arnswiler)* in agro Juliacensi. *S. Arnoldus conf.* 447 b
Vincentii monast. in Samnio Italiæ. *S. Ambrosius Autpertus abbas* 646 a
Ultrajectum, ur. Belgii. *S. Fredericus ep. M.* 452 b
Unterwildberg, monast. S. Joannis Ord. Cisterc. in diœcesi Herbipolensi 62 c
Vratislavia, ur. Silesiæ. *S. Ceslaus Odrovantius Ordinis Prædicatorum* 182 a

W

Waag *(Vagus)* fluv. Hungariæ 338 d
Walacram, seu Walachria insula Belgii in Zelandia 464 b
Weselo, suburbium Cracoviense 575 d
Wesemale, pagus Brabantiæ 296 e
Westerarhusa, ur. episcopalis in Westmannia Sueciæ 109 e
Westmannia, Sueciæ provincia 109 d
Wilepole, opp. diœcesis Cracoviensis 562 e
Winchelcumbe monast. Angliæ. *S. Kenelmus M.* 297 b
Witterna, idem quod Candida Casa, *quod vide*
Wyck-te Deurstede opp. Ultrajectinæ provinciæ in Belgio 471 a
Wyneghem, *pagus Brabantiæ, prope Antverpiam* 296 c

Y

Ybernio, locus in Silva Aquilina 421 b

Z

Zobor, cœnobium apud Nitriam civitatem Hungariæ. *S. Zoerardus seu Andreas* 326 f, *cessit postea episcopatui Nitriensi* 338 a

INDEX ONOMASTICUS

* *Asteriscus indicat Tractatum præliminarem.*

A

Acutæ, *febres* 564 f
Ad buffulas et ballottas, *id est per collectionem suffragiorum* 394 b
Ad partem, *seorsum* 499 d
Æruginascere, *æruginem contrahere* 93 d
Agape, *refectio extraordinaria in monasteriis; solenne convivium; cœna etc.* 621 c
Agonista, *bellatrix* 177 c
Agonotheta, *qui certamen init* 60 d
Aita, *pater* 392 e
Ambo, *suggestus, pulpitum, cathedra concionatoris* 531 a
Anachorizare, *secedere a sæculo* 151 b
Angaria, *vexatio seu injusta coactio* 525 f
Antepediæ venæ, *venæ in superiori pedis parte* 546 d
Apices, *forte libri rituales* 413 c
Apocrisiarius, *nuntius vel legatus* 77 b
Apodiatus, *innixus, incumbens* 150 c
Aquamanile, *vid.* gabbatæ
Aquimolæ, *molendina aquis acta* 324 d
Archiereus, *præsul, pontifex* 460 c
Arcomegisti, *principes maximi* 461 f
Arytænæ, arytænœdes, *quædam cartilago laryngis* 34 a
Astripotens, *Deus* 559 f
Atta, *pater* 390 d. Attia, *idem* 392 e
Aubrema, *morbus capitis* 87 f
Agustale, Augustale, Augustarius, *nummus aureus etc.* 502 f

B

Bauca, *armillæ genus* 325 a
Benedictio, *cibus* 80 f
Bernardini, Bernardiniani, *PP. Franciscani de Observantia in Polonia* 536 c
Biothanati, *violenta morte defuncti* 351 b
Bis binæ benedictiones, *videntur esse quatuor ordines sacri, vulgo minores* 460 d
Bottones, *globuli quibus vestes connectuntur* 666 f
Brandeum, *velum cui aliquid involvitur* 254 a
Braxator, *coctor cerevisiæ* 530 a
Brodium, *carnium elixarum jus* 546 b
Burdones, *muli* 82 c
Butto, *cupa, scyphus seu vas concavum* 311 b

C

Caballicare, *equitare* * 111 d
Calcarium, *forte ministerium aliorum calceos purgandi* 287 c
Caldarium *vel* caliclarium, *forte ministerium caldam præparandi, vel monachorum caliculos eluendi* 287 d

Candelapta, *qui candelas accendit in ecclesia* * 98 a
Candidatorum tegmen, *videtur sumi pro veste aut dignitate episcopali* 83 a
Canepinus pannus, forte canabinus, *genus panni Italis canevaccio* 666 c e
Canicularius, *curator canum venaticorum* 89 f
Canistra, *vide* gabbatæ
Canna, *ulna* 507 d
Capetiæ, *quindenæ, et interdum acervuli manipulorum frumentariorum* 329 e
Capitelli, *forte pars superior vestis* 666 f
Capitolium, *capitulum* 107 a
Cappatus, *forte acutus vel capitatus* 178 e
Capsetta, *capsula* 394 f
Capsonum, *capsa* 394 f
Carnificissa, *uxor lanionis, aut mulier, quæ vendit carnem* 531 e
Carpentarius, *faber lignarius vel tignarius* 529 f
Casale, *villa vel locus suburbanus* 393 d
Cataplasmare, *remedium morbo vel vulneri adhibere* 95 f
Cataracta, *morbus etc.* 576 e
Catervatio, *ingens populi multitudo* 95 c
Ceslawny, *idem videtur quod Latine gloriosus* 191 f
Chelydrus, *diabolus* 412 c
Ciborium, *vide* Gabbatæ
Clerici, *monachi* 621 e
Clodus, *claudus* 392 e
Cmeto, *agricola in Polonia* 538 a
Coëssentia, *præsentia* 92 e
Colobos, *forte a* κόλοβος *mutilus vel vitiatus* 392 e ; *item parvus, nanus* 621 b
Comitidas, *videtur esse quoddam indumenti vel instrumenti genus, quo lectores in ecclesia utebantur* 77 a
Compatriota, *popularis* 298 f
Conductum, *nundinæ, aut simile commercium* 563 a
Conthoralis, *uxor* 563 a
Convicaneus, *qui est ejusdem vici aut parœciæ* 258 f
Cordolium, *cordis dolor* 523 d
Cortinc Alexandrina, *vide* gabbatæ
Crata, *crates, cratis* 541 a
Credentia, *fides* 93 b
Critici dies, *decretorii dies morbi* 260 c
Crocæ, *fulcra subalaria* 440 e
Cunctabilia, *moræ aut dilatio* 95 b
Curtis, *aula* 98 f
Cussinus, *pulvinar* 562 c

D

Dapsilitas, *copia, profusio* 58 c
Dealibi, *alibi, aliunde* 517 e
Debriatus, *inebriatus* 486 f
Depompare, *deprimere, detestari etc.* * 107 e
Didascalus, *magister* 105 d
Dietenus, *diebus singulis* 548 b
Diffidatus, *desperatus* 546 e
Dindimum, *idem quod mysterium* 461 a, c
Discalzatus, *a terreno penitus separatus* 394 e
Disertitudo, *eloquentia* 650 c
Diversificare vota, *diversa vota facere* 547 d
Dogmatum, *forte idem quod dogma* 460 e
Doleator, *doliarius* 545 f
Dom, *ecclesia Cathedralis* 394 f
Domestici, *incertum quo officio functi in palatio Francico* 437 e
Duelliones, *perduelles* 82 c

E

Efficative, *reipsa* 105 b
Embrimium, *sedile de scirpo etc.* 610 c
Emenda, *emendatio* 524 d
Encefalus, *celebris, summus* 461 a
Epithymia, *desiderium* 460 e
Eulogium, *sermo bonus, verum placitum* 71 f
Eumenicus carcer, *infernus* 103 e
Exemplatus, *transcriptus* 478 b
Exhalatus, *mors* 531 f
Ex post, *deinde, postea* 571 c
Extollentia, *superbia* 58 d
Exulare, *in exilium vel servitutem mittere* 81 d
Exulatio, *videtur accipi pro tyrannide vel servitute* 81 e

F

Faginula, *lapilli similes glandibus seu nucibus fagi* 557 b
Famen, *sermo* 486 b
Feria sexta magna, *videtur esse dies parasceves* 562 f
Fibulatoria, *annuli, seu ea, quibus alia connectuntur* 325 a
Filassere, *custodire* 462 a
Fiscalitas, *dominium* 93 b
Flamineæ, *ædes videntur ecclesiæ proximæ, in quibus olim clerici habitare solebant* 392 e
Florenus, *nummus aureus apud Florentinos cusus* 504 e
Fluxus albus, *qualis sit describitur* 562 f
Foderatus, *contectus, vestitus* 171 c
Fossata, *sepulcrum* 532 f
Francisca barba, *videtur esse Francica* 339 e
Fresciata, *ornata* 666 e

G

Gabbatæ interrasiles, *pro his et pluribus aliis, ad ornatum sacrum spectantibus vide annotata* 311 e
Garantisiare, *tueri, defendere* 277 e
Gavinæ, *tumores similes tonsillis, seu glandibus gutturis* 344 c
Gemmæ prasicæ, *gemmæ viridis coloris* 311 d
Gironi, *limbi, qui vestem circumeunt* 666 f
Glaucitas, *glaucedo, morbus* 566 f
Gleba, *corporis exuviæ* 92 d
Geniclinavit, *genibus inclinatis adrepsit* 541 b
Graduale, *series graduum* 555 a
Grandinatus, *grandine percussus* 528 b

H

Haita, *pater* 392 e
Hesychasticus, *quietus, taciturnus solitarius* 619 a
Homullus, *homuncio* 454 a

I

Icona, *icon* 312 b, 316 a
Illimare, *sicut limam radere* 152 b
Imbraculum, *forte tectum* 152 a
Imizinum, *sericum est, Italis* ormezino 325 f
Incineratio, *forte mors* 104 d
Inculpatus, *accusatus* 107 a
Incurabilitas, *incuria* 563 b
Indeliberatum, *id quod in sola deliberatione hæret, et non perficitur* 319 d

Infantes,

Infantes, *magnatum filii minorennes etc.* 333 f
Inflaminatus, *incensus* 232 a
Infula, *stirpis dignitas* 552 d
Innotescere, *notum facere* 553 a
Inrefertibilis, *insatiabilis* 93 d
Insupportabilis, *intolerabilis* 562 e
Inthronizatus, *in solio collocatus* 70 b
Intracutaneus, *intercus* 552 e
Invadiare, *oppignerare* 531 a

J

Jordanicæ undulæ, *baptismus* 93 c
Journales, *jugera* 447 c

K

Kmetones, *servilis conditionis homines in Polonia* 538 f

L

Laguena, *lagena* 259 d
Lati grossi, *genus monetæ* 553 b
Lectus, *feretrum* 253 e
Libertas, *municipium* 295 b
Lictor, *videtur sumi pro quolibet apparitore vel simili justitiæ ministro* 542 c
Ligium, *homagium* * 140 c
Listæ, *limbi* 76 a
Litterare, *litteris imbuere* 469 c
Loripes, *claudus, vel qui impediti est gressus* 151 c
Lugubrans, *lugubres voces edens* 82 d
Lychnuchus, *vid.* pharus

M

Magistrianus, *nomen officii alicujus, non proprium* 625 c
Magistri militum, *urbis Neapolitanæ præfecti* 80 c
Majoricus, *major* 324 b
Mancosi, *videtur esse monetæ species, aut certum argenti pondus* 324 e
Mandatela, *mandatum* 95 a
Mansi, *vici, mapalia, communitates* 320 f
Mantum, *pallium* 259 f
Maphrianus, *dignitas inter Jacobitas infra patriarchalem* * 104 f
Mar, *Syris est dominus meus* 263 b
Maranata, *vox maledictionis, Syriace Dominus venit* 487 c
Marca, *species monetæ* 570 c
Matricularii pauperes, *qui in ecclesiæ album relati erant, ut ecclesiasticis stipendiis alerentur* 430 a
Mavortes, *velum, quo obnubebantur sponsæ* 236 c
Medioximum, *meditullium* 369 f
Melote, *pellis; pellis ovina vel caprina* 626 a
Monachi schema, *monachismus* 83 b
Monatti, *vespillones* 118 e
Menokossim, *videtur idem, quod* monokokka, *unio* 326 c
Monoculus, *cocles* 344 b
Morbus sonticus, *morbus periculosus, aut quid simile* 528 e
Mundus muliebris, *apparatus muliebris* 267 e
Murator, *murorum confector* 548 d

N

Nimietas, *vehementia* 570 a
Novalis, *novus* 567 f
Nudus, *dæmon* 497 f

O

Oblati, *fratres conversi* 499 e
Obsequiæ, *exsequiæ* 86 a
Officialista, *officio fungens* 575 f
Olerare, *oleribus conserere* 149 a
Olubero, olovero, *accipitur pro purpura* 325 b
Opuchla, *tumor in facie* 562 a
Oracula, *ædes sacræ, in quibus oratur* 311 e
Orarium, *infula, stola, alba etc.* 89 f

P

Pædonomi, *pædagogi* 190 e
Palla, *pictura* 490 d
Palmatus, *ornatus* 94 f
Pandochium, *taberna* 287 c
Pandox, *tabernarius* 287 c
Panicula, *coma arundinis ex qua semen dependet* 560 f
Panni, *forte peristromata* 75 e
Paramonarius, *custos ecclesiæ, ædituus* 252 c
Parentes, *consanguinei, ut videtur* 437 c
Parmatus, *fisus, fretus, confirmatus etc.* 92 e
Pausat, *quiescit* 297 c
Pausatorium, *sepulcrum* 94 e
Paxamas, paxamation, paximation, *panis subcinericius, bis coctus* 621 c
Peditando, *pedibus incedendo* 541 d
Pergama, *ædificia vel palatia altiora* 163 b
Pestilitas, *lues pestifera* 528 e
Petia, petium, *frustum seu fragmentum* 394 f
Phaleratores, *exornatores* 103 d
Pharus, *instrumentum luminaribus accendendis destinatum* 311 f; *varia eorum genera* ibid.
Pheronymi, *ferentes veritatem nominis* 87 a
Phylacterium, *reliquiæ vel reliquiarium* 416 e
Pictacia, *pugillares tabellæ, schedæ etc.* 273 f
Pirmunara, *paramonarius; ædituus, custos ædis sacræ* 264 f
Pistare, *panes coquere vel pinsere* 540 e
Pistorissa, *pistrix* 529 e
Placamentum, *propitiatio* 522 c
Plecta, *habenæ e palma, junco etc.* 625 b
Pluriora, *plura* 446 e
Pneumate sancto, *Spiritu sancto* 178 e
Pompatire, *pompam ostentare* 148 b
Portulanus, *qui recipiendis in portu vectigalibus præest* 560 f
Possibilitas, *potestas* 568 f
Posterula, *posticum* 274 d
Potagium, *jusculum, interdum quælibet potio* 542 b
Præsidatus, *præsidium* 235 c
Prætaxatus, *præscriptus* 498 f
Precamen, *petitio* 93 b
Presbyterium, *vide* Gabbatæ
Primicerius judicum, *forte primus judicum* 259 f
Primiscrinius, *qui primum locum obtinet in scriniis* 444 a
Principales, *quoniam officio functi fuerint* 359 e
Pronaon, *atrium ædis sacræ* 340 b
Psalterista, *cantor* 536 f
Psiathus, *teges, storea* 81 a
Ptochiæ, *domus mendicorum* 80 b
Pueri, *magnatum filii minorennes* 333 f
Pueri scholastici, *quinam essent olim* 334 f
Pulvis, *furfures seu squammulæ leprosarum partium* 499 e
Pungativus, *pungens* 556 b

Quartale

Q

Quartale anni, *quarta pars anni* 562 e
Quatrivium, *quatuor artes liberales* 479 b
Querella, *controversia, lis* 285 a
Quitare, *adimere vel condonare* 285 a

R

Rana, ranula, *morbus sub lingua etc.* 561 f
Recamator, *forte Phrygio vel qui acu pingit* 548 d
Recidivare, *recidere in eumdem morbum* 531 c
Refutare, *recusare* 525 c
Regalia, *palatia* 80 c
Regili, *forte limbi* 75 e
Remediari, *sanari* 547 f
Renda, *zona, balteus vel ejusdem pars* 252 a
Repatriare, *ire vel intrare* 92 d
Repatriatus, *in patriam redux* 341 f
Repausare, *quiescere* 150 c
Repausatio, *habitatio, quies* 75 f
Repedare, *redire* 75 d
Rescellæ, *reculæ* 609 b
Responsum, *forte fiscella seu sporta* 609 b
Riscia, *Syris est princeps* 263 b
Rochettum, *superpelliceum* 171 c
Roga, *largitio* 320 c

S

Sagenæ, *species navigii* 83 b
Salambo, *Venus apud Babylonios* 586 a
Sanctutius, *sanctulus* 497 e
Sarighta, *storea seu saccus arundineus* * 130 a
Savones, *linteum, quo lecti sternuntur* 668 e
Schina dorsi, *spina dorsi* 171 d
Scholasticus, *clericus* 296 e
Semialtera septimana, *septimana una et media* 559 e
Sepulchrum, *lectus* 499 e
Siderati, *paralytici* 392 c
Siliqua nummi, *species monetæ, aut ejusdem valor* 625 f
Skalka, *Slavonice idem est ac rupella* 335 a
Smaltum, *pictura encaustica* 314 b
Solatiari, solaciari, *solatio levare* 319 d
Spada, *ensis* 277 e
Spanoclistus, *vide* Gabbatæ
Stephanizat, *coronatur* 102 e
Stigma, *velum capitis, virginibus imponi consuetum* 652 d
Stigmatizo, *notam infligo* 95 b
Stolatus, *stola indutus* 94 b
Striglia, *strigil* 152 b
Stuba, *videtur hypocaustum* 544 e
Subex, *subjectus,* 93 b
Subreguli, *majores-domus sub prima regum Francicorum stirpe* 437 e
Subripina, *loca ripæ vicina* 192 f
Subterratus, *sub terra conditus* 94 e
Superista, *forte* sphærista, *officialis palatii Apostolici titulus etc* 326 e
Symphonizo, *symphoniam edo, cano* 102 e
Synaxis, *officium seu pensum ecclesiasticum* 626 a

T

Tarduit, *ausus est, vel quid simile* 164 d
Tobalia, *mantile* 666 e
Tristega, *triplex contignatio etc.* 405 d
Trieres, *triremes* 78 c
Trivium, *tres artes liberales* 479 b
Tulentes, *auferentes* 169 e
Tumba, *sepulcrum* 541 f

V

Vapulati sumus, *vapulavimus* 85 e
Vela de fundato, de blatta et chrysoclavo; de Stauraci; de Spanisco; *pro his aliisque ornatus sacri vocibus vide annotata* 311 e
Vela de quadruplo, *velo quadruplo texta* 317 c
Vendeta, *forum aut locus, ubi merces venduntur* 563 b
Vestes gemmadiæ, *vide* Vela de fundato
Vicecapitaneus, *ducis tenens locum* 543 f
Villani, *rustici* 572 c
Vitæ mortalis noverca, *videtur esse mors* 567 b
Voces regulatæ, *voces articulatæ* 545 a
Votatio, 556 b; *item anathema* 548 f

Y

Yreneus, *pacificus* 461 e

Z

Zabuli, *dæmones* 454 a
Zelotissa, *quæ zelum alicujus accendit* 517 f
Zoma, *corpus* 413 d

INDEX ONOMASTICUS

GRÆCO-BARBARUS.

Ἀγάπαι, *eleemosynæ, refectiones pauperum* 629 b
Βάτραχος, *rana, id est morbus sub lingua* 563 a
Θάλλια, θάλια, *palmula, folia palmarum* 625 c
Θαλλὶν, *mensura apud Ægyptios* 625 b
Κάμισιν, *subucula, linea interula, indusium* 630 a
Λίνον, *interula, ut videtur, vel aliquid simile* 625 c
Λυχνικὸν, *lucernarium, pars Officii vespertini apud Græcos* 602 a
Πάπα, *ita dictus patriarcha Alexandrinus* 622 b
Πραιτώριον, *prætorium* 376 b
Πραιφεκτουρία, *præfectura* 376 b
Προσφωνάριον, *forte fiscella seu sporta* 609 b

Σειρὰ,

Σειρὰ, *habenæ e palma, junco etc.* 625 b
Τάξις, *officium, officiales; apparitio, apparitores : ii qui ad judicum nutus præsto esse debebant* 376 b
Χαλάδριον, Χαράδριον, *matta, pellis, lectus pellibuis instratus* 629 a

INDEX MORALIS

A

Abbas *Ordinis Vallumbrosani B. Benignus abdicat officium cum insigni humilitate* 343 e
Abbas *S. Bruno ep. patienter fert injurias monachorum, quas Deus ulciscitur* 483 d e
Absolutione sacramentali *herniosum sanat B. Robertus Salentinus* 506 b
Abstinentia a cibis, *ceteræque virtutes S. Athanasii ep. Neapol.* 80 f. *S. Helerii* 151 d e
Abstinentia *severa B. Roberti Salentini a cibo ac potu miraculo confirmata* 498 a. *Vide etiam* Inedia, et Mortificatio, Jejunium.
Adversos casus *quam moderate tulerit S. Macrina V.* 594 f et seq., 597 b, 599 c d
Æditui *sacrilegi terribilis punitio* 470
Ægram *sororem quomodo inviserit S. Gregorius Nyssenus* 597 et seqq.
Alexianorum *seu FF. Cellitarum origo* 246 e
S. Alexii *monasteria et templa* 243 et seq. *S. Meinwerci ep. in illum pietas* ibid. *Item SS. Franc. Salesii* 245 c; *et Adelhelmi abbatis* 260 et seq. *Quibus hymnis illum ornaverit ecclesia Græca* 247 et seq.
Ambitio *uxoris ad quanta scelera Sergium maritum instigarit* 82 c d
Ambitiosa *soror parvulum fratrem interficit, ut ipsa regnet* 298, 300
Amentes, *vide* Rationis usus
Amor *eximius inter fratres SS. Satyrum, Ambrosium et S. Marcellinam sororem* 237
Anastasii imp. *perfidia in Sedem Romanam ejusque legatos* 274 d. *Idem paulo post fulmine ictus interiit* ibid. e
Angelus *S. Bonosam V. M. fame damnatam solatur* 21 e; *et nuditatem ejus operit*, ibidem f; *eidem dat panem cælestem* 22 c. *Hortatur ad martyrium* ibidem f. *Rogum exstinguit, lictores fulmine sternit* 24 e f. Angeli *animam Martyris in cælum visi deducere* ibidem f; *et quidem tyranno minantes* 26 f. Angelus *jubet ecclesiam ædificari, in quam transferantur reliquiæ S. Reginswindæ V.* 94 et seq., *imo episcopum tergiversantem virgis cædit* 95 b. *In sepultura S. Domnini M. auditi* Angeli *canere* 125 c. Angelus *animæ adhæret etiam in inferno, donec precibus S. Arnulphi M. corpori restituta est* 405 e f. Angeli *respondent S. Arnulpho in Officio ecclesiastico* 406 c, 411 f. *Vide* Apparitio.
Anima *S. Arnulphi M. specie columbæ evolat in cælum* 407 b
Anima *cum a diabolo auferretur precibus S. Arnulphi M. corpori restituta* 404, 408 f
Animæ *defunctorum dicenti*, Requiescant in pace, *respondent*, Amen 244 e
Annulus *abjectus in flumen per miraculum repertus* 436 a, 446 b. *Simile quid accidit S. Arnoldo conf.* 451
SS. Ansigisi *et* Beggæ *illustris posteritas* 442 a b
Apostema *sublatum ope B. Benigni abbatis, sed non nisi post confessionem peccatorum* 344 b
Apparitio *S. Athanasii ep. Neapol.* 85 e, 87 c d, 89 c d. S. Joannis 105 e. Christi *et* Angeli *apud S. Ansuerum* 105 f. Deiparæ Virginis 106 a. Angelorum multorum *martyrum animas excipientium* 107 d. B. Bernardi *Badensis pestem avertentis* 118 a. Angeli *martyrium prædicentis S. Cuniberto* 149 d. Alterius *S. Helerio sese exhibentis* 150 f. Christi *eumdem ad se per martyrium invitantis* 151 e. B. Ceslai *suam in cælo gloriam revelantis* 198 a. *Et incendium a monasterio arcentis* 198 c d. Christi *et* Angelorum *S. Hyacinthum M. consolantium et sanantium* 228 et seq. Deiparæ Virginis, *S. Alexii merita revelantis* 252 c. *Item* SS. Alexii *et* Bonifacii *captivum liberantium* 259 a b c. Eorumdem *iniquum vestis suæ possessorem arguentium* 260 b. S. Fredegandi *invitantis surdam ad visitandas reliquias suas; quo facto sanata est* 296 f. S. Kenelmi *M. varia beneficia conferentis* 301. Angeli *S. Philastrium ad studia Athenas mittentis* 383 e f. Angeli *S. Arnulphum jubentis episcopum ordinari* 406 c; *vide tamen* 399 b. Angeli *S. Odulphum mittentis ad juvandum S. Fredericum ep. M. in labore apostolico* 465 f. S. Frederici *æditŭum sacrilegum corripientis* 470. Deiparæ *colloquentis cum matre B. Roberti Salentini* 497 e. Christi *ac* Discipulorum *mensæ frugalissimæ accumbentium* 498 a. S. Petri Cælestini *in cælum evolantis, ac discipulum alloquentis* 498 c. Christi *cum B. Roberto Salentino colloquentis* 500 a b. Christi crucifixi 503 e. SS. Benedicti *et* Petri Cælestini *episcopum arguentium de injusta sententia* 504 c. Crucis *fulgidæ et* multorum Sanctorum *moribundo B. Roberto Salentino sanitatem conferentium* 506 e
Apparet *frequenter* Deipara *B. Simoni de Lipnica* 520 d. B. Simon de Lipnica *apparet plurimis, medelam afferens a pag.* 529. Idem *cum* BB. Virgine *et* aliis 537 e. SS. Virgo Deipara *linguæ facundiam tribuens S. Ambrosio Autperto ab.* 650 c. B. Stilla *clienti morienti* 660 c
Apostolici labores *B. Ceslai; et vis dicendi unde hausta*

hausta 193 e f, 194 e. *Apostolicæ ejusdem virtutes* 195 b
Apostolica prædicatione *S. Paulum ap. imitatur S. Philastrius ep.* 387 f
Apostolici viri *quid servare debeant, ne ad exteriora diffluant* 648 f
Aqua, *benedicente S. Brunone ep., ter mutatur in vinum* 481 e
Aqua *in arido monte scaturiens precibus B. Roberti Salentini* 503 c
Aquam *S. Dius e fissuris terræ instar Moysis eduxit* 632 c
Aquila *toto anno servat corpus S. Benedicti eremitæ* 337 c
Arbitrii libertas *a necessitate sub gratia asseritur a S. Ennodio ep.* 275 e f
Arborem *pro Deo coluerunt Paphlagones* 223 f
Arcæ Noëmi *an exstent reliquiæ* 30
Archangelus Gabriël *tuetur monachos a procella* 502 a
Arianam hæresim *confutabat strenue S. Philastrius* 384 a b, 385 f, 388 a
Ariani *cum rege in Hispania conversi ope S. Arnulphi M.* 406 d, 412
Arianis *infestissimus fuit S. Eustathius patr. Antioch.* 132 et seq. *et ab illis infames calumnias et exilium tulit* 134 et seq.
Arida manus *subito restituta in translatione S. Philastrii ep.* 389 f, *ibidem aliæ* 392 c
Arii *pœna et mors* 31 e. Arii hæresim *quam solicite propulsaverit S. Eustathius* 142
S. Arnulphi *ep. Metensis gloriosa posteritas* 436 e f
Asperitas *in victu, vestitu et habitatione eremitica S. Jacobi Nisibeni* 42 c d
Assumptionis Deiparæ *Octavam Romæ instituit S. Leo Papa IV* 313 b
Asthma *sanatum ope B. Bernardi Badensis* 117 e
Aulam *præ solitudine fastidit S. Arnulphus ep. Metensis* 435 f ; *uti et S. Arsenius ita de cælo edoctus* 618 b

B

Baptismo *ethnicum leprosum sanat S. Arnulphus ep. Metensis* 436 c
S. Basilio magno *auctor ad perfectiorem vitam fuit S. Macrina soror* 594 c
Basiliscum *maxime pestiferum prece et ope Deiparæ sustulit S. Leo IV* 312 a
Beneficiorum, et misericordiæ Dei recordatio *ad pœnitentiam stimulat S. Ennodium* 272 f. *Eorum memoriam sancto fratri inculcat S. Macrina V.* 599 b c d
Benignitas *et severitas S. Arsenii erga monachos delinquentes* 609 e
Berengarius *ad rectam de SS. Eucharistia fidem adductus argumentis S. Brunonis ep.* 479 d
Blasphemiæ *in B. Simonem Lipnicium auditæ ac semicreditæ pœna* 568
Bona *sua quanta humilitate monachis transcripserit S. Reineldis V.* 176 et seq.
S. Bonaventuræ *cultor devotus B. Simon de Lipnica* 525 f
Bos *constanter adhæret loco, in quo sepultus erat S. Kenelmus M.* 300 f

C

Cæcus *visum recipit ope S. Athanasii ep. Neapol.* 83 f. *Item* alius 87 c d. Alius 88 f. Alius 89 c. *Ope S. Felicissimi* 96 f. *Ope S. Ansueri M.* 101 e f, 108 d. *Ope S. Sperati M.* 212 f. *Ope S. Kenelmi M.* 301 d e. *Ope B. Benigni abb.* 344 a; alii ibidem. *Ope S. Arnulphi ep. Metensis* 440 b, 444 b. Cæci tredecim *visum recuperarunt ope B. Simonis Lipnicii* 528 e. *Ope B. Stillæ* 658 d
Calculo *liberatur adolescens ope B. Roberti Salentini* 505 e
Calumniæ *in S. Ansuerum confictæ variis miraculis confutantur* 105. Calumniæ *et obtrectationis quam patiens B. Simon de Lipnica* 522 d e. *Item S. Vitalianus ep.* 169 e
Campaniæ *ac Neapolis descriptio et laus* 78
Capitis dolores *sublati ope S. Athanasii ep. Neapol.* 87 f. *S. Elii* 395 f. *Ope B. Simonis Lipnicii* 528 e, et seqq. *S. Stillæ* 659 b, 661 a
Captivus *mercator ope SS. Alexii et Bonifacii liberatus* 259 a b. *Item* alius *reus homicidii* ibid. c
Caritatem *erga proximum suis moriens commendat S. Ruphillus ep.* 382 c. *Vide* Dilectio.
Carnificum *brachia stupefacta, cum S. Bonosam cædere vellent, et ipsi ad* 40 *conversi ad fidem* 22 a
Castitas *mira S. Tenenani ep.* 179 e. *B. Ceslai* 191 b, 195 b c. *B. Bernardi Badensis* 114 e. *B. Simonis de Lipnica* 521 c d
Catena *ærea ita sese astringebat S. Zoerardus, ut post mortem deprehensa sit obtecta carne costis adhærere* 337 d
Cellam *suam constanter servare monachos jubet S. Arsenius* 626 b c
Centumcellæ *eversæ, alibi restituuntur a S. Leone PP. IV* 324
Cerevisia *miraculo suppeditata in translatione S. Arnulphi ep. Metensis* 439 et seq.
Chorum *quam diligenter frequentarit B. Simon de Lipnica* 520 b
Christus *apparet, vide* Apparitio.
Cilicium *asperum B. Bernardi Badensis* 114 d
Claudus *sanatur subito per signum Crucis ope B. Benigni abb.* 343 f. *Ope S. Philastrii ep.* 391 a *Ope S. Arnulphi ep. Metensis* 440 c. *Ope B. Roberti Salentini* 507 f. *Ope B. Stillæ* 658 c
Clodovei I *regis Francorum conversio ad veram fidem* 404, 408
Coclites *sanati ope B. Benigni abb.* 344 b
Cogitationibus impudicis *quomodo resistendum juxta S. Arsenium* 609 a
Colloquia *quam solicite vitaret S. Arsenius* 608 c d, 619 e f, et seq., *Deo approbante* 620 b
Coluber *dormientis ore in viscera serpens, signo Crucis expellitur per S. Helerium M.* 149 c
Communicant *Christiani milites Corpori Christi de manibus S. Leonis PP. IV ante expeditionem in Saracenos* 316 c
Confessionis *peccatorum causa mortuus tantisper revixit* 499 c. *Eam quomodo instituerit Pipinus Heristallius* 59 d e
Confessus *peccata sanitatem obtinet, quam ante frustra petierat* 344 b
Confraternitas *S. Reineldis variis indulgentiis Pontificiis ditata* 174 e
Conjuges *Wigerus et Amelberga mutuo consensu religiosi fiunt* 176 c. Conjuges *S. Rethicius et uxor ejus virginitatem servant* 589 a. Conjuges *sancti volunt eodem tumulo condi* 589 b
Conscientiæ *munditiam suadet S. Ruphillus ep.* 380 f et seq. Conscientiæ *et vitæ* examina quotidiana *suadet S. Arsenius* 608 d. Conscientiæ accusatio *pœnitentia et veniæ imploratione sedanda est* 609 c d
Constantia *S. Symmachi PP. adversus Anastasium imperatorem* 641 e f. *Vide* Martyres.

Contemplatio

Contemplatio *altissima et surditas in ea mirabilis B. Roberti Salentini* 499 f et seq.
Contractus *et moribundus sanatur subito post haustam aquam benedictam cum particula reliquiarum S. Bernulphi ep.* 655 e f
Corpus *S. Athanasii ep. Neap. incorruptum et fragrans in sepulcro repertum* 85 e f. Corpus *S. Marinæ V. quam in admirabili statu adhuc servetur* 283 e f. Corpus *S. Benedicti eremitæ integerrimum repertum post annum, ex quo occisus fuerat* 337 c
Corrigere *delinquentem porrecta de cælo virga jubetur S. Ansuerus abbas* 106 d
Cracoviæ *laudes a sanctitate incolarum* 524 a b
Crucifixionem Christi *miro cruciatu imitatur in se B. Robertus Salentinus* 499 c d
S. Crucis reliquias *e collo gestabat S. Macrina V. inclusas annulo ferreo, itemque* crucem *ferream* 601 d
Crucis signo *miracula patrat insignia S. Jacobus Nisibenus* 42 f. *Eodem se ante omnia opera muniebat B. Bernardus Badensis* 114 b. *Eodem incendium ingens extinguit S. Leo PP. IV* 312 d. *Eodem phreneticum sanat B. Robertus Salentinus* 505 a. *Eodem sanantur herniosus, puella misere contracta, aliique* 505 b et seq. *Vide* Signo crucis.
Crucis vexillo *ingens relata de Mauris victoria* 122 d
Crux *rutilans in cælum visa ferri* 155 c e
Crux *pretiosa a Carolo Magno oblata basilicæ Salvatoris Romæ* 311 c

D

Dæmon *divitias offerens fugatur a S. Petro Fulginate* 664 a et seqq. *Iterum apparens moribundo* 664 b et seqq. *Vide* Diabolus.
Dæmoniacus *liberatus ope S. Athanasii ep. Neapol.* 86 a. *Ope S. Felicissimi* 97 d. *Ope S. Liberati M.* 213 a b. *Ope B. Benigni abb.* 344 c. *Alii duo ope S. Arnulphi M.* 406 a, 410 c, 416 c d. *Precibus S. Arnulphi ep. Metens.* 436 c d. *Ope S. Brunonis ep.* 483 a, 487 b. *Ope B. Roberti Salentini* 509 c. *Vide* Energumenus.
Deipara Virgo *revelat sanctitatem Alexii etiamnum viventis* 252 c, 269. *Linguæ facundiam largitur S. Autperto ab.* 650 c. *Vide* Apparitio.
Deiparæ Virginis statua *bis inclinavit sese in translatione corporis B. Ceslai* 199 e
Deiparæ Virginis cultor *eximius B. Simon de Lipnica* 517 a, 519 b, 520 c. *Et B. Benignus abb.* 341 d e. *Quæ virginitatem ejus tutata est* ibidem, *et* 342 e, 343 b
Dentium dolor *sublatus ope B. Stillæ* 662 f
Diabolus *animam auferens, prece S. Arnulphi eam restituere cogitur* 404 e. Diabolum *apparentem ac tentantem abigit B. Simon de Lipnica* 525 f. Diabolus *accusat fidem S. Symphorosæ et 7 filiorum apud idololatras* 358. *Apparet B. Roberto Salentino, et ægrum tentans abigitur* 506 d
Dignitatis *etiam ecclesiasticæ fuga in B. Roberto Salentino* 498 b
Dilectio *inimicorum egregie inculcatur a S. Ruphillo ep.* 380 e f
Discretio *S. Arsenii concedentis aliquid alienæ infirmitati* 624 a b
Docendo *didicisse plurima se fatetur S. Autpertus ab.* 648 c
Docere opere *præstat, quam verbis* 608 d
Doctrinæ *sacræ et profanæ studiosissimus B. Ceslaus* 19 e f
Doctrinam *amittere mavult S. Autpertus, quam virtutes* 648 e
Dodæ, *uxoris S. Arnulphi ep. Metensis, elogia* 428 b c
Dominicum diem *laborando violantis manus ambæ contrahuntur; ad sepulcrum vero S. Arnulphi sanantur* 440 b
Domus *natalis B. Simonis de Lipnica mutatur in templum* 519 a b
Donationes piæ *S. Athanasii ep. Neapol.* 75 et seqq. *Item Radulphi comitis Vadensis* 415 e f. *Item SS. Arnulphi M. et Scaribergæ V.* 419 e
Donationes piæ *S. Goërici miraculo probatæ* 444 b
Donationes piæ *S. Symmachi PP. in ecclesias varias* 642 f et seqq. *Vide* S. Leonis PP. IV munificentia.
Draconem *sacris stolis vinctum in puteum præcipitant SS. Ruphillus et Mercurialis epp.* 378 d, 381 e. *Vide tamen etiam* 379 b c. *Aliud simile fere factum dicitur a S. Arnulpho M.* 406 e, 412

E

Ecclesia S. Arnulphi *Metensis ep. describitur; uti et multorum principum erga illam beneficentia* 424
Ecclesiam *S. Servatii Trajecti construxit S. Monulphus* 156 a b, 157 f, 159 a, *alias plures S. Gondulphus ep.* 162 e, 163 f
Ecclesiastica jura *liberrime defendit S. Bruno ep. etiam apud Pontificem Romanum in ea re minus fortem, cujus indignationem incurrit* 487
Ecclesiæ ornatus *quantum cordi fuerit S. Athanasio ep. Neapol.* 75 e f. *Vide etiam* S. Leonis munificentia.
Ecclesiæ status *miserrimus, cum exorti SS. Dominicus et Franciscus* 189
Ecclesiæ catholicæ status *quantum cordi fuerit S. Marcellinæ V.* 232 f, 237 b
Ecclesiæ *fundatæ a S. Bernulpho Ultrajectensi ep.* 654 e f
Educatio *pia S. Macrinæ V.* 593 c d. *Item fratris ejus S. Petri ep. Sebasteni* 596 e f
Eleemosyna *cum fœnore refusa S. Arnulpho ep. Metensi* 437 c. *Vide* Misericordia.
Elevatur *a terra orans B. Robertus Salentinus* 503
Energumeni *longe plurimi liberati ope B. Simonis Lipnicii* 528 e. *Ope B. Stillæ* 658 f, 661 c. *Vide* Dæmoniacus.
S. Ennodii *doctrinam quanti fecerit Ecclesia* 276 d
S. Epiphanii *liber de hæresibus laudatur a S. Augustino* 386 a b
Episcopalis *de grege* cura *quanta fuerit in S. Materno ep.* 366 f
Episcopatum *omni humilitate frustra declinare tentat S. Fredericus ep. M.* 361 e et seq. Episcopatu *cedit invitis omnibus S. Arnulphus ep. Metensis, amore solitudinis* 438. Episcopatum *cum professione religiosa commutat S. Bruno* 482 c, 486 b *Sed jussu Pontificis, sedem deinde repetiit* 483 d e, 488 a
Episcopi veri partes *in S. Eustathio a Chrysostomo adumbratæ* 142 et seq.
Episcopi, *S. Georgii Nysseni, benedictionem petunt moniales* 597 e
Episcopi *defunctæ S. Macrinæ V. corpus suis humeris sepulcro inferunt* 603 a
Episcopum *suum quanti fecerint Antiocheni* 137
Episcopum *injuria afficiens a Deo punitur* 482 b
Episcopum *ad se divertentem quomodo olim monachi ac moniales susceperint* 597 e

Episcopus factus *S. Jacobus Nisibenus, nihil de priori vitæ austeritate remittit* 43 c
Episcopus factus est *Neapolitanus S. Athanasius anno* 18 *ætatis* 73 e
Episcopus *S. Athanasius Neapolit. a nepote carceri mancipatur, sed liberatur a populo* 62 e
Episcopus *S. Arnulphus Metensis pergit aulæ invitus servire* 436 b
Epitaphium *S. Marcellinæ V., sororis S. Ambrosii* 233 e
Eucharistiæ *miraculum Bruxellis celebratur* 3 f
Eucharistia *contineri verum Christi corpus ac sanguinem; non vero figuram tantum, insigni miraculo comprobatur* 610 a b c
Eustathiani Antiochenses *ab Eustathianis hæreticis distinguendi* 137 c
S. Eustathii *patriarchæ Antioch. reliquiæ quanta pompa susceptæ* 138 f
Excommunicationis *injustæ pœna* 504 c
Excommunicatus injuste *B. Robertus Salentinus quam humiliter extorserit absolutionem* 503 f et seqq.
Exemplo *potius, quam verbo, persuadenda virtus* 608 d
Exemplum *S. Macrinæ V. quam salutare fuerit toti familiæ* 594 et seqq.
Exsequiarum *S. Macrinæ V. ordo et pompa* 602 et seq.
Exsequias *adhuc spiranti sibi fieri mandat S. Fridericus, sub quibus exspirat, cum odore suavissimo* 469 b
Extremo Viatico *munitus pie obit B. Benignus abb.* 342 c, 344 d. *Uti et S. Bruno ep.* 484 e. *Vide* Moriens.

F

Facundiam *a B. Virgine Maria obtinet S. Autpertus abb.* 650 c
Febres *miraculo curatæ ope S. Fredegandi* 296 d e f, 297 a
Febri *subito ope B. Roberti Salentini liberatus presbyter, ejus Vitam describit* 496 d e
Febri liberati *ope B. Simonis Lipnicii viginti sex* 528 e. *Alius ope B. Bernardi Badensis* 116 f, 117 a b. *Item ope S. Philastrii ep.* 393 b
Festum *Hierosolymæ per Christianos Saracenis ereptæ olim celebrari solitum* 4 f
Festum violans *S. Kenelmi cum blasphemia, punitur* 301 d. Festum *S. Philastrii ep. laborando violans occupatur a dæmone, sed mox ad ejus sepulcrum pœnitens liberatur* 393 c. *Ob idem delictum punitur alius* ibidem d
Fidei *quanta sit virtus, et unde dignosci possit* 142 d
Flagellatio *sui quam severa B. Simonis de Lipnica* 522 c
Fluvium *exundantem siccis pedibus trajicit B. Ceslaus* 194 f
Fons *S. Helerii morbos pellit* 151 a; *item* Fons *S. Reineldis* 174 c
Fons *ad invocationem S. Kenelmi promanat* 301 b
Fontem *e saxo elicit S. Arnulphus ep. Metensis* 444 c. *Item alium* ibidem d
Forma corporis *amorem in se commovens S. Tenenanus, a Deo lepram obtinet* 179 e
Fornicatio *monachi punita miraculo* 299 f
Fratricidium *in Anglia patratum, divinitus innotescit Romæ* 298 e, 299 b, 300 f, *et terribili pœna castigatur* 298 f, 299 d f, 301 c
Fratris, *S. Gregorii Nysseni, in sororem amor et veneratio* 597 et seqq.
Frisacense *cœnobium Ord. S. Dominici in Germania primum condunt S. Hyacinthus et B. Ceslaus* 192 f
Frisones *de SS. Trinitate male sentientes convertuntur per S. Fredericum et S. Odulphum* 466 b c
Frumentum *large pauperibus distributum non minuitur* 604 b
Fulmine *ictus revixit ad sepulcrum B. Bernardi Badensis* 116 e
Fundationes *piæ S. Athanasii ep. Neapol.* 75 f, 81 b c
Funus *sororis adornat, ut ipsa jusserat, S. Gregorius Nyssenus, illudque deducit* 601 et seqq.
Fur ecclesiæ *S. Felicissimi, miraculo motus, ei se perpetuo addicit* 96 f
Furaturi *sacrum ærarium barbari divinitus absterrentur* 180 a

G

Gallienus *patris interitu territus, mitior est in Christianos* 367
Genuflexiones *quotidie quingentas facit B. Robertus Salentinus* 499 a, *a Christo laudatas* 500 f
Gloriæ humanæ *ac venerationis impatiens fugit S. Alexius* 252 d, 255 c. *Vide* Humilitas.
Grando *parcit loco in quo erat B. Robertus* 502 a
Gratia Christi *quam relinquat arbitrio libertatem, teste S. Ennodio ep.* 275 e f

H

Hæmorrhoïssa *ope S. Helerii M. sanatur* 149 c
Hæreseos accusatus *S. Petrus Fulginius absolvitur* 664 a et seqq.
Hæreses *in Ecclesia et persecutiones cur Deus permittat* 142 d
Hæretica *mulier furens convertitur ope B. Stillæ* 691 a. *Item alius* ibid. c. Hæretici *multi sanati pulvere tumuli B. Ceslai* 198 f. Hæreticos *a suo grege quam studiose Patres amoliti sint olim* 139 e, 142
Hernia *laborantes sanantur ope B. Bernardi Badensis* 117 b c. *Ope B. Roberti Salentini* 507 f et seq.; *ope B. Stillæ* 659 e
Hierosolymam *peregrinatur S. Reineldis V. M.* 177 b. *Vide* Peregrinatio.
Homines *fugiendi, ut cum Deo verseris* 619 d
Hospitalitas *egregia S. Arnulphi ep. Metensis* 436 b. *Item S. Macrinæ V. et S. Petri ep., fratris ejus* 603 e
Hospitalia *plura condit B. Robertus Salentinus, nec sine miraculis* 501 et seqq.
Hostiæ sacræ *tres adhuc sanguine tinctæ Bruxellis* 3 f
Humilitas *mira S. Alexii* 252, 255, 257, 267, *divinitus exaltatur post mortem* 252 et seq., 255 e. Humilitas *S. Arnulphi M.* 419 c d. Humilitas *obstupescenda S. Arsenii in ingressu vitæ monasticæ* 618 b. *Ejusdem S. Arsenii rudiores monachos super dubiis suis consulentis* 622 c. *Item in toleranda cum fructu injuria* 624 c, *et sua virtute deprimenda* 627 e; *in celanda sua sapientia et eruditione* 628 a. Humilitas *S. Autperti et mansuetudo* 647 f et seq. *eaque propria et necessaria viris doctrina et eruditione magnis* 648 c d e. Humilitatis officia *quæ cordi essent B. Simoni de Lipnica* 517 b, 520 e et seq.
Hydropici *ope B. Simonis Lipnicii convaluere viginti quatuor* 528 e
Hydropicus *repente sanatus ope B. Bernardi Badensis* 116 e

I

Idolorum *aras demolitus S. Æmilianus M. semet, ut alium liberet, prodit, et in mediis flammis Deum laudat* 373 et seqq.
Ignis *messem invadens insigni miraculo B. Benigni abb. exstinguitur* 343 e
Ignotus *in paterna domo pro mendico se gerit S. Alexius* 252 e, 255 c, 257. *Sed post mortem divinitus agnoscitur* 252 et seq. et 255 e
Impudentia *duarum puellarum erga S. Jacobum Nisibenum insigni miraculo castigata* 42 e f
Impuri *et sacrilegi sacerdotis punitio per miraculum S. Arnulphi M.* 416 a b
Impuris cogitationibus *quomodo resistendum juxta S. Arsenium* 609 a
Incendio *liber pagus ope B. Stillæ* 660 a. Incendium *a monasteriis arcet apparens e cælo B. Ceslaus* 198 c d. Incendium *signo crucis exstinguit S. Leo PP. IV* 312 d. *Item S. Arnulphus ep. Metensis* 439 a. Incendium *restinctum ope S. Stillæ* 663 d
Inedia *S. Helerii M. semel tantum in hebdomade comedentis* 151 d e. *Vide* Abstinentia et Mortificatio, Jejunium.
Inferni *pœnas narrat resuscitatus prece S. Arnulphi* 405 e f, 409 e f
Ingrata *pro depulso infortunio ope B. Simonis Lipnicii, gravius incurrit; at sese emendans, illud evadit insigni miraculo* 555 a b c
Inimicis *bene facit S. Athanasius ep. Neapol.* 83 d e
Injuriarum oblivio *et caritas mira S. Brunonis ep.* 482 a b. *Item Ludovici II imp.* 76 e. Injurias *patienter fert ignotus in ædibus paternis S. Alexius* 252 e, 257. Injurias *caritate compensat B. Robertus Salentinus adhuc junior* 497 c d
Inobediens *S. Helerio fit cocles, pœnitens deinde sanatur* 149 b
Insanus *ad mentem redit ope B. Stillæ* 660 c
Intentio *bona interior semper curanda, ait S. Arsenius* 627 e
Inventio *miraculosa corporis S. Vitaliani ep.* 167 c d, 170 et seqq.
Investituram *ecclesiæ, vel dignitatem ecclesiasticam cum dat Laïcus, et dans et accipiens communione privatur* 487 a d

J

Jejunia, *oratio, lectio S. Marcellinæ V. tam assidua, ut eis modum excedere visa sit S. Ambrosio, fratri suo* 232 e, 237 a. Jejunia *severa S. Arnulphi ep. Metensis* 436 c. *Item S. Zoerardi, miraculo decorata* 336 f et seq. Jejunia *et preces piæ matris B. Roberti Salentini* 497 b, *et filii ejus* 498 a f. Jejunium *feria quaque sexta servatum a B. Bernardo Badensi* 114 c. Jejunium *austerum S. Alexii* 248 a, 268 c, 269 c
Jesu nomen *mirifice colit ac prædicat B. Simon de Lipnica* 522 e f
S. Joannis Baptistæ *cultor insignis B. Benignus abb. ei ecclesiam exstruxit* 343 c
Judex *injustus miraculo S. Jacobi Nisibeni motus sententiam mutat* 43 a
Judicii supremi *metu opera misericordiæ exercet B. Robertus Salentinus* 500 e
Judithæ *imperatricis turpia facinora narrantur* 465 b c, 466 e, 468 c, 469 e
Juramentum falsum *probaturus morte plectitur* 301 c

L

Lacrymarum *admirabile donum in S. Arsenio* 623 d, 628 a b
Lampas *ardens sine olei diminutione ad sepulcrum S. Athanasii ep. Neapol.* 88 e. Lampas vitrea *ex alto labitur illæsa, nec oleum effunditur* 503 b. Lampas *divinitus accensa ope S. Petri Fulginatis* 664 b et seq.
Lapsus *et collisus subito restituitur ope B. Roberti Salentini* 501 c
Latrones *ipso aspectu S. Brunonis episcopi territi convertuntur* 482 f
Laudes *et venerationem ob sanctitatem et miracula fugit S. Helerius* 150 f
Lemures *fugati ope B. Stillæ* 660 e
Lenitas et severitas *erga subditos B. Roberti Salentini* 504 f
Leo *non audet attingere S. Rufinam M.* 583 f
S. Leonis PP. IV *munificentia stupenda erga ecclesiam S. Petri* 310 b f, 311 a, 312 d e f, 313 f et seq., 315 e, 317 c d e, 318 b e f, 319 a, 322 a c d e, 323 c e f, 325 c e f. *Ecclesiam S. Pauli* 323 f. *Ecclesiam 4 Coronatorum* 310 c f, 312 e, 315 c f, 317 e f, 320 d, 321 f, 322 c f. *Ecclesias varias S. Mariæ* 310 d, 311 c d, 313 c d, 317 d e, 318 a c d, 319 a, 320 e, 321 f, 322 b c. *Ecclesiam S. Anastasii et S. Praxedis* 311 b. *Ecclesiam S. Salvatoris* 311 c. *Ecclesiam S. Silvestri* 312 f, 324 a. *Ecclesiam S. Stephani M.* 313 d, 317 e, 324 a. *S. Vincentii* 323 e. *S. Nymphæ M.* 313 e. *SS. Cosmæ et Damiani* 313 e, 318 d e. *S. Sebastiani* 314 d, 318 b. *S. Stephani PP.* 315 e. *S. Marciani* 323 f. *SS. Silvestri, Benedicti et Scholasticæ* 316 a. *S. Andreæ apost.* 317 d, 322 b e. *SS. Gervasii et Protasii* 318 e. *SS. Joannis et Pauli* 323 d. *S. Laurentii extra muros* 317 e, 318 a, 323 f. *S. Cæsarii M.* 318 f, 319 a. *S. Rufinæ M.* 318 f. *S. Clementis* 318 f, 320 e, 324 a. *S. Sisinnii* 320 d. *S. Hippolyti* 320 e. *S. Martini* 322 c, 323 d, 325 d. *S. Petronillæ* 322 c, *et alias minoris notæ* 325
Leopolis *a S. Leone PP. IV condita consecrataque* 324 f
Lepores *obediunt S. Helerio M.* 149 b
Leprosis *et monachis vilissima exhibet ministeria S. Arnulphus ep. Metensis* 439 c
Leprosus *et luxatus sanatur invocato B. Bernardo Badensi* 115 c d, 116 d
Libertas arbitrii *sub gratia qualis esse debeat juxta S. Ennodium* 275 e f
Lites *evictæ invocata B. Stilla* 659 b
Litterarum *studia quam diligenter coluerit B. Simon de Lipnica* 519 c d. *Item S. Arnulphus ep. Metensis* 435 d
Luctus *et lamenta in obitu S. Macrinæ V. jubentur in preces converti* 600 e f
Ludovici pii *imp. pœnitentia inconstans* 464 a, 467 b f
Luem *inter pecora sistit B. Stilla* 661 a, 662 a

M

Maledici *in S. Arnulphum ep. Metensem ultricibus flammis puniti* 437 a
Maleficio *pecora solvuntur ope B. Stillæ* 661 f
Manichæos, *crematis eorum libris et simulacris, exilio multat S. Symmachus PP.* 642 e
Manna *scaturire desiit ex corpore S. Vitaliani ep.* 87

cum

cum circa illud mulier inhonesta sepulta fuit 172 d

Manus *arida sanatur ope B. Benigni abb.* 344 c. Manus *combusta puero restituitur ope B. Bernardi Badensis* 116 f. Manuum *ac pedum usus adolescenti redditus ope B. Bernardi Badensis* 116 f

S. Mariæ Virginis Deiparæ *cultor eximius S. Leo PP. IV* 313 b c et alibi

Mariæ Deiparæ *nomini Isidis templum consecrat S. Ruphillus ep.* 378 b. *Vide* Deipara.

S. Marina, *pro monacho habita, post mortem deprehenditur femina* 287 a

Martyr *Joannes lapidem ad se lapidandum porrigit tortori* 107 f

Martyr *S. Aurea cedit primum tyranno; sed mox pœnitens palmam obtinet* 652 et seq.

Martyres *in tormentis exultant* 22 b f, *illæsi* 26 d. *Feræ eorum pedes osculantur. Mira in* Domnino, *puero decenni martyre constar ' ı pluribus miraculis fulget* 124 et seq. *Constantia* MM. Scillitanorum *ex Actis proconsularibus* 214. *Item* S. Athenogenis *ante ignis supplicium hymnum canentis* 216 b. S. Hyacinthi *Amastridensis* 228 c. Martyris *corpus cælestis lucis indicio repertum* 298 d. *Constantia* S. Symphorosæ *matris et 7 filiorum ejus MM.* 358 et seq. Martyres *hortatur S Maternus ep. eorumque reliquias colligit* 365 e, 366 c. *Deo* Martyres *assiduis precibus commendat idem* ibidem e f. S. Æmiliani *mirabilia ausa et constantia* 373 et seqq. S. Frederici *ep.* 468 d e f. SS. Justæ *et* Rufinæ 285 d. Martyrum *animæ ab angelis psallentibus assumptæ in cælum* 107 d

Martyrii *desiderio flagrat B. Robertus Salentinus* 499 b

Mater *S. Symphorosa cum 7 filiis martyrio coronatur* 358 et seq.

Mater *S. Emmelia moriens quomodo filiis benedixerit* 596 f et seq. Matrem *S. Macrina quanta pietate et obsequio coluerit* 594 a b. *Eidem dux ad perfectionem fuit* ibidem. *Eadem pietas eluxit in Naucratio, ejus fratre* ibidem e f. Matris *dolor de morte filii immodicus carpitur a S. Macrina V.* 594 f et seq.

Matrimonium *Ludovici Pii cum cognata sua parabolice primun, tum aperte carpit S. Fredericus ep. M.* 463 e et seq. 468 a b

Mendicum fictum *lepide per miraculum confundit B. Robertus Salentinus* 501 b. Mendicus *relictis omnibus, amore Christi fit S. Alexius* 252 b, 255 b, 257, 268 c

Mensæ *regiæ accumbens S. Fredericus ep. M. mentem pie pascit* 462 f

Miracula *multa vivens adhuc patrat B. Benignus abb.* 343 et seq. *Uti et B. Robertus Salentinus* 499 et seqq. Miracula negans *B. Roberti Salentini punitur, at pœnitens convalescit* 509 a. Miracula *cujusvis generis pene innumera ope B. Simonis Lipnicii habes a pag.* 529. Miracula *de S. Macrina V. tam pauca cur narret S. Gregorius Nyssenus* 604 b c

Miseni *ecclesia a Saracenis vastata instauratur à S. Athanasio ep.* 76 a

Misericordia in pauperes *eluxit in S. Terentio ep. Lunensi* 96 e, et *magis etiam in S. Felicissimo* 96 f. *In B. Bernardo Badensi* 114 e. *In S. Reinelde* 176 d. *B. Ceslao* 191 e : *Euphemiano, patre S. Alexii* 251 f, 254 d : *In S. Leone PP. IV ante Pontificatum* 309 d : *in S. Arnulpho ep. Metensi* 436 b, 437 b c, 438 e, 439 b, 442 b c, 446 d. *Eadem excellit S. Arnoldus Conf.* 450 et *S. Fredericus ep. M.* 460 f. *S. Bruno ep.* 480 e : *B. Robertus Salentinus, cui cum fœnore compensata est* 502 b c. *Item S. Petrus Fulginas* 664 a et seqq.

Misericordia *longa S. Symmachi PP. erga exsules et captivos* 643 e

Missam *quotidie celebrabat S. Athanasius ep. Neapol. non sine insigni præparatione* 81 b. Missæ sacrificio *quanta devotione assisteret B. Benignus abb.* 343 b

Monachi *quidam puniti divinitus, quod abbatem male habuissent* 483 e. Monachos *quanti fecerit S. Arnulphus ep. Metensis* 436 b. Monachus *fieri volens S. Arsenius, instar canis habetur* 618 b

Monasteria *multa condidit B. Robertus Salentinus non sine miraculis* 501 et seq.

Monasterium *Corsarum a S. ◖Leone IV ditatum* 313 a, *aliud struit* 313 f, *aliud* 317 f

Monasterium *Onolspacense condit S. Gumbertus* 71

Monasterium *Snevingense conditum a S. Davide abb.* 109 d

Monasticam vitam *matri persuadet S. Macrina V.* 596 b. *Ejusdem vitæ virtutes ac laudes* ibid. c d

Morbi *corporis ac dolores varii sublati ope S. Athanasii ep. Neapol.* 87 b f, 88 d, 89 e. *Ope B. Bernardi Badensis* 116 e, 117 b d. *Ope B. Ceslai* 195 a. *Item* 198 d e f. *S. Alexii* 258 e. *B. Benigni abb.* 344. *B. Roberti Salentini* 507 et seqq. *Ope B. Simonis Li, nicii a pag.* 528 *usque ad* 576. *Ope B. Stillæ* 658

Moribundus *subito sanatur ope S. Athanasii ep. Neapol.* 88 c. *Ope SS. Bonifacii et Alexii* 260 d et seq. *S. Arnulphi ep. Metensis* 436 f

Moribundæ *S. Macrinæ dura et sancta paupertas* 597 et seqq. *Ejusdem tum temporis cum fratre colloquia* 598 a et seq. *et lætitia de obitu appropinquante* ibid. c et seqq.

Moriens *S. Arnulphus ep. Metensis extremo Viatico munitur* 444 e f. Morientis *humi et super stramine B. Ceslai pulcra ad suos adhortatio* 196 et seq. *Item fervor, quo suprema suscipit Sacramenta* 197 d. Morientis *B. Simonis de Lipnica apparatus et pii affectus* 526 b. Morientis *S. Macrinæ V. ad Deum oratio* 600 b. Morientem *solatur apparens B. Stilla* 660 c

Mors *piissima B. Roberti Salentini* 506 f et seq. Mortem *simulans, vera morte punitur; at revocatur ad vitam precibus S. Jacobi Nisibeni* 43 d e. Morti proximus *subito sanatur ope S. Gumberti* 68 e. Mortem fratris *quo affectu prosecuta sit S. Marcellina V.* 232 f, 237 e f. Mortem *instare miraculo docetur S. Arnoldus Conf.* 451 e f. Mortem *suam prænoscens S. Bruno ep. ad suos adþortationem habet.* 484 c d.

Mortem S. Basilii *ipsi heterodoxi luxerunt* 597 b. Mortem *semper timuit S. Arsenius* 628 a. Mortis diem *præsciit S. Petrus Fulgin.* 664 b

Mortificatio *et afflictio corporis aspera* S. Athanasii *ep. Neapol.* 81 a b. B. Bernardi *Badèn. sis* 114 d. S. Helerii M. 150 c, 151 d e. S. Reineldis V. 176 e. B. Ceslai 191 a b, 193 c, 195 c e. S. Zoerardi *asperrima* 336 f et seq. B. Benigni abb. *usque ad ætatem annorum centum* 342 b c, 343 f. S. Scaribergæ V. 419 b, 420 a. S. Gonerii 422 d. S. Arnulphi 436 c. *Item* B. Roberti Salentini *plane mirabilis* 498 a f, 499 a b c, 506 c f. B. Simonis de Lipnica 517 a, 521 f et seq. 524 c. S. Arsenii 623 e f. S. Petri Fulginatis 664 a et seqq.

Mortuæ

Mortuæ *sororis oculos claudit S. Gregorius Nyssenus* 600 d
Mortui suscitati : puer *octiduo submersus revixit precibus B. Ceslai* 194 f, et alii tres 195 a; alius *precibus S. Hyacinthi M.* 221 c. Latro occisus, *precibus S. Zoerardi revixit, eique adhæsit* 337 e. *Precibus S. Arnulphi M.* 397 c, 404 e f et seq., 406 f, 408 f. *Precibus B. Roberti Salentini revixit* mortuus, *usque ad peractam peccatorum confessionem* 499 e. *Ope B. Simonis de Lipnica* puer bis mortuus *bis revixit* 526 e. *Item* alii decem 528 e. *Ope S. Dii suscitatur qui se suspenderat* 632 c. Mortuus *revixit ad sepulcrum B. Bernardi Badensis* 116 e. Alii duo *ope S. Domnini M.* 125 b. *Item* infans *ope S. Helerii* 150 e. Alius *ope S. Dominici* 192 b. Mortuus *S. Rethicius tantisper reviviscens mortuam conjugem alloquitur* 589 b d. Mortui *SS. Monulphus et Gondulphus epp. resuscitati dicuntur ad consecrandum cum Leone PP. III templum Aquisgranense* 153
Mulieres *etiam principes ab accessu suo severe arcet S. Arsenius* 620 c et seq.
Multiloquium *quam perniciosum reputaverit S. Arsenius* 627 f
Mundi contemptus *inspiratur religiosis viris* 197 a
Mundo *renuntians S. Gumbertus, bona sua dat ecclesiæ S. Kiliani, et monasterio Onolspacensi, quod condidit* 70 et seq.
Murmur *ac strepitum etiam levissimum non fert S. Arsenius in solitudine* 619 e
Mutis *loquela reddita ope* S. Athanasii *ep. Neapol.* 89 b. *Ope* B. Bernardi *Badensis* 116 d. *Ope* S. Kenelmi M. 301 d e. *Ope* B. Benigni abb. 343 f, 344 a b. *Ope* B. Simonis Lipnicii *tribus mutis loquela reddita* 528 e. *Ope B. Stillæ* 659 d

N

Nativitas *ac futura sanctitas S. Arnulphi ep. Metensis revelatur* 435 c
Neapolis *fuse descripta et laudata* 78. *Anathemate Pontificio percellitur* 83 d
Nepotis *Sergii in patruos suos crudelitas* 76 c, 82 d
Novitius *obediens prunas calcat nudis pedibus illæsus* 525 c d
Novitios Ordinis religiosi *quomodo exploraret B. Simon de Lipnica* 525 c
Nutrix *vindictæ avidæ alumnam puellam jugulat* 83 e f

O

Obedientiæ *commendatio* 197 b. *Item paupertatis religiosæ et castitatis* ibid.
Obitum *suum præscivit B. Benignus abb.* 342, 344 b. *Vide* Mors.
Obitus *B. Bernardi Badensis quam pius* 115 b c
Obsidio *Nisibena miraculo insigni soluta precibus S. Jacobi Nisibeni* 44 b
Obsidio *Vratislaviæ stupendo B. Ceslai miraculo soluta* 195 e f
Obtrectatores *scriptorum suorum quam mansuete tulerit S. Autpertus ab.* 647 f
Oculus *puellæ insigni S. Macrinæ miraculo sanatus* 604 a. Oculorum *dolores sanati ope B. Stillæ* 658 c, 660 b, 662 f
Odia *restincta ope B. Stillæ* 659 e
Opera bona *permiscens malis in vanum laborat, ut divinitus ostensum est S. Arsenio* 626 f
Opera misericordiæ *in S. Frederico ep. M.* 464 d. *Eadem Christus ipse juvat in B. Roberto Salentino* 500 f et seq. *Vide* Misericordia.
Orans *S. Arsenius apparet igneus* 622 c. Orantis *S. Helerii situs atque apparatus mirabilis* 150 c
Oratio *assidua et jejunium S. Reineldis* 176 d e f. *Item B. Roberti Salentini* 499 a. *S. Ansueri* 105 e. *B. Bernardi Badensis* 114 c
Orationem *nocturnam ac lectionem, operi diurno adjungit B. Ceslaus* 193 d
Ordinem *S. Dominici, relicto episcopatu, amplectitur Peregrinus* 193 a
Otii *fuga elucet egregie in B. Simone de Lipnica* 517 b
Ottonis III imp. *pietas erga S. Alexium* 259 f

P

Panthera *tyrannum humana voce reprehendit* 26 d
Paralyticus *puer ad fidem se convertens subito sanatur precibus S. Cuniberti* 148 f. Alius *ope S. Helerii* 151 b c. Alius *ope S. Reineldis V. M.* 177 f. *Item* Paralyticus *puer et claudus ope S. Fredegandi* 296 f. *Ope S. Philastrii* 389 f. *Item alia* paralytica *ibidem* 390 d. *Item* alia *ope S. Roberti Salentini* 505 b
Parentes *filium Deo non offerentes in filio puniuntur* 148 c
Parochiam *suam quinquennio deserens et contumax Cardinalis deponitur* 323 c
Parricidarum, *a quibus letalia acceperat vulnera, fuga consulit S. Fredericus ep. M.* 468 f
Pater *filiolam, sexum ejus celans, inter monachos collocat* 286 c
Patriam et parentes *pro Christo deserit S. Philastrius* 387 f
Patientia *S. Ansuerus monachus pro amente propemodum habebatur* 105 d e. *Eadem in calumniis et persecutione Arianorum mirabilis eluxit in S. Eustathio patr. Antioch.* 135 f. *In S. Brunone ep. probatur miraculis* 481 e. Patientia *et humilitas B. Roberti Salentini in contumelia et excommunicatione injusta* 503 e et seq.
Pauperibus *quanto studio ministraverit Naucratius S. Basilii magni frater* 594 e. *Et soror ejus S. Macrina V.* 596 f, 604 b. *Vide* Misericordia.
Paupertas *voluntaria S. Alexii* 252 b, 255 b, 257, 268 c et seq. *S. Macrinæ V.* 601 b c, *et S. Arsenii in eremo* 624 a
Peccata *sibi remissa esse insigni miraculo intelligit S. Arnulphus ep.* 435 et seq. *Ea tamen moriens deprecatur* 439 c d
Peccata *qua ratione vitare doctus sit divinitus S. Arsenius* 619 d
Peccator *cupit a Deo in hac vita puniri, et fit mutus; at paulo post sanatur ad sepulcrum B. Simonis Lipnicii* 552 b c
Peccatores *benigne recipiebat S. Ruphillus ep.* 381 d
Pecuniam *pauperi promissam miraculo invenit B. Robertus Salentinus* 504 c d
Peregrinationes *piæ S. Arnulphi M.* 397 c, 404 d, 408 e. *S. Philastrii ep. Hierosolymam* 384 a. *S. Arnoldi Conf. ad S. Jacobi in Gallecia* 451 b. *B. Simonis de Lipnica Romam et Hierosolymam* 523 et seq. *S. Petri Fulginatis ad limina Apostolorum* 664 a
Periculis *prodigiose erepti sunt ope B. Simonis Lipnicii octo* 528 e
Persecutio *in episcopum et ecclesias Neapolitanas per ambitiosam mulierem suscitata* 82 et seq.
Persecutio

Persecutio *Diocletiani et Maximiani* 368 d et seq.

Persecutorum *salutem erat S. Maternus ep.* 366 e

Perseverantiam *usque in finem energice inculcat moriens S. Bruno ep.* 484 c d

Pestiferis *assistens B. Simon de Lipnica, afflatur ipse ac moritur* 525 et seq.

Pestis *depulsa ope S. Alexii* 244 b. *Ope B. Stillæ* 628 e

Peste afflati *patronum invocant S. Fredegandum abb.* 292 f. *Ejusque patrocinio liberantur* 296. *Item alii ad* 79 *ope B. Simonis Lipnicii* 528 e

S. Petri Cælestini *vivi ac defuncti amor in B. Robertum Salentinum* 498 b c

S. Philastrii ep. *scripta non carent erroribus* 386 b c

Phrenesis *sanata ope B. Stillæ* 663 b

Pipinus Herstallus *cui, quando, quomodo confiteri peccata quotannis solitus* 59 d e

Piscis *ope SS. Bonifacii et Alexii inventus per miraculum, multis in prandium suffecit monachis* 261

Podagra *sanata ope B. Bernardi Badensis* 117 e. *Item* alia *quæ per annos* 18 *duraverat, subito sanatur signo Crucis ope B. Benigni abb.* 344 a

Pœna *persequentium S. Vitalianum episcopum suum* 163 f et seq.

Pœnitentia *B. Benigni ob internum assensum impudicum* 342 f. *Vide* Mortificatio.

Pœnitentiæ Sacramentum *quanta humilitate usurpari solitum a Pipino Herstallo* 59 d e

Poësi *ac Rhetoricæ nimium studuisse se deflet S. Ennodius ep.* 272 b c

Pontificium *palatium restaurat S. Leo PP. IV* 311 b c

Possessor iniquus *vestis S. Alexio oblatæ punitur, at restituens sanatur* 260

Pragense *cœnobium Ord. S. Dominici fundat B. Ceslaus* 192 f, *et alia fere innumera* 193 f

Prædicationis *in Polonia S. Joannis Capistrani fructus mirabilis* 519 e f

Prædicatoris *boni partes* 525 c

Prædicit *martyrium suum S. Sisenandus levita* 281 e : *et S. Fredericus ep. M.* 468 d, *uti et calamitates a Deo infligendas regno et diœcesi suæ* 469

Prædictiones *rerum futurarum in B. Ceslao eluxere* 193 d, 159 e. Prædictiones *S. Frederici ep. M. de Ludovico pio Imp.* 463 d e. *Alia S. Brunonis ep.* 483 e, 484 d e

Prædones *ad* 3000 *se mutuo interficiunt, orantibus SS. Marculpho et Helerio* 151 d

Præscius *martyrii instantis Missam celebrat S. Fredericus* 468 d

Prophetiæ spiritus *B. Ceslao datus* 193 d, 195 e. *Item B. Roberto Salentino* 501 f. *Vide* Prædictio.

Providentia Dei *fretus B. Robertus Salentinus, ejus fructus experitur* 501 f, 502 b

Provincialatum *Poloniæ quam egregie administraverit B. Ceslaus Ord. S. Dominici* 195 c

Psalmorum *assiduus usus familiaris S. Macrinæ V.* 593 d

Pudicitia *S. Macrinæ V. chirurgi operam recusantis miraculo probata* 602 d

Puella, *a milite corrupta, occupatur a Dæmone, quod stupri innocentem accusasset* 287 c. *Sed liberatur ope S. Marinæ, quam falso accusaverat* ibid.

Puella *lasciva tentat B. Benignum, quem Deipara tuetur* 341 e

Pueritia *et adolescentia sancta B. Bernardi Badensis* 114. *B. Ceslai* 190. *S. Frederici ep. M.* 460 c. *S. Brunonis ep.* 479 b. *B. Simonis de Lipnica* 519 b c d. *S. Macrinæ V.* 593 c d

Puerperæ *patronam invocant S. Aproniam V. non sine miraculis* 47 d e. Puerperæ *partu periculose laborantes ope B. Simonis Lipnicii servatæ viginti octo* 528; *alia ope B. Stillæ* 662 f

In Pulices *aliaque ejusmodi animalcula ingerit se B. Simon de Lipnica* 522 b

Purgatorio *liberatur anima principis precibus S. Monulphi ep.* 158 b, 159 b

R

B. Rabani *epistola ad S. Fredericum ep. M.* 455 f. *Ejusdem carmen, quo Sanctum eumdem laudat* 456 b

Rabidi *canis morsus innoxius ope S. Arnulphi M.* 416 c

Radio *solis, tamquam paxillo, appensæ chirothecæ S. Davidis abb.* 110 d

Rationis usum *ope B. Simonis Lipnicii recuperarunt viginti septem* 528 e

Reditus *suos trifariam distribuit B. Bernardus Badensis, sibi, ecclesiæ, pauperibus* 114 e

Regulas S. Francisci *memoriæ mandat, si forte earum libellum amitteret peregrinaturus B. Simon de Lipnica* 523 d

Religionem S. Dominici *quo animo, qua occasione inierit B. Ceslaus* 192 b c, *quam insignes in ea discipulos instituerit* 193 b f

Religiosis *quid in mensa cavendum* 525 b c

Reliquiæ Sanctorum *odoriferæ : S. Athanasii ep. Neapol.* 85 e f. *S. Reginswindæ* 95 c. *S Davidis abb.* 110 d. *S. Alexii* 253 f. Reliquias *sanctæ Reginswindæ furtim ablaturi divinitus absterrentur* 95 e. Reliquias *S. Felicissimi temere attingenti brachium arescit ; sed mox pœnitens sanatur* 97 d. Reliquias S. Reineldis *V. M. furatus occupatur a malo dæmone ; sed facta restitutione, et voto parentum liberatur* 178 b c. Reliquiæ S. Arnulphi *M. cælesti lumine noctu decoratæ* 415 e. Reliquiæ S. Arnulphi ep. *Metensis, lapsis bajulis, hærent suspensæ in aëre ; nec deferri possunt ad villam cujusdam incestuosi* ; *sed procul inde mira celeritate delatæ sunt* 439 e f

Rhemensis ecclesia *ditatur munificentia SS. Arnulphi M. et Scaribergæ* 419 e f

Ritus exsequiarum *tempore S. Gregorii Nysseni* 602 et seq.

Rosarium, *seu coronam B. V. quotidie recitat B. Simon de Lipnica* 520 b c

S

Sacris litteris *unice studuit S. Autpertus abb.* 648 b c, 650 b. *Vide* Scriptura sacra.

Sanguis *cum lacte effluit abscisso capite S. Antiochi M., quo miraculo convertitur ejus tortor* 26 a d

Sanctitas *Materni ep. etiam ethnicis in veneratione fuit* 365 f

Sanctorum *multorum corpora in Urbem intulit S. Leo PP. IV* 315 c

Sanctulus *vulgo dictus B. Robertus Salentinus adhuc sæcularis* 497 e

Saraceni *spoliant ecclesias SS. Petri et Pauli Romæ sub Sergio II* 309 d. *Sed in mari omnes cum præda pereunt* ibid. f. Saracenorum *grassationes in Italia per Ludovicum II Imp. vindicatæ* 76 a b. *Eorumdem expeditio in urbem Romanam eis infelicissime cessit precibus S. Leonis PP. IV* 316 et seq.

Saxum

Saxum *instar ceræ cedit insidenti S. Arnulpho ep. Metensi* 444 d
Saxum *ruens in B. Robertum Salentinum divinitus sustinetur* 501 e
Scandalum *passus monachus ob causam non justam corripitur, et pœnitet* 627 d
Schisma *quæ Romæ mala invexerit sub S. Symmacho PP.* 635 et seqq.
Scripturæ sacræ *excellens intelligentia et usus in S. Brunone ep.* 480 f et seq.
Scripturæ sacræ *meditatio assidua commendatur a S. Arsenio* 608 e f
Secularis vita, *quam sancte traducta a Marchione Badensi B. Bernardo* 113 et seqq.
Seditiones *Antiochiæ frequentes, quod catholico patriarchæ ejecto substitui vellet imperator vel Arianos, vel de Arianismo suspectos* 137
Sensibus *omnibus, excepto gustu, captus sanatur ope S. Philastrii ep.* 391 d
Sensuum custodia *quam severa in B. Simone de Lipnica* 521 c
Sepulcrum S. Athanasii ep. Neapol. *miraculis frequens* 87 et seqq. S. Reginswindæ 95 d. S. Felicissimi 96 f. S. Ansueri 102 a. S. Davidis *abb.* 110 d. B. Bernardi Badensis 112 b c, 115 d e. S. Servatii *ep.* 163 e. S. Vitaliani ep. 167 c. S. Reineldis V. M. 177 f. B. Ceslai 198 a d et seq. Martyrum Scillitanorum 212 f et seq. S. Hyacinthi M. 221 f, 229 et seq. S. Alexii 253 e, 256 d e. S. Fredegandi 296. S. Kenelmi M. 301. S. Philastrii ep. 389 c. S. Arnulphi M. 416 b. S. Brunonis ep. 484 e. B. Roberti Salentini 507 et seqq. *Item* B. Simonis de Lipnica 526 e, 528 e f et seqq. *ubi miracula fere innumera.* B. Stillæ 656 c f, 658 et seqq. S. Petri Fulgin. 664 et seqq. S. Theodosii ep. 278 a
Sepulcro eodem *condi voluit S. Emmelia cum marito* 597 a, *et filia* 603 c
Sepulcra Martyrum *assidue visitabat S. Leo PP. IV* 313 e
Sepulcro *fratrum assidue adhæret S. Marcellina, ut pro eis oret* 237 e f
Sepulturæ *locum S. Arnulphus defunctus miraculo designat* 414 b. *Uti et B. Stilla* 657 e f. *Eum vilissimum sibi expetebat B. Simon de Lipnica* 517 e, 521 a b
Signo Crucis *diabolum fugat B. Robertus Salentinus* 499 c. *Eodem fistulam et lepram sanat* ibid. d e. *Eodem lapidem a diabolo sustentatum præcipitat* 501 d. *Eodem oculos, os, cor signat moriens S. Macrina V., soror S. Basilii magni* 600 c. Signo Crucis *a matre impresso ulcus sanatur S. Macrinæ V.* 602 d
Silentium *severum B. Roberti Salentini* 498 b f
Slavorum *quam difficilis fuerit ad veram fidem conversio* 107 b
Solitudinis *amor eximius in S. Arnulpho ep. Metensi* 437 c et seq. Solitudo *B. Roberti Salentini* 498 b f. Solitudinem *juvenis, relictis omnibus, petit Naucratius, S. Basilii magni frater* 594 d. Solitudo *quam arcta S. Arsenii* 608 b c d. Solitudinem *quærere divina voce jubetur S. Arsenius* 618 a, *eamque egregie sectatur et colit* 619 d e
Somni *parcissimus B. Ceslaus* 193 c d. Somni *lectique ratio quam aspera fuerit S. Zoerardo* 337 b. *Vide* Vigiliæ.
Somnio *S. Ansuerus incitatur ad vitam monasticam* 105 b
Somnium *S. Gregorii Nyss. de instanti S. Macrinæ V. obitu* 597 c
Sonitus *cælestis auditus in translatione corporis S. Philastrii ep.* 389 c
Sororis *erga fratrem episc. veneratio* 597 et seqq.
Sponsam *virginem deserit S. Alexius* 252 a, 254 e, 257, 267
Statua *S. Fredegandi sudat sanguinem* 296 e
Statum vitæ *salutarem a Deo sæpe petens S. Arsenius, divinitus ad solitudinem vocatur* 618 a
Sterilis *filium parit invocato B. Bernardo Badensi* 116 f. *Item* alia *ope S. Cuniberti* 148 d. *Alia precibus B. Benigni abb.* 344 c. *Alia ope S. Remigii* 403 f, 407 f
Sterilitas *mulieris sublata ope B. Stillæ* 659 f
Studia litterarum *et virtutum mirifice junxit S. Leo IV, adhuc puer* 309 b. *Uti et S. Fredericus ep. M.* 460 c d. *Item S. Bruno ep.* 479 b c
Stupri *cum puella accusatur S. Marina, monachus credita; nec culpam deprecatur aut pœnam, quam diu gravissimam tulit* 286 e f. *Aliud exemplum haud absimile* 287 e
Submersi *in transitu fluminis, invocato B. Benigno abbate, subito incolumes in adversa ripa sistuntur* 344 d
Supplicatio solennis *per Urbis muros celebrata a S. Leone PP. IV* 319 f et seq.
Surda *auditum recipit ope S. Athanasii ep. Neapol.* 86 c. *Ope S. Fredegandi* 296 e. *Alia ibidem* f. *Ope B. Stillæ* 659 f, 660 a
Suspensus e patibulo, *miraculo S. Zoerardi mortem evadit* 337 f
Symbolum Apostolorum, *vere ab ipsis traditum est* 8 a
Synodus Romana *sub S. Leone IV deponit Cardinalem Anastasium, quod parochiam suam per annos quinque deseruisset* 323 b c

T

Templi janua *divinitus aperta S. Reineldi V. M.* 76 f
Templi incendium *frustra tentant barbari, divinitus impediti* 177 e
Translatio *corporis S. Athanasii ep. Neapol. non sine miraculis* 85 et seq. *Item B. Ceslai* 199. *S. Philastrii ep.* 387 c, 388 f et seqq. *S. Arnulphi ep. Metensis* 439 e
SS. Trinitatis *veneratio in S. Ansuero miraculo probata* 106 a b. *Eadem excelluit B. Robertus Salentinus* 503 d
SS. Trinitatis *invocatione arida virga crescit in arborem fructiferam* 632 c
Tungrenses *ruinas instaurare volens S. Gondulphus divinitus prohibetur* 162 et seq.
Turcarum *viribus frangendis per fœdera principum Christianorum intentus B. Bernardus Badensis moritur* 115

U

Ulcera *et saniem osculatur B. Robertus Salentinus, et sanat* 499 e
Uxor *maritum, neglecta familia, hortatur ad martyrium, quod ambo subierunt* 107 e
Uxore *dimissa, sacros Ordines suscepit S. Ennodius* 272 e

V

Valerianus imp. *æquus initio erga Christianos, deinde crudelis* 566 b. *Ejus pœna et interitus* 367 c

Vallumbrosanum

Vallumbrosanum Ordinem *egregie promovet B. Benignus abb.* 343 d
Vanæ gloriæ *et honoris ob miracula fugitans S. Arnulphus M.* 410 c et alibi.
Venationis *studium quam pium in Naucratio S. Basilii magni fratre* 594 e f
Vestimenta *sæcularia et pretiosa clericis prohibita* 487 a
Vestitum *inter monachos vilissimum assumebat sibi S. Arsenius* 622 c
S. Victor *insignis patronus erat S. Ennodio, quod miraculo non uno probavit* 272 d e
Victus *ratio quam severa in SS. Cuniberto et Helerio* 249 a. *Vide* Jejunium.
Vigiliæ *et pervigilationes S. Arsenii in oratione* 623 e
Vinea *celebris miraculis, quam plantarunt SS. Zoerardus et Benedictus* 335 c
Virga *S. Ansuero divinitus allata, mutatur in cereum* 106 e. Virga *S. Kenelmi terræ infixa frondescit subito et fit arbor* 300 d. Virga *S. Dii arida solo impacta per invocationem SS. Trinitatis crescit in arborem fructiferam* 632 c
Virgines *pro viris monachis habitæ, et sanctæ* 278, 287 e f. Virginibus *præscripta vivendi ratio a Liberio Papa* 135 e et seq.
Virginitas *S. Bonosæ M. miraculo servata* 22 e. *Eadem in S. Apronia multis verbis ac sententiis commendata* 46 et seq. *Eamdem Deo publice vovet, et vestem mutat S. Marcellina, S. Ambrosii soror, hortante ac benedicente Liberio Papa* 232 e, 235 et seq. *Eamdem cum conjuge servat S. Arnulphus M.* 396 e, 408 d, 419 b c. Virginitatis *amor eximius in S. Macrina V.* 593 f
Visio *S. Brunonis, unde episcopatum sibi a Deo destinari intelligit* 480 c, 486 b
Visio *matris de futura B. Roberti sanctitate* 497 c. *Item S. Emmeliæ de sanctitate filiæ suæ S. Macrinæ* 593 b c
Visitantes se *arcet S. Arsenius* 619 e f et seq.
Vitæ *S. Dii anni quindecim a Deo adjecti* 632 d
Vocationis *suæ ad vitam monasticam identidem refricabat sibi memoriam S. Arsenius* 627 f
Voti rei, *cum illud negligunt exsolvere, puniuntur* 296 c, 534 c, 535 b c, 537 e f, 547 a, 549 f, 550 a b, 556 f, 559 d, 563 b c, 564 b, 567 d
Vratislaviense monasterium *Ord. S. Dominici erectum a B. Ceslao* 193 b
Vulnera *subito sanata ope B. Bernardi Badensis* 117 d f
Vulnera Christi *Sacro hebdomadario colere vovens subito sanitatem moribundæ matri impetrat* 197 e

W

Walachrorum *incestæ olim nuptiæ* 463 b, *a S. Frederico ep. M. sublatæ* 464 e

X

Xenodochium *condit et fundat S. Athanasius ep. Neapolit.* 75 f. *Vide* Hospitalia.

Z

Zelus animarum *excellens in B. Simone de Lipnica* 517 c, 524 d

FINIS.

ABBAVILLA — EX TYPIS P. BRIEZ.

NOVA COL

DATE DUE

DEMCO NO. 38-298

BX4655.A2 VILLANOVA UNIVERSITY
*v.031
3 9346 00067361 8

FOR REFERENCE

NOT TO BE TAKEN FROM THIS ROOM
CAT. NO. 1935 LIBRARY BUREAU